

ACTA
SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M.DCCC.LXVII

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE BAPT. SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO,

PETRO BOSCHIO P. M.

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

AUGUSTI TOMUS TERTIUS

QUO DIES XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, CONTINENTUR



PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1867


Acta Sanctorum
Augusti Tom. III.
FRANCISCUS III. LOTHARINGIÆ ET BARRI MAGNUSQUE HETRURIÆ DUX
MARIA THERESIA REGIA PRINCEPS HUNGARIÆ BOHEMIÆ ET SERENISSIMA ARCHIDUX
Joannes Schauberg
Sculpsit Antverpiæ

SERENISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO III

LOTHARINGIÆ ET BARRI, MAGNOQUE HETRURIÆ DUCI

REGI

HIEROSOLYMÆ, MARCHISIO

DUCI


CALABRIÆ, GELDRIÆ, MONTIS-FERRATI, IN SILESIA TESCHENÆ

PRINCIPI

CAROLOPOLIS, MARCHIONI MUSSIPONTI ET NOMENEI

COMITI

PROVINCIÆ, VALDEMONTIS, ALBI MONTIS, ZUTPHANIÆ, SARWERDENÆ, SALMÆ, FALKENSTENEI ETC.



NEC NON

MARIÆ TERESIÆ

Regiæ principi Hungariæ, Bohemiæ, et Serenissimæ

ARCHIDUCI,

Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Luxemburgi, Limburgi, Geldriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ : Comiti Flandriæ, Namurci, Tyrolis, Goritiæ etc.

LECTISSIMIS CONJUGIBUS

Concesso nobis jam inde ab annis omnino septem supra quadraginta summo honore, Tomos Operis nostri sedecim, qui interea temporis in lucem prodierunt, dedicandi Augustissimæ Domui Austriacæ, munificentissimæ studiorum nostrorum Fautrici; Tomus hic septimus decimus, qui est tertius mensis Augusti, in conspectum Vestrum, SERENISIMI AC REGII PRINCIPES ET MAGNI DUCES HETRURIÆ, venire gestit, viamque affectat ad Vos, ut ea, qua par est, submissione se prosternat ad Regios Vestros pedes, firma spe fretus, se a Vobis admissum iri eadem cum animi benevolentia, ac favoris significatione, quibus Tomi antecedentes ab Augustissimis Imperatoribus, ac lectissimis Eorum Conjugibus, nec non a Serenissimis Austriacæ Familiæ Archiducibus olim admissi sunt. Et vero lætandum nobis merito esse censemus, talem nobis materiam in hoc Tomo subministrari, ut, quæ ejusdem occasione de Vobis hic dicentur, non longe quæsita, sed quasi sua sponte nobis oblata esse videantur.

Jam vero ut, quæ in Vobis cœpit, SERENISSIMI AC REGII CONJUGES, MAGNIQUE DUCES HETRURIÆ, in Vobis etiam mea desinat oratio; reliquum est, ut Vobis etiam atque etiam summo cum animi affectu gratulemur, florentissimum Ducatum illum, cujus possessio nuper ad Vos delata est, ad alia Vestra splendidissima decora prospere ac feliciter accessisse; Deum et Sanctos ejus impensissime rogaturi, ut Vobis obtingat longum ac faustum regimen, numerosa item liberorum ac Posterorum series, præsertim mascula; quæ præclarissimam Vestram Domum Lotharingico-Austriacam multis triumphis illustret, Imperium Romanum protegat, gentes, quæ in sua feritate confidunt, conterat : donec, evulsis funditus Portæ Othomannicæ cardinibus, lauro redimita, curruque triumphali sublimis, Constantinopolim invecta, Imperio Occidentali Orientale adjungat, nullis posthac hostium machinis aut conatibus ab illo avellendum. Ita vovent

SERENITATUM VESTRARUM REGIARUM

Devotissimi Clientes

JOANNES BAPTISTA SOLLERIUS
JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS

SOCIETATIS JESU.



SYNOPSIS

TOMI TERTII

DE ACTIS SANCTORUM

AUGUSTI

Tertius hic mensis Augusti Tomus, Sanctorum numero, quam Actorum copia locupletior est; qui utpote diem XIII prædicti mensis, et sex alios proxime sequentes complexus, continet Cœlites, quorum nomina in titulis exprimuntur, sexaginta sex supra centum, præter alios plures anonymos. Ex antiquo autem Fœdere occurrit *Michæas* senior propheta, cum synonymo juniore alicubi confusus. Gesta ejus ac vaticinia explanantur. De aliis priusquam agamus, monitum denuo volumus lectorem, consuetam hic servatum iri a nobis partitionem in variorum statuum ordinem, *Ecclesiasticum* videlicet, *Monasticum*, et *Secularem*, quarta seu postrema serie feminco sexui relicta.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Cassiani episcopi et martyris Tudertini Acta non habent, unde merito placere possint. De *Callisto*, apud eosdem antistite, ac martyre paucissima exstant. *Laudulfus* seu *Landulfus*, Ebroicensis in Gallia præsul, notus est præsertim ex historia inventionis S. Taurini Apameensi in Syria cathedræ præfuit *Marcellus* M. In Valle Gardumi apud Tyrolenses colitur potissimum *Felix* præsul et martyr, patratis miraculis Thaumaturgi nomen promeritus. His accedit *Albertus*, episcopus primum urbis Placentinæ, deinde Ferrariensis, utrobique laudabilis. Ad Afros pertinet *Alypius*, præsul Tagastensis, Augustini discipulus, magnum certe laudis ornamentum adeptus, quia ab eodem magno viro laudatus *Maccarthennus* Clochorensem in Hibernia cathedram rexit.

Altfrido antistiti Hildesemiensi in Saxonia inferiore asserimus nunc verum cultum, nobis antea dubium. Dolendum, tam præclari Viri Vitam vel litteris mandatam fuisse numquam, vel ad nostram saltem notitiam non pervenisse. Prodeat nunc *Arnulfus* noster, præsul Suessionensis, immortale Flandriæ decus, tum quia in illa natus; tum quia post exstincta Flandrorum cruenta odia, ibidem obiit prodigiis clarissimus. *Theodorus* seu *Theodulus*, Octodorensis seu Sedunensis episcopus in Vallesia apud Helvetos etiam datur, ac proponitur intricata difficultas circa ejus ætatem et personam.

Alia loca alios suggerunt præsules bene multos: *Simplicianum*, SS. Ambrosii et Augustini testimonio celebrem, Mediolanum in Insubria; *Nostrianum* Neapolis in Campania Italiæ; *Aregium* vel *Aridium* Decesia in territorio Nivernensi; *Eleutherium* Antissiodorensem, nec non *Theodolum* Sedunensem Gallia, qui forte non differt à Vallesiano; *Anastasium* item Interamnensem Umbria, à synonymo discernendum; *Joannem* Mons Maranus in regno Neapolitano; *Firminum* Metæ, a Phronimo ejusdem sedis episcopo diversum; *Joannem* et *Gregorium* patriarchas Constantinopolis; *Degam* seu *Dagæum* *Maccayril* Hibernia; *Guenninum* Venetensis urbs in Gallia; *Rainaldum* Ravenna; *Magnum* M. Italia. Multa vero tædia, ut id obiter hoc loco addam, devoranda fuere, ob implexas difficultates circa distinctionem variorum Sanctorum qui et eodem die, et sub eodem *Magni* nomine coluntur. Præter hos episcopos, *Marinum* dant Besaluense monasterium in Catalonia: Aretium in Tuscia *Satyrum*; *Morteum* seu *Mochteum*, Lugmadum in dicta Hibernia; *Elaphium* Catalaunum in Campania Galliæ; *Magnum* Avenio. *Ludovicus*, Tolosanus episcopus, Ordinis. FF. Minorum, regiæ coronæ despicientia, aliisque virtutibus, ac miraculis spectatissimus; morti quidem ætate præcox, sed meritis cœlo maturus. Acta hujus Sancti operose apud nos illustrata sunt.

Ordinis ecclesiastici inferioris sunt *Eusebius* presbyter Romæ; *Arduinus* sacerdos Arimini in Italia; an monachus Benedictinus? *Tharsicius* acolythus, ac *Titus* diaconus, martyres Romæ; *Myron* Cyzici in Mysia minore; *Jeron* in Hollandia, ambo presbyteri ac martyres; *Projectitius* diaconus et M. apud Bergomenses: *Joannes* et *Crispus* presbyteri Romani, forte etiam martyres.

EX STATU MONASTICO.

Junianus abbas, monasterii Mariacensis fundator, floruit in Pictaviensi Galliæ provincia: de cujus cultu et Actis tractatur. Inclytum sibi in Oriente nomen peperit invictissimus fidei pugil, re et nomine *Maximus*, abbas Chrysopolitanus: de cujus concertationibus cum Monothelitis, exsiliis, heroïca constantia, ac barbaro supplicio

diffuse

diffuse agitur. Commilitiones habuit insignes *Anastasium* monachum, ac alium *Anastasium* apocrisiarium Romanum. *Wigbertus* monachorum præfectus, S. Bonifacii probabilius discipulus, non magister, fulsit in Germania; *Frambaldus* abbas, apud Silvanectenses in Gallia; *Ludolfus* et *Druthmarus* abbates Corbeienses in Westfalia. Quatuor etiam a nobis dantur anachoretæ, videlicet *Arsacius* seu *Ursacius*, a Sozomeno laudatus; *Chæremon* item, ac *Laurentius*, nec non *Petrus Gualdensis*, qui fuit Tertii Ordinis S. Francisci. Fama notissimus est *Hyacinthus*, ex Ordine FF. Prædicatorum, qui ex nobili stirpe Odrowaziorum vel Odrovonsiorum oriundus, innumerabili pene prodigiorum multitudine clarissimus emicat. *S. Rochum* vel nominasse, satis laudasse est: qui Tertio Ordini S. Francisci haud accensendus. An autem in concilio Constantiensi propter depulsam pestem canonizatus fuerit, inquiritur. Utinam majoris pretii Vita celebratissimo Viro obtigisset! Hanc tamen cumulatissima publicæ venerationis decora abunde videntur compensare ex præsentissimo ejus patrocinio contra morbum contagiosum, sodalitiis piis, ac lipsanis sacris etc.

Liberati abbatis cum sociis Carthagine in Africa pro fide interempti Acta conscripsit Victor Vitensis, non vero Uticensis. *Amorem* vel *Amatorem*, primum abbatem Amorbacensem in Franconia, ne cum alio imperite confundas. Habes præterea *Eliam* juniorem monachum in Aulinis seu Salinis in Calabria. Laudem meretur Vita ejus. *Nicolai* eremitæ in Sicilia cultus probatur. *Badulphus* abbas Athanacensis in Gallia parum materiæ suggerit. *Marianus* eremita in Gallia prædicatur a Gregorio Turonensi. Alter ibidem solitarius ac presbyter *Donatus*; nec non *Maudrianus* ac *Flavianus* martyres. *Bertulfi* abbatis Bobiensis in Liguria Vita placet.

EX STATU SECULARI.


Hippolytus M. Romæ, et alii inclaruere. Tres synonymos in unum conflatos a Prudentio non fuisse, nobis apparet probabilius. *Cassianus*, apud Forum Syllæ in Italia antiquo cultu honoratus, novo martyrii genere e medio sublatus est. E pluribus aliis in hoc Tomo Martyribus celebriores sunt *Ursicinus* vel *Ursicius* miles; *Pugiles Hydruntini*, e fide dignissimis monumentis sedulo elaborati; *Diomedes* medicus, probabilius ab alio diversus; *Vamnes*, qui in Persia passus, sed vix antea notus, nova a nobis luce donatur; *Ambrosius* centurio Ferentini in Campania Italiæ; *Balsemius* in Gallia; *Strato*, *Philippus* et *Eutychianus* Nicomediæ. Quibus adjunge *Paulum* cum *Juliana* sorore; *Stratonicum*, *Quadratum*, et *Acacium*; *Florum* ac *Laurum*, *Proculum* et *Maximum*, *Agapitum*, *Julium* senatorem: *Magnum*, *Andream* tribunum; *Timotheum*, *Theclam*, et *Agapium*, *Clintancum* regem in Anglia. Illustri *Mamanti* vel *Mammeti* M. aptata perperam sunt Acta apocrypha. Præter hosce Christi Athletas supersunt duo Confessores, alter quidem *Zuentiboldus* Lotharingiæ rex, cujus publica stabilitur veneratio; alter vero *Calmineus*, Aquitaniæ Dux.

EX SEXU FEMINEO.

Concordia, Hippolyti nutrix et M. Romæ est memorabilis. De *Centollæ* et *Helenæ* martyrio in Hispania certius constat, quam de loco. Inter mulieres sanctimonia insignes eminent *Athanasia* vidua ac hegumena in Ægina insula; *Serena* Romæ, uxor Diocletiani perperam credita; *Benedicta* et *Cæcilia* virgines et abbatissæ Sustereni in agro Juliacensi: quibus additur *Relindis* reclusa. Obscura omnino sunt gesta *Crescentiæ* virginis, apud Parisienses sepultæ; de qua tamen meminit Gregorius Turonensis. Publica quoque veneratio debetur *Radegundi* vel *Radianæ* virgini et ancillæ in castro Wellenburgico Sueviæ apud Augustam Vindelicorum.

Supersunt aliæ quatuor, qualés quantæque feminæ! *Radegundis* nimirum regina, quæ conjugium Clotarii regis cum professione monastica apud Pictavienses in Gallia mirabili modo commutavit, sudantibus scriptoribus, ut ex implexissimo isto nodo se expediant. Altera est *Gertrudis*, S. Elisabethæ Thuringicæ filia, quæ Ordinem Præmonstratensem amplexa, deinde parthenonis Aldenbergensis in Germania moderatrix fuit. Plura de ea dici debuissent; sed Acta ejus quæsita quidem diligenter, sed hactenus reperta non sunt. *Helena* imperatrix, magni Constantini mater, partem bene magnam hujus Tomi implet. Famosissima inter alias est controversia de natali ejus loco. Videtur autem, spectata antiquitate, probabilius hic fuisse apud Drepanenses in Bithynia; non vero apud Anglos vel Trevirenses, quorum tamen rationes satis mature expendere conati sumus. Porro documenta varia ernere opus fuit ad supplendas Sanctæ Vitas fabulosas. Sacra ipsius lipsana apud cœnobitas Altivillarenses prope Remos miraculis inclytissima; quæ etiam potissimam illustrandæ gloriæ ejus posthumæ materiem subministrarunt. *Clara* de Cruce, seu de Monte-Falcone, instituti Augustiniani, novum atque inusitatum orbis prodigium, propter Dominicæ passionis instrumenta miro prorsus modo in ejus corpore efformata.

Tomo huic præmittitur elogium socii nostri Patris Petri Boschii piæ memoriæ, de Opere nostro optime meriti, ac longiore vita dignissimi.



FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, et 19 Julii 1694, Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Francisco Retz, concedo *Bernardo Alberto vander Plassche* facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum tertium de Actis Sanctorum Augusti, collectis et illustratis per Joannem Baptistam Sollerium, Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum, Petrum Boschium P. M., Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ XXX Septembris MDCCXXXVII.

SUMMA

PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est; ne quis, præter voluntatem Joannis Bap. Sollerii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos: aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat: qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur, ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die V Octobris anno MDCCXXXV.

Signat P. VAN CUTSHEM.

Et ego Joannes Bapt. Sollerius Societatis Jesu, permitto Bernardo Alberto vander Plassche, ut Tomum tertium de Actis Sanctorum Augusti, meo permissu apud ipsum impressum, publicet. Datum Antverpiæ III Octobris MDCCXXXVII.

APPROBATIO

APPROBATIO

ORDINARII

Post Tomum secundum mensis Augusti, quem a biennio approbavi, nunc prodit Tomus tertius ejusdem mensis ad prosequendum vastum Opus de Actis Sanctorum, quotquot ubique terrarum coluntur, vel a Catholicis scriptoribus celebrantur. Hunc in lucem produxerunt iidem scriptores Joannes Baptista Sollerius, Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus, et Petrus Boschius (postremus ætate minimus, ac longiore vita dignissimus in medio studiorum cursu occubuit) Societatis Jesu sacerdotes, eadem, qua priores, diligentia elaboratum: in quo nihil mihi occurrit Catholicæ fidei aut bonis moribus contrarium. Quinimmo potius arbitror, eruditos piosque lectores ex ea lucubratione plurimum fructum percepturos. Ita testor Antverpiæ secunda Septembris MDCCXXXVII.

P. G. ULLENS
Can. Presb. Librorum Censor Antverpiæ.




PROTESTATIO AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ: idem ante hunc tertium Tomum Augusti denuo protestamur.



ELOGIUM



P. PETRUS BOSCHIUS S. I.

OBIIT XIV NOVEMBRIS, ANNO MDCCXXXVI, ÆTATIS L.

Ut nimis assiduè tensus citò frangitur arcus,
Sic studio est fractus Boschius assiduo.

A D

ELOGIUM

REVERENDI PATRIS PETRI BOSCHII

HAGIOGRAPHI SOCIETATIS JESU, ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΤΟΥ

Auctore P. Petro Dolmans ejusdem Societatis presbytero.

P. Boschii natales, adolescentia, ingressus in Societatem :

Cum lectoris intersit, ut, cujus libros evolvit, rerum ab eo gestarum seriem norit, habeatque testimonium eruditionis ac probitatis ejus, congruum est, ut epitome quædam detur de vitæ B ratione P. Petri Boschii, cujus lucubrationes plurimorum jam teruntur manibus, terenturque deinceps. Cui rei dum operam do, illud cavebo imprimis, ne quid afferam, quod certum exploratumque non sit. Dein, quæ novi, non afferam omnia, sed selecta, ne, ut sæpe fit, ipsa prolixitas animum a lectione avocet. Igitur Bruxella, gubernatorum Belgii Austriaci sedes, virorumque principum deliciæ, P. Petrum Boschium mundo dedit anno æræ vulgaris MDCLXXXVI, die XIX Octobris. Parentibus, quos honestos piosque nactus fuerat, morte sublatis, educandum puerum suscepit patruus, litterisque humanioribus imbuendum ad Bruxellense Societatis Jesu gymnasium misit anno MDCXCVIII. Singularem in studiis profectum vel antecessit, vel comitata est par pietas; qua excitatus solebat se lecto circa horam quintam proripere, hieme quamvis aspera, ut in templo sacerdoti inserviret, ad aras operanti. C Anno MDCCV, die XXV Septembris, Societatis Jesu tironibus Mechliniæ adscriptus, per biennium religiosæ vitæ fundamenta posuit, virtutibus solidis undique munitissima : ut satis ea demonstrant, quæ tunc temporis animo concepit, sensa spiritualia, digessitque, memoriæ juvandæ causa, in libellum, qui post ipsius obitum in manus meas incidit.

profectus in virtutibus :

2 Speciminis loco sit illud, quod sibi in præparatione meditationis quotidianæ præscripsit servandum. *Habe*, inquit, *tibi ante oculos hunc scopum instituti Societatis, in quem in meditationibus collimes. Homines mundo crucifixos, et quibus ipse mundus crucifixus est, vitæ nostræ ratio nos esse postulat : homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum crucifixum induerent; qui, ut Paulus, in laboribus, in vigiliis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate, in verbo veritatis se Dei ministros exhibeant, et per arma justitiæ a dextris et sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa magnis itineribus ad cælestem patriam et ipsi pergant, et alios etiam, qua ope et studio possint, compellant.*

studium philosophiæ, ac salutis animarum.

3 Votis religiosis anno MDCCVII Deo nuncupatis, missus est ad Antverpiense collegium philosophiæ placitis imbuendus; idque progressu tam prospero, ut annis proxime sequentibus dare sit jussus vicibus iteratis scientiæ specimen in publica disputatione. E Tempore eodem pueri commissi sunt curæ P. Boschii, qui sacellum nautarum, ut vocant, principiis fidei imbuendi, frequentabant; quos quanto studio, quanta dexteritate erudierit, narrant etiamnum hodie virgines Deo sacræ, quæ catechismis interesse solent Antverpiæ, tum ut pueros compescant, tum ut iterato ea inculcent, quæ ipsos catechista docuit. Processurus ad sacellum colligebat juventutem obviam, secumque ducebat verbis blandis et tenellæ ætati accommodatis. Quod si tumultuantes, ut fit, in æde sacra offenderet, ea erat verborum vis, ea efficacia, ut murmur maximum cum religioso mox silentio F permutaretur. Præmiolis quidem plurimum excitabat parvulos, at magis paterno in quemlibet affectu, qui in verbis lucebat et opere : unde impetrabat facillime, ut intitutiones sacras precesque, etiam prolixas, prompte diligenterque mandarent memoriæ. Cum vel virtutis exercitium inculcabat, vel vitii fugam, tanta erat tamque potens in eo spiritus vis, et persuasio veritatis, ut ignem quoque sacrum animo conciperent natu majores, qui frequentes confluebant, illecti piis catechistæ monitis. Inchoatus hene fervor nullum in ætate reliqua passus est detrimentum. Hujus rei testes habeo moniales plerasque cujusdam in hac urbe Antverpiensi parthenonis : in quarum sacello cum jam hagiographus Christianæ fidei rudimenta explicaret puellis, quæ ipsis cohabitant, ut piis honestisque moribus instituantur; in deliciis habebant Religiosæ virgines, doctrinam P. Boschii audire attente, suoque sinu recondere.

A bendi initium duxit a Tractatu historico chronologico de Patriarchis Antiochenis tam Græcis quam Latinis, immo et Jacobitis, usque ad sedem a Saracenis eversam. Prodiit hoc opus anno MDCCXXV bis, semel tomo quarto Julii, cujus ejus præliminare; iterum seorsim ab Actis Sanctorum in forma minori, dicatumque Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Joanni Baptistæ De Smet, tunc Iprensium, nunc Gandensium episcopo, cujus meritissimas laudes celebrat præfixa Tractatui oratio et vera et elegans. Porro hanc elucubrationem dum parat, obit anno MDCCXXIII P. Conradus Janningus, cui per biennium circiter convixerat. Unde intermittendum tantisper fuit opus inchoatum, ut demortui collegæ elogium texeret, quod habes tomo tertio Julii præfixum. Commentarios, quibus Sanctorum vitas illustravit, litteris initialibus nominis P. B. notatos, reperies tom. IV, V, VI et VII Julii; item tom. I, II et III Augusti.
B Si quis specimen desideret doctrinæ, adeat Tractatum de Patriarchis Antiochenis pag. 1, ubi de chronologia S. Petri disserit, vel tomum VII Julii pag. 51, ubi S. Lupi episcopi Trecensis Acta examinat; vel tomum eumdem pag. 184, ubi vitam illustrat S. Germani episcopi Autissiodorensis vel denique tomum II Augusti, pag. 112 ubi S. Stephani Papæ et martyris res gestas elucidat, atque ejus contra S. Cyprianum decretum ostendit a potiori Ecclesiæ parte ab initio probatum; immo ipsum S. Cyprianum *ad universalem S. Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reductum.* Ubique reperiet lector curiosus ordinem temporis optime stabilitum, fabulas aniles explosas veras Sanctorum laudes et acta solidissime roborata: in quibus hagiographicus labor potissimum versatur.

et virtutibus quibus præditus.

13 Cæterum quamvis *frequens meditatio carnis afflictio sit, et vigilia honestatis tabefaciet carnes*, ut loquitur Textus sacer, aliis nihilominus austeritatibus corpus in servitutem redigere, ac pia quadam, ut ita
C dicam, crudelitate macerare consueverat, variis eam in rem usus instrumentis, quæ sunt in defuncti cubiculo reperta. Accedebat somni parcitas, et in potu tanta temperantia, ut abstemius vere dici potuerit. Quid de cæteris ejus virtutibus dicam? In libello, quem biennio, antequam moreretur, conscripsit, ita loquitur: *Obtuli me Regi meo ac tantum non vovi, ipsum quam proxime sequi in ferendis injuriis et adversis omnibus, quæ me ab ejus exemplo et voluntate vel alienare possunt, vel retardare; idque usque ad mortem.* Cujus propositi quam tenax fuerit, indicat libellus alter, in quo ab anno MDCCXXIV usque ad annum MDCCXXXIV, defectus suos omnes notavit, eosque tam leves, ut plerorumque hominum aciem effugiant: immo non parvos tantum lapsus signavit, sed et omissum earum virtutum exercitium, ad quas nulla nos lex D obstringit. Denique ut paucis complectar omnia, ex domesticorum omnium testimonio asserere audeo, reddidisse P. Boschium Deo, quæ ut redderet, ipse se obsrictum testatus est in libello anno MDCCXXXIV exarato.

Deo, inquit, *debeo ut homo laudem, reverentiam, servitium.*
Ut Christianus fidem, spem, charitatem etc.
Ut religiosus vota, regulas, studium perfectionis etc.
Ut sacerdos sanctitatem Sacrificio dignam quotidiano,
Ut catechista zelum animarum,
Ut hagiographus sedulitatem ac studium.

14 Dignæ sane Viro religioso sententiæ, digna axiomata, quibus in tempus longissimum exequendis, utinam vires habuisset pares! Verum hisce anno MDCCXXXIV destitui cœpit, non intermisso exhaustus studio, et intensiore rerum gerendarum cura; magnaque capitis imbecillitate laborans vitam duxit rebus seriis tractandis ineptam; donec die E XIV Novembris anni MDCCXXXVI diem vitæ clausit extremum, summo sui relicto desiderio. Sublatum quippe Virum doluerunt omnes, quotquot aut scientiarum erant studiosi, aut virtutis, non nostri tantum, sed et externi, atque adeo illi ipsi ecclesiarum Belgicarum principes, quibus suæ eum dotes reddiderant commendatissimum. Ne longius abeam; talis fuit vita P. Boschii, ut eruditio et virtus de primis in eo partibus dimicasse videantur.

Obitus:

15 Ut finem Viri elogio imponam, jam tempus me monet. Videor tamen operæ facturus pretium, si nonnullas ex ipso depromptas subjiciam sententias, ex quibus Societatis nostræ alumni discant, quid judicio Viri tanti necessarium sit aspirantibus ad veram vitæ Apostolicæ normam. *Numquam intermittatur* (hæc Liræ in tertiæ probationis anno scribebat) *usus mortificationum sive internarum sive externarum: nemo enim in Societate egregius fuit, nisi hujus extercitii* F *amator: sine hac vigent passiones, friget oratio: denique toti seculares fimus et molles: quorum exempla non reperies inter omnes Sanctos, qui in cœlo sunt.* Et paulo post: *Mortificatio, contemptus sui, indefessa et assidua oratio, paupertas, silentium, fuga seculi et commoditatum, abnegatio, cetcræque virtutes Apostolicæ, sed imprimis familiaritas cum Deo, etiamsi domesticis coërcitæ parietibus, putasne parum fructus afferunt, dum illos ædificant, accendunt, redarguunt, fortiter et suaviter ad imitandum impellunt, a quibus omnes postea doceri, accendi et moveri debent? Magna in communitate nemo sine maximo merito bonus, nemo etiam est sine maximo demerito æternæque damnationis et suæ et aliorum malus. Itaque sive adhibendus ad agendum*

sensa

A *dum eum proximo, sive ad domi delitescendum adhibeor, omnino in perfectionem Apostolicam incumbere teneor.*

spiritualia : 16 Sub finem ejusdem libelli hæc habet : *Plus facit æger et debilis religiosus mortificatus, et solum Deum et sui abjectionem et crucem quærens, verbi gratia S. Franciscus de Borgia, P. de Puente, F. Rodriguez, Joannes Franciscus Regis, et alii innumeri, tametsi domo non exeant; quam omnes professores, qui tantum docent; quam omnes concionatores ac Superiores, qui tantum verbis vel invigilando veras virtutes docent: quia virtutes tam necessarias, ut vivamus vita vere Apostolica, scientia multo potiores, evidentius proponit in se, potentiusque persuadet.* Immediate post subjungit sequentia : *Ædificare inter nostros est meriti multa majoris quam tantum inter externos: quia si quem hic ad virtutem moves, per eum omnes instruis, quos ipse tota vita instruendos accipiet. Inter seculares in uno unus, hic in uno* B *plures ac virtutum animantur.* Tum ita pergit : *Qui non plane abnegat semetipsum, non multum proficiet apud nostros aut externos: quia si semel deprehendatur se quæsivisse aut secutum esse, jam plus nocuit, quam centum aliis operibus proderit.* Libellum, in quo suos cum defectus notasse supra memini, ita exorditur : D *Regulam 11 et 12 sæpe recogita in Summario constitutionum, et memento ad illas teneri te exigere omnes actiones, verba, cogitationes, omissiones tuas. Nisi illæ crebro imprimantur animo, continuo elabuntur, maxime in occasionibus subitaneis ob assiduam inordinatarum affectionum repugnantiam, quibus nisi assidue obsistitur, ita sensim invalescunt, ut continuo dominentur. Memento vero te teneri non tantum vitare mala qualiacumque, sed imitari Jesum, ejusque in te spiritum in omni verbo, cogitatione et opere, quantum potes, exprimere.*

17 Atque hæc quidem sunt, quæ de vitæ integritate ac eruditione laudati et numquam satis laudandi Patris referenda censui. Reliqua, quæ nos latent, pretiosa religiosissimi animi sensa, incensissimos pietatis igniculos, ac præclaras alias ipsius virtutes novit cordium scrutator et meritorum præmiator Dominus. Quæ omnia spem nobis certam faciunt, Virum inebriari ab ubertate domus Dei, ac lætari in cubilibus ejus, nec non contubernio Sanctorum, quorum gloriæ propagandæ tam impense ac laboriose insudavit in E terris, aggregatum esse in cœlis. epilogus.



INDEX

INDEX

SANCTORUM

AD TOMUM III AUGUSTI.

A

Acacius *vide infra* Paulus.

Æmilius, Agnetus et Orian martyres Alexandrini. *Ex Hieronymianis* 289

Agapitus martyr Præneste in Italia. COMMENT. PRÆV. § I. Palæstra sancti Martyris, antiquus ipsius cultus, et diversa Actorum exemplaria 524. § II. Templa in honorem hujus Martyris constructa aut restaurata, variæ ejusdem reliquiæ et quædam miracula 527. § III. Caput ejusdem sancti Martyris Vesontione in Burgundia et Corneti in Hetruria conservari dicitur 529. ACTA, auctore ignoto, *ex tomo* 147 *bibliothecæ Cassinensis, litteris Longobardicis exarato, ut in margine apographi nostri notabatur*. CAP. I. Sancti patria, educatio, intrepida fidei Christianæ professio, et inconcussa inter blanditias, tormenta ac minas constantia 532. CAP. II. Diversa tyranni tentamina ad seducendum sanctum Martyrem, et variæ hujus responsiones 534. CAP. III. Mira Attali cornicularii conversio ad fidem Christianam, et ultimum S. Agapeti post varia irrita tormenta supplicium 536. ACTA ALIA, auctore anonymo, *ex Ms. Accincti monasterii in Burgundia, cujus apographus a Chiffletio nostro accepimus* 537

Agapius *vide infra* Timotheus *etc.*

Albertus episcopus Ferrariensis in Italia. COMM. HISTOR. § I. Beati cultus et reliquiæ 175. § II. Ejusdem gesta quædam, et felix obitus 177. ADDITIO ad Commentarium de sancto Alberto Ferrariensi.

Altfridus episcopus confessor Hildesemii in Saxonia inferiore. SYLLOGE HISTORICA DE CULTU, ÆTATE ET GESTIS § I. Examinatur cultus 210. § II. Prima ecclesiæ Hildesiensis fundatio ex Actis Benedictinis 211. § III. Primi ejus episcopi quatuor, quos inter illustrissimus S. Altfridus 212. § IV. Assendiensis fundationis diploma 213

Alypius episcopus Tagastensis in Africa. COMMENT. HIST. § I Modernus ejus cultus; gestorum scriptor S. Augustinus 201. § II. Alypii natales nobiles; studia in juventute Tagastæ, Carthagine, Romæ 203. § III. Gesta ejus usque ad baptismum Mediolani susceptum 204. § IV. Reliqua, quæ de illo sciuntur 206

Ambrosius centurio martyr Ferentini in Campania Italiæ 290

Amor vel Amator, primus abbas Amorbacensis in Franconia. COMMENT. HISTORICO-CRITICUS § I. Notitia hujus Sancti nobis humaniter communicata; situs et etymologia monasterii, cui præfuit 460. § II. Historicus Amorbacensis probat, hunc sanctorum Amorem ab alio ejusdem nominis Sancto distingui 462. § III. Laudatus scriptor exponit, hodiernam S. Amoris venerationem, et ostendit, semper a prudentioribus eam primo cœnobii Amorbacensis abbati exhibitam fuisse 464. § IV. Incerta Sancti patria, verosimile vitæ institutum, et dubius mortis annus 467. § V. Præcipua Sancti gesta ex traditione et documentis Amorbacensibus 469. § VI Posthuma Sancti gloria ex fonte, cui miram salubritatem precibus suis impetrasse dicitur 471. § VII. Miracula, quæ ad fontem sancti Abbatis ab anno 1446 usque ad annum 1712 contigerunt 472

Anastasius episcopus confessor, Interamnæ in Umbria Italiæ. COMMENT. PRÆV. Sancti a synonymo distinctio, gesta, inventio et miracula 457. HISTORIA inventionis, translationis et miraculorum. *Ex Ms. Interamnensi* 458

Anastasii duo cum S. Maximo Constantinopoli. *Vide inferius ad nomen* Maximi.

Andreas tribunus ac socii martyres in Cilicia. COMMENT. PRÆV. § I. Publica eorum veneratio, nomen S. Andreæ confusum, Acta, Martyrum numerus 720. § II. Tempus martyrii expensum 722. ACTA Metaphrastæ adscripta et apud Surium edita 723

Arduinus confessor Arimini in Italia. COMMENT. PRÆV. Antiquus hujus Sancti cultus, vitæ institutum, Acta, eorumque scriptor 214. VITA, auctore anonymo incertæ ætatis. *Ex veteri Ms. libro, qui Arimini apud illustres dominos confraternitatis S. Hieronymi conservatur, a fol.* 111 *usque ad folium* 119, *et quem cum apographo Bodecensi contulimus* 216. CAP. I. Sancti patria, pueritia, sacerdotium et præcipuæ virtutes 217. CAP. II. Amor ejus erga proximum, et transitus ad perfectiorem vivendi modum 218. CAP. III. Varia miracula, quæ post mortem Sancti contigerunt 219

Aregius vel Aridius episcopus confessor, Decesiæ in territorio Niverneusi. SYLLOGE de cultu, rebus gestis, ac tempore, quo floruit 295

Armagilus confessor in Britannia Armorica Galliæ 298

Arnulfus confessor et episcopus Suessionensis, Aldenburgi in Flandria. COMMENT. PRÆV. § I. Aldenburgi in Flandria præcipuus hujus Sancti cultus, memoria ejus in Martyrologiis, et unum alterumve antiquum ejusdem elogium 221. § II. Ossa hujus sancti Præsulis identidem recognita, et furori Calvinistarum prudenter subducta 223. § III. Sancti nomen, patria, nobilitas, et duo ejus corporeæ fortitudinis exempla, quæ in Mss. Actis nostris non memorantur 225. § IV. Scriptor Actorum, et varia eorum

eorum exemplaria 227. VITA, auctore Hariulfo synchrono, abbate Aldeuburgeusi, quam adoptavit Lisiardus episcopus Suessioneusis etiam coævus. Ex Ms. Thosano quod cum aliis tam manuscriptis quam impressis ejusdem Sancti Actis contulimus 230. LIBER PRIMUS. CAP. I. Prænuntiata Sancti nativitas, sedula educatio, militia, conversio a vita militari ad cœnobiticam et solitariam 231. CAP. II. Fuga Sancti, ne fieret abbas, mira ejusdem reductio, electio, sedula muneris abbatialis administratio, et quædam miracula 233. CAP. III. Post abdicatum abbatis officium vita ejus solitaria, et mirabilis rerum futurarum arcanarumque cognitio 236. CAP. IV. Multæ Sancti prædictiones, quas eventus probavit, et quædam personæ in morbis aliisque infortuniis per intercessionem ipsius adjutæ 239. LIBER SECUNDUS. CAP. I. Evectio Sancti ad cathedram Suessionensem, occultarum ac futurarum rerum revelatio, consecratio episcopalis, et datum scientiæ suæ specimen 243. CAP. II. Constantia Sancti in adversis, administratio muneris episcopalis, mortis ac sepulturæ suæ prædictio, et varia prodigia per preces ejus patrata 245. CAP. III. Turbæ et inimicitiæ per Sanctum compositæ in Flandria, ubi prædicationem suam diversis miraculis confirmat 247. CAP. IV. Divina animadversio in nonnullos Flandros, qui monita Sancti contemnebant; fundatio monasterii Aldenburgensis; reditus S. Arnulfi in Galliam, et iterata profectio ejus in Flandriam 249. CAP. V. Morbus Sancti reversi in Flandriam, signa de imminente obitu, pia mors, honorifica sepultura, et epitaphium 251. LIBER TERTIUS, in quo Lisiardus episcopus Suessionensis narrat miracula, elevationem reliquiarum et alia, forsan prius ab Hariulfo abbate Aldenburgensi descripta, quæ post mortem Sancti contigerunt 254. CAP. I. Varia prodigia, quæ ad Sancti tumulum et per invocationem ipsius in Flandria contigerunt 255. CAP. II. Elevatio sacrorum ejus ossium, quam signa cœlestia et miracula consecuta sunt 257

Arsacius vel Ursacius confessor Nicomediæ in Bithynia. COMMENT PRÆV. Cultus, locus ac tempus mortis, vitæ institutum, Acta 270 COMPENDIUM ACTORUM. *Ex Sozomeno Ecclesiasticæ historiæ lib. 4 cap. 16 pag. 559 editionis Valesianæ* 272

Athanasia vidua ac hegumena in Ægina insula. COMMENT. PRÆV. Locus vitæ asceticæ, cultus, ætas, Acta Latina cum Græcis collata; dies obitus; sanctæ synonymæ. VITA, auctore anonymo synchrono, *apud Surium vulgata, et hic cum textu Græco collata.* Cap. I. Natales, educatio, visio, nuptiæ, vita ascetica, virtutes. 170. CAP. II. Favores cœlestes, templorum ædificatio, mors, apparitio, miracula, fides auctoris Vitæ 172

B

Badulphus confessor et abbas Athanacensis in Gallia. Locus, cultus, abbatialis præfectura etc. 732

Balsemius martyr, Ramerude in diœcesi Triecassina Galliæ. COMMENT. PRÆV. Sancti a synonymo distinctio, cultus et martyrium 292. FRAGMENTUM historiæ S. Balsemii martyris. Ex Promptuario Nicolai Camuzati pag. 334 versa 293

Benedicta et Cæcilia virgines abbatissæ Susterenses, et Relinda reclusa in agro Juliacensi. SYLLOGE de earum cultu 509

Bermias martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149

Bertulfus abbas Bobii in Liguria Italiæ. COMMENT. PRÆV. Legitimus Sancti cultus, distinctio ab altero homonymo, Acta, eorumque scriptor, et annus mortis 750. VITA, auctore Jona monacho Bobiensi, teste synchrono et in multis oculato. *Ex antiquo Musei nostri codice, qui signatur † Ms. 86, et quem cum editione Mabilloniana contulimus* 722 CARMEN de gestis S. Bertulfi abbatis Bobiensis, auctore Frodoardo canonico Remensi, qui seculo decimo floruit. *Ex editione Mabillonii seculo 2 Benedictino pag. 166 et sequente* 754

Bonifacius diaconus martyr. *Vide infra* Liberatus abbas etc.

C

Cæcilia *vide superius* Benedicta.

Callistus episcopus et martyr Tuderti in Umbria 167

Calminius confessor et Dux Aquitaniæ, Mosaci in Arvernia. COMMENT. PRÆV. § I. Cultus et Acta 756. § II. Investigata Sancti et biographi ejus ætas 758. VITA, auctore anonymo, *quam R. P. Thomas Aquinas a sancto Joseph Carmelita Discalceatus ex veteri Ms. codice Mosiacensi edidit* 759

Cassianus episcopus et martyr Tuderti in Umbria. COMMENT. PRÆV. § I. Cultus ejus et reliquiæ 24. § II. Ejusdem Acta quanti facienda 25. ACTA, *auctore anonymo; ex Ms. Romano apud RR. PP. Oratorii S. Philippi Nerii.* CAP. I. Sancti Cassiani conversio, episcopatus et prima certamina 27. CAP. II. Alia tormenta, martyrium, sepultura 29

Cassianus martyr apud Forum Syllæ in Italia. COMMENT. PRÆV. § I. Cultus ejus apud Forosyllanos et alibi 16. § II. Corpus ejusdem et reliquiæ 17. § III. Ejusdem Acta vetera; recentiorum discussio 19. § IV. Continuatio ejusdem discussionis 21. ACTA. *Auctore Aurelio Prudentio Clemente; libro* Περὶ στεφάνων *Hymno* IX. *Ex codicibus nostris membraneis et vetustissimis † Ms. 63 et † Ms. 66.*

Centolla et Helena martyres Burgis in Hispania. SYLLOGE HISTORICA. Legitimus harum Sanctorum, cultus, Acta, et incertæ quædam eorum circumstantiæ 30

Chæremon anachoreta. Cultus apud Græcos, ac vitæ institutum 291

Clara de Cruce virgo prope Montem-Falconis in Umbria. COMMENT. PRÆV. § I. Cultus hujus beatæ Virginis ab immemorabili tempore cœptus, et a Pontificibus Romanis confirmatus 664. § II. Authentica Beatæ Acta, et diversi horum scriptores 666. § III. Argumenta, quibus PP. Franciscani hanc beatam Virginem tertio suo Ordini adscribunt 667. § IV. Responsa, quibus PP. Augustiniani argumenta PP. Franciscanorum refellunt 670. § V. Tempus, quo Beata obiit, et sacra Dominicæ Passionis mysteria, quæ moniales cordi ejus impressa post mortem invenerunt 672. § VI. Posthuma Beatæ gloria ex aliis prodigiis, diuturna corporis integritate et innumerabilibus beneficiis

ficiis 674. Vita, auctore Isidoro Mosconio, *ex vetustissimis codicibus, in monasterio sanctæ Crucis repertis, fideliter exstracta*. Cap. i. Pia Beatæ pueritia apud parentes, ratio vivendi sub regimine sororis suæ reclusæ, et varia virtutum exercitia 676. Cap. ii. Ibi fit abbatia cum regula S. Augustini, in qua sorori defunctæ sublecta sanctissime præest 678. Cap. iii. Beatæ humilitas, verecundia, intentio pura, zelus fidei Christianæ, spiritus propheticus 680. Cap. iv. Communicatur à Christo, in cujus meditanda Passione suas distrahi non vult; humilitas ejus, et impressa cordi mysteria 682. Cap. v. Morbus ejus, et mors Beatæ, retectis mysteriis confirmata 684. Cap. vi. Aliquot ejusdem miracula 686
Clintancus rex et martyr in Anglia 733
Concordia *vide infra* Hippolytus.
Conditor martyr in Syria *Ex Hieronymianis* 149
Crescentia virgo Parisiis. Cultus et miracula 729
Crispus *vide infra* Joannes.
Cyrillus martyr *vide* Filion *etc*.

D

Dega Maccayrill episcopus confessor in Hibernia. Comment. præv. Cultus, tempus mortis, discipulus, observationes in Vitam 656. Vita, auctore anonymo. Ex codice Ms. antiquo membraneo Salmanticensi, quem habemus, a pag. 212. Cap. i. Sancti natales; edita de illo vaticinia; varia ab eo præclare gesta 658. Cap. ii. Plurima Sancti miracula, opera alia egregia et felix obitus 660
Demetrius martyr in Africa. *Ex Martyrologiis* 149
Diomedes medicus et martyr Nicææ in Bithynia. Comment. præv. Cultus, elogium; martyr hic cum alio confusus; templum Constantinopoli, caput in Italia, Acta 266. Martyrium, auctore Laurentio monacho Rutiensi in Calabria, e codice Ambrosiano N. 152, interprete J. P. 268
Discus, vel, Discus, et forte Disca martyr Alexandrinus. *Ex Hieronymianis* 418
Disseus martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149
Donatus presbyter confessor et eremita in pago Sigisterico Provinciæ in Gallia 735
Druthmarus et Ludolfus abbates Corbeienses in Westfalia. Sylloge historica. Immemorabilis horum abbatum cultus, et quædam commodem gesta ex variis monumentis 139

E

Elaphius episcopus confessor Catalauni in Campania Galliæ. Sancti ætas, cultus et gestorum compendium 747
Eleutherius episcopus confessor, Autissiodori in Gallia 299
Elias junior monachus in Aulinis seu Salinis in Calabria. Comment. præv. § i. Cur Sanctus Thessalonicæ non annuntiatus; ejusdem patria, parentes, nomen, duplex captivitas 479. § ii. Alia captivitas; mutatum nomen et vitæ institutum; monasterium divinitus præsignatum; peregrinationes; prædictiones, discipulus etc. 482. § iii. Mortis adjuncta; quo anno ea acciderit, confici non videtur ex notis characteristicis apud Caietanum, sed aliunde 484 § iv. Sepultura, translatio corporis; sanctus Elias cum synonymo confusus; publica veneratio 487. § v. Scriptor Vitæ, interpres, exemplaria 488. Vita, auctore anonymo monacho, ut videtur, synchrono vel suppare. Cap. i. Natales, sancta pueritia, captivitas, vaticinia 489. Cap. ii. Castitas Sancti frustra impugnata; sanatio moribuudi ac infirmorum; ipsius a morte liberatio, visitatio terræ sanctæ; vitæ ac nominis mutatio; gesta Alexandriæ 491. Cap. iii. Aliæ peregrinationes; Saraceni aliquot ad Christum conversi; vaticinia, perspicientia animorum, vita ascetica, miracula 493. Cap. iv. Morum suavitas, jejunia, secularium rerum contemptus, maris sedatio, vaticinia 497. Cap. v. Sui despicientia, monita salutaria aliis data, urbis Tauromenitanæ eversor punitus; captivus miro modo liberatus 499. Cap. vi. Varia Sancti miracula, mansuetudo ac severitas, vaticinia 503. Cap. vii. Morbus, obitus; corporis sepultura, integritas ac translatio; concursus ad illud; miracula; Leonis imperatoris munificentia 506
Eusebius presbyter Romæ. Sylloge de cultu et gestis 166
Eusebius martyr in Palæstina. Cultus e Martyrologiis. Acta, auctore anonymo, *edita in Thesauro novo Anecdotorum apud Edmundum Martene tomo* 3 *a col.* 1649 *e Ms. sancti Audoëni Rotomagensis* 150
Eusebius martyr in Syria. *Ex Hieronymianis* 149
Euticius martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149
Eutychianus et Strategius martyres. Memoria in Fastis Græcis 730
Eutychianus martyr cum sociis Nicomediæ. Sylloge. Cultus, socii, elogium, Acta 418
Evanus vel Ivanus confessor in Scotia 663

F

Felix episcopus et martyr Valle-Gardumi in Tyroli. Sylloge de cultu et miraculis 163
Filion, Rufinus, Leontius, Theodolus, Cyrillus, Zelatus, Timotheus, Gadda, Romolus et Sylvius, martyres Amaseæ in Ponto. *Ex Hieronymianis* 730
Firminus episcopus confessor Metis in Gallia 654
Flavianus martyr *vide infra* Mandrianus.
Florus et Laurus, Proculus, Maximus, et alii martyres in Illyrico. Comment. præv. Cultus, translatio, Acta, tempus ac locus martyrii 520. Martyrium, auctore Laurentio monacho Rutiensi in Calabria, *e codice Ambrosiano N. f. n.* 152. *Interprete J. P*, 522
Fortunatus martyr in Syria. *Ex Hieronymianis* 149
Frambaldus abbas et confessor Silvanecti in Gallia 300. Elogium, Ex veteri Breviario Silvanectensi descriptum apud Labbeum tomo 2 Bibliothecæ Mss. pag. 559 301

G

Gadda martyr *vide* Filion etc.
Georgius patriarcha Constantinopolitanus. *Vide* Joannes et Georgius etc.
Gertrudis filia S. Elisabethæ Thuringicæ, Ordinis Præmonstratensis abbatissa Aldenbergensis in Germania. Sylloge de gestis et cultu. 142. *Ex*

142. *Ex Officiis Sanctorum Canonici Ordinis Præmonstratensis* 143

Guenninus episcopus et coufessor, Veneti in Gallia. Veneratio publica, ætas; an hic sanctus cum alio non confusus 662

H

Helena vidua, imperatrix, magni Constantini mater Romæ. Comment. præv. § i. Nomen, annus ac locus natalis 548. § ii. Examinatur diploma, quo Trevirenses sibi tribuunt Sanctæ natales; ad quos illi probabilius pertinere videantur; Helenæ genus 550. § iii. Argumenta, quæ opponuntur humili Sanctæ generi, discutiuntur; fuit legitima Constantii Chlori conjux 552. § iv. An unica Helenæ proles Constantius; quando et ubi ex ea natus: Sancta a marito repudiata quo se receperit; an Constantinum converterit ad Christi fidem, vel contra 556. § v. An Constantium ad orthodoxam fidem converterit; an priusquam ad Christum est conversa, fuerit Judæa; an a sancto Silvestro Papa baptizata; studium propagandæ fidei; quomodo se gesserit in morte Crispi 558. § vi. Inventio crucis elaborata hic secundis curis; iter Sanctæ in Palæstinam; an divina revelatio eidem prævia; quo animo, quo tempore, et quanta cum laude susceptum 561. § vii. Historica sanctæ Crucis ab Helena inventæ collectio 562. § viii. An Eusebius de Crucis inventione non meminerit: an a Judæo fuerit præmonstrata; Acta S. Helenæ post ejus inventionem; publica veneratione ac miraculis Crux illustratur 564. § ix. Passionis Dominicæ instrumenta a sancta Helena inventa; ædificatæ ecclesiæ Hierosolymis; virtutes ibidem et alibi exercitæ 566. § x. An sancti Luciani martyris templum ædificarit; sanctorum trium Regum corpora impetrarit; varia egerit in Belgica; testamentum, ac piissimus obitus 569. § xi. Depositio corporis; elogium; locus, annus ac dies mortis; an cum ea cohæreant ædes sacræ, quæ dicuntur a Sancta conditæ; ejusdem ætas 571. § xii. Loca Helenæ nomine insignita a Constantino, creata ab eo imperatrix, conditi in ipsius honorem nummi; illustres gratiæ ac naturæ dotes; castigatur Libanius sophista 574. § xiii. Cultus e Fastis Latinis, publica veneratio per varias Occidentis regiones diffusa, sacra lipsana; annua apud Græcos memoria 576. § xiv. Varia Vitæ exemplaria designantur et castigantur; quodnam a nobis hic typis excudatur 578. Vita, seu potius homilia, auctore Almanno cœnobita Altivillarensi, *ex Mss. S. Benigni Divionensis, Vallislucentis et Cartusiæ Divionensis, cum exemplari Trevirensi collata.* Epistola auctoris 580. Prologus ejusdem auctoris 581. Cap. i. Ortus S. Helenæ; major hujus quam Græcæ synonyma præstantiæ; conjugium cum Constantio Augusto; vocata imperii mater; decem plagæ Ægyptiacæ cum totidem persecutionibus Romanorum comparatæ 583. Cap. ii. Melior Romani imperii status per Constantinum et Helenam; monitio de condendis templis; inventio S. Crucis mystice antea adumbrata 586. Cap. iii. Sancta divinæ providentiæ conformis; profunda animi modestia; comparatur cum regina Saba; vitæ ejus integritas 590. Cap. iv. Sancta cum Jeremia comparata, et cum Helena Adiabenorum regina; reliquiæ Hierosolymis acceptæ; gratiæ, dotes; excursus in terram Sanctam laudatus, ac Constantinus 592. Cap. v. Laudes Constantini propter duas ecclesias constructas; Helenæ ob inventam Crucem; reliquiæ sacræ alio ab ea missæ; obitus, divina ejus charismata 595. Cap. vi. Cœlestis gloria, sepultura; apostrophe auctoris ad Constantinum et ad populum Romanum 597. Gloria Posthuma e variis corporis translationibus. § i. Inter plures translationes celeberrima est Altivillarensis in Gallia; rei gestæ annus ac scriptor 599. § ii. Historia translationis ad cœnobium Altivillarense, auctore Almanno ejusdem cœnobii monacho, e Ms. cœnobii S. Benigni Divionensis et Vallis-Lucentis, cum apographo Trevirensi S. Martini collata 601. § iii. Acta seculo ix et xi in confirmationem corporis apud Altivillarenses; apertio capsæ seculo xii; inspectio ejusdem corporis, et translatio in arcam aliam seculo xv; aperta iterum hierotheca seculo xvii; corporis partes, capsa, sacellum etc. 603. § iv. An Romana translatio evertat possessionem Altivillarensium; an item et quomodo competitores corporis inter se conciliari possint; stabilitur possessio Altivillarensis 605. § v. Solemnis ac miraculis nobilitata translatio corporis seculo xi: qua illustrantur superius a nobis prævia § 3 num. 21, auctore Notchero abbate Altivillarensi 607. Gloria posthuma ex miraculis. § i Miracula ope Sanctæ in sua translatione in Galliam patrata seculo nono, auctore Almanno monacho Altivillarensi, e Ms. Resbacensi hic edita. Pars prima. Miracula quæ cum circa sacrum corpus, tum in aliis per illud sospitatis contigere [illegible]2. Pars secunda. Omnigena alia mala per S. Helenæ corpus sanata 614. Pars tertia. Inter varios sacri corporis competitores prævaluit cœnobium Altivillarense; ejusdem elogia; devastatio; mira piscatio Sanctæ meritis attributa 616. § ii. Miracula cum a sancta Helena, tum ab aliis Altivillarensium patronis facta seculo xi, auctore anonymo, e codice Altivillarensi. Sectio prima 618. Sectio secunda. Alia prodigia ibidem facta 620. § iii. Miracula S. Helenæ apud Altivillarenses seculo decimo septimo. Classis prima ab anno Christi mdcxix usque ad mdcxx. 622. Classis secunda, ab anno Christi mdcxx usque ad mdcxxx. 625. Classis tertia, ab anno Christi mdcxxxi usque ad mdcxliv. 627. Classis quarta. Miracula ab anno mdcxlv usque ad annum mdcxlix. 630. Classis quinta. Ab anno mdcl usque ad annum mdclv. 632. Classis sexta. Ab anno mdclv usque ad annum mdclxi. 634. Classis septima. Ab anno mdclxi usque ad annum mdclxv. 637. Classis octava. Ab anno mdclxv usque ad annum mdclxvii. 638. Classis nona. Alia quædam mira apud Altivillarenses anno mdclxvii; Litaniæ cum Antiphonis et orationibus in Sanctæ honorem conditæ 640. Classis decima. Continuatio miraculorum ab anno mdclxvi usque ad mdclxviii. 642. Classis undecima Mirabilia diu interrupta vel non annotata; sed anno mdccxxi iterum inchoata, vel litteris consignata, et anno mdccxxii continuata 643. Appendix ad miracula Altivillarensia; cœlestes favores in territorio Luxemburgensi Sanctæ patrocinio obtenti 645. Gloria posthuma

HUMA ex Officiis sacris etc. § I. Officia propria apud Altivillarenses ac Remenses; quotidiana commemoratio de S. Helena 647. § II. Elogium rhythmicum, auctore incerto, metrum epicum; laudes sublestæ fidei 651
Helena et Centolla martyres *vide supra* Centolla et Helena.
Heliana, *vide* Pontemus.
Heraclus martyr cum tribus anonymis incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149
Heraclus martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149
Hermas, Serapion, et Polyænus martyres Romani. SYLLOGE de cultu ac martyrio 546
Hermas martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149

Hippolytus et Concordia cum XIX aliis martyribus Romanis COMMENT. PRÆV. § I. Cultus ex fastis; veneratio publica; martyr synonymus a nostro distinctus 4. § II. An sicut alter synonymus martyr, ita noster ab equis distractus; an tres Hippolytos in unum conflarit Prudentius; tempus ac socii martyrii; sepultura 6. § III. Celebris translatio S. Hyppolyti in Gallias, miracula 8. § IV. Quisnam S. Hippolytus in Gallias sit translatus; sacra lipsana sub istius Martyris ac S. Concordiæ nomine honorata; Acta. COMPENDIUM MARTYRII. *Ex Martyrologio Adonis ad diem* XIII *Augusti.* MIRACULA. *Ex Petro Calo Ordinis FF. Prædicatorum.*
Hyacinthus confessor ex Ordine FF. Prædicatorum, Cracoviæ in Polonia. COMMENT. PRÆV. § I. Præcipui auctores, qui Vitam et miracula hujus Sancti conscripserunt 309. § II. Sancti patria, nobile genus, studia litteraria, canonicatus et ingressio in Ordinem Prædicatorum 311. § III. Tempus tirocinii, et nonnulla incerta Sancti gesta, de quibus inter ipsos scriptores Dominicanos disceptatur 312. § IV. Deiparæ apparitio huic Sancto facta, et quædam prodigia ab ipso adhuc vivente patrata 315. § V. Alia ejusdem Sancti miracula quæ tempore vitæ suæ patravit 317. § VI. Felix hujus Viri mors sive sanctitas ejusdem statim post obitum variis signis et revelationibus declarata 319. § VII. Diversi Polonorum conatus ad impetrandam venerabilis sui Popularis canonizationem 321. § VIII. Initium et incrementum legitimæ venerationis ante solennem ejusdem Beati canonizationem variis miraculis confirmatæ 324. § IX. Licentia obtenta ad elevandas sancti reliquias, earumque inventio 326. § X. Ossa sancti in novo sacello altari iterum honorifice collocata 328. § XI. Bulla canonizationis, quo magnus hic Thaumaturgus catalogo Sanctorum adscribitur 331. § XII. Gloria Sancti post canonizationem longe lateque propagata et novis miraculis aucta 337. VITA, auctore Leandro Alberto Dominicano Bononiensi, *ex Opere de viris illustribus Ordinis Prædicatorum lib.* 5 *fol.* 175 *et sequentibus.* CAP. I. Sancti patria, nobilitas, Canonicatus, ingressus in Ordinem Prædicatorum, variæ virtutes et miracula 339. CAP. II. Alia Sancti adhuc viventis miracula, felix mors, et quædam prodigia post obitum ejus patrata 342. MIRACULA, quæ post obitum sancti Viri contigerunt, collectore R. P. F. Severino Cracoviensi ex Ordine Prædicatorum. *Recudimus ex Opere de vita, miraculis et Actis canonizationis S. Hyacinthi, quod Romæ anno* 1594 *editum est, lib.* 2 *cap.* 1 *et sequentibus.* CAP. I. Beneficia, quæ Sanctus non diu post mortem, sive ab anno Christi 1257 usque ad annum 1270 clientibus suis contulit 344. CAP. II. Miracula, quæ per intercessionem ejusdem Sancti ab anno 1270 usque ad annum 1280 patrata sunt 347. CAP. III. Morbis aliisque malis afflicti, qui ab anno 1280 usque ad annum 1290 opem Sancti senserunt 349. CAP. IV. Plures, invocato Sancti patrocinio, sanitatem aut alia beneficia ab anno 1290 usque ad annum 1500 impetrarunt 353. CAP. V. Varia miracula, quæ Sanctus seculo decimo sexto patravit 355. CAP. VI. Alia prodigia, quæ intercessione hujus Sancti eodem seculo decimo sexto contigerunt 359. ALIA MIRACULA, *quæ R. P. F. Severinus Cracoviensis Dominicanus ex Processu authentico et tabulis ad sepulcrum Sancti appensis contraxit in Vita S. Hyacinthi lib.* 3 *cap.* 9 *et sequentibus.* SECTIO I. Plures mortui suscitati et abortivi vita donati 362. SECTIO II. Multi moribundi et jam agonizantes mirabiliter ad perfectam sanitatem reducti 363. SECTIO III. Diversi gravibus ac periculosis morbis affecti, implorato Sancti patrocinio, sanitati restituti 365. SECTIO IV. Liberati doloribus et incommodis membrorum, ad caput ac collum pertinentium 368. SECTIO V. Dolor pectoris aliarumque vicinarum partium, et languor pedum manuumque curati 371. SECTIO VI. Febri, aliisque morbis et vulneribus afflicti pristinæ sanitati restituti 373. SECTIO VII. Mulieres in periculoso partu adjutæ, et alii in diversis totius corporis doloribus, variisque casibus et infortuniis opem ejusdem sancti Thaumaturgi experti 376
Hydruntini martyres multi in regno Neapolitano. COMMENTARIUS HISTORICUS § I. Cultus eorum et reliquiæ in ecclesia Hydruntina 179 § II. Cultus amplificatio et extensio 181. § III. Hydruntum obsessum a Turcis et crudeliter expugnatum 183. § IV. Acta martyrum Hydruntinorum 185. § V. Incorruptio prodigiosa sacrorum corporum ac duplex translatio 187. § VI. Alia miracula 189. EXEMPLUM Informationis super martyrio gloriosorum martyrum Hydruntinorum, factæ coram episcopo Scodrensi, Hydruntinæ sedis Vicario generali anno MDXXXIX. *Ex impressis apud Capuanum a pag.* 46 191

I

Jeron presbyter martyr in Hollandia. COMMENT. PRÆV. Legitimus Sancti cultus e Fastis sacris et aliunde 475. ACTA, auctore Joanne a Leydis in Chronico Belgico ad annum DCCCXLVII etc. CAP. I. Jeronis patria, baptismus, sacerdotium, et passio 476. CAP. II. Translatio corporis et miracula 478
Inanus seu Evanus confessor in Scotia 663
Joannes et Georgius patriarchæ Constantinopolitani. Cultus, res Gestæ et ætas 655
Joannes episcopus confessor, civitatis Montis Marani in principatu ulteriore regna Neapolitani. VITA, *ex editione Ughelli* 510. ADDITIO ad Ughellum in editione Veneta 512
Joannes et Crispus presbyteri Romani et forte martyres. *Ex Martyrologiis* 545
Juliana, *vide inferius* Leo.
Juliana *vide infra* Paulus.

Julius

Julius senator et martyr Romæ. Sylloge de cultu, Actis et reliquiis 700

Junianus abbas, fundator monasterii Mariacensis in Pictaviensi Galliæ provincia. Comment. præv. § i. Immemorabilis et publicus hujus Sancti cultus, distinctio ab alio Sancto ejusdem nominis, professio monastica, Acta, horumque scriptor 32. § ii. Posthuma Sancti gloria ex duplici sacri corporis translatione et miraculis tunc patratis 35. Acta, auctore Vulfino Boëtio. *Ex nova Bibliotheca manuscriptorum librorum, ubi Philippus Labbeus noster tomo* 2 *pag.* 569 *et sequentibus edidit Vitam hujus Sancti, quam nos contulimus cum editione Mabillonii, qui eamdem inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo primo a pag.* 307 *vulgavit* 38. Cap. i. Patria Sancti, adolescentia in eremo transacta, et digressio ad Acta S. Radegundis 39. Cap. ii. Cœnobitica Sancti Vita, sacerdotium, innocentia contra falsam accusationem miraculo patefacta, et fundatio monasterii Mariacensis 40. Cap. iii. Sanctus spiritu prophetiæ præditus, et divina ultio in fures, qui ei damnum aut injuriam inferre volebant 42. Cap. iv. Ultima Sancti monita ante mortem, pius obitus simul cum sancta Radegunde, honorificæ exsequiæ et locus sepulturæ divinitus assignatus 54

L

Laudulfus episcopus et confessor Ebroïcis in Gallia 96. *Ex Breviario Ebroïcensi.*

Laurentius eremita confessor, Sublaci in Latio. Comment. præv. Cultus ejus antiquus asseritur 302. Vita. *Ex testibus et examine ad beatificationem.* Cap. i. Casuale Beati homicidium et mirabilis pœnitentia 304. Cap. ii. Aliæ ejus virtutes, favor Deiparæ, felix obitus 306. Breve compendium miraculorum beati Fratris Laurentii factorum in vita 307. Miracula post obitum Fratris Laurentii facta 308

Laurus, *vide supra* Florus.

Lautia *vel* Lautiana, *vide* Pontemus.

Leo et Juliana martyres Myræ in Lycia 516

Leontius martyr, *vide* Filion *etc.*

Liberatus abbas, Bonifacius Diaconus, Servus et Rusticus subdiaconi, Rogatus et Septimus monachi, et Maximus puer, martyres Carthagine in Africa. Comment. præv. Scriptor Passionis ejusque tempus et locus; Sanctorum vero cultus in Ecclesia celebris 454. Passio, auctore Victore Vitensi episcopo 455

Ludovicus episcopus Tolosanus, Ordinis Fratrum Minorum, Brincolæ in Provincia Galliæ. Comment. præv. § i. Regium Sancti genus; fratres ac sorores; primogenitura; nomen; tempus ac locus natalis, captivitas in Hispania 775. § ii. Captivitas virtutibus illustrata; liberatio; prima tonsura clericalis, et minores Ordines singulari cum privilegio obtenta; Sancti confessarius 777. § iii Sanctus ad cathedram Lugdunensem nominatus; tempus primæ tonsuræ ac minorum ordinum; item de majoribus ei collatis 780. § iv. Mira rerum caducarum despicientia; professio instituti FF. Minorum; episcopatus duplex 781. § v. Tempus, quo Sanctus renuntiavit terreno regno 783. § vi. Discessus et adventus ad urbem Tolosanam; virtutum exempla; vigilantia pastoralis; locus et annus mortis, 784. § vii. Testamentum, sepultura, elogia, forma corporis, effigies 787. § viii. Quædam de præcipuis Sancti virtutibus additamenta 789. § ix. Mortui per S. Ludovici merita ad vitam revocati 791. § x. Contracti, febricitantes, podagrici, surdi, muti, cæci, amentes, naufragi sospitantur 793. § xi. Depulsa mortis pericula, aliæque calamitates: nonnullæ ad illa observationes 796. § xii. Ludovicus Sanctorum catalogo adscriptus; epistolæ ad reges ac principes, necnon ad ipsam Sancti matrem super hac re datæ; translatio corporis 797. § xiii. Corpus Massilia translatum Valentiam; publica Sancti veneratio per varias Europæ regiones propagata 799. § xiv. Sanctus urbis Malacitanæ patronus; item in provincia Provinciæ; reliquiæ; memoria in Fastis sacris 802. § xv. Hymnus, Officia, scriptores Vitæ 804. Vita, auctore anonymo synchrono, qui Sancto familiaris fuit, *a Fratre Henrico Sedulio Ordinis FF. Minorum edita.* Præfatio editoris 806. Cap. i. Regii natales, pia educatio, captivitas; morbus post votum sanatus; periculum mortis sine damno; mundi contemptus; preces; diaboli machinæ 807. Cap. ii. Reverentia erga sacrificium Missæ; usus SS. Eucharistiæ; veneratio crucis ac reliquiarum; fuga otii ac vanorum colloquiorum; exercitia mentis et corporis; consuetudo cum probatis viris; eruditio; conciones 809. Cap. iii. Contemptus regni ex amore paupertatis Evangelicæ; clericatus; iteratum votum de amplectendo instituto Fratrum Minorum, illius professio; mirus amor paupertatis: demississima obsequia pauperibus præstita ac miraculis compensata 811. Cap. iv. Ordines, sacerdotium; episcopalis dignitas cum abjectis Fratrum muniis conjuncta; severitas vitæ; virginitas; amor reprehensionis et pacis; odium detractionis; dissidentium reconciliatio 813. Cap. v. Zelus animarum, misericordia erga pauperes et captivos; cura episcopalis, prudentia, corporis et animi dotes; mors et sepultura 815. Cap. vi. Mortui resuscitati, claudi et impediti restituti, podagrici et chiragrici sanati 817. Cap. vii. Laborantes febri, surdi, muti, cæci, amentes sospitati 819. Cap. viii. Adjuti naufragi; epileptici ac aliis morbis detenti; Sancti obtrectatores puniti; canonizatio, translatio corporis 820

M

Maccarthennus episcopus confessor Clochoræ in Hibernia. Comment. præv. Cultus ejus et Acta 208. Acta mutila, *auctore anonymo, ex codice nostro membraneo Salmanticensi notato P. Ms.* ii 209

Magnus episcopus et martyr in Italia. Comment. præv. § i. Proponuntur intricatæ difficultates circa distinctionem variorum Sanctorum, qui hac die sub eodem nomine coluntur 701. § ii. Publicus hujus Sancti cultus, varia Acta, eorumque compendium, et nonnullæ circa illud difficultates 703. § iii. Translatio reliquiarum hujus Sancti ex urbe Fundana ad civitatem Verulanam ac deinde ad Anagninam 708. § iv. Inquiritur, ad quem Sanctum hujus nominis spectent reliquiæ, quæ Romam et ad alias longinquas regiones translatæ sunt 710. Acta, auctore anonymo, *ex membranaceo Musei nostri*

nostri codice, signato † *Ms.* 74, *folio* 177 *et sequentibus* 713. Cap. i. Sancti patria, conditio, conversio ad Christum, episcopatus, comprehensio pro Christiana fide, liberatio e carcere, peregrinatio et miraculum 714. Cap. ii. Quædam hujus sancti Episcopi itinera, varia miracula et martyrium 715

Magnus martyr Cæsareæ in Cappadocia. Comment. præv. Distinctio hujus sancti Martyris ab altero, Acta et immemorabilis cultus 717. Acta, collectore Petro Calo Dominicano, *ex Ms. codice de Vitis Sanctorum part.* 2 *fol.* 87 718

Magnus confessor et episcopus Avenionensis in Gallia. Sylloge historica. Publicus Sancti cultus, annuæ festivitatis memoria, et brevis gestorum notitia 755

Mamas vel Mammes martyr, Cæsareæ in Cappadocia. Comment. præv. § i. Illustrissimi martyris gesta prorsus obscura et incerta 423. § ii. An duo Mamantes in unum confusi; Actorum cum Græcorum tum Latinorum exemplaria, auctores, valor 426. § iii. Celeberrimus cum apud Græcos tum apud Latinos sancti Mamantis cultus; ejusdem apud utrosque invocatio 428. § iv. Ecclesiæ, corpus apud Cæsarienses in Cappadocia 430. § v. An nostri S. Mamantis corpus Hierosolymis fuerit seculo sexto; an delatum Mediolanum, an in Cyprum; reliquiæ Lucenses, Elwangenses, Lingonenses, Lorbanenses etc. 432. Passio, auctore Godefrido Lingonensi episcopo, *ex codice Ms. Cartusiæ Divionensis.* Cap. i. Sanctus, parentibus in carcere mortuis, ab alia matrona adoptatur; ejus in fide constantia blanditiis ac tormentis frustra tentata 435. Cap. ii. Mira operatur inter bestias, captivitas, superati ignes, mitigatæ feræ, martyrium 437. Reliquiæ in Galliam ad Lingonenses translatæ 439. Historia translationum, ab anonymo quodam sacerdote Lingonensi conscripta, *et in Bibliotheca Floriacensi Joannis a Bosco typis edita pag.* 226 *et sequentibus xysti dextri* 440. Cap. i. Mira ossis S. Mamantis translatio ad ecclesiam Lingonensem 441. Cap. ii. Brachium S. Mamantis ecclesiæ Lingonensi impetratum; sanguis ex eodem manans 442. Cap. iii. Inventio capitis S. Mamantis; ejus veritas visione confirmata; translatio ad Lingonenses; miracula 444

Mammes martyr Alexandrinus. *Ex Hieronymianis* 418

Mammita cum sociis Alexandriæ. *Ex Hieronymianis* 418

Mandrianus et Flavianus martyres Telone in Provincia Galliæ. Sylloge critica. Publicus horum Sanctorum cultus, notitia prioris ex veteri chronico, et traditio quædam de gestis eorum 748

Marcellus episcopus ac martyr Apameæ in Syria. Comment. præv. § i. Apameæ notitia; Sancti patria, parentes, vita secularis et forte solitaria; munus episcopale magna cum laude administratum, communicatio cum martyribus 151. § ii. Martyrium, ejusque tempus, publica veneratio e Fastis Græcis ac Latinis; an martyr hodiernus ab alio synonymo diversus; Acta 154. Compendium Actorum. *Ex Theodoreto Cyri episcopo lib.* 5 *Ecclesiasticæ historiæ cap.* 21 *a pag.* 262 *editionis Valesianæ* 155

Marciana *vide* Ponteinus.

Marianus confessor in Biturigibus Galliæ. Comment. præv. Cultus et distinctio a synonymis 734. Elogium *e Gregorio Turonensi de gloria confessorum cap.* 81 734

Marinus episcopus confessor in monasterio S. Petri Besaluensi diœcesis Gerundensis in Catalonia 731

Martyres xix cum Concordia et Hippolyto, *de quibus supra*

Martyres xxxiii in Palæstina. Cultus e Martyrologio Romano ac Fastis Græcis 265

Maximus abbas, Anastasius monachus, ac alius Anastasius item monachus et apocrisiarius Romanus, confessores Constantinopoli. Comment. præv. § i. Sancti Maximi nomen, natales, illustre in aula munus quando commutatum cum monasterio instituto 97. § ii. Dignitas abbatialis in monasterio Chrysopolitano; iter Africanum ab eo susceptum qua de causa, quo tempore, ac quo fructu 99. § iii. Epistola scripta in Africa contra exortum errorem; cum Pyrrho Monothelita ibidem disputatio; Acta Romæ; lucubrationes; iter Constantinopolitanum 101. § iv. Probrosa contra Sanctum ejusque discipulum concertatio Constantinopoli; primum exsilium; duæ aliæ alibi cum hæreticis concertationes, post quas reducitur Constantinopolim versus 104. § v. Sancti constantia Rhegii frustra blanditiis tentata; blasphemia adversus Virginem Deiparam ei perperam imputata 106. § vi. Lata adversus Sanctos nostros tres sententia barbara ac exsecutioni mandata Constantinopoli, miraculum 108. § vii. Sancti ad varia loca detrusi; Anastasii unius ac Maximi obitus; hujus item gloria sepulcri; martyrii laureola an S. Maximo ac commilitonibus duobus tribuenda; ætas Sancti ac unius e discipulis ejus 110. § viii. Sancti Anastasii apocrisiarii gesta post mortem S. Maximi, obitus, ætas, elogium, ulterior de eo notitia, discipuli 112. § ix. Cultus ex Græcis ac Latinis Fastis; nonnullæ hac occasione observationes 114. § x. Documentorum aliquot superius citatorum notitiæ 115. Acta ab auctore anonymo conscripta, *Latine reddita a R. P. Jacobo Pontano Societatis Jesu* 118. Cap. i. Natales, educatio, litterarum studia, vita aulica et monastica, discessus propter Monothelitas 118. Cap. ii. Sanctus contra hæresim Monothelitarum egregie promovet veritatem Catholicam in Africa 120. Cap. iii. Pyrrhi Monothelitæ confutatio; acta Romæ pro fide orthodoxa; Opera conscripta 122. Cap. iv. Orthodoxa Sancti fides calumniis variis ac vexationibus Constantinopoli nequidquam exercita 125. Cap. v. Acta Sancti Bizyæ cum Theodosio episcopo, ac relata de eo victoria; traducitur Rhegium 127. Cap. vi. Tormenta Constantinopoli Sancto ac Anastasio discipulo irrogata; eorum uti et Anastasii alterius exsilium; duorum priorum mors; sepulcrum Maximi gloriosum, apostrophe biographi 130

Maximus puer martyr. *Vide* Liberatus abbas etc.

Maximus, *vide supra* Florus.

Michæas senior propheta. Sanctus hic cum alio confusus; quisnam et cur hoc die detur; quid de eo Fasti; ipsius vaticinia 147

Mocteus vel Mochteus episcopus Lugmadensis in Hibernia. Comment. præv. § i. Sancti nomen, discipuli, monasteria; an fuerit præsul Ardmachanus 736. § ii. Cultus variis diebus affixus; Sancti synonymi a nostro diversi, tempus

pus vitæ 738 § III. Vaticinium, quod a sancto Patricio de nostro editum fertur, videtur probabilius sublestæ fidei; Sancti nostri prophetiæ 740. § IV. Examinantur Sancti scripta et Vita 741. VITA, auctore anonymo, *ex nostro codice Salmanticensi antiquo Ms. membraneo, qui signatur* P. *Ms.* II. CAP. I. Liberatur a naufragio, discit ab angelo litteras, studet ac docet Romæ; fit episcopus, condit monasteria, discipulorum ad eum concursus; S. Patricii discessus 743. CAP. II. Miracula a Sancto patrata, vaticinia; felix ipsius obitus 744

Myron presbyter et Martyr, Cyzici in Mysia minore. COMMENT PRÆV. Annua Sancti veneratio, Acta, tempus ac palæstra martyrii 420. MARTYRIUM, auctore Laurentio monacho Rutiensi in Calabria, *ex codice Ambrosiano* f. N. n. 152. Interprete J. P. 421

N

Nicolaus eremita in Sicilia. COMMENT. PRÆV. Probatur cultus ejus legitimus 513. ACTA, auctore ejus confessario, sed aucta posterius 514. HYMNUS ad S. Nicolaum 516

Nostrianus episcopus confessor, Neapoli in Campania Italiæ. SYLLOGE de cultu et ætate. ELOGIUM. *Ex Caraccioto.*

O

Orion, Æmilius et Agnatus martyres Alexandrini, *Ex Hieronymianis* 289

P

Parmus martyr incerto loco, *Ex Hieronymianis* 149

Paulus martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149

Paulus, Juliana; item Stratonicus, Quadratus, et Acacius martyres Ptolemaïde. COMMENT. PRÆV. Cultus, palæstra, Acta 446. MARTYRIUM, *Ex editis apud Surium ad diem* XVII *Augusti.* CAP. I SS. Paulus et Juliana variis pro fide cruciatibus torquentur 448. CAP. II. Eorum lictores martyrio affecti; alia amborum tormenta; cibus illis cœlitus subministratus; conservata S. Julianæ pudicitia 450. CAP. III. Martyrum constantia aliis pœnis exercita; obitus ac sepultura 452

Petrus Gualdensis tertii Ordinis S. Francisci eremita in Marchia Anconitana Italiæ. Locus cultus, aliæ notitiæ, discipulus 822

Philippus martyr cum sociis Nicomediæ. SYLLOGE. Cultus, socii, elogium, Acta 418

Pilentia, *vide* Pontemus.

Polyænus *vide supra* Hermas.

Pontemus, Pilentia, Tatiana et Marciana, Heliana et Lautia seu Lauciana martyres, Amaseæ in Ponto 546

Possessor martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149

Proculus, *vide supra* Florus.

Projectitius martyr Bergomi in Italia. SYLLOGE HISTORICA. § I. Natales, diaconatus, tempus martyrii 539. § II. Epitaphium, cultus publicus, lectiones propriæ 541. § III. Mirabilis apparitio, inventio corporis, variæ ejusdem translationes; brevis quædam nonnullorum Sanctorum Bergomensium notitia; observationes de Vitis ac propriis lectionibus S. Projectitii 543

Prosalamus martyr incerto loco. *Ex Hieronymianis* 149

Prospolinus martyr incerto loco, *Ex Hieronymianis.* 149

Q

Quadratus, *vide supra* Paulus.

R

Radegundis regina, postmodum monialis, Pictavii in Gallia. COMMENTARIUS PRÆVIUS § I. Antiquus Sanctæ cultus, scriptores Actorum, et diversa eorum apographa 46. § II. Sanctæ patria, regium stemma, occasio captivitatis, migratio in Galliam, et conjugium cum Clotario rege 49. § III. Difficultates quædam circa divortium Sanctæ cum rege Clotario, et diaconalem ejus consecrationem 51. § IV. Discessus Sanctæ in Aquitaniam, liberalitas erga loca sacra, constructio monasteriorum, et variæ virtutes, quas in Pictaviensi monialium cœnobio exercuit 54. § V. Studium Sanctæ, ut monasterium suum Pictaviense exacta disciplinæ observantia muniret, illudque sacris reliquiis ornaret 57. § VI. Solicitudo Sanctæ, ut idem monialium cœnobium sub certa regula ac tutela præsulum regumque conservaret 60. § VII. Annus mortis, honorifica Sanctæ sepultura, sacræ reliquiæ, miracula, et quædam Pictaviensium de illa traditiones examinantur 64. ACTA SIVE LIBER PRIMUS VITÆ auctore S. Venantio Honorio Clementiano Fortunato episcopo Pictaviensi et Sanctæ synchrono. *Ex Ms. codice apud cistersienses Vallis-Lucentis servato, cujus apographum cum variis Mss., et cum editione Mabilloniana contulimus* 67. CAP. I. Sanctæ patria, regium stemma, adventus in Galliam, educatio, pietas, et nuptiæ cum rege Clotario 68. CAP. II. Divortium Sanctæ cum marito, professio monastica, misericordia ejus erga pauperes et ægros miraculis confirmata 70 CAP. III. Rigidum Sanctæ jejunium, vilissima cœnobii ministeria, et severa corporis sui castigatio 72. CAP IV. Diversa miracula, quæ Sancta tempore vitæ monasticæ, et in die mortis suæ patravit 73. ACTA ALTERA SIVE LIBER SECUNDUS VITÆ, auctore Baudonivia moniali coæva, et familiari Sanctæ discipula. *Ex eodem Ms. codice, apud cistercienses Vallis-Lucentis servato, cujus apographum etiam cum variis Mss., et cum editione Mabilloniana collatum est* 74. CAP. I. Ortus Sanctæ, conjugium cum rege, zelus fidei, divortium, professio vitæ monasticæ et constantia in proposito. CAP. II. Præcipuæ illius virtutes in vita monastica 77. CAP. III. Reverentia ipsius erga sacras sanctorum exuvias et reliquias sanctæ Crucis 79. CAP. IV. Auxilium naufragantibus præstitum, aliaque miracula, mira Sanctæ visio, et pius obitus 81. CAP. V. Honorifica Sanctæ sepultura, et quædam miracula post obitum ejus patrata 82. ALIA VITA CLARIORE STILO EX DUOBUS PRÆCEDENTIBUS ACTIS COLLECTA. Auctore venerabili Hildeberto præsule Cenomanensi ac postea archiepiscopo Turonensi. *Ex editione D. Antonii Beaugendre, monachi Benedictini, qui Parisiis Opera Hildeberti*

berti et Marbodi anno 1708 *imprimi curavit*, *cotumna* 885 *et sequentibus* 83. Cap. i. Sanctæ patria, regium genus, captivitas, educatio in Gallia, et pia opera, quæ usque ad nubilem ætatem exercuit 84. Cap. ii. Nuptiæ cum rege Clotario et pia vita, quam tempore conjugii in aula duxit 85. Cap. iii. Monastica Sanctæ professio, liberalitas erga ecclesias, fundatio parthenonis Pictaviensis, ex quo rex eam ad conjugium retrahere frustra nititur 87. Cap. iv. Austera Sanctæ abstinentia, dira corporis afflictatio, aliæque virtutes monasticæ, quibus tunc potissimum Pictavii fulsit 88. Cap. v. Diversa miracula, quæ Deus per intercessionem hujus Sanctæ patravit 90

Radegundis vel Radegunda, aliis Radiana virgo, in Castro Wellenburgico Sueviæ prope Augustam Vindelicorum. Sylloge historica. Publicus Sanctæ cultus, quædam gesta, et gloria posthuma 93

Rainaldus vel Raynaldus archiepiscopus Ravennas, Ravennæ in Italia. Comment. præv. § i. Veneratio Beati ab immemorabili tempore, miracula, reliquiæ, quoddam elogium, et præcipuus Actorum ejus scriptor 688. § ii. Chronologicus Actorum ordo, et quædam eorumdem analecta 690. Acta et miracula, quæ Nicolaus de Arimino Minorita anno Christi mcdxiii collegit. *Ex apographo Henschenii nostri, qui illud Ravennæ ex Mss. documentis istius ecclesiæ descripsit, et quod cum editione Ughellana collatum est.* Cap. i. Beati patria, pia adolescentia, et vita inter Clericos sancte acta 692. Cap. ii. Electio ejus in archiepiscopum Ravennatem, variæ ipsius in hoc munere virtutes, miraculum et felix obitus 694. Cap. iii. Diversa miracula, quæ post mortem patrocinio Beati contigerunt 695

Relindis reclusa. *Vide superius* Benedicta et Cæcilia.

Rochus confessor, apud Montem Pessulanum in Gallia. Comment. præv. § i. Natales, nomen; fabula Sancto afficta: an tertium Ordinem S. Francisci fuerit amplexus 330. § ii. Memoria in sacris Fastis; initia publici cultus seculo xiv; an a concilio Constantiensi is ipsi decretus ob depulsam pestem seculo xv; corpus tum pro sancto habitum et Arelatem translatum 382. § iii. Publica veneratio ex reliquiis sacris in Hispania, Gallia, Taurini; item in Italia, Germania ac Belgio; patrocinium tempore pestis 384. § iv. Præsentissimum Sancti in morbo contagioso patrocinium aliunde confirmatum; erectæ in ejus honorem confraternitates; gloria ipsius a poëtis celebrata 387. § v. Officia divina, Missæ singularis observatio festi, ecclesiæ in Ordine Seraphico dicatæ etc. 389. § vi. Corpus Sancti Venetias translatum; difficultates, quæ translationi huic incommodant; magnificentissimum ibidem templum; confraternitas etc. 391. § vii. Varia Vitæ exemplaria recensita 394. § viii. Ms. Belfortianum singulare in reditu Sancti atque adeo in loco mortis; nostrum de Actis S. Rochi judicium; annus ac dies obitus; Vitæ quænam, et cur præ aliis a nobis dentur 396. Vita, auctore Francisco Diedo, civitatis Brixiensis præfecto, *ex bibliotheca S. Galli cum duabus editionibus collata.* Præfatio auctoris 399. Cap. i. Sancti ortus, educatio, contemptus mundi; mors parentum; bona in pauperes distributa 400. Cap. ii. Peregrinatio Italica; sanationes pestiferorum; iter Romanum; Cardinalis mire a lue liberatus; colloquium cum Pontifice, Acta Placentiæ in morbo contagioso; Sanctus ipse eodem correptus, ac divinitus adjutus 401. Cap. iii. Divinitus cibatur, innotescit ejus sanctitas; Gothardi patientiam exercet, et ad vitam solitariam eum inducit; ab angelo sanatur; curat bruta; vox ad eum cœlestis 404. Cap. iv. Patientia per annos quinque in carcere probata; defensa ejus innocentia, apparitio angeli; impetratum patrocinium contra pestem, mors; agnitio; miracula, templa 406. Acta breviora; auctore anonymo, *ex Ms. Belfortii, qui illud acquisivit e cœnobio Bethlehemitarum prope Lovanium, et contulit cum duobus aliis Mss. Patrum Cælestinorum Parisiensium et Ambianensium.* Cap. i. Mira Sancti nativitas, ejusque post patris ac matris obitum peregrinatio in Italiam salutifera 407. Cap. ii. Gesta Placentiæ, reditus in patriam, obitus ibidem, et mirabilis agnitio 409. Gloria posthuma apud Antverpienses. § i. Reliquiæ, piæ fundationes, sodalitium, privilegium 410. § ii. Confraternitas canonice erecta; ab Alexandro Papa VII confirmata ejus statuta; gratiæ spirituales eidem concessæ 412. § iii. Confraternitatis præfectus ac patronus; præterita ac moderna solemnitas festo sancti Rochi; personæ eidem sodalitio inscriptæ 414

Rogatus monachus martyr. *Vide supra* Liberatus abbas *etc.*

Romolus martyr. *Vide* Filiou *etc.*

Rufinus confessor apud Mantuam in Italia. Notitia de cultu 730

Rufinus martyr. *Vide* Filion *etc.*

Rusticus subdiaconus martyr. *Vide supra* Liberatus abbas *etc.*

S

Satyrus episcopus martyr cum sociis, Aretii in Tuscia Italiæ 731

Sebaldus eremita Norimbergæ in Germania. Comment. præv. § i. Antiquus hujus Sancti cultus ex variis monumentis probatus, et ab ipso Pontifice Romano confirmatus 762. § ii. Manuscriptum Actorum exemplar et metricum eorumdem compendium, quæ ab heterodoxorum calumniis vindicantur 764. § iii. Examen Actorum, pretiosus Sancti tumulus jam destructus, præsens reliquiarum ejus status, et salutaris monitio ad Norimbergenses 766. Acta auctore anonymo incertæ ætatis. *Ex Ms. Carthusiæ Gemnicensis in Austria, cujus apographum Joannes Gamans noster anno* 1638 *ad nos misit.* Cap. i. Mira Sancti nativitas, pia educatio, nuptiæ solutæ, vita eremitica, prædicatio Evangelii in Longobardia cum variis miraculis 769. Cap. ii. Prædicatio et miracula ejus in Germania, obitus et locus sepulturæ mirabiliter assignatus 771. Cap. iii. Miracula, quæ post obitum ipsius contigerunt 773

Septimus monachus martyr. *Vide supra* Liberatus abbas *etc.*

Serapion. *Vide supra* Hermas.

Serena Romæ. Sylloge historico-critica. Antiqua hujus Sanctæ memoria in Martyrologiis, et diversæ de conditione gestisque ejus opiniones 263

Servus

Servus subdiaconus martyr. *Vide supra* Liberatus abbas *etc.*

Simplicianus episcopus confessor Mediolani in Insubria. COMMENT. PRÆV. Cultus, patria, ætas, conditio ante episcopatum 280. VITA *ex Bonino Mombritio tomo.* 2. CAP. I. De Sancti præclaro in studiis et virtutibus progressu, præsertim Romæ, ubi celebrem Victorinum rhetorem, urbe stupente, ad fidem adducit 282. CAP. II. Victorino probe instituto et baptizato, multis præconiis clarus Mediolanum revertitur, ubi S. Augustinum convertit, et mortuo S. Ambrosio succedit 283. VITA ALTERA. EX Josepho Ripamontio historiæ ecclesiæ Mediolanensis libro sexto 284

Strategius et Eutychianus martyres. Memoria in Fastis Græcis 730

Strato martyr cum sociis Nicomediæ. SYLLOGE. Cultus, socii, elogium, Acta 418

Stratonicus, *vide supra* Paulus.

Sylvius martyr, *vide* Filion *etc.*

T

Tatiana, *vide* Pontemus.

Tharsicius acolythus Martyr Romæ. *Ex Actis S. Stephani Papæ 2 Augusti* 201

Thecla, *vide* Timotheus *etc.*

Theodolus episcopus confessor, Seduni in Gallia. *Brevis notitia ex Martyrologiis, et Gallia Christiana* 302

Theodolus martyr, *vide* Filion *etc.*

Theodorus seu Theodolus episcopus Octodorensis vel Seduuensis, in Vallesia apud Helvetos. COMMENT. PRÆV. § I. Antiquus Sancti cultus, scriptor Actorum, et varia horum exemplaria 273. § II. Intricata difficultas circa personam et ætatem episcopi Octodorensis vel Seduuensis, qui hoc die colitur 275. ACTA, auctore quodam Ruodperto vel Roberto monacho peregrino. *Ex Legendario S. Anatolii Salinensis in Burgundia, quod cum aliis Mss. codicibus collatum est* 278

Thyrsus et socii martyres in Perside. *Ex Hieronymianis* 289

Timotheus, Thecla et Agapius martyres in Palæstina. COMMENT. PRÆV. Cultus e Fastis Græcis ac Martyrologio Romano; palæstra ac tempus martyrii, ædes sacra S. Timothei 727. MARTYRIUM, *ex Eusebio de Martyribus Palæstinæ cap. 3 et 6 pag. 321 et 326 editionis Valesianæ* 728

Timotheus martyr, *vide* Filion *etc.*

Titulus martyr in Syria. *Ex Hieronymianis* 149

Titus diaconus martyr Romæ. *Ex Martyrologio Romano* 291

U

Ursacius vel Arsacius confessor Nicomediæ in Bithynia. COMMENT. PRÆV. Cultus, locus ac tempus mortis, vitæ institutum, ACTA 270. COMPENDIUM ACTORUM. *Ex Sozomeno ecclesiasticæ historiæ lib. 4 cap. 16, pag. 559 editionis Valesianæ* 272

Ursicinus vel Ursicius miles ac martyr in Illyrico. COMMENT. PRÆV. Cultus, elogium, Acta 156. ACTA auctore anonymo. *E codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, interprete J. P.* CAP. I. Patria, vita militaris, insidiæ contra Sanctum, examen, varia tormenta 158. CAP. II. Alia contra Sancti constantiam molimina, martyrium, sepultura 161

V

Vamnes martyr in Persia. COMMENT. PRÆV. Cultus, dies mortis, annus martyrii è Persica persecutione fixus 285. ACTA, auctore anonymo, *e Ms. membraneo Capituli ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis, collato cum alio, e codice Moissiacensi* 287

W

Wigbertus presbyter confessor in Germania. COMMENT. PRÆV. Synonymi plures, hujus patria, cultus et gesta. VITA auctore Servato Lupo, abbate Ferrariensi. *Ex editione Stephani Baluzii* 132. CAP. I. Ob virtutum famam a sancto Bonifacio in Germaniam accersitus, binis cœnobiis præficitur, sed privatus obit 134. CAP. II. Multiplicia ad tumulum signa, corpus effoditur, et transfertur ob metum Saxonum, qui cælesti visione fugantur 135. CAP. III. Nova prodigia, corpus perducitur Hertsfeldiam, ibique varie ornatur, variæ sanationes 136

Z

Zelatus martyr, *vide* Filion *etc.*

Zuentiboldus rex confessor Sustereni in agro Juliacensi. SYLLOGE DE CULTU 138



INDEX

CHRONOLOGICUS

ANTE CHRISTUM NATUM.

Michæas senior Propheta *pag.* 148

SECULO II.

Anno 192 Martyrio coronatur S. Julius senator 700

SECULO III.

250 *circiter* S. Myro presbyter Cysici in Mysia minore pro Christo passus est 420
Item S. Magnus episc. in Italia 717
258 SS. Hippolytus, Concordia, aliique martyrium subeunt 8
274 S. Mamas vel Mammes Cæsareæ in Cappadocia martyrium consummat 425
Eod. an. nascitur S. Constantinus M. Imp. 556
Sub Aureliano patitur S. Agapitus M. Præneste in Italia 527

SECULO IV.

Circa initium hujus seculi vel finem præcedentis martyrio coronati sunt
Sub Maximiano S. Eusebius in Palæstiua 150
Sub Diocletiano S. Cassianus episc. Tuderti in Umbria 26
S. Felix episc. Valle Gardumi in Tyroli 164
S. Ambrosius centurio 290
S. Diomedes medicus 268
Sub Maximiano S. Andreas tribunus et socii 723
Sub Maximino S. Ursacius vel Ursicius miles 143
304 S. Timotheus apud Gazam in Palæstiua 728
Eodem an. et loco SS. Agapius et Thecla ad bestias damnati 728
306 Idem S. Agapius Cæsareæ martyrium consummat a bestiis dilaniatus 729
320 Nascitur S. Simplicianus episc. Mediolanensis 281
325 S. Helena a Constantino filio creatur Imperatrix 575
anno eodem Hierosolymam proficiscitur 562
328 *aut aliquanto serius* moritur 573
350 *circiter* S. Satyrus episc. Aretii in Tuscia mortalem vitam exuit 731
354 *elapso*, natus est S. Alypius episc. Tagastensis 203
358 S. Arsacius episc. Nicomedicusis in Bithynia migrat ad Superos 270
384 S. Alypius cum S. Augustino Mediolanum proficiscitur 204
386 Uterque convertitur 205
387 Ambo baptizantur 206
389 *circiter* S. Marcellus episc. Apamensis in Syria martyrium subiit 154
393 S. Alypius invisit S. Hieronymum 207
394 Idem creatur episcopus 207
400 Moritur S. Simplicianus 281

SECULO V.

407 *circiter* Prudentius Clemens S. Cassiani M. tumulum Romæ suppliciter veneratur 4
423 S. Vamnes in Persia martyrio defungitur 287
426 S. Titus diaconus palmam eamdem consequitur Romæ 291
444 S. Nestorianus episc. præest Neapolitanis 294
446 Obit S. Firminus episc. Metensis 655
483 SS. Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Servus et Rusticus subdiaconi, Rogatus et Septimus monachi, et Maximus puer Carthagine in Africa pro fide mortem oppetuut 454
484 Nascitur S. Armagilus conf. in Britannia Armorica Galliæ 298

SECULO VI.

Sub initium seculi VI floruit S. Marianus conf. in Biturigibus Galliæ 735
520 Ad Superos transit S. Joannes patriarcha Constantinopolitanus 655
528 S. Callistus episc. Tudertensis in Umbria martyrii palma donatur 168
529 *circiter* S. Radegundis captiva in Galliam ducitur a Clotario rege 50
532 S. Eleutherius Droctoaldo succedit in cathedra Autissiodorensi in Gallia 300
533 Idem Sanctus subscribit concilio Aurelianensi II 300
533 *circiter* vivere desiit S. Donatus presbyter eremita in Provincia 736
538 S. Radegundis nubit Clotario regi 50
Anno eodem S. Eleutherius subscribit concilio Aurelianensi III 300
541 Concilio Aurelianensi IV 300
549 Concilio Aurelianensi V 300
Circa medium hujus seculi S. Aregius vel Aridius Decesiæ in territorio Nivernensi sedit episcopus 297
552 Vitæ finem imponit S. Armagilus conf. 298
561 S. Eleutherii obitus 300
567 Concilium Turonense II scribit ad S. Radegundem 59
570 S. Radegundis suum cœnobium muuit regula S. Cæsarii 60
580 S. Elaphius episc. Catalauni in Campania Galliæ e vita migrat 747
Eodem anno circiter nascitur S. Maximus abbas 112
587 Moriuntur S. Junianus abbas, fundator monasterii Mariacensis et S. Radegundis 587

SECULO VII.

Seculo VII in aula Heraclii Imperatoris floruit S. Maximus 97
618 Nascitur S. Anastasius discipulus S. Maximi 112
622 E vivis excedit S. Gucnuinus episc. Venetensis in Gallia 663
639 *circiter* S. Maximus creatur abbas in monasterio

nasterio Chrysopolitauo 99
Eodem anno vel proxime sequenti obit S. Bertulfus abbas Bobii in Liguria Italiæ 750
640 *circiter* S. Maximus in Africam proficiscitur, fidei orthodoxæ propagandæ studio 101
645 Famosa S. Maximi cum Pyrrho monothelita disputatio 102
646 *circiter* S. Maguus Avenionensem cathedram occupavit 756
649 Interest S. Maximus synodo Lateranensi 102
653 Constans Herachi nepos orthodoxos persequitur 103
660 S. Maguus vitæ terminum absolvit. 756
662 Obitus S. Maximi et Anastasii ejus discipuli 112
666 Mors S. Anastasii apocrisiarii 113
668 Constans imp. in balneo interemptus 131
683 In cœlum abit S. Georgius patriarcha Constantinopolitauus 656
An seculo septimo vixerit S. Sebaldus eremita Norimbergæ in Germania 166
Floruit *illo seculo* S. Calminius dux Aquitauiæ 758

SECULO VIII.

747 Vivere desiit S. Wigbertus presbyter in Germania 135
755 S. Bonifacius Doccomii in Frisia martyrio coronatus 134
757 In concilio Compendiensi permittitur dissolutio matrimonii trauseuntibus ad religionem 53
767 *vel proxime sequenti* transit ad cœlum S. Amator primus abbas Amorbacensis in Francouia 469

SECULO IX.

806 Obitus S. Theodoli episc. Sedunensis in Gallia 302
830 Translatio corporis S. Juniaui 35
842 Translatio reliquiarum S. Helenæ in cœnobium Altumvillarcuse 601
856 Martyrio in Hollandia coronatur S. Jeron presbyter 476
875 Obiit S. Altfridus episc. Hildesiensis in Saxonia inferiore 213
890 S. Zuentiboldus creatur rex Lotharingiæ 138
900 Idem cum vita regnum amittit 139
Floruit *hoc seculo* S. Athanasia vidua ac hegumena 169
Item S. Inanus seu Evanus confes. in Scotia 663

SECULO X.

903 Obiit S. Elias junior monachus in Calabria 486
955 Translatio corporis S. Jeronis 478
983 Mortuus est S. Ludolfus abbas Corbeiensis 141
988 Translatum est corpus S. Juniani ad monasterium Karrofense, in quo synodus episcoporum celebrabatur 37

SECULO XI.

1009 Notatur obitus S. Arduini conf. 219
1027 *elapso*, nascitur S. Arnulfus episcopus Suessionensis 233
1031 Obitus Roberti Regis Galliæ 11
1046 E vita migrat S. Drutamarus abbas Corbeiensis 141
1067 Transit ad Superos B. Nicolaus eremita 513
1081 S. Arnulfus consecratus est episcopus 245
1087 Idem Sanctus obiit 253
1100 Translatio SS. Ludolfi et Druthmari 139
Seculo undecimo floruit S. Joannes episcopus civitatis Montis Marani 510
Item SS. Benedicta et Cæcilia abbatisæ Susterensi in agro Juliacensi, et filiæ S. Zuentiboldi regis 509
Eisdem adde Reliudem reclusam, ipsarum sororem ibid.

SECULO XII.

1120 Elevatio ossium S. Arnulfi in synodo Bellovacensi decernitur 257
1121 Elevatio peragitur 223
Anno eodem ejusdem translatio 258

SECULO XIII.

1204 Inventio capitis S. Mamantis, et translatio ad Lingonenses 444
1217 Corpus S. Cassiani M. Imolæ ad ecclesiam cathedralem translatum est 17
1218 S. Hyacinthus, Ordinis Prædicatorum, Romam venit 312
1227 Ex S. Elizabetha Thuringica nascitur B. Gertrudis, abbatissa Aldenbergensis in Germania 143
1231 Obitus S. Elisabethæ Thuringicæ 143
1243 Obitus S. Laurentii eremitæ 307
1244 B. Albertus fit episcopus Placentinus 177
1246 S. Rayualdus Vicentinus episcopus creatur 690
1248 B. Gertrudis fit abbatissa 143
1257 S. Hyacinthus obdormivit in Domino 319
1271 Corpus S. Cassiani M. honorificentius collocatum 17
1274 Depositio B. Alberti episc. Placentini 178
1294 S. Ludovicus episc. Tolosanus ad cathedram Lugdunensem nominatus est 780
Anno eodem tonsuram et Ordines minores suscepit 781
1296 Renuntiavit juri hereditario ad regnum, et solemnem emisit professionem in Ordine Seraphico 784
Anno eodem consecratus est episcopus Tolosanus 782
1297 Promotus est ad infulas Appamienses 783
Anno eodem transiit ad Superos 787
Anno eodem Obiit B. Gertrudis 143
Circa finem hujus seculi mortua quoque est in Suevia B. Radegundis, vel Radigunda seu Radiana 93

SECULO XIV.

1308 Obitus B. Claræ de Cruce 672
1367 Moritur B. Petrus Gualdensis eremita, tertii Ordinis S. Francisci 823
1300 Elevatio corporis S. Mariani 734

SECULO XV.

1423 Translatio S. Ludovici episc. Tolosani 799
1450 Translatio B. Petri Gualdensis 823
1457 Corpus S. Arnulfi honorificentius conditum 223
1480 Martyres Hydruntini coronati sunt 184

1481 Eorumdem translatio 180
1492 Translatio S. Radegundæ seu Radianæ 95

SECULO XVI.

1503 Elevatio corporis S. Nicolai eremitæ 515
1517 Inventio et elevatio reliquiarum S. Hyacinthi 326
1517 Elevatio martyrum Hydruntinorum 181
1537 Solimanus obsidionem urbis Hydruntinæ incassum tentat 189
1578 Reliquiæ S. Arnulfi subductæ furori Calvinistarum sunt 224
1583 Translatio reliquiarum S. Hyacinthi 330
1594 Canonizatio ejusdem 331

SECULO XVII.

1613 Ossa S. Arnulfi honorificentius collocata sunt 224
1660 Corpus B. Claræ de Cruce repertum est integrum 675
1662 Inventio corporum SS. Ludolfi et Druthmari 139
Hoc seculo inventum est incorruptum corpus B. Rainaldi 689

SECULO XVIII.

1704 Corpus S. Cassiani M. iterum honorificentius conditum 18

NOTITIA

FIGURARUM

ornantium hunc tomum.

Præfigitur solitum Operis frontispicium.
Una pars nummi S. Radianam exhibens pag. 94
Imago S. Felicis episcopi et martyris 163
Pars tumuli B. Alberti Pandoni 179
Passionis Dominicæ instrumenta in corde S. Clara efformata 673
Effigies ejusdem S. Claræ 675
Specimen alicujus veteris inscriptionis 710
Effigies S. Ludovici Tolosani 789



ACTA

A

ACTA SANCTORUM

AUGUSTI

TOMUS TERTIUS

D

DECIMA TERTIA DIES

SANCTI QUI IDIBUS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Hippolytus M.
S. Concordia M.
ac XIX alii MM. } Romæ

B S. Cassianus M. Imolensis.
S. Cassianus ep. M. Tudertinus.
S. Centolla
S. Helena } MM. Burgis in Hispania.
S. Junianus abbas in Pictav. Galliæ provincia.
S. Radegundis regina, dein monialis Pictavii.
S. Radegundis vel Radiana virgo in Suevia.
S. Laudulfus ep. conf. Ebroicis in Gallia
S. Maximus abbas conf.
S. Anastasius monachus conf.
S. Anastasius alter item monachus conf. } CPoli. E
S. Wigbertus Presb. conf. in Germania.
S. Zuenteboldus rex conf. Sustereni in agro Juliacensi.
S. Ludolfus
B. Druthmarus } abbat. Corbeien. in Westfalia.
B. Gertrudis fil. S. Elisabeth abb. Aldenbergensis in Germania.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

C Sanctum Hippolytum *martyrem in Africa hoc die Romano synonymo subjunxit Canisius aut potius Walasser in suo Martyrologio Germanico: verum is non ad hunc diem spectat, sed ad eum quo de ipso jam olim actum est* XXIII Februarii.

S. Macarium ep. Hierosol. *hoc die male intrusit Florarium SS. Ms. Vide de ipso* X Martii.

S. Eberardus *ex celebri Comite monachus Ordinis S. Benedicti in Suevia, nescio cur hoc die a solo Menardo consignetur in suo Ordinis Martyrologio. Ab aliis melius refertur eo die quo Acta ejus pridem illustrata sunt* VII Maii.

S. Guibertus *fundator Gemblacensis inter varias confusiones hujus diei in Florario nostro Sanctorum Ms. etiam locum habet. Sed de eo pridem actum est* XXIII Maii.

SS. MM. Sisinnii, Martyrii et Alexandri *translatio signatur apud Grevenum; de ipsis actum* XXI X Maii.

SS. Sergius et Stephanus MM. *alicubi apud Græcos notantur hac die; sed eos dedimus cum Menæis magnis excusis* XII Aug.

Sancti martyres Pamphilus et Capito *notantur hoc die in nostro Ms. Supplemento ad Menæa excusa Sirmondo-Chiffletiano, nec non in nostris apographis Ambrosianis. De iis actum die* XII Augusti.

Bernardum *aliquem monachum, in Claravalle hoc die defunctum, multis laudibus efferunt Henriquez et Chalemotus, ambo* Beati *titulo cum ornantes, quem aliunde probatum cupio, priusquam ei in hoc Opere locum ausim tribuere.* F

Addit Henriquez sequentia quæ describo: In Hispania, obdormitio piæ memoriæ Martini de Logrono, primi Prioris monasterii Montis Sion, admirandæ sanctitatis et puritatis viri.

Latinus Malabranca Ursinus *S. R. E. Cardinalis hoc die miris laudibus extollitur et* Beati *titulo ornatur a Marchesio in sacro Diario Dominicano. De ejus cultu altum huc usque silentium.*

Jordanus a S. Stephano *ut illustris in Japonia martyr memoratur in Anno sancto Ordinis Belgico et in Viridario Germanico.*

S. Columbus *Lirinensis seorsim hoc die refertur a Bucelino in Menologio Benedictino. De ipso dicta sunt quæ sciuntur omnia in hesternis Actis S. Porcarii etc.*

Henricus Clauss. *abbas Wiblingensis ut vir venerabilis hoc die refertur ab eodem Bucelino.*

V. Thomæ Kempensis, *auctoris, ut fertur, aurei libelli de Imitatione Christi, corporis inventio, et translatio Swollam facta* III *Augusti anno*

A *anno* 1672 *stylo veteri, atque adeo die* XIII *Stylo novo, locum hic habere meretur propter miranda varia ab oculato teste R. D. Arnoldo Waeyer Belgice scripta et huc missa, quæ Papebrochius Latine versa pridem retulit in Propylæo Maii inter Paralipomena pag.* 108, *usui futura si vir tam præclaræ memoriæ sacris Fastis ab Ecclesia aliquando inseratur.*

Anna de Meleun *filia Guilielmi principis d'Epinoy inter Venerabiles refertur a Castellano, ut quæ multis ad S. Waldetrudis Montibus Hannoniæ eximiis virtutum exemplis clara, fundatrix deinde fuerit Hospitalariarum Belgiaci in Andegavis, ubi sancto fine quieverit.*

Wigbertum *seu* Wigberchtum *S. Egberti socium hoc die Sanctum et* in Fostelandia martyrem *ex Pseudomarcellino prædicant Molanus ac Miræus, atque ex his Wilson, Ferrarius, Menardus et Ghinius. Melius apud Bedam lib* 5 *cap,* 10 *dicitur biennio Frisiis prædicasse, et ad priorem suam tranquillitatem in patriam rediisse: eadem traduntur in Vitis S. Suiberti tom.* I *Martii pag.* 72, *et S. Egberti tom.* III *Aprilis*
B *pag.* 314, *Notavit autem Papebrochius, nusquam reperiri quod ut Sanctus cultus fuerit: certe apud Dempsterum aut Camerarium notus non est. Vide tomo* I *Martii, ubi de S. Suiberto pag.* 72.

Potentianus episcopus *ita efformatur apud Greveum in auctariis Usuardi, ubi pridem notavimus, intelligendum haud dubie* Pontianum, *cujus nominis plures alii sancti sunt. Crediderim hic eum intelligi qui in codicibus Hieronymianis hoc die signatus est.*

Irenes imperatricis *memoria in Prætermissis ad diem* VII *hujus mensis ad hunc diem remissa; ad quem etiam dilata est* Irenes (τῆς νέας) junioris in Sanctis Apostolis, *de qua in Prætermissis die* IX *Augusti, commemoratio, hic paullo fusius examinandæ sunt. Supplementum nostrum ad Menæa typis edita Sirmondo-Chiffletianum hoc die notat ista, quæ e Græco ita Latine reddimus:* Eodem die, celebris ac beatissimæ imperatricis ac fundatricis venerandi monasterii Omnipotentis Salvatoris Christi Irenes *memoria*, quæ propter sanctum atque angelicum habitum Xene *(sive Hospita)* monacha
C cognominata est. *Subditur ibidem longum ejusdem elogium. Annuntiationi autem prædictæ consentiunt Menæa excusa ac Menologium Sirletianum, in quo tamen pro* Xene monacha *ponitur* Irene monacha. *In citato mox Supplemento ad diem* VII *Augusti hæc signantur, quæ Latine sic interpretamur:* Eodem die memoria Imperatricum nostrarum Pulcheriæ *(de qua agetur die* X *Septembris)* et Irenes, pio in honore habitarum. Peragitur autem earum solennitas in Sanctis Apostolis, *celeberrimo utique templo Constantinopoli. Joannes Cinnamus lib.* I *Historiarum pag.* 5 *editionis regiæ Parisiensis anni* 1670 *eam sic laudat:* Uxorem duxerat Joannes *(Alexii Comneni imperatoris filius, et ipse)* imperator Irenem, Vladislai *(Hungariæ regis)* filiam, modestia singulari cumprimis feminam, et virtutibus decoratam. Quidquid illa ex conjugis Augusti liberalitate comparavit, sive ex imperii reditibus, non transmisit in liberos, aut in superfluos sumptus, luxumque immodicum expendit: sed observata semper eadem vivendi ratione famulis suis indigentioribus erogavit. Monasterium CP. exstruxit, dicavitque Omnipotenti, opus structuræ elegantia et amplitudine nulli secundum. D
Hæc Cinnamus. Cangius in notis ad Cinnami Historiam observat pag. 430 a Joanne exstructum monasterium Pantocratoris seu Dei Omnipotentis, *nec non* monasterium virorum fuisse. *De S. Ladislao actum est apud nos tom.* V *Junii die* XXVII, *ubi de* Irene *ejusdem filia in Annotatis pag.* 327. *Verum quia illa, quæ de Joanne Comneno retulimus in Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum ante tomum* I *Augusti pag.* 132 *, *quidem probant, imperatorem et Patriarcham ab unione cum Ecclesia occidentali tunc non magnopere abhorruisse, sed ex iis tamen nondum sequitur, illos cum Romano Pontifice unitos fuisse. Quia item dictus imperator postea Latinis bellum intulit, ac ultricem Dei manum sensit; sicut videre licet in Annalibus Baronii ad annum Christi* 1143, *postquam nempe* monitus ab Innocentio Romano Pontifice per legatum, episcopum Gabulensem, minime destitisset; immo acerbius desævisset etiam in viros sanctissimos (ut testatur Otto) eremum incolentes, factum est *etc. Quia denique Græci suis Fastis* E
sacris aliquando hæreticos, schismaticos, aliosve numero Sanctorum indignos adscribunt, uti in eadem Historia chronol. variis locis ostenditur, de quibus videsis indicem ejusdem in voce Menæa; *ideo, antequam hanc* Irenen *inter Sanctos Operis nostri inseramus, volumus fieri certiores de unione ejus cum Ecclesia Catholica Romana præsertim periculosis ac schismaticis istis temporibus, tametsi dicere certo non possimus, quod eidem unita non fuerit. Hinc non audemus condemnare Castellanum, qui in Tabula nominum Sanctorum ad suum Martyrologium universale* Irenen Constantinopolitanam Religiosam omissam *notat die* XIII *Augusti.*

Frigia Antonini *annuntiatio est hoc die in codice Hieronymiano vetustissimo Epternacensi. Corbeiensis codex legit:* Synnada Frigiæ natalis S. Antonii episcopi. *Textus Florentinii ex codd. Lucensibus habet eamdem positionem; sed legit* Antiocheni episcopi. *Turbata hoc die ibi ferme omnia, ut quæ lectio præferenda sit, haud facile perspicias. Hæc tantisper hoc loco describere placuit donec lucis aliquid aliunde affulgeat* F

Joannes a Bucca conf. *Tragurii in Dalmatia*	
Dominicus a Padua conf. *In Italia*	*Beati titulo donantur ab Arturo in Martio Francis. a quo Hueberus abstinet.*
Franciscus Trivultius conf. *In Oriente*	
Didacus a Luminibus conf. *Toleti*	
Petrus a Benevento conf. *Alonzolii in Castella*	
Blasius a Vilalva conf. *Murciæ in Hispania*	
Margarita Tormella virg. *Novariæ*	
Catharina de Quadia virg. Tert. *Ulmeti in territ Abul.*	

His superaddit Hueberus Franciscam *quamdam satis mirabilem Beneventi in Gallicia (voluit dicere in regno Legionensi) cum longo elogio.*

Item Parisiis in Francia Vincentium Mussartium *cum longa etiam Vitæ serie.*

Præmisit autem martyres in Hungaria ad annum 1545, *quos inter præcipui* Petrus de Mezanico, Georgius de Capronza, Laurentius de Berennii

A Berennii, Benedictus de Szerdahelii *et* Michaël de Pestino.

Agit demum de variis anonymis ejusdem Ordinis qui in Languedocia in odium Romanæ Catholicæ fidei ab hæreticis crudeliter sunt enecati.

Higbaldus *abbas in Anglia a nobis post Mabillonium inter Prætermissos collocatus est* XXI *Julii. Hoc die a Molano refertur inter auctaria Usuardina, quem secutus est Ferrarius. Grevenus eum signavit* XIV *Decembris, Wilsonus vero* XXII *Septembris. Verum et postremis hisce diebus, nisi vehementer fallor, prætermittendus erit, quemadmodum* XXI *Julii jam factum diximus.*

Sancia Carillo *mire laudatur in Vita a P. Martino Roa Hispanice scripta et Belgice versa. An de beatificatione actum fuerit, aut hodie agatur, necdum intelleximus.*

Sanctinum abbatem Scotorum Viennæ *inter Sanctos suos Scotos hoc die refert Camerarius. Alia auctoritate opus est ut in hoc opere collocetur.*

Reinildis V. M., Grimoaldi et Gondulphi sociorum MM. *sepulturam hoc die procuratam, invenies tom.* IV *Julii die* XVI *pag.* 177 c.

B Joannem Berchmannum *e Societate Jesu brevi elogio hoc die ornat Miræus hisce verbis* : Natus est Diestemii in Brabantia primo lapide a Colle aspero, Deiparæ cultu miraculisque celebri : obiit autem Romæ an. MDCXXI, magna innocentiæ et sanctitatis fama, annum agens secundum et vigesimum. Solitus est dicere : TRIA MIHI SUNT CARISSIMA, videlicet Christus crucifixus, Rosarium Deiparæ et Regula Soc. Jesu : CUM HIS LIBENTER MORIAR. *Videatur Vita a P. Virgilio Cepario accuratissime scripta.*

Imperatricis Eudoxiæ, quæ pia in memoria habita sit, commemoratio *occurrit hac die in apographis nostris Græcis Sirmondo-Chiffletianis, addito loco* in sanctis Apostolis, *seu æde SS. Apostolis sacra ac post Sophianam celeberrima ac pulcherrima, teste Cangio lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ cap.* 5. *In Latinis nostris ecgraphis e Mss. Menæis Græcis bibliothecæ Ambrosianæ hoc etiam die simplex* Eudociæ *fit mentio. Si quis cum certa de publico ejus cultu, tum distincta de persona, rebus* C *gestis ac virtutibus testimonia subministraverit, poterunt aliquando esse usui, ut dictæ Imperatrici suis in Opere nostro detur locus.*

Hariolfum *seu* Herulphum *Lingonensem episcopum, ut fundatorem celebris olim cœnobii Elwangensis seu Elvacensis in finibus Sueviæ mihi suggessit Castellanus in Martyrologio suo universali hoc die, acceptum, opinor ex Gallicano Saussayi, præter quem nullum prorsus invenio qui de* Hariolfo *aut* Herulpho *inter Sanctos meminerit, ne quidem in omnibus Usuardi auctariis. Neque vero Sammarthani hujusmodi honore eum prosequuntur, nec magis a Mabillonio agnoscitur, neque vita ejus apud nos Ms. quam nuper edidit Pezzius tomo* 4 *Thesauri anecdotorum alium titulum præfert quam,* Incipit Vita Domini nostri Hariolfi episcopi Lingonicæ et fundatoris hujus loci, D *quæ de cetero merus dialogus est, in quo non minus agitur de Grimoldo aliquo quam de Hariolfo, certe in toto contextu nil quidquam occurrit unde aut de corporis debita elevatione aut de legitimo cultu in ipsa Elvacensi ecclesia ei umquam exhibito certiores reddamur : præterquam quod ea quæ de ipso commemorantur, implexis non paucis nodis involuta sint, quæ in Hierarchiæ suæ Augustanæ Auctario primo frustra solvere conatus est Corbinianus Khamm. Si melius me doceant Elwangenses, debitus* Hariolfo *locus alibi dabitur. Rem prævenire cupiens recurri ad R. P. Rectorem collegii nostri Elvacensis Antonium Ephensteiner, qui me de omnibus accurate edocuit, sic tamen ut ex eleganti narratione, colligere omnino non potuerim, verum et legitimum cultum ecclesiasticum Viro alias meritissimo exhibitum umquam fuisse, ut, donec alia accedant, non nisi hoc loco collocari hactenus possit.*

S. Simplicianus episcopus Mediolanensis *hoc die perperam relatus est a Bellino, Greveno, Molano et aliis, melius in Romano signatus est* E XVI Augusti.

Herneldiam et Ermelinam *ut* sanctas virginis *conjungit hoc die Florarium nostrum Sanctorum Ms. de quibus alibi nec umbram reperi hactenus, præterquam quod Grevenus auctariis suis Usuardinis ad* XIX *hujus solus subjunxerit* Ermelinæ virginis, *alterius an ejusdem æque incertum.* Herneldia *ignota hic manebit.* Ermelinam *porro ad verum nomen* Ermelendis *reduci posse existimo, de cujus translatione agit Saussayus ad* XXI *Maii, monens natalem ejus recurrere* XX *Octobris, voluit indicare diem quo de ipsa procul dubio agendum erit* XXIX Octob.

S. Antiochi Lugdunensis episcopi *memoria agitur in vetustissimo Hieronymiano Epternacensi, qui in Corbeiensi male effertur* Anoci. *In Lucensibus præteritus est, multis laudatus in Indiculo Raynaudi. Colitur porro* Antiochus *iste in Adone, Usuardo et hodierno Romano natali die* XV Octobris.

S. Genesium Lugdunensem episcopum *nescio ubi hoc die signatum repererit Florarium nostrum Sanctorum Ms. A Saussayo et Castellano refertur* I Novembris. F

SS. Pontianus episcopus, Lucianus, Cornelius, Cassianus, Calestus cum sociis eorum *videntur S. Hippolyto ferme conjungi in Hieronymianis.* Pontianus *autem recte, ni fallor, a Florentinio accipitur pro Romano Pontifice e Sardinia, ubi martyrium passus fuerat, Romam translato, et in* Callisti *deposito, ut habet fragmentum apud Bucherium, cujus natalis dies recurrit* XIX *Novembris.* Cassianus, *haud dubie Imolensis, hic male Romæ collocatur : de ipso autem hoc die agitur. An ceteri aliquam cum S. Pontiano societatem habeant, videbitur dum hujus Acta illustrabuntur dicto jam die* XIX Novembris.

DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

HIPPOLYTO, CONCORDIA AC XIX ALIIS

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus ex Fastis; veneratio publica; martyr synonymus a nostro distinctus.

Sub Valeriano Imp. Celebratur S. Hippolyti nomen in Fastis,

Percelebre ab antiquissimis temporibus est in Ecclesia Catholica S. Hippolyti *nomen, tametsi pluribus in documentis non ita signetur, ut perspicuum sit, hodiernum Martyrem ac militem a S. Laurentio conversum in illis indicari. In aliis vero ita clare ac distincte hodiernus exprimitur, ut nullum dubitandi locum relinquat. Vetustissimum Calendarium Bucherianum hoc die sic memorat :* Idibus Augusti, Hippolyti in Tiburtina, et Pontiani in Callisti. *Martyrologium a Florentinio editum :* Romæ natalis sanctorum Ypoliti martyris, Pontiani episcopi *etc. Carthaginense apud Mabillonium tom.* 3 *Analectorum pag.* 399 *:* Idus Ag. sancti Hippoliti. *Antiquum Calendarium Romanum, quod typis vulgavit Edmundus Martene tom.* 5 *Thesauri novi anecdotorum col.* 76 *:* Die XIII mensis *(Augusti)* natal. S. Yppoliti. *Frontonianum ac Allatianum cum etiam absque titulo martyris memorant. Romanum vetus seu parvum Martyrologium sic habet* : Romæ, Hippolyti martyris cum familia sua, et S. Concordiæ nutricis ejus. *Ado :* Romæ, S. Hippolyti martyris, sub Decio imperatore, Valeriano præfecto. *Usuardus :* Romæ, beati Ypoliti martyris, qui pro confessionis gloria, jubente Valeriano præside, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per cardetum et tribulos tractus emisit spiritum. Passa est etiam Concordia nutrix ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit : et alii decem et novem, de domo ejus, qui simul decollati sunt. *Hæc iisdem fere verbis retulerat Martyrologium quod sub nomine Bedæ a nobis editum est :* Idibus, Romæ S. Ypoliti, qui tempore Decii, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per carduos tribulosque tractus emisit spiritum. Et Concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizatur. Et aliorum de domo ejus decem et novem, qui simul decollati sunt. *Consonant Bedæ Rabanus ac Notkerus. Apud hunc tamen non recte dicitur :* et aliorum NOVEM de domo ejus. *In Passione* S. Hippolyti *apud Mombritium sunt* decem et octo. *Wandelberti his addo parvum elogium metricum :*

Idibus Hippolytum comitem Laurentius astris
Pro Christo parili recipit certamine passum.

in Sacramentariis, ac Martyrologio Rom.

2 *Ad commendandam* S. Hippolyti *in Ecclesia celebritatem conducunt etiam quæ de eo habentur in Sacramentariis Thomasii ac Menardi ; uti insuper quod annua ejus veneratio, prout indicabam supra, in Ecclesia Romana ritu non tantum publico perseveret ; sed etiam quod nonæ lectioni Officii ecclesiastici certamen ejus inserat Romanum Breviarium, Martyrologio hodierno sic cum annuntiante :* Romæ beati Hippolyti martyris, qui pro confessionis gloria sub Valeriano imperatore post alia tormenta ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, per carduetum et tribulos crudeliter tractus, toto corpore lacerato emisit spiritum. Passi sunt etiam eodem die beata Concordia ejus nutrix, quæ ante ipsum plumbatis cæsa migravit ad Dominum ; et alii decem et novem de domo sua : qui extra portam Tiburtinam decollati sunt, et una cum eo in agro Verano sepulti.

De eo etiam Græci

3 *Nec vero Græci suis Fastis* S. Hippolytum *exclusum voluere ; nam ad diem* X *Augusti cum SS. Laurentio ac Sixto nominatim eum annuntiat Anthologium. Adde Menæa magna excusa cum his versiculis :*

Τὸν Ἱππόλυτον ἱπποδέσμιον βλέπω
Ἐναντίον πάσχοντα τῇ κλήσει κάθος.

Hippolyte, equino video te vinctum jugo,
Passum necem contrariam, quam vox sonat.

Inficetam hanc et longe quæsitam allusionem tametsi istorum versiculorum confector obtrudat, eam tamen more nobis usitato explanare conabor. Quia docuit experientia, quod Menæa, anno 1607 *Venetiis impressa, quibus utor, plurimis mendis scateant ; pro* τοῦ κλήσει *posui* τῇ κλήσει, *et pro* ἱπποδέμιον; *quæ sunt in dicta impressione, substitui* ἱπποδέσμιον; *per illudque intelligo eum, qui* in equis vinctus *tenetur.* Hippolytus *vero ex dicendis num.* 13, *est is, qui ab equis membratim solvitur : solvi autem ab equis, et in equis vinctum teneri, quamvis in Sancto nostro utrumque acciderit, videntur tamen oppositionem aliquam præ se ferre, si voces* λυτὸς *ac* δέσμιος *accipiantur secundum se, præscindendo ab historia, quæ illis subest. Atque ad hanc oppositionem suspicor respexisse poëtam. Certe quidnam aliud sibi voluerit, haud satis assequor. Erit forte ex eruditis Græcis aliquis, cui melius quidpiam in mentem venerit. Verum de his minutiis plus satis.*

Publica apud Hispanos veneratio : ædes sacra in Hollandia sub nomine S. Hippolyti.

4 *Quod* S. Hippolytus *singulari apud Hispanos in veneratione habitus fuerit, conficitur e Breviario Mozarabico (de quo plura notavimus in Tractatu historico-chronologico ad tomum* VI *Julii præliminari, de liturgia Mozarabica cap.* 8 § 1*) in quo Breviario sanctus iste Martyr habet Officium proprium, ac sequentem hymnum, a variis sphalmatibus, ubi id sensum exigere judicavimus, hic emendatum, in commodum publicum, ut qui eum legit, intelligat.* Adsunt, O populi festa celebria, Quæ felix revehit temporis orbita In sese rediens axe volubili : Laudem sidereo reddite principi. Hinc namque Ypolitus tempore terrea Despectans, nivea scandit ad æthera :

A thera : Cum solvens animam corpore vividam Cælestem meruit sumere lauream. Dum dux belligerus esset hic agminis, Jussis cæsareis carcere martyrem Servandum recipit, qui cruce prævia Dat cæcis oculis perdita lumina. Cerneus Ypolitus signa faventia, Mox Christo domino credit, et impia spernens dæmonici dogmatis idola, junctus Christicolis vocibus increpat. Tunc cæsar rabido fervidus impetu Os sanctum lapide scindere præcipit. Longe dissiliunt fragmina dentium : Sed vox unigenam prædicat unicum. Ferrum percalidis ignibus artifex Armat, spiniferi spicula cardui, Corrupta penitus viscera Martyris Profunduut rosei flumina sanguinis. Hinc ad coruipedum terga ferocium Iunexu religant, tractus in aspera Vitalem subito liquit anhelitum, Dirum quo valuit vincere seculum. Ob hoc suppliciter rex Deus omnium Rogantes petimus, Martyr ut inclytus assistat miseris fautor, et impetret Confessis veniam corde piacula. Sit vita locuples frugibus affluens : Rerum prosperitas congrua polleat : Bellum dispereat : pax bona profluat : Virtutes vigeant, crimina transeant. Sit Patri ingenito glo-
B ria maxima : Sit compar Genito atque Paraclito, Unus qui retinet sceptra pereuniter, Vivens perpetuis tempora seculis. Amen. *Obiter hic significare liceat, ædem sacram sub nomine* S. Hippolyti *exstare Delphis, Hollandiæ civitate; prout habemus ex Raissio in Hierogazophylacio Belgico pag.* 249.

Propositis variis 5 *Quæret hic aliquis, quisnam ab antiquissimis temporibus in Ecclesia Catholica hoc die cultus fuerit* S. Hippolytus, *milesne a S. Laurentio ad Christum conversus, an presbyter synonymus Ostiensis vel Portuensis, qui cum titulo episcopi notatur in Martyrologio Romano ad diem* XXII *Augusti? Ratio quærendi est* 1º. *Quia Hippolytus ille Ostiensis vel Portuensis jam inde a seculo quarto, sub cujus finem floruit poëta Prudentius, hoc die* XIII *Romæ celeberrimo cum cultu ac frequentissimo cum populorum accursu honoratus fuit.* 2º. *Quia eodem idem ille genere mortis, quo Miles synonymus hodiernus, martyrium consummavit.* 3º *Quia apud Romanos sepultus. Varia hæc puncta perspicue docemur a laudato Prudentio, e cujus hymno* XI, *qui Valeriano episcopo in-*
C *scribitur, hæc delibo. Ac de die quidem hæc :*

Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis, ut ipsa vocat
Prisco more diem.

De loco martyrii Prudentius ita canit :

Sistitur insano rectori, Christocolas tunc
Ostia vexanti per Tiberina viros
Non contentus humum celsæ intra mœnia Romæ
Tingere justorum cædibus assiduis
Janiculum cum jam madidum, fora, rostra, Suburram
Cerneret eluvie sanguinis affluere.
Protulerant rabiem Tyrrheni ad littoris oram,
Quæque loca æquoreus proxima portus habet.

alterius S. Hippolyti martyris 6 *Et nonnullis interjectis, deinde de genere mortis subnectit ista :*

Hæc persultanti, celsum subito ante tribunal
Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum juvenes clamore fremebant,
Ipsum Christicolis esse caput populis.
Si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
Pectora Romanis sponte sacranda deis.
Insolitum lethi poscunt genus, et nova pœna est
Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice, Quis, inquit,
Dicitur? Affirmant, dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat turbetque jugales,
Intereatque feris dilaceratus equis

AUCTORE J. P.

idiotismis, 7 *Idem hymnographus martyrii modum prosecutus, de indiciis post illud relictis hæc fatur, et quidem tamquam testis oculatus :*

Scissa minutatim labefacto corpore frusta
Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret :
Parte rubent frondes, parte madescit humus.
Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime papa,
Purpureasque totas vepribus impositas.

quos Prudentius in hymno quodam expressit. 8 *Distractorum autem membrorum sacri corporis collectionem ibidem subdit poëta, ac dein de tumulo apud Romanos sic loquitur :*

Metando eligitur tumulo locus : Ostia linquunt,
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.
E Haud procul extremo culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta patet foveis *etc.*

De veneratione publica non ex auditu tantum aut visu, sed ex propria experientia effundit sequentia :

Mira loci pietas, et prompta precantibus ara :
Spes hominum placida prosperitate juvat.
Hic corruptelis animique et corporis æger
Oravi quoties stratus, opem merui.
Quod lætor reditu, quod te, veneraude sacerdos,
Complecti licitum est, scribo quod hæc eadem :
Hippolito scio me debere *etc.*

Circa egregium loci ornatum, religionem singularem, ac effusissimum populorum confluxum, Prudentio pluribus describendo; supersedeo quem tu lector consule. Ibidem etiam leges, Hippolytum a schismate Novatiano ad Catholicam fidem conversum fuisse.

inquiritur, uter signetur. 9 *Habemus itaque ex dictis duos synonymos Martyres, adeo multis ac graphicis characteribus inter se distinctos, ut simul confundi non pos-* F *sint. Nunc, ut ad superiora redeamus, uter hoc die in antiquis Fastis sacris celebrandus proponatur, dispiciamus. Pro cultu solenni* S. Hippolyti *presbyteri apud Romanos* Idibus Augusti *militant dicta Prudentii* Si bene commemini *etc. Et vero quippe et bene commeminerit, secundum superiora rerum adjuncta, quæ tamquam oculatus testis adeo scite, graphice ac distincte commemorat? Sed hoc non obest, quo minus* S. Hippolytus *martyr ac miles, quem in Christo genuit S. Laurentius, hodierna etiam die apud Romanos publica in veneratione habitus fuerit, idque ab antiquissimis temporibus : sicut jam probare conabimur. Etenim antiquissimum Calendarium Bucherianum quando annuntiationi suæ, quam supra dedimus, addit distincte* in Tiburtina, *hunc videtur designare : nam juxta viam Tiburtinam jacet cœmeterium B. Cyriacæ Verano in agro; ubi nunc insignis basilica S. Laurentii martyris, ut videre licet apud Aringhum tom. 2 Romæ subterraneæ lib. 4, cap. 16. Consule insuper Acta Sancti nostri, huic Commentario subjicienda num. 2. Via autem Tiburtina longe diversissima est ab Urbe vel a via Ostiensi, quam occasione sui Hippoliti indicari*

AUCTORE J. P.

dicari a Prudentio, Romam translati, suadetur his ipsius verbis :

Metando eligitur tumulo locus : Ostia linquunt,
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.

in antiquis documentis:

10 *Vetus Missale Gothicum, lib. 3 Liturgiæ Gallicanæ a Mabillonio vulgatum pag.* 278, *num.* LX *tametsi nihil referat de nostri* Hippolyti *nutrice ac similia, ipsum tamen perspicuis characteribus exprimit in immolatione Missæ, sic loquens :* Vere... Deus qui beatum Yppolitum, tyrannicis adhuc obsequiis occupatum, subito fecisti Laurentii socium. Qui spiritali ardore succensus, dum unigenitum Filium tuum, Dominum nostrum, coram potestatibus veraciter confitetur; pœnis subjicitur vinculis inligatur, cardis configitur, equorum ferocitate disjungitur : et adepta palma martyrii, vita perpetua cum lucratore et magistro Laurentio coronatur. Per Christum Dominum nostrum. *Consentit hymnus Mozarabum, quem antea protulimus. Apud S. Augustinum sermone de diversis* 38, *in mox citanda impressione* 316; *qui postquam tot virorum eruditorum palato non desipuerat, ac intactus tot*
B *seculis permanserat, quia tamen non sapuit gustui unius solius censoris critici, in nova editione Operum istius sancti Patris a monachis Benedictinis vulgata, tom.* 5 *in fine,* In appendice nunc primum collocatur. Nihil in eo reprehensione dignum : nisi quod stilus, ait Vindingus, indicat, non esse Augustini. *In sermone, inquam isto sic legitur :* Laurentius Christianum fecit Hippolytum custodem suum. *Nec tacitus præteriero Gregorium Turonensem, qui Historiæ Francorum lib.* 1 *cap.* 28 *col.* 22 *et* 23 *editionis Ruinartianæ hæc refert :* Sub Decio *(immo Valeriano)*... Sixtus, Romanæ Ecclesiæ episcopus, et Laurentius archidiaconus, et Hippolytus, ob Dominici nominis confessionem per martyrium consummati sunt.

ac res deciditur pro Hippolyto nostro.

11 *Hodiernum etiam Pugilem nostrum perspicuis signis indicant auctor Romani parvi, Ado, Usuardus, et alii, quos supra allegavimus. Verum quidem est, quod Martyrologium Carthaginense apud Mabillonium, Hieronymianum apud Florentinium, Calendaria Allatianum ac Frontonianum, uti etiam Sacramentaria Thomasii*
C *ac Menardi non apponant ei notas istas characteristicas; apparet tamen mihi verosimile, quod illa etiam documenta de* S. Hippolyto *nostro agant, more antiquissimis, secundum dicta, auctoribus usitato; Mabillonius enimvero in notis ad dictum Martyrologium Carthaginense pag.* 411, *nostrum hodiernum in eo signari censuit; quia in ejusdem Martyrologii textu nomen* S. Hippolyti *dicit esse* martyris Romani percelebris. *At illa,* de quo inter alios Prudentius in hymno XI περὶ στεφάνων, *quæ addit; hæc illi nobiscum haud conveniunt; sicut patebit jam mox. Ex his itaque concludimus, videri probabilius constare de vetustissimo primisque a martyrio seculis usitato, ac deinde ad posteriora secula propagoto hac die* S. Hippolyti *martyris ac militis cultu. De alio synonymo sacerdote, vel, uti eum vocat modernum Martyrologium Romanum, episcopo, dabitur agendi locus ad diem* XXII *Augusti, quo eidem Martyrologio inscribitur : quamquam hodierni* S. Hippolyti *gratia nonnulla sequenti paragrapho observanda de eo supersint.*

D

§ II. An sicut alter synonymus martyr, ita noster ab equis distractus; an tres Hippolytos in unum conflarit Prudentius; tempus ac socii martyrii; sepultura.

Supplicium, quo synonymus martyr Portuensis occubuit,

S*icut nomen* S. Hippolyti, *quatenus in antiquissimis notatur Fastis non levem nobis creavit supra difficultatem, sic novam quamdam facessit molestiam genus mortis, quo occubuisse refertur, eodem videlicet, quo synonymus Ostiensis vel Portuensis : uterque enim ab indomitis equis distractus ac raptatus dicitur. Ad Ostiensem quod attinet ; recitavimus de eo antea Prudentium. De hodierno autem nostro Acta ejus apud Surium Laurentianis immixta, hæc narrant de tyranno :* Porro beatum Hippolytum voluit pedibus ad colla indomitorum equorum ligatum, per carduos et tribulos raptari. Quod cum fieret, ille migravit ad Dominum. *Hæc ibi paucis ; quæ confirmantur ex hymno Mozarabum, veteri Missali Gothico, ac Martyrologiis, secundum præmissa* § 1. *Hinc moveri potest quæstio, an sicut istius nominis martyr apud Prudentium hoc supplicio mactatus refertur, ita etiam noster id vere pertulerit ; an potius huic ex Actis istius attributum affictumque sit.* E

Hippolyto etiam nostro

13 *Baronius Annalium ecclesiasticorum tom.* 2 *ad annum* 261, *num.* 10 *illum certaminis modum revera convenire* S. Hippolyto *nostro censet his verbis :* Triduo post S. Laurentium passus est Romæ Hippolytus miles : cui hoc in illud profuit nomen, ut, quod vocaretur Hippolytus instar Hippolyti illius, qui Phædræ novercæ insidiis proditus est, equis et ipse discerpi indomitis juberetur. *Laudatus auctor idem agonis genus Sancto adscribit in Notationibus ad Martyrologium Romanum hac die. Occasione autem istius loci e Baronio citati, obiter observa etymon nominis* Hippolyti, *quod* ἀπὸ τοῦ ἵππου *id est, ad equo dictum,* καὶ τοῦ λύειν *quod solvere significat : quasi dicas,* Hippolytum *esse illum, qui ab equis membratim solvitur, vel distrahitur. At nonnulli alii recentiores affirmant, quædam ex Actis* S. Hippolyti, *quæ hymno complexus est Prudentius, ad hunc nostrum derivata fuisse. Ruinartius in Admonitione ad Martyrium alterius istius synonymi, quam inseruit Actis Martyrium sinceris et selectis pag.* 155 *ac* 156 *editionis primæ,* Existimamus, *inquit,* duplicem Hippolytum hac die XIII Augusti celebrari : unum a Prudentio memoratum; alterum vero beati Laurentii socium, cui nonnulla ex primi Actis attributa sunt. *Tametsi autem* nonnulla *ista ibi distincte hisce verbis non determinet, censemus tamen, eum ibi tacite indicasse certaminis pœnam, de qua hic agimus, utrique martyri, uti modo vidimus, communem. Bailletus in Vitis Sanctorum hac die utriusque gesta describens, pro consueta sibi in censurandis audaci crisi Sanctorum Actis, nulla circuitione usus, supplicium illud nostro* Hippolyto *rotunde adjudicat, quando ex alterius Hippolyti martyrio commodatum huic id fuisse scribit.* F

asseritur.

14 *Ast ut ille peracti certaminis modus, qua ad Martyrem nostrum spectat, permaneat intactus ab ista censura, proponere visum est hæc argumenta.*

A *gumenta.* 1°. *Nomen uti et dies publici cultus Romæ fuit olim utrique communis, sicut e Prudentio diximus; quidnam igitur obstat, quo minus utrique commune acciderit agonis sacri supplicium; eique ansam dederit unius æque ac alterius nomen, ut videlicet uterque necaretur* ad similitudinem antiquioris Hippolyti, Thesei filii: de quo Euripides in Phædra : id enim huic *(Hippolyto nempe nostro)* profuit nomen Hippolyti, illudente gentilium crudelitate, ut ex nominis similitudine, consimili mortis genere dilaniaretur; *sicut occasione* Hippolyti *militis pronuntiatum est in Notationibus ad Martyrologium Romanum hac die.* 2°. *Tot et tam antiqua testimonia tradunt illud tormenti genus, prout conficitur ex superioribus, clare ac distincte hoc ipsum exprimentibus: cur ergo prævaleat eis neoterici cujusdam censura, quamdiu non probatur esse hujusmodi, ut auctoritatem illorum omnino infringat?* 3°. *Possessio hic obtineat; maneatque quamdiu non convincitur falsitatis.* 4°. *Non imus inficias, quod Acta Militis nostri martyrio S. Laurentii apud Surium male coagmentato atque in non paucis indigo emendationis, uti videre licet in nostro*
B *Opere ad diem* x *Augusti pag.* 511 ; *sed an idcirco omnia, quæ in eis continentur, falsa sunt et apocrypha? Si hoc vis; videsis quorsum censura illa evadat. Cum igitur nostræ sint partes, Sanctorum Acta defendere, quantum salva veritate licet, adversus rigidos eorum Aristarchos; maneat res præsens in illo suo statu, præsertim ubi aliunde insuper ea confirmatur, uti supra invenies; quam ne vel ipse quidem Tillemontius adeo alioqui hypercriticus arrodere tentavit tom.* 4 *Monumentorum ecclesiasticorum nota* 4 *in S. Laurentium. Verum hæc ad propositum nostrum plus quam satis. Nunc ad alia.*

Vult Baronius, tres Hippolytos a Prudentio confusos fuisse:

15 *Suo hic operæ pretio haud caret, si observemus, an Prudentius supra indicatus tres Hippolytos martyres in unum conflarit. Affirmat hoc Baronius loco plus uno; recentiores alii negant. Laudatus Annalium ecclesiasticorum parens in Notationibus ad Martyrologium Romanum die* xxx *Januarii, quo ibi signatur B. Hippolytus presbyter Antiochenus*, Sciendum est, *inquit*, eumdem auctorem *(Prudentium videlicet in Peri*
C *steph. hymno* xi*)* tres Hippolytos conflasse in unum, videlicet Militem, presbyterum, et episcopum; eorumque res gestas quasi unius tantum narrasse : Hippolyti enim militis, quem S. Laurentius baptizavit, Hippolyti presbyteri Antiocheni, de quo agimus, atque Hippolyti episcopi Portuensis facta conjunxit. Hi cum nomine tantum conveniant, locis, temporibus, vitæ studiis, ac denique martyrii genere distinguuntur. Miles enim passus est apud Urbem, via Tiburtina, sub Valeriano imp. die xiii Augusti, raptatus atque discerptus ab indomitis equis. Hippolytus hic, de quo agimus, presbyter fuit Antiochenus sub Fabio episcopo, qui vixit temporibus Decii, ut constat ex Euseb. Chron.; *in cujus etiam Historia, quam laudatus Eminentissimus allegat*, recitari *observat* epistolas Cornelii Rom. Pontif., et Dionysii episcopi Alexandrini ad Fabium Antiochenum in dogma Novati propensiorem. Hippolytus autem episcopus Portuensis doctrina clarissimus sub Alexandro imp. mersus aquis in Portu Romano, die xxii Augusti, martyrii coronam accepit. *Hanc trium istorum Martyrum confusionem indicat etiam Baronius in Notationibus ad diem* xiii *Augusti; in Annalibus vero ecclesiasticis ad an.* 229, *num.* 9, *et ad an.* 255, *num.* 34. *Consuli etiam potest Eminentissimi ejusdem Notatio ad* xxii *prædicti mensis. De hac ipsius sententia circa tres istos Athletas in unum conflatos agitur in Opere nostro ad diem* xxx *Januarii pag.* 1027 ; *quæ si vera sit, corruant necesse est, quæ modo disputavimus de uno eodemque supplicio duobus diversis inflicto, nec non quæ supra* § i *præmisimus de cultu una eademque hac die* xiii *Augusti ambobus istis communi.*

AUCTORE J. P.

sed nobis videtur probabilius,

16 *Sed a præsenti placito viri doctissimi tantisper recedimus cum reverentia, iis rationibus ducti, quas proponit laudatus Ruinartius pag.* 155 : Communis, *ait*, est recentiorum opinio, Prudentium in hymno xi περὶ στεφάνων, ex tribus sanctis Hippolytis, uno scilicet episcopo Portuensi, altero Antiocheno presbytero, et tertio Milite Romano, unicum conflasse. Verum cum id nullo antiquorum testimonio comprobari possit, nemini ingratum fore putamus, si Prudentii, viri antiquitate, doctrina, et sinceritate clarissimi auctoritatem quibuscumque novorum scriptorum conjecturis præferamus. Non igitur alium agnoscimus Hippolytum in hoc Prudentii hymno, præter Portuensem martyrem celeberrimum, cui E hæc omnia, quæ ab hoc auctore referuntur, optime competere existimamus. Verum etsi Prudentium hic ab errore vindicemus, non tamen imus inficias, alios quoque præter hunc Hippolytos fuisse, quos Ecclesia agnoscit et celebrat; *nimirum Portuensem, de quo plura ibi, et hic supra. Illi subjungit Ruinartius presbyterum Antiochenum, cum duobus aliis, uti volunt, a Prudentio confusum; quem tametsi laudatus auctor fateatur in Martyrologiis Adonis, Usuardi, Notkeri et aliis, die* xxx *Januarii celebrari*, qui Novati schismate aliquantulum deceptus, operante gratia Christi correctus ad Ecclesiæ caritatem rediit, pro qua et in qua illustre martyrium consummavit; *recte tamen subnectit*, hæc Prudentii auctoritatem quibuslibet his Martyrologiis præferendam non elevare. Tum deinde potuit Hippolytus Antiochensis presbyter Novati errore deceptus fuisse, sicut et Romanus. Ceterum Prudentii verba, quæ Hippolyto Antiocheno in Romano Martyrologio recentiori aptantur, in nullo Ms. aut excuso habentur ante Cardinalis Baronii recensionem. Martyrologia vero quæ Adonem F præcessere, et aliquot ex iis, quæ post ejus ætatem scripta sunt, nudum Hippolyti nomen die xxx Januarii exhibent.

hoc non esse ab ipso factum.

17 *Deinde vero postquam citatus Actorum editor repræsentasset* S. Hippolytum *militem, a presbytero synonymo, cujus Martyrium ex Prudentio subjicit, diversum, ac recitasset pro eo Martyrologia, et alia documenta, sui Hippolyti lauream refert ad annum circiter* 252. *Quod si ita est, novus hinc iterum se prodit characterismus, ut noster Miles* Hippolytus *a presbytero secernatur, anno* 258 *martyrio coronatus : de qua re dicam illico. Quod si ita est, inquam; nam quæ tam de hac re, quam de aliis e Ruinartio protuli, maturius expendi poterunt suo tempore. Adde, quæ mox dicentur de sepultura nostri Hippolyti. Hoc interim nobis in præsentia sit satis, quod tres istos Athletas synonymos distinxerimus, eademque opportunitate proposuerimus sententiam illam, quæ eorumdem tamquam unius confusionem a Prudentio removet, quod hue usque nobis videtur esse probabilius; præsertim si cum Ruinartio consideremus singulares Prudentii dotes, a quibus auctor prædictus eum laudat pag.* 156; *et quas huc transcribere supersedemus, cum et ibidem*

AUCTORE J. P.

dem legi possint, et poëta ille sacer aliunde e suis scriptis satis notus esse queat eruditis. Nunc placet nonnulla subdere pro pleniore Martyris nostri notitia. 1°. *Dicamus de anno martyrii.* 2°. *De sociis, qui ipsi conjunguntur in Martyrologio Romano moderno.* 3°. *De ejus,* S. Concordiæ, *aliorumque sepulcro.*

Tempus, quo Hippolytus noster passus;

18 *Circa primum sic statuo. Quandoquidem S. Sixtus PP. II ac martyr anno vulgaris æræ* 258, *Valeriano imperante, sacri agonis laurea redimitus est, et hunc subsecutus in martyrio post triduum S. Laurentius eodem anno* S. Hippolytum *nostrum, secundum ejus Acta, ablucrit ante obitum lavacro baptismi; consequens est, ut anno ac imperatori prædictis Sancti nostri passio innectatur, qui Idibus Augusti vitæ cursum martyrio complevisse traditur in Fastis sacris* § I *allatis. Itaque pro Decio cæsare vel imperatore, ac Valeriano præfecto; (vide supra* § I, *et Acta inferius danda) substituo Valerianum imperatorem, sub quo res contigerit.*

passionis socii;

19 *De sociis martyrii, de quibus secundo loco dicere instilueram, paucula hæc occurrunt. Antiquus eorum cultus habetur e Martyrologio Romano veteri ac recentiore.* B *Hoc ponit* Concordiam *cum aliis novemdecim; illud vero eamdem signat, uti et Sancti nostri familiam sine certo numero: qui tamen ex aliis determinatur superius* § I. *Adde Acta. Inter alios, in conspectum tyranni produci jussos, occurrit* S. Concordiæ *maritus apud Surium his verbis* : Erat in iis etiam nutrix B. Hippolyti Concordia cum marito suo. *In Apographo nostro e Ms. Ultrajectino S. Salvatoris ca* cum viro suo *etiam notatur, et alibi.*

locus sepulturæ.

20 *Nunc expediamus tertium punctum, quod est de loco sepulturæ. Baronius in Notationibus ad diem* XXII *Augusti,* Fuit olim, *inquit,* illustris memoria S. Hippolyti.. Patebat inde accessus ad cœmeterium Cyriacæ, non Callisti, ut aliquis existimavit. Est ibi et basilica S. Laurentii in agro Verano; a quo non longe posita erat ecclesia S. Hippolyti : cujus antiqua vestigia inter vineta adhuc extare dicuntur. *Acta apud Surium sic referunt post Sancti supplicium* : Relictaque sunt corpora Sanctorum in campo juxta Nympham ad latus agri Verani Idibus Augusti. Nocte eadem venit Justinus C presbyter, collectaque eorum corpora eodem loco sepelivit : *quem etiam determinat Ado in Actis infra recudendis. Antiquissimum vero Calendarium Bucherianum, uti vidimus superius num,* I, *diserte dicit,* Hippolyti in Tiburtina. *Locus ergo sepulturæ* S. Hippolyti *nostri videtur esse longe diversus a loco cryptæ, in quam translatus martyr synonymus dicitur apud Prudentium : cujus loci situm individuum etiamsi ab illo designatum non legamus; quod tamen ad Tiberinum Urbis tractum is alicubi extiterit, suspicamur ex his ejusdem poëtæ verbis :*

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulchro,
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas *etc.*

Porro e prædicta loci sepuluræ diversitate videtur confirmari Ruinartii sententia, quam præmisi num. 16. *Ceterum Adrianus PP. I, teste Anastasio Bibliothecario in ejus Vita,* ecclesiam B. Nicomedis.. et cœmeterium B. Hippolyti martyris juxta S. Laurentium, quæ a priscis marcuerant temporibus, a novo renovavit. *Jam vero cum, teste Adone, S. Laurentius fuerit sepultus* D *via Tiburtina, in prædio matronæ Cyriacæ in agro Verano, ex dictis ad diem* X *Augusti in Commentario ejusdem Sancti prævio* § 6: *cumque juxta S. Laurentium ab Anastasio Bibliothecario ponatur cœmeterium B. Hippolyti; quibus adde Aringhum Romæ subterraneæ lib.* 4 *cap.* 16, *quod est de cœmeterio eodem B. Cyriacæ Verano in agro juxta Tiburtinam viam; ubi num.* 3 *ex Actis, quæ citat, ibidem* S. Hippolytum *una cum decem ac novem aliis e domo sua sepultum fuisse memorat; suffragante insuper Martyrologio Romano, quod post annuntiationem* B. Concordiæ, *nutricis ejus, ac aliorum istorum decem et novem, addit, illos* una cum eo in Agro Verano sepultos; *cum denique Martyrii* S. Concordiæ *compendium, inferius ex Adone recudendum, de ejusdem corpore sic referat* : Illud suscepit *(De S. Justino sermo est)* et juxta corpora martyrum Hippolyti, et aliorum sepelivit; *cum, inquam, hæc ita se habeant; consequens est, ut secundum dicta unus idemque* S. Hippolyti, S. Concordiæ, *et aliorum Martyrum extiterit sepulturæ locus.*

§ III. Celebris translatio S. Hippolyti in Gallias, miracula. E

Corpus S. Hippolyti hodierni

Nostro tomo III *mensis Maii sd diem* XII *ejusdem mensis inter Prætermissos pag.* 3 *et* 4 *dictum est,* S. Hippolyti martyris translationem corporis, Roma Suessionem ad ecclesiam S. Medardi, et inde Parisios ad ecclesiam S. Dionysii notari in Martyrologio Gallicano Saussayi; et tunc cessasse tempestatem vastæ mortalitatis, indicari in Ms. reginæ Sueciæ. Dies ejus natalis est XIII Augusti. *Translatio itaque ista cum huc remissa sit, jure postulat, ut ejus nunc historiam referamus atque expendamus. Saussayus ad relatum diem hæc scribit* : In insigni cœnobio S. Dionysii commemoratio delationis sacratissimi corporis beati martyris Hippolyti : cum regnante Carolo sexto, pestilentiam, quæ Galliam totam depascebat, ejusdem Cælitis feretrum in solenni supplicatione deportatum non modo repressit, sed penitus extinxit. In cujus rei perenne monumentum, quotannis hac die in sacello, ubi sanctus hic F Martyr quiescit, solemnis celebratur liturgia. Item et eodem die Suessione (ubi primum sancti ipsius Hippolyti corpus Roma advectum quievit, in cœnobio S. Medardi : e quo postmodum ad præfatum regale monasterium S. Dionysii translatum est :) commemoratio primæ ejusdem translationis, in qua, venerando ipsius Martyris corpore per urbem circumvecto, cessavit vastæ mortalitatis tempestas.

ex agro Verano in Galliam

22 *Die autem* XIII *Augusti post elogium* S. Hippolyti, *nec non ipsius, ac* S. Concordiæ, *aliorumque novemdecim Martyrum sepulturam in agro Verano, de Sancti nostri corpore addit ista :* Unde postea levatum, atque Carolo magno a Leone III Pontifice pretioso datum munere, in Galliam delatum, cum venerandis S. Alexandri Papæ et martyris, nec non beati Cucuphatis, Christi quoque testis, pignoribus, in asceterio de Valle-leporis, digno cultu ab ipsomet piissimo imperatore reconditum fuit. At post ejus obitum, Fulradus ejus nepos, abbas insignis cœnobii S. Dionysii in Francia, illud inde transtulit ad basilicam ejusdem cœnobii S. Dionysii; ubi proprio in loculo et sacello illud reposuit, a posteris,

sicut

A sicut etiamnum colitur, perenni observatione venerandum. Ex cujus susceptione magnis divinæ magnificentiæ testimoniis illustrata, factus est anniversarius dies agonis ejusdem beati Hippolyti in ea ecclesia celebris. Quo die cum aliquando Robertus Francorum rex Christianissimus, qui magna pii affectus propensione in hunc Martyrem ferebatur, venisset ad S. Dionysii cœnobium, ut festum ejus cum fratribus solemni more celebraret, ab exercitu, quo castrum Meloduuum cinxerat, clanculum divertens; ubi Missæ solemniis devote interfuisset, ipso in divini mysterii complemento, cum diaconus de more Ite Missa est caneret, venit festine ad regem nuntius, significans arcis mœnia funditus corruisse, sicque opitulatione Martyris, quem specialiter reverebatur, factus rex pius triumphator, ad suos rediit; suisque * auxiliatoris præsidiis victoriam tantam adscribens, illius apud Deum egregia merita magnis celebravit præconiis. *Super his, quæ minus solide narrationi isti intermiscentur, Saussayum mox conveniemus.*

* suique

23 *Laudatus martyrologus in Supplemento ad hunc diem,* Servatur, *inquit,* Coloniæ corpus S. Hippolyti ad sanctam Ursulam conditum. At non certe illius Hyppolyti, qui Romæ a S. Laurentio baptizatus, hodie Valeriani jussu, indomitis equis direptus est. Hujus enim sacratissimum corpus Roma advectum, in proprio sacello, magno in templo S. Dionysii in Francia, ante annos DCCC collocatum quiescit. Cujus cum Alexander III Papa in Gallia existens, hancque basilicam visitans, germanitatem in dubium revocaret, assertæ translationi ejusdem corporis e Roma in Franciam factæ non acquiescens, divino prodigio compulsus est inpræsentiarum veritatem agnoscere, et Martyrem sibi iratum humili supplicatione placare. *Rem gestam ibidem subjicit Saussayus, sed sine ullo teste aut vade, uti et superiora, pro quibus auctorem nullum citat.*

translatum fuisse, scribit Saussayus:

B

24 *Ea de causa nos e Ms., quod habemus, sequentia huc transcribimus. Exemplari itaque isti hæc prænotantur:* S. Hippolyti commemoratio ex Martyrologio, IV Idus Maii ipso die commemoratio beati Hippolyti martyris, quando ejus piissimo corpore deportato cessavit vastæ mortalitatis tempestas. De eodem Aito. *Ad marginem dicti apographi annotavit ista noster Gamansius, tam cumulate de Opere nostro meritus, ac toties in eodem laudatus:* Ex prægrandi Ms. pergam. Martyrologio Erfurtensi, ab Electore Moguntino mihi donato. Jo. Gam. contuli. *Et circa nomen* Aito *addit:* In anterioribus mensibus et diebus legitur: De eodem actor *(an scribendum* auctor?*)* ex gestis ejus. *Ultima ista clausula, si ad* Aitonem *referenda sit, Hatto, Haito vel Hetto episcopus Basileensis, memoratur jussu Caroli magni ad Nicephorum imperatorem legationem obiisse anno* 811. *At de his, et aliis ad ipsum spectantibus consule bibliographos. Longe autem illo junior est quisquis historiam dictæ* S. Hippolyti *commemorationi subnexam collegit, et quidem imperite. Nam nonnulla haud satis cohærentia obtrudit: res narrat, quæ sub Roberto, Francorum rege, Hugonis Capeti filio, nec non sub Alexandro PP. III contigerint; imo vero eum non scripsisse ante annum* 1399, *observabimus infra: de quibus vide ea, quæ mox dicentur. His prænotatis, historiam istam nunc accipe:*

cujus rei historiam

C

25 Legimus quod Karolus magnus, Christianissimus rex Francorum, et imperator ac patricius Romanorum pretiosum ac venerabile corpus gloriosi martyris Hippolyti de Roma in illas Allemanniæ partes, quas specialiter dilligebat, et quæ ipsum ex parte suæ conjugis jure hæreditario contingebant, transtulit, et in ecclesia villæ cujusdam non longe distantis a Lebrahæ vallis delectabili prioratu, quem scilicet prioratum idem princeps, convocatis de ecclesia beati Dionysii Areopagitæ monachis, ibi construxerat, ac eidem inter cætera dictam villam contulerat, quæque usque hodie ob reverentiam martyris, sancti Hippolyti nomine nuncupatur, honorabiliter collocavit.

domus

26 Post cujus imperatoris obitum, nepos ejus... Fulraldus abbas monasterii beati Areopagitæ Dionysii, prædicti Martyris sacratissimum corpus ad cœnobium memoratum cum reverentia summa legitur transtulisse, et ei decentissimum locum in medio navis ecclesiæ præparasse. Et quia Conventus ejusdem cœnobii annuatim in Idibus Augusti solemnitatem sæpe dicti martyris Hippolyti, ad ejusdem oratorium, consueverat celebrare; etiam illustrissimus rex Francorum Robertus, ut ex sua præsentia ipsa Sancti solemnitas celebrior haberetur, eidem festivitati omni occasione postposita sollicitus erat præsentialiter inter esse. Quid siquidem inter ipsa Missæ solemnia stans in choro cum cantore et ceteris chorum tenentibus cappa serica pretiosa indutus tenensque regale sceptrum in manibus, totum chorum imo totam ecclesiam illustrabat, psallensque cum psallentibus, ceteros ad cantandum hilariter provocabat. Quod profecto tantus princeps omnino non faceret, nisi corpus ejusdem gloriosi Martyris præsentialiter ibi quiescere certus esset. Quia vero fortassis dicere posset aliquis, quod rex ipse Robertus, licet fidelis esset et Catholicus, homo erat et falli poterat; veniamus jam ad divina miracula, tamquam ad certiora hujus veritatis indicia.

e martyrologio Erfurtensi,

E

27 Cum Alexander Papa tertius, Urbem egrediens, venisset in Franciam et ad venerabile monasterium macharii * Areopagitæ Dionysii accessisset, ab abbate et conventu solemniter, ut decebat, susceptus, in ecclesiam introducitur, eique locus ad orandum ante pretiosi Martyris oratorium præparatur. Cum autem oratione completa, et data benedictione populo, a circumstantibus inquisisset, cujus Sancti corpus in præsenti oratorio quiescebat, eique responsum fuisset, corpus sancti Hippolyti; respondit: Non credo, non credo. Existimabam enim ipsum adhuc in Urbe contineri. Tunc gloriosissimus martyr Hippolytus, volens coram astantibus ipsius Papæ dubitationem amovere, et sui corporis præsentiam evidenter omnibus declarare, tantum fragorem, tantumque tumultum intra capsam illico concitavit, ut rugitus tonitrui putaretur. Stupefacti sunt omnes et perterriti, atque ipse dominus Papa præ nimio timore compulsus est exclamare: Credo Domine, credo Domine, jam quiesce. Qua voce prolata, tota statim illa tumultuatio conquievit. Ipse vero dominus Papa, tamquam volens satisfacere sancto Martyri, quod in ipsum dubitando deliquerat, altare marmoreum, qui in ejus Martyris oratorio situm est, in persona propria consecravit, antequam a monasterio recederet.

uti et miracula,

* macarii, i. e. beati

F

28 Scio hoc parum videtur incredulis ad probationem veritatis. Aliud miraculum relatione veridica recitemus. Peccatis hominum exigentibus, occulto divinitatis judicio justo tum gravis et horrenda mortalitas Galliarum fines occupaverat. Ardebat

quæ hanc subsecuta fuisse

AUCTORE J. P.

debat enim quam plurimum passim et publice, ac pestis, quæ in tam multis desævire videbatur, ab universis non immerito timebatur. Nihil enim medicamentum, nihil proficiebat solertia medicorum. Unde ab humano destituti solatio, ad divinitatis convertuntur auxilium, confugiuntque ad ecclesias, suffragia petituri Sanctorum. Eodem vero tempore convenit maxima multitudo languentium ad venerabile cœnobium beati Dionysii : qui sancti martyris Hyppolyti oratorium circumdantes, per ipsius orationum atque meritorum suffragia Dei misericordiam cum lacrymis et gemitu flagitabant.

narrantur.

29 Tunc decretum est sano consilio a conventu, ut in tantæ necessitatis articulo pro Dei misericordia impetranda nudis pedibus processionem facerent, et secum venerabile corpus beati Hippolyti martyris deportarent. Quod et factum est quarto Idus Maii, eo videlicet die, quo festum sanctorum Martyrum Nerei, Achillei et Pancratii celebratur. Nec mora, precibus et meritis sanctissimi Martyris, et devota humilitate populi mota est ad compassionem divina B pietas, atque finem accepit supradicta mortalitas. Languidi quoque qui paulo ante circa sancti Hippolyti oratorium cum periculo mortis advenerant, cum sanitate et gaudio ad propria remearunt. Propter quod [ut] tantum miraculum nunquam imposterum a memoria laberetur, venerabilis Conventus unanimi consilio statuit, ut festum beati Hippolyti cum prædictis tribus sanctis martyribus per annos singulos celebretur. *Hæc ibi. Quænam vero circa historiæ istius narrationem observari velimus, planum fiet ex sequentibus.*

Varia circa translationis locum,

30 *P. Godefridus Henschenius tom.* III *Februarii, ad diem* XVII *ejusdem mensis, gesta S. Fulradi, abbatis S. Dionysii in Francia, ac palatii regii archicappellani, commentario historico illustravit : cujus paragraphus tertius est de monasteriis Lebraha, S. Hippolyti, aliisque a S. Fulrado constructis, nec non de corporibus SS. Viti, Alexandri, Hippolyti et Cucuphatis ab eo translatis; qui usui nobis erit. Monasteriorum Lebrahæ ac S. Hippolyti situm ibidem invenies : de quibus hæc visum est describere e Cointio tom.* 5 *Annalium ecclesiasticorum Francorum, ad an-* C *num* 749 *num.* LXVII : E cœnobiis a Fulrado conditis nobilissima fuerunt in diœcesi Strasburgensi Leberacum (Leberaw) et Fulradovilare; quibus imposita post nomina sanctorum Alexandri et Hippolyti. Leberacum seu monasterium S. Alexandri Leberæ amni adjacet in Valle-leporis, atque ut ab amne Lebera Leberacum, sic a S. Alexandri reliquiis monasterium S. Alexandri nuncupatur. Lebera fluvius oritur ex Vogeso monte, Vallem-leporis interfluit, alluit Markircham et Leberacum, deinde in sinistram Illæ ripam infra Selestadium sese exonerat. Fulradovilare, quod a Fulradis nomen acceperat, S. Hippolyti monasterium dici cœpit, postquam illuc reliquiæ S. Hippolyti delatæ sunt. Situm est inter Selestadium, a quo non procul distat et oppidum Rapolsweierum; nomenclaturaque valde corrupta vulgo nominatur Saint Bilt. *In Testamento S. Fulradi, quod exstat apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sec.* 3, *part.* 2, *pag.* 341 *occurrit* cella, quæ dicitur Audaldo Villare : ubi S. Ipolytus requiescit ; *ante annum utique* 784, *quo idem Fulradus e vita excessit ; prout signatum invenies apud nos in laudato Commentario, ac apud Mabillonium pag.* 339. *At pluscula de tempore paullo post.*

D *transferentis personam,*

31 *Præter illa, quæ notavimus de loco ; observanda quædam sunt* 2°. *circa personam, a qua S. Hippolytus eo delatus sit. Laudatus supra Henschenius,* Corpora, *inquit*, SS. Alexandri et Hippolyti martyrum, quicumque illi fuerint, non sunt a Leone III Papa donata Carolo magno : neque ab hoc in Valle-leporis depositum corpus S. Hippolyti ; neque ab ejus obitu a Fulrado abbate S. Dionysii ad suum monasterium delatum : neque hic fuit Caroli magni nepos. Verum sancta horum martyrum corpora fuerunt Roma a S. Fulrado in Gallias delata, vivente adhuc Pippino rege, ut supra ex Actis translationis S. Viti ostensum... Si autem post obitum Caroli imperatoris ad monasterium S. Dionysii hoc S. Hippolyti corpus est translatum ; non id sanctus Fulradus annis fere XXX ante Carolum magnum vita functus ; sed forsan fecit Hilduinus, quem Lebraha corpus S. Cucuphatis ad suum monasterium detulisse diximus ; et simul a S. Fulrado utrumque corpus apud S. Dionysium depositum fuisse scribit Dubletius pag 309, sed post obitum Caroli magni, et alibi DCCCXLVIII assignatur : cujus erroris causa mox patebit. E

rei gestæ tempus,

32 *De translatione S. Cucufatis martyris actum est in Commentario Actis ejus prævio ad diem* XXV *Julii tomo* VI *ejusdem mensis, pag.* 154; *de erroris autem causa, quam modo indicabat Henschenius, consuli potest Commentarii ejus historici supra designati* § 4, *ubi ostendit, gesta Fulradi abbatis S. Quintini huic S. Fulrado afficta. Nam (utor Mabillonii, quem antea citavi, verbis pag.* 334) floruere in Gallia Fulradi duo, unus post alium, uterque abbas. Primus monasterii S. Dionysii prope Lutetiam Parisiorum : alter cœnobii S. Quintini apud Augustam Veremandorum. Prior Pippini, ejusque filii Caroli magni ; posterior Ludovici augusti cognomento Pii principatu. *Observa* 3°. *hæc circa tempus, quo S. Fulradus Roma detulit sacras hasce exuvias. Michaël Felibienus (de quo infra num.* 37) *lib.* 2 *pag.* 53 *ingressum itineris ejus Romani affigit anno circiter* 763 ; *regressus vero ex Italia contigerat, secundum ea, quæ ibi notat, anno* 764. *Jacobus Longueval S. I. in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 4 *lib.* 12 *pag.* 445 *de corporibus SS. Alexandri et Hippolyti* F *a Fulrado Roma allatis agit ad annum* 766 ; *Cointius vero tomo supra designato ad annum* 764, *num.* XIV. *Henschenius corpora ista in Gallias translata fuisse ante annum* 748, *jam pridem observavit in Commentario citato pag.* 37.

observationes,

33 *Quæ cum ita sunt ; consequens est, ut translatio, de qua disserimus, apud Saussayum Carolo magno adscripta, uti et in documento Erfurtensi, cum superioribus observationibus componi non possint. Ad hæc, prioratum Lebrahæ vallis, non construxit idem Carolus magnus, sed S. Fulradus, sicut conficitur ex dictis, suffragante etiam Mabillonio, qui consuli potest pag.* 338. *Assertio ista temporis posita a Saussayo, de qua superius,* sacratissimum corpus, Roma advectum,... magno in templo S. Dionysii in Francia, ante annos nccL collocatum quiescit, *vaga est. A determinando translationis tempore abstinuit Mabillonius, pag.* 339 *dicens :* S. Hippolyti corpus in monasterium Dionysianum translatum est ante multos annos. *Quamquam vero dicere promptum nobis non sit, quo id anno acciderit; ante annum tamen Christi* 778 *hoc factum non fuisse, illud argumento est, quod isti anno affigatur testamentum S. Fulradi apud Mabillonium pag.*

AUCTORE J. P.

A *pag. 342, in quo corpus illud in cella S. Hippolyti etiamnum quievisse, ac proinde nondum tunc translatum fuisse ad cœnobitas Sandionysianos, hisce ex verbis eruimus :* Cella, quæ dicitur Audaldo-villare, ubi sanctus Ipolytus requiescit. *Nunc nonnulla consideremus, quæ superius ex Saussayo, et ex Martyrologio Erfurtensi memoravimus, et quæ translationem illam, quandocumque demum ea contigerit, consecuta sint.*

nec non circa ea,

34 *Singularis, de qua ibidem dictum est, Roberti Francorum regis erga sanctum Hippolytum religio aliunde confirmatur. Nam inter Historiæ Francorum scriptores a Chesnio editos, tom.* 4 *pag.* 146, ex libro Ms. de reliquiis ecclesiæ S. Dionysii episcopi et martyris, *hæc referuntur :* Consuevit venerabilis Conventus ecclesiæ beati Areopagitæ Dionysii annuatim in Idibus Augusti solemnitatem pretiosi martyris Hippolyti, sociorumque ejus, facere ad ejusdem oratorium in medio navis ecclesiæ. Ad hoc festum universi convenire solent monachi tam baillivi, quam etiam longe commorantes præpositi. Illustrissimus vero rex Francorum Robertus suo tempore Christianissimus huic solemnitati singulis annis, omni occupatione seposita, interesse consueverat, ut ex B tanti viri præsentia ipsa Sancti solemnitas solemnior haberetur. Qui inter celebrandum divina Missarum mysteria stans in choro cum cantore, ceterisque chorum tenentibus, indutus cappa serica pretiosa, quam ipse sibi ad hoc ipsum comparaverat, tenens sceptrum regale aureum in manibus, totum chorum, imo totam ecclesiam illustrabat, psallens cum psallentibus, et gaudens cum gaudentibus, cantando cum aliis solemniter, et alios ad cantandum hilariter exhortando. Erat enim idem rex optime litteratus, subtiliter intelligens, Deum ac Sanctos ejus ardenter diligens. Qui suavi modulamine vocis suæ cum clamore cordis, ad aures æterni Judicis continuo personabat. Et ita permanebat, usque dum sacratissima divini mysterii solemnia finirentur.

qua postea contigisse

35 *Robertus hic, Francorum rex, fuit Hugonis Capeti filius; ejusque obitum ab anno Christi* 1033 *retrahendum esse ad* 1031, *invenies apud Pagium in Critica Baroniana ad annum* 1033 *num.* VIII, *et ad annum* 1034, *num.* VIII : *gesta vero ipsius apud prædictum Chesnium pag.* 85, C *ac deinceps. Quæ de miro circa obsidionem Melodunensem eventu narrabat supra Saussayus, miramur ne attingi quidem eum in citato mox libro Ms. de reliquiis ecclesiæ Sandionysianæ, tum in relatione, quam e Martyrologio Erfurtensi præmisimus; tum denique in fragmento Chronici Floriacensis apud supra allegatum Chesnium pag.* 143; *ubi ad annum* 999 *hæc sunt :* In ipso anno tradidit Walterius miles et uxor ejus castellum Milidunum Odoni Comiti. Congregavit vero Robertus rex exercitum copiosum valde, et Burcardus comes, convocatosque Normannos cum duce suo Richardo obsedit castrum Milidunum. Capto igitur castro *etc.*

in Martyrologio Erfurtensi

36 *Jam vero prodigiosa illa historia, quæ superius fertur Alexandro PP. III in Gallias profecto contigisse ad corpus Martyris, moram nobis etiam injicit. Pontifex ille Gallias ac Parisios petiit sub Ludovico VII, ejusdem monarchiæ rege; de qua re Baronius ad annum* 1163, *Pagius ad annum* 1162 *et* 1163, *Breviarium historico-chronologicum Pontificum Romanorum a Francisco Pagio vulgatum, tom.* 3 *pag.* 64, 68 *et* 74. *Sed pro fide historiæ prædictæ desideramus testimonia antiqua; quæ cum ob mirabilem eventum non potuerit non esse pervulgata Lutetiæ Parisiorum vel apud ascetas saltem Sandionysianos, proferatur auctoritas alicujus, quo corroboretur. Certe in Guilielmi de Nangis ibidem loci monachi Chronico, quod editum est in Spicilegio Acheriano tom.* II *a pag.* 405 *et in quo ad annum* 1163 *agitur de Alexandro PP. III in Gallia existente, locus erat opportunus prodigiosum adeo rem vel verbulo attingendi, et tamen altissimum ibidem de illa est silentium; de qua aliunde nihil hactenus didicimus.*

referuntur.

37 *Quæ præmissa sunt superius de medela luis contagiosæ,* S. Hippolyti *patrocinio attributa, nec non de honoribus sacris, qui ipsius causa in ecclesia S. Dionysii ad diem* XII *Maii quotannis celebrantur, agit Michaël Filibien, Ordinis S. Benedicti cœnobita, in Historia abbatiæ S. Dionysii in Francia, anno* 1706 *Parisiis impressa, lib.* 6, *pag.* 316; *eumque mortalitatem innectit anno* 1399, *ac citat monachum Dionysianum in Chronico Caroli VI; de quo Chronico laudatus historicus lib.* 5 *pag.* 284 *egerat. Unde arguimus, auctorem, qui scripsit documentum Erfurtense, supra productum, non appulisse animum ad scri-* E *bendum ante dictum annum* 1399. *Cognomentum* Areopagitæ, *quod S. Dionysio ibidem addit, non discutimus, agitatissima hac inter eruditos controversia alio spectante : de qua interim consuli potest Franciscus Pagius in Dissertatione historico-critica de S. Dionysio Parisiensi episcopo, quæ habetur ante tomum* 4 *Breviarii modo citati. De prima sæpe dicti Martyris translatione ad urbem Suessionensem, ac mortalitate tunc ibidem sublata etc., viderit Saussayus, qui supra hæc asserebat. Aliud superest examinandum, cujus videlicet* S. Hippolyti *corpus haberi debeat, de quo hactenus hic tractavimus.*

§ IV. Quisnam sanctus Hippolytus in Gallias sit translatus; sacra lipsana sub istius Martyris ac S. Concordiæ nomine honorata; Acta.

F

Quod noster hodiernus Hippolytus

M*artyrologii Erfurtensis instrumentum, quod modo dedimus, nec non Saussayum per suum* S. Hippolytum *intelligere nostrum Sanctum synonymum hodiernum, liquet ex eorum dictis. In S. Fulradi testamento supra num.* 38 *signato tantum est* S. Ipolytus *absque ulla alia characteristica nota; a qua etiam abstinent alia, quæ hic sequuntur, antiqua monumenta. In Caroli magni diplomate apud Dubletium in Historia abbatiæ S. Dionysii in Francia pag.* 707 *dicuntur ista :* Ubi beatissimus et martyr Hippolytus corpore requiescit humatus. *Et paucolis interjectis ibidem recurrit nudum nomen* S. Hypoliti. *Acta translationis S. Viti martyris, quorum partem habes tom.* III *Februarii* § 3 *antea designatis, sic dicunt :* Prelatus vero abbas *(de Fulrado sermo est)* transtulit corpora beatorum martyrum Alexandri et Hippolyti. *Hæc ibi. Unde igitur emersit postea characterismus iste hic controversus? Enimvero Henschenius loco citato ita jam pridem et recte sequens formavit argumentum :* Quod autem Saussaius, et ante eum Dubletius scribant, esse corpus S. Alexandri Papæ et martyris, non usquequaque probatur, tum quod antiqui non appellant

Auctore J. P.

pellant Papam, pontificem, episcopum aut sacerdotem; *tum ex partibus corporis S. Alexandri Papæ et martyris, quæ alibi asservari affirmentur, sicut ibidem legere est; uti et ad diem* III *Maii, pag.* 370. Eadem, *inquit,* ratio est S Hippolyti martyris a S. Laurentio baptizati, et in agro Verano sepulti; *cujus etiam exuviæ variis locis adscribuntur; sicut mox dicam. Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum tom.* 5, *ad annum Christi* 764, *num.* XIV *postquam indicasset plures Martyres synonymos haberi in Martyrologio Romano, ita recte subjungit* : Non ignoramus, auctores esse, qui corpora sanctorum Martyrum Alexandri PP., et Hippolyti a S. Laurentio baptizati, scribant in Galliam a Fulrado delata; sed desunt probationes, quæ fidem adstruere possint.

In Galliam sit translatus, non probatur.

39 *Interim miracula illa duo, quæ ad comprobandam hodierni Martyris cum Sandionysiano identitatem, narrationi Erfurtensis martyrologii interseruntur, nullius sunt roboris, quamdiu fidei ullius pretium habere non probantur, secundum præmissa. Quatenus vero facta dicuntur pro ista identitate, plane sunt apocrypha. Et vero* B *quis adeo est in Opere nostro peregrinus, qui ignoret, solenne esse possessoribus sacrorum corporum, sub celebriorum præ reliquis Sanctorum nominibus thesauros suos asservare et exhibere? Mira certe uti in aliis materiis, ita in hac ideæ adjectitiæ vis est. Cujuscumque vero* S. Hippolyti *martyris corpus S. Fulradus ad cœnobitas Sandionysianos transtulerit, potuit illud grassantem mortalitatis luem extinguere, potuit alias miseris hominibus gratias conferre, tamquam corpus alicujus sancti martyris Hippolyti, etiamsi non hodierni; quale revera esse, probatum hactenus non videmus. Verum pro his ac sequentibus mitto lectorem ad Acta nostra, in quibus toties ventilata est controversia de corporibus homonymorum Sanctorum, quæ alii contra alios dicunt esse sua. En tibi nunc, quæ sub nomine nostri* S. Hippolyti *honorantur variis locis, sacra lipsana.*

Proferuntur varia lipsana sacra, quæ sub nomine S. Hippolyti, ac S. Concordiæ

40 *In prætermissis ad diem* IX *Maii signavimus festivitatem* S. Hippolyti *ex Ms. Vaticano S. Petri, et observavimus, addi in Ms. Reginæ Sueciæ Usuardo, et alio Parisiensi S. Victoris, quando* sacratissimum corpus ejus translatum est in monasterium S. Salvatoris. *Apud Surium post Acta S. Laurentii, quibus nostri Martyris gesta* C *attexuntur, hæc adscripta legimus* : Corpus S. Hippolyti martyris post varias translationes requiescit Coloniæ Agrippinæ in templo S. Ursulæ. *Gelenius in Magnitudine Coloniæ Agrippinæ lib.* 4, *qui est de sacris et piis fastis, hoc die sic scribit* : Coloniæ in ecclesia sanctarum Virginum, S. Hippolyti martyris quondam commentariensis Decii cæsaris, quem archilevita Laurentius Christi baptismo abluit. *Lib.* 3 *syntagmate* 10, § 2 *hæc præmiserat* : Tertia *(hierotheca)* S. Hippolyti martyris ossa comprehendit Gerretzheimio allata. *Franciottus in Historia miraculosarum imaginum etc. pag.* 521 *reliquiis sacris ecclesiæ cathedralis Lucensis S. Martini accenset* caput S. Hippolyti *martyris; ex iis, quæ pag.* 497 *præmiserat, hodierni Militis : nam postquam ibi de eodem egerat, ac de synonymo episcopo, subdit, sacra horum sanctorum duorum martyrum capita diversis temporibus ad urbem Lucensem delata fuisse : quorum unum inveniatur in ecclesia prædicta, et ubi videatur etiamnum, prout asserit,* quædam concreti sanguinis particula : *alterum vero ad ecclesiam S. Pontiani. Sed assertio adeo vaga et indetermi-* D *nata eaque non antiquioris, quam ille sit, auctoris, fidem certam neutiquam facere potest. Panciroliusin Catalogo reliquiarum, quem Thesauris absconditis Romanæ urbis subjungit,* Hippolytum martyrem *notat* cum sua nutrice Concordia, ac decem et octo e sua familia. Corpora in SS. Quatuor *Coronatis.* De capite ejus ad S. Crucem in Hierusalem, ad S. Laurentium in Panisperna, et extra muros. Reliquiæ in aliis ecclesiis. *Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ ac gentilis, ad diem* XIII *Augusti, S. Martæ in Cosmedin vulgo dictæ adscribit* partem brachii; *S. Mariæ de Victoria* caput S. Concordiæ; *S. Laurentio in Lucina* partem brachii.

41 *Corpora* SS. Hippolyti *ac* Concordiæ *in S. Juliæ apud Brixienses monialium cœnobio requiescere, una cum aliis Sanctorum corporibus anno* 1600 *eo loci translata, dicit inscriptio ab Ughello edita tom.* 4 *Italiæ sacræ, col.* 734; *e qua hæc delibamus* : D. O. M. Huc ex veteri ecclesia SS. virginum et martyrum Juliæ, Pistis, Helpis et Agapes, ac Sophiæ earum matris... et Hippolyti ac Concordiæ ejus nutricis, martyrum.. corpora.. Clemente VIII in cura pastorali, et sereniss. Venet. dominio Marino Grimano duce residentibus.. trans- E lata fuere anno jubilæi MDC, die XVI Kalend. Januarii. *Quæ cum ita sint; quæritur nunc.* 1o. *Quorumnam e dictis sacri corporis competitoribus potior sit possessio.* 2o. *An ullorum sit historice satis certa.* 3o. *Quid de reliquiis? Ad tria ista quæsita respondemus. Cum præter ea, quæ modo diximus, nihil dicendum amplius nobis suppeditent antiqua monumenta, quibus præsens argumentum confirmemus vel infirmemus; sacrorum istorum depositorum possessores in bona fide relinquimus.*

asservantur.

Acta in variis exemplaribus exstant;

42 *Dispiciamus jam, quænam occurrant circa Martyris nostri Acta. Exstant ea apud Surium Laurentianis adjecta ad diem* X *hujus mensis. Martyrium illius etiam habemus e Ms. Fuldensi, quod notatur collatum cum. Ms. S. Martini Treviris, ac Marchianensi. Apographum item apud nos est e Ms. Ultrajectino S. Salvatoris; uti et exemplar, quod accepimus a P. Antonio Beatillo S. I. Neapoli anno* 1640. *Actorum compendium habes in Martyrologio Adonis die* XIII *Augusti, quod Rosweydus edidit. Ut vero perspicuum fiat, eodemne an diverso e fonte sint* F *hausta, accipe illa specimina. Apud Surium narrantur ista* : Valerianus itaque tradidit *S. Laurentium* Hippolyto cuidam vicario in custodia asservandum *:* isque inclusit eum cum multis aliis., Hippolytus interim patienter sustinebat sermones eorum, *S. Laurentii scilicet ac Lucilli, cujus baptismus ac illuminatio oculorum ibidem narratur.* Audientes id multi cæci veneruut ad B. Laurentium flentes, isque in Hippolyti custodia imponebat oculis eorum manum suam, et illuminabantur. Cernens id Hippolytus, dixit ad B. Laurentium : Ostende mihi thesauros Ecclesiæ. Beatus Laurentius respondit : O Hippolyte, si credis in Deum Patrem omnipotentem, et in Filium ejus Dominum Jesum Christum; et thesauros tibi ostendo, et vitam æternam promitto. *Sequitur deinde post* Hippolyto *datam instructionem, baptismus ejus, ac domesticorum decem ac novem.* Ecce autem mandat Valerianus Hippolyto, ut Laurentium ad palatium adducat. Dixit autem Hippolytus ad B. Laurentium : Valerianus jubente Decio præcepit, ut te ad illum perducam. B. Laurentius ait : Eamus *:* et mihi enim et tibi gloria paratur. *Post martyrium ejusdem*

AUCTORE J. P.

A *dem Sancti, quod ibidem narratur, fidemque, baptismum ac capitalem sententiam S. Romani militis, nec non sepulturam corporis S. Laurentii, hæc ibidem leguntur:*

eamdem

43 Revertens autem Hippolytus, post diem tertium venit in domum suam, impertiensque omnibus pacem, etiam servis et ancillis suis communicavit de Sacrificio altaris B. Laurentii martyris. Positaque mensa, priusquam cibum sumeret, venerunt milites, et tenuerunt eum, perduxeruntque ad Decium cæsarem. Eo viso, subridens Decius cæsar, ait: Numquid et tu magus effectus es, qui corpus Laurentii abstulisse diceris? Respondit Hippolytus: Equidem id feci, non ut magus, sed ut Christianus. Decius cæsar furore correptus, jussit os ejus lapidibus tundi; expoliataque veste, qua ceu Christianus utebatur, ait; Sacrifica diis *etc.* Hippolytus dixit: Non me expoliasti; sed potius vestire cœpisti. *Hæc sufficiat inde excerpsisse, subservitura iis, quæ de supra nominatis exemplaribus nunc dicemus.*

indicant originem

44 *Ms. Fuldense ita incipit:* Regressus itaque Ypolitus post tertium diem venit in domum suam, et dedit pacem omnibus, etiam et servis suis et B ancillis, et communicavit de Sacrificio altaris beati Laurentii martyris; et posita mensa priusquam cibum sumeret, venerunt milites et tenuerunt eum, et perduxerunt eum ad Decium cæsarem. Quem videns Decius cæsar, subridens dicit ei: Numquid et tu magus effectus es, quia corpus S. Laurentii sustulisse diceris? *etc. Nonne hic satis multa concurrunt similia, ut Acta hæc, uti et Suriana judicentur ad eamdem originem referenda? At quid de Ultrajectinis? Idem de iis esto judicium. Sic porro incipiunt:* Hippolytus cum accepisset Laurentium a Valeriano, reclusit eum cum multis. Erat autem ibi homo gentilis nomine Lucillus, qui plorando lumen oculorum amiserat; cui dixit B. Laurentius *etc.* Hippolytus vero patienter auscultabat verba eorum *etc.* Regressus itaque Hippolytus post tertium diem venit in domum suam, et dedit pacem omnibus. *Reliqua non prosequor. Jam vero Passionis a P. Beatillo huc missæ tale est exordium:* S. Hippolytus et Justinus presbyter cum sepelissent corpus B. Laurentii, jejunaverunt... Beatus autem Justinus obtulit Sacrificium laudis, et participati C sunt omnes. Regressusque Hippolytus post tertium diem venit in domum suam, et dedit pacem omnibus, etiam servis suis *etc. In codice nostro membraneo* P. Ms. 21, *et in Passione apud Mombritium, invenio etiam notas, quæ communem cum aliis indicent originem. Habemus itaque varia ex uno profecta fonte exemplaria: quorum narrationem sufficiet cognoscere e compendio Adonis supra designato, quod mox exhibebimus; quandoquidem tam præclari Martyris Actorum exemplaria non tanti sunt pretii, quanti ea esse vellemus. Pro Decio autem ac Valeriano, sub quibus res gesta dicitur, substituendum esse Valerianum imperatorem, monuimus antea num.* 18.

45 *Apage igitur ineptissimum Græcorum Menæorum atque Anthologii episodium, quod ad diem* x *Augusti in elogio S. Laurentii M. ita habet:* Fertur, quod septimo post die quam passus erat Hippolytus, Decius et Valerianus, dum equis vecti ad theatrum discederent, exspirarint; clamaritque in hora mortis suæ Decius: O Hippolyte, quomodo captivum vinctumque sic abducis? Et Valerianus: Sic ardentibus me catenis trahis? Qua re in omnem orbem vulgata, omnes in fide Domini nostri Jesu Christi vehementer confirmati sunt. Cui gloria in secula. *Similia de Decio ac Valeriano narrantur apud Surium. Mombritius in Passione* S. Hippolyti, *nugas istiusmodi etiam habet; quas et legimus alibi. Accipe nunc*

COMPENDIUM MARTYRII

Ex Martyrologio Adonis ad diem XIII *Augusti.*

Sanctus a Laurentio baptizatus sistitur tyranno;

Hunc beatum Hippolytum vicarium *a* S. Laurentius *b*, cum apud eum esset in custodia, baptizavit. Qui de sanctis exequiis Martyris, post tertium diem ad domum suam rediens, dedit pacem omnibus servis suis et ancillis, et communicavit de Sacrificio altaris beati Laurentii martyris. Et posita mensa priusquam cibum sumeret, venerunt milites, et tenuerunt, et perduxerunt ad Decium *c*. Quem ut vidit, subridens dixit ei: Numquid et tu magus effectus es, E quia corpus Laurentii abstulisse diceris? Sanctus Hippolytus respondit: Hoc feci, non quasi magus; sed quasi Christianus. Decius furore repletus jussit, ut cum lapidibus os ejus contunderetur. Et expoliavit eum veste, qua induebatur habitu Christiano, et dixit ei: Sacrifica, et vives. Sin aliter, peries per tormenta sicut Laurentius. Sanctus Hippolytus dixit: Exemplum merear beati Laurentii martyris fieri, quem tu miser ausus fuisti ore polluto nominare.

ac post tormenta, morti adjudicatur uti et domestici ejus novemdecim;

2 Extensus igitur, fustibus et cardis diu cæsus est, donec cædentes deficerent. Inde levatus est a terra: et jussit eum Decius vestiri militari veste, qua gentilis utebatur, et dixit ei: Recole militiam, et esto noster amicus, et in conspectu nostro utere militia pristina, quam semper habuisti. Cumque beatus Martyr dixisset: Militia mea hæc est, Christianum firmum militare, unde cupio ad celerem palmam cum fructu venire; iracundia plenus Decius, dixit Valeriano: Accipe omnes facultates ejus, et interfice eum crudeli examinatione. Valerianus itaque exquisita omni facultate ejus, invenit in domo Hippolyti F omnem familiam Christianam, quam conspectui suo præsentari fecit. Et jussit beatum Hippolytum foras muros portæ Tiburtinæ cum familia sua duci. Beatus vero Hippolytus confortabat omnes, dicens: Fratres, nolite metuere, quia ego et vos unum Deum habemus. Et decollati sunt promiscui sexus numero XIX. Beatus vero Hippolytus ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per carduetum et tribulos tractus emisit spiritum *d*. Nocte venit beatus Justinus *e* presbyter, et collegit corpora, et sepelivit in campo eodem juxta Nympham, ad latus agri Verani *f* Idibus Augusti.

ac S. Concordia, ipsius nutrix.

3 *Deinde postquam eodem die, natale sanctæ Concordiæ, nutricis ejusdem beati Hippolyti, subdidisset Ado, ita certamen ejus enarrat:* Cum Valerianus ad familiam beati Hippolyti sibi præsentatam dixisset: Considerate ætates vestras, ne simul pereatis cum Hippolyto domino vestro; respondit beata Concordia: Nos desideramus potius cum domino nostro pudice mori, quam impudice vivere. Ad hoc Valerianus, Genus, inquit, servorum nisi cum suppliciis non emendatur. Et jussit, ut beata Concordia cum plumbatis cæderetur. Et cum cæderetur, emisit spiritum;

AUCTORE J. P. ritum; corpusque ejus est in cloacam projectum. Cumque diu quæreret illud sanctus Justinus, et non inveniret, ita tristis redditur, ut non cessarent flere oculi ejus. Tertiodecimo vero die post passionem sancti Hippolyti, venit quidam miles Porphyrius nomine, ad Irenæum *g* cloacarium *h*, qui occulte Christianus erat, et dicit ei: Si secretum possis custodire, divulgabo arti tuæ multum ad quæstum. Ante hos dies jussit Valerianus præfectus in conspectu suo quamdam creditariam *i* Hippolyti plumbatis deficere, et corpus ejus in cloacam jactari. Hæc in vestibus suis spero quod margaritas habet absconsas vel aurum. Audiens hæc Irenæus intimavit secreto beato Justino presbytero. Qui flectens genua gratias egit Deo. Porphyrius autem noctu veniens cum Irenæo, invenit corpus sanctum: sed in vestimentis nihil invenerunt. Beatus autem Irenæus vocavit ad se quemdam Christianum Abundium nomine, et tulerunt corpus ejus, et perduxerunt ad beatum Justinum. Qui gratias agens Deo, illud suscepit; et juxta corpora martyrum Hippolyti et aliorum sepelivit *k* octavo Kalendas Septembris.

B

ANNOTATA.

a *Hic titulus ei etiam datur apud Surium. Varia super ista voce collegit Cangius in Glossario.*

b *S. Laurentii Acta illustrata sunt die* 10 *hujus.*

c *Pro Decio ac Valeriano, sub quibus ponitur Sancti martyrium, substitue Valerianum imperatorem: secundum dicta in Commentario prævio num.* 18.

d *Synonymum martyrem in multis nostro similem, et eadem etiam morte sublatum, a nostro discrevimus in Comm.* § 2.

e *Signatur in Martyrologio Romano ad diem* 17 *Septembris.*

f *De loco sepulturæ meminit Commentarius; ubi loci istius diversitate prædictum martyrem synonymum a nostro distinguendum existimavimus.*

g *SS. Irenæus et Abundantius in dicto Romano exstant die* 26 *Augusti.*

h Cloacarius *est hic, qui purgat cloacas seu immunda loca: idque cohæret cum mox sequentibus, ubi de corpore in cloacam projecto.*

C i Creditaria, *alibi* nutrix Hippolyti; *apud Surium est* Concordia. *De vocibus autem* creditaria *ac* creditario *consuli potest Cangius in Glossario.*

k *De sepultura* S. Concordiæ, *et aliorum Martyrum Commentarius prævius num.* 20.

MIRACULA

S. HIPPOLYTI

Ex Petro Calo, Ordinis FF. Prædicatorum. Monitio prævia.

Observationes circa scriptorem *Habeo in manibus apographum hoc titulo prænotatum:* S. Hippolyti miracula, ex Petro Calo post Vitam p. 2 f. 31. *Petrus Calo seu Calotius, Ordinis Prædicatorum (non Minorum, uti scripsere Possevinus, ac Vossius) claruit sub finem seculi* XIII, *Agit de eo Bollandus in Præfatione generali ad Acta Sanctorum cap.* 1 § 4 *pag.* XX, *et Jacobus Echardus; apud quem tom* I *de* D *Scriptoribus Ordinis Prædicatorum pag.* 511 *inter scripta ejus recensentur,* Vitæ Sanctorum ex antiquis monumentis collectæ, et duobus voluminibus ingentis molis comprenhensæ. *Addit,* præter hos codices etiamnum Bononiæ apud S. Dominicum servatos, Alvam *(de quo Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana)* sol. verit. Rad. 179 col. 1422 testari, duo similia volumina Romæ in Barberina se vidisse; ut mirum sit Bollandum in Præf. gen. ad Acta SS. scribere, unicum volumen nempe secundum tantum in eadem Barb. a se visum. *Sed nos potiore jure miramur, Echardum ista scribere potuisse de Bollando, qui nec unum nec duo volumina vel in Barberiniana vel in ulla bibliotheca Romæ videre potuit, quia Romam, tametsi ad illam invitatus, numquam vidit; sicut constat ex ejus Vita, nostro tomo primo mensis Martii præfixa, cap.* 13. *Ad hæc, nullam apud eum loco a nobis mox assignato bibliothecæ Barberinianæ apicem invenimus. Hæc occasione scriptoris horum, quæ daturi sumus, miraculorum.* E

2 *Circa scriptionis materiem, ac nostrum exemplar hæc breviter prænotamus. Quo tempore miracula illa acciderint, nullo indicio prodit Calotius. Pro τὸ* ut aliqui scribunt, *vellemus potius videre, ut nomina istorum aliquorum expressisset; ut item* Mariale, *quod vocat, paulo distinctius determinasset. Ea itaque, quæ narrat, dabimus in ipsius fide, qualiacumque sint. Quia vero nostrum apographum erat mendosum, juvare illud necesse fuit, et, ubi occasio se obtulit, ad intelligibilem sensum reducere. Notatur exceptum* ex cod. 929; *sed non additur cujus bibliothecæ; quæ forte designata fuerit in aliis foliis, a quibus hoc præsens, e quo ista miracula typis committimus, exemplar sejunctum incaute fuerit, ac seorsim reconditum. Pro Barberiniana videtur utcumque facere cum illud quod modo de ipsa dictum est; tum quia ante me habeo exemplar de alia Sancta, quod notatur* ex Ms. membran. Legendario Card. Barberini, *et ejusdem amanuensis charactere transcriptum est, qui præsens miraculorum documentum descripsit. Quidquid sit, sive e bibliotheca Barberiniana, sive aliunde exceptum ad nos pervenerit, non tanti hoc est momenti, ut moram injicere* F *lectori debeat. Denique quia non relucet ex dictione auctoris, an de nostro hodierno* S. Hippolyto, *an de alio homonymo sit oratio, ideo rem hic producimus sub nomine* S. Hippolyti *martyris, qualis notatur in ejusdem rei narratione, quæ ubinam gesta sit, indicabitur in Annotatis. Atque hæc quidem sunt, de quibus lectorem censuimus præmonendum. Reliquum est, ut ipsa nunc subdantur miracula.* materiem scriptionis et apographum nostrum.

3 Juvenis quidam, nomine Petrus, vitrico suo officium bubulci exercens in die B. Mariæ Magdalenæ, quam audierat sacerdotali indictione ab opere forensi inhibitam, vitrico, agri cultum imperanti, reverentiam sanctæ solemnitatis objecit; sed vitrici jurgantis vicit imperium. Itaque boves, aratro jungens, cum ipsius operis atque animalium execratione [illud] exequitur. Cumque cœpta prosequitur, boves stimulo se moventem et sibilo non audiunt. Quos ille iratus nunc pungit, nunc verberat, nunc trahit per cornua, nunc antecedit, nunc sequitur; nunc impellit eos scapulis, nunc manibus. Mira res! moriuntur boves sub jugo, vel, ut aliqui scribunt, boves jugibus maledictis illapidans *, inutile sibi exauditur ad votum. Nam boves et utensilia. Juvenis ob violationem festæ diei * s. illaqueans

utensilia, motis subitaneo tonitruo elementis, fulmine absumuntur, et ipse, qui hoc fieri exegerat imprecando, atrociori supplicio et diuturniori addicitur. Eadem enim cælestis flamma, quæ bruta ligneaque voraverat, hujusmodi exemplo subripuit: quæ in brevi cum rediisset, exesum [reddidit:] tibiam quoque [cœpit] pervadere; cruris pariter suprema corripuit: carnes quoque vorans, duritia nervorum tabidis fluoribus flaccescente, ossa retexerat, eademque casu quotidiano usque ad geniculum hac illacque disperserat.

divinitus punitur; 4 Cum igitur pro misera sua habitudine putori et pudori suis esset parentibus, ad quamdam ecclesiam, B. Mariæ Magdalenæ nomini dicatam, offerri se fecit, ut cui temerata festivitas occasio perversionis extiterat, remedii causa rursus existat. Itaque sacer ignis qui partes jam corporis superiores attigerat, merito illius extinctus est, quæ ad pedes Christi concupiscentiarum ignem lacrymis extinguere meruit. Interea unius experientia pietatis jam majora præsumens, cum extremis partibus adhuc esset inutilis operi, quamdam Dei Genitricis ecclesiam *a* [esse novit] tribus milliaribus distantem ab Arelate *b*, in reflui oceani finibus, celebribus usque diu miraculis insignitam; quæ habebat et Hippolyti martyris memoriam. Ad hanc cum se develi impetrasset in navi per Rhodanum *c*, affuit Mater Dei, et penitus ardorem extinxit, et solutis renibus, quos ille ignis voraverat, os tibiæ a sua solutum vertibula corruit in navi; quod ille lacrymans præ salutis gaudio, quinto die illuc perveniens, liberatrici suæ obtulit, gratias agens. Et cœpit ibi crebris obsecrationibus interpellare mundi Reginam, ut, quod aliis valentioribus impendebat, sibi prorsus impoti non negaret.

sed a Deipara, et a S. Hippolyto sibi apparentibus, 5 Miles autem quidam sæpe intuens eum basilicam reptando subire eleemosynæ causa, in domum propriam declinare suasit: ubi cum aliquamdiu resedisset, pedissequæ, nescio quid acturæ, noctu a camera in domum exteriorem devenient, et Petrum crebris planctibus ingemiscentem subaudiunt. Quorum gemituum hæc causa fuerat. Virgo beata Maria cum B. Hippolyto in visione stratui ejus astiterat, quæ, ut jacenti videbatur, imperaverat S. Hippolyto, Restitue, inquiens, eum antiquo vigori, apponens pedem, quem tenes, cruri ejus. Paret ille. Jamque nova caro cum veteri una efficitur, et firma compage ossibus utriusque cohærentibus, venæ venas agnoscunt, et nervi nervos suscipiunt, et in junctura novæ carnis et veteris, instar fili modici rubei, coxam cingit. Coxa illa gratiosior toto corpore. Pes novus prominentior altero tribus digitis in mensura.

miro modo 6 Martyr vero imperanti obsecundans humiliter, crus, tibiam, pedemque quaquaversum olim sparsa, divinitus, adinstar futuræ resurrectionis in puncto compacta recolligentis corpora, ei quasi surculum arbori cœpit subjungere. In qua insertione tantis urgebatur tormentis, et ardoribus, ut non sine clamoribus subsistendo, crebrisque rictibus et membrorum motibus, quid pateretur, indicaret. Irruunt igitur ancillæ, et illato adjacentis cubile foco, dum hac illacque dispiciunt, duos habere pedes, et duo crura Petrum reperiunt. Ex quo intuitu tantus eas illico stupor invasit, ut non se eas esse, quæ venerant, sed mutatas in alteras æstimarent. Contrectabant eum, et vera membra, quæ tetigerant, sentiebant.

sanatur. 7 Tandem difficillime excitatus, cum aperuisset oculos, Virginem cum Martyre adhuc æstimabat astantes. Quibus visibiliter absentatis, rogatus a fratribus quis sibi restituisset amissa; retulit, et multos in admirationem adduxit. Tota enim patria ad spectandum miraculum hoc concurrit: et oblata sibi excedebant pondus, numerum et mensuram: de quibus Petrus plena vasa dispergebat pauperibus. Sed tamen nova costa, mollior quam vetusta, ad sustentandum corpus non poterat exæquari. Unde ad publicationem miraculi claudicavit per annum. Et tunc iterum beata Virgo ei apparens dixit B. Hippolyto, ut quidquid curationi ejus deesset, suppleret, præter teneritudinem et speciem cutis. Evigilans igitur, et se penitus sanatum videns, reclusorium intravit, sibi, Deo, et Matri ejus victurus.

Seculum relinquens, a diabolicis spurcitiis liberatur. 8 Cui diabolus in specie nudæ mulieris frequentissime apparebat, et nudam se ei ingerens, quando ille fortius resistebat, tanto illa impudentius incumbebat. Cum igitur ab illa plurimum vexaretur, tandem ille stolam sacerdotalem arripiens, cinxit ad collum ejus, et eam suffocavit. Mox diabolus discedens, cadaver putridum ibi dimisit, tantusque fœtor ibi [remansit] ut nullus hoc videns ambigeret, quin corpus alicujus mulieris mortuæ fuisset, quod diabolus assumpsisset; quod episcopus et cives alii cremaverunt. Est autem nomen Peneda *d* oppido Alimiæ *e*, unde dictus bubulcus traxit originem: et, ut dicitur in Mariali, saniori usus consilio, Cluniacum adiit, et ibi factus est monachus.

ANNOTATA.

a *Circa hanc ædem sacram nonnulla dabimus lit. e.*

b Arelatum, Arelate, Arelas (*vulgo Arles*) *urbs est Galliæ in Provincia ad Rhodani fluvii alveum: de qua varia collegit Adrianus Valesius in Notitia Galliarum a pag.* 38.

c Rhodanus, *celeberrimus Galliæ fluvius, pluribus illustratur apud Valesium, quem modo designabamus, pag.* 473 *et seqq. Inter ostia, quibus in mare Mediterraneum se exonerat, et quæ Gradus (Gras) vocant, unum extat, cui Gradui Paulitensi (Gras de Paulet) nomen inditum est: ad cujus alveum prodit se in mappa geographica Blaviana Provinciæ, locus* Nostre Dame dormet, *aliquot leucarum intervallo ab urbe Arelatensi distans. Concurrunt hic adjuncta, quæ suspicionem moveant, locum istum esse, in quo ecclesia Deiparæ sacra, a Calotio paullo ante memorata. Si fallit suspicio; certius aliquid doceant eruditi, quibus isti tractui terræ vicinioribus major loci sit notitia.*

d *In mappa superius indicata notatur duplex locus in territorio Massiliensi; quorum alter* la Pene; les Penes *alter vocatur. An* Peneda *ad alterutrum sit referenda, non habeo, unde certo determinem.*

e *Cum exemplar præsentis narrationis mendosum fuerit; forte hic, uti et alibi factum a nobis est, juvari debet, et pro* Alimiæ *substitui* Massiliæ. *Enimvero locus iste non inconcinne cohæret cum aliis locis modo indicatis.*

6 DE

A

DE SANCTO CASSIANO MARTYRE

APUD FORUM SYLLÆ IN ITALIA

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus ejus apud Foro-Syllanos et alibi.

XIII Aug. Imolæ ad Sancti tumulum

Clarissimus vir Antonius Maria Manzonius J. U. D. et cathedralis ecclesiæ Imolensis Canonicus in Historiæ episcoporum Imolensium anno 1719 *editæ Præludio sic Forum Syllæ describit :* Urbs Corneliensis, quæ Forum Cornelii, sive Syllæ, appellata est, jam dudum ante Christi Domini in carne adventum condita, hoc nomen fere communi eruditorum sententia a Lucio B Cornelio Sylla, seu Sulla, dictatore obtinuit, per quem inibi forum non modo ad nundinas verum etiam ad jus dicendum institutum fuerat. Eadem mutato ac mutuato postmodum nomine ab arce, quam Longobardi, teste Paulo Diacono de Gestis Longobardorum libro secundo, capite decimo octavo, Imolas vocitabant, nunc Imola dicitur; et in Æmilia, nobili Italiæ regione, Bononiam inter et Faventiam sub Apostolicæ Sedis ditione sita est; *ubi ante tredecim, et quod excurrit, secula sancti* Cassiani *martyris nostri tumulum ecclesia celebri arisque decoravit.*

a seculo quarto

2 *Testabitur hoc infra luculentus auctor Aurelius Prudentius Clemens, qui anno circiter Christi* 407 *Romam adiens; ibi tantisper substitit, et in eadem ecclesia ante aram Sancti provolutus, ejus tumulum felicibus, ut sensit postmodum, inspersit lacrymis. Novum autem istud ædificium tunc fuisse, cum ipse non prodat, censeri non debet. Neque vero dubium esse potest, quin istic ante floruerit publica Martyris veneratio, quam sepulcro ejus altare ædesque sacra ceperint imponi. Sed utriusque fabricæ obscura primordia; et qui ea ad annum Christi* 363 C *defixit Manzonius in Tumulo SS. Projecti et Maurelii illustrato pag.* 116, *id aliam, ni fallor, non fecit ob causam, quam quod Sancti martyrium anno tantum uno putavit antiquius, quæ res infra discutietur. Ut ut est, permagnam jam ab initio seculi* V *loco religionem conciliaverant creberrima, quæ ad se confugientibus ibi benignissimus Martyr conferre tum assueverat beneficia. Hoc innuunt hæc æditui ad Prudentium verba :*

Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes;
Ratasque reddit, quas videt probabiles.

Hoc ipse Prudentius, post iter illud suum Romanum et rerum ibi expediendarum successum Sancto commendatum, expertus, canit :

Audior : Urbem adeo; dextris successibus utor :
Domum revertor : Cassianum prædico.

florebat ejus publica veneratio;

3 *Imo quam isti sacrario majestatem identidem afferebat profusa Martyris erga clientes benignitas, eamdem divina tutabatur augebatque severitas in adversantes. Audi S. Gregorium Turonensem, qui de eadem absque dubio ecclesia lib.* I *Miraculorum, seu de Gloria Martyrum, cap.* 43 *sub seculi* VI *finem ita scripsit :* Cassianus, martyr Italiæ, puerorum magnificus doctor, adveniente persecutione, ipsi puerili ac tenero gregi persecutorum judicio traditur. At illi, Magistri sanguinem sitientes, ceratas in caput inlidunt tabulas, secantes latitudinibus stilorum, punctisque minutis transverberantes membra Magistri, dignum Deo martyrem effecerunt. In cujus honore hodieque tantus timor habetur; ut nullus penitus de ejus rebus aliquid sit ausus attingere : quod si fecerit, aut arripitur dæmonio, aut morte repentina consumitur; non tamen immunis ab ultione recedit. E

in omnibus fere Martyrologiis, et Breviario Rom. exinde notata,

4 *Mirum adeo non est, si cultus tam antiquus, tam celeber Martyrologiorum fere omnium classicorum tabulis hoc die* XIII *Augusti memoretur : nam, ut Hieronymiana prætereamus, quæ hodiernam in* Cassiani *nostri annuntiatione corruptionem ad Bedam usque et Rabanum propagarunt; dum illum hi Romanis Martyribus ex istis fontibus accensuere, fatentes interim, eumdem esse, de quo scripsit Prudentius : ut hæc, inquam, omittamus, ita notatur hodie in Romano vetere :* In Foro Syllæ, Cassiani. *Fusius Ado :* Eodem die, in Foro Syllæ, natale sancti Cassiani, qui cum adorare idola noluisset, interrogatus a persecutore, quid artis haberet; respondit, quia pueros notas doceret. Et mox spoliatis vestibus ac manibus post terga revinctis, statuitur in medio. Vocatisque pueris, quibus docendo exosus fuerat factus, data est facultas eum perimendi. At illi quantum doluerant discentes, tantum se ulcisci gaudentes, alii eum tabulis ac buxis feriebant, alii stylis vulnerabant. Quorum quanto infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat. Scripsit Prudentius poëta. E *Consonant, sed aliquando contractius, Usuardus, Notkerus, aliique, ac tandem etiam Martyrologii Romani moderni reformatores; imo ipsum, quo nunc utitur Ecclesia Romana, Breviarium in Lectione* IX *hodierni Officii.*

et ornata proprio ibidem Officio,

5 *Perseverat igitur etiamnum, imo vero illustrior evasit ejus festi solemnitas Imolæ in ecclesia cathedrali, quæ* S. Cassiani *nomine consecrata est, et in urbe, totaque diœcesi, quæ ut peculiari ejus patrocinio ac protectione gloriantur; ita peculiari ipsum prosequuntur Officio, cui Decretum hoc subnexum legitur :* Officium hoc S. Cassiani martyris, ecclesiæ et civitatis Immolensis patroni et protectoris, alias a sacra Rituum Congregatione sine Octava approbatum pro ecclesia Brixiensi sub die X Aprilis MDCIV, etiam pro ecclesia Immolensi, ubi martyrii coronam dictus S. Cassianus recepit et ejus corpus requiescit, cum Octava, prout hic annotatur, diligenter iterum de mandato ejusdem sacræ Congregationis recognitum, emendatum, et subscriptum ab illustrissimo et reverendissimo D. Cardinali Bellarmino, eadem sacra Rituum Congregatio approbavit; ut in ecclesia, civitate et diœcesi Immolensi libere et licite recitari possit et valeat, licentiam et facultatem

AUCTORE P. B.

A cultatem dedit et concessit. Die III Decembris MDCXVI.

A. Mar. Episc. Ostien. Cardin. Gallus.

Locus † sigilli.

I. P. Mucantius Secret. Congreg.

Romæ approbato, an. 1616.

6 *Totum hoc Officium est ex Communi de uno Martyre, præter Orationem et Lectiones; quarum tres in primo Nocturno leguntur ex Actibus Apostolorum, cap.* 17 : Cum cognovissent in Thessalonica Judæi *etc.; tres autem secundi Nocturni exhibent compendium Actorum* S. Cassani, *In tertio Nocturno legitur Homilia S. Athanasii in Evangelium Matthæi,* Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. *Secunda die infra Octavam in secundo Nocturno proponuntur Lectiones ex sermone B.Petri Damiani de* S.Cassiano *martyre; in tertio continuatur homilia S. Athanasii in idem Evangelium. Ceteri dies impediuntur usque ad Octavam, quæ in primo Nocturno easdem Lectiones habet, quas ipsum festum; in secundo proseculionem sermonis B. Petri Damiani de* S. Cassiano *martyre; in tertio homiliam*

B *S. Petri Chrysologi in Evangelium Lucæ,* Designavit Dominus et alios septuaginta duos.

Eadem ad alias ecclesias extensa.

7 *Utrum hoc idem Officium cum aliis postmodum ecclesiis communicatum fuerit, ignoramus; suspicio tamen est aliqua de ecclesia Brixinensi in Tyrolensi Comitatu; quippe quæ ipsum Imolensem in Officio ejus proprio et postulando et obtinendo (sed sine Octava) anteverterit; ut liquet ex Decreto jam recitato; quæque Martyrem eumdem non solum ut patronum, sed etiam ut primum episcopum suum atque apostolum agnoscat. Et quidni poposcerit idem ecclesia Comaclensis, valgo di Comacchio, ad mare Adriaticum sita inter duo ostia Padi fluminis? Certe et illa* Cassianum *nostrum tutelarem jam olim præsidem veneratur, Ughello teste in Italia sacra tom.* 2, *ubi de episcopis Comaclensibus agit. Idem de Boiis, seu Bavaris asserit Raderus noster in sua Bavaria sancta tom.* 3; *pag.* 3; Cassianus autem, *inquit,* a Boiis semper pro tutelari Divo est cultus, et in metropoli quondam Boiariæ Reginoburgi antiquissimum ejus templum hodieque visitur. *Ne quis vero alium quemdam Cassianum intelligat, ibidem solicite nostrum discernit a synonymis. De mona-*

C *sterio S. Cassiani Romano, de quo meminit Aringhus Romæ subterraneæ tom.* 2, *lib.* 4, *cap.* 17, *num* 5, *nihil dicimus, cum quia certo non scimus, cujus S. Cassiani fuerit; tam quia jam diu collapsum est. Porro ut cultum Sanctorum promovent imprimis eorum reliquiæ, æquum est de his etiam nonnulla subjungi.*

§ II. Corpus ejusdem et reliquiæ.

Corpus mansit Imolæ in primo sepulcro, vel vicino latibulo,

Sanctissimi Martyris hujus corpus in urbe Corneliensi conditum fuisse, ex Prudentio certa res est. Ibidem illud usque ad medium seculi V *permansisse, docet Agnellus (qui seculo* IX *scribebat Librum suum Pontificalem, seu Vitas pontificum Ravennatum) in Vita S. Petri Chrysologi cap.* 4; *ubi sic habet* : Cognovit autem post hæc hic beatissimus Petrus per spiritum finem vitæ suæ. Ivit ad Corneliensem ecclesiam; et ingressus infra basilicam B. Cassiani, obtulit munera, id est, craterem aureum unum, et pateram argenteam alteram, et diademata aurea magna, pretiosissimis gemmis ornata. HÆC OMNIA A S. CASSIANI CORPORE IMBUIT *etc. Erat igitur ibi etiam tunc* S. Cassiani *corpus. De sequentibus usque ad duodecimum seculis nihil opus est afferri; cum nemo disputet, sed perpetua traditione constet, numquam illud loco motum fuisse, nisi cum propter barbarorum incursationes tutioribus latebris tantisper visum est committendum, quoad profanationis direptionisque periculum evanuisset; uti factum narrat Manzonius in Historia episcoporum Imolensium sub Joanne I,* anno *Christi* nongentesimo tertio.

usque ad seculum 12. quo translatum fuit ex veteri

9 *Quamquam tum quidem videri potest diutius abstrusum paucisque Canonicis notum delituisse; quia Manzonius, etsi deinde in Historia episcoporum Imolensium de corporibus agens Sanctorum urbis protectorum, eos nominatim appellet non semel, ut S. Donatum, S. Petrum Chrysologum, S. Maurelium pag.* 96 *et* 97; *numquam inter eos tamen Cassianum exprimit; qui primo loco nominari debuisset, si de ejus ibi etiam corpore fuisset actum. Prima ejus mentio recurrit anno* 1198 *sub Alberto I episcopo Imolensi pag.* 136; *ubi narratur compositio litis diuturnæ inter antistitem illum et Canonicos ecclesiæ cathedralis,* E *hac inter alias conditione;* Ut *(canonici)* corpus Sancti Cassiani JAM DETECTUM traderent episcopo. *Unde suspicamur primum, aliorum Sanctorum corpora, quæ eodem, quo corpus* S. Cassiani, *anno* 903 *abscondita fuerant, diu detecta fuisse, antequam repertum fuerit corpus Martyris nostri: Deinde hoc inventum fuisse non admodum diu ante (puta anno circiter* 1188, *quo translatum infra dicetur ex antiqua ad novam basilicam cathedralem;) et inventum quidem tum fuisse a Canonicis tantum; quandoquidem illud hi in sua potestate retinebant, donec episcopo tradere per sententiam coacti sunt. Nimirum tam longæ secretæque retrusionis causæ esse potuerunt, non externa tantummodo, verum etiam domestica Corneliensium inter se bella, quibus inde ab anno* 1079 *tres Imolæ portiones præcipuæ tam internecinis in se mutuo factionibus exarserunt; ut nisi duarum interitu ac demolitione, civiumque omnium in portionem tertiam (quæ nunc Imolæ nomen sola sustinet) migratione compesci nequaquam potuerint. Vide laudatam Historiam a pag.* 70 *usque ad pag.* 130. F

ad novam ædem cathedralem; ibique perhonorifice collocatum sec. 13;

10 *Indidem intelliges, quæ ratio fuerit novæ cathedralis ecclesiæ ad veteris omnino normam eo, quo nunc visitur, urbis loco sub annum Christi* 1187 *exædificandæ; ad quam subinde ex pristinis illis sedibus patronorum Imolensium corpora commigrarunt, nihilo minus istic honorifice, quam unde venerant, collocata; et satis quidem sero corpus* S. Cassiani; *quippe quod Maynardinum episcopum anno demum* 1217 in altari, quod ipse tunc consecraverat, in cathedrali collocasse, *narrat memorata sæpius Historia Manzonii pag.* 159. *Ibi porro mansit usque ad annum* 1271, *ad quem auctor idem de Sinibaldo episcopo sic habet* : Anno millesimo ducentesimo septuagesimo primo, die XXIV Octobris cathedralem ecclesiam, decoro ædificio ampliatam ac ornatam, solemniter consecravit, et subter ipsam in inferiori parte, quam majores dixere Confessionem, in ara tunc temporis a se juxta Ecclesiæ ritus sacro Chrismate delibuta corpus S. Cassiani condidit, habita per eum ea die, XXIV scilicet Octobris, homilia; cujus autographum in membrana exeratum, ac nuperrime per me, non sine ejusdem Sancti ope, repertum, in capitulari tabulario servatur : ex qua certo innotuit, eas ibi indubitanter esse S. Cassiani

AUCTORE P. B.

siani reliquias; ac prædicta basilicæ dedicatio-
nis memoria maxime illuxit; ut ex sequenti ejus-
dem homiliæ initio, eique prænotato titulo li-
quet, videlicet : « MCCLXXI. Sermo in dedica-
tione ecclesiæ, sive altaris. Quam terribilis est
locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei et
porta cæli. Verba dicta a S. Jacob possunt con-
venienter adaptari solemnitati hodiernæ, scilicet
colocationi corporis beati martyris Cassiani, quæ
hodierna die facta fuit in præsenti ecclesia sua. »
Hæc ibi.

sed honorificentius conditum

11 *Opus hoc propter vetustatem sub episcopo
Philippo Antonio Gualterio, anno Christi* 1704
*ineunte, placuit magnificentius instaurari, una-
que, conditum sub eo thesaurum refodi, dispici-
que admotis, quæ conquirere jussus erat Man-
zonius, pristini status ejus testibus monumentis,
ut cum statu præsenti collata, identitatis, ut ita
dicam, reliquiarum certam facerent fidem. Res
publicis primum commendata precibus die* VII
*Aprilis; postridie, clausis valvis, dissolutum est
altare cum subjecto pavimento; quo ad pedes duos
depresso,* post prægrandes, *inquit pag.* 406 *Man-*
B *zonius idem cujus hic epitomen damus,* avulsos
marmoreos lapides ac amotum ingentem ruderum,
arenæ, obductæque calcis acervum, area tan-
dem marmorea detecta est; qua reserata, specta-
culum nobis optatissimum, sacrum pignus, oc-
currit; illud namque esse, plumbea lamina su-
perposita testata est. *In ea, etsi duobus locis
tantillum exesa, legi poterant hæc* : « Anno Domi-
ni MCCXVI... *(erosa est unitas)* tempore Hono-
rii III collocatum est corpus B. Cassiani Imolæ
in episcopali sede, et altare consecratum a M.
(Maynardino) ejusdem ecclesiæ episcopo, VI...
(supple Id. *vel* Kal.) Septembris. » *Ex his præ-
ter alia discimus, mutatum non fuisse hunc tu-
mulum, aut ossium in eo situm anno* 1271 *a Si-
nibaldo; sed huc, excerpto tantum brachio, ita
ut erat, translatum fuisse conditumque ex alio
altari, in quo illum anno* 1217 *Maynardinus lo-
caverat.*

anno 1704 :

12 *Dum interim inventionis hujus lætitiam po-
pulo festivus campanarum pulsus annuntiat exi-
muntur ex invento sepulcro ossa, et a resolutæ
tam longo et humido situ thecæ ligneæ fragmentis*
C *ac pulvere diligentissime secreta, in paratum ad
id loculum reponuntur, una cum nummis, opi-
nor, argenteis, quos ibidem indices ætatis suæ
Maynardinus accluserat, æque ac epigraphen jam
dictam, et partem fistulæ vitreæ, quæ credita est
fragmentum ampullæ, quæ collectum olim Sancti
sanguinem continuerit. Post hæc loculus ille con-
clusus obsignatusque, ad superiorem chorum de-
latus est, ibique sub ara majore tantisper depo-
situs, donec inferioris sacelli aræque fabrica qua-
tuor non amplius mensium spatio erecta constitit.
Tum vero coram lectissimo ordinum omnium
consessu recognita denuo solemniter lipsana, et
in plumbeum sarcophagum reclusa, postquam tri-
duo venerationi publicæ mansissent exposita. Ka-
lendis Octobris intra marmoream arcam, in alta-
ri recens constructo paratam, illata per Canoni-
cos et condita sunt. Rei memoriam servat inscri-
ptio duplex; altera inclusa sarcophago plumbeo,
altera tumulo marmoreo apposita.*

quod gemina

13 *Prior sic habet :*

Sancti martyris Cassiani,
Sabionensis, seu Brixinensis primi episcopi,
Hujus Corneliensis urbi patroni,
Sacrum corpus
Ex antiquiori cathedrali anno MCLXXX VIII
In hanc illatum,
A Maynardino episcopo primitus
Circa annum MCCXVII collocatum,
Et a Sinibaldo successore anno MCCLXXI
Sub altari a se consecrato positum,
Ut honorificentius imposterum servaretur,
Sacello et ara exornatis,
Philippo Antonio Gualterio, episcopo Imolen.
Apud Galliarum regem Apostolico Nuncio, an-
nuente,
Cathedralis Capitulo instante,
Tota gratulante civitate,
Solemni pompa elevatum
In hoc plumbeo loculo reposuit
Abbas Joseph Guerra, Vicarius Generalis
Anno MDCCIV, Indictione XII, die XXVII
Septembris.

testatur inscriptio.

14 *Posterior inscriptio talis est :*

Clementis XII P. O. M. anno IV,
Philippi Antonii Gualterii, apud Christianissimum
Ludovicum XIV Francorum regem Nuncii Apo-
stolici,
Episcopatus tertio
Venerabile corpus S. Cassiani episcopi et martyris
Ac primarii hujus ecclesiæ patroni E
Quinto Kal. Octobris ser. ser. recognitum
Et in hac capsula plumbea reconditum
Abbas Joseph Guerra Vicarius Generalis
Marmoreo in sarcophago solemuiter collocavit
Kal. ejusdem Octobris anno salutis MDCCIV
Indictione duodecima

*Hæc de Martyris nostri corpore strictim hic di-
cta sunto : nam quæ ad illum honorandum, in po-
strema illa præsertim solemnitate, Imolæ excogi-
tata gestaque sint, quam sumptuosa, quam au-
gusta, potest apud Manzonium copiose legi.*

15 *Sunt et aliæ cum ibi, tum alibi ejusdem* *Aliæ ejusdem cum ibidem,*
Sancti reliquiæ : et ibi quidem ejus brachium,
quod juxta antiquum Ecclesiæ morem, *inquit au-
ctor Historiæ episcoporum Imolensium pag.* 234,
Sinibaldus episcopus seorsim a reliquo ejusdem
Sancti corpore ad publicam fidelium venerationem
servari voluit, *quodque seculo* XIV Michaël Por-
celli intra nobilem thecam argenteam, quæ bra-
chium manumque episcopi benedicentis exprimit,
munifica pietate collocandum curavit, prout ibi
incisa verba testantur. *In honore est insuper apud* F
Imolenses columna, de qua sic idem auctor pag.
75 : Anno MLXXXV inventam fuisse tradunt co-
lumnam, cui alligatus S. Cassianus, martyrii pal-
mam adeptus est, atque a Morando *(tunc epi-
scopo Imolensi)* collocatam in sacello, quod de-
inde Crux S. Cassiani et Crux cooperta fuit appel-
latum. *Addit in Tumulo SS. Projecti et Maurelii
illustrato pag.* 120: Nunc eodem loco, quarta
parte Italici milliari ab urbe *(Bononiam versus)*
distante, in ecclesia, ab episcopo Rodulpho Pa-
leotto via Æmilia prope locum martyrii exstru-
cta anno MDCXII, religiose asservatur : ad quam
in pervigilio celebritatis festivæ ejusdem Sancti
sacrum ipsius brachium, utriusque cleri et con-
fratriarum interventu, annuatim solemni suppli-
catione defertur. *Memorat etiam Æmilius Luchi-
nus in Martyrio* S. Cassiani, *quod anno* 1614 *eidem
Paleotto inscripsit, pag.* 37, *plurima istic ad
sancti Martyris patrocinium confugientibus be-
neficia conferri, idque constare ex anathematis
ibidem appensis.*

16 *Tillemontius Monument. ecclesiast. tom.* 5, *tum alibi reliquiæ.*
*pag.*532 Cassiani *hujus reliquias fuisse censet eas,
quibus S. Ennodius, episcopus Ticinensis, Di-
ctione* 4 *usum fuisse circa initia seculi* IV *Maxi-
mum,*

A *mum, decessorem suum, significat in dedicatione cujusdam ecclesiæ, quam notat ibidem Sirmondus nosler SS. Joannis Baptistæ, Antonini, et* Cas- siani *titulo fuisse tum ab illo consecratam. Ejus- dem hujus Martyris caput servari credidisse vi- detur Saussayus in Supplemento Martyrologii sui pag.* 1157 ; *cum ibi ad diem* XIII *Aug. hæc re- tulit* : Tolosæ, veneratio capitum gloriosorum Christi martyrum Hippolyti et Cassiani. *Gelenius quoque ad eumdem diem in Fastis Coloniæ Agrip- pinensis pag.* 713 *meminit* Trium Sanctorum, qui Cassiani nomine usi sunt; quorum reliquiæ in diversis ecclesiis conservantur : *sed assertionem adeo vagam discutere non vacat. Aliquid Cassiani cujus ... m martyris in Hierogazophylacio Belgico apud ... rebates assignat Rayssius pag.* 304 ; *sed hujus, an alterius, non explicat. In Lipsa- nologio ecclesiæ Scoriatensis in Hispania notatur* Cassianus M. XIII Aug., *et additur:* Pars ossis cum sua pelle, longi digitis quatuor, lati tribus. *Nostri certissime* Cassiani *reliquiæ sunt, quas anno* 1660 *Pisauri in Italia sub finem Novembris in ecclesia quondam cathedrali, tunc autem pa-*

B *rœciali*, S. Cassiani *venerati sunt Henschenius noster et Papebrochius una cum reliquiis S. Petri Chrysologi; siquidem ambarum instrumenta au- thentica ipsimet in loco viderunt; ut in Itinera- rio Ms. notarunt. Nihilo magis dubitandum de Brixinensibus et Comaclensibus; utpote in postre- ma solennitate jam descripta anno* 1704 *ex Imolensis ecclesiæ thesauro, tunc aperto, cum le- gitimo omnium consensu, impetratis, ut in Historia sua tradit Manzonius pag.* 114. *De cete- ris, si quæ sunt alibi, nec opus hic est plura, nec satis opportunum exquirere.*

§ III. Ejusdem Acta Vetera; recentiorum discussio.

Post Acta primigenia olim deperdita

Acta S. Cassiani *martyris Corneliensis diu conscripta fuisse et conservata ante seculum* V, *manifeste tunc Prudentio, depictum ejus in tabula martyrium contemplanti, asseruit ejus- dem ecclesiæ apud Forum Cornelii custos, cum*

C *dixit* :

Quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula :
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Sed jam libri illi plurimis a seculis perierunt, nec aliud quidquam eorum jam dudum superest, quam quod ex illis jam dictus æditúus narravit Prudentio; Prudentius autem eleganti carmine posteritati transcripsit lib. Περὶ στεφάνων *Hymn.* 9 : *quod quidem ipsum tanti factum est postea; ut illud, quia ex Prudentii ligato ac poetico stilo non satis commode poterat a simplice atque illit- terato vulgo intelligi, ex hoc in popularem et so- lutum sermonem converso vulgarit anonymus quispiam, venerabili Beda senior, dignusque ei visus, quem ipsemet in Vita S. Felicis, presbyte- ri Nolani, ex S. Paulini carmine in orationem humilem planamque redigenda* ob plurimorum utilitatem *imitaretur. Adi Bedam in Prologo ad Vitam illam apud nos Januarii tom.* I, *pag.* 943.

maxima semper fuit auctoritas eorum

18 *Hoc viri tanti de veteris istius interpretis lucubratione judicium ac testimonium pene nos adduxerat, ut hic illam Hymno Prudentiano sub- jectam recuderemus; sed re maturius expensa, satius visum est eam prætermittere : aliud est enim institutum nostrum, aliud istius interpretis. Ille simplicibus tantum operam suam impendit; nos fere tantum litteratis, qui ad fontes unice anhelant, præsertim illustratos; rivos autem, qualis est ista interpretatio, cujus omnis aucto- ritas uno illo Carmine nititur, plerumque negli- gunt : ut colligere etiam licuit ex Actorum com- pendiis* § I *datis : neque enim ibi quod exhibet S. Gregorius Turonensis num.* 3, *neque quod num.* 4 *Ado, neque quæ alii Martyrologi ibidem citati de Sancti hujus martyrio narrant, stilum sapiunt interpretis anonymi, neque hujus ibi quisquam facit mentionem; sed solius Prudentii. Accedit hoc insuper; quod multo purior ad nos usque venerit Hymnus ille, quam ejus interpre- tatio, sive edita apud Surium et Mombritium, sive manuscripta, saltem in quinque per nos collatis exemplaribus.*

AUCTORE P. B.

quæ scripsit Prudentius.

19 *Solus igitur Hymnus ille Commentario nostro subnectetur; utpote quo Acta Martyris hujus nitidissime comprehensa, tam constantem tot retro seculis auctoritatem apud omnes ad hunc usque diem obtinuerint; ut neminem legere me- minerimus, qui eorum quidquam hactenus revo-* E *carit in dubium; neminem, cujus quidem per- specta sit ætas, qui rebus ibi narratis aliquid sit ausus adjicere ante seculum* XIV *satis adultum; quo Petrus de Natalibus in Catalogo lib.* 7, *cap.* 58 *nova quædam, paucula tamen, de* S. Cassiani *nostri episcopatu Brixinensi et secuta dein ad Cornelienses peregrinatione palam cœpit adstrue- re. Sed enim hæc ab aliquot modernis criticis non imperitis vel propterea reprobantur, quod a Pru- dentio tradita non sint, ad quem solum omnes Martyris ejusdem præcones utcumque veteres attemperarint elogia sua, ne excepto quidem S. Petro Damiani in lucutento, quem seculo demum* XI *de* S. Cassiani *martyrio scripsit, Sermone, apud Constantinum Caietanum in Operum illius editione Romana tomi secundi quadragesimo.*

Alia recentiorum asserta discutiuntur

20 *Nos istiusmodi auctaria non pauca quia nec firmare satis possumus, nec falsi omnia certis ar- gumentis convincere, ne nullum iis locum demus, hinc jam illa cum suis quæque momentis collecta, eruditi ac pii lectoris arbitrio æstimanda subjici- mus. Atque ut a natalibus faciamus initium; sunt, qui hunc Martyrem patria Brixiensem fe-* F *cerint, Fabricio teste apud Raderum in* S. Cas- siano *Bavariæ sanctæ volum.* 3, *pag.* 4; *sed hoc natum censet Raderus ex errore, quo illi Brixi- nam Tyrotensem, ubi episcopum eum fuisse scri- bit Equilinus, cum Brixia Italica oscitanter con- fuderint. Acta Sancti nostri Mss., quæ habemus ex bibliotheca Oratorii Romani (quæque ideo pu- tamus eadem esse quæ hoc die in Annotationibus ad Martyrologium Rom. habuisse se memorat Ba- ronius) Brixinensem hoc exordio statuunt* : Cas- sianus Brixina, quod est in Germania oppidum, nobilibus ac Christianis parentibus oriundus,... patriæ suæ episcopus electus, *etc. Sed hæc Acta recentia sunt et auctoris admodum ignorantis re- rum antiquarum : novitatem indicant quæ de co- lumna* S. Cassiani, *quam supra num.* 15, *primum inventam et sacello inclusam fuisse diximus anno Christi* 1085, *ibi leguntur in hæc verba* : Quæ usque in hodiernum diem Via Flaminia prope mœnia civitatis sub cellula adservata, indigenis summa est [in] veneratione. *Ignorantiam aucto- ris indidem intelligis : Brixinam enim episco- palem ponit ætate* S. Cassiani; *quæ talis primum esse cœpit seculo* X. *Deinde Viam Flaminiam, quæ Roma tantum Ariminum usque pertigit, con-*

fundit

LECTORE P. B.

fundit cum Via Æmilia, ad quam situm fuit Forum Cornelii (quod idem miramur in Lectionibus de Sancto propriis tam Brixinensibus, quam Imolensibus non fuisse correctum.) Vide ergo, qua fide digna sint Acta istiusmodi.

de Sancti natalibus

21 *Manzonius in Præludio ad Historiam episcoporum Imolensium per conjecturam ex nomine* Cassiani *ductam asserit*, natione Italum atque origine Romanum fuisse S. Cassianum, ex nobilissimo stipite familiæ Cassiæ, patritiæ inter Romanas, progenitum. *Verum alia est hominis persæpe, alia nominis origo; et potest hoc, ante sexcentos annos Romæ exortum et clarum, per universum Romanum imperium diu quilibet ubivis gentium vel accepisse vel assumpsisse ante æram Christianam, etsi Italiam, Romam, gentem Cassiam numquam viderit. Et vero quis omnes Cassianos antiquos, omnes Cornelios, omnes Hercules, Annibales etc. inde ortos fingat, unde ducta gerunt nomina? Recte ergo, nostra quidem sententia Raderus de* Cassiani *nomine fatetur, Italicum potius, quam Germanicum esse; at de ipso* S. Cassiano, Ego, *inquit*, sicut de parentibus ejus nihil habeo certi dicere; ita nec de patria *(de qua potissimum hoc loco quæritur)* possum affirmare, Italusne, an Germanus; Noricus, an Romanus fuerit. *De anno Martyris natali, ejusque in litteris educatione nihil afferimus; quia pendet a sequentibus; ab officiis nempe, quæ gessisse dicitur adultus, et anno martyrii.*

de episcopatu ejus Sabionensi quem alii negant:

22 *Gravior est quæstio, num fuerit episcopus aliquando Sabionensis, antequam accesserit Forum Cornelii: hoc enim negant modo nonnulli; plures aiunt. Est autem, imo fuit, Sabio, aliis Sabiona, Sabona etc., vernacule* Seben, *oppidum in moderno Comitatu Tyrotensi ad Eisacum fluvium, Brixina meridiem versus decem fere millibus passuum distans. Suos olim habuit episcopos, usque ad seculum, ut jam diximus, decimum; quando, relicta Sabiona, Brixinam transtulere sedem, a qua episcopi Brixinenses nuncupari continuo cœperunt, antiquato Sabionensium titulo. Adi Hundium cum Gewoldi additionibus in Metropoli tom.* I. *a pag.* 439. *Jam qui negant, ibi episcopum fuisse Martyrem nostrum, eodem argumento contendunt, illum nec ibi nec alibi, nec omnino umquam hunc ordinem attigisse; quia videlicet nec Prudentius, nec hujus antiquus interpres, neque S. Ennodius, neque S. Gregorius Turonensis, neque S. Petrus Damiani neque scriptor ullus hisce aut prior, aut æqualis aut suppar, qui quidem innotuerit hactenus, neque ulla Martyrologia (quæ alioqui dignitatis episcopalis titulum ubique solent exprimere) ac ne recentissimum quidem Romanum,* S. Cassianum *nostrum ullo prorsus indicio faciunt episcopum. Quod ait Raderus pag.* 15, *Prudentium ea tantum scripsisse, quæ didicerat ab æditua Corneliensi; æditaum autem illum, utpote hominem illitteratum, nihil docere potuisse amplius, quam quod exhibebat apposita tumulo pictura; hoc, inquam, non satisfacit: primo quia temere æditaus sive ostiarius ille tam illitteratus fingitur, ut ne legere quidem noverit, cum esset clericus ordinatus; ut colligitur ex epistola S. Cornelii PP. apud Thomassinum de Ecclesiæ disciplina tom.* I, *lib.* 2, *cap.* 30, *num.* 9. *Deinde cur æditaus ille appellasset Acta scripta (supra num.* 17,*) si non legisset? Præterea, pictura illa certe non exhibebat verba, quibus pueri Magistrum impetierant: unde ergo illa novit æditaus? Postremo, non solus Prudentius ignoravit episcopatum ejus; sed et alii post eum omnes, etiam B. Notkerus, qui Martyrologium suum scripsit circa finem seculi* IX *in cœnobio S. Galli apud Helvetos, non utique Sabiona Brixinave tam remotos. Quæritur ergo, rem tot locis, tot seculis ignoratam unde probent, qui asserunt.*

alii asserunt,

23 *Baronius hoc die in Annot. ad Martyrolog. Rom. eam tuetur ex Actis Sancti Mss. quæ habuit:* Ex quibus, *inquit*, illud etiam compertum habetur, hunc ipsum Cassianum fuisse episcopum Brixiensem *(errore, opinor, typographico, pro* Brixinensem*;)* indeque pulsum, Romam venturum Imolæ cousedisse, ibique ludum litterarium aperuisse, ac tandem martyrium consummasse. Hæc fere eadem habet Petrus in Catalogo lib. 7, cap. 58. *Reponi potest, utramque illam auctoritatem nimis esse recentem, ut valere debeat ad firmanda per se solam seculo* IV *gesta: de Petri Equilini ætate dictum supra num.* 19, *de Actorum illorum ætate, num. seq. Deinde utrobique dicitur* Cassianus fuisse pontifex civitatis Brixinensis; *quod falsum esse fatebuntur ipsi nunc Brixinenses. Hundius loco citato pro eadem opinione profert Catalogum episcoporum Sabionensium, nunc Brixinensium, in quo primum locum obtinet* S. Cassianus: *præterea versus quatuor,* rei, *ut addit*, non arti accommodatos; *quos innuere videtur ex vetustissimo quodam manuscripto libro a se fuisse exprómptos in hæc verba:*

Vox Patris almivoma * Christum docet in Sabiona. (* *al.* altisona)
Immola crucifixum * graphiis sic immolat ipsum: (* *al.* confixum)
Nam quem Sabiona primum prædicatorem recepit,
Hunc Immola diris vulneribus Christi martyrem fecit.

Sed neque his acquiescet omnino, qui apud Hundium ipsum adverterit incertam Catalogi istius antiquitatem; tum etiam, quam fuerint manca et parum integra *monumenta, seu laciniæ, ex quibus tandem seculo* XVI *collectus prodiit. Tetrastichon carmen nemo forte seculo decimo tertio credet antiquius, cum rhythmus videatur Leoninus. Manzonius, ejusdem sententiæ propugnator, adjungit primo traditionem utriusque ecclesiæ Imolensis ac Brixinensis. Sed hujus antiquitatem requirimus. Secundo,* imaginem Cassiaui infulati in absida Imolensis cathedralis a quingentis fere annis depictam. *Verum quingenti anni retro ducti ab anno* 1719, *quo scripsit Manzonius, an sufficiunt ad rei tam antiquæ testimonium? Deinde potest hæc imago picta fuisse tempore chronographi Ughelliani, de quo infra, et significare episcopatum Sancti Corneliensem, quem Chronographus ille solum adstruit, quemque Manzonius omnino rejicit. Addit hic tertio ac postremo auctoritatem Officii ejus proprii, pro ecclesiis tam brixinensi, quam Imolensi concessi; verum hanc oppido debilitat concessionis tempus, a nobis assignatum supra num.* 5. *Ceterum hujus assertionis fundamenta firmiora non vidimus.*

Sed forte duo SS. Cassiani MM. hic distinguendi;

24 *Quatuor priora legerat sine dubio Adamus Walasserus, antequam Martyrologio suo Germanico, opera venerabilis Petri Canisii nostri primum correcto, tum edito anno* 1562; *iterum deinde novis curis emendato recusoque Ingolstadii anno* 1573, *ultimam adhibuit manum ibidem anno* 1599. *Audi tamen, iis quam timide assentiatur ad hunc diem, cum* S. Cassiani *martyris elogio apud veteres Martyrologos usitato, hoc est, absque ulla nota dignitatis ejus episcopalis, subjungit*

A *subjungit observatiunculam suam, quam Latine sic vertimus:* Putatur Cassianus hic Brixinæ natus, et Sabionensis antistes fuisse, cui habitu peregrini inde Imolam adierit in Italia; ubi scholam aperuerit, Christumque prædicaverit. *(Quid meticulosius? Non enim audet edicere, opinionem se illam adoptare pro verisimili, nedum pro vera. Sed accipe etiam quod sequitur:)* Corpus ejus quiescit Brixinæ in ecclesia cathedrali, cujus est patronus. *Eadem omnia verbis totidem ediderat anno* 1573: *nam primam ejus editionem non habemus. Quid hoc est autem? An hoc opus, in Bavaria vulgatum, non viderint Brixinenses, saltem totis* 26 *annis, qui inter secundam ac tertiam impressionem intercessere? Quis id credat? Si viderint autem, cum nihil sciantur opposuisse, an non probasse censendi sunt; atque adeo agnovisse, S. Cassiani corpus apud se conservari? Atqui non erat illud corpus* S. Cassiani *Imolensis, ut patet ex paragrapho præcedente; neque pars illius notabilis: nam si talem habuissent, non denuo legatione solenni anno* 1701 *Imolæ postu-*
B *lassent; uti narrat Historia Manzonii pag.* 414. *An non igitur hic sicut apparent duo corpora diversa: ita duos indicari SS. Cassianos licebit suspicari, quorum alter Sabionæ conditus primum, dein Brixinæ semper manserit; alter Imolæ passus fuerit ac perpetuo servatus: et quorum olim confusa fuerint Acta, non corpora? Nihil decidimus.*

quorum alter Sabionæ fuerit apostolus.

25 *Hoc certum videtur, quod alicujus S. Cassiani M. nomine (non utique sine ejusdem reliquiis) dedicatæ fuerint olim ecclesiæ cathedrales tam Sabionensis, quam posterior Brixinensis: hoc enim de prima diserte traditur in diplomate Ludovici IV anni* 909 *apud citatum Hundium, seu potius Gewoldum, pag.* 469: *de secunda, in diplomate Conradi II imperatoris anni* 1027 *ibidem pag.* 472. *Merianus quoque in descriptione Comitatus Tyrolensis paginæ* 138 *dirutæ Sabionæ ectypum subjungens, ejusdem S. Cassiani M. perantiquum istic monumentum exhibet num.* 2, *turrim videlicet, quæ ejus olim carcer fuisse memoratur. Exhibet et Virginis Matris ædiculam, qualem aiunt ibi eumdem Sanctum condidisse,*
C *num.* 3; *sed non annotat, eademne illa credatur; an alia recentior. Sed redeamus ad* S. Cassianum M. *certo Corneliensem, cujus Antiquissimum hoc die cultum probavimus.*

§ IV. Continuatio ejusdem discussionis.

Unde Sanctus venerit ad Cornelienses:

Apud Forum Syllæ seu Cornelii vixisse Sanctum Cassianum, *nemo nunc est qui disputet; at unde istuc advenerit, nec Prudentius, nec alii, quorum satis tuta videatur auctoritas, indicarunt. Recentiores tamen iidem, qui episcopatum ejus vel Sabionensem, vel Brixinensem adstruunt, inde eum ad Cornelienses advenisse volunt, quibus adde Chronographum Imolensem anonymum ac, Tillemontio hic satis æquo judice, insigniter fabulosum, quem ex archivo Vaticano erutum episcopis Imolensibus præfigit Ughellus: is enim quamvis Martyrem nostrum Brixinæ antistitem fuisse, nequaquam significet (in quo ab Ughello ipso deseritur;) inde tamen ipsum etiam arcessit ad Forosyllanos: sed modo a ceteris diverso: nam alii a paganis expulsum et exsulem venisse narrant; iste vero, ex carcere divinitus liberatum ac fugitivum; idque sub Valente imperatore, quem Christianorum persecutorum facit; cum sensatus nemo* S. Cassianum *Juliano Apostatæ superstitem adhuc finxerit; et antiquitatis peritissimi multo faciant seniorem.*

an episcopus eorum fuerit:

27 *Idem ille affirmat, adeo gratum Foro Cornelii accidisse Hospitis hujus adventum, ut civium studio sit* effectum, ut ad pontificiam hujus urbis infulam exemplari bonitate perduceretur. *Nec abludere videntur apud Ferrarium ad hunc diem epigramma, nescio cujus, obscurum pag.* 509, *et hymnus pag.* 510 *Cassiano Tudertino perperam subjunctus: nisi quod in his episcopatus Martyri nostro Brixinensis adscribitur ante Forocorneliensem. Verum de hoc ultimo ceteri silent. Imo Manzonius in laudato Præludio pag.* xxxvi; Potissime vero erroneum est, *inquit,* S. Cassianum fuisse episcopum Corneliensem, ut quidam scripsit anonymus: id enim nec ecclesiastici Annales referunt, nec ullus probatus auctor asseruit. *Pergit porro ibidem chronographus Ughellianus describere subsecuta Sancti apud Cornelienses gesta, ipsumque diu posterius martyrium; sed ea fabulis tam putidis, tam apertis ornat, ut pudeat* E
exscribere; quandoquidem non sanæ tantummodo chronologiæ, sed et notissimis adversantur historiis. Accipe illa potius ex Officio ejus proprio Brixinensis atque Imolensis ecclesiarum:

quid apud eos egerit,

28 Cum autem ad Forum Cornelii (quod nunc Immola dicitur) pervenisset, cum populum idolorum cultui deditum videns, ibi divino consilio veram Christianæ religionis fidem disseminare cogitavit; atque ut id facilius præstare posset, grammaticam humanasque litteras pueros docere cœpit, quibus cum profanos libros explicare contingeret, inanem simulacrorum cultum esse rationibus demonstrans, fidei capita illis proponebat, atque in Christiana religione teneram ætatem excolens, verbum Dei disseminebat. Quod cum per eam urbem divulgaretur, tamquam novæ religionis auctor apud urbis præfectum accusatur; a quo interrogatus, quam profiteretur artem, respondit, se Jesum Christum, totius mundi salutis auctorem ignorantibus prædicare. Cumque ab eo proposito præfectus eum nullo modo abducere posset; novum et crudele martyrii genus excogitans, Cassianum discipulorum arbitrio, quibus docendo exosus factus fuerat, excruciandum et occidendum tradi imperat. F

quid passus sit,

29 Impii vero discipuli in Magistrum, a quo vitæ præcepta acceperant, incitati, illum columnæ marmoreæ (quæ adhuc via Flaminia, in sacello, quod nunc parochialis extat ecclesia, prope urbem colitur) alligatum furentes invadunt, tabellisque et ferreis stylis sacrum ejus corpus undique contundunt ac lacerant. Quorum vulneribus diu confossus et crudeliter excarnificatus, invictum Deo spiritum reddidit, Idibus Augusti. *Hæc ibi, tanto propiora vero, quanto ad Prudentium accedunt magis, quam vel ad Acta Baronii Mss., vel ad editum ab Ughello chronicon, vel ad aliud Philippi Saxi, quod laudat et sequitur in Martyrio* S. Cassiani *P. Æmilius Luchinus. An tamen illa ipsa Hymno Prudentiano satis per omnia consonent, mox apparebit, cum illum proferemus, postquam de martyrii tempore nonnulla interjecerimus.*

et quando;

30 *De tempore martyrii ejus plures olim opiniones fuere; sed illa ceteras fere oppressit seculo* xvi, *quæ passum asserebat* Cassianum *sub Juliano Apostata, paulo post legem adversus professores Christianos ab hoc in Oriente* datam, Mamertino et

AUCTORE P. B.

et Nevitta Coss., *anno Christi* 362, xv Kal. Julias; acceptam *vero* Kalendis Augusti Spoleti *in Umbria et subinde per Occidentis provincias promulgatam, de qua fuse legi potest Baronius ad eumdem annum. Verum hanc ipsam opinionem præterito seculo sic præter alios impugnavit vir doctissimus Antonius Crosinus, Vicarius Brixinensis; ut jam apud eruditos exstincta videri posset, nisi eam anno* 1719 *clarissimus Manzonius in Historiæ suæ Præludio tam operose suscitasset. Ita nunc duo supersunt hujus controversiæ capita: primum eorum, qui Martyris hujus agonem referri volunt ad annum Christi* 362; *alterum eorum, qui illum ante Constantini Magni imperium accidisse contendunt: nam de die martyrii aut depositionis* XIII *Augusti convenit inter omnes. Videamus utriusque capitis fundamenta.*

an sub Juliano Apostata,

31 *Qui primum tuetur Manzonius, hæc potissimum pro se affert. Primo*; S. Cassianus *fuit episcopus Sabionensis; Sabiona autem episcopali cathedra decorata non fuit, nisi post annum Christi* 320: *non igitur martyrium subiit ante imperium Constantini.* B *Secundo; sub Juliano cecidisse hunc Martyrem, diuturna cum Brixinensis tum Imolensis ecclesiarum traditio est, cui sese auctores seculi* XVI *nec pauci neque ignobiles accommodarunt. Tertio; Prudentius ejus martyrium describens, de schola ejus meminit his verbis:*

Extrahitur cœtu e medio Moderator alumni
Gregis, quod aris supplicare spreverat.

Videtur ergo innuere apprehensionis ejus causam duplicem, Juliani solius edicto respondentem; quod *nimirum* aris, *sive idolis*, supplicare spreverat; *et interea pueros doceret* moderator alumni gregis. *Nobis hæc parum firma videntur; cum responderi posset ad primum, dubitari nunc plurimum, an fuerit episcopus unquam Sabionensis; deinde Sabionensis ecclesiæ primordia esse prorsus obscura ignotaque, quod vel ex Hundio liquet. Ad secundum; traditionem ecclesiarum illarum de nece* S. Cassiani *sub Juliano diuturnam dici quidem, an non probari: ignoratam illam certe fuisse vel rejectam ab Imolensi scriptore non valde antiquo Chronici, quod supra Ughellianum appellavimus; imo vero reprobatam tacite fuisse* C *jussu Congregationis Romanæ anno* 1616, *in Officio seu Legenda Sancti propria pro ecclesia Imolensi, expunctis his verbis*, Juliano Apostata imperatore, *quæ relicta fuerant in eadem Legenda pro Brixinensibus approbata anno* 1604, *et quæ Ferrarius Legendæ Imolensi perperam adscribit. Ad tertium; unicam tantum apprehensionis causam fuisse* quod aris supplicare spreverat, *manifestum fieri ex versu Prudentii sequente, ubi dicitur præfectus, qui illum apprehendi jusserat nondum tum scivisse, quam artem Sanctus profiteretur; sed hoc tantum, quod aris supplicare spreverat.*

an potius multo antea.

32 *Pro altero capite ne multa congeramus, videntur hæc duo sufficere: primum, quod Prudentio teste, ceciderit Cassianus in persecutione sæva et generali Christianorum, hoc expressa disticho,*

Ecce, fidem quatiens tempestas sæva premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ;

talis autem nulla fuit in Italia sub Juliano, nulla post initia Constantini. Secundum ex eodem Prudentio sumitur, ubi narrat, sibi Cassiani *effigiem aspectanti respondisse consultum æditum:*

Quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula,
Historiam pictura refert, quæ tradita libris
D Veram VETUSTI TEMPORIS monstrat fidem.

Historiam hic vides martyrii ejus nuncupari historiam vetusti temporis *initio seculi* V, *hoc est, annis vix amplius quadraginta post interitum Juliani. An sic, ambo potuisset appellari, si sub Juliano contigisset? Non mihi quidem apparet; non aliis nunc passim omnibus, qui argumentum hoc attigerunt; ex quibus Tillemontius tom.* 5 *Monumentorum ecclesiast. pag.* 794 *ait*, certum esse, quod hoc non congruat cum Prudentio, qui facit Sanctum hunc multo antiquiorem, quam se, *qui tamen annis circiter tredecim ante Juliani imperium natus erat. At quanto antiquiorem?* Multo; *nihil amplius nec ipse audet, nec alii definire. Crosino tamen credibile videtur, quod apud Georgium Braunum legit*, S. Cassianum *occubuisse sub Diocletiano; quod sicut inficiari non debemus; ita non possumus confirmare. Viguit tum certe, si umquam, atrocissima violentia cogentium Christianos quoslibet sacrilegis idolorum aris supplicare; uti docet Lactantius de Mortibus persecutorum cap.* 15.

ACTA

E

Auctore Aurelio Prudentio Clemente, libro Περὶ στεφάνων *Hymn.* IX. *Ex codicibus nostris membraneis et vetustissimis † Ms. 63 et † Ms. 66.*

Prudentius ad S. Cassiani tumulum

Sylla forum statuit Cornelius; hoc Itali urbem
Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi, cum peterem te, rerum maxima Roma *a*, a
Spes est oborta, prosperum Christum fore:
Stratus humi, tumulo advolvebar, quem sacer ornat.
Martyr dicato Cassianus corpore.
Dum lacrymans mecum reputo mea vulnera *, et omnes
Vitæ labores, ac dolorum acumina, F
Erexi ad cælum faciem: stetit obvia contra
Fucis colorum * picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri (miserabile visu!)
Confossa parvis membra figebant stilis,
Unde *, pugillares soliti percurrere ceras *b*, b
Scholare murmur adnotantes scripserant.
2 Æditus consultus, ait: Quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula;
Historiam pictura refert; quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem. c
Præfuerat studiis puerilibus, et grege multo
Septus, magister litterarum sederat,
Verba notis brevibus *c* comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera non numquam præcepta et tristia visa
Impube vulgus moverant ira et metu:
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.
Ecce, fidem quatiens tempestas sæva premebat
Plebem

* i. e. peccata

* i. e. variis coloribus

* i. e. quibus

discit, eum pueros docuisse scribere;

A Plebem dicatam Christianæ gloriæ :
Extrahitur cœtu e medio moderator alumni
Gregis, quod aris supplicare spreverat.

exorta vero persecutione damnatum fuisse,

3 Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu,
Respondent : Agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite, conclamat, captivum, ducite, et ultro
Donetur ipsis verberator parvulis :
Ut libet illudant, lacerent impune, manusque
Tinguant * magistri feriatas *d* sanguine.

** pro tingant*

Ludum discipulis, volupe est, ut præbeat ipse
Doctor severus, quos nimis coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
Adest acutis agmen armatum stilis.
Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
Effundit ardens felle tandem libero.
Conjiciunt alii fragiles, inque ora tabellas
Frangunt : relisa fronte lignum dissilit :
Buxa *e* crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curva tumens pagina *f*.
B 4 Inde alii stimulos et acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur,
Et qua secti apices abolentur, et æquoris hirti
Rursus nitescens innovatur area :

ad horum ipsorum stilis ac tabulis.

Hinc foditur Christi Confessor, et inde secatur :
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem *g*.
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,
Totidemque guttæ vulnerum stillant simul.
Major tortor erat, qui summa pupugerat *h* infans,
Quam qui profunda perforarat viscera :
Ille levis, quoniam percussor morte negata
Sævire solis scit dolorum spiculis;
Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ, dum necem prope applicat.
Este, precor, fortes, et vincite viribus annos :
Quod defit ævo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener infirmusque laborat :
Tormenta crescunt, dum fatiscit carnifex.

inter atrocissima convitia, pereundum :

5 Quid gemis? exclamat quidam : tute ipse magister
Istud dedisti ferrum, et armasti manus.
Reddimus, ecce, tibi tam millia multa notarum,
Quam stando, flendo, te docente, excepimus.
C Non potes irasci, quod scribimus : ipse jubebas,
Numquam quietum dextera ut ferret stilum.
Non petimus, toties te præceptore negatas,
Amare doctor, jam scholarum ferias.
Pangere puncta libet, sulcisque intexere sulcos,
Flexas catenis impedire virgulas *i*.
Emendes licet inspectos longo ordine versus,
Mendosa forte si quid erravit manus.
Exerce imperium : jus est tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notavit segnius.
Talia ludebant pueri per membra Magistri :
Nec longa fessum pœna solvebat Virum.
Tandem luctantis *k* miseratus ab æthere Christus,
Jubet resolvi pectoris ligamina :
Difficilesque moras animæ ac retinacula vitæ
Relaxat, artas et latebras expedit.
Sanguis ab interno venarum fonte patentes
Vias secutus, deserit præcordia,
Totque foraminibus penetrati corporis exit
Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
6 Hæc sunt, quæ liquidis expressa coloribus, hospes,
Miraris : ista est Cassiani gloria.
Suggere, si quod habes justum vel amabile votum,
Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas.
Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles.

ex Ms. nunc autem apud Deum valere meritis et patrocinio.

Pareo, complector tumulum, lacrymas quoque fundo,
Altar tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris :
Tunc quod petebam, quod timebam, murmuro :
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
Et spem futuri forte nutantem boni *l*.
Audior, Urbem adeo, dextris successibus utor,
Domum revertor, Cassianum prædico.

ANNOTATA.

a *Tillemontius, qui Vitam Prudentii illustrat in Monumentis pro historia ecclesiastica tom.* 10, *a pag.* 560 *ad* 566, *iter hoc ejus ex Hispania Romam refert ad annum Christi circiter* 407.

b Ceras *appellat poëta tabulas oblitas cera, per quam olim stilum ducentes, sulcando litteras efformabant : easdem etiam adjective* pugillares *vocat a pugno seu pugillo, quo circumferri solebant assidue, ut semper in promptu essent, tamquam* ἐγχειρίδια, *seu manualia.* E

c *Istiusmodi notas breves, quas vulgo nunc abbreviationes appellant, apud Romanos usitatissimas fuisse, nemo nescit. Has qui callebant, incredibili compendio et celeritate fluentem orationem in tabulas redigebant. Adi de his grammaticum vetustissimum Marcum Valerium Probum et alios Lugduni Batavorum editos anno* 1599. *De iisdem apud Græcos usurpatis agit in Palæographia Græca D. Bernardus Montfaucon a pag.* 351.

d Feriatas : *feriabantur enim, seu cessabant ab exercitiis scholasticis discipulorum manus, capto Magistro.*

e Buxa *pro tabulis ex buxo lævigato confectis.*

f *Cod.* † *Ms.* 66 : curta tumens. *Et locus perquam obscurus est in singulis propemodum exemplaribus aliter atque aliter tortus. Heinsius edere maluit :* curta et umens; *Ruinartius et alii :* Curta et humens pagina. *Sic certe* curta *referri potest ad* crepant; humens *vero ad* cruentis. F

g *Hinc satis quisque intelligit, alterius formæ stilos hos fuisse, quam illum quem exibet citatus Montfauconius pag.* 21, *quique ex altera parte acuminatus est, ex altera ad modum dentis ad aream complanandam obtusus; sed absque ulla acie ad secandum idonea, qualem hic describit Prudentius.*

h *Secundam syllabam ex brevi longam hic fecit necessitas.*

i *Nimirum inter notas veterum breves aliquæ variis flexibus implicabantur.*

k *Genitivum verbo miserari junctum nondum alibi legi.*

l *Nempe commendabat ibi Martyri et familiam in Hispania relictam ac valde solicitam de suo discessu; a cujus eventu scilicet ejus fortuna pendebat; et ipsum eventum illum adhuc satis dubium, qualis Romæ apud imperatorem futurus esset, prosper, an infelix.*

A D

DE S. CASSIANO EPISC. MARTYRE

TUDERTI IN UMBRIA

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus ejus et reliquiæ.

Sub Diocletiano. Annuntiatur hoc die in Martyrologio Rom.;

Omnibus omnino Martyrologis ignotus fuit hic sanctus Martyr ante reformationem Martyrologii Romani, in quo sic ad hanc diem XIII *Augusti refertur*: Tuderti, sancti Cassiani episcopi et martyris sub Diocletiano imperatore. *Imo vero neque in ipso illo Romano locum semper habuit; ut patet ex editione Plantiniana anni* 1586; *ubi nondum legitur. Quid causæ fuerit, cur paulo post inserta sit ejus annuntiatio modo recitata,* B *innuere videtur in Annotatis ad illam Baronius; ubi hæc habet*: Accepimus ejus Acta ab ecclesia Tudertina, quorum est exordium prooemii: « Hortaris me, venerande pater Bassiane », etc. Passus habetur in persecutione Diocletiani sub Venustiano consulari. *Nam qualiacumque sint Acta illa (quod infra discutietur,) satis tamen antiqua sunt, ut veterem hujus Episcopi et Martyris in ecclesia Tudertina cultum suadeant; maxime si iis olim hæc usa fuerit in Officio suo; quod manifeste indicat Ludovicus Jacobillus in Vitis Sanctorum Umbriæ ad hunc diem, tom.* 2, *a pag.* 111: *ubi hæc Acta identidem citans, appellat* Lectiones antiquas Mss. Tudertinas, *vel* in episcopatu Tudertino.

sed cultus ejus multo est antiquior

2 *Et vero non desunt etiam alia et prisci et publici et continuati semper cultus ejus argumenta, quæ Romæ versus initium seculi* XVII *(ut suspicamur) exhibita legitime probataque valuerint, non solum ut novum apud suos Officium, sed et elogium in Martyrologio per omnes ecclesias exigere merito jure sit judicatus: nam utrumque vel simul, vel fere simul concessum fuisse, inde con-*C *jicimus, quod elogium illud legerimus in Romani Martyrologii editione anni* 1608; *Officio autem usus sit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ anni* 1613, *illudque ibi ad hunc diem appellet,* Officium ecclesiæ Tudertinæ nuper Romæ approbatum. *Porro inter argumenta jam dicta Joannes Baptista Possevinus in Vitis Sanctorum ac Beatorum Tudertinorum, editis Perusiæ anno* 1597, *recenset (utinam recitasset) pag.* 120 *Bullas multas Apostolicas Bonifacii VIII, Urbani VI, Bonifacii IX, et Alexandri V, per quas ait Sanctorum Tudertinæ ecclesiæ* Cassiani *Callisti, Fortunati, Romanæ ac Dignæ corpora* authenticata respective *fuisse, id est, opinor, agnita legitime non tantum universim ut corpora Sanctorum vera et cultu digna; sed etiam sigillatim unumquodque tamquam vere illius Sancti, cujus nomen gerebat. Harum Bullarum duas exhibet Waddingus in Annalibus Minorum, seu Regesto potius Pontificio ad tomum quartum, pag.* 176 *et sequente: ceteras non vidimus.*

3 Ex quibusdam illarum Bullarum, *inquit idem Possevinus,* aliisque scriptis authenticis constat, [eadem corpora] anno MCCCI, die XIX Augusti sub D. Nicolao Armato, episcopo Tudertino, collocata fuisse sub ara majore ecclesiæ sancti Fortunati, *quæ FF. Minoribus Conventualibus Tuderti cessit ab anno Christi* 1254. *Eamdem collocationem, seu translationem asserit Waddingus ad annum* 1389 *num.* 13, *et Ughellus Italiæ sacræ tom.* I, *in episcopis Tudertinis, ubi de Nicolao Armato. Pergit vero Possevinus ibidem ac subdit*: Ubi semper multa cum devotione culta fuerunt usque ad annum MDLXXX; *quando scilicet, ut idem narrat, diruta veteri ara, ut nova commodiore loco strueretur, inventa sunt ibi die* XIII *Decembris illa quinque corpora sacra,* E *recte conservata in quatuor thecis lapideis, plumbo ferroque munitis, intra vetustissimum sepulcrum marmoreum cum sua quælibet inscriptione incisa plumbo; tum ab illustrissimo ac reverendissimo D. Angelo Cæsio, urbis antistite, reclusæ thecæ, inspecta corpora, et populo, qui frequentissimus accurrerat, palam ostensa, ac tandem ad sacrarium, dum opus novum absolveretur, translata conditaque; uti constare ait ex publico instrumento, per Franciscum Astancolli notarium Tudertinum confecto die vigesima octava Decembris ejusdem anni.*

Translatio corporis facta an. 1301: et alia recentior,

Pontificiis indulgentiis ditata,

4 *Speravit sine dubio illustrissimus præsul novum altare, novumque sub eo tumulum, transferendis ritu solenni corporibus destinatum, brevissimo tempore confectum iri; siquidem anno sequente, die* X *Junii datam a Gregorio PP. XIII Bullam obtinuit, cujus inter alia verba sunt hæc*: Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis ac sanctissimo Eucharistiæ sacramento refectis, qui ecclesiam sancti Fortunati Tudertinam eo die, quo translatio corporum Sanctorum Fortunati, Calixti, et Cassiani, F ac sanctarum Romanæ, et Dignæ virginum ex sacristia dictæ ecclesiæ, ubi nunc reperiuntur, in aliud sepulchrum sub altari novo in ipsamet ecclesia honorifice et decenter præparatum, fiet; et deinde singulis annis die translationis hujusmodi, a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei, devote visitaverint, et ibi pro pace inter Christianos principes conservanda, ac hæresum exstirpatione, sanctæque matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concedimus. *Verum hæc diu posterius usui esse cœperunt propter civium egestatem, quæ vix erigendo lente altari sufficiens, designatum sub illo Sanctorum tumulum usque eo distulit, ut moræ tandem ulterioris impatiens ipse sumptu suo episcopus et sacellum sub altari et in hoc insigne ex marmore versicolori mausoleum absolverit ante diem* V *Maii anni* 1596.

et solemnissime celebrata

5 *Nam in eumdem illum diem, edicto amplissimo ad universum urbis ac diœceseos clerum ac populum directo, eorumdem sacrorum corporum decretam dudum translationem ita denuntiavit,*

AUCTORE P. B.

A *liavit, ut et rationem præscriberet, quam servari in tanta solemnitate tum in ecclesia, tum per assi- gnata civitatis compila plateasque vellet; prout legi potest apud laudatum auctorem a pag.* 123. *Sed modum præstitutum excessit istius diei ma- gnificentia, quam ne minutatim sit opus cum Pos- sevino describere, satis ex eo quisque conjiciet, quod affirmat pag.* 147; *insumpta nimirum in illam fuisse, partim ab episcopo, partim a civi- tate, sena circiter scutorum millia. Quamquam hoc ipsum, ut ut pro re multum, pro affectu pu- ram fuisse facile colliget, cui otium fuerit ea per- currendi, quæ ad hanc celebritatem exornandam virorum clarissimorum ingenia oratione Latina, Italica, soluta, ligata, pro sua quæque facultate, certatim profuderunt elogia : ea certe Possevinus tamquam nobiliora ceteris hujus diei ornamenta, ne ana conciderent, æternitati consecranda pu- tavit a pag.* 185 *usque ad* 291. *Nobis hic satis erit sola Sanctorum corpora considerare.*

anno 1596 die 5 Maii,

6 *Ea pridie translationis, seu die* IV *Maii, coram urbis Præfecto, magistratibus, ac populo lustravit iterum illustrissimus Cæsius, et in capsis quataor cypressinis, inductis serico, distincte re-* B *clusa sigillo suo munivit, adjecta singulis thecis epigraphe plumbea; et primæ quidem hac* : Hic re- quiescit corpus S. Fortunati episcopi Tudertini et confessoris; *secundæ vero* : Hic requiescit corpus S. Cassiani episcopi Tudertini et martyris; *tertiæ* : Hic requiescit corpus S. Calixti episcopi Tudertini et martyris : *et hæ quidem inscriptiones innovan- dæ faerunt; non item quæ thecæ quartæ fuit affixa* : Hic requiescunt corpora sanctarum virgi- num Romanæ et Dignæ. *Sic die* v *Maii ex ecclesia S. Fortunati circa meridiem educta, post trium- phalem per urbis loca præcipua et mirifice ador- nata circuitum (qui incredibilem undantis populi multitudinem non religioso minus quam augusto spectaculo horis omnino quatuor tenuit) ad eam- dem ecclesiam rediere : ubi in pegma, principem ante aram instructum, elata, cum admota custo- dia, ut ardentissimæ omnium pietati fieret satis, exposita permanserunt usque ad sequentis diei Vesperas, a triplici musicorum choro decantatas; quando episcopi quatuor (tot enim ad hoc festum concurrerant) sublatas a pegmate cypressinas hierothecas in novum sub altari novo sacellum singuli singulas intulerunt.*

et quotannis eo die recolenda.

C 7 *Ibi continuo coram assistente cum primoribus urbis gubernatore in alias totidem capsas ligneas, plumbo, ferro, stanneisque cam episcopi tum po- pali Tudertini sigillis communitas, inclusæ, at- que ita deinde in forulis intra marmoreum se- palcrum lapideis, opere cæmentario firmissimo- qae alte obstructis, contamulata fuerunt, et mausolei fastigio desuper imposito coronatæ. In- clusa fuit et lamina plumbea facti testis; cujus inscriptio vix differt sensa ab alia episcopi jassu in eodem sacello sic insculpta marmori* : Dei glo- riæ et Sanctorum venerationi. Corpora Sanctorum Cassiani et Calixti martyrum et Fortunati confes- soris, episcoporum Tudertinorum, ac sanctarum Dignæ et Romanæ, virginum ejusdem civitatis, à Nicolao Armato episc. Tud. anno salutis MCCCI, die XIX Augusti Translata et recondita, Angelus Cæsius episcopus Tudertinus, Cameræ Apostolicæ clericus præsidens anno MDLXXX, die XIII Decem- bris à se reperta, et diligenter recognita, per ci- vitatem solenni ritu transtulit die v Maii, anno MDXCVI, et hoc sepulchro, sua impensa magni- ficentius extructo, pie collocavit die VI Maii ejus- dem anni. *Pag.* 149 *describitar a Possevino* In- dictio supplicationis, ad memoriam translatorum quinque sanctorum corporum quotannis instituen- dæ Tuderti die v Maii cum indulgentia plenaria perpetua; *de qua re vide etiam Ferrarium in Ca- talogo generali, tertio nonas Maii. Hæc longi- uscule, in gratiam eorum, quibus præsto non est Februarius noster, ubi de iisdem translationibus est actum tom.* III, *pag.* 376 *et sequente. Liquet hinc certe, diutissime hujus Martyris corpus et habuisse et coluisse Tudertinos, antequam ejus memoria inscripta fuerit Martyrologio. Antiqui- tatem quoque publicæ venerationis arguunt eccle- siæ veteres ejus olim nomine dicatæ, quarum duas memorat Jacobillus hic, pag.* 117; *alteram Inte- ramnæ parochialem olim, nunc dirutam, alteram in diœcesi Tudertina.*

§ II. Ejusdem Acta quanti facienda.

Acta Sancti carpuntur ab aliis:

Acta S. Cassiani *episcopi Tudertini et martyris primus in lucem protulit anno Christi* 1597 *Joannes Baptista Possevinus, presbyter ac theolo-* E *gus Mantuanus, in Vitis Sanctorum et Beatorum Tudertinorum ad hunc* XIII *diem Augusti a pa- gina* 23, *præfatus ibidem, ea Latine primum scripta fuisse in monumentis et antiquis Tuderti codicibus; se autem illa fideliter in Italicum idioma vertisse. Suspicamur tamen, eum diversis monumentis usum, ex his quædam inseruisse Actis* S. Cassiani, *quæ ad illa proprie non spe- ctant; ut martyrium S. Seustii et sociorum ejus a pag.* 24 *usque ad* 28; *et quæ habet pag.* 35 *de martyrio SS. Venustiani et Sabini episcopi : ab- sunt enim illa ab exemplari, quod accepisse se ab ecclesia Tudertina testatus est supra Baronius, quodque sine dubio cum ceteris legavit moriens bibliothecæ Vallicellensi, ex qua illud nobis offi- ciosissime curavit exscribi P. Laurentius Koler anno* 1648. *Non vidit hæc Acta Tillemontius; sed eorum perexiguum tantummodo fragmentum apud nos ad diem* XVIII *Aprilis pag.* 541, *eorum- dem compendium, multo, quam Acta, tolerabi- lius, a Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ datum hoc die ex* Officio, *ut monet*, ecclesiæ Tuder- tinæ, nuper Romæ approbato : *ex his tamen ipsis conjecit auctor ille Monumentorum Not.* 18 *in* F *persecutionem Diocletiani.* Acta S. Cassiani *nostri* nihil prorsus valere. *Ipse Ferrarius ibidem in Annotatione satis ea sugillat, cum ait, esse con- fusa cum aliis : neque minus obscure Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom.* 2, *a pag.* 114; *ubi ex integris Actis nostris plurima detruncat et cor- rigit.*

neque nobis placent propter vitia,

9 *Et vero cui placere possint Acta, tot passim vitiis inquinata ab auctore anonymo, quem etsi nesciamus, quando scripserit, certum est tamen, ab iis temporibus, de quibus agit, longissime re- motum fuisse; neque testes interim ullos pro se aut ulla superioris ætatis monumenta producere? Et ætatem ipse quidem satis proderet, cum hanc opellam suam inscripsit venerabili* Patri Bassiano; *nisi hic ipse Bassianus ignotissimus nobis esset. Quod autem* arcis *Tuderti* regiæ *mentionem facit in fine. id argumento est, eum scripsisse ut mini- mum post eversionem imperii Romani et barbaro- rum in Italia dominatum. At quamdiu post illam? Incerta res est. Non videtur certe annum Christi* 1301 *tunc attigisse; quandoquidem de* S. Cassiani *aliorumque tum facta translatione ne verbo qai- dem uno meminit. Porro qaantam in hac historia*

mereatur

AUCTORE P. B.

mereatur fidem, facile per se statuet, qui non oscitanter omnino legerit : incurrent enim in oculos errores crassissimi, quorum en tibi quædam specimina.

quorum hic dantur

10 *In ipso præfationis exordio ait, SS. Anastasium episcopum (sic dudum ante nos etiam legit Joannes Baptista Possevinus pag. 32) et Hieronymum presbyterum stilo prosecutos esse Vitam sanctorum Pauli et Antonii in eremo positorum. Hoc de Anastasio falsum esse, de Athanasio verum, colliges ex Commentario prævio ad Acta S. Antonii ad diem* XVII *Januarii. Quamquam neque Athanasius Vitam S. Pauli; neque Vitam S. Antonii (quod ipse innuit, et multi perperam credidere) scripserit Hieronymus. In ipsis Actis cap.* I, *num.* I. Diocletianus una cum Maximiano ex Numerantia *triumphando Romam reversus est; et quidem, ut apparet ex adjunctis, cum jam uterque, vel alter saltem eorum, esset augustus; neque adeo ante annum Christi 284. Atqui nulla hactenus in orbe toto comperta* Numerantia *fuit. Possevinus quidem* Numantiam *in Hispania supposuit; sed ibi nihil his imperatoribus belli fuit,* B *nihil victoriæ. Ibidem auctor noster post illum reditum, conjugium iniisse statuit Ablavium cum filia Chromatii ; tum ex hoc suscepisse liberos, primo* Cassianum, *deinde alios, ut Flaccum et Venustianum ; quorum proinde vix natu maximus excedere anno uno alterove potuit ex ephebis, imperantibus Diocletiano et Maximiano. Et interim sub horum imperio* Cassianum *ibidem facit medicum adeo peritum*, ut ante eum vix in humanis corporibus languores manere potuissent, insuper et causidicum magnum per totam urbem Romam ; *et num.* 3 *episcopum, et num.* 5 inveteratum dierum : *fratres autem ejus minores, alterum eodem tempore a Maximiano instructum potestate vitæ ac necis per omnes civitates, alterum Tusciæ proconsulem num.* 4 *et* 5. *Ecquid belle?*

aliquot specimina.

11 *Eodem numero* 4 *fingit Chromatium Romam non potuisse reverti Mediolano*, quia [*hic*] Sebastianum, nobilissimum Mediolanensium civium, habebat, nondum data capitali sententia ; *sed eo pro se misisse Venustianum ex filia nepotem ; ut proconsulatum acciperet Tusciæ, recusatum* C a Cassiano. *Quis hæc digerat ? nam primo constat ex Actis S. Sebastiani vetustissimis, ad diem* XX *Januarii illustratis, S. Sebastianum coronatum fuisse martyrio circa annum Christi 287 aut potius initio sequentis, hoc est, antequam secundum anonymum nostrum natus esse vix potuit Venustianus. Secundo, diu Chromatium ab idolis, officio et Urbe discessisse Christianum, priusquam Sebastianus in suspicionem venisset apud gentiles mutatæ superstitionis in professionem Christianam. Tertio, S. Sebastianum nihil Mediolani passum esse ; sed omnia Romæ ; ubi ejus religio primum innotuit annis fere tribus post conversionem discessumque Chromatii ; quod usque adeo confirmat S. Ambrosius in Psalmum 118 ; ut ideo Romam Sebastianum abiisse asserat, quod Mediolani vel nullum esset vel teperet pro tuenda Christi fide certamen. Sufficit profecto vel unicus hic locus ad proscribendam biographi nostri fidem. Quare alias ejus ineptias ad Annotata remitto ; quamquam nec ibi notari poterunt omnes.*

Excudentur hic tamen, et quare.

12 *Verum, inquis, si talia sunt hæc Acta, quid ex iis tandem satis tuto colligi poterit ? Respondeo, antiquitas cultus hujus* Cassiani *apud Tudertinos, et longa sepulcri ejus et corporis possessio ; ante annum videlicet Christi* 1301 *ut* D *minimum : cum enim rogatum se dicat, ut Acta scriberet* B. Cassiani martyris et episcopi Tudertinæ ecclesiæ, *satis asserit, in ecclesia Tudertina* Cassianum *ut Beatum, ut Martyrem, ut suum olim episcopum habitum honoratumque fuisse, antequam ipse ad scribendum accederet. Item cum in Actorum fine locum sepulcri ejus diemque natalem assignat, dubitare non sinit, quin eodem loco tune temporis, eodemque die a Tudertinis præcipue adiri suppliciter colique consueverit ; sive ab initio (quod addit ipse) sepultus istic ab avia fuerit ; sive non : sive etiam illo ipso die re vera martyrium fecerit olim ; sive quovis alio, quam quo tum colebatur. At si de reliqua* S. Cassiani *nostri historia quæritur, in ea me fateor nihil quidquam certi comperire, nihil, quod cum aliis historiis aut cum hac ipsa satis cohæreat. Subjicietur hic tamen, ut cognoscatur ; quippe cujus in hoc Opere jam non semel facta sit mentio.*

Tempus martyrii ejus.

13 *Martyrium ejus sub Diocletiano notamus, non quia demonstrare possumus, illud sub eo accidisse ; sed quia non possumus inficiari quod ad Martyrologium Romanum de illo sic annotavit Baronius* : Passus habetur in persecutione Diocletiani sub Venustiano consulari. E *Papebrochius quidem noster ad diem* XVIII *Aprilis pag.* 542 *existimavit, hunc* S. Cassianum *occubuisse sub Maxentio anno Christi* 310 ; *quia hæc ejus Acta connectendo cum Actis S. Sabini seu Savini episcopi et martyris, qui in Martyrologiis notatur die* XXX *Decembris, opinatus est, periisse* Cassianum *post datas Roma litteras ad Venustianum Tusciæ proconsularem de instauranea Christianorum persecutione : has autem litteras Acta S. Sabini datas esse tradunt* pridie Kalendas Maii, *cum præfectus urbis esset* Hermogenianus, *quem ipse eumdem omnino censuit esse cum* Aurelio Hermogene *illo, qui secundum catalogum Bucherianum præfecturam tenuit sub Maxentio imperatore a* III *Kalendas Novembris anni* 309 *usque ad* V *Kal. Novembris anni* 310. *Sed hæc sententia primo repugnat Actis S. Sabini, quæ expressis verbis Hermogenianum Urbis præfectum faciunt sub Maximiano Augusto. Secundo differunt hæc nomina* Hermogenianus *et* Hermogenes, *ac magis etiam hæc* Eugenius *et* Aurelius, *quorum primum apud Surium et Baronium, ubi de S. Sabino, tribuitur Hermogeniano; alterum apud citatum Bucherium Hermogeni : non igitur confundenda videntur.* F *Tertio, neque cum Eusebii neque cum aliorum historiis videtur ullo modo componi posse tam atrox Christianorum persecutio sub Maxentio imperatore. Quarto, tam constanter in Actis S. Sabini, et antiquis Martyrologiis Maximiano augusto adscribitur ipsius Venustiani martyrium; ut non dubitarit asserere Tillemontius de* Cassiano *in persecutionem Diocletiani Not.* 18, necesse esse, ut passus fuerit anno CCCIII, si judex ejus fuerit S. Venustianus. *Plura dici poterunt, cum illustranda erunt Acta S. Sabini.*

S. Cassianus hic non confundendus cum Corneliensi.

14 *Sunt, quos dubios fecerunt sive hæc Acta nostra aut eorum compendia, sive Ferrarius, an non unus idemque censeri debeat* Cassianus *hic Tudertinus cum Forocorneliensi, qui eodem hoc die colitur. Et Acta quidem, quia Tudertino affingunt idem genus martyrii, quo scilicet discipulorum suorum stilis confixus exspirarit ; id quod certum est fuisse Corneliensi proprium : Ferrarius vero in Catalago Sanctorum Italiæ ad hunc diem; quia* Cassiano *Tudertino, et quidem (ut addit)* ex ejus Officio, *Hymnum adscribit, qui manifestissime spectat S. Cassianum Corneliensem (etsi nunc*

A *nunc in hujus Officio Romæ approbato non exstet :) ac deinde subdit :* Hujus passionem describit Prud. in suo Peristeph. ; *cum ibi Prudentius de solo Cassiano Corneliensi agat, non de Tudertino; nisi hic sit idem qui ille. Nescio equidem, quodnam sit illud Officium, quod appellat; non dubito tamen quin Hymnus ille et citatio Prudentii, præter mentem Ferrarii, exciderint de loco suo pag.* 509, *ubi agitur de Cassiano Corneliensi, in paginam sequentem* 510, *ubi de* Cassiano *Tudertino. Patet id ex indice ejusdem operis, cui titulum fecit ipse Ferrarius :* Corpora Sanctorum diversis locis assignata : *in eo namque non recensetur corpus* S. Cassiani, *tamquam idem ecclesiæ Corneliensi ac Tudertinæ assignatum. Acta porro* Cassiani *nostri non tanti valent, ut eorum quantacumque confusio duorum Martyrum confusionem parere debeat in eo, qui tegerit quæ modo de* S. Cassiani *Tudertini sepulcro et corpore, non semel translato inspectoque, diximus; et quæ de* S. Cassiani *Corneliensis reliquiis paulo superius attulimus.*

B

ACTA

Auctore anonymo ; ex Ms. Romano apud RR. PP. Oratorii S. Philippi Nerii.

PROLOGUS AUCTORIS

Auctor profitetur veritatem hujus historiæ. *a*

Hortaris me, venerabilis pater Bassiane, ut sicut beati viri Anastasius episcopus, et Hieronymus presbyter *a* stilo prosecuti sunt Vitam sanctorum Pauli et Antonii, in eremo positorum ; sicut etiam Martini, venerabilis episcopi Turonensis ecclesiæ Severus, Domini servus, contexuit; ita ego B. Cassiani martyris et episcopi Tudertinæ ecclesiæ meo prosequar stilo. Sed ego, licet meritis tantorum, qui muri ecclesiarum sunt et eloquentiæ fontes, me imparem noverim; tamen, quia absurdum reor vestræ rogationi inobedientem existere, breviter satisfaciam vestræ C petitioni; nec verborum fucis veritatem obducam; ne, dum scriptor elegantiæ pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam : non enim magis verborum phaleras pompasque sermonum, quam virtutes rerum gratiamque Spiritus sancti expeteré convenit. Quamobrem obsecro vos omnes, in quorum manus liber iste versabitur, ut credatis, vera esse, quæ scripsimus *b*; nec me quisquam putet studio amoris aliquid, quod fide careat, posuisse; cum melius sit penitus nihil dicere, quam quid falsi proferre; cum sciamus omnium sermonum nostrorum reddituros nos esse rationem. Unde hodie nativitatis B. Cassiani narrandi initium sumam; ut gratia Viri Dei et prosapia legentibus aperiatur. *b*

ANNOTATA.

a *Vide Commentarium prævium num.* 10.

b *Iniqua sane obsecratio ; cum neque testes afferat, neque fontem assignet narrationis suæ, rebus, quas asserit, longe posterioris : itaque a multis vel partim, vel omnino rejecta est supra in Commentario num.* 8. *Imo vero videntur hanc historiam vel non vidisse, vel tacite damnasse auctores omnes usque ad finem fere seculi* 16 ; *cum nemo unus de illa verbum ullum fecerit ante editionem Joannis Baptistæ Possevini anni* 1597. EX MS

CAPUT I.

S. Cassiani conversio, episcopatus, et prima certamina.

Ablavius. Cassiani pater, Tusciæ proconsul, *a*

Igitur eodem tempore, quo Diocletianus una cum Maximiano ex Numerantia *a* triumphando Romam reversus est gaudens, erat vir quidam strenuissimus, Ablavius nomine, in civitate Tudertina, qui cum eis remeaverat. Hic accepit uxorem filiam Chromatii, Urbis Præfecti *b*, et, *b* invito patre, secum ad propriam evexit civitatem; et ex ea accepta prole, vocavit eum Cassianum. Audito itaque Chromatius quod filia sua filium peperisset, misit nuncios, et eum in fascia deferri fecit, tradiditque eum nutricibus, dicens : Custodite hunc infantem, et quod justum fuerit, accipietis *c* : illæ autem abeuntes, puerum custodiere. Qui tam celeriter adolevit, ut ipse Præfectus miraretur; puerumque recipiens, tradidit eum ad liberales discendas artes. Qui ex iis ita peritissimus evasit, ut ante eum vix in humanis corporibus languores manere potuisset *d*; insuper et causidicus magnus per totam urbem Romam vocabatur. Post pauca tempora Pancratius, proconsul Tusciæ, mortuus est sine prole. Tunc Diocletianus una cum Maximiano Ablavium venire Romam fecere, et, consentiente Chromatio *e* proconsul factus est Tusciæ. E *c* *d* *e*

victo S. Pontiano ep. Tudert., perit misere. *f*

2 Et augustali accepta sententia ut ubicumque Christicolas inveniret, sine ulla examinatione, pœnis diversis necaret *f*, venit in civitatem Tudertinam ; auditoque proconsul quod Pontianus episcopus multos ad fidem Christi Tuderti converteret, fecit eum de cisterna quadam, in qua delitescebat, extrahi et eidem sine ulla examinatione corrigiam a capite usque ad talos trahit *g*. Et interrogans eum, cujus professionis esset, Pontianus episcopus dixit : Christianus sum indignus episcopus. Proconsul dixit : Cujus auctoritas tibi præstat, ut doctrinam occulte facias, ut doceas populos, ut derelinquant deos et sequantur hominem mortuum? Pontianus episcopus respondit : Vere mortuus; et resurrexit die tertia; et iis, qui in se credunt, vitam perpetuam præstat. Proconsul inquit : Elige tibi unum de duobus, aut sacrifica diis, et vive; aut tormentis, quibus dignus es, necaberis, et resurges, sicut Dominus tuus Christus. Respondit Pontianus : Ego semper desideravi necari et mori, ut resurgam, sicut Dominus meus Christus. Dum hæc in civitate Tudertina gerebantur, legati a Diocletiano et Maximiano venerunt, dicentes Ablavio, ut eat Fanum *h*; quia multi Christicolæ ibi nunciati essent. Statimque proconsul tradidit eis *i* Pontianum episcopum; et ipse profectus est, et percussus ab equo calcitroso, in itinere mortuus est *k*. *g* F *h* *i* *k*

cui succedere vult Cassianus, jam conversus et episcopus.

3 Legati vero tenentes S. Pontianum episcopum, duxerunt eum Romam ante conspectum Diocletiani et Maximiani; statimque Maximianus augustus jussit eum mitti in carcerem. Nunciatumque est Cassiano; venitque, et recepit eum in custodiam; omniaque, ut gesta fuerant, enarravit. Tunc Cassianus valde rogabat eum, ut se in

ex MS. in nomine Domini Dei sui baptizaret: baptizatusque est, et ordinatus inter clericos. Post mortem illius episcopatum accepit *t* absconse; reversusque est in civitatem Tudertinam *m*, ibique faciebat publicas conventiunculas cum Christianis, et multos scholares edocebat *n*. Nunciatum est Maximiano augusto, quod Ablavius esset ab equo calcitroso percussus, et de ponte Ariminensi *o* in fluvium demersus, nusquam apparuisset. Contristatus est autem Maximianus et totus senatus; et decreverunt proconsulatum dari Cassiano, ejus filio primogenito. Ille vero renuens, nolebat regnum æternum pro nihilo perdere; sed misit Maximiano, dicens: Victori Maximiano ac triumphatori et semper augusto Cassianus debitam reverentiam. Oro te, domine imperator, proconsulatum aut præfecturam, quam mihi dare decrevisti, alteri tribue; quia aliam præfecturam teneo, aliumque consulatum glisco, atque sub alio Imperatore milito.

Hujus frater Flaccus dum Spoleti sæviens perit,

4 Tunc Maximianus intelligens, Christianum esse, misit litteras Mediolanum, ubi erat Chromatius Præfectus, nuncians mortem generi sui, nepotemque illius a sacra deorum recessisse cultura. Eodem tempore Chromatius nitebatur reverti
B
Romam; sed quia Sebastianum, nobilissimum Mediolanensium civium, habebat, nondum data capitali sententia, regredi non valebat *p*. Vocavitque Venustianum, nepotem suum; et transmisit eum Romam, ut proconsulatum acciperet Tusciæ, et ubicumque Christianos invenisset, puniret. Dum hæc gerebantur Mediolani, Maximianus augustus vocavit filium Ablavii, qui vulgo habebatur homo terribilis et sine misericordia, Flaccus nomine, et direxit eum, ut per plateas omnium civitatum Jovem erigeret, et Christianos, ubicumque invenirentur, puniret. Egressus igitur Flaccus cœpit multa crudelia contra Christianos exercere. Nunciatum est ei, quod in civitate Spoletana esset quidam sacrilegus, Gregorius *q* nomine, qui die noctuque populum subvertebat. Venit igitur, et in eadem civitate sedens pro tribunali ad se jussit Gregorium præsentari, et cito martyrium ejus exagitabat finire, volebatque in fratrem suum Cassianum properare; sed divina ultione, quam Deus pro Sanctis suis exercuit, volutatus in forum civitatis Spoletanæ exspiravit.

Venustianus, alter Ablavii filius Cassianum Tuderti torquet varie:

C
5 Dum hæc gerebantur in civitate Spoletana Venustianus venit Mediolano Romam, acceptoque proconsulatu Tusciæ, in civitatem Tudertinam deductus est; ibique sedens pro tribunali, fratrem suum Cassianum sibi præsentari jussit, ad lignumque ligari præcepit, faciebatque eum cædi a quatuor tironibus *r* a tergo, et revolvi a ventre; et dixit: Consule tibi et nobis; et publice sacrifica summo ac majori deorum Jovi, et vives. Tunc B. Cassianus respondit: Dominum cæli et terræ adoro, qui pro nobis homo fieri dignatus, et nos redemit sua sanctissima passione. Tunc Venustianus dixit: O inveterate dierum! periture, adora dominum Jovem, et desine adorare quod nihil est. Eadem hora Venustianus præcepit Jovem adduci, dicens ei *: Statimque beatus Cassianus accipiens Jovem in manus, jactavit eum in terram; et confractus est *s*. Ut Venustianus conspexit, Jovem comminutum esse, exiliens, lambebat terram, ubi jactatus fuerat, et dicebat: Heu! quia dominus noster in nihilum redactus est; venite et incendamus sacrilegum! Audiens hæc Cassianus beatissimus, respondit: Dominus vester in nihilum redactus, cur se non adjuvavit * ipse?

** supple Adora vel quid simile.*

** f. adjuvit sed frustra.*

6 Post hæc Venustianus præcepit ignem accendi, et manus ejus in ignem mitti. Quod intelligens Episcopus, dixit: Igni adhibere manus meas potes et viscera; sed etiam fugient pœnas membra, solita virtute Christi. Quibus auditis, Venustianus fecit eum in ferventis olei dolium mitti. Qui cum fuisset in medio dolii bullientis olei, cælitus ignis sumptus est, acsi ventorum violentia aliorsum inclinatus. S. Cassianus tales preces omnipotenti Deo fudit, dicens: Magnificet cælum, tellus, mare, et omnia quæ in eis sunt, te, factor immense, qui cuncta creasti: sit tibi laus honor, et gloria in æternum et ultra qui mihi rorem tuum de cælis porrigis, et repellis flammas, ut a meo corpore cessent: propterea laudem cuncti dicant nomini tuo, cælum et terra *t*.

ANNOTATA.

a *Adi Commentarium num.* 10.

b *Agrestius* Chromatius *non legitur apud Bucherium in elencho præfectorum Urbis; unde annus ejus præfecturæ non est admodum exploratus. Creditur tamen incidisse in annum Christi* E 304 *aut sequentem. Vide apud nos diem* 20 *Januarii in Annotatis ad Acta S. Sebastiani Mart. cap.* 2, *litt.* b; *et iterum die* XI *Aug. ubi de SS. Tiburtio, Chromatio, et Sociis,* § 3.

c *Hoccine est verisimile, quod nepotem avus parentibus ereptum crediderit nutricibus?*

d *Ergo medicinam exercuit homo ea ætate, eo loco natus!*

e *Quid vero ad Chromatium hoc attinere potuit, qui jam pridem ante natum ex Ablavio* Cassianum *dimissa Urbis præfectura, non modo privatam, sed et Christianam in Campania vitam delegerat?*

f *Et hoc,* consentiente Chromatio *et Christiano et sancto? Vah! Nota interim a Joanne Bapt. Possevino huc Actis nostris multa intrudi nihilo meliora de SS Senstio et aliis* 80 *Martyribus Tudertinis, de quibus actum est, et porro erit agendum die* 29 *Januarii.*

g *Neque hoc sine graviore auctoritate credibile est. Cur vero tum demum interrogatur sanctus Martyr; cur non servatur præceptum augustale; cur non* sine ulla examinatione necatur? *Porro se-* F *quens dialogismus fere ad verbum huc translatus est ex Actis S. Savini apud Baluzium in Miscellaneis tom.* 2, *pag.* 49.

h Fanum *civitas est in Ducatu Urbinate ad sinum Adriaticum.*

i *Et quare non statim occidit? nam æque id jusserant imperatores, ac Fanum adire.*

k *Dubitat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* 9 *Julii in Annotat, ad S. Pontianum hunc nostrum, an alius hic fuerit Ablavius ab illo, qui sub Constantino floruit.*

l *Tam neophytus contra præscriptum Apostoli? Sed forte deerat alius.*

m *Statuit ergo Anonymus, Pontianum eo ipso tempore martyrium consummasse; quod non satis clare dictum fuit, cum de illo est actum a nobis die* 9 *Julii: ubi videtur ex Actis hisce nostris plus præsidii speratum fuisse, quam afferre possint, mea quidem sententia.*

n Scholares edocebat *Episcopus in propria diœcesi? Non credit ipsi Ferrarius; expungit Jacobillus, tamquam ex alterius* S. Cassiani *Actis huc inepte traductum.*

o *An ergo Ariminum adiit, in eodem littore Adriatico*

A Adriatico situm? Hæc sane via recta non erat festinanti Tuderto Fanum.

p Quam falsa sint hæc, diximus in Comment. num. 11.

q Hic S. Gregorius colitur 24 Decembris; quando de illo agendum erit.

r Tirones dici solent vel novitii milites, vel in qualibet arte discipuli. A tergo et a ventre mutuatus videtur auctor ex Actis S. Gregorii M. Spoletani.

s Idem paulo aliter narratur de S. Sabino.

t Tam rara prodigia, tamdiu ignota! Quis credat? Idem censendum de iis quæ infra occurrent.

CAPUT II.

Alia tormenta, martyrium, sepultura.

Idem nova supplicia minatur a

B Dumque hoc audivisset Venustianus, fecit eum extrahi de dolio, et dixit ei: Cassiane frater *a*, elige tibi unum de duobus; aut sacrifica deo Jovi, quem fregisti; aut in carcere religatus catenis, in obscuro jacebis. Cui Sanctus ait: Si carcere tetro recludar, nectarque catenis, non formidabo pœnas, Christi fretus beneficiis. Quod cum audivisset Venustianus, dixit: Et ego faciam caput tuum abscindi; et videbo, si Christus tuus te liberet. S. Cassianus respondit: Si mucrone mihi paret caput abscindere lictor, liber in excessu mentis adibo Dominum. Cui Venustianus dixit: Et ego mittam te Maximiano; et in exilium mitteris, et fame peribis. S. Cassianus respondit: Non metuo exilium: mundus domus una est omnibus: sperno famem: verbum meum sit mihi cibus. Cui Venustianus dixit: O sacrilege Cassiane, adora deos Jovem, Martem, Asclepium, et Minervam: et dic nobis, a quo habes fiduciam, ut exilium, famem, mortem, et ignem non timeas? Ergo adora Jovem, et vive; alioquin mulctaberis dira sententia. Cui Cassianus respon- C dit: Jesus Christus spes mea est tormenta superandi, et ista mihi de eo certa fiducia surgit. Christus dat posse pati: Christus est qui vivere facit. Non in nobis, Christe, confidimus, non in nobis; sed confidimus in te: quos pugnare jubes, fac, Domine, superare.

et infert Sancto, ac discipulis ejus; * *i. e. sacrificia*

8 Tunc Venustianus dixit: Testor vivificam et intemeratam deorum nostrorum culturam; quia si non illico diis nostris sacrificas, ut mos est, et Orgia * libes, confestim gladio punieris: et si prævalet vester, ut asseris, Christus nescio quis; eruat te de manibus meis: et tu, qui usque nunc per artem magicam tormenta elusisti, jam hinc tibi nulla prodest delusio, nulla tibi largietur præsidia statimque fecit funem mitti in collum ejus, et in altum levari, et cum ungulis ferreis ungulas ejus trahi *b*. Et ridendo eum tunc circumstantes, dicebant: Veniat Christus, et in digitos tuos ungulas ponat. Dumque S. Cassianus levaretur per funem a terra, terræ motus factus est magnus in civitate Tudertina, et mortuæ sunt triginta et octo animæ paganorum: carnifices vero, qui eum trahebant, arentes steterunt, et non valebaut se de loco mutare, in quo stabant. Videns hæc Venustianus, pavefactus est valde; et præcepit mitti eum in carcerem, et scholam *c* ab eo separari; et separati sunt pueri et a lacte dulcedinis magistralis; ligatisque manibus, cædebat eos, dicens: O insani; et vos decepti estis? En mitto vos in carcerem; et fame peribitis; et parentes vestri nulla nobis dabunt suppedia. EX MS.

qui dum pœnis victi, in Magistrum armantur,

9 Postquam vero pueri hæc audivere, percussi sunt a sagitta diaboli; et cœperunt plorare. Tunc lictor intelligens, animum puerorum mutatum esse, unumquemque eorum circumiens, dicebat: Ecce, ego omnes vos mitto in carcerem cum graphiis et tabulis. Insurgite super sacrilegum Magistrum vestrum, et interficite eum, et liberate vos; et eritis amici principis. Post hæc missus est B. Cassianus in carcerem, et omnes scholares ejus; majores autem ligatis manibus; minores vero cum tabulis et graphiis, solutis manibus missi sunt in carcerem cum ipso.

hic mortuum suscitat:

10 Interea accidit fortuito casu, quod mulieris cujusdam unicus filius equum conscendens, et transiens foveam, ex equo cecidit et mortuus est. Cui cum nullus potuisset præbere solamen, mox mater ejus ad beatissimum Cassianum venit, deferens puerum; et instans ante ora carceris, cum luctuosa voce deposcebat, dicens, ut ejus E unicum filium suscitaret. Confestim S. Cassianus compatiens dolori ejus, orationem fudit pro ipso puero ad Dominum Deum, dicens: Domine Jesu Christe, Fili Dei, qui pro salute humani generis in mundum per virginalem uterum adveniens, formam nostræ mortalitatis assumpsisti, ut nos a morte liberares immortali [et] indutus mortalitatem, nos in incorruptibilem patriam inferres; qui unicum viduæ filium, ad sepulchrum venientem, incolumem reddidisti; suppliciter tuam gratiam deposco, ut puer iste salvus suæ genitrici reddatur, et cognoscat, quia tu es Dominus solus, in cælo et in terra faciens prodigia. Expleta vero oratione, ex infimo carceris faciens * signum sanctæ Crucis, statim puer, qui erat mortuus, surrexit; et qui in lectulo deportatus fuerat, suis pedibus ad propria repedavit. Ex eadem hora tam de finitimis quam de longinquis regionibus, Regis æterni magnus atque mirabilis enucleavit *d* affectus.

** pro faciente eo* d

illi vero Magistrum et Præsulem suum

11 Tunc S. Cassianus in medio carceris positus, hortabatur scholares, ut in confessione Christi constanter perseverarent. Dum hæc in carcere gerebantur, Venustianus misit lictorem ad carcerem, trahique præcepit Marcum, Cletum, Tudinum, et Leontium, scholares B. Cassiani. F Erat autem carcer, ubi S. Cassianus inclusus erat cum discipulis suis, in modum cisternæ subterraneæ, constructæ ex minutis lapillis, fere locatæ in muro civitatis. De iis vero supradicti viri abstracti sunt, et ante præsentiam impiissimi Venustiani in eculeum levati sunt. Qui dum diu traherentur, venit nuncius Roma Venustiano dicens, ut eat in civitatem Assisinatem; quia nunciatum est, ibi esse sacrilegum et seductorem, Sabinum nomine. Eadem hora fecit de eculeo deponi dictos scholares, tradiditque eos legatis; et profectus est. Ipse vero post paucos dies Assisium pergens præcepit fratrem suum fame in carcere perire.

graphiis in carcere conficiunt.

12 Tunc pueri, qui cum S. Cassiano erant, insurgentes super eum, cum tabulis et graphiis percutiebant eum, dicentes: Tu percussisti nos; et, ecce, reddimus tibi vicem. Qui, cum diu cæderetur, dicebat: O pueri, estote fortes; ne terreamini: et quod ego faciebam vobis bona fide pro sapientia discenda, vos facite mihi, ut ad cælestia regna attingam. Unus autem efferus præ cæteris cohortans alios, stringens pugnum et extendens

EX MS. tendens brachium, Magistrum in pectore graphio ferreo dire percussit: unde totus sanguis illius emanabat. Et tumultus factus est in carcere; quem cum audivit carcerarius, præcepit scalam transmitti per funem *e*, omnesque jubet egredi foras: egressique sunt omnes; solummodo Episcopus remansit vulneratus in carcere. Quod intelligens carcerarius, introiens extraxit eum foras.

populo applaudente; Deo Martyrem illustrante, f

13 Factusque est concursus populorum; et videntes enim, alii ridentes, alii flentes, dicebant: Sic fiant rebelles deorum et principum contemptores *f*! Audiens hæc sanctus Cassianus episcopus, dixit: Estote vos filii patris vestri, et obedientes principibus vestris, ut hoc regnum momentaneum teneatis, et regnum, quod est perpetuum, temnatis. Ubi sunt vestri majores parentes? Ubi sunt divitiæ, quas acquisierunt? Ubi est aurum et argentum? Ubi pallium et purpura? Ubi cariora indumenta? Hæc omnia a tinea comesta sunt; et corpora eorum in putrem humum redacta sunt. Hæc dicente S. Cassiano, coruscans splendor missus ab arce poli super eum radiavit, simulque cum ipso splendore perrexit ad

B Dominum.

die 13 Augusti. g h

14 Tunc nobilis matrona, atque sua patrum colligebant *g* sanguinem illius in phialas vitreas, corpusque ejus cum aromatibus in finibus arcis regiæ, quam usque hodie incolæ illius terræ collem appellant, sepeliri præcepit *h*. Diem si quæris quando de corpore cessit ad Christum, tertio decimo die Augusti raptus est ad sidera poli, propitiante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Germanum* S. Cassiani *fratrem hunc Venustianum fuisse,* tum credemus. *inquit Tillemontius in Persecut. Dioclet. Nota* 18, cum argumenta viderimus minime dubia. *Tantumdem ego de avo Chromatio dixerim: de quo vide plura ad diem* XI *Aug.; ubi de S. Tiburtio M. Porro adverte sequentes mox Venustiani tautologias, quam parum sint aptæ tam severo judici: tum ejus minæ quanto mitiora intorquent* Cassiano *supplicia; quam quæ jam pertulit ac superavit; tanto stultius proponuntur.*

b *Atqui mox dixerat mendax tyrannus, gladio punitum iri Sanctum. Imo adverte apparatum hic descriptum; et vide, an ad evellendos digitis ungues ullo modo conveniat. Nimirum hæc auctorem sapiunt, qui etiam humanis digitis pro* unguibus *affingit* ungulas; *quod non memini antehac in ulla Latinitatis barbarie me legere.*

c *Vide supra litteram* n. *Resecuit ergo Jacobillus hæc omnia et quæ sequuntur de scholaribus tamquam per* errorem expressum *huic Martyri affict*a.

d Enucleavit. *Possevinus vertit,* crebbe, *id est,* excrevit E

e *Cur* per funem, *obsecro? Si satis longæ erant scalæ, non opus erat fune; si non erant satis longæ, quomodo per eas ascendi et exiri ex carcere illo potuit?*

f *Vide Acta S. Gregorii M. Spoletani apud Mombritium.*

g *Locus erat corruptus. Videtur legisse Possevinus:* atque avia S. Cassiani materna colligebat *etc.*

h *Possevinus addit, hunc eumdem esse locum, in quo nunc ædificata sit ecclesia S. Fortunati.*

DE SS. CENTOLLO ET HELENA MM.

BURGIS IN HISPANIA

G. C.

SYLLOGE HISTORICA

Legitimus harum Sanctarum cultus, Acta, et incertæ quædam eorum circumstantiæ.

F

FORSAN SUB DIOCLETIANO. *Quidquid sit de certo Hispaniæ loco,*

Primo *legitimum harum Martyrum cultum probamus ex Martyrologio Romano, quod hodie ita habet:* Burgis in Hispania sanctarum Centollæ et Helenæ martyrum. *Dum audis has Martyres Burgis annuntiari, ne hinc statim conclude, eas ibidem martyrio coronatas esse: teste enim Thoma de Trugillo in Thesauro concionatorum tomo* 2 *col.* 1487, Valerius archipresbyter scribit, quod Sanctæ istæ martyrium sustinuerint in loco vocato SIERRO prope Iberum fluvium; postea vero tempore Alphonsi decimi Gundisalvus episcopus Burgensis traustulit gloriosa harum Sanctarum corpora in ecclesiam cathedralem, constituitque, ut earum festum celebraretur magna cum solemnitate. *Palæstra martyrii, quæ hic vernacule* Sierro *dicitur, in Breviario Burgensi* Siaria, *et alibi* Seorim, *vel affinibus hujusmodi nominibus appellatur. Verum Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ lib.*10 *cap.* 17 *agens de iisdem duabus Martyribus ingenue fatetur, determinatum hunc martyrii locum sibi incognitum esse, etiamsi vix dubitet, quin in diœcesi Burgensi situs fuerit. Cum erudito isto scriptore Hispano videtur consentire Joannes Vasæus Flander, qui in Chronico Hispaniæ ad annum Christi* 306 *apud nos pag.* 282 *inter plurimos Hispaniæ martyres recenset etiam ambas hasce Sanctas feminas, et gloriosum earum pro fide certamen non procul ab urbe Burgensi collocat his verbis:* Prope civitatem Burgensem (quamquam incertum, an eodem tempore) sub Eglisio præfecto passæ suut pro Christo S. Centolla et S. Helena. Sanctæ Centollæ corpus, regnante Alfonso decimo, a Gundisalvo episcopo iu Burgensem ecclesiam translatum est. *Quod hic de solo* S. Centollæ *corpore ad Burgensem ecclesiam translato refertur, postea de sacro utriusque Martyris cadavere affirmabitur.*

in quo hæ Martyres passæ fuerint,

2 *Porro alii auctores duabus hisce Sanctis palæstram martyrii in Cantabria assignant, et Joannes Marieta in Historia ecclesiastica Sanctorum Hispaniæ lib.* 4 *cap.* 10 *ex testimonio indigenarum asserit, ibi non procul ab Ibero fluvio ad conservandam gloriosi certaminis memoriam in*

eacumine

AUCTORE G. C.

A *cacumine altæ rupis ædificatum esse sacellum, ad quod in annua harum Martyrum festivitate ingens accolarum multitudo adhuc hodiedum pie confluit. Præterea Cantabri tradunt,* S. Centollam *fuisse filiam reguli Toletani, quæ ex patria ad hunc Cantabriæ tractum profugerit, ut persecutionem patris sui vitaret, eamque ibidem cum* S. Helena, *Christiana ejusdem regionis incola, ab insequentibus ethnicis capite truncatam esse. Quidquid sic de hac vulgari Cantabrorum traditione, immemorabilem istarum Martyrum venerationem in diœcesi Burgensi colligimus ex illustrissimo Joanne episcopo, qui anno Christi* 1436 *cathedram Cabilonensem ascendit, et quem nonnulli perperam* Primum Cabilunensem *appellant, dum in sua Topographia Sanctorum post Martyrologium Francisci Maurolici apud nos fol.* 104 *de illis ita scribit :* Burgus civitas Hispaniæ in regno Castellæ..... Huc Centolliæ virginis et martyris, et Helenæ ab ipsa conversæ, sub Hispaniarum rege peremptarum, corpora translata sunt. *Infra obiter discutiemus, an* S. Centolla, *quæ hic virgo dicitur,* S. Helenam *ad fidem Christianam converterit.* B *Sed haud dubie illustrissimus Joannes Cabilonensis errat, dum hic regem Hispaniarum nominat : nam eo tempore Hispania parebat Romanis, adeoque tunc caruit proprio rege, qualis hac phrasi indicatur.*

et de quo auctores dissentiant,

3 *Attamen Lucius Marineus Siculus in Opere de Rebus Hispaniæ. quod tomo* I *Hispaniæ illustratæ recusum est, lib.* 5 *sive pag.* 314 *dictæ iteratæ editionis in eumdem errorem incidit, et historiam aliter narrat hoc modo :* Centolla virgo Hispana cum multis virtutibus esset insignis, Christianamque religionem accuratissime servaret, ad regem, qui tunc in Hispania rerum summam tenebat, ducta est; qui videns eam in Christo prædicando, constantissimam, cruciari crudelissime jussit, et postea Seditio præfecto sævioribus, si non mutaret animum, afficiendam tormentis tradidit : in qua Seditius omnia tormentorum genera exercuit, ad quæ videnda frequens mulierum turba dolentium intromissa est, quæ Centollam solando rogabant, ut sententiam mutaret. Quibus illa sereno vultu se majora pati paratissimam esse respondit, omniaque sævissima tormenta ad mortem usque sustinuit. Ad quam veniens Helena C mulier nobilis hortata est, ut non deficeret in tormentis : cui Centolla respondit : Tu vide, soror mea, ne deficias, quæ simul mecum pro Christo trucidanda es. Et paulo post præses utramque decollari jussit, quarum corpora in Burgensi ecclesia translata fuerunt. *At ipse Joannes Tamayus Salazar, alioquin ad quælibet explicanda promptus, in notis ad Martyrologium suum Hispanum hac die partem illius narrationis ita carpit :* Fallitur omnino Marineus Siculus in titulo præsidis et nomine præfecti, illum vocando regem, et istum vocitando Sedicium, cum re vera per illa tempora nullus in Hispania rex exstitit, nec nomen præfecti, cui commissum martyrium virginis fuit, Sedicius, sed Eglisius erat, ut infra patebit. *Nunc Acta qualiacumque harum Martyrum referamus.*

exhibemus Acta illarum ex Breviario Burgensi

4 *In breviario Burgensi, quod anno* 1502 *impressum est, gloria posthuma et gesta earumdem Martyrum in novem breves lectiones dividuntur, quæ ad diem* IV *Augusti ibidem præpostere ac imperfecte recitantur hoc modo :* LECTIO I. Passionem itaque sanctæ Centollæ, et Helenæ ipsius collegæ videntes homines Catholici illius temporis, Dei et nominis Christi cultores, fabricaverunt basilicam in civitate Siaria, in ipsarum martyrio Deum glorificantes. LECTIO II. Factum est autem in diebus illis, ut homines Christiani, qui tunc temporis erant pauci, per diversas circumquaque regiones audientes ea, quæ ipse Deus miracula per ipsarum merita faciebat; LECTIO III. Crescente fide Christianorum, et rarescente superstitione et perfidia paganorum, sanctam Centollam in cunctis suis necessitatibus invocarent. LECTIO IV. Et quanto fides nominis Christiani inter densissimas idolorum tenebras radiabat, tanto miserabilem errorem gentilium obfuscabat. LECTIO V. Tanta namque fuit in partibus istis tunc temporis pro fide Christi constantia martyrum, et mors Sanctorum in conspectu Domini pretiosa, quo usque figmenta diaboli et simulacrorum phantasmata, Domino cooperante, a tota Hispania exularunt. LECTIO VI. Rex igitur hujus regni, cujus nomen proprium forte propter scriptoris incuriam omissum est, cum audiret, quod sancta Centolla Christum coleret, jussit eam suo conspectui præsentari. *Hic loco lectionis* VII *recitandum præscribitur Evangelium.* Simile est regnum cælorum thesauro, *cum prima lectione ex-* E *positionis. Deinde resumuntur Acta, et ex iis sequitur* LECTIO VIII. Quam cum cerneret, nolle a Christi nominis confessione recedere, jussit illam variis tormentorum generibus cruciari; LECTIO IX. Cruciatam vero et multis verberibus afflictam tradidit Eglisio præfecto suo, ut ipsam, nisi a fide Christi recederet, amplius cruciaret. *Vides, hic omnia præpostero ordine et imperfecto modo narrari : nam prius agitur de cultu posthumo; et dein pervenitur ad cruciatus pro fide Christiana toleratos, et interim consummatio martyrii omittitur.*

et eadem magis ordinata ex tabulis ejusdem ecclesiæ

5 *Quapropter subjungimus his magis ordinatam et completam ejusdem historiæ narrationem, quæ ex tabulis ecclesiæ Burgensis desumpta est, et quæ in apographo nostro sic sonat :* Centolla virgo Hispana cum multis virtutibus esset insignis Christianamque religionem accuratissime servaret, ad præsidem, qui tunc in Hispania summam rerum tenebat, perducta est; qui videns eam in Christo prædicando constantem cruciari jussit. et postea Eglisio præfecto sævioribus, si non mutaret animum, afficiendam tradidit : qui nullum genus tormentorum omisit, quod in Centollam, F non exercuerit, equuleum, pectines, virgas ferreas, denique mamillas secuerit, atque in carcerem, ut amisso sanguine interiret, detruserit : ad quam ingens feminarum multitudo dolentium, tantam in Virginem carnificinam factam, introducta est, ut eam solarentur, atque ut mutaret sententiam, rogarent, ut possent adhibitis medicinis vulnera curari. Quibus illa hilari serenoque vultu dicit, multo majora se pati paratam et promptam esse, si scirent ipsæ, quæ martyribus Christi præmia spectent, inviderent potius, quam dolerent. Quo audito, Eglisius carcerem irrupit, et Centollæ ejus verba contemnentem * probrosaque verba in deos jacientem * linguam præcidit, et abiit. Tunc Helena nobilis femina ad Centollam veniens, cœpit ejus virtutem laudare, et ne deficeret in tormentis, cohortari. Cui Centolla : Ego libens quidem patior; tu, ne deficias, vide, quæ simul mecum trucidanda es pro Christo. Quod cum intellexisset præses, et non solum Centollam a sententia dimoveri non potuisse; sed et Helenam ad secum moriendum traxisse, antequam numerus augeretur, jubet ambas simul decollari. Corpora longis post seculis

* lege contemnenti et jacienti

AUCTORE G. C.

Alphonso undecimo regnante (*ab aliis plerisque Alphonsus ille decimus numeratur*) Gundisalvus episcopus in ecclesiam Burgensem transtulit, atque celebri pompa quotannis earum solennia peragi primus instituit. *Ex ætate Gundisalvi episcopi Burgensis et Alphonsi X vel XI regis facile colligimus, translationem illam post medium seculi* XIII *contigisse. Celerum hæc apographi nostri narratio prorsus convenit (si stylum excipias) eum synopsi Actorum, quam Joannes Maldonatus inter Vitas Sanctorum apud nos pag.* 166 *Latine vulgavit. Jam nonnulla horum Actorum adjuncta discutienda sunt.*

quibus pseudo-Dexter aliique scriptores

6 *Pseudo-Dexter ad annum Christi* 300 *num.* 13 *ex novo suo thesauro profert sequentia* : Scori in Cantabria sancta Centolla civis Toletana, consulis Lucii Ragonis Quinciani filia (Cathanæ passa est sub hujus patre L. Quinctiano fortissima virgo sancta Agatha) passa cum Helena vidua in persecutione Diocletiani. *Chronicon pseudo-Juliani, quod ex eadem fabulosa figlina prodiit, num.* 183 *impostorem illum imitatur his verbis* : In Cantabria, urbe Sero, in tractu Sedum, quod B nunc Sedanum vulgo vocatur, celebris est memoria sanctæ Helenæ viduæ, et sanctæ Centollæ Toletanæ et martyris, filiæ Lucii Rangonii Quintiani, viri consularis, quæ anno circiter CCC fugiens patris severissimi rabiem, Toleto ad Cantabros se contulit, et cum Helena vidua, eadem Diocletiani persecutione, passa est. *Defensores horum Chronicorum varias allegant inscriptiones, ut ex iis hunc Quintianum consulem eruant. Sed Nicolaus Antonius in scriptis posthumis, quæ Matriti anno* 1721 *ab amplissimo D. Adriano Coninck, proximo eruditi auctoris consanguineo, nobis perhumaniter communicata sunt, evidenter demonstrat, has aliasque inscriptiones nec huic Quintiano, nec tempori, nec loco convenire. Non lubet nobis hanc cramben recoquere, eum figmenta pseudo-Dextri et pseudo-* D *Juliani centies in Opere nostro explosa sint. Quapropter pergimus ad alia, quæ de* S. Helena, *sorcia ejusdem martyrii, apud neotericos diversimode narrantur.*

varias incertas circumstantias adjunxerunt.

7 *Imprimis supra laudatus Joannes Cabilonensis refert, eam a virgine* Centolla *conversam fuisse; sed Ambrosius Morales aliique auctores innuunt,* S. Helenam *numquam fuisse ethnicam, dum ab illis appellatur* matrona Christiana, *quæ* S. Centollam *ad fortiter pro fide moriendum excitabat. Secundo nonnulli dicunt, eamdem* S. Helenam *fuisse mulierem aut puellam* nobilem, *cum tamen a Joanne Marieta in Historia ecclesiastica Sanctorum Hispaniæ lib.* 4 *cap.* 10 *Hispanice* labradora, *id est* colona *vel* rustica *vocetur. Tertio quidam* S. Helenam *appellant* viduam, *dum alii eamdem titulo* virginis *exornant. His suffragari videtur Thomas de Trugillo, quando in Thesauro concionatorum tomo* 2 *col.* 1486 *Actis earum præfigit hunc titulum* : Vita beatæ Centollæ et Helenæ virginum et martyrum. *Deinde gesta earumdem narrare incipit his verbis* : Ecclesiæ multæ celebrant festum harum gloriosarum E martyrum et virginum XIII Augusti, quæ comprehensæ sunt et in carcerem conjectæ, propterea quod Christum prædicarent et confiterentur. *Attamen idem scriptor Hispanus columna sequente in fine Actorum nos ita monet* : De Helena quidem nonnulli auctores significare videntur, eam viduam esse; at vero de Centolla concordant omnes, quod esset virgo, et numquam matrimonio conjuncta fuisset. *Ingenue fatemur, nos defectu veterum monumentorum de variis hisce opinionibus nihil certi posse statuere. Quare has similesque controversias eruditis incolis ulterius discutiendas relinquimus : nobis enim sufficit, ambas has sanctas Martyres ab immemorabili tempore in Ecclesia Burgensi publice honoratas fuisse.*

DE SANCTO JUNIANO ABBATE

FUNDATORE MONASTERII MARIACENSIS

IN PICTAVIENSI GALLIÆ PROVINCIA

C F

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Immemorabilis et publicus hujus Sancti cultus, distinctio ab alio sancto ejusdem nominis, professio monastica, Acta; horumque scriptor,

Anno DXXXVII. *Hunc Sanctum, qui in Martyrologiis et Breviario Pictaviensi colitur.*

Maurolycus, Felicius, Wionus et Dorganius hunc Sanctum hodierna die sub nomine S. Juliani *annuntiant; sed Menardus, Saussayus, Bucelinus, aliique Menologi ex veteribus instrumentis eumdem pro* Juliano *rectius* Junianum *appellarunt. Quidquid sit de nomine, publicum hujus Sancti cultum colligimus ex Breviario proprio Pictaviensi, quod annuam illius festivitatem die* XII *Augusti celebrat officio semi-duplici, et in quo Lectio quarta summatim quædam ejus gesta complectitur his verbis* : Junianus abbas Nobiliacensis nobili genere in Pictavorum regione ortus, in prædio quodam, quod Campagniacum vocatur, comam ab adolescentia ob cultum religionis deposuit, tantaque fuit sanctitate, ut eo beata Radegundis plurimum in sacris rebus uteretur. Corpus ejus innumeris coruscans miraculis, apud Mariacum sepultum est, et exinde ad monasterium Nobiliacense delatum. *Post istud publicæ venerationis testimonium non oportet hic varias recentium Menologiorum annuntiationes coacervare. Adde, quod ex ipsis antiquis Actis, ac duplici translationis historia, aliisque vetustis monumentis de immemorabili hujus Sancti cultu abunde constet.*

2 *Benedictus Gononus in Vitis Patrum Occidentis, quas anno* 1625 *Lugduni in Gallia edidit,* S. Junianum *nostrum confundit cum altero ejusdem*

nonnulli confundunt cum eremita ejusdem nominis,

A *ejusdem nominis eremita, quem Gregorius Turonensis in libro de Gloria confessorum cap.* 103 *memorat, et cujus festum die* XVI *Octobris colitur cum enim Gononus lib.* 4 *Operis mox laudati retulisset Acta* S. Juniani *eremitæ, post hæc ibidem pag.* 209 *in notis perperam scribit sequentia* Festivitas autem sancti Juniani XVII Calendas Novembris celebratur. Olim corpus sancti Juniani quiescebat in monasterio Nobiliacensi, vulgo NOUAILLE, in agro Pictaviensi. Tempore vero persecutionis hæreticorum, seniores monachi illud in prædicto monasterio absconderunt; sed quia jam omnes obierunt, nemo scit locum, ubi sit absconditus hic thesaurus. Est autem beatus Junianus prædicti monasterii patronus, floruitque circa annum Domini CDLXXXV tempore Clodovæi regis Francorum. *Sed quia Acta illa, ibi a Gonono præmissa, spectant ad* S. Junianum *eremitam, erronee eidem in notis adscribit translationem corporis ad cœnobium Nobiliacense, patronatum ejusdem monasterii, et novissimam sacrarum reliquiarum occultationem, quæ omnia ad hodiernum* S. Junianum *abbatem pertinent, ut ex*
B *paragrapho sequente evidenter apparebit.*

a quo diversus esse ostenditur.

3 *Interim audiamus Cointium, qui in Annalibus Francorum ad annum Christi* 544 *num.* 99 *hunc crassum Gononi aliorumque errorem ita refellit:* Nonnulli turpiter hallucinantur, *inquit,* dum beatum Junianum, qui Radegundi notus fuit, confundunt cum altero sancto Juniano eremita, de quo sub Clodoveo rege et Roricio episcopo Lemovicensi sermonem fecimus. Prior patria Cameracensis fuit, posterior Pictaviensis; prior in episcopatu Lemovicensi degit, posterior in Pictaviensi; prior ad obitum usque solitarius vixit, posterior egressus e cellula monasterium construxit, rexitque; prior ex hac vita discessit, cum Ruricius Lemovicinæ diœcesi præerat, posterior Ruricio diutissime superstes fuit: pervenit enim ad annum Christi quingentesimum octogesimum septimum, et, teste Gregorio Turonensi, Lemovicensem ecclesiam anno quarto Childeberti regis, sive anno Christi quingentesimo septuagesimo nono jam regebat Ferreolus successor Exochii, qui post Ruricium annis quindecim, teste
C Fortunato, sederat; prior colitur decimo septimo Kalendas Novembres, posterior Idibus Augustis; prior in diœcesi Lemovicensi decessit, sepultusque fuit ad Vigennam fluvium, ubi oppidum nomen sancti Juniani nunc etiam servat; posterior obiit in episcopatu Pictaviensi, conditusque fuit Moriaci, unde postea translatus est Nobiliacum, ut suo loco dicemus. *Insuper erronea illa confusio satis facile detegitur ex Breviario Lemovicensi, quod ambos hos Sanctos diversis diebus colit; nam die* XVI *Octobris ibi festum* S. Juniani *eremitæ celebratur ritu duplici, et in Lectionibus secundi Nocturni gesta ejus recitantur. Die autem* XIII *Augusti ibidem in Officio sanctæ Radegundis tantum fit commemoratio de* S. Juniano *nostro, et collecta* Intercessio *etc. de communi abbatis præscribitur. Denique distinctio utriusque hujus Sancti aperte patet ex diversis eorum Actis, quæ inter se conferri poterunt, quando successores nostri Vitam* S. Juniani *eremitæ, favente Deo, ad diem* XVI *Octobris illustrabunt.*

4 *Nunc alia quæstio occurrit inter Cointium et scriptores Benedictinos, qui* S. Junianum *abbatem Ordini suo passim vindicant: Cointius enim in Annalibus Francorum ad annum Christi* 559 *num.* 12 *exhibet fragmentum Actorum, in quo dicitur* S. Junianus *regulam S. Benedicti servasse, et deinde annalista Benedictinam ejusdem Sancti professionem ita impugnat:* Hæc Boëtius Vulfinus, qui postremis Ludovici Pii temporibus floruit, et beatum Junianum, cujus Vitam scribebat, facile finxit monachum Benedictinum, quia opus suum Godoleno transmissurus erat abbati monasterii Novaliacensis (*supra et infra* Nobiliacense *appellatur illud monasterium*) in quo sancti Benedicti regula tunc vigebat. Si Junianus Benedictinæ disciplinæ se suosque sodales addixit, hanc certe non ab alio, quam a Mauro Glannafoliensi abbate suscipere potuit. At quonam tempore tyrocinium posuit in monasterio Glannafoliensi? Anachoresim profitebatur, cum Radegundis Pictavium pervenit, et ab illis jam consulebatur, qui monasticen discere cupiebant. Egressus est e cellula, ut construeret cœnobium, ac multis præesset discipulis; non autem ut proficisceretur Glannafolium, unde normam Benedictinam in agrum Pictaviensem afferret. Tunc et Radegundis erexit monasterium puellarum, in quo regulam sancti Cæsarii voluit observari, nulla sancti Benedicti mentione facta, quam sane E non omisisset, si Junianus, qui spiritualis ejus pater agnoscitur, familiæ Benedictinæ se addixisset. Hoc argumentum adeo validum Benedictinis visum est, ut beatum Junianum in Martyrologio Benedictino retinendum non censuerint, nisi beatam Radegundem iisdem tabulis inscriberent. Verum Radegundis, quæ regulam sancti Cæsarii sequebatur, inter moniales Benedictinas annumerari non debet, nisi Cæsarius Arelatensis episcopus sodalibus Benedictinis accenseatur; id vero repugnat ætati Cæsarii, qui monialibus cœnobium condidit ac leges præscripsit, antequam Maurus in Galliam ex Italia se conferret.

AUCTORE G. C.

Cointius contendit, S. Junianum non fuisse Benedictinum,

contra auctores Benedictinos id passim asserentes

5 *Philippus Bastide, monachus Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, composuit Dissertationem de antiqua Ordinis S Benedicti intra Gallias propagatione, quam Mabillonius in Actis Sanctorum ejusdem Ordinis post partem secundam seculi tertii edidit, et quæ iterum Autissiodori anno* 1683 *separatim impressa est. Laudatus auctor cap,* 14 *hujus Dissertationis jam relata Cointii argumenta refellere conatur, et primo ægerrime fert verbum* finxit, *quod adversarius usur-* F *pavit, illudque in deteriorem partem accipiens, ibidem ita interpretatur:* Cum primo hujus opinionis commentum in Annalibus adverti, diutius attonitus hæsi, miratus, qui fieri potuerit, ut vir eruditus et pius tam levibus argumentis, nullo auctore, antiquum auctorem episcopali dignitate fulgentem, gratuiti mendacii ausus fuerit arguere. FACILE FINXIT, inquit, MONACHUM BENEDICTINUM, id est, nimia facilitate mentitus, Junianum monachum Benedictinum exhibuit.

ex scriptore Actorum

6 *At, salva interpretis pace, mitius ac minus invidiose hoc verbum explicari potuit:* fingere *enim pro* facere, sibi persuasum habere, imaginari, ex hypothesi putare, *aliisque hujusmodi phrasibus non raro accipitur, ut variis exemplis probari posset, et apud auctores linguæ Latinæ passim videre est. Hinc feria secunda Paschæ in Officio ecclesiastico, quod de apparitione Christi facta duobus discipulis euntibus ad castellum Emmaus quotannis recitamus, ex Homilia S. Gregorii Papæ leguntur ad rem nostram sequentia:* Se ire longius finxit: fingere namque componere dicimus; unde et compositores luti, figulos vocamus. *Itaque secundum hanc molliorem et usitatam significationem Cointius tantummodo asseruit,*

AUCTORE G. C.

asseruit, quod Vulfinus Boëtius S. Junianum *fecerit monachum Benedictinum, et facile sibi persuaserit aut imaginatus fuerit, illum fuisse talem, eo quod in monasterio Mariacensi vel Nobiliacensi, cujus abbati Godoleno Vulfinus Vitam Sancti dedicat, tunc regula S. Benedicti vigeret. Sed in assertione Cointii sic intellecta nihil videmus, ex quo Annalista ille possit de illata contumelia accusari : nam de eodem biographo sine injuria dici potest, quod Clotarium facile finxerit, id est, perperam fecerit dominum et possessorem Thuringiæ, eo quod fratrem suum Theodoricum in debellandis Thuringis adjuvisset.*

qui ab ætate Sancti admodum remotus,

7 *Hadrianus Valesius lib. 7 Rerum Francicarum, apud nos tomo* I *pag.* 366, *illum Vulfini errorem carpit his verbis :* Boëthius Vulfinus episcopus in libro de Vita Juniani confessoris ad Godolenum abbatem,... Britthariium patrem Radegundis reginæ Francorum appellat, falsoque ait, Chlotharium, quem gloriosissimum et excellentissimum, ac orthodoxum regem vocat, inter ceteras clarissimas ac ferocissimas nationes, nobilissimam Toringorum gentem suæ ditioni imperioque subje-
B cisse : quippe Toringi a Theodorico, cujus unius e Chlodovei filiis fines attingebant, subacti, tributariique facti sunt, Chlotario (ut diximus) in præmium lati fratri auxilii portione prædæ contento. *Ipse Mabillonius in notis ad Vitam* S. Juniani, *et novissime Joannes Georgius Eckhardus in Commentariis de rebus Franciæ Orientalis et episcopatus Wirceburgensis lib.* 4 *num.* 11, *seu tom* I *istius Operis pag.* 58, *eamdem Vulfini Boëtii hallucinationem refellunt.*

facile in hac re, ut in aliis errare potuit,

8 *Siculi igitur laudatus biographus facile credidit, Clotarium Thuringiam suæ ditioni imperioque subjecisse, quia rex ille simul cum fratre suo Thuringos debellaverat, ita etiam haud difficulter sibi persuadere poterat,* S. Junianum *vixisse sub regula S. Benedicti, quæ certe postmodum ab illius successoribus admissa est, et quam Vulfinus sua ætate in monasterio Mariacensi vel Nobiliacensi servari noverat. Sed etiamsi utraque hæc opinio secundum Cointium aliosque falsa sit, et Vulfinus in his duabus suis assertionibus a veritate aberraverit, tamen hinc minime sequitur, illum similia studiose contra mentem suam*
C *confinxisse, et nimia facilitate mentitum esse, quemadmodum memoratus vindex Benedictinus ex æquivoca Cointii phrasi concludi debere perperam existimat.*

etsi ob defectum certæ notitiæ dubitemus

9 *Jam fortasse nonnemo a nobis exiget, ut mittamus quæstionem de nomine, aut significatione verbi* finxit, *et de ipsa rei controversia judicium feramus. At si quis rotunde quærat, utrum* S. Junianus *Ordini Benedictino sit adscribendus, ingenue respondebimus, hic nobis aquam hærere : nam supra relatæ Cointii rationes non sunt adeo urgentes, ut propter illas* S. Juniano *Benedictinam professionem prorsus abjudicare audeamus. Ex alia vero parte responsiones Philippi Bastide non sunt tam solidæ, ut de Benedictina ejusdem Sancti professione nos plane certos reddant. Quapropter hoc loco noluimus transcribere longiora responsa, quæ auctor ille Cointio opponit, cum ea facile inveniri possint in alterutra Disserationis istius editione, quam supra assignavimus.*

an re ipsa erraverit.

10 *Ceterum Mabillonius in Præfatione ad Acta Sanctorum Ordinis sancti Benedicti sec.* 1 § 1 *fatetur, ante ætatem S. Benedicti in Occidente atque in ipsa Gallia floruisse varias monachorum congregationes, quæ sub diversis regulis vivebant. Sed non facile dictu, an, et quænam horum monachorum cœnobia post adventum S. Mauri in* D
Gallias ad institutum Benedictinum transierint, ut ipse Mabillonius in laudata Præfatione § 5 *sive num.* 64 *indicat his verbis :* Non tamen adeo clara et aperta sunt normæ Benedictinæ seculo sexto in Gallia propagatæ vestigia. Nec mirum certe : nam, ne quid de temporum longuinquitate querar, hæc propagatio facta solum non est per coloniarum transmissa huc illucque examina, per novas monasteriorum constructiones ; sed per regulæ tacitam susceptionem et observationem, quam cum primævo more vivendi antiqua primum usurpavere cœnobia, tum solam, crescente sanctæ regulæ existimatione et auctoritate, retinuerunt. Concilium Turonense secundum, anno DLXVII celebratum, canone XVII et XVIII monachis quemdam præscribit jejuniorum et psalmodiæ modum, qui cum a regula nostra diversus omnino sit, vulgatum a beato Mauro institutum nondum passim invaluisse, satis arguit. *Ex his pales, non nihil certi statuere posse de regula, quam secutus est* S. Junianus, *qui his ipsis temporibus vitam anachoreticam duxeral, et deinde in cœnobio Mariacensi monachos congregaverat. Igitur, lite illa adhuc* E
pendente, transibimus ad Acta nostra eorumque scriptorem, de quibus notitiam quamdam præviam suggeremus.

Vitam Sancti a Labbeo editam

11 *Philippus Labbeus noster in Nova Bibliotheca manuscriptorum librorum tomo* 2 *a pag.* 569 *primus vulgavit Acta* S. Juniani, *quorum auctorem et authenticam fidem in titulo assignat his verbis.* Vita sancti Juniani confessoris, auctore Vulfino episcopo. Nunc primum edita ex apographo R. P. Jacobi Sirmundi, Societatis Jesu theologi, quod contulimus cum variis probæ notæ membranis, quæ penes nos sunt. *Postea Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* 1 *pag.* 307 *et sequentibus edidit ex Mss. codicibus monasterii Nobiliacensis eamdem Vitam, cum qua editionem Labbeanam contulimus, notantes in margine præcipuam utriusque editionis varietatem : nam in ea collatione non adeo scrupulose versati sumus, ut ad minutias descenderimus, et variantes nullius fere momenti lectiones observaverimus. Quinimo, ubi videbatur vitium typothetæ aut amanuensis irrepsisse, unam editionem ex altera interdum emendavimus, et voces nunnullas more antiquo scriptas (puta* inlustris *et* F
inlæsus *pro* illustris *et* illæsus, *aliaque his similia) ad hodiernam orthographiam reduximus.*

conscripsit Vulfinus Boëtius,

12 *Quandoquidem in utraque hac editione habemus ipsum Actorum fontem, non enumeramus hoc loco Gallicos eorum collectores, et nihil etiam dicimus de Latino ejusdem Vitæ compendio, quod Menardus jam dudum Martyrologio suo Benedictino inseruit. Attamen circa hæc Acta eorumque scriptorum juverit referre quamdam observationem laudati Menardi, qui post memoratam synopsim pag.* 306 *et* 307 *in Martyrologio suo notat sequentia :* Hæc Vita habetur manuscripta in cœnobio Nobiliacensi, cujus exemplar est penes nos. Auctor ejus est Boëtius Vulphinus episcopus, ut habetur in fronte ejusdem Vitæ ; et in præfatione dicit, se ex Gotthis originem ducere. Vixit autem ille Vulphinus tempore Ludovici Pii, quod liquet ex præfatione, in qua hanc Vitam dedicat prædicto Godoleno abbati ; tum ex iis, quæ narrat, de ædificatione cænobii Nobiliacensis. Occurrit tamen difficultas circa hæc verba, quæ habentur in dicto exemplari ; SICUT NARRANTE PRÆDICTO AUREMUNDO, QUI ADERAT,

A ERAT, COGNOVIMUS: nam non potuit iste Auremundus, qui vivebat tempore Clotarii primi, miracula sancti Juniani narrare Boëtio Vulphino, qui vitam agebat tempore Ludovici Pii. Verum cum dicat COGNOVIMUS, non vero AUDIVIMUS; satis innuit, se non audivisse ab eo; sed ab aliis, ad quos horum miraculorum notitia pervenerat, primo auctore Auremundo, qui hominibus suæ ætatis ea narraverat. *Dein illam suam explicationem uno alterove eorumdem Actorum textu confirmat, ac denique ibidem notitiam notatu dignam suggerit his verbis*: Certe vidi hanc Vitam Gallicam factam, incerto auctore, in qua dicitur Auremundus illam scriptis posteritati consignasse.

incertæ sedis episcopus, 13 *Quidquid sit de hac anonymi interpretis Galli opinione, certa illa Auremundi lucubratio, si umquam exstitit, ignota fuit Labbeo, Mabillonio, aliisque sedulis rerum hujusmodi indagatoribus, qui omnes tantummodo recensent unicum hujus Vitæ scriptorem, de quo Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 5 *cap.* 56 *ita disserit*: Junianus interim apud Pictones anachoreticam vitam aliquamdiu æmulatus, in arctissima B cella, veluti reus in ergastulo, reclusus degebat. Res ab eo gestas in litteras seculo nono retulit Vulfinus Boëtius Pictavis degens, rogatu Godoleni abbatis Nobiliacensis, cujus PER INOBEDIENTIAM CONTRAIRE IMPERIIS (sic ille auctor abbati loquitur) veritus est. Is est Vulfinus Boëtius, quem Drepanius poëta in carmine eidem inscripto grammaticum Aurelianensem vocat, atque ad sibi scribendum impellit. Drepanii nomen adscititium est Flori diaconi Lugdunensis, ut patet ex ejus epistola ad Moduinum Augustodunensem episcopum, ubi se Drepanium in epistolæ inscriptione, Florum in carmine dicit. Aliam ejusdem Flori epistolam cum aliis ejusdem carminibus in Analectorum nostrorum tomo primo habes, metrice itidem scriptam ad ipsum Moduinum, quem Ludovici Augusti, cognomento Pii, principatu vixisse constat. Hæc optime conveniunt tum Flori tum Vulfini Boëtii ætati, ad quam proinde Drepanii hactenus incerta ætas revocanda est. Vulfinus in prologo hujus Vitæ se origine Sarmatam dicit; nec dubito, quin Boëtii nomen ipsi adscititium sit, uti et Drepanii Floro, pro C more illius temporis eruditorum. Sic Carolo Magno Davidis, Alcuino Albini, Rabano Mauri, Radberto Paschasii, Gothescalco Fulgentii cognomina litteraria adscripta erant. Theodulfus episcopus Aurelianensis Vulfinum cum scholaribus suis laudat.

cui tamen aliqui cum Mabillonio 14 *Mabillonius hic non meminit de episcopatu Vulfini Boëtii (istud Boëtii nomen Vulfino interdum præponitur et subinde postponitur) quæ tamen dignitas apud Labbeum nostrum in titulo prologi sic diserte exprimitur*; In nomine sanctæ Trinitatis. Incipit prologus Boëtii Vulfini episcopi ad Godolenum abbatem de Vita Beatissimi Juniani confessoris et sacerdotis. *Attamen Mabillonius alibi, nimirum in Actis Sanctorum Ordinis sui seculo* I *pag.* 307, *ante Vitam* S. Juniani *non solum episcopi titulum huic Vulfino Boëtio tribuerat, verum etiam eidem biographo cathedram Pictaviensem assignaverat. Sed eruditus ille scriptor Benedictinus videtur postmodum de hac priori sua opinione dubitare, eamque tacite retractare, dum seculo* IV *Operis proxime laudati agens de translatione ejusdem* S. Juniani *parte* I *pag.* 430 *et sequente in observationibus præviis lectorem ita monet*: Fusiorem ejus rei narrationem, uti et sancti Juniani Vitam, in litteras retulit Vulfinus Boëtius episcopus, ex Gothis originem ducens, qui forsan Sigibranni chorepiscopus fuit. Florebat tum Vulfinus poëta apud Aurelianos, de quo Theodulfus ejus urbis antistes in carminum lib. 2 cap. 13, et incerti auctoris metrica epistola a Morelio edita. An is postea factus episcopus et Vitæ sancti Juniani scriptor? Quisquis sit hic auctor, Junianum sepultum fuisse dicit in cœnobio Mariacensi apud Pictones: quod cum ad angustias rei familiaris redactum esset, Nobiliacensi unitum est sub initium seculi noni; dein Prioratus, ac demum ecclesia parœcialis evasit. AUCTORE G. C.

cathedram Pictaviensem assignarunt 15 *Nihilominus quidam auctores priorem Mabillonii opinionem secuti sunt, et hunc Vulfinum Boëtium confidenter episcopum Pictaviensem cognominarunt. Interea nos seculo nono nullum hujus nominis episcopum hactenus inter præsules Pictavienses reperire potuimus, neque novissimi Galliæ Christianæ editores talem invenerunt. Solummodo in editione Labbeana Conciliorum tomo* 7 *col.* 1697 Vulfinus episcopus *subscribit synodo, quæ anno* 835 *apud Theodonis-villam celebrata est. Nescimus, quo fundamento Joannes Georgius* E *Eckhardus nuper in Commentariis suis Franciæ Orientalis lib.* 29 *cap.* 35, *seu tomo* 2 *istius Operis pag.* 282 *agens de eadem synodo, hunc Vulfinum appellaverit episcopum Pictaviensem, cum in hac subscriptione sedes ejus non exprimatur. Quare cautior fuit Jacobus Longuevallius noster, qui in erudita sua Historia ecclesiæ Gallicanæ tomo* 5 *pag.* 435 *et sequentibus recensens varios ejusdem synodi præsules, quorum cathedras noverat, sibi ignotam hujus Vulfini sedem prætermisit. Ex his omnibus sagax lector facile videt, nos nihil certi posse definire circa præfatum Actorum scriptorem: etsi enim Vulfinus ille episcopus incertæ sedis vixerit temporibus biographi nostri, tamen adhuc ignoramus, an hic ab illo et a grammatico vel poëta Aurelianensi distinctus sit. Itaque hanc notitiam ab aliis exspectabimus, et interim ad posthumam Sancti nostri gloriam progrediemur.*

§ II. Posthuma Sancti gloria ex F duplici sacri corporis translatione, et miraculis tunc patratis.

Reliquiæ hujus sancti Juniani Cum *corpus* S. Juniani *ducentis quadraginta tribus annis in monasterio Mariacensi quievisset, et locus ille propter assidua bella fere in solitudinem reductus esset, ultimus istius cœnobii abbas Godolenus, faventibus Sigibrando Pictaviensi episcopo et Fulcone abbate sancti Hilarii, sacras has reliquias honorifice alio transferre decrevit. Præcipuam hujus translationis occasionem Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 30 *cap.* 46 *sic memorat*: Huic translationi occasionem præbuit nova basilica Nobiliaci exstructa a Godoleno abbate, qui eam anno *(nimirum Christi* 830, *de quo Annalista Benedictinus ibi agit)* et quidem octavo Idus Novembris, quæ Dominica dies erat, in honorem sancti Hilarii dedicari curavit; eademque die sancti Juniani reliquias in novam basilicam cum solenni pompa transferri, locarique ad Orientem juxta altaris crepidinem, teste Vulfino Boëtio ejus temporis auctore

auctore G. C.

auctore, qui librum de Vita et translatione sancti Juniani eidem Godoleno abbati nuncupavit.

mense Novembri anni 830,

17 *Primo ex his Mabillonii verbis colligimus, illam sacrarum reliquiarum translationem anno Christi 830 factam esse, quæ chronologia confirmatur ex Chronico sancti Maxentii seu Malleacensi, quod apud Labbeum in nova Bibliotheca manuscriptorum librorum tomo 2 pag. 195 ad rem nostram habet hæc pauca* : Anno ab Incarnatione Domini DCCCXXX basilica sancti Hilarii Nobiliaco dedicatur, et corpus sancti Juniani illuc transfertur a Mariaco villa; quam translationem fecerunt abbas Godolenus, adjuvante Sigibranno episcopo, et Fulcone abbate sancti Hilarii. *Secundo ex iisdem eruimus, ecclesiam monasterii Nobiliacensis die sexta Novembris dedicatam fuisse, cujus dedicationis anniversaria memoria illo die in cœnobio Nobiliacensi hactenus recolitur, ut laudatus Mabillonius in notis ad historiam hujus translationis testatur. Tertio denique discimus, eumdem Vulfinum Boëtium, qui Vitam* S. Juniani *conscripsit, etiam hanc translationis* B *historiam litteris mandasse, cui assertioni Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi 830 num. 61, et alii auctores passim suffragantur.*

postquam longo tempore

18 *Labbeus noster tomo 2 laudatæ Bibliothecæ pag. 578 hanc Vulfini lucubrationem Actis* S. Juniani *subjunxit, et Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini seculo quarto parte* I *pag. 432 et 433 eamdem recudit. Nos ex priori editione, quam tamen cum posteriori conferemus, illam transcribimus hoc modo* : Igitur cum per innumera annorum curricula crebrescentibus malis, et bellorum maxime immanitate, totius Aquitaniæ provincia redigeretur in solitudinem, videlicet propter insolentiam tyrannorum inter se decertantium, principatus culmen ambientium, et Francorum regum jugo colla submittere nolentium, tanta clade et incendiorum flagrantia consumpta esset *, ut his concertationibus non solum respublica deperiret, verum etiam monachorum Ordo penitus annullaretur. Unde accidit, ut cœnobium illud, quo sanctum corpus magno religionis cultu venerabatur deserti solitudo fieret, et omnis exinde monastici ordinis cultus aboleretur.

* *Mab.* est

in monasterio Mariacensi quieverant,

C 19 Sed post diuturni temporis excursum, divina miserante clementia, tyrannorum superbia debellata est, et sub piissimo imperatore Carolo pax reddita est, et unitas Ecclesiæ restituta, et loca incendiis conflagrata et clade bellorum consumpta, iterum restaurata, et in sui decoris statum ornatusque perducta. Verumtamen locus ille nequaquam postea ad pristinum monastici Ordinis vigorem pervenit, ea videlicet de causa, qualiter inventus est locus utilior monachis ad incolendum, nomine Nobiliacus, constructus in agro ecclesiæ beatissimi pontificis Hilarii confessoris Christi, ad quam basilicam etiam illud cœnobium, ubi idem venerabilis Junianus corpore requievit, cum omnibus ad se pertinentibus adspicit; distans jam dictus locus Nobiliacus ab urbe Pictavi ferme millibus quinque : quo in loco monachorum religiosissima congregatio sub beatissimi Benedicti regula constituta devotissime cœpit Deo militare; in qua clarissimi viri, et monastici ordinis apprime eruditi claruerunt in tantum, ut etiam plurimis locis de jam supradicta congregatione abbates constituerentur, et hujus præpositi Ordinis, sicut ibidem irreprehensibiliter custoditur ad exemplum eorum per amplissimam totius imperii Francorum dominationem docerent.

magna cum solennitate

20 Interea post obitum gloriosissimi Cæsaris, qui imperium Francorum amplissime sublimavit, et feliciter per annos circiter quadraginta octo rexit, atque ab omni barbararum nationum incursu fortiter protexit, ejus nobilissima proles, excellentissimus imperator Hludovicus sceptra imperii regenda suscepit. Eo videlicet feliciter imperante, et filio ejus gloriosissimo Pipino Aquitaniæ regnante, beatissimo antistite Sigibrando Pictavis sacerdotio fungente, et venerabili viro Fulcone, abbate * basilicæ sanctissimi pontificis Hilarii congregationem regente; eodem tempore Godolenus, sub monastici Ordinis præposito *, præerat abbas in jam dicto Nobiliaco monasterio. Visum est illi, ut corpus illud sanctissimi Juniani de loco, quo situm erat, transferret ad locum, ubi cœtus monachorum Deo militabat : idcirco quia, ubi conditum prius fuerat, non digno videbatur honore coli, nec officii dignitate, nec lampadum illustratione perornari.

* *al. deest* abbate

* *Mab.* proposito

ad Nobiliacense cœnobium translatæ sunt,

21 Denique anno septimo-decimo imperii jam supradicti Cæsaris, faventibus et consultum ferentibus pontifice Sigibrando et Fulcone archi-capellano, translatum est corpus sanctissimi Viri a Godoleno E abbate et monachis jam supradicti loci, summo cum honore et veneratione dignissima, religionis cultu per omnia exornata, concurrentibus undique sacerdotibus et populorum catervis, et venerabilibus episcopis obviam venientibus, relatum * est corpus ejus in basilicam beati Hilarii, quam idem venerabilis abbas mira operis pulchritudine construxit. Situm est ad Orientis partem juxta altaris crepidinem : cujus diei solennitas duplici præfulget privilegio, scilicet quia eodem die et corpus sanctissimum cum magno apparatu et triumpho, sicut præmissum est, illic reconditum est, et domus ipsa dedicata, et cælestis Regis habitaculo consecrata; ubi, divina præstante clementia, miraculorum frequenter insignia coruscant, ubi et digna petentibus præstantur beneficia, tribuuntur postulata, et peccatorum remissio conceditur exoptata, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est regnum et imperium, gloria et virtus cum Patre in unitate Spiritus sancti per infinita secula seculorum. Amen.

* *Mab.* inlatum

de qua translatione etiam Saussayus meminit,

22 *Cum hæc translatio, ab auctore coævo descripta, evidenter ad* S. Junianum *nostrum spectet, vix intelligimus, quid in mente habuerit* F *Andreas Saussayus, dum in Martyrologio suo Gallicano ad diem* XV *Novembris annuntiat sequentia* : Ipso die sancti Juniani confessoris et eremitæ, quem sanctus Remigius baptizavit, Spiritus sanctus multiplici gratia replevit, Pipinus rex Aquitaniæ carne exutum, et miraculis clarum, templo cœnobitico honoravit, ad quod, ut tamquam patronus ibi coleretur, sacros ejus artus solemniter deferri fecit per Sigibrannum pietatis conspicuæ episcopum Pictaviensem. Exstat adhuc insigne hoc monasterium, Nobiliacense nuncupatum, in Pictaviensi tractu, ubi a prima repositione, congrua cum veneratione, sancti Juniani corpus servatum fuit, quousque, hæreticis ubique in Gallia furentibus, jamque Pictaviam ipsam vastantibus, monachi seniores illius cœnobii veriti, ne impetu repentino impia hæc turba in hoc sacrarium irrueret, mature gloriosi sui Tutelaris pretiosa lipsana patenti loco submoverunt. Ceterum ita profunde absconderunt, ut postquam ipsi, sedato exitiali hoc turbine, obiere, nemo scire potuerit locum, ubi ab his abditus fuit tam pretiosus thesaurus. *Nunc varia circa hanc Saussayi*

AUCTORE G. C.

A *sayi annuntiationem notanda occurrunt.*

et circa eam nobis aliquod dubium suggerit.

23 *Cum Saussayus huic Sancto addit titulum* eremitæ, *imprimis dubitari posset, an Martyrologus ille non fuerit secutus Gononum errantem, qui translationem hodiernI* S. Juniani *perperam altari Sancto Juniano eremitæ applicuit, ut paragrapho præcedente ostendimus. Attamen videtur utrumque illum Sanctum satis distinxisse, dum in Martyrologio suo Gallicano festum* S. Juniani *abbatis hac die,et annuam* S.Juniani *eremitæ memoriam die* XVI *Octobris annuntiavit. Quinimo laudatus ille Martyrologus annuntiationem, quam numero præcedente exhibuimus, verosimiliter excerpsit ex additionibus Usuardinis Molani*, *qui die* XV *Novembris habet sequentia :* Eodem die beati Juniani confessoris, quem beatus Remigius baptismate lavit. *Similia die* XV *Novembris inter Auctaria Usuardi nostri illustrati ex codice Heriniensi retulimus. Sed an S. Junianus ille, inquies,* quem beatus Remigius baptismate lavit, *ab hodierno* S. Juniano *et ab eremita ejusdem nominis diversus est? Ingenue fatemur, nos id hactenus ignorare, eamque distinctionem vel con-* B *fusionem die* XV *Novembris examinandam esse. Interim non videmus, cur Saussayus translationem* S. Juniani *nostri die* XV *Novembris commemoraverit, quandoquidem hoc die* VI *ejusdem mensis contigit, ut ex supra dictis liquet. Denique non satis clare percipimus mentem ejusdem Martyrologi, dum superius asserit*, corpus S. Juniani *in monasterio Nobiliacensi* a prima repositione *usque ad impias furentium Calvinistarum grassationes congrua veneratione servatum fuisse : si enim his verbis indicare velit,primam sacri corporis repositionem in monasterio Nobiliacensi factam esse, haud dubie a veritate aberrat, cum ex antiquis monumentis constet, sacras illas reliquias plus quam ducentis annis in cœnobio Mariacensi prius quievisse, ac inde monasterium Nobiliacense anno Christi* 830 *translatas esse. Nunc ad alteram ejusdem sacri cadaveris translationem progredimur.*

Postea anno Christi 988 *corpus ejusdem Sancti*

24 *Olim moris erat, ut reliquiæ Sanctorum aliquando deferrentur ad locum, in quo concilia celebrabantur. Sic* feretrum sancti Bercharii abbatis Dervensis in synodum Aireiensem, *teste Ma-* C *billonio*, delatum est, regnante Rotberto rege, et sancta fides inter multa sanctorum corpora, QUÆ SECUNDUM MOREM PROVINCIÆ FERUNTUR AD CONCILIA, principatum tenuisse dicitur. *Simili modo corpus* S. Juniani *delatum est ad synodum quæ anno Christi* 988 *in monasterio Karrofensi habita est, ut laudatus Mabillonius ex personis aliisque adjunctis recte demonstrat. Porro hanc sacri corporis delationem descripsit Letaldus monachus Miciacensis, et opusculum suum nuncupavit Constantino abbati Nobiliacensi, quos ambos exeunte eodem seculo decimo floruisse existimat Mabillonius, qui inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* VI *part.* I *pag.* 434 *et* 435 *eamdem Letaldi scriptionem ex Ms. codice Pictaviensis monasterii S. Cypriani vulgavit.*

ad monasterium Karrofense

25 *Nos hic transcribimus brevem illam historiam, quæ loco proxime citato sic habet :* Domino patri Constantino, et ceteris Fratribus Nobiliaci cœnobii Frater Letaldus in Domino salutem. Ad sublevandos Tobiæ labores angelus Raphaël missus a Domino, postquam eum non solum ab ærumnis eruit, verum etiam beneficiis divinæ pietatis adjuvit, reversurus ad eum, a quo missus fuerat, a quo exiens non discesserat, eos, quos beneficii superni munere erexerat, alloquitur dicens : Consilium regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Quapropter nos opera Christi, quæ per gloriosissimum confessorem suum Junianum nostris temporibus operari dignatus est, revelare et confiteri convenit ad laudem et gloriam nominis ejus, ad ædificationem audientium, ut cognoscant omnes, quia opera, quæ operatus est in diebus patrum nostrorum, operatur et nobiscum, non nostris quidem meritis, sed quæ beneficio pietatis et eorum interventu patrum, quos nobis largitus est intercessores,et ad corrigendam vitæ nostræ gravitatem* proponit imitabiles.

* *forte* pravitatem

in quo tunc synodus celebrabatur,

26 Aggrediamur igitur promissi operis munus, nostris quidem de viribus diffisi, sed divinæ largitatis auxilio fulti, illius videlicet, qui ait : Aperi os tuum, et ego implebo illud. Vos autem, reverendi Patres et Fratres, juvate precibus, quod caritativo injunxistis imperio, nec admodum vobis nostra displiceat rusticitas, dummodo sola et integra, ut a vobis tradita est, rerum gestarum complaceat veritas. Cum exorti essent peccatores, sicut fœnum et veluti vepres et spinæ terrenam suffocantes messem, ita maligni quique dominicam E devastarent vineam, placuit episcopis et abbatibus, et quibusque religiosis viris concilium debere fieri, in quo et prædæ prohiberentur, et res Sanctorum injuste sublatæ restituerentur, et cetera mala, quæ speciosam sanctæ Dei Ecclesiæ faciem fœdabant, sub anathematis mucrone ferirentur. Hoc igitur concilium in cœnobio Karrofensi cogi fuit destinatum, factusque est ibi grandis ex pago Pictavo et Lemovicino et adjacentibus regionibus multorum concursus populorum. Nam et multa corpora Sanctorum ibi allata sunt,quorum præsentia et religiositas roboraretur et malignorum præcacitas retunderetur. Sane illud concilium divina (ut creditur) voluntate coactum per Sanctorum præsententiam frequentia illustravere Miracula. At vero inter cetera Deo digna Sanctorum pignora, etiam gloriosi patris exuviæ cum decenti honore delatæ sunt.

non sine miraculis delatum est.

27 Sed inter hæc agenda cum a cœnobio sancti Patris elatæ essent reliquiæ, non multum longe a monasterio hi, qui Sancti vehebant sarcinam, consederunt, et sacrum onus deposuerunt. In eo igitur loco post sanctissimarum reliquiarum evectionem devotio fidelium Crucis erexit vexillum F ob memoriam et recordationem, quod ipsi sancti Patris reliquiæ quievissent; et ab eo tempore usque nunc quicumque febricitans accessit, invocato Christi nomine per interventionem ejusdem Patris pristinam consequitur sanitatem. Inde ergo cum ad villulam, cui Ruffiacus nomen est, accessissent, mansionem inibi acceperunt, noctemque illam in Dei laudibus et hymnis pervigilem ducentes, facto mane, iter arripuerunt; sed nihilominus in eodem loco, quo quieverant reliquiæ, fideles Christiani ex lento vimine quasi quoddam fecere peribolum, ut locus ipse, quo sacra membra locata fuerant, ab accessu hominum et animalium tutus remaneret. Post multos dies taurus ferox accessit, et cornibus atque costis eamdem sepem ludibundus concussit; sed mox ut a sepe recessit, corruit et expiravit. In eadem quoque loco ex ingenti imbre lacuna succreverat, quæ susceptam aliquamdiu retinens aquam, pro reverentia sanctorum pignorum, ad abluendum plurimos invitabat, inter quos accessit quædam mulier, elephantino laborans morbo, quæ cum ex eadem se lavisset aqua, pristinæ sanitati restituta : incolumis remeavit ad propria. *Quamvis hic nullum*

AUCTORE G. C.

lum fiat verbum de reductione earumdem reliquiarum, tamen haud dubie hæ, finita synodo Karrofensi, ad monasterium Nobiliacense relatæ ibidemque reverenter servatæ sunt usque ad tempora quibus Calvinistæ Galliam depopulabantur: tunc enim sacrum S. Juniani *corpus furori horum hæreticorum subductum fuit, et simul cum pretiosa templi suppellectile ita absconditum, ut postea inveniri non potuerit, et hactenus lateat, quemadmodum Saussayus, Mabillonius aliique testantur. Nunc accipe ipsa Acta, quorum scriptorem et auctoritatem* § 1 *hujus Commentarii indicavimus.*

ACTA

auctore Vulfino Boëtio.

Ex nova Bibliotheca manuscriptorum librorum, ubi Philippus Labbeus noster tomo 2 *pag.* 569 *et sequentibus edidit Vitam hujus Sancti quam nos contulimus cum editione Mabillonii, qui eamdem inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo primo a pag.* 307 *vulgavit.* B

PROLOGUS.

Auctor imperitiam suam excusat.

In scribendis illustrium virorum præclarissimis gestis et nobilissimis triumphis, ut in futuro inviolabiliter sciri possint, nec ulla temporum diuturnitate aboleri, illi maxime stylum adhibuerunt, quibus et facundia sermonis, et nitor eloquentiæ, sensusque plenitudo exuberabat. Maxime hi, qui liberalibus artibus apprime eruditi, et rhetoricæ facundiæ et dialecticæ dispositionis congruentissima connexione pollebant. Quibus non solum artis peritia, et argumentorum ingenia, in quibus ab ipsis cunabulis nutriti fuerunt, suppeditabat, verum etiam genuini sanguinis prosapia, et origo Romanæ gentis in Latina lingua, acerrimos in explicando, quæ vellent, reddebat. At vero ego homo ab stirpe Romana penitus alienus, et Geticæ Sarmatum *a* gentis originem trahens, quibus magis barbara initio sermonis garrulitas extitit, quam Latinæ eloquentiæ notitia, quamvis ab ipsis infantiæ rudimentis inter grammaticos, rhetoricosque non minime nutritus fuerim, sed ingenii tarditas et naturalis quemadmodum * segnities nequaquam eloquentem creavit. Unde penitus abnueram scribere aliquid, quod in posterum legentibus ridiculum foret. Sed quia tua me sanctitas, reverentissime abba Godolene *b*, cogit, ut tibi insignia miraculorum gesta tanti viri, qua possim oratione, scriptitando explicem, et ordinabiliter narrando, quæ gesta sunt, eloquar, valde hinc inde angor, veritus, si scribere recusavero, ne forte inobedientiæ reus judicer; si imperiis tuis paruero, legentibus quibusque detractionibus pateam: maxime his, qui magis aliorum reprehendere, quam sua proferre, et malint livore detrahere, quam simplici mente condiscere. C D

Mab. quodammodo

et protestatur, se jussu abbatis Godoleni

2 Quamobrem elegi tuæ sanctitatis reverentia fretus et oratione, detrahentium [potius] pavere insidiis, quam per inobedientiam tuis contraire imperiis. Aderit enim ille qui ait: Aperi os tuum, et ego implebo illud. Qua de re obsecro lectorem ne mentis acumen obnubilet * inerudití sermonis rusticitas, cum mentis esuriem tanti viri sanctitas internæ dulcedinis refectionem præstet; nec fastidium incomposita oratio generet, cum miraculorum ejus insignia facta, veraciter relata, adhibere possint æternæ beatitudinis pascua. Nam cum ante mentis nostræ oculos Sanctorum et virorum illustrium præclarissimos et antiqui hostis triumphos adhibemus, et terreni actus et carnis illecebræ fatiscunt, ei animus in superna * inardescit. Nam quid aliud sancti viri in hoc seculo fuerunt, nisi spectacula futurorum, et speculum mentis; secundum Apostolum: Spectaculum facti sumus angelis, et hominibus? Quod tale spectaculum umquam reges terræ reperire potuerunt, in quibus vanissimos dies suos consumpserunt, quale Martyrum victoria et Virginum inviolata corona? Quibus spectaculis mens a desiderio terreno fit aliena, in amorem Dei ferventissima, in capessendam felicitatem sagacissima; quod tale spectaculum, quale sanctorum Patrum vita, in quo non vestium sordes absterguntur et crinium impexa deformitas, * corrigitur, sed mentis vitia fugantur, virtutes adhibentur, sponso suo Christo sine macula cohæretur, ut fiat mens absque ruga et macula, casta et mentis intuitu et corporis integritate, ut digna fiat amplexibus sponsi introducenda in cælestibus thalamis, angelorum choris hinc inde suffulta. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. E

Mab. obnubilet — *Mab. suprema* — *Mab. temeritas*

ANNOTATA.

a Getæ *et* Sarmatæ *vel* Sauromatæ *est natio Gotthica, ut Procopius Cæsariensis lib.* 1 *de Bello Vandalico cap.* 2 *testatur his verbis* : Plurimæ quidem superioribus fuere temporibus, hodieque sunt nationes Gotthicæ; sed inter illas Gotthi, Vandali, Visi-Gotthi et Gepædes cum numero, tum dignitate præstant. Olim Sauromatæ dicebantur ac Melanchlæni; quidam etiam Getarum nomen ipsis tribuerunt. Vocabulis quidem omnes ut dictum est, nulla vero re præterea inter se differunt. *Certe Sarmatas Getis conterminos fuisse, colligimus ex hoc pentametro Ovidii lib.* 4 *Tristium, elegia* 10 : F

Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.

De origine et moribus harum gentium apud laudatum Procopium, S. Isidorum ac Jornandem plura videri possunt. Nobis hic sufficit exponere, quomodo scriptor Actorum se ex Getica Sarmatum stirpe oriundum dicat.

b *Hic fuit postremus abbas Mariacensis, qui seculo nono corpus* S. Juniani *Nobiliacum transferri curavit, ut novissimi editores Galliæ Christianæ tomo* 2 *col.* 1239 *asserunt, et* § 2 *Commentarii prævii vidimus.*



CAPUT

A

CAPUT I.

Patria Sancti, adolescentia in eremo transacta, et digressio ad Acta sanctæ Radegundis.

scribere Vitam S. Juniani,

Beatissimi et virtutum miraculis præclarissimi viri Juniani monachi vitam pariterque iusiguia gesta scripturus, valde me imparem ad illius insignia facta referenda judico. Quamobrem vestræ sanctitatis orationibus posco adjuvari omui mentis adnisu, confidens in supernæ majestatis auxilio, ut ille qui mutorum linguas fecit disertas, et ex ore infantium et lactentium perfecit sibi laudem, qui etiam brutorum animalium linguas coëgit humanas proferre loquelas, adspirabit cœptis nostris, et calamum ipse temperabit, quatenus athletæ sui certamina dignis valeam sermonibus explicare, ut et illius sublimia facta ad mul- B torum perveniat notitiam, et proficiant salubriter ad medelam. Unde illam individuam Trinitatem, qui est Deus unus, trinus in personis, unus, in substantia, cui est summa potestas, æternitas sine fine, gloria sine initio, nullius temporis excursu initium sumens, nullum habens finem, suppliciter adesse posco; cui hic Sacerdos venerabilis toto cordis desiderio hæsit, nullis adversitatibus cedens, nullis prosperitatibus sui moderaminis vitam excedens, in prosperis humilis, in adversis spe coudens, stantissimus: cujus habitatio ab omnibus remota, semper solitariam diligens vitam, ut certius mentis oculum inreverberata acie ad solem justitiæ figeret.

quem S. Joanni Baptistæ comparat,

4 Cibus ei perexiguus corporis; potus naturalis aquæ liquor, vestis vilissima, coma intousa, et maxime impexa squalebat; balnea corpori vix in anno semel adhibebatur. Ita se in omnibus agebat, ut si quis eum cerneret, statim veluti Baptistam Joannem ante oculos mentis haberet, quem Dominus Salvator noster de vestium vilitate laudavit, et de ciborum parcitate omnibus exulit. Nam sicut ille Domini testimonio non erat arundo vento agitata, ita hic nullis adversitatibus frangebatur, C nec prosperitatibus elevabatur, nec laude suavior, nec vituperatione asperior reddebatur: secretorum nemorum opacitatem diligens crebro, nullo comitante socio, solitarius gradiebatur. Declinans secularium hominum conventus, et tumultuantium procellas populorum, cælestis jam habitator effectus, et incola adhuc terrenis artubus prægravatus. Nam etsi corpore terræ hærebat, mens in superuis angelorum civis effecta suavi modulatione, interno cordis affectu semper meditabatur: Adhæsit anima mea post te; me autem suscepit dextera tua.

et postquam indicavit natalem illius locum, a b c

5 Igitur nativitatis ejus exortus extitit in pago Pictaviensi in sibi subjecto territorio, nuncupante *a* Briossio *b*, in prædio quodam vocabulo, Campaniaco *c*, nobilissimis ex progenitoribus originis prosapiam ducens, qui nobiliter ab iisdem parentibus educatus, et litteris instructus, quas ille adhuc puer omni mentis conatu cum magno desiderii fervore didicit, et in ventre memoriæ condidit. Cum vero a pueritia in adolescentiam feliciter transisset, comam ob cultum religionis deposuit, dans operam in discendo, et divinarum Scripturarum notitiam incapessendam. Quam tam efficaciter adeptus est, ut omnibus patesceret, a Deo sibi collatam tanti muneris gratiam. Et cum esset adolescens, nihil puerile aliquando gessit, nihil, quod reprehensioni pateret. Honestum habens vultum, omnibus gratiosus; de ore ejus dulcia semper profluebant eloquia. Pascebat mentem spiritalibus litterarum sensibus magis, quam escarum apparatu.

EX IMPRESSIS

piaque Adolescentis exercitia in eremo,

6 Cœpit adhuc adolescens tentare anachoretarum vestigia: nam sæpe segregatus a coævis suis solus meditabatur in lege nostra *, et quasi furtivas orationes, et psalmorum modulationes remotus exercebat, nunquam otiosus. Aut enim Domino preces fundebat, aut lectioni operam dabat, aut psalmodiis indesinenter instabat, recolens illud Apostolicum: Qui non laborat, nec manducet; sed et illud Psalmistæ: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit; et quod ait Apostolus: Otiositas et insolentia semper inimica sunt animæ. Legebat frequenter Canonicas et Apostolicas Scripturas, etiam sanctorum Patrum Vitas, et Martyrum victorias, et coronas Virginum. Quorum exemplis mentem semper armabat, et ea agere tentabat, quæ viri sanctissimi et fortissimi victoriosissime et præclarissime egerunt. Cum vero E post aliquod temporis excursum ab adolescentiæ ætate ad juvenilem transiret vigorem, solitariam anachoretarum arripuit vitam. Nec visum est illi satis, quod solitarius deserti incola fieret, verum etiam in arctissimo propriis manibus constructo locello semetipsum veluti reum in ergastulo reclusit, ne oculis aliqua delectabilia cerneret, quæ mentis oculum a visione divinæ majestatis avverterent; hic modico terræ cælique spatio fruens, ut in cælestibus latitudinem totius beatitudinis possideret.

** Mab. Domini*

digreditur ad Acta sanctæ Radegundis.

7 Cum hæc ita agerentur, processu temporis B. Radegundis nobilissima, et orthodoxi gloriosissimi viri Chlotarii conjux, ex partibus Germaniæ transiens Ligeris fluvium, Aquitaniæ telluris accola esse cœpit. Cujus tanta meritorum prærogativa extitit, ut toto orbe clarior haberetur, et in pago Pictaviensium, in ultimis quemadmodum terræ finibus posita, usque in Orientem ejus præclarissimæ sanctitatis lumen resplenderet. Temporibus jam prædicti principis et gloriosissimi Chlotarii regis, cum propter ejus præclarissimæ virtutis triumphos et animi prudentissimi dispositionem regnum ejus undique diffunderetur, et F plurimæ nationes dominatui illius colla subjicerent, inter ceteras famosissimas et ferocissimas nationes Toringorum valde nobilissimam gentem sui imperii ditionibus fecit esse subjectam *d*. Nam cum contra eam arma corriperet, et viriliter dimicaret, adeptus est ex illo præclarissimos triumphos. Et cum in prædam gentis illius populi caperent, hæc sanctissima puella, regis neptis, Britthárii filia, capta est. Quæ cum conspectibus excellentissimi regis oblata esset, statim cohæsit animo ejus. Erat quippe elegantissima, speciosa nimis et venusta aspectu, labiis gratiosa. Hæc puerilem adhuc habens ætatem, quam invictissimus rex nobiliter nutrire jussit et litteris instruere. Quas illa sagacissime didicit, et strenue operibus exercuit. d

quæ Clotario regi nupta fuit.

8 At ubi ventum est ad puellares annos, et fieret ætate nubilis, et apta nubendi, complexibus regis sociata est et nuptiali obsequio peracto carissima conjux effecta est *e*. Quam tanto amore dilexit, ut nihil præter illam se habere aliquoties fateretur. Sed illa Beatissima, quamvis regali fastigio sublimata, et tanti culminis regiæ dignitatis gloriam adepta, omnia pro nihilo ducebat; e

EX IMPRESSIS semper in sui pectoris antro Christum meditabatur, illi se semper spiritualibus amplexibus sociabat, nocturnis horis denudata vestigia basilicam quotidie perlustrabat, matutina sese agens pauperum curam gerebat. Surgens a latere regis frequenter de convivio, cum pauperibus cibum et potum sumebat, monachorum nutrix, servorum Dei amatrix. In tantum enim se de virtute in virtutem agebat *, ut rex jocaretur, non se reginam conjugem, sed monacham habere. Quæ Sanctissima non multo post tempore, relicto regali toro, tota se Deo mente et corpore consecravit, velaminis sacri cultum arripuit, Aquitaniæ profuga venit, et ob amorem tanti viri Hilarii *f*, Pictaviensis quondam Pontificis, ut ejus meritis et doctrina proficeret, et incolendum Pictavis elegit: ubi postea, jubente et permittente invictissimo rege Chlotario *g*, monasterium condidit, et sub regula B. Cæsarii, pontificis Arelatensis *h*, vitam ducens, secum plurimas Deo sacratas habuit, et clementissime instruxit, et ad cælestia perduxit.

* Mab. gerebat

f

g

h

ANNOTATA.

B

a Nuncupante *ponitur pro* nuncupato, *quæ phrasis huic auctori admodum familiaris est, ut ex sequentibus patebit.*

b *Teste Mabillonio, pagus ille Briossius, vulgo* Brion, *situs est in agro Pictaviensi ad amnem vernacule dictum* la Clouëre, *de qua Sancti patria etiam Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 98 *consuli potest.*

c Campaniacum, *teste eodem Mabillonio, vernacule appellatur* Champagne saint Hilaire, *unoque tantum milliari a Briossio distat.*

d Falsum est, *inquit hoc loco in notis Mabillonius,* Chlotharium Toringorum gentem suæ ditioni imperioque subjecisse, *ut alia occasione in Commentario prævio diximus.*

e *Ex hoc loquendi modo contra virginitatem S. Radegundis, ab aliquibus assertam,* § 3 *Commentarii prævii ad Acta hujus sanctæ matronæ disputabimus.*

f *Hic est egregius ille præsul Pictaviensis et hæreticorum malleus, cujus Acta majores nostri ad diem* 13 *Januarii illustrarunt.*

C g *Is est Clotarius primus istius nominis, maritus S. Radegundis, de quo in Actis hujus Sanctæ sæpius mentio occurret.*

h *De regula hujus sancti Cæsarii in Commentario prævio ad Vitam S. Radegundis etiam abunde agetur.*

CAPUT II.

Cœnobitica Sancti vita, sacerdotium, innocentia contra falsam accusationem miraculo patefacta, et fundatio monasterii Mariacensis.

Cum Sanctus, qui S. Radegundi amicissimus fuit,

a

Eo tempore B. Junianus clausus in loco, nuncupante Coloniaco *a*, vitam ducebat; Cui hæc Sanctissima tanta familiaritate cohæsit propter ejus sanctitatem, ut nullum sibi tam socium, tamque familiarem crederet. Et quamvis corpore aliquo terræ spatio essent sejuncti; sed mente interno D cordis affectu semper conjuncti manebant. Interea crescente religionis cultu, cum plurimi frequentarent locum, in quo idem beatissimus vir retrusus speculativam ducebat vitam, compulerunt eum exinde egredi, ut, qui sibi soli proficiebat, fieret plurimis ad salutem: qui tam precibus quam etiam exhortationibus assensum præbens, qui ante solitariam degebat vitam, cœpit esse plurimorum pater, socians sibi monachos, quibus et doctrina ex exemplo ducatum ad cælestia regna præberet. Habens secum religiosissimos et monastici Ordinis præclarissimos viros, utpote, qui cum tali ac tanto viro degebant.

cogeretur præesse monachis ac sacerdos fieri

10 Factum est post aliquantulum temporis, ut cogentibus fratribus sacerdotalem suspiceret gradum, et qui pater erat monachorum, fieret auctoritate et tanti ministerii præclarissimus doctor. Adeptus tantæ dignitatis officium, mactabat quotidie in cordis ara dignissimum Deo sacrificium, et priusquam foris hostias offerret visibiles, interius semetipsum offerebat hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, E fletibus lacrymando quemadmodum * se baptizabat, et sic Deo hostias offerebat. Proficiebat quotidie de virtute in virtutem, ut videret Deum deorum in Sion, quæ retro sunt obliviscens, in anteriora se extendens, penetrabat visione cælestium arcana secretorum. Quem sanctissima Radegundis lanificiis suis fovebat: nec enim, ut aiunt, aliud tegminis habuit, nisi quod ab illa conficiebatur. Nam vestis ejus ciliciua de caprarum pilis, quæ in modum caracallæ *b*, quam nunc cappam vocamus, perseverat usque in hodie, [et] apud nos est, quæ ita illæsa perseverat, ut nihil vetustatis redoleat, candido colore perfusa; sed et illa Sanctissima catenam ferri ab illo sanctissimo viro accepit, quam super nuda corporis sui induens, usque ad exitum mortis gestavit, quæ catena propter illius sanctitatem usque hodie valde honorabilis habetur.

* Mab. quodammodo

b

falso accusatus apud Clotarium regem,

* Mab. perexiguum

c

11 Cumque multarum virtutum miraculis jam præclarus haberetur, cœpit crescere monachorum numerus, qui cum sibi locum proximum * cerneret, ubi prius initium suæ religiouis adsumpserat, transivit in agro, nuncupante Casto loco *c*. Cumque ibidem conaretur construere cellulam, ubi Deo laudis hostias immolaret, et antelucanos F conventus celebraret, accidit eo tempore jam supradicto glorisissimo Chlotario Aquitanicas partes ingredi. Cumque venisset in regis prædium nuncupante Gavarciaco *d*, diffamatus vir ille apud regem a servis loci illius, dicentes, quod de illius prædio et territorio fisci aliquid ejus monachi inconsulte usurpare niterentur, et sibi vindicare. Unde commotus rex jussit sanctissimum Sacerdotem Junianum per quemdam magnum virum, nomine Aurelianum *e*, sibi in palatio præsentari. At ille illuster vir Aurelius paret dictis, pergit cum omni festinatione ad imperium regis: cumque ventum esset ad locum, in quo vir religiosissimus Junianus commorabatur, reperit eum in oratorio more solito postratum terræ, preces Domino fundentem; quem paululum dum sustinet, ut ab oratione erigeretur, et sibi, quod injunctum erat, expleret, tantus in eum timor repente irruit, ut nequaquam ei, ut venerat commotus, aspere loqui auderet.

d

e

ad quem deductus,

12 Sed cum, peracta oratione, ibidem viri venerabilis post tergum conversus, videret stantem Aurelium regis legatum, ille statim pronus adoravit beatissimum Sacerdotem, et quid ejus vellet

A vellet adventus, supplicibus verbis indicavit, dicens, quod rex sibi eum adstare juberet, et idcirco missus esset, ut eum in conspectu ejus exhiberet. Quibus auditis venerabilis Sacerdos et monachus protinus se iturum pollicetur, et propter utilitatem totius reipublicæ et salutem animæ illius prompto animo proficisci se velle. Qui conversus in cellulam, sumptis secum duobus monachis, virgam manu gestans; nam hoc ei semper consuetudinis erat, ut baculum manu ferret, et imbecillitatem corporis ejus adminiculo sustentaret. Cumque pergerent pariter, et pedibus iter conficerent, ventumque est ad regis palatium. Ubi cum aliquid moræ facerent propter regalium fasces et pompam regiæ celsitudinis, ad fores palatii resedit, quo plurimi eum adierunt, quos ille blandis eloquiis demulcebat, et dulcedinem vitæ æternæ prædicabat. Interea ductor illius, jam prædictus Aurelius, ingrediens palatium regis auribus innotuit, Junianum monachum adesse, et ad januam palatii residere.

miraculo innocentiam suam manifestat.

13 Tunc rex præcelso in solio residens jussit eum sibimet præsentari. Cumque introductus esset baculum manu gestans, quem semper ferre consueverat, et ob fastum regiæ celsitudinis, nul-
B lus ex sociis ejus ingrederetur, nisi ipse solus, ut adpropinquavit solio regis, ut est consuetudo monachorum, pronus regem adoravit, baculum retrorsum relinquens rectum, ut manu gestaverat. Cumque rex eum surgere jussisset, et ad ejus imperium ille surrexisset, cœpit rex cum illo loquente ex multis et variis sermocinando de rebus eum interrogare. Sed cum pariter loquerentur, intuens rex baculum stantem, non terræ fixum, sed supra pavimenti testudinem erectum, nullus manu adtactum stantem, valde admiratus est et tanto terrore perculsus, ut etiam genua illius colliderentur. Unde compulsus, proceres quosque palatii vocavit, indicans illis miraculum, et manu porrecta ostendit dicens : Vere hic homo sanctus est, et vere Dei cultor, et Christianæ religionis maximus institutor. Ex quo etenim mecum cœpit loqui, virga, quam manu tenebat, post tergum erectam relinquens, quia nemo, qui eam adprehenderet, adfuit; ecce erecta, ut fuerat ab eo dimissa, perseverat. Quod omnes pariter admirantes, omni-
C bus stuporem mentis et admirationem incussit. Et ita ab omnibus deinceps venerabatur, acsi in pectore ipsius Christum Dominum et Salvatorem nostrum cernerent.

et propterea ab illo rege accipit locum

14 Post multam collocutionem gloriosissimus rex interrogavit eum, quod operis haberet, quæ vita, cujus religionis esset. Cui ille dulcissimo alloquio respondit, se sub monastico Ordine vitam degere, et monachis prælatum, et beatissimi Benedicti instituta servare *f*, regularem ejus vitam in omnibus observare, nisi quod propter angustiam loci non eam plenissime custodire cum suis valeret, nec se habere, ubi exercitium operis fieret secundum regulam jam supradicti Benedicti patris. Quibus auditis, rex statim adjunxit et ait : Si ex prædio fisci nostri aliquid vobis vicinum est, et loci opportunitate congruum, quantum tuæ sanctitati placet, et tibi tuisque sufficere posset, tam in exercitio operis, quam etiam in pascua jumentorum et pecorum necessarium, concedimus tuæ sanctitati ad usus videlicet servorum Dei et monachorum tibi cohærentium, ut et nobis omnipotens Deus vobiscum partem laboris conferat, et æternæ beatitudinis præmium concedat, et vobis in omnibus sit ad subsidium plenitudinis, et perfectionem regulæ, et augmentum virtutis. Tantam etenim Dominus militi suo gratiam in conspectu regis contulit, ut, qui eum propter injuriam et contumeliam sibi exhiberi jusserat, summo honore receptum muneribus ditaret, et quidquid ab eo peteret sibi fieri nullatenus recusaret. Sic enim Christus, qui propter nos humilis apparuit, athletam suum humilem in conspectu regis magnificavit, ut congrue de illo dici possit : Magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ.

aptum construendo monasterio,

15 Post hæc rex surgens a solio, flexo genu adoravit sanctissimum virum, ut eum manibus suis susciperet, et in sacrificiis suis orationibus commendabilem Deo faceret, et pro se suaque domo, pro statu regni, et totius reipublicæ utilitate, Dominum exoraret, deprecatus est. Et ut cellulas construeret, monachos congregaret et Deo animas lucraretur admonuit, et quæ sibi necessaria essent posceret omnia, se eum devotione præbere pollicitus est. Tunc valefaciens, eumdem virum, qui eum sibi adstare fecerat, remisit, et ut de prædio fisci, quantum illi visum erat oportunum, acciperet, eo videlicet consignante Aurelio, qui ejus ductor fuerat ad palatium : ubi repertus est locus valde ad construendum monaste- E
rium aptus, nomine Mariacus *g*. Quo in loco, divina suffragante clementia, cellulam a fundamentis construxit, et monasterium ædificavit, ubi et congregationem monachorum instituit, et sub B. Benedicti regula perfecte vivere fecit. Tantæ charitatis glutino omnem monachorum catervam constriuxerat, ut omnibus fieret cor unum et anima una.

ubi subinde ad solitudinem digrediens, varias exercet virtutes.

16 Interea vir sanctissimus Junianus, relicta sæpe monachorum turba, loca remota inquirebat. Et quamvis pater esset monasterii, frequenter deserti incola fiebat. Reperit locellum Colniacum *h*, ubi vir religiosus opere proprio cellulam construxit, et ibi non paucis annis solitariam vitam duxit, ubi et non modicas virtutes omnipotens Deus per ejus sanctitatis meritum declaravit, pernoctans in omnibus die noctuque pervigil, curam totius monasterii gerens et secreta sæpe petens, speculativa mentis acie cælestia cernebat, per diem se manuum operibus exercebat, per noctem orationibus vacabat. Numquam otiosus panem comedebat, memor illius Apostoli : Qui non laborat, non manducet. Stigmata Christi in corpore circum- F
ferens, tanta ciborum abstinentia inerat, ut pallor vultus indicaret, eum non terrenis epulis corpus, sed cælesti cibo potius animam satiare, dicens cum Apostolo : Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, portans crucem Christi, et humilitatis vestigio pauperem Christum sequens ipse pauper, memor B. Petri Apostoli dicentis : Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus : Et quamvis diversis operibus per diem se adfligens, ita ut lassatum eum lectus exciperet, tamen media nocte consuetudo ei erat ad surgendum juxta illud Psalmi : Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Nec minus laudes Christo studiosissime decantans lachrymando promebat, per diem sæpties * genuflectens officium sui occursus *i* explebat. Hanc hujus ærumnosi seculi vitam cum amaritudine et fletu ducebat, nec oblectabatur mundi rebus, quem exasperabat dura carnis servitus, memor illud Domini : Si quis amicus hujus mundi fuerit, inimicus constituitur Dei. Quod ille præcavens, in tantum se alienum reddebat a seculo, ut inviolabiliter adhæreret Deo, spernens latam et spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, arripiens

** Mab. sæpius*

Ex impressis piens arctam et angustam ferventissimo mentis amore, quæ ducit ad vitam.

ANNOTATA.

a *Hic locus jam Gallice* Chaulnay *vocatur, ut Mabillonius in margine notavit.*

b Caracalla *est vestis militaris et plebeia, ad talos usque defluens; unde Antonino imperatori cognomen* Caracallæ *adhæsit, eo quod talem vestem ex Gallia in Italiam invexisset. Postmodum hæc vox ad vestem sacerdotalem et cucullam monasticam detorta est, ut ex hoc textu colligitur, et in auctiori Cangii Glossario ad hoc nomen pluribus exemplis confirmatur.*

c *Mabillonius ad hæc Acta in margine notat, hunc locum vernacule* Chastelacher *appellari. Unde autem Latine* Castus-locus *vocatus fuerit, infra in his Actis explicatur.*

d *Ex Valesio in Notitia Galliarum pag.* 223 *discimus, hunc locum ab indigenis nunc* Javarçay *vocari.*

e *Minister ille regius, qui hic* Aurelianus, *in-*
B *fra constanter* Aurelius *scribitur. Fuit quidam* Aurelianus *legatus Clodovæi regis, et patricius, de quo Gregorius Turonensis meminit; sed hactenus ignoramus, an is idem sit cum illo, qui hoc loco memoratur.*

f *Hoc est testimonium, ex quo Benedictini præcipue concludunt,* S. Junianum *ad Ordinem suum pertinere. Sed de hac controversia in Commentario prævio satis superque dictum est.*

g *Hæc abbatia seculo* IX *redacta est ad Prioratum, ac denique convertitur in ecclesiam parœcialem, sitam in loco, quem* Mairé l'Evescaut *aliqui cognominant, ut distinguatur ab alio vico ejusdem nominis, quem incolæ propterea* Mairé le Gaullier *appellant, ut Mabillonius in notis monet.*

h *Suspicamur,* Colniacum *differre a supra memorato* Coloniaco, *quia locus unus vernacule* Chaulnay, *alter* Caulnay *in margine notatur. Sed istam levioris momenti rem indigenis determinandam relinquimus.*

i Occursus *hoc loco idem videtur esse cum* cursu *vel* decursu, *quæ voces pro Officio ecclesiastico usurpantur, ut in Annotatis ad Vitam S. Rade-*
C *gundis observabimus. Cum autem hic addatur* officium, *potest etiam vox* occursus *in propria significatione sua sumi, ita ut sensus sit,* S. Junianum *cantasse partem Officii, quæ eo tempore occurrebat.*

CAPUT III.

Sanctus spiritu prophetiæ præditus, et divina ultio in fures, aliosque, qui ei damnum aut injuriam inferre voluerant.

Sanctus tempore famis

Cumque instantissime et constantissime in Dei mandatis se exerceret, cœpit multiplicibus virtutibus florere; ita ut etiam aliquoties spiritu prophetiæ repletus absentia et futura prospiceret. De quibus perpauca subnectimus, et maxime ea quæ Auremundus *a*, ejus spiritalis filius et individuus comes, minister et discipulus, post ejus obitum ad multorum perduxit notitiam. Cum pro
D diversis criminibus regionis illius populi Dominum ad iracundiam provocassent, et flagellum indignationis ejus super se excitarent, fames valida per totam regionem invaluit. Cœpit populus maxima ex parte clade et fame perire. Unde compulsi undique conveniunt ad sanctum virum Junianum flebiliter deprecantes, ut pro eis ad Dominum preces funderet, ne omnes fame consumerentur, et, pereunte cultore, terra redigeretur in solitudinem. Quorum precibus commotus vir Dei sanctus, in cinere et cilicio prostratus indesinentes preces Domino fundebat, ne populus fame periret.

18 Ea igitur tempestate quædam mulier, compellente inopia, et famis valitudine cogente, ante oratorium, ubi vir venerabilis Junianus prostratus Domino preces fundebat, cœpit magno ejulatu flere, et quibus poterat clamoribus vociferabatur dicens: Vir Dei, adjuva me. Quibus verbis vir Dei permotus, intentius cum lacrymis Deo preces fundebat. Surgens expleta oratione, ministrum suum vocat dicens ei: Vade fili; sciscitare, quid sibi paupercula illa velit, et, si quid vales, adjuva illam. Cum autem eam audie- E ris, renuntia mihi, quid sibi velit clamor ejus et ejulatus. Cumque puer velociter jussa explesset, renuntiavit patri dicens: Mulier paupercula est, cui et panis deficit, nec unde emat, habet. Quo audito, jussit eam in conspectu suo adstare, hilari vultu et paterno affectu interrogans; cur tanto ejulatu fleret, et clamoribus eum inquietaret. At illa respondit: Vere, Dei famule, et sacerdos, scias me fame periclitari: panis deest, emptio nulla, fames quotidie invalescit, et ecce prægnans morior. Quamobrem tuam adii clementiam, ut si me de periculo famis eripueris, sim tibi perpetuo ancilla, et filius, quem utero gesto, servus sempiternus. Quem cum enutriero tuis manibus et jugiter servire instituam; tantum adjuva me, ne peream.

eleemosynam dat mulieri gravidæ,

19 Audiens hæc Junianus subridens ait: Sciebam etenim antequam puer te vocaret, te et fame laborare, et in utero filium gestare, quem filium scio meum futurum successorem. Accipe de manu nostra auri munuscula, sicut libet; eme tibi cibos, ne pereas fame, et cum puer natus fuerit, cum omni vigilantia custodi. Cave, ne aliquid incantationis, aut diabolicæ suasionis pollu- F tiones in eum exerceas; sed cum adoleverit, mihi eum affer, quia ego eum de sacro baptismi fonte suscipiam, et literis erudiam et mihi successorem constituam, prænuntians tibi, quod superveniente anno frugum abundantia in hac regione exuberabit, et nequaquam fame ex hoc quisquam peribit. Accipiens autem mulier illa aurum de manu S. viri, regressa in domo sua gaudens tam de pretio, quam etiam de supervenientis anni abundantia, emit escas, et famis inediam temperavit, filiumque cum omni studio secundum monita viri Dei enutrivit.

ei prædicit, filium, quem paritura erat, sibi in abbatis officio successurum;

20 At ubi eum ad ætatem puerilem perduxit, conspectui sancti viri obtulit, qui secundum Salvatoris Dei nostri præceptum sacris fontibus eum propriis manibus initiavit. Ipse enim de sacro-sancto baptismate suscepit, et filium spiritualem adeptus est, Auremundum vocavit, ea videlicet ex causa, quasi auro emptum, quia aurum matri dederat unde ipsum filium enutriret; peculiarem quemadmodum sibi vernaculum instruxit, litteris erudivit, qui divina tribuente clementia, perfecte Scripturarum scientiam adeptus est, et secundum viri Dei prophetiam, sacerdotalem adeptus est honorem,

quam prædictionem eventus probavit.

A norem; multo tempore cum ipso inculpabiliter spiritali patre vixit, et ei in omnibus obtemperavit. Post cujus vero obitum successor illius extitit magnæ virtutis homo et sanctitatis, utpote qui a tali ac tanto viro instructus fuerat, quam omni intentione et doctrinis et exemplis sequebatur. Plura, isto narrante, innotuerunt S. viri miracula, quia multo tempore post ejus obitum vixit, et gregem sibi commissum irreprehensibilem custodivit. Et quamvis omnia sermo noster explicare non valeat, quæ de ejus miraculis audivimus, pauca tamen de multis nos ponere non pigebit. Aderit * omnipotentis Dei clementia, ut valeamus explicare, quæ fideliter audivimus, et fidelissime narrare decrevimus.

* Mab. adsit

Cum duo fures,

21 Nam cum idem venerabilis vir in agro, nuncupante Casto-loco, cui nomen idcirco indiderat, eo quod quietum reperisset, et ab omni accessu feminarum remotum, ubi claustra exigua pro loci opportunitate construxerat, hortum circumsepserat, in quo apum alvearia posuerat, et oratorium sibi consecraverat, ubi Domino, remotus ab omni seculari tumultu, libera mente preces B funderet. Et cum hæc ageret, quidam nocte latro insidians, horti sui septa irrumpens, conatus est præripere et sibi sufficientia furari de alveariis apum. Sed cum vas unum e pluribus arriperet, quod videbatur esse excellentius, et præ ceteris melle exuberare, statim utraque manus vasculo adhæsit, nec in alium locum exinde transferre valuit: ita debilis effectus, ut omni membrorum compage dissolutus, contractis pedibus, per totam noctem humi prostratus jaceret, et dolore maximo nervorum torqueretur: et sic cum magno doloris ejulatu vigil extitit. Cum autem jam aurora surgeret, hortulanus ad sui officii opus studiosus surgens, manu sarculum tenens, ingressus est hortum. Cumque undique more solito eum speculatur, et circumiret, reperit hominem turpiter jacentem, et vas apum manibus stricte tenentem, quem ita alloquitur: Ad furandum, instigante diabolo, huc ingressus sum; sed meorum peccatorum pondere pressus, constrictus et infelix hic jaceo. Unde supplex tuam deprecor sanctitatem, ut mei misereri digneris, et apud sanctissimum virum venerabilem patrem Junianum intercedere coneris, cujus me meritis sic ligatum credo, cujus præcibus C absolvi confido.

quorum unus alveare,

22 Tunc discipulus ille opus, quod cœperat, imperfectum relinquens, ad sanctum Virum cucurrit; quod actum fuerat indicavit dicens: O piissime pater, de inimico nostro Dominus grande fecit miraculum; homo, qui nocte ad furandum venerat, turpiter ligatus in horto nostro jacet: arripuerat enim quoddam vas melle plenum, sed nihil exinde constitit, insuper et manus ejus ita adhæserunt vasculo, ut nullatenus eas inde subtrahere possit. Hæc audiens venerabilis senex, increpavit fratrem, cur de hominis lapsu gratularetur, dicens ei: quod non vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat et non septies nobis dimittendum, sed septuagies septies, Dominus Salvator noster docuit. Unde celeriter perge, frater, absolve hominem, et nostris conspectibus, quæso te, altare facias. Cumque ille pergeret ad imperium patris, venerabilis sacerdos se in orationem dedit, et suis sacris precibus vinctum resolvit, ad se introductum taliter alloquitur: Noli, frater, noli in furando amplius laborare. Sed quæ necessaria sunt, propriis manibus et sudore vultus tui præpara, ut de tuis usibus necessaria habeas, et pauperibus inde tribuas. Ita correptum et melle satiatum dimisit.

EX IMPRESS. alter vaccam Sancto surripere voluerat, * Mab. sublevari

23 Interea venerabilis vir propter usus monachorum, et maxime pauperum, cœpit enutrire animalia, quibus possit humana fragilitas sublimari *. Nam et pullorum nutrimenta plurima congregavit, quorum carnibus infirmorum inopiam sustentaret, et ova sumptibus egentium deservirent. Caprarum etiam et ovium greges habuit, ut de velleribus earum vestimenta conficerentur, et lac et caseum in cibo servorum Dei proficerent. Habuit etiam armenta ad exercitium laboris et agriculturæ, ut his omnibus adminiculis sulti Deo liberius deservirent. Per id tempus cum in supradicto jam loco feliciter venerabilis pater vitam in sanctitate et summa religione perageret, quidam latro, quem magnus esus carnium delectaverat, cœpit desiderio carnis flagrare. Quod ille suæ vesaniæ famem nequaquam haberet unde expleret, cœpit cogitare qualiter suæ voracitatis rabiem et ventris ingluviem exsaturare possit. Tunc, compellente antiqui hostis nequitia, latenter noctis silentio domum, qua armenta prædicti patris continebantur, clausam irrupit, et vaccam ex omnibus, quam elegerat, pinguissimam foras emi- E sit. Cujus caudam strictis manibus tenens, ad suæ habitationis locum ducere conabatur. Sed cum paululum processisset, vacca lasciviens cœpit exilire. Quam ille videns, se eam nequaquam tenere posse, voluit dimittere; sed utraque manus ita adhæserant caudæ, ut nequaquam divelli possent: unde accidit, ut nutantibus genibus proruerét, et vacca eum post tergum more carpenti traheret, circumiens per totum tempus noctis solita pascua, et per veprium et saltus nemora gradiens, non minima vulnerum misero homini inflixit detrimenta.

divinitus constricti tenerentur.

24 At ubi aurora irrumpescente, et crepusculo jam diei albescente, ante ostium domus unde egressa fuerat, vacca stetit, et latro caudam tenens post tergum jacuit; armentarius vero more solito, irrumpente die, clavem manu gestans ad domum armenti venit, fores confractas reperit, furata omnia armenta putavit. Sed cum diligentius intueretur, reperit unam esse ablatam ex omnibus; cumque concito gressu foras pergeret, vaccam stantem vidit, et post tergum ejus hominem sedere conspexit; sed quid illic ageret penitus ignorans, arbitrabatur tamen, quod vac- F cæ potius custos et rector esset, quam ablator. Unde eum his vocibus compellat: Quæso te, homo, tempus est, ut armenta in pascua properent, dimitte pecudem nostram, ut cum ceteris ad pastum redeat: pro custodia ejus dabitur merces operi tuo. Cui ille lachrymabiliter respondens ait: Nequaquam, domine mi; reverentissime pastor, non est ita: nam, instigante diabolo, ad furandum huc veni, cum me esus carnium delectaret, et cum præripere voluissem prædam, captus teneor et infeliciter vulneratus. Quæso miserere lapso, miserere precanti, miserere vulnerato et cito reverentissimo patri nuntia, quid actum est; quia nisi me ejus oratio absolvat, ejus sanctitas religavit, absolvi non potero.

statim solvuntur per intercessionem ejusdem Sancti, * lege subridendi

25 Quod audiens pastor ille alacri et quasi subridens * vultu intrat oratorium, quo senex sanctissimus omnipotenti Deo precem fundebat solito. Surgens igitur ab oratione, purgata mentis acie, præmundum sancto Spiritui in pectoris sui antro præparaverat hospitium. Tantam etenim in cordis ara Domino mactabat hostiam, ut mox adveniente Spiritu sancto propheticam promereretur gratiam, et quid nocte illa actum fuisset, nullo mortalium narrante,

EX IMPRESSIS

narrante, cuncta ad liquidum nosset. Unde statim, introëunte armentario, his verbis alloquitur: Noli frater, noli gaudere de alterius lapsu, memor illius beati Apostoli: Qui se putat stare, videat, ne cadat. Cur gaudens narrare mihi desideras, quod ego, prinsquam me videres, non solum et quod actum sit, et quid miser ille tibi mihi narrandum in ore posuerit, novi. Pauper enim ille fame compulsus hoc peregit, non habens, unde suæ inediæ temperaret esuriem. Unde convenit nobis, pro illo devotissime Dominum deprecari, quatenus et veniam delictorum suorum promereatur, et a vinculo, quo strictus tenetur, miserante divina clementia absolvatur. Quod cum uterque prostrati ante Dominum jacerent, his verbis sanctissimus vir Dominum deprecabatur: Quæso omnipotens Deus, miserere lapso solve manus, quas ligasti, sanctissime Pater, dimitte, quod invasit; adipiscatur veniam in his, quibus reliquit. Mox oratione peracta absolutus est, et pecudem ire permisit.

qui eos benigne monet ut horrenda emendent.

26 Ipse vero introductus est in cellulam ante conspectum viri Dei, cui ipse sanctissimus dulcia prompsit eloquia, et his verbis affatur: Noli frater, noli jam amplius in furando operam dare: recondc in tui ventris memoriam hujus sceleris

B contumeliam, et cave, ne obliviscaris noctis hujus amaritudinem; coërce temetipsum, et ante mentis oculos tantæ confusionis scelus statue, si forte misereatur tui Dominus, et dimittat tibi, quod in eum nequiter deliquisti, ut purgatum, et de palea triticum factum, in horrea sua te piissimus recondere dignetur. Noli amplius furari, ne forte deterius tibi aliquid contingat; sed propriis manibus potius labora, ut habeas et tibi sufficientia, et pauperibus inde tribuas eleemosynam. His, et aliis quamplurimis exhortationibus eum alloquens, jussit cibum ponere, carnibus satiare satiatumque ad propria valefaciens eum proficisci permisit.

Vulpes gallinam surreptam, orante sancto Viro,

27 Quadam die cum venerabilis senex claustrum huc illuc ob relevandum fastidium deambularet, ut avidior iterum ad orationem rediret, accidit eo præsente, ut vulpes, fraudulentum animal, et numquam rectis vestigiis incedens, sem-

C per tortuosum, et mille mæandris flexuosum, per quoddam foramen ingrederetur claustrum monasterii, ubi cum pullorum turba cibum quæreret, et beatissimus pater ardentissime divino, ut credo, nutu specularetur, bestia gallinam invadit, et recavo gutture caput prædæ recondens, non per foramen, quo ingressa erat, sed super murum exiliens, saltum petiit. Quod vir Dei cernens, alacri mente ad solita arma orationis recurrit, gratias Redemptori Deo, ut solitus erat, primum refert his verbis: Tibi sancte Pater, omnipotens Deus, quas valeo gratias refero. Tu enim creasti cælum et terram, mare et aridam, et multiplicibus eam pecudibus replesti, et ad usus hominum quædam tribuisti; quædam vero pro peccatis infesta esse voluisti. Unde tuam deprecor clementia, ut prædam, quam perniciosa tuis famulis bestia surripuit, illæsam tribuere dignare *. Illius etenim de fructibus mihi aliquotiens pulmentaria *b* præbebantur. Tu es enim solus altissimus rector, gubernator, defensor et protector. Nec enim difficile tibi est aliquid in perficiendo; sed nostra impediunt delicta quoties non accipimus, quod petimus impetrando.

** forte digneris*

b

illæsam ultro referre cogitur,

28 Hæc dum idem venerabilis vir Domino verba in oratione funderet (necdum enim a pavimento surrexerat) fraudulentum illud animal

D cum præda iterum murum penetrans claustrum ingreditur. Nuntiatumque est seni, adesse vulpem gallinam in ore illæsam gestantem. Quod cum venerabilis sacerdos egrederetur oratorio, ante pedes ejus statim illæsam deposuit prædam, et quid de ea juberet, bestia expectabat. Cumque eam famuli domus interficere conarentur, repulit eos dicens: Nolite, fratres, nolite interficere eam. Non enim ingenio aut viribus vestris capta est; sed, Dei cogente potentia, huc reversa est. Unde convenit, ut illæsam eam abire patiamini. His dictis compescuit famulorum manus, ne interficeretur. Tunc manu signo dato, bestiam illæsam abire permisit; at illa transcendens claustrum, saltus deserta petiit, ita suæ iniquitatis conscia et fraudulentiæ, ut ulterius nequaquam infesta fieret loci illius, aut prædam aliquam non solum ex alitibus, verum etiam nec de fructibus adtentaret. Tunc B. Junianus ait: Hoc, dilectissimi fratres, ne putetis pro alicujus nostrorum merito actum miraculum, sed pro sui nominis pietate, ut timeamus eum jugiter, pariterque amemus, et illi indesinenter gratias referamus. E

et homines hunc Sanctum injuria afficientes,

29 Nam et ante hæc, quæ præmissa sunt, miracula, quædam mira gessit, quæ huic operi inferenda non ab re visum est. Prædium quoddam nuncupante Waciaco *c*, cum ille sanctus religionis cultu cellulam ædificare conaretur, homines loci illius insurrexerunt adversus eum ita ut lapidibus eum obruere tentarent. Quos ille fugiens, recesset; sed illi nequaquam desistentes, longius eum persequebantur. Tunc ille signum posuit lapidem, et prostratus * est, ut ne quis illud transgrederetur. Qui obedierunt voci ejus, sacri et incolumes remanserunt; qui autem prætergressi sunt, non solum in illis ultio divina facta est, verum etiam in omni posteritate illorum, qui aut lippientibus oculis, aut gutturis inflatione usque in præsens informes nascuntur.

e

** forte protestatus*

cælitus puniuntur,

30 Cum quodam tempore homines de fisco regis, nuncupante Gavarciaco, vallum facere conarentur, ut ex omni parte regis prædium determinaretur, ventum est ad id, quod beatus ille per regis largitionem prædium possidebat: cumque per legatum suum juberet illis, ut desisterent, et nequaquam; quod illi pertinebat, intro clauderent: cujus verba derisui deputantes, omnes F statim muti effecti et immobiles permanserunt, usque dum ille beatus pro illis orationem fudit, et sic ab stultitia sua cessaverunt. Cum sanctus ille silvulam, quam propter opacitatem ut secretius ingredi posset, manu propria, ut aiunt, seminasset, jam incrementa custodi delegavit. Cum quodam die pergeret ad locum, qui dicitur Costellegium *d*, reperit eumdem custodem silvæ in quadam fago ramorum densitatem incidentem, qui statim obriguit, nec inde descendere valuit, usque dum ille sanctus pariter cum monachis sibi commissis Domino precem funderet; et sic, sanitate recepta, ulterius minime fraudem exinde facere ausus est.

d

ANNOTATA.

a *Hic* S. Juniano *successit, prout sanctus vir prædixerat, fuitque secundus abbas Mariacensis, et diu vixisse dicitur, ut mox infra legimus.*

b *Licet* pulmentum *vel* pulmentarium *sæpius significet obsonium ex oleribus confectum, tamen interdum accipitur pro ovis, ut in Glossario Cangiano videre est. Quinimo ex libro Genesis cap.* 27 *constat, subinde hoc nomen pro carnibus usurpari.*

c *Locus*

A c *Locus iste nobis ignotus est, cum nec Valesius nec Mabillonius situm ejus aut nomen vernaculum assignent.*

d Costelleginm *videtur esse idem cum* Castoloco, *de quo supra egimus: nam a Mabillonio hic in margine notatur* Casto-locus *et vernacule* Chastelacher, *ut superius iterum monuimus.*

CAPUT IV.

Ultima Sancti monita ante mortem, pius obitus simul cum sancta Radegunde, honorificæ exsequiæ, et locus sepulturæ divinitus assignatus.

Sanctus sciens, sibi mortem instare,

Decurso igitur temporis hujus spatio, et ærumnosæ vitæ calamitatibus forti animi vigore superatis, cœpit beatissimus Junianus sui obitus diem fratribus prædicare, et sibi non B longius imminere prædixit. Cumque infatigabiliter se in præceptis Dei exerceret, nec senectuti cederet victor animus iu labore, tanto artius * animum suspendit ad cælum, quanto sibi eminere *a* prævidit [et] citius propinquare obitus diem. Cumque paululum spiritum ab oratione revocaret, respiciens undique monachorum et fratrum turbam consistere, qui ad ejus, si possent, convenerant relevandum languorem, sive prece, seu suavi exhortatione, verbis supplicibus consolarentur, inspiciens quosdam videntes, febrium magnitudinem lacrymantes, talibus eos verbis alloquitur dicens: Nolite, fratres, nolite super languoris mei valetudine flere; scio cui credidi, et bene certus sum, non vitam modo finire, sed incipere, non mortem perpeti, sed finire. Quid enim est aliud hujus vitæ præsentis excursus, nisi mors, quæ in prima generis humani radice indita est? Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit nisi morte; et quot pestes, ut C verius dicamus, tot mortes? Quid amator ipse tot rerum noxiarum, et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, majores formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia; superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, impudentia, petulantia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utrinsque sexus tot stupra atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere: sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, contumeliæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentia, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, tam de vita ista hominum non recedit?

** Forsan altius*

a

monachis suis pia dat monita,

32 Ista deflenda sunt, fratres charissimi, ista fugienda, ista cum omni gaudio finienda, et ad illam perpetuam vitam festinandum, et cum gaudio exhinc egrediendum, et illuc properandum, ubi nihil tale manentibus accidit. Sed videamus quibus Dominus talem promisit vitam; ait enim ipsa Veritas: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Posuit in principio beatitudinis, humiles corde; ac per hoc exclusit superbos, et tumidos, ubi dicit pauperes spiritu regnaturos. Deinde, Beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, beati misericordes, beati pacifici, beati mundo corde. Ecce quales invitantur ad æternam requiem, qui tali desudaverunt temporaliter in labore. Nam qui hic cum mundo gaudent, illic sine fine lugebunt. Vere hoc est indeficienter regnare, coronam beatitudinis talibus ornatam virtutibus, veluti floribus, possidere. Deum confusione * mereri, conspicere, quo præsente mereatur anima cernere, quod amavit. Quod si in hoc seculo ad præsens humana fragilitas dicit, se regnare quadam sibi prosperitate: si blandiatur fugitiva et falsa felicitas, quanto magis illud regnum quærendum est, ubi semper liliorum rosarumque blandior lux arridet? ubi pictura flores odoriferi non marcescunt; ubi loci fœcunditas neque nube premitur, neque sole siccatur; ubi non finitur cum possessore possessio, ubi quidquid desiderat animus, dat aspectus; ubi justus gemmas calcabit in plateis, quas modo reges nequaquam tales gestant E in coronis; ubi mortalitas translata in immortalitatem, cum angelis sorte simili gloriatur; ubi hominibus et Deo cum Thronis et Dominationibus, et universo angelorum cœtu fit una possessio. Ibi, dilectissimi fratres, ibi totum mentis oculum dirigite; ibi desiderium vestrum figite, totis viribus illuc tendite, ubi tantæ felicitatis gratia possidetur.

EX IMPRESSIS

** Forsan confessione*

33 His et aliis quamplurimis spiritalibus alloquiis per totam pene noctem commissum sibi gregem, escam potumque ministrans, pervigilem reddidit. Inter cætera allocutionum præcepta dicens eis; Fratres, ante [omnia] mutuam in vobismet ipsis habete charitatem. Charitas est Deus, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Nolite locum dare diabolo, ille etenim dat locum antiqui hostis, qui se in fraternitatis dilectione sejungit. Sit vobis cor unum, et anima una in Domino, sicut in primordio Ecclesiæ de fidelibus dicitur, quod erat illis cor unum, et anima una. De successoris mei prælatione cavete, ne aliqua variatio fiat; sed unanimes unum vobis constituite. Quod si verum et optimum vobis abbatem constituere desideratis, compresbyterum et spiritalem filium meum Auremundum vobis constituendum decernite. Ipse etenim F et vitæ exemplo, et morum probitate, et doctrinæ eloquio ducatum credo ad æternam vitam capessendam præbebit.

cosque ad mutuam charitatem exhortatus,

34 Cumque jam aurora signum daret, et tempus immineret, quod illa anima corpore dissoluta ad cælum migraret, valefaciens omnibus, et pacis osculum tribuens, reddito mortis debito, de antiqui hostis insidiis triumphans victor, ab angelicis choris suscepta cælum conscendit. Tantus etenim mox cælitus illic ferme per trium horarum spatium odor fragravit, sicut narrante prædicto Auremundo, qui aderant *, cognovimus *b*, ut omnium aromatum fragrantiam superaret. Sed et vultus illius mox tanta claritate enituit, ut non eum exanimem crederes, sed dormientem potius æstimares. Dederat enim mandatum, ut statim cum a sæculo migrasset, nuntiaretur beatissimæ Radegundi, ut pro eo precem Domino funderet. Quod et illa similiter fecerat. Accidit, ut eodem die, eadem hora uterque migraret de sæculo *c*; et quos hic unius charitatis vinculum constrinxerat, illic eos pariter paradisi gloria simul acciperet,

moritur eodem tempore quo S. Radegundis obiit,

** Mab. aderat*

b

EX IMPRESSIS ret. Denique legati ex utraque parte proficiscuntur, qui sibi obviam occurrentes, sciscitatur alter ab altero, quamobrem celeriter pergeret. Indicaverunt sibi unusquisque, qua de causa itineris laborem assumpsisset, et inventum est in unius horæ puncto utrosque migrasse ad cælum. Et more funeris, exequiæ præparantur.

Et honorifice sepelitur. 35 Undique populi conveniunt, catervæ monachorum adsunt, et dignis obsequiis sanctissimum virum prosequuntur. More solito membra feretro componunt, cum laudibus et digno officio funeris, ad locum, quo sepeliendus erat, proficiscuntur. Non modica turba tam populorum, quam etiam monachorum, et præcedente et subsequente cum cereis et luminaribus iter arripitur. Et cum jam aliqua pars itineris conficeretur, subito, qui humeris illud sanctum corpus gestabant, immobiles permanserunt, et, paululum resumptis viribus, conabantur illud amovere, et proficisci : sed ita feretrum, in quo gestabatur, immobile permansit, ut nequaquam exinde qualibet in parte moveri posset. Mirantes quod acciderat signum, non minimus omnes horror invaserat : sed
B precibus Deo fusis, ut datis indiciis patefaceret, quo ipsum beatissimum corpus terris humari placeret (decretum etenim fuerat ut Coloniaco conderetur; sed nequaquam illuc deferri potuit) visum est omnibus, ut in loco nuncupante Mariaco cum conderent. Quo consilio accepto, statim perfacile eum exportantes, illuc adtulerunt. Un- D
de omnibus patefactum est, illic eum Dominum voluisse recondi, et sibi aptum fuisse, ubi cum magno funeris apparatu venientes, venerabiliter sepultus est. Quo in loco miraculorum ex illo usque nunc congeries coruscat. Illic enim et dæmones ab obsessis corporibus fugantur, cæci illuminantur, claudi proprium recipiunt gressum, debiles incolumitatem adsequuntur, digna petentibus vota tribuuntur, omnis incommoditas refugit, salus optata refunditur omnibus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Putamus pro* eminere *legendum esse* imminere, *et conjunctione sensum imperfectum supplevimus, quod etiam interdum alibi faciendum fuit.*

b *In Commentario prævio expositum est, quomodo hic biographus id mediate cognoscere potue-* E
rit, narrante Auremundo, quamquam hæc immediate ex ipso Auremundo audire nequiverit.

c *Non fuit igitur in Commentario prævio disputandum de anno vel die, quo* S. Junianus *obiit, cum utrumque in Actis S. Radegundis implicite stabiliendum sit.*

DE S. RADEGUNDE REGINA

POSTMODUM MONIALI

PICTAVII IN GALLIA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Antiquus Sanctæ cultus, scriptores Actorum, et diversa eorum apographa.

C

Anno DLXXXVII. Hæc sanctæ Pictaviensium patrona

Pictavium *antiqua Galliæ Aquitanicæ civitas, et Pictonum metropolis, cujus situm ac vetera nomina Bollandus noster occasione S. Hilarii ad diem* XIII *Januarii assignavit, hactenus summa veneratione prosequitur* S. Radegundem, *tamquam singularem suam adjutricem, ut satis liquet ex litaniis, quas illustrissimus ejusdem urbis episcopus Henricus Ludovicus Chasteigner de la Roche-Pozay in honorem hujus Sanctæ publicis typis edi notisque historicis illustrari permisit, et in quibus Sancta illa inter alias virtutum laudes* Pictaviensium patrona tutissima *atque* obsessæ urbis propugnatrix potentissima *appellatur. Nec sine causa hos honorificos titulos accepit : cum enim Angli anno Christi* 1202 *Pictavium occupare niterentur,* S. Radegundis *simul cum Deipara ac S. Hilario apparens, clientes suos mirabiliter ab irruptione hostium liberavit, ut Joannes Bouchetus in Annalibus Gallicis Aquitaniæ parte* 3 *cap.* 6 *fusius enarrat. Ad conservandam hujus prodigiosæ liberationis memoriam adhuc quotannis instituitur pia supplicatio ab incolis Pictaviensibus, sicut testantur laudatus Bouchetus loco proxime citato, et Joannes Filleau in Probatione historica prædictarum litaniarum, ubi cap.* 18 *posterior hic scri-* F
ptor Gallus illam Sanctæ tutelam pluribus exemplis confirmat.

2 *Neque hæc publica* S. Radegundis *veneratio* *in variis regionibus,*
intra limites urbis aut provinciæ Pictaviensis sese continuit; sed ad alias regiones propagata est: nam in Germania invenimus templum huic Sanctæ antiquitus dicatum, de quo Ditmarus episcopus Merseburgensis lib. 2 *Chronici sui apud nos pag.* 24 *sic scribit* : Concessit quoque ei filius suimet et æquivocus ecclesiam in Helpethi positam, quam pater ejus in honore sanctæ Radegundis constructam, Bernhardum ipse præsens dedicare præcepit antistitem. *Præterea hæc publici cultus propagatio patet ex Missali Mediolanensi, quod juxta ritum S. Ambrosii digestum est, ubi immediate post festum S. Laurentii legitur solennis Missa in honorem* sanctæ Radegundæ matronæ, *cui, præter quatuor orationes seu collectas proprias, veteri more in Præfatione pars Actorum ita inseritur :* quum et salutare, nos tibi Domine Deus omnipotens, gratias agere, et in die festivitatis hodiernæ beatæ Radegundæ laudis hostias immolare ; quam tanto tui amoris igne accendere dignatus es, ut regale sceptrum omnemque seculi pompam tota mente contemneret, et viri

A viri mortalis oblectamenta abhorrendo effugeret: quæ si tunicis desuper contegeretur coccineis, duro tamen et hispido carnem macerabat cilicio. Hæc humilitate perspicua, eleemosynis largissima, ab annuente taudem disjuncta consorte, mundum cum actibus suis penitus despiciendo reliquit, et se constructo cœnobio Christo dicatam inclusit; in quo jejuniis, vigiliis ac orationibus perseveranter insistens, æterno Regi regum sponso plenius atque perfectius studuit deservire, eique totaliter inhærere: nec ullo propensius flagrabat desiderio, quam Christum toto corde perquirere. et tota dilectione sectari; per quem majestatem etc.

antiquisque Martyrologiis colitur,

3 *Porro hunc Sanctæ cultum ab immemorabili tempore incepisse, colligimus ex vetustissimis Martyrologiis Hieronymianis, inter quæ Lucense apud Franciscum Mariam Florentinium hac die sic habet*: Pictavis civitate, depositio Radegundæ reginæ. *Inter Martyrologia Hieronymiana contracta, quæ in tomo* VII *Junii, sive parte* 2 *tomi* VI *ejusdem mensis primum prælo subjecimus, Rhinoviense Idibus Augusti festivitatem ejusdem Sanctæ annuntiat his duobus verbis*: Pictavis; Radegundis. *Richenoviense autem illustrem Sanc-*B *tæ conditionem ita addit*: Pictavis, Radegundis reginæ. *In aliis plerisque Martyrologiis, quæ ibidem ex Mss. codicibus edidimus, solum nomen ipsius exprimitur. At maxime miramur, in Fragmento pervetusti Martyrologii ecclesiæ Turonensis, quod Edmundus Martene in Thesauro novo anecdotorum tomo* 3 *a col.* 1587 *vulgavit, Idibus Augusti annuam memoriam* Radegundæ virginis *celebrari. An forte Martyrologus ille* S. Radegundem *nostram confudit cum S. Radegunde virguncula, filia sanctæ reginæ Bathildis, de qua Majores nostri ad diem* XXVI *Januarii simul cum sancta sua matre egerunt? Etiam indicare potuit aliam Radegundem, quæ fortasse virgo permansit, et de qua illustrissimus Bernardus Guidonis apud Labbeum nostrum in Nova Bibliotheca manuscriptorum librorum tomo* I *pag.* 635 *sic scribit*: Sancta Radegundis, alia a Pictavensi, ibidem apud Lobertiacum in Domino requiescit. Hæc beatum Martialem dicitur hospitio suscepisse, et domum suam dedisse; ut eam in ecclesiam dedicaret. *Hac occasione eruditos Gallos rogamus,*
C *ut non graventur nos instruere de legitimo cultu, gestis, die emortuali, aliisque spectantibus ad illam Radegundem, quæ in diœcesi Lemovicensi quiescere traditur, et quam Castellanus in suo Martyrologio universali non videtur novisse. Denique, ut ad rem præsentem redeamus, an hic Martyrologii Turonensis collector putavit,* S. Radegundem *hodiernam in conjugio virginitatem conservasse? Certe Dorganius in Menologio suo Benedictino illam quorumdam opinionem indicat, dum hodie in elogio Sanctæ nostræ sic timide et caute scribit*: Dicitur virgo permansisse. *At saltem supra allegatum Missale Ambrosianum et antiquum Breviarium Mediolanense ejusdem ritus* S. Radegundem *nostram appellant* matronam, *quod nomen virginibus tribui non solet. His adde Breviarium Lemovicense, quod in festo* S. Radegundis *ad diem* XIII *Augusti præscribit* omnia de communi nec virginis nec martyris, præter ea, quæ hic sunt propria. *Sed de hac re infra opportunior et amplior disputandi occasio occurret. Non est necesse hic plures Martyrologiorum textus accumulare, quia de immemorabili hujus Sanctæ cultu abunde constat ex allegatis annuntiationibus ac ipsis antiquis Actis, de quorum scriptoribus variisque apographis jam nonnulla præmonebimus.*

et S. Fortunatus

4 *Inter veteres Actorum auctores primo loco recensendus est S. Fortunatus, qui ex Italia in Galliam veniens, domicilium in Aquitania fixit, et desiderio* S. Radegundis *obtemperans, sese obsequiis ejus dicavit, ut ipse initio libri* 8 *indicat his verbis*:

Fortunatus ego hinc humili prece, voce, saluto:
  Italiæ genitum Gallica rura tenent.
Pictavis residens, qua sanctus Hilarius olim
  Natus in urbe fuit, notus in orbe pater....
Martinum cupiens voto Radegundis adhæsi,
  Quam genuit cælo terra Toringa sacro.

Deinde lib. II *carm.* 4 *sanctus hic poëta se vocat* agentem *seu procuratorem ejusdem piissimæ Matronæ, dum S. Radegundem suo et Agnetis abbatissæ nomine hortatur, ut nimium abstinentiæ rigorem mitiget, et ad roborandum stomachum nonnihil vini bibat*:

Fortunatus AGENS, Agnes quoque versibus orant,
  Ut lassata nimis, vina benigna bibas.

qui obsequio S. Radegundis deditus,

5 *Præterea procurator ille satis innuit, se prorsus occupari negotiis* S. Radegundis *(hanc dulci matris nomine appellat) dum ad S. Germanum episcopum Parisiensem, a quo evocatus* E *fuerat, lib.* 8 *carm.* 2 *sic scribit*:

Emicat ecce dies, nobis iter instat agendum,
  Debita persolvens, emicat ecce dies.
Me vocat inde pater radians Germanus in orbe,
  Hinc retinet Mater, me vocat inde pater.
Dulcis uterque mihi voto amplectente cohæsit,
  Plenus amore Dei, dulcis uterque mihi.
Carior hæc animo, quamquam sit et ille beato
  Carior * ille gradu, carior hæc animo.
Mens tenet una duos æquali calce viantes,
  Ad pia tendentes mens tenet una duos.
Proficit alterutrum, quidquid bene gesserit alter
  Unius omne bonum proficit alterutrum.
Sunt quia corde pares jussus non ire recuso;
  Obsequar ambobus, sunt quia corde pares.
Nec tamen hinc abeo, quamvis nova tecta videbo
  Corpore discedo, nec tamen hinc abeo.
Hic ego totus ero, nec corde ac mente revellor,
  Sic quoque dum redeo, hic ego totus ero.
Porrigat arma mihi cælestia Mater eunti,
  Ut sibi plus habeat, porrigat arma mihi.

* *al.* clarior

negotia hujus curabat,

6 *Ex hoc carmine colligimus, tunc S. Fortunatum alio missum fuisse ad peragenda quædam* F S. Radegundis *negotia, pro quibus sæpius itinera suscepit, ut Browerus noster notat in Vita S. Fortunati, scriptis ejus præfixa, ubi cap.* 3 *in rem nostram sic de illo scribit*: At Radegundis interea negotiis sæpe interpellatus est; hæc enim regina, cum mortalibus rebus valere jussis, propter suam gratiam et regum affinium potentiam nullius muneris et conditionis non haberet potestatem, haud raro Fortunatum, nunc ad Francorum reges, modo ad episcopos sanctos, quoquoversum ab se dimittebat; atque in ejus sapientia et consilio plurimum sancta Femina acquiescebat. Id scilicet prae se non obscure fert in epistola sua ad Gregorium Turonensem, cum post Musellam, Mosam, Axonam, Sequanam, ait, se maxima transmisisse Aquitaniæ fluenta, Pyrenæis Julio mense nivosis appropinquantem. Atque his peregrinationibus quæcumque susceptis, in amicitiam pervenit plurimorum Galliæ pontificatum, cum jam ante regum quoque gratiam et familiaritatem esset consecutus, nulla alia re, quam probitate vitæ, et elegantia ingenii, qua plerosque ceperat episcopos, studio virtutum pari, dignitate inferiore. *Nimirum eo tempore*

AUCTORE G. C.

Fortunatus erat clericus aut presbyter ecclesiæ
Pictaviensis, ad cujus cathedram postea evectus
est; quæ postrema ejus dignitas facile contra
quosdam probari poterit ad diem XIV *Decembris,*
quo Castellanus in Martyrologio suo Gallico illum
inter Sanctos non temere recenset: nam eo die sub
ritu duplici colitur in Officio proprio ecclesiæ
Pictaviensis, cujus apographum habemus, et
Andreas Saussayus in quadam appendice ad Mar-
tyrologium suum Gallicanum tomo 2 pag. 1252
affirmat, piissimum præsulem illum in monasterio
S. Cypriani extra muros Pictavienses in litaniis
ab immemorabili tempore inter ceteros Sanctos
publice invocatum fuisse.

eique familiarissimus erat,

7 *Denique Fortunatus familiarissimus fuit*
S. Radegundi *et S. Agneti, quam illa senior abba-*
tissam monasterii constituerat, ut patet ex libro
undecimo citati Operis, ubi variis carminibus
exprimit tenerum suum affectum erga has sanctas
feminas, quarum seniorem suavi matris titulo
ornat, et alteram amabili sororis nomine compellat,
Quinino vir innoxius propter hanc ipsam familia-
ritatem effugere non potuit maledicas detractorum
B *linguas: nam animales quidam homines, qui non*
percipiunt ea, quæ sunt Spiritus, hanc amicitiam
maligne de flagitioso et carnali amore explicabant,
ita ut pius poëta eodem libro undecimo carm. 6,
famam suam tueri coactus fuerit sequentibus
versiculis:

Mater honore mihi, soror autem dulcis amore,
Quam pietate, fide, pectore, corde colo.
Cælesti affectu, non crimine corporis ullo,
Non caro, sed hoc, quod Spiritus optat, amo.
Testis adest Christus, Petro Pauloque ministris,
Cumque piis sociis sancta Maria videt;
Te mihi non aliis oculis animoque fuisse,
Quam soror ex utero tu Titiana fores.
Ac si uno partu mater Radegundis utrosque
Visceribus castis progenuisset, eram:
Et tamquam pariter nos ubera chara beatæ
Pavissent uno lacte fluente duos
Heu mea damna gemo, tenui ne forte susurro
Impediant sensum noxia verba meum.
Sed tamen est animus simili me vivere voto,
Si vos me dulci vultis amore coli.

Ut hoc carmen facile intelligas, obiter observa
Fortunato fuisse germanam sororem, nomine Ti-
C *tianam, cui hic comparat S. Agnetem abbatissam,*
quam simili amore casto prosequebatur. Matrem
vero appellat S. Radegundem, *quia hæc Agnetem*
a teneris in Spiritu educaverat, et eodem modo se
spiritualem S. Radegundis, *filium agnoscit, et*
Agnetem sororem suam nominat.

Vitam illius scripsit, quam, omissis aliis apographis,

8 *Ceterum hæc omnia adduximus, ut erudi-*
tus lector clarius videat, quantum fidem merean-
tur Acta S. Radegundis, *quæ familiarissimus ac*
intimus ejus amicus conscripsit. Habemus autem
diversa horum Actorum exemplaria, tum ma-
nuscripta, tum typis edita, quibus nomen For-
tunati præfigitur, et quæ nunc enumerabimus.
Primo Gamansius, indefessus Societatis Jesu ope-
rarius, et sæxrvuties in Opere nostro propter sin-
gularia obsequia laudatus, misit ad nos elegans
Actorum apographum, quod cum editione Suria-
na maxime convenit, et in quo videtur amanuen-
sis liberius stylum mutasse. Sed cum negotiosus
vir oblitus sit annotare, ex quo codice vel ex qua bi-
bliotheca istud transcribi curaverit, postea in An-
notatis manuscriptum hoc vocabimus anonymum,
illudque prælo subjiciendum non censuimus. An-
no Christi 1641 *ab eodem strenuo Operis nostri*
adjutore accepimus aliud Vitæ ecgraphum, ex

Passionali Ms. pergameno monasterii Bodecensis D
in diœcesi Paderbornensi desumptum, cujus stylus
ab aliis manuscriptis et excusis exemplaribus di-
screpat, ut infra ad oculum patebit ex Annota-
tis, ubi speciminis loco proferemus prologum
istius ecgraphi, quem curiosus lector cum prologo
nostro poterit conferre.

edemus ex codice monasterii Cisterciensis.

9 *Præterea Petrus Franciscus Chiffletius noster*
cui etiam ob præstita obsequia plurimum debemus,
nobis communicavit eamdem Fortunati lucubra-
tionem, quam describi curaverat ex Ms. codice
Vallis-Lucentis, quod monasterium ad Ordinem
Cisterciensem pertinet, et in diœcesi Senonensi si-
tum est. Quamvis hoc apographum, quod idem
officiosus vir cum aliis Mss. diligenter contu-
lerat, interdum in constructione periodorum ab
editione Mabilloniana differat, tamen in substan-
tia plerumque cum illa concordat. Hoc apogra-
phum monasterii Cisterciensis cum aliis manuscri-
ptis et impressis ejusdem Sanctæ Actis confere-
mus, et post hunc Commentarium typis vulgabi-
mus, variantes alicujus momenti lectiones in mar-
gine notaturi. Si vero aliquid obscurum aut
difficile occurrat, illud una cum aliis observatione E
dignis secundum consuetudinem nostram in An-
notatis explicabimus. Prius tamen in hoc Com-
mentario prævio referemus nonnullas S. Radegun-
dis *virtutes ac laudes, quas idem Fortunatus car-*
mine celebravit.

cui Baudonivia monialis coæva,

10 *Post hunc biographum Baudonivia monia-*
lis coæva, et in multis oculata testis, Vitam S.
Radegundis *litteris mandavit. Hæc autem lucu-*
brationem Fortunati præ oculis habuit, et varia
ab illo scriptore omissa per modum spicilegii col-
legit, ut ipsa in prologo suo indicat his verbis:
Non ea, quæ vir apostolicus Fortunatus episco-
pus de Beatæ vita composuit, iteramus; sed ea,
quæ prolixitate sui prætermisit. *Hinc Surius et*
Mabillonius illam gestorum partem, quam Bau-
donivia posteris reliquit, librum secundum Acto-
rum S. Radegundis *appellant. Sed parum inter-*
est, quocumque nomine vocaveris istud monialis
synchronæ scriptum, quod exstat in iisdem apo-
graphis supra assignatis, et de quo proinde idem
judicium ferendum est, quod de variis Fortunati
ecgraphis superius tulimus. Quare hanc Baudo-
niviæ lucubrationem etiam edemus ex Ms. codice
Vallis Lucentis, in quo post prologum expressi F
sunt veterum capitum tituli, qui in omnibus aliis
exemplaribus nostris desiderantur. Verum cum
utraque hæc Vitæ pars conscripta sit scabro ac
difficili stylo, quem tamen propter venerandam
antiquitatem mutare aut mollire non licet, ei sub-
jungemus Acta ejusdem Sanctæ, quæ venerabilis
Hildebertus ex Fortunato et Baudonivia post an-
num 1197 collegit, alio ordine disposuit, ac ple-
runque clariore phrasi expressit. Hæc autem re-
cudemus ex Operibus venerabilis Hildeberti præ-
sulis Cenomanensis, et postmodum archiepiscopi
Turonensis, quæ D. Antonius Beaugendre Bene-
dictinus non ita pridem Parisiis edidit, ac notis
illustravit.

et S. Gregorius Turonensis quædam gesta addiderunt.

11 *Denique S. Gregorius Turonensis, qui ex-*
sequias S. Radegundis *præsentia sua cohonestavit,*
inter coævos hujus Sanctæ biographos quodam mo-
do numerari potest: etsi enim Vitam ejus ex pro-
fesso non scripserit, tamen de quibusdam illius
gestis sæpe meminit, et quædam instrumenta au-
thentica, ad ipsam spectantia, posteritati con-
servavit, quibus in hoc Commentario opportune
utemur. Non commemoramus hoc loco Vulfinum
Boëtium, qui in Vita S. Juniani abbatis Sanctam
nostram

A *nostram egregie laudat, nec alios auctores suppares, qui de gestis ejusdem obiter mentionem faciunt. Nihil etiam hic dicimus de Petro Equilino, et Bonino Mombritio, qui Vitam* S. Radegundis *collectionibus suis Latine inseruerunt. Sed nescio quid Mombritio in mentem venerit, dum Actis Sanctæ titulum* virginis et martyris *præfixit: licet enim aliqui scriptores putaverint, eam permansisse virginem, quemadmodum infra ostendemus, nemo tamen illam titulo martyris exornavit. Multo minus hic singillatim recensendi sunt illi interpretes, qui Acta* S. Radegundis *vernacule ediderunt. Si tamen hi aliique recentiores biographi a veritate aberraverint, eos data occasione in viam reducemus.*

§ II. Sanctæ patria, regium stemma, occasio captivitatis, migratio in Galliam, et conjugium cum Clotario rege.

B

In Thuringia, Germaniæ regione, Hæc *Sancta patriam habuit Thuringiam, amplam ac passim notam Germaniæ provinciam, quæ adhuc hodie priscum nomen retinet; sed olim latius extensa fuit, ut plerique geographi notant, et facile colligi potest ex Gregorio Turonensi, qui in Historia Francorum lib. 3 cap. 4 eamdem regionem in plura regna dividit, et ibidem ad rem nostram ita scribit:* Porro tunc apud Thoringos, tres fratres regnum gentis illius retinebant, id est Badericus, Hermenefridus, atque Bertharius. Denique Hermenefridus Bertharium fratrem suum vi opprimens, interfecit: is moriens Radegundem filiam orphanam dereliquit; reliquit autem et alios filios, de quibus in sequentibus scribemus. *At Gregorius circa alios Bertharii regis* filios, *de quibus se infra scripturum spondet, promissi sui immemor fuit, ut Hadrianus Valesius lib. 7 Rerum Francicarum sive tomo* I *istius erudili Operis pag. 365, et nuper Joannes Georgius Eckardus tomo* I *Commentariorum de rebus Franciæ Orientalis lib. 4 num. 9 ante me observarunt: nam sanctus ille scriptor postea tantum mentionem facit de solo* S. Radegundis C *fratre, sive uno Berlharii filio, quem jussu regis Clotarii nefarie in Gallia occisum fuisse testatur.*

ex regio stemmate 13 *Interim ex his constat, Sanctam nostram in Thuringia ex regio stemmate ortam esse, quod Fortunatus non tantum in Actis infra edendis, sed etiam in carmine ad Artachin confirmat, ubi* S. Radegundem *deflentem excidium patriæ et mortem suorum consanguineorum ita inducit:*

Post patriæ cineres et culmina lapsa parentum,
Quæ hostili acie terra Toringa tulit.
Si loquar infausto certamine bella peracta,
Quas prius ad lachrymas femina rapta trahar?
Quid mihi flere vacet pressam hanc funere gentem?
An variis vicibus dulce ruisse genus?
Nam pater ante cadens, et avunculus inde secutus,
Triste mihi vulnus fixit uterque parens.
Restiterat germanus apex; sed forte nefanda
Me pariter tumulo pressit arena suo.

nata est Sancta, 14 *Insuper poëta ille in libro singulari de excidio Thuringiæ et sæpius alibi eamdem Sanctæ patriam ac nobilem cum regibus Thuringicis consanguinitatem diserte expressit. Dum igitur episcopi quidam Galliæ in epistola, inferius producenda, tribuunt* S. Radegundi *patriam fere communem cum S. Martino, aut geographiam ignorarunt, aut lato admodum loquendi genere usi sunt, cum ex vetustissimis monumentis constet, S. Martinum in Pannonia natum fuisse. Dum vero Gundovaldus apud Gregorium Turonensem in Historia Francorum lib. 7 cap. 36* S. Radegundem *cognominat* Pictavam, *non a patria ipsius, sed a diuturna commoratione in urbe Pictaviensi, istud cognomen desumit. Sed hactenus non intelligimus, cur Baronius in Annalibus ecclesiasticis, ad annum Christi 566 apud nos num. 43 eamdem appellet* virginem ex Burgundiæ regibus oriundam, *nisi forte eminentissimus Annalista putaverit, olim bellicosos istos Germaniæ incolas promiscue cum Thuringis habitasse, priusquam occuparent illam Galliarum partem, cui Burgundiæ nomen indiderunt. Etsi Germaniam, teste Procopio lib.* I *Rerum Gothicarum,* haud procul a Thoringis Burgundiones, ad Austrum versus, incolebant, *tamen videtur fuisse natio a Thuringis diversa. Quidquid sit de hac opinione, quam operosius discutere non vacat, nunc exponenda est occasio, qua* S. Radegundis *in Galliam migravit.*

E

quam Clotarius primus rex, 15 *Gregorius Turonensis lib. 3 Operis proxime citati cap. 7 causam istius migrationis explicat his verbis:* Post Theudericus non immemor perjurii Hermenefridi regis Thoringorum, Chlothacharium fratrem suum in solatium suum evocat, et adversum eum ire disponit, promittens regi Chlothachario partem prædæ, si ei munus victoriæ divinitus conferretur. *Deinde recitata Theodorici exhortatione; qua Francos ad vindicandam injuriam excitavit, narrationem suam ita prosequitur:* Quod illi audientes, et de tanto scelere indignantes, uno animo eademque sententia Thoringiam petiverint. Theudericus autem Chlothacharium fratrem suum et Theudebertum filium in solatium assumens, cum exercitu abiit. Thoringi vero venientibus Francis dolos præparant: in campo enim, in quo certamen agi debebat, fossas effodiunt, quarum ora, operta denso cespite, planum assimilant campum. In has ergo foveas, cum pugnare cœpissent, multi Francorum equites corruerunt, et fuit eis valde impedimentum; sed post cognitum hunc dolum observare cœperunt. Denique cum se Thoringi cædi vehementer viderent, fugato Hermenefrido rege ipsorum, terga vertunt, F et ad Onestrudem fluvium *(hic amnis Thuringiæ hodiedum ad incolis vernacule* Unstrut *vocatur)* usque perveniunt; ibique tanta cædes ex Thoringis facta est, ut alveus fluminis cadaverum congerie repleretur, et Franci, tamquam per pontem aliquem, super eos in littus ulterius transirent.

Thuringis bello superatis, 16 Patrata ergo victoria, regionem illam capessunt, in suam redigunt potestatem. Chlotharius vero rediens, Radegundem filiam Bertharii secum captivam abduxit; sibique eam in matrimonium sociavit; cujus fratrem postea injuste per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conversa, mutata veste, monasterium sibi infra Pictavensem urbem construxit, quæ orationibus, jejuniis, vigiliis atque eleemosynis prædita, in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur. *Witichindus monachus Corbeiensis, qui seculo decimo floruit, apud Meibomium tomo* I *Rerum Germanicarum pag. 630 et sequentibus aliam hujus belli Thuringici causam memorat, resque eo tempore gestas diversis episodiis exornat. Sed eruditissimus Eckhardus in Commentariis Franciæ Orientalis tomo* I *pag. 56, sive lib. 4 num. 8*

AUCTORE G. C.

num. 8 recte monet, Witichindum magnam narrationis suæ partem ex cantilenis Saxonicis accepisse, et falsa veris immiscuisse. Quare potius fidem adhibemus Gregorio Turonensi, qui eodem seculo, quo hæc in Thuringia circa annum Christi 529 *vel* 530 *contigerant, historiam suam conscripsit.*

in Galliam abduxit,

17 *Hadrianus Valesius lib.* 7 *rerum Francicarum sive tomo* I *istius Operis pag.* 359, *consectaria hujus belli Thuringici breviter narrat, et simul supra relatum Gregorii Turonensis textum sic explicat*: Cæsis ad Onestrudem Toringis, Herminafridus rex cum paucis fuga salutem petiit, atque in munitam sese urbem cum conjuge et liberis contulit. Franci autem victores, agris igne et ferro vastatis, et depopulata regione, magnum hominum numerum in servitutem abduxere. Gregorius Turonicæ ecclesiæ episcopus Toringiam tum captam et in Francorum potestatem redactam dicit: quod si verum est, ita intelligi debet, ut non omnis Toringia, sed pars ejus a Theodorico Francorum rege post victos Toringos armis occupata fuerit, cum Herminafridum Toringorum regem fuga mortem evasisse, muris munitæ urbis se inclusisse, nec in Francorum manus venisse
B constet. Regiam quidem sedemque regum Toringorum (sive ea Erpfesfurtum, sive alia urbs fuit) tum a Theodorico et Chlotario Francorum regibus captam fuisse, ex eo judicari potest, quod Chlotarius cui ex pacto pars prædæ debebatur, Bertharii Toringorum regis filium, filiamque nomine Radegundim, qui in aula Herminafridi patrui sui educabantur, captivos abduxit, nisi adolescentulum et virgunculam cum patruo profectos ad bellum, ibique captos esse credimus.

et postea ætate nubilem thoro suo adsciscit.

18 *At quocumque modo aut loco (id enim parum vel nihil nostra interest)* S. Radegundis *cum fraterculo suo capta fuerit, ex antiquis monumentis liquet, eam tunc adhuc fuisse puellulam, adeoque diversis longe annis contigisse illa omnia, quæ Gregorius sine ulla temporum distinctione conjungit. Hinc Cointius in Annalibus Francorum gesta Sanctæ variis annis affigit, et captivitatem ipsius ad annum Christi* 529 *num.* 3 *narrat his verbis*: Clotarius, bello Thuringico nondum confecto, Suessionem rediens, Rade-
C gundem Bertharii quondam regis, quem Hermenfredus frater interemerat, filiam adhuc parvulam secum captivam abduxit, eamque in agro Viromandensi apud Atheias villam educari jussit, ubi facta est litterata ex barbara, desiderioque martyrii succensa est, et graves persecutiones a domesticis passa, singularem patientiam exercuit, ut Fortunatus in ejus Vita scribit. *Deinde hic chronologus matrimonium ejus cum rege Clotario in iisdem Annalibus ad annum Christi* 538 *num.* 78 *sic refert*: Hoc anno Clotarius rex, cujus uxor Chunsena, Chramni mater, obierat, Radegundem duxit. De nuptiis Radegundis breviter admodum disserit Gregorius, copiosius Fortunatus; uterque absque ulla temporis nota. Sed ut Radegundis ante hunc annum haud nupsit, si vera sunt ea, quæ de duabus prioribus Clotarii conjugibus Indegunde et Chunsena retulimus, ita nec serius a Clotario adscita est in uxorem: nam sexto post nuptias anno diaconissa ordinata est ab episcopo Medardo. *Verum circa seriem uxorum et concubinarum, quas rex Clotarius habuit, occurrunt diversæ historicorum sententiæ, quas jam allegabimus.*

19 *Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 4 *cap.* 3 *aliquas recenset hoc modo*: D Chlothacharius denique ipse rex de diversis mulieribus septem filios habuit, id est de Iugunde Guntharium, Childericum, Charibertum, Guntebramnum, Sigibertum, et Chlotsindam filiam. De Aregunde vero sorore Ingundis Chilpericum. De Chunsena habuit Chramnum. *Sanctus ille scriptor in Historia Francorum epistomata num.* 47 *similia repetit, postquam ibidem num.* 57 *aliam retulerat his verbis*: Chlotarius uxorem Chlodomeris, nomine Guntieucham, uxorem duxit. *Deinde num.* 50 *ejusdem Historiæ epitomatæ adhuc alteram sic addit*: Ipsoque anno Theudebaldus obiit, regnumque ejus Chlotarius accepit, copulans Waldetradam sibi uxorem. *Gregorius de his duabus mulieribus etiam agit in ipsa Francorum Historia, ubi lib.* 3 *cap.* 6 *priorem distinctius ita indicat*: Nec mora Chlothacharius uxorem germani sui, Guntheucam nomine, sibi in matrimonium sociavit. *Posterioris vero mentionem facit lib.* 4 *ejusdem Historiæ cap.* 9, *dum de morte Theudebaldi ibi sic scribit*: Qui paulatim decidens, septimo regni sui anno *(Ruinartius in margine hunc septimum regni Theudebaldiani annum cum anno* E *Christi* 555 *componit)* mortuus est, regnumque ejus Chlothacharius rex accepit, copulans Vuldetradam uxorem ejus strato suo: sed increpitus a sacerdotibus, reliquit eam, dans ei Garivaldum ducem, dirigensque Arvernis Chramnum filium suum.

Inter varias Clotarii conjuges aut concubinas.

hæc Sancta ab aliquibus historicis prima.

20 *Ex dictis nondum certo scimus, quota Clotarii uxor fuerit* S. Radegundis: *nam laudatus Valesius lib.* 8 *Rerum Francicarum pag.* 467 *et sequente tomi* I *plerasque illas mulieres enumerat hoc ordine*: Chlotharius Radegundim primum, filiam Bertharii Toringorum regis, bello captam matrimonio sibi adjunxit, quæ postea regium insigne sacro velamine mutavit, et virtutum ac sanctitatis fama non Galliam ac Europam modo, sed etiam transmarinas provincias implevit. Deinde Ingundem duxit uxorem, ac unice dilexit, feminam optimam, et a fastu alienissimam, quæ virum, DOMINUM SUUM, se ANCILLAM EJUS appellare consueverat. Ex ea Chlotarius liberos tulit Guntharium, et Childericum, quibus ambobus superstes fuit, Charibertum, Guntchramnum, Sigibertum et Chlodosvindam, quæ Alboino regi Longobardorum nupsit. Idem ex Haregunde tertia uxore suscepit Chilpericum: ex Chunsena, F quam quidam Chunsinam, alii Gunsindim vocant, Chramnum genuit. Auctor libri de Vita Consortiæ virginis quamdam præterea Chlotarii regis filiam scribit in aula Sigiberti fratris sui ætatem egisse. Haregundim Ingundis reginæ sororem fuisse Gregorius prodit, de qua collocanda Ingundim cum viro sermonem habuisse; illum, eam rem sibi curæ fore pollicitum, in villam ad Haregundim venisse, factisque nuptiis, ut erat natura in Venerem pronus, qualem optasset conditionem puellæ repertam, sibique opibus et prudentia ceteris omnibus sine dubitatione præstanti Haregundem connubio junctam esse, uxori renuntiavisse; ex eo tempore duas simul sorores Chlothario nuptas fuisse. *Eckhardus in Commentariis de rebus Franciæ Orientalis tomo* I *pag.* 89, *seu lib.* 7 *cap.* 14 *eamdem Valesii seriem secutus est, et his uxoribus aut concubinis subjungit Walderadam, de qua superius ex Gregorio obiter mentionem fecimus.*

ab aliis ordine quarta,

21 *Hanc uxorum seriem aliter ordinant quidam genealogi, inter quos Antonius Albizius in Stemmatibus principum Christianorum fol.* I *sic habet*:

A *habet* : Clotarius primus præter liberos, quorum in stemmate hoc Merovingico mentio fit, habuit etiam filiam Blithildim nomine, quam nuptum dedit Ansberto pronepoti Clodionis criniti, natam ipsi ex Canssona: multas namque uxores habuit, quarum prima Ingunda, ex qua nati sunt Gontherus, Childericus, Goutramus, Sigibertus, Aribertus qui et Cherebertus, Clodomira. Secunda Arregunda, ex qua Chilpericus. Tertia Caussona, de qua supra. Quarta Radegunda, Bertheri Thuringi regis filia, et quinta Waldratha proneptis, Theobaldi vidua. *Quod hic de Blithilde, tamquam Clotharii filia dicitur, id Valesius lib. 8 Rerum Francicarum, et Eckhardus in Commentariis Franciæ Orientalis lib. 7 cap. 15 inter fabulas numerant, et solidis argumentis refellunt. Porro hic vides,* S. Radegundem *collocari inter uxores Clotarii quarto loco, quam Valesius supra in ordine primam constituerat.*

et etiam tertia aut quinta istius principis uxor statuitur.

22 *Denique alii scriptores Galli eamdem Sanctam post uxores et concubinas Clotarii tertio aut quinto loco ponunt. Certe Bouchetus in Annalibus Aquitaniæ parte 2 cap. 4 seu pag. 69 illam ordine quintam recenset, et matrimonium ipsius cum Clotario usque ad annum Christi 551 differt.* B *Sed haud dubie in hac chronologia sua fallitur; cum enim* S. Radegundis *anno Christi 529, quo circiter in Galliam abducta est, haberet octo aut novem annos, et Clotarius tantummodo nubilem ipsius ætatem expectaret, longe probabilior est Cointii sententia, qui nuptias illas anno Christi 538 affigit. Ceterum de ordine ac tempore harum nuptiarum operose non disputabimus, si nobiscum admittas, matrimonium* S. Radegundis *cum rege Clotario legitimum fuisse: nam propter rationes paragrapho sequente allegandas probabilius putamus, præcedentia Clotarii conjugia non fuisse valida, vel legitimam ipsius uxorem jam obiisse, quando* S. Radegundem *duxit. Verum ex ista opinione nostra oritur quædam intricatissima difficultas, quam jam utcumque dissolvere conabimur.*

§ III. Difficultates quædam circa divortium Sanctæ cum rege Clotario, et diaconalem illius consecrationem.

C

Sancta post sex matrimonii annos,

Plerique scriptores asserunt, S. Radegundem *cum rege Clotario per sex annos more conjugali vixisse, quibus assentitur Cointius, dum in Annalibus Francorum ad annum Christi 544 num. 9 sic disserit:* Hoc anno Radegundis regina, quam sex dumtaxat annis cum Clotario rege vixisse multi scribunt, facta est diaconissa. Qui breve temporis intervallum a Radegundis adventu in Franciam, sive ab anno Christi quingentesimo vicesimo nono, usque ad ejusdem Radegundis nuptias collocant, non advertunt, hoc calculo detrahere se plurimum laudi piæ feminæ, quam innuunt scorti, non uxoris, loco ab adultero rege habitam, quia Ingundis legitima Clotarii uxor in vivis tunc erat, et marito Sigibertum filium peperit anno Christi quingentesimo tricesimo quinto. Vitam Clotarii quo attentius intueor, eo magis adducor, ut credam Radegundem ab illo rege ductam in uxorem fuisse anno Christi quingentesimo duodequadragesimo, ab eoque post sexennium recessisse anno Christi quingentesimo quadragesimo quarto: nam Clotarius tres legitimas habuit conjuges, primo Ingundem, quæ anno Christi quingentesimo tricesimo quinto superstes adhuc vivebat; deinde Chunsenam, postremo Radegundem, quæ nuntium seculo remisit, priusquam Medardus Noviomensis episcopus moreretur.

circa annum Christi 544,

24 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis hanc Cointii chronotaxim sequitur, et ibidem lib: 5 cap. 21 sive tomo 1 pag. 123 istud* S. Radegundis *divortium ita narrat:* Chrothaldis decessum *(hæc erat Chlodovei vidua, quæ anno Christi 544 obiit)* non longo intervallo excepit Radegundis itidem reginæ secessus in urbem Pictavorum. Hæc Bertharii Toringorum regis filia, Francis victoribus, Chlothario Suessionum regi sorte obtigit pæne infans, dein apud Atteias, pagi Viromandensis regiam ad Suminam villam, educata, dum regio thalamo habilis redderetur. Cum præter votum regi nupsisset, monacham potius agebat, quam reginam, de nocte e regio cubili se ad orandum subripiens, et in Quadragesima jugi cilicio ad carnem utens, quod ipsi religiosa quædam sanctimonialis, re ac nomine Pia, suppeditabat. Hinc durius identidem a sponso tractabatur. Quæ res seculi E fugam ei facile persuasit; jam a conjugii vinculis alienæ. Accessit germani ejus fratris interitus, cujus auctor Chlotharius, qui eum pariter captivum in Franciam abduxerat.

cum Clotario facit divortium.

25 Hinc dolori ac tædio cedens Radegundis, secessum meditatur: ideo Noviomagum accedit ad beatum Medardum episcopum, vehementer obsecrans, ut se Domino consecraret. Abnuit ille, obtendens Apostoli interdictum, ne, quæ ligata conjugio est, ejus solutionem tentet. Ad hæc interminabantur proceres, ne pontifex eam velaret, quæ solenni more nupsisset regi. Hæc vero mox in sacrarium ingressa, monachica veste se ipsa induit; sicque induta processit ad altare, episcopum sic allocuta: Si me consecrare distuleris, plus hominem reveritus quam Deum, erit qui animam abs te meam exigat. Quibus ille verbis, haud secus ac tonitruo concussus, sive serio, sive ex composito id factum sit, MANU SUPERPOSITA CONSECRAVIT DIACONAM, ait Fortunatus, qui postea rem explicans, ait, eam a sancto Medardo consecrante velatam fuisse. Ergo veli susceptione monacha facta est, manuum impositione diacona. *Ita ille ex antiquis Actis, in quibus Fortunatus infra apud nos num. 10 diserte asse-* F *rit, proceres regios sancto Medardo obstitisse, ne velaret regi conjunctam, ne videretur sacerdoti, ut præsumeret principi subducere reginam non publicanam, sed publicam. Hic loquendi modus innuit, matrimonium* S. Radegundis *cum Clotario fuisse legitimum, de quo Fortunati testimonio postmodum juverit meminisse.*

cui Mabillonius varias

26 *Interea audiamus difficultates, quas laudatus Mabillonius in Annalibus Benedictinis cap. 22 ejusdem libri quinti huic divortio opponit in hunc modum:* Mirari subit, cur Radegundis a viro discesserit. Occasionem vidimus, necem fratris; at consensum regis non videtur impetrasse ante recessum, tametsi sex minimum annos cum Chlothario vixerat more conjugali. An vero eam citra consensum regis velaturus fuisset Medardus regularum ecclesiasticarum sciens; aut etiam consentiente rege, nisi rex ipse cælibatum professus fuisset, quem certe postea non servavit? An forte episcopi, si quid hac in re peccatum esset contra leges, dissimularunt propter verecundiam regis? Quosdam id fecisse, facile crediderim; ut nullus restiterit, ægre assenserim. Carolus Cointius

AUCTORE G. C.

tius putat, Radegundem, annuente rege Chlo-
thario, Noviomagum profectam fuisse, atque as-
sensum regis accessisse, antequam velaretur. Al-
terum ex altero probat; nempe quod, teste For-
tunato, DIRECTA A REGE, VENIENS AD BEATUM
MEDARDUM, SUPPLICAT INSTANTER. Verum si
rex consenserat, cur reclamant proceres? Cur
Medardo tergiversanti, et Apostoli obtendenti in-
terdictum, Radegundis non opponit regis consen-
sum?

et intricatas difficultates opponit,

27 Equidem Baudonivia, quæ librum de Vi-
ta Radegundis secundum scripsit, quodam modo
huic sententiæ favet, ubi ait, Radegundæ in vil-
la Suaëdis commorante, sparsum fuisse rumorem
de regis pœnitentia, qui talem et tantam reginam
PERMISISSET a latere suo discedere. At reponi po-
test, permissum hunc accessisse, velata jam regi-
na. Locus sane lubricus ac difficilis. Radegundis
a rege discessum ea tantum ratione probat Fortu-
natus, quod ejus frater a rege cæsus fuisset INNO-
CENTER, id est absque ulla causa, adeo ut pror-
sus innocens et culpa vacuus esset. Et quoniam,
inquit Fortunatus, frequenter aliqua occasione,
B divinitate prosperante seu obsecundante, casus ce-
dit ad salutem; ut hæc religiosius viveret, frater
interficitur innocenter. Quod subdit idem auctor,
DIRECTA IGITUR A REGE, VENIENS AD BEATUM
MEDARDUM NOVIOMAGO, perinde est, acsi di-
ceret PROFECTA A REGE. Cædes ergo illa disces-
sionis causa fuit, non plane iniqua, sed non suf-
ficiens ad solvendum vinculum conjugale. Nodum
hunc solvere videtur collecta, quam vocant, in
ejus Officio antiquitus recitari solita, in qua Ra-
degundis regali in solio virginitatis decorem con-
servasse dicitur. At parum verisimile, id servari
potuisse per sex minimum annos cum tali conjuge,
qui vitæ non admodum continentis fuit. Sed hæc
viderint theologi; res nostras prosequamur. *Sic
eruditissimus ille Benedictinus scriptor hunc no-
dum stringit, aliisque solvendum relinquit. Qua-
propter tentemus, utrum hæc intricata difficultas
nullo modo dissolvi possit.*

quæ solvi possunt, si dicimus Sanctam in conjugio virginitatem servasse

28 *Nobis maxime placeret conservata* S. Ra-
degundis *virginitas in conjugio, quæ in collecta
incertæ ætatis legitur, et quam F. Jacobus Phi-
lippus Bergomensis in Opere de claris mulieribus
cap.* 149 *confidenter asserit his verbis*: Radegun-
dis Franciæ regina, et insignis virgo fuit,...
C cujus patriam cum Lotharius Francorum rex de-
bellasset,.... sibi ipsi virginem in conjugem assum-
psit. At rex cum animadverteret suæ novæ sponsæ
virginitatis integræ propositum, ejus precibus
permotus, eamdem intactam reservavit virginem.
*Sed contra hanc opinionem, cui recentiores non-
nulli auctores sine accurato examine leviter sub-
scribunt, tot tantaque militant argumenta, ut
nos iis refutandis impares fateri cogamur: nam
incontinentia Clotarii regis, quæ ab historicis pas-
sim proditur, vix sinit dubitare, quin mulierosus
ille princeps consummaverit matrimonium cum
formosa virgine, quam jam per multos annos
thalamo suo destinaverat, ac statim in ætate nu-
bili uxorem duxerat. Testimonio autem virgini-
tatis, quod ex veteri collecta incertæ ætatis adfer-
tur, opponimus auctoritatem antiqui Breviarii
Mediolanensis, quod juxta ritum S. Ambrosii
dispositum est, et in quo ad diem* XI *Augusti ante
quatuor collectas sive orationes proprias ponitur
sequens rubrica*: In sancta Radegunda quæ defi-
ciunt, require de una matrona. *Missale Ambrosia-
num, quod* § I *hujus Commentarii citavimus eum-
dem* matronæ *titulum huic Sanctæ tribuit, et simi-
lem rubricam præscribit.* D

sed hæc opinio videtur repugnare

29 *Præterea ipse Fortunatus synchronus vide-
tur huic opinioni obscure contradicere, quando
in Actis* S. Radegundis *apud nos num.* 5 *scribit,
illam sub prætextu humanæ necessitatis surrexis-
se* nocturno tempore, cum reclinaret cum principe,
*et tunc corpus suum variis cruciatibus afflixisse.
Certe venerabilis Hildebertus, qui exeunte secu-
lo* XII *vel ineunte* XIII *Vitam* S. Radegundis *ex
Fortunato et Baudonivia collegit, jam assignatum
Fortunati textum, tamquam virginitati ejus con-
trarium intellexit, et eumdem infra in Actis
num.* 11 *exponit hac paraphrasi*: Nam de consor-
tio thori quid loquar? Ad quod ipsa semper ideo
accessit, ut maritum lucrifaceret, non ut lenoci-
nantem expleret voluptatem: quippe ne sathanas
maritum tentaret, marito debitum solvit, non
exegit. In quo si quidquam vel ejus gratia vel vo-
luptatis admixtione peccatum est, statim non la-
crymis tantum, sed et multo corporis cruciatu
delere properavit: fingens enim causam, qua sur-
geret, hispidum pavimento superponebat cili-
cium, cui nuda tamdiu inhærebat, quousque, per-
cussis frigore medullis, pene spiritum exhalaret. E
Sic Regina pariter et conjugio deferens et pudo-
rem conservans, nec maritum reverentia defrau-
davit, nec libidine bonum minuit nuptiarum. *Ex
his verbis liquet, matrimonium* S. Radegundis
*cum Clotario non ratum dumtaxat, sed etiam
consummatum fuisse, ut theologi loquuntur.*

variis testimoniis veterum auctorum,

30 *Quinimo hæc Hildeberti sententia fuit ad-
eo communis, ut nonnulli scriptores perperam af-
firmaverint, Clotarium ex Radegunde liberos sus-
cepisse, quemadmodum Bernardus de Girard in
Historia generali regum Francorum tomo* I *pag.*
48 *testatur. Hinc etiam Scævola et Ludovicus
Sammarthani fratres in Historia genealogica fa-
miliæ Francicæ lib.* 3 *cap.* 8 *sive tomo* I *pag.* 117
rejiciunt Paradinum, qui S. Radegundi *aliquas
proles tribuit. Verosimiliter Paradinus ille aliive
ejusdem singularis opinionis assertores* Radegun-
dem *temere pro Ingunde vel Arregunde acceperint,
quandoquidem omnes fere reliqui auctores consen-
tiunt,* S. Radegundem *nullos Clotario liberos pe-
perisse. Sed etiamsi sancta Matrona nullam pro-
lem ediderit, tamen ex hoc nihil pro virginitate
ipsius concludi potest: nam Vulfinus Boëtius, qui
diu ante venerabilem Hildebertum sub imperio* F
Ludovici Pii floruit, nullos etiam liberos S. Ra-
degundi *tribuit, et nihilominus virginitatem
ejus inficiari videtur, dum in Vita S. Juniani ab-
batis ad hanc diem illustrata, de nuptiis ejus-
dem Sanctæ sic scribit*: At ubi ventum est ad puel-
lares annos, et fieret ætate nubilis et apta nuben-
di, complexibus regis sociata est, et nuptiali ob-
sequio peracto, carissima conjux effecta est, quam
tanto amore dilexit, ut nihil præter illam se ha-
bere aliquoties fateretur. Sed illa beatissima....
non multo post tempore, relicto regali thoro,
tota se Deo et mente et corpore consecravit. *Si-
milia tradit antiquus scriptor in Actis S. Carile-
fi, quæ ad diem primam Julii edidimus, ubi
apud nos tomo* I *istius mensis pag.* 91 *ad rem no-
stram hæc habet*: Clotharius Radegundem, na-
tione Turingam, pietatis insignitam moribus, sibi
adscivit reginam; quæ postea, exactis in ejus co-
pula aliquot annorum circulis, Pictavem petiit.
*His veterum biographorum phrasibus, ni vehe-
menter fallimur, matrimonium consummatum
indicatur.*

31 *Juverit denique hac de re disserentem au-
dire Theophilum Raynaudum nostrum, qui in Ti-
tulis*

eamque Theophilus Raynaudus noster

A *tulis cultus specialis Sanctorum puncto* 14 *num.* 2, *sive in Hagiologio Lugdunensi pag.* 577 *et sequente contra quemdam neotericum hujus virginitatis assertorem ita disputat* : Quod hactenus recensitis conjugibus simul ac virginibus Josephus de Mouteil lib. I de ejus Vita cap. 7 magno studio accenset sanctam Radegundem, Clotarii quondam Franci conjugem, postea Pictavis monialem, ægre suadetur. Neque vero id sanctæ illius Reginæ decus obvoluturi videntur silentio, qui in ea exornanda navi fuerunt; Fortunatus libro uno de ejus Vita, et lib. 8 ac 11 Carminum, Gregorius Turonensis lib. 9 Historiæ cap. 2 et 39, et libro de Gloria confessorum cap. 106, Sigebertus in Chronico anno 557; Vincentius in Speculo historiali lib. 21 cap. 79, 80 et 85; Trithemius lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 30. Hi et alii bene multi sanctam feminam a contemptu seculi et ab accuratione in Dei obsequio eximie celebrant, nemo a virginitate in conjugio, cujus illi retinendæ potestatem fecisse Clotarium, hominem mulierosum, nemine suffragante, nunc primum proditur.

diversis responsionibus refellit,

B 32 At aliquoties reperitur denominata VIRGO, jam monialis. Annuo; sed eo sensu, quem trado libro De sobria frequentatione alterius sexus cap. 7, pag. 203. Nimirum quia calcata regia sublimitate, accenseri voluit monialibus sive virginibus sacris : qua eadem ratione aliæ ibidem annotatæ, quæ viris adhæserant, et virginitatis in conjugio naufragium fecerant, VIRGINES denominatæ leguntur. Baronius anno DLXVI num. 29 sanctam Radegundem vocat VIRGINEM BURGUNDAM, attendens ad tempus ante nuptias. Itaque perperam in hanc rem adducitur. Urgetur præterea, votum virginitatis a Radegunde emissum jam a prima ætate, quod votum conjugii consummatio sacrilege temerasset. Sed hic obex legitima dispensatione aut irritatione potuit tolli. Demum adducitur integritas corporis, quod, reserato tumulo, post annos octingentos ac duodeviginti et menses novem ac dies tredecim, repertum est prorsus incorruptum, ac mire fragrans, quæ videtur fuisse purissimæ ac illibatæ virginitatis tessera; non minus, quam annulus monasticus, quem Joanni Binus, quam annulus monasticus, quem Joanni Biturigum principi e regio sanguine, auferre tentanti, renuit concedere, permissa extractione annulli

C regii, cum quo item sepulta erat. Non est tamen nota certa virginitatis, incorruptio corporis, quamvis ut plurimum ita contingat; qua de re Tractatu de incorruptione cadaverum. Annulus item conferebatur omnibus monialibus, tametsi viduis, ad notandum, quod fierent sponsæ Christi; cui quæ adjungitur, etiamsi prius corrupta, efficitur virgo juxta sanctum Chrysostomum in sensu alibi exposito circa sanctam Olimpiadem. Videsis de hoc monialium annulo Antiquitates monasticas Nebridii a Mundelhein, epistola 121; quem latuit hoc exemplum sanctæ Radegundis. Regina itaque sanctissima, aliis ornamentis fulgentissima, non videtur satis solide nunc primum a servata virginitate per totam vitam celebrari. *Omnibus mature expensis, cum Raynaudo consentimus, et sententiam de virginitate* S. Radegundis, *quæ nobis vix ullo modo probabilis apparet, sequi non audemus, tametsi defensores illius propositam difficultatem facilius possint effugere. Jam videamus, an intricatum istum Mabillonii nodum aliter dissolvere nequeamus.*

33 *Jacobus Longuevallius noster, qui Historiam ecclesiæ Gallicanæ nuper eleganti stylo vernaculo in lucem dedit, ac eruditis notis illustravit, tomo* 2 *istius Operis pag.* 454 *seu lib.* 6 *ad annum Christi* 540, *memoratam divortii difficultatem breviter in notis attingit, et ibidem effugium quoddam assignat : postquam enim implexum Mabillonii nodum paucis proposuerat, per modum interrogationis indicat, non improbabiliter dici posse, quod S. Medardus peritus legum ecclesiasticarum judicaverit, matrimonium illud esse illegitimum et invalidum, quia Clotarius adhuc plures uxores habebat viventes, quando* S. Radegundem *duxit. At inde sequitur, Sanctam nostram diu in concubinatu aut adulterio vixisse : ipsam namque latere non poterat, quod legitima Clotarii regis uxor adhuc viveret, et polygamia esset illicita, ne quis in hac re innocuam facti aut juris ignorantiam prætendat. Præterea si S. Medardus matrimonium illud judicaverit invalidum, cur statim non annuit huic necessariæ separationi, quam S.* Radegundis *instanter petebat? Cur tam justo Sanctæ desiderio obstitit ille, qui potius eam debuisset hortari, ut quamprimum illicitam istam cum rege adultero conjunctionem abrumperet? Cur denique idem præsul, teste Fortunato infra apud nos num.* 10, memor Apostoli dicentis; E Si qua ligata sit conjugi, non quærat dissolvi, differebat Reginam, ne veste tegeret monacham? *Si legitima Clotarii uxor adhuc vivebat, quando rex ille* S. Radegundem *thalamo suo sociavit, quid hic facit præceptum Apostoli, cum in ea hypothesi constet, Sanctam Clotario non fuisse ligatam? Quapropter contra hanc primam Longuevallii responsionem (id salva doctissimi viri pace dictum sit) multo probabilius opinamur, legitimas Clotarii uxores jam obiisse, aut regem illum tantummodo habuisse concubinas eo tempore, quo matrimonium cum* S. Radegunde *contraxit. Itaque ex his aliisque supra allatis argumentis ulterius concludimus, matrimonium illorum legitimum fuisse.*

Etsi matrimonium Sancta fuerit consummatum et legitimum,

34 *At quomodo, inquies, S. Medardus validum istud conjugium dissolvere potuit, etiam consentiente rege Clotario, nisi rex ipse cœlibatum professus fuerit; quod eum fecisse, nullo modo fit verisimile? Non diffitemur, hic nobis aquam hærere. Attamen in hoc nodo extricando præ aliis effugiis, quæ sine probabili veritatis specie excogitari possent, placet sagax industria laudati Longuevallii nostri, qui in notis ad Historiam ecclesiæ Gallicanæ loco supra citato suggerit alterum responsum, quod ei libenter acceptum referimus : ibi enim non improbabiliter asserit, Francos eo tempore quæstionem de indissolubili matrimonii vinculo nondum clare intellexisse, et hanc divortii materiam ipsis præsulibus in Gallia non satis perspectam fuisse. Hanc assertionem suam probat ex veteribus quibusdam Galliæ conciliis, quæ perperam marito concedunt protestatem transeundi ad alias nuptias, quando uxor ejus velum Religionis assumpsit. Sane apud Sirmondum nostrum tomo* 2 *Conciliorum Galliæ pag.* 43 *in synodo Compendiensi, quæ anno Christi* 757 *habita est, canone* 13 *legimus sequentia* : Si quis vir mulierem suam demiserit, et dederit commeatum pro Religionis causa infra monasterium deservire, aut foras monasterium dederit licentiam velare, sicut diximus, propter Deum, vir illius accipiat mulierem legitimam : similiter et mulier faciat. Georgius consentit. *Georgius ille erat legatus Sedis Apostolicæ simul cum Joanne, qui ambo huic synodo interfuerunt. Porro decimus tertius iste concilii Compendiensis canon, qui dogmati Ecclesiæ jam passim nolo repugnat, in Labbeana Conciliorum*

tamen exemplo ostendere nitimur,

F

AUCTORE G. C.

Conciliorum collectione tomo 6 *col.* 1696 *et apud Harduinum in novissima Conciliorum editione tomo* 3 *col.* 2005 *iisdem plane verbis exprimitur.*

quomodo illa innocue potuerit a marito separari.

35 *Ceterum hæc aliaque istorum temporum decreta manifeste demonstrant, tunc in Gallia prorsus rudem causarum matrimonialium notitiam fuisse. Unde ex illo posteriori plurium præsulum Gallorum errore conjicimus, facile etiam antea fieri potuisse, ut S. Medardus simili simplicitate legitimum* S. Radegundis *conjugium dissolverit, et propter camdem legum ecclesiasticarum imperitiam innoxie errarit. Si quis autem tantam istorum temporum ignorantiam admiretur, illamque in præcipuis Christiani gregis pastoribus vix credibilem existimet, is meminerit concilii Matisconensis, quod anno Christi* 585 *celebratum est, in quo episcopus quidam Gallus vel Francus coram variis metropolitis aliisque multis præsulibus exoticam disputationem instituit, ac serio contendit, mulieres non esse numerandas inter homines, secuti S. Gregorius Turonensis de concilio illo Matisconensi agens, in Historia Francorum lib.* 8 *cap.* 10 *testatur his verbis* : Exstitit B enim in hac synodo quidam ex episcopis, qui dicebat mulierem, hominem non posse vocitari. Sed tamen ab episcopis ratione accepta quievit; eo quod sacer veteris Testamenti liber edoceat, quod in principio, Deo hominem creante, ait : Masculum et feminam creavit eos, vocavitque nomen eorum Adam, quod est homo terrenus; sic utique vocans mulierem ceu virum : utrumque enim hominem dixit. Sed et Dominus Jesus Christus ob hoc vocitatur filius hominis, quod sit filius Virginis, id est mulieris; ad quam, cum aquas in vina transferre pararet, ait : Quod mihi, et tibi est, mulier? et reliqua. Multisque et aliis testimoniis hæc causa convicta quievit. *Propter hæc aliaque miræ simplicitatis exempla, quæ rudi illa ætate frequentiora fuerunt, non omnino temere opinamur, S. Medardum ac* S. Radegundem *in matrimonio illo dissolvendo communem sui temporis opinionem secutos esse, atque ita innocenter errasse. Si tamen quispiam meliorem hujus nodi solutionem invenerit, minime morosos sententiæ suæ sectatores nos habebit.*

et ante annum ætatis suæ quadragesimum

C 36 *Hanc divortii difficultatem, qua nos utcumque expedivimus, excipit altera circa diaconalem* S. Radegundis *consecrationem, quam Fortunatus coævus diserte expressit, et quæ tamen prima fronte cum canonibus præcedentium conciliorum vix videtur posse componi : nam anno Christi* 451 *Patres concilii Calchedonensis canone* 15 *apud Labbeum tomo* 5 *conciliorum col* 764 *statuerunt,* diaconissam non esse mulierem ordinandam ante annum quadragesimum. *Cum autem Sancta nostra anno Christi* 544 *diaconalem consecrationem acceperit, ut Cointius aliique auctores passim asserunt, ex præcedenti Actorum chronologia evidenter patet, eam tunc nondum quadraginta ætatis annos numerasse. Quomodo igitur S. Medardus contra expressum concilii Calchedonensis decretum illam diaconam consecravit? Responderi potest, hunc canonem concilii Calchedonensis tunc in Gallia ignotum vel inusitatum fuisse, aut S. Medardum propter singularem hujus Matronæ dignitatem atque eximiam vitæ sanctitatem in ætate dispensasse, quemadmodum cum Cointio postea dicemus*

contra canones conciliorum

37 *At magis huic consecrationi videtur repugnare decimus octavus canon secundæ synodi Aurelianensis, quæ anno Christi* 533 *celebrata est, et in qua apud laudatum Labbeum eodem tomo* 5 *col.* 1782 *ab episcopis Gallis inter alia præscri-* D *bitur hic canon :* Placuit etiam, ut nulli postmodum feminæ diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur. *Quomodo, inquies, S. Medardus ausus est* S. Radegundem *consecrare diaconissam contra hunc concilii Aurelianensis canonem, qui ei ignotus esse non potuit, et qui vix decem aut undecim annis diaconalem Sanctæ nostræ consecrationem præcessit? Priusquam directe huic argumento respondeamus, audienda est explicatio Joannis Morini, qui in Commentario de sacris Ecclesiæ ordinationibus parte* 3, *exercitatione* 10, *cap.* 3 *num.* 11 *hunc ipsum concilii Aurelianensis canonem exponit his verbis :* Sed fortius stringere videtur canon decimus octavus ejusdem concilii; PLACUIT ETIAM, UT NULLI POSTMODUM FEMINÆ DIACONALIS BENEDICTIO PRO CONDITIONIS HUJUS FRAGILITATE CREDATUR. Videtur enim concilium non omnes diaconissas deponere, et ad pœnitentiam redigere, ut Epaunense, quod est absurdissimum; sed relictis iis, quæ jam ordinatæ erant, cavere, ne imposterum aliæ consecrentur. Non es- E se tamen universalem illam prohibitionem, ex ratione reddita clarum est, PROPTER CONDITIONIS HUMANÆ FRAGILITATEM. Ergo nulli virgini virginitas, nulli viduæ castitas credenda esset, quod est perabsurdum. Intelligendus ergo canon ille ex antiquorum canonum præscripto, ut nulli postmodum feminæ diaconalis benedictio credatur ante annum quadragesimum.

diaconali dignitate ornari.

38 *Hunc secundæ synodi Aurelianensis canonem, qui juxta datam Morini interpretationem non differt ab allato superius decreto concilii Calchedonensis, eodem modo intellexit Cointius, dum in Annalibus Francorum ad annum Christi* 544 *num.* 96 *propositæ difficultati sic respondet :* Radegundis, annuente rege Clotario, Suessione Noviomum profecta est. Id testantur verba Fortunati jam recitata; DIRECTA IGITUR A REGE, VENIENS AD BEATUM MEDARDUM NOVIOMI SUPPLICAT INSTANTER ; quapropter facile nobis persuademus, antequam velaretur, assensum regis accessisse. Quo minus autem fieret diacona, defectus ætatis ex concilio Aurelianensi secundo poterat objici : nondum enim annum ætatis quadragesimum attigerat. Sed san- F ctiones concilii Aurelianensis secundi, cui nullus ex præsulibus Belgicarum provinciarum subscripsit, apud Belgas non observabantur; aut si custodiebantur, antistes Noviomensis super ætate dispensavit propter excellentiam ac dignitatem personæ; quæ castitatem Deo vovebat. *Denique similia argumenta, quæ eidem consecrationi ex aliis conciliis opponi possent, apud laudatum Morinum toto cap.* 3 *citatæ exercitationis* 10 *discutiuntur ac refutantur.*

§ IV. Discessus Sanctæ in Aquitaniam, liberalitas erga loca sacra, constructio monasteriorum, et variæ virtutes, quas in Pictaviensi monialium cœnobio exercuit.

Sancta post divortium

Postquam S. Radegundis *vinculis conjugii soluta erat (sic ipsa saltem bona fide sibi persuadebat) et simul cum velo monastico dignitatem diaconissæ acceperat, Noviomo in Aquitaniam*

A *niam discessit. Sancta in itinere illo divertit ad inclytum S. Martini tumulum, et haud dubie in aliis piis locis, urbi Turonensi vicinis, aliquamdiu commorata est, ut tenero suo erga res sacras affectui satisfaceret. Certe Ruinartius in notis addendis ad Opera Gregorii Turonensis col.* 1404 *agens de cœnobio S. Martini apud Turones, quod communiter Majus-monasterium vocatur, posthumum quoddam commorationis hujus monumentum assignat his verbis* : Haud procul a monasterio superest antiqua ecclesia hodierni vici parochialis, sanctæ Radegundi dicata, quod ibi mansisse, et in oratoriis in rupe cavatis, quibus basilica ipsa adhæret, orationi sæpius vacasse dicatur. *Fortunatus et Baudonivia in Actis infra edendis sparsim laudant piam ejus erga sacra loca liberalitatem, aliaque posteriora vitæ monasticæ gesta, quæ Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 5 *cap.* 21 *ita contraxit* : Mox Radegundis ecclesiæ regia sua ornamenta, pauperibus cingulum ex auro comminutum distribuit. Tum nulla mora Pictavos versus iter instituit, varia piis locis dona conferens; nempe ad cellam sancti Jumeris, et ad cellam venerabilis Datdonis, B ubi quidquid indui poterat regio more, in manu Datdonis abbatis totum dedit cœnobio, quod prius cellam Datdonis dixerat Fortunatus. Idem fecit in synergio seu monasterio Guudulfi, quem postea Mettis episcopum fuisse idem auctor tradit, tametsi nullus eo nomine præsul Mettensi ecclesiæ per ea tempora præfuisse reperiatur. *Postea in Annotatis post Acta observabimus, nomen hujus episcopi Metensis vario modo exprimi, et forsan hac luxata appellatione indicari Agiulphum vel Aigulphum, qui exeunte seculo sexto cathedram Metensem possedit, ut Calmetus in Historia Lotharingiæ tomo* I *lib.* 8 *num.* 45, *seu col.* 361 *testatur.*

præter alia munifica pietatis opera,

40 *Porro inter Sanctæ nostræ prosequamur cum Mabillonio, qui ibidem sic pergit* : Hinc navigio Turones appulsa, mirum est quanta sacris ubique altaribus munera largita sit. Eadem in vico Candatensi et in villa Suaëdis liberalitas. Hoc ejus iter Pictavos usque; ubi aliquantulum temporis substitit, dum, constructo monasterio, ibidem recluderetur, tanta interim vitæ severitate, ut, præter panem siligineum vel hordeaceum, nihil aliud C quam legumina et olera perciperet, non pisces, non ova, ne quidem poma; ad potum nihil præter aquam mulsam aut piratium adhiberet. Cetera in usus pauperum, egenorum et infirmorum tota erat, quibus etiam ad mensam ministrabat. Quadragesimæ tempore, exemplo sancti Germani Parisiorum episcopi, quem summopere venerabatur, mola trusatili frumentum conterebat, ex quo tantum panis, quantum ad quatriduanam refectionem satis esset, conficiebat; ad hæc oblationes in usum Sacrificii, quas locis venerabilibus dispensabat. *Quod hic de mola trusatili Mabillonius applicat S. Germano Parisiensi, non legimus in Vita hujus præsulis, quam die* XXVIII *Maii in Opere nostro edidimus. Sed apud nos tomo* VII *Julii pag.* 204 *simile quid narratur de S. Germano Autissiodorensi, cujus Acta ad diem* XXXI *Julii illustrata sunt, Cum autem Fortunatus infra num.* 12 *tantum dicat,* S. Radegundem *id fecisse* more sancti Germani, *non immerito veremur, ne Mabillonius in hac re S. Germanum Parisiensem cum S. Germano Autissiodorensi confuderit.*

41 *Quidquid sit de hac suspicione nostra, Mabillonius eodem libro* 5 *Annalium Benedictino-rum post difficilem divortii nodum, quem supra ex ipso proposuimus et extricare conati sumus, cap.* 23 *de diversis cœnobiis, tunc industria Sanctæ constructis, ita meminit* : Duplex apud Pictavos monasterium pia Regina construxit, unum sanctæ Crucis *(hoc cognomine postea appellatum fuit, ob reliquias sanctæ Crucis in eo collocatas, ut infra dicetur)* pro virginibus, cui Agnetem abbatissam præfecit, seque illi subjecit; alterum sanctæ Mariæ pro viris, ubi virgines sepeliebantur. Aliud etiam virorum condidit in urbe Turonica, cujus vocabulum silet Baudonivia, ejus Vitæ auctor. MONASTERIUM SIBI, ait Fortunatus, PER ORDINATIONEM PRÆCELSI REGIS CHLOTARII CONSTRUXIT, nimirum cœnobium sanctæ Crucis, cujus fabricam Pientius Pictavorum episcopus et Austrapius dux, ex regis mandato, accelerari curarunt. MAGNAM CONGREGATIONEM PUELLARUM ibidem principio extitisse, Baudonivia tradit, tametsi CELLAM inferius appellat. Dotato ex regia liberalitate monasterium præfecta est a Radegunde Agnes abbatissa, quam ipsa a teneris eduxerat. De ejus benedictione a sancto Germano facta inferius dicemus. Monasterio beatæ Mariæ E præfuit Arnegisilus abbas, ut scribit Baudonivia, cujus tempore jam basilica sanctæ Radegundis, uti et modo, appellabatur, nunc collegium secularium Canonicorum. Qui in hoc monasterio primitus degebant monachi, sanctimonialibus sanctæ Crucis in sacris inserviebant; idemque mos in omnibus aliis virginum cœnobiis obtinebat, ut duplicia essent, quod in horum Annalium decursu passim observabimus. *Hæc omnia ex Mabillonio transcribimus, ut Acta obscuriora facilius intelligantur.*

AUCTORE G. C. construxit Pictavii cœnobium monialium.

in quo exercuit intrepidam constantiam

42 *Ceterum hoc paragrapho jam simul conjungemus nonnullas* S. Radegundis *virtutes, licet Sancta eas diversis temporibus in cœnobio exercuerit, et ex gestis illis monasticis potissimum seligemus ea, quæ aut in Actis infra edendis omissa sunt, aut aliunde antiquis testimoniis confirmari possunt. Inter laudabilia ipsius gesta nobis primo occurrit intrepida Sanctæ magnanimitas, qua restitit regi Chilperico, qui filiam suam Christo dicatam antea in monasterio Pictaviensi collocaverat, eamque postmodum ad nuptias cum filio regis Hispaniæ tranferre desiderabat : nam* S. Radegundis *consilio suo tantum effecit, ut voluntas Chilperici regis tunc exsecutioni mandata non fuerit, quemadmodum S. Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 6 *cap.* 34 *testatur his verbis* : Voluit enim tunc aliam filiam illuc dirigere, quam de Audovera habebat, et eam in monasterii Pictavensi posuerat. Sed illa distulit, resistente præcipue beata Radegunde, et dicente : Non est enim dignum, ut puella Christo dicata iterum ad seculi voluptates revertatur. F *Sancta etiam aliud magnanimitatis ac zeli specimen edidit, quando potentem rerum sacrarum prædatorem et infamem adulterum e templo ejici curavit. Etsi hoc pium ejus facinus in Actis nostris prætermissum sit, tamen illud in Chronico Turonensi apud Edmundum Martene tomo* 5 *Collectionis amplissimæ col.* 910 *legimus expressum hoc modo* : Tunc Leudastis Bituricum pagum deprædans, Pictavis venit, et in ecclesia beati Hilarii se inclusit, irruens aliquando in domibus singulorum, et res eorum diripiens, sæpe in porticu ecclesiæ in adulterio deprehensus; quem sancta Radegundis, quæ ibi morabatur, jussit citius removeri, ne per eum ecclesia pollueretur.

43 *Hanc animi magnitudinem comitabatur* summa

AUCTORE G. C.

summam animi submissionem,

summa humilitas, qua prorsus vilia cœnobii ministeria obibat, et instar ancillæ reliquis monialibus serviebat, ut infra in Actis nostris copiose narrabitur. Sancta etiam illam animi sui submissionem satis indicavit, quando Agnetem, quam a teneris educaverat, suo loco abbatissam constituit, ejusque imperio se totam subjecit. Quare Fortunatus lib. 8 *carmine* 4 *in* S. Radegunde *flagrans perfectionis desiderium, ac deinde illud egregium submissi animi indicium laudat, dum ad eamdem Agnetem abbatissam ibi inter alia sic scribit :*

Concipiente fide Christi Radegundes amore
 Cæsarii lambit regula quidquid habet.
Cujus Pontificis refluentia pectore mella
 Colligit, et rivos insatiata bibit.
Quantum fonte trahit, tantum satis addita crescit,
 Et de rore Dei plus madefacta calet.
Nec sibi, sed cunctis generaliter unica vivens,
 Felix angustam pandit ad astra viam.
Sed tibi præ reliquis mater pia charior instat,
 Eligit excelso consociare choro.
Res probat ipsa tamen, quoniam quæ filia constas
B Te matrem votis optat habere suam ;
Quamque suis genibus charam nutrivit alumnam,
 Præficit ecce suo constituenda loco.
Et quæ te semper baculi moderamine rexit,
 Prompta sub imperio vult magis esse tuo.
Proficit illa sibi, cum tu præponeris illi,
 Illa subit votum, te potiente gradu.

Quod in his versiculis dicitur de regula Cæsarii, quam S. Radegundis *magno ardore* observabat, *ex infra dicendis lucem accipiet.*

corpus suum cruciatibus

44 *Præterea Fortunatus eodem libro* 8, *carmine* 7, *pietatem hujus Sanctæ, et austeram vivendi rationem exprimit his versiculis :*

Regali de stirpe potens Radegundes in orbe;
 Altera cui cælis regna tenenda manent.
Despiciens mundum meruisti adquirere Christum,
 Et dum clausa lates, hinc super astra vides.
Gaudia terreni conculcas noxia regni,
 Ut placeas regi læta, favente polo.
Nunc angusta tenes, quo cælos largior intres,
 Diffundens lacrymas, gaudia vera metes.
Et corpus crucias, animam jejunia pascunt,
 Salve, quam Dominus servat amore suus.

C *Cum autem* S. Radegundis *corpus suum jejuniis, vigiliis, aliisque cruciatibus affligeret, idem poëta lib.* XI *Carmine* 4 *eam suo et Agnetis nomine rogat, ut ad roborandum stomachum nonnihil vini bibat, atque ideo ad illam mittit sequentes versiculos :*

Si pietas et sanctus amor dat vota petenti,
 Exaudi famulos munere larga tuos.
Fortunatus agens, Agnes quoque versibus orant,
 Ut lassata nimis vina benigna bibas.
Sic tibi det Dominus, quæcumque poposceris ipsum,
 Et tibi sicut amas, vivat uterque rogans.
Suppliciter petimus, si non offendimus ambo,
 Ut releves natos mater opima duos.
Non gula vos, sed causa trahat, modo sumere vina :
 Talis enim potus viscera lassa juvat.
Sic quoque Timotheum Paulus, tuba gentibus una,
 Ne stomachum infirmet, sumere vina jubet.

et jejuniis afflixit.

45 *Etiam nimis austera Sanctæ nostræ abstinentia pervenerat ad aures Cæsariæ Arelatensis, ut patet ex litteris, quas hæc abbatissa ad* S. Radegundem *dedit, et quas primum integras ex Ms. apographo S. Benigni Divionensis huic Commentario prævio inserere decreveramus. Sed quia* D *jam epistola illa apud Edmundum Martene tomo* I *Thesauri novi anecdotorum col.* 3 *et sequentibus non ita pridem excusa est, ex ea ad rem nostram tantummodo hæc excerpimus :* Pervenit ad me, quod nimis abstineas; totum rationabiliter fac, si tu mihi vivas, et semper possis : nam si per istam nimietatem cœperis infirmari, postea, quod Deus non faciat, necesse tibi erit delicias requirere, et extra horam accipere, et non poteris benedictas illas regere. Audite, quid Dominus in Evangelio dicat : Non quod intrat in os, coinquinat hominem. Et Apostolus : Rationabile sit obsequium vestrum. Totum fac, domina, quomodo in regula habes, quam expetisti *etc. His ultimis verbis indicat regulam S. Cæsarii Arelatensis, de qua inferius agemus.*

subinde egit vitam solitariam,

46 *Verum Sancta nostra solitis monasterii exercitationibus nondum contenta, quotannis tempore Quadragesimæ vitam magis solitariam agere, ac sese in privatam cellam includere consueverat. Unde laudatus poëta lib.* 8 *carmine* XI *de hac annua* S. Radegundis *inclusione sic canit :*

Mens fœcunda Deo Radegundis, vita Sororum, E
 Quæ ut foveas animam, membra domando cremas.
Annua vota colens, hodie claudenda recurris;
 Errabunt animi te repetendo mei.
Lumina quam citius nostris abscondis ocellis :
 Nam sine te nimium nocte premente gravor.
Omnibus exclusis, uno retineberis antro :
 Nos magis includis, quos facis esse foris.
Et licet hic lateas brevibus fugitiva diebus,
 Longior hic mensis, quam celer annus erit.
Tempora subducis, ceu non videaris amanti,
 Cum vos dum cerno, hoc mihi credo parum.
Sed tamen ex voto tecum veniemus in unum,
 Et sequor huc animo, quo vetat ire locus.
Hoc precor, incolumem referant te gaudia Paschæ,
 Et nobis pariter lux geminata redit.

aliisque fulsit virtutibus,

47 *Quando autem* S. Radegundis *tempore Paschali ex solitudine illa ad communem vitam redierat, Fortunatus carmine* 12 *ejusdem libri gaudium suum ei explicat hac hyperbole poëtica :*

Unde mihi rediit radianti lumine vultus?
 Quæ nimis absentem te tenuere moræ?
Abstuleras tecum, revocas mea gaudia tecum. F
 Paschalemque facis bis celebrare diem.
Quamvis incipiant modo surgere semina sulcis,
 Hic egomet hodie, te revidendo, meto.
Colligo jam fruges, placidos compono maniplos,
 Quod silet Augustus mensis, Aprilis agit.
Et licet in primis modo gemma et pampinus exit,
 Jam mens autumnus venit, et uva simul.
Malus et alta pirus gratos modo fundit odores,
 Sed cum flore novo jam mihi poma ferunt.
Quamvis nudus ager nullis ornetur aristis,
 Omnia plena tamen, te redeunte, nitent.

Forsan Sancta nostra exemplo annuæ suæ inclusionis induxit piam ejusdem monasterii Pictaviensis puellam, quæ post visionem cælestem se solitariæ vitæ dedit, et de qua Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib. 6 *cap.* 29 *post alia sic scribit :* Hæc cum puella vidisset, compuncta est corde, et post dies paucos rogavit abbatissam, ut sibi in qua includeretur cellulam præpararet. At illa velociter perfecta, ait : Ecce, inquit, cellulam; quid nunc desideras? Puella vero petiit, ut recludi permitteretur. Quod cum ei præstitum fuisset, congregatis virginibus cum magno psallentio, accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde

A degunde manum, ad locum usque perducitur. Et sic valefaciens omnibus, et osculans singulas quasque, reclusa est : obstructoque aditu, per quem ingressa fuerat, ibi nunc orationi ac lectioni vacat.

quas S. Fortunatus carmine celebravit.

48 *Denique Fortunatus varias* S. Radegundis *virtutes lib.* 8 *carmine* 1 *sic celebrat :*

Martinum cupiens, voto Radegundis adhæsi,
  Quam genuit cælo terra Toringa sacro.
Germine regali pia neptis Herminefredi,
  Cui de fratre patris Hamalafredus adest.
Mens ornata bonis fugitivos spernit honores,
  Sciens in solo firma manere Deo.
Regis lactiuco commutans pallia cultu,
  Vilior ancillæ vestis amata tegit.
Splendida serraco quondam subvecta superbo ;
  Nunc terit obsequio plauta modesta lutum.
Quæ prius incertis onerata ex dextra smaragdis,
  Servit inops famulis sedulitate suis.
Aulæ celsa regens quondam, modo jussa ministrat ;
  Quæ dominando prius, nunc famulando placet.
Paupertate potens, et solo libera voto,
B   Clarius abjecto stat radiata loco.
Aurea fulcra tenens jam tum sibi vilis honore
  Effugit extructum pulvere fusa thorum.
Si contemnatur, tunc nobilis esse fatetur,
  Et putat esse minor, si datur ullus honor.
Parca cibo Eustochium superans, abstemia Paulam,
  Vulnera quo curet dux Fabiola monet.
Melaniam studio reparans, pietate Blesillam,
  Marcellam votis æquiparare valens.
Obsequio Martham renovat, lacrymisque Mariam,
  Pervigil Eugeniam, vult patiendo Teclam,
Sensibus ista gerit, quidquid laudatur in illis
  Signa recognosco, quæ prius acta, lego.
Omnia despiciens, et adhuc in corpore constans ;
  Spiritus hic vivit, sed caro functa jacet.
Terram habitans cælos intrat, bene libera sensu
  Atque homines inter jam super astra petit.
Cujus sunt epulæ, quidquid pia regula pangit,
  Quidquid Gregorius, Basiliusque docent.
Acer Athanasius, quod lenis Hilarius edunt,
  Quos causæ socios lux tenet una duos.
Quod tonat Ambrosius, Hieronymus atque coruscat,
C   Sive Augustinus fonte fluente rigat.
Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus,
  Regula Cæsarii linea nata sibi est.
His alitur jejuna cibis, palpata nec umquam
  Fit caro, sit nisi jam spiritus ante satur.
Cetera nunc taceam, melius quæ teste Tonante,
  Judicioque Dei glorificata manent.

Nos etiam prætermittimus hoc loco alias hujus Sanctæ virtutes, ac præserlim adversa, quæ patienter tulit, et de quibus legi potest Fortunatus in libro de Excidio Thuringiæ et in carmine ad Artachin, ubi pius poëta ille hæc infortunia pathetice describit, et sub nomine S. Radegundis *eadem acerbe deplorat, Nunc progrediamur ad illa quæ prudens hæc Matrona ad ornatum et conservationem monasterii sui Pictaviensis solerter gessit.*

§ V. Studium Sanctæ, ut monasterium suum Pictaviense exacta disciplinæ observantia muniret, illudque sacris Reliquiis ornaret.

Contra quosdam auctores opinamur,

Jam S. Radegundis *multas virgines in cœnobio suo Pictaviensi congregaverat, easque ad perfectiorem vivendi modum verbo et exemplo instituebat, quando anno Christi* 566 *vel* 567 *concilium secundum Turonense celebratum est : nam Sancta ad congregatos hujus synodi præsules scripsit epistolam, qua monasterium suum ipsis commendabat, et quam Mabillonius aliique viri eruditi dudum intercidisse aut alicubi adhuc cum blattis et tineis luctari existimant. Contra vero Sirmondus noster tomo* 1 *Conciliorum Galliæ pag.* 315 *et Pagius in Critica historico-chronologica Annalium Baronii ad annum Christi* 590 *num.* 9 E *putant, hanc* S. Radegundis *epistolam a Gregorio Turonensi in Historia Francorum lib.* 9 *cap.* 42 *nobis conservatam fuisse. Quinimo Labbeus noster tomo* 5 *Conciliorum non tantum Sirmondo adhæret, sed etiam ibidem col.* 872 *in notis patronos oppositæ sententiæ ita refellere nititur :* Non video, quod tempus huic epistolæ aptius congruat, quam concilii secundi Turonensis : cum enim scripta sit ad episcopos illos ipsos (quod ex illorum rescripto patet) qui concilio Turonensi adfuerunt, verisimile est, tum ad eos missam, cum una essent in eo concilio congregati. Qui hanc in longiora tempora differunt, et post annos viginti paulo ante obitum a sancta Radegunde scriptum volunt, præterquam quod a Gregorio Turonensi refelluntur, qui initio institutæ ab ea congregationis editam docet lib. 9 cap. 39, hoc etiam non animadvertunt, Euphronium episcopum (ut de ceteris, qui una rescribunt, nihil dicam) ea tempora non attigisse, totoque amplius decennio sanctæ Radegundis obitum prævertisse. *At hoc loco Labbeus rem acu non tetigit : gratis enim supponit, unicam fuisse illam commendatitiam* S. Radegundis *epistolam, eamque adhuc exstare.* F *Hinc nihil ad rem facit obitus Euphronii episcopi, etiamsi hic statim post concilium istud Turonense mortuus esset, ut controversiam attente expendenti manifestum fiet. Nihil etiam adversariis officit assignatus Gregorii Turonensis textus, cum scriptor ille lib.* 9 *cap.* 39 *tantummodo asserat,* responsum episcoporum initio hujus congregationis *datum fuisse, quod nemo inficiatur : nam Mabillonius aliique censent, periisse priorem epistolam, quam* S. Radegundis *ad secundum concilium Turonense dedit et propter argumenta mox producenda contendunt, alteras ejusdem Sanctæ litteras, quæ apud Gregorium Turonensem adhuc extant, ad posteriora tempora differendas esse.*

jam probabilius intercidisse epistolam,

50 *Longuevallius noster in notis ad Historiam ecclesiæ Gallicanæ tomo* 3 *pag.* 229 *probabilius judicat, litteras illas, quas Gregorius Turonensis refert, ab hac anteriori* S. Radegundis *epistola diversas esse, et præter argumentum, quod mox ex Cointio dabimus, opinioni adversariorum opponit sequentem interrogationem : Si Sancta litteras, a Gregorio Turonensi relatas, anno Christi* 567 *ad synodum Turonensem dederit, quomodo post*

AUCTORE G. C.

post viginti annos ecclesia S. Mariæ, quam ad sepulturam monialium ædificari jusserat, et de qua in iisdem litteris meminit, anno 587 sive in obitu S. Radegundis *nondum erat perfecta, quemadmodum infra ex narratione ipsius Gregorii Turonensis constabit? Nos huic interrogationi, quæ omnes contrariæ sententiæ assertores non parum premit, alteram sic addimus : Quomodo* S. Radegundis *affirmat in iisdem litteris , quæ ex hypothesi adversariorum anno 566 vel 567 ad secundam synodum Turonensem scriptæ sunt, sese congregationi suæ adscivisse* regulam, sub qua sancta Cæsaria deguit, *et* quam solicitudo beati Cæsarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum patrum convenienter collegit, *cum moniales Pictavienses primum anno Christi* 570 *regulam illam verosimiliter assumpserint, ut infra probabimus?*

quam olim Sancta ad concilium II Turonense scripsit,

51 *Probabilius itaque opinamur, priorem illam* S. Radegundis *epistolam nunc periisse, aut alicubi adhuc latere, et alteram, nobis a Gregorio Turonensi conservatam, serius scriptam fuisse, ut etiam Cointius in Annalibus Francorum* B *ad annum Christi* 587 *num.* 5 *post eamdem exhibitam probat hoc ratiocinio* : Quonam anno datæ sint hæ litteræ, non liquet. Sirmondus ad synodum Turonensem, regnante Chariberto, missas putavit. Certe serius scriptæ fuerunt, cum Radegundis ætate jam esset grandæva, post obitum Sigiberti regis, qui anno Christi quingentesimo septuagesimo quinto interiit, aut etiam post obitum Chilperici regis qui anno Christi quingentesimo octogesimo quarto necatus est : Sigibertum enim mortuum, aut etiam ambos Sigibertum et Chilpericum vita functos iisdem littèris testata est Radegundis, cum monasterium dixit a se constructum EX PERMISSO ET SOLATIO DOMNORUM REGUM, PATRIS VEL AVI EORUM : nam vocem AVI usurpare non potuit, nisi cum relatione ad nepotem aut etiam ad nepotes, ita ut per avum intelligeret Clotarium seniorem, suum olim conjugem, per nepotem vero Childebertum juniorem, ejusdem Clotarii senioris ex Sigiberto nepotem, aut per nepotes designaret prædictum Childebertum juniorem Clotarii senioris nepotem ex Sigiberto filio et Clotarium secundum ejusdem C Clotarii senioris nepotem et filio Chilperico. *Nos postea hanc posteriorem epistolam, seu potius illud* S. Radegundis *testamentum suo tempore ex Gregorio Turonensi transcribemus.*

et exhibemus litteras responsorias,

52 *Etiamsi careamus prioribus istis* S. Radegundis *litteris commendatitiis, quas ad congregatos synodi Turonensis patres dedit, tamen habemus ad eas responsum aliquorum præsulum, quod apud Gregorium Turonensem in Historia Francorum lib* 9 *cap.* 39 *sic sonat* : Dominæ beatissimæ ac in Christo Ecclesiæ filiæ Radegundi, Eufronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius et Domnolus episcopi. Solicita sunt jugiter circa genus humanum immensæ divinitatis provisura remedia, nec ab assiduitate beneficiorum suorum quocumque loco vel tempore videntur aliquando sejuncta, cum pius rerum Arbiter tales in hereditate culturæ ecclesiasticæ personas ubique disseminat, quibus agrum ejus intenta operatione fidei rastro colentibus, ad felicem centeni numeri reditum divina temperie Christi seges valeat pervenire. Tantum igitur benignitatis ejus se passim dispensatio profutura diffundit, ut illud nusquam deneget, quod prodesse multis agnoscit; quarum personarum exemplo sanctissimo, cum judicaturus advenerit, habeat in plurimis, quod coronet.

quas aliqui præsules,

53 Itaque cum ipso Catholicæ religionis exortu cœpissent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia respirare, et adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis Dominicæ sacramenta, ne quid hic minus acquireret, quam in orbis circulo prædicantibus Apostolis, obtineret, beatum Martinum peregrina de stirpe illuminationem patriæ dignatus est dirigere, misericordia consulente; qui licet Apostolorum tempore non fuerit, tamen apostolicam gratiam non effugit : nam quod defuit in ordine, suppletum est in mercede; quoniam sequens gradus illi nihil subtrahit, qui meritis antecellit. Hujus quoque, reverentissima filia, in vobis congratulamur rediviva surgere supernæ dilectionis exempla propitiatione divina : nam declinante tempore seculi vetustate, vestri sensus certamine fides revirescit in flore, et * quod veterno tepuerat algore senectæ, tandem ferventis animi rursus incalescat ardore. Sed cum pene eadem veneris ex parte, qua beatum Martinum hic didicimus recessisse *(singularem illam opinionem de communi utriusque patria in hoc Commentario præ-* E *vio* § 2 *breviter discussimus)* non est mirum, si illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris exstitisse; ut cujus es secutus vestigia, felici voto compleas et exempla; et beatissimum virum in tanto tibi facias esse socium, in quantum partem refugis habere de mundo : cujus opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cælesti fulgore suffusa, ut passim provocati puellarum animi, divini ignis scintilla succensi raptim festinent avide in caritate Christi, fonte vestri pectoris irrigari, et relictis parentibus te sibi magis eligant, quam matrem. Facit hoc gratia, non natura.

* forte ut

in isto concilio congregati.

54 Igitur hujus studii vota videntes, gratias clementiæ supernæ referimus, qui voluntates hominum suæ facit voluntati connecti : quoniam confidimus, quas apud vos jubet colligi, suo vult amplexu servari. Et quia quasdam comperimus, divinitate propitia, de nostris territoriis ad institutionem vestræ regulæ desiderabiliter convolasse, inspicientes etiam vestræ petitionis epistolam, libenter a nobis exceptam, hoc Christo auctore et remediatore firmamus; ut licet omnes æqualiter, F quæ ibi conveniunt, in Domini caritate mansuræ debeant inviolabiliter custodire, quod videntur libentissimo animo suscepisse, quoniam contaminari non debet Christo fides, cælo teste, promissa, ubi non leve scelus est templum Dei, quod absit, pollui, ut ab eo possit ira succedente disperdi; tamen specialiter definimus, si qua, sicut dictum est, de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi, Domino providente, commissis, in Pictava civitate vestro monasterio meruerit sociari, secundum beatæ memoriæ domni Cæsarii Arelatensis episcopi constituta, nulli sit ulterius discedendi licentia, quæ, sicut continet regula, voluntate propria videtur ingressa; ne unius turpi dedecore ducatur in crimen, quod apud omnes emicat in honore.

ad eamdem Sanctam dederunt,

55 Et ideo si, quod avertat Deus, aliqua insanæ mentis inlicitatione succensa, ad tanti opprobrii maculam præcipitare suam voluerit disciplinam, gloriam et coronam, ut inimici consilio, sicut Eva ejecta de paradiso, per qualemcumque de claustris ipsius monasterii, imo de cæli regno exire pertulerit, mergenda et conculcanda vili platearum in luto; separata a communione nostra, diri anathematis vulnere feriatur : ita ut

A ut si fortassis, Christo relicto, homini voluerit nubere, diabolo captivante, non solum ipsa, quæ refugit, sed etiam ille, qui ei conjunctus est, turpis adulter, et potius sacrilegus, quam maritus; vel quisquis, ut hoc fieret, venenum magis quam consilium ministravit, simili ultione, sicut de illa dictum est, cælesti judicio, nobis optantibus, percellatur; donec separatione facta, per competentem exsecrandi criminis pœnitentiam, a loco, quo egressa fuerat, recipi meruerit et adnecti: adjicientes etiam, ut eorum, qui nobis quandoque successuri sunt sacerdotes, similis condemnationis teneantur adstrictæ reatu; et si quod non credimus, aliquid ipsi voluerint aliter, quam nostra deliberatio continet, relaxare, noverint, se nobiscum, æterno judice definiente, causaturos: quia communis est salutis instructio, si quod Christo promittitur, inviolabiliter observetur. Quod nostræ determinationis decretum pro firmitatis intuitu, propriæ manus subscriptione credimus roborandum, perpetualiter a nobis Christo auspice, servaturum *. *Sirmondus noster post editam hanc epistolam tomo 1 Conciliorum Galliæ pag. 349*

*al. duraturum.

B *notat, hic promissas præsulum subscriptiones deesse. Porro nunc breviter explicanda sunt nonnulla, quæ in his litteris occurrunt, et lectorem morari possent.*

et in quibus obscuriora nonnulla explicantur.

56 *Ruinartius in notis ad Gregorium Turonensem col. 464 miratur, in his litteris* primordia fidei Christianæ in Galliis ad tempora sancti Martini revocari. *Sed hæc præsulum Gallorum phrasis utcumque explicari potest, cum publica Christianæ religionis professio tantum cœperit sub Constantino Magno, quo adhuc imperante, S. Martinus in Galliam venit. Quare præsules illo loquendi modo verosimiliter significare volunt, quod* Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia, *antea crebris ethnicorum persecutionibus suppressa, cœperint* respirare, *quo verbo ibidem utuntur. Præterea hoc intelligi posset de venerandæ fidei primordiis, ab Ariana hæresi corruptis, quandoquidem præsules ibi addunt; quod* adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia pervenissent Trinitatis dominicæ sacramenta: *nam circa hæc tempora Galliam hæresi sua infecerant Ariani sanctissimæ Trinitatis impugnatores, quibus Sa-*

C *turninus Arelatensis impense favebat. Alteram ejusdem epistolæ expressionem, quæ legenti moram injicere posset, Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. 6 cap. 32 sive tomo 1 pag. 155 sic exponit:* Hæc epistola scripta fuit, antequam Cæsarii regulam suscepissent illæ sanctimoniales; quod non nisi post tres annos factum est. Sed tamen ex hac regula Patres perpetuæ reclusionis legem eis imponunt, ita ut excommunicatio in eas tantum caderet, quæ animo revertendi in seculum e claustro discessissent: nam post hoc decretum Radegundis cum Agnete abbatissa profecta est Arelate, ut inde sancti Cæsarii regulam acciperent, ac Sigiberti regis patrocinium obtinerent. *Paragrapho sequente memorabimus istam regulæ acceptionem et hic interim juxta ordinem chronologiæ prius agemus de pretiosis reliquiis, quas Sancta ex Oriente obtinuit, et quibus Pictaviense monialium cœnobium ditavit.*

Sancta accepit reliquias dominicæ Crucis ab imperatore Justino,

57 *Præter illa, quæ in Actis infra narrabuntur de sacris reliquiis, quas* S. Radegundis *ab imperatore Justino accepit, Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib. 9 cap. 10 de iisdem hæc tradit:* Tempore Chlothacharii regis, cum beata Radegundis hoc monasterium instituisset, semper subjecta et obediens cum omni congregatione sua anterioribus fuit episcopis. Tempore vero Sigiberti, postquam Maroveus episcopatum urbis adeptus est *(Mabillonius et Coïntius sequentia ad annos Christi 568 et 569 referunt)* acceptis epistolis Sigiberti regis pro fide ac devotione Radegundis beatæ, in partes Orientis Clericos destinat pro Dominicæ crucis ligno, ac sanctorum Apostolorum ceterorumque martyrum reliquiis; qui euntes detulerunt hæc pignora: quibus delatis, petit Regina episcopum, ut cum honore debito grandique psallentio in monasterio locarentur. Sed ille despiciens suggestionem ejus; ascensis equitibus *, villæ se contulit. Tunc Regina iterato ad regem Sigibertum direxit deprecans, ut injunctione sua quicumque ex episcopis hæc pignora cum illo, quo decebat, honore, votumque ejus exposcebat, in monasterio collocaret. Ad hoc enim opus beatus Eufronius, urbis Turonicæ episcopus, injungitur; qui cum clericis suis Pictavum accedens cum grandi psallentio, et cereorum micantium et thymiamatis apparatu sancta pignora, absente loci episcopo, in monasterium detulit. *Fortunatus festivam hanc pompam celebravit versibus, qui lib. 2 in editione Browe-*

*id est equis

E *ri nostri leguntur: tunc enim sanctus poëta ille composuit duos istos celebratissimos hymnos, quorum unus incipit:* Pange lingua gloriosi prælium certaminis; *alter vero;* Vexilla regis prodeunt; *qui ad celebranda sanctæ Crucis præconia hactenus in Ecclesia usurpantur. Porro sacratissimæ hæ reliquiæ ad parthenonem Pictaviensem translatæ indiderunt ei cognomen* sanctæ Crucis, *quod adhuc hodiedum retinet.*

58 *Post hæc* S. Radegundis *misit legatos ad Justinum imperatorem, qui ei debitas pro pretiosissimis donis gratias agerent. Etiam hac occasione Fortunatus laudes Justini et Sophiæ Augustorum celebravit carmine panegyrico, ex quo ad rem præsentem excerpimus sequentia:*

(quem Fortunatus propterea versibus laudat)

Gloria summa tibi rerum Sator atque Redemptor,
Qui das Justinum justus in orbe caput.
Cui meritis compar nubens felicibus annis
Obtinet augustum celsa Sophia gradum.
Quæ loca sancta pio fixo colit, ornat amore
Et facit hoc voto se propiare polo.
Cujus prima fides Orientis ab axe coruscans
Misit ad Occasum fulgida dona Deo.
Regina poscente sibi Radegunde Toringa,
Præbuit optatæ munera sacra Crucis;
Qua Christus dignans assumpta in carne pependit,
Atque cruore suo vulnera nostra lavit.
Gloria summa tibi rerum Sator atque Redemptor,
Quod tenet augustum celsa Sophia gradum.
O pietas huc usque rigans de fonte benigno,
Cujus amor Christi fundit ubique fidem.
Ecce pari voto, Augusti, certatis utrimque;
Ipsa tuum sexum surrigis, ille suum.
Vir Constantinum, Helenam pia femina reddis.
Sicut honor similis, sic amor ipse Crucis.
Illa invenit opem, tu spargis ubique salutem
Implet et Occasum, quod prior Ortus erat.
Gloria summa tibi rerum Sator atque Redemptor,
Quod tenet augustum celsa Sophia gradum.
Per te Crux Domini totum sibi vindicat orbem,
Quo nescita fuit, hoc modo visa teget.
Accessit genti major fiducia Christi,
Quando salutis opem spes oculata videt.
Sensibus o duplicata fides, cum munere vestrum
Plus animæ credant, quod Cruce teste probant.
Hoc Augusta colens, quod Apostolus instat arare
In ligno, hic verbo lætificatis agrum.
Hæc jam fama favet, qua se Septemtrio tendit,

F

Ortus

AUCTORE G. C.

Ortus et Occasus militat ore tibi.
Illinc Romanus, hinc laudes barbarus ipse,
Germanus, Batavus, Vasco, Britannus agit.
Pars tua Cruce sit florens Augusta per ævum,
Cui facis extremis crescere vota locis.
Hanc postrata loco supplex Radegundis adorat,
Et vestro imperio tempora longa rogat.
Atque rigans lacrymis conjuncta Sororibus optat,
Ut hic vestra fides gaudia larga metat.
Felix Justino maneas cum principe conjux,
Ordine patricio cincta Sophia sacro.
Romula regna tenens tribuit sua jura senatus,
Teque sibi dominam plebs trabeata colat.
Vota superna Deus votis felicibus addat;
Nec vobis pereat, quod Radegundis amat.
Assiduo cauta quæ pulvere fusa precatur,
Temporibus largis ut tibi constet apex.
Voto, animo, sensu, studio bona semper agendo,
Sit tibi cura sui, sit memor illa tui.

coram quibus crebro fiebant miracula,

59 *Quandoquidem Fortunatus his versibus innuit, varios populos magna cum fiducia ad illud sanctæ Crucis lignum suppliciter honorandum concurrisse, haud dubie coram sacris hisce Domi-* B *nicæ Passionis reliquiis multa contigerunt, miracula, quorum nonnulla Gregorius Turonensis lib.* 1 *de Gloria martyrum cap.* 5 *sic oculato suo testimonio confirmat :* Crux Dominica, quæ ab Helena Augusta reperta est Hierosolymis, ita * quarta et sexta feria adoratur. Hujus reliquias et merito et fide Helenæ comparanda, regina Radegundis expetiit, ac devote in monasterium Pictavense, quod suo studio constituit, collocavit, misitque pueros iterum Hierosolymis, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes sepulcra sanctorum martyrum confessorumque cunctorum, reliquias detulerant : quibus in area argentea cum ipsa Cruce sancta locatis, multa exinde miracula conspicere meruit; de quibus primum illud exponam, quod ibidem Dominus in diebus Passionis duæ dignatus est revelare sexta feria ante sanctum Pascha. Cum in vigiliis sine lumine pernoctarent, circa horam tertiam noctis apparuit ante altare lumen parvulum in modum scintillæ; deinde ampliatum, huc illucque comas fulgoris spargens, cœpit gradatim in altum conscendere, effectaque pharus magna, obscuræ nocti vigilantique plebeculæ lumen præbuit supplicanti : illucescente quoque cælo, paulatim C delicieus, data terris luce, ab oculis mirantium evanuit.

* al. Hierosolymis sita

ut S. Gregorius Turonensis,

60 Ego autem audiebam sæpius, quod etiam lychni, quæ accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute divina, in tantum exundarent oleum, ut vas suppositum plerumque replerent; et tamen juxta stultitiam mentis duræ numquam ad hæc credenda movebar, donec brutam segnitiem ad præsens ipsa, quæ ostensa est, virtus argueret : ideoque quæ oculis propriis viderim, explicabo. Causa devotionis exstitit, ut sepulcrum sancti Hilarii visitans, hujus Reginæ adirem colloquia. Ingressusque monasterium consalutata Regina, coram adoranda Cruce ac sacris Beatorum prosternor pignoribus. Denique oratione facta surrexi. Erat enim ad dexteram lychnus accensus, quem cum stillis frequentibus defluere conspexissem, testor Deum, quia putavi, quasi vas esset effractum, quia ei erat concha supposita, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conversus ad abbatissam aio : Tantane te retinet mentis ignavia, ut integrum cicindilem (*hæc vox vario modo scribitur, et lampadem vitream significat, ut in recenso Cangii Glossario videre est*) laborare non possis, in quo oleum accendatur, nisi effractum, quo defluat, ponas? Et illa : Nec est ita, domine D mi, sed virtus est Crucis sanctæ, quam cernis. Tunc ego ad me reversus et ad memoriam revocans, quæ prius audieram, conversus ad lychnum, video in modum ollæ ferventis magnis fluctibus exundare, ac per oram ipsam undis intumescentibus superfluere, et, ut credo, ad incredulitatem meam arguendam magis ac magis augeri; ita ut unius horæ spatio plus quam unum sextarium redderet vasculum, quod quartarium non tenebat : admiratusque silui, ac virtutem adorandæ Crucis deinceps prædicavi.

testis oculatus affirmat.

61 Puellaque quædam, Chrodegildis nomine, dum post mortem patris in urbis Cenomannicæ territorio resideret, oculorum amissione multatur. Postquam autem ex jussione Chilperici regis, adhuc beata Radegunde regina superstite, ad antedicti monasterii transmisisset * regulam, ipsa Beatissima ostendente, ante sanctam prosternitur arcam; ibique cum reliquis sanctimonialibus vigilias explicans, dato mane, iisdem discedentibus prostrata solo in eodem loco quievit : apparuitque ei per visum, quasi aperiret aliquis oculos ejus et unum sanitati redditum, dum eum alio laboraret, subito ad ostii E reserati sonum expergefacta, unius oculi lumen recepit. Quod non ambigitur, hoc per Crucis virtutem fuisse præstitum. Energumeni, claudi, et alii quoque infirmi persæpe in hoc loco sanantur. *Nunc progrediamur ad exponenda media, quibus* S. Radegundis *usa est, ut stabilitali parthenonis Pictaviensis consuleret.*

* al. transmissa fuisset.

§ VI. Solicitudo Sanctæ, ut idem monialium cœnobium sub certa regula ac tutela præsulum regumque conservaret.

Dum Sancta tutelam episcopi Pictaviensis impetrare non potest,

Cum Maroveus episcopus monasterium Pictaviense in clientelam nollet suscipere, et S. Radegundis *abunde sciret cœnobia quæcumque sine vigilanti præsidum cura, aut sine certis legibus non posse diu subsistere, industria sua effecit, ut sanctimoniales Pictavienses fixam ac stabilem vivendi regulam amplecterentur, sicut Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 9 *cap.* 40 F *indicat his verbis :* Tempore Chlothacharii regis, cum beata Radegundis hoc monasterium instituisset, semper subjecta et obediens cum omni congregatione sua anterioribus fuit episcopis. . . . Post hæc cum pontificis sui sæpius gratiam quæreret, nec posset adipisci, necessitate commota cum abbatissa sua, quam instituerat, Arelatensem urbem expetiit, de qua regula sancti Cæsarii atque Cæsariæ beatæ suscepta, regis se tuitione munierunt, scilicet quia in illum, qui pastor esse debuerat, nullam curam defensionis suæ poterant reperire. *Ex his facile colligimus, Pictaviensem* S. Radegundis *congregationem usque ad hoc tempus sub privatis aut mutabilibus præsulum suorum decretis vixisse, et nulli publicæ aut certæ regulæ adstrictam fuisse.*

interim suum monialium cœnobium

63 *Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 570 *num* 3 *hæc et alia distinctius notat in hunc modum :* Ineunte hoc anno, Radegundis cum Agnete abbatissa Pictaviensi profecta est Arelatem : nam postquam lignum Dominicæ Crucis ab Eufronio Turonensium antistite suscepit, Marovei Pictaviensis episcopi gratiam frustra sæpius

A sæpius quæsivit, ac necessitate tandem commota longinquo itineri se commisit, ut, quam piissimi quique viri laudabant, regulam monialibus a beato quondam Cæsario præscriptam nancisceretur. Audi Gregorium Turonensem, qui non modo testatur ad hoc usque tempus sub regimine Pictaviensium pontificum fuisse monasterium, quod Radegundis Pictavii Clotario principatum tenente construxit, sed et expositione variorum negotiorum, quæ Sigiberto Pictavii post Charibertum regnante, et Maroveo Pictaviensem episcopatum regente, gesta sunt, egregie nostram confirmat chronologiam, quoad obitum Chariberti regis, et quoad res Pictavienses, post ejusdem Chariberti mortem hactenus recensitas.

munit certa ac fixa vivendi regula, 64 *Hisce subdit ipsum Gregorii textum, jam supra a nobis sparsim relatum, et ibidem numero sequente reddit rationem, ob quam regula S. Cæsarii præ aliis electa videatur*: Cur hoc anno regulam, *inquit*, quam sanctus Cæsarius Arelatensis quondam antistes monialibus præscripserat, monachæ Pictavienses observandam susceperint, hæc ratio præcipue potest afferri, quod in litteris ad B Radegundem laudata reperiatur ab episcopis Eufronio Turonensi, Prætextato Rotomagensi, Germano Parisiensi, Felice Nannetensi, Domitiano Andegavensi, Victorio Redonensi, et Domnolo Cenomanensi, qui Turonense concilium ante quadriennium cum duobus aliis pontificibus Caletrico Carnotensi et Leudebaude Sagiensi celebrarant. *Porro Cæsaria Arelatensis hanc regulam misit ad moniales Pictavienses, ut constat ex supra laudatis ejus abbatissæ litteris, in quibus apud Edmundum Martene tomo* I *Thesauri novi anecdotorum col.* 4 *et* 5 *ad* S. Radegundem *inter alia sic scribit*: Ego feci, quod præcepistis; transmisi exemplar de regula, quam nobis beatæ et sanctæ recordationis domnus papa Cæsarius fecit. Vos videte, quomodo eam custodiatis. Certa sit dominans caritas vestra, quia si secundum eam vixeritis, inter sapientes virgines locum accipietis *etc. Si quis nosse cupit, qualis fuerit illa S. Cæsarii regula, adeat Opus nostrum ad diem* XII *Januarii, ubi Bollandus eam in Vita S. Cæsariæ retulit, et in duodecim paragraphos distribuit. Postea lucas Holstenius in Codice Regularum parte* 2 *a pag.* 89 *eamdem S. Cæsarii regulam* C *edidit. Denique Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 536 *num.* 45 *et sequentibus varias ejusdem regulæ editiones inter se contulit, notisque illustravit.*

quam olim sanctimonialibus præscripserat 65 *Ut tamen etiam hoc loco curiosus lector aliquam de hac S. Cæsarii regula ideam habeat, compendium ejus transcribimus ex Mabillonio, qui in Annalibus Benedictinis lib.* I *cap.* 52 *agens de Arelatensi virginum cœnobio eamdem ita contraxit*: Soluta obsidione, inchoatum cœnobium redintegrare instituit *(nimirum S. Cæsarius præsul Arelatensis, de quo paulo superius egerat)* perfectoque sororem Cæsariam e Massiliensi parthenone, quo eam monasticis ritibus informandam direxerat, revocatam præfecit, regula sanctimonialibus secundum statuta sanctorum patrum præscripta. Prima hæc, ni fallor, monastica regula in gratiam sanctimonialium scripta est; cujus hæc prima lex erat, ut nulli usque ad mortem e monasterio egredi liceret. Infantes ibi nullæ ante annos sex aut septem admissæ. Litteras discebant omnes, atque omni tempore duabus horis, hoc est a mane usque ad horam secundam, lectioni vacabant, divinis cetera officiis ac labore communi, in primis lanificio occupatæ. Abbatissæ nec refectio nec mansio privatim permissa. Vestes non nigræ, contra quam viris; sed laiæ aut lactinæ id est nativi aut candidi coloris. Eleemosynas ad januam monasterii propter nimiam inquietudinem fieri vetuit, maluitque per provisorem ad abbatissæ nutum dispensari. Janua monasterii exterior nulla, præterquam basilicæ, quæ et ipsa vespertinis, nocturnis ac meridianis horis numquam patebat, ita ut ipsis horis, quibus reficitur, claves apud se abbatissa haberet; quod etiam de januis monasterii apud monachos alicubi hodie quoque observatur. Lectio non modo ad mensam, sed etiam tempore laboris communis fiebat. Librorum etiam scriptio nonnullis pro labore erat.

66 Pullorum esus non nisi infirmis concessus: aliæ carnes citra desperatam infirmitatem interdictæ. Ceterum cibaria seu fercula diebus jejunii tria, in prandiis bina, tertio haud dubie in cœnam reservato. In festivitatibus majoribus ad prandium et ad cœnam alia superaddita, et in fine dulciamina. Vini usus permissus pro infirmitate aut qualitate conditionis delicatioris. Singulis diebus, sive hiemis sive æstatis, bini caldelli seu calices; in diebus E jejunii ad refectionem terni, junioribus tantum bini concedebantur. Jejunia secunda, quarta et sexta feria a Kalendis Septembris; a Kalendis vero Novembris usque ad Natale Domini quotidie, exceptis festivitatibus et sabbatis. Ante Epiphaniam septena jejunia. Abhinc ad Quadragesimam non nisi feriis secundis, quartis, et sextis. Nullum a Paschate ad Pentecosten jejunium; deinceps ad Kalendas Septembris id abbatissæ discretioni relinquitur. Hæc est regula, quam beata Radegundis in Pictavensi sanctæ Crucis parthenone secuta est, tantopere a Venantio Fortunato aliisque laudata. *Postmodum moniales Pictavienses, et plura antiquioris instituti cœnobia regulam S. Benedicti assumpserunt.* *sanctus Cæsarius Arelatensis,*

67 *Vix scimus, quo fundamento Carmelitæ, aliique quidam Religiosi* S. Radegundem *ejusque congregationem Ordini suo adscribant. Joannes Baptista de Lezana in Annalibus Carmelitarum pedetentim procedit, ut hanc sanctam Matronam monialibus Carmelitanis annumeret: imprimis enim tomo* 3 *Annalium pag.* 192 *et* 193 *S. Cæsarium, cujus regulam sanctimoniales Pictavienses elegerunt, inter suos Carmelitas recenset hoc ratiocinio*: Pro iis tamen Orientalis ecclesiæ F non satis probatis monachis, Occidentalis Gallarum probatissimos plures enutriebat. In his veluti primus fuit Cæsarius Arelatensis episcopus, ex cœnobio Lirinensi monachus et abbas, cujus res praclare gestas ipsius discipulus Cyprianus scripsit apud Surium die XXVII Augusti. Nostris porro annumerandus, quia cum Basilianis nihil commune habebat, et Benedictinis anterior fuit..... Item Porcarius abbas, sub cujus disciplina Cæsarius in monastica mire profecit, eodem Cypriano teste. Quin, ut idem Cæsarius homilia XX dixit, insula illa Lirinensis innumerabiles montes (id est Sanctos) in cælum misisse cognoscitur... Hos vero monachos Lirinenses inter Elianos computandos esse, cum nullum nec vestigium sit existimandi alterius instituti fuisse, constat ex iis, quæ de Honorato ejus cœnobii primario parente diximus. *quem præsulem Lezana*

68 *Deinde pagina* 226 *ejusdem tomi S. Cæsariam et* S. Radegundem, *earumque congregationes, sub regula S. Cæsarii viventes, etiam suo Ordini ita accenset*: Item nec oblivioni tradenda sanctimonialis Cæsaria, relati Cæsarii soror, Massiliensis monasterii cultrix, imo propter- *simul cum sorore Cæsaria et S. Radegunde*

ea

AUCTORE G. C.

ea a nobis commemoranda: etenim hoc virginum Massiliæ collegium illud videtur esse, quod Joannes Cassianus ea in urbe erexit juxta Æliani instituti Ægypti et Palæstinæ normam, prout ex ipso diximus sub annum CDXXI. Fuit hæc sancta femina non imparis sanctitatis cum germano Cæsario, Arelatensis etiam cœnobii ab ipso constructi præfecta, Cæsarii regula quoque imbuta (ut vel hinc discamus, Basilianam non fuisse) et admirabili sanctitudine clara. Hæc ex Cypriano in Vita Cæsarii, Venantio lib. 8 Carminum, hausit Baronius sub annum DVIII; apud quem etiam de testamento Cæsarii, in quo præfati monasterii et sororis Cæsariæ mentionem habet, et eidem legat MANTUM MAJOREM, QUEM DE CANNABE FECIT ipsa. Ex quo conjiciat lector, vestibus albis usos fuisse tum Cæsarium, tum Cæsariam, Essenorum ritu. Commemoratur etiam ab eodem Venantio alia ejusdem regulæ et instituti sanctimonialis Radegundis, quæ Christi amore succensa Cæsarii monasticas institutiones lambebat. Qua loquendi phrasi sanctam hanc feminam perfectam observatricem ipsarum fuisse indigitat.

Ordini suo Carmelitico accenset,

B 69 *Denique Lezana eodem tomo 3 Annalium pag. 279 varios ejusdem gloriæ competitores assignat, et omnibus ratiunculis suis saltem utile monitum ita subnectit*: De monastica propagatione una Radegundis regina, hoc tempore ex hac vita ad cælestem ab angelis suscepta, transiens, et monasterium ab ipsa erectum, litteræque ab eadem in ejusdem cœnobii commendationem et curam ad episcopos, paulo ante obitum scriptæ, satis testantur. De illis Gregorius Turonensis lib. IX, et auctores Vitæ ejusdem Radegundis apud Surium XIII Augusti. Contendant merito illius temporis monachi, nostri videlicet, Basiliani, Augustinienses, et Benedictini pro tanta Monia-li, ejusque alumnis: nobis enim satis dictum in præcedentibus sufficiet. Et satius erit contendere, ut reginam monialem, mortificationi, ciliciis, abstinentiæ, aliisque virtutibus religiosis incumbentem, imitentur. *Nobis hæc postrema Lezanæ clausula magis placet, quam omnia ejus argumenta, quibus non multum confidere videtur Marcus Antonius Alegre de Casanate, Carmelita Hispanus, dum in Paradiso Carmelitici decoris pag. 216 sic scribit*: Scimus etiam sororem, Cæ-C sariam nomine, Cæsarium habuisse, virginem insignem, virginumque matrem (hortatu cujus Cyprianus discipulus res gestas Cæsarii conscripsit) quæ egregia claruit sanctitate, quam Cyprianus et Fortunatus inter feminas sanctitate insignes recensent. Item de eadem Gregorius Turonensis agit, et de regulis ejus, sub quibus sancta Radegundis regina, et aliæ monasticen exercuere. Sed quia nobis adhuc non extat *, an fuerint hæ virgines de Ordine nostro, aliis relinquimus addere nostris majora. *Ita ille hoc loco candide pronuntiat, licet alibi sæpius in Paradiso suo ad ineptias evagetur.*

* *forte constat*

aliis Religiosorum familiis eamdem gloriam ambientibus.

70 *Etiamsi* Radegundem inter sanctimoniales Augustinianas nonnulli autores enumerant, *ut Thomas de Herrera tomo 2 Alphabeti Augustiniani ad litteram R pag. 328 scribit, tamen hæc opinio non videtur in Ordine Augustiniano generatim recepta esse, quandoquidem ipse Herrera monasticæ ac regulari* S. Radegundis *professioni subjungat hoc suum judicium*: Ego crediderim, reginam Radegundem in peculiari Religione fuisse professam statum vitæ Religiosæ, sub propria divi Cæsarii regula, licet fere omni ex parte desumpta ex Augustiniana, et sub determinatis colorum speciebus. *Tandem eremita ille Augustinianus producit* D *nonnulla regulæ Cæsarianæ decreta, quibus niger vestium color expresse prohibetur, et pagina sequente contra quosdam Ordinis sui scriptores ex iis sic concludit*: Hæc autem nigri coloris exclusio non est conformis monialium Augustinianarum instituto. *Post hæc sane miramur, Augustinum Mariam Arpe in Pantheo Augustiniano, quod Genuæ anno 1709 edidit*, S. Radegundem *Ordini suo vindicare. Non discutimus hic operose singula horum aliorumque Ordinum argumenta, ne risum aut stomachum moveamus viris eruditis, qui frivolas hujusmodi concertationes jam dudum exploserunt. Quare hæc satis superque dicta sint de stabili regula, qua* S. Radegundis *cœnobium suum munivit, et quam moniales Pictavienses observarunt, donec ei regula Benedictina successit.*

Sancta consulens diuturnæ conservationi parthenonis

71 *Sancta nostra his similibusque piis curis distenta, paulatim properabat ad felicem obitum, ante quem firmitati monasterii sui Pictaviensis omnino prospicere cupiens, tutelam illius commisit præsulibus ac regibus Francis, ut intelligimus ex commendatitia ejusdem Sanctæ epistola, quam Gregorius Turonensis in Historia Francorum* E *lib. 9 cap. 42 recitat hoc tenore*: Domnis sanctis et apostolica sede dignissimis in Christo Patribus, omnibus episcopis, Radegundis peccatrix. Congruæ provisionis tunc roborabiliter ad effectum tendit exordium, cum generalibus patribus, medicis, ac pastoribus, ovilis sibi commissi causa auribus traditur, cujus sensibus commendatur: quorum participatio de caritate, consilium de potestate, suffragium de oratione ministrare poterit interventum. Et quoniam olim vinculis laïcalibus absoluta, divina providente et inspirante clementia, ad Religionis normam visa sum voluntarie, duce Christo, translata, hæc pronæ mentis studio cogitans etiam de aliarum profectibus, ut anuntiante Domino, mea desideria efficerentur reliquis profutura, instituente atque remunerante præcellentissimo domno rege Chlothario, monasterium puellarum Pictava urbe constitui, conditumque, quantum mihi munificentia regalis est largita, facta donatione dotavi.

quem Pictavii fundaverat,

72 Insuper congregationi per me, Christo præstante, collectæ regulam, sub qua sancta Cæsaria deguit, quam solicitudo beati Cæsarii antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum patrum convenienter collegit, adscivi: cui consentientibus F beatissimis vel hujus civitatis vel reliquis pontificibus, electione etiam nostræ congregationis domnam et Sororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui et educavi, abbatissam institui, ac me post Deum ejus ordinationi regulariter obedituram commisi; cuique, formam apostolicam observantes, tam ego quam Sorores de substantia terrena, quæ possidere videbamur, factis chartis tradidimus, metu Ananiæ et Sapphiræ, in monasterio positæ nihil proprium reservantes. Sed quoniam incerta sunt humanæ conditionis momenta, vel tempora, quippe mundo in finem currente, cum aliqui magis propriæ quam divinæ cupiant voluntati servire, zelo ducta Dei hanc suggestionis meæ paginam apostolatus vestri in Christi nomine superstes porrigo vel devota.

illum confert in clientelam

73 Et quia præsens non valui, quasi vestris provoluta vestigiis, epistolæ vicarietate prosternor, conjurans per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ac diem tremendi judicii, sic repræsentatos vos non tyrannus oppugnet, sed legitimus Rex coronet; ut si casu post meum obitum

A tum quæcumque persona, vel loci ejusdem pontifex, seu potestas principis, vel alius aliquis, quod nec fieri credimus, congregationem vel suasu malevolo vel impulsu judiciario perturbare tentaverit, aut regulam frangere, seu abbatissam alteram, quam Sororem meam Agnetem, quam beatissimi Germani, præsentibus suis Fratribus, benedictio consecravit, aut ipsa congregatio, quod fieri non potest; habita murmuratione mutare contenderit, vel quasdam dominationes in monasterio vel rebus monasterii quæcumque persona vel pontifex loci, præter quas antecessores episcopi, aut alii me superstite habuerunt, novo privilegio quicumque affectare voluerit; aut extra regulam exinde egredi quas tentaverit, seu de rebus, quas in me præcellentissimus dominus Chlotharius, vel præcellentissimi domni reges * filii sui contulerant, et ego ex ejus præceptionis permisso, monasterio tradidi possidendum, et per auctoritates præcellentissimorum domnorum regum Chariberti, Guntchramni, Chilperici, et Sigiberti cum sacramenti interpositione, et suarum manuum suscriptionibus obtinui confirmari; B aut ex his, quæ alii pro animarum suarum remedio, vel Sorores ibidem de rebus propriis contulerunt, aliquis princeps, aut pontifex, aut potens, aut de Sororibus cujuslibet personæ ausi minuere, aut sibimet ad proprietatem revocare sacrilego voto contenderit, ita vestram sanctitatem * successorumque vestrorum post Deum, pro mea supplicatione et Christi voluntate, incurrat; ut sicut prædones et spoliatores pauperum extra gratiam vestram habeantur: numquam de nostra regula, vel de rebus monasterii, obsistentibus vobis, imminuere valeat aliquid aut mutare.

* al. regis

* forte iram vestræ sanctitatis

præsulum

74 Hoc etiam deprecans, ut cum Deus prædictam domnam Sororem nostram Agnetem de seculo migrare voluerit, illa in loco ejus abbatissa de nostra congregatione debeat ordinari, quæ Deo et ipsi placuerit, custodiens regulam, et nihil de proposito sanctitatis imminuat: nam numquam * propria aut cujuscumque voluntas præcipitet *. Quod si, quod absit, contra Dei mandatum et auctoritatem regum aliquis de suprascriptis conditionibus coram Domino et Sanctis ejus precabiliter commendatis agere, aut memoratæ Sorori meæ Agneti abbatissæ molestias aliquas inferre tentaverit, Dei et sanctæ Crucis et beatæ Mariæ incurrat judicium, et beatos confessores C Hilarium et Martinum, quibus post Deum Sorores meas tradidi defendendas, ipsos habet contradictores et persecutores. Te quoque, beate pontifex, successoresque vestros, quos patronos in causa Dei diligenter adscisco, si, quod absit, exstiterit, qui contra hæc aliquid moliri tentaverit, pro repellendo et confutando Dei hoste non pigeat ad regem, quem eo tempore locus iste respexerit, vel ad Pictavam civitatem pro re vobis ante Dominum commendata, percurrere, et contra aliorum injustitiam exsecutores et defensores justitiæ laborare, ut tale nefas nullo modo suis admitti temporibus rex patiatur catholicus, nec convelli permittat, quod Dei et mea, et regum ipsorum voluntate firmatum est.

** al. nonnumquam præcipitat.

regumque Francorum,

75 Simul etiam principes, quos Deus pro gubernatione populi post decessum meum superesse præceperit, conjuro per Regem, cujus regni non erit finis, et ad cujus nutum regna consistunt, qui eis donavit ipsum vivere vel regnare, ut monasterium, quod ex permisso et solatio domnorum regum patris vel avi eorem construxisse visa sum, et ordinasse regulariter vel dotasse, sub sua tuitione et sermone una cum Agnete abbatissa jubeant gubernare; et a nullo neque sæpe dictam abbatissam nostram, neque aliquid ad nostrum monasterium pertinens molestari aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant; sed magis pro Dei intuitu una cum domnis episcopis ipsi, me supplicante coram Redemptore gentium, sicut eis commendo, defensari jubeant et muniri; ut in cujus honore Dei famulas protegunt, cum defensore pauperum et sponso virginum perpetualiter æterno socientur in regno.

scriptis in hanc rem patheticis litteris,

76 Illud quoque vos sanctos pontifices et præcellentissimos domnos reges et universum populum Christianum conjuro per fidem Catholicam, in qua baptizati estis, et ecclesias, quas conservatis, ut in basilica, quam in sanctæ Mariæ dominicæ Genitricis honorem cœpimus ædificare, ubi etiam multæ Sorores nostræ conditæ sunt in requie, sive perfecta, sive imperfecta, cum me Deus de hac luce migrare præceperit, corpusculum meum ibi debeat sepeliri. Quod si quid aliud inde voluerit, aut fieri tentaverit, obtinente Cruce Christi et beata Maria, divinam ultionem incurrat; E et vobis intercurrentibus, in loco ipsius basilicæ merear cum Sororum congregatione obtinere loculum sepulturæ. Et ut hæc supplicatio mea, quam manu propria subscripsi, in universalis Ecclesiæ archivo servetur, effusis cum lacrymis deprecor: quatenus si contra improbos aliquos necessitas exegerit, ut vestra defensione Soror mea Agnes abbatissa vel congregatio ejus, quo succurri sibi poposcerint, vestræ misericordiæ pia consolatio opem pastorali solicitudine subministret; nec de me destitutas se proclament, quibus Deus præsidium vestræ gratiæ præparavit. Illud vobis in omnibus ante oculos revocantes, per ipsum, qui de Cruce gloriosa Virginem suam Genitricem beato Johanni apostolo commendavit, ut qualiter ab illo completum est Domini mandatum, sic sit apud vos quod indigna et humilis domnis meis ecclesiæ patribus et viris apostolicis commendo: quod cum dignanter servaveritis depositum, meritis participes, cujus impletis mandatum apostolicum, digne reparetis exemplum. *Hactenus S. Radegundis tamquam præsaga turbarum, quæ non diu post obitum ejus in eodem monasterio exortæ sunt, et quas in Historia Francorum lib. 9* F *cap. 39 et sequentibus fuse narrat Gregorius Turonensis, qui etiam ea occasione has ipsas litteras posteritati conservavit.*

quas Mabillonius contra alios serius differendas putat,

77 *Quidam auctores paragrapho præcedente citati opinantur, has litteras a Sancta ad concilium Turonense datas fuisse, ut ibi initio istius paragraphi diximus. Sed præter alia variorum scriptorum argumenta, quæ ibi allegavimus, Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. 7 cap. 42 post brevem earumdem litterarum synopsin opponit iis adversariis sequentia:* Erunt fortasse, qui existiment, hanc epistolam eam esse, quam Radegundis Patribus in secundo Turonensi concilio congregatis scripsit; cui epistolæ respondeat ea, quam ejusdem consilii Patres ad eam rescripserunt, superius a nobis laudatam, ubi de prædicta synodo egimus. Verum serius haud dubie, et quidem jam adulta virginum congregatione, ut ex ejus contextu patet, hæc Radegundis epistola exarata est; illa vero Turonensis concilii Patrum responsio IN INITIO HUJUS CONGREGATIONIS, teste Gregorio, scripta fuit. Ad hæc in prædicta Radegundis epistola fit mentio BEATISSIMI GERMANI, uti jam mortui, cum is unus sit episcoporum,

AUCTORE G. C.

porum, qui responsionem concilii subscripserunt.

et quarum subscriptiones, ut etiam duo diplomata, Cointius fictionis arguit.

78 *Ceterum Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi 587 num, 5 monet, nullam fidem adhibendam esse subscriptionibus ejusdem epistolæ, quæ sub nomine testamenti sive ultimæ voluntatis post historiam Aquitanicam edita est: nam varii errores occurrunt in supposititium istud additamentum, ut hic annalista evidenter demonstrat. Præterea ibidem Cointius de duobus diplomatibus, quæ post camdem historiam Aquitanicam excusa sunt, sic meminit:* Apud eumdem auctorem pro basilica, cui nomen sanctæ Radegundis inditum fuit; duo leguntur diplomata; unum Clotarii regis, alterum Childeberti, Gontrani, Sigiberti, et Chilperici regum. Neutri fides est habenda. *Tum solidis argumentis evincit, utrumque hoc diploma esse fictitium, aut interpolatum. Nos brevitatis causa hic prætermittimus illa diplomata, iisque opposita argumenta, tum quod res ista ad Sanctam nostram proxime non spectet, tum quod hæc omnia apud memoratum historiæ Aquitanicæ editorem et in Annalibus Cointii loco assignato facile inveniri possint.*

B

§ VII. Annus mortis, honorifica Sanctæ sepultura, sacræ reliquiæ, miracula, et quædam Pictaviensium de illa traditiones examinantur.

Contra quosdam auctores ostendimus,

Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis mortem S. Radegundis *refert ad annum Christi* 590, *habetque quosdam incautos opinionis suæ sectatores. Sed imprimis error hujus chronologiæ demonstrari potest ex Chronico Turonensi, quod apud Edmundum Martene in Collectione amplissima veterum scriptorum et monumentorum tomo* 5 *col.* 913 *de obitu ejusdem Sanctæ tradit sequentia:* Anno Mauricii imperatoris sexto, sancta Radegundis regina moritur, et in monasterio virginum, quod ipsa Pictavis ædificaverat, per manum beati Gregorii Turonensis episcopi honorifice sepelitur: in quo loco longum

C

martyrium jejuniis et diversis carnis afflictionibus, ultra quam credi potest, Deo semetipsam mactavit; cujus Vitam Fortunatus rhetor pulchro sermone depinxit. *Quod hic de loco sepulturæ perperam dicitur, postea ex ipso Gregorio Turonensi accuratius referemus. Ceterum Labbeus et Pagius, aliique exactiores chronologi annum Mauricii imperatoris sextum, qui in hoc Chronico morti* S. Radegundis *assignatur, cum anno Christi* 587 *recte conjungunt.*

Sanctam anno Christi 587 obiisse,

80 *Præterea eumdem mortis annum eruimus ex Gregorio Turonensi, qui in Historia Francorum lib.* 9 *cap.* 2 *sic scribit:* Eo anno *(nimirum* duodecimo Childeberti regis, *quem hic auctor superius lib.* 8 *cap.* 43 *notaverat)* beatissima Radegundis ab hoc mundo migravit; quæ magnum planctum in monasterio, quod constituerat, dereliquit: fuique et ego præsens ad eam sepeliendam. Obiit autem mense sexto *(Gregorius a mense Martio annum numerare incipit, adeoque Augustus erat ei sextus anni mensis, teste Pagio)* tertia-decima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes apparuerunt, et qualiter fuerit funerata, in libro Miraculorum plenius scribere studui. *At annus duodecimus* D *Childeberti regis respondet anno Christi* 587, *ut Petavius, Valesius, Labbeus, Cointius, aliique chronologi et historici communi consensu affirmant. Denique hic verus mortis annus invicte probatur ex Baudonivia moniali coæva, quæ infra in Actis* S. Radegundis *num.* 35 *eumdem diem ac mensem exprimit, scilicet decimum tertium mensis Augusti, illumque in feriam quartam incidisse testatur. Cum autem tunc curreret littera Dominicalis* E, *consideranti evidenter constabit, anno Christi* 587 *diem decimum tertium Augusti in feriam quartam incidisse. Hinc ulterius liquet, obitum* S. Radegundis *cum anno duodecimo Childeberti regis, et anno sexto imperatoris Mauritii recte conjungi. Ex his etiam facile et secure judicavimus de morte S. Juniani abbatis, quem* S, Radegundis *magni faciebat, et qui eodem anno eodemque die cum ipsa ad Superos migravit, ut in Actis illius Sancti supra narratum est.*

ac tunc honorifice sepultam esse

81 *Hisce tricis chronologicis expediti pergimus ad honorificas Sanctæ nostræ exsequias, quas Gregorius Turonensis, testis oculatus, in libro de Gloria confessorum cap.* 106 *describit his verbis:* E Beata vero Radegundis, cujus in initio libri Martyrum meminimus, post emeritos vitæ labores ab hoc mundo migravit; de cujus transitu accipientes nuntium, ad monasterium Pictaviensis urbis accessimus, quod ipsa instituerat. Reperimus autem eam jacentem in feretro, cujus sancta facies ita fulgebat, ut liliorum rosarumque sperneret pulcritudinem. Stabat enim circa feretrum multitudo immensa sanctimonialium, ad numerum circiter ducentarum, quæ per illius prædicationem conversæ vitam sanctam agebant, quæ secundum seculi dignitatem non modo de senatoribus, verum etiam nonnullæ de ipsa regali stirpe hac Religionis forma florebant.

cum ingenti monialium Pictaviensium dolore,

82 Stabant autem plangentes atque dicentes: Cui nos orphanas Mater relinquis? Cui nos desolatas commendas? Reliquimus parentes facultatesque, ac patriam, et te secutæ sumus. Cui nos relinquis, nisi perpetuis lacrymis, et numquam finiendo dolori? Ecce usque nunc majus nobis erat hoc monasterium, quam villarum aut civitatum spatia; quæ quocumque loco accedebamus, contemplantes gloriosam faciem tuam, ibi inveniebamus aurum, ibi argentum; ibi suspiciebamus F florentes vineas, segetesque comantes; ibi prata diversorum florum varietate vernantia. A te carpebamus violas; tu nobis eras rosa rutilans, et lilium candens: tua nobis verba, quasi sol, resplendebant, et quasi luna tenebris conscientiæ nostræ lucidam veritatis lampadem accendabant. Nunc autem contenebrata est nobis omnis terra, angustatum est spatium hujus loci, dum tuam faciem non meremur aspicere. Heu nos derelictas a sancta Matre! felicesque illas, quæ te superstite ab hoc seculo migraverunt! Et scimus quidem, te choris sanctarum virginum et Dei paradiso esse conjunctam; sed cum ex hoc consolamur, illud nobis est lamentabile, quod te corporeis oculis intueri non possimus.

quem S. Gregorius Turonensis, testis oculatus,

83 Hæc et alia inter lamenta dicentibus, cum a lacrymis temperare non valeremus, conversus ad abbatissam aio: Sinite parumper ab his fletibus, et ea potius, quæ sunt necessaria, pertractate. Ecce frater noster Maroveus, hujus urbis episcopus, non est coram, eo quod illum causa visendarum parœciarum elongaverit. Nunc autem habete consilium, ne sanctum corpusculum *in*juriam patiatur; et gratia, quam Deus beatis artubus præstitit, auferatur, dum tempus sepulturæ

A ræ differtur. Accelerate debitas exsequias, ut sepulchro cum honore reddatur. Ad hæc abbatissa respondit : Et quid faciemus, si episcopus urbis non advenerit ? Quia locus ille, quo sepeliri debet, non est sacerdotali benedictione sacratus. Tunc cives et reliqui viri honorati, qui ad exsequias beatæ Reginæ convenerant, imperant parvitati meæ, dicentes : Præsume de caritate Fratris tui, et benedic altare illud; confidimus enim de ejus benevolentia, quod molestum non ferat, si feceris, sed magis gratiam referat. Præsume, precamur, ut caro sancta sepulturæ reddatur. Et sic ab illis injunctus altare in cellula ipsa sacravi.

singillatim describit.

84 Verum ubi sanctum corpus moventes, psallendo deducere cœpimus, mox energumeni declamantes, et Sanctam Dei confitentes, torqueri se ab ea fatebantur. Transeuntibus autem nobis sub muro, iterum caterva virginum per fenestras turrium, et ipsa quoque muri propugnacula, voces proferre ac lamentari desuper cœpit, ita ut inter sonos fletuum atque collisiones palmorum, nullus posset a lacrymis temperare; sed et ipsi quoque clerici, quorum erat psallendi officium, vix B inter singultus et lacrymas antiphonam poterant explicare. Dehinc accedimus ad sepulcrum. Nam providentia abbatissæ capsam ligneam fecerat, in qua corpus aromatibus conditum incluserat, et ob hoc fossa sepulturæ spatiosior erat; ita ut ablatis duorum sepulcrorum singulis spondis, ac de latere juncta capsa cum sanctis artubus locaretur. Tunc facta oratione discessimus, reservantes episcopo loci, ut ab eo, celebrata Missa, tegeretur operculo. Redeuntes vero ad monasterium, ducebat nos abbatissa cum virginibus per loca singula, in qua Sancta aut legere consueverat, aut orare, lugens ac dicens : Ecce ingredimur in cellulam, et Matrem amissam non reperimus. Ecce spatium, in quo flecteus genua cum lacrymis Dei omnipotentis misericordiam precabatur, et a nobis non videtur. Ecce librum, in quo legebat, et vox spiritali sale condita non verberat aures nostras. Ecce fusa, in queis per longa jejunia et profluas lacrymas nectere solita, et almi sanctitate digiti non cernuntur. Hæc illis dicentibus, renovantur lacrymæ, suspiria proferuntur, et ipsa quoque viscera ab affectu plorantium resolvuntur C in fletum. Tantusque mœror pectus meum obsederat, ut a lacrymis non desisterem, nisi scirem beatam Radegundem ablatam monasterio corpore, non virtute; et adsumptam a mundo, collocatam in cælo.

Corpus Sanctæ usque ad annum 1562 Pictavii quievit,

85 *In hac ecclesia conservatum fuit sacrum cadaver* S. Radegundis *usque ad annum Christi* 1562, *quo furentes Calvinistæ illud impia rabie combusserunt, ut Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* I *pag.* 334 *post Vitam hujus Sanctæ breviter notavit his verbis* : Porro sanctæ Reginæ reliquiæ, quas ob personæ dignitatem etiam barbaris honori esse oportebat, magna ex parte una cum sancti Hilarii sacris exuviis anno MDLXII ab hæreticis incendio plus quam sacrilego traditæ sunt. *Dum statim diximus, corpus* S. Radegundis *a prima sepultura usque ad annum Christi* 1562 *in ecclesia illa Pictaviensi conservatum fuisse, hæc assertio accommode de majori temporis spatio intelligenda est : non enim ignoramus, illud in Quintiacensi Benedictinorum monasterio, quod non procul Pictavio distat, ob crebras subitasque Normannorum irruptiones aliquamdiu delituisse ac postea ad pristinam sepulturam relatum esse, ut discimus ex Andrea Saussayo, qui in Martyrologio suo Gallicano annuam hujus rei memoriam die* XXVIII *Februarii sic annuntiat* : Pictavis revectio et repositio corporis sanctæ Radegundis, ex Francorum regina sanctimonialis et abbatissæ, ex Quintiaco monasterio, ubi, grassantibus Normannis, pridem fuerat delatum, atque ad tempus, ne profanaretur, reconditum. *Insuper in Florario Ms. nostro ad diem* XI *Februarii et* XXIV *Octobris duplex ejusdem Sanctæ translatio commemoratur.*

et adhuc anno 1412 dicitur integrum apparuisse,

86 *Etsi determinare non possimus certum harum translationum tempus, et prætera nesciamus, quali in statu tunc fuerit sacrum* S. Radegundis *cadaver, tamen ex Joanne Bouchelo, aliisque recentioribus nonnullis scriptoribus Gallis intelligimus, adhuc illud anno Christi* 1412 *integrum et incorruptum in tumulo suo Pictaviensi apparuisse, ut superius alia occasione ex Raynaudo nostro retulimus, et hic repetimus ex Simone Peyronetto, doctore theologo et parocho Tholosano, qui in notis ad suum Catalogum Sanctorum et Sanctarum sub nomine* Radegundis *pag.* 497 *eamdem rem ita narrat* : Ejus loculus post annos octingentos, ac duodeviginti, et menses novem et dies tredecim a tumulato intra illud sacro E corpore reseratus est, et corpus repertum est mire fragrans ac plane incorruptum; et cum Joannes Dux Biturigum, princeps regii sanguinis annulos duos digitis insertos prehendere tentasset, regalem facile abstulit; monasticum, quo moniales veluti sponsas Christi ex usu erat insigniri, renitente sancta Regina, auferre nequivit. An vero ex hac cadaveris incorruptione recte intulerit Josephus de Monteil lib. I de Vita sanctæ Radegundis cap. 7, eam in conjugio cum Clotario perseverasse virginem, tametsi, cum nupta fuit, ætate florentem nec a viro secubantem, alterius est disquisitionis. *Nos supra* § 3 *de hac quæstione sat fuse disputavimus. Porro hoc loco quæritur, quid censendum sit de historia mox relata, quam consultissimus D. Joannes Filleau cap.* 25 *Operis jam laudati sæpiusque infra laudandi auctoritate Boucheti, aliisque argumentis probare conatur. Nos illam cadaveris fragrantiam, et mirabilem unius annuli retentionem, aliasque narrationis hujus circumstantias haud gravate admittimus propter testimonium Joannis Boucheti, qui a temporibus rei gestæ non adeo remotus fuit, eamque ex testibus ætati isti vicinis audire potuit.* F

quæ integritas de aliquibus membris explicanda est.

87 *At illam sacri corporis integritatem et incorruptionem tantum de quibusdam membris explicare oportebit, si aliqua ejusdem Sanctæ ossa jam diu ante annum Christi* 1412 *monachis sancti Benigni Divionensis communicata fuerint, ut diserte testatur vetus Chronicon hujus monasterii quod in prima editione Spicilegii Dacheriani tomo* I *pag.* 435 *inter alia sic habet* : Ad hoc, haud longe reperta est sancta Radegundis, habens ad caput titulum sui nominis in lamina plumbea; cujus ossa cerato involuta linteo sunt inventa in capsa lignea in terra recondita. *Hic autem agi de* S. Radegunde *nostra, patet ex Martyrologio ejusdem monasterii Divionensis, quod* Nonis Julii *præter alios Sanctos celebrat annuam memoriam* sanctarum Radegundis REGINÆ; et Paschasiæ virginis, *quarum reliquiæ eodem die* VII *Julii translatæ sunt, ut in Usuardo nostro illustrato ad hanc diem notavimus. Quod si Pictavienses his monumentis non acquiescant, ipsi antiquiora proferant et monachis Divionensibus intentent litem, quam nos defectu certioris notitiæ jam aliter decidere non possumus. Etiam ex adjuncto* reginæ *titulo colligimus, sermonem esse de Sancta nostra, quando*

AUCTORE G. C.

do Hugo Pictavinus lib. 4 Historiæ Vizeliacensis
in eadem Spicilegii Dacheriani editione tomo 3
pag. 617 *inter alias sacras reliquias hujus mona-*
sterii recenset unam massam de capillis sanctæ Ra-
degundis reginæ. *Non scimus, quales sint reliquiæ*
S. Radegundis, *quas Bartholomæus Piazza in He-*
merologio suo ad hanc diem Romæ templo nostro
S. Ignatii assignat. Rayssius in Hierogazophyla-
cio Belgico pag. 42 *mentionem facit* de velo san-
ctæ Radegundis reginæ, *Quod Duaci in ecclesia*
S. Amati conservatur. Nobis non vacat indagare
alias minores ejusdem Sanctæ exuvias, quæ forte
ante annum 1562 *ad alias regiones delatæ fuerant*
aut sacrilegam Calvinistarum furorem effuge-
runt. Saltem nulla S. Radegundis *ossa, quantum*
scio, hodiedum Pictavii ostenduntur.

Præter miracula manifesta, quæ per reliquias Sanctæ contigerunt,

83 *Attamen moniales Pictavienses præter re-*
liquias sanctæ Crucis, quas S. Radegundis *ex*
Oriente accepit, et antiquam ejusdem Sanctæ cel-
lam, monstrant pretiosum scyphum : quem solum
sancta matrona ex regia sua supellectile servavit,
et quem mihi in eodem monasterio videre contigit
dum anno 1721 *per urbem Pictaviensem in Hi-*
spaniam proficiscebar. Consultissimus D. Joannes
C *Filleau in Probatione historica Litaniarum Picta-*
viensium cap. 20 *etiam meminit de eodem scypho,*
ibidemque addit, ægros ex hoc aquam haurientes,
sæpe mirabiliter sanitatem consequi. Quidquid sit
de hac generali et vaga miraculorum fama, ex
veteribus instrumentis constat, per intercessionem
S. Radegundis *coram tumulo ejus multa peculia-*
ria prodigia contigisse. Decreveram Actis subne-
ctere hæc antiquiora miracula, quæ ab illustris-
simo præsule Pictaviensi examinata fuerant, et
apud Canonicos regalis ecclesiæ in veteri manu-
scripto Latine conservantur : nam proxime cita-
tus scriptor Gallus pag. 125 *ejusdem lucubratio-*
nis suæ testatur, sibi illud manuscriptum Lati-
num ab istis Canonicis commodatum fuisse, et ex
eo quædam miracula seculi decimi tertii Gallice
contraxit. Cum hæc legissem, jam a biennio aut
triennio per litteras Pictavium recurri, ut fidele
apographum istius manuscripti Latini obtinerem.
Sed cum nihil impetraverim, æquus lector facile
intelligit, hanc posthumam Sanctæ gloriam ne-
gligentia nostra non esse prætermissam.

Pictavienses narrant prodigium de avena,

C 89 *Laudatus D. Joannes Filleau cap.* 8 *pro-*
xime citati Operis refert famosum Pictaviensium
traditionem, eamque confirmat ex Lectione quin-
ta Officii proprii, quæ quotannis die ultima Fe-
bruarii in ecclesia regali S. Radegundis *et in mo-*
nasterio sanctæ Crucis ita recitatur : Cum autem
ad beatam Radegundem, in villa Saedas, quam
a conjuge rege acceperat, residentem, nuntia-
tum esset, brevi affuturum Clotarium, quo eam
in regiam civitatem conjugiumque revocaret, ef-
fugit. Verita autem, ne deprehenderetur, agri-
colæ, in quem forte iter faciens incidit, ave-
nam serenti imperavit, ut interrogatus, si quem
vidisset illac iter habentem, vere responderet,
neminem prorsus transisse, ex quo suam semina-
ret avenam ; statim autem illa stupendo prorsus
miraculo in tantam excrevit altitudinem, ut in ea
Regina tuto posset abscondi. Quo rex ubi perve-
nit, et rei gestæ seriem edoctus, consilium simul
iterque deponit. *Hoc Officium a theologis exami-*
natum et anno 1617 *ab episcopo Pictaviensi ap-*
probatum fuit, ut idem consultissimus scriptor
capite citato notat.

90 *Sed etiamsi sit tam recens hujus prodigii ap-*
probatio, tamen antiquior est illius traditio : nam
Antonius Beaugendre similem historiam inter
Opera venerabilis Hildeberti col. 908 *et sequen-* D
tibus edidit ex codice Ms. Pictaviensi, cui inserta
est præfatio ante Acta S. Radegundis, *in qua præ-*
ter alia, quæ huc non spectant, ad rem præsen-
tem leguntur sequentia : Postremo, cum in villa
Suedas, in territorio Pictaviensi sita, accederet,
nuntiatum est ei, quod rex eam vellet suo revo-
care conjugio. Et, sicut ex antiquorum relatu
compertum est, ipsa Beata confestim iter arri-
piens, obvium quemdam habuit agricultorem,
avenam serentem, quem his verbis ita affata est :
Si a quoquam interrogatus fueris, an nudius ter-
tius ibi aliquem, transitum facientem, perspexe-
ris, firmiter responde, quod nemo ab hora illa
in hujusmodi pertransierit itinere, cum hanc se-
minares avenam. Et nutu divino ipsa avena subi-
to est aucta, ut præfatam Reginam in eamdem li-
ceret abscondere. Moxque rex prælibatus, cum
ad prædictum pervenisset locum eumdem inter-
rogavit agricolam, qui serie tenus cuncta, quæ
a beata Regina audierat, sagaciter enarravit. Tunc
rex accepto ab agricultore responso, intuensque
miraculi seriem, terga versus est, malens uxo-
rem dimittere propriam, quam Dei offendere cle-
mentiam. E

quæ in gratiam S. Radegundis

subito excreverit,

91 *Ne quispiam specioso codicis manuscripti*
nomine decipiatur, laudatus editor Benedictinus
post lucubrationem venerabilis Hildeberti de
Actis S. Radegundis, *quam infra recudemus, et*
ante relatam præfationem, cujus partem numero
præcedente exhibuimus, lectorem ita monet : Huic
autem de Vita sanctæ Radegundis opusculo, ex
altero manuscriptorum Pictaviensium desumpto,
non abs re fore censuimus, si illi attexeremus præ-
fationem, quæ legitur in altero, nobis amice
transmisso a nostro D. Leonardo Senemaud, mo-
nasterii sancti Cypriani Pictaviensis nostræ con-
gregationis monacho, a quo et iconem sanctæ
Radegundis in initio positam, et ejus cura graphi-
ce descriptam habuimus, quique post Stephanoti-
um præfatos manuscriptos iterum exactissime re-
censuit. Hæc autem præfatio favere videtur cele-
bri apud Pictavos traditioni de miraculo avena-
rum, quæ, ut tradunt, et ut hic narratur, ita
subito miraculose excreverunt, ut inter eas abdi-
ta fuerit sancta Radegundis, dum regem Chloto-
carium sive Clotarium, illam e monasterio ad pa- F
latium et pristinum conjugium revocare cupien-
tem fugeret. Cum tamen hujus circumstantiæ ne-
que Gregorius Turonensis meminerit, neque For-
tunatus sanctæ Reginæ amicissimus, neque Bau-
donivia ipsi æqualis et familiaris monacha, qui ad
minutias usque Vitam ejus descripserunt, sed ne-
que post ipsos noster Hildebertus, videat lector,
quid de hujusmodi traditione judicet. *Quamvis*
hoc loco editor judicium de hac re videatur omni-
no penes lectorem relinquere, tamen in indice
ejusdem editionis ad nomen S. Radegundis *etiam*
suam mentem clarius aperit his verbis : Miracu-
lum avenarum, quibus subito crescentibus, tra-
ditur sancta Regina se occultasse 908. Valde du-
bium ibid. n. *Cum itaque venerabilis Hildebertus*
de hac traditione non meminerit, adeoque post
seculum duodecimum verosimiliter exorta sit,
propter silentium veterum auctorum requirimus
certiora et antiquiora monumenta, priusquam ei
firmam fidem historicam adhibeamus.

et alterum de vestigio Christi, lapidi impresso,

92 *Apud Pictavienses sanctæ Crucis moniales*
viget altera traditio, et in quodam sacello osten-
ditur lapis, cui Christus S. Radegundi *apparens*
impressum pedis sui vestigium reliquisse dicitur.
Unde hic locus ab incolis vernacule, Pas-Dieu, *id*
est

A est Passus Dei *communiter appellatur. Prædictæ moniales annuam hujus apparitionis memoriam die tertia Augusti celebrant Officio proprio, et in fine Lectionis sextæ memoratam traditionem recitant his verbis :* Ex majorum vero traditione ad nos usque transmissa accepimus, Christum pedis sui vestigium, quod adhuc exstat, vulgoque Dei passus nuncupatur, lapidi, cui orans Regina genibus flexis hærere solebat, impressum reliquisse; inde, recurrente in singulos annos memoria, tertio Augusti tantæ apparitionis solennitas, a majoribus ad hoc tempus usque deducta,, præcipuo cultu celebrari solet in ejusdem sanctæ Reginæ monasterio. *Hæc didicimus ex consultissimo D. Joanne Filleau, qui cap.* 10 *supradicti Operis hanc traditionem ex quodam Ms. chronico incertæ ætatis confirmare nititur, et ibidem pro ea recentiores nonnullos scriptores allegat. At certe mirum est, Baudoniviam coævam, quæ infra apud nos num.* 34 *hanc ipsam Christi apparitionem refert, de impresso pedis vestigio non meminisse. Etiam summopere miramur, Gregorium Turonensem tacuisse* B *de impressione hujus vestigii, quod haud dubie ei monstrassent sanctimoniales, quando ab ipsis post obitum* S. Radegundis *deductus fuit per singula monasterii loca, in quibus Sancta legere aut orare consueverat, ut superius num.* 84 *fusius ex ipso retulimus.*

sed non satis constat de utroque hoc traditione,

93 *Verum huic argumento negativo opponi potest revelatio venerabilis Mariæ de Malliaco, cujus Acta majores nostri ad diem* XXVIII *Martii illustrarunt, ubi tomo* III *istius mensis pag* 758, *in Processu pro canonizatione piæ istius mulieris, ex jurato testimonio presbyteri Turonensis juridice referuntur sequentia :* Item deponit, quod per dictam dominam fuit sibi revelatum, quod ipsa domina in anno nonagesimo secundo *(videlicet supra millesimum trecentesimum)* circa festum Corporis Christi, cum dicto confessore suo desiderans visitare limina beatæ Radegundis, Pictavis adivit; et cum intrasset ecclesiam in monasterio sanctæ Crucis Pictaviensis, ubi est sanctum vestigium pedis Christi, gratia humilitatis reputans se indignam appropinquare vestigium prædictum, prostravit se in oratione in parte inferiori dictæ ecclesiæ longe ab eodem vestigio. Sed sic orando subito fuit deportata usque ad locum vestigii C supradicti, et inibi vidit pedem Christi vulnerati, viditque faciem incensam, quæ a pede usque ad verticem inflammata ardebat : ulterinsque vidit unam scalam erectam, per quam sancta Radegundis ascendebat in cælum, et per hoc intelligebat, quod sancta Radegundis per gradus humilitatis ascenderat in cælum, *Licet ex revelationibus mulierum ecstaticarum quæstiones historicæ definiri non possint, ut Papebrochius noster tomo* VI *Maii a pag.* 246 *et alibi docuit, nihilominus libenter fatemur, huic traditioni non leve pondus addi ex illa cælesti piissimæ feminæ visione, in qua nihil absonum aut historiæ contrarium reperitur. Quapropter istam monialium traditionem, aliquali fundamento nixam, prorsus rejicere non possumus. Cum tamen auctores æquales et suppares altum sileant de hoc visibili Christi vestigio, quod ipsis ignotum esse non potuit, secure illud, tanquam certum hujus apparitionis indicium, admittere non audemus. His denique nunc tertiam levioris aut forte nullius momenti traditionem subjungemus.*

94 *Ludovicus Morerius in Dictionario historico ad nomen Gallicum* Poictiers *notat, non procul Pictavio in via, quæ ad urbem Bituricensem ducit, jacere ingens saxum, quatuor aliis lapidibus innixum, (nonnulli quinque lapides minores huic majori suppositos numerant) quod accolis vernacule* la pierre levée *vocatur, et cui inscriptum est sequens carmen distichon :*

auctore G. C. cui aliqui addunt tertiam, quæ plane fabulosa videtur.

Hic lapis ingentem superat gravitate Colossum,
Ponderis et grandi sidera mole petit.

Teste eodem Morerio, quidam indigenæ de hac lapidea mole narrant fabellas ridiculas, quæ non multum cedunt figmentis Francisci Rabelais, satyrici scriptoris Galli, qui in fabulosa sua Pantagruelis historia de eodem saxo meminit et comminiscitur nonnulla, quæ hic referri non merentur. Aliqui ex memoratis indigenis inter alia tradunt, lapides illos a Sancta nostra ad hunc locum delatos fuisse, ut testatur Judocus Sincerus in Latino suo Galliæ Itinerario, quod ibidem a Momerio, et ab editoribus novissimis Galliæ Christianæ tomo 2 *col.* 1136 *citari videmus : nam Judocus iste in Argentoratensi hujus opusculi editione apud nos pag.* 215 *post brevem Pictavii ac viciniæ descriptionem asserit, quod non procul ab urbe Pictaviensi ostendatur* lapis prægrandis, et sexaginta in ambitu pedum, quinque aliis impositus, E Rablesio in Satyrico suo laudatus. *Deinde ibi ad rem nostram hæc addit :* Ferunt, beatam Radegundem illum capite, quinque reliquos sinu, huc tulisse. *Similia in Flandrica Galliæ topographia, quæ ex Matthæo Meriano potissimum desumpta est, tomo* 3 *pag.* 286 *fusius distinctiusque inveniuntur. Sed putamus, hanc popularem traditionem tantummodo apud plebem aut rusticos circumferri : dum enim Pictavii mense Octobri anni* 1721 *per aliquot dies versabamur, nullam ab eruditis viris de tali re mentionem fieri audivimus. Quapropter ea vulgi traditio vix majorem fidem apud nos obtinet, quam fictitia Rablesii historia illamque ab ipsis cordatis Pictaviensibus explodi existimamus. Hæc sunt præcipua, quæ de gestis* S. Radegundis *examinanda esse censuimus en hoc Commentario prævio, cui jam varia ejusdem Sanctæ Acta et quædam miracula subnectimus.*

ACTA

SIVE LIBER PRIMUS VITÆ F

auctore S. Venantio Honorio Clementiano Fortunato, episcopo Pictaviensi, et Sanctæ synchrono.

Ex Ms. codice, apud Cistercienses monasterii Vallis-Lucentis servato, cujus apographum cum variis Mss., et cum editione Mabilloniana contulimus.

Redemptoris nostri tantum dives est largitas, ut in sex muliebri celebret fortes victorias, et

Auctor laudat fortes feminas,

*[margin: ex Ms. a; * al. Christus; * al. deserto; * al. non stantes; b]*

et corpore fragiliores ipsas reddat feminas virtute mentis vividæ *a* gloriosas; quas habentes nascendo mollitiem, facit ipse * robustas ex fide, ut quæ videntur imbecilles, dum coronantur ex meritis, laudem sui cumulent Creatoris, a quo efficiuntur fortes, habendo in vasis fictilibus thesauros reconditos, in quorum visceribus cum suis divitiis ipse rex habitator est Christus: quæ mortificantes se seculo, despecto terræ consortio, defæcato * mundi contagio, non considentes in lubrico, constantes * in lapsu, quærentes vivere Deo, ad gloriam Redemptoris sunt copulatæ paradiso. In quo numero est ista, cujus vitæ præsentis cursum, licet sermone privato, ferre tentamus in publicum, ut cujus est vita cum Christo, memoria gloriæ celebretur in mundo *b*.

ANNOTATA.

a *In plerisque aliis Actorum exemplaribus pro* vividæ *legitur* inclytæ; *sed similes minoris momenti discrepantias imposterum non annotabo, ut § 1 Commentarii prævii monui.*

[margin: B] b *Lucubratio S. Fortunati in codice Bodecensi differt ab aliis apographis et editionibus, ut ibidem in Commentario prævio observavi, et videtur ab amanuensi pro suo arbitrio mutata. Accipe aliquod arbitrariæ hujus interpolationis specimen, quod ibi promisi, et confer utrumque ejusdem Vitæ prologum, cujus ecgraphum Bodecense apud nos ita sonat:* Redemptoris nostri adeo dives est largitas, ut in sexu muliebri celebret fortes victorias, et corpore fragiliores feminas virtute mentis inclytæ reddat gloriosas; has, inquam, habentes nascendo mollitiem, facit auctor bonorum omnium Christus robustas per fidem, ut quæ videntur imbecilles, dum coronantur ex meritis, fortes effectæ in congressu pugnæ laudem cumulent sui Creatoris, servando videlicet thesauros cæli in vasis fictilibus, in quarum visceribus cum suis divitiis habitator est Deus. De numero vero talium feminarum fuit beata Radegundis, de qua nunc materiam scribendi sumit ingenium nostræ parvitatis, ut cujus vita nunc veraciter est cum Christo, ejus quoque memoria, gloria, relatio dignis obsequiis ab omni populo celebretur in mundo. *Hinc judicium fer de reliquis Actis, quæ in Ms. Bodecensi ab aliis exemplaribus differunt, et simili fere modo mutata sunt.* *[margin: C]*

CAPUT I.

Sanctæ patria, regium stemma, adventus in Galliam, educatio, pietas, et nuptiæ cum rege Chlotario.

[margin: inter quas S. Radegundis puella; b]

Beatissima igitur Radegundis, natione barbara, de regione Toringa *a*, avo rege Bassino, patruo Hermenfredo, patre rege Berethario *b*; in quantum altitudo seculi tangit, regio de germine orta, celsa licet origine, multo tamen celsior fuerat actione. Quæ dum cum suis summis parentibus brevi mansisset tempore, tempestate barbarica, Francorum victoria regione vastata, vice Israëlitica exit, et migrat de patria. Tunc inter ipsos victores, cujus esset in præda regalis puella, fit contentio de captiva; et nisi reddita fuisset transacto certamine, in se reges arma movissent; quæ veniens in sortem regis Clotarii in Veromandensem *c* ducta Ateias *d* villam regiam nutriendi causa custodibus est deputata. Quæ puella inter alia opera, quæ sexui ejus congruebant, litteris est erudita; frequenter loquens cum parvulis, si conferret sors temporis, martyr fieri cupiens. Indicabat Adolescens jam tunc merita senectutis, obtinens pro parte, quæ petiit. Denique dum esset in pace florens Ecclesia, ipsa est a domesticis persecutionem perpessa. Sed adhuc teneræ ætatis Deo dicata Puella id agere studii habebat, ut quidquid sibi remansisset edulii, collectis parvulis, eorumque capitibus mundatis, ipsa inferebat; ipsa miscebat infantulis *e*.

[margin: D; c; d]

3 Hoc etiam sanctissima cum Samuele parvulo clerico gerebat, facta cruce lignea præcedente, dum subsequendo psallentes ad oratorium gravitate matura simul parvuli properabant *f*: ipsa tamen cum sua veste pavimentum nitidans: circa altare vero cum facitergio *g* jacentem pulverem colligens, foras cum reverentia recondebat potius, quam verrebat *. Quam cum præparatis expensis Victuriaci *h* voluisset rex prædictus accipere, per Beralcham *i* ab Ateiis nocte cum paucis elapsa est. Deinde Suessionis *k* cum eam direxisset, ut reginam erigeret, illa evitabat pompam regalem, ne seculo cresceret; sed cui debetur etiam humana gloria, non mutatur. Nupsit ergo terreno principi, non tamen separata a cælesti. Ac dum sibi accessisset secularis dignitas, plus se inclinavit voluntas, quam permittebat dignitas, subdita semper Deo, sectans monita sacerdotum, plus participata Deo, quam sociata conjugio. Illo vero sub tempore tentamus patefacere de multis pauca, quæ gessit.

*[margin: e; ex Thuringia in Galliam adducta; f; g; * al. vergebat; h; i; k; E]*

4 Igitur juncta principi, timens, ne a Deo degradasset, cum mundi gradu proficeret, se cum sua facultate eleemosynæ dicavit: nam cum sibi aliquid de tributis accideret, ex omnibus, quæ venissent ad eam, decimas ante dedit, quam recepit. Deinde quod supererat, monasteriis dispensabat; et quo ire pede non poterat, misso munere circumibat: a cujus munificentia nec ipse se abscondere potuit eremita; et ne premeretur a sarcina, quod acceperat, erogabat. Apud quam nec egeni vox inaniter sonuit, nec ipsa eam surda præteriit, sæpe donans indumenta, credens sub inopis veste Christi membra se tegere: hoc se reputans perdere, quidquid pauperibus non dedisset. Adhuc animum tendens ad opus misericordiæ, Ateias domum instruit; quo lectis culte compositis, congregatis egenis feminis, ipsa eas lavans in thermis, morborum curabat putredines, virorum capita diluens, ministerium faciens, quos ante laverat, eisdem sua manu miscebat *l*, ut fessos de sudore sumpta potio recrearet. Sic devota Femina, nata et nupta regina, palatii domina, pauperibus serviebat ancilla.

[margin: nubit cum rege Chlotario; F; l]

5 In mensa vero sua occulte, ne cognosceretur ab aliquo, ante se posito cum legumine ferculo, inter epulas regum, more Trium Puerorum, faba vel lenticula delectabiliter vescebatur. Pro Officio vero divino *m* cantando, etsi sederet in prandio, ut Deo redderet debitum, se subducebat convivio. Quo egressa, ut Domino psalleret, curiose requirebat, quali cibo foris pauperes refecissent. Item nocturno tempore cum reclinaret cum principe, rogans se pro humana necessitate consurgere, et levans, egressa cubiculo, tamdiu ante secretum orationi incumbebat jactato cilicio, ut solo calens spiritu, jaceret

[margin: et in conjugio pietatis]

gelu

A gelu penetrata, tota carne præmortua: non cu-
rans corporis tormenta meus intenta paradiso, re-
putabat levissimum, quidquid ferret, tantum ue
apud Cbristum vilesceret. Inde regressa [in] cubi-
culum, vix tepefieri poterat vel foco vel lectulo.
De qua regi dicebatur habere se magis jugalem
monacham, quam reginam.

pœnitentiæ,

6 Unde ipse irritatus pro bonis erat asperrimus;
sed illa pro parte leniens, pro parte tolerabat mo-
deste rixas illatas a conjuge. Diebus vero Qua-
dragesimæ satis est scire, qualiter se retexit; inter
vestes regias singulariter pœnitens. Igitur appro-
pinquante jejunii tempore, ad religiosam mona-
cham, nomine Piam, mittebat; cui sancto pro-
posito illa dirigebat veneranter in linteo sigillatum
cilicium: quod Sancta induens ad corpus, per
totam Quadragesimam subter vestem regiam dulci
portabat in sarcina. Transactis autem diebus Qua-
dragesimæ, similiter sigillatum retransmittebat ci-
licium; sin autem rex deesset, quis credat, quali-
ter orationi se diffunderet, qualiter se tamquam
præscutis Christi pedibus alligaret, et quasi repleta
deliciis, sic longo jejunio satiaretur in lachrymis?
B Cui, despecto ventris edulio, Christus erat tota
refectio, et tota fames erat ei in Christo.

charitatis

7 Illud qua pietate peragebat sollicita; ut quæ
per oratoria vel loca venerabilia tota nocte per-
lucerent, candelas suis manibus factas jugiter mi-
nistraret? Unde hora serotina, dum ei nuntiaretur
tarde, quod eam rex quæreret ad mensam, circa
res Dei dum satagebat, rixas habebat a conjuge,
ita ut vicibus multis princeps per munera satisfa-
ceret, quod per linguam peccasset. Ad cujus opi-
nionem, si quis servorum Dei vel per se, vel
vocatus, visus fuisset occurrere, videres illam,
cælestem, habere lætitiam; et hora noctis recursa,
cum paucis pergens in thermis per nivem, lutum,
vel pulverem, aqua calida parata, ipsa lavabat et
tergebat venerandi viri vestigia, nec restistente
servo Dei, propinabat ei pateram. Sequenti die
n curam domus committens creditariis *n*, ipsa se
totam occupabat circa viri justi verba, circa sa-
lutis instituta, et circa adipiscenda vitæ cælestis
commercia retentabatur per dies. Et si venisset
pontifex, in aspectu ejus lætificabatur, et remune-
ratum relaxabat ipsa tristis ad propria.

aliarumque virtutum opera exercens,

C 8 Illud quoque quam prudenter totum pro sua
salute providebat impendere: quotiens quasi ma-
forte *o*, linco savano *p*, auro vel gemmis ornato,
more vestiebatur barbaro, a circumstantibus pue-
ris * si laudaretur pulcherrimum, indignam se ad-
judicans, tali componi linteolo, mox exuens se
vestimento, dirigebat loco sancto, quisquis esset
in proximo, et pro palla ponebantur super divi-
num altare. Quali vero, si quis pro culpa crimi-
nali, ut assolet, a rege deputabatur interfici,
sanctissima Regina moriebatur cruciatu, ne desi-
gnatus reus moreretur gladio? Qualiter concur-
sabat per domesticos, fideles servientes, et pro-
ceres, quorum blandimentis mulcebat animum
principis, donec ex ipsa ira regis, unde proces-
serat sors mortis, inde curreret vox salutis?

o
p
* al. puellis

miraculis coruscat.

9 His igitur beatis actibus occupatam tantum
provexit divina clementia, ut etiam adhuc in pa-
latio laica, Domino largiente, declararentur per
eam miracula. Denique in Peronna *q* villa post
q prandium, dum ambularet per hortum Sanctissi-
ma, rei trusi pro crimine succurri sibi clamabant,
vociferantes de carcere. Ipsa autem quid esset,
interrogat. Mentiuntur ministri, quod mendico-
rum turba quæreret eleemosynam; credens hoc
illa, transmittit, quo indigebat inopia. Interea a
judice compelluntur tacere, qui tenebantur in EX MSS.
compede. Cum vero nox supervenisset, et solitum
cursum *r* faceret, fractis vinculis soluti Sanctæ r
occurrunt de carcere. Quo cognito, reos se vide-
runt, qui Beatæ mentiti sunt, dum, qui rei fuerant,
de catenis soluti sunt.

ANNOTATA.

a *Scribitur etiam* Thuringia *vel* Thoringia, *et si-
militer utrobique, omissa aspiratione. Est autem
notissima Germaniæ regio, quæ adhuc nomen an-
tiquum retinet; sed olim latius extensa fuit, ut
geographi passim tradunt.*

b *Hæc nomina regum Thuringiæ diverso modo
exprimuntur, ut patet ex variis textibus, in Com-
mentario prævio relatis.*

c *Est tractus Galliæ in Picardia, de quo consule
geographos obvios.*

d *Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.
49 de hoc loco ad rem nostram ita scribit:* Villa
regia vel fiscalis fuit regni Suessionici in pago Vi-
romanduensi ad flumen Suminam, nomine Ateiæ
vulgo Aties, ubi Radegundis puella, Toringo- E
rum regum filia ac neptis, educata est, antequam
regi Chlotario nuberet, ut Vitæ ejus auctores
docent.

e *Hæc periodus in editione Mabilloniana et aliis
apographis aliter legitur, quamvis ubique sensus
sit luxatus, et eamdem narrationis substantiam
contineat.*

f *Hæc constructio ab editis nonnihil differt:
sed utrobique obscura est.*

g Facitergium *hic usurpatur pro sudario, eo
quod sordes faciei tergat.*

h Victuriacum *vel* Victoriacum *vernacule* Vitry,
*olim fuit villa regia, in Belgio sita, quæ duabus
circiter leucis ab urbe Duacensi distat, quam Va-
lesius in Notitia Galliarum pag.* 602 *hic indicari
asserit, et ibidem alia ejusdem nominis loca assi-
gnat.*

i *In editione Surii legitur* Berarcham. *Sed ut-
cumque legatur, si nomen loci est, situs illius no-
bis ignotus est, cum nec Mabillonius in notis hanc
vocem explicuerit, nec Valesius in Notitia topo-
graphica Galliarum de ea meminerit. Sirmondus
noster putavit, hanc vocem ab amanuensibus cor- F
ruptam esse, ac legi debere* barcam *vel* barcham,
*quæ navim significat, ut D. Joannes Filleau in
historica probatione Litaniarum* S. Radegundis
pag. 39 *refert, ubi ipse etiam aliam hujus no-
minis significationem ex conjectura proponit.*

k Suessionis *vel Augusta Suessionum, vulgo*
Soissons, *est urbis inclyta Galliæ, quæ nomen
indidit toti tractui Suessionensi, qui olim in
Gallia regnum singulare constituit, ut satis no-
tum est.*

l Miscere *significat aquam et vinum in scy-
phum infundere, ut videre est apud Cangium in
Glossario ad vocem* mixtus. *Hoc loco verbum istud,
quod aliquoties recurrit, similem actionem indi
cat, quemadmodum ex sensu facile colligitur.*

m *Hoc loco videtur scriptor apographi nostri
potius interpretem, quam fidelem amanuensem
egisse: nam in editione Surii Mabilloniique et
plerisque Mss. codicibus pro* Officio *legitur* decursu
vel cursu, *quæ voces Officium divinum vel eccle-
siasticum significant, ut infra dicemus, ubi al-
terutra illa vox recurret.*

n Creditariis *id est fidelibus ministris curam
domus committebat.*

o *Præter alia est muliebre capitis operimen-
tum, ut apud Cangium in Glossario ad vocem*
mafors

ex MSS.

mafors *licet videre.*

p Savanum *vel* sabanum *inter alias significationes, quas Cangius in opere mox laudato exponit, usurpatur pro panno subtili; sed cum hic addatur* lineum, *potius videtur hoc loco pretiosum quoddam linteamentum indicari.*

q *Luxato hoc nomine* Perunna *significatur* Perona, *urbis munita Galliæ in Picardia, de qua apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 442 *plura videri possunt. Ceterum Mabillonius in Opere de Re diplomatica lib.* 4 *cap.* cxi *idem miraculum, quod ibi contigit, verbo attingit, et ea occasione immemorabilem Sanctæ nostræ cultum ibidem indicat his verbis:* Hinc Peronæ celebris Radegundæ cultus, cujus nomini suburbana pridem ecclesia dicata est.

r *Primo intuitu istud intelligi posset de nocte, quæ solitum cursum suum peragebat. Sed in editione Mabilloniana intelligendum est de ipsa Sancta, cui captivi vinculis soluti dicuntur occurrisse,* dum sibi cursum diceret, *id est, dum Officium divinum recitaret. Hæc significatio confirmatur ex apographo nostro Bodecensi, in quo amanuensis illam periodum sic liberius interpre-*
B *tatur:* Cum vero nox supervenisset, et illa cursum *(id est Officium)* decantando preces ad Dominum funderet, vinculati illi divina virtute catenis absoluti occurrerunt sanctæ Reginæ de carcere.

CAPUT II.

Divortium Sanctæ cum marito, professio monastica, misericordia ejus erga pauperes et ægros miraculis confirmata.

Consentiente rege, fit sanctimonialis, a

Et quoniam frequenter aliqua occasione, divinitate prosperante, casus cedit ad salutem, ut hæc religiosius viveret, frater interficitur innocenter *a*. Directa igitur a rege, veniens ad beatum Medardum Noviomi, supplicat instanter, ut ipsam mutata veste Domino consecraret. Sed
C memor Apostoli dicentis; Si qua ligata sit conjugi, non quærat dissolvi, differebat Reginam, ne veste tegeret monacham. Ad hoc etiam beatum virum perturbabant proceres, et per basilicam ab altari graviter retrahebant, ne velaret regi conjunctam; ne videretur sacerdoti, ut præsumeret principi subducere Reginam, non publicanam, sed publicam *b*. Quo Sanctissima cognito, intrans in sacrarium, monachica veste induitur, et procedens ad altare, beatissimum Medardum his verbis alloquitur, dicens: Si me consecrare distuleris, et plus hominem quam Dominum timueris, de manu tua a pastore ovis anima requiratur. Qua ille contestatione concussus, manu superposita consecravit diaconam *c*.

et ostendens eximiam munificentiam d e

11 Mox indumentum nobile, quo celeberrima die solebat, pompa comitante, Regina procedere, exuta, ponit in altari, et ablatis *d* gemmis, ornamentis mensam divinæ gloriæ onerat venerabilis. Cingulum *e* auro ponderatum fractum dat in opus pauperum, similiter accedens ad cellam sancti Jumeris *f* * die uno, quo se ornabat felix Regina composite, sermone ut ita loquar barbaro, stapione *g*, camisias, manicas, cotias, fibulas, cuncta auro, quædam gemmis exornata per circulum sibi profutura sancto tradidit altari. D
Inde procedens ad cellam venerabilis Dadonis *h*, dic qua debuit ornari præstanter in seculo, quidquid indui poterat censu divite Femina, abbate remunerato, totum dedit cœnobio. Dehinc sancti Gundulfi *, post facti Mettis Episcopi *i*, progressa ad receptaculum, non minore laboratu nobilitavit synergium *k*. Hinc felici navigio Turonis *l* appulsa, quæ suppleat eloquentia, quantum officiosam, quantum se monstravit munificam? Quid egerit circa sancti Martini atria, templa, basilicam, flens lachrymis insatiata, singula jacens per limina, ubi, Missa celebrata *m*, vestibus et ornamento, quo se clariori cultu solebat ornare in palatio, sacrum componit altare. Hinc cum in vicum Condatensem *n*, ubi gloriosus vir Martinus, et Christi satis intimus senator migravit de seculo, Ancilla domini pervenisset, dedit non inferiora, Domini crescens in gratia.

* al. Vimeri, et Nimeris vel Eumeris

* al. Gengulphi

erga ecclesias,

12 Hinc cum in villa Suedas *o* Pictavi territorio juxta prædictum vicum decenter accederet, itinere prosperante, qualem se gessit per singula, quis enumeret infinita? Quæ etiam in mensa sub E
fladone *p* siligineum * panem absconsum, vel * hordeaceum manducabat occulte, sic ut nemo perciperet. Nam ex illo tempore, quo, beato Medardo consecrante, velata est, usque ad infirmitatem, præter legumen et olera, non pomum, piscem, vel ovum, nec aliud esui habuit: potum vero præter aquam mulsam, atque piratium *q*, non bibit; vini vero puritatem aut medi *r* decoctionem, cervisiæque turbidinem *s* non contigit. Tum more sancti Germani *t* jubet sibi molam secretissime deferri, in qua tota Quadragesima tantum laboravit, quantum quatriduana refectio postulavit. Oblationes etiam suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensavit. Ergo apud Sanctam non minus usus misericordiæ quam erat concursus de plebe, ut nec deesset, qui peteret, nec deficeret, quod donaretur. Mirandum, ut omnibus satisfaceret, unde tot thesauri exuli, unde tot divitiæ peregrinæ.

* al. segalatium.
* al. et

misericordiam in ægrotos,

13 Quantum expendebant diuturna redemptio, sola sciebat, quæ petentibus deportabat: nam præter quotidianam mensam, qua refovebat matriculam *v*, duobus semper diebus, quinta scilicet feria et sabatho, balneo parato, ipsa succincta sabano, capita lavabat ægrorum, defricans quidquid erat crustæ, scabiei, tineæ, nec purulenta F
fastidiens, interdum et vermes extrahens, purgans cutis putredines, sigillatim capita pectebat ipsa, quæ laverat. Ulcera vero cicatricum, quæ cutis laxa detexerat, aut ungues exasperaverant, more Evangelico, oleo superfuso, mulcebat morbi contagium. Mulierum vero descendentium in tinam *w* ipsa cum sapone a capite usque ad plantam membra singula diluebat. Egredientibus exinde, si cui inveterata indumenta conspiceret, tollens rasa *x*, nova reddebat: ante pannosos, faciebat venire cultos ad prandium. Quibus congregatis, ministerio parato, ipsa aquam sive mappam singulis porrigebat, et invalidis ipsa pariter os et manus tergebat. Hinc tribus ferculis illatis, fartis deliciis, stans ante prandentes jejuna, præsens convivis ipsa incidebat panem, carnem, vel quidquid apponeret. Languidis autem et cæcis non cessabat ipsa cibos cum cochleari porrigere, hoc non præsentibus duabus, sed se sola serviente, ut nova Martha satageret, donec potulenti *y* fratres læti fierent conviviis.

pauperes

14 Tunc illa removens se loco ut ablueret manus, jam bene culto convivio tota gratificabatur:

si

Ex Mss.

A si qui vero causa honoris sibi assurgereut, jube-
bat, ut sederent, donec assurgere vellent. Vene-
rabili vero omui Dominico die boc habebat iu ca-
none *z* æstate vel byeme, ut pauperibus collectis
primo merum sua manu de potu dulci porrigeret, z
puellæ postea committens, ut omnibus illa propi-
naret; quia ipsa festinabat orationi occurrere, quo
et cursum *aa* consummaret, et sacerdotibus ad aa
mensam invitatis concurreret, quos adhuc regali
more ad propria cum redirent, siue munere uon
relaxaret.

et leprosos, 15 Hanc qnoque rem intremiscendam qua pera-
gebat dulcedine! Cum leprosi venientes signo
facto se proderent, jubebat adminiculæ, ut un-
de, vel qnauti essent, pia cura requireret. Qua
sibi renuntiante, parata meusa, missis cochleari-
bb bus, scutellis, scamuis *bb*, potu et calicibus, sola
subsequeus intromittebatur furtim, quo se uemo
perciperet. Ipsa exinde mulieres variis lepræ per-
fusas maculis compreheudens in amplexu, oscu-
labatur in Deo, cas toto diligens animo. Deinde po-
sita meusa, ferens aquam calidam, facies lavabat,
manus, ungues et ulcera, et rursus administrabat,
B ipsa pascens singulas. Recedentibus præbebat au-
ri vel vestimenti solatium, vix una teste munifica.
Ministra tameu præsumebat eam blandimentis sic
appellare; Sanctissima Domina, quis te osculetur;
quæ sic leprosas amplecteris? Cui respondebat be-
nevole : Vere si me non osculeris, hiuc mihi nulla
cura est.

pluribus mirabiliter sanitatem restituit. 16 Quæ tamen, præstante Deo, diverso fulsit mi-
raculo. Denique si quis pustulæ desperaret de vul-
nere, offerebat ministra Sanctæ folium pampini,
mentiens *, sibi opus hoc esse; sicque obtento vix
siguaculo, portabat ad desperatum, vulneri super-
positum, mox occurrebat remedium. Inde frigore-
cc tiens *cc* qui venisset aut languidus, dicens in so-
mnis se vidisse ut pro sua salute sanctæ Feminæ
occurreret, offerebat candelam alicui ex ministris;
qua accensa, per noctem morbus accipiebat mor-
tem, morbidus sanitatem. Quoties autem coguovis-
set decubantem in lecto, portans poma peregrina,
dulci simul et calido reficiebat ægrotum : et qui
nec decimo jam die percepisset cibaria, ipsa mox
administrante, languidus accipiebat cibum pariter
et salutem : quod tamen ipsa imperabat, ne quis
dd proferret in fabulam *dd*.

* id est fingens

C

ANNOTATA.

a *Gregorius Turonensis in Historia Franco-
rum lib.* 3 *cap.* 7 *de hac innocentis cæde meminit
his verbis* : Chlothacharius vero rediens Radegun-
dem filiam Berthari regis secum captivam abdu-
xit, sibique eam in matrimonium sociavit; cujus
fratrem postea injuste per homines iniquos occidit.
*Venantius Fortunatus in carmine de excidio Thu-
ringiæ, quod Browerus inter Opera ipsius edidit,
pag.* 340 *inducit* Radegundem, *quæ præter alia
infortunia cædem hujus fratris pathetice deplo-
rat.*

b *Hæc et præcedentia verba satis innuunt, ma-
trimonium* S. Radegundis *cum rege Chlotario va-
lidum fuisse, de quo in Commentario prævio fu-
sius disputavimus.*

c *In Commentario prævio etiam diximus, quo-
modo S. Medardus eam, nondum quadragena-
riam, verosimiliter consecrare potuerit diaconam.*

d *Mabillonius pro* ablatis *legit* blattis; *Surius
vero et Ms. nostrum anonymum habet* oblatis.
Cum autem blatta *apud scriptores mediæ ætatis
pro serico aut purpura usurpetur, quælibet ex-
pressio hoc loco commode exponi potest, ut consi-*

deranti apparebit.

e *In editione Suriana et Ms. nostro anonymo
pro* cingulo *legimus* circulum; *quæ utraque lectio
etiam explicari potest.*

f *Nomen hujus Sancti diversimode scribitur :
nam in Ms. nostro Vallis Lucentis et editione Ma-
billoniana vocatur* cella sancti Jumeris; *Surius
vero legit* cellam sancti Nimeris *vel* Eumeris. *De-
nique in Ms. quodam Divionensi, quod Chiffletius
cum apographo nostro contulit, Sanctus ille ap-
pellatur* Vimerus. *Sed sub his quatuor nominibus
ulteriorem istius Sancti notitiam hactenus fru-
stra quæsivimus.*

g *Surius pro* stapione *legit* scapionem *et* sti-
bionem, *quæ ultima lectio etiam in apographo
nostro anonymo invenitur. Mabillonius præfert
lectionem* scapionis, *quia hac voce diadema re-
gium designari existimat. Sed utcumque legeris,
ex sensu satis liquet, pretiosa quædam sanctæ
Reginæ ornamenta indicari his et sequentibus
vocibus barbaris, quas singulas operose explicare
non vacat, et quarum nonnullæ in Glossario Can-
giano, aliisque lexicis barbaro-Latinis facile re-
perientur.*

h *Claudius Castellanus in suo Martyrologio in-* E
*ter Sanctos ahemeros collocat venerabilem Dado-
nem, qui fuerit primus abbas monasterii Con-
chensis (vernacule* Conques) *apud Ruthenos in
Gallia. Sed cum ætas hujus abbatis nobis ignota
sit, nescimus, an de illo agatur.*

i *Cum usque ad mortem Venantii Fortunati
nullus hujus nominis episcopus Metensis fuerit,
Mabillonius in notis ad hanc Vitam conjicit, forte
pro* Gundulfi, *legendum esse* Goscelini, *qui seculo
sexto sedi Metensi præfuit. At nos potius suspi-
camur, minori nominis istius corruptione seu lit-
terarum mutatione pro* Gundulfo *vel* Gengulpho
substituendum esse Aigulphum *vel* Agiulphum,
ut § 4 *Commentarii prævii diximus.*

k *Apud Græcos vox* συνέργιον *significat offici-
nam vel locum, in quo plures simul operantur,
ut ex etymologia nominis liquet. Interdum etiam
sumitur pro monasterio, in quo videlicet opus
Dei a pluribus simul exercetur, ut apud Cangium
in Glossario Latino-barbaro ad vocem* synergium
videre est.

l *Archiepiscopalis et notissima Galliæ civitas,
quæ cultu S. Martini maxime celebris est.*

m *Suriana editio habet* missore vocato, *vel* mis-
so revocato, *quæ utraque obscura phrasis etiam* F
*in apographo nostro anonymo invenitur. Mabil-
lonius vero juxta antiquos codices legit* Missa re-
vocata, *eamque lectionem retinendam censet. At
quæcumque sit antiqua lectio, sensus in Ms. no-
stro clarior apparet.*

n *Aliquando vocatur* Condate Turonum, *ut ab
alio ejusdem nominis loco distinguatur. Locus
ille celebris est morte S. Martini, ut apud S. Gre-
gorium Turonensem in Historia Francorum lib.*
1 *cap.* 43 *legi potest.*

o *Surius edidit* Scindas ; *Mabillonius autem*
Suaedas, *et in margine notat, hunc locum verna-
cule* Sais *appellari. Situs ejus inter Turones et
Pictones ex prædictis facile colligitur.*

p Flado *vel* flanto *est species placentæ, ut in re-
cusa Glossarii Cangiani editione fusius explica-
tur.*

q Piratium *est succus e piris expressus in po-
tum.*

r Medus *vel* meda *est potio, quæ ex melle confi-
citur.*

s *Suspicor, hic dici* cervisiæ turbidinem, *eo quod
cervisia, seu aqua frumento cocta , plerumque*
13 *sit*

ex mss. *sit turbida.*

t *Hic est S. Germanus Autissiodorensis, de quo in Actis, ad diem 31 Julii illustratis, similia referuntur, ut § 4 Commentarii prævii monuimus.*

v Matricula *sumitur pro libello, cui inscribebantur nomina pauperum, qui sumptibus ecclesiæ alebantur. Hoc loco vox ea videtur usurpari pro numero quodam egenorum, qui forte simili libello inscripti erant.*

w Tina *est genus dolii, quod Galli etiamnum* tine *vel* tinette *appellant.*

x Rasa *id est detrita, quantum ex sensu conjicio.*

y *Surius pro* potulenti *legit* purulenti. *Utraque hæc lectio explicari potest: nam* potulenti *intelligendi sunt* potu recreati; *significatio autem alterius vocis clara est.*

z In canone *id est in serie vel consuetudine suarum actionum.*

aa Cursus *hoc loco significat Officium divinum seu ecclesiasticum, ut supra monuimus.*

bb *Pro* scamnis *legendum videtur* cannis, *ut* B *editio Surii et Mabillonii habet, et in qua utraque hic sensus nonnihil ab apographo nostro differt.* Cannæ *autem sunt fiscellæ, seu viminea vasa, quemadmodum Mabillonius exponit.*

cc Frigoretiens *vel* frigoriticus *hoc loco, ni fallor, significat febricitantem.*

dd *Surius et Mabillonius legunt* in fabula. *Sed utcumque legeris, satis manifeste hic prohibetur, ne quis ea miracula publicaret.*

CAPUT III.

Rigidum Sanctæ jejunium, vilissima cœnobii ministeria, et severa corporis sui castigatio.

Sancta mustere je junat, Quanta vero congressio popularis extitit die, qua se Sancta deliberavit recludere, ut quos plateæ non caperent, ascendentes tecta complerent. Quod autem Sanctissima jejunii, obsequii, C humilitatis, caritatis, laboris et cruciatus frequenter indepta sit, si quis cuncta percurreret, ipsam prædicaret tam confessorem quam martyrem. Ergo venerabile, præter Dominicum diem, fuit sacratissime omnibus diebus jejunium: lenticulæ vel oleris prope jejuna refectio; non piscem vel pomum ne ovum habens edulio. Panis vero deliciarum siligineus * fuit aut hordeaceus, quem absconsum sub fladone sumebat, ne quis perciperet. Hæc fuit etiam ejus potio, aqua mulsa, piratium, sed modice libata, ne sitibunda potatio.

* *al. sigalatum*

præsertim in Quadragesima. 18 Prima Quadragesima, qua se reclusit in cellula, donec fuisset transacta, non sumpsit cibaria, nisi die Dominico, sed tantum radices herbarum, aut olera de malvis, sine olei gutta, sine sale composita; verum aquæ toto jejunio nec duo sextaria sumens, tanta siti laborabat, ut, faucibus desiccatis, vix psalmum diceret arida. Cilicium autem * habens ad corpus pro linteo, ac jugiter cursum decantans peragebat vigilias: ante se habens cinerem stratum superjecto cilicio, hoc utebatur pro lectulo: ipsa requies fatigabat, cui parum videbatur hoc sustinere corpusculum.

* *al etiam*

Adhuc monachabus omnibus soporantibus, cal- D ceamenta tergens et ungens, retransmittebat per singulas. Aliis Quadragesimis aliquid relaxans quinta feria sumebat, deinde Dominica: nam et reliquo tempore præter dies paschales ac summæ festivitatis, donec infirmitas permisit, in cinere et cilicio semper vitam duxit austeram; prius se levans ut psalleret, quam congregatio surrexisset. Nam de officiis monasterialibus nihil sibi placuit, nisi prima serviret; et ipsa se castigabat, si bonum fecisset post alteram.

et inter vilia ministeria domestica, 19 Ergo suis vicibus scopans monasterii plateas vel angulos, quidquid erat fœdum purgans, et sarcinas, quas alii horrebant videre, non abhorrebat evehere. Secretum etiam opus purgare non tardans, sed scopans ferebat fœtores stercoris. Credebat se minorem sibi, si se non nobilitaret servitii vilitate, ligna supportans brachiis, et focum flatibus et forcipibus admovens, cadens * nec læsa se retrahebat, extra suam hebdomadam infirmantibus serviens. Ipsa cibos decoquens, ægrotis facies abluens, ipsa calidam porrigens, visitabat quos fovebat, jejuna rediens ad cellam. Illud quoque quis explicet, quanto fervore excita ad E coquinam concursitabat, suam faciens septimanam?

* *al. calens*

quæ libenter obibat, 20 Denique nulla monacharum nisi ipsa, de posticio *a* quantum ligni opus erat, sola ferebat in sarcina. Aquam de puteo trahebat, et dispensabat per vascula, olus purgans, legumen lavans, focum flatu vivificans; et, ut decoqueret escas, satagebat exæstuans, vasa de foco ipsa levans, discos lavans et inferens. Hinc consummatis conviviis, ipsa vascula diluens, purgans nitide coquinam, quidquid erat lutulentum, ferebat foras in locum designatum. Inde per ægrotantes ferens necessaria ibat non tepida: et priusquam exciperet Arelatensem regulam *b*, hebdomade transacta sufficienter ad omnes faciebat humanitatem *c* Sanctissima; pedes lavans et osculans, et adhuc ab omnibus prostrata deprecabatur veniam pro commissa negligentia. Itaque post tot labores; quas sibi pœnas intulerit ipsa, qui voce refert, perhorrescit.

a

b

c

corpus suum 21 Quadam vice sibi translatos circulos ferreos diebus Quadragesimæ collo vel brachiis innexuit, et tres catenas inserens circa suum corpus dum alligasset astricte, inclusit durum ferrum caro tenera supercrescens: et transacto jejunio cum voluisset catenas sub cute clausas extrahere, nec F valeret, caro per dorsum atque pectus super ferrum catenarum est incisa per circulum; ut sanguis fusus ad extremum exinaniret corpusculum. Inde vice altera jussit fieri laminam de aurichalco in signo Christi, quam accensam in cellulam locis duobus corporis altius sibi impressit, tota carne decocta. Sic spiritu flammante, membra faciebat ardere.

horrendis modis affligit. 22 Adhuc aliquid gravius in se ipsa tortrix excogitans, una Quadragesimarum super austerum jejunium et sitis torridum cruciatum, adhuc lima cilicii tenera membra setis asperis dissipante, jubet portari manile *d* plenum ardentibus carbonibus. Hinc discedentibus reliquis, trepidantibus membris animus armatur ad pœnam, tractans quia non essent persecutionis tempora, ut fieret martyr. Inter hæc ut refrigeraret tam ferventem animum, incendere deliberat corpus; apponit æra candentia; strident membra cremantia, consumitur cutis intima: quo attigit ardor, fit fossa; tacens tegit foramina; sed computrescens sanguis manifestabat, quod vox non prodebat in pœna.

d

A pœna, Sic femina pro Christi dulcedine tot amara libenter excepit. Hinc actum est, ut quod ipsa abdiderit, hoc miracula non tacerent.

ANNOTATA.

a Posticium *est janua, quæ plerumque in posteriori domus parte locatur; vel, teste Papia in Vocabulario,* est latens ostium, dictum quod remotum sit a publico.

b *Quæ sit regula Arelatensis, in Commentario prævio abunde explicuimus.*

c *Hic sensus in editis aliter interpungitur et apud Mabillonium sic legitur:* Hebdomada sub transacta sufficienter ad omnes calidam faciebat. Humilitate sanctissima pedes lavans *etc. Cum uterque sensus intelligi possit, non duximus, lectionem nostri apographi corrigendam esse.*

d Manile *accipitur pro pollubro seu vase inferiori, in quod aqua manibus infusa delabitur. Alias hujus vocis significationes vide in Glossario Cangii.*

B

CAPUT IV.

Diversa miracula, quæ Sancta tempore vitæ monasticæ, et in die mortis suæ patravit.

Sancta præter mulierem cæcum, ** al. Gisladi* *a*

Itaque matrona Gislodi * proceris, nomine Bella, sed longa cæcitate miserrima, rogavit se de Francia *a* Pictavis ad Sanctæ duci devote præsentiam; quam licet tarde excæcatam sibi fecit adduci per noctis tetræ silentia; ad cujus genua prostrata vix impetrat, ut dignaretur oculos ejus tangere. Quæ mox ut in nomine Christi signum crucis impressit, cæcitas fugit, lux rediit, et nocturno sub tempore orbæ diu dies illuxit; ita ut tracta cum venisset, nullo ducente, recederet. Item puella Fraifledis, inimico instigante, dum torqueretur nequiter, inter manus Sanctæ, nec data dilatione, curari promeruit.

C

energumenas et ægras mirabiliter sanatas,

24 Nec illud prætereatur miraculum, quod femina quædam Leubila, dum vexaretur in rure ab adversario graviter, sequenti die Sancta orante, nova Christi curatione, in scapula crepante cute, et verme foras exeunte, sana est reddita publice, et ipsum vermem calcans pede, liberatam se retulit. Illud etiam quod gessit in secreto, proferatur in populum. Monacha quædam toto anno, in die gelata frigore, per noctem cremata igni, sex mensibus nec gressum movens, cum jaceret exanimis, Sanctæ de ejus infirmitate Soror altera nuntiavit, et quia perinanis esset, fieri tepidam præcepit, et ægram ipsam ad se fecit in cellulam deportari, et in tepidam aquam deponi. Hinc jubet omnes removeri, remanente tantum simul ægra cum medica fere per horas duas: quantum est corporis a capite usque ad plantam infirma membra combajulat. Dein, quo manus attingebat, fugiebat dolor de languida, et quam duæ deposuerant, salubris exit de tepida. Quæ vinum nec odorabat, accepit, bibit, et refecta est. Quid plura? Sequenti die cum jam spe rarctur * migrare de seculo, sana processit in publicum.

** id est credereiur*

aliaque miracula

25 Adjiciatur laudi, quod non deperiit de merito. Mulier quædam dum inimici invasione graviter laboraret, et vix ad Sanctam potuisset rebellem hostem adducere, imperat adversario, ut se suo cum timore pavimento prosterneret. Mox ad Beatæ sermonem, in terram se dejiciens, qui timebatur, extimuit: cui Sancta plena fide cum calcasset in cervicem, fluxu ventris egressus est. Et in rebus minimis magna est gloria Creatoris. Ergo casu dum globus *, quem Sancta filaverat, penderet de camera *b*, veniens sorex, ut tangeret, antequam filum incideret, mortuus in morsu pependit.

ex mss.

** al. glomus*

b

piscatorem periculo naufragii eripit,

26 Inseratur operi res condigna miraculo. Floreius quidam, homo ejusdem Sanctæ, pro piscatione dum in mari satageret, oborto ventorum turbine, fluctuum surgente mole, nec tam nauta hauriente * *c*, quam unda supervergente, cum navis plena submergeretur, in extremitate clamat: Sancta Radegundis, dum tibi obedimus, non subdamur naufragio; sed obtine apud Dominum, ut liberemur de pelago. Quo dicto, mox fugata nube, reddita serenitate, unda cadente, prora surrexit.

** al. sentinante*

c

et puellam a febre liberat,

27 Goda puella secularis, post Deo monacha serviens, dum longo sub tempore flebilis lecto decubaret, et impenso multo medicamine plus langueret, facta candela ad mensuram suæ staturæ, Domino miserante in nomine Sanctæ feminæ, qua hora frigus sperarct *, lumen accendit et tenuit, cujus beneficio ante fugata sunt frigora, quam esset candela consumpta. Si propter brevitatem multa prætermittimus, plus peccamus.

E

** id est exspectaret*

Jussu abbatissæ suæ dæmonem fugat,

28 Igitur purgatis reliquis velociter, dilatato remedio carpentarii cujusdam uxor, dum pluri mis diebus maligno torqueretur spiritu *d*, venerabilis ejus abbatissa joculariter dicit ad Sanctam: Crede mater; Excommunico te, si inter hoc triduum mulier hæc ab hoste purgata non redditur. Dixit plane, sed fecit Sancta mulierem occulte reficiendi tempore pœnitere. Sed non moremur dicere quod actum sit; altero die Sancta precante adversarius rugiens per aurem egressus invasum vasculum deseruit, et mulier cum marito sospes revisit hospitium.

d

aridæ lauro viorem restituit,

29 Nec illud prætereatur, quod est actu simillimum; rogat Beatissima de loco suo evelli arborem validam lauri, et ad suam cellulam pro jucunditate transferri. Quo facto transplantata, non adhærente radice fit tota foliis arida. Cui abbatissa jocnlariter imputat, quod nisi exoraret, ut arbor terræ adhæreret, se a cibo suspenderet. Quod non inaniter dictum est: nam Sancta intercedente, foliis, ramis, et radice laurus siccata revixit.

F

et variis ægrotis

30 De monachabus quædam sibi familiarior, cujus ex humore sanguis contexerat oculum, apprehensa herba absynthii quam Sancta circa pectus ut refrigeraretur, habuerat, cum super oculum posuit, dolor et cruor mox effugit; et de viriditate herbæ, fugatis doloribus, puritas lucis emicuit. Revocetur memoriæ, quod tacitum pœne præteriit. Andercdus clicus *e* ejusdem Beatissimæ, cum sibi filii, nascerentur, quos ut videret mox perderet, et cogitaret sepelire; mater tristis dum pareret, exanimem infantulum lacrymosi parentes jactant in Sanctæ cilicium; qui ut saluberrimam vestem panni nobilis attigit, ad officium vitale infans redit de funere, et rubens pallor vicinus tumulo levat de pallio.

e

benigne succurrit,

31 Quis numeret mirabilia, quæ Christi misericors operatur clementia? Animia monacha dum tantum hydropis morbo tumefacta tenderetur, ut salus esset in ultimo, et deputatæ Sorores spectarent, quo momento exhalaret spiritum; visum est illi per soporem, quod cum veneranda abbatissa

EX MSS. batissa beata Radegundis in balneo sine liquore nudam juberet descendere. Deinde manus Beatæ visa est super caput ægrotæ oleum effundere, et nova veste contegere. Quo peracto ministerio *, evigilanti de sopore nihil de morbo in ea apparuit, ita ut nec subsudasset, et intus aqua consumpta sit. Quo novo miraculo non reliquit in utero morbus nec vestigium. Nam quæ credebatur præceps deferri ad tumulum, levat de lectulo ad cursum; ut olei odor inesset capiti ad testimonium, et ventris nulla foret pernicies.

* al. mysterio

Deoque tota mente inhærens,

* *forte choreas*

32 Proferatur in medio, quo tota gratuletur regio. Quadam vice obumbrante jam noctis crepusculo, inter choraulas * et citharas dum circa monasterium a secularibus multo fremitu cantaretur; et Sancta cum duabus testibus perorasset diutius, dicit quædam monacha sermone joculari: Domina, recognovi unum de meis canticis a saltantibus prædicari. Cui respondit: Grande est, si te delectat conjunctum religioni audire odorem seculi. Adhuc Soror pronuntiat: Vere Domina; duo et tria hic modo mea cantica audivi, quæ retinui. B Sancta respondit: Testor Dominum, me nil audisse modo de seculari cantico. Unde manifestum est, quod carne licet in seculo, mente tamen esset in cælo.

mortuam puellam resuscitat

33 Prædicetur in laude Christi, more beati Martini, tempore præsenti antiqui norma miraculi. Cum beatissima Femina reclusa esset in cellula, audivit fletum de monacha; et signo tacto, venientem, quid esset, interrogat. Quæ mortuam Sororem nunciavit infantulam; et frigidam, qua lavaretur paratam esse jam calidam. Condolens Sancta tunc imperat, ut cadaver ipsius suam deferret ad cellulam. Quo sibi deportato, excipiens manu propria, et clausa post se mox janua, jubet longe eas discedere, ne quis sentiret, quid ageret; sed quod occulte gessit, celare diu non potuit. Interea dum defunctæ exsequiæ pararentur, fere per horas septem mortuæ tractat corpusculum: sed Christo vidente fidem, cui negare non potuit, reddita prorsus salute, surgit hæc ab oratione; illa resurgit de funere: et se tunc sublevat vetula, cum resurrexisset * infantula; quam tactu iterum signi lætificatu, reddidit vivam, quam flens acceperat mortuam.

* al. revixisset

et in die obitus sui

C 34 Commemoretur et illud nobile factum per somnium. Tribunus fisci, cognomento Domolenus, die, quo Sanctissima migravit de seculo, dum graviter suffocationis languore totus deficeret, videbatur ipsi, quod Sancta in vicum ejus dignabiliter accessisset. Currit, salutat, interrogat, quid Beata requireret. Tunc ipsa dicit, quod ad eum illic videndum pervenerit, et quia votum plebis erat, ut beati Martini oratorium conderent, apprehendit tribuni manum Beatissima dicens: Hoc loco sunt confessoris venerandæ reliquiæ, per hoc ædificate templum, quod sibi ducat dignissimum. O quale Dei martyrium! Fundamentum, et pavimentum repertum est, quo basilica facta est. Adhuc in ipso sopore, manum trahens per fauces ejus, et gulam diu deliniens, insuper et hoc dicens; Veni, ut tibi melior a Domino sanitas conferatur, videbantur sic rogare: Per meam vitam ut relaxes illos, quos habes in carcere.

tria patrat miracula.

35 Evigilans tribunus refert, quod viderat, conjugi, dicens: Vere credo, quod hac hora exiit Sancta de seculo. Dirigit ad civitatem, ut per hoc vera cognosceret; transmittit ad carcerem quo septem reos ibi detentos admonitus relaxaret. Redeunte misso, refert, ea hora Justam migrasse de seculo et triplici mysterio carcere vacuato, tribuno sanitati reddito, ædificato templo, Sanctæ probavit oraculum. Sed de Beatæ virtutibus D sufficiat exiguitas, ne fastidiatur ubertas; nec reputetur brevissimum, ubi de paucis agnoscitur in miraculis amplitudo. Qua pietate, parcitate, dilectione, dulcedine, humilitate, honestate, fide, fervore vixerit, ut et ipsam post obitum gloriosi transitus mirabilia prosequantur, humanæ eloquentiæ modus admirando attonitus, viribus explicare minime potest f.

ANNOTATA.

a *Certe hic* Francia *accipitur pro parte Franciæ, cum ipsa urbs Pictaviensis sita sit in Francia seu Gallia late dicta. Ceterum de varia hujus nominis acceptione consule Valesium in Notitia Galliarum pag.* 200 *et sequentibus.*

b Camera *inter multas alias significationes interdum usurpatur pro opere quodam ligneo, Gallice* menuiserie, *quod est in cubiculo, ut in auctiori Glossarii Cangiani editione ad hanc vocem explicatur. In illa aut simili significatione hic nomen istud accipiendum videtur,* E

c *Opinor, hic subintelligi* aquam ex sentina: *nam apud Mabillonium legitur* nauta sentinante, *id est sentinam ejiciente, vel hauriente aquam ex sentina.*

d *Id editione Mabilloniana pro* maligno spiritu *legitur* energumeno. *Cum energumenus proprie vocetur ille, qui a dæmone obsidetur, videtur præferenda lectio nostri apographi, aut editionis Surianæ, in qua pro* energumeno *habetur* energumena.

e *Surius vitiose edidit* Anus de rebus agens *pro* Anderedus Agens, *ut apud Mabillonium habetur. In apographo nostro pro* Agente *legitur* cliens. *Est autem hoc loco* Agens, *qui procurat negotia alterius, et quem Galli vernacule* agent *appellant.*

f *In editione Mabillonii additur hæc clausula:* Sit tamen illi, qui dedit, gloria, laus et imperium in secula seculorum. Amen. *At hæc apud Surium et in apographo nostro non leguntur.*

ACTA ALTERA

F

SIVE LIBER SECUNDUS VITÆ,

auctore Baudonivia moniali coæva, et familiari Sanctæ discipula.

Ex eodem Ms. codice, apud Cistercienses Vallis-Lucentis servato, cujus apographum etiam cum variis Ms., et cum editione Mabilloniana collatum est.

PROLOGUS.

Dominabus sanctis, meritorum gratia decoratis, Dediniæ a Abbatissæ, vel omni congregationi gloriosæ Dominæ Radegundis, Baudonivia

Monacha Vitam Sanctæ describere jussa,

Ex Ms.

A donivia *b* humilis omnium. Injungitis mihi opus agere non minus impossibile, quam sit digito cælum tangere, scilicet ut de vita sanctæ dominæ Radeguudis, quam optime nostis, aliquid dicere præsumamus. Sed istud illis debet injungi, qui habentes intra se fontem eloquentiæ; inde quidquid illis injungitur, carmine irriguo copiosius explicatur. Verum e contra quicumque augustæ intelligentiæ sunt, nec habent affluentiam eloquii, per quam et alios reficere, et suæ siccitatis possint inopiam temperare; tales non solum per se aliquid dicere appetunt, verum etiam, si quid eis injunctum fuerit, pertimescunt. Quod in me ego cognosco, quæ sum pusillanimis, parvum habens intelligentiæ eloquium, quoniam quantum doctis proloqui, tantum indoctis utile sit tacere. Nam illi de parvis magna disserere, isti de magnis ne sciunt parva proferre : et ideo quod ab aliis quæritur, ab aliis formidatur.

Tenuitatem ingenii sui allegat. 2 Cum sim igitur minima omnium minimarum, quam ab ipsis cunabulis ante sua vestigia peculiarem vernulam familiariter enutrivit, uti impensi muneris [memor *c*] de ejus claro opere, etsi non B plene, vel ex parte complexa perstringerem, quatinus dum sui gregis auribus ejus gloriosæ vitæ præconia pandantur, etsi non digno, devoto tamen eloquio, benignissimæ vestræ voluntati obediens pareo; vestra me oratione peto juvari, quæ sum minus docta, plus devota. Non ea, quæ vir apostolicus Fortunatus episcopus *d* de Beatæ vita composuit iteramus; sed ea, quæ prolixitate sui prætermisit, sicut ipsi in libro suo disseruit, cum diceret de Beatæ virtutibus : SUFFICIAT EXIGUITAS, NE FASTIDIATUR UBERTAS, NEC REPUTETUR BREVISSIMUM, UBI DE PAUCIS AGNOSCITUR AMPLITUDO *e*. Ergo inspirante divina potentia, cui beata Radegundis placere studuit in seculo, et cum quo regnat post seculum, non polito sed rustico tentamus de his, quæ gessit, sermone appetere, et de multis ejus miraculis pauca complecti *f*.

ANNOTATA.

a *Hæc tomo 2 auctioris Galliæ Christianæ col.* 1301 *statuitur quarta hujus parthenonis abbatissa, vocaturque ibidem* Didimia *seu* Didima. *et videtur circa finem seculi* VI *Pictaviensis sanctæ* C *Crucis monasterio præfuisse.*

b *Ab aliis scribitur* Bandomina, *vel* Bandonivia, *aut* Bandouia. *Sed quocumque nomine appelletur, ex consequentibus liquet, eam* S. Radegundi *ab ineunte ætate familiarem fuisse.*

c *Quamvis hæc periodus in editione Mabilloniana aliter legatur, tamen malui ex editione Surii et Ms. nostro anonymo hanc vocem uncis inclusam inserere, ut sensum redderem clariorem.*

d *Hinc satis refelluntur illi scriptores, qui Fortunatum ex albo Pictaviensium præsulum expungunt, ut etiam Mabillonius notavit.*

e *Ex hac citatione videmus, Baudoniviam præ oculis habuisse opusculum S. Fortunati, et præcedentia Acta haud dubie huic auctori adscribenda esse.*

f *Idem prologus in editione Surii et Mabillonii invenitur, etiamsi in utraque desint sequentes veterum capitum tituli, quos ex apographo nostro Vallis-Lucentis exhibemus.*

TITULI VETERUM CAPITUM.

De origine et celsitudine ejus, et de rege Clothario I
De fano, quod a Francis colebatur II
De visione, qua vidit navim in specie hominis III
Quod iterum prædictus rex vellet eam accipere, et de Joanne recluso IV
Quomodo per ordinem Domini Clotharii Pictavis pervenit, ubi monasterium instruxit V
Quomodo idem rex Turonis venit, ut Pictavis accederet, et suam Reginam reciperet. VI
De eo, quod Domina R. Domno Germano episcopo litteras misit VII
Et quod idem rex eumdem episcopum ad Sanctam misit pro petenda venia VIII
De ejus obedientia in monasterio, de vigilia et oratione et lectione ejus, et bono exemplo, et paupertate IX
De tonnula octo modiorum, quam ipsam in anno ipso egregie dispensavit X
De matrona, Mammezo nomine, quam Sancta illuminavit XI
De ejus vernula Vinopergia, quæ præsumpsit sedere in ejus cathedra XII
De reliquiis sancti Andreæ et aliorum, quas in Ateias villa congregavit, et in villa Suedas ei in E visu angelus Domini obtulit XIII
De domni Mammetis pignoribus, qua Sanctæ desideravit XIV
De eo, quod vir illustris, nomine Leo, recepit lumen de ejus cilicio XV
De ligno sanctæ crucis, propter quod ad imperatorem Sancta misit XVI
De missis, quos imperatori gratias agens misit, et quod in mari periclitantur XVII
De eo, quod per signum crucis dæmones a monasterio fugavit XVIII
De nocturna ave XIX
De eo, quod ante annum transitus sui vidit locum sibi paratum XX
De ejus transitu XXI
De lapidariis, qui audierunt angelum loquentem de ea in ipso transitu XXII
Gregorius episcopus ad sepeliendum eam venit, qui vidit ibi vultum angelicum XXIII
Quomodo corpus ejus portaverint, et de illuminatione cæci XXIV
De cereis, quos puer tenebat ad sepulchrum ejus XXV
De Babbone abbate XXVI
De feminis vexatis XXVII F

CAPUT I.

Ortus Sanctæ, conjugium cum rege, zelus fidei, divortium, professio vitæ monasticæ, et constantia in proposito.

1. *Dum Sancta adhuc esset conjuncta regi,* Igitur de beatæ Radegundis vita in primo libro sicut continetur ejus regalis origo et dignitas, nulli habetur incognitum, et qualis fuit ejus actio, dum cum rege terreno et conjuge, rege præcelso Clothario conversaretur. De regali progenie nobile germen erupit, et quod sumpsit ex genere, plus ornavit ex fide. Conjuncta terreno principi nobilis Regina cælestis plus quam terrena, sed in ipso conjunctionis brevi *a* tempore, ita se sub conjugis specie nupta tractavit, ut Christo plus devota serviret, ut hoc ageret in seculari proposito

Ex Mss.

proposito, quod ipsa desideraret imitari Religio, jam antecedens animi futuræ conversationis adventum, dum seculari sub habitu Religionis formabatur exemplum. In nullo hujus mundi compede catenata, in servorum Dei obsequio succincta, in redemptione captivorum sollicita, in egenorum erogatione profusa, proprium credidit, quidquid de se pauper accepit.

II. superstitiosum fanum comburi jussit

4 Cum esset cum rege adhuc in mundiali habitu, mens intenta ad Christum (teste Domino loquor, cui ore tacente pectora confitentur; cui etsi lingua taceat, conscientia nihil occultat; quia, quod audivimus dicimus, et quod vidimus testamur) invitata ad prandium Ansifridæ matronæ; dum iter ageret, seculari pompa comitante, interjecta longinquitate terræ et spatio, fanum, quod a Francis colebatur, in itinere beatæ Reginæ quasi milliario proximum erat. Hoc illa audiens, jussit famulis fanum igni comburi, iniquum judicans, Dominum cæli contemni, et diabolica machinamenta venerari. Hoc audientes Franci, universaque multitudo, cum gladiis et fustibus, vel omni fremitu diabolico conabantur defendere;
B sancta vero Regina immobilis perseverans, et Christum in pectore gestans, equum, quem sedebat, in antea non movit, antequam et fanum perureretur, et, ipsa orante, populi inter se pacem firmarent. Quo facto virtutem et constantiam beatæ Reginæ omnes admirantes, Dominum benedixerunt.

III. et post divortium miramque visionem,

5 Postquam operante divina potentia a rege terreno discessit, quod sua vota poscebant, dum Suedas in villa, quam ei rex dederat, resideret; in primo anno conversionis suæ vidit in visu navim in hominis specie, et in totis membris ejus sedentes homines; se vero in ejus genu sedentem; qui dixit ei: Modo in genu sedes; adhuc in pectus meum sessionem habebis. Hinc ostendebatur ei gratia, qua fruitura erat. Hunc visum cum contestatione secretius suis fidelibus retulit, ut ea superstite, hoc ne quis sciret. Quam cauta in collocutione, quam devota in omni actione! In prosperis et in adversis, in lætitia et in trititia semper æqualis: nec in adversis se fregit, nec in
C prosperis extulit.

IV. audito rumore, quod rex rursus eam sibi vellet jungere uxorem,

6 Cum in villa ipsa adhuc esset, fit sonus, quasi eam rex iterum vellet se dolens grave damnum pati, qui talem et tantam Reginam permisisset a latere suo discedere; et nisi eam reciperet, penitus vivere non optaret. Hæc audiens Beatissima nimio terrore perterrita, se amplius cruciandam tradidit cilicio asperrimo, ac tenero corpori aptavit; insuper et jejunii cruciatum induxit; vigiliis pernoctans in oratione se totam diffudit, despexit sedem patriæ; vicit dulcedinem conjugii; exclusit charitatem mundialem, elegit exul fieri, ne peregrinaretur a Christo. Adhuc de regali habens ornamento fusum *b*, ex auro et gemmis et margaritis factum, habentem in se auri solidos mille, misit eum viro venerabili Domino Joanni *c* recluso in castello Cainone *d*, per nonnam *e* suam, nomine Fridovigium, quam proximum habebat, cum suis fidelibus, ut pro ea oraret, ne iterum ad seculum reverteretur; sed et vestem ei cilicinam transmitteret; unde corpus suum limaret *f*. Transmisit et rachinam *g* cilicinam, unde et interius et superius sibi fecit indumentum, ut si quid de causa, quam timebat, in Spiritu sancto sentiret; eam certiorem redderet. Quod si hoc rex vellet, ipsa magis optaret vitam finire, quam regi terreno iterum jungi, quia jam Regis cælestis copulabatur amplexibus. Vir ergo Domini tota nocte in vigiliis et orationibus pernoctans, inspirante sibi divina potentia, in crastinum mandavit ei, hoc regis esse voluntatem; sed Dei non esse permissum: antea enim rex Dei judicio puniretur, quam eam in conjugium acciperet. D

V. et educere monasterio quod fundaverat, *h* *i*

7 Post hoc dictum, supradictæ Dominæ mens, intenta ad Christum Pictavis, inspirante et cooperante Domino, monasterium sibi per ordinationem præcelsi regis Clotharii construxit; quam fabricam vir apostolicus Pientius *h* episcopus, et Austrapius *i* Dux, per ordinationem Dei celeriter fecerunt. In quo monasterio sancta Regina mundi falsa blandimenta respuens gaudens ingressa est, ubi perfectionis ornamenta conquireret, et magnam congregationem puellarum Christo numquam morituro sponso aggregaret. Quo electa abbatissa, et jam constituta; tam se quam sua ornamenta ejus tradidit postestati, et ex proprio jure nihil sibi reservans, ut curreret expedita post Christi vestigia, et tantum sibi plus augeret in cælo, quantum subtraxisset de seculo. Mox etiam ejus sancta conversatio cœpit fervere in humilitatis conversatione, in charitatis ubertate, in castitatis lumine, in jejuniorum pinguedine, et ita se toto amore tradidit cælesti Sponso, ut Dominum mundo corde complecteus, Christum in se habitatorem esse sentiret. E

VI. scripta epistola tantum effecit.

8 Sed invidus bonorum humani generis inimicus, cujus voluntatem, etiam dum in seculo esset, facere abhorruit, eam persequi non cessavit. Sicut enim jam per internuntios cognoverat, quod timebat, præcelsus rex Clotharius cum filio suo præcellentissimo Sigiberto *k* Turonis advenit, quasi devotionis causa, quo facilius Pictavis accederet, ut suam Reginam acciperet. Quo cognito, beata Radegundis sacramentales *l* literas fecit et sub contestatione divina viro apostolico domino Germano, Parisius civitatis episcopo *m*, qui tunc cum rege erat, quas ei per Proculum suum agentem secretius direxit, cum exenio, et eulogiis *n*. At ubi eas relegit vir Domino plenus, lacrymans prosternit se pedibus regis ante sepulchrum sancti Martini, cum contestatione divina, sicut ei literis fuerat intimatum, ut Pictavis non accederet. F

VII. ut rex propositum suum mutaverit.

9 Sic rex amaritudine plenus, intelligens, hoc petitionem esse beatæ Reginæ, pœnitentia ductus, malis consiliariis istud reputans, seque indignum judicans, quod talem habere Reginam diutius non meruisset, prosternit se et ille ante limina S. Martini pedibus apostolici viri Germani, rogans, ut sic pro ipso veniam peteret beatæ Radegundi, ut ei indulgeret, quod in ea per malos consiliarios peccaverat. Unde ultio divina de præsenti in eos vindicavit: sicut enim Arrius, qui contra fidem Catholicam certans, omnia intestina sua in secessum deposuit, ita et istis evenit, qui contra beatam Reginam egerunt. Tunc rex timens Dei judicium, quia ejus Regina magis Dei voluntatem fecerat, quam suam, dum commorata cum eo fuerat, rogat beatum virum celeriter illuc ire. Sic vir apostolicus dominus Germanus Pictavis veniens, ingressus monasterium in oratorio, Dominæ Mariæ nomini dicato, prosternit se ad sanctæ Reginæ pedes, pro rege veniam poscens: illa vero gaudens, se de seculi faucibus ereptam, benigne indulget, et se Dei aptavit servitio. Expedita jam sequi Christum quocumque iret: quem semper dilexit, ad eum animo devoto percurrit. Talibus ex rebus intenta, addito vigiliarum ordine, quasi carceris se sui corporis

EX MSS

A corporis fecit pernoctando custodem, et cum esset aliis misericors, sibi judex affecta est; reliquis pia, in se abstinendo severa; omnibus larga sibi restricta, ut confecta jejuniis non sufficeret, nisi et de suo corpore triumpharet.

ANNOTATA.

a *Hinc colligimus, Sanctam regi Chlotario non fuisse conjunctam longo tempore, quod aliqui ad sexennium extendunt.*

b *Hæc periodus in variis editionibus et manuscriptis diversimodo exprimitur : nam in editione Mabillonii sic habetur :* Adhuc de regali secum habens ornamento felte fusum, ex auro et gemmis vel margaritis factum, habentem in se auri solidos mille *etc. At editor in notis ibi monet, in alio Ms. pro* felte *legi* cifum *id est verosimiliter* scyphum. *Itaque secundum hanc ultimam lectionem dici posset Sancta ex regalibus ornamentis adhuc habuisse scyphum fusum ex auro, et gemmis ornatum. In nostro autem apographo nec* felte *nec* scyphus *invenitur; sed solum* fusum ex auro et gemB mis factum, *qua voce intelligi possunt insignia muliebria, quæ antiquitus sepulcris earum appendi solebant, ut in auctiori Glossarii Cangiani editione ad vocem* fusus *explicatur. Surius denique hunc sensum ita mutavit :* Habebat tum apud se regium quoddam ornamentum, ex auro fusile gemmis et margaritis conspicuum *etc.*

c *Henschenius noster ad diem quintam Maii, seu tomo* II *istius mensis pag.* 50 *et sequente gesta cultumque hujus S. Joannis illustravit.*

d Caino *est antiquum Turonum castrum, quod vernacule* Chinon *dicitur, ad fluvium Vingennam situm, de quo Gregorius Turonensis in libro de gloria confessorum cap.* 23 *meminit, occasione prædicti S. Joannis, cujus gesta ibidem breviter exponit.*

e Nonna *apud veteres appellatur sanctimonialis antiqua, seu sacra virgo vel vidua jam senex, ut Cangius in Glossario fusius explicat.*

f Corpus suum limaret, *id est quasi lima detereret.*

g Rachina *aliquando sumitur pro operimento lectorum. Videtur hic significare vestem e panno crasso ac vili confectam, ut videre est apud Can-* C *gium in Glossario, ubi hanc vocem, diversis modis scriptam, exponit.*

h *Hunc præsulem Pictaviensem in Opere nostro ad diem* 13 *Martii seu tomo* II *istius mensis pag.* 275 *inter Sanctos recensuimus.*

i *Dux iste Austrapius postmodum apud castrum Sellense clero adscriptus et crudeliter interfectus est, ut Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 4 *cap.* 18 *narrat.*

k *Chlotarius hunc filium ex Ingunde suscepit, ut laudatus Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib.* 4 *cap* 3 *testatur.*

l Sacramentales litteræ, *teste Cangio in Glossario, hic accipiuntur pro litteris, quæ sacramentum vel juramentum continent. Istud autem jurandum hoc loco ita intelligendum existimo, ut Sancta juratum suum continentiæ servandæ votum in litteris illis expresserit.*

m *Acta S. Germani Parisiensis in Opere nostro ad diem* 28 *Maii vel tomo* VI *istius mensis a pag.* 774 *illustravimus.*

n Exenium *vel* xenium *et* eulogiæ, *interdum accipiuntur pro munusculis, ut in Glossario Cangii ad utramque hanc vocem videre est.*

CAPUT II.

Præcipuæ illius virtutes in vita monastica.

His igitur studiis occupata per omnem modum, sicut in primo libro intimatum est, meruit soli Domino prompte vacare. Quo tamen tempore, fortioribus armis induta, sine cessatione orationibus, vigiliis, lectione propensa insudabat. Peregrinis ipsa cibos ministravit ad mensam, ipsa suis manibus lavit, et tersit infirmantum vestigia. Non famulæ permisit sibi dari solatium, ad quod devota cursitabat implere servitium. Se autem in tam ardua abstinentiæ districtione reclusit, usquequo infirmitas permisit, ut mens intenta Deo terrenum jam non requireret cibum. Lectulum vero pœnalem sibi construxit, postquam Religionis induit habitum. Non illum aliquando mollis pluma fulcivit, neque linteaminis nitor instruxit, quæ pro indumentis universis cinere et cilicio tenera membra domavit. E

IX. Dum Sancta in monasterio

11 De abstinentiæ vero rigore, anterior liber multa docuit. In tantum enim se propter Deum pauperem fecit, ut ceteris exemplum præberet. Manicam, quam brachio indueret, non habebat, nisi de caliga sua sibi duas fecit manicas : sed ita se tractabat, ut hoc nec abbatissa sentiret. Quis enim ejus patientiam, quis caritatem, quis fervorem spiritus, quis discretionem, quis benignitatem, quis zelum sanctum, quis jugem meditationem die noctuque in lege Domini poterit explicare? Quæ cum a meditatione psalmorum aut prædicatione cessare videretur, lectrix tamen ante eam una monachorum legere non desistebat : in tantum de corde et ore illius Dei laus non discedebat, ut cum quadam vice vidisset posticiarium *a* monasterii transeuntem, nomine Eodegundem, ubi eam voluit appellare, pro ejus nomine, ALLELUYA clamavit. Hoc millies fecit.

austeram vitam ducere,

a

12 Numquam mendacium, numquam maledictum contra qualemcumque personam ab ejus ore processit : et non solum non detraxit cuiquam, sed nec detrahentem patienter audivit. Pro persequentibus se semper oravit, et orare docuit. Congregationem, quam nomine Domini congregavit, in tantum dilexit, ut etiam parentes vel regem conjugem se habuisse non reminisceretur : quod frequenter nobis dum prædicabat, dicebat : Vos elegi filias; vos mea lumina, vos mea vita, vos mea requies, totaque felicitas; vos novella plantatio. Agite mecum in hoc seculo, unde gaudeamus in futuro; plena fide, plenoque cordis affectu serviamus Domino in timore, in simplicitate cordis quæramus eum, ut cum fiducia ei dicere possimus; Da, Domine, quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.

et ibidem moniales ad perfectionem excitans, F

13 Numquam imposuit alicui, quod ipsa prius non fecit. Undecumque servus Dei venisset, sollicite perquirebat, qualiter Domino serviret. Si quid vero novi ab eo agnovisset, quod ipsa non faceret, continuo cum omni alacritate sibi prius imposuit, et post congregationi tam verbo quam exemplo ostendit. Cum ante eam vicibus psalmus cessasset, lectio numquam discessit; non die, non nocte vel paululum corpus suum refecit: Cum lectio legebatur, illa sollicitudine pia animarum nostrarum curam gerens dicebat : si non intelligitis,

varios charitatis

Ex Mss. tis, quod ,legitur; quid est quod non sollicite re-
quiritis speculum animarum vestrarum? Quod etsi
minus pro reverentia interrogari præsumebatur,
illa pia sollicitudine, maternoque affectu; quod le-
ctio continebat, ad animæ salutem prædicare non
cessabat. Sicut enim apis diversa genera florum
congregat, unde mella conficiat, sic illa ab his,
quos invitabat, spiritales studebat carpere flosculos,
unde boni operis fructum tam sibi quam suis se-
quacibus exhiberet.

aliarumque virtutum 14 Dum nocte quasi vel unius horæ spatio vi-
deretur somnum capere, semper tamen lectio le-
gebatur, Quæ legebat, in se somni marcorem sen-
tiens, putabat eam jam paululum requiescere. Ubi
a lectione cessasset, mens intenta ad Christum
(tamquam si diceret : Ego dormio et cor meum
vigilat) aiebat : Quare taces? Lege, ne cesses.
At ubi surgendi horam media faceret nox, quam-
quam antea totum implesset cursum, quæ adhuc
nec soporem senserat, jam parata de stratu ad Do-
mini servitium gaudens surgebat, ut cum fiducia
diceret : Media nocte surgebam ad confitendum
tibi, Domine. Nam frequenter et dormire visa
B est, et psalmum decantare in ipso sopore; ita ut
recte et veraciter diceret : Meditatio cordis mei
in conspectu tuo semper. Charitatis autem ejus ar-
dorem, quo omnes homines dilexit, quis um-
quam poterit imitari? Resplenduerunt in eo quæ-
que virtutes, modestia cum verecundia, sapien-
tia cum simplicitate, severitas cum mansuetudine,
doctrina cum humilitate, vita denique immacu-
lata, vita irreprehensibilis, vita sibimet semper
æqualis.

x. 15 In tantum se extraneam de rebus propriis
actus exerceret, fecit, ut si alicui de sororibus merum donare vo-
luisset, de suo sibi cellario tangere non præsum-
psit. Quo cognito, venerabilis abbatissa *b*, dedit
b ei tonnellum *c* octo modiorum, quam beatæ Fe-
c licitati cellerariæ *d* ad expensam commendavit.
d De vindemia usque ad aliam omnibus diebus,
ubicumque ei Sancta jussit dispensavit, et num-
quam minuit, sed semper æqualis permansit : ubi
vero novum vinum advenit, quod cellarium imple-
vit, se tonnella satisfecisse credidit; ante pun-
e tones *e*, et tonnæ defecerunt, quam hæc, quæ
Beatæ in omnibus fecit voluntatem. Dominus de
quinque panibus, geminisque piscibus quinque
C pavit hominum millia, et suam ancillam, ubi-
cumque indigere vidit, de hoc parvo vasculo to-
to anno refecit.

et pro pace regni 16 Semper de pace sollicita, semper de salu-
te patriæ curiosa, quandoquidem inter se regno
movebantur, quia totos diligebat reges, pro
omnium vita orabat, et nos sine intermissione pro
eorum stabilitate orare docebat : ubi vero inter
se ad amaritudinem eos moveri audisset, tota tre-
mebat, et quales litteras uni, tales dirigebat al-
teri, ut inter se non bella, nec arma tractarent,
sed pacem firmarent, patriæ ne perirent. Simili-
ter et ad eorum proceres dirigebat, ut præcel-
sis regibus consilia ministrarent, ut eis regnan-
tibus populi et patria salubrior redderetur. Con-
gregationi suæ assiduas vigilias imponebat, et ut
sine intermissione pro eis orarent, cum lacrymis
docebat. Se vero in quanto cruciatu affligebat, quis
his verbis explere valent? Et intercedente ea,
pax regum, mitigatio belli, salus patriæ aderat,
ut ejus obtentum intelligentes, nomen Domini
benedictum collaudarent plebes.

solicite laboraret, 17 Quamlibet de pace regum cum Rege cæli
victoriam obtineret, magis se Deo devota prom-
pte aptabat et omnium servitio mancipabat, non
curans, quale obsequium faceret, quæ totis viribus D
implere studebat servitium. Pedes omnium mani-
bus lavans propriis, sabano tergens,,et osculans : et
si permissum fuisset, ad similitudinem Mariæ fusis
crinibus extergere non renuebat : unde pro tam im-
mensis beneficiis, quæ sunt in ea divino munere
collata, Dominus virtutum largitor eam in miracu-
culis clariorem reddidit in Francia; ubi dum regna-
re videretur, sibi magis cæleste, quam terrenum
præparavit regnum. Fecerat sibi oratorium, quati-
nus vicibus dum se regi subduceret, semper ibi
cæli Dominum invocaret, in quo beneficia Dei præ-
stantur ad invocationem nominis ejus, cujus assi-
dua ibi fuit oratio.

18 Postquam se in monasterio reclusit, matrona, XI.
Mammezo nomine, dum iter ageret, in oculo ejus *Deus in gratiam ipsius.*
gravis est sordicula *f* ingressa : ubi una vox, unus *f*
clamor iuerat ei diebus et noctibus; ut suam fi-
delem Dominus declararet : quæ quamvis ibi cor-
pore jam non esset, ad invocationem tamen sui
nominis benigna adfuit. Dominus enim posuit ei
in sensu, ut ad suum oratorium pergeret, et ad
ejus invocationem se salvari crederet. At ubi fe-
mina manibus servorum sustentata vix ad ora- E
torium ducta, validissimum sustinens dolorem, se
in pavimento projecit, et clamare, cœpit; Domi-
na Radegundis, credo te virtute Dei esse ple-
nam, cujus voluntatem magis fecisti, quam ho-
minum, Domina bona, pietate plena, miserere
mei; subveni infelici, ora pro me, ut mihi red-
datur oculus; quia præ gravi cruciatu et dolore
affligitur anima mea. Sic illa, quæ dolores omnium
in se transtulit, dum in corpore fuit, benigne
exaudivit ad invocationem nominis sui. Domino
quippe miserante, per ejus interventum dolor fu-
git, salus advenit, oculum, quem jam perdi-
disse credebat, soluto dolore, sanum recepit. Quæ
tot diebus nec cibum sumpserat, nec lumen diei
viderat, pedibus suis, nullo sustentante, incolu-
mis ad domum suam reversa est, Domino usque
in præsentem diem gratias agens *g*. *g*

19 Adjiciatur et aliud ad laudem Christi mira- XII.
culum, qui suos trepidari ab aliis facit. Vinober- *quædam miracula patravit.*
ga una ejus fuit famula, quæ ausu temerario in
cathedra beatæ Reginæ post ejus discessum sedere
præsumpsit. Quo facto, judicio Dei percussa sic
ardebat, ut viderent omnes fumum de ea in altum
procedere, et illa coram omni populo confitens, F
se proclamaret peccasse, et propterea, arderet, quia
in Beatæ sede consederat. Tribus ergo diebus et
noctibus incendium passa, vociferans clamabat :
Domina Radegundis; peccavi, male egi; indulge
mihi, refrigera membra duro cruciatu exusta :
misericordia larga, bonis operibus gloriosa, quæ
omnibus misereris, miserere mei. In tanta pœna
ipsam omnis populus videns, pro ea precabatur,
tamquam si præsens esset, dicens : Quia ubicum-
que ex fide invocatur, adest. Domina bona, par-
ce ei, ne tanto cruciatu infelix deficiat. Sic Beatis-
sima ad preces omnium benigne indulget, ignem
ferventem compescuit, sospes domum rediit, et sic
istius pœna omnes fecit cautos ac devotos.

ANNOTATA.

a Posticiaria *videtur deduci a* posticio, *quam vocem supra explicuimus, et communiter significat illam monialem, quæ habet curam recipiendi ea quæ in monasterium ab exteris et ex monasterio ad exteros mittuntur, Galli vulgo talem* la tourriere *appellant.*

b *Hæc abbatissa fuit S. Agnes de qua superius*

A rius et inferius mentio occurril, et cujus Acta Majores nostri una cum gestis S. Disciolæ ad diem 13 Maii, tomo III istius mensis pag. 238 et sequente breviter exhibuerunt.

c Tonella, et touna vel tunna est vas seu dolium, quod Belgæ, Germani et Galli vernacule etiam tonne appellant.

d Celleraria et cellerarius in monasteriis vocantur, qui cibi et potus curam habent, seu cellæ vinariæ et escariæ præsunt, ut jam sæpe in Opere nostro explicatum est.

e Punto vel pouto hic significat speciem dolii, ut Cangius in Glossario ad vocem pontones observavit.

f Suspicor, hanc vocem sordicula provenire a sordibus, et forte pro sordicula legendum esse sorditia, de qua voce Cangius in Glossario agit, ita ut Baudonivia hac phrasi significare velit, aliquas sordes in oculum istius mulieris ingressas esse.

g Opinor, hæc Acta a Baudonivia non diu post obitum S. Radegundis conscripta esse, cum mulier illa, cui hoc miraculum contigerat, tunc adhuc viveret, et plures oculati aliorum gestorum B testes superessent, ut ex sequentibus etiam apparebit.

CAPUT III.

Reverentia ipsius erga sacras Sanctorum exuvias, et reliquias sanctæ Crucis.

XIII. *Sancta præter alias sacras reliquias,* Suedas in villa dum esset, devoto ac fideli animo mens intenta Christo, reliquias Sanctorum adunare cupiens, ea orante, venit vir venerabilis Magnus presbyter, cum reliquiis Domni Andreæ, et aliorum quamplurimorum: quibus super C altare positis, cum nocte devota vigilat super formulam *a*, et se ad orationem prosternit, parvus sopor ei accessit, qualiter ei dominus declararet votum suum impletum, dixit ad eam: Cognosce benedicta, quia non hæ solum reliquiæ, quas presbyter Magnus attulit, hic sunt tantum, sed quantas in Ateias villa congregasti, omnes hic convenerunt. Ubi autem oculos aperuit, vidit virum splendidissimum, qui hoc ei nuntiaverat, et gaudens Dominum benedixit.

XIV. *mirabiliter digitum S. Mammetis* 21 Postquam monasterium est ingressa, quantam multitudinem Sanctorum fidelissimis precibus, congregavit! Hoc Oriens testatur, Aquilo, Auster, vel Occidens profitetur: quia undique pretiosas gemmas cæloque reconditas, et quas paradisus habet, ipsa devota tam muneribus, quam precibus sibi obtinuit. Cum quibus incessanter jugi meditatione psalmos et hymnos se decantare erebat. Pervenit taudem ad eam de Domno Mammete martyre *b*, quod Hierosolymis sua sancta quiescerent membra. Hæc audiens, avida ac sitibunda potabat, veluti hydrops, qui quantum fontem trahit, tantum sitis addita crescit; ista vero de rore Dei plus madefacta calet. Transmisit virum venerabilem Reovalem *c* presbyterum, qui tunc secularis erat, et adhuc superest corpore, ad patriarcham Hierosolymitanum, poscens de beati Mammetis pignore. Quod vir Dei suscipiens benignissime, rogationes *d* populo indixit, voluntatem Dei inquirens. Tertio die, Missa celebrata, beati Martyris sepulchrum cum omni populo adiit, alta voce, plena fide, hujusmodi protestatur dicens: Peto te, confessor et martyr Christi, si vera est ancilla Dei beata Radegundis, innotescat cunctis potentia tua, et permitte, ut de pignore tuo mens fidelis, quod poscit, accipiat.

EX MSS.

22 Oratione completa, ubi omnis populus, amen, respondit, venit ad sanctum sepulchrum; semper Beatæ fidem pronuntians, tangebat membra, quale beatissimus ad petitionem dominæ Radegundis dare juberet. Tetigit in manu dextera singulos digitos: ubi ad minorem venit digitum, se suavi tactu de propria manu tulit, ut beatæ Reginæ desiderio satisfaceret, et ejus voluntatem impleret. Quem digitum vir apostolicus beatæ Radegundi cum digno honore direxit: de Hierosolyma usque Pictavis in ejus honore semper laus Dei personuit. Quid putas, quam ardenti animo, quam fideli devotione, tanti pignoris præmium exspectans se abstinentiæ mancipavit? At ubi se beata Regina hoc munus cæleste accepisse cum omni alacritate gauderet, tota hebdomada cum omni congregatione se psallentio *e*, vigiliis et jejuniis aptavit, Dominum benedicens, se tale munus accipere meruisse. Sed Deus fidelibus E suis, quæ postulant, non abnegat: frequenter et dulciter, quasi in figura, ut nemo intelligeret, dicebat: Cui animarum cura est, fortiter laudem ab hominibus debet timere. Sed nihilominus quantum illa hoc vitare volebat, tantum magis ac magis virtutum Largitor sibi in omnibus fidelem declarare studebat; ita ut ubicumque infirmus a quacumque detentus infirmitate eam invocasset, salutem plene reciperet. *Hierosolyma obtinuit,* *e*

23 Vir illuster, Leo nomine, ad consilium synodi evocatus, a viris apostolicis Leonio *f*, et Eusebio *g* episcopis, dum iter ageret, oculi ejus gravi sunt caligine obducti, sanguinis nube cooperti; et nisi a famulis sustentatus pergeret, penitus nec viam videret. Qui ingressus monasterium Beatæ, ubi filias suas ei devotus tradididit Domino servituras, introivit in oratorium, Domine Mariæ nomini dicatum; post orationem dante, posternit se fide plenus super sanctæ cilicium, viriliter eam invocans, et tamdiu superjacuit, quousque dolor discessit: caligo fugata est, coagulatus sanguis se venis ministrantibus perduxit, clarisque oculis, qui manibus sustentatus venerat, sanus rediit: de cilicio Beatæ lumen recepit; lætus atque incolumis, ad synodum, ubi F cœperat, ambulavit, quod post, ipso referente, universa synodus audivit, ac inde regrediens nobis hoc ore proprio disseruit. Ipsa ei fecit devotio fundamentum basilicæ dominæ Radegundis percutere, ubi et centum dedit solidos ad fabricam ipsam faciendam. Quanti infirmi ad invocationem ejus sunt sani redditi, quis enumerare valeat? Quis unquam eam vidit et terrenam hominem esse credidit? Per Deum cæli fiducialiter et veraciter dico, quia sic semper resplendebat in oculis omnium cum animo vultus ejus, ut non immerito extrinsecus appareret, quod intrinsecus gerebatur. XV. *patratque quoddam prodigio.* *f* *g*

24 Post congregatas Sanctorum reliquias, si fieri potuisset, ipsum Dominum de sede majestatis suæ visibiliter habitare hic voluisset. Et quamquam eum carnalibus oculis non intueretur, spiritalis tamen sedulis precibus eum contemplabatur. Sed quia Dominus non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia; et qui eum toto corde, et tota mente quæsierit, sicut hæc Beata fecit, divina clementia se ei benignum exhibebit, ei in sensu posuit in cujus pectore die noctuque requiescebat, XVI. *ex Oriente afferri curat partem S. Crucis,*

14

ex MSS. requiescebat, ut sicut beata Helena *h* sapientia imbuta, timore Dei plena, bonis operibus gloriosa, lignum salutare, ubi pretium mundi appensum fuerat, perquisivit, ita ut invento ambabus manibus plauderet, et in terrra genu flexo Dominum adoraret, ubi ipsa in mortuo suscitato Dominicam crucem suppositam agnovit, dicens: In veritate tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti, tuosque captivos, quos creasti, pretioso sanguine redemisti. Quod fecit illa in Orientali patria, hoc fecit ista in Gallia. Et quia sine consilio, dum vixit in mundo, nihil facere voluit, transmisit litteras ad præcellentissimum dominum Sigibertum regem, cujus imperio patria ista regebatur, ut ei permitteret pro ejus patriæ salute, et regni ejus stabilitate, lignum Crucis Domini ab imperatore expetere. Ille vero benignissime petitioni sanctæ Reginæ assensum præbuit.

h

quæ prius Turonibus,

25 Illa igitur devotione plena, desiderio accensa, ad imperatorem non munera dirigit, quæ se propter Dominum pauperem fecit, sed oratione obtinente cum comitatu Sanctorum, quos incessanter invocabat, missos *i* suos direxit. Sed quod sua vota poscebant, obtinuit, ut beatum lignum crucis Domini, auro et gemmis ornatum et multas Sanctorum reliquias, quas Oriens retinebat, uno residens loco, se habere gloriata est. Ad petitionem etenim Sanctæ transmisit imperator legatarios cum evangeliis auro et gemmis ornatis. At ubi lignum, in quo salus mundi pependerat, Pictavis civitatem cum congregatione Sanctorum advenit, et pontifex loci *k* cum omni populo devote hoc vellet excipere, inimicus humani generis per satellites suos egit, ut pretium mundi repellerent, nec in civitate recipere vellent. Qualiter beata Radegundis tribulationibus subjaceret, aliud pro alio asserentes Judaico ordine; quod nostrum non est disserere, ipsi viderint Dominus novit, qui sunt ejus. Sed illa spiritu ferventi et animo dimicante iterum ad benignissimum regem dirigit, quia in civitate salutem recipere noluissent. Interim quousque missi sui de domno rege reverterentur, in Turonico suo monasterio virorum, quod condidit, cum psallentium choro crucem Domini et pignora Sanctorum commendavit, ut et ipsum salvaret.

i

B

k

C

in le Pictavi collocata,

26 Non minorem injuriam est passa sancta crux per invidum, quam Dominus, qui ante præsides et judices omnem malitiam patienter sustinuit, ut, quod creaverat, non periret. In quanto se cruciatu posuit? In jejuniis, in vigiliis, in profusione lachrymarum cum tota congregatione sua, usque quo respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ; qui dedit in corde regis, ut faceret judicium et justitiam in medio populi. Nam devotus rex per fidelem suum virum illustrem, Justinum *l* Comitem, transmisit ad virum apostolicum domnum Eufronium Turonicæ civitatis episcopum *m*, ut cum digno honore gloriosam crucem Domini et Sanctorum reliquias in monasterio dominæ Radegundis intromitteret. Quod et factum est. Exultavit in gaudio Beata cum omni cella sua *n*, seque hoc de cælis donum bonum, et datum perfectum suæ congregationi contulit, in spiritu sentiens, quod post ejus transitum, parvum haberent posse quamquam illa cum Rege cæli gloriaretur, unde eis subvenire posset.

l

m

n

multis claruit miraculis.

27 Hoc donum cæleste provisatrix optima, et gubernatrix bona, ut oves non usquequaque relinqueret, pretium mundi, de pignore Christi, quod de longinqua regione expetiit, ad honorem loci et salvationem populi, suo in monasterio dimisit; ubi virtute Dei cooperante, potentia cæli ministrante, cæcorum oculi lumen recipiunt, aures surdæ patefiunt, mutorum lingua ad suum redit officium, claudi ambulant, dæmones effugantur. Quid plura? Quisquis a quacumque infirmitate detentus ex fide venerit, per virtutem sanctæ crucis sanus redit *o*. Quis queat dicere; quantum et quale donum huic urbi beata contulit? Unde quisquis ex fide vivit, ejus nomen benedicit. Præcellentissimis enim dominis regibus et serenissimæ Brunichildæ *p* reginæ, quos caro dilexit affectu, et sacrosanctis ecclesiis vel pontificibus eorum cum contestatione divina suum commendavit monasterium *q*. D

o

p

q

ANNOTATA.

a Formula *hic videtur significare compagem ligneam, cui Deum precantes inniti solent, quæ significatio in Glossario Cangiano ad vocem* forma *etiam reperitur.*

b *Sanctus Mamas vel Mammes martyrio coronatus est Cæsareæ in Cappadocia; de quo ad diem* XVII *Augusti cum Martyrologio Romano agemus.* E

c *Gregorius Turonensis lib.* 10 *Historiæ Francorum cap.* 15 *de eodem Reovali meminit, ni fallor, qui erat archiater tempore* S. Radegundis, *et olim Constantinopoli aliquamdiu commoratus fuerat : quæ omnia adjuncta huic postea presbytero conveniunt.*

d Rogationes *hic accipiuntur pro supplicationibus vel processionibus ecclesiasticis, ut passim notum est.*

e Psallentium *vel* psallentia *est congregatio vel chorus canentium psalmos more ecclesiastico, ut etiam manifestum fiet ex sequentibus, ubi eadem vox aliquoties recurrit.*

f *Is est Leontius II sive Junior præsul Burdigalensis, de quo consule novam editionem Galliæ Christianæ tomo* 2 *col.* 793 *et sequente.*

g *Hic Eusebius fuit septimus episcopus Santonensis, qui cum Leontio II Burdigalensi synodum celebravit, ut novi editores laudatæ Galliæ Christianæ eodem tomo* 2 *col.* 1057 *tradunt.*

h *Hanc piam actionem Fortunatus carmine celebrat, et ideo* S. Radegundem *sanctæ Helenæ comparat, ut in Commentario prævio retulimus.* F

i Missos, *id est* legatos, *qui etiam mox infra* legatarii *appellantur.*

k *Hæc narratio, quam Baudonivia studiose videtur obscuris phrasibus involvisse, conciliari non potest cum iis, quæ in Commentario prævio ex Gregorio Turonensi retulimus, nisi dicatur Maroveus episcopus Pictaviensis primo voluisse sacras istas reliquias honorifice excipere, et postea ab aliquibus excitatus esse, ut istud obsequium recusaret.*

l *Gregorius Turonensis in Opere suo de Miraculis S. Martini lib.* 1 *cap.* 40 *eumdem, ut opinor, Justinum comitem memorat.*

m *Ætatem et Acta hujus sancti præsulis Turonensis in Opere nostro ad diem* 4 *Augusti, tomo* 1 *istius mensis a pag.* 336 *discussimus.*

n Cella *interdum pro parvo monasterio et aliquando pro ambitu interiori cujusvis cœnobii usurpatur, ut in nova Glossarii Cangiani editione exponitur. Inter varias hujus vocis significationes hæc posterior præsenti textui maxime congrua videtur.*

o *Gregorius Turonensis narrat nonnulla miracula,*

A *cula, quæ coram his reliquiis contigerunt, ut in Commentario prævio diximus.*

p *Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 613 *num.* 6 *et sequentibus Brunichildem, quæ passim apud historicos pessime audit, a variis criminibus purgare nititur, et ejus munificentiam erga loca sacra laudat.*

q *Baudonivia hic alludit ad diplomata regum, et decreta præsulum, quæ* S. Radegundis *in favorem monasterii sui procuravit.*

CAPUT IV.

Auxilium naufragantibus præstitum, aliaque miracula, mira Sanctæ visio, et pius obitus.

xvii *Naufragi Sanctam invocantes* *al. *In redeundo*

Post hoc donum cæleste acceptum, transmisit Beata missos suos, supradictum presbyterum cum aliis ad imperatorem cum simplici vestimento gratias agere. Interdum * cœpit mare fluctibus agi; ubi sunt multa pericula passi, procellas scilicet et tempestates, quales se numquam vidisse B fatebantur: quadraginta diebus et quadraginta noctibus in medio mari navis eorum periculo subjacebat. Jam de vita desperantes, mortem præ oculis habentes, inter se pacem facientes (quia eos jam mare absorbebat (videntes se in tanto periculo, voces ad cælum dabant, clamantes, ac dicentes: Domina Radegundis subveni servis tuis: dum tibi obedimus, submersi non pereamus; libera nos de mortis periculo, quia jam mare paratum est, ut absorbeat nos. Ubicumque ex fide invocata fuisti, miserta es miseris. Nunc adjuva tuos, ne pereant.

periculo mortis eripiuntur,

29 Ad has voces in medio mari venit columba, quæ ter navem circumiens, tertia vice in nomine Trinitatis, quam Beata semper corde dilexit, cum volaret, servus beatæ Reginæ, nomine Banisaius, extendit manum, et de cauda ejus tres tulit pennas, quas mari intingens, tempestatem compescuit, et ad invocationem, nominis C Beatæ, columba, quæ apparuit, ejus famulos de mortis janua vitæ reddidit, et facta est tranquillitas magna in medio mari. Illi vero alta voce clamantes, dicebant: Advenisti bona Domina, pietate plena tuos eripere, ne fluctibus mergerentur. Ad ejus invocationem non tantum sui, sed omnes sunt liberati per virtutem ipsius. Ipsas pennas huc attulerunt *a*, et munera ipsi, qui de morte salvati sunt, per loca sancta devote dederunt.

ægroti sanantur, *b*

30 Ubicumque autem invocata fuerit, benigne exaudit. Si febricitans aut pustulam *b* habens aut quacumque detentus infirmitate, pro interjecta longinquitate terræ, ad eam venire non potuisset, candela in ejus nomine accensa omnem febrem depulit. Quantum suam congregationem dilexerit, quis effari valeat? Nec si centeno sonitu linguæ plectrum moveat, hoc explere valet. Instituit, ut, dum reficerent, semper lectio legeretur, ut non solum fauces acciperent cibum, sed et aures verbum Dei audirent. Quidquid aut aliis præcepit, aut ipsa fecit, omnia propter Deum semper implevit: quidquid prohibuit fieri, aut facere ipsa vitavit, omnia in zelo Dei, et nihil carnaliter aut egit aut sapuit. Et quæ numquam otiosa ab opere Dei esse voluit, insistebat orationi, lectioni, et eleemosynis, ac prædicationibus incessanter omnibus diebus, ut nulla esset, quæ se de ignorantia excusaret. EX MSS.

xviii. dæmones fugantur,

31 Tantum denique donum in se, largiente divina gratia habuit, ut humilitatis magistrum, qui de cælo ad terras descendit imitando, Dominum in spiritu sequeretur quocumque iret. Post totam congregationem se recondebat jam ad pausationem illa, et pernoctans in oratione, sua sancta dextera monasterium per signum crucis salvabat. Quadam vice dum Beata illud signaret, aliqua de Sororibus vidit supra murum millia millium dæmonum in specie caprarum astare; sed ubi Beata dexteram cum signo crucis elevavit, omnis illa multitudo fugata nusquam comparuit.

xix. et importuna avis abigitur.

32 Simili modo ante suam cellam dum nocte astaret, semper corde et ore cursum decantans (nam intra arcana cordis sui jugis laus Dei personabat) nocturna avis, quæ hominibus est ingrata vociferans in medio monasterii, in arbore se infestabat. Dicit ei una de astantibus; Domina beata, si jubes, in verbo tuo ejicio avem. Quæ dixit ei; Si nocet, in nomine Domini signum crucis faciens, vade. Ambulavit, dixitque avi: In E nomine Domini nostri Jesu Christi jubet domina mea Radegundis, si non ex parte Dei venisti, ut ab hoc loco discedas, et penitus hic cantare non præsumas. Tamquam si ex ore Dei prolatum audisset verbum, dedit volatum, et nusquam comparuit. Merito ei aves et bestiæ obediunt, quia illa Domini numquam præteriit præceptum. Et si pro infirmitate aliquotiens requiescere voluisset; spiritu vigilante diceret, tamquam admonens qui psalmum dicebat, Age dic, nulli dubium est, quod aut spiritaliter cum Sanctis psallebat, aut certe nec sopor eam superabat.

Sancta Deo intenta

33 Mens intenta ad Christum frequenter etiam in sopore posita de futuro judicio, et de æterno præmio prædicans, expergefacta nobis dicebat: Colligite, colligite Dominicum triticum, quia vere dico vobis: Non diu erit, ut colligatis. Videte quod dico; colligite, quia quæsituræ estis istud tempus; vere, vere quæsituræ estis istos dies, et valde desideraturæ. Quod etsi tunc ignavia nostra tepide accipiebat, jam tamen nunc venisse probamus, quod dixit. Illud enim propheticum in nobis impletum est; Mittam vobis famem in F terra; famem (inquit) non famem panis neque sitim aquæ; sed audiendi verbum Dei. Licet prædicationes, quas instituit, recitentur; tamen cessavit illa incessabilis vox, desiderabilis admonitio, dulcis affectus: nam qualem vultum, Deus plasmator bone, qualem faciem, qualem personam habuit; quis potest umquam exponere? Sed et hoc reminisci supplicium est. Nos vero humiles desideramus in ea doctrinam, formam, vultum, personam, scientiam, pietatem, bonitatem, dulcedinem, quam specialem a Domino inter ceteros homines habuit.

xx. mirabilem habet revelationem.

34 Quam sancta fuit vita ejus, tam purus et dulcis aspectus. Ante annum transitus sui, vidit in visu locum sibi paratum, venit ad eam juvenis prædives, pulcherrimus, et quasi juvenilem habens ætatem, qui suavi tactu, blandoque colloquio dum cum ea loqueretur, illa de se zelans, blanditiem respuebat; qui dixit ei: Quid me desiderio accensa cum tantis lacrymis rogas, gemens requiris, fusis precibus poscis, pro me tanto te cruciatu affligis, qui semper tibi adsisto? Tu gemma pretiosa, noveris te in diademate capitis mei primam esse gemmam. Nulli dubium est, quod ipse

IX MSS.

ipse eam visitavit, cui se tota devotione tradidit, et gloriam quam fruitura erat, ei ostendit. Sed hunc visum secretius cum contestatione duobus præfatis fidelibus disseruit, ut se superstite nulli narrarent. Et quia multa sunt adhuc satis et magna, quæ propter prolixitatem præterimus, ne prolixitas audientibus fastidium generet potius, quam nitorem sermo ostendat: quantum de amore de nutrimentis, de caritate, de prædicatione, de omni omnino sancta ejus conversatione reminiscimur, cruciamur, et dolentes oculis distensis requirimus tantam pietatem, sed non invenimus, quod perdidimus. O tam dura conditio, quæ nobis infelicibus evenit! O piissima domina, utinam obtinuisses cum cæli Domino, ut ante te oves, quas congregaveras, direxisses: tu pastorem bonum sequens, gregem Domino tradidisses. Jam ad gloriosum ejus transitum venimus, quem sine profusione lacrymarum dicere non possumus. Fluunt lacrymæ, de imis medullis gemitus prorumpunt; sed in nullo consolationis locum inveniunt, dum plangimus. Si de ejus fideli devotione minus dici-

B mus, plus peccamus.

XXI. *et cum summo monialium dolore moritur,*

35 Usque ad diem transitus sui nunquam minuit cursum implere; et quod cœpit, corde retinuit, quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, ipse salvus erit. Ubi jam ad finem vitæ venit sanctum ejus corpusculum, longum trahens martyrium pro amore Domini; beati * omnes congregati *, luctuose circa ejus thorum flentes, et ejulantes, pectora duris pugnis ferientes, voces ad cælum dabant, clamantes et dicentes: Domine, ne permittas nos tam grave damnum pati; lumen nostrum recipis; nos cur in tenebris derelinquis? Et quia illa quidquid potissimum facere voluit, semper die natalis Domini facere elegit. *c*; nam gloriosus transitus ejus sic contigit. Quarta feria mane, primo *d* Idus Augusti, quo fecerat idem mensis dies tredecim, clausi sunt ejus oculi, et obscurati sunt nostri.

* * *Lege beatæ, id est moniales, congregatæ*

c

d

XXII. *ejusque gloria quibusdam revelatur.*

36 Væ nobis, quia peccavimus, afflictum est in dolore cor nostrum, flemus et plangimus, quod diutius habere non meruimus. Ipsum mane, ubi nobis tantum malum contigit, ubi una vox, ubi unus planctus, unus clamor cælos penetrabat, lapidarii, qui in monte operabantur, in aëre audie-

C runt angelum loquentem. Unus dicebat ad alios: Quid facitis? Dimittite eam adhuc; quia hæ voces ad Domini pervenerunt aures. Angeli, qui eam ferebant, respondentes dixerunt: Jam factum est, quid faciemus? Illam recepit paradisus, ubi cum Domino gloriatur. Credimus quod nos non a se separat, quæ ei se placere voluit, cum quo regnat. Flenda ergo nobis talis non est, sed tremenda. Amisimus quidem in præsenti seculo Dominam et matrem; sed in regnum Christi præmisimus intercedentem. Admirabile quidem gaudium fecit cælis, in terris vero intolerabilem luctum nobis reliquit.

ANNOTATA.

a *Ex his verbis aliqui hagiologi concluserunt, illas columbæ pennas in Pictariensi sanctæ crucis monasterio adhuc conservari. Sed consultissimus D. Filleau in Probatione historica Litaniarum Pictariensium pag.* 163 *hanc eorum opinionem operose refellit.*

b *Est genus morbi, de quo consule lexicon Martinii aut medicos passim obvios.*

c *Aliqui scriptores tradunt, Christum feria quarta natum esse. Hinc Baudonivia, forsan ex communiori istius temporis opinione natalem* D *diem Christi et obitum* S. Radegundis *eadem feria quarta collocat.*

d Primo Idus Augusti, *id est ipsis Idibus Augusti, quam phrasim etiam Hildebertus postea imitabitur. Ceterum hæc interpretatio confirmatur ex eo, quod Baudonivia statim addat, Sanctam obiisse eo die,* quo fecerat idem mensis dies tredecim.

CAPUT V.

Honorifica Sanctæ sepultura, et quædam miracula post obitum ejus patrata.

XXIII. *Dum Sancta cum maximo monialium ejulatu*

Quando ejus sancta anima de hoc seculo migravit ad Christum, non erat ibi pontifex loci *a*. Perrexit nuntius ad virum apostolicum domnum Gregorium Turonicæ civitatis, qui statim advenit. Sed quantum præsens vidit oculis antequam sepeliret eam, de ejus virtutibus, in Libro miraculorum, quem composuit, inseruit. E Cum autem venit ad locum, ubi sanctum corpus jacebat (ut ipse postea cum sacramento dicebat, quod in specie hominis vultum angelicum viderat) facies illius velut rosa et lilium fulgebat; ita tremefactus est, ac metu concussus, tamquam si ante præsentiam Dei Genitricis adstaret, devotus vir, Deo plenus. Expectabatur pontifex loci, ut eam condigne sepeliret. Tota congregatio circa ejus thorum stans psallebat; ubi psallentium vel paululum quiescebat, intolerabilis planctus aderat. Triduo expectatus est pontifex, quia vicos circuibat; sed quia non venit, supradictus vir apostolicus, de caritate fisus, in basilica sanctæ Mariæ *b* nomini dicata, ubi sacra virginum corpora de monasterio suo conduntur, eam cum digno sepelivit honore.

a

b

XXIV. *a Gregorio Turonensi honorifice sepelitur.*

38 Cum sub muro cum psallentio sanctum ejus corpus portaretur, quia instituerat, ut nulla vivens foris monasterii januam egrederetur, tota congregatio supra murum lamentans, ita ut planctus earum superaret ipsum psallentium, pro psalmo lacrymas, pro cantico mugitum, et gemitum F pro Alleluya *c*, reddebant. Rogaverunt de sursum, ut subtus turrim repausaretur feretrum, graviter sustinentes ejus absentiam. Sed ut suam Fidelem Dominus declararet in medio populi, ibi dum pausaretur sanctum corpus, cæcum illuminavit, qui multis annis lumen diei non viderat; post feretrum nullo sustentante vadens, tamquam si nullum habuisset laborem oculorum, ad sanctum sepulchrum abiit, et usque hodie clare videt.

c

XXV. *candela in tumulum ejus ultro avolat,*

39 Non prætermittatur et aliud miraculum. Ubi eam sepelivit supradictus episcopus, coopertorium non fuit, antequam pontifex loci veniret. Liberæ *d*, quæ ante eam cereos portaverunt, totæ in gyro sepulchri adstabant; unaquæque in suo cereo suum nomen dabat scriptum, totæ uni e famulis cereos ipsos juxta ordinationem tradebant. Fit contentio in populo; alii dicebant cereos ipsos in ejus sanctum sepulchrum mitti debere; alii dicebant non. Dum istud ageretur, de pueri brachio, qui totos tenebat, unus exilivit in alto super omnem populum, et se in sepulchro ad pedes Beatæ posuit, et quod hæsitabatur, declaravit. Respicientes ad nomen, cujus esset cereus, inventum est Calvæ nomen. Hoc videns episcopus

d

EX MSS.

A pus vel omnis populus, admirantes virtutem beatæ Radegundis, Domino benedixerunt. Quantæ post ejus transitum ibi sunt factæ virtutes, quanti dæmoniaci liberati, quanti febricitantes sanati, quis enumerare valeat?

XXVI. *ægri sanantur,* e f

40 De Burgundia cum viro apostolico Leifasto *e* episcopo veniens ejus abbas, nomine Abbo *f*, dum esset Pictavis in civitate, dentis incurrit validum dolorem: die noctuque una vox, unus dolor inerat, mortem evenire sibi optans, ut tanto careret dolore. Qui inspirante sibi divina misericordia rogavit, se duci ad Sanctæ basilicam; ubi ingressus cum fide, se ante sanctum sepulchrum terræ projecit, mortem præ oculis habens, pallam corporalem super sanctum tumulum mordicus apprehendit. Qui septem diebus nec cibum sumpserat, nec somno refici poterat, in hoc morsu sopor accessit, dolor discessit, sanus ad hospitium rediit. Quod post, ipso referente, plures cognoverunt, ubi se fatebatur de mortis janua per virtutem dominæ Radegundis esse revocatum.

XXVII. *energumenæ liberantur*

41 Et quia mos est in festivitate beati Hilarii reliquis monasteriis circumcirca proximis, quæ B sunt ibi, usque mediam noctem vigilias celebrare; de media nocte unusquisque abbas cum suis Fratribus ad suum revertitur monasterium cursum celebrare. Quamdiu in beati Antistitis basilica *g* vigilaverunt, tota nocte energumeni clamaverunt; inter quos mulieres duas graviter infestabat inimicus; præcipue una tantum bacchabatur, ut in ejus fremitu tota tremeret basilica. Postquam inde vir venerabilis Arnegiselus abbas *h* basilicæ beatæ Reginæ *i* cum suis monachis exivit ad suam vadens basilicam cursum implere, quem illa satis dilexerat; ipsa post se mulieres audierunt clamantes venire, quæ ingressæ basilicam, dominam Radegundem, ut eis parceret, supplicabant. Una ex eis, quæ gravius tribulabatur, jam ter quinos habens annos, ex quo eam spiritus nequam flagellabat (tunc Matutina dicebatur) sæviens inimicus vas, quod invaserat, reliquit. Illa alia ad Tertiam ante ostium basilicæ est liberata, et ultra nequissimus hostis eis nocere non valuit. Quam larga est et dives misericordia Dei, quæ suos vereri facit, et loca requirit ipse virtutum largitor ac dispensator, ubi per suos fideles suam ostendat potentiam. Ad basilicam sancti viri sunt C alii liberati; alii vero basilicæ dominæ Radegundis sunt directi, ut sicut æqualis gratiæ erant, ita æqualis et virtus ostenderetur.

et alia miracula patrantur. k

42 Quis male habens, quamvis vita desperatus, si pallam *k* subteriorem custos ejusdem sacri sepulchri intinxit in calice aquæ, et dedit ei febricitanti poculum, non statim, ut bibit, ante sanctum ejus sepulchrum jacens, sopor accessit, morbus recessit, Christo largiente? Omnibus diebus in nomine ipsius Domini nostri Jesu Christi, ibi multæ virtutes fiunt, unde recessit. Nos quoque fideli devotione, et sedulitate debita veneramur eam in terris, cujus anima confidimus, gaudemus et gloriamur, quod præfulgeat in cælis; ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Is erat Maroveus, qui eo tempore diœcesim suam visitabat, ut in Commentario prævio ex Gregorio Turonensi didicimus.*

b *Illa basilica postea nomen a sancta Radegunde accepit, ut Mabillonius in notis hic observavit.*

c *Vox lætitiæ* alleluja *olim in exsequiis usurpabatur, ut apud Menardum in observationibus ad librum Sacramentorum Gregorii Papæ pag. 261, aliosque veterum rituum explanatores videre est.*

d *Forte hic per* liberas *significantur virgines vel viduæ quia illæ a conjugio liberæ permanserunt; hæ post mortem mariti a lege viri liberatæ, sunt ut Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 7 § 3 loquitur.*

e Leifastus *vel* Lefastus *fuit episcopus Augustodunensis, et ineunte seculo* VII *cathedram illam ascendit, ut in nova editione Galliæ Christianæ tomo 4 col. 346 affirmatur.*

f *In eadem editione Galliæ Christianæ tomo proxime citato col. 449 hic Abbo inter Augustodunenses S. Martini abbates ordine secundus memoratur: sed ibidem editores dubitant, an is ipse abbatibus S. Symphoriani non sit potius annumerandus.*

g *Teste Mabillonio in Annalibus Benedictinis lib. 7 cap. 56 hæc basilica S. Hilarii tunc a monachis regebatur, quorum in locum seculo* IX *Canonici seculares successerunt.*

h *Cum Arnegiselus iste vocetur* abbas, *facile intelligimus, curam hujus ecclesiæ etiam eo tempore fuisse penes monachos, quibus seculo* VIII *successerunt Canonici seculares, ut Mabillonius loco proxime citato testatur.* E

i *Mabillonius ibidem de basilica, cui* S. Radegundis *non diu post mortem nomen suum reliquit, meminit his verbis*: Beatæ Mariæ basilicam sancta Radegundis itidem extra muros Pictavienses ad sepulturam sanctimonialium sanctæ crucis construi curaverat, monachisque, qui virginibus sacra ministrarent pro more illorum temporum, attribui voluerat. Leo quidam vir inluster centum solidos ad basilicæ fundamenta contulisse memoratur. Nondum sacrata erat basilica, cum beata Radegundis istic humata fuit, brevique post tempore hoc nomen loco dedit.

k Palla *vel* pala *inter alias significationes, quæ in Glossario Cangii exponuntur, indicat coopertorium sepulchrale Sanctorum, quo sensu ea vox hic accipienda est, ut ex adjunctis facile colligitur.*

ALIA VITA,

CLARIORE STILO EX DUOBUS PRÆCEDENTIBUS ACTIS COLLECTA. F

auctore venerabili Hildeberto, præsule Cenomanensi ac postea archiepiscopo Turonensi.

Ex editione D. Antonii Beaugendre, monachi Benedictini, qui Parisiis Opera Hildeberti et Marbodi anno 1708 imprimi curavit, columna 885 et sequentibus.

PROLOGUS.

Sapientis est metiri vires, nec aliquid ultra profiteri. Hanc mihi providentiam dilectio tua,

EX IMPRESSIS

Auctor, exposita scriptionis suæ causa

tua, carissime Seimane *a*, excussit, qui malui ridiculus scriptor, quam tibi inobediens inveniri: Tuis nimirum exhortationibus Vitam beatissimæ Radegundis ausus sum describere, cum dare operam studio non magis tarditas ingenii quam pontificalis administrationis occupatio *b* prohiberent. De ejus tamen gratia præsumens, qui linguas infantium facit disertas, ad Fortunati simul et Baudonivix sanctimonialis scripta recurri *c*, quorum uterque præfatam prosecutus Vitam, de pretioso apparatu pretiosa parum *d*, sicut tibi videtur, fercula confecerunt. Eorum scriptis diligenter evolutis, Fortunatum sequi disposui, cui non minus ex vita, quam ex dignitate Pontificis *e* plurimum auctoritatis accedit. Quædam tamen miracula, quorum Fortunatus quidem nullum attigit, sanctimonialis vero memoriæ reperitur commendasse, superaddere disposui; nec tamen omnia, sed ea solummodo, quæ relatu digniora beatissimæ Mulieris et meritum declarant et præmium. Cetera nosse cupientem volumina Baudonivix revolvere non tædebit. Tu itaque laboratum tibi consules opusculum, nec prius in aliorum manus B incidit, quam tuo examine vel rejiciendum supprimi vel approbatum publicis aspectibus offerri mereatur. Magna mihi rependes præmia, si subducas ab oculis hominum, quidquid senseris eorum linguas formidare. Erit igitur non solum tui arbitrii, sed eorum etiam, quos decreveris admittendos, vel correctum producere, vel penitus occultare vitiosum.

ANNOTATA.

a *Mabillonius tomo* I *veterum Analectorum pag.* 296 *hunc eumdem pro* Seimano *appellat* Seimarum, *et in indice ejusdem tomi illum cognominat* Pictavensem. *Ignoramus, an Mabillonius ei istud cognomen tribuat a loco natali, utrum ab aliqua dignitate, quam in urbe Pictaviensi habebat. Saltem inter episcopos Pictavienses nullum hujus nominis aut temporis præsulem reperimus. Sed ex hoc prologo patet, fuisse virum magnæ auctoritatis, cum huic Hildebertus præsul tam prompte obtemperaverit, eique opusculum suum corrigendum aut supprimendum commiserit.*

b *Ex* isto *loquendi modo liquet, hanc Vitam* C S. Radegundis *ab Hildeberto concinnatam esse, quando jam erat præsul, adeoque post annum Christi* 1197, *ut* § I *Commentarii prævii num.* 10 *obiter monuimus. At nondum scimus, utrum eo tempore Cenomanensem ecclesiam, an Turonensem gubernaret.*

c *Hinc confirmatur fides Actorum, quæ supra sub nomine Fortunati et Baudonivix exhibuimus, cum utraque illa lucubratio venerabili Hildeberto præluxerit.*

d *Hildebertus hoc loco scripta Fortunati et Baudonivix appellat* pretiosa parum fercula, *eo quod obscuro ac difficili stilo composita sint. Quamvis autem Hildebertus scabrum utriusque hujus auctoris stilum subinde limaverit, tamen nonnulla æque obscura reliquit, ut Mabillonius tomo* I *veterum Analectorum pag* 898 *conqueritur his verbis* : Sperabam istius ope libelli illustratum iri quasdam voces obscurissimas, quæ apud Fortunatum in Vita ejusdem Radegundis occurrunt; at, comparatis Hildeberti et Fortunati scriptis, deprehendi Hildebertum aut loca salebrosa præteriisse, aut easdem voces obscuras retulisse, nihilque fere præter stili elegantiam apud Hildebertum inveniri, quod in Fortunati et Baudonivix libris non habeatur. *Porro expositionem vocum* D *barbararum, quas in prioribus Actis explicuimus, hic non repetemus.*

e *Hinc etiam refellitur opinio eorum, qui S. Fortunato dignitatem episcopalem denegarunt; de qua re in Commentario prævio num.* 6 *obiter mentionem fecimus.*

CAPUT I.

Sanctæ patria, regium genus, captivitas, educatio in Gallia, et pia opera, quæ usque ad nubilem ætatem exercuit.

narrat, quomodo S. Radegundis, ex regibus Thuringiæ orta,

Sicut sacra Evangelii testatur auctoritas: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, illam scilicet terram, quam Propheta suspirans, Portio mea, inquit, Domine sit in terra viventium. Hujus spe, gloriosa et venerabilis regina beata Radegundis exilii sui consolata molestias, E dum temporalem dimisit hæreditatem, meruit sempiternam. Ex natione Toringa, vultu elegans, natalibus insignis, moribus insignior fuisse prædicatur. Non nova illam nobilitas, sed a priscis derivata parentibus illustravit. Avus ejus nomine Besinus *a*, pater vero Berectarius *b* regiam uterque attigit dignitatem. Ex his beata Virgo sublimem ducens originem, multo clarius enituit virtutum facibus, quam fascibus dignitatum.

in Galliam pervenerit,

3 Porro cum jam cunas evasisset et Francis irruentibus devastata regione Toringa, cum reliquis et ipsa captiva adduceretur, captivis * forte præda regi Clotario cessit non magis ejus thalamo donatura conjugio, quam profutura moribus et exemplo. Hoc eventu Puella patriam egressa Veromandis jussu regis deportatur in villa, cui Ateias nomen, aliquamdiu nutrienda. Adhibentur ei honestissimæ vitæ et clarissimi custodes nominis, sub quibus ita litteraturam disceret, ne dedisceret honestatem; nec fuit arduum rudimentis illam liberalibus informari, cujus annos et sexum non minus acumen ingenii quam castitatis insignia superabant. Præludebat jam in Virgine morosa quæ- F dam senectus, et ascensiones in corde suo disponenti sola ætatis infirmitas obsistebat. Inter illos tamen temporis et sexus aculeos inexorabiliter abhorrebat pudoris dispendia, solam morum suspirans venustatem. Unde et inter ceteros virtutum provectus, quibus tenera fervebat infantia, subvenire pauperibus, ecclesias frequentare ac divinis satagebat interesse officiis.

* forsan captivitatis

ibidemque sollicite educata fuerit

4 Erat etiam ejus consuetudinis aliquid semper de quotidiano sibi substrahere edulio, et egenis largiores reliquias providere. Has diligenter condunatas, abjecto fastu regio, puella collectis pauperibus erogabat. Commendabatur humilitate sedulitas, præmium devotione cumulabatur, cum ingenua Virgo, lotis prius singulorum capitibus, eorum manibus aquam funderet, ipsa administraret cibaria, ne quid deesset alicui, lumina circumferret. Dehinc ecclesiam senili reverentia cum suis adibat coætaneis, in qua et hymnum solveret, et suam Deo commendaret castitatem. Ac ne illius Evangelii, Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me, non potest meus esse discipulus, aliquando surriperet * oblivio, signum crucis jubebat ante ferri, quod suus ei clericus ex lignis in hos

* forte subreperet

A hos usus compingere consueverat, et ipse deferre c. Facta autem oratione, veste quidem emundabat pavimentum, facitergio autem jacentem circa sacraria pulverem reverenter excutiebat, evehens quidquid ibi sordis aut pulveris habitantium incuria reliquisset.

usque ad nubilem ætatem;

5 Hæc fuere ludicra Virginis; hos mores tenera illius induit infantia; benignus ei circa pauperes affectus, circa afflictos mira compassio. Procul ab ea mutabilis mulieris inconstantia, procul decor mutuatus. Nihil artis in vultu, nihil in sermone vanitatis. Incessus non industriæ fuit, sed naturæ. Raro mensæ, raro cultui ejus aliquid supra necessitatem accessit; quod si quando contigit, conditioni delatum est, non satisfactum voluptati. Sic in deliciis delicias ignorans, nihil fuit honestati suspectum, nihil quod moribus defectum minaretur.

quo tempore tenera puella varias virtutes exercuit.

6 Ea profecto, cum needum nubiles annos attigisset, modicum jam putabat virginitatis præmium, nisi illud martyrii gloria cumularet. Quo dum pertingere tenerrima Virgo desiderat, multa B præter et propter justitiam a domesticis pertulisse memoratur. Imminente autem tempore, quo eam prædictus rex Clotarius conjugio sibi sociare disposuerat, nocte cum paucis ab Atteias aufugit, illam generis successionem alto declinans consilio, cujus conceptus, infestatio est pudicitiæ, partus vitæ. Tandem Virgo reperta Suessionis deducitur, ibi quidem mortali nuptura regi, sed gratias non amissura sempiterni.

ANNOTATA.

a *Hic rex Thuringiæ a Gregorio Turonensi in Historia Francorum lib.* 2 *cap.* 12 Bisinus; *ab aliis* Basiuus *appellatur.*

b *Genitor Sanctæ nostræ a quibusdam* Berctharius, *ab aliis* Bertharius *vocatur, ut patet ex textu Gregorii Turonensis, quem num.* 12 *Commentarii prævii allegavimus.*

c *Ex hac constructione saltem intelligimus, quid supra sibi velit Fortunatus, qui eamdem rem luxata et obscura phrasi narrat.*

C

CAPUT II.

Nuptiæ ejus cum rege Clotario, et pia vita, quam tempore conjugii in aula duxit.

Sancta nubit Clotario regi,

Igitur sociata specie tenus terreno principi nobilis Regina, cælestis cœpit effici, plusquam terrena. Nuptiis enim in Domino celebratis, animus ejus non humana extollitur gloria, non voluptate frangitur, non illecebris inclinatur. Idem seculi contemptus, eadem in Regina permansit humilitas. De moribus ejus nihil sibi secreta conjugii, nihil imperium, nihil opes vendicarunt. Usus istorum Reginæ citra *a* libuit, quam licuit. Denique hæc tria instrumenta virtutum convertit, cum impatientiam vini * castitatis exemplo temperaret, reis adesset potentia, pauperibus divitiis subveniret. Sic offendicula morum sine offensione femina præteriens, non sibi, sed regno; non voluptati vixit, sed virtuti.

** An non potius viri?*

ex impressis et dona sibi concessa distribuit pauperibus et ægris,

8 Fuit autem prima ejus a virginitate sua dispositio, ut quidquid sibi a tributis accessisset, quid quid lege donationis, totum necessitati deserviret egenorum. Eorum vero quæ supererant partem quidem ecclesiæ, partem sibi cultus corporis vendicabat. Is etiam, si Reginæ conditionem attendas, usui potius famulatus est, quam decori. Perscrutabatur sollicite, quo in loco infirmi decumberent, quibus, aut quid deesset cœnobitis, quam incolerent heremitæ solitudinem. Quos istorum non potuit præsentia, multimodis benedictionibus *b* visitavit. Aliis vestes ipsa consuit, aliis longiora transmisit alimenta. Quibus afflictis Regina non affuit? Quis inhorruit frigore, nec Reginæ velleribus est calefactus? Quis clamavit post Reginam, nec exauditus abscessit? Quid a Regina pauperi potius extortum est, quam libenter oblatum? Quem diem non judicavit perditum, quo pro perditis moribus non egerit? Quando cultu detenta est corporis, ne causis interesset orphanorum? Et quoniam legerat, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est, sacerdotum doctrinis adesse, sacerdotum se orationibus commendare satagebat. Eorum nullus exactione gravabatur, nullus regiæ E licentia potestatis, nullus inops, nisi cujus inopiam Regina misericors ignorasset. Nimirum cedere sibi credebat ad judicium, si, Regina divite, angeli Domini mendicarent.

quibus ipsa Regina sedulo ministrabat,

9 Porro inter tanta virtutum præconia, Atteiam domum instituens, hospitio eam pauperum dicavit feminarum; disposuit et ministros, quorum diligentia, ne quid deesset pauperibus, procuraret. Innumera ibi vestimentorum mutatoria, et aptus tam vivis, quam defunctis apparatus. Aliquid opibus * misericordiæ Regina deesse credebat, nisi quorum famulabatur vitæ, famularetur etiam sepulturæ. Ad præfatam domum sæpius ingressa, ministrare discumbentibus, decumbentibus assidere, scaturientem ex ulceribus infirmorum saniem linteis abstergere, et ipsa lavare ulcera consueverat. Inclinabatur etiam ad abluenda debilium capita salutiferis decoctionibus et unguentis ea demulcens, quæ et horrenda visu, et tactu formidanda judicares. Quibus autem necessarium erat diligentius obsequium, balnea eis Regina pedissequa præparabat, multa patienter ex infirmo sustinens incommoda, quæ nauseam cuilibet ancillulæ suscitarent. Egressis inde pocula ex consue- F tudine offerebat, quos solutos balneis sumpto potio confortaret.

** An non operibus?*

et hoc ministerium deliciis aulæ præferebat.

10 His Regina instans officiis, malebat in obsoleta domo servire pauperibus, quam in palatio dominari. Quod si ea, quæ cura * maritum gerebant * *c*, nosse desideras, ita morigerata est conjugi, ne displiceret Creatori. Thalami ejus officina pudoris, et ignarum turpitudinis ac flagitii domicilium. Ibi non conventus juvenum, non infesta virtuti colloquia. Famulæ castimoniam potius exemplis docebantur, quam flagellis. Earum vita, tamquam sinu illius mores suos Regina pepetisset. Sudabat in manu Reginæ psalterium, et quousque illud in lacrymis et gemitu decantasset, cibum Regina sumere differebat. Ad mensam vero accedens, exaudire naturam consueverat, non exaudire voluptatem. Nam quia deliciarum experientiam delectorum noverat esse confinium, aquam vino, legumina regiis dapibus præferebat. Legumina fidelis famulus ei præsentabat occultius; quibus præsumptis, jejunium potius solvere videbatur, quam propulsare inediam. Dici non potest quotiens a mensis jejuna surrexerit, arbitrata Christi fieri injuriam, si Christi pauperibus nondum pransis, prandere Regina præsumeret. Occasione quoque accepta

*** lege circa maritum gerebat,*

EX IMPRESSIS accepta, post buccellam panis, mensam sæpius deseruit, vel hymnum Deo, vel debitum pauperibus exhibitura famulatum.

Etsi marito obsequeretur in debito conjugali, 11 Nam de consortio thori quid loquar? Ad quod ipsa semper ideo accessit, ut maritum lucrifaceret, non ut lenocinantem expleret voluptatem. Quippe ne sathanas maritum tentaret, marito debitum solvit, non exegit *d*. In quo si quidquam, vel ejus gratia, vel voluptatis admixtione peccatum est, statim non lacrymis tantum, sed et multo corporis cruciatu delere properavit. Fingens enim causam qua surgeret, hispidum pavimento superponebat cilicium, cui nuda tamdiu inhærebat, quousque percussis frigore medullis, pene spiritum exhalaret. Sic Regina pariter et conjugio deferens, et pudorem conservans, nec maritum reverentia defraudavit, nec libidine bonum minuit nuptiarum. Fuere, qui dicerent, monacham potius ascitam regi uxorem, quam laicam. Ipse etiam rex propositum pietatis ægro ferens animo, uxorem simulatæ religionis arguebat, adjiciens illam nuptiis minime convenire severitatem, mollius et
B uxorem viro, et virum uxori licere morigerari. Quibus Christi Filia nequaquam a sacro revocata proposito, regis amaritudinem blandis sermonibus indulcabat.

tamen operibus pœnitentiæ 12 Porro quadragesimali tempore, diutius sacris insistens vigiliis, tormenta tormentis cumulabat, quibus erudita caro spiritui servire cogeretur. Pallebant ora jejuniis, et artus hispido vulnerati cilicio, requiem inter tormenta nesciebant. Erat illi quædam monacha familiaris, devotione pariter et nomine Pia, quæ ei occulte præfatum mittere indumentum consueverat, quo semper interius inhærente desuper amictu regio, Christi Filia tegebatur. Fuit autem ejus consuetudinis, eo præcipue tempore, vicinas Sanctorum circumire memorias, providere diligenter, ne vel ornamentis ecclesiæ, vel ecclesiarum ministri sumptibus indigerent. Satagebat etiam singulis altaribus proferre luminaria, quæ propriis ipsa manibus recuperare ferebatur. Hora vero, qua sacrificia sacerdos immolabat, dominicæ Passionis memoriam quadam mentis passione pertransiens, contriti spiritus gratum Deo cremabat holocaustum. Tantis enim cælum pulsabat suspiriis, tanto lacrymarum torrente rigabatur, ac si Judæorum ma-
C nibus Christum rursus teneri, rursus videretur * crucifigi.

** forte videret et misericordia* 13 Expleto autem salutari Officio, non prius ad palatium revertebatur, quam pia curiositate circum circa jacentes infirmos, paucis comitata, visitaret. Illa non temporis importunitatem causari noverat, non pluviis aut nivibus detineri. Nullis omnino movebatur incommodis, dummodo commodis pauperum deserviret. Aliis Regina, sed humilis, abluit capita, nonnullis balnea temperavit. Quibus aut nullus, aut durior lectus aderat, his apposito stramine vel plumis, mollior parabatur. Talibus diem claudebat studiis, sera nocte rediturn. Porro dum ea, tam beatis occupata negotiis, prolixiores moras innecteret, missis a rege nuntiis, qui promptius eam reverti commonerent, regem sedere ad mensam, proceres exspectare, regiæ jussioni pauperum prætulit famulatum, nolens ante regredi, quam quod cœperat explevisset. Quod rex audiens, et graviter tulisse memoratur, et ultra quam decuit, increpasse Reginam tardius revertentem. Idem tamen postea pœnitens, veniam supplex exoravit, se ipsum constanter accusans, quod Spiritum sanctum contristaverit, et ejus templum contristare præsumpsisset. Addidit etiam largiora precibus munera, D
quæ velut in redemptionem maritalis excessus, fidelis et devota Deo uxor pauperibus erogaret. Quo facto, ita regis indignatio quievit, ut ipse de tanta devotione conjugis, et Deo gratias ageret, et quo abundantius necessitati subveniret egenorum, largiores expensas ei juberet præparari.

14 Adventantibus autem ad palatium Christi sacerdotibus, et prout exigebat imminens causa, regium implorantibus auxilium, tanto exultabat gaudio, ac si ipsam Christi constaret adesse præsentiam. Hos honore quo decuit susceptos, et loquentes audivit devotius, et discumbentibus humiliter ministravit. Nec erat promptum discerni, utrum Martham potius exhiberet, quam Mariam. Omnium causis aderat, omnium gravaminibus gravari se querebatur; nulli ejus benedictio, nulli postulatum defuit auxilium. Hoc solum, quod in eorum transibat obsequium, propriis usibus assignatum fatebatur. Ejus circa eos sedulitati nihil domus dispensatio, nihil regni negotia detrahebant. Discedentes vero flens prosequebatur et orans, ut ibi sui memores fieri dignarentur, ubi Patri Filius immolatur. *potissimum vacabat,* E

15 Nec minor ei circa reos affuit sollicitudo, qui propriis sceleribus, vel in carcerem, vel ad supplicium trahebantur. Pro eorum salute cursitabat, per singulos universis supplicabat, frequenter commemorans rei sanguinis oportere misereri, cum pro reis etiam sanguis fuerit effusus Redemptoris. Ac ne pietatis conatus in irritum duceretur, non ante cessabat blandimentis animum mulcere principis, quam qui sententiam protulerat justitiæ, proferret misericordiæ. In hac autem damnatorum solutione, tantam Christus ei gratiam contulit, ut ad nomen ejus obserati paterent carceres, ferri vincula solverentur, exirent illæsi, quibus censura curiæ mortem dictaverat, aut tormenta. *sæpiusque apud regem intercedebat pro captivis,*

16 Cum enim in villa, quæ Perona nominatur, matura securitate perambularet, rei qui in proximo carcere damnatione tenebantur addicti, clamare cœperunt, ut eis Regina subvenire dignaretur. Quo audito, quidnam esset et quare clamaretur, Christi Filia diligenter inquirit. Mentiuntur custodes carceris, adesse pauperum multitudinem et eos alimoniam postulare. Credidit Regina ministris et quam peti simulant, clamantibus eleemosyna destinatur; qua rei accepta, ne ulterius F
clamarent, minis et verberibus custodum coerciti siluerunt. Meruere tamen exaudiri, devotius animo clamantes, quam verbo. Sequenti enim nocte, dum Regina solitis insisteret orationibus, nutu divino, reseratus carcer patuit, disrupta sunt vincula, egrediuntur incolumes, qui pœnis servabantur et morti. Et ne tanto viderentur ingrati beneficio, beatæ Mulieris genibus advoluti, gratias agunt, sacris ejus meritis ereptos de vinculis se publice prædicantes. *quorum aliquos mirabiliter liberavit,*

17 Divulgato autem miraculo, Filia Christi non illa erigitur gloria, sed ad ejus relationem, profusis rubore vultibus, indignam se testabatur, pro qua Dominus suis servis præfatum dignatus esset impendere beneficium. In humilitate ergo persistens, teneros artus multiplicatis atterebat disciplinis *e*, circa pauperes et ecclesias Christi tanto facta diffusior, quanto jam de mercede securior. Unde cum in festis diebus, prout Reginæ conditio merebatur, auratis uteretur indumentis et a circumstantibus puellis laudaretur, ex alto suspirans, indignam se tali veste deplorabat, eamque statim exuens, cujuslibet ecclesiæ cultui dedicabat *propter hoc manifestum miraculum rubore suffusa.*

et

A et honori. Præterea si quid ei gemmarum accessisset, si quid purpuræ, si quid cultus pretiosi, totum sacris altaribus, aut ecclesiasticis assignabat ornamentis.

ANNOTATA.

a *Videtur hoc loco Hildebertus istud adverbium* citra *usurpare pro* minus, *quantum ex sensu colligere possumus, nisi forte pro* libuit *legendum sit* licuit; *ita ut sensus sit, usum istorum Reginæ* citra *(id est* ulterius *vel* magis) *licuisse, quam libuisse.*

b Benedictiones *hic accipiuntur pro donis vel munusculis, quæ alibi* eulogiæ *appellantur.*

c *Hunc sensum in textu reliquimus, prout invenimus; sed pro* quæ cura maritum gerebant, *putamus legendum,* quæ circa maritum gerebat. *Hac exigua mutatione sensus recte intelligitur, ut consideranti manifestum fiet, et ad commodiorem lectoris usum in margine notavimus.*

d *Hæc clara Hildeberti phrasis omnino repugnat virginitati, quam sancta Regina in conjugio*
B *conservasse dicitur ab aliquibus scriptoribus, contra quos* § 3 *Commentarii prævii satis superque disputavimus.*

e Disciplinæ *hoc loco non accipiuntur pro spontaneis corporis flagellationibus, quarum usus tantum seculo* XI *invaluit. Sed* disciplina *apud scriptores ecclesiasticos antiquioris ætatis usurpatur pro qualibet corporis afflictatione, ut in Glossario Cangii novissime recuso ad vocem* disciplina *videre est.*

CAPUT II.

Monastica Sanctæ professio, liberalitas erga ecclesias, fundatio parthenonis Pictaviensis, ex quo rex eam ad conjugium retrahere frustra nititur.

C

Sancta separationem a marito impetrat,

Ascendit autem eo usque Reginæ propositum, ut abjectis insignibus potestatis et conculcata mundi gloria, pauperem Christum pauper sequi peroptaret. Quod ut implere mereretur, ad beatum profecta Medardum, sanctimonialis ab eo et vestem expetiit et benedictionem. Cujus petitioni nequaquam pontifex acquiescens, Non patitur, inquit, sacra lex conjugii, ut, uxore simul et marito superstite, legitimarum *a* solvantur fœdera nuptiarum. Instat beata Mulier, et largiore fletu verecundam perfusa faciem velari se deprecatur. Fit tumultus in ecclesia, votisque Reginæ concordi sententia clerus resistit et populus. Eam sacris altaribus se ingerentem proceres retrahunt, pontifici, ne Reginæ manus præsumeret imponere, constanter inhibentes. Quæ cum videret tam primates, quam plebem suis obniti consiliis, sacrarium ingreditur, et animo in novum confirmato propositum, capiti suo Religionis habitum imposuit. Dehinc ad pontificem regressa, Requirat, inquit, Dominus Deus animam meam de manu tua, si magis regem hominum, quam Regem timueris angelorum. His auditis, ei manus imposuit, non magis ejus obsecratione perterritus, quam constantia superatus.

ex impressis et Pictavium discedens, varia dona sacris locis distribuit.

19 Beata itaque Radegundis, arduam ingressa viam, divitias et regios apparatus, qui illi ex hoc mari magno et spatioso feliciter egressæ remanserant, pauperibus et ecclesiis larga manu distribuit. Mox enim ubi Reginam penitus abjecit, indumenta, quibus coronata utebatur, dominicæ mensæ supposuit, scilicet, acceptum Deo et plenum gratiæ holocaustum. Zonam quoque auream et armillas et inaures, omnia pretiosis insignia margaritis confregisse et pauperibus distribuisse memoratur. Inde progressa et ingressa cujusdam Sancti cellulam, tapetibus, vittis, fibulis et manicis intexto gravidis auro sacra oneravit et honoravit altaria. Deinde non minora diversis distribuit cœnobiis, quorum opinio sub reverendis Patribus, scilicet, Dadone venerabili, sanctoque Gundulfo consummata et insignis habebatur. Inde Turonum felici navigio delata, quantum se officiosam circa beati Martini sepulchrum præstiterit, quanta lacrymarum obtulerit holocausta, quibus suspiriis cælum pulsaverit, vix animus comprehendere, vix lingua sufficit explicare. Testata sunt ejus devotionem, non magis oblata singulis altaribus ornamenta, quam profundi gemitus et humidum lacrymis pavimentum. E

auditoque rumore, quod rex eam vellet ad aulam revocare,

20 Facta autem oratione, Candatam pervenit: ibi quoque Dominicæ mensæ locupletes offerens apparatus, ubi gloriosissimus Christi confessor et pontifex Martinus beatum cælo reddidit spiritum. Erat haud procul inde villa quædam, Suedas nomine, quæ ei lege donationis accesserat, ad quam cum beata Sanctimonialis declinasset et aliquot diebus in ea moraretur, delatum est ad aures ejus, regem velle eam revocare ad palatium, graviter conqueri, tantæ Mulieris consilio et sapientia desolatam esse regni majestatem. His auditis, Deo devota Mulier intremuit, totaque ad Deum conversa, ne secularibus illecebris rursus eam pateretur involvi, nocte ac die fletu profusa deprecatur. Disposuit etiam teneros artus gravioribus atteri suppliciis, ut si parum prece proficeret, cruciatu saltem votorum mereretur effectum.

ex sancto eremita intelligit; votum regis irritum fore.

21 Erat tunc temporis in castro Cainone vir justus et timoratus, nomine Joannes, quem gravissimo reclusum ergastulo conspicuum religio fecerat et famosum. Huic non modice pretiosum F felte aureum, gemmis et margaritis mirabiliter ornatum, in quo erant aureorum mille solidi, quod adhuc illi supererat ex regalibus ornamentis, beata Radegundis per fideles nuntios transmisit, orans, et orari pro se, et incunctanter sibi aperiri, si quid de præfata regis dispositione vel certo disceret nuntio, vel spiritu præcideret. Quibus auditis, vir Dei proximam noctem in vigiliis et orationibus expendit. Mane autem facto, quæ sibi divina innotuere clementia, illi propere nunciavit, scilicet regi minime permissum, ut rursus eam suo assignaret conjugio, licet hoc multiplici nisu perficere conaretur. Vestem quoque cilicinam, qua rebellis caro graviori disciplina frangeretur, Christi Filiæ, sicut ipsa postulaverat, destinavit.

ideoque læta condidit Pictavii cœnobium

22 Suscepto igitur et munere et nuntio, beata Sanctimonialis Deo gratias agens Pictaviis læta discessit, nec mora litteris ad regem distinatis, juxta præfatæ mœnia civitatis fieri sibi oratorium postulavit. Exauditum est ejus votum, et jubente rege Pientius, eo tempore Pictaviensis episcopus, et dux Ostrapius monasterium brevi tempore consummarunt. Suscepta in eo virginum multitudo centesimi fructus præmium doctrinis beatissimæ Sanctimonialis adepta est et exemplis. Sub præfati

EX IMPRESSIS quippe loci abbatissa, quæ ex ejus electione gubernaculum suscepit animarum, sic illa vivere studuit, ut humilior omnibus, omnibus abjectior haberetur. Omnibus obsequio quidem subesse, sanctimonia vero præesse decertabat.

sed cum rex pararet illam inde ad conjugium reducere,

23 Sed quoniam pie vivere volentes persecutionem necesse est patiantur, ad desideratum susceptæ navigationis portum beatæ Mulieri quiete non licuit pervenire. Quod enim ipsa dudum formidaverat, rex quorumdam consiliis facturum se disposuit, scilicet, ut a sacris illam abstraheret officinis et vinculum renodaret nuptiarum. Ut igitur impie perageret, quod sacrilega mente conceperat, assumpto secum filio suo Sigeberto, sanctoque Germano Parisiensi episcopo, Pictavium proficisci decrevit. Cum autem jam Turonum pervenisset et hujusmodi rumor totam peragrasset provinciam, Sanctimonialis illa præfato Pontifici plenos *b*.... apices destinavit, orans, ne pateretur susceptæ contemplationis requiem molestiis aliquibus infestari; fieri non posse, ut ipsa regem hominum Regi præferret angelorum.

B

epistola tantum effecit, ut is ab hoc proposito desisteret.

24 Decursis episcopus litteris, pedibus regis advolvitur, implorat, ut a suo desistat proposito, manus a consecrata Christo abstineat; impendat Spiritui sancto reverentiam, qui in vase fragili propriam fecerat mansionem. Exauditur pontifex interpellans, et quia vim paverat *, non erubuit delictum confiteri. Supplicat ad veniam potestas et cujus conjugium non meruit, ejus precibus adjuvari deprecatur. Ne quis autem deinceps in eosdem conatus regem præviis * excitaret consiliis, gravis illos depopulata est ultio, quorum persuasionibus eam rex ad nuptiale debitum disposuerat revocare. Qualem enim blasphemus et infelix Arrius proprii furoris exitum invenit, talem illi, visceribus egestis, divinam experti sunt indignationem.

* *Forte paraverat*

* *An non pravis?*

ANNOTATA.

a Igitur etiam Hildebertus judicavit, matrimonium Sanctæ cum rege Clotario fuisse validum et legitimum, ut num. 33 *Commentarii prævii contra conjecturam Longuevallii nostri fusius probavimus*

b Hic vox aliqua deest, quæ tamen facile suppleri potest ex phrasi Baudonuiviæ, quæ illos plenos *firmi propositi aut intrepidæ constantiæ* apices *supra vocavit* sacramentales litteras, *cujus epitheti significationem ibidem in Annotatis explicuimus.*

C

CAPUT IV.

Austera Sanctæ abstinentia, dira corporis afflictatio, aliæque virtutes monasticæ, quibus tunc potissimum Pictavii fulsit.

Sancta frugalitati consueta

Exinde sanctissima Mulier omnem metum projiciens, cursum feliciter consummavit, fidem servavit, repositam sibi a Domino Deo coronam justitiæ expectans. Fuit autem ejus intentio seipsam constanter affligere, pauperibus indefesse famulari, legem conventus inoffense custodire. In tot affectus una et mulier divisa, sic in singulis tota fuit, ut videretur unicuique curam præstare singularem. Ex eo enim die, quo palatii gloriam penitus abdicavit, de parcissimo, quo sustentabatur, edulio bonam sibi studit adimere portionem. Extunc nullam coquorum peritiam, nullum gulæ novit irritamentum. Extunc etiam communes aspernata delicias, necessitati legumine consuluit et herbis; talibus quoque mensis nullum olei, nullum salis accessit condimentum. Affuit ei et panis, sed hordeaceus, sed quem coxit. Hic in die semel sumptus jejunium solvit, non removit esuriem. Sitim, quam nimia panis accendit ariditas, vel aquæ mulsæ, vel piratii haustu mitigavit. Nam vini seu cerevisiæ nullam fecit omnino mentionem. Pectus ejus induratum cineribus et injecto desuper cilicio, crucem spondebat non quietem.

D

addebat in Quadragesima rigidissimum jejunium.

26 Sane et cum tot et tam gravibus suppliciis vix tenera mulieris membra sufficerent, diebus tamen Quadragesimæ Mulier addidit ad pœnam, Dominus ad coronam. Toto siquidem tempore illo, præter Dominicam diem, ab omni pane penitus abstinuit. Toto tempore illo, teuui refectioue radicum sustentata est et herbarum. Earum austeritatem nulla salis aut olei temperavit adjectio. Per idem tempus, ardorem sitis tactu simplicis aquæ mitigavit. Ea enim solis diebus præfatæ refectionis, et tam parce sumebatur, ut laceratis ariditate labiis, pristinam cantandi psalmos amitteret facultatem; ab illorum tamen modulatione, nullo desistens incommodo, cursum, prout poterat, explere non cessabat. Inter hæc præjudicia carnis et tortores cruciatus, continuata oratione, noctem sæpe duxit insomnem. Comes ejus vigiliis uber fletus et cælestium meditatio gaudiorum. Ad hæc illa quodam volatu mentis ascendens, ita rebus intererat hominum, ut et rebus interesset angelorum. Gustabat et videbat, quam suavis sit Dominus, suspirabat et dicebat: Misericordiæ ejus non est numerus.

E

et diras corporis afflictationes,

27 Et quoniam spiritu quoque docebatur, quia qui plus laborat, plus mercedis accipiet; jejuniorum atque vigiliarum laboribus, novum carnis addidit cruciatum. Facta enim ad pœnas ingeniosa, laminam de auricalco *a* sibi fabricari præcepit. Hanc ignibus calefactam teneris membris altius imprimere consuevit, ne * *b*, si quid voluptate deliquisset, cruciatu sequente purgaretur. Hoc tormentum carni sæpius infixit, hostiliter persecuta se ipsam, quia fortasse, cum nollet, placuerat ad culpam. Una quoque Quadragesimarum, cum ad promerendam Domini gratiam, prædicti labores minus sibi sufficere viderentur, brachia simul et collum ferreis astrinxit circulis, reliquum corpus triplici catena circumcingens. Solum ferri pondus grave supplicium, sed gravius altior carnis incisio. Ea ferro superducta, secretum tulit et sine teste martyrium. Transierat jam Quadragesimalis observatio, cum ferrum profundius inclusum suprema coëgit educi necessitas. Hoc igitur vix educto, tantum sanguinis ex lacero corpore defluxit, ut exhaustis vitali substantia præcordiis, pene spiritum exhalaret. Sic illa se ipsam de die in diem persequens, sibi vixit ad supplicium, reliquis ad exemplum.

a

F

* *lege ut*

b

horridasque ustiones,

28 Alia deinde Quadragesima aliud adversum fatigata totiens membra tormenti genus innovavit. Æneum quippe vas ardenti plenum carbone, sibi præcipiens apponi, familiares egredi jubet, obserat cellulam; cilicio exuitur et femina supra feminam fortis, armatur ad pœnam. Parum sibi videbatur cor contritum quotidie Deo offerre, nisi et

A et carnem in spontaneum cremaret holocaustum. Præparato ergo ad crucem animo, in ignem se projicit; carbo quæritur ardentior, et versatis desuper artubus, cutem et carnem quæsitum rumpit et penetrat incendium. Mora in igne longior tenerem corpus altiori vulnere persequitur. Candens æs advolvitur membris, intima fervore consumuntur. Agitur, ne quid incombustum remaneat, tamquam si ipsa partibus incombustis inviderct. Adjicitur cruciatui velut alter cruciatus, ipsa combustæ carnis incuria. Latere credidit gloriosam Femina victoriam, sed putrefacta caro secretum fœtore prodidit martyrium; sanguis quoque toto defluens corpore, quo lingua tacuit, indicavit.

ob quas Hildebertus eam martyrem nominandam censet.

29 Quis audeat Radegundi præmium derogare martyrii? Quis gladium, quis percussorem defuisse fabuletur? Quis ibi martyrium neget, ubi tortor est femina, instrumentum flamma, Christus causa? Si percussorem quæras, nemo alteri crudelior, quam ipsa sibi. Si gladium, quod carbones, tot gladios invenies. Si causam Christum lucrari conabatur.
B Sentiant alii, quod voluerint, ego affirmare non verebor Radegundim hispido vulneratam cilicio, continuis afflictam jejuniis, ferri pondere maceratam, carbonibus et candenti ustulatam ære, præmium martyris *c* et meruisse in terris et in cælis obtinere.

Tota operibus misericordiæ dedita,

30 Putabit fortasse aliquis illam mirabilem Feminam, tot fatigatam cruciatibus, ad opera misericordiæ tardius accessisse. Cujus profecto in hac virtute devotionem si quis nosse desiderat, paginam decurrat subsequentem. Ex quo illa Reginam exuit et humilem induit monacham omni tempore, quinta feria et sabbato, collectis pauperibus et balnea et communem præparavit refectionem. His in diversorio susceptis, suis ipsa manibus capita lavit, unguibus abrasit scabiem, putredines abstersit, eduxit vermes ulceribus, admovit oleum; et quibuslibet ancillulis humilior, nullis eorum necessitatibus erubuit famulari. Infirmas etiam mulieres, quas hujusmodi cura egere sentiebat, balneis deponere, squalentes confricare humeros, et singulis membris congruum studebat exhibere obsequium.

serviebat pauperibus, d

C 31 Perscrutabatur diligenter, quæ quibus essent necessaria, pannos et sotulares *d*, prout indigebant, omnibus administrans. Illis taliter non ponere sedilia, nec mappas afferre, nec offerre aquam manibus abluendis gravabatur. Apponebat et fercula, cibos lautiores providens infirmis et dispensans. Si quis gravioribus incommodis urgeretur, huic ipsa panem, ipsa carnes incidebat. Nonnullos suis ipsa manibus pavit. Pendebat ab humero linteum, quo vel ab ore debilium, vel a cochlearibus cadentia tergebantur. Aderant puellæ comites, sed earum nulla famulantis vices excepit. Radegundis curam qua tempus egebat, agebat; sicut necessitas occurrebat, discurrebat. Radegundis ante jacentes inclinata est, ante sedentes stetit, jejunavit ante comedentes. Nullus ibi tumultus, Radegundi monasticum quodammodo indicente silentium. Peracto denique convivio in cellulam festinabat orans, ut cuncta ejus operátio, et a Deo semper inciperet et per Deum cœpta finiretur. Omni quoque Dominica, sicut in præfatis diebus, egenis convivium procuravit. Ceterum, quia eo die celebratior instabat Missarum solennitas, post distributa prima fercula, per oblatum semel omnibus poculum, festinantius ad monasterium revertebatur, relictis ante pauperes puellis, quæ cœptum sollicite peragerent servitium.

EX IMPRESSIS et leprosis cum mirabili liberalitate,

32 Erat ei etiam circa leprosos tam devota sedulitas, acsi ipsum adesse Christum minime dubitaret: quibus benigne susceptis, ipsa eorum manus aqua tepente lavabat, suspenso tactu laceram cutem fovere non abhorrens. Mulieres autem, quarum vultus præfata valitudo terribilis vulneraverat, non amplexari verebatur, non arctius osculari. Apposita deinde mensa, ne vel durius, vel pede pendulo sederent, stratis mollioribus et scabellis agebatur. Quis neget Radegundem susceptis ministrasse leprosis? Quis dicere audeat commissum alii plenum copiosa mercede negotium? Numquid abhorruit offerre poculum, quam conferre osculum minime fastidivit? Nemo credat, Radegundem tam tepide coronam dilexisse, ut oblatam verita sit promereri. Imperfecte sollicita esset de præmio: nam hujus obsequium præmium aliis invidet. Invidet autem, quæ succincta fastidiosum sine fastidio explebat officium. Cum autem jam pransi surgerent, necessaria eis largiebatur indumenta, discedentium manibus et osculum porrigens et argentum. Ubicumque autem vel febribus, vel quibuslibet morbis afflictos decumbere noverat, quæ illis salutaria essent, quæ manducarent libentius, quas appeterent delicias, curiosius inquirebat. Nullius votis defuit, dummodo E tempori concordarent. Plerumque accidit, ut quos diutius languisse constabat, ejus eulogiis *e* amissam reciperent sanitatem. Stupebant omnes ejus munificentiam, mirabantur, unde tot divitiæ, nescientes jam solvi Dominicum illud promissum: Date et dabitur vobis.

tametsi ipsa esset pauper.

33 Hinc illa pauperibus locuples seipsam sub gravi paupertate coërcuit. Mollem cultum inexorabili persecuta est odio, quibus cilicium tegeretur, vestes induta grossiores. His etiam, cum posset pretiosis abundare, sæpius eguit, inter virtutes sciens esse paupertatem, quam necessitas non adducit, sed voluntas. Unde cum ei tempore quodam manicæ defuissent, unam de caligis suis in operimentum divisit brachiorum beata Mulier, quæ sic abundare noluit, ut nullam sentiret egestatem, nondum sibi verus pauper videretur, nisi cum paupertate spiritus rerum quoque penuriam sustineret.
F

ac insuper vilissima cœnobii ministeria obibat.

34 Porro inter has circa pauperes curas et quotidianos carnis cruciatus, ad Matutinas surgere prima; prima statutis adesse horis; prima, quæ forte jubebantur, implere festinabat. Quod si ceteris tardius inchoasset aliquod bonum, vel egisset, statim se negligentiæ arguebat, tamquam si pœnaliter deliquisset, veniam postulare non differens. In iis autem administrandis, quæ unicuique legibus Ordinis imponuntur, aliis ipsa plerumque successit, nulla sibi. Otiose diem transactum credidit, nisi labore suo labores aliarum relevaret. Factura coquinam, nullum causata est incommodum, nullam prætendit excusationem. Hanc ingressa, sordes non erubuit ejicere, quas videre quælibet ancilla fastidiret. Dehinc ipsa de puteo aquam hausit, ipsa tulit, ipsa focum accendit, scutellas mundavit, incidit olera, curam leguminibus adhibens et coquendi sufficienter et congrue dispensandi. Sic illa monasticis obsecuta legibus, cœptam sine querela septimanam complevit. Totum præterea monasterii pavimentum, atque officinas, seu etiam penetralia, tam submisse mundare consuevit, ut nec plenos sordibus cophinos efferre, nec fœtorem sustinere recusaret. Dummodo pateretur pro Christo, paupertas illi divitiæ, labor quies, opprobrium gloria videbatur.

35 Porro

EX IMPRESSIS

Denique inter jejunia et vigilias f

35 Porro ad communem sedenti mensam ponebantur eadem, quæ ceteris, sed non eadem sumebantur : superpositam quippe secundo pani f similam, velut commessura labiis admovebat, cum saporem palato penitus sentire fastidiret. Ne tamen omnino deficeret, ex hordeaceo pane sumpta est prope jejuna refectio. Denique surgens a mensis, hymnum Deo solvebat, reliquo tempore vel lectioni deputato, vel psalmis. Cum enim a psalmorum modulatione desisteret, aliqua monacharum aderat, quæ divinarum recitaret oracula Scripturarum, quas illa studiosius audiens, aliis persuadebat, ut legentem diligenter attenderent, et de interiori habitu speculum consulerent animarum. Quoties obscurum offendebat locum, nescientibus exponebat, increpat negligentes.

spirituali lectioni,

36 Dicta igitur tam beatis transacta negotiis, cum jam ceteræ dormirent, ipsa singularum sotulares tergebat et ungebat, diligentius intuens, quæ novis indigerent. Dehine accedebat ad lectum, quo sicut nihil humilius, ita nihil minus aptum voluptati. Eo quoque tempore lectrix aderat, ut beata Sanctimonialis etiam a somno evigilans spiritualibus delitiis aleretur. Si quando illa sileret, B opinata quiescere fatigatam, ac dormire, statim audiebat : Quid taces? Lege, ne cesses. Præterea, ne cor ejus vigilasse dubitetur, cum membra modico sopore quiescerent, psalmos etiam dormiens cantitabat, dictura veraciter cum Propheta : Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

ac contemplationi vacans,

37 Surgebat autem media nocte, et quousque congregatio monasterium adiret, in lacrymis et gemitu psalmis instans et contemplationi. Contemplatio quippe sic sibi ejus animum vendicavit, ut, licet absens corpore, spiritu tamen illam tantum civitatem frequentaret, cujus plateæ sonant laudes de die in diem. Tota illius deliciis tenebatur, nec aliud cor eructare poterat, quam cælestium nectar et gratiam gaudiorum. Unde, cum quadam die prætereuntem juxta se posticariam nominare vellet, et ei aliquid imponere negotii, pro ejus nomine protulit Alleluya. Idem sæpius felix error incurrit. Ubi erat thesaurus suus, ibi erat et cor suum.

monialibus ægris ministrabat,

38 Quid autem loquar de ægrotis sanctimonialibus, quibus omni die visitatis, delicatiores cibos jejuna Radegundis præparabat? Ipsa nullum C vel infirmitatis, vel sexus abhorrens incommodum, languentes levabat et lavabat, efferebat et referebat. Ipsa eis sorbitiunculas, ipsa decoctiones procurabat, nihil eorum prætermittens, quæ decumbentium valetudo postulasset. In colligendis quoque hospitibus non minor sedulitas, non minor et devotio fuit. Iis in Christo susceptis ipsa pedes lavit, ipsa pransuris aquam porrexit. Denique ipsa ministravit omnia, quibus hospitium * necessitute subvenitur. Quod si contigisset religiosam suscipi personam, de moribus hominis, de studio, de vita secretius inquirebat. Si enim sub arctioribus disciplinis vivere didicisset, ejusdem se subdebat institutis, ejus exemplis ad virtutum nitebatur incrementum. Infra perfectum se credebat profecisse, nisi in actibus suis actus omnium refulgerent perfectorum. Hos ejus opera loquebantur, hos ipsa Christi Virginibus commendabat, hos prædicabat imitandos. Nihil tamen suggerebat aliis, quod non magis exemplo doceret, quam verbo.

** forte hospitum*

et omnibus varia virtutum

39 Tota ejus vita loquebatur sanctimoniam. Tota Christum redolebat. Præter odium nihil illi cum vitiis fuit. Zelus legis et jugis in lege meditatio virtutum introduxit conventum. De his nihil D sinister, nihil felix eventus imminuit. In omni statu secura fuit apud Mulierem justitia. Ea nullam de splendore natalium, nullam fecit de gloria conjugii mentionem. Regis amplexus, quibus nec etiam captiva capta est, admissos potius doluit quam dimissos. Hos experta, dispendium pudoris prærogativa supplevit meritorum. Attende mores, actus considera, jugem inspice pœnitentiam; fatearis necesse, nullam Sanctimoniali defuisse virtutem : nisi enim ei esset prudentia, nec salutaria noxiis, nec fugiendis appetenda prætulisset. Fortitudine autem atque temperantia semper sibi constans facta est et æqualis.

ac præsertim humilitatis exempla præbebat.

40 Inter hæc vero principatum quemdam obtinuit servata usque in finem humilitas. Humilitatem quoque nemo putet pauperi defuisse, quæ sceptra tenens superbiam ignoravit. Si de abstinentia quæritur, pauca indulsit naturæ, nulla gulæ. Nemo illa mansuetior, quæ Regina et offensa nullam quæsivit ultionem. In omni actione et verbo modum discretione posuit, attendit tempora, rerum terminos observavit. In suis quidem gratias egit, alterius vero flevit injuriis. Læsa, promptio fuit offerre veniam, quam qui læsisset, postularet. Irasci Christum timuit, si irrata solem videret occidentem. Ante illam nemo alteri impune detraxit, E Deficiam necesse est, si singula ejus virtutes tentavero explicare. Reclusa est hæc in cellula, donec Deo spiritum redderet. Corporis sui pia carnifex et sacrifex fuit; ibi usque ad injuriam naturæ, longis instans jejuniis, cilicio vulnerata secretis afflicta cruciatibus, ad Deum pro universis Ecclesiæ gradibus intercessit. Ejus sanctissimis precibus et litteris, inter discordantes principes pro concordia destinatis, parta est ecclesiis requies, pax patriæ restituta.

ANNOTATA.

a *Alii scribunt* orichalcum *vel* aurichalchum, *quod est genus metalli passim notum.*

b *Pro* ne *videtur legendum* ut, *quemadmodum cum editore in margine notavimus.*

c *Forsan propter hoc aut simile ratiocinium Boninus Mombritius Actis* S. Radegundis *titulum* martyris *præfixit, ut in fine paragraphi primi monuimus.* F

d Sotulares *apud scriptores medii ævi etiam dicuntur* subtalares, *et accipiuntur pro calceis, ut sæpe in Opere nostro diximus, et in Glossario Cangii videre est.*

e *Hildebertus pro* eulogiis *supra posuerat* benedictiones, *quæ utraque vox apud auctores mediæ ætatis pro donis vel munusculis usurpatur.*

f *Vocatur a Latinis* panis secundus, *cui aliquid furfuris admixtum est.*

CAPUT V.

Diversa miracula, quæ Deus per intercessionem hujus Sanctæ patravit.

Sancta multis claret miraculis,

Tantam præterea a Deo consecuta est gratiam, ut ad ejus nomen sanarentur infirmi, quiescerent maria, vita defunctis redderetur. Plerumque siquidem contigit longævo decumbentes incommodo, susceptis ejus eulogiis, in pristinam convalescere

A convalescere sanitatem. Nonnulli quoque, gustatis arborum foliis, quibus ea sacras manus admoverat, quartanas, atque alias infirmitates evaserunt.

et matronam excitate,

42 Erat eo tempore matrona quædam in Francia, cujus oculi diuturna cæcitate caligaverant. Hæc audita sanctæ Mulieris opinione Pictavim manibus suorum deducta est servulorum. Rogata Sanctimonialis, ut signum crucis illius oculis imprimeret, indignam se proclamavit, cujus tactus morborum remedia seperarentur. Tandem exandiuntur, qui devote pro misera supplicabant. Sed quia illorum, quæ per eam divina operabatur gratia, testem malebat esse nullum, quam populum, sera nocte mulier adduci jubetur, adducta genibus Sanctimonialis advolvitur, signum crucis imprimitur oculis, et fugata cæcitate, visus illius reformatur.

aliasque tres feminas variis morbis liberat.

43 Puella, nomine Fraiflidis, a dæmonio mirabiliter torquebatur, quæ inter beatas manus Deo devotæ Feminæ et liberari et quiescere promeruit.

B Aliam quoque gravissima vexabat infirmitas, verme interiora scapularum corrodente. Pro qua dum devotius Christum Christi Filia precaretur, rupta cute vermis exiliit, intra paucos dies integra ei sanitate restituta.

Monacharum quædam tanta vi febrium tenebatur, ut nunc igne consumpta, nunc frigore, de vita penitus desperaret. Hanc sex mensibus in lecto decubantem præsentari sibi Christi Sponsa præcepit, præcepit etiam calefieri aquas et calefactas in cellulam deportari. Complentur sine mora, quæ beata Sanctimonialis præceperat; deinde remotis omnibus, ipsa febricitantem deponit in balneum, pio membra contrectat obsequio, cælum pariter et gemitu pulsans et fletu. Ecce salus desperata subsequitur et, tamquam si tactum formidaret infirmitas, eodem momento sub beatis manibus abscessit. Sed illa in pristinam reformata salutem, dum remedium suscepit, meritum declaravit.

Præterea fœtum mortuum ad vitam revocat,

44 Inderedi cujusdam uxor sterilem sortita fœcunditatem, sepulcro parere consueverat, non marito; concepta in utero progenies ad exequias potius, quam ad cunas parentes invitabat. Ex quo illa mater, ex tunc ille funeris procurator venter male fœcundus, cum hominem promitteret, non C hominem exhibebat. Quid ultra? Pariendi tempus advenerat, et ecce mater in lucem sine luce protulit infantem, defunctum prius quam genitum. Accusans pater naturam, occurrit ad gratiam; fide quidem plenus et in sola Radegundi spem sibi reponens hæredis, cilicio ejus cadaver involvit exanime. Beata præsumptio felicem exitum promeruit; tacta eteenim veste, puer oculos aperit, lethalem exuit colorem, vitæque redditus ad maternum refertur gremium, qui de gremio prodierat ad sepulchrum. Susceptus infans et partus augustias et mortis mœrorem mitigavit.

famulum periculo submersionis eripit,

45 Monacharum famulus, nomine Floreius, jussu beatæ Radegundis navem, piscaturus ascenderat. Is cum in altum duceret, oborta cœpit tempestate periclitari. Insurgens undique ventus et unda, caeumen altius erigens, in naufragium jurasse videbantur. Perterritus his Floreius ad nomen Radegundis frequentius recurrit; Radegundim invocat, sæpius iterans: Subveni, Sanctissima, nobis, dum tuo paremus imperio. Ad ejus nomen vis ventorum resedit, quievere maria, Floreius ad portum votis potius pervenit.

46 Magna sunt, quæ præcedunt, sed nequaquam minora, quæ sequuntur. Evelli speciosam laurum et ante suam plantari cellulam Filia Christi præceperat; quo facto, radix recusans humum degenerem transplantata protinus exaruit. Quod ubi abbatissa comperuit, jocando beatæ locuta Feminæ: Donec, inquit, hoc impetres a Deo, ut terræ sicca laurus inhæreat, a cibo te suspendo. Quod etsi joculariter abbatissa protulerit, illa tamen quasi seria loquenti, plenam exhibuit abbatissæ obedientiam. Facta siquidem oratione, continuo laurus virore induitur; novis operitur foliis, et altius actis radicibus, fœcunditatem, quam violentia perdidit, gratia adquisivit.

EX IMPRESSIS aridam laurum virori restituit,

et duas mulieres energumenas a dæmone liberat.

47 Pro cujusdam quoque carpentarii uxore, quam malignus invaserat spiritus, abbatissa jocose potius, quam serio, beatæ sic locuta est Radegundi: Excommunico te, Mater, nisi obsessa a dæmonio muliercula infra triduum liberata quieverit. Sed et hoc non inaniter et dictum fœlex *a* effectus est indilate subsecutus. Sequenti enim die, dum Sanctimonialis interventu prolixiore pro misera precaretur, per aurem dæmon egrediens, vasculum reliquit liberum, quod diutius solita præsumptione fatigarat. E

Offertur ei et alia quædam miserrima, cui simili præjudicio vexatæ, nequam spiritus quietem mentis extorserat et carnis. Putares inimicum præsentiam beatæ Mulieris formidare, cui nisi summa vi non potuit exhiberi. Præsentata tamen muliercula pavimento jubetur prosterni, non inde prius amovenda, quam et ipsi salus et amicis ipsa redderetur. Hanc enim sacræ preces habuerunt efficaciam, ut cum super arreptitiæ cervicem sanctissima Mulier pedem poneret, per meatus immundos immundus egrediens spiritus, mulierem desereret incolumem.

Præter alia monialem a morte suscitat.

48 Quædam præterea monialium, beatæ familiaris Feminæ, oculo superficies contectum *, visum deplorabat amissum. Sed et hæc sanitatem promeruit, absynthium, quod, prout lenius haberet pectori suo sancta Mulier admoverat, oculo superponens. Apposita siquidem herba statim dolorem fugavit et sanguinem, mulieri gaudio pariter et visu restitutis.

* *Forte* oculi superficie contecto.

Quadem autem die, dum Sanctimonialis oraret in cellula, quasi dolentis populi voces audivit. Sciscitanti, quidnam esset, unam obiisse monacharum respondetur, ejusque funeri reliquas humanitatis affectu exhibere officium. His auditis, ex- F animæ corpus deferri præcipitur, et ei in cellula præsentari. Nulla in medium mora, et ecce præsentato cadavere, qui defunctum intulerant, longius abscedere compelluntur. Remotis igitur arbitris, oratura Mulier, cellulam obserat. Humi genita * *b* deponitur, precibus cælum pulsat et gemitu, lacrymis invitat vitam, præsumens id ex gratia, quod non sperabat ex natura. Imperiosa res vera religio, quæ leges et statuta rerum immutat. Religione actum est, ut nihil inaniter a Christo Christi Filia postularet. Sed neque in hoc piis illa frustrata desideriis, tantam invenit apud Deum gratiam, ut ejus meritis redderetur vitæ destinata sepulturæ. Stupentibus iis, qui cadaver intulerant, monacha egreditur incolumis, comitata sorores ad conventum, quæ illam præcedebant ad sepulchrum.

* *id est* genuflexa *b*

ab altera lethalem hydropisim pellit,

49 Quædam monacharum, nomine Animiam, lethalis * tumuerat hydrops ** *c*, et vocati frustra medici nihil aliud quam vicinas promittebant exsequias. Quæ dum pene spiritum exhalaret, visum ei est in somnis, quod decumbentem beata Radegundis cum sua visitaret abbatissa, visitatam demitteret

** *Lege* lethali hydrope *c*

EX IMPRESSIS

teret in balneis, oleo membra perungeret, ac postremo candidis operiret indumentis. Excitata a somno monacha, mitigatum sensit incommodum. Deinde cum dies plenior illuxisset, aquis lethalibus exsiccans * tumefactus recedit uterus eodem die sic in suum regressus modulum *d*, ut morbi nulla penitus vestigia remanerent.

** forte exsiccatis*

et alia patrat miracula,

50 Magnum Radegundis meritum, quæ hoc etiam obtinuit a Domino, ut opera manuum suarum quamdam præ ceteris sortirentur dignitatem. Glomus quippe, quem beati neverant digiti, dum morsu sorex vellet atterere, præfocatus expiravit. Nulli dubium meritis hoc accidisse Mulieris, cujus labores, dum vermis *e* appetit, gratia conservavit.

Puellam præterea, nomine Godam, tantum febris urgebat incendium, ut nihil aliud quam mortem diuturna promitteret anxietas. Hæc inaniter erogata in medicos substantia, sicut a nullo eorum sanari, sic a nullo Sanctorum exaudiri promeruit. Compulsa igitur ad probatum recurrere auxilium, candelam ad modum corporis sui factam, in honore ac nomine beatæ Mulieris accendi præ- B cepit. Quo facto, tamquam si ignis morbi materium consumpsisset, eodem tempore consumpta est infirmitas, quo candela. Surrexit mulier incolumis, et sanctissimæ debens Feminæ, quo * sanitati restituta, non prius hujus mundi procellas evasit, quam professa monacham, mores in melius commutaret.

** Forte quod*

inter quæ vinum, pauperibus erogandum, prodigiose sensit multiplicari,

51 Porro beata Radegundis inter cetera gratiarum præconia, quibus Christi Ecclesiam illustravit, puro affectu verum amplexata est paupertatem, ut de rebus, quas ipsa monasterio delegaverat, nihil proprium duxerit, nihil omnino alieni dederit absque suæ licentia abbatissæ. Quapropter vinarium vas octo ferme modiorum usui ejus abbatissa destinavit, unde quibus vellet larga dispensatrix ministraret. Huic autem vasi tantam Dominus infudit abundantiam, ut exhaustum non minueretur, non deficeret erogatum. Certamen inlisse videbantur et vacuando Mulier et gratia refundendo.

et miram habuit revelationem ante mortem,

52 Conatus inanis conatus meus, si singula, quæ per illam Dominus operari dignatus est, memoriæ studeo commendare. Supersunt enim plurima, quibus non solum vivens, sed et dormiens C in Christo latius claruisse memoratur. Ea sane dum dilatione præmii longa traheret suspiria, totaque desiderio cælestium tabesceret gaudiorum, juvenis ei apparuit, statura eminens, et in vultu divinum præferens venustatem; quem proprius accedentem dum Mulier sanctissima formidaret, ejusque blanditiem vereretur; Quid, inquit, tantis me gemitibus interpellas? Quid mei desiderio sic tabescis? Ignoras, quæ reposita tibi sint apud me præmia. In diademate capitis mei noveris te primam esse gemmam. His dictis, juvenis evanuit, in extasi pariter et gaudio beata Muliere dereli- D cta. Quam profecto visionem duabus tantum sibi familiaribus indicavit, adjurans, ne secretum Domini Dei sui revelare præsumerent, quamdiu fragilis mundi legibus obnoxia teneretur.

53 Accedente autem diu suspirato, diu expectato vocationis suæ articulo, beata Mulier hujus maris magni et spatiosi tempestas illæsa pertransiens, fatigatos artus et naturam profitentes cineri et cilicio commendavit. Conturbata subito casu virginum multitudo, cellulam querulis gemitibus implet, pulsat et lamentis. Fluunt lacrymæ, nulla penitus invenientes solatia. Tandem beatissima Mulier, erectis in cælum luminibus, exilium patriæ, laborem quieti felici transitu commutavit. Obiit autem primo Idus Augusti, relicto gregi sacro profutura patrocinio, cui profuerat et doctrinis et exemplo. Neque enim credi fas est, apud Christum Christi Filiam pro suis inaniter supplicare, cujus meritis suscitatos constat mortuos, expulsos dæmones, turbata quievisse maria, variis oppressos languoribus in pristinam revocatos sanitatem, operante per eam sponso suo Domino Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. E

quam pie cum summo monialium luctu obit.

ANNOTATA.

a *Nescimus, quid proprie significet illa vox* frælex, *eamque in variis Lexicis frustra quæsivimus. Quid si sit errore typothetæ vel amanuensis, et pro* frælex *fuerit* felix*? Certe in hanc Hildeberti lucubrationem non pauca menda irrepserunt, ut in margine vel notis observavimus; sed ea sphalmata non nisi ex conjectura corrigere possumus, cum Acta illa* S. Radegundis *tantummodo in hac unica editione habeamus.*

b *Hildebertus videtur hoc verbum* genita *deduxisse aut composuisse a substantivo* genu, *ut ex sensu patet, qui evidenter indicat, Sanctam tunc prostratam aut genuflexam orasse.*

c *Certe in hac periodo aliquid luxatum est : ut enim syntaxis valeat, pro* lethalis hydrops *legendum est* lethali hydrope *vel* hydropisi, *ut in margine observavimus. Quod si forte Hildebertus verbo* tumuerat *active pro* tumefecerat *usus fuerit, tunc pro* quædam *substituendum est* quamdam, *ita ut talis sit sensus:* Quamdam monacharum lethalis tumefecerat hydrops *etc.* F

d Modulus *hic usurpatur pro mensura, ita ut Hildebertus significare velit, uterum antea hydropisi tumefactum ad pristinam formam sive mensuram eodem die rediisse.*

e *Mirum, quod hic ab Hildeberto* vermis *vocetur animal illud, quod supra ab ipso* sorex *appellatum fuit.*



DE

A D

DE S. RADEGUNDE VEL RADIGUNDA

ALIIS RADIANA VIRGINE

IN CASTRO WELLENBURGICO SUEVIÆ, PROPE AUGUSTAM VINDELICORUM,

SYLLOGE HISTORICA

G. C.

Publicus Sanctæ cultus, quædam gesta, et gloria posthuma

Circa finem seculi XIII. Sanctitatem hujus Virginis colligimus

Reginæ Radegundis subjungimus aliam ejusdem fere nominis Sanctam, eo quod hæc nullum certum aut fixum venerationis diem habeat, ut ex infra dicendis apparebit. Etsi autem hæc humilioris conditionis Virgo cum altera illu-
B *stri Radegunde præter nomen et eximiam erga leprosos charitatem nihil in gestis commune habuerit, tamen publico populi suffragio, æque ac nobilis illa regina, inter Cœlites relata est, ut scriptores Germani passim testantur. Ex his auctoribus primum audiamus Carolum Stengelium, eruditum Ordinis Benedictini abbatem, qui in Commentario rerum Augustanarum parte* 2 *cap.* 59 *num.* 6 *immemorabilem hujus Sanctæ cultum confirmat his verbis:* Hic inserenda venit, quæ alias certo anno adscribi non potuit, beata Radiana sive Radigundis virgo, Wellenburgi prope Augustam in castro Langiorum patriciorum Au- Augustanorum ancilla, charitate in pauperes, præcipue leprosos, eximia, miraculis clara. Colitur specialiter in capella ad radices montis et castri Wellenburg, olim sanctæ Ursulæ, hodie sanctæ Radianæ sive Radegundi sacra, in qua humata est in mausoleo a terra elevato: octo Cardinales anno MCDLIII, die XIV Maii, indulgentias eidem cappellæ sanctæ Ursulæ, alias beatæ Radigundæ sive Radianæ dedere, in litteris Petri Cardinalis et
C episcopi Augustani de anno MCDLXIII, die XIV Aprilis nominatur cappella sanctarum Ursulæ et Radigundæ; hodie sanctæ Radegundis tantum nomine nota est.

ex quodam miraculo,

2 *Nam satis clare intelligo, an sacellum istud, in quo* S. Radegundis *statim post obitum sepulta est, antiquitus soli S. Ursulæ virgini et martyri dedicatum fuerit, an vero tunc etiam in honorem* S. Radegundis *nomen utriusque Sanctæ gerere cæperit. Quidquid sit, a Stengelio inter Sanctos Augustanos, quos Dominicus Custos cælator anno* 1601 *Augustæ Vindelicorum elegantibus imaginibus expressit, in tabula* XXII *repræsentantur gesta hujus Sanctæ, iisque præfigitur sequens elogium, sive Actorum compendium:* Sancta Radiana, sive Radigundis virgo, Welenburgi prope Augustam ancilla serviit, charitate in pauperes, præcipue leprosos, eximia: his cum lac aliquando et butyrum eleemosynæ nomine deferret, ea obvio domino in lixiviam et pectinem versa, quibus alias lavandis curandisque leprosis uti esset solita, illo abeunte, in priores iterum species reversa sunt. Atque dum ejus generis officiis enixe incumbit, luporum laniatu in proxima sylva misere habita, tertio post die mortem sancte obiit

cui Raderus duo similia de aliis narrat,

3 *Matthæus Raderus tomo* 3 *Bavariæ sanctæ pag.* 156 *in Actis B. Notburgæ vel Nuppurgæ, ancillæ Rottenburgicæ, quæ pari charitate victum pauperibus afferre consueverat, similem alimentorum mutationem narrat, et ea occasione ibidem de Sancta nostra sic obiter meminit:* Non dissimilem historiam Augustani Annales continent E in Vita S. Radegundæ, nisi quod illa territa, per mendacium, quod Deus immissis in illam lupis punivit, postea excusarit. *Præterea idem scriptor in Bavaria pia pag.* 108 *et* 109 *inter gesta Maroldi Religiosi Understorfensis simile miraculum refert hoc modo:* Deferebat olim elephantiacis aliquot panis crustula, et nonnihil de vini latice, occurrensque forte suo præsidi (ad quem jam alias de nimia in pauperes liberalitate delatus erat) veluti deprehensus et severius objurgatus rogatusque, quid portaret, affirmavit, se lignum et lixivium ferre; factumque momento temporis, uti mensa, quam ferebat, in materiam et lixivii liquorem, obstupescente præsule, verteretur, ipseque, quo tendebat, abire juberetur. *Tum Raderus hac occasione rursus de Sancta nostra ibidem sic mentionem facit:* Prorsus huic simile prodigium in sanctæ Radegundis, ancillæ Wellenburgensis, Vita legitur, quæ non procul Augusta singulari sacello colitur. Non dissimile infra in sancta Notburga Rottenburgica recognosces.

F

et ex nummis matibus,

4 *Ceterum in supradicto Actorum compendio, quod imagini Augustanæ præfigitur, posthuma* S. Radianæ *vel* Radegundæ *gloria his paucis verbis expticatur:* Corpus Augustam vectum, ut in domini monumento honoris causa sepeliretur, divino monitu eo revectum est, ubi cum viva leprosos coluerit, nunc ecclesia condita, ipsa defuncta colitur. Matthæus Langus, clara et vetusta patriciorum familia Augustæ natus, S. R. E. Cardinalis, et Salisburgensis archiepiscopus, memoriam prægrandibus ex auro et argento nummis posteritati commendavit, quorum infra ectypon. *Hisce subnectitur utraque facies nummi, æri incisa, in cujus una parte exhibetur effigies Matthæi Langi, et in ejus circuitu præter insignia nobilitatis inscribuntur hæc verba:* MATHEUS: EPS. ALBAN. CAR.LIS. ARCHIEPS: SALISBURG. †. *In ipso autem nummo sub ipsius effigie annus ita exprimitur:* MDXXXVIII. *Hanc nummi partem, quæ ad rem nostram parum aut nihil spectat, æri incidendam non duximus. In altera vero nummi parte repræsentatur capite radiato, quod sanctitatis indicium est, ipsa effigies*

auctore G. C.

effigies Sanctæ, a duobus lupis incursatæ, quam cælatorem nostrum exacte imitari jussimus. En ipsam.



in honorem ipsiuscuis;

5 *Corbinianus Khammius ex Ordine S. Benedicti, qui anno* 1709 *Hierarchiam Augustanam typis vulgare cœpit, antiquiorem ejusdem rei nummum vidit, ut parte* I *istius Operis, cap.* 6 *classe* 3, *sect.* 10, *sive pag.* 255 *testatur his verbis :* Anno MDXXI prænominatus Matthæus Langius, disjectis cappellæ S. Radegundæ seu Radianæ muris, novam ecclesiam et per Joannem proB episcopum Salisburgensem consecrari procuravit, nec non memoriam rei factæ copiosa moneta tam aurea quam argentea in plures et posteros propagavit. Numisma aureum videre non merui. In numismate argenteo una facies præter annum MDXXI expressum, continebat archiepiscopi effigiem cum circumscriptis ad marginem his vocibus (MATHEUS CARD. AR. O CHIEPS. SALZBURG. O AC EPUS GURCEN O) nimirum positis intermixtim insignibus. In altera facie cernebatur S. Radiana seu Radegunda, duobus lupis impetita, cum hac ad marginem inscriptione : SANCTA VIRGO RADIANA † ORA PRO NOBIS DEUM. *Ex his aliisque infra referendis apparet*, S. Radianam *seu* Radegundam *ab immemorabili tempore sive centum annis ante decretum Urbani VIII Pontificis publicum cultum habuisse.*

nihilque sanctitati ejus officit,

6 *Præterea Carolus Stengelius in Chronico ecclesiæ Augustanæ, quod anno* 1620 *Germanice impressum est, apud nos lib.* 1 *cap* 7 *narrat pleraque ejusdem Sanctæ gesta , quæ laudatus Khammius pag.* 253 *et sequente Operis proxime citati sic Latine interpretatus est* : Vixit circa hæc C tempora *(paulo superius egerat de Wolfardo præsule Augustano, qui anno* 1300 *obiit)* piissima Christi ancilla et virgo Radegunda, aliis Radiana, a conjuge domini possessoris arcis Wellenburg, e patriciis Augustanis Portneris oriundi, conducta, et in stabulo pecus curare jussa, pietate in Deum ac charitate in pauperes, et potissimum in elephantiacos, eximia. Agreste suum famulitium implevit ad heri heræque placitum ; sed laboribus impositis defuncta, Deo vacabat, cælum precibus petebat, mentem cælestibus epulis explebat, ulcerosis, et quibus vetusta scabie caro tuberibus obsita, inserviebat, psoram et furfures abstergebat, ulcera emungebat, atque panis crustula, mensæ analecta, lac et butyrum, hujusmodi elephantiacis deferebat.

quod ultione divina lethaliter à lupis læsa fuerit,

7 Occupata aliquamdiu in hoc charitatis officio Radegunda ad leprodochium , haud procul ab arce Wellenburg dissitum, lactis et butyri bajula properans suo hero tremebunda occurrit. Ab eo igitur Radegunda (jam antehac a domesticis de infideli quasi servitio accusata) velut deprehensa severius objurgatur. Quid portaret, quæsita ; se pectinem et lixivium ad porriginosorum capita lavanda ac mundanda ferre affirmavit. Factum momento temporis, ut lac et butyrum, quod fe- D rebat, verteretur in pectinem et lixivium, atque heri stomachabundi factam a Deo metamorphosin objiceret. Itaque ab hero pacifice dimissa , lac et butyrum sua specie donatum ad elephantiacos detulit , famelicosque refecit, Nemesi tamen divina leve excusationis mendacium immissis in Radegundam lupis puniente : cum enim post enumeratum miraculum Radegunda ex arce per silvam transiret ad leprodochium, misellis elephantiacis de more opem et servitium exhibitura, ab irruentibus lupis invaditur, dentibus laniatur, ac a fugientibus bestiis seminecis relinquitur atque deseritur. Deinceps sic deserta atque in arcem reducta, expiata per diram mortem levissimi mendacii pœna, intra triduum emigravit ex hac calamitosa ad vitam sine fine beatam.

ut S. Gregorius Magnus Pontifex,

8 *Ne quis dubitet de sanctitate piæ hujus Ancillæ, eo quod a lupis vulnerata fuerit, et non diu post ex illa læsione obierit, hic meminisse oportet istius prophetæ, qui ob levem inobedientiam a leone in via interfectus fuit, ut libro* 3 *Regum cap.* 13 *narratur. Passim sacræ Scripturæ* E *interpretes asserunt, culpam in hoc viro Dei solummodo venialem fuisse, et prophetam istum, quantumvis violenta morte sublatum, justum et sanctum agnoscunt. Audiamus Gregorium Magnum, qui lib.* 4 *Dialogorum cap.* 24 *occasione hujus prophetæ ad propositum nostrum ita disserit :* Cum scriptum sit, justus quacumque morte præventus fuerit, justitia ejus non auferetur ab eo, electi, qui procul dubio ad perpetuam vitam tendunt , quid eis obest , si ad modicum dure moriuntur? Et est fortasse nonnumquam eorum culpa , licet minima , quæ in eadem debeat morte resecari. . . . . Quod sacra quoque testantur eloquia : nam vir Dei contra Samariam missus , quia per inobedientiam in itinere comedit , hunc leo in eodem itinere occidit. Sed statim illic scriptum est : Quia stetit leo juxta asinum, et non comedit leo de cadavere. Ex qua re ostenditur , quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum ; quia idem leo, quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum : qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit , quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia, erat jam justus ex morte. *Hæc eum proportione* F *applicari possunt huic sanctæ Virgini, quæ a lupis non est devorata, etsi ab iisdem lethaliter vulnerata fuerit.*

et S. Joannes Cassianus ex violenta morte prophetæ

9 *Sanctus Joannes Cassianus Collatione* 7 *cap.* 25 *agens de energumenis, ad rem nostram ita ratiocinatur :* Ceterum corporaliter traditos satanæ vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos novimus pro levissimis quibusque delictis, cum in illis ne tenuissimum quidem nævum aut maculam in illo judicii die patiatur invenire divina clementia, omnem cordis eorum scoriam secundum prophetæ imo Dei sententiam, excoquens in præsenti, ut eos tamquam aurum vel argentum ignitum ad illam perpetuitatem nulla indigentes pœnali purgatione transmittat. *Tum post alia capite sequente ratiocinium suum violenta morte prædicti prophetæ ita confirmat :* Quod in illo propheta atque homine Dei, in tertio Regum libro manifeste vidimus impletum, qui pro culpa unius inobedientiæ, quam tamen non de industria, nec vitio propriæ voluntatis, sed alterius circumventione contraxit, confestim a leone conteritur, ita de eo Scriptura narrante : Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et tradidit eum Dominus leoni, et

AUCTORE G. C.

A et confregit eum juxta verbum Domini, quod locutus est. In quo facto et solutionem delicti præsentis atque erroris incauti, et justitiæ merita, pro quibus prophetam suum Dominus temporaliter tradidit vexatori, parcitas ipsa et continentia prædatoris ostendit, quia nihil penitus audet voracissima bestia de tradito sibi cadavere degustare.

et aliis exemplis

10 *Sed ne tam severa Dei ultio tantum in veteri Testamento usitata videatur, Cassianus ibidem subjungit duplex sui temporis exemplum, et primum refert his verbis* : Hic igitur abbas Paulus in tantam cordis puritatem quiete solitudinis silentioque profecerat, ut non dicam vultum femineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri: nam cum eidem pergenti ad cujusdam senioris cellam una cum abbate Archebio ejusdem solitudinis accola, casu mulier obviasset, offensus occursu ejus, tanta fuga ad suum rursus monasterium (prætermisso, quod arripuerat, piæ visitationis officio) recurrit, quanta nullus a facie leonis vel immanissimi draconis aufugeret, ita ut ne memorati quidem abbatis Archebii revocantis eum clamore ac precibus flecteretur, ut B ad requirendum senem, quemadmodum proposuerant, cœpto itinere pertenderent. Quod licet zelo castitatis et puritatis ardore sit factum, tamen quia non secundum scientiam præsumptum est, sed observantia disciplinæ justæque discretionis excessus est modus (non enim solam familiaritatem, quæ vere est noxia, sed ipsam quoque figuram sexus illius credidit exsecrandam) tali confestim correptione percussus est, ut ejus universum corpus paralyseos valetudine solveretur, nullumque in eo membrum penitus explere suum prævaleret officium: siquidem non solum pedes ac manus, sed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, ipsæque aures ita auditus proprii amiserunt sensum, ut in eo nihil amplius ex homine, quam immobilis tantum atque insensibilis figura remaneret.

novi Testamenti demonstrant.

11 Eo autem redactus est ut infirmitati ejus nullo modo virorum diligentia deservire sufficeret, nisi sola ei muliebris sedulitas ministrasset: nam delato ad cœnobium sanctarum virginum cibus ac potus, quem ne nutu quidem petere poterat, femineo inge- C rebatur obsequio, explendisque omnibus necessitatibus eadem illi diligentia per annos fere quatuor, id est usque ad vitæ suæ terminum serviebat. Qui cum tanta esset omnium membrorum debilitate constrictus, ut nulli in eo artus vivacem motum ac sensibilem retentarent, nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, ut cum de oleo, quod cadavere suo potius, quam corpore contigisset, ungerentur infirmi, confestim cunctis valetudinibus curarentur; ita ut super hac ejus valetudine etiam ipsis infidelibus evidenter aperteque claresceret, et debilitatem membrorum omnium dispensatione atque amore Domini contributam, et sanitatum gratiam pro testimonio puritatis ac manifestatione meritorum ei Spiritus sancti virtute præstari. *Deinde idem sanctus scriptor narrat aliam terribilem abbatis Moysis punitionem, quam hic brevitatis causa prætermittimus. Jam ab hac digressione in viam revertamur, et referre pergamus ea, quæ post mortem hujus sanctæ Virginis nostræ contigerunt.*

Ex honorifica Sanctæ sepultura,

12 *Laudatus Khammius parte* I *Hierarchiæ Augustanæ pag.* 254 *et sequentibus sepulturam* S. Radegundæ, *et reliqua ad posthumam ipsius gloriam spectantia sic prosequitur* : Dominus arcis Wellenburgensis Portnerus, patricius Augustanus, beatæ Ancillæ funus Augustam transvehi curavit, in suæ nobilis familiæ sepultura humandum; sed Numinis provisu ad leprodochium, charitatis a Radegunda exercitæ officinam, revectum, honorificentissime conditum fuit. Fama et pictura docet, sarcophagum Radegundæ una cum ejus corpore plaustro impositum a junctis bobus per declivem campum, et Vindam amnem sine ductore ad dictum leprodochium esse devectum, ibi depositum et sepultum: ubi mox capella e fundamentis excitata, anno MCDL renovata (*Khammius hoc loco citat Stengelium in Annal. eccles. lib. 5 cap. 7 fol. 153, qua citatione Chronicon ipsius ecclesiasticum Germanice editum designari opinor*) et ob crebra miracula a Cardinalibus et episcopis fuit indulgentiis dotata.... Anno MCDLXIV capella sanctæ Radegundæ seu Radianæ dedicatur honori sanctarum Ursulæ et Radegundæ a Judoco Ordinis Præmonstratensis Canonico Regulari episcopo Adramytteno, pro episcopo Augustano. In litteris Petri Cardinalis episcopi Augustani anno MCDLXIII, Aprilis die XIV datis, nominatur capella sanctarum Ursulæ et Radegundis. Nostri quoque Annales referunt, adesse litteras ab octo Cardinalibus die XIV Maii anno MCDLII datas pro indulgen- E tiis in sacello sanctæ Ursulæ alias sanctæ Radegundæ lucrandis. *Præ manibus habemus Germanicum earumdem indulgentiarum apographum; sed cum authenticum diploma verosimiliter Latine datum fuerit, operæ pretium non censemus illud rursus ex lingua Germanica in Latinam transfundere.*

aliisque gloriæ posthumæ signis

13 *Porro Khammius ibidem sic pergit* : Anno MCDXCII sanctæ Radegundæ ossa prope capellæ januam hactenus recondita, ex jussu Friderici Comitis de Zollern episcopi Augustani in chorum ante principalem aram fuere translata, Udalrico de Rechberg cathedralis ecclesiæ decano translationis solemnitatem celebrante. *Dein auctor ille ad annum Christi* 1507 *meminit de Matthæo Langio, arcis Wellenburgensis domino, qui postea monetam auream et argenteam in honorem* S. Radianæ *vel* Radegundæ *cudi jussit, ut superius retulimus. Post hæc ibidem narrat, quando dominium castri Wellenburgensis transierit ad nobilem Fuggerorum familiam, eamque rem explicat his paucis verbis* : Anno MDXCVII David Ungnad Baro de Son- F nenberg arcis Wellenburgensis possessor, tam suo, quam suorum liberorum ex conjuge Langia procreatorum nomine, eam vendidit Jacobo Fuggero: unde ex hac illustrissima Fuggerorum familia descendentes, dominii Wellenburg hodiedum beati sunt possidentes.

eruimus immemorabilem ipsius cultum,

14 *Denique Khammius nos de publico et ha-*
ctenus perseverante hujus Sanctæ cultu ita certio-
res reddit : Anno MDXCI sanctæ Radegundæ ossa,
antehac grandi lapide tecta, fuerunt elevata, ad
modum staturæ humanæ composita, ac elegan-
ter exornata, illustrissima Comitissa Fuggera de
Wellenburg etc., nata Baronissa de Neuhaus,
præter cimelia, pretiosissimam suam tunicam ho-
losericam auro filatam et acu phrygia pictam, ad
exornandum liberaliter donante. Post hæc sanctæ
Radegundæ corpus sumptuoso vestitu præstans Do-
minica III post Pentecosten ex ecclesia Berckhei-
mensi sub solenni processione in suam ecclesiam
fuit deportatum, ante principalem aram repositum
ac omnium oculis expositum, præsentibus DD. Leo-
nardo Frey ecclesiæ cathedralis Augustanæ de-
cano, Francisco Ziegler vicario generali, Joanne
Augustin notario, et ex quatuor-viris Canonico.
Anno MDCCIII antequam Augusta obsidione preme-
batur, idem sanctæ Radegundæ corpus in urbem

AUCTORE G. C.

securitatis causa fuit translatum, et apud PP. Ordinis Prædicatorum depositum. Dein periculo armorum cessante, anno MDCCV iterum Dominica III post Pentecosten solenniter fuit restitutum, et in mausoleo suæ ecclesiæ honorifice collocatum; ubi hac adhuc ætate visitur et devote colitur.

etsi certum venerationis diem ignoremus,

15 *At ex his omnibus nondum scimus, quo die* S. Radiana *vel* Radegunda *obierit, aut quo fixo die quotannis colatur, etiamsi suspicemur, annuam ipsius memoriam celebrari quadam Dominica post Pentecosten, quia laudatus Khammius parte* I *Hierarchiæ Augustanæ pag.* 557 *et* 558 *de sacello seu templo hujus Sanctæ habet sequentia:* Ecclesia parochialis Berckheimensis duas sibi annexas habet filiales, unam in Banacker, alteram ad S. Radegundam seu Radianam prope arcem Wellenburg..... Ecclesiæ filialis sanctæ Radegundæ encœnia in ipso sanctissimæ Trinitatis festo peraguntur. In eadem ecclesia sermones sacri tempore pomeridiano Dominica Palmarum, Feria quinta Cœnæ Domini, et Dominica Paschæ ad populum dicuntur. Lucrantur quoque hic indulgentiæ plenariæ Dominica quarta post Pentecosten, ad sacrum thesaurum acquirendum magna hominum multitudine concurrente.

16 *Cum itaque certus mortis ac venerationis dies nobis ignotus sit, seculi sumus concilium P. Henrici Lamparter, in Bibliotheca Societatis nostræ propter varias lucubrationes recensiti, qui Augusta Vindelicorum ad Henschenium nostrum anno* 1666 *ita scribebat:* Tarde respondeo R. V., quia nusquam indagare potui, quod de beata Radegunde scire desiderat. Nec ordinarius loci, nec ullus aliorum, quos id oportuit nosse, scit, quo die sit mortua. E parietibus templi ejus, in quibus picta fuerat ejus Vita, colores defluxere; sepulchralis lapis etiam nihil amplius exhibet certi de die obitus. Mitto copiam indulgentiarum ejus Sanctæ intuitu datarum templo. Suaserim res hujus poni die XIII Augusti velut appendicem ad res S. Radegundæ reginæ, quæ celebratur eo die. *Atque hæc est causa, cur* S. Radegundem *ancillam hodie Operi nostro inserere, et Actis S. Radegundis reginæ subnectere voluerimus. Ecce omnia, quæ de cultu et gestis illius sanctæ Virginis detegere potuimus, etsi forsan in monumentis Wellenburgensibus aut aliis scriptoribus Germanis plura reperiantur, quorum notitia ad nos nondum pervenit.*

et ideo eam alteri similis nominis Sanctæ subjunxerimus.

DE S. LAUDULFO EP. ET CONF.

EBROICIS IN GALLIA

P. B.

VERSUS ANNUM DCXX. *Cultus antiquitas.*

De S. Laudulfo, *seu* Landulfo *Gallice* saint Loul, *episcopo Ebroicensi, eginus ad diem* XI *hujus mensis, ubi de S. Taurino, episcopo itidem Ebroicensi, in* Historia inventionis ejus primæ, *per* Landulfum *divina revelatione bis monitum seculo* VII *accuratæ, et per anonymum istic editum descriptæ seculo* IX. *Juverit vero hic tantisper ad illum redire, tamquam ad testem Laudulfianæ sanctitatis et cultus nunc quidem antiquissimum: nam auctor* libelli de Vita S. Landulfi, *quem hic num.* 1, *ut seniorem, citat, jam dudum intercidit; uti mox intelliges. Hodiernam porro lucem ejus venerationi ab immemorabili tempore consecratam fuisse satis indicat Grevenus, ad hunc diem in aucto a se Usuardo editoque anno* 1515 S. Landulphi *memoriam annuntians. Eodem die Breviarium, quod habemus, Ebroicense excusum Parisiis anno* 1586, *festum ejus et Officium cum Lectionibus novem ritu duplice celebrandum præscribit. Secutus est Saussayus in Martyrologio suo Gallicano, longum ei hoc die texens elogium.*

Acta

2 *Acta si requiris, antiquiora non supersunt, quam quæ dedimus in laudata mox Historia inventionis primæ S. Taurini; cum qua si conferre placet Lectiones sex priores Breviarii jam indicati, eccas illas:* I. De Landulpho, Ebroicensi episcopo, nihil scriptum reliquit antiquitas; nisi quod ex historia inventi corporis beati Taurini aliquantum temporis post hujus obitum apparet vixisse sub Clodoveorum imperio et monarchia [in] Galliis. II. Dicitur enim Lotarii tempore, cum Ebroicenses Canonici tum ex finitimis agris in civitatem ad divina Officia peragenda quotidie convenirent, et ipse ex pago urbi vicino, qui S. Landulphi etiam nunc nomen retinet, ad sacra matutinalia cum aliis perrexisse, et in itinere audivisse choros angelorum psallentium, ac dicentium: " Beatissimi Taurini laudanda est hodie festivitas, cujus lingua fulget in ecclesia " : III. Hoc vero nuntiasse Viatori, episcopo suo: post cujus decessum omnium suffragiis ad episcopatum promotus, die ac nocte deprecabatur Dominum, ut thesaurum de reliquiis S. Taurini sibi indicaret. Quin etiam post anni circulum eodem die ad eumdem locum, ubi audierat angelorum cantum, cum solo comite rediit, atque iterum prostratus in oratione, meruit cælestes illas voces audire: sed erat anxius et ignarus, quo loco thesaurus ille lateret.

ex Breviario Ebroicensi.

3 IV. Propterea vehementius Deum orabat, ut hoc illi manifestum faceret. Tandem elevans oculos, videt a terra usque ad cælum columnam pertingentem, instar solis claram. Quo in loco fodiens accepto sarculo, reperit scriptum: " Hic requiescit beatus Taurinus, primus episcopus Ebroicæ civitatis. " V. Locus vero occurrit in via venientibus a pago S. Landulphi ad ecclesiam episcopalem Ebroicæ urbis, in quo nunc spectatur amplissimum monasterium et sepulchrum subterraneum S. Taurini. Tum vero Landulphus ecclesiam ligneam sepulcro imposuit. VI. Sed cum ad inventionem illarum reliquiarum miracula quotidie plurima et maxima fierent, in illa historia narratur, paulo post fuisse librum confectum de Vita S. Laudulphi, qui intercidit, et in quo multa de inventione illarum reliquiarum et miraculis; ac de sanctitate, operibus bonis, et meritis ejusdem B. Landulphi scribebantur. *Miramur, nihil hic notari de corpore* S. Landulphi. *cum illud in Martyrologio universali ad hunc diem diserte asserat Castellanus esse in ecclesia S. Taurini.*

A D

DE SS. MAXIMO ABBATE, ANASTASIO MONACHO

AC ALIO ANASTASIO

ITEM MON. ET APOCRISIARIO ROMANO CONFF.

CONSTANTINOPOLI.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Maximi nomen, natales, illustre in aula munus quando commutatum cum monastico instituto.

An. DCLXII et DCLXVI. Sanctus re ac nomine Maximus

Maximus *vitæ sanctimonia, doctrina, scriptis, exantlatis pro orthodoxa fide certaminibus, exiliis ærumnisque, nec non fuso pro ea sanguine longe clarissimus, tanti nominis mensuram egregie adimplevit, prout perspicuum* B *fiet cum ex Viri Vita, tum ex hoc, quem eidem præfigimus, Commentario. Ad Sancti nomen alludit* S. Anastasius *presbyter et apocrisiarius Romanus, de quo pluribus infra, in epistola sua ad Theodosium presbyterum Gangrensem, quæ exstat in Anastasii Bibliothecarii Sedis Apostolicæ Collectaneis, habeturque inter Opera varia a Sirmondo vulgata, tom.* 3 *col,* 375 *novissimæ editionis Venetæ, ubi leguntur ista:* Ego igitur exiguus memoriam justorum illorum, *qui Constantinopoli ob veræ fidei adversus Monothelitas confessionem passi sunt,* et præcipue Maximi revera megisti (hoc enim Maximum nomen insinuat) sermone meo in præsentiarum facere volens *etc. In Menæis magnis excusis die* XII *hujus mensis inter alia præconia, quibus Græci ibidem ipsum laudant, dicitur* μέγιστος Μάξιμος. Maximus *itaque nomine, major rebus gestis, imo maximus vere ac proprie exstitit. Recte itaque Joannes Zonaras in Annalibus tom,* 2 *pag.* 87 *editionis regiæ Parisiensis anno* 1687 *vulgatæ eum etiam jure meritissimo* μέγιστον Μάξιμον *appellat. Addi his possunt, quæ dabuntur inferius §* 7 *sub finem. De sancto itaque* Maximo *agimus hic primo loco; de aliis duobus* Anastasiis *postea insti-* C *tuetur sermo.*

floruit sub Heraclio imp., in aula ejus gerens illustre munus:

2 *Quæ ad Sancti patriam, illustres ipsius natales, ingenii præstantiam rara cum diligentia ac virtute conjunctam, nec non ad litterarias vel ab ineunte ætate exercitationes spectant, expedit auctor Vitæ, quam illustramus, num.* 3 *et seqq. apud nos. Natales nulla temporis nota ab eo determinatos anno* 580 *affigit Caveus heterodoxus in Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria part.* I *pag.* 322. *Jam vero tot ac tam præstantes naturæ ac gratiæ dotes, quibus* S. Maximus *erat præditus, eum exexere ad summam in imperatoris Heraclii aula dignitatem. Quippe* Admirandus iste, *sicut ibidem de illo refert idem biographus num.* 6, sic ætatem suam transiens, quamquam multa conaretur quotidie, quo vanam gloriam effugeret, et vitæ hujus varietatibus non implicaretur... efficere tamen non poterat, ut lateret... Etsi autem ipse talia moliretur et ageret, nihilominus vel contra voluntatem arripitur. Heraclio per id tempus imperatore, ad regiam eum benevolentissime accersente, et eorum, qui erant a commentariis regiis, principem instituente: *cui quam fuerit gratiosus in paucis atque utilis, ibidem subditur. Imperavit Heraclius ab anno Christi* 610 *usque ad* 641. *Longissime ergo aberrant a vero, qui Constantinum Pogonatum hic obtrudunt, quem Sanctus numquam imperatorem vidit, mortuus utique anno* 662; *ille vero imperare dumtaxat cœpit anno* 668.

E (non vero sub Constantino Pogonato)

3 *Hinc corrige Menologium Sirleti, quod ad diem* XIII *Augusti sic habet:* Commemoratio sancti Patris nostri Maximi confessoris, qui sub imperatore Constantino Pogonato summus philosophus, vita et sermone illustris, relictis omnibus, factus est monachus. *Corrige item Menæa magna typis edita:* Vixit Maximus imperante Constantino, cui cognomentum Pogonato, Heraclii nepote: *ac Synaxarium, quod est apud Combefisium tom.* I *Operum* S, Maximi *pag.* LXXXIX *ubi dicitur* imperatore Constantino Pogonato, Heracliique nepote, maximis honoribus a superioribus imperatoribus acceptus *etc. Vitæ denique ac Martyrii* S. Maximi *exemplar, cui prænotatur scriptor Laurentius monachus Rutiensis in Calabria, et de quo alibi redibit sermo, eumdem errorem committit, dum in scenam illum producit* κατὰ τοὺς χρόνους τοῦ τῆς Ῥωμαίων βασιλείας κατάρξαντος Κωνσταντίνου, ὃν Πωγωνάτου ἐκάλουν. *Id est,* Temporibus Constantini, quem Pogonatum vocabant, Romanorum imperium administrantis. *Rectius habet Compendium nostrum Ms. Certaminis* S. Maximi, *quod desumptum est e bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, dicens:* Ὁ ὅσιος καὶ τρισμακάριστος πατὴρ ἡμῶν Μάξιμος ὁ ὁμολογητὴς ἦν ἐπὶ τῆς βασιλείας Κώνσταντος, υἱοῦ Κωνσταντίνου, ἐγγόνου δὲ Ἡρακλείου. F Sanctus ac ter beatissimus pater noster Maximus confessor erat imperante Constante, filio Constantini, Heraclii autem nepote. *Sub eo utique egregiam suam pro Christi fide confessionem ac heroica certamina suo sanguine testata roborataque esse voluit, quamvis multo ante tempore in aula Heraclii honoratus ac gratiosus meruisset: idque confirmatur apud Sirmondum allegatum col.* 368, *ubi hæc e Græco versa memorantur:* Jubemus gloriæ tuæ ire Bizyen, et adducere Maximum monachum cum honore multo atque blanditie, tam propter senectam et infirmitatem, quam eo quod sit a progenitoribus noster, fueritque illis HONORABILIS. *Quæ postrema verba Combefisius in observationibus ad Vitam* S. Maximi *tomo citato præfixis pag.* XCVII *sic clarius reddidit:* Quod amicus et familiaris Majorum meorum extiterit, ac illis clarus habitus sit.

quod munus

4 *Et continuo idem auctor,* Quod plane, *ait,* in notarium primumque a secretis rite congruit; cujus muneris esset, non avelli a latere imperatoris,

AUCTORE J. P.

toris, ac illi semper adesse. Extant Michaëlis Pselli pulcherrimæ epistolæ, cum ad alios viros primores omnis ordinis, tum præcipue ad notarios cum imperatore agentes in ταξειδίῳ: cum is scilicet provincias lustraret, sive etiam exercitum circumductaret, omninoque extra regiam urbemque ageret: ut cum ad Comneni notarios, velut ejus asseclas eique adhærentes, ac consiliorum laborumque ac expeditionis socios sic blande scribit: Τῷ κορυφαίῳ καὶ τῷ χορῷ, ἢ δὲ βούλεσθε, τῷ μυσταγωγῷ καὶ τοῖς μύσταις. Pari nobis fere cultu in aula ipsi regi a secretioribus intimisque consiliis, et quasi administri regenda republica, quos in eam secretarios vocamus. Eo ipso munere functus S. Nicephorus patriarcha, Nicephoro imperatore, et antequam illi sedi præficeretur: ex qua aulæ familiaritate tanta illi styli suavitas et elegantia, quantam in ejus Antirrheticis miramur, quibus * licuit salutare, cum pari eruditione rerumque ecclesiasticarum peritia conjunctam; dolemusque non produci in communem Ecclesiæ usum ejusque clypeum, cum præsertim luculenti extent codices in Regia, Segnieriana, Colbertina celebribus Pa-

* l. quæ

B risiis bibliothecis *etc. De S. Nicephoro Patriarcha CP. consuli potest Historia chronologica Patriarcharum istius Sedis, quæ habetur ante tomum nostrum* I *mensis Augusti. Acta vero ejus illustrata sunt tom.* II *Martii die* XIII *a pag.* 293.

observationibus explanatur.

5 *Illud porro Vitæ Græcæ* S. Maximi ὑπογραφία πρῶτον τῶν βασιλικῶν ὑπομνημάτων *apud Combefisium pag.* IV, *quod vertit Latine* eorum qui a secretis imperatori essent principem, *noster autem Vitæ, quam dabimus, interpres dixit,* eorum qui a commentariis erant principem, *sic exprimit Compendium Cæsareæ bibliothecæ Vindobonensis:* Πρῶτος ἐν τοῖς μυστογράφοις γεγονώς: *id est,* primum inter arcanorum scriptores *seu notarios* locum adeptus: *unde prima Sancti inter eos, qui erant imperatori a secretis, confirmatur prærogativa. Atque hoc ipsum Menæa magna typis edita clare tametsi Græco-barbare significant in ejus elogio, ubi datur ei titulus* πρωτασηκρῆτου, primi a secretis; *in Officio autem, quod ex* Tiliano antiquo codice XIII Augusti *profertur apud Combefisium pag.* LXXXVII *et seqq., scribitur* πρωτοασηκρῆτις *aliter item ea vox formatur apud Gretserum illico citandum. In notis vero et observatio-*

C *nibus ad caput* 2 *operis Georgii Codini Curopalatæ, quod agit de officiis magnæ ecclesiæ et aulæ Constantinopolitanæ, quodque anno* 1618 *Parisiis editum est, pag.* 27 *de eo vocabulo dicitur:* Ut primum secretarium indicat, ita et judicum omnium præstantissimum. *Alia insuper ibidem notata invenies. Consuli etiam potest Gretserus in Commentariis ad dictum Codinum, qui habentur in editione ejusdem operis, quam designabam, pag.* 200. *At de his plus satis. Nunc cum Vitæ scriptore ad alia progrediamur.*

Quam ob causam Vir sanctus aulæ valedixerit.

6 *Narrat is num.* 7 *Sanctum, rerum caducarum in aula pertæsum,* item novitates in fidem invehi cernentem, quando Monothelitarum secta Ecclesiam vehementer labefactaret, accessisse... in monasterium, quod in adverso littore *urbis Constantinopolitanæ* apud Chrysopolim situm est. *Causam secessus ab aula sic exponit Compendium Cæsareum Vindobonense:* Οὗτος τὴν τῶν Μονοθελητῶν κακίστην αἵρεσιν ἰδὼν πλατυνομένην καὶ κρατοῦσαν, καὶ ἐγγράφως ἀνατεθεῖσαν ἐν τῷ νάρθηκι τῆς ἁγίας Σοφίας ἐν Κωνσταντινουπόλει καταλιπὼν τὰ βασίλεια, γέγονε μοναχὸς ἐν τῷ μοναστηρίῳ Χρυσοπόλεως. Hic pessimam Monothelitarum hæresim dilatatam et invalescentem conspicatus, nec non in narthece sanctæ Sophiæ Constantinopoli in scriptis suspensam, D relicta aula factus est monachus in monasterio Chrysopoleos. *Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 3 *pag.* 16, Porticus, *inquit,* istas occidentales, quæ elegantis ac magnifici vestibuli vicem præbent ædi Sophianæ, νάρθηκος seu ferulæ nomine ævo suo donatas, tradit Silentiarius part. 2 vers. 13. *Agit etiam ibidem Cangius de vocabuli istius seu appellationis ratione; cui varia alia subnectit pag.* 17 *et* 18, *inter quæ est illud,* Ut Narthices... olim extra ecclesiam seu potius extra ecclesiæ septa fuere,... ita vicissim pro certo haberi debet, posterioribus seculis narthecem eam sacræ ædis partem, quam hodie navim vocamus, aliquando appellatam, *prout ibidem pluribus videre licet. At misso hoc brevi diverticulo, redeamus ad propositum.*

ac monasticum institutum

7 *Menæa magna Græcorum excusa eamdem, cur* S. Maximus *ex aula se subduxerit, cum dicto Compendio causam allegant, e quibus delibo ista, a nostro Radero sic Latine reddita:* Postea vero quam perniciosa et aliena a Catholica fide opinio Monothelitarum.. stolide et impie invaluit... decretaque publica, quibus hæresim suam confir- E mabant, publice proponebant, et in ipsa magna ecclesia Constantinopoli affixa hærebant, impiorum societatem et communicationem execratus, relictis politicis officiis et magistratibus, selegit potius abjectus esse in domo Dei, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Profectus ergo Chrysopolim *etc. Consuli insuper de hac re potest Sancti Officium sacrum a Combefisio editum ac supra a nobis memoratum. Monachum Rutiensem, ne longior æquo excurrat oratio, tacitus prætereo. At Combefisius in observationibus ad* S. Maximi *Vitam pag.* XCVII *causam hanc commutatæ ab eo aulæ cum secessu monastico Chrysopolitano, meram scriptoris ejusdem Vitæ conjecturam existimans,* Potuerit *quidem, inquit* in monasterio etsi urbi vicino, quod nempe κατὰ τὸν ἀντιπέραν ἠιόνα in adverso littore ad Chrysopolim in Bithynia prope Chalcedonem situm esset (Scutarim vocant, teste Gillio) ab eo tutam salo æstuque stationem quærere, ac animæ κοίνωσιν ut vocat auctor, ejus scilicet commaculationem et contagium, ex aulicorum convictu ac consuetudine, loci secessu defugere, id cumprimis illo consecutus, ut Heraclii secretioribus consiliis pro officii munere haud coge- F retur favere. Hanc tamen meram sic Vitam scribentis conjecturam existimo.

sit amplexus, inquiritur,

8 Nec enim sic palam Heraclius novitati studebat, jamque Monothelitarum dogma in aula percrebuerat, cum Maximus monachum induit; aut Heraclii aulæque ea potissimum factio erat, et non magis Cleri et episcoporum Athanasii Jacobitæ, Theodori Pharan, Cyri, Sergii etc.; a quo proinde ut se tutum præstaret Maximus, non aula solum ac urbe, quam novator episcopus regeret, exire debebat, sed ejus tota diœcesi, aut certe paulo remotius latebras quærere. *Observatio ista Combefisii adeo nobis videtur veritati consona, ut probabilius esse putemus, Virum sanctum non tam ex luis Monotheliticæ fuga, quam ex rerum caducarum contemplione, vitæque perfectioris desiderio ab aulæ strepitu in Chrysopolitanum monasterium se recepisse. Quæri autem hic ulterius potest, quo tempore id acciderit. Hoc argumentum tractat Combefisius pag.* XCVIII *et ex iis, quæ de illo affert, sententiam suam confirmat, Sanctum ex aula secessisse, ac primi a secretis munus abdicasse,* ut chara solitudine frueretur, ac seculi curis turbisque expeditus, liberius Deo

AUCTORE J. P.

A Deo divinæque contemplationi... totus impenderetur. *Quæ ergo ad propositam quæstionem faciunt, ex ipso hic referemus.*

quo item tempore

9 *Fatetur quidem laudatus auctor, incertum esse, quod is tempore aulæ togam cum lacerna ac cilicio commutarit; diu tamen ante Sergii obitum atque extrema Heraclii tempora, quibus pestifera hæreseos flamma in aulam ac urbem erupit, illud evenisse, argumento, ait, est epistola Sancti ad Pyrrhum hegumenum, cum is illum jam monachum invitasset, ut suæ consentiret novitati, quam a Sergio auctore hauserat, ac scriptis susceperat firmandam, tuente se Maximo non vitæ monasticæ recenter susceptæ tirocinio aut theologiæ studio nuper salutato, postquam seculo valedixerat; sed eum sui rudis animi conscientia (dicamus nos summa, pro sui instituti ratione, animi modestia) tum facinoris temeritate, ne sententiam præcipitaret. Nam operum ejus a Combefisio editorum tom.* 2 *in epistola responsoria ad Pyrrhum pag.* 346, Vigent, *inquit*, adhuc in me affectus ac vitia, carnemque oppido rebellem legi spiritus prævalentem habeo. Quin etsi per hypo-

B thesim nihil eam in rem quod sit facultatis deesse dederimus; quis sic temerarius et audax, ut quæ in hunc modum divino sacerdotum sunt sancita suffragio, præsumat superordinare? *Quidnam inde sequitur?* Igitur, *uti concludit Combefisius pag.* XCVIII, diu ante vulgatam Byzantii Ecthesim, cujus ipsius crimen Maximus in Sergium, et senatum confert, depellitque ab Heraclii capite; qui Sergii Clerique Constantinopolitani victus precibus, nec non senatus indulgentia inclinatus, suo eam nomine publicari permisit : quæ nec tunc forte edita erat, cum sic amicas Pyrrho adhuc monachorum præfecto, pridem ipse monachus dedit litteras; cum hæc Pyrrhi Maximo oblata, illius videantur fuisse præludia ac velut prodromus, mussitante hactenus inter Clericos novæ hæresis hydra, ac imperatoris præstolante adventum e Syria (unde ejus origo ac initia) sub quo publice in urbe erumperet; haud satis vero simile, eam jam in aula provectam, ejusque tædium ea Maximum excussisse, ac monasterio, ex quo illi majores ejus procellæ extimendæ erant ex Cleri CPolitani Sergiique patriarchæ novatoris vicinia, addixisse. *Hæc ille.*

C 10 *Verum dispiciamus, quo pacto ea, quæ Combefisius protulit, ut probaret, quanam de causa S. Maximus aulam cum vita ascetica commutarit, lucis quidpiam suggerant ad figenda præterpropter perfectioris istius instituti exordia.* *Famosam illam* Ecthesim seu fidei formulam et expositionem, in qua dici prohibebatur imposterum cum una tum duplex in Christi dispensatione operatio, licet interim in ea diserte asseratur in Christo una tantum voluntas, tamquam doctrina sanctorum omnium Patrum..., non hoc anno, ut hactenus ab omnibus creditum, sed superiori publicatam, *inquit Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi* 639. Martinus enim *Papa* in Secretario III, *seu Actione* 3 *Concilii Lateranensis apud Labbeum tom.* 6 *Conciliorum col.* 83, *ait*, id factum duodecima Indictione (*textus habet* per nuper duodecimam Indictionem elapsam) quæ Kalendis Septembris superioris Christi anni inchoata. Nam postquam *Ecthesis* illa emissa est, Sergius pseudosynodum Constantinopoli coëgit, ad Syrum episcopum Alexandrinum scripsit, et mense Decembri ejusdem anni vita functus est, ut mox ostendemus. Quare non dubium, quin anno antecedenti edictum illud prodierit, eodemque synodus Constantinopolitana habita sit. *Hæc post-*

illud acciderit.

ea meminisse juvabit, quando de illa Ecthesi recurret sermo. Sed nunc ad rem nostram. Tempus itaque certum, quo S. Maximus ex aula in monasterium Chrysopolitanum se abdidit, quoniam definire non possumus, non thesi illud circumscribimus, sed hypothesi ac conjecturis. Quid si ergo dicamus, hanc rem gestam accidisse anno circiter Christi 630, *Sancti circiter* 50, *cum fuerit propemodum octogenarius quando illa passus est, quæ narrantur inferius in Vita apud nos num.* 32, *ac obierit anno* 662 *secundum dicenda* § 7. *Porro hasce conjecturas confirmare conabimur ex aliis ejus gestis, quæ subnectimus.*

§ II. Dignitas abbatialis in monasterio Chrysopolitano ; iter Africanum ab eo susceptum qua de causa, quo tempore ac quo fructu.

E

Disseritur de tempore

Biographus noster cap. I *num.* 8 *agit de præfectura cœnobii Chrysopolitani ad S. Maximum delata,* nuper enim *monachi* præfectum amiserant, *prout ibidem addit; sed nec ejus nomen, nec temporis notam, quo id acciderit, ullam apponit; ita ut in tenebris hic denuo palpandum quasi nobis sit, ac conjecturis utendum, quas haud pluris valere volumus, quam rationes pro placitis nostris afferendas. Observamus itaque ex verbis dicti biographi num.* 8 *et* 9, *Sanctum nostrum maturæ admodum ac jam provectæ ætatis fuisse, quando illud onus magna cum reluctantia humeris tandem suis imponi permisit : et hujus observationis ratio est, quia inter varias causas, quæ munus illud reddunt grave, atque adeo ad illud excutiendum merito poterant Virum sanctum movere, de quibus ibi agit biographus, nulla affertur ex prœmatura ejusdem ætate; unde suspicari liceat, eum anno circiter Christi* 639 *aut sequenti, ætatis* 59 *circiter vel* 60, *dicti monasterii regimini admotum fuisse ob ea præsertim, quæ circa ejus in dignitate abbatiali decessorem notanda nobis occurrunt. Fuisse hunc Pyrrhum, qui ex ea dignitate ad cathedram Constantinopolitanam fuit admotus, sequentia nobis* F *suadent.*

quo S. Maximus

12 *In Chronographia compendiaria S. Nicephori hæc notantur* : Πύῤῥος πρεσβύτερος τῆς αὐτῆς μοναχὸς καὶ ἄρχων τῶν μοναστηρίων, καὶ ἡγούμενος Χρυσοπόλεως. Στάσεως δὲ γενομένης αὐτῷ, παρῃτήσατο· ἔτη β', μῆνας θ', ἡμέρας θ'. *Quæ sic interpretor Latine* : Pyrrhus presbyter ejusdem (*ecclesiæ*) monachus, nec non monasteriorum præfectus, et hegumenus Chrysopoleos. Tumultu autem in eum concitato, abdicavit se dignitate post annos duos, menses novem, dies novem. *In Historia Patriarcharum Constantinopolitanorum apud nos tomo* I *Augusti præfixa, initium episcopatus hujus hæretici Monothelitæ affigitur pag.* * 79 *verosimiliter ineunti Januario anni* 639, *exsilium vero anno* 641. *Habemus itaque hic Pyrrhum monasterii Chrysopolitani hegumenum, moderatorem seu abbatem; habemus tempora, quæ commode cum nostro ejusdem monasterii Chrysopolitani Abbate secundum præmissa combinantur ; cur igitur hunc illi successisse ex probabili ratiocinio non affirmemus; in ejusdem, uti dicebamus, monasterii Chrysopolitani gubernatione, præter quod non scimus hactenus aliud in tractu CPolitano synonymum exstitisse ?*

AUCTORE J. P.

exstitisse? Quæ cum ita se habeant, ut redeamus ad priora, non videmus quidquam, nobis incommodare, quo minus initia dignitatis abbatialis S. Maximi *innectamus cum aliqua probabilitate anno Christi* 639 *vel proxime sequenti.*

abbas creatus est

13 *Neque objicias epistolam ejusdem Sancti ad eumdem Pyrrhum, de qua superius num.* 9, ἡγούμενον hegumenum, *uti est in ejusdem inscriptione, hoc est* abbatem; *neque enim cum illam epistolam, tum aliam ad monachos Siculos, quæ exstat apud Combefisium tom.* 2 *Operum* S. Maximi *pag.* 58, *videmus pugnare cum nostro systemate, quod in neutra Pyrrhum vocet suum Superiorem vel abbatem : nam tametsi* S. Maximus *monasterii Chrysopolitani institutum amplexus fuerit anno Christi* 630 *circiter, ætatis circiter* 50 *secundum conjecturam nostram supra datam; fieri tamen potuit, imo vero in nostro hoc systemate factum fuerit, ut, quando epistolas illas exarabat* S. Maximus. *esset quidem tunc temporis Pyrrhus aliorum monasteriorum præfectus ; at postea Chrysopoleos abbas sit factus ; idque sive istius fuerit monasterii alumnus sive alterius, cum* B *adeo exstiterit Heraclio imperatori in paucis gratiosus : etenim sicut ibidem apud nos pag.* 78 * *ex S. Nicephori Historia invenies,* Pyrrhum Heraclius amabat, adeo ut fratrem appellaret, quod imperatoris sororem e sacro fonte susceperat; simul quod eumdem Sergii familiarem fuisse, cum eoque vixisse cognorat, in illius locum *patriarchalem urbis CPolitanæ* substituit. *Atque hæc quidem sunt, quæ de inito regimine monasterii Chrysopolitani a* S. Maximo, *ac de decessore ejus in mentem nobis venere, quæ tamquam systema nostrum, sive etiam, si vis, problema eruditorum judicio tantisper proponimus, relicta cuilibet illud vel amplectendi vel rejiciendi ac melius aliquid inveniendi plenissima facultate.*

monasterii Chrysopolitani, de quo loco nonnulla notantur.

14 *Quandoquidem autem de asceterio apud Chrysopolim, uti dicitur in Vita nostra num.* 7, *toties facta jam mentio est ; non videmur abs re facturi, si de isto loco nonnullas subnectamus notitias ex Petri Gyllii de Bosphoro Thracio libro* 3 *cap.* 9; *ubi invenies, quod fuerit* portus magnitudine et tranquillitate pulcherrimus et optimus..; apelletur autem Chrysopolis, ut quidam dicunt, C ex eo, quod Persæ imperantes in hunc locum cogerent auri acervos exactos ab urbium tributis : ut vero multi tradunt, a Chryse filio Chryseidis et Agamemnonis ibi mortuo et sepulto, *ea occasione, quæ ibidem refertur ; et additur,* posse etiam ob portus commoditatem ita appellari ab iis, qui mirabilia auro comparare solent; *item* Chrysopolim emporium fuisse Chalcedonis; ubi Xenophon tradit, Græcos, qui meruissent stipendia in Cyri expeditione Persica mansisse dies septem, vendentes prædas, quas fecissent..., postea muris nudatam fuisse, ex Strabone *asseritur*, dum ait Chrysopolim vicum esse. *Et vero. prout observat Gyllius,* Similiter hodie urbs non est; sed vicus laxe habitatus multis ædificiis non continuis, circuitu milliaria complectens circiter duo. *Et post alia nonnulla,* Denique, *ait,* Chrysopolis reædificata est a Turcis, quæ diu jacuerat deserta bellis Persarum et Turcorum, ut nullum vestigium restet eorum, quæ Georgius Cedrenus dicit. Philippum regem condidisse Chrysopolim, ut monasterium τῆς παναχράντου Θεοτόκου (*immaculatissimæ Deiparæ*) ut palatia ad excipiendum regem, regiosque liberos, hortosque struxisse, ac piscium vivarium : id quod in vallis planitie, ubi nunc sunt præcipua Chrysopolis ædificia, existimo lacum fuisse, nimirum reliquias portus antiqui. Chrysopolis quamquam est suburbana Byzantii, tamen omnes fere Byzantini ignorant, ubi hæc fuerit, ex eo, quod nomine antiquo exoleto, jam dudum vocatur Scutaris, nescio, an a Franeisne aliquando Byzantio imperantibus, chryson appellantibus scutum; an potius a statione militum scutariorum *etc. Ceterum de monasterio, quod, uti diximus, apud Chrysopolim situm fuit, nihil hactenus reperimus, quod lectorem edoceamus. Hinc igitur Sanctum discedentem sequamur.* D

Iter Africanum non fidei orthodoxæ propagandæ studio

15 Quoniam *vero* Romam veterem ad hoc detestabili *Monothelitarum* dogmate puram noverat, similiterque ecclesias Africanas.... his terris relictis eo discessit, ut veritati una patrocinaretur, *teste biographo nostro num.* 10, et cum orthodoxis illic versaretur. *Præmiserat ibidem, adeo hæresim illam invaluisse, ut* malum immense pateret, ac propemodum Orientem et Occidentem totum occupasset. *Sed Combefisius in observationibus ad Vitam et Acta* S. Maximi *a se edita, pag.* xcviii *narrationem biographi sui his verbis castigat, quæ nostro quoque conveniunt :* Maximi Romam inque Africam profectionem sic auctor de- E scribit, quasi toto jam Oriente et Occidente nova hæresi infectis, nec nisi Romæ inque Africa, seu etiam insulis vicinis vigente saniore doctrina ac fide antiqua, quin vel in illis nutante; et cum periculum esset, ne flamma hæc cuncta brevi absumeret, is illi suppetias venerit... solam tamen ipsum Africam cogitasse, *quando* Asiæ loca, et Bithyniam, ipsamque Constantinopolim reliquit : nec eo fidei zelo, quem auctor comminiscitur, sed barbarorum metu, Persarum scilicet, sic tota illa *regione* grassantium, ut nec ipsa quidem urbs Augusta ab eis tuta esse videretur, ipse sibi Maximus non uno loco testis gravissimus est. *Citat deinde alteram seu secundam* S. Maximi *epistolam ad Jordanem (imo Joannem) presbyterum, quæ extat apud ipsum tom.* 2 *Operum ejusdem Sancti, et in qua sic ex Græco textu pag.* 250 *loquentem interpres Latinus Virum sanctum inducit :* Accersasque *me* ad te, ac sub alas tuas reponas; si modo vere timor omnis hostium externorum abscessit, quorum formidine tamquam vitæ amans tanta maris spatia trajeci. *Et continuo* Vos, *inquit,* sanctissimos rogatos velim,... ut certius moneatis, omnemque illic impræsentiarum rerum statum, qualis tandem sit ac obtineat, vestris ad me litteris exponatis. Cum enim animi sensibus parum valeam, valdeque debilis existam. ., præque pavore circa multa dissipatam ac evagantem mentem habeam, tuto transfretare velim. F

sed hostilium excursionum metu

16 *Profert præterea epistolam a* S. Maximo *ad Siricicium* (fort., *ut in margine apponitur,* Cyzicenum) *episcopum datam, ac inter alias tom.* 2 *Operum ejus pag.* 361 *editam, in qua auctor ipsi est, ut dispersos ac profugos revocet :* Voca, *ait,* tum eos qui longe, tum qui prope sunt, eosque tibi ipse insolubili vinculo dilectionis spiritus adstringe. *Sed qua lege id roget, statim subdit, dicens :* Dummodo tamen exspectatæ hostium incursionis metus aufugerit, ac prorsus aufugerit : cujus causa tamdiu sicque procul patria exules alienum solum habuit. *In altera vero ad eumdem epistola, quæ habetur tomo citato pag.* 362, *suam Sanctus deplorat solitudinem, quod alii, se relicto, jam rediissent :* Verum, *ait*, quod magna absorptus tristitia sim, nec ab illis disjungi feram; aut me cum eis assumite, subque alas vestras reficite, aut vestris precibus ad sustinendum fortiter, quem charissimorum ipsa abjunctio dolorem

A rem consciscit, confirmate. *Quæ cum ita sint, eumque Vir sanctus, quando vel de suo vel de aliorum exsilio meminit, illius causam non imputet hæresi Monothelitarum,* immense patenti, ac propemodum Orientem et Occidentem totum occupanti, *uti supra volebat biographus; cum denique idem Sanctus noster clare ac diserte in epistola ad Joannem presbyterum superius memorata indicet,* hostium exterorum.. formidine.. tanta se maris spatia trajecisse; *fugæ ejus causa non in hostes internos, non, inquam, in dictam hæresim, sed in barbarorum metum videtur esse refundenda.*

Vir sanctus suscepit, 17 Mera itaque Βιογράφου somnia, *uti loquitur Combefisius pag.* xcix, quod jam tum conclamato Constantinopoli totoque Oriente quin et Occidente fidei negotio, ea Maximus ratione Romam cogitans, Byzantio in Africam venerit. *Ultimam vocem (de Occidente est sermo) vel desideratam fuisse addit in Vaticanis codicibus, vel Morino excidisse, vel a Baronio sublatam esse; ne forte inde sibi adimere fidem clarius videretur auctor, dum Occidentales ea labe, quam non meB ruerint, aspergit, quos liquet ea ab hæresi admodum abhorruisse, ac paucissimos ex illis victas eidem dedisse manus. Celerum in solam Africam cogitasse in eaque præsidium quæsivisse.* S. Maximum, *ut a grassante milite ac Persarum illuvie tutus ibidem foret, satis ostensum esse affirmat ex iis, quæ præmiserat; nec necesse esse, plura in eam rem congerere. Hinc igitur corrige monachum Rutiensem, qui sic scribit :* ζήλῳ οὖν ἐπὶ τῆς ὀρθοδοξίας θείῳ πυρούμενος, παντας ὁρῶν ὑποκύπτοντας τχεδὸν τῇ πλάνῃ, καὶ μηδένα λόγον τινα τῆς εὐσεβείας ποιουμενον, τὴν μονὴν αὐτὴν καταλιπὼν, τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην κατέλαβε. Divino itaque erga orthodoxam fidem accensus desiderio, dum omnes propemodum errori succumbere, nulloque in pretio habere religionem videret, eodem, *Chrysopoleos videlicet, de quo memineral auctor,* monasterio relicto, Romam seniorem pervenit. *Quæ cum proxime subdat idem auctor iis, quæ præmiserat de dicto monasterio, cujus Sanctus fuit alumnus ac deinde præfectus, videtur tacite innuere, inde illum abscessisse, ut labantibus fidei rebus consuleret, ac primo quidem ea de causa Romam sese contulisse, quod aliter tamen accidit, uti docebunt C sequentia.*

quamquam in Africa egregie se gesserit 18 *Primo quippe Vir sanctus in Africam discessit, ac deinde Romam petiit, omnibus ultroque loco fortissimi orthodoxæ fidei propugnatoris partibus egregie adimpletis, prout notatum reliquit noster biographus inferius apud nos num.* 18 *ac sequentibus; ita tamen, ut simul nobis reliquerit locum addendi bene multa alia, quæ et ipse prætermisit, et ad res tamen gestas conducunt, quas præ manibus habemus. Itaque Sanctum in Africam profectum tantisper comitemur. Combefisius in observationibus ad ejus Vitam et Acta pag.* xcix, In Africa, *inquit,* fidei causam egisse Maximum, ac quam Pyrrhus jam patriarcha Monothelitarum hæresim ubique datis libellis, submissisque devotis sibi capitibus spargebat (exceptis iis, qui pari Maximo sorte profugi, ipsi sponte illa imbuti, per eam occasionem vias Domini rectas depravantes incendium augebant, inque Africam, delecto in ea incolatu, flammam producebant) strenue agressum esse, Afrosque Joannis Romani Antistitis æmulatione ad eam proscribendam vel maxime animasse, compertissimum est. Joannes ipse Apologia ad Constantinum imperatorem Heraclii successorem, cum is sibi Honorium patronum blandiretur, Pyrrhi ea molimina clare declarat, dum sic ait : « Quantum enim ex » diversis suggestionibus, quæ ad nos catervatim » venerunt, quinimmo et ex ipso quoque auditu » didicimus, omnes occidentales partes scanda» lizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho patri» archa per litteras suas huc atque illuc transmis» sas nova quædam et præter regulam fidei præ» dicante, et ad proprium sensum quasi sanctæ » memoriæ Honorium Papam decessorem nostrum » attrahere festinante, quod a mente Catholici Pa» tris erat penitus alienum »

anno circiter Christi 640. 19 Videtur tantisper compressa hæresis conticuisse, Heraclio exeusante Joanni Romano Pontifici, non esse suam Ecthesim, nec Sergio procacius defendente, quo vel sic versutus homo Catholici nomen ac communionem retineret. Eo autem sublato, ac paulo post Heraclio, videtur Pyrrhus calentius egisse, ac qualem cum Joannes significat relatis verbis Apologiæ; nactum scilicet ex sedis summa dignitate licentiam promovendi dogma, cujus condendi lateque producendi, adhuc in minoribus agens, maximus Sergio adjutor extitisset. *Apologia illa Joannis PP. IV pro Honorio habetur inter* E *Collectanea Anastasii Bibliothecarii apud Sirmondum tom.* 3 *Operum variorum col.* 25 *editionis antea designatæ, et in Synopsi chronica, quæ eisdem Collectaneis præfigitur, Apologia illa innectitur anno Christi* 641. *Baronius autem de S. Maximi in Africam migratione agit ad annum* 640. *Quæ temporis ratio non inconcinne cohæret cum nostro systemate chronologico circa annum, quo Sanctus monachum induit, et quo creatus est abbas. Positis itaque istis et admissis, consequens est, ut is in Africam secesserit his circiter annis, ætatis videlicet sexagesimo, monastici autem instituti trigesimo, ac primo dignitatis abbatialis secundum superiores temporis calculos hypothetice distributos.*

§ III. Epistola scripta in Africa contra exortum errorem; cum Pyrrho Monothelita ibidem disputatio; acta Romæ; lucubrationes : iter Constantinopolitanum. F

Epistola sancti in Africa adversus exortum errorem : Inter Opera S. Maximi *apud Combefisium tom.* 2 *pag.* 213 *exstat epistola ad Joannem presbyterum, in qua exortum et jam increbrescentem circa resurrectionem mortuorum errorem confutat, docens,* animam etiam a morte intelligere *(verba hæc epistolæ prænotantur)* nec ullam ex facultatibus, quæ insunt a natura, amittere. *Sic autem incipit :* Secunda labentis Augusti mensis primæ hujus Indictionis, communis amicus noster venerabiles paternæ sanctitatis vestræ litteras mihi reddidit.. *Deinde* Haud mediocri, *ait*, dolor me affecit, quod illic a nonnullis, ut scripsistis, de anima licentius dogma evulgatur, dum mecum ipse cogito, quantas hic quoque istius modi malum vires acceperit; quantam nactum sit libertatem. Quod autem hic constitutum majori opplet mœstitia.. istud est, quod cuncti fere ac præsertim illustriores monachi novam de resurrectione doctrinam statuant atque doceant *etc. Epistolam porro absolvit hac clausula :* Quamobrem etiam magis ingemisco, meamque a vobis absentiam deploro, qui nimirum cominus tuentem

AUCTORE J. P.

tuentem atque a noxiis liberantem potentissimam
paternæ vestræ sanctitatis inspectionem et curam,
meos crebrius plurimos lapsus verbo fulcientem non
habeam. *Indictio prima concurrit cum anno æræ
vulgaris* 613 : *unde colligimus, supra dictam epi-
stolam a Sancto exaratam fuisse postquam in
Africam se receperat.*

famosa ibidem cum Pyrrho Monothelita disputatio :

21 *At longe majorem nominis commendationem
ei perperit famosa illa ac laureata ibidem loci cum
Pyrrho episcopo Constantinopolitano Monothelita
concertatio, invictis Viri sancti argumentis ad
ejurandam hæresim suam adacto : de qua re plu-
ribus agit noster biographus num.* 20 *et sequenti-
bus. Juvat interim nonnulla circa illam disputa-
tionem hoc loco annotare. Legi ea potest apud
Baronium in Appendice ad tomum* 8 *Annalium;
apud Combefisium autem tomo citato a pag.* 159.
Habita est anno Christi 645, Indictione *videlicet*
tertia (*uti liquet e titulo eidem disputationi præ-
fixo)* mense Julio. *Rei gestæ veritas confirmatur
ex testificationibus priscorum auctorum, quos
videre licet in dictis Annalibus ad eumdem annum*
645 ; *ubi istius præterea monumenti egregii utili-*
B *tatem laudatam reperies. Ad concertationis locum
quod pertinet : putat ibidem Baronius, habitam
ipsam esse Carthagine. Verum sive ibi sive alibi
disputatio illa accidit, in Africa certe accidit :
unde erravit Photius in sua Bibliotheca cod.* 95
dicens, Ipsa porro oratio Romæ eum indicat ad hanc
descendisse disputationem, posteaquam nimirum
ipse [Pyrrhus] exsilio sibi indicto Constantinopoli-
tana sede excidit. *Præterea dum noster P. Ludo-
vicus du Mesnil tom.* 3 *Operis sui, quod inscribi-
tur* Doctrina et disciplina Ecclesiæ *etc., ad annum*
644 *pag.* 418 *hæc habet,* Gregorius patricius et Afri-
cæ præfectus utrumque, *videlicet* S. Maximum *ac
Pyrrhum,* ad collationem evocavit, quæ mense Ju-
lio, Indictione tertia; ac proinde anno sexcentesimo
quadragesimo coram eo habita est, *chronologicos
calculos perperam combinavit; nisi forte typo-
thetæ vitia id contigerit. Hæc breviter observanda
duximus de rebus a Sancto in Africa gestis; quæ-
nam vero Romæ egerit, refert biographus num.*
23, *cujus narrationi accommodamus sequentes
observationes.*

acta Romæ :

22 *Romam anno* 645 *eum contendisse, scribit
Caveus supra num.* 2 *assignatus. Id certe non con-*
C *tigisse post annum Christi* 649, *ex fidei majoris
auctore constat. Nam S. Theophanes in Chrono-
graphia pag.* 276 *editionis regiæ Parisinæ sic me-
morat :* Theodoro Papa morte sublato, Marti-
nus sanctissimus Pontifex Romanus elegitur. Tum
vero Maximus ex Africa Romam transfretatus Mar-
tini Papæ sanctum in Deum ardorem accendit :
qui centum et quinquaginta episcoporum synodo
celebrata Sergium et Pyrrhum, Cyrum et Paulum
anathemate percuelerunt ; geminas vero Dei Chri-
sti nostri voluntates et operationes clarius exposi-
tas promulgaverunt nono Constantis imperantis
anno, Indictione octava, *id est anno Christi* 649,
*quo et S. Martinus PP. I Sedem Petri conscen-
dit, et synodus Lateranensis habita est. Erat
itaque* S. Maximus *Romæ tum temporis; quamdiu
vero ante ibidem exstiterit, quove anno illuc ad-
venerit, e verbis hisce Theophanis extundi nequit.
Ceterum Theophanes* centum et quinquaginta epi-
scoporum *isti* synodo *numerum tribuens, præbet
nobis ansam, ut obiter quædam de isto numero
observemus. In titulo hujus concilii Latino apud
Labbeum tom.* 6 *Conciliorum col.* 75 *ponuntur*
centum et quinque episcopi. *In notis autem Binii
tomo citato col.* 385 *leguntur ista :* S. Martinum
Pontificem ad hanc synodum convocandam a D
S. Maximo abbate inductum esse scribit Theophanes
anno xix Heraclii, his verbis : „ Cum autem Ma-
„ ximus Romam pervenisset, Papamque Marti-
„ num ad æmulationem accendisset, synodo cen-
„ tum decem episcoporum collecta, Sergium,
„ Pyrrhum, Cyrum et Paulum anathematizave-
„ runt „ etc. *Et col.* 387 *ad voces tituli* centum
quinque episcopi, *de quo dicebam modo*, Tan-
tus, *inquit*, est numerus eorum, qui in fine con-
sultationis quintæ subscripsisse reperiuntur. *Nu-
merum hunc etiam notat Anastasius Bibliotheca-
rius de Vitis Romanorum Pontificum in S. Mar-
tino. Vita, quam post hunc Commentarium su-
mus daturi, sic memorat apud nos num.* 23 :
Quare etiam *Sanctus* auctor *Martino PP.* fuit, uti
ad se undequaque orthodoxos convocaret.., ut
sub tam multis ac divinis viris *etc.* Qui quidem
ad centum quinquaginta collecti, præsente item
sapientissimo Maximo, omnia cum ratione et ope
Spiritus sancti fecerunt. *Sive autem hæc discrepan-
tia acciderit ex eo, quod in exemplaribus varient
litteræ alphabeticæ, quibus Græci signant nume-
ros arithmeticos, sive aliunde, parum facit in
rem nostram, de qua hæc per transennam notasse,* E
*plus est quam satis, cum nihil ea addant vel de-
mant* S. Maximo. *Interfuisse illum dictæ synodo,
colligitur e verbis Vitæ continuo designatæ. Binius
in notis, de quibus paullo ante,* Quod in actis, *ait,*
concilii nulla mentio reperiatur Maximi, mirum
videri non debet : cum abbates etiamsi ad synodum
admitterentur, non decidendi et subscribendi, sed
tantum consulendi facultatem haberent.

23 *Vitæ auctor postquam egerat de ista synodo,*
*pergit ad sanctissimi Abbatis lucubrationes cum
numero multas, tum genere varias, uti apud ip-
sum videre datur num.* 24 *et sequentibus. Baro-
nius ad annum* 657 *sic scribit in rem nostram :*
Accedit ad gloriam tanti Martyris, quod sui no-
bilissimi ingenii et fidei orthodoxæ, qua pollebat,
dignas post se lucubrationes reliquit ; quibus licet
vivens fuerit ab adversariis (ut dictum est) spo-
liatus, haud tamen, Deo eas protegente, peri-
re penitus valuerunt, sed magna ex parte integræ
remanserunt, quarum hic tibi indicem... ex Va-
ticano promptuario exscriptum apponimus, de-
promptum ex tribus tomis Græce conscriptis, et ex
Photio collectum. *Scripta deinde ejus enumeran-* F
*tur, post quæ subditur a Baronio hoc epipho-
nema :* Hactenus lucubrationes Maximi, qui non
Orientem solum, sed et Occidentem illustravit,
et eo clarius, quod, ea quæ scripsit, martyrio etiam
consignavit. *Quam vero multum temporis atque
laboris posuerit Combefisius in Operum* S. Ma-
ximi *editione, colligitur cum ex epistola editoris
dedicatoria Eminentissimo Cardinali Bullionio in-
scripta, tum ex præfatione ejus ad lectorem. Casi-
mirus Oudinus in Commentariis de Scriptoribus
ecclesiasticis tom.* 1 *col,* 1639 *meliorem ordinem
in dicta editione desiderans, hæc scribit :* Quam-
vis autem Franciscus Combefis diligentissimam ad-
hibuerit curam in conquirendis et undequaque col-
ligendis S. Maximi monachi Operibus, metho-
dum tamen non omnimodam observat in illis evul-
gandis, quæ ita tumultuario satis ordine Parisiis
impressa sunt. *Ceterum prædictus bibliographus
ibidem a col.* 1635 *dissertationem de scriptis* S. Ma-
ximi *contexit, in qua cap.* 1 *agit de Mss. Operibus
ejus, quæ in bibliothecis Anglicis exstant; cap.* 2
*de Operibus impressis et simul collectis sermo est;
cap.* 3 *ostendit, alia ratione commodiori ea inim-
pressis distribui posse.*

lucubrationes ejus

24 *In-*

A *eruditione insignes laudantur.* 24 *Insignem porro in sancto nostro Martyre eruditionis laudem pleno ore debuccinat Combesius tom.* I *pag.* CV *sub titulo* Ad Maximum pro elogio. *Annam Comnenam quid memorem? Hæc enimvero singularem sancti Martyris sapientiam quanto in pretio haberet, testatissimum esse voluit, quando de sua matre Irene augusta lib.* 5 *Alexiadis pag.* 147 *editionis Possinianæ litteris mandavit sequentia* : Memini augustam matrem meam nec cum mensa posita ad cœnam vocaretur, potuisse deponere de manibus, quos avidissime lectitabat libros cum aliorum sanctorum Patrum, qui de sacris dogmatibus egerunt, tum præsertim sancti Maximi philosophi et martyris. Delectabat enim illam non tam quæstionum explicatio naturalium, quam divinorum dogmatum perscrutatio, in quorum intelligentia verum germanæ sapientiæ fructum et sciebat situm et quærebat. Mirabar ea cernens ego, et aliquando ausa quid sentirem dicere, Quomodo, inquam, e plano in tantam altitudinem suspicere te juvat? Tremo equidem ego intuens, èt ne summis quidem auribus admittere mentionem audeo arcanorum tam sublimium. Stylus enim, ut aiunt, sancti Maximi evectus altissime supra usum et captum humanorum sensuum, et in eliquatissimis contemplationibus assidue volitans, vertiginem quamdam affert legentibus. Ad B hæc arridens illa, Laudabilem istum, ait, metum scio. Neque ego sine tremore ad sacros hos accedo libros; tamen avelli ab eis nequeo. Quin tu mihi paulisper exspecta, et, ubi alia, in quibus formare ingenium prius par est, satis scripta cognoris, horum deinde suavitatem degustabis. Percussit mihi cor horum memoria dictorum, et quasi in aliud narrandarum rerum pelagus incidi. Sed cohibet, et revocat me lex historiæ. *Compendium Viennense Cæsareum profundissimam* S. Maximi *doctrinam extollens, sic scribit* : Τίς ἀριθμήσει τὸν ἄβυσσον τῆς σοφίας, ἣν ὁ Θεὸς παρέσχε τῷ δούλῳ αὐτοῦ; πᾶσαν γὴν οἰκουμένην οἱ ἔνθεοι λόγοι αὐτου διέδραμον· ἄλλος Χρυσόστομος ἡμῖν γενόμενος, Quis enumeret sapientiæ abyssum, quam Deus præbuit Famulo suo? Omnem quippe terrarum orbem pervagati sunt ejus sermones divinitus afflati. Chrysostomus alter nobis factus est. *Plura deinde de aliis ejus ingenii monumentis elogia ibidem congeruntur.* C *De Sancti operibus agit Photius in Bibliotheca cod.* 192 *et sequentibus. At nunc a Sancti lucubrationibus transeamus ad invictam animi ejus fortitudinem, qua calumnias inter et opprobria, vexationes ac machinationes hæreticorum, pro vera fide decertavit fortissime atque insignem heroicæ victoriæ laudem retulit.*

disseritur de tempore, 25 *Triumphalis illa palæstra ei Constantinopoli obtigit; quæ autem in ea sunt acta, pluribus describit ac pathetice noster biographus num.* 29 *et sequentibus, ita tamen, ut occasionem nobis præbuerit ulterioris elucidationis : quam ecce tibi, lector. Idem Vitæ scriptor rei gestæ tempus indicat quando ista memorat* : Cum itaque Constans, Heraclii nepos, etiamnum imperium teneret, et in eo nonum jam annum exegisset.. quam primum Sanctum ad regiam perduci jubet; *cujus ad illam adventum subsecuta est barbara illa tractatio, quam ibidem sustinuit. Constans imperare cœpit anno Christi* 641, *uti habet Baronius (consentiente Pagio). Nonum vero hunc ejusdem Constantis annum copulat cum anno æræ vulgaris* 650, *cui etiam tragicas SS. Martini PP. ac Maximi vexationes, de quibus meminit biographus noster, intexit. Sed refellitur a laudato Pagio, qui in Critica sua ad eumdem annum num.* VI *ita de temporis ratione disserit* : Licet S. Martinus Papa ac S. Maximus abbas anno tantum sexcentesimo quinquagesimo tertio a Constante Aug. in exilium missi fuerint; Baronius tamen prava versione Theophanis ad annum XX Heraclii Augusti, ubi uno tenore de hæresi Monothelitarum loquitur, deceptus, hujus persecutionis historiam a currenti anno incipit. Theophanes enim ait : Tum Maximus ex Africa Romam transfretatus, Martini Papæ sanctum in Deum ardorem accendit; *reliqua protulimus supra num.* 22; *quæ facta ibidem dicuntur* nono imperatoris Constantis anno, Indictione octava.

quo S. Maximus 26 *Quibus immediate prosecutionem textus Theophanis subdens Pagius*, Constans Heraclii nepos, his auditis, furore percitus, sanctissimum Martinum et Maximum Constantinop. adduci jussit, eosque tormentis excruciatos in exilium deportari ad Chersonesi plagas, et multos insuper Occidentalium episcoporum supplicio affici, *sequentia observat* : Ita Theophanes, quem Baronius non vidit, sed tantum Anastasium, qui Theophanem his verbis exposuit. « Duas voluntates et » operationes Christi Dei nostri expressius prædi- » carunt atque firmarunt. Ceterum nono imperii E » sui anno Constans nepos Heraclii, Indictione » octava, his agnitis, furore repletus, sanctum » Martinum et Maximum Constantinopolim du- » ctos et cruciatos, apud Chersonam et alia climata » exilio relegavit ». Verum Theophanes annum, quo Martinus et Maximus Constantinopolim missi sunt, non memorat; sed tantum annum, quo concilium Lateranense habitum est, IX scilicet Constantis, Indictione VIII.

Constantinopolim 27 *His præmissis, idem Pagius ad confirmandam suam temporis rationem contra Baronianam his argumentis utitur num.* VII : Annus, *ait, quo* hæc persecutio cœpta, nobis evidenter innotescit ex epistola IX ejusdem Martini ad Theodorum, ordine XV, ubi ait, Calliopam exarchum cum Ravennatensi exercitu et Theodoro cubiculario Romam introiisse, cum ipse Martinus esset in ecclesia Constantiniana cum omni Clero suo a die sabbati, mensis scilicet Junii, ut Martinus statim indicat, qui dies anno DCLIII cum die XV mensis Junii concurrit. Cum autem Calliopas eum quæsiisset, et non invenisset, dixit primis Cleri : F « Cras, quod est Dominica dies, obvii ei erimus, » et salutabimus eum, quia hodie non suffeci- » mus ». Porro Dominico die, qui anno DCLIII incidebat in diem XVI mensis Junii, eisdem nuntiavit, se cras omnimodis occursurum, et Martinum adoraturum. « Ego vero (inquit S. Mar- » tinus) graviter infirmus eram ab Octobrio men- » se usque ad prædictum tempus, id est, usque » ad sexto decimo Kalendas Julias » seu usque ad diem XVI mensis Junii. Subdit Martinus : « Ergo » feria secunda diluculo mittit chartularium suum, » et quosdam ex obsequio suo » ideoque die decima septima mensis Junii, quæ eodem anno in feriam secundam cadebat. Tum narrat Martinus, non multo post exercitum venisse in ecclesiam, et jussionem a Calliopa exarcha porrectam esse presbyteris et diaconibus, in qua continebatur, quod ipse Martinus irregulariter et sine lege episcopatum subripuisset, et in Regiam urbem transmittendus esset, subrogato in locum ejus episcopo.

evocatus Roma fuit 28 Refert postea S. Martinus, se jussu Calliopæ venisse cum eo in palatium eadem secunda feria, et tertia feria (scilicet die XVIII Junii) venisse ad se omnem Clerum, et multos, qui se-

AUCTORE J. P.

paraverant ad navigandum cum eo : „ Eadem no- „ cte, quæ illucescit in feria quarta, quæ erat „ tertio decimo Kalendas Julias, circa horam „ quasi sextam noctis „ se eductum fuisse de palatio, et ad portum, scilicet Romanum, pervenisse. Quare die decimo nono mensis Junii, qui anno DCLIII in feriam quartam convenit, sanctus Pontifex navi impositus, „ Et pervenimus, inquit, Kalendas Julias Mesenam (sc. Messinam, „ ut sequentia certo indicant) in qua erat navis, „ id est, carcer meus. Non autem Mesenæ tantum, sed et in Calabria : et non tantum in Calabria, quæ subdita est magnæ Urbi Romanorum; sed et in plurimis insularum, in quibus „ nos vel tribus mensibus peccata impedierunt, „ nullam compassionem adeptus sum, excepto „ duntaxat in insula Naxia, quoniam ibi annum „ fecimus „. Est Naxos seu Naxus una ex insulis Cycladibus in mari Ægæo positis, ubi Martinus usque ad annum DCLIV commorari coactus fuit. Baronius nulla habita ratione methodi cyclicæ, quæ anno DCLIII, nullo vero alio Pontificatus Martini, facta ista esse certo designat, præsenti B anno narravit, *Christi nempe 650. Hæc diffusius e Pagio huc transcribere visum est de S. Martino pro* S. Maximo.

a Constante imperatore.

29 *Quæ cum ita sint, sequitur, ut* S. Maximus *Roma Constantinopolim a Constante imperatore non sit accitus ante annum Christi 653. Eo itaque non fuit evocatus anno 650, uti placuit Baronio; nec anno nono ejusdem Constantis, uti habet noster biographus; sed decimo tertio, qui non concurrit cum Indictione nona, sed cum undecima. Sequitur præterea ex dictis, ut Caveus, quem nuper citabam, aberraverit a vera temporis ratione, quando hæc notavit, si per illa discessum Romanum Viri sancti, et adventum ejus Constantinopolitanum in eumdem annum Christi 655 conjicere voluerit. Sic ergo loquitur :* Cum hæreticæ igitur, qua laborabat Constans imp., labi adeo gnaviter resisteret Maximus, anno DCLV Roma militari manu Constantinopolim adductus est una cum Anastasio discipulo, et in carcerem conjectus. Post dies aliquot in palatium ductus est, ut fictis quibusdam proditionis et calumniæ in imperatorem, injuriæ in Pyrrhum, et Origenismi criminibus reus C ageretur; quæ cum ille luculentissime diluisset *etc. Dicebam supra, Sanctum Constantinopolim accitum haud fuisse ante annum Christi 653; quo autem anno illuc pervenerit, inquirendum nunc superest.*

§ IV. Probrosa contra Sanctum ejusque discipulum concertatio Constantinopoli, primum exsilium; duæ aliæ alibi cum hæreticis concertationes; post quas reducitur Constantinopolim versus.

Congressus Constantinopoli

Biographus noster num. 29 apud nos de Constante quidem refert, Quam primum Sanctum ad regiam perduci jubet; *sed quo anno Constantinopolim appulerit, indictum relinquit. Monumentum, quod e Græco Latine redditum habetur apud Combefisium tom.* I *Operum* S. Maximi *pag.* XXIX *et seqq., quodque inscribitur,* Relatio motionis factæ inter domnum abbatem Maximum et D socium ejus atque principes in secretario, *nec diem adventus nec annum signat; sic enim incipit :* Qua die ad regiam hanc urbem applicuerunt tum scilicet domnus Maximus tum socius ejus, circa solis occasum, venientes duo mandatores cum decem excubitoribus, tulerunt eos e navi.. Et post dies aliquot educunt eos ad palatium, introque sistunt Senem, quo loco senatus, aliaque multa turba convenerat. *Sequitur deinde ibidem infamis ille congressus a judicibus Constantinopolitanis adversus Virum sanctum habitus; in quo quænam sint acta, interrogata ac responsa, genuinis coloribus exponit auctor memoratæ Relationis. Quia vero a nostro biographo compendiose res gesta perstringitur, si quis illius in referendo hoc tam memorabili Sancti certamine brevitatem supplere velit, Relationem eamdem consulat; in qua etiam inveniet pag.* XXXIV, *quam duriter ac barbare tractatus fuerit* S. Anastasius, *quem utpote verbera et pugni* semineccm reddiderunt. *Ex iis vero quæ sub ejusdem finem exstant his verbis,* Dicit ei sacellarius : Quot annorum te esse dicis? Respondit *sanctus Vir,* Septuaginta quinque, *confici videtur, illam concertationem innodandam esse anno* E *circiter Christi 655, a quo si retrocedendo descendas ad annum 580; cui natales ejus alligabat supra neotericus heterodoxus, numerabis annos ætatis ejus septuaginta quinque, in isto descensu chronologico contentos, uti et tempus adventus, quo Constantinopolim cum socio attigit : nam tule*runt eos e navi.. et post dies aliquot educunt eos ad palatium *etc., ut modo dictum est.*

anno circiter 655 accidit.

31 *In Synopsi chronica, quæ præponitur Collectaneis Anastasii Bibliothecarii superius num.* I *citatis,* anno Christi DCLV.. collatio S. Maximi cum judicibus in palatio Constantinopoli, ejusque exilium Byziense *etiam affigitur. Cohæret quidem annus iste certaminis cum anno natali ejusdem Sancti 580; verum cum nec illum probet heterodoxus iste, nec aliunde de illo nobis constet; cumque non videamus, cur Sanctus eumdem non inchoarit anno 578 vel circiter; nobis etiam ex dictis septuaginta quinque annis non constat de anno 655, quo secundum præmissa præsens certamen acciderit; et qui ex sententia Pagii circa discessum Sancti Roma, deberet esse annus circiter 653, si eodem anno, quo inde fuit evocatus, Constanti-* F *nopolim attigerit; sed ex iis, quæ inferius ex eodem Pagio dicentur de duplici disputatione* S. Maximi, *videtur esse consequens, ut vel illuc non pervenerit nisi post biennium, id est, anno Christi 655; quod non videtur verosimile; vel, quod appareat veritati ac scriptori Vitæ apprime consonum, ut Sanctus jam pridem degerit Bizyæ, antequam eo venerit Theodosius episcopus, de quo dicetur infra; nam, ut biographus scribit apud nos num. 40,* Diu post ad Sanctum in exilio *(Bizyensi)* mittunt Theodosium illum *etc. Jam vero cum nobis in promptu non sint alia documenta antiqua, quæ ad ulteriorem temporis cognitionem nos deducant, et exigua hic sit unius et alterius anni discrepantia, non est quod pluribus lectorem moremur. At nunc aliqua observanda proponere juvat circa vocem* sacellarius, *quæ supra occurrebat.*

Sacellarii, qui cum Sancto fuit congressus, notitia,

32 *Combefisius in Vita ac certamine* S. Maximi *pag.* XV *hanc notulam in margine apponit :* Sacellarius Maximi judicii præses : num Patriarchalis, cujus erat cura monasteriorum? Forte magis imperialis. *Gretserus noster Observationum et emendationum in Georgium Codinum Curopalatam*

A *tam de Officiis et officialibus magnæ ecclesiæ, au-
læque Constantinopolitanæ (de quo Opere dixi-
mus antea num. 5) cap. 3 varia collegit ad hoc
munus pertinentia; quæ cum ibi a curioso lectore
consuli possint, longumque foret, illa omnia huc
transcribere, summos quosdam dumtaxat apices
ex illis excerpemus. Duos itaque apud Græcos
ponit sacellarios, alterum videlicet magnum, mi-
norem alterum : addit, utrumque pecunias ec-
clesiæ curasse, observasse, et expendisse ; inde-
que ortam esse primariam hujus appellationis
rationem, petitam videlicet a sacculo, hoc est, ab
ærario ecclesiastico. cui præerant; ad hæc, mo-
nasteriorum tam eorum, quæ erant intra urbem
Constantinopolitanam, quam* τῶν Περαπκῶν, *hoc est,
quæ sunt in Pera seu Peræa, quæ hodie Galata
dicitur, curam gessisse majorem sacellarium,
ibidem invenies; minorem vero sua in potestate
habuisse ecclesias Catholicas. Suos quoque impe-
ratoribus Constantinopolitanis fuisse sacellarios
discimus ex Theophane, qui in Chronographia
pag.* 279 *de Heraclio hæc memorat* : Imperator du-
cem alium Baanem nomine præficit, et Theodorum
B sacellarium... adversus Arabes instruit. *Et pag,*
306 : Justiniauus erigendis palatii ædificiis stu-
dium adhibuit. Triclinium Justiniani nomine de-
iuceps vocatum; et palatii mœnia condidit. Huic
operi præpositum... Stephanum Persam sacellarium
suum... præfecit. *Adde S. Gregorium Magnum,
qui lib. 4 epistola* 34 *ad Constantiam Augustam
sic scribit* : Sicut in Ravennæ partibus Domino-
rum pietas apud primum exercitum Italiæ sacella-
rium habet, qui causis supervenientibus quotidia-
nas expensas faciat *etc. Consuli etiam possunt,
quæ de hac voce collegit Cangius in Glossario ad
scriptores mediæ et infimæ latinitatis tom.* 3.
Nunc Sanctum nostrum revisamus.

Concertatio Sancti cum Theodosio ep. habita

33 *His itaque a se Constantinopoli exantlatis
pectore masculo ac vere heroico, Vir sanctus ex-
silium, honorificum utique invictæ suæ constan-
tiæ præmium, retulit. Fuit autem hoc exsilium e
pluribus aliis primum ; de quo biographus apud
nos cap.* 5 Consilio, *ait*, inito imperator et patriar-
cha... Justum damnant exilio in oppidulum Bi-
zyam statim abducentes. *De isto loco agunt nostra
Annotata ad dictum caput lit.* b. *De tempore
mentio facta est num.* 31 *supra, ac fiet porro oc-*
C *casione illustris istius disputationis, quæ ibidem
inter* S. Maximum *ac Theodosium episcopum ha-
bita est. Agit de ea Vitæ scriptor, quem elucida-
mus, num.* 40 *et sequentibus. Baronius ad an-
num* 656 , Sequitur , *inquit* , Christi annus sex-
centesimus quinquagesimus sextus, Indictione de-
cima quarta; quo ab imperatore Constante de-
cernitur legatio ad Maximum confessorem Byziæ
in Thracia civitatis exulem existentem, quo eum
in Monothelitarum errorem perducere posset. Qui
missi sunt, fuerunt præclarissimæ dignitatis viri,
nempe Theodosius et Paulus patricii , iidemque
Proconsulari dignitate insigniti; et una cum eis
Theodorus Cæsariensis episcopus , vir omnium
ejus sectæ doctissimus. Scripta fuerunt ab aliquo,
qui præsens fuit, omnia , quæ in hac legatione
mutuoque congressu cum Maximo contigerunt
Quorum actorum duo fragmenta cum recitata re-
perissemus in quarta Actione septimæ synodi œcu-
menicæ, ingens exarsit in animo desiderium, ipsa
acta integra perquirendi : sed visis scriptis Maximi,
quæ in Vaticana bibliotheca asservantur, nec inven-
tis; cum jam spe excidissemus ea amplius invenien-
di; accidit ex insperato, ut eadem intexta in Vita
ipsius Maximi repererimus

Bizyæ in Thracia,

34 Qui igitur missi sunt ab imperatore , cum
diu contulissent cum Maximo, ut revocarent eum
a cœptis, et reducerent cum honore Constanti-
nopolim ; tantum abfuit , ut id fuerint consecu-
ti, ut potius summa potentia veritatis ipse illos
in suam sententiam traxerit, atque ad jurandum
adegerit , quod , abjecta hæresi , Catholicam fi-
dem amplecterentur; sicque reversi fuerint ad im-
peratorem, quo et ipsum in eamdem sententiam
perducerent. *Pagius ad dictum annum num.* 1,
Baronius , *ait* , accurate confert in præsentem
annum celebrem collationem habitam inter san-
ctum Maximum et Theodosium episcopum Cæsa-
reæ Bithyniæ, ac duos consules, qui cum eo
erant, dum ad castrum Bizyæ in provincia Thra-
ciæ positum, ubi S. Maximus in exilio agebat ,
venit. Verum exemplar, quo usus est, in aliqui-
bus mancum erat, ac præterea hæc collatio, quæ
collocanda erat post Relationem motionis factæ
inter Domnum abbatem Maximum et socium
ejus, atque principes in secretario, quam certum
est ad annum præcedentem pertinere, in eo ex-
emplari præponebatur laudatæ Relationi ; inde-
que factum, ut Annalista doctissimus eamdem Re- E
lationem in annum sequentem distulerit. Aliquot
post Baronii mortem annis Sirmondus publicavit
Collectanea Anastasii Bibliothecarii, in quibus in-
ter alia continentur tam Relatio seu Collatio S.
Maximi cum principibus in secretario , quam
Collatio ejusdem sancti Martyris cum Theodosio
episcopo Cæsareæ; ac præterea in eisdem Colle-
ctaneis Collatio Maximi cum principibus aliam
Collationem ordine , sicut tempore , antecedit.
*Ita Pagius, qui deinde lectorem mittit ad Com-
befisium, apud quem* utraque Collatio magis cor-
recta, *prout observat* et, quæ *dicto* anno habita
est, ibidem integra exhibetur ; cum in Collecta-
neis Anastasii fine suo mutilata sit ; quemadmo-
dum et Collatio S. Maximi cum principibus in secre-
tario apud Baronium integra non habetur.

quam alia ibidem excepit.

35 *Primam itaque hanc Sancti cum proceri-
bus Constantinopoli collationem excepit secunda
anno Christi* 656 *Bizyæ peracta, quæ hoc titulo
notatur in Collectaneis Anastasii Bibliothecarii
col.* 355 : Tomus continens relationem de do-
gmatibus, quæ mota sunt inter S. Maximum et
Theodosium episcopum Cæsareæ Bithyniæ , seu
consules qui cum eo erant ; *sive* de actis, *uti ha-* F
bet inscriptio Græca, in primo ejus exilio, sci-
licet Bizyæ. *Res gesta recte recitatur a Baronio ad
dictum annum* 656 : *nam in ipso disputationis
exordio ista signantur* : Igitur nono Kal. Septem-
brias, quæ nunc transacta est quartæ decimæ In-
dictionis, exivit ad eum in exilium, in quo post-
tus servabatur , id est , ad castrum Bizyæ , præ-
dictus episcopus Theodosius , ex persona , ut di-
xit, Petri Constantinopolitani præsulis missus *etc.
Itaque* τῇ εἰκοστῇ τετάρτῃ τοῦ Αὐγούστου, *uti est in tex-
tu Græco, id est*, vigesima quarta Augusti, *Theo-
dosius episcopus cum Paulo et Theodosio consuli-
bus, uti in ea Relatione statim subditur, Bizyam
perrexit; quo ubi pervenit, suas Sancto interro-
gationes proposuit ; et* hæc collatio, *prout recte
observat Pagius ad dictum annum num.* 3, lit-
teris mandata est currente Indictione xv, Kalendis
Septembris hujus Christi anni inchoata.

Deinde S. Maximus transfertur

36 *His ita Bizyæ actitatis*, ex eo loco abitu-
rus Theodosius, *referente nostro biographo num,*
45 , ut ad eos, qui in urbe regia erant , refer-
ret..., Byzantium revertit , duobus consulibus ,
qui eum secuti fuerant , comitatus Octo diebus
elapsis, Paulus ille, ipse quoque consulari ho-
nore

AUCTORE J. P.

nore ornatus ad Sanctum exit: cui mandatum fuit ab imperatore, ut Bizyam profectus Sanctum cum reverentia et veneratione tamquam amicum et familiarem Majorum imperatoris reduceret, et in monasterio Theodori apud Rhegium collocaret. Adductum itaque consul in eo monasterio reliquit, venitque ad imperatorem, ut id nuntiaret. *Hæc vero ita confirmantur ac amplificantur e Relatione seu Collatione, quam modo citabam, col.* 368, Postquam vero abierunt prædicti viri sexto Idus Septembrias præsentis quintædecimæ Indictionis, exivit rursus Paulus consul in Bizyen ad abbatem Maximum, jussionem ferens continentem secundum hanc formam: « Jubemus gloriæ tuæ ire Bizyen, et adducere Maximum monachum cum « honore multo atque blauditie, tam propter senectam et infirmitatem, quam eo quod sit a pro« genitoribus noster, fueritque illis honorabilis « (Et ponite hunc in venerabili monasterio S. « Theodori, quod rejacet juxta Regium) et ve« nire et nuntiare nobis: et mittemus ad eum ex « persona nostra patricios duos, qui debeant illi « declarare, quæ nobis placuerint, nos ex ani-
B « mo amantes, et a nobis amatos; et venire nun« tiaturi nobis adventum ejus. » Igitur cum idem consul adduxisset eum, et posuisset in jam nominato monasterio, regressus est nuntiare. *Annus ac mensis perspicui sunt ex ante dictis; non vero item locus, quo Martyr translatus est.*

ad monasterium S. Theodori ante urbem Cpolitanam

37 *Pagius ad annum proxime a nobis designatum num.* 4, Ferebat, *ait*, jussio *imperatoris*, ut Maximus Constantinopolim adduceretur, et poneretur in monasterio S. Theodori. *Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 190 *ad præsens propositum sic loquitur:* S.Theodoriædem sacram, a Justiniano priusquam imperaret, πρὸ τῆς πόλεως ἐν χώρῳ καλουμένῳ Ῥησσίῳ; ante urbem in loco nuncupato Rhessio, ædificatam, auctor est Procopius lib. 1 de Ædif. cap. 4. Rhessium seu Rhesium idemne fuerit quod Rhegium, uti opinantur viri docti, non omnino constat, tametsi quæ porta Rhegii dicitur scriptoribus, aliis Rhesii videtur appellari. *Anna Comnena lib.* 8 *pag.* 226 *occasione Scytharum adusque vicina Constantinopolitanæ urbis loca excurrentium, ædis sacræ celebritatem commendans, hæc narrat:* Oppida expugnabant..., ne civitatis quidem principis reveriti viciniam, quo minus auderent municipia
C ei proxima tentare, Profundumque usque ad torrentem, sic vulgo appellatum, progredi latrocinando, locum ita Constantinopoli propinquum ut ad ibi situm maximi inter martyres Theodori templum quotidianus ex urbe concursus fieret religionis et supplicationis causa Sancti memoriam visentium: Dominica vero redeunte effunderetur pene civitas, et piis passim omnes peregrinatione suburbana sacram ad istam delati ædem, totam illic noctem totumque diem vel circum ambitum, vel in vestibulo, vel in postica templi parte continua religione perseverare consuevissent usque ad hunc tumultum Scythicum. *Atque hæc quidem de loco, ad quem Martyr noster Bizya traductus fuit jussu Constantis imperatoris: quibus autem ibidem machinis invicta ejus constantia fuerit impugnata, proxime expediemus.*



D

§ V. Sancti constantia Rhegii frustra blanditiis tentata; blasphemia adversus virginem Deiparam ei perperam imputata.

Fidei hostes

Cum factum illud biographus satis breviter perstringat num. 46 *et* 47, *illudque sit ejusmodi, ut aliunde corroborari pluribus mereatur; visum est ex authentico illo ac fide dignissimo monumento, Relatione, inquam, seu Collatione, quæ habita est Bizyæ, et de qua superius actum est, brevitatem illam supplere, ac rem ipsam confirmare. Itaque col.* 363 *hæc narrantur:* In crastinum veniunt ad eum Epiphanius, et Troilus patricii, cum multo amictu et phantasia *; nec non et Theodosius episcopus, et ascendunt ad eum in catechumenium ecclesiæ ipsius monasterii (*S. Theodori, de quo jam dictum est*) factaque consueta salutatione sederunt, cogentes et ipsum sedere: et orsus habitum ad eum sermonem Troilus, dixit: Dominus orbis jussit nos venire ad te, et dicere vobis quæ visa sunt divinitus roborato imperio suo. Sed dic nobis primitus, si facias jussionem imperatoris, an non. Maximus dixit: Domine, audiam, quid jusserit pium ejus imperium, et necessario respondebo: nam ad id, quod ignotum est mihi, qualem responsionem daturus sum? At vero Troilus perseverabat, asseverans, Non potest esse, ut dicamus aliquid, nisi primum dicas, utrum facias vel non facias jussionem imperatoris.

* pompa sive ostentatione

E

ad pervertendam S. Maximi orthodoxiam missi

39 Et cum vidisset eos insistentes peramplius dilationi suæ, et amarius intuentes, ac asperius respondentes cum omnibus qui cum eis erant et ipsis quoque dignitatibus secularibus elevatis, respondens abba Maximus ait: Quia non patimini dicere servo vestro quæ placent domino et imperatori nostro, ecce, dico, audiente Deo ac sanctis angelis, et omnibus vobis, quoniam quidquid jusserit mihi super quacumque re cum hoc seculo destruenda et corrumpenda, prompte faciam. Et confestim surgens Troilus dixit: Orate mihi *, ego vadam. Hic enim nihil facit. Et multo vehementique facto tumultu, ac multa turbatione et confusione, dixit eis Theodosius episcopus: Dicite illi responsa, et cognoscite quid fateatur: nam sic regredi, nihilque dicere, et nihil audire, rationabile non est. Et tunc Epiphanius patricius ait: Hoc tibi per nos significat imperator, dicens: Quoniam totus Occidens, et qui in Oriente subversiones operantur, ad te spectant, et omnes propter te simultates exagitant, nolentes convenire nobiscum in causa fidei.

F

* *Gr.* Εὔξασθέ μοι *i. e.* Bene mihi precamini, *vel* votis meis obsecundate.

dum nihil blanditiis

40 Deus compungi te faciat, ut communices nobiscum in Typo, qui expositus est a nobis: et exibimus per nos ipsos ad Chalem *, et osculabimur te, et supponemus vobis manum nostram, cumque omni honore ac gloria introducemus vos in magnam ecclesiam, et cum nobis ipsis sistemus ubi ex more imperatores stant, et faciemus pariter synaxim, et participabimur intemeratorum et vivificorum sacramentorum vivifici Corporis et Sanguinis Christi, et prædicabimus te denuo patrem nostrum, fietque gaudium non modo amatrici Christi et regiæ urbi nostræ, sed et in toto terrarum orbe. Scimus enim certissime quod, te communicante

* *l.* Chalcem: *in Græco enim est* χαλκῆν

A communicante sancto huic throno, cuncti uniantur nobis, qui propter te tuumque magisterium se a communione nostra sciderunt.

proficiunt,

41 Et conversus ad episcopum abba Maximus cum lacrymis ait: Domine magne, diem judicii expectamus omnes: nosti quæ ordinata sunt, et diffinita supra sancta Evangelia, et vivificam crucem, atque imaginem Dei et salvatoris nostri Jesu Christi, et sanctissimæ, quæ illum genuit, semper Virginis Matris. Et summisso deorsum vultu episcopus mitiori * voce dicit ad eum: Et quid habeo facere, postquam aliud quid placuit? Et dixit ad eum Maximus abba: Et quare tetigisti sancta Evangelia, et hi, qui tecum erant, cum non sit in vobis eorum, quæ dicta sunt, exitus? Vere omnis cæli virtus hoc mihi facere minime persuaderet. Quam enim rationem redderem, ut non dicam Deo, conscientiæ meæ, quod si propter humanam gloriam, quæ secundum sui rationem nullam habet salvandi substantiam, fidem abnegarem ejus qui fovet eam? *Hæc transcripsi ex antiqua versione Latina Anastasii Bibliothecarii apud Sirmondum antea memoratum; quæ cum* B *recentiore a Combefisio edita conferri potest. Ne autem lector hæreat ad vocem* Chalce, *quæ supra occurrit;* magno palatio vestibuli vicem præstitit Chalce, χαλκῆ, triclinium ita appellatum, *sicut videre datur apud Cangium Constantinopolis Christianæ lib. 2 pag. 113, ubi deinde pluribus locus ille exponitur. De Typo antea commemorato vide Annotata ad Vitæ cap. lit. p.*

* l. mœstiori: in Græco enim est στυγνότερα

verberibus, maledictis et injuriis eum vexant,

42 *Postquam vero acerbissimi orthodoxæ fidei ejusque Propugnatoris hostes viderunt, nihil se proficere blandis verbis, ad verbera ac atrocissimas injurias ab eis perventum est. Vitæ scriptor consuli de scurrili illa adversus Sanctum colluvie potest num. 47: cujus narrationem hic iterum confirmo ac pluribus expono ex Collectaneis Anastasii Bibliothecarii col. 369:* Et in sermone isto surgentes omnes furore instabiles redditi, evulsionibus et impulsionibus atque direptionibus debilitaverunt eum, a capite usque ad ungues sputis certatim madefacientes: quorum, usquequo lota sunt vestimenta, quibus circumamictus erat, fœtor longius exhalabat. Et surgens episcopus dixit: Non oportebat ita fieri, sed audire ab eo tantummodo C responsionem, et ingredi, et nuntiare domino nostro bono. Canonicæ quippe res alio disponuntur modo. Et cum vix eis episcopus, ut quiescerent, respondisset, rursus sederunt, et decem millibus injuriis et maledictionibus inexcogitabilibus dehonestantibus eum, cum furore multo et asperitate, dixit Epiphanius: Dic, malorum extreme, vorax civium, quasi nos et civitatem nostram, sed et imperatorem hæreticos habeas, hæc prosecutus es verba? Vere plus quam tu Christiani sumus atque orthodoxi.

nihil quidquam de sua heroica constantia remittentem.

43 Et respondens abba Maximus, dixit *etc. Generosa ejus responsa videri possunt col. 370. Nec vero vel tantillum quidem de heroica sua constantia remittit Sanctus propter aspera verba Epiphanii, qui col. 371* Vere, *inquit,* judicio meo introducimus te in urbem, et sistimus te in foro vinctum, et mimos ac mimas, et prostitutas meretrices, et omnem plebem adducemus, ut unusquisque ac unaquæque et alapis cædat, et conspuat in faciem tuam... Et dicunt: Si cum hoc conferimus, neque manducabimus neque bibemus. Sed surgamus et prandeamus, et ingrediamur atque dicamus, quæ audivimus. Et ingressi sunt cum ira vigilia Exaltationis pretiosæ ac vivificæ Crucis. *Hæc Rhegii apud Constantinopolim in prædicto monasterio S. Theodori peracta esse, colligitur ex iis, quæ protulimus sub finem paragraphi 4. Biographus noster cap. 6 num. 48,* Intervallo, *ait,* temporis Constantinopolim *Sanctum* perducunt; *ac deinde ejusdem cruciatus, exsilium ac mortem narrat. Verum quia aliunde nobis alia suppeditantur, quæ in isto intervallo temporis accidere, scitu videlicet digna, ac in laudatis Collectaneis memorata proxime post narrationem, quam modo dedimus, ea hic inferenda censemus. Columna itaque citata 371 hæc exstant.*

44 Et in crastinum diluculo exivit Theodosius consul ad prædictum abbatem Maximum, et abstulit ab eo quidquid habebat, dicens ei ex persona imperatoris: Quia noluisti honorem, prolongatus est a te, et vade, ubi dignum temetipsum fore judicasti... Et sumptum eum jam dictus Theodosius consul militibus tradidit. Et duxerunt eum usque Salambriam. Et manserunt ibi per duos dies, quousque perrexit ad castra unus ex militibus; et dixit cuncto exercitui: Quia monachus, qui blasphemat Dei Genitricem, huc venit. Hoc autem egerunt, ut commoverent exercitum adversus præ- E dictum Maximum abbatem, quasi blasphemaverit Dei Genitricem. Et post duos dies rediens miles ille, tulit eum in castra, et compunctus divinitus prætor, imo loci servator prætoris misit ad eum primores bandorum, presbyterosque ac diaconos, et reverendos signorum custodes. Quos cum intuitus esset jam nominatus abba Maximus advenisse, surrexit, et misit metanœam: et miserunt et illi vice reciproca, et sederunt, jubentes et ipsi sedere.

Impactam sibi falso blasphemiam

45 Et quidam valde senex honorabilis dixit ad eum cum reverentia: Pater, quoniam scandalizaverunt nos quidam in sanctimoniam tuam, quod non dicas Dei Genitricem Dominam nostram sanctissimam Virginem, adjuro te per sanctam et consubstantialem Trinitatem, quo veritatem dicas nobis, et detergas a corde nostro scandalum hoc, ne lædamur injuste scandalizati, et missa metanœa surrexit, et extensis in cælum manibus cum lacrymis dixit: Qui non dicit Dominam nostram superlaudabilem, sanctissimam, intemeratam, et omni naturæ intellectuali venerandam, naturalem veraciter Matrem Dei effectam, qui fecit cælum et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt, sit ana- F thema, et catathema a Patre, et Filio, et Spiritu sancto, consubstantiali et supersubstantiali Trinitate, ac omni supercælesti virtute, atque a choro sanctorum Apostolorum, Prophetarum, et infinita plebe sanctorum Martyrum, omnique spiritu in justitia consummato, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

contra Deiparam Virginem

46 Et flentes omnes oraverunt ei dicentes: Deus confortet te, Pater, et dignum te faciat absque offensa hunc perficere cursum. Et his dictis, congregati sunt multi milites auscultaturi multa bona verba quæ movebantur. Et cum contemplatus esset quidam domesticorum prætoris, quod multis coacervaretur et ædificaretur exercitus, ac reprehenderet quæ fiebant (quid suspicatus, Deus scit) præcepit eum rapi, et emitti extra castra duobus milibus, donec collectionem fecissent, et venissent qui deberent ducere illum Perberis. Verum Clerici divina moti dilectione pedites duobus illis miliariis abierunt, et venerunt, et salutaverunt eum, et oraverunt illi, et manibus suis gestantes imposuerunt eum supra jumentum: et reversi sunt cum pace ad loca sua: et ipse adductus est Perberis in custodiam, qua continuis

egregie

Auctore J. P. continuis vexationibus tenebatur. *Hæc ibi; quæ hic illic modica explicatione indigent.*

diluit. 47 Usque Salambriam, *in Græco textu apud Anastasium Bibliothecarium pag.* 371 *ac apud Combefisium pag.* LXIV ἕως Σαλεμβρίας, usque Salembriam *scribitur. Aliter alibi nomen hoc efformatur; putamus tamen eumdem locum indicari. Carolus a S. Paulo in Geographia sacra pag.* 224 *editionis Amstelodamensis scribit* Selymbria; *quam inter Patriarchatus Constantinopolitani episcopatus ponit in Thracia Europæ provincia, et in tabula ad pag.* 205 *notatur ad oram Propontidis. Videri possunt Ptolomæus lib.* 3 *cap.* 11, *ac tomus* XI *Conciliorum editionis Harduinianæ col.* 851. *Scribit* Σηλυβρία. Selybria *Strabo lib.* 7, *ejusque nomen interpretatur* Σήλυος πόλιν, *quia vox* βρία, bria, Θρακιστὶ *id est*, Thracum lingua, *urbem significat. Proxime superius sequebatur* duces bandorum; *quod Combefisius vertit pag.* LXIV provectæ militiæ viros ac centuriones. *De qua re consuli potest idem auctor pag.* CVI, *uti et Cangius in utroque Glossario. Quod supra obscure referebatur de Sancto* misit metanœam (*In Græco*
B *est* ἔβαλε μετάνοιαν) *apud Combefisium pag.* LXIV *redditur*, pronusque in terram atque genibus positis salutavit. *Merentur referri quæ Baronius occasione aliorum verborum a nostro* S. Maximo *prolatorum, in quibus eadem occurrit expressio Græca, notavit ad annum Christi* 656; *suntque sequentia:* Quod ad locum hunc, *ait*, Maximi pertinet, in Græcorum verborum interpretatione scito claros esse lapsos interpretes Anastasium, Perionium, Gentianum Hervetum, Godefridum Tilmannum, vel alios, dum eadem verba sive apud Joannem Damascenum, sive in actione quarta secundi Nicæni concilii ex iisdem sancti Maximi Actis, sive in versione Latina Vitæ S. Joannis Chrysostomi a Georgio patriarcha Alexandrino conscriptæ, vel in Liturgia ejusdem S. Joannis Chrysostomi, vel alibi eodem fere modo eadem verba exponunt, agere pœnitentiam, duci pœnitentia, mittere pœnitentiam sive (ut Perionius transtulit) injicere desiderium: quem corrigens Billius in scholio trigesimo secundo in primam Orationem S. Joannis Damasceni de imaginibus, alios pariter interpretes errore lapsos emendat, dum sic habet:

« Joanni desiderium injiciens: Græce: βαλὼν
C » μετάνοιαν τῷ Ἰωάννῃ. Quam quidem locutionem » non satis videtur intellexisse interpres: βαλεῖν » enim μετάνοιαν, est honoris causa ad alicujus » pedes se abjicere, ac venerabundo animo ante » ipsum se prosternere, velutque benedictionem » ab eo postulare. In Græcorum Euchologio Dia» conus multis locis τῷ ἱερεῖ τρεῖς μετανοίας βάλ» λει, hoc est, pœnitentis in modum tertio ante » ipsum se incurvat. Quin etiam in Græcorum » historiis sacris, cum quispiam eximiæ sanctita» tis viro obvius fiebat, ipsi βαλεῖν τὴν μετάνοιαν » dicebatur, id est, ad ipsius genua accidere. »

Ex his abunde intelligitur quid sibi velit Græca phrasis βαλὼν μετάνοιαν *cujus significationem quia verosimillime non est assecutus nostri textus, quem supra citabam, interpres, inepte et obscure dixit*, misit metanœam. *Jam vero voces* anathema *et* catathema *suspicor simul jungi superius majoris energiæ gratia. Certe utramque vocem sæpe conjungi, observat Cangius in Glossario Græco col.* 608, *et exemplis probat.* Τὸ Perberis, *quo in custodiam missus fuerit* S. Maximus, *sicut modo narratum est, apud geographos nondum reperi. In textu Græco Combefisii pag.* LXV *est* ἀπενέχθη ἐν Περβέροις; *in Latina autem versione*, Abductus est Perbera. *Sed in Hypomnestico, quod* D *exstat apud Combefisium, dicitur locus ille pag.* LXXXIII *esse* Thracensium regionis. *Sed his ita observatis, ad propositum redeamus. Sanctus postmodum Constantinopolim una cum duobus* Anastasiis *abductus est; ubi quam barbara toleraverint tormenta præsertim* S. Maximus *ac ejus discipulus* S. Anastasius, *docet auctor Vitæ apud nos cap.* 4; *sed in eorumdem tolerantia ambobus hisce Athletis adjungendum esse* S. Anastasium apocrisiarium, *proxime ostensuri sumus.*

§ VI. Lata adversus Sanctos nostros tres sententia barpara ac executioni mandata Constantinopoli, miraculum.

S. Maximus cum duobus Anastasiis

Intervallo temporis Constantinopolim eum perducunt, et una discipulum ejus Anastasium, et alterum Anastasium, quem apocrisiarium fuisse diximus; et cum maledictis eos lacerassent ne- E quam et maledicti illi... tortoribus tradunt, ut pronuntiatam in illos sententiam exequantur; *prout scribit noster biographus loco proxime citato, ejusdemque sententiæ exsecutionem deinde subjungit, quæ confirmatur ex* Tomo altero sancti patris nostri Maximi *circa ea*, quæ gesta sunt in primo ejus exilio, id est Bizyæ, *et apud Combefisium pag.* LXV *et sequente e Græco sic Latine vertuntur*: Sane igitur tu, Anastasi, pullum populi universi maledictionis dirarumque indutus amictum, canonica liberatus auditione eaque extrusus, ad eam, quam delegisti, deveharis gehennæ stationem ac sedem; qui nobiscum est; parique consilio cuncta moderatur, prænobili sacroque senatu, statim a nobis judicium arrepturo, ac quæ civilibus constituta legibus sunt, prout visum illi fuerit, justa in te animadversione facturo, ob tantas tuas illas blasphemias, rebellisque animi molitiones. Adversus hæc enim sententiam tulit præsens synodus: cumque illa omnipotentis Christi veri Dei nostri ope, quæ par erat, adversum vos, Maxime, Anastasi Anastasique, decreto sanxerit, sitque reliquum ad ea, quæ a vobis impie dicta gestaque sunt, ut severioribus legum pœnis F subjiciamini (Quamquam idcirco quod nulla ejusmodi pœna suppetit, quæ dilectis vestris ac blasphemiis condigna videri possit, justo vos judici, qui majora sit inflicturus, permittimus) in præsenti seculo ceu in lucri partem, vitæ vobis usura concessa.

Constantinopoli damnatur

49 Hacque ipsa lenitate tantisper vacuata, accurata legum disciplina ac districtione sancimus, ut statim assumptis, qui nobis præsto est, clarissimus præfectus, in suum amplissimi dominatus prætorium, Maximo ac utroque Anastasio, eorum flagris dorsa cædat, vestræque Maximi amborumque Anastasiorum procacitatis organum (vestram scilicet blasphemam linguam) ab imo intus abscindat: tumque etiam, quæ blasphemæ vestræ rationi mentique ministravit, dexteram ferro auferat; ac ubi sic execrandis membris mutilos pariter circumducens urbis augustæ regiones duodecim totas lustraverit, sempiterno exilio jugique præterea custodiæ tradat, ut deinceps, ac quamdiu vita superstes erit, blasphemiæ plenos errores vestros lugeatis, versa scilicet in vestra capita, quam in nos maledictionem dirasque excogitastis. Tulit itaque præfectus, aliisque excruciatis

AUCTORE J. P.

A ciatis tormentis membra amputavit, totaque urbe propudiosa circumductione traducens, Lazicem relegavit. *Vides, lector, eadem* S. Maximo *ac utrique* Anastasio *supplicia illata esse, videlicet propudiosam ac publicam flagellationem, linguæ manusque dextræ amputationem, nec non exsilium Lazicense; quæ materiem nobis suggerunt ulterioris circa hoc argumentum observationis.*

ad flagra, amputationem dextræ

50 *Nam biographus noster num.* 49 *flagra quidem extendit ad omnes tres, ac deinde per decursum suæ narrationis refert,* S. Maximo *et discipulo ejus* Anastasio *fuisse exsectam linguam nec non præcisam dextram; sed de* S. Anastasio apocrisiario *illa non affirmat, dicens dumtaxat num.* 51, Deinde post ignominiosam illam circumductionem exsilium longissimum pellunt simul cum Anastasio apocrisiario, hoc solum præclare facientes impuri, illi, quod Sanctos a se segregarent. *Theophanes in Chronographia pag.* 288 *editionis regiæ Parisiensis tantum narrat,* S. Maximum *lingua ac dextra fuisse mutilatum, sic scribens* : Hoc quoque anno, quæ S. Maximum et Discipulos ejus B spectant, gesta, iis nimirum pro recta fidei sententia sustinenda adversus Monothelitas decertantibus. Eos cum Constans in perversum sensum abducere non valeret, divina sapientia fluentem et varia eruditione florentem illam Sancti linguam una cum illius dextera abscidit : utpote quæ multa adversus ejus impietatem una cum Discipulis (Erant illi uterque Anastasius) conscripsisset, quæ et ipsi ad verbum exscripserunt, ut omnibus scientiarum studiosis notum est. *Et pag.* 292 *de Constante imperatore hæc enuntiat* : Maximum insuper eruditissimum confessorem lingua mutilavit, et ejus abscidit manus.. geminosque tandem Anastasios confessoris et martyris Maximi probatos discipulos exilio et cruciatibus subjecit. *Verbum* ἐχειροκόπησεν, *quod e textu Græco Theophanis vertitur in Latino* abscidit manus, *convenienter ad superiora, quæ de amputata Sancti dextra diximus, ac porro infra dicemus, reddendum erat Latine numero singulari* abscidit manum : *nam præterquam quod* χειροκοπέω *significet* manum abscindere, *aliunde præterea e pluribus utique fide dignis antiquitatis documentis novimus, manum unam, dextram videlicet, Martyri nostro abscissam esse, non vero* C *etiam sinistram; quidquid Compendium Viennense videatur de utraque manu hoc asserere, quod supplicium etiam extendit non ad ambos* Anastasios, *sed ad* S. Maximum *et ad unum ex illis.*

ac linguæ excisionem.

51 *Hæc quippe memorat de* S. Maximo *ac duobus* Anastasiis: Μετὰ τοῦτο μὴ θελήσαντος αὐτοῦ τῷ σκοπῷ αὐτῶν ἐξακολουθῆσαι, τὰς χεῖρας καὶ τὴν γλῶσσαν ἀκρωτηριάζουσι, καὶ ἐν Λαζικῇ εἰς ἐξορίαν πέμπουσι. Τοὺς δὲ δύο μαθητὰς αὐτοῦ ὁμωνύμους Ἀναστασίους, τον μεν πρεσβύτερον ἴσα τῷ διδασκάλῳ τιμωρησάμμενοι, ἐν ἀλλοδαπεῖ κατεδίκασαν· Τὸν δὲ ἕτερον εἰς κάστρον τῆς Θράκης ἐξέπεμψαν. Post hæc, dum eorum proposito obsecundare nollet *Vir sanctus*, manus ac linguam ei amputarunt, atque in Laziceam in exsilium mittunt. Duos vero ejus discipulos homonymos Anastasios, illum quidem qui erat senior, postquam eodem, quo magistrum, supplicio affecissent, in terram externam relegarunt; alium autem in Thraciæ castrum dimiserunt. *Cedrenus in Constante hæc refert* : Constans S. Maximo.. linguam et manum abscidit. *Zonaras autem in eodem imperatore* Maximum, *ait,* et ambos ejus discipulos crudelissimo supplicio affecit. *Martyrologium Romanum hoc die meminit de* præcisis *Sancti* manibus ac lingua; *duobus vero* Anastasiis *aliisque pluribus attribuit* diversa tormenta et dura exilia; *Menæa vero magna Græcorum typis edita illum quidem* lingua et manu *plexum referunt* : et duobus vero discipulis seniori Anastasio perinde ac magistro linguam et manum truncatam; juniorem autem missum esse in quoddam castrum Thraciæ, ibique vitam finiisse. *Menologium Sirleti de* S. Maximo *dicit* : Manus et lingua abscissa est; *at de* Anastasiorum *tormentis nihil ibi habet. Officium istorum trium Sanctorum, quod e Tiliano codice exstat apud Combefisium pag.* LXXXVII, *commune omnibus tribus assignat supplicium his verbis* : Sancti Patres, post exsecta membra vestra, quasi nulla corporis illata labe operabamini, elingui ore loquentes, ac manibus divina decreta subscribentes.

Prædictorum tormentorum particeps fuit S. Anastasius apocrisiarius,

52 *Enimvero amputatæ linguæ ac manus supplicium pertinere etiam ad* S. Anastasium apocrisiarium, *certissime conficitur ex Hypomnestico, quod in rem nostram commemorat sequentia* : Oportet eos, qui hæc legerint exemplaria præsentis illius sacræ illius Sacri * epistolæ, Deo parentibus, qui scrutatur renes et corda, firmissime credere, quia in ea, Deo teste veritatis, ex ipsa epistola, quæ propria manu ejus, immo ut E verius propter miraculi dicamus insigne, digito Dei scripta est, sancti videlicet patris et magistri nostri domni abbatis Anastasii, presbyteri et apocrisiarii, senioris et opinatissimæ urbis Romæ, multumque certantis magni et novi revera martyris veritatis, transcripta sunt, scripta ab eo (postquam passus est, quemadmodum dictum est, in Byzantio, una cum concertatore suo et vere philosopho, immo Deo sopho magnoque commartyre Christi veri Dei et salvatoris nostri Maximo; id est, cum abintus abscissæ fuerint pretiosæ ac sacræ divinitusque veraciter mobiles linguæ ac manus, cum verberibus et tormentis amarissimis, ex quibus sanguinis fluorem et pompam per totam urbem perpessi sunt, quod nec malæ umquam vitæ revera quisquam sustinuit. Et nisi solus Deus, qui ex nihilo ut essent cuncta produxit, et mortuos suscitat, ex hujuscemodi crudelitate ipsorum, et tanto sanguinis fluxu, cauterio nullo modo illis indulto vel constipatorio aliquo abscissionibus manuum atque linguarum ad cessationem sanguinis juxta morem imposito, hos conservasset ad verecundiam adversariorum, tradidissent ex tunc desiderato F a se Deo suas ipsorum sanctas revera et beatas procul dubio animas.

** i. e. Sancti*

ut e fide dignissimo testimonio

53 Hæc autem omnia ob nihil aliud in eos gesserunt vere profanissimi et miserrimi apostatæ veritatis, nisi propter pessimam veraciter et solam invidiam, quam antiquus hostis dæmon in eis seminavit, quemadmodum et in similibus suis Judæis, cum non potuissent saltem ad modicum quid resistere sapientiæ, quæ illis merito fuerat a Deo donata, pro vera scilicet veritate, et solum pro eo quod illi noluissent communicare cum his in tam publica et sine Deo impietate ipsorum) *Vides hic, lector, longum hiatum parenthesi inclusum, qui superiora a modo referendis misere disjungit : cui malo ut occurratur, resume superiora illa ante parenthesim* ex ipsa epistola, quæ propria manu ejus.. sancti videlicet . Domni abbatis Anastasii. . transcripta sunt, scripta ab eo, *ac perge cum textu,* cum ipsa dextera manu sua, quæ abscissa fuerat, cujusque truncus tantum remanserat (id est, sine planta et digitis) inopinato argumento : cum videlicet duo sibimet parvissima ligna et tenuia colligasset; immo, ut verius dicam, virtute ac gratia divina, quemadmodum et

AUCTORE J. P.

et lingua revera divina et invisibili expedite penitus et sine prohibitione loquebatur, quamquam ab intus ex ipso fuerit fundamento rescissa, sicut Lebarnicius patricius Lazicæ cum juramentis terribilibus enarravit nobis, dispensatione Dei in hoc ipso per semet inspector effectus, diffidens * super hoc glorioso ingenti miraculo.

** l. confidens*

constat;

54 Quin et Theodorus protosecretarius prætorii præfecti Constantinopolitani ante hunc enarravit mihi et ipse cum horribilibus juramentis, cum conscius fuisset sanctarum passionum ipsorum, tamquam dominus et magister hujusmodi rerum; glorificans et laudans et gratias agens Deo super tali miraculo et tam fiduciali virtute ipsorum; quoniam sicut canis vel cervus excursu multo vel siti vel caumate *, ita laxaverunt et tradiderunt linguas suas, ut etiam manus, quamquam brevi valde statura sanctus et infirmus corpore esset Maximus, sicut cunctis est manifestum. Quocirca et abundantius adversarii sauciantes sensus suos super tanta et tali alacritate Sanctorum intrinsecus nequissimi et veraciter inhumani, ut revera feræ agrestes, has abscindebant, non solum ista

** i. e. calore*

B sic ab eo scripta epistola, sed et aliis multis libris ac tomis studiorum ipsius : quorum ipsi non solum inspectores divina providentia facti sumus, sed et partem in sortem gratia Dei ex eis accipere illius præceptione meruimus, et ipsis quoque simili argumento et manu; immo, ut verius dictum est, digito scriptis Dei, sicut magni Moysi tempore legitur factum, providentia videlicet et cooperatione solius omnipotentis Dei, qui cum sit amator bonitatis et hominum, facit mirabilia magna in Sanctis suis, et glorificat vere glorificantes se tam indeclinabili opere quam verbo et veritate. *His adde ex Invectiva adversus Constantinopolitanos pro* S. Maximo, *quæ a quodam monacho scripta notatur ac producitur apud Combefisium pag.* LXXXV, *ubi* S. Maximum, *inquit*, tertium illud in theologis lumen, lingua dextraque mulctarunt, binosque Anastasios, illius geminos pridem discipulos pari sententia damnarunt.

e quo item habemus, quod sine lingua locutus sit, et sine manu scripserit.

55 *Atque hæc quidem affatim conducunt primo ad confirmanda ea, quæ noster scriptor Vitæ de* S. Maximi *ac unius* Anastasii *mutilatione memorat num.* 49 *et* 50. *Secundo, ad supplendum silentium ejus circa* S. Anastasium apocrisiarium, *quem parce ac jejune dicit una cum duobus istis aliis in*

C *exsilium longissimum fuisse depulsum, reliquis, quæ aliunde ei convenire superius probavimus, silentio præteritis. Tertio, ad roborandum atque extendendum miraculum locutionis absque lingua, quod narrat inferius scriptor Vitæ apud nos num.* 50. *Ast alias* S. Anastasii apocrisiarii *pro orthodoxæ fidei defensione ærumnas ac certamina proferemus alibi.*

Perperam itaque Baronius ei par citam esse dicit.

56 *Baronius itaque ad annum* 657 *relata linguæ ac manus dextræ* S. Maximi *atque* Anastasii *amputatione etc., perperam ista adjungit :* Pepercerant autem inferre dicta supplicia alteri Anastasio, muneris, quo functus erat, apocrisiarii, rationem habentes. *Combefisius pag.* CI *postquam dixisset linguæ ac manus dextræ præcisionem tribus nostris Athletis fuisse communem e documentis, quæ ibidem citat, hæc subjicit :* Dignus venia Baronius, quem illa monumenta, et Anastasiana collectio latuerint : divinatio autem, pepercisse scilicet ejus *(Anastasii apocrisiarii)* dexteræ truces bestias reverentia Sedis apostolicæ, et quod ejus apocrisiarium egisset, ipsa frivola est. Quæ enim in eis ejus Sedis reverentia, qui sic in Martinum, summum ejus antistitem, bacchati

essent, huncque Anastasium exosissimum haberent; D virum scilicet strenuum, utriusque linguæ peritum, Romanæque fidei vindicem acerrimum; ut et Theodosius Cæsareæ Bithyniæ episcopus, homo alias humanior, eo duce ac comite Romam proficisci recusaverit ob multas cum eo olim contentiones ac rixas, sibique Maximum itineris socium ac negotii adjutorem maluerit? *Consule disputationem, quæ Bizyæ habita est inter* S. Maximum *ac dictum Theodosium, tom.* 1 *Operum* S. Maximi *a Combefisio editorum pag.* LVI.

§ VII. Sancti ad varia loca detrusi; Anastasii unius ac Maximi obitus; hujus item gloria sepulcri; martyrii laureola an S. Maximo ac commilitonibus duobus tribuenda; ætas Sancti ac unius e discipulis ejus. E

S. Anastasii unius

Quæ biographus noster num. 53 *narrat de gestis in exsilio Lazicensi, aliunde confirmamus, ac notatione temporis aliorumque adjunctorum, quæ in ipso desiderantur, illustramus. Edita est in Anastasii Bibliothecarii Collectaneis supra citatis, col.* 375 Anastasii *presbyteri et* apocrisiarii *Romæ epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem; apud Combefisium autem a pag.* LXVII *: cujus hæc est superscriptio :* Domino meo per omnia sanctissimo, Deo honorabili patri spiritali ac magistro Theodosio presbytero, Anastasius exiguus, misericordia Dei presbyter et monachus, servus servorum Dei. *Textus autem epistolæ inter alia sic refert :* Cum venissemus ad amicorum Christi regionem Lazorum sexto Idus Junias quintæ Indictionis *(quæ concurrit cum anno Christi* 662*)* statim separaverunt nos ab invicem præceptione illius, qui tunc præesse his, qui illic erant, sorte meruerat, diripientes omnia usque ad unam acum et filum, quæcumque ad necessarias utilitates tam ex vobis quam ex aliis Christi amicis adquisieramus. Et sacratissimum quidem illum virum, dominum aio Maximum abba- F tem, neque in subjugali, neque in vehiculo sedere valentem pro eo quod in infirmitate positus esset, cum plectentes virgulas ex eis quasi lectulum texuissent, bajulantes detulerunt, et incluserunt in castro Schemari vocitato, juxta gentem eorum qui dicuntur Alani.

58 Dominum vero Anastasium abbatem, et me peccatorem super equos impositos duxerunt et incluserunt, illum quidem in castro Scotori dicto Apsiliæ, quæ est prope Abasgiam; me autem in altero castro, cujus nomen Buculus erat, regionis quæ Mesimiana vocabatur, in jam dictorum confinibus Alanorum : quod videlicet castrum iidem Alani captum nunc retinere noscuntur. Dein post paucos dies, sumptis tam me quam beato Anastasio a prædictis castris, illum quidem miserunt ad castrum nuncupatum Suanias, eum jam semivivus esset tam ex multitudine tormentorum ac verberum, quæ in Byzantio sustinuimus, quam ex necessitatibus atque angustiis, quæ hic sunt nobis illata. Unde et in medio viæ, ut quidam aiunt, ut autem alii asserunt, mox ac retrusus est in castro Suaniæ, ad quod destinatus fuerat, obiit. Argumentor igitur quod circa undecimo vel nono Kalendas

obitus

A Kalendas Augustas dormierit in Domino. Quintodecimo namque Kalendarum Augustarum deducti sumus utrique per jussionem tunc principis in id, quod dicebatur Mucurisin, præsentandi in medio amici Christi exercitus, cum ille jam, ut prætulimus, semivivus existeret. Et ex tunc eum ultra non vidi. Continuo quippe destinaverunt ipsum quidem, ut dictum est, in castrum Suaniæ; me autem in castrum quod dicitur Thacyria juxta Hiberiam. Hinc igitur conjicio quod circa undecimo Kalendas vel nono Kalendas Augustas quintæ Indictionis, in Domino, sicut dictum est, obdormierit. *Variis locis supra memoratis lucem afferent Annotata nostra ad caput 6 Vitæ.*

accidit anno 662, quo et S. Maximus. prædicta morte,

59 *Dies obitus, quæ hic per conjecturam et particulam disjunctivam signatur, et de quo noster biographus num.* 53 *scribit,* Nec dies sciri potuit, quo hinc emigravit, sicut cognominis ejus scripsit, Anastasius, inquam, apocrisiarius, *distincte determinatur, uti et dies, quo* S. Maximus *migravit ad Dominum, a laudato biographo num.* 54 *etiam recte notatus, in Hypomnestico his verbis pag.* LXXXIII *in editione Combefisii; in Sirmondiana vero col.* 399 *:* Pariter et Anasta- B sius discipulus ejus ab undecima Indictione *(concurrit ea cum anno Christi 653)* præteriti cycli, per tria exilia, Bizyes scilicet et Perberi Thracensium regionis, atque prædictum Lazicum, in multis contritionibus et intolerabilibus necessitatibus, atque hujuscemodi athleticis certaminibus annis decem peractis, ad regnum migravere supernum; sanctus quidem Maximus, sicut dictum est, mense Augusto, die tertiadecima, Indictione quinta, cum prædixisset ex divina revelatione suam in Domino ante dies quindecim dormitionem futuram, sicuti jam præmissum est*:* sanctum vero suum pro veritate in Christo Deo nostro martyrium ante non paucos annos; discipulus vero ejus Anastasius mense Julio, die vicesima quarta Indictionis ejusdem.

post brevem morbum exstinctus est.

60 *Narratio hæc plane authentica atque omni exceptione major ansam nobis præbet notandi sequentia. Observamus itaque primo,* S. Maximum *ac discipulum ejus* Anastasium *abbatem seu monachum eodem anno, quo in regionem Lazorum pervenere, æræ nimirum vulgaris* 662 *vivendi* C *finem fecisse. Unde consequens est, ut corruat id quod de* S. Maximo *affirmat Synaxarium Officio ejusdem insertum et a Combefisio editum e Tiliano codice pag.* XC*:* In exilium in Lazicam mittitur; ibique annos tres vitam tolerans... brevi morbo absumptus requievit in Domino. *Eodem etiam errore laborant Menæa magna Græcorum impressa, ac Compendium Vindobonense Cæsareum. Superiora confirmantur e citata paulo ante epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem, in qua hæc exstant:* Porro Christi Dei martyr, domnus videlicet abba Maximus, cum esset custodiæ mancipatus in castro superius memorato, divina sibi facta visione, advocavit quosdam ex his, qui erant in castro, et dixit ad eos: Tertiodecimo die Augusti mensis hujus instantis quintæ dictæ *(non quintædecimæ, uti male habetur in editione Sirmondi)* Indictionis, feria septima assumet me Dominus: quod et factum est. Igitur tertiodecimo die prædicti Augusti mensis præteritæ quintæ Indictionis secundum divinum ejus vaticinium, feria septima, præsentibus derelictis, perrexit ad Dominum.

61 *Merito itaque Lambecius Commentariorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib.* 8 *pag.* 127 *his dictis convenit Eminentissimum Baronium:* Cæterum, quod absque tanti et de Ecclesia Catholica tam bene meriti Cardinalis injuria dictum sit, perperam ibi *(tomum* 8 *Annalium ab anno Christi* 640 *usque ad* 657 *citaverat)* obitus S. Maximi refertur ad annum Christi sexcentesimum quinquagesimum septimum: quippe cum certo constet, eum revera obiisse anno Christi sexcentesimo sexagesimo secundo, ut clare ac solide demonstrat doctissimus Societatis Jesu theologus Jacobus Sirmondus in synopsi chronica, quæ Anastasii, S. Sedis Apostolicæ Bibliothecarii, Collectaneis, Parisiis typis Nivellianis anno MDCXX in octavo editis, præfixa est. Vide ibi in primis Anastasii apocrisiarii, ipsius S. Maximi discipuli epistolam ad Theodosium presbyterum Gangrensem pag. 196, et Hypomnesticum Theodosii ac Theodori monachorum, fratrum Germanorum, iisdem temporibus viventium, pag. 264. Idem quoque confirmat R. P. Philippus Labbeus S. I. in Chronologia technica A. C. DCLXII, et in Chronologia historica eodem anno: item in Dissertatione historica et Philologica de Scriptoribus ecclesiasticis tomi 2 pag. 72 et aliquot sequentibus. *A vera itaque temporis ratione aberravit etiam Bellarmi-* E *nus de Scriptoribus ecclesiasticis, dum obiisse eum asserit* anno Domini DCLX. *Ferulam item censoriam hic meretur Bailletus, quando in Collectione historica de* S. Maximo *ad* XIII *Augusti, Vitis sanctorum, quas edidit, inserta, tradit, Deum ipsius ærumnis finem imposuisse dicta die* XIII *Augusti anno videlicet* 662, *vel non serius quam die* XXI *Januarii anni* 663. *Dies quippe et annus mortis ejus adeo perspicue ac certo ad posteros pervenere, ut particulam illam disjunctivam non patiantur.*

AUCTORE J. P.

Non itaque a Baronio recte refertur ad an. 657.

62 *Vitæ auctor, quam illustramus, relata* S. Maximi *morte, breviter agit de prodigio, quo Servum suum tot ærumnis, dum viveret, excarnificatum condecoravit post obitum Dominus.* Sepulcrum autem, *ait,* in quo sacrum ejus corpus depositum est, tres lucidæ faces post primam noctis horam ex eo tempore illuminant, mirabili, ut par est, aspicientes stupore complentes, et liberalissimi Dei erga Famulum ejus amplissimam gratiam ostendentes. *Quibus magnum auctoritatis momentum accedit ex epistola* S. Anastasii apocrisiarii *ad Theodosium presbyterum Gangrensem; ubi post-* F *quam retulisset laudatus epistolæ scriptor vaticiniam, quo* S. Maximus *mortem suam prænuntiavit (verba paullo ante dedimus) sic pergit:* Porro et aliud miraculum, quod divinitus in sancto ejus monumento efficitur, quodque usque ad præsens, qui castrum illud et ejus circa regionem inhabitant, intuentur et prædicant: et ad quosdam etiam principum atque magnatum pervenit, dignum est et vobis quoque sanctissimis, et per vos omnibus, qui ibidem sunt Sancti, per litteras fieri manifestum in gloriam et laudem Dei, qui facit mirabilia in Sanctis suis, et glorificat. Id est, tres lampades luciferæ per singulas noctes sanctum sancti illius Martyris monumentum illustrant.

Gloria sepulcri declaratur

63 *Insigne vero illud miraculum confirmatur ex Hypomnestico, in quo hisce cum testimoniis refertur:* Porro sanctus et memorabilis ac optimus, et per omnia, immo divinitus sapiens, magnusque veritatis propugnator et commartyr eorum *(SS. Martini ac Euprepii paulo ante facta erat mentio)* μέγιστος qui et Maximus (hoc enim, ut antea indicavimus, dictione Latina Maximi nomen insinuat) cujus et sanctum monumentum per singulas noctes lampades exhibet a die, qua dormisse dignoscitur, usque in præsens. et in perpetuum

ac confirmatur.

AUCTORE J. P.

pectum omnibus illucescens et patefaciens confidentiam suam, quam obtinet apud Deum, sicuti præposita commendat epistola: et nos ipsi per nosmet auditores a multis illius loci principibus et habitatoribus, qui cum juramentis hujusmodi vere miraculum fiducialiter prædicabant, effecti sumus. Eorum vero qui obtutu proprio viderunt has, unus etiam ipse Comes ejusdem Chemareus * castri, nomine Mistrianus existit, qui et vigilans cum militibus, has non semel nec bis, sed et multoties contemplatus est, et primus patenter de his omnibus prædicavit, nobis illuc pergere non valentibus propter montis illius ascensum, id est, verticis Caucasiorum, quo excelsior mons super terram non est, difficultatem, et tempus hiemis, insuper et confusionem gentium, quæ fit in partibus illis. *Observa hic obiter,* S. Maximum *superius vocari* martyrem; *qualis etiam dicitur ab Anna Comnena, cujus textum citavimus in Commentario prævio num.* 24. *Eodem etiam titulo donatur alibi (Vide eumdem Commentarium num.* 59 *et* 62*) Ad hæc, apud Bellarminum de Scriptoribus ecclesiasticis vocatur* Martyr clarissimus; *et merito: nam cum ipsius vita fuerit continuum*
B *fere martyrium, atque adeo non tam ipse martyrio, quam martyrium ipsi defuerit, gravissimis utique et creberrimis juxta ac diuturnis acerbitatibus, quas exsectæ etiam linguæ ac manus dextræ amputatæ sanguine purpuravit, excarnificato, quamquam violento supplicio non immortuo; nihil vetat, quo minus singularem martyrii laureolam ei attribuamus. Atque illud idem cum proportione intelligi volumus de duobus ejus commilitonibus* Anastasiis, *quos tamen uti et* S. Maximum *in titulo, initio hujus nostri Commentarii præmisso nominavimus confessores, quia isto nomine idem noster Sanctus annuntiatur in Fastis Græcis, uti paullo post videbitur. Sed ad ejus sepulcrum revertimur. De monumento seu sepulcro ejus ita memorat Compendium Vindobonense Cæsareum:* Ἐτάφη ἐν Λαζικῇ ἐν τῷ μοναστηρίῳ τοῦ ἁγίου Ἀρσενίου, ἔνθα καὶ ἰάσεις πλεῖσται γίνονται. Sepultus est in Lazica in monasterio S. Arsenii: ubi multæ etiam sanationes contingunt. *Quibus suffragantur monachus Rutiensis ac Menæa magna excusa. De* Lazica *jam toties memorata consule nostra Annotata ad cap.* 6 *Vitæ Commentario huic subji-*
C *ciendæ lit.* k.

* f. Schemarcos

Ætas Sancti ac unius e discipulis.

64 *De annis vero ætatis, quibus Sanctus vitæ cursum peregit, paucula nobis notanda occurrunt. Enimvero ad grandævam cum senectutem pervenisse, liquet e documentis istis. In Compendio Viennensi Cæsareo dicitur* πρεσβύτης καὶ πλήρης ἡμερῶν, senex ac plenus dierum. *Et ibidem præmiserat auctor:* Περὶ γὰρ τὰ ἐννενήκοντα ἔτη λέγεται γεγονέναι. Annos circiter nonaginta fertur attigisse. *Monachus Rutiensis ait:* Πλήρης ὢν ἡμερῶν ὁ μέγας. Plenus erat dierum *Vir* magnus. *Atque hæc quidem comprobant, grandæva in senecta eum e vita emigrasse. An autem ad ætatem circiter nonagenariam supervixerit, quamquam nobis aliunde nihil sit in promptu, unde id certo ac presse definiamus; dicendum tamen videtur, octogenario majorem fuisse ex iis, quæ supra* § 4 *in initio præmissa sunt. Nam interrogatus* quot annorum se esse diceret; respondet: Septuaginta quinque, *Interrogatio autem illa ibidem a nobis innectebatur anno Christi* 655; *si vero jam dictis septuaginta quinque annis adjungas alios septem, quibus supervixit, habebis annum Christi* 662, *quo obiit; ætatis autem Viri sancti annum octogesimum secundum. Quo autem anno ætatis e vita* D *excesserit unus e discipulis* S. Maximi, *ex eo colligere licet, quod in Relatione antea* § 4 *indicata, postquam sacellarius interrogasset Sancti ætatem; hæc subdat:* Quot vero annos habet... discipulus tuus? Respondit *Vir sanctus,* triginta septem. *Interrogatio porro ista ibidem a nobis inlexta fuit anno circiter Christi* 655. *Adde annos septem, et pervenies usque ad annum* 662, *quo unus ex* Anastasiis, *sicut paullo ante vidimus, vitæ cursum complevit, et numerabis annum ætatis ejus circiter* 44. *Sin vero interrogatio cadat in alterum e discipulis* Anastasium apocrisiarium, *sequitur ut vivendi finem is fecerit anno circiter ætatis* 48, *cum mors ejus acciderit anno Christi* 666 *ex dicendis paragrapho proximo, in quo pro ratione temporis res ab ipso gestas post obitum Magistri sui (de iis quippe, quæ ipso vivente contigerunt, actum est* § 6) *inspiciemus, supplentes biographum, qui illas indictas reliquit.*

§ VIII. S. Anastasii apocrisiarii gesta post mortem S. Maximi, obitus, ætas, elogium, ulterior de eo notitia, discipuli. E

Ipsemet S. Anastasius apocrisiarius exponit,

Ipsemet Anastasius *postquam in sua ad Theodosium presbyterum Gangrensem epistola pluries jam laudata egisset de obitu* S. Maximi, *ac luminibus ad ipsius tumulum divinitus accensis, nec non supra num.* 62 *a nobis ex illo narratis,* Interea, *uti continuo subdit,* et quæ mihi peccatori et exiguo post hæc contigerunt, et in quibus sim, pari modo perpaucis manifestabo. Cum enim fecissem duos menses in castro prædicto Thaciriæ in infirmitate jacens, et pauxillum quid requiem fuissem adeptus, rursus misit me tunc princeps ad partes Apsiliæ et Misimianæ, custodiæ mancipandum in castro Phustas. Et, ut absolute dicam, septem mensibus duxit et circumduxit me per omnes prædictas regiones nudum et discalceatum et peditem, et frigore et fame et siti depressum, volens profecto et me quoque ab hac detergere vita. Sed nescio quid super me humili prævidens Deus, qui omnia salubri providentia sua producit, usque nunc conservavit me in hac multarum tribulationum et miseriæ vita. F

quænam sibi acciderint

66 Post aliquot itaque dies pellitur illinc prædictus princeps. Deindeque succedens alius, visus est compati. Inter quæ duxit me juxta domum suam receptum a jam memorato castro Phustensium. Et post annum ex diabolica operatione motus destinat me ad prædictum castrum; sed Deus, qui remetitur his, qui aliis remetiuntur, eadem die, qua me pepulit, pulsus est hinc, et efficitur profugus in Christi amatorum regione Abasgorum. Et consilio accepto a Christi amicis, qui illic erant, principibus magis compatiendi, quam me minimum persequendi, et orationem a me potius quam gemitum percipiendi (ipse quippe qui amici Christi principes Abasgiæ compatiuntur humili mihi, quamquam nescierint me) repromisit quidem illis, quod si exiret inde, et restitueretur in principatu, omnia, quæ forent ad solatium et refrigerium meum, perficeret. Dein post paucos dies, nescio unde adjutus, egreditur quidem iterum et recipit principatum; nil tamen illorum, quæ pollicitus est Deo et crebro dictis Dei amicis principibus, in opus perduxit. E contrario autem, manibus nequam deductus virorum, repromissionem quidem

AUCTORE J. P.

A quidem oblitus est; tolli autem me a castro Phustiensium, et maturius in Schemareos castrum mitti præcepit.

postremis 67 Factum interea est, cum ducerent me in jam nominatum castrum, ut ille iterum pelleretur, et esset profugus ubi et primum fuerat. Excitavit autem Deus spiritum suum in viro boni æmulatore, qui Dei habeat in se timorem pariter et amorem, et vere pherouyme vigilantem * secundum Deum possideat mentem; qui cum Deo nunc præest regioni, et Deum imitante condescensione seu compassione motus, reduxit me a via crebro dicti Schamareos castri, et constituit me quasi quinque signis longius a divinitus custodienda domo sua in loco monachos veraciter condecente, præbens necessarias largissime corporis utilitates. Pro quibus omnibus Christus verus Deus per intercessionem, quæ illum secundum carnem genuit, Dei Genitricis semperque virginis Mariæ ac omnium Sanctorum protegat cum una cum amandis filiis suis, atque honorabili horum ac prorsus laudabili matre...

* i. e. conveniente ei nomine Gregorii, quod vigilem significat

B 68 Quod vero me in medio eorum, quæ dicta sunt, latuit, dicere non pigritabor. Hoc plane est. Quia cum evangelizatus fuisset *(liber, quem ante ibi laudarat)* a sanctæ memoriæ... Domino Stephano de unitate atque concordia, quæ ibidem omnium per orthodoxam confessionem ad invicem et ad Deum effecta est, spirituali acsi coram Deo dico, lætitia sum repletus, et gratificos hymnos pro tali ac tanto bono misericordi Deo, licet peccator, retuli... Vosque Deo honorabiles, et omnes, qui vobiscum sunt, Sanctos, ac per vos sanctam, quæ illic est, Dei Catholicam et Apostolicam saluto Ecclesiam, postulans mei, peccatoris scilicet et vincti, memoriam fieri in sanctis ad Deum directis orationibus vestris, in sanctis atque colendis locis, ac pretiosis mihique desiderandis syllabis * vestris fulciendo, ac me minimum consolando atque orando, ut dignus efficiar visione vultus vestri, quamvis sit temerarium dictu, priusquam et ipse hanc miseram et multarum tribulationum vitam excedam. *Hanc epistolam a* S. Anastasio *sub extrema vitæ tempora exaratam fuisse, conficitur ex eo, quod postquam* Stephanum... venientem in hanc regionem,

vitæ suæ annis

* i. e. epistola

C ut asseruit, ad requisitionem, *inquit*, humilitatis meæ, *laudasset a laboribus apostolicis, hæc deinde laudatus* S. Anastasius *subjungat* : His itaque bonis hic proprio adventu correctis *, nobilis ille vir Kalendis Januarii VIII Indictionis, quæ modo præteriit, apud Christi amicum Abasgiæ principem dormivit in Domino. *Indictio quippe octava concurrit cum anno æræ vulgaris* 665; *anno autem proxime sequenti ærumnosam suam vitam commutavit cum beata ac cœlesti* S. Anastasius, *uti perspicuum fiet ex iis, quæ subdo.*

* f. porrectis

Annus mortis, elogium, 60 *Obiit igitur anno Christi* 666, *die Dominica,* V *Idus Octobris. In scholio quippe, quod epistolæ ejus prædictæ subnectitur, enunciantur ista* : Obiit autem et ipse sanctus Pater noster et martyr Anastasius, qui hanc scripsit epistolam, die Dominico, hora tertia, quinto Idus Octobrias, cum in sancta collecta diceret *, Sancta sanctis, Indictione decima. *Consona hæc sunt Hypomnestico, e quo ad majorem dictorum confirmationem proferimus ista cum parvo, quod additur, Sancti elogio* : Cum et ipse certamine bono certasset, et cursum orthodoxam revera fidem servasset, et cursum martyrii consummasset, mensis Octimbrii die undecima, feria prima, hora tertia, cum diceretur inter sancta Officia, Sancta sanctis *(Vide Euchologium a Goaro editum pag.* 81 *et* 146*)* Indictione decima; cum prædixisset et ipse diem sanctæ depositionis suæ quibusdam, qui sibi aderant, ante menses tres; et aliis quoque pluribus miraculis sanctissimi et omnia efficientis Spiritus cooperatione, tam ibidem *(de castro Thusumes proxime erat facta mentio)* quam in duobus exiliis suis, Trapezunti videlicet et Mezembriæ patratis, plurimisque conversis ad veritatem et illuminatis. Cui cum conversati fuissent et perdurassent in hoc sancto et beatissimo et multorum sudorum certamine... prædictus quidem sanctus Anastasius presbyter et apocrisiarius Romanus a sexta Indictione *(quæ incidit in annum Christi* 648*)* præteriti cycli, usque ad decimam Indictionem, in omnibus prædictis tribus exiliis suis, traductionibus diversis affectus, tribulationibusque ac necessitatibus et angustiis non mediocribus nec modicis, permansit annis viginti. *Nunc accipe nonnulla, quæ de hoc Sancto non satis fundate referuntur.*

* f. diceretur

70 *Combefisius a pag.* CI, Fuerat is, *inquit*, clarus in aula, Augustæ notarius Heraclio imperatore; quando forte Maximus, pari munere merenti ipsi Heraclio, amicitia junctus est, utque seculari, sic Religiosa ac Christiana militia ambo quasi sodales extiterint, non alter alterius discipulus. Major scientiæ luce Maximus, eaque orbis magister, etsi purus monachus; quod se ipse dicit in Collatione cum Theodosio : cum Anastasius presbyter esset, ac, si monachus fuit, hieromonachus : nec enim hoc satis ex monumentis notum; extra quæ quidvis fingere, non satis mihi liberale aut ex fide historica cautum est. Auctor tamen Invectivæ ἄνωθεν *(id est* supra *memoratæ)* Maximi discipulum scribit, ut et alterum Anastasium, quasi et ipse ita pridem illi adhæserit. Nunquam tamen ipse Maximus discipulum vocat, quemadmodum alterum Anastasium; sed honorificentiori nomine DOMINUM MEUM, aut quid simile. Nempe homo Romanus erat, quod sic linguam Latinam callebat, cujus se rudem agnoscit Maximus; diuque in Oriente ipsaque aula versatus, Græcam perinde sibi familiarem reddiderat : qua utraque Maximo socius, proque Romanæ Ecclesiæ apocrisiarii munere, ejus ipsius forte presbyter, fidem strenue propugnabat : cujus tuendæ constantia tantam sibi Monothelitarum invidiam conflavit. *Hæc Combefisius. Sed observa* 1°. *Monachum fuisse* S. Anastasium, *liquet ex dictis supra ineunte septimo paragrapho.* 2°. *Sancti* Maximi *discipulus vocatur a Theophane et alibi, uti* § 6 *relatum est.* 3°. *Illa, quæ ex Hypomnestico dedimus antea num.* 69 S. Anastasius presbyter et apocrysiarius Romanus, *videntur ad eumdem locum referenda, atque adeo Sanctus videtur fuisse potius presbyter Ecclesiæ Romanæ, quam Græcæ.* 4°. *Combefisius in indice tomi* 1 *ad notas suas, revocat pag.* 738 *quod supra retulerat de munere notarii* : Fefellit me, *inquit*, quod scripsi de notarii in aula munere, quod alterius Anastasii proditur. *Consule Annotata nostra ad caput* 5 *Vitæ, quam postea daturi sumus, lit.* d.

ac ulterior de eo notitia. E

F

Duo ejusdem discipuli. 71 *Jam vero quoniam discipulus sapiens ac perfectus et gloria et perfectio magistri, non abs re nos facturos censemus, si ex laudato Hypomnestico proferamus duos* S. Anastasii apocrisiarii *discipulos virtute et apostolicis laboribus præstantes, præsertim cum nesciamus, an alicubi in Sacris Græcorum Fastis notentur (in iis certe nondum illos reperimus) ut aliquis etiam egregiæ eorum memoriæ hic a nobis locus detur, non exigua*

AUCTORE J. P.

gua laudationis parte in Sanctum quoque redundatura nostrum, sub cujus floruere institutione. Post ea itaque, quæ ex Hypomnestico statim retuli, sequuntur ista : Discipulis vero ejus Theodoro et Euprepio germanis et sanctis fratribus, filiis Plutini * beatissimi imperatorii pistoris, id est, qui super omnes pistores publicos est, eorum videlicet qui annonas scholarum omnium solvunt, quod appellatur Tetransiton *, divitiis pretiosis et dignitatibus diversis divinisque virtutibus, et virginitate, quæ his omnibus major est, adornatis : per quam scilicet, ut opinor, etiam sanctis pro Christo agonibus et coronis honorari meruerunt, ut casti ei mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt : post primum magistri sui et nostri apud Trapezuntem exilium multis eleemosynis et oblationibus factis, volentibus Romam confugere, protinus et ipsis in eadem persecutione prope Abydum comprehensis propter eamdem et solam causam, et pro eo quod noluissent cum eis contaminari tam evidente impietate in profano et penitus sine Deo imperatorio Typo, qui ex summissione factus est eorum, qui erant ecclesiæ Constantino-
B poleos, et publicatis, id est, denudatis omni substantia, quæ inerat sibi, et dignitatibus quas habebant; flagellaque mortalia a præfecto suscipientibus, et Chersonem in exilium missis, et illic vi sæpius ab invicem separatis, et in castris gentium ibidem adjacentium deputatis : junior quidem frater, qui ut vere in cunctis pheronymus, Euprepes * nominatus est, completo in hujuscemodi Dei amico agone anno nono, ad Dominum abiit mense Octobrio, die vicesima sexta, Indictione XIV *(quæ respondet anno Christi 671.)* Alter vero qui et prior frater, quique Dei donum merito a Domino est vocatus, perdurans ab eadem sexta Indictione usque ad jam dictam decimam Indictionem instantis cycli, id est, usque ad sanctissimi patris et magistri eorum ac nostri Anastasii presbyteri (qui revera miserrimi et orphani propter tantam raritatem et inopiam verbi veritatis et omnis spiritualis escæ..) sanctam in Domino requietionem annum vicesimum agit adhuc perseverans in athleticis sudoribus et agonibus in eodem Chersonis exi-
C lio, jam memoratus videlicet frater Theodorus, qui et propria manu multa Sanctorum opuscula dignatus est exhibere nobis, qui pergebamus illuc ad visitationem et adorationem ejus, et pretiosæ memoriæ Martini, summi et vere universalis papæ et magni martyris veritatis.

* Comb. Plutini

* f. Tetrasiton, a Græco τετράσιτος, quadruplex annona.

* i. e. convenienter nomini εὐπρεπής decorus, formosus etc.

§ IX. Cultus ex Græcis ac Latinis Fastis; nonnullæ hac occasione observationes.

Nomen S. Maximi

Celeberrima S. Maximi *apud Græcos memoria est, post illustria heroicarum virtutum decora postque tot ac tanta pro orthodoxa fide certamina, exilia, cruciatus et ærumnas exantlatas, in sacris eorum Fastis notata, et tribus quidem vicibus ac diebus diversis, videlicet die* XXI *Januarii, nec non die* XII *ac die* XIII *Augusti. Menæa magna typis edita de eo agunt dicto die* XXII *Januarii, ac ita eum annuntiant :* Sancti patris nostri Maximi confessoris. *Quo etiam die Officium sacrum in ipsius honorem peragunt. Canon, cujus hæc est acrostichis,*

Ὁ παμμέγιστος Μάξιμος δοξάζεται.

Celebratur heros nomine ac re Maximus :

D *Canon, inquam, iste, qui a Joanne Damasceno ibidem dicitur compositus* (sed *Combefisio pag.* XCII *hoc* non videtur) *cum Sanctum laudat egregie, tum duorum ejus discipulorum, qui una cum ipso certaminis ac victoriæ participes fuere, mentionem facit. Deinde post repetitam illius annuntiationem sequuntur tres isti versiculi :*

Ἀχειρόγλωττος χεῖρα καὶ γλῶτταν φύεις
Καὶ χερσὶ Θεοῦ, Μάξιμε, ψυχὴν δίδως.
Εἰκάδι πρώτῃ πότμος Μαξίμου ὄσσ' ἐκάλυψεν.

Scribis sine manu, loqueris elinguis, Pater.
Animamque tradis Maxime, in manus Dei.
Post bis denam prima oculos tibi, Maxime, claudit.

73 *Allusio poëtæ adeo clara est, ut explicatione non indigeat. Rei veritas exposita et confirmata est superius* § 6. *Elogium seu vitæ compendium, quod in citatis Menæis habetur, peccat, quando* S. Maximum *sub Constantino Pogonato vixisse scribit. Vide dicta in antecessum* § 1, *num.* 3. *Falsum insuper est, eum die* XXI *Januarii e* E
vita excessisse : cum certissime constet, hoc accidisse hodierno die XIII *Augusti, sicut dictum est* § 7, *num* 59. *Signatur interim die* XXI *Januarii in Typico, quod S. Sabbæ nomen præfert, et in Kalendario Ruthenorum a Possevino vulgato tom.* 2 *Apparatus sacri pag.* 368. *E Latinis Græcos sequitur Molanus in Additionibus ad suum Usuardum anni* 1573; *qui ejusdem Sancti memoriam repetit hac die* XIII *Augusti, prout etiam faciunt dictum Typicum ac Kalendarium Ruthenorum. Sed Typicum ad hunc diem* XIII *monet, tunc quidem festum ejus dari; Officium vero cani ad* XII *ejusdem mensis. Festum, quod dicebam, die* XIII *celebratur in Menæis magnis ob Sancti translationem. Nam post annuntiationem ejus sic subdunt :* Translatio corporis sancti Patris nostri Maximi confessoris : *quæ his versiculis ibidem honoratur :*

Κινοῦσι σου, Μάξιμε, πιστοὶ τὸν κόνιν,
Δηλοῦντες ὡς ζῇς ἐξαμείβων καὶ τόπους.
Μαξίμου ἀμφὶ τρίτην νεκρὸν δεκάτῃ μετέθηκε.

Cineres tuos, o Maxime, Fideles movent,
Monstrantque vivere te, licet mutes loca.
Tertia post decimam tua, Maxime, transtulit ossa. F

74 *Combefisius in Officio* S. Maximi, *quod dat secundo loco, citans Menæa edita* XIII *Augusti et* XXI *Januarii, qua perinde agi in illis addit ejusdem festum, pag.* XCVI *legit paullo aliter duos hosce versus ultimos, eosque sic cum primo connexos reddit Latine :* Movent tuos, Maxime, Fideles, cineres; nempe monstrantes, alia ex aliis te loca mutante tertia decima circiter lunaris migrasse. *Sed obscure et inepte eos refert auctor ille. Nam primo, non de die mortis, sed de translatione reliquiarum hic est sermo. Secundo, dies mortis* S. Maximi *in ipsis Menæis, tametsi perperam, signatur die* XXI *Januarii; uti jam ostensum est. Ad* ἀμφὶ *vero quod attinet, sive vim quamdam poëta voluerit illi præpositioni inesse, sive non, illam prætermisi in versu tertio, eumque reddidi* tertia post decimam *numero rotundo, id est* decima tertia *hujus videlicet Augusti mensis : qua item die in Menæo Chiffletii notantur ista :* Μετάθεσις Μαξίμου ὁμολογ. *Id est :* Translatio Maximi confessoris. *At vero quia ista dies Sancto fuit natalis ad meliorem vitam, Menologium Slavo-Russicum Sparvenfeldianum ita rectius illum tunc simpliciter annuntiat :* Beatissimi P. N. Maximi conf. *Sirleti quoque Menologium eadem die eum commemorat, nulla translationis*

tribus diebus diversis

occurrit in Fastis sacris.

A *lationis corporis facta mentione. Conficitur ex dictis, prorsus singulare esse Martyrologium Arabico-Ægyptium, ex Arabica lingua in Latinam translatum a Gratia Simonio, quando hac die in eodem notatur non tantum* Translatio corporis S. Maximi; *sed additur insuper* et sociorum ejus. *Fuit autem* S. Maximus *antonomastice confessor sed quin vetat tam eum quam ejus Commilitones vocare martyres, secundum dicta num.* 63 ?

Honorifice compellatur Sanctus cum discipulis in Officio sacro :

75 *Vin' pauca e pluribus, quæ in Officio Sancti occurrunt, laudum ejus ornamenta? Accipe ea e Combefisio pag.* 92 *et seqq. e Græco sic Latine ibidem versa* : Rectæ fidei dux, pietatis doctor ac honestatis, orbis terrarum lumen, monachorum afflata divinitus gloria, Maxime sapiens, lyra spiritus, pater sancte, intercede apud Christum Deum... Maximus plane maximus, piæ Christi fidei verissimus præco testisque sanguine claruisti... Sacerdotum crepido, dogmatum basis, sapientiæ tuba, summus martyrum vertex, fidelimmque firmamentum, admirandus Maximus, sua hodie memoria mundo præoritur... Una tecum certamine funguntur, Maxime, beatissimi B ambo discipuli, lucta tibi socii effecti : quamobrem etiam paria consecuti sunt præmia. Cruoris tui rivis affatim ebria Christi Ecclesia, divinæ tuæ sementis, paterna traditione acceptum, Vir sancte, dogma effloret. Tyranni insania in exilium relegatus es : at invenisti Jesum, Vir beate, solantem... Cæsa tua manus est; scribit tamen divino digito velut calamo et atramento, exsecta lingua, sancto cruore tuo .. Stas pro divino tribunali cum Martyribus, quibus fidei æmulatione socius extitisti. *Hæc sufficiant de* S. Maximi *cultu apud Græcos, qui ad Latinos etiam propagatus est.*

inscribitur Romano Martyrologio.

76 *Martyrologium Romanum hæc quotannis de illo ac discipulis ejus recitanda præscribit hac die* : Constantinopoli, sancti Maximi monachi, doctrina et zelo Catholicæ veritatis insignis : qui cum adversus Monothelitas strenue decertaret, a Constante imperatore hæretico præcisis manibus ac lingua in Chersonesum relegatus, reddidit spiritum. Tunc etiam duo Anastasii, ejus discipuli, aliique plures diversa tormenta et dura exilia sunt experti. *Nos Martyrologium Romanum secuti Sanctum nostrum in titulo, qui superius huic* C *Commentario præfigitur, posuimus Constantinopoli; quamquam alibi vitæ cursum consummarit; de qua re consuli potest idem Commentarius* § 7. *In prædicto titulo annuntiavimus etiam Constantinopoli utrumque* Anastasium : *quæ videlicet urbs fuit una e præcipuis trium nostrorum Martyrum palæstris, cum ibidem lata atque exsecutioni mandata fuerit crudelis illa adversus eos ac omnino barbara sententia, de qua dixi supra* § 6. *Quod si quis tres nostros Sanctos, a Martyrologio Romano, ejusque exemplo a nobis ad unam eamdemque diem revocatos, suis restituere diebus propriis voluerit;* Maximum *dabit hac die, secundum dicta num.* 59 *et* 60; Anastasium *monachum die* XXIV *Julii, uti habes superius num.* 59. Anastasium *denique* apocrisiarium *die* XI *Octobris, ex num.* 69. *Id quod de utroque* Anastasio *etiam observavit Castellanus in suis additionibus et correctionibus pag.* 971, *ubi priorem, quem dicebam, monachum, vocat* archimandritam; *synonymum vero* apocrisiarium *ad diem* XI *Octobris apponendum monet ibid. pag.* 985. *Ac de archimandrita, quem vocat, quæri potest an vere talis fuerit.*

77 *Verum quidem est,* Anastasium *utrumque fuisse monachum. Ac de* Apocrisiario *quidem id conficitur ex* § 7 *hujus Commentarii, ubi de inscriptione epistolæ ejus ad Theodosium presbyterum Gangrensem : et vero* Anastasium *ibidem in dictæ epistolæ contextu* dominum abbatem *vocat; unde consequens videretur esse, ut synonymus iste non monachus dumtaxat, sed hegumenus etiam exstiterit alicujus cœnobii, sive archimandrita, prout eum modo appellabat Castellanus; nisi universim monachi omnes præsertim senio ac vitæ sanctitate venerandi, Latinis ac Græcis scriptoribus abbates dicti forent, sicut datur videre apud Cangium in Glossario Latino-barbaro. Consuli etiam de hac re possunt tom.* I *Julii, die* 1, *pag.* 116 *Annotata ad Vitæ S. Symeonis Sali caput* 3 *lit.* g; *in cujus Vitæ decursu toties ille Sanctus appellatur abbas, cum tamen aliud nihil quam monachus fuerit. Neque dicas,* Anastasium *loco supra citato non vocari* abbatem *simpliciter, sed* dominum abbatem : *neque enim id sufficienti est argumento, cum archimandritam seu hegumenum fuisse : nam S. Symeoni Salo etiam dicitur* Κύρι ἀββᾶ, domine abba, *ut videsis tomo citato pag.* 152. *De monachatu* S. Maximi *nunc aliquid observandum.*

AUCTORE J. P. Hac occasione quæritur an unus ex duobus Anastasiis fuerit archimandrita :

E

an item S. Maximus canonicus Regularis, an monachus Benedictinus.

78 *Ghinius in Natalibus suis eum inter sanctos Canonicos recenset hac die* XIII *Augusti; quasi vero, quia* Theodosius episcopus dedit *illi* tunicam lineam, et fuscum pallium, *uti ibi habetur in ipsius elogio, statim inde quasi digito habitum canonicum monstrare liceat dicendo cum Ghinio in nota marginali* : En habit. Canon. *Quod quam sit frivolum, nemo non videt. Adde, quod nihil cogat apponere* τὸ lineam : *nam in Vita e Græco Latine reddita, quam sumus typis commissuri, num.* 45 *dicitur* : Tunica ac fusco pallio donato *etc. Nec dissentit Combefisii versio pag.* XXIII : Dataque munusculo tunica *(in Græco est* στιχάριον; *de qua tamen voce videri potest Lexicon Græco-barbarum Cangii)* et fusci coloris pallio. *At Sanctum eumdem ad suos ascetas tantum non pertrahere videtur Wion, quando Sanctis Ordinis Benedictini illum intexit ad* XIII *Augusti in Ligno vitæ part.* 2 *lib.* 3 *pag.* 266 : *tametsi ibidem in notis subdat* : Utrum tamen Benedictini Ordinis fuerit, pro certo adhuc non habeo. *Sed* S. Maximus, *ex antea præmissis* § 1 *et* 2, *monasterii quidem Chrysopolitani in territorio Constantinopolitano primum cœnobita, deinde autem abbas fuit : cujusnam autem vitæ instituti aut Ordinis regulam profiterentur istius loci ascetæ, non additur. Nos interim seculo Christi septimo ibidem loci Ordinis Benedictini monachum non quærimus; quem etiam apud alios hagiologos Benedictinos Dorganium, Menardum, Bucelinum, Wionem secutos, neutiquam reperimus expressum.* F

§ X. Documentorum aliquot superius citatorum notitiæ ; Acta.

Dantur notitiæ de Hypomnestico,

In decursu hujus nostri Commentarii prævii identidem citavimus Hypomnesticum, *quod Latine Memoriale seu Commentarium recte vocaveris; et quandoquidem id pretiosum admodum est antiquitatis monumentum magnæque fidei et auctoritatis, accipe sequentes de eodem notitias. Præcipuum narrationis argumentum nititur epistola* S. Anastasii apocrisiarii. *Recole dicta superiora*

AUCTORE J. P.

riora § 6 num. 52. Ad quosnam autem illa sit scripta, et quando ad eosdem pervenerit, dicitur in laudato Hypomnestico his verbis: Igitur missa nobis est hujusmodi sacratissima et præposita propriæ manus immo divinitus exarata epistola una cum suppositis sibi Deiloquis testimoniis et syllogismis, ab eodem ipsorum exilio, id est Lazico, quam et habemus et conservamus, cum eodem, quo scribat, tradito sibi divinitus argumento, id est, prædictis duobus exilibus fusticulis, et aliis benedictionibus ac muneribus ejus, sanctisque ac venerabilibus, nec non et omnibus post Deum bonis, librorum videlicet ejus studiis, et propriæ manus compositionibus, tamquam revera sacro-sanctis laudibus et reliquiis. Data vero est nobis vere minimis, Theodosio scilicet et Theodoro, germanis et sine dolo fratribus humilibus et peccatoribus monachis, per Gregorium monachum et abbatem monasterii S. Joannis Baptistæ regionis Albanorum, quod appellatur Batarum, mensis Augusti die vicesima Indictionis undecimæ, quæ præteriit nos *(ac currebat etiamnum anno Christi 668)* qui revertebamur a regione sæpe dictorum Lazorum. *De* Relatione motionis *sive concertatione Constantinopolitana actum in Commentario* § 4 *: cujus auctorem fuisse Sancti discipulum affirmat noster biographus in Vita apud nos num.* 33. *Concertationis item alterius, quæ Bizyæ habita est (Consule de ea Commentarium nostrum prævium a num. 33) descriptionem idem biographus num. 40 tribuit* Anastasio, de quo supra, *inquit*, memini; *qui proin utriusque monumenti istius secundum Vitæ scriptorem videtur auctor fuisse.* Anastasius *autem iste non fuerit apocrisiarius, cum hunc ei characterem non addat, sed alter synonymus.*

Vita a monacho Rutiensi scripta,

80 *Vita, quam antea nomine monachi Rutiensis indicavimus, prænotatur hoc titulo*, Βίος καὶ μαρτύριον τοῦ πατρὸς ἡμῶν Μαξίμου τοῦ ὁμολογήτου, *excepta, prout additur*, Ex codice Ambros. N. 152, continente Vitas mensis Augusti, scripto ante annos ccu a monacho quodam Laurentio in monasterio Rutiensi, quod est in Calabria, et inde postea advecto MDCVII. *Vitam hanc cum breviorem esse, quam ea Acta, quæ habemus e Ms. Ducis Sabaudiæ paullo post indicanda pluribus, tum ejusdem contextum variis corrosorum foliorum* C *hiatibus interruptum, ac Mediolani pro nobis descriptum fuisse, indicavimus jam pridem in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum* I *Maii pag.* IX. *Ejus exordium Græcum sic incipit :* Καὶ πῶς ἂν τὸν παρὰ τῶν φιλοκάλων μέμψιν ἐγκλίνοιμεν, μὴ τὸν ὁμολογήτην καὶ πολὺν ἐν λόγῳ Μάξιμον τὸν κλεινὸν προτιθέντες εἰς μέσον, καὶ τὰ τοῦ μεγάλου τούτου καὶ ὑπερφυῆ κατὰ τῶν αἱρετικῶν ἀνδραγαθήματα, καὶ δὲ καὶ τὸν ἄθλησιν αὐτὴν διηγούμενοι; *Quæ Latine ita interpretamur* : Enimvero quomodo accusationis maculam declinare possimus apud viros honestatis studiosos, si confessorem, qui multorum celebratur sermone, Maximum inclytum non proferamus in medium, atque insignia ac mascula magni hujus Viri adversus hæreticos gesta, imo vero certamen ipsum non commemoremus?

ac Compendium Cæsareo-Vindobonense.

81 *Aliud apographum in promptu habemus hoc titulo notatum* : Μηνὶ Αὐγούστῳ ιγ'. Ἄθλησις ἐν ἐπιτόμῳ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Μαξίμου τοῦ ὁμολογήτου. *Id est* : Mense Augusto decima tertia. Compendium certaminis sancti patris nostri Maximi confessoris. *Narrationis exordium est* : Ὁ ὅσιος καὶ τρισμακάριστος πατὴρ ἡμῶν Μάξιμος ὁ ὁμολογήτης ἦν ἐπὶ βασιλείας Κώνσταντος υἱοῦ Κωνσταντίνου. Sanctus ac ter beatissimus pater noster Maximus confessor vixit imperante Constante, Constantini filio. *Com-* D *pendium illud aliquoties antea citavimus, et desumptum est e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quo plura tomo* II *hujus mensis, die* VIII, *pag.* 344. *Auctor dicti Compendii postquam meminisset de urbe Romana, nec non de Honorio ejusdem episcopo, labem hæreseos ei impingit, dicens* Ὅτι Ὀνώριος αἱρετικὸς ὑπῆρχεν. *Notissima theologis est causa Honorii PP.; sed cum apud illos atque apud auctoritatis Sanctæ Sedis defensores ea legi possit, satis nobis hic fuerit lectorem ad ipsos mittere. Franciscus Pagius in Breviario Romanorum Pontificum tom.* I *a pag.* 398 *hanc controversiam pertractat; ubi lector inveniet, quod dictus Honorius a monothelismo fuerit immunis ac a Monothelitis deceptus; quod item monothelismum non exstinxerit; quod negligens fuerit in causa fidei; quod œconomia ejus Monothelitis faverit; quod hanc ob causam, non vero ob hæresim a sexta synodo damnatus sit. Ad hæc, postquam laudatus auctor duas Honorii epistolas examinasset, nimiæ levitatis ac facilitatis eum accusat. Denique ex eo, quod idem Pontifex consecravit patriarcham Monothelitis adversantem, Pagius idem ita concludit* : Cum E itaque Honorius non ante consecraverit Joannem Maronem patriarcham Maronitarum, quam hic professionem fidei emiserit, in qua non solum duas naturas, sed etiam duas voluntates in Christo fassus est; nihil clarius adduci potest ad probandam Honorii orthodoxiam et rectam fidem. *Paucula hæc assignasse, pro nostri instituti ratione plus quam satis.*

Quænam Baronius de S. Maximo

82 *Baronius tomo 8 suorum Annalium inseruit res gestas* S. Maximi *easque protulit ab anno Christi* 610 *ad* 657, *quæ habentur, inquit ad dictum annum* 640, ad calcem operum ejus Græce scriptæ in tribus codicibus Vaticanis. Vertit eas in Latinum vir eruditus æque ac pius Petrus Morinus doctor Parisiensis. *Ad annum vero* 656, *ubi agens idem Annalium conditor de legatione ad* S. Maximum *Bizyæ in Thracia civitatis exulem existentem, occasione eorum quæ in ista legatione sunt gesta, sic habet :* Quorum Actorum duo fragmenta cum recitata reperissemus in quarta Actione septimæ synodi œcumenicæ, ingens exarsit animo desiderium ipsa Acta integra F perquirendi, Sed visis scriptis Maximi, quæ in Vaticana bibliotheca asservantur, nec inventis..., accidit ex insperato, ut eadem intexta in Vita ipsius Maximi repererimus. *Antequam vero ex eorumdem contextu res a* S. Maximo *in isto exsilio peractas referat; de illorum fide ac scriptore ista præmittit :* Accipe igitur jam eadem ipsa digna Annalibus Acta quam fidelissime ab exceptore exscripta, et ab Anastasio Maximi discipulo una cum aliis rebus gestis ejusdem Sancti simul collecta : quod et Joannes episcopus Ephesinus pariter profitetur, nempe res gestas ipsius ab eodem ipso Anastasio esse scriptis mandatas quam fidelissime. *Sic Baronius.*

intexuerit Annalibus suis

83 *Ex auctoris Vitæ ad* S. Maximum *apostrophe, quæ exstat apud Baronium ad annum* 657 *his verbis*: Verum tibi quidem, sanctissime Pater, magna præsentium gloria et splendor est, cum te etiam Dominus plus hic honorificaverit : multo vero major est longeque præstantissima tibi illa tributa sors, cælestes illi honores, cum magnæ luci assistis *etc.*; *ex illa item oratione, quæ ibidem sequitur, quæque, teste Baronio*, non nisi in uno volumine (cum sint tres Vaticani codices, in quibus eadem S. Maximi et Sociorum Acta

A Acta continentur) scripta reperitur, addita, ut videri potest, a notario, qui in gratiam cujusdam episcopi, Nicolai nomine, ejusdem sancti Maximi studiosissimi, eadem Acta conscripsit. Sic enim se habet : Hæc a nobis tibi oratio, o Patrum optime et filiorum amantissime, rebus ipsis (ut et ipse novi) omnino inferior, desiderio autem, ut puto, nemini cedens etc.; *ex illa, inquam, utraque oratione, si cum Vita nostra num.* 55 *et sequente eam contuleris, eosdem utroque loco relucere deprehendes narrationis characteres adeo inter se convenientes, ut ab eadem manu exemplari utrique operam esse navatam, vel ex hoc solo indicio fiat manifestum. Quisnam vero fuerit iste antistes Nicolaus, quo item is tempore vixerit, incompertum est defectu ulteriorum idiotismorum; quorum, siquidem fuissent superadditi sufficienter, adminiculo potuisset aliunde erui aliquid de tempore, quo Sancti Acta litteris mandata sunt.*

Vita Græco-Latine a Combefisio edita est :

84 *Vitam* S. Maximi *Græco-Latine vulgavit Combefisius tomo* I *Operum ejusdem Sancti a se editorum : in quorum præfatione* Vita, *ait,* seu B laudatio diu ab ejus obitu, nec satis acri judicio aut ex probatis monumentis *scripta. Postea vero inter alia, quæ pag* XCVII *circa illam observat, hæc memoriæ prodit laudatus editor :* Sancti Maximi Vitam post ejus lacinias illustrissimo Annalium Patri anno Christi DCXL et sequentibus ex Petri Morini versione ac Vaticanis Codd. jam productas, integram ex regio codice repræsentans, operæ pretium me facturum putavi, si... pauca quædam ad eam annotavero, exceptis illis, quæ ad eam spectantia, ad ejus ambas Collationes seu Auditiones strictim ad marginem sunt animadversa, seu etiam notis ad eas plenioribus discussa. Nec enim illius satis exacta omnia, ac quibus integra omnino fides debeatur nullo ampliori examine, ut ex dictis Collationibus seu Actis publicis luce clarius liquet. *Subdit deinde suas ad Vitam observationes; quarum a nobis in hoc Commentario ratio habita est.*

exemplar nostrum Sabaudicum : damus illud prælo

85 *Ante me habeo exemplar ejusdem Vitæ Græcum* Ex Ms. codice, *prout eidem prænotatur,* Ducis Sabaudiæ, Βίοι διαφόρων Ἁγίων. Vitæ variorum Sanctorum, *hoc titulo :* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Μαξίμου. *Id est :* Vita et C conversatio sancti patris nostri et confessoris Maximi. *Aliud insuper exemplar in promptu est Latine redditum hoc titulo :* Vita et certamen S. Maximi confessoris, sive S. Maximi encomium. *Eam Vitam latinitate donatam esse* interprete Jacobo Pontano S. J., *proxime in eodem exemplari indicatur. Non lego quidem ibi, quonam e codice vel exemplari laudatus interpres versionem suam hauserit; sed e qualicumque illam hauserit, non multum refert, quando in Pontani interpretatione habemus substantiam earumdem rerum, quæ in exemplari Combefisiano ac Sabaudico memorantur, quidquid sit de accidentibus.* Misit *illud ad nos* anno MDCLXVII P. Gabriel Cossart ex scriptis P. Sirmondi eidem ab interprete missis, *teste Daniele Papebrochio, qui ista adscripsit. Interpres porro eruditis abunde notus, qui utpote doctus Latine ac Græce non pauca præstitæ in utriusque linguæ facultate operæ monumenta reliquit, prout videre datur in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu. Natione fuit Bohemus, patria Bruggensis sive Pontanus, sed in Germania educatus. Ibidem et viri laudes invenies, vita functi Augustæ Vindelicorum die* XXV *Novembris anno Christi* 1626, *ætatis* 84, *Religionis* 63, *prout ibidem dicitur.*

AUCTORE J. P. quod Pontanus Latinum fecit,

86 *Latinam ejus versionem typis committere nobis visum est præ Combefisiana, tum quia needum, quantum novimus, alicubi edita est, tum quia nobis magis arridet. Et vero an non sit melior minusque contorta quam Combefisiana, lectori judicandum relinquimus utramque collaturo, si visum fuerit. Exhibeamus interim specimen aliquod utriusque versionis. Combefisius sic incipit Vitam :* Cum omnium, qui religiosa umquam pietate fulserunt, vita utilis sit ac conducibilis (quæ nimirum ad virtutem adhortatio sit, bonique ac honesti æmulatione animos acuat) tum maxime divini viri ac confessoris Maximi quanto major cunctisque illustrior est, tanto etiam ad conciliandam animis fortitudinem plus valet, et ad juvandum universis excellentior est. Fuit enim Maximus nedum eximio vitæ cultu ornatus, sed et gratus facilisque eloquio, certaminis quoque gloria strenuus, ac omnem vincens comparationem; cujus et solum meminisse, multam afferre novit voluptatem, nec minimum religiosis animis virtutis amorem atque illecebram injicit. Quamobrem suscepta nobis impræsentiarum oratio, quæ ejus res ac virtutes sit enarratura, velit illa quidem pluris- E que faciat, ut singula ejus gestorum in medium adducat ac repræsentet, ut et ipsa horum memoria dulcior efficiatur et magnam auditoribus gratiam reponat; at non potest vel cuncta simul complecti vel etiam iis, quæ complectatur, debita laude defungi, quod vel minima admirandi Viri opera ac facinora majora sint, quam ut ulla sermonis vi ea liceat assequi.

Interpretatione illius nobis magis arridente quam Combefisiana.

87 *Hæc Combefisius ; Pontanus vero ea sic Latine reddidit :* Cum omnium eorum vita, qui divinis legibus convenienter eam instituerunt, utilis et fructuosa est, utpote ad virtutem incitans et ad recti cultum exacuens; tum vero S. Maximi confessoris quanto præclarior, et omnimodis insignior, tanto etiam ad excitandam fortitudinem efficacior, et ad conciliandam animis utilitatem omnium præsentissima invenitur. Etenim Vir ille non solum cum admirabili sanctimonia vixit; sed insuper oratione suavis, et certaminis generositate incomparabilis fuit : cujus vel sola memoria non mediocrem parit voluptatem, et amantibus Deum amorem virtutis inserit. Quamobrem et nos in præsentia de illius laudibus verba facturi, cupimus quidem et magni ducimus, singulas res ab eo F gestas in medium adducere et explanare, ut et eorum commemoratione jucundior fiat oratio, et ingens audientium expectatio expleatur : non videmus tamen, quomodo aut omnia simul complectamur, aut quæ complexi sumus, debitis laudibus celebremus (debitis, inquam, illi, qui præstantia sua omnem dicendi vim superat) et minima etiam ab illo singulari Viro perpetrata consequamur. *Ita Pontanus, quem si lector conferat cum Combefisio, inveniet magnum in rebus iisdem Latine exprimendis discrimen : Latine, inquam, exprimendis : uter enim proximius assecutus sit sensum genuinum biographi, pluribus otiose inquirere supersedemus.*

Quasnam sint præstita in editione nostra.

88 *Ceterum exemplar, quod typis committimus, hic et illic a mendis, vitio amanuensis forte in illud intrusis, expurgabimus; nec negligemus etiam consulere exempla alia duo, quæ diximus, Combefisianum videlicet et Sabaudicum, ut fiat perspicuum ex Annotatis cum ad textus marginem, tum ad ejusdem capita, in quæ more nostro eumdem partiti sumus. Quando autem nonnulla occurrent in narrationis serie hisce signis* [ ] *inclusa, memineris, ea desumpta esse e textu* Græco

AUCTORE J. P.

Græco Combefisii ac Ducis Sabaudiæ; nisi aliud indicavero. Atque hæc quidem sunt, de quibus præmonere lectorem voluimus. Reliquum itaque nunc est, ut ipsa subjiciamus.

ACTA

Ab auctore Anonymo conscripta,

Latine reddita a R. P. Jacobo Pontano Societatis Jesu.

PROLOGUS AUCTORIS.

Rerum narrandarum magnitudini

Cum omnium eorum vita, qui divinis legibus convenienter eam instituerunt, utilis et fructuosa est, utpote ad virtutem incitans, et ad recti cultum exacuens, tum vero S. Maximi *a* confessoris quanto præclarior, et omnimodis insignior, tanto etiam ad excitandam fortitudinem efficacior et ad conciliandam animis utilitatem omnium præsentissima invenitur. Etenim vir ille non solum cum admirabili sanctimonia vixit; sed insuper oratione suavis, et certaminis generositate incomparabilis fuit: cujus vel sola memoria non mediocrem parit voluptatem, et amantibus Deum amorem virtutis inserit. Quamobrem et nos in præsentia de illius laudibus verba facturi cupimus quidem et magni ducimus, singulas res ab eo gestas in medium adducere et explanare, ut et earum commemoratione jucundior fiat oratio, et ingens audientium exspectatio expleatur: non videmus tamen, quomodo aut omnia simul complectamur; aut quæ complexi sumus, debitis laudibus celebremus (debitis, inquam, illi, qui præstantia sua omnem dicendi vim superat) et minima etiam ab illo singulari Viro perpetrata consequamur.

B

imparem se fatetur auctor.

2 Quocirca tamquam facile et expeditum non sit, verbis universa percensere, si ego quoque non sine ratione quædam prætermisero, puto me idcirco in crimine non futurum: quando nec alius quisquam [quantum quidem scimus] ante nos ad omnia illius pertractanda descendit, quod nimirum opus et conatu et effectu difficile deprehenderet. Ne autem amplius tam eximium argumentum prorsus præterire videamur, et neque totum persequamur (quod minime possumus) neque totum relinquamus (quod damnosum fore et culpa non carere opinor) necessario aggrediar ad dicendum, quamvis me indisertissime, longeque infra rerum dignitatem dictorum non ignorem. Hoc enim modo et quantum in nobis est præstabimus, et vobis, quod debemus, persolvemus, orationem scilicet de illo, si quidquam aliud, nulla admissa excusatione flagitantibus. Quod si et alia quædam eo tempore gesta interjecerimus, ne hoc quidem prorsus instituto alienum erit, neque temporibus illis non consentaneum, quibus, ut nostis, validæ contra veritatem tempestates commotæ sunt. Cæterum paulo altius de Sancto prius, ut poterimus, narrationem ordiemur, cujus causa dicere ingressi sumus.

ANNOTATA.

a *De Sancti nomine, rebus ab ipso gestis conveniente, agit Commentarius prævius num.* 1.

CAPUT I.

Natales, educatio, litterarum studia, vita aulica et monastica, discessus propter Monothelitas.

Nascitur CPoli, nobilissimos parentes nactus ac egregiam indolem:

Patriam quidem habuit principem urbium, magnam Constantini civitatem, quæ et vulgo nova Roma nominatur: parentes autem avita nobilitate et mundana claritate paucis secundos, qui pietate, virtutis amore et consuetudine nihil ducebant antiquius, ut inde magis, quam spleudore familiæ illustrarentur. Qui et hoc Beato in lucem edito *a*, a et in prima infantia salutari fonte abluto, ut jam tum purgaretur, et nihil eorum, quæ pueris in voluptatibus sunt, ageret, neque parvulorum ludicris istis mentem occuparet, ne simplex adhuc et tenera natura ad remissionem et morum mollitiem E traheretur, durioribus et virilibus Generosum illum conformantes, summam ei ad honestas actiones propensionem ingenerarunt, et, ut toto pectore ad virtutem incumberet, effecerunt. Quin et ipse cum naturam habilem et idoneam sortitus, tum istiusmodi educationem adeptus, etiam adhuc ætate imbecillus, in se ipso virtutis indicia, tamquam umbras quasdam et lineas, non obscuras futuræ præstantiæ imagines at significationes habebat. Cujus, virtutis inquam, typos et characteres, cum anni venientes indicium augerent ac stabilirent, ratioque et cogitatio ipsius et omnia simul ad meliora et perfectiora tenderent, consummabat.

liberalium artium studiis,

4 Postquam autem omnis doctrinæ liberalis satagens, ut par fuit ad magistros itare cœpit quid ego dicam, quantam brevi sibi scientiam comparârit? Grammaticam, et reliquum orbem disciplinarum summa sedulitate excoluit. In arte oratoria ad fastigium supremum pervenit. Ad philosophicas auditiones tantum industriæ attulit, ut illum nemo vel aliquousque assequeretur. Ingenii namque bonitatem pari studio ac diligentia cumulans, in omni genere litterarum satis superque ex- F cellebat, quibus cum singulis uteretur, non modicum aliquando ad meliora subsidium inde capiebat. Explicationes autem philosophicas ardentius et consectabatur et amabat, cæterisque anteponebat omnibus. Quia enim sciebat cognitionem et scientiam rerum philosophia contineri, eamque in contemplatione et actione positam, de natura et mundo, et omnino de quibusvis aliis disputantem; ob id etiam plus laboris in eam conferebat, ac de ea dies et noctes cogitabat. Non tamen indiscriminatim, nec inconsiderate: sed partem sophisticam, et quantum fallaciis captionibusque inhæret, repellens et abjiciens; circa doctrinam vero et decreta, aliasque ratione et ordine institutas notitias, et probationes versantem admittens et complectens.

præsertim philosophicis, mirifice excellit.

5 Quid enim ad eum fallax propositio, et syllogismorum spuriorum contextus, et conclusiones hujusmodi, et quibus demum aliis vera sapientia contaminatur (Longe abest, ut hæc de ipso dixerim) aut quidnam tale umquam meditatus est, aut aliquid tandem ab aliis perperam factorum æquo animo sustinuit, et vel parum [eo mentem] inclinavit? Quare omnibus admirationi

A ni erat; adeo doctrina, adeo virtute, adeo insuper moderatione et humilitate instructus, ut eum res nulla ad arrogantiam extolleret, nec opinione sui inflaret; non amplitudo generis, non excellentes in omni eruditione progressus, non virtutis celsitudo, nec aliud præterea ex rebus omnibus; sed modestiæ tantopere se addixerat; ut in hac sola et vitæ sanctitudinem et honores omnes collocaret, plurisque faceret, quam siquis ei, quidquid est inter homines gloriæ, simul donaret.

In aula Heraclii imp. gratiosissime versatus

6 Porro Admirandus iste sic ætatem suam transiens, quamquam multa conaretur quotidie, quo vanam gloriam effugeret, et vitæ hujus varietatibus non implicaretur (quibus esse proximum magnum ad virtutem impedimentum existimabat) efficere tamen non poterat, ut lateret, et ad alios communis utilitas non permanaret. Etsi autem ipse talia moliretur et ageret, nihilominus vel contra voluntatem
b arripitur, Heraclio *b* per id tempus imperatore ad regiam benevolentissime eum accersente, et eorum,
c qui erant a commentariis *c* regiis principem instituente. Quo item, utpote tali, et in tanta familia
B nato, in omnibus, quæ sub manu habebat, negotiis utebatur, et in rebus pulcherrimis ministrum adjutoremque adhibebat. Erat enim ad cognoscendum intelligentissimus, et in dando consilio longe dexterrimus, atque ad dictionem commodam et extemporaneam promptissimus: cujus congressu et imperator ipse, et optimates ejus mirifice delectabantur, et eum in oculis ferre numquam desinebant.

monasticam vitam amplectitur,

7 Ille vero hæc, celebritatem puta et pecunias et honorem, et quæcumque cum inani ambitione permista sunt, præ philosophia parvi pendens, novitates item in fidem invehi cernens, quando Monothelitarum secta Ecclesiam vehementer labe-
d factaret *d*, [omnia relinquit, animi utique coinquinationem arbitratus, in hujusmodi rebus versari; atque ad vitam solitariam, quietis enim desiderio jam pridem tenebatur] serio accedit in monasterium nempe, quod in adverso littore apud
e Chrysopolim *e* situm est, seseque in spirituali philosophia ibidem per id tempus florenti contradit, detondetur, et e pilis contexta veste induitur; qua contineuter corpus macerat; nec inediæ tantum cæterisque afflictationibus sese dat, verum etiam stationi per totas noctes, et precationibus longis
C incumbens, inde animum sustollit, et a rebus fluxis et caducis abstractum, ante ejus a corpore discessum vinculis illis exsolvit. Nam, qui antea quoque perfectioris vitæ certaminibus et laboribus se assuefecerat, et ex philosophia vixerat; is, postquam se illis consecravit, vix aliud quippiam aut malebat, aut actitabat; et cum item non paucos haberet in Religioso instituto commilitones, omnes
f superavit, et supra omnes auctoritatem *f* mirabiliter est adeptus: qui virtute ejus adeo inferiores fuerunt, ut [communi] consensu internuntios mitterent, et ut sibi præesse, præfecturamque inire vellet
g (nuper enim præfectum *g* amiserant) cum precibus rogarent.

et ad monasterii præfecturam promovetur,

8 Ipse autem principio tamquam grave onus repellens, petitionem constanti animo rejiciebat, nec sermonibus eorum mollescens, nec obsecrationibus quidquam cedens. Ubi porro acrius instare, et vim intentare vidit, ægre manus dat, et præfecturam
h capessit *h*, non præfecturam seu imperium magis, quam ministerium reddendæ rationi obnoxium se capessere arbitratus; unde quis attonitus potius, et omni ex parte sollicitudinum plenus reddatur, dum non se ipsum tantummodo inspicit, et quo pacto extra omnem culpam ipse vivat, meditatur; sed etiam quomodo subditi utiliter vitam suam instituant, et via meliore gradiantur. Dispiciebat enim secum, per se cum virtute rationem habentibus fas omnino esse aut majora aut minora ad agendum pro arbitrio deligere: quibus etiam non eximias actiones suscipientibus parata est venia; ei autem, cui aliorum commissa est gubernatio, si vel paululum de diligentia remittat, periculum imminere; nec ipsi solum, sed iis, quos gubernat pariter, cum ipsum non tantum oporteat esse probissimum, sed insuper ad virtutem semper addere, si exemplo suo etiam subjectos ad meliora adducturus est, vitam illius quasi archetypum intuentes, et inde sive ad virtutem, sive in contrarium, ad vitium scilicet, deflectentes.

quo munere egregie fungitur:

9 Hæc divinus Maximus perpendens, cruciabatur, et in magna alioqui corporis macie contabescens, cura discipulorum angebatur. Atque idcirco non desinebat nunc simul omnes, nunc seorsim singulos, et nunc verbis mansuetioribus nunc acrioribus ad perfectionem cohortari, et modo æquabili sermone citra ullam asperitatem eos erudire, modo austero et tristi idem præstare, ut quemlibet vel habitu vel ingenio affectum E animadvertebat. Ac ipse quidem sic se erga suos gerebat, talique animo præfecturæ hujus munus obibat.

sed a suis discedit, ut Monothelitis se opponat.

10 Ast ubi vidit, quod supra diximus, Monothelitarum hæresim tum longius longiusque propagari, et ab antesignanis impietatis quotidie amplificari, gemitibus et acerbissimo luctui se dedidit, majorem in modum etiam sceleris affines miseratus. Cæterum quid ageret ipse, non videbat, cum malum immense pateret, ac propemodum Orientem et Occidentem totum occupasset *i*. Unde i in tantis difficultatibus hoc tantum et sibi et communibus rebus conducibile invenit; quoniam k *k* enim Romam veterem ab hoc detestabili dogmate puram noverat, similiterque Ecclesias Africanas, et cum insulis circumjacentibus loca alia, his terris relictis eo discessit, ut veritati una patrocinaretur, et cum orthodoxis illic versaretur, non præter rationem, nec citra laborem ac molestiam tanto itinere confecto, quandoquidem omnia præclaro huic studio postponebat. Cujus profectionis forsitan et monachi, quos regebat, illi suasores fuerunt: quorum disjunctionem etsi gravem et intolerabilem judicaret, aliud tamen, F quam quod consulebatur, facere nequibat, cum tempora urgerent et abeundi opportunitatem offerrent. Verumenimvero dum præcurrimus, media præterivimus; initium videlicet hujus nefariæ et abominandæ opinionis, quæ Ecclesiam tantopere perturbavit, multosque ad similem lapsum adegit. Itaque pauca super hoc necessario ubi dixerimus, reliquum argumenti deinceps persequemur.

ANNOTATA.

a *Anno circiter* 580. *Vide Commentarium prævium num. 2 et alibi per decursum.*

b *Non* Constantino Pogonato, *ubi ibidem diximus num. 2 et 3.*

c *Vide ibidem præmissa num. 5.*

d *Cur Sanctus monasticam vitam sit amplexus, ibidem invenies num. 7.*

e *De hoc loco Commentarius noster num.* 11.

f *Malim dicere ex Græco Combefis. et Sabaud.* Et vero supra omnes mirifice primas tulit.

g *De isto præfecto disserit Commentarius noster* § 2.

A. ANONYMO. *ster* § 2.

h *Quæ huc spectant, ibidem notata sunt.*

i *Nimium dicit biographus, et castigatur num.* 15.

k *Quare hoc iter sit susceptum, ibidem reperies.*

CAPUT II.

Sanctus contra hæresim Monothelitarum egregie promovet veritatem Catholicam in Africa.

Monothelitarum hæresis sub Heraclio imperatore:

Heraclio imperatore *a*, et Sergio *b* pontifice Constantinopolitano, primum *c* quidem Heraclius ipse, et quidquid erat ministrorum ejus, omnes item magistratus, et honoribus fungentes, ab orthodoxa fide stabant, duasque in Christo naturas et actiones seu operationes et voluntates con- B fitebantur et prædicabant. Ast ubi is (pro dolor!) post multa de hostibus trophæa, et illam inclytam in Persis debellandis *d* virtutem, a dogmate sano deflexit, simul etiam ecclesiæ deflectere cœperunt, non modica etiam populi parte in contrarium conversa. Causa autem mutationis imperatori fuit Athanasius ille Jacobitarum patriarcha (ut quidem vocabatur) *e* homo impostor, et ad veritatem permiscendam ac turbandam omnium peritissimus. Is ad Heraclium Hierapoli in Syria commorantem adivit *f*, eique subdole ac maligne se insinuans, fictis affectionibus virum ita inescavit, ut Chalcedonensem quoque synodum, duas in Christo naturas hypostatice unitas docentem, ejus hortatu, Heraclii inquam, reciperet. Cupiebat siquidem Heraclius, ut res ipsa declarabat, cum ipsum Athanasium (cui et Antiochenam sedem pollicebatur) tum alios præterea, quoscumque dissentientes videbat, cum illa synodo conjungere; etsi stultitia et levitate animi, præterquam quod neminem eo adduxit, sibi ipsi pravi dogmatis opinionem affricuit.

quam varii episcopi.

C 12 Hunc igitur Athanasius cum variis modis, ut dictum est, totum suum fecisset, nomihil de duabus operationibus, et voluntatibus duarum naturarum fluctuantem reddidit. Inde persuadet, sententiam suam ad Sergium Constantinopolitanum referri: Cyrum quoque illum Phasidis episcopum accersendum: nam et illum se auditurum affirmat, quid de hoc sentiendum sit; et quod his placuerit, sibi quoque placiturum. Sciebat enim homo perversus, eos unam operationem, unamque voluntatem statuere. Postquam ergo Heraclius Cyrum quidem ad se accersivit, patriarchæ autem, quid visum est, per litteras exposuit, invenitque ambos doctrinam de una voluntate æqualiter foventes, et in eodem sensu citra dubitationem congruentes; mox contrariarum partium totus fit, et, ut verius dicam, ἀθέλητον (id est nullam in Christo voluntatem) quam μονοθέλητον (id est unam, seu unicam) potius inesse credit.

ejusdem primipili,

13 Quapropter absque mora etiam ad primam Sedem Romanam importatum dogma perscribit, quasi scelus se facturum putans, nisi et alios, ubicumque terrarum essent, suo fermento imbueret, et pestilentem hæresim communicaret. Verum divinus hic Vir molitionem illius apertam fraudem ratus, et mala atque improba opinione offensus, non modo contradicentibus scriptis, et potentibus D refutationibus occurrebat, et quæ asserebantur evertebat; sed execrabatur quoque qui illa sentirent ac propugnarent. Porro apud Heraclium nihil proficiebat, qui non externam dumtaxat, sed intimam nequitiam in pectus admiserat. Properavit enim et Alexandrinam ecclesiam hac peste paulo post implere, Cyro ejusdem sententiæ socio eodem ad episcopatum *g* gerendum transmisso, ut et ipsa Alexandria eadem probans, eodem exitio periret. Deinde et Cyrus cum Theodoro Pharanitarum episcopo, qui æque Monothelitas pertinaciter sequebatur, congressus, cum eo unionem conficit ὑδροβαφῆ (aqua tinctam *h*, sic enim appellata est) qua voce significari opinor evanidam et aqueam tincturam, et tamquam commistam, et quam discernere nequeas, et neutrum colorem pure conservantem, ut istis, utrovis modo veliut, turbare, confundere et permiscere invectam ab ipsis operationem liceat, eamque nec simplicem, nec duplicem, nec neutram (quod dictu verum est) aut intelligi aut nominari.

pessimis artibus stabilire

14 Ac isti quidem suum sensum deceptis à se persuaserunt, unamque operationem, et unam volun- E tatem naturalem decernentes, occasionem Jacobitis *i* et Theodosianis *k* dederunt, contra fidem nostram gloriandi, synodumque Chalcedonensem *l* risu et convitii explodendi. Qui et maligna mente jactarunt, ipsum Chalcedonense concilium eorum sententiæ suffragari, unamque naturam statuere: id liquere ex eo quod unam operationem asserat. Quod numquam fecisset, aiunt, nisi veram rationem seu veritatem reverita fuisset, perfectiusque rem comprehendisset. Quoniam autem per id tempus Sophronius *m* Hierosolymitanæ ecclesiæ præsidebat, vir pietate ac virtute illustris, aggregati ad eum omnes orthodoxi episcopi, cum eo in crimen vocant et anathema contorquent in illos, qui unam in Christo naturalem operationem, unamque tantummodo voluntatem profiterentur; commendantes et laudibus ornantes, qui cum duabus naturis duplicem quoque operationem ac voluntatem confiterentur atque defenderent.

ac propagare,

15 Volens autem sanctus hic Vir amplius doctrinam hanc declarare, particulatim de ea disserit, et dissertationem suam *n* ad Joannem *o* Romæ, et Sergium Constantinopolis, et Cyrum Alexandriæ F episcopos mittit; hos quidem damnans, et flocci faciens; illum contra, Joannem inquam, ut decebat, celebrans, et sexcentis laudibus efferens. Quod cum et ad stupidi illius Heraclii aures pervenisset, in metum et angorem delapsus, varia secum reputat, et animum huc illuc versat, nec habet quomodo tandem recens fabricatum dogma immutet, misera *p* fortasse et deæstuata *q* mutatione, et subita in alteram partem transitione erubescens. Itaque ab utrisque, a duas scilicet et unam operationem asserentibus, se abrumpit, hoc etiam detestando Sergio suadente, ut, qui eum ad omnia facilem et tractabilem nosset, timeretque, ne tandem ab ipsorum tribu avulsum cerneret, et idcirco Imperatorem pro arbitratu stulte agere pateretur. Hic * ergo Heraclius, tamquam lucro insperato gavisus, scriptis litteris et edicto *r*, quod vocatur, absurditatem stabilit.

** Combef. et Saband. Εἶπέν τοι. Hinc.*

Concilio Chalcedonensi ac veritate Catholica explosis,

16 Quod ubi perscriptum Severiani *s* comperererunt, non solum domi, et apud se, verum etiam in cauponis et balneis scommata jacientes, impudenti ore ista garriebant: Antea nestorizantes Chalcedonitæ (sic enim nos appellabant, quamvis Nestorii opinionem aspernatos, ad sanam mentem

A mentem redierunt, et male sapere desierunt, conjuncti nobiscum per unam operationem in unam Christi naturam. At nunc damnato, quod bene habebat, utrumque perdiderunt, neque unam, neque duas in Christo naturas confitentes. Dabatur itaque tum videre confusionem et turbas in ecclesiis, quando et pastores et populi, et principes, et subjecti desipiebant, nec erat intelligens, nec qui exquireret Dominum. Quis enim, quæso, multitudinem ad salutaria induceret, Præpositis hunc in modum affectis, Imperatoribusque, et episcopis pro eo, ut alias, leges ferrent, et decreta conderent, impietatem sancientibus, omnesque ad obedientiam compellentibus; et integram * Ecclesiæ tunicam in frusta discindentibus, et lædendi *t* ansam præbentibus res nostras instar Momi *u* irridentibus et criminantibus?

* Comb. et Sabaud. ἄτμητον inscissam.

t u contendunt.

17 Ceterum breve tempus intercessit, cum Sergius, perversæ doctrinæ seminator, multiplex hydra, de vita exivit, tota ultionis fæce illic (in altero seculo inquam) recondita. In ejus throno Heraclius Pyrrhum *x* collocavit, qui et ipse adversæ factionis et opinionis erat, et eadem cum decessore asserebat. Postquam autem non B multo post et ipse Heraclius diem ultimum explevit *y*, Constantinus ejus filius sceptra capessit, quem Pyrrhus propter morum stoliditatem, Martina illa muliere improba et ad malefaciendum exercitatissima, adjuvante, ubi veneno sustulit *z*, filium ejus Heraclonam * nomine, successorem fecit, præclarum scilicet facinus, et mansuetudine sua dignum episcopus designans. Verum Heraclonam senatus exosus, celeriter imperio spoliavit, simulque et impium Pyrrhum, et Augustam moribus consortem profligavit *aa*. Tunc itaque generosus ille has pœnas dedit, throno et urbe pulsus, quod iniquam necem esset machinatus. Imperium postea init Constans *bb*, interfecti Constantini filius, qui Paulum Byzantii episcopum *cc*, et ipsum illi dogmati Monothelitarum improbabi li nonnihil *dd* faventem delegit.

* al. Heracleonas. et Heraclius dicitur.

18 Sed jam ad res Maximi, quod argumentum institueramus, nobis redeundum est, quamvis ad alios narrationem converterimus, quorum nimirum nos necessario mentionem facturos, initio promisimus. Postquam ergo Vir sanctus propter *ee* improbam opinionem Constantinopoli serpentem C Romam proficisci constituit, ut supra docuimus, primum in transitu cum Africanis episcopis in colloquium venit, quos expositis rationibus, et argumentis, et lingua divina in fide corroboravit, et quo pacto adversariorum petitiones sermonesque sophisticos minore negotio effugerent, docuit et instituit. Non enim ignorabat Vir prudentissimus, multam dexteritatem, experientiam, et disputandi solertiam requiri ad feriendos adversarios, eorumque erectas contra veram notitiam cervices deprimendas. Quare modis omnibus illos acuebat et instruebat, sermonibus suis tamquam athletas ad strenue decertandum ungebat, et generosiori spiritu implebat. Quamvis enim throno seu dignitate episcopali antecellerent, sapientia nihilominus et intelligentia cum eo comparandi non erant; ut de reliqua ipsius virtute et gloria in rebus omnibus nihil dicam. Hinc et verbis ejus cedebant, admonitionibusque et consiliis citra repugnantiam obsequebantur.

Contra impium hoc dogma agit S. Maximus

19 Cernebant quippe in eo vitam sublimem, planeque singularem, orationem autem uberem et copiosam, nec guttatim, sed toto flumine permanantem; prudentiam vero et cæterum animi statum cum nullo conferendum. Quam ob causam non solum quidquid erat sacerdotum et episcoporum; A. ANONYMO sed quicumque item populos ac multitudinem moderabantur, toti ab illo per omnia pendebant, et velut ad magnetem adhærebant: idemque ipsis contingebat, quod ferro in lapide illo contingere vulgo dictitant, aut etiam quod Sirenum *ff* cantibus detentis, de quibus poëtæ fabulantur. Ubi vere hi acceperant, Romanum Pontificem tunc episcoporum conventum indixisse, ut ipsis communiter conspirantibus nefandum dogma exsecrationi et anathemati subjiceret, ad idem faciendum ipsi quoque cohortatione et suasu divini Maximi incitati sunt; non modo qui in Africa, et vicinis insulis, sed et siqui in aliis ibidem erant, ad opus incumbentes et rem tam honestam efficientes: omnes quippe illum doctorem ac ducem, et eorum, quæ agebantur, adjutorem habebant.

cum episcopis Afris: quos inducit ad ejusdem exsecrationem.

ANNOTATA.

a *Imperavit ab anno Christi* 610 *ad* 641.

b *Sedit ab anno* 610 *ad an.* 638, *sicut contra Baronium verosimiliter arbitrati sumus in Historia chronol. Patriarcharum Constantinop. ante tomum* I *Augusti pag.* * 77 *et sequente.*

c *Hæresis quippe Monothelitarum pullulare cœpit anno circiter* 616, *uti notavit Pagius ad istum annum num.* 6 *et verbis* S. Maximi *adversus Pyrrhum, addens Monothelitarum exordium ultra hunc annum differri non posse, tametsi hæc hæresis diversis temporibus eruperit.*

d *De victoriis, quas contra Persas Heraclius retulit anno Christi* 621 *et sequentibus, consuli possunt Baronii Annales.*

e *Athanasium Jacobitarum patriarcham fuisse Antiochiæ, adversus Pagium in Critica ad annum Christi* 629 *num.* 6, *probatur in Historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum ante tomum* IV *Julii nostri pag.* 106.

f *Quæ biographus noster hic memorat a num.* 11 *usque ad num.* 18, *consimilia sunt narrationi Theophanis pag.* 274 *et seq. Sed Pagius ad annum mox citatum confidenter pronuntiat, congressum Pauli Severiani cum Heraclio confusum esse a Theophane cum hoc congressu ejusdem imperatoris cum Athanasio, quem congressum etiam traducit tamquam fabulosum. Sed corrector ille convenitur ac corrigitur ipsemet apud nos in Historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum, quam modo allegabam. Cum autem ipsius argumenta ibidem non oscitanter expensa et refutata sint, superest, ut sua cum Theophani restituatur fides, tum sua maneat integra hic nostro biographo.*

g *Factus est episcopus Alexandrinus et Monothelitarum patronus anno Christi* 630.

h *Est enim* ὕδωρ aqua; βάπτω *autem tingo, uti sat notum est. Theophanes pag* 274 *hac Græca expressione* ὑδροβαφὴ *etiam utitur.*

i Jacobitæ *hæretici a Jacobo dicti, de cujus erroribus Baronius ex Nicephoro agit ad annum* 535.

k *De Theodosianis hæreticis, qui a Theodosio Alexandrino episcopo nomen traxere, consuli potest Baronius ad eumdem annum* 535, *et Historia chronologica Patriarcharum Alexandrinorum apud nos ante tom.* V *mensis Junii pag.* 64 *.

l *Synodus Chalcedonensis anno* 451 *celebrata Chalcedone in Asia minore sub S. Leone Magno PP., et Martiano imperatore adversus Eutychetem abbatem Constantinopolitanum, qui duas Christi naturas in unam confundebat. De ea synodo*

Baronius

A ANONYMO. *Baronius ad dictum annum.*

m *S. Sophronii Hierosolymorum patriarchæ Vitam ex variis collectam dedimus tom. 2 Martii die* XI, *pag.* 65.

n *Certamina ejus adversus Monothelitas habes tomo mox assignato pag.* 69; *de synodi vero ab eo habitæ actis seu litteris, eorumdem errorem condemnantibus, agitur ibidem pag.* 70. *Res gesta refertur a Baronio ad an.* 633; *at Pagius ad annum* 634 *illam differt : cujus rationes videri possunt ad dictum annum.* 633.

o *Imo vero ad Honorium. Consule dicta apud nos tomo supra designato pag.* 70.

p *Suspicor scribendum esse* nupera. *Nam in exemplari Combefisiano pag.* IX, *ac nostro Sabaudico habetur* τὸ ὑπόγυον *(sed scribe* ὑπόγυιον*) quod recens seu nuperum significat.*

q An de vel ex æstu acta? *Nam apud Combefis. pag.* IX, *et in Sabaudico exemplari legitur :* Καὶ τὴν ἀθρόαν πρὸς τὰ ἐναντία μετάθεσιν *quæ in Combefisii editione sic redduntur :* Ac repente in contraria versi consilii *etc.*

r *De famoso hoc edicto seu ecthesi tractat Com-*
B *mentarius prævius num.* 10.

s *Duplex Severi ac Severianorum secta fuit, quarum altera ad seculum* 2 ; *altera ad sextum spectat. De posteriore hic est sermo : ac de Severo illo, qui Eutychianorum errores propagavit, et pertinax concilii Chalcedonensis impugnator exstitit, agunt Theophanes variis locis, Baronius tom.* 6 *ac* 7, *nec non Historia nostra chronologica Patriarcharum Antiochenorum tom.* IV *Julii præfixa, pag.* 91 *et* 100.

t Lætandi *legerim potius : nam in Combefis. et Sabaud. est* ἐφήδεσθαι.

u *Notissimus est in fabulis deus, cujus naturæ esset proprium, nihil ipsum quidem operis edere, sed aliorum deorum opera liberrime carpere : unde ei nomen. Nam* μῶμος *Græce reprehensionem sonat. Vide inter Adagia apud Manutium* τῷ Μώμῳ ἀρέσκειν, *id est,* Momo satisfacere.

x *Verosimiliter ineunte Januario anni* 639, *secundum dicta in Comm. præv. num.* 12.

y *Anno Christi* 644; *de mense ac die videri potest Pagius ad istum annum num.* 2.

z *In porrecto veneno consentit narratio Theophanis pag.* 275. *At Nicephorus patriarcha CP.*
C *in Breviario historico de veneno tacens, Constantinum* diuturno morbo *(*νόσῳ χρονίᾳ*) conflictatum refert pag.* 19 : *ubi alia plura ad præsentem materiem attinentia legi possunt.*

aa *De Pyrrho, Martina ac filio ejus expulsis meminit etiam Theophanes mox citatus; qui pag.* 283 *hæc addit* : Lingua vero Martinæ abscissa, amputatisque Heracleonæ naribus *etc. Nicephorus vero patriarcha CP. In Breviario mox designato discessum Pyrrhi ita narrat pag.* 21, *cum ob tumultum populi in voluntarium exsilium abiisset :* Hæc, *ait,* ubi Pyrrhus comperit, sequenti nocte in templum ingreditur. Ibi sacris omnibus salutatis, ac detracto humerali, et in sacra mensa deposito, Non sacerdotio, inquit, me abdico, sed contumaci populo cedo. Inde furtim egressus *etc.*

bb *Anno Christi* 641, *uti censet Pagius, et patet ex eo, quod Constans imperator Paulum promoverit ad infulas Constantinopolitanas, si vera narrat noster biographus. Promotus enim fuit anno* 641, *sicut statim dicetur.*

cc *Theophanes pag.* 275 *hæc ita narrat :* Constans autem Constantini filius imperium adipiscitur, et Paulus etiam ipse hæreticus in CP, thro- D num subvehitur *anno videlicet* 641 *mense Octobri, sicut videre licet in nostra Historia chronologica Patriarcharum CP. pag.* * 79.

dd *Imo vero subdolum, perfidum ac versipellem hæreticum ; qui primo Monotheliticum virus sub falsæ pacis conservandæ studio occulte promovit, ac postea aperte persecutus est orthodoxos atque ipsum Martinum PP. Consule si lubet eamdem Historiam chronologicam pag.* 79 *et seq.*

ee *Vide dicta in Commentario prævio a num.* 15.

ff *Sirenes, monstra marina, poëtarum fabulis celebrata, superiore sui parte virginis effigiem referebant ; inferiore in piscis caudam desinente, uti notissimum est. Hæ tresnumero fuisse finguntur, quæ dum littus Siculum incolerent, nautas præternavigantes suavitate cantus in naufragium pellexerint. Non incognita etiam est fabula Ulyssis. Vide plura apud mythologos. Hinc patet allusio biographi.*

CAPUT III.

Pyrrhi Monothelitæ confutatio ; acta Romæ pro fide orthodoxa ; Opera conscripta. E

Aliquantum temporis inde abiit, et Joannes Romanus præsul ad Dominum e corpore excessit *a*, cujus thronum Theodorus conscendit, non minus orthodoxiæ, quam præsulatus successor *b*. Interea et Pyrrhus, utpote ab urbe imperatoria pulsus, in Africam venit, et cum divino Maximo sermones habet, suas illi rationes proponens, et ejus vicissim audiens. Qui ambo cum ad interrogationes et contradictiones venissent, quomodo aut Sancti cum probabilitate et veritate in unoquoque problemate solutiones, aut Pyrrhi in singulis, quæ dicebantur, eversionem, et assensum in præsens pro dignitate referam? Hic namque ut quiddam inexpugnabile ac minime solubile, unam esse in Christo voluntatem proponebat, affirmabatque veritatem aliter comprehendi non posse. At ille, quamvis hunc unum secundum hypostasim esse, contra objiceret ; tamen cum secundum binarium naturarum dividebat, F cum quibus convenienter et voluntates dividebat, atque hoc firmissime, et ut contra afferri nihil posset, demonstrabat.

Pyrrhus Monothelita

a

b

21 Et Pyrrhus rursus quidem pro voluntatibus duabus etiam duos volentes inducebat, absurdo absurdum nectens. Sanctus vero istuc ut mire a ratione abhorrens nec consequens rejiciebat et refutabat. Si enim concedatur, inquit, cum voluntatibus etiam volentes introduci (ipsius enim beatæ linguæ verbis utar) prorsus et cum volentibus voluntates, secundum rationi consentaneam antistrophen seu inversionem introducentur et reperietur secundum vos superessentialis vel plusquam bonæ et summæ principis omnium Deitatis, propter unam ejus voluntatem, una etiam hypostasis, juxta Sabellium; propter personas autem tres, etiam totidem voluntates, atque ita tres naturæ secundum Arium. Siquidem juxta Patrum decreta et canones differentia voluntatum, etiam naturarum discrimen affert. Sed cur ego disputationem *c* illam particulatim memorem, cum si vel ex instituto id agerem, vix omnia exequi possem? Tam longa et varia et exquisita est eorum explicatio.

cum eo disputans

c

22 Licet

hæresim ejurat; sed deinde ad vomitum redit.

A 22 Licet igitur ipsum illud volumen *d* a Sancto confectum legentibus ex eo accuratius cognoscere, et Sancti ipsius cum prudentia et ratiocinationibus aptissimis interrogationes et responsiones in omnibus, et Pyrrhi propositiones non cohærentes et refutabiles, imo vero male conclusas, et amentes: qui et penitus desperans, bovem, quod aiunt, in lingua ponit *e*, suamque infantiam damnat: quam etsi multimodis formet et variet, et undique torqueat, non potuit tamen in quopiam eorum, quæ vellet, habere adjutricem. Itaque et veniam factis suis petivit, extemplo dogma suum de una voluntate scripto ejurans, et Romano Pontifici libellum detulit, et ab eo tam libenter, quam dici potest, receptus est. At enim stultus et amentia plenus, quasi nihil in se novi accidisset, Ravennæ denuo priorem opinionem est secutus, et instar canis ad vomitum suum revertit *f*. Quod ubi divino Maximo, ipsique a nobis nominato primæ Sedis episcopo renuntiatum est, in communi conventu sententiam adversus eum pronuntiant *g*, miserumque, ut membrum putridum et omnimodis insanabile, tandem amputant et abjiciunt. B Qui quamquam ita tractatus, ab impudentia tamen et supercilio magis tollendo non desistit, sed impetu arrogantiore in thronum Constantinopolitanum rursus involat *h*, et præmium impietatis episcopatum secundo accipit.

Maximi hortatu Romæ concilium convocatur,

23 Quia *i* vero tum Theodorum quoque Romanum Pontificem ab hominibus demigrare contigit *k*, virum, quod palam est, a multis magnisque laboribus, et pietate celebratum; Martinus ille sanctissimus in ejus sede reponitur, egregiis etiam ipse charismatis præstans, et vitæ sanctimonia clarissimus. Cujus et virtutem amans divinus Maximus, apud eum frequens erat, et in quibus res postulabat, quod debebat cum eo communicabat *l*. Quare etiam auctor illi fuit, uti ad se undequaque orthodoxos convocaret, numerosamque synodum colligeret, ut sub tam multis ac divinis viris sana fides firmiorem et irrefragabilem confessionem nancisceretur; adversariorum autem commentum evidentius insigniusque concideret. Qui quidem ad centum quinquaginta *m* collecti, præsente item sapientissimo Maximo, omnia cum ratione et ope Spiritus sancti fecerunt, omniaque C acta, ut æquum fuit, in commentarios retulerunt, veramque doctrinam vehementer defenderunt, et unusquisque pro se in medium serio consuluit.

in quo Monothelitarum antesignani damnantur. Scriptis libris

24 Et *n* omnes quidem stulti dogmatis magistros sacra detestatione perculerunt, Sergium puta, et Pyrrhum, et Paulum, et Petrum *o*, qui Constantinopoli impie præfuerant; Cyrum item Alexandriæ, et Athanasium Antiochiæ episcopos, et horum administros. Cum his insuper anathemate confodiunt Typum *p*, ut dicebatur, quem nefandus imperator Constantinus (alias Constans) edidit *q*, et sanctæ Ecclesiæ publice proposuit blasphemiis refertum: divinus autem Maximus ad impios confutandos, et pios confirmandos disputationibus et epistolis compositis, a ratione que et e Scriptura sancta deductis probationibus fide nostra demonstrata, veritatem quaquaversum per orbem disseminat, quorum seorsim argumenta cognoscet qui commentarium de iis sive indicem legerit *r*. Porro ex eo tempore continenter Romæ habitans, perinde quasi Byzantio discedens hanc urbem incolere secum statuisset (tametsi ardentiore ejus quodam amore capta diutius eum Africa apud se retinuerat) sed Romam, ut dixi, de cætero diversorium habens, sermone suo multis quotidie ad se ventitantibus proderat, colloquens cum iis de rebus utilibus, et ex libris *n* se studiose compositis ad altissimum altioris vitæ gradum eos provehens, suadensque ut solam virtutem amplecterentur, et ab inferioribus hisce ac perituris sese avellerent, ut a nullo horum, inquam, mens subigi posset, cum per se sursum feratur, et ita, ut ad superna feratur, condita sit. Incredibili enim studio tenebatur ille Deo plenissimus, ut omnes ad virtutem pertraheret, illiusque cupidos et amantes redderet, adeo per se amabilis et desiderabilis, et sui amore irretitum totum ad se transferentis.

asceticis ac dogmaticis

25 Quocirca multos quoque illos et egregios libros conscripsit, viam multifariam simul et feliciter eo perducentem docens, ut nec pusillum spatium intermitteret; nunc de vita et perfectiore disciplina disserens; nunc de moribus et diligentia in coërcendis perturbationibus, et de omnibus cum ratione et consilio faciendis. Rursum alias de dogmatis, et in quibus cognitio reconditur, et quam vix mente humana superiores illi spiritus assequantur, nostrum inde desiderium explorans, et ad diviniora sustollens. E Et nunc quidem de abstinentia a præsentibus, cavendisque sensuum blandimentis agit: nunc de patientia et tolerantia, et de reliqua magnitudine animi in tentationibus, tametsi eæ horribiles et intolerabiles videantur. Jam vero commentarios ejus de sacris precibus, et forma epistolarum conscriptos, atque ad dolorem et compunctionem animæ pertinentes omitto; de charitate autem a Sancto elaboratos, et tamquam brevibus capitibus, quo omnibus gratiores essent, comprehensos, commemorarem, et de iis proferrem aliquid perlibenter, nisi mihi persuaderem, neminem eos ignorare, eorum præsertim quibus virtus et charitas cordi sunt.

vastissimam ac profundissimam

26 Hoc *s* tantum dicam, qui eos et aliquoties perlegerit, et charitatem germanam cognoscet, et odium cujuscumque generis odio habebit, et viam non secundum rationem exultantem compescet, et cupiditatem furentem comprimet, et mentem a concretis et caducis abstrahet, eamque ad cognata *t* evehet, et totum se ad diviniora conformabit. Sed enim ex tempore quidem libellos scribere, et capita admonitionis forma dictare F mirifice, et promptissime poterat. Ad explanandas autem Scripturas, earumque reconditos sensus perspiciendos haud imperitior aut inferior alius quo erat. Immo cujus est occultior illa et mysterii plena Scripturarum consideratio, sensuumque profunda interpretatio? Cujus antiqui simul et novi Testamenti obscuriorum et sublimiorum et minime obviorum declaratio? Cujus illi sermones anagogici *u*, et subtiliores sensus, et arcanorum expositio?

suam sapientiam

27 Quo enim modo ipse tenuare mentem voluit, ea ab omni materiali repræsentatione evocata, ut posset citra ullum impedimentum et cognitione quod est supra cognitionem attingere, et ad supremam contemplationem ascendere, ita etiam sermonem suum a cogitationibus crassioribus rerum sub sensus cadentium, et a vulgari dictione abduxit, interiusque progressus abyssum abyssorum invocavit, sublimiorum verborum et intelligentiarum videlicet. Quis enim, ut cætera mittam, quinque et centum capitibus conscriptum ab illo admirabili Viro opus, in quo veteris, et novi Testamenti arcana enucleat, cum perlegerit, non admiretur ac celebret mentem explicantis, et ingenium sensibus adeo eximiis gravidum, et rerum

A. ANONYMO. rum ab eo perceptarum sublimitatem, reliquamque theoricam x, et magis anagogicam horum explanationem? Insuper hujus in dicendo altitudinem æque videas etiam in scholiis in Magni Gregorii scripta confectis. In iis enim cum multa sint explicatu difficilia et obscura, præcipue dogmatica et de Trinitate theologica, ipse et horum sententiam vimque cognovit, et divinioris scientiæ lumine apertiora reddidit. Ita autem eum exponit, ut non solum notionibus et reconditiore consideratione, verum etiam eloeutionis præstantia et dictione adæquet.

posteritati commendavit.

28 Postquam deinde animadvertit Generosus hic, etiam Dionysii Areopagitæ opuscula, quæ divinus ille vir de cælesti et ecclesiastica Hierarchia y composuit, plerisque locis involuta tenebris, ad hæc quoque incubuit, et, quantum fieri potuit, oratione et interpretatione dilucidiore ea illustravit et explanavit, non, ut quispiam dixerit, levi brachio et perfunctorie; sed ea penetrans, et latentem sensum mirifice eruens. Quæ autem sunt de sacra Mystagogia *, ea μυστικωτέρως * declaravit, exponens, quid sibi velit sacerdotum in templum ingressus: quid summi sacerdotis cathedra: quid cum circumstantium ordo,

* *i. e.* disciplina sacrorum
* *i. e.* magis mystice

B et psalmodiæ lectionisque ritus, et occlusio portarum, et salutatio antecedens, et fidelium ingressus, et nondum initiatorum in vestibulo prostratio, et ut summatim dicam, quæcumque illa tremenda hora in sacris peraguntur. Atque hæc, quantum ego judicare possum, nullius propterea oratio perspicue explanaverit, quamvis multa super iis disseruerit. Solus autem, qui ea digessit, etiam qui de iis dicat meretur, sicut et dixit, et tantarum rerum notitiam animo suo est assecutus. Sed quousque de disputationibus, et libris, et aliis laboribus Sancti narratio? Quorum omnium meminisse, et sigillatim ea in litteras mittere, simile mihi videtur, ac si quis arenas maris, aut stellas unam post aliam numeret. Prætermittens igitur amplius de iis scribere, sermonem ad alia convertam, et jam potius illustrissimam ejus in vexationibus tolerantiam memoriæ commendabo.

ANNOTATA.

C a *Hunc anno* 641 *vita functum excepit Theodorus eodem anno: ad quem videri potest Pagius num.* 11 *et* 12.

b *De Theodoro PP. Anastasius Bibliothecarius in Vitis Pontificum Romanorum, et apud Ciaconium tom.* I *col.* 449 *agitur.*

c *Disputatio illa illustratur ex dictis in Commentario prævio* § 3 *num.* 21.

d *De hoc Opere* S. Maximi *agitur ibid.*

e *Dictum in eos illud adagium, qui non audeant libere, quod sentiant, dicere. Translatum a robore animantis, quasi linguam opprimens non sinat eam eloqui: vel hinc, quod Atheniensium numisma quondam bovis obtinuit figuram. Itaque qui mulctæ pendendæ metu deterriti reticerunt, aut qui pecunia corrupti loqui non auderent, bovem in lingua habere dicebantur, uti notarit Erasmus Roterodamus in Adagiorum chiliadis* I *centuria* 7. 18: *ubi plura.*

f *Confirmantur ista ex Theophane in Chronographia pag.* 275.

g *Sententia illa tremendo plane modo contra illum lata est.* Id *enim, teste Theophane ibidem,* ubi Theodorus Papa rescivit, universo Ecclesiæ conventu convocato, ad Coryphæi Apostolorum sepulcrum adstans, calice afferri jusso, ex vivifico Christi sanguine stillam excutiens, Pyrrhi, ceterorumque, qui cum eo communicarent, abrogationem et condemnationem propria manu exaravit. *Consuli præterea potest Historia nostra chronologica Patriarch. CP. pag.* * 81. D

h *Hoc accidisse anno* 655 *ineunte, conjicitur ibid.*

i *Vita, quam vulgavit Combefisius, hic nostram deserit; sed exemplar, Ducis Sabaudiæ cum illa pergit.*

k *Huic anno Christi* 649 *vita functo successit S. Martinus PP. ac martyr, de quo cum Martyrologio Romano ad diem* 12 *Novembris agendum.*

l *In ea, quæ Romæ fecit Sanctus noster, commentati sumus num.* 22.

m *De Numero synodi istius Lateranensis non convenit inter omnes; sicut ibidem notavimus. Ibidem de tempore fit mentio.*

n *Sequentia usque ad* Quorum seorsim argumenta *etc. non invenio in nostro apographo Sabaudico.*

o *Petrus iste vel ab ipso Vitæ hujus auctore, vel ab alio imperite huc est instrusus. Theophanes, cujus verba præmisi in Commentario num.* 22, *et* E *Anastasius Bibliothecarius de Vitis Pontificum Romanorum in S. Martino illum recte non notant. Etenim cum illa synodus anathemate perstrinxerit hæreticos istos anno* 649, *sicut dictum est in Commentario assignato; quomodo nominatur Petrus inter eosdem,* qui Constantinopoli impie præfuerant? *cum anno demum* 655 *in locum Pyrrhi substitutus sit, secundum ea, quæ in Historia chronologica Patriarch. CP. toties jam allegata invenies pag.* * 81; *ubi etiam agitur de hæretici istius versutiis.*

p *Typus iste seu formula fidei silentium indicebat circa unam aut duas in Christo voluntates vel operationes. Ejusdem exemplar recitatur in concilio Lateranensi apud Labbeum tom,* 6 *a col.* 231. *Adiri etiam potest Baronius ad annum* 648.

q *Per Indictionem sextam. ex Relatione motionis apud Combefisium pag.* XXXV, *inchoatam mense Septembri anno* 648. *Quomodo autem Typo hæretico sese opposuit* S. Maximus *cum suo discipulo, legi potest in eadem Relatione.*

r *De lucubrationibus Viri sancti consuli potest Commentarius prævius num.* 23. F

s *Longa hæc digressio usque ad* Cum itaque Constans *num.* 29, *non est in nostro apographo Græco Sabaudico.*

t *Dicerem* genuina, *id est*, sincera *ac* stabilia.

u Ἀνάγω *est* sursum duco: νοῦς ἀναγωγικός, sensus mysticus, *seu cum sensus litteralis, ut vocant, in spiritualem vertitur: nisi malis hic indicari hujusmodi sermones, qui sensus remotissimos exquirunt interpretatione sua. Vide etiam Hierolexicon a Macris vulgatum.*

x *Scriberem* theoreticam, *id est*, contemplativam. *Gr.* θεωρητικήν. *Consuli potest Hierolexicon idem.*

y *An opera, quæ sub nomine S. Dionysii Areopagitæ circumferuntur, vere sint ipsius, controvertitur inter eruditos. Consuli potest Labbei Dissertatio de Scriptoribus ecclesiasticis tom.* I *pag.* 258, *et Appendix Addendorum ac corrigendorum pag.* 765 *et seqq.*

CAPUT

A

CAPUT IV.

Orthodoxa Sancti fides calumniis variis ac vexationibus Constantinopoli nequidquam exercita.

Jussu Constantis imp. CPolim tendit, a

* *Ms. nostr. Græc. Sab* Κωνσταντίνῳ

b

Cum a itaque Constans * Heraclii nepos etiamnum imperium teneret, et in eo nonum jam annum exegisset, magnamque male sentientibus, sicut et sibimet in eadem navi, licentiam permisisset, et omnia perniciosa lue replevisset, ceteris quasi in portum delatis, de actis Romæ non mediocrem sollicitudinem ingreditur, quod audierat omnes, qui ibidem convenissent, a se dissentire, et suum dogma subruisse. Et b quoniam auctorem non ignorabat (Quomodo enim ignoraret eum, qui lucebat omnibus, et in edito B loco orationem ecu facem accensam tollebat?) quam primum Sanctum ad regiam perduci jubet c, ratus, si hunc vicisset, omnes alios in potestate habiturum. Cum eo autem discipulum ejus Anastasium adduci curat cum alio cognomine et iisdem moribus, qui et Romanæ Ecclesiæ apocrisiarius d fuit.

c d

quo item accersitur S. Martinus PP.

30 Insuper et sanctissimum Martinum, cum pluribus episcopis occidentalibus brevi intervallo Byzantiæ sibi sistit, in eos, ut verisimile est, propter adversariam sententiam exacerbatus. Verum quæ quidem sacrorum Autistiti Martino, et quanta per contumeliam intulerit ille scelestus, mille eum injuriis cumulans, et verberibus (o manus impias!) innocentem puniens, et postremo exilio remotissime damnans, Chersona e, inquam, et paria in episcopos ejus designans, his omnibus hic enarrandis nunc otium non suppeditat, ad ea quæ Maximo propria sunt festinanti. Complures fortasse illa partim jam scribendo persequuntur, partim persecuti sunt, ut opinor, virum illum honorantes, ejusque vitam et mores exornantes f. Nos pro viribus instituto nostro satisfaciemus.

e f

Ubi illuc pervenit S. Maximus, indignissime tractatur g h

C 31 Comprehensus ergo sanctus hic Vir homicidarum manibus, et in eum omnium oculis defixis, videamus qualibus primum occursibus, quam comiter exceptus et quali judicio causa ejus a bonis istis legislatoribus transacta sit g. Simul enim Byzantium attigit h, egressum e navi certi homines ab Imperatore missi conveniunt, et solo ejus aspectu multam animi acerbitatem præ se ferunt, Sanctum proterve rapiunt discalceatum adhuc et sine pallio violenter, qua via in urbem, abducunt, discipulo sequente, et iis, quæ fiebant, ingemiscente: abductum in domunculam tenebrosam compingunt, nec saltem discipuli cohabitationem ei largiuntur. Aliquot diebus interjectis, Justum in pallatium ducunt, universo senatu præsidente, et truculentis vultibus veluti dracones quidam eum intuente. Ac tum quidem sacellario i, qui dignitate antestabat, judicium in eum permittunt, viro dicendi et fabulas fingendi perito; ad veritatem autem nequiter corrumpendam omnium peritissimo.

i

ac vexatur: k

32 Hic quid omisit nequitiæ? Quid improbum non est ausus? A quibus minis, et contumeliis in Sanctum temperavit? Non senectutem ejus venerabilem (propemodum enim octogesimum k natus erat annum) non florentem in ejus vultu gratiam, non compositos mores, reliquumque decentem et honestissimum statum reveritus; idque cum iniquissimus ille nihil neque juris neque cum ratione consentiens haberet, quamobrem Justi facta accusaret, solam autem, ut sic dicam, stoliditatem suam et morum impudentiam, ac summam improbitatem ostenderet. Qui tametsi adeo se impudentem exhiberet, tamen eum apte nexis et cohærentibus Sancti sermonibus convenienter respondere non posset omnino, frustra omnia miscere conatus est, malevolentiam, et insignem maxime improbitatem suam palam prodens.

calumniis impetitur, l

33 Singula porro tum dicta et facta, et qualibus calumniis innocentem appetiverint, qui se mendacio tectos fore arbitrabantur, ipse bonus Sancti discipulus peculiari Commentario l particulatim memorat: unde volenti omnia ad verbum legere, et plenius agnoscere licebit. Non erit tamen alienum; si et nos pauca inde narremus, et huic orationi inseramus, ne talia penitus prætereamus, cum præsertim non narrando, sed cursim, ut quispiam dixerit, acta illa relaturi simus. Ut ergo infelix ille sacellarius Sanctum in conspectu habuit, asperioribusque cum sermonibus et E minis statim terrere initio cœpit, improbum et proditorem et Imperatoribus inimicum, et omnibus indignissimis nominibus appellans. Maximo autem percunctante quid ita hæc de ipso diceret, et quam proditionem admisisset; ille calumnias comminisci, quas eum solum confingere par erat, et in manifesto mendacio testes producere, atque etiam nugari in Sanctum, quod magnas urbes prodidisset, Alexandriam m, inquam, et Ægyptum n, et Pentapolim o, Quas, inquit, a finibus imperii nostri abstraxisti, et Saracenis jam adjecisti, quorum amicissimus et imprimis domesticus es.

m n o

quas refutat, et cum patientia sustinet.

34 Cum autem hanc illius perversam machinationem Sanctus oratione irrefutabili repelleret, et nihil præter meram criminationem esse ostenderet (Quid enim ipsi cum occupandis urbibus, quibus potius salutem optabat?) cum, inquam nihil promoveret, aliam [impudens] init viam, somnia quædam et umbras fingens et phantasmata seu spectra, in quibus p et vocum reciprocationes majorum et minorum, et imperatorum appellationes, et Occidentis magis quam Orientis imperatori acutiorem vocem resonare, accusatores hic F quoque et calumniatores adhibens et producens in medium. Ob id amplius ingemiscens pius Vir, Gratias, inquit, Deo meo, cum in manus vestras traditus sum, et hujuscemodi criminibus oneror, ut per ista non voluntaria, quæ voluntarie mihi iussi, deleantur, et maculas in vita contractas abstergam. Ut tamen pauca ad hæc respondeam; Non sum conjector *, nec ita abundo tempore, ut in his visis mentem occupem. Quin vero ita me accusare voluistis, ut etiam testes citaretis, eosque non qui scirent, sed qui a scientibus audivissent, quandoquidem illi, ut dicitis, e vita emigrarunt, cur non ab initio et superstitibus adhuc prioribus somniorum rationem requisistis? Sic enim ipsi a molestia essetis liberi, et ego ut in re aperta pœnas persolverem.

p

* *in Græco Combef. et Sabaud.* ὀνειροσκόπος, *i. e. somniorum inspector et interpres.*

Alias criminationes

35 Verum ut apparet, nec veritas sic habet, nec delatores mei scrutantem corda ante oculos posuerunt. Ne videam enim Dominum meum, nec in Christianis numerer (nihil enim aliud habeo, quod mihi imprecer) si ementitum somnium aut vidi ego, aut informavi animo, aut aliis memoravi, eo ut lucro insperato nimirum lætatus. Postmodum et tertiam ei accusationem intendunt, ubi secundam

A. ANONYMO. secundam refutatam viderunt, quam nec in oratione ponendam censui, cum non modo incredibilis, sed et puerilis et ridicula sit *q*. Et quoniam nec a quarto mendacio boni judices abstinuerunt, introducunt quemdam Gregorium *r*, qui Sancti discipulum Romæ dixisse affirmarit, non esse fas, nec cum ratione congruens, regem appellari sacerdotem, ut qui hoc ipsum a Magistro didicisset. Sed Virum sanctum neque hic responsio defecit. Nam Gregorio huic in faciem resistens, docuit alia tunc dicta esse, alia nunc objici.

falso sibi impactas Vir sanctus refellit.

36 Etenim cum ille Romam venisset, inquit, de unione verba fecit, et ut nos Typum reciperemus, quo decantatum illud dogma de una in Christo voluntate informabatur, et describebatur. Adversus ea videlicet et nos diximus, et occurrimus, et quæ nobis commoda et utilia fore putabamus, disseruimus. Quapropter nec mea agnosco, quæ nunc proferuntur, nec discipuli, qui sit reus, quicum (Deum testem invoco) numquam aliquid communicavi. Illud tamen conscius B sum mihi, dixisse non discipulo sed ipsimet nempe Gregorio (quod nec ipse prorsus negaverit, nisi se ipsum plane negaverit) de dogmatibus decernere ac disputare, sacerdotum potius quam regum esse, quando et illis concessum est ungere, [et] manus imponere, et panem cælestem offerre, et altari assistere, aliaque agere omnia, quæ diviniora et sacratiora sunt. Hæc et tunc locutus sum, et loquor nunc : ob ea, qui vult, aut absolvat, aut condemnet : neque enim homo ab hominibus injuria potest affici; etsi atrocissima omnium patiatur.

Aliam accusationem ex Anastasio Sancti discipulo expiscari conantur.

37 Post hæc non habentes quid facerent, qui mendacium posuerunt spem suam, Justum e judicio educentes, discipulum ejus Anastasium producunt, quem verbis et minis terrent, contra Magistrum dicere cogentes, eum scilicet in Pyrrhum maledicum fuisse, quando is in disputationem cum Maximo venit. Nec video, quare istuc mendaciloqui illi comminiscerentur. Ubi autem Anastasius secus, quam ipsi exspectabant, respondit, et non solum nullo modo læsisse, sed et omni honore prosecutum, et tamquam benevolum humanissime accepisse; pugnis et alapis ejus capite et genis diverberatis, et ita veritate compensata, C rursum condi jubent in carcerem. Rursum deinde Sanctum intro vocant velut prioribus minime contenti, denuoque tentant eum, qui tentatione omni major erat. Aiunt igitur, eum Origenis dogmata sequi, ei cum eo sentire per omnia. Ubi frivolum, et refutatu facile istuc crimen mox diluit, libere testatus esse a Deo, et forte Christianorum separatum, qui ejus placita probaret, et deliramenta reciperet; de Pyrrho iterum, et tunc in illa disputatione dictis percunctantur, personam benignitatis induentes et æquitatem quasi in scena simulantes.

Novis artibus

38 Præterea quoniam modo a Patriarchæ communione semet avellisset. Et cum alias item quæstiones et interrogationes et suum quoque Typum proposuissent, confirmassentque honorari oportere, quem ipse adeo vehementer execraretur et despiceret, et, ut brevis sim, omnia, quæ putabant declinari ac dissolvi non posse, adduxissent, et neque minis neque contumeliis pepercissent; tandem ut sese victos viderunt in omnibus, et, quod est in proverbio, suis pennis captos, dimisso consessu, festinato Imperatorem adierunt, quam fortiter Homo resisteret et invictum se præstaret, nuntiantes, et Maximum ne suppliciis quidem ad ipsis assentiendum coactum iri. Non multo post tempore ad eum jam custodiæ redditum alii D veniunt, existimantes, se illum crebro oppugnando et verbis perterrendo mitigaturos. Autumabant *s* autem, qui venerant, se a Patriarcha missos, qui et hæc, ut potuerunt, Sancto proposuerunt. Heus, tu, inquiunt, cujusnam es ecclesiæ (ipsis enim eorum verbis utar) Byzantinæ, Romanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, Hierosolymitanæ? Ecce omnes cum subjectis sibi provinciis unitæ sunt. Si igitur et tu Ecclesiæ Catholicæ es, unire, ne forte novam vitæ viam fabricans patiare quæ non exspectas.

conantur S. Maximum abstrahere ab unitate ecclesiæ Catholicæ, sed frustra.

39 Quibus Beatus ille commode prudenterque respondit : Dominus, cum Catholicam Ecclesiam rectam et salutarem confessionem esse dixisset, idcirco et Petrum, præclare confessum, beatum pronuntiavit, super quo et talem Ecclesiam se ædificaturum universorum Deus affirmavit. Verumtamen cupio nosse confessionem, super qua facta est ecclesiarum unio; quæ si probe facta est, nec ego alienus ero. Tum missi, Tametsi, inquiunt, super hoc in mandatis nihil habemus, nihilominus dicemus, ut sis inexcusabilis plane. Duas asserimus operationes propter discrimen, et unam E propter unionem. Hic Maximus, Duas operationes propter unionem dicitis factam esse unam; an præter has aliam? Non, inquiunt; sed duas hasce unam propter unionem. Liberati sumus molestiis, occurrit ille, cum nobismet fidem non subsistentem, ac Deum sine existentia commenti sumus. Si enim duas in unam propter unionem confundimus, et rursus unam in duas propter differentiam dividimus, non erit unitas nec dualitas operationum, cum se invicem semper tollant, et operatione desertum ac prorsus non existentem efficiant, cui inhærent. Quod enim nullum habet ex natura motum, qui auferri nequeat, et nulla contra conversionis ratione variabilem ac mutabilem, juxta Patrum doctrinam omni essentia vacat, cum non habeat operationem essentialiter, tamquam characterem suum, unde scilicet cognoscatur. Hoc itaque asserere non possum, nec id a Sanctis Patribus doctus sum confiteri. Quocirca cum potestatem habeatis, quod libuerit nobis facite. Illi cum quod opponerent non invenirent, quod visum esset rerum dominis, ei denuntiant, licere ipsis non obtemperantem anathemate plectere, et insuper mortem decretam inferre. At F ille sic mansuete et humiliter : Quod a Deo decretum est de me, inquit, nunc ad opus conferatur, ad gloriam ipsius ab omni æternitate præcognitam. Sed tum quidem, quæ deliberaverant, exequi differunt.

ANNOTATA.

a *Hic pergit Sabaudicum exemplar cum Vita nostra Latina.*

b *Cum utroque mox dicto exemplari hic etiam pergit Combefisianum pag.* XIV *num.* 17, *post tantum hiatum, quem indicavi in Annotatis ad cap.* 3 *lit.* I. *Vita itaque apud Combefisium a pag.* XIII *num.* 16 *postquam ista de Pyrrho narrasset,* Ille autem ne sic quidem,.. impudentior esse destitit... Quin immo audaciore conatu iu Constantinopolitanæ urbis sedem denuo irrumpit; ac impietatis præmio iterum episcopatum accipit; *continuo hæc subjicit* : Quod vero etiam auctorem * quisnam esset, cum non latebat (Quomodo enim nescire posset, qui sic clarum omnibus jubar ac velut facem in aperto veritatis sermonem prætenderet?) cito Virum sanctum in regiam induci jubet *etc. Ubi*

* l. auctor

A *Ubi vides, posteriora hæc adeo male connecti cum anterioribus, ut ea, quæ fecit Constans imperator, attribuantur Pyrrho. Lacunam illam vel non observavit vel saltem non indicavit Vitæ istius editor Combefisius in notis marginalibus ad ejusdem textum Latinum; vidit tamen ibi hærere aquam, quod aiunt, cum ad marginem apposuerit,* gesta hæc esse Paulo jam patriarcha, ut ex Actis liquet.

c *De tempore quo Sanctus Constantinopolim fuit evocatus, disserit Commentarius prævius* § 3.

d Apocrisiarius. *Quasi dicas* responsalem *vel* referendarium *negotiorum ecclesiasticorum, quod* ἀποκρίσεις, *seu reponsa etc. imperatorum vel principum, apud quos tamquam legati seu nuntii residebant apocrisiarii, ad Romanum Pontificem referrent. De hoc munere plurima erudite collegit Cangius in suo Glossario Latino-barbaro in quo de apocrisiariorum exordio, habitatione Constantinopoli, dignitatis gradu, eorumque assumptione ex ordine potissimum diaconorum. Observat item desiisse tandem morem illum mittendi Responsales in urbem regiam quodam temporis intervallo occasione hæresis Monothelitarum, cujus acerrimi propugnatores fuerant, Sergius,* B *Pyrrhus et Paulus patriarchæ CP., imperantibus Heraclio et Constante. At quidquid sit de isto more;* S. Anastasium *nostrum sub Constante imperatore fuisse Constantinopoli, Romanæque Ecclesiæ apocrisiarium exstitisse, cum ex hac Vita, tum ex nostro potissimum in eamdem Commentario planissime constat, quem videsis* § 6 *ac duobus proxime sequentibus. Anastasius Bibliothecarius de Vitis Pontificum Romanorum in S. Vitaliano, qui secundum Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum tom.* 1 *pag.* 436 *et* 441 *sedit ab anno Christi* 657 *usque ad* 672, *hæc memorat:* Hic direxit responsales suos cum synodica juxta consuetudinem in regiam urbem apud piissimos principes, significans de ordinatione sua. Et dum suscepti essent, renovantes privilegia Ecclesiæ, reversi sunt. *Sed ista componi possunt ac debent cum præmissis de* Anastasio *apocrisiario: nam etiamsi responsales illi Romam reversi sint postquam suam obiissent legationem, hoc non impedit, quo minus hic noster sub Constante degerit Constantinopoli, ubi præter morem et tamquam minister extraordinarius negotiorum Ecclesiæ Romanæ residere potuit.*

C c *Combefis. et Sabaud.* Χερσῶν. *Martyrologium Romanum scribit, eum in* Chersonesum *esse relegatum. De quo loco agit Ferrarius in nova Topographia ad Martyrologium illud fol.* 36.

f *Colligi illa poterunt ad diem* 12 *Novembris. Vide interim si lubet, Hypomnesticum supra citatum, et notationes ad Martyrologium Romanum die* 12 *Novembris.*

g *Huc faciunt præmissa in Commentario* § 4.

h *Anno circiter* 655, *sicut ibidem datur videre.*

i *Hujus officii notitia exstat ibidem.*

k *Agebat tunc temporis annum ætatis* 75, *prout ibidem invenies.*

l *Per illum Commentarium intellige* Relationem motionis *etc., de qua ibid. actum est.*

m *De Alexandria a Saracenis capta agit Pagius ad annum* 641.

n *Baronius ad annum Christi* 634 *rem gestam refert. Videri etiam potest Nicephorus in Breviario historico ad eumdem annum.*

o *Inter alias synonymas Pentapoles notatur una apud Ortelium in Thesauro geographico, quæ sit regio Ægypti. Hanccine an aliam et quam designare voluerit biographus, non est mihi satis exploratum.* A. ANONYMO.

p *In exemplari Combefis. et Sabaudico est* ἐν οἷς, in quibus, *prout et hic exstat; sed constructio Latina exigit, ut pro eo vel substituas cum versione Combefisiana* in iisque; *vel pro* resonare *ponas* resonent.

q *Vide eam, si lubet, apud Combefisium pag.* xxxi *in Relatione motionis, de qua supra dictum est.*

r *Relatio motionis ibidem addit* filium Photini.

s *Id est* dicebant: *nam verbum* autumo *præter alia significat etiam* dico *(Vide Lexica Latina) idque sensus exigit hoc loco. Et mox infra dicitur:* Tum missi *etc. In scripto autem S. Maximi ad Anastasium monachum, discipulum suum, inter Collectanea Anastasii Bibliothecarii editum Græco-Latine col.* 318 *sic narratur:* Heri quod fuit octava-decima mensis dies, qua solemnitas agebatur sanctæ mediæ Pentecostes, patriarcha significavit mihi dicens: Cujus ecclesiæ es? *Reliqua ibidem legi possunt. Quandonam autem apud Græcos celebretur dicta solennitas, refert Leo Allatius de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione, ubi post addenda habet* E *dissertationem de Dominicis et hebdomadibus recentiorum Græcorum, in qua hæc memorat:* Quarta Dominica et sequens heddomas vocatur... Dominica quarta a Paschate vel Paralytici: cujus Officium canitur Dominica, ac feria secunda, et tertia finit. Quarta enim a matutino, festum mediæ Pentecostes (Græci μεσοπεντηκοστὴν nominant) incipitur. *Plura ibidem de isto festo.*

CAPUT V.

Acta Sancti Bizyæ cum Theodosio episcopo, ac relata de eo victoria; traducitur Rhegium.

Consilio autem inito Imperator et Patriarcha, perinde ut Pilatus et Judæi super Jesu meo, Justum damnant exilio *a*, in oppidulum Bizyam *b* nomine statim abducentes; simul etiam discipulum ejus Anastasium in locum quemdam incommodum, et in extremis Romanorum finibus situm, Perberim *c* a barbaris nominatum, deportant. Eadem inhumanitate cognominem ejus, qui fuerat, inquam, Romæ Apocrisiarius, tractant. Diu post ad Sanctum in exilio mittunt *d* Theodosium illum Cæsareæ episcopum, et Paulum et Theodorum * alterum, ambos consulari dignitate præditos, qui multa et varia disseruerunt, nunc quidem adulantes, nunc minitantes, nunc quippiam, ut audirent, interrogantes, quæ speciatim Commentarius *e* ab Anastasio conscriptus, de quo supra memini *f*, exponit. Non erit tamen abs re fortasse, si et nos de illa pauca dixerimus, hic quoque cursim narrantes. Sic enim magis hujus in omnibus invictum animum cognoscemus. Quamvis enim multis eum conentibus et impellere multifariam conantibus, ipse nihilominus in vestigio mansit firmus totus et in sententia immobilis.

Sancti in exilium compulsi *a b* F *c* *d* * *l. Theodosium* *e* *f*

41 Sed age, videamus, qualia, quos diximus, Sancto proposuerint. Primum de ejus statu, et quomodo se haberet percunctantur, amice istuc, immo potius adulatorie ita quærentes. Cum ille repondisset, quomodo a providentia divina *constantia*

 jam

A. ANONYMO.

jam prædefinitum et constitutum est de fine vitæ meæ, ita habeo. Rursus quæsierunt, quid hoc ipsum prænosse, et jam constitutum ac prædefinitum, esset, et quod inter ambo discrimen. Respondente Sancto unum quidem, præscire puta, esse eorum, quæ in potestate nostra sunt, cogitationum scilicet, verborum, et operum, e quibus virtutes et vitia nos occupent: alterum, prædefinitum esse, et ad ea pertinere, quæ in nostra potestate non sint; sed extrinsecus nobis invitis accidentium, et variarum incursionum, et aliorum demum sensum pœnæ habentium.

ab hæreticis impugnatur:

42 Et candide super singulis horum divinissimo illo disserente, et quales tribulationes propter peccata vindicanda, quales item propter probationem, aut œconomiam jure et, ut aliter dici non possit, utiliter nobis infligantur, illi interim, his dimissis, referebant, quorum causa venerant ad communionem invitantes. Ubi autem ille contra objecit excitatam in Ecclesia novitatem et fidei confusionem, tum et Cæsariensis Theodosius ad disputandum cum eo insurgit, et nihil contarium ab his neque peregrinum B et a recta ratione remotum admodum asseverans, operationem et unam voluntatem illam astruebat et defendebat. Absurditatem hujus sermonis Sanctus confutans, Si detur, inquit, unam operationem dici Deitatis et humanitatis, prorsus et theologica doctrina et œconomiæ *g* ratio confundetur, et quod absurdum est, Trinitas erit quaternitas, quia caro fuerit Verbo connaturalis. Siquidem secundum Patres, quorum una est essentia, erit una operatio. Quin etiam indicantia, et constituentia Divinitatis et humanitatis tollentur: imo ad perfectam inexistentiam utraque devenient; cum neque unam, neque duas operationes aut voluntates licebit vel intelligere vel dicere, quod ex verbis hisce vestris, et recens fabricato dogmate consequitur.

Theodosius ep. Cæsariensis

43 Et Theodosius inter multa alia velut dubitans, Quid, inquit, quod factum est per œconomiam *h*, at non ut ratum dogma suscipiendum est: sicut et nunc, qui a nobis proponitur Typus, œconomice, non dogmatice factus est. Tum Sanctus: Nec rationi consentaneum, nec æquum esse, hujusmodi novitatibus assentiri, et esse eas magistrorum non verorum atque impostorum, C qui audiendi non sint, et, quantum fieri possit, longissime declinandi ac fugiendi, ne eorum consuetudine videamur aliqua contagione inftci. Legati velut amissa per hæc dicta loquendi facultate diu siluerunt, vultibus interea in terram dejectis. Sed Theodosius ubi se collegit, alias interrogationes per otium conquisivit, quas velut arces quasdem inexpugnabiles sibi fore arbitrabatur. Has igitur sententias cum proposuisset, et voces quasdem simplices, et mente non pervestigatas arripuisset, atque composuisset, Maximumque eas admittere affirmasset, præterea quæstiones quasdam de hypostatica operatione, et naturali quadam et propria voluntate movit, ad quæ commemoranda longiore, quam in præsens oratione opus sit.

adeo ab illo confutatur, ut victas manus dederit tantisper.

44 Postquam ergo Theodosius hæc fecit, Sanctus autem omnes sermonis ejus, et ratiocinationum ambitus, et summas facile evertit; tandem fessus, et nihil habens tunc, quod contra afferret, alia via Sanctum ad se petrahere molitur; benevolentius eum alloquens, et significans, se quoque velle scandala et offendicula e medio removeri, pristinamque pacem Ecclesiæ restitui. Quod non aliter fit, inquit, nisi ad Romanos mo- D do proficiscamur, eosque ad pacta conventa, et reconciliationem incitemus, unum videlicet cum ipsis et spirantes et sapientes. Hoc sermone Sanctus mire exhilaratus, vix dici potest, quantam animo jucunditatem persenserit, quibus laudibus talia locutum affecerit. Qui quamvis adeo affecto corpore exercitationibus nimirum et senio exhausto, tamen promptam voluntatem ostendebat Romam rursus contendendi, et quæ in rem Ecclesiæ forent, conficiendi, si tantum hoc re ipsa fieret et non inania verba essent. Cum Theodosius dicta sua jurejurando confirmaret, et immaculata Euangelia tangeret (tametsi stultus nihil horum præstitit, utpote Imperatorum arbitrium secutus) Sanctus amplius exultans, totum sese ad iter comparabat, et quæ tum ipsis, tum Romanis conducerent, secum volvebat.

Sanctus Rhegium traducitur;

45 Deinde ex eo loco abiturus Theodosius, ut ad eos, qui in urbe regia erant, referret, iterum Sancto porrecta dextera salutato, et tunica ac fusco pallio *i* donato, sic Byzantium revenit, duobus consulibus, qui cum secuti fuerant, comitatus. Octo diebus elapsis, Paulus ille, ipse quoque consulari honore ornatus, ad Sanctum exit: cui mandatum E fuit ab Imperatore, ut Bizyam profectus Sanctum cum reverentia ac veneratione tamquam amicum, et familiarem Majorum Imperatoris *k* reduceret, et in monasterio Theodori apud Rhegium collocaret *l*. Adductum *m* itaque consul in eo monasterio reliquit, venitque ad Imperatorem, ut id nuntiaret.

ubi frustra ejus constantia blanditiis tentata

46 Die postero veniunt ad eum Epiphanius, et Troilus, uterque patricius, una cum episcopo Cæsareæ Theodosio, quem et Sanctus promissa præstiturum confidebat, cum fallacem ejus animum non deprehenderet, qui ab omni dolo distabat longissime. Qui plurima cum eo collocuti, et ab Imperatore polliciti, qui et in patrem suum cooptaturus esset, et supra omnes eve cturum promitteret, si modo se cum illis conjungeret et conveniret, communiterque cum ipsis decreta amplecteretur, et, eo sejuncto ac dissidente, totum ferme Orientem, et Occidentem una dissidere, et simul sejungi; cum et alia insuper, quæ sibi conductura videbantur, dixissent, et proposuissent, Typumque illum informem sursum et deorsum omnibus, quæ dicebant, immiscuissent, et cognovissent, Sanctum ne paulum quidem eorum sermonibus commotum, F et exclamantem magna voce, Omnis virtus cælorum non mihi persuadebit, quod a me contenditis (quid enim, inquit, respondebo, non dicam Deo, sed conscietiæ meæ, si propter gloriam evanescentem, salvantem me fidem nunc ejurem?)

deinde verberibus ac opprobriis afficitur.

47 Postquam igitur eum sic affectum cognoverunt, et præsertim de Theodosio conquerentem, adeo temere et eum malo ipsorum verba frustra et juramentum exhibente; tum consurgentes, quæ volebant, et quæ tales homines consueverunt, sedulo designarunt. Alii quippe pugnis eum (o scelestas manus!) contuderunt, ministros quoque et pedissequos suos ad eamdem audaciam excitantes. Alii colaphis, alii alaphis ceciderunt, alii huc illuc impulerunt, alii in faciem ejus expuerunt, sicut et Jesu meo milites, et populus improbus fecerunt: nec cum sputis prius onerare desierunt, vere ipsi conspuendi, quam totam faciem [adeo] implerent, ut vilem ac detritam ejus vestem inundarent, utque ex copia fœtor intolerabilis existeret, quem odorari alius nemo, sed fœtidi et impurissimi illi soli digni erant. Nec isto facinore impudentissimi mortales destitissent

A destitissent, si non Theodosius Cæsariensis, eorum impetn compresso, alio eos avertisset. Qui etiam quasi nihil fecissent illi eanibus invereeundiores (Quid enim melins dicam?) rnrsus paulo post interrogationes, et percunctationes, et alia quædam nugamenta Saneto proponnnt; quæ eum vana et nullins momenti per se viderent, frustra dnmtaxat
n laborantes, et ineptientes *n*, et siqnid ejus nsui ae neeessitati serviebat, auferentes, reeedunt homines perversi.

ANNOTATA.

a *Quæ egil Sanetus in primo isto exsilio, illustrat Commentarius prævius* § 4.

b *Non hoe diversa efformatione expressum in nostro exemplari Latino ad unam reduximus ex Græeo Combefis. et Sabaud.* Βιζύη. *Seribitur diversimode etiam alibi. De* Byzia *meminit Carolus a S. Paulo in Geographia saera pag.* 323 *posterioris editionis, ubi dat notitiam antiquam episeopaluum patriarehatus CP., qui sunt in Thracia provineia Europæ. Eam exhibet mappa topogra-*
B *phiea ad pag.* 205. *Consuli insuper potest Ortelius in Thesauro geographico ad vocem* Bizus. *In Collectaneis Anastasianis col.*355 *vocatur* castrum Bizyæ, *ae memoratur* episcopus Bizyæ. *Baudrandus loeum illum ita deseribit:* Bizya urbs Thraeiæ Ptolemæo, Byze Snidæ, Bizus Arriano in Periplo, Vize nunc, Lennclavio urbs Thraeiæ cis Rhodopen archiepiscopalis in Mediterraneis, olim in Cænica traetu, et postea in Europa regione sie dicta, ad fontes Atyræ fluvii, ubi Terei regia fnit, nnnc sedes præfecti Turcarum, quibns paret, dicitnr etiam Bizona Straboni et Melæ, 45 mill pass. distans ab Apris in septemtrionem Peronticum versus, et Salmydessum quadraginta, et 85 a Constantinopoli in oceasum. *Sed Cellarius in Geographia sua antiqua lib.* 2 *cap.* 15, *pag.* 859 *notat ista*: Plinins dicto loco *(lib.* 4 *cap.* 11*)* « Intns Byzia, arx regum Thraciæ, a Terei nefasto crimine invisa hirundinibus ». Soliuus cap. 10 addit nonnnlla: « In Cænieusi regione non longe a Flaviopoli colonia, Bizyæ oppidum, quondam arx Terei regis, invisum hirundinibus, et deinceps alitibus illis inaccessum».
C Nota fabula ex lib. 6 Metamorphoseos Ovidianæ. Quod vero in Cæuiensi regione dicit, displicet Salmasio, qui Stephanus ait: « Βιζύη, πόλις Θρᾴκης. τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον. Bizye urbs Thraciæ, Astorum regia ». In Astiea ergo regione fuit, si chorographus vere eensuit. *Loeorum conspeetus exhibetur apud eitatum Cellarium in tabula Thraciæ antiquæ ad pag* 838.

c *Nonnulla hue speeluntia dedimus in Commentario num.* 47.

d *Addit Combefisius pag.* xx Mesembriam relegatus; *sed hoe ibi non habetur in textu Græeo; quamquam aliunde eam relegationem eruere liceat. Nam inter ea, quæ gessit* S. Maximus *in primo suo exsilio, id est, Bizyæ, seu in Collatione cum Theodosio Cæsareæ in Bithynia episeopo (de qua Commentarius prævius num.* 33) *ista dicuntur in Colleetaneis Anastasii Bibliothecarii apud Sirmondum eol.* 371: Et in crastinnm dilnculo exivit Theodosins consnl ad prædictum abbatem Maximum..., dieens ei ex persona imperatoris: Quia noluisti honorem, prolongatns est a te; et vade nbi dignum temetipsnm fore judicasti, habens quoque judicium discipulornm tnornm, tam scilicet ejus, qui est Mesembriæ, quam ejns qni est Perberis, quique fuit notarius beatæ memoriæ aviæ nostræ. *Et mox*: Dixerant autem et Patricii, Troilus videlicet et Epiphanius, Quia modis omnibus adducemus etiam ambos discipulos tuos, id est, tam eum qui est Mesembriæ, quam illum qui est Perberis. *Jam vero cum ex discipulis istis unus* Anastasins, *qui non erat apocrisiarius, teste hic biographo nostro,* Perberim... *deportatus sit, sequitur ut alter synonymus apocrisiarius* Mesembriam *deductus fuerit.* Mesembria *porro est* urbs Thraciæ maritima... *(Baudrandi verbis utor)* in ora Ponti Euxini... inter Anchialum et Odessum ad 20 milliaria, ubi desinit mons Hæmus. *Apud Cellarium supra citatum cap.* 8 *pag.* 374 *ponitur Mesembria inter loca Mœsiæ inferioris. Collectanea pauloante assignata atiter hæc memorant col.* 355: Igitur nono Kal. Septembris, quæ nunc transacta est quartæ decimæ Indictionis, exivit ad eum in exilium... prædictus episeopus Theodosius, ex persona, ut dixit, Petri Constantinopolitani præsulis missus, nec non et Paulus ac Theodosius consules, ut fassi sunt, et ipsi ex persona Imperatoris directi.

e *Consule dicta in nostro Commentario prævio* E *num.* 38, *et* § 10 *sub initium.*

f *Vide Vitam apud nos num,* 33.

g Trinitatis scilicet fides et Incarnationis *inserit suæ Vitæ Latinæ Combefisius pag.* xxi; *sed ea non habentur in ejus textu Græco.*

h *Quasi dicas,* per certam quamdam providentiam vel indulgentiam, et prout res ac tempora poseunt.

i *In Collectaneis Anastasianis col.* 368 *dicitur* easula. *Sed Combefisius pag.* xxiii *in notula marginali,* Quod non videtur, *inquit*; eum non liqueat, Maximum presbyterum fuisse: nec ea vox aliud quam pallium commune sonet. *Sed sonare eam aliquid aliud quam* pallium commune, *mihi suadent sequentia. Nam quippe ni vox illa etiam sonel vestem tritam conformiter ad verbum* τρίβω, tero. *Vide Lexica. Suidas certe vocem* τρίβωνα (ejus *diminutivum, ut Grammatici loquuntur, est* τριβώνιον) *dicit esse* στολισμὸν; *quæ vox proprie vestimentum significat, seu* vestem, *uti habet Æmilius Portus Suidæ interpres,* lacerum, lacernam, pallium detritum et lacerum. *Et paullo post ad illud Suidæ* τριβώνιον, φόρημα Κυνικόν, ἱμάτιον
F παλαιόν, *sic idem interpres*: Pallium attritum et lacerum. Cynicum gestamen. *Hinc conficitur, vocem hic controversam aliquid aliud sonare quam* pallium commune, *cum, teste Suida, denolet non quodlibet pallium, sed* ἱμάτιον παλαιόν, *id est,* pallium vetus, *seu attritum ac lacerum. In Collectaneis Anastasianis apud Sirmondum col.* 368 *legitur* καράσιν: *de qua voce, ne plus æquo longi simus, consuli possunt Annotata nostra ad Vitam S. Arsenii anachoretæ tom.* iv *Julii, pag.* 630.

k *In aula quippe Heraclii imperatoris gesserat præclarum munus, ex Commentario prævio num.* 6. *Vide etiam ibid. num.* 36.

l *Hæc ibidem confirmantur et elucidantur num.* 36 *et* 37.

m Adductum itaque *usque ad* die postero *non habet Combefisius pag.* xxiii.

n *Addit editio Combefisii pag.* xxiv ὕβρεις αὐτοῦ τὰς οὐδὲ λόγῳ ῥητὰς καταχέαντες. *Id est*: Injuriis, qnas ne fari quidem liceat, eum perfundentes. *Quasi diceret Sanctum fanda infanda passum esse.*

D

A. ANONYMO.

CAPUT VI.

Tormenta Constantinopoli Sancto ac Anastasio discipulo irrogata; eorum, uti et Anastasii alterius exilium; duorum priorum mors; sepulchrum Maximi gloriosum, apostrophe biographi.

Crudeliter cum ipse,

Intervallo temporis Constantinopolim eum perducunt, et una discipulum ejus Anastasium, et alterum Anastasium, quem Apocrisiarium fuisse diximus: et cum maledictis eos lacerassent nequam et maledicti illi, et anathemate ipsos, atque adeo orthodoxos omnes tam mortuos, quam vivos condemnassent, tortoribus tradunt, ut pronuntiatam in illos sententiam *a* exequantur, non eos vita penitus spoliantes (ut inhumani quiddam humanitatis B præstarent) supplicium autem morte acerbius illis inferentes. Præfectus *b* igitur acceptis, et in prætorium introductis, primum quidem divinum Maximum, a quatuor extensum, nervis crudis verberari jubet, non senectutem ejus miseratus scelestus, non corrugata membra, non corpus illud jejunio et laboribus consumptum; verum ita crudeliter cædit, ut propter copiam sanguinis defluentis subjectum pavimentum totum rubesceret, et caro tota absumeretur, et nec tantillum in membris sanum ac illæsum relinqueretur.

tum Anastasius, discipulus ejus cæduntur, ac lingua eorum exscinditur;

** Comb. τὸ ἑξῆς deinceps*

49 Deinde bellua illa etiam ad discipulum transit, posteaque ad ejus cognominem, atque etiam multas eis [plagas] imponit. Et vibicibus repletos, adhibitis etiam præconibus, qui, dum flagellarentur, hæc acclamarent (qui imperatoriis sanctionibus non obtemperant, et in contumacia permanent, talia merito patiuntur) paulum adhuc spirantes in carcerem conjiciunt, posteroque die * Sanctum et simul discipulum iterum sistunt, totum vibicibus coopertum, totum tumentem, totum plagis ferventem: et quamquam C adeo doloribus laborantem nihilominus aliis crudelioribus pœnis mulctare non parcunt, natura prorsus repulsa. Linguam enim illam theologicam, sermones fluviis abundantiores fundentem, e faucibus usque et contigua epiglottide scelerate exscindunt, ut, vocali instrumento ablato, simul ei sermo et doctrina per sermonem auferretur, et imposterum tacens ac sine voce maneret. At enim, bone Maxime, quamvis lingua exsecta non taciturus, neque sermones illos dulcissimos non sonaturus eras. Sed qui linguas infantium facit disertas, et mutis dat loqui, et surdis audire; ipse et te præter opinionem et vocem mittere, et loqui, et verba magis quam prius articulata edere fecit.

sed sine illa loquuntur: deinde amputatur eis dextra:

50 Postquam autem idem in discipulo Anastasio designarunt, et linguam quoque ab imo exciderunt, eadem et ipsum gratia confirmavit, eique citra instrumentum vocale, ubertim et coplose loquendi facultatem admirabiliter dedit. Ob quod majore invidia conciti illi scelerati, aliud Generosis et novum magis tormentum adhibuerunt, quasi injuriam se facturos existimantes, nisi omnem in iis cruciandis atrocitatem experirentur, quos et longe præstabat neci datos tollere e medio, D quod et ipsi cupiebant, quam talibus excarnificari suppliciis. Tenuibus enim funiculis Sancto implicito et tormentis undique presso, cultro et malleo dextram manum præscindunt et humi abjiciunt. Mox eodem furore certaminis socium Anastasium aggressi, idem supplicium ei irrogant, ut omnino pari gloria perfrueretur; quos lingua et manu carentes, prætorio ejiciunt, in forum rapiunt, et circumducunt, membra amputata ostentant, confusos clamores tollunt, probris et dicteriis eos incessunt.

Amborum uti et Anastasii apocrisiarii exilium, divina vindicta.

51 Deinde post ignominiosam illam circumductionem in exilium longissimum pellunt, simul cum Anastasio Aprocrisiario *c*, hoc solum præclare facientes impuri illi, quod Sanctos a se segregarent. Cæterum divina justitia non defuit, quamvis sæpe iram differat: sed paulo post pœnas a scelerato Imperatore exegit, procul pulsum Syracusis in Sicilia mortem perpeti maxime miserabilem sinens. Byzantiis namque ob facta sua jure exosus, et vehementer invisus, cum metueret, ne quid mali ab iis pateretur, cum conjuge et liberis inde discessit. Cui lavandi causa balneum ingresso, quidam ministrorum ejus vase lethalem in caput plagam inflixit, totumque cranium comminuit, et infelici vitam abstulit *d*. E

Constantinus exstirpando monothelismo egregie allaborat.

52 Postquam autem filius ejus Constantinus *e* (sic enim vocabatur) cum Heraclio et Tiberio fratribus in sceptris est collocatus, eadem, qua pater, via minime sibi incedendum judicavit, ne similem mercedem reciperet. Quamobrem undequaque Patribus congregatis, et magna synodo instituta, quæ etiam sexta œcumenicarum *f* dicitur, cum multa quidem, et alia memoria digna per eamdem peregit, tum duas Christi voluntates, et operationes in duabus naturis luculentius promulgavit, execrationi et anathemati subjectis, qui illud μονοθέλητον dogma inducerent, et assererent. Hoc ipsum antea *g* Romæ primarius episcopus Agatho post *h* Martinum in Sedem receptus divino spiritu impulsus præstiterat. Nam et ipse maledictos et ab Ecclesia alienos sceleris perpetratores declaravit. Sed hæc quidem posterius acta sunt.

Aliud Sancti, et Anastasii utriusque exilium; unus eorum in illo mortuus.

53 Ubi igitur Maximum, ut dicebamus, in exilium deportarunt, contigit eum in itinere multa pati, ac multos dolores sustinere, utpote qui nec jumento, nec lecticæ insidere posset, quod afflictionibus illis et mille cruciatibus omnino confectus erat. Quare in grabatum vimineum imponentes, ægreque et cum labore portantes, longam illum viam asportant *i*, eumque in quodam Alaniæ *k* castro (Schemarium *l* vocant) includunt, et ab omni cura desertum relinquunt. F Et cum egregium ejus discipulum eum cognomine eadem via egissent, ambos a magistro, et ipsos inter se separant *m*, multa loca *n* sigillatim commutantes, et procul a regione Abasgorum *o* abducentes. Ex quo etiam unum illorum multa afflictione fessum, et ipsum spiritum, qui solus illi supererat, emittere contigit. Nec dies sciri potuit, quo hinc emigravit, sicut cognominis ejus scripsit, Anastasius, inquam, apocrisiarius *p*.

Mors S. Maximi ac gloria sepulcri.

54 Porro divino Maximo in castello Alaniæ incluso, et sibimet in necessitatibus corporis ministranti, quamvis grandævus *q* esset, ut diximus, divina quædam visio cælitus oblata est, quæ illum et de mortis die certiorem faceret *r*, et ad illa tabernacula accerseret. Qui dies ut advenit (decimus tertius Augusti *s* videlicet) rebus humanis relictis, in cælum evolat *t*, cælo et illa habitatione revera dignus. Sepulchrum *u* autem, in quo sacrum ejus corpus depositum est, tres lucidæ faces

A ces post primam noctis horam ex eo tempore illuminaut, mirabili, ut par est, aspicientes stupore complentes, et liberalissimi Dei ergo Famulum ejus amplissimam gratiam ostendentes *x*.

x *Eum invocat Vitæ auctor,*

55 Sed tibi quidam, o sanctissime Pater, magna sane hic gloria et claritudo est, cum te Dominus supra alios etiam sic honoraverit : major autem multo, et excellentissima, quæ illic tibi sors cælestis tributa est, magno lumini astanti, et splendorem beatæ, et, quæ est lucis princeps, Trinitatis in te ipsum recipienti, et, quod summe est admirandum, Deo per unionem facto, et per participationem Deificato totum, Deificationeque inenarrabili impertito. Quamobrem tali gloria potitus nobis adhuc in præsenti sæculo natantibus, et longam hanc vitam periculisque expositissimam transmittentibus etiam atque etiam opitulare, ut, te gubernatore ac duce, sine pondere hoc instabili mari enavigato, in portu tranquillo et æterno consistamus, ubi beata vita, et requies tranquillissima.

B 56 Hæc oratio nostra, o Patrum optime, filiorumque amantissime, rebus quidem tuis, quod ipse fateor, omnino inferior est; amore autem inferior nulli, ut existimo. Causa autem et auctor orationis deditissimus tibi hierarcha seu antistes fuit, qui et nomen et similitudinem morum ejus, qui Myrorum gregis summus pastor fuit (Nicolai) abunde adeptus est. Hic semper scriptorum tuorum mirum in modum studiosus, et maguopere te amat, et tuum dulcissimum nomen usurpare pro deliciis habet. Cui etiam retribuas tecum in eodem tabernaculo habitare, cum et ipse, ut cernis, pro honesto ac bono contentionem suscipiat, et animam ipsam tradat, si modo hoc ipsum rebus præstare et consequi liceat, pro quo certat *y*.

et indicat, quo impulsore eam scripserit.

y

ANNOTATA.

a *Sententiam ipsam protulimus in Comm. præv.* § 6.

b *Tragicam hanc scenam Baronius ad annum* 657 *subdit actis Constantinopoli in secretario (de quibus hæc Vita superius agebat num.* 31) *At non satis recte : cum tot alia fuerint intermedia, uti patet e serie narrationis ejusdem Vitæ.*

C c *Tormenta superius enarrata extende etiam ad* S. Anastasium apocrisiarium, *ob ea quæ habet noster Commentarius* § 6.

d *Anno Christi* 668. *Hujus rei eventum sic refert Theophanes pag.* 292 *:* Hoc anno imperator Constans Syracusis Siciliæ in balneo, cui nomen Daphne, dolis in eum paratis occisus est. Necis autem causa fuit hujusmodi. Morte Theodosio fratri ejus opera illata, Byzantinorum odium in eum vehementer exarsit, ubi maxime Martinum sanctissimum Papam Romanum cum decore CP. transvexit, et in Chersonæ regionem relegavit : et Maximum insuper eruditissimum confessorem lingua mutilavit, et ejus abscidit manus etc. Propter hæc, inquam, cuncta odium omnium in se concitavit flagrantissimum; quo deterritus imperium Romam transferre decrevit, ac nisi Andreas cubicularius et Theodorus Coloniensis ejus consiliis obstitissent, imperatricem ac tres ejus filios ad se transfretari jussos CP. abduxisset. Per annos sex deinde in Sicilia moram traxit. Eo igitur in memoratum balneum ingresso, Andreas quidam, Troili filius, ut officium ipsi præstaret, una ingreditur. Cum vero sapone Gallico se detergere cœpisset, elatum in aëre cadum in caput imperatoris Andreas impegit, et fugam confestim arripit. Imperatore demum in balneo demorante, qui foris astabant, intus se mittentes, trucidatum inveniunt.

e *Cognomento Pogonatus : de quo Baronius ad annum Christi* 668.

f *Constantinopolitana tertia, anno* 680 *celebrata sub Pontificatu S. Agathonis PP.*

g *Anno videlicet* 679, *uti censet Pagius ad istum annum num.* 15, *celebrata fuit synodus Romæ* 125 *episcoporum contra Monothelitas; quam Baronius differt ad annum* 780.

h Post *quidem, at non immediate : nam Martino Eugenius I, Vitalianus, Adeodatus, Donus successere, quem deinde secutus est Agatho anno* 678.

i *Quæ hic breviter narrat biographus, confirmantur et ab adjunctis illustrantur in Commentario* § 7.

k *Ortelius in Thesauro geographico* Alania *inquit.* Ἀλανία, episcopatus in sanctionibus Pontificiis Orientalium impp. circa Byzantium alicubi in Europa aut Asia. *Sed hoc est obtrudere indiviE duum, ut ita loquar, vagum. Quæ autem de* Alanis *congerit, ea perspicuitate carent, quam ad propositum nostrum hic requirimus. Rem ergo explanare conabimur aliunde. Epistola* S. Anastasii apocrisiarii *ad Theodosium presbyterum Gangrensem, in principio paragraphi* 7 *Commentarii prævii citata, sic narrat :* Cum venissemus ad... regionem Lazorum.. statim separaverunt nos ab invicem.. et.. Maximum abbatem.. incluserunt in castro Schemari vocitato, juxta gentem eorum, qui dicuntur Alani. *In tabula geographica Sarmatiæ, quæ expanditur in Notitia orbis antiqui a Cellario edita ad pag.* 313 *partis* I, Lazi *notantur in Colchide versus Phasim fluvium, inter Pontum Euxinum, Moschicos montes, et Caucasum. Et regione vero Lazorum pergenti versus Caucasum occurrunt trans illum montem* Alani *in dicta tabula; præter quos, considerato locorum situ, non videntur quærendi alii in rem nostram.*

l *Combefis. pag.* XXVII Σχίμαριν *apographum vero Sabaud.* Σχιμάριον

m S. Anastasius apocrisiarius *in epistola sua ad Theodosium presbyterum Gangrensem distinctius ista recenset, uti videre datur in Commen- F tario prævio* § 7. Dominum, *inquit*, Anastasium abbatem, et me peccatorem super equos impositos duxerunt et incluserunt, illum quidem in castro Scotori dicto Apsiliæ, quæ est prope Abasgiam; me autem in altero castro, cujus nomen Buculus erat, regionis quæ Mesimiana vocabatur, in jam dictorum confinibus Alanorum. *Ea sic utcumque explanamus. Arrianus in suo Periplo Ponti Euxini hæc brevissime ;* Lazis *(de quibus dicebam modo lit.* k*)* finitimi Absilæ.. Absilis Abasci. *Quæ Baudrandus pluribus ita explicat :* Abasci, qui et Abasgi, populi fuere Colchidis, qui, teste Arriano, habitabant in ora littorali Ponti Euxini, versus Dioscuriadem, inter Coraxos ad Boream et Absilas ad meridiem, ubi nunc pars septemtrionalis Mingreliæ regionis, teste Archangelo Alberto.

n *Idem* S. Anastasius *loco mox designato*, Dein, *ait*, post paucos dies, sumptis tam me quam beato Anastasio a prædictis castris, illum quidem miserunt ad castrum nuncupatum Suanias.. Me autem in castrum, quod dicitur Thacyria juxta Hiberiam. *Castrum illud* Suanias *suspicor habere connexionem cum populis* Suanis, *de quibus Baudrandus hæc notat :* Suani, populi fuere Colchidis,

A ANONYMO. dis, testibus Plinio et Cedreno. Ibericam nationem ultra Caucasum vocat Agathias. Inter Lazicas gentes numerantur in Authenticis. Ibidem fere sunt, Ptolemæo teste, in Sarmatia Asiatica, quo in loco SURANI legunt ejus interpretes. *Jam vero in tabula Cellariana, quam designabam supra lit. k, Iberiæ regio jacet inter Albaniam ad ortum, et Colchidem ad occasum; a septemtrione Caucasum montem, a meridie autem Armeniæ limitem respicit.*

o *Ita etiam textus Græcus apud Combefisium pag.* XXVII Πόῤῥω που τῆς τῶν Ἀβασγῶν χώρας *Id est:* Procul ab Abasgorum regione. *Cur ergo ac sic reddit Combefisius :* Procul AD Abasgarum regionem? *Ambos sane* Anastasios *procul ab ea regione distractos fuisse, suadent mihi cum ea, quæ statim dicta sunt lit.* m *et* n; *tum quod unus illorum ex eo mortuus sit, ut colligitur ex Vita num.* 53.

p *In epistola ad Theodorum Gangrensem. Vide Commentarium prævium num.* 58. *Obiisse vero* S. Anastasium *die* 24 *Julii anno* 662, *aliunde ibidem probatum invenies num.* 59. D

q *De Sancti ætate agit Commentarius num.* 64.

r Cum prædixisset ex divina revelatione suam in Domino ante dies quindecim dormitionem futuram, *uti ibidem num.* 59 *habes ex Hypomnestico.*

s *Ibidem etiam signatur dies obitus* 13 *Augusti, qui proinde a biographo recte notatus est. Accidit autem* feria septima *seu sabbato, sicut liquet ex Commentario num.* 60.

t *Anno* 662, *non autem* 657. *Consule ibidem dicta num.* 60 *et* 61.

u *De loco sepulcri mentio facta ibid. num.* 63.

x *Miraculum hoc confirmatur in Comm. præv. num.* 62 *et* 63.

y *Ms. Sabaudicum habet hanc clausulam :* ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ, καὶ προσκύνησις. Quem decet omnis gloria, honor et adoratio *etc. Clausulam quoque apponit exemplar Vitæ apud Combefisium.*

B E

DE S. WIGBERTO PRES. CONF.

IN GERMANIA

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Synonymi plures, hujus patria, cultus et gesta. Scriptor Vitæ B. Servatus Lupus.

ANNO DCCXLVII. A S. Bonifacio in Germaniam accitus est,

Inter hujus nominis varios celebres viros varie nonnihil a scriptoribus efformatos (Wicbertus, Wichbertus, Wippertus, Wigberchtus, Vigebrechtus) *de quibus videri possunt Observationes præviæ Mabillonii Sec.* III *parte* I *a pag.* 671, *duo præcipue ad hunc diem pertinent, is nempe quem ut S. Egberti socium, apud Frisones fidei prædicatorem, inter Prætermissos recensuimus, et* C *hic alter illustrior qui sub S. Bonifacii Germaniæ apostoli, archiepiscopi Moguntini et martyris directione præfuit duobus cœnobiis, nempe Fritzlariensi et Ortdorffensi, ab aliis* episcopus, *ab aliis* abbas, *a Rabano et pluribus* presbyter et confessor *simpliciter nuncupatus, ut ex mox citandis Martyrologiis planum fiet. De patria dubitandum non est; Anglo-saxonem fuisse et S. Bonifacii popularem, diserte asseritur in Vita, ex qua etiam docemur, ab eodem in Germaniam* diligenti industria accersitum, futurum *nempe* in prædicatione solatio. Atque ille S. Bonifacio, imo Deo parens vocanti.... iniit consortium sancti propositi : quem B. Bonifacius, ut par fuit, et excepit gratissime, et germana sibi charitate fœderatum summa veneratione suspexit, quod, ut natu major, ille studiis flagrasset ante divinis

varüs titulis donatus in Fastis. 2 *Porro quam accurate et sedulo commissa sibi ab Apostolo, jam archiepiscopo munera administraverit* S. Wigbertus, *habes in prædicta Vita numero* 5 *et sequentibus, ubi de virtutibus ejus ac miraculis fusius disseritur. Iis omnibus præclare gestis non nisi uno seculo posterior Rabanus cum in suo Martyrologio, deformato plusculum nomine, signat his verbis :* In Germania provincia, S. Vigeberechti presbyteri et confessoris. *Nescio unde Grevenus eruerit alium, quem ei præter ceteros titulum tribuit, dum ita Scribit :* Ipso die Wichberti episcopi et confessoris. *Rabanum secutus est Beda Plantinianus, nomine paulo melius efformato :* In Germania provincia, natale S. Wigberti presbyteri confessoris, *et sic etiam scripsit Molanus. Codex Usuardinus Bruxellensis eum ita annuntiaverat :* Item S. Wicberti abbatis. *Ne plura hic ex Menardo aut aliis monasticis ad cultus probationem congerantur, sufficiat Martyrologii Romani auctoritas :* In Germania, sancti F Wigberti presbyteri et confessoris. *Atque hæc ex dicto Beda Baronius, in Annalibus nonnulla miscens, quæ ex Vita hic danda ad rectam normam facile ordinari poterunt.*

Vitam scripsit Servatus Lupus sæpius editam. 3 *Eam composuit vir satis celebris Servatus Lupus abbas Ferrariensis, altero item post Sancti obitum seculo, primus autem typis vulgavit Busæus noster cum Hincmari epistolis Moguntiæ anno* MDCII, *unde eam accepit Surius. Pluribus eamdem illustravit inter ejusdem Lupi opera Vir Clar. Stephanus Baluzius, ediditque Parisiis an.* MDCLXIV. *Novissime vero Actis suis Benedictinis inseruit Clar. item Mabillonius seculi sui* III *parte* I, *a pag. ut jam dictum est,* 671. *Est et alia apud nos Ms. vetustissimo charactere; verum hinc inde ita contracta et deturpata, ut nulla ejus ratio haberi potuerit, Præplacuit Baluziana editio, quam et Mabillonius ipse secutus est, hac sola facta mutatione, quod triginta brevia capita seu capitula in totidem numeros distinxerimus, singulorum titulis ferme ad marginem adscriptis. Quæ explicatione opus habere videbantur in Annotationes conjecimus. Dubia hic modo aliqua expendemus.*

4 *Inter*

AUCTORE J. B. S.

S. Bonifacii fuit discipulus non magister,

A 4 *Inter synonymos Wigbertos sex aut septem numero, et quidem ferme synchronos,* Wigbertum *hodiernum, ut citatis supra Observationibus distinguit Mabillonius, a Wigberto abbate Nutscellensi, qui S. Bonifacio magister fuisse dicitur, quemque Baluzius eumdem fuisse censuit cum nostro Fritzlariensi in nota ad cap. 4 pag. 492. Video rationes seu potius conjecturas utrimque afferri posse, verum pluribus hic eas exponere, minime opus est, dum Sanctum certo habemus qui duobus in Germania cœnobiis Fritzlariensi et Ortdorffensi præfuit, in cujus Vita et gestis illustrandis disquisitio nostra unice hic instituitur. Ut tamen verbo dicam, Mabillonio assentiri malim quam Baluzio, quandoquidem in Vita* IV *Bonifaciana, apud nos tom. 1 Junii pag. 486,* S. Wigbertus, *licet ætate paulo senior, non ut magister sed ut discipulus satis clare designatur his verbis:* Duo autem ex illis electis Dei (*discipuli nempe enumerantur*) Wigbertus et Burghardus ante Magistrum migrarunt a seculo; sed non sunt illi absque palma electionis suæ, dum ad regna cælestia Magistrum præcedere meruerunt, et in B regionibus suis pro Sanctis Dei habentur et coluntur ab omnibus qui vitam illorum et virtutem cum Deo nosse potuerunt. *De S. Burchardo agetur* XIV *Octobris.*

sacerdos secundi ordinis.

5 *Aliam quæstionem adversus Browerum nostrum movent laudati editores Baluzius et Mabillonius ad Vitæ cap. 6, apud nos num. 5; ubi legitur quod S. Bonifacius,* Wigbertum sacerdotem SECUNDI ORDINIS cœnobio suo Fritislariensi præfecerit. *Nimirum an per* sacerdotem secundi ordinis *indicare voluerit Lupus S. Wigbertum fuisse* Chorepiscopum, *ut Browerus censuisse dicitur an solum intelligatur, sacerdotis nomen presbyteris et episcopis commune, primo quidem episcopis, secundo presbyteris convenire: cui rei illustrandæ adducitur liber de Vita S. Sequani abbatis, in qua ita legatur:* Quo ad presbyterii gratiam promoto, quidam Clericorum Magnimontensis oppidi; ætate primi, moribus tamen ultimi, videntes sibi præponi Sequanum secundi ordinis sacerdotii honore, contra mussitare cœperunt. *Quid ni Sequanus æque atque* Wigbertus *sacerdotes secundi ordinis appellentur, quod ambo abbates fuerint? Hunc certe et Fritzlariensi et* C *Ortdorffensi cœnobiis præfuisse, manifestum erit ex Vita modo danda, cujus compendium, elogii vice, ex Bucelino præmittimus. Ita ipse hoc die memorat:*

Elogium ex Bucelino.

6 In Saxonia, depositio S. Wigberchti abbatis Fritzlariensis. Wigberchtus natalium splendore spectatissimus apud Anglo-Saxones enituit. Puer etiamnum mira morum probitate et raræ sanctitatis signis enituit. S. Bonifacium postea magnum Germaniæ apostolum secutus, tanti Magistri institutione tantum profecit, ut ceteris monachis præferri meruerit, a quo Fritzlariensis monasterii abbas constitutus, egregio vitæ sanctissimæ exemplo suis præfulsit, neque æger quidem a consueto abstinentiæ rigore quidquam remisit. Claruit spiritu prophetico obiitque A. C. DCCXLXII, pluribus a morte miraculis coruscus. Supra cujus examine corpus visa, mira specie, avis ter circumvolitare, quæ illico disparuit. Insigne ejus atque imprimis memorandum meritum illud: cum Saxonibus bello omnia vicina vastantibus, etiam altera vice Buriburgense oppidum, ad quod metu hostium sacræ ejus exuviæ translatæ sunt, prodigiose propugnavit, et hostes in fugam convertit; cujus ecclesiam cum iidem sæpius cremare conarentur, nequaquam potuerunt divina virtute prohibiti. Ejus demum reliquiæ jussu divino Hirtfeldiam translatæ, a sanctissimo Lullo nostro, postea archiepiscopo Moguntino, auro argentoque exornatæ sunt.

Non obiit abbas sed privatus

7 *Monendus demum lector, nos hic solius Vitæ a Lupo scriptæ rationem habuisse, neglectis Mss. et cum Buseo iis, quæ nescio quis monachus Hertfeldensis metrice involverat, ab ipso ob styli barbariem et tenebras suppressa. Neque homilias Vitæ a Baluzio subjunctas edimus, quad de gestis nihil specialim memorent, neque satis constet, utrum a Lupo aut scriptæ aut dictæ sint: imo Sancto cuilibet aptari possint, utpote quibus ad imitandas dumtaxat virtutes et ad imploranda patrocinia auditores excitentur. Magiis etiam imperite huc adducunt aliqui Bedæ sermonem, haud satis memores* S. Wigbertum *nostrum annis pluribus Bedæ supervixisse, ut quem jam intellexisti primum obiisse anno 747 totis post Bedam annis duodecim. Recte vero a nobis in titulo* presbyterum confessorem *cum Rabano appellatum, non* abbatem *intelliges ex cap. seu num. 7, ubi dicitur a S. Bonifacio* enixissimis precibus, intima E tamen humilitate conditis, obtinuisse, ut ad prius revertens cœnobium, in eo quod superesset vitæ jam quasi feriatus exigeret; *omnique adeo superioritatis charactere privatus.*

nescitur quo die: cur hoc colatur.

8 *Frustra quæsitus est obitus dies, qui nec a Lupo nec ab ullo alio signatus reperitur: hodiernis Idibus solennitas ejus adscripta videtur, quod eo die, ut infra patebit, ex capite seu num, 25, corpus ejus* monasterio Hertfeldensi invectum, a reliquis Dei servis illic exceptum, magnice primo loco est in ecclesia conditum. Atque Lullus, annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniamque ceterorum Sanctorum visuntur, auro et argento, nec non reliquis congruentibus metallis exornandum curavit, et id opus AD IDUS AUGUSTI complevit. *Ex quo tempore, nisi vehementer fallor, dies iste pro Sancti natali habitus est. Ad ejusdem cultus augmentum et celebritatem etiam pertinet, quod teste Lamberto Schafnaburgensi* Brun et Raban abbates fundamentum ecclesiæ S. Wigberti foderint anno DCCCXXXI sexto Idus Julii, *quæ postmodum* a Rabano, tunc Moguntiacensi archiepiscopo dedicata est DCCCL quinto Kalendas Novembris. *Habe modo Vitam ipsam.* F

VITA

Auctore Servato Lupo abbate Ferrariensi,

Ex editione Stephani Baluzii.

PRÆFATIO.

Reverendissimis abbati Buno *a*, cunctisque fratribus ejus, Lupus plurimam sospitatem. Cunctanti mihi, viribusque propriis diffidenti, ut Vitam sancti Wigberchti stilo coner prosequi, vestra, patres dilecti, extorsit instantia. Et æquum fuerat, in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id, quod me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenii, accessit, ut hoc opus a vobis

A. Servato Lupo.

vobis eo potissimum tempore, quo essem occupatissimus, peteretur, ni me caritas, remotis gravissimis necessitatibus meis, ut vestræ voluntati morem gererem, compulisset. Siquidem huic qui pareat, suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Ceterum divinæ erit clementiæ et intercessionis beati Viri, cujus gesta ex aliqua parte contingere statui, ut digna memoria digno sermone scribantur, et, quæ clarissima sunt qualitate, suis sensibus incultis deformata non horreant. Nec vero cuiquam hæc ideo judicentur infirma, quod octingentesimo trigesimo sexto anno Dominicæ Incarnationis, Indictione autem quartadecima, præsens opusculum cudens, ante nonaginta annos *b* acta repetere videar; cum profecto, si vel leviter eruditus, non ignoret Salustium Crispum, Titumque Livium, non pauca, quæ illorum ætatem longe præcesserant, partim auditu, partim lectione comperta narrasse, et, ut ad nostros veniam, Hieronymum Pauli sui Vitam, quæ certe remotissima fuerat, litteris illustrasse, et antistitem Ambrosium Virginis Agnes *c* passionem, cui profecto contemporalis non fuerat, editam reliquisse. Neque nova hæc est et quæ sola deprecationis egeat, majorum negligentia, scilicet tanti Viri facta non esse mandata memoriæ; cum non ab his modo, qui haud longe ante nos vixerunt, verum ab eis etiam, qui quam longissime præcesserunt, gravissima quædam suppressa cognoscamus. Proinde cur mihi fides derogetur, non video; enim, si culpa fuit hactenus virtutes hujus eximii Viri litterali non comprehensas officio, hæc profecto me exuo, nihilque, præterquam firmissime vobis comperta, mihique quodammodo assignata, legere volentibus præbeo. Id autem a periti benevolentia lectoris obtinuerim, ut sicubi latini sermonis lenitas hominum locorumve nominibus Germanicæ linguæ vernaculis asperatur, modice ferat, ac meminerit non carmen me scribere, ubi poëtica licentia nonnunquam nomina mutilantur, atque ad sonoritatem *d* Romani diriguntur eloquii, vel penitus immutantur; sed historiam, quæ obscurari cælorum obliquitatibus renuit. Verum jam propositum ordiamur.

ANNOTATA.

a Brun *ab aliis appellari jam intellexisti ex Comment. prævio num.* 8.

b *Obierat nempe Sanctus anno* 747, *scribebat autem Lupus anno* 836.

c *S. Agnetis nomen varie inflecti satis notum est.*

d *Hæc utique ratio cur nomen Willebrordi in* Clementem, *Winfredi in* Bonifacium *aliaque mutata sint.*

CAPUT I.

Ob virtutum famam a S. Bonifacio in Germaniam accersitus, binis cœnobiis præficitur, sed privatus obit.

Indigenas *a* Britanniæ, qui Anglo-Saxones appellantur, ab eis, qui Germaniæ septemtrionalem tractum incolunt, Saxonibus originem ducere, documentis approbatur. Namque Britannorum quondam rex Vurtigernus frequenti bellorum incendio, suis pene copiis interceptis, a Germania, consensu popularium suorum, contrahenda curavit auxilia; accersitique ab eo Saxonum exercitus, trajecto mari, quod Galliæ Britanniæque prætenditur littoribus, consistendi loco in Orientali parte insulæ a præfato rege accepto, prælium mox cum adversariis conseruerunt et eos fuga impune fuderunt. Quod ubi suis, ac simul ubertatem insulæ nuntiarunt, validior manus armatorum illuc denuo missa est; ac sedes a Britannis ea conditione sortiti sunt, ut illi quidem tuendæ patriæ solertius invigilarent, indigenæ autem stipendia militantibus penderent. Hac occasione magnam partem insulæ Saxonum vis brevi spatio temporis propriæ ditioni subegit.

Qualiter Saxones facti sint incolæ Britanniæ insulæ

2 Ab horum posteris, postquam se Christianæ religioni submiserant; beatus Wigberchtus, ab Anglis Saxonibus claram trahens originem, natalium secularem nobilitatem merito virtutum longe transcendit. Ab annis etenim puerilibus adeo probitate morum enituit, uti jam tum palam emineret, fore, ut tanta indoles magnum quiddam, supraque communem prorsus mensuram divinitus, ut contigit, sortiretur; atque studiose sacris litteris institutus, ardentissimum amorem, nec minorem sane venerationem longe lateque gravitate sibi peperit singulari.

De ortu S. Wigberchti et quod ob studium virtutum amatus fuerit ab omnibus in partibus illis.

3 Dumque felix illius ubertim spargeretur opinio, ad clarissimi viri Bonifacii aures usque nutu divino pervenit. Hic Bonifacius tantæ sanctitatis extitit, ut cum consensus omnium, non in Germania modo, ubi in agro Dominico, incertum studiosius an felicius laboravit, verum etiam in Gallia et in aliis partibus orbis, majorum per omnia gloriæ coæquandum et constantissime credat et liberrime fateatur. Fuit enim fidei Christianæ cum propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus; nesciens aucupari favorem principum fœdissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac male dulcoratis refrigeriis enervare *b*. Ita, postquam se totum Deo devoverat, desudantem, novamque gentem Fresonum Ecclesiæ gremio consciscentem, invictissimum Christi militem gladio violare non verita rabies barbarorum, martyrii coronam *c* fecit referri de prælio. Sed, ut a quo paululum deflexit, ad propositum revertatur oratio;

De fama et honore illius, et brevis commemoratio sanctitatis et martyrii sancti Bonifacii.

4 Idem Bonifacius, cum induxisset in animum incredulis aperire viam salutis, quique aberrassent, in eam, cooperante Deo, reducere, non multo post quam in Germaniam venerat, beatum Wigberchtum futurum in prædicatione solatio, diligenti arcessendum curavit industria. Atque ille beato Bonifacio, imo Deo parens vocanti, quo tempore dux Francorum Carolus rerum potiebatur, iniit consortium sancti propositi. Quem beatus Bonifacius, ut par fuit et excepit gratissime et germana sibi caritate fœderatum summa veneratione suspexit, quod, ut natu major, ille studiis flagrasset ante divinis.

Quod ab eodem Bonifacio in auxilium prædicationis sit vocatus.

5 Neque multo post ad amplissimum Pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci divina gratia provectus, Wigberchtum sacerdotem secundi ordinis cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum lingua Friteslar, magistrum præfecit, uti monasticæ illic religionis normam statumque componeret. Ibi cum Megingo *d* suo, qui postea culmen episcopale subiit, diu conversatus est et laxam antehac ac fluidam fratrum conversationem ad normam suæ vitæ coërcuit, qui procul dubio sanctarum

Quod monachus in Frideslar abbas sit constitutus.

A sanctarum Scripturarum regebatur auctoritate.

Quod ad Ortdorff jussu sancti Bonifacii transierit.

6 Cumque sacræ professionis illic studium longo imbibissent usu discipuli, curamque magisterii quamplures, æmulando magistrum, concepissent; haudquaquam passus beatus Bonifacius tanti Viri lumen unius loci tenebras prævia Christi gratia dispulisse, monitu paterno ad alterum compulit migrare monasterium, quod Ortdorff *e* nominatur. Atque ibi successu simili desudans, quæ perperam gerebantur correxit; ac ipse absque diverticulo carpens arctam viam, quæ infatigabiles quosque ducit ad vitam, catervam fratrum post prospere traxit. Instructus enim Salvatoris exemplo, docenda prius implebat; quaque gradiendum moneret, præcedere consueverat.

Quod iterum ad Frideslar reversus, arctiori se vitæ dederit.

7 Itaque non frustra illic tritis aliquot annis, cum præter id quod senio gravabatur, ancipiti morbo subinde laboraret, nihil citra sancti Bonifacii gerere volens auctoritatem, enixissimis ab eo precibus, intima tamen humilitate conditis, obtinuit, ut ad prius revertens cœnobium, in eo, quod superesset vitæ, jam quasi feriatus exigeret. Ubi gratulantium fratrum receptus frequen-B tia, veluti repuerascens, atque juvenescens, rudimenta denuo sanctitatis et arctissimi certamina propositi diligenter aggressus, non emeritam ætatem, non tot superatos labores metiri consensit; verum oblitus præteritorum secundum Apostolum, gaudiis intendit æternæ beatitudinis, quorum adipiscendæ dignitati nihil par in hac vita valet expendi. Et quamvis corpus illius morbo, sicut diximus, urgeretur, non patiebatur animus huic lautioris indulgentia cibi abstinentiæ fræna relaxare. Non quod, si qui remissius consulant sibi, dum infirmantur, hos arbitraretur culpandos, sed quod sponte a licitis temperando, ad promerendum Deum non parum quemlibet progredi suo vas electionis confirmavit exemplo. Sicque observandissimus caritatis, fratrum se contemperabat societati; ut verbis tamen inanibus obstinatissime abstineret, ac sacræ legis meditationem nunquam mente deponeret.

Quod postulatus, non præstolando comites, visitarit ægrotos,

8 Hæc vero semper Wigberchto illi solennis fuerat consuetudo, et cum a fideli aliquo rogatus confessionem auditum pergeret, nec vitare congressus commeantium posset, non temere cum aliquo sermonem consereret, salutationibusve vacaret; (quæ profecto, ut eleganter quidam sen-C tit, nonnumquam ex occasione itineris, non studio funduntur obtinendæ cujusquam salutis) sed hinc speciale præceptum Domini retinens, seria salutis monita largiturus, morarum festinaret impatiens. Ac sicubi conventum hominum offenderat: qui salutaribus indigeret consiliis: continuo, posthabitis temporalibus, quæ ad animæ perpetuam salutem conducerent, ad medium deducebat; et variis alliciens legis divinæ sensibus auditores, ut scientissimus omnino medicus, animæ passionibus medebatur occultis.

De vite miræ magnitudinis ab eo ex grano uvæ plantata

9 Illud etiam haudquaquam præterierim silentio, unde constantissima fama fidelium nec accita se suggerit. Namque dum quondam rem divinam de more faceret; incertum quo casu, vinum, sine quo sanguis Domini non conficitur, defuit. Hic ille festinus ecclesiam egressus, et forte pendentem in vite botrum conspicatus, vellit atque in calicem continuo liquorem manibus puris expressit. Quibus demum explicitis, unum reperit granum attritu illæsum: quod mox ante ecclesiam panxit et e vestigio ad conceptum officium peragendum concessit. Eo finito, quidam sollicitior frater, qui quod paulo ante gesserat observasset, ex eo humiliter facti rationem quæsivit. Tunc ille se deprehensum animadvertens: Si, inquit, opera mea Domino curæ sunt, intra novem annorum curriculum hic nimirum declarare dignabitur. Nec finem hujusmodi, qui credebatur, eventus non est consecutus. Siquidem ex eo grano vitium propagines emerserunt, ut brevi occupato immodico terræ spatio, nixæque adminiculis suo lapsu sedentibus gratissimæ porticus tecta præberent.

A. Servato Lupo.

Quali fine mundum reliquerit.

10 Perseveravit autem beatus Wigberchtus in præfato monasterio, divinis ministrans præceptis, obliquosque semper adversatus mores, quoad illum divina vocatio vinculis carnalibus liberaret. Sic graviori præcedente languore, ad præsentis vitæ metas perveniens, diem obiit *f* consorsque Sanctorum effectus est.

ANNOTATA.

a *De indigenis Britanniæ istius temporis plura notant Baluzius et Mabillonius, quæ ex Bedæ historia satis nota supponere poterant.*

b *Videantur Acta ejus illustrata ad diem* v *Junii.* E

c *Martyrium subiit Doccomii in Frisia anno* 755.

d *Alias* Megingozus *seu* Megingaudus *Herbipolensis episcopus.*

e *De eo monasterio vide jam dicta S. Bonifacii Acta tomo* i *Junii pag.* 467 *et pag.* 470.

f *Anno nimirum* 747, *ut habes in Commentario prævio, et hic etiam superius.*

CAPUT II.

Multiplicia ad tumulum signa, corpus effoditur et transfertur ob metum Saxonum, qui cælesti visione fugantur.

Quod avis pulcherrima super corpusculum ejus apparuit.

Verum hora exitus illius, admirationis plena res obtigit. Circumstantibus fratribus, visa est avis quædam, specie pulcherrima, supra ejus corpusculum ter advolasse, nusquamque post hac comparuisse. Quam fecisse indicium vitæ illius mundissimæ cunctis haud dubie constitit. F

De multiplicibus signis ad tumulum illius patratis.

12 Est autem situm corpus illius ante ecclesiam, in conditorio nullius ambitionis *a*, ibique per aliquot annos quievit: ubi, vix credibile fuerit, quot quantisque hunc Virum divina pietas illustraverit signis; quæ licet incuria litteris allegata non teneantur, passim tamen vulgata, necdum obsolevere. Atque ideo, brevitati studens, horum quædam narrabo. Meaque plane sic fert opinio, longe digniora miracula semper esse, quæ Deus ad memoriam Sanctorum egentibus indulgere dignatur, quam quæ illum per eos, quamquam sincere viventes, adhuc tamen gravatos mole corporis, frequenter gessisse veraces nobis litteræ produnt. Adhuc tentari poterant, ac quantulumcumque reformidare lapsum. De his totius jam casus expertibus hoc felicius, quo solidius, asseruntur. In illis favores non sine discrimine tolerantur humani. In his, cum eduntur, titulus eorum sanctitatis ne suspicione quidem vanæ gloriæ obscurari potest.

13 Verum ut quod polliciti sumus, jam exequamur,

A. Servato Lupo.

Quod, metu Saxonum, Hassones corpus ejus effoderint. b

quamur, effera Saxonum gens, proprium transgressa limitem, in finitimorum se agros effuderat, et indigenas, non satis fidentes propriis viribus, in oppidum, cui Buriburch *b* nomen est, formidine sui compulerat. Qui conclusi, judicantes adhuc infirmum tenui murorum interstitio salutem tueri, ossa beati Viri ad sui munimentum in oppidum transferenda curarunt; præsertim quod verentur, ne Saxonum insania violandi sepulchri sumeret copiam. Nec tamen ea translatio facile volentibus constitit.

De difficultate translationis ejusdem.

14 Namque comitante immani multitudine, cum in vallem non adeo depressam ventum esset, quæ exadversum est oppido, ibique sacros cineres, paululum quietari, deposuissent, ac mox quo cœperant, contendere præpararent; mirabile dictu, gravatæ sunt, quas hactenus detulerant, reliquiæ, nec eas fuit loco moveri facultas. Hinc consternati, satiusque sibi ducentes extrema illic experiri, quam in ancipiti patronum relinquere; tandem instantissimis precibus Domini sententiam flectentes obtinuerunt, ac feretro summa relevato facilitate, voto B potiti sunt.

De candela in fluvium demersa.

15 Fuit hoc etiam insigne miraculum, quod dum flumen Adranam trajicerent, amplissimam reverentiam crucibus, ac vexillis, necnon cereis, ac laudibus congruis, beati Viri reliquiis exhibentes, matronæ cuidam, rei novitate attonitæ, candela e manibus excidit ac penitus in fluvium mersa est. Certatim vero pluribus annitentibus recepta, quod secundum contrarium elementorum naturam fidem videatur excedere, haud obscurius ac prius flammarum reperta est globum effundere. Verum enimvero nos, qui juxta naturam fieri quidquid Dei fiat voluntate, indubitanter confitemur, sic non cessisse ignem aquæ credibile videmus, quemadmodum igni in illis tribus pueris humana non cessit natura.

De eruptione oppidanorum et strage hostium.

16 Perlatis autem in oppidum beati Viri pretiosis reliquiis, infecto Saxones agmine subsecuti, cœperunt oppidanos lacessere, eosque summa vi munitione detrudere. At illi, facta eruptione, sancti Wigberchti suffragantibus meritis prosperrime congressi sunt; ac superiores inventi, plerosque adversariorum armis fuderunt, profligaveruntque, multos plagis tardantes debilitarunt, omnes postremo salutem sibi coëgerunt fugæ præsi-C dio quærere.

Quod cœlestis visionis majestate Saxones perterriti, fugiendo vix consuluerint.

17 Qua repulsa Saxones irritatiores facti et ignominiam suam fugæ repetito certamine sarcire cupientes, ac victos prius victores ad unum delere, ipsa nocte, cui tam crudelis negotii dies elucere sperabatur, incredibili repente perculsi formidine, fusa cælitus clarissima luce ambiri conspiciantur ecclesiam, cujus memoria jam supra facta est, et per illius culmen insignem quemdam lineamentis quidem humani corporis circumscriptum, at valentiam dignitatemque mortalium longe præstantem, albis etiam vestibus amictum, hac et illac deambulare. Divino itaque nutu, et hujus visionis exterriti *c* majestate, relictis impedimentis et omnibus aliis necessariis, vitæ tantum consulere festinantes, ad fugam se denuo contulere. c

De divisione prædæ

18 Mane igitur oppidum egressi, clausi hostium impetum morabantur objectu murorum. Ut eos abiisse, imo velut nudos cunctis vulgo dimissis effugisse compererunt, divinæ munificentiæ gratulantes adversariorum spolia viritim partiti sunt, inopumque gaudium revexerunt.

19 Neque ita multo post, cum iidem Saxones revertissent, instauraturi male toties experta certamina, unus eorum capit ignem, et fomenta D subjicit, ecclesiam conflagrare jam dictam molitur. Sed casso infectoque nisu, divina virtute per intercessionem sancti Wigberchti *d* repulsus, conatibus vero sacrilegis digna retulit præmia, paralysi scilicet perenni mulctatus.

De homine paralysi perenni mulctato. d

De raptore sensu et visu privato.

20 Eamdem etiam domum quidam ex illis expoliare conatus, defracta janua irrupit, crucisque argenteam laminam affabre inauratam rapuit, prophanisque manibus nequaquam efferre cunctatus est. At confestim divina ultio insecuta, ita hunc reddidit impotem sui, ut brutum magis animal, quam hominem diceres. Sic cum lamina circa ecclesiam repertus oberrans, quod sciens male sublegerat, juste nesciens reddidit. Sanctorum quoque reliquiæ, quas iidem asportaverant, in villa Gesmari, quæ non longe abest, repertæ sunt integræ.

ANNOTATA.

a *Satis patet, indicari humilem et pauperem Sancti sepulturam.*

b Buriburch *oppidum est in finibus Hassorum* E *et Saxonum ultra flumen Adranam contra Frieslariam in edito montis jugo, ut ex Browero notavit Baluzius.*

c *Quæ vero hic pluribus narrat idem Baluzius, ad hujus Vitæ illustrationem non spectant.*

d *Id miraculi, ut vult Mabillonius ab Eginhardo et aliis S. Bonifacio tribui videtur; at eum non una Saxonum impressio fuerit, facile etiam repetita fuerint miracula, ut hic Lupus memorat.*

CAPUT III.

Nova prodigia, corpus perducitur Hertsfeldiam, ibique varie ornatur, variæ sanationes.

De ineffectiva potentia ignis. F

Nec illud transierim, quod sæpedicti Saxones adhibito igni et multiplici fomite, amica sancigni materia, frequenter inculcatam domum illius ecclesiæ comburere conati sunt; sed interventu beati Wigberchti delusa est illorum insania, Siquidem tantum abfuit effectus ab eorum molitione, ut præter iu subjecta fomenta nil ignis ille valuerit, quem furens manus adhibuerat barbarorum. Videres lignorum simplicem materiam, nec prorsus alumine oblitam, velut amoliri a se ignis potentiam, et cui prius esset obnoxia, Dei voluntate vim resistendi inditam sibi ostentare mirantibus.

Quod ecclesia ipsa nullis squaloribus maculari valuerit.

22 Saxonum post discessum, pars haud exigua Hassonum (Hassones quippe dicuntur, qui incolunt ipsum pagum) mundatum ecclesiam convenere, sordere illam quam gravissime ferentes, propterea quod Saxones equorum in ea præsepia fecerant, nihilque religioni detulerant. Verum introgressi nihil penitus, quod esset verrendum, inveniunt. Ita sordium squalorem divina virtus deterserat, nulla usquam vestigia immunditiæ totius resederant.

Novis signis illustratur.

23 Hæc obtigerunt circa ecclesiam, ante quam monumentum illiusdiu mansisse monstravimus. Ceterum postquam in oppidum ossa illius transposita sunt;

A sunt; ut unguentum pretiosissimum, quando est agitatum, gratissimos late spargit odores, ita Viri hujus motæ reliquiæ ubertim miraculorum spirare fragrantiam. Aperuit nimirum verus arbiter et intimus, labefacta jam humana conditione membrorum compage, cui quondam hæc regens beati Wigberchti paruerit spiritus, dignatus eum frequenter intra biduum triduumve collatione novem signorum.

a Quod ex cælesti admonitione corpus ejus ad monasterium Herolfesfelt sit perductum. b

24 At interjectis aliquot annis, Albnino *a* præsuli Fritislarensis ejusdem oppidi qui quietem aliquis observatus, qui se divinitus missum diceret ad monasterium, cui est vocabulum Herolfesfelt *b*, quo et ossa beati Viri transferri præcepit. Id memoratus episcopus Lullo Moguntiacensis ecclesiæ Pontifici revelavit; isque rem ad Magnum Carolum detulit, ac ejus assensum protinus impetravit. Ita, Lullo jubente, suffraganeus ejus Albuinus tribus monachis præfati cœnobii, Ernusto scilicet, Baturicho et Wolffo, noctu sacros beati Wigberchti cineres tradidit, clam perferendos ad monasterium. Siquidem id facere interdiu veritus est, ne tanti Viri populus amore devictus fratres memoratos cæca seditione convexaret, vel B quibuslibet injuriis lacesseret, viribusque superior sibi tam insignis thesauri privilegium vindicaret. Non quo venerabilis præsul sancto Wigberchto diffideret, qui profecto suas ferentes reliquias tueri poterat intercessione; sed quod perquam scite, pependerit, quamquam manifeste Deus faverit considerationem humani consilii, utpote justi, nullatenus posthabendam. Plenum est quippe Christianæ devotionis, quamdiu habet homo quod faciat, non tentare Dominum Deum suum. Quod si cui hæc exauctorari posse videatur assertio, illud ei obvertemus exponendum, cum Israëliticum populum Pharao dimisisset, non duxerit eum Dominus per viam terræ Philistiim, videlicet, ne forte pœniteret populum, si videret adversum se bella consurgere. Quem plane locum aliter transire sano nequaquam poterit intellectu, nisi in nostram concedens, imo majorem sententiam, ibi ostendi fateatur fieri debere omnia, quæ consilio recto fieri possunt, ad evitanda quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adjutor est.

De arca sepulcro ejus imposita. c

25 Ergo præfati fratres munus amplissimum sibi ab episcopo traditum, monasterio Herolfesfeldt celeres invexerunt *c*; et a reliquis Dei servis illic exceptum, magnifice primo loco est in ecclesia conditum. Atque Lullus, annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniamque ceterorum Sanctorum visuntur, auro et argento nec non reliquis congruentibus metallis exornandum curavit, et id tempus ad Idus Augusti *d* complevit. Ubi postea, divina exuberante gratia, magna et admirabilia signa claruere. Ex quibus, cum pene sint innumerabilia, hic pauca quædam subjungam, quorum consideratione metiatur cetera quisquis volet.

A. Servato Lato. De curatione Huntheri.

26 Quidam ægrotus eo usque ut in carruca in morem lecticæ instructa perduceretur ad memoratum cœnobium, ibi meritis beati Confessoris opitulantibus, non utcumque valuit, sed incolumitatem certissimam est adeptus; atque monastico hic habitu sumpto, obeundis cœnobii muneribus nequaquam se imparem gavisus est. Huic nomen Huntheri fuit.

De Burgwarto paralytico.

27 Alius quoque, vocabulo Burckwart, viribus propemodum totius corporis destitutus, ante limina sancti Wigberchti non parvo tempore jacuit et tandem, succurrentibus ejus efficacissimis precibus, plena sospitate donatus est. Namque diu oblito gradiendi officia recepto, etiam Romam oratum perrexit.

De Sigeberto dæmoniaco.

28 Sed ne gratiam quidem fugandorum nequam spirituum huic suo probatissimo famulo Dominus denegavit. Hac enim recenti memoria quidam correptus acerbissimo dæmone, Sigebraht vocabulo, ferreis manicis vinctus, miserabiliter attractus est, et interventu sancti Wigberchti, inimici violentia liberatus.

De Bertgero dæmoniaco

29 Sic alter, Beratgar dictus, et maligno spiritu in belluinam mutatus ex homine rabiem, apud Sancti memoriam eadem horribili passione curatus est.

E

De trimoda sanatione Ramnulphi.

30 Aliquis præterea oriundo Aquitanus, cui nomen erat Ramnulpho, ab ineunte mutus ætate, surdusque et pene ad faciem pecoris in alvum pronus, huc perductus, maximo rarissimoque miraculo affatum repente obstructarumque aurium sortitus apertionem, etiam secundum prærogativam hominis; ad intuendum cælum erectus est. Ita triplici enim hac debilitate conflictatus totidem se humani usus compendia subito meruisse miratus est.

Conclusio operis.

Hæc inchoata, ut voluistis, quam absoluta oratione direxi, qua neque commentitium aliquid extrinsecus addidi et quæ vestra solertia jussit inserenda, servato tramite veritatis expressi. Quæ beatus Confessor Christi Wigberchtus utinam pio prosequatur favore; ac vobis, qui ministrastis materiam, una mecum qui hanc in aliquam redigi formam, intercessionis vicem compensare dignetur.

ANNOTATA. F

a *De hoc præsulis nomine ex* Witta *seu* Witta*no (vulgo* Wit *lat.* albus) *formato, plura observant laudati supra editores, quæ huc transcribere operæ pretium non duximus. Vide supra notam* d *ad Præfationem.*

b Hersfelt *seu* Herveldia *satis notum in Hassia monasterium est, ad quod translatæ et perhonorifice depositæ sunt Sancti reliquiæ, ut satis dictum est in Commentario prævio.*

c *Id cum Browero factum fuisse volunt Baluzius et Mabillonius circa annum* 780.

d *In commentario notavimus, eam causam esse, cur hoc die celebretur Sancti festivitas.*



DE

A D

DE S. ZUENTIBOLDO REGE CONF.

SUSTERENI IN AGRO JULIACENSI

Sylloge de cultu.

J. B. S.

An. CM. Probato sufficienter

Quem laudavi non semel, dum de S. Vastrada agendum fuit XXI Julii, Arnoldum Hertzwormium, is ipse non exiguum momentum attulit in sua Susterenensi historia, quo demum adducerer ut Zuentiboldum seculo nono Lotharingiæ regem, omnibus omnino Fastis incognitum, hoc die inter Sanctos collocare auderem, quidquid apud plerosque scriptores, qui de ipso meminerunt, non iis ornetur encomiis, ex quibus magnæ sanctitatis indicia suggerantur, unde, ut candide fatear, tantum non inter Prætermissos rejiciendus videbatur, tametsi largissimis in ecclesias et loca pia eleemosynis, peccata abunde eluisse dici posset. Vicere demum ea quæ pro sancti Zuenteboldi cultu in opusculo suo vernaculo a paucis annis Ms. adducit Hertzwormius, præsertim parte 3, § 4, ubi dum enumerat sacras celeberrimi istius Sanctuarii reliquias, post corpora sanctorum Gregorii et Alberici episcoporum Ultrajectensium immediate subjungit sacra ossa hujus nostri S. Zuentiboldi. Tumque recensitis pluribus aliis Sanctorum ibidem cultorum corporibus et lipsanis, sic pergit § 7.

B

sacrarum ejus reliquiarum

2 *Titulum præfigit :* De singularibus reliquiis S. regis Zuentiboldi et filiarum : *atque ita pergit :* Caput S. regis Zuentiboldi Sustereni præcipue honoratur, e quo decerptus dens unus innumeros homines a dentium dolore mirabiliter liberavit, sola ejus applicatione ad dentem affectum, cujusmodi beneficii felicem experientiam testari possunt superstites adhuc, *(dum hæc sub finem præteriti proxime seculi scriberet)* personæ plurimæ tum ecclesiasticæ seu religiosæ, tum seculares.' Monstrantur C præterea in ipso sacro cubiculo vestes binæ holosericæ prædicti S. Regis rubei et viridis coloris, auro pretiosisque lapidibus distinctæ in hodiernæ dalmaticæ formam, qualibus olim reges et Cæsares indui solebant, teste Paulo Æmilio, de Carolo Calvo imperatore narrante, quod DALMATICA INDUTUS PRODIBAT CUM CORONA ET DIADEMATE SERICO. *Sancti parentis reliquiis adjecta sunt capita et ossa Sanctarum filiarum Benedictæ et Cæciliæ, de quibus agemus XVII hujus. Ceterum ex his abunde patere existimo, quanto in honore ibi habeantur Sancti, de quo hic loquimur, superstites reliquiæ.'*

vetustissimo cultu,

3 *Dubitavit olim P. Alexander Wiltheim, in hoc Opere toties laudatus, utrum* Sanctus *dici posset rex* Zuenteboldus, *verum a P. Francisco Lahier, auctore magni Menologii Sanctarum Virginum, monitus* Zuentiboldum haberi et coli pro Sancto, *idipsum significavit P. Bollando XXIII Martii* MDCXLVII. *Rem paulo accuratius examinavit P. Jacobus Kritzraedt, ad eumdem Bollandum scribens X Februarii* MDCXLII, *eique mittens apographum vetusti alicujus scripti, in quo Sancti Susterenenses certis suis diebus affiguntur, ubi loco proprio diserte legitur :* Beati siquidem Synderboldi *(ita ibi scribitur , pro* Zuenteboldi) regis memoria celebratur Ydus Augusti. *Noverat hæc omnia noster etiam Bartholomæus Fisen, dum inter Flores ecclesiæ Leodiensis non dubitavit* Zuenteboldum *hoc die consignare, eique elogium concinnavit, ex quo cetera quæ huc spectant, plane intelligentur. Citat ipse Bruslemium aliosque, sed ea maxime quæ laudatus Kritzraedt collegerat ex veteribus monumentis Susterenensibus. En ipsius Fiseni verba :*

laudatur ejus insignis religio

4 Patrem habuit Arnulfum Germaniæ et Lotharingiæ regem , illum qui donato Lobio, de ecclesia Leodiensi optime meritus, de cæsis præterea Normaunis celeberrima victoria Lovanii triumphavit. Idem ille anno octingentesimo nonagesimo quinto Wormaciæ in publico principum conventu Zuentiboldum filium suum Lotharien- E sibus regem dedit. Regnum hic auspicatus est et administravit insigni religione, quam præcipuam omnis principatus partem ducebat. Templa monasteriaque Normaunorum furore vel excisa, vel impie fœdata purgare, restaurare, sacrisque cœtibus complere in deliciis habuit. Susterenum illi carum fecit eximia sanctitudo antiquitate veneranda, sacræque Sanctorum reliquiæ. Ab imis ergo fundamentis sic instauravit, ut a nonnullis creditus sit condidisse.

et liberorum sanctitas.

5 Sacrum illic pathenonem regebat Amelberga virgo illustris sanctimoniæ, miraque disciplinæ integritate sodales instituebat. Eo monastices splendore perstrictæ tres regis filiæ virgines selectissimæ (de quibus XVII Augusti) ut ad puriorem cælestium rerum amorem magna patris solicitudine ducebantur, ita contempta omni regia majestate, religiosum vitæ institutum amplexæ sunt. Et duæ quidem ad ultimum usque spiritum ibidem sanctissime perseverarunt. Sed ad severiorem solitudinem cum anhelaret tertia, Flemaliæ templum cum tuguriolo F rex pater construxit ; in quo illa conclusa vitam egit sanctitate admirandam. Ejusmodi studiis cum se totum daret Zuentiboldus, suos optimates offendit, qui mulierculas et homines nihili (sic illi loquebantur) arcanorum omnium conscios, et regi solos in moribus esse, se vero contemni indignabantur. Illis se ducem præbuit Rugenerius dux, homo magnæ inter suos auctoritatis, sed turbulenti ingenii. Eum æquo plus insolescentem dignitate rex spoliavit regnoque ejecit.

Gravia passus

6 Verum graves adversum se motus ab eo sensit : illumque cum Odoacro comite plurimisque aliis conjuratum, et in arce, quam Durfosiam appellabant , sese communientem aggressus, nihil promovit, prohibitus inviis paludibus fluctibusque Mosæ illo loco late stagnantibus. Illi obsidione liberi Carolum Simplicem Francorum regem ad Lothariugiæ sceptrum advocarunt : et collectis copiis progressi obviam, Aquas induxerunt atque adeo Neomagum. Inopiuo territus malo rex trepide fuga se Leodium recepit ad Franconem episcopum. Quo auxilia colligente, confluxit ad suum regem tota nobilitas et in hostem itum est. Collatis

AUCTORE J. B. S.

A latis castris, cruentum exspectabatur prælium : sed commeantibus ultrocitroque legatis, pax composita est. In regnum suum, relicta Lotharingia, Simplex se convertit.

tandem opprimitur.

7 Pro turbine tam periculoso non infeliciter sedato, Zuentiboldus Cælitibus gratias acturus, auxit ecclesiam Leodiensem, donato S. martyri Lamberto nobili prædio, quod Tecta nuncupant : estque hodie pars prima Franeimontani marchionatus. Res tamen suas necdum in vado collocatas existimabat, quamdiu multi et altioribus spiritibus tumidi metuerent conjurati, quibus audaciam adderet munitio hactenus inexpugnabilis. Eam ergo aggreditur denuo, sed fortuna nihilo meliore. Quare ubi anno nongentesimo, parenti suo Arnulfo imperatori successisset Zuenteboldi frater Ludovicus, ei conjurati regnum detulerunt. Quod cum armis retinere contenderet Zuentiboldus, ad Mosam acie congressus, cum vita regnum amisit, at cæleste recepit, justum suæ religionis præmium. Sustereni sepultus, Sanctorumque Fastis additus est.

DE S. LUDOLPHO ET B. DRUTHMARS

ABBATIBUS CORBEIENSIBUS

IN WESTFALIA

SYLLOGE HISTORICA

G.C.

B

Immemorabilis horum abbatum cultus, et quædam eorumdem gesta ex variis monumentis.

E

Primus anno CMLXXXIII, alter MXLVI. Ambo hi abbates in Corbeia Saxonica coluntur,

Quamvis Hi duo Abbates diverso tempore floruerint, et primus hoc die, alter decimo quinto Kalendas Martii obierit, tamen eos hic conjungimus, quia multa legitimi cultus argumenta habent communia, ut ex dicendis apparebit. In Corbeiensi monasterio, quod ad distinctionem Corbeiæ Gallicæ, interdum Corbeia nova vel Saxonica cognominatur, ab immemorabili tempore ambo coluntur, tamquam Sancti vel Beati, quemadmodum colligo ex litteris nostri Joannis Kloppenburg, qui anno 1686 ad Papebrochium nostrum Neuhusio inter alia sic scripsit : Fui nuper, fine scilicet Octobris anni elapsi MDCLXXXV, cum celsissimo principe nostro Corbeiæ, quod celebre et imperiale monasterium R. V. novit ad Visurgium conditum; quo tempore in eleganti eorum templo vidi sequentes Divorum statuas cum titulo Sancti

C aut Beati, ut subjungo : Sancti Ludolphi abbatis Corbejensis..... Beati Druthmari abbatis Corbejensis.

ut testis oculatus ad nos scripsit,

2 Deinde in fine ejusdem epistolæ oculatus ille testis ad rem nostram addit sequentia : Eodem tempore, de quo supra, fui in sacello vel quasi crypta templo conjuncta, in qua religiose asservantur reliquiæ beatorum Ludolphi et Druthmari abbatum Corbejensium, olim a Marquardo, ex abbate Corbejensi episcopo Osnabrugensi, elevatæ anno MC. et ante aram sanctæ Crucis repositæ; deinde a Christophoro Bernardo de Galen episcopo Monasteriensi et administratore Corbeiensi, cum novum templum moliretur, inventæ, integra corporum compage, in deauratis loculis anno MDCLXII, mense Octobri; inde translatæ sunt ad sacellum, de quo antea, ubi et easdem veneratus sum. Denique laudatus Kloppenburgius in altera epistola notat diem obitus vel cultus eorum Sanctorum, quos in monasterio Corbeiensi viderat. Cum autem non sciret diem emortualem B. Druthmari, nobis suasit, ut eum jungeremus S. Ludolfo abbati, quocum reliquiæ illius elevatæ sunt. Castellanus in Martyrologio suo universali etiam certam mortis diem ignoravit, et ideo B. Druthmarum inter Sanctos ahemeros collocat.

et ex veteri corporum eorum translatione colligimus,

3 Etsi nos ex Annalibus Corbeiensibus et Necrologio Laurishamensi didicerimus, B. Druthmarum die XV Februarii obiisse, nihilominus eum adjunximus S. Ludolfo, quocum etiam habet epitaphium commune, quod Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini sec. V pag. 726 sic refert :

Istic translatos Patres gaudete Beatos
Istius ecclesiæ, quam congrue rexit uterque
Tempore distincto, dictis, et cum benefacto.
Druthmarus dextra (lector non negligat ista)
Abbas præclarus jacet hac in parte Ludolfus.
Et sic in Sanctis Deus aspice cor venerantis
Patris Marcwardi, simul artificis Godefridi,
Quorum devota prece complaceant tibi vota.

Mabillonius hanc notitiam accepit ab Adolpho Overhamo, Benedictino abbatiæ Werthinensis monacho, qui in notis ad Vitam B. Meinwerci pag. 366 tempus hujus translationis indicat ex Fragmento Annalium Corbeiensium, quod ad annum MC, Indictione VIII sic sonat : Luidolfus et Druthmarus abbates translati sunt, et miraculis claruerunt. Nos in Annalibus Corbeiensibus, quos Christianus Franciscus Paullinus anno 1698 in Syntagmate rerum Germanicarum edidit, ad eumdem annum MC hæc pauca legimus : Dietmar noster una cum Liutolpho abba nostro miraculis claret. Sed in iisdem Annalibus Corbeiensibus ad annum MLXXXVI de Marcwardo abbate, sub quo hæc translatio facta est, leguntur sequentia : Ossa Lieutholphi et Dietmari abbatum nostrorum elevavit, et ante aram sanctæ Crucis posuit cum summa reverentia. At quocumque anno hæc translatio sit facta, ex iisdem Annalibus patet, S. Ludolfum non diu post mortem miraculis claruisse, sicut antiquus auctor ibidem ad annum millesimum indicat his paucis verbis : Claret miraculis Liutolphus abba noster.

F

cultum illum ab immemorabili tempore cœpisse.

4 Porro laudatus Overhamus in Notis proxime citatis pag. 367 post relatos eosdem versus, quos Mabillonio antea communicaverat, de suo addit sequentia : Anno MDCLXII, mense Octobri reperta sunt horum Abbatum corpora, integra ossium

AUCTORE G. C.

ossium serie, pannis sericis involuta, in tumbis seu arcis ligneis deauratis ante altare sanctæ Crucis sub ingenti lapide, cui insertus erat annulus, quo vecte attolli posset, in medio veteris templi, quod deinde dejectum est eodem anno, sublatis prius sacris ossibus, sed incuria cujusdam, cujus nomini nunc parco, permistis confusisque. *Quandoquidem ex his antiquis versibus, et sedula reliquiarum conservatione, aliisque hactenus dictis abunde videtur constare de immemorabili horum Abbatum cultu, non censeo, hic accumulandas esse recentiorum Martyrologorum annuntiationes, quæ sine vetustioribus testimoniis legitimam horum Sanctorum venerationem non probarent. Quare tantum superest, ut primo aliqua* S. Ludolfi *gesta, sparsim occurrentia, ex variis auctoribus colligamus, postea etiam de paucis* B. Druthmari *gestis nonnihil dicturi.*

Sancto Ludolfo abbati Corbeiensi

5 *Non convenit inter chronographos Corbeienses, quo anno* S. Ludolfus *dignitatem abbatialem adeptus fuerit, quibusdam annum Christi* 965, *aliis* 966 *signantibus. Nolumus hic uti testimonio Joannis Letzneri, qui in Corbeiensi Chronico cap.*
B 24 *num.* 42 *asserit,* Ludolfum *anno Christi* 975 *abbatem fuisse electum, et octodecim annis abbatiam Corbeiensem gubernasse : nam Germanicum hujus auctoris Chronicon parachronismis aliisque erroribus historicis scatet. Quapropter tantum ex Annalibus Corbeiensibus, quos Christianus Franciscus Paullinus edidit, et quos Godefridus Guilielmus Leibnitius tomo* 2 *inter Scriptores rerum Brunswicensium recudi jussit, aliquali ordine chronologico proferemus nonnulla sancti Abbatis nostri gesta, eaque ex aliis monumentis illustrare conabimur.*

Wilhelmus præsul Moguntinus

6 *Itaque in Annalibus Corbeiensibus apud Leibnitium tomo* 2 *Operis proxime citati pag.* 301 *ad annum Christi* 966 *hæc referuntur* : Obit Gertnus abba Quiescat in pace. Wilelmus, archiepiscopus Moguntinensis, ea nocte, qua mortuus [est,] in visione occurrit Luithollfo abbæ. *Hoc nomine* Luitholfi *aliisque vicinis hujusmodi appellationibus indicatur* S. Ludolfus *noster, ut testatur Ditmarus scriptor synchronus, qui lib.* 2 *Chronici sui apud Leibnitium tomo* 1 *Operis memorati pag.* 334 *prædictam Wilhelmi Moguntinensis apparitionem sic clarius exponit :* Insuper Wilhelmus, sanctæ
C archipræsul Moguntiæ, cui cura ab imperatore, domino suimet et parente, commissa fuit Parthenopolim disponendi, ceteraque regni necessaria regendi, cum ægrotantis reginæ Mechtildis finem exspectaret, in Redulverothe VI Nonas Martii moritur. Hujus obitum nimia corporis infirmitate oppressa venerabilis regina, nullo adhuc certa nuntio, præsentibus cunctis intimavit; Filius, inquiens, meus Wilhelmus, proh dolor, jam exspirans, memoria indiget salutari. Et Luldolfus, abbas Corbejensis egregius, corporaliter sibi occurrentem * illum nocte eadem, qua transiit, videns, obstupuit, et mortuum hunc esse confratribus nuntiavit.

* al. apparentem

et Gero Comes post mortem suam apparuerunt,

7 *Laudatus Ditmarus lib.* 4 *Chronici sui apud eumdem Leibnitium pag.* 343 *narrat aliam apparitionem comitis Geronis, cui jussu imperatoris caput amputatum fuerat, et ea occasione Sanctum nostrum ita laudat :* Libet paucis exponere Luidulphi Corbejensis meritum patris, cui multum vigiliis jejuniisque laboranti, plurima Dominus dignatus est revelare. Hic in die præfati certaminis cum diluculo Missam humiliter et timorate, ut semper solebat, celebraret, vidit super altare Comitis caput Geronis, finitaque hac, aliam pro defunctis cantavit. Exutisque sacerdotalibus vestimentis, cum silentio exivit, D congregatisque Fratribus, obitum ejus indicavit, orationemque pro eo fieri humiliter postulavit.

et eidem aliæ revelationes factæ sunt,

8 *Præfati Annales Corbeienses res ab anno* 967 *usque ad annum* 971 *gestas sub hoc sancto Abbate sic breviter memorant ;* Florentissima disciplina sub eo, et schola in Saxonia prima instaurat et exaltat fraternitatem monasticam, eique multos nobiles viros inscripsit prope et procul, archiepiscopos, episcopos, prælatos, comites, milites et alios cum magno commodo monasterii. Abiit devotionis causa Coloniam; ex hac vero Romam ad sanctissimum Patrem nostrum. Commonachus noster ob reliquias Crispi * et Crispiniani irreverenter habitas misere punitur. *Quod hic de punitione monachi Corbeiensis obiter indicatur, Ditmarus iterum lib.* 4 *sui Chronici, seu apud Leibnitium pag.* 362 *et sequente, fusius declarat his verbis :* Prædictorum vero reverentiam Martyrum (*nimirum Crispini et Crispiniani, de quibus supra egerat*) in libris antiquioribus satis jacentem *, lector, ut a me cognoscas, unam rem profero, quam E frater meus Bruno in nova educatus Corbeia, et ejusdem altaris servus de piorum relatu suorum mihi indicavit.

* lege Crispini

* al. lucentem

ut refertur ex Ditmaro,

9 *Præmisso illo fratris sui testimonio, rem sic narrat :* Tempore prædicti abbatis Ludolphi, in omnibus bonis admodum memorandi, erat quidam juvenis confrater suus et regularis monachus, qui cum in sibi commisso tunc moratus officio supra nominatorum reliquias Martyrum solito more secum veheret, incurioseque tractaret, persensit in pœna celeriter subsequenti. quod peccavit in Martyres Christi : namque moritur carnaliter, qui Sanctis Domini servire neglexit spiritualiter. Et ut hoc prædicto Abbati innotescerent, ante januas ecclesiæ exeunti illi nocte obviarunt. Quos ut primum aspexit, timore magno perculsus substitit, silentiumque servavit. Cui protinus talia dicunt : Cur non interrogas, Pater, qui simus, vel ob quam rem huc venissemus? Qui cum retulisset eis, quod non auderet, audivit mox ab illis nomen eorum, et causam, et quod hoc multum non relinqueretur.

scriptore synchrono,

10 Discedentibus autem his, Abbas confratribus suis hæc indicavit dicens : Mortuus est ille F juvenis, qui in nostra nunc erat obedientia, de non custodita Sanctorum, quos secum habuit, reverentia. Heu mihi talia numquam consentienti! Et non longe post venit nuntius, qui hæc vera esse affirmaret, et corpus ejusdem adduci intimaret. Venerabilis autem vir nec huic obviam exire voluit, nec Fratres more solito illud suscipere sivit; sed iratus ad truncum talia fatur : Quare tu, proterve, eos, qui cum unigenito Domini vivi Filio, cum honore habeantur magno, negligenter tecum ducere ausus es? Decanus autem defunctum Fratrem interventu ullatenus veniæ pro possibilitate sua excusans, tale a Patre suo responsum accepit : " Mi Frater, amo te, " scis, quæ servus ad oculum in tuo conspectu is " egerit, quod vero absentialiter fecerit, igno" ras. Ego autem optime perpendo, qui hunc in " tormentis gravibus nunc intelligo; et modo no" strorum intercessionem patronorum supplex pe" to, ut per hoc divina pietas mihi innotescat, " quando ei à se laxato mihi liceat peccatori ab" solutionem facere, et communionem dare. " Asperum nimis est equuleo recalcitrare, et homi" nibus indecens, irata majestate, indulgentiam " exhibere ". Post hanc vocem pius Abbas ad oratorium

A oratorium speciale, suimet rebus in anxiis asylum nudis pedibus venit, et more solito iu se et aliis humanam fragilitatem deflens placavit Dominum, et protinus cum multis gratiarum actionibus exsurgens, divina potestate, coram Fratribus cunctis, defuncto crimen remisit, et corporis ecclesiæ communionem, ac sepulturæ * dedit.

** al. sepulturam et Chronico Ms. Saxonico,*

11 *Hunc sanctum Abbatem etiam spiritu prophetiæ claruisse, colligimus ex Chronico Ms. Saxonico, quod apud Adolphum Overhamum in notis ad Vitam S. Meinwerci pag.* 394 *et sequente sic habet* : Wal Corbejensis abbas prius ab cura sua suspensus deponitur, et cœnobii privilegia et consuetudines, quas Ludovico Pio daute habuerant, potestative ab imperatore mutantur, et ex Lauresheimensi cœnobio Druchmarus sine Fratrum consensu abbas assignatur; quod ad sedem suam in hac hebdomada veniente, illi vitam suam, quæ cunctis pene monachis exemplo claruerat, vilescere gementes, omnis congregatio, exceptis novem, flens abiit : sic enim Luidolfus venerabilis abbas futurum prædixerat. Sed multis, iterum Dei gratia conversis, placuit se subdere regulæ, quam B miserabiliter in seculo vagari. *Ditmarus lib.* 7 *sui Chronici apud Leibnitium pag.* 404 *de eadem S.* Ludolfi *prædictione meminit, et Annales Corbeienses ad annum* MXVI *de hac ipsa monachorum Corbeiensium dispersione mentionem faciunt, ut infra videbimus.*

quibus aliquas ejusdem Sancti actiones

12 *Jam præcipua Sancti nostri gesta pergamus referre ex Annalibus Corbeiensibus, qui in editione Leibnitii omnia hæc per annos sic distribuunt* : CMLXXIII. Otto imperator privilegia nostra confirmat. Idem facit Papa, vocans ecclesiam hanc fidelem et devotam filiam Sedis Apostolicæ, soli ei subjectam, et nemini subjiciendam... CMLXXVI. Abba alieni monasterii, ex malitia et invidia Fratrum suorum injuste remotus, ad nos venit, cui Luitholfus curam et inspectionem juniorum Fratrum commisit cum bono emolumento. CMLXXVII. Luitholfus scholas et ecclesias suas visitat et corrigit; altare novum dat in Gadelhem, reparans dilatansque totum templum ibidem. C CMLXXVIII. Pietas doctrina, discretio et liberalitas Luitholfi multa contulit monasterio; ipse in magno honore apud principes et nobiles, qui filios suos certatim mittebant in scholam nostram..... CMLXXX. Fit concambium inter Ottonem imperatorem et Luitholfum abbam nostrum. CLMXXXI. Benedictus Papa Luitholfo omnia privilegia sua confirmat..... CMLXXXIII. Otto imperator Ponteburg in diœcesi Bremensi cum multis decimis restituit monasterio nostro, injuste antea ablatum. *Concambium et privilegia hic memorata confirmantur ex authenticis diplomatibus Benedicti VII Pontificis et Ottonis II imperatoris, quæ nuper in Spicilegio ecclesiastico archivi imperialis edita sunt, et quæ parte 3 istius collectionis cap. 5 pag. 79 et sequentibus consuli possunt.*

contra recentam chronologiam addunt Annales Corbeienses.

13 *Sed non satis apte suis temporibus divisa sunt ea, quæ in citatis Annalibus Corbeiensibus ita subnectuntur* : CMLXXXVII. Luitholfus iterum diversa emit et commutat bona et prædia, mansos, arcas, pascua et ligneta. CMLXXXVIII. Idem in Sollingo construxit oratorium in honorem S. Bartholomæi apostoli, quod in vigilia ejus primus lapis jactus sit. CMLXXXIX. Joannes Papa omnia privilegia nostra confirmat solemniter. CMXC. Obit Lieutolphus abba : successit Thiatmarus. *Saltem omnia, quæ post annum Christi 986 hic de S. Ludolpho memorantur, alio tempore gesta sunt : nam in diplomate Ottonis III imperatoris, quod mense Junio anni 987 datum est*, vir venerabilis Thiotmarus, Corbejensis ecclesiæ abbas, *diserte exprimitur. Insuper in bulla Joannis XV Papæ, qui anno 989 privilegia Corbeiensium confirmavit, idem* S. Ludolfi *successor nomine abbatis Corbeiensis appellatur, ut in Spicilegio ecclesiastico imperialis archivi pag.* 82 *supradictæ partis videre est. Quinimo probabilius opinamur,* S. Ludolfum *anno Christi* 983 *Idibus Augusti obiisse, quia in quibusdam vetustis instrumentis Corbeiensibus et in Necrologio Fuldensi, quod Leibnitius tomo* 3 *Scriptorum Brunswicensium a pag.* 762 *edidit, hic annus et dies morti ipsius assignatur. Certe usque ad hunc annum mors illius differenda est, quando quidem in diplomate Ottonis II, quo imperator ille mense Junio anni* 982 *loco Ponteburg Corbeiensibus restituit*, Lindulfus Corbejensis ecclesiæ venerabilis abbas *nominatur, ut ex laudato Spicilegio ecclesiastico imperialis archivi pag.* 79 *ejusdem partis tertiæ apparet. Atque hæc sunt, quæ de* S. Ludolfo *invenire potuimus.*

AUCTORE G. C.

ex quibus etiam pauca B. Druthmari gesta

14 *Nunc supersunt pauca de* B. Druthmaro *colligenda ex sæpe citatis Annalibus Corbeiensibus, qui ab anno* 1016 *illum ex monacho Laurishamensi abbatem Corbeiensem factum et Walæ* E *deposito substitutum esse, narrant his verbis* : Substituitur a Henrico II rege Drutmarus e Lorshemensi monasterio, a nemine vocatus vel electus. Pius tamen erat et doctus; ideo ferebant Fratres, quod mutare non poterant, obstante auctoritate regis, et vicini episcopi *(nempe B. Meinwerci Paderbornensis præsulis, qui* B. Druthmarum *Corbeiensi monasterio præficiendum curaverat)* gratia apud eum. Cum Meinwerco in Patherbrun magnam coluit amicitiam; quod cum inique ferrent murmurantes Fratres, mutavit mentem et mores, monasterio suo addictus. Curat spiritualia et temporalia diligenter abba et œconomus. Nunquam pomposius et splendidius festum S. Viti celebratum est a translatione ejus in Corbejam, quam hoc anno, et largissimæ collectæ sunt eleemosynæ. Ipsi mendici erant liberales. Ecclesiam sancti Magni construit in Horohusen.

summatim colligimus.

15 *Deinde iidem Annales reliqua Beati nostri gesta ab anno Christi* 1023 *usque ad annum ejus emortualem* 1046 *sic referunt* : Abiit Druthmar ad metropolitanum nostrum, ad Coloniensem et F Treveriensem boni publici gratia. Adfuit Barwarto episcopo in Hilleneshem in metropoli sua, qui paulo post obiit cum luctu omnium, etiam Fratrum nostrorum.... Interfuit solemni consecrationi ecclesiæ sanctæ Crucis in Hilleneshem a beato Godeharto fundatæ. Villam Gadelhem a Gerolto levita matri suæ datam, sed injuria temporis ablatam, monasterio reddit opera Chounrati regis...... Drutmarus Fratribus nostris unam plus solito delegavit portionem in festis solemnioribus, erga pauperes de patrimonio sancti Viti liberalis. Studia Fratrum promovit omni conatu, doctorum virorum familiaris... Portario mandavit diu noctuque ad portam adesse, inter sacra tamen portam habere clausam. Quod cum molestum videretur Fratri Chounrato, acerbe nimium loquenti, in cella solitaria pane et aqua per mensem cibavit eum pro pœnitentia..... Drutmarus monasterium suum Gruningen visitans ad Bodam, accipit auream crucem ab episcopo in Halversted in signum specialis amicitiæ...... Obit Drutmar noster XV Kalendas martii. *Diplomata, quæ* B. Druthmarus *monasterio suo Corbeiensi ab imperatoribus Conrado et Henrico impetravit, in supradicta parte tertia*

AUCTORE G. C.

tertia Spicilegii ecclesiastici a pag. 85 *legi possunt. Ceterum dies obitus ejus confirmatur ex Necrologio Laurishamensi, quod eruditissimus Joannes Fridericus Schannatus nuper suæ Vindemiæ litterariæ inseruit, et in quo ad diem* XV *Kalendas Martii fit annua memoria.* : Drutmari abbatis, *ibique adduntur sequentia* : Hic istinc prælatus novæ Corbeiæ, congregationi composuit sermonem et cantum in honorem sancti Nazarii. *Ex his paucis, quæ nobis de* B. Druthmaro *reperire* D *licuit, haud difficulter quisque colliget, hunc abbatiali vigilantia, singulari beneficentia erga suos subditos, aliisque virtutibus monasticis claruisse, adeoque non immerito reliquias ejus ab immemorabili tempore usque ad nostram ætatem semper honorifice eum* S. Ludolfo *conservatas fuisse, ut initio hujus sylloges ostendimus.*

DE BEATA GERTRUDE

FILIA S. ELISABETHÆ THURINGICÆ

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS

ABBATISSA ALDENBERGENSI IN GERMANIA

SYLLOGE

J. B. S.

B E

De gestis et cultu.

MCCXCVII. *In tam illustris Sanctæ gesta*

Quam illustrem tam sanguine quam virtutibus et sanctitate prædicant scriptores Ordinis Præmonstratensis beatam hanc suam Aldenbergensis parthenonis Abbatissam et ferme fundatricem, tam prope incredibile est, neminem unum hactenus repertum, qui de vita, gestis et miraculis ejus commentarium scriberet et ederet, ut adeo de ea nihil in manus nostras venerit præter brevissimum elogium et ternas lectiones ex Officiis Ordinis. Notuerat olim paucula Bollandus, quæ mihi spem fecerant, aliqua obtinendi ex abbatia Furnensi in Flandria. Venerat quippe ad Museum nostrum anno 1657 *D. Petrus Diederichius abbas Rometsdorfensis qui se aiebat Patrem abbatem Aldenbergensem, vitamque* B. Gertrudis *scripsisse, quam se missurum pollicebatur ad D. Petrum de Waghenare Furnensem ejusdem Ordinis religiosum, ut eam in meliorem formam redigeret.* B *Scripsit postmodum Waghenarius ad Bollandum,* se Vitam ejusdem concinnasse ex iis quæ miserat Diederichius indigesta, quam et obtulit. *Verum ea huc missa non est.*

diligenter sed frustra inquisitum.

2 *Nihil igitur antiquius habui quam ut Furnas recurrerem ad Canonicos Ordinis Præmonstratensis, scripta ad ipsorum Prælatum* 11 *Maii* 1734 *epistola Latina; ad quam cum nihil reponeret, Gallicam submisi, quam non magis quam priorem responso dignatus est. Petitio mea erat, e suis aliquem deputaret, qui inquireret in manuscripta a prædicto D. Waghenario post mortem relicta, in quibus Vitam superesse certo existimabam. Frustra a me laboratum est, et nil accepi præter libellum ab eodem Waghenario editum de S. Norberto Patriarcha etc. mense primum Octobri huc allato, qui in Museo jam fuerat ab annis octoginta, mihi pridem notissimus, in quo paucæ lineolæ occurrunt quæ ad* S. Gertrudem *spectant, ex Natalibus Sanctorum Ordinis Præmonstratensis Joannis Chrysostomi vander Sterre acceptæ, unde accepere reliqui, ut proinde ejus verba omnium instar hic præmittenda sint.*

3 XIII, seu idibus Augusti : In Aldenbergensi Virginum cœnobio Trevirensis diœcesis, natalis beatæ Gertrudis virginis Ordinis Præmonstratensis, filiæ S. Elisabethæ Lantgraviæ Hassiæ et Thuringiæ. Quæ ab ipsa infantia per matrem hoc in loco Deo oblata, eidem postmodum magna sanctitate et religione præfuit : collectoque in conscientiæ vase divinæ gratiæ oleo, accensa ornataque bonorum operum lampade, Christo sponso suo obviam ivit, sanctæ matris non degener filia. *Atque hæc eadem sunt quæ tradidit Waghenarius, neque plura invenies apud Le Paige in Bibliotheca Ordinis Præmonstratensis, neque alios me nosse fateor, quos de eadem re queam consulere, ut nimis quam manifeste pateat, quam parce et jejune de tam memorabili Sancta loqui mihi integrum sit. Et vero id etiam maxime mirum, in communibus Martyrologiis nostris quantumvis recentibus de ejus cultu nil quidquam traditum reperiri.* *Habes hic elogium,*

4 *Pergit Bollandus :* Postea misit *(nempe laudatus Waghenarius)* bullam Clementis VI datam anno V ejus pontificatus, qui erat Christi MCCCXLVIII. Sed vereor, *inquit,* ne sit supposititia. cum in ea faciat mentionem Ludovici Romanorum regis illustris qui Bavarus erat, jam a tredecim mensibus mortuus, et persecutor non dilectus filius Pontificis. *Excusari id facile posse videtur, quod verosimiliter et rex ille aliique* nobiles alii illarum partium *supplices suas preces Avenionem direxerint annis aliquot priusquam bullam suam expedierit summus Pontifex. Certe dubium non est quin ex eo tempore ecclesiastico cultu gavisa fuerit Sancta, saltem, in suo cœnobio Aldenbergensi, deinde in reliquo Ordine, ad cujus majorem solennitatem non parum contulit diploma Benedicti Papæ* XIII *datum Romæ die* XI *Julii* 1729, *quo* Indulgentiæ plenariæ in omnibus ecclesiis tam Canonicorum regularium quam Monialium Ordinis Præmonstratensis ubicumque existentibus, *ipso sanctæ hujus Gertrudis festo die, et plurium ejusdem Ordinis Sanctorum festivitatibus conceduntur. Cum igitur tam pauca aliunde suppetant, juverit ipsum diploma Clementinum hic describere :* *bullam Clementis VI et Lectiones.* F

6 Clemens episcopus Servus Servorum Dei Dilectis in Christo filiabus Magistræ et Conventui monastario

A monasterii de Aldenburg Præmonstatensis Ordinis diœcesis Trevirensis salutem et Apostolicam benedictionem. Licet is de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit et vota, bene servientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri : nihilominus tamen desiderantes reddere Domino populum acceptabilem fideles Christi ad complacendum, et quasi quibusdam illectivis muneribus, invocatione Sanctarum silicet Dei dilectarum indulgentiis et remissionibus invitantes, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur ut ecclesia vestra tum ob reverentiam gloriosæ virginis, sub cujus honore (sicut asseritis) est fundata, ac in qua beata illa Gertrudis filia sanctæ Elizabetæ Lantgraviæ Hassiæ mira sanctitatis laude Deo creatori suo inservivit, sepulta et exaltata est : tum etiam ob reverentiam et devotionem quam charissimus in Christo filius noster Ludovicus illustris rex Romanorum aliique nobiles illarum partium erga ipsam B. Gertrudem quondam magistram vestram habent, congruis honoribus frequentetur et solemnizetur; B vestris illorumque devotis precibus inclinati concedimus, et volumus ut annuatim in die sancti Hippolyti natalem B. Gertrudis duplici Officio in Missis et Horis canonicis de Communi virginum peragatis et celebretis. Insuper vobis omnibusque natalem ejus celebrantibus, qui etiam ipsam vestram ecclesiam in profesto et festo ejus, similiter et in festivitatibus gloriosæ Virginis Mariæ venerabiliter visitaverint, ac toties quoties ad sepulchrum B. Gertrudis sæpius memoratæ quinquies Pater et ave recitaverint vel Horas canonicas de ea celebrarint, et ad minus contriti fuerint, de unaquaque Hora canonica de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus anthoritate confisi, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinionis XV Kalendas Januarii pontificatus nostri anno septimo. *Sequantur modo Lectiones hic acceptæ*

EX OFFICIIS SANCTORUM

C CANONICI ORDINIS PRÆM.

DIE XIII AUGUSTI

BEATÆ GERTRUDIS FILIÆ SANCTÆ ELISABETHÆ

MAJUS DUPLEX

IN SECUNDO NOCTURNO

LECTIO IV.

Gertrudis patrem habuit Ludovicum probum Hassiæ et Thuringiæ Lantgravium, matrem sanctam Elisabetham Andreæ Hungarorum regis filiam, a qua juxta votum ab ipsa, ipsiusque conjuge Ludovico, dum adhuc in utero gestaretur, emissum, sesqui anno vitæ suæ expleto divinis fuit obsequiis mancipata Aldenburgi, quod est Ordinis Præmonstratensis monasterium. Matrem paulo post Marpurgi vita functam, Aldenburgi in cubiculo suo sibi apparentem conspexit. Porro cum ætate cresceret, vitam religiosam professa, etiam virtutibus crevit in tantum, ut primæ monasterii Aldenburgensis magistræ, post sanctum viginti quatuor annorum regimen ad Christum profectæ, electione prævia merito fuerit substituta anno ætatis suæ vigesimo primo. Ejus virtutum irradiatæ splendore complures virgines, illustri stemmate oriundæ, religioni nomen dantes, ejusdem directioni se subdiderunt.

AUCTORE J. B. S.

LECTIO V.

7 Præter templum quod Virgini Matri, erga quam summo ferebatur affectu et sancto archangelo Michaëli, cujus festo in mundum venerat, sacrum esse voluit et cœnobium, xenodochium etiam, sanctæ matris exemplo, excitavit, cujus singularem curam ipsamet gessit : solita hoc frequentare symbolum ; Quanto majores, tanto magis in omnibus vos humiliate. Unde et vilissima domus obibat ministeria, comprobante hoc cælo, dum capitis sii velum a se lotum radius solis excipit ac donec E siccaretur, quasi famulando sustentat. Acceperat etiam donum peculiare personas inter se dissidentes conciliandi, et semel non absque miraculo, earum aliquas hac in re sibi non obsequentes, leonis, qui in nomine Jesu advocatus ad se accurrerat et humi procubuerat, obedientia confusas, firmissimo pacis vinculo colligavit. Corpus suum flagris et jejuniis cruciabat, totoque observantiæ quadragesimalis tempore usque ad Dominicam Palmarum stramini : hebdomada vero sancta nudo asseri indormiebat, Passionis Christi ferventissima æmulatrix.

LECTIO VI.

8 Urbano Pontifice Maximo ad movenda fidei hostibus arma incitante Christianos, cum suo virginum cœtu, matronisque quam pluribus, sumpta, ejusdem Pontificis privilegio, sacra cruce, sacræ militiæ, cujus in illis partibus antesignana erat, inscripta est. Festivitatem corporis Christi ab eodem Pontifice institutam maxima pietate celebrare curavit. Prophetico etiam spiritu claruit. Tandem laborum exceptura mercedem, lethali correpta morbo, F perceptisque Ecclesiæ Sacramentis læta contendit ad Sponsum die decima tertia Augusti, anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo, ætatis suæ septuagesimo, regiminis quadragesimo nono, quam coruscantem miraculis Clemens Papa sextus a monialibus Aldenburgensibus annuo festo celebrari concessit, datis etiam indulgentiis.

9 *Diploma ipsum jam præmisimus. Ex his vero lectionibus* S. Gertrudis *ætatem facile est colligere dum tam distincte exprimitur, Magistram seu abbatissam electam anno ætatis* XXI, *rexisse autem annis omnino* XLIX, *mortuam anno* MCCXCVII, *ætatis suæ* LXX, *unde natam oportet anno* MCCXXVII, *fuisse adeo tertiam et ultimam S. Elisabethæ prolem, postquam editam non nisi quadriennio supervixit, mortua ipsa anno* MCCXXXI : *unde rursus consequens est, quod prima lectione dicitur, tenellam adhuc Sanctam nostram* divinis obsequiis mancipatam. *Atque hisce quod superaddam nihil solidi ad manum est.*

A

DIES DECIMA QUARTA AUGUSTI

SANCTI QUI XIX KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Michæas senior propheta.
S. Demetrius M. in Africa.
S. Fortunatus, S. Eusebius, S. Titulus, S. Conditor — MM. in Syria.
S. Euticius, S. Paulus, S. Heraclus, B S. Possessor, S. Parmus, S. Disseus, S. Hermas, S. Prospolinus, S. Protalamus — MM. incerti loci.
S. Bermias, S. Heraclus cum tribus aliis — MM. incerti loci.
S. Eusebius M. in Palæstina.
S. Marcellus episc. Apameæ in Syria.
S. Ursicius M. sub Maximino.
S. Felix episc. M. Gardumi in Tyroli.
S. Eusebius presbyter Romæ. E
S. Callistus episc. M. Tuderti in Umbria.
S. Athanasia vidua hegumena.
B. Albertus ep. Ferrariensis.
SS. Martyres Hydruntini.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sancti Mercolini Ordinis Prædicatorum : *verba sunt inter Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum hoc die, quæ frustra alibi quæsieris : nam obiisse scribitur apud Marchesium* XXIV *Januarii, ubi tam multa miranda de ejus sanctitate et miraculis afferuntur, ut vix de cultu dubitari possit. Verum res* C *tota modo remittenda est ad jam dictum diem* XXIV Januarii.

S. Casimiri translationem *hoc die factam notavit P. Roculowicz Polonus. De eo satis fuse actum est ipso natali die* IV Martii.

S. Eusebius Cremonensis *ut S. Hieronymi discipulus refertur hoc die a Greveno et aliis; verum de ipso pridem actum est ad* V Martii.

S. Aëtius Ep. Barcinonen. et martyr *refertur a Domenecco et Tamayo hoc die : de quo quia cetera latent omnia, vide quæ huic communia diximus de ejus decessore S. Victore* IV April.

S. Felix *seorsim refertur hoc die a Greveno his verbis :* Item S. Felicis, *ubi codices alii socium ei conjungunt* Fortunatum; *et quidem de utroque agit hoc ipso die Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. A Majoribus nostris inter Prætermissos* XIV *Maii remissi fuerunt ad* XI *Junii, quo die ex Romano parvo, Adone, Usuardo et aliis cum Martyrologio Romano eorum Acta et quæ ad translationes spectant, abunde illustrata sunt. Neque hic iidem ex Hieronymianis hoc die repetendi sunt, tametsi nonnulli codices pro* Fortunati *legant* Fortunatæ, *addaturque* Vincentiæ : *quæ facile istic irrepserit pro nomine urbis Vicentiæ, ubi Sancti etiam coluntur, ut vide ad jam dictum diem* XI Junii.

Depositio Maxentii abbatis *signatur in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, sed male hoc die. Colitur et de eo actum est* XXVI Junii.

S. Joannem Cassianum *nescio unde hoc die consignent Maurolycus et Ferrarius, colitur Massiliæ et de eo actum est* XXIII Julii.

SS. Justus et Pastor *signantur hoc die in codice Usuardino Hagenoyensi, nota est dies qua coluntur, et qua de ipsis actum est* VI Augusti. F

S. Quiriacum *et socios Augustanos Martyres nescio cur huc retraxerit Ferrarius in Catalogo generali. Jam de iis actum est die quo coluntur* XII Augusti.

Vigilia Assumptionis S. Mariæ; *est annuntiatio Usuardi et Martyrologiorum prope omnium. Quo ea reducenda sit, dicimus die sequenti. Videri interim potest nostra ad Usuardum observatio.*

S. Peregrinus *hoc die in codice Vaticano Usuardino signatus, cum quo alio inter tot synonymos Sanctos confundendus sit, nemo facile divinaverit.*

Sanctum Britannum Saussayo et Alberto le Grand æque ac nobis incognitum, profert hoc die Castellanus his verbis Gallicis Latine versis : Retone in diœcesi Venetensi, S. Riovenni presbyteri, monachi S. Salvatoris, de quo scriptum est, quod siccis pedibus ambulaverit super aquas fluvii Viccnoniæ. *Lucis plusculum et auctoritatis poscimus priusquam* Riovennum *inter Sanctos collocare audeamus.*

Eusebius Emissenus *inter plures hujus nominis San-*

Sanctos

A *ctos hoc die signatur a solo Maurolyco, his verbis*: Item Eusebius Emissenus episcopus, qui adversus Judæos et gentiles multa scripsit, de quibus S. Hieronymus. *Verum hæc sanctitatem ejus non probant, cum aliunde de Arianismo suspectum fuisse constet: neque vero apud Græcos neque apud Latinos in ullis Fastis sacris ejus memoria recolitur.*

Alia ejusdem Maurolyci annuntiatio est: In Jordano fluvio juxta Hiericuntem, raptus Eliæ Prophetæ.

Quid Florarium nostrum Sanctorum Ms. hoc die velit per hæc verba: Apud Lugdunum, S. Arnulphi episcopi et confessoris anno salutis MLX, *fateor me non intelligere, neque enim hujus nominis episcopum apud Lugdunenses hactenus reperire licuit.*

Simeonem *monachum Vallumbrosanum invenio in solis tribus monasticis Wione, Dorganio et Menardo; sed nescio cur hoc die, nam qui primus titulo* Beati *eum donavit Eudoxius Loccatellus, nec annum obitus nec diem signat. Ait* B *quidem multa passum ut Purgatorii pœnas evaderet, et post mortem convenienti sepultura donatum a Blasio abbate generali, qui sub initium seculi* XVI *præfuit; verum de facta postmodum corporis elevatione, de miraculis aut cultu, nec verbo meminit. Si forte modo colatur, doceant nos Vallumbrosani, ut loco suo de* Simone, *ita vocatur a Loccatello, alibi agere possimus quemadmodum aliorum istius Ordinis Sanctorum gesta non indiligenter illustravimus.*

In Hibernia passio quadraginta monachorum cœnobii Magiensis, Ordinis Cisterciensis, qui simul cum suo abbate pro fide feliciter occubuerunt. Nam cum hæretici in eorum monasterium armata manu irruerent, ipsi ante venerabile Sacramentum hostem exspectantes, intrepidi eorum se gladiis objecerunt, seque invicem ad mortem pro Christi amore tolerandam invitantes, capitis obtruncatione vitam finierunt. Sed eodem die, reassumptis miraculose capitibus, Vesperas in honorem Deiparæ Virginis in choro suaviter cecinerunt. *Ita Chrysostomus Henriquez, quem vellem ea addidisse, quæ ad tempus rei gestæ et ad cultum comprobandum suf-* C *ficerent: certe in Kalendariis Sanctorum Hibernicis, de ea classe nec verbum occurrit. Pluribus rem narrat Bucelinus, ac contigisse ait sub Elisabetha Angliæ regina, notissima Catholicorum persecutrice.*

Silvester Scotus *apud Camerarium hoc die, utrum colatur ut Sanctus, cupio aliunde doceri.*

Placilla augusta *Ferrarii auctoritate inter Sanctos necdum computabitur.*

Nonius Conchensis *a Marietta cum opinione sanctitatis obiisse dicitur anno* 1477, *atque hoc satis fuit Ferrario, ut ipsum inter Sanctos collocaret.*

Sequitur in eodem ultimo loco Betta, *ab aliis dictus Meniorum Apostolus, de quo etiam Dempsterus et Camerarius hoc die; ast hic pridem a Majoribus nostris prætermissus die* XI *Februarii, ut ibi vide.*

Joannes a S. Guilielmo *Ordinis FF. Reformatorum Discalceatorum S. Augustini in Italia, obiit hoc die anno* 1621, *et octennio post formati processus varii pro ejus canonizatione. Ita notatum est pridem a nostro P. Papebrochio qui et processus ipsos enumerat; at nusquam repertum est hactenus, Sanctorum honores ei* D *fuisse indultos. Si fallor, doceant me ii quorum interest.*

Relatio sanctæ Crucis in palatia *signatur in Menæis impressis cum duobus versibus. Raderus in observationibus Mss., quas asservamus, ad dicta Menæa notat, valde addictum fuisse totum Orientem olim Catholicum cultui S. Crucis, ex iis quæ dicuntur* XXVIII *Februarii,* VI *Martii,* XXXI *Julii, hoc die* XIV *Augusti et* XIV *Septembris. Putat autem hic agi de ejusdem translatione Hierosolymis Constantinopolim, de qua Baronius tom.* 8 *Annalium anno Christi* 633. *Observat tamen idem Raderus, fieri posse, ut hoc loco Menæa tantum loquantur de particula S. Crucis anno* 2 *Heraclii posita in columna Quadraginta Martyrum Constantinopoli, de qua Chronicon Alexandrinum pag.* 879: *de columna autem ac templo SS.* XL *Martyrum agit Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 131. *Sed in dicto Chronico notatur* posita veneranda crux, *non autem particula ejus.*

Translatio ven. reliqq. beatissimi P. N. Theodosii, hegumeni Petschiuriei, Kioviæ, qui extitit E anno MXCI sub magno duce Wsevolode, filio Jaroslavi, hegumeno autem Joanne. Positus autem fuit in templo S. Deiparæ, quod ipse extruxit. *Annuntiationem hanc extraho e Menologio nostro Ms. Slavo-Russico Sparwenfeldiano. Tomo* I *Maii pag,* 360 *in Prætermissis ad diem* III *ejusdem mensis, Theodosii Kioviensis obitum indicari monuimus in Kalendario Moscovitico Amstelodami apud Laurentium vander Hem asservato; apparere item ex ipsa imaginis historicæ adjunctæ amplitudine, cultum ejus apud Moschos celeberrimum esse; proinde ut de hujus vita, ætate et sanctitate plenius edoceremur, desiderare nos tunc indicavimus. Fatemur quidem, Theodosium in superiore annuntiatione pluribus cum adjunctis signari; sed sive sit idem cum eo, de quo ad* III *Maii meminimus, sive diversus, sufficit de translatione ejus superiora hic notasse. Si interim de legitimo ipsius cultu certa documenta nobis subministrentur, poterit habere locum inter Sanctos supplemento Operis nostri, ubi absolutum fuerit, inserendos.*

Nicolaum *aliquem eremitam Hadriæ in Aprutio* F *ulteriori regni Neapolitani notatum invenio in Itinerario nostri Janningi, ubi supra altare expositum sit* ejus corpus, mortui in Vigilia Assumptionis B. Mariæ, cujus arcam in festo Assumptionis aperiunt, et corpus populo spectabile exhibent. Manus etiam pelle et sicca carne tectas *observavit. Quando et ubi vixerit, quid gesserit, quandonam mortuus sit, qua auctoritate ita exponatur, doceri cupimus, priusquam ei in hoc opere locus concedatur.*

S. Lucii martyris memoria *occurrit in apographis nostris Græcis e Ms. Synaxario Sirmondi ac codice Taurinensi. Varios synonymos Martyres jam pridem dedimus in Opere nostro. Hic autem qualis sit, frustra ex nobis quæsieris.*

S. Orosium, *de quo hoc die sermo est, ubi de S. Eusebio agimus, Hispanis vendicat Tamayus, tamquam* presbyterum Tarraconensem, *auctore Dextro, quod satis dictum sit.*

Wilhelmus abbas Viconiensis *refertur in Natalibus Sanctorum Præmonstratensium a Joan. Chrysost. vander Sterre, laudaturque maxime a* munificentia in pauperes. *Vellem ostendisset, coli ipsum ut Sanctum in prædicta abbatia.*

Susanna

A Susanna *aliqua ex nescio quo Kalendario a Bollando notata, quæ aut unde sit, ignotum mihi fateor.*

Tiberius II imperator *a Smidio celebratur : ast alia auctoritate opus est, ut Sanctis adscribi possit.*

Maynardus, *apostolus et primus episcopus Livoniæ, merito laudatur ab Arnoldo, abbate Lubecensi, coævo in Chronicis Slavorum lib. 7, capp. 8 et 9; item a Crantzio Wandaliæ lib. 7, cap. 10; et Saxoniæ lib. 7, cap. 13, aliisque auctoribus, etiam Baronio ad annum Christi* 1186, *num.* 20, *ubi tribuit ipsi epitheton* Sancti, *quod non facit ille, quem citat, neque ullus, quod sciamus, paulo antiquior. De sanctitate tamen ejus hic neutiquam laboramus; sed cultus argumenta requirimus antiqui et publici; qualia non proferunt, qui Menologiis illum suis ad hunc diem inseruerunt Henriquez, ac Bucelinus; qui nescio quo jure Ordini eum suo vindicent; uti nec unde diem, aut mensem obitus ejus hauserint; quantumvis eodem quoque die referatur a Castellano; sed cum titulo* Venerabilis *tantum.*

Fulbertus confessor *reperitur inter Additiones*

B *Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum : si Carnotensem indicare voluerit, is ad* x *Aprilis pridem prætermissus est.*

Theodoricus confessor *quis ibidem indicetur, fateor me ignorare.*

Maurelianus, *qui ibi sequitur, hactenus mihi inter Sanctos ignotus est.*

BB. Anselmus de Thabor et Eustachius Hebron. Beatus Anselmus Prior ordinis Carmeli in monte Thabor cœnobium restauravit anno MCCXII, in quo ipse moriens et sepultus miraculis plurimis fulsit, ut refert Segerus Pauli et Calend. *Sequitur* B. Eustachius alter S. Brocardi discipulus, ex Carmelo in montem Hebron missus Prior, primus Regulam S. Alberti a confratribus observari curavit. Mortuum civem vitæ restituit, obiens circa annum MCCXXI. Beatus colitur in Calend. Carmelit. *Verba sunt Philippi Visitantini in Acie bene ordinata.*

F. Guilielmus *et* F. Joannes *Arelatenses laudantur a Marchesio in Diario Dominicano.*

Joannes a S. Maria *M. apud Meacum in Japonia*

C Sanctus conf. *Scotaneti in territ Pisauriensi*

Laudus Tarentinus conf. *Andriæ in Apulia*

Jacobus de Primadiciis conf. *Bononiæ*

Laurentius a Fabriano conf. *apud montem Alverniæ in Etruria*

Joannes Calaguritanus conf. *Tribuli in territorio Palentino*

Christophorus a Campo basso *Historni in Apulia*

Ursula a Conceptione *virgo*

Titulo beati *donantur ab Arturo in Martio Franciscano, et ultima etiam in Gynæceo.*

Addit Hueberus fuisse ex Ordine Clarissarum a quo præterea, sed absque titulo signantur. D

Gregorius de Neostadio *in finibus Poloniæ a Turcis trucidatus.*

Francisca Maria et Beatrix *Clarissæ prope Carthaginem.*

Elisabetha Lopezia *prope Villam novam in Castella*

Munnera vidua Tertiaria *Lorcæ.*

S. Simplicianus Mediol. episc. *a Galesinio non recte hoc die signatus est; spectat ad* XVI Augusti.

S. Eberhardus seu Everardus, *primus monasterii Eindsidlensis in Nigra Silva abbas seu restaurator, signatur hoc die inter Sanctos a Castellano in Martyrologio suo universali, in Fastis vero monasticis Wionis, Dorganii et Menardi diversis diebus relatus; a Bucelino autem, ut notatum invenies in Prætermissis* XI *Martii, signatur* XXII *Augusti. Non solum diem obitus sed et cultus incertum esse constat, quidquid etiam hoc die inter Sanctos Ordinis referatur a Mabillonio seculo* V *a pag.* 241. *Narrat ibi, se in eo monasterio fuisse anno* 1683; *neque tamen ullum indicium exhibet, ex quo conjicias,* Eberhardi *festivitatem annuam aut Officio aut Missa* E *recoli, vel ullas ejus reliquias venerationi exposita, vel demum aliqua ejus referri miracula. Eum interim ut sanctum jam pridem agnovisse videntur Majores nostri ad* XXI *Januarii, occasione S. Mainradi seu Meginardi. De eo agere differimus eum Bucelino ad diem, ad quam pridem remissum diximus,* XXII Augusti.

S. Bartholomæi Apostoli festivitas *in aliquo Ms. Reginæ Sueciæ inventa est. Colitur ab Ecclesia et de eo agetur* XXIV Augusti.

SS. Abundius et Irenæus *nescio cur hoc die collocentur in Codice Usuardino Florentino : spectant ad diem quo de ipsis cum Romano agendum erit* XXVI Augusti.

S. Werenfridus *S. Willebrordi in apostolatu zelosissimus socius signatur hoc die a Greveno, Molano, et multis aliis Martyrologis passim, verum remittendus est ad diem quo apud Ultrajectenses constanter Officio duplici colitur* XXVII Augusti.

S. Sergium Papam *titulo* venerabilis *hoc die honorat Castellanus, quasi ignoraverit eum in auctariis Usuardinis et in ipso Martyrologio Romano annuntiari* IX Septembris. F

S. Crescentii *pueruli, filii* B. Eusebii sacra lipsana Roma allata, *asserit Tamayus* honorifice requiescere in monasterio Minorum Cælii montis in Carpetania, *quod non facile crediderim. Quid de identitate illa dicendum sit examinabitur die quo dictus Martyr colitur* XIV Sept.

S. Stanislaum Kostka *e Societate Jesu non recte hoc die signavit Ferrarius, cum* XV *obierit, ut dicemus die sequenti, dum ipsum remittemus ad diem quo colitur* XIII Novembris.

A D

DE S. MICHÆA SENIORE PROPHETA

Sanctus hic cum alio confusus; quisnam et cur hoc die detur; quid de eo Fasti; ipsius vaticinia.

J. P.

S. Michæas senior

Duos extitisse Michæas prophetas, alterum seniorem, juniorem alterum, utrumque imperite confusum, invenies apud nos tom. I Januarii die XV, *pag.* 995, *quando de juniore, qui sextum inter duodecim Prophetas minores locum obtinet, ibidem actum est. S. Michææ prophetæ nomen hac die* XIV *Augusti invenio in Menologio Slavo-Russico, Arabico-Ægyptio, Sirletiano, et alibi in nostris apographis Græcis, nec non in Menæis magnis excusis; sed in memoriam revocemus censuram, quæ apud nos loco mox citato Menæis istis inusta est his* B *verbis :* Menæa Græcorum hunc *(intellige juniorem)* habent XIV Augusti, sed cum altero confundunt, ideoque plurimis annis prophetasse scribunt; tamen (quod ridiculum videri potest) a Joramo occisum. « Erat, inquiunt, Michæas Iorami filius, « natus Borathæ *, e tribu Ephraim, prophetavit« que annos quatuor et octoginta : præcessit nata« lem Christi sexcentis et sex annis : multaque « fecit Achab regi Judæ, a cujus filio Ioramo e « medio sublatus est, suspensus, quod ipsius im« pietatem et Majorum reprehenderet. Mortuus« que in Morathe sepultus est solus in terra sua « prope cœmeterium Enacim : sepulcrum ejus no« tum est. » At Menologium Michææ unius ex XII minoribus natalem statuit XIV Augusti; alterius vero e tribu Ephraim V Januarii. *Hæc ibi jam pridem noster Bollandus. Iis vero quæ dicta sunt de ejus ortu e tribu Ephraim, ac sepultura, refragatur Calmetus in præfatione ad Michæam loco mox citando : nos vero de utriusque prophetæ in unum confusi hic potissimum agimus, quantum est satis ad præsens nostrum institutum.*

* l. Morasthi

C 2 *Obtruditur itaque magna et crassa temporis hallucinatio in elogio citato, cum annis facile* 150 *post senioris Michææ mortem prophetarit synonymus Junior, prout ibidem Bollandus observat, et de quo noster Salianus tom.* 4 *Annalium veteris Testamenti ad annum mundi* 3290, *ante Christum* 763, *pag.* 390, Illud, *inquit*, dubium esse non potest, hunc Michæam alium esse ab eo, de quo in fine tertii Regum actum est. Ille enim sub rege Achabo vaticinatus est, eique mortem suam prædixit : hic autem sub Ioathamo. Mortuus est autem Achabus ante regnum Ioathami amplius centum quadraginta annis. Fallitur itaque Sixtus Senensis cum hunc nostrum prophetam ait mortuum esse centum annis ante Osee, cum tamen uterque propheta testetur se tempore Ezechiæ vaticinatum esse. Sed nec nomina nec patria nec tribus utriusque Michææ sunt eadem, ut Hieronymus et Ribera docent. *Ex his itaque satis et abunde perspicua redditur unius Michææ prophetæ ab altero synonymo distinctio; de qua etiam agit Augustinus Calmet in Commentario litterali in omnes libros veteris Testamenti, tomo qui est de* XII *Prophetis minoribus pag.* 321; *ubi duos ponit prophetas Michæas, unum nempe de tribu Juda; alterum filium Iemla, quorum hic sub Achab vaticinatus sit, nullo tamen ipsius scripto ad nos transmisso; ille autem sub regibus Judæ Ioathan, Achaz et Ezechias. Sed hanc rem tractat satis fuse Tostatus in libri 2 Paralipomenon caput* 18, *ubi quæstione* 23 *quærit quis sit* Michæas *iste, de quo ibi est sermo. Distinguendus ergo Michæas Morasthites a Michæa filio Iemla.*

imperite in Græcis Menæis confusus cum juniore synonymo.

3 *Tomo* I *Januarii in Prætermissis ad diem* V *ejusdem mensis pag.* 235 S. Michæas Filius Iemla, propheta et martyr *ex Menologio Græcorum assignatur, sed in hunc diem* XIV *Augusti differtur. Ut itaque jam pridem datam a Bollando fidem liberarem, hoc eum die Actis nostris inserendum censui. Menologium Sirletianum hæc ibi memorat dicto die* V *Januarii :* S. prophetæ Mi- E cheæ de tribu Ephraim. *Ad diem vero* XXI *Aprilis signatur ibidem* commemoratio prophetæ Michææ *hujusne an alterius? In Menologio Basilii imperatoris jussu conscripto, ac apud Ughellum tom.* 6 *Italiæ sacræ Latine vulgato, die* V *Januarii admodum indeterminate etiam refertur, quando sic dicitur :* Nonis Januarii commemoratio sancti prophetæ Michææ. *At distincte, dicamus potius confuse, eum indicat elogium, quod ibidem continuo sequitur, his verbis expressum :* Michæas propheta Judæus ex familia Ephraim, cum vehementius impietatem Achab regis objurgaret, quod eversis divinis legibus ac patriis institutis dæmonum præstigias consectaretur, alienavit a se regem, qui etsi Sancto esset iratissimus, veritus tamen divinum judicium, atque singularem viri probitatem, a cæde abstinuit, sed mortuo Achab, cum apud Joram filium eadem de causa vehementius offendisset, ejus jussu de prærupta rupe præcipitatus occubuit : cujus corpus obvolutum a propinquis sepultum quidem fuit in patrio solo, sed prope commune sepulchrum.

Quod etiam fit in Menologio

F

4 *Parvum hoc elogium ejusdem est furfuris cum superiore ex Menæis, et rerum confusione plenum. Nam* 1°. *Si Michæas fuit Judæus, id est, si proprie loqui velimus, e stirpe Juda, quomodo additur fuisse* e familia *seu tribu* Ephraim? *Nam duæ istæ tribus locis omnino diversis habitabant : de quibus videri potest Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ.* 2°. *De confusione unius cum altero ex Joramo, supra egimus.* 3°. *Proinde Achab cum Joramo filio, sub quo mortuus obtruditur Michæas, pessime hic etiam connexus.* 4°. *Nec cohæret mortis genus cum Menæis, breviter supra meminimus. Cum itaque Bollandus hanc annuntiationem* S. Michæas filius Jemla, propheta et martyr *e Menologio Græcorum (vellem illius nomen aliumve characterem addidisset) recitarit, uti antea indicatum est, et promiserit eum hoc die, dandum, conabimur ipsius gesta aliunde eruere, duce ac præmonstratore Saliano, qui has res ex professo tractavit, et superius a nobis allegatus est.*

Basilii Imperatoris. Seniorem hic damus, et quare.

5 *Ad annum itaque mundi* 3134 *postquam egisset de victoria, quam Deus Achabo pollicitus est,*

Gesta ejus

AUCTORE J. P.

est, *num.* 14 *et* 15 Misit, *inquit*, propheta... Sed quem prophetam? Utique non Eliam; sed obscuriorem aliquem, proprio enim nomine appellatus fuisset. Existimat Abulensis eum fuisse Michæam filium Jemla.., aitque multos in ea esse sententia, in quibus auctor Historiæ scholasticæ cum Lyrano, et Hebræis in Seder-olam. *Ad annum vero* 3135 *Achabo propheta iterum victoriam pollicetur, qua occasione recenset laudatus Annalium auctor crebra Michææ vaticinia num.* 6 : Interea vero Dominus mittit prophetam ad Achabum, qui de imminente victoria eum reddat certiorem... Quis autem fuerit innominatus hic vir Dei, ex Scriptura non constat. Hebræi in Seder-olam cap. 20 affirmant hunc fuisse Michæam filium Jemla, qui apud Achabum quinquies vaticinatus sit, *prout ibidem singillatim legi potest. Ad eumdem annum num.* 15 *narratur propheta quidam jussisse se perculi, ex lib.* 3 *Reg. cap.* 20 *v.* 35 *et seqq.* Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini : Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait : Quia noluisti audire vocem Domini, ecce
B recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo atque percussit. *etc. Prophetam hunc, sicut observat ibidem Salianus,* Michæum filium Iemla, Josephus aliique Hebræi fuisse volunt, ut paulo ante retuli num. 6. *Deinde a num.* 16 *scribit idem Annalium conditor, cui usui fuerit Prophetæ percussio, et cur item Deus eam voluerit etc., qua ibidem legi possunt.*

ac vaticinia

6 *Numero autem* 19 *et sequentibus agit de percussione Prophetæ, qui regem ignotus cum parabola alloquitur; de sententia insuper Achabi contra custodem parabolæ, idem de eventu ejusdem non plane rei respondente; ad hæc de eadem regi applicata etc. Denique ad illa verba lib.* 3 *Regum cap.* 20 *in fine.* Reversus igitur est rex Israël in domum suam, audire contemnens, et furibundus venit in Samariam, *hæc observat* : Confusus utique fuit, qui dum judicat alium, suo se ore condemnasse, ipsemet animadvertit, ac suo se gladio jugulasse. Mutatus a se et tristis, quoniam in media victoriæ lætitia et variis congratulationibus, lugubre nuntium mortis suæ, cladisque suorum accepit. Indignabundus et furibun-
C dus in tantum Prophetæ loquendi libertatem, quæ est Josephi expositio *(Antiquitatum Judaicarum)* lib. 8 cap. 8. « Rex, inquit, libertate Prophetæ offensus jubet eum in carcerem conjici, et « vehementer ea prædictione contristatus domum « se recepit. » Corrigendus est tamen Josephus in isto prophetæ carcere, quem de suo adjecit, ea conjectura usus, quod tertio abhinc anno hic idem propheta ab Achabo in Ramoth Galaad proficiscente in carcerem conjici, maleque haberi jussus est.

exercitus latera

7 *Rei gestæ narrationem habet Textus sacer lib.* 2 *Paralipomenon cap.* 18, *e quo hæc excerpo* : Dixitque Achaz rex Israël ad Josaphat regem Judæ : Veni mecum in Ramoth Galaad... dixitque Josaphat ad regem Israël : Consule obsecro impræsentiarum sermonem Domini. Congregavit igitur rex Israël prophetarum quadringentos viros, et dixit ad eos : In Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus an quiescere? At illi, Ascende, inquiunt, et tradet Deus in manu regis. Dixitque Josaphat : Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus? Et ait rex Israël ad Josaphat : Est vir unus, a quo possumus quærere Domini voluntatem : sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni D
tempore : est autem Michæas filius Jemla... Vocavit ergo rex Israël unum de eunuchis, et dixit ei : Voca cito Michæam, filium Jemla... Nuntius autem qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi : En verba omnium prophetarum uno ore regi bona annuntiant : quæso ergo te, ut et sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera Cui respondit Michæas : vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. Venit ergo ad regem. Cui rex ait : Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit : Ascendite, cuncta enim prospera evenient, et tradentur hostes in manus vestras. Dixitque rex : Iterum atque iterum te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini.

8 At ille ait : Vidi universum Israël dispersum *eruuntur*
in montibus, sicut oves absque pastore : et dixit Dominus : Non habent isti dominos : revertatur unusquisque in domum suam in pace. Et ait rex Israël ad Josaphat : nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea quæ mala sunt? At ille, Idcirco, ait, audite verbum Domini : Vidi Dominum sedentem in solio suo, E
et omnem exercitum cæli assidentem ei a dextris et a sinistris. Et dixit Dominus : Quis decipiet Achab regem Israël, ut ascendat et corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, et alter alio : processit spiritus et stetit coram Domino et ait : Ego decipiam eum. Cui Dominus : In quo, inquit, Decipies? At ille respondit : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus : Decipies, et prævalebis : egredere et fac ita. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, et Dominus locutus est de te mala. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michææ maxillam, et ait : Per quam viam transivit spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi? Dixitque Michæas : tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris.

9 Præcepit autem rex Israël dicens : Tollite *et aliunde expediuntur*
Michæam, et ducite eum ad Amon principem civitatis, et ad Joas filium Amelech. Et dicetis : Hæc dicit rex : Mittite hunc in carcerem, et F
date ei panis modicum, et aquæ pauxillum, donec revertar in pace. Dixitque Michæas : Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait : Audite omnes populi. *Sequitur deinde in Textu sacro, quomodo Achab secundum Michææ prophetiam occisus in bello fuerit. Rem gestam innectit Salianus anno mundi* 3138, *et inter alia explanat verba hæc sacra a Michæa prolata, quæ aliquam habent difficultatem, nimirum :* Ascende et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis, *tamquam ironice ab eo dicta; uti videre ibidem licet num.* 12. *Deinde hæc* : Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus.... egredere et fac ita, *exponit contra Calvinum, qui ea impie detorquet, ut doceat Deum opt. max. esse auctorem peccati, utpote qui præcipiat spiritui malo, ut Achabum decipiat : cum hoc præceptum sit mera permissio, nec præcepto ullo opus fuerit; quæ ibidem pluribus invenies num.* 16. *Notissimum est illud Christi Domini ad Judam Joannis cap.* 13. *v.* 27 : Quod facis, fac citius. *Denique num.* 32. Intelligendum quoque *monet Salianus*, pseudoprophetas accepta clade ad mortem quæsitos, præsertim Sedeciam eorum principem

A cipem, latebras studiose captantem, ut Michæas illi prædixerat: ipsum autem Michæam, ut veridicum prophetam, vinculis solutum in gloria fuisse. *Porro quis et qualis fuerit Jemla*, Michææ *pater, de quo superius meminimus, hactenus non reperimus. Atque hæc quidem sunt quæ de isto* Michæa *propheta ad nostram pervenere notitiam; reliqua vero, quæ ad eum pertinent, incomperta hactenus nobis sunt; nec scimus ubi, quando, qua morte vitam clauserit, quamquam superius num.* 3 *dicatur martyr.* AUCTORE J. P.

DE S. DEMETRIO MARTYRE

IN AFRICA

Ex Martyrologiis.

J. B. S.

Codices Lucenses apud Florentinium ita hoc die annuntiant : In Africa, S. Demetri cum sociis, *contra quam codices alii Corbeiensis et Reginæ Sueciæ, qui simpliciter scribunt :* In Africa, natalis S. Demetri, *quomodo etiam legit Epter-*
B *nacensis, sed transmutata positione,* In Syria Demetri. *Addit Florentinius Notkerum, Bellinum Maurolycum, a quibus etiam absunt socii, quemadmodum et a tot Usuardinis, qui in nostra editione recitantur. Sufficiat hodiernum Romanum :* In Africa, S. Demetrii martyris. *Sanctum etiam signavit Petrus de Natalibus lib.* XI *num.* 215, *apposito* confessoris *titulo, his verbis :* Demetrius confessor in Africa XIX Kalendas Septembris dormivit. *Vellem addidisset, ex quo fonte ea hauserit; at neque ipse, neque alius, quod sciam, de* S. Demetrii *hujus Actis aut gestis quidquam pro-* E
didit.

DE SS. MM. FORTUNATO, EUSEBIO, TITULO ET CONDITORE,

IN SYRIA

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

Gandara Syriæ *in textu Florentinii primo loco refertur* Fortunatus, *quemadmodum et Corbeiensi et Reginæ Sueciæ, cui Epternacensem male* Demetrium *supposuisse jam diximus. Repetit porro idem textus :* In Venbera Syriæ, natalis sanctorum Eusebii, Tituli, Conditoris et Prospolini, *qui ultimus ad aliam classem infra*
C *referetur, ut soli quatuor supra notati huc spectare videantur; non etiam tres alii qui in solo Corbeiensi ita annuntiatur :* Venderasiri, *pro* Vendera Syriæ, natalis SS. Eusebii, Siculi, *pro* Titulo, Conditoris, Prospolami, Casti, Candidi. *Quid sibi velit* Gandara, Venbera, seu Vendera *Syriæ, frustra apud Geographos quæsivit laudatus Florentinius, neque nobis Operam lubet perdere, ut cum Notkero securius legerimus* In Syria; *non* Aquileiæ *certe, ubi* Eusebius *et* Vincentius *in aliquo codice, cum* Felice *et* Fortunato *perperam conjunguntur.* F

DE SS. MM. EUTICIO, PAULO,

HERACLO, POSSESSORE, PARMO, DISSEO, HERMA, PROSPOLINO, PROSALAMO BERMIA, HERACLO, CUM TRIBUS,

INCERTI LOCI.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

Hanc undecim Martyrum nominibus expressorum cum tribus anonymis classem hoc die Aquileiæ *cum Felice et Fortunata non recte tribuit codex Epternacensis, ubi ceteri omnes clare exprimunt* alibi, *nullo certo loco assignato. Notabis etiam,* Heraclum *seu* Heraclium *repeti, pro quo forte melius legit codex Reginæ Sueciæ, ultimum nomen efformans* Beracli cum tribus, *quam lectionem præferri facile patimur, de cetero nihil alibi invenientes quod de Sanctis hisce Martyribus prædicari possit.*

DE

A D

DE S. EUSEBIO MARTYRE

IN PALÆSTINA

Cultus e Martyrologiis.

J. P.

Sub Maximiano.

Longe celebrior S. Eusebii *presbyteri Romani, quem hodie daturi sumus cum Martyrologio Romano, memoria est, quam* S. Eusebii *martyris in Palæstina. In Thesauro novo anecdotorum, quem Edmundus Martene in lucem edidit, tom. 3 a col.* 1649 *proferuntur hujus Acta hoc titulo :* Passio S. Eusebii, quæ est XIX Kalendas Septembris. *Hæc dum ibi legissemus, publicum ejus cultum diximus stabiliendum e Martyrologiis, priusquam cum aliis hujus diei Cælitibus hic adscriberemus. Annuntiatio in Hieronymianis a Florentinio editis est iis distincta seu, si* B *mavis, confusa characteribus ut in ea Eusebius a nostro diversus retucere videatur. Sic enim ea habet :* In Vembera Syriæ natalis sanctorum Eusebii, Tituli, Conditoris et Prospolini. *Videri interim possunt quæ Florentinius in hanc annuntiationem observavit. At magis perspicue hodierno nostro martyri conveniunt aliæ, quas huc transcribimus. Inter auctaria ad Usuardum a nobis illustratum, die* XV *Augusti e codice Centulensi dicuntur ista :* In Palestina, sancti Eusebii martyris. *Deinde ex editione Lubeco-Coloniensi hæc ibidem recitantur :* In Palestina, sancti Eusebii martyris, pro Christo decollati. *Eadem etiam habet Maurolycus eodem die, sed non addit* martyris. *Ab illis dissentit Grevenus, qui addit titulum* presbyteri *hoc modo :* In Palæstina sancti Eusebii presbyteri et martyris, pro Christo decollati. *Unde autem Grevenus addiderit istum titulum, nec est mihi promptum dicere, nec gratiosum admittere, præsertim quia Passio* S. Eusebii, *et additiones ad Usuardum, quas citabam, eumdem non habent. Quandoquidem vero hæ circa* C *genus mortis, diem cultus ac nomen Martyris conveniunt cum Actis, (quidquid sit de modica unius diei differentia, quæ eisdem prænotatur, ut dictum est) putavimus eumdem in his ac in Martyrologiis Sanctum retucere. Ceterum eadem Acta secuti posuimus illum sub Maximiano.*

ACTA

Auctore anonymo, edita in Thesauro novo anecdotorum apud Edmundum Martene tom. 3 *a col.* 1649 *e Ms. S. Audoëni Rotomagensis.*

Sanctus à Maxentio præside

Imperante Maximiano, Maxentius quidam Palæstinæ provinciæ præses, in jussum principis credulitate mentis non leguam timore ductus, sic ad circumstantes fertur locutus : mandati regis memores esse nos convenit, qui Christi nomen a cultu et hominum memoria, minitando pœnam, avelli voluit et vindicari capitaliter hoc præcepit. Ea tempestate Eusebius quidam mente placidus, religione Christianus, sæpe hoc orando nomen implorans, audientibus locum calumniæ dedit. Ad præsidem fides intimatur, crimen exponitur, edocetur oratio, quia Christum sæpius invocabat. Quo exhibito, Maxentius ait : Si mandati memor es ; sacrifica, ne cogaris. Eusebius respondit : Amplectenda lex illa est quæ ait : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Longe itaque distant inter se mandatum hominis et lex divina, E quia ilud temporaneum, istud æternum est, maxime cum scripta Dei manu lex ista processerit, et vestra ipsa hominis mandata nec ab homine scripta sint.

frustra tentatur verbis

2 Maxentius dixit : Aut sacrificare jussus es, aut puniri : tuum est eligere quid sequaris. Eusebius respondit : Erras, præses, si te sapere æstimas quidquam. Quid lapide vilius? Quid simulachro ignavius? Quid ligno fragilius? Hæc qui præcipis coli, quam sis stultus agnosce, quæ nec sentire quidquam poterunt, nec moveri ministerio destituta cultoris. Maxentius dixit : Durissimum est Christianorum genus, quibus dulcius est perire quam vivere. Eusebius respondit : Impii sunt pagani, qui luce contempta, tenebras sequuntur et nebulas, nec aspicere possunt quid colant, quidve contemnant. Maxentius ait : Si patrem me tibi natura præbuisset, obsecrationem tuam jugiter quod postulabam impetrare meruissem ; nunc honore deposito, cum omni auctoritate præsidis, malo tamen persuadere quam cogere : tu vero durior factus es dum rogaris. Irascendo pronuntio, Sacrifica ne tradaris incendio. Eusebius respondit : Me nulla hujus cura sollicitat. Scio enim grande præmium immodicis his esse tormentis.

nec tormentis ut colat idola

3 His verbis Maxentius incitatus, distendi ejus F membra equuleo jubet, et immites circa latera desudare carnifices. In quibus malis hoc solum dixisse Eusebius fertur : Domine Jesu Christe, tu me serva, sive enim vivamus, sive moriamur, tui sumus, si famulorum memor esse digneris. Cui præses probata constantia subtrahi tormenta mandavit; et ait ei : Nosti senatus-consultum de sacrificiis constitutum? Eusebius respondit : Præceptum Dei non potest humana voluntate superari. Tunc iratus præses tradi eum jussit incendio. Dixit ei : Vides quia leges vobis datas senatus-consultum rescindit?

Suam quoque impera tor

4 Hoc Eusebius audito, ibat securus ad flammam. Cui egredienti Maxentius ait : Pertinaci animo pergis ad mortem superfluam, muta aliquando sententiam. Eusebius respondit : Si imperator hoc jussit, ut contempto Deo metallis serviamus, rogo ut intromittas me ad regem. Maxentius ait : Servetur in crastinum : et mature ipse perrexit ad regem, et ait : Magne imperator, seditiosum hominem, et, quod est gravius, tuis legibus non parentem reperi, qui hodieque repetit, deos non esse quos colimus, nec aliquid habere potentiæ : denique

A denique non sacrificat, sed tantum ipsos sacrificantes horrescit. Imaginem quoque tuam adorare contemnit. Quo audito, ait imperator ad præsidem : Meis hic rebellis inducatur obtutibus. Tunc nescio quis propter assistens dixit : Si eum aspexeris, flecteris ejus sermonibus. Ait imperator : Talis est, ut me induat et mutet? Et præses ait : Non te solum, sed vulgus omne convertet. Nam si ejus aspexeris vultum, sequeris et votum.

interponit auctoritatem.

5 Sed, resistentibus cunctis, imperator jussit eum adduci. Quo advenienti, intuebantur omnes nitorem vultus, oculorum gratiam, et ad similitudinem deductæ lunæ gratiam incredibilem capillorum. Sic incessit, Deo donante, compositus. Statim et vox e cælo ad eum missa intonuit : Fortis esto, Eusebi, nam parata tibi est corona, et ex hoste victoria. Ad quem respiciens imperator, et divinum quoddam in oculis ejus intuens, sic locutus est : Senex, quid ad me veneris responde, ne timeas. Quo tacenti, ait; Silentium rumpe, ad interrogata responde, quia salvum te esse cupio. Eusebius respondit : Si ab homine salutem spero, a Deo jam sperare non possum. Si
B sis enim potestate præstantior, æqua tamen nobis est mortalitatis conditio vel natura. Ceterum ea quæ paulo ante prædixeram tuis, imperator, auribus, non negabo. Hoc sum, Christianus, nec lapides possum adorare, nec ligna; Deo vero quem cognovi, et expertus sum, parere festino.

sed irrito conatu.

6 Ait imperator ad præsidem : Quid mali sentit, si colit Deum quem dicit, omnibus imparem? Maxentius respondit : Noli decipi, imperator invictissime, nec enim hic Deum illum asserit, quem putasti, sed Jesum nescio quem, cujus nec majores nostri, nec ulla gens meminit. Imperator ait : Egredere, et Senem hunc, ut justitia præcipit, audire festina, ego enim hujus rei judex esse non possum. Egressus ab imperatore Maxentius, tribunal ascendit, et exhibitum ad se Eusebium sacrificare mandavit. Eusebius respondit : His ego non sacrificabo, quos nec auditum constat habere, nec visum. Maxentius dixit : Sacrifica, si vis vitare tormenta, vel effugere festinas incendium; neque enim te potest a pœna eximere ille quem metuis.

A. ANONYMO.

Deinde vero truncatur capite.

7 Eusebius respondit : Nec ignis me ab hac sententia potest revocare, nec ferrum; proinde tu corpus infirmum quamdiu volueris crudelitate dilacera. Ceterum anima, quæ ad Deum pertinet, non lædetur. A primis cunabulis usque ad hanc ætatem hac lege persisto. Lapides et ligna scio ædificio deputari solere, non cultui : tu vero salutis ignarus ad præcipitia festinas, et lapidi illi quem colis, committis gravia peccata. His auditis præses iratus, caput ejus jussit abscindi. Tunc Eusebius sono vocis ad Dominum clamavit : Domine Jesu Christe, gratias virtuti tuæ ago, quod et me inter ceteras oves probare dignatus es. Et statim divina vox sonuit : Nisi dignus esses ad aulam E
Christi, sedemque justorum, non fuisses dignus admissus. Is juxta scriptorum ordinem genu posito et decollatus, gloriosum et felicibus expetendum vitæ munus implevit, statimque exutus labe terrena, grato commercio ad cælestia regna transivit. Maxentius vero, qui tam obstinate in ejus exarsit exitium, excruciatus pœna multiplici, nec seculo potuit placere, nec Christo.

DE S. MARCELLO EPISC. AC MART.

APAMEÆ IN SYRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I Apameæ notitia; Sancti patria, parentes, vita secularis et forte solitaria; munus episcopale magna cum laude administratum, communicatio cum Martyribus.

C F

Anno CCCLXXXIX vel circiter.

Apamea illustratur

Apamea, *urbs Syriæ, summa nominis celebritate claruit, teste Ammiano Marcellino libro* 14 *Rerum gestarum cap.* 8, *pag.* 33 *editionis Gronovianæ anni* 1693, *ubi hæc tradit :* Hanc *(Syriam)* nobilitat Antiochia.. et Laodicia et Apamia, itidemque Seleucia, jam inde a primis auspiciis florentissimæ. *Postquam vero Syria in duas divisa est partes, Apamea Syriæ secundæ fuit facta metropolis, sicut videre licet in Geographia sacra Caroli a S. Paulo pag.*287 *posterioris editionis. Sozomenus ab Henrico Valesio illustratus lib.* 7 *cap.* 15 *pag.* 725, Apud Syros *ait,* cives urbis Apameæ, quæ ad Axium fluvium sita est. *Hunc alii collocant ad fluvium Orontem. Cellarius in Notitia orbis antiqui lib.*3 *cap* 12 *pag.* 255 *de Seleucia ad Belum agens,* Hinc, *inquit,* in ortum jacet Apamea, Ἀπάμεια prope Orontis et Marsyæ confluentem.

variis notitiis :

2 *Plura deinde de ea effatus, ad verba Sozomeni continuo a nobis prolata quærit pag.* 256 : Quisnam hic Axius? *Ac respondet esse* nomen ex Macedonia petitum, ut multarum Syriæ urbium. Secundum Strabonem Orontes Apameam præterfluit : apud Plinium vicinus est Marsyas. Incertum, uter nomen Axii acceperit, quod Vaillantius Oronti; Harduinus Marsyæ vult tribui. Neque error est Sozomeni : sed nummo etiam id nomen confirmatur, *cujus inscriptionem Græcam ibidem subjungit.* Quod certior in hoc Strabo est, Apameam ab Oronte allui; quam Plinius, qui agrum tantum Apamenorum ait dirimi Marsya ab Nazerinorum tetrarchia, non significans quam prope ad urbem id flumen accedat, verosimilius est, Orontem a Macedonibus, tamquam nobiliorem fluvium, fuisse Axium adpellatum, quia hic ipse in Macedonia fuit nobilissimus. Nam ἄξιος *Græcis est* dignus. *Jacet autem* inter Antiochiam ad Boream et Emesam ad Austrum ad 50 *(ad* 65 *ponitur a Ferrario in Lexico geographico)* mil. pass. *ex supputatione Baudrantii,* 40 mil. pass. distat a mari Syriaco in ortum.

3 *Urbem porro hanc et rexit episcopus* S. Mar-

AUCTORE J.P.

huic præfuit ep. S. Marcellus Joannis successor.

cellus, *et virtutum suarum, quibus egregie fuit conspicuus, radiis illustravit. Etenim a Theodoreto Historiæ ecclesiasticæ lib.* 5 *cap.* 21 *brevissimo quidem hoc dicto quantum laudatur, qui utique* Vir undequaque præstantissimus *fuerit; item* Vir plane divinus, et juxta præceptum Apostoli, spiritu fervens. *Successit Joanni, qui anno Christi* 381 *interfuit concilio œcumenico Constantinopolitano, sicut videre licet tom.* 2 *Conciliorum apud Labbeum col.* 955, *ubi inter episcopos, qui ad illud concilium convenerunt, eidemque subscripserunt, signatur* Joannes Apameensis. *Theodoretus autem loco citato,* Jam e vivis, *inquit,* excesserat Joannes Apamensium episcopus.. Ejus autem loco ordinatus fuerat Marcellus. *Verum his obiter præmissis de* S. Marcello, *vita ejus ac res in ea gestæ quemadmodum se habuerint, e documentis, quæ ad nostram pervenere notitiam, eruamus incipiendo a solo natali.*

Patria ejus, vita egregie in seculo peracta,

4 *Menæa magna Græcorum impressa* e Cypriorum insula ortum *esse ipsum referunt. Martyrium Græcum e codice Ambrosiano, cujus apographum*
B *habemus, et de quo postea dicetur pluribus, habet ista :* Τῆς Κυπρίων ὁ κλεινὸς οὗτος ἔξω.... *cujus lacuna videtur sic suppleri posse* ἐξορμώμενος νήσου *ut sensus sit :* Inclytus hic *Vir* e Cypriorum insula oriundus. *Et vero ibidem* civilem egit magistratum, *sicut dicta Menæa memorant,* creditaque illi est ejusdem administratio, in qua ita se gessit, ut omnes raperet in admirationem cum propter pietatem tum propter studium singulare, quo rem publicam moderabatur. *Ast insignem vitæ ejus rationem altius repetunt ac pluribus describunt tam exemplar Ambrosianum Martyrii, quam Ms. Vita e bibliotheca regia Pariensi. Ms. enim Ambrosianum tradit ista :* Ὑφ' ὧν ἀναγόμενος ἅμα καὶ παιδευόμενος, ᾗ προσῆκον ἦν, πᾶσαν ἐπιμελῶς διήνυε ἐπαινετὴν ἀρετὴν, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τῆς γνώσεως τῶν γραμμάτων ἐπεμελεῖτο. Χαίροντες τοίνυν ἐπὶ τούτοις οἱ τοῦτον τεκόντες, ἐπεὶ τῶν ἐπιφανῶν ἦσαν, καὶ πλούτῳ κομώντων βαθεῖ, καὶ πρὸς ἀξιωμάτων αὐτὸν ἐλθεῖν κατηνάγκαζον ὄγκον· ἤ δὴ καὶ μεγίστης ἀρχῆς κοσμικῆς δέξασθαι ζώνην, ἣν ἵνα μὴ πατρικῶν συμβουλιῶν ὑπεροπτὴς φανῇ, κατεδέξατο, βασιλικῆς κελεύσεως εἰς τοῦτο προβαλλομένης αὐτόν. Καὶ δῆτα καλῶς ἐν αὐτῇ διαπρέψας, καὶ πᾶν εἴ τι δίκαιον θεαρέστως
C ἐκμελετήσας, ἐν ζυγῷ τε καὶ μέτρῳ τοῦτο διασταθμήσας, καὶ τὴν ῥοπὴν τῷ πρέποντι χαρισάμενος μέρει, πάντας ἐξέπληξε, καὶ πάντας ὑπεραγαπᾶν αὐτὸν ἔπεισε καὶ μάλιστα τῇ καθαρότητι τοῦ βίου, καὶ τῷ τοῦ ἔλεους, τῷ τε τῆς γλώττης ἤθει, καὶ τῷ ταπεινῷ τῆς φρονήματος.

et virtutibus conspicuus.

5 *Quæ Latine sic verto :* A quibus *(subintelligo* parentibus, *nam lacuna hic iterum occurrit)* educatus simul ac institutus, omnem prout erat conveniens, laudabilem virtutem diligenter exercebat : nec vero minus litterarum notitiam excolebat. Parentes igitur ipsius his gavisi, quoniam erant illustres et amplis affluebant divitiis, eum quoque ad dignitatum decus pervenire coëgerunt, imo vero maximi etiam magistratus secularis zonam accipere : quam, ne paternorum consiliorum contemptor videretur, assumpsit, imperatoris mandato huc ipsum promovente. Et certe in eo munere egregie excellens, et quidquid erat justum ex divino præscripto exercens, nec non in statera ac mensura illud disponens, momentumque in eam inclinans partem, quæ cum decoro consentiebat, omnes in stuporem rapuit atque ad amorem sui convertit, potissimum vitæ integritate eo accedente, nec non misericordiæ sermonisque suavitate ac demisso de se sensu. *De virtutibus, quibus in vita seculari fulsit* S. Marcellus *plura congerit apographum nostrum Parisiense ; sed dicta modo sufficiant.* D

Fuit matrimonio junctus ; ac aliquamdiu fortasse

6 *Sanctus noster matrimonio junctus fuit; de ejus namque filiis Sozomenus ita loquitur pag.* 726 *occasione auctorum cædis per martyrium illi illatæ ;* qui postquam processu temporis detecti sunt, filii quidem Marcelli mortem patris ulcisci cupiebant ; verum provinciæ synodus id prohibuit, æquum non esse censens eam ulcisci mortem, ob quam gratias Deo agere oporteret tum ipsum mortuum, tum filios ejus atque amicos. *Quod autem vitæ solitariæ institutum amplexus fuerit, quodque vel ab ipsis ejusdem primordiis seu rudimentis non mediocrem in rebus agendis de se concitaverit apud synascetas commendationis laudem, illud est argumento, quod a duobus abbatibus, quamquam recens esset solitarius, ad S. Epiphanium missus fuerit, prout discimus e Prolegomenis ad libros ejusdem sancti Epiphanii Contra hæreses tom.* 1 *editionis Petavianæ, si is, qui ibidem nominatur, sit synonymus hic noster. Nostrum hunc esse ut assereret Tillemontius, nihil in promptu habuit tom.* 5 *Historiæ imperatorum in Theodosio I art.* 58 *pag.* 327, *et Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 10 *in S. Epiphanio art.* 10 E *pag.* 507. *At vero quamquam id e solo nomine extundi non possit : quia tamen ratio temporis identitati isti, ut ita loquar, favet : et quia præterea provincia Cypri, ad quam mittitur, congruentiam aliquam superaddit, e qua utpote superius dicebatur oriundus ; quid vetat eum aliqua verisimilitudine supponere, quod idem ipse fuerit? In isto ergo supposito precedens animadverto sequentia. Cur, quando, a quibus* S. Marcellus *ad eumdem ablegatus sit, accipe ex epistola, quæ ibi habetur e Græco Latine reddita, et hoc titulo prænotata :* Epistola anno Diocletiani xcii, Valentiniani et Valentis xii, Gratiani viii, ad Epiphanium Palæstinum Eleutheropolitanum scripta qui eum olim monasterii, quod in Eleutheropolitano agro situm est, pater fuisset, hoc tempore Constantiæ, quæ urbs est provinciæ Cypri, episcopus est, ab Acacio et Paulo presbyteris et archimandritis, hoc est monasteriorum præpositis in regione Carchedonis, et Berœæ, Cœles Syriæ ; qua postulant, ut adversus hæreses scriberet, cum jam a multis insuper rogatus, ut hoc F susciperet, atque, ut ita dicam, coactus fuisset. *Sed antequam progrediamur ad verba epistolæ, notanda quædam sunt de ratione temporis.*

vitam egit

7 *S. Epiphanius Panarium seu librum adversus hæreses aggressus est anno Christi* 374 : *in ejusdem quippe operis exordio num.* 2 *notatur* Valentiniani et Valentis annus xi, Gratiani vii, *qui Valentiniani et Valentis annus* xi *anno Christi* 374 *mense Februario cœptus est, sicut observat Pagius in Critica Baroniana ad annum* 375 *num.* 10. *Consule Baronium ad annum* 374, *ac Petavii Animadversiones in opus Epiphanii, quod ipse edidit, tom.* 2 *pag.* 4. *Quando igitur* S. Marcellus *fuit missus ad S. Epiphanium, operi is suo tunc manum admoverat, uti patet e characteribus temporis supra dictæ epistolæ præfixis, qui concurrunt cum anno Christi* 375. *Nam ille Valentiniani senioris ac Valentis exstitit duodecimus; post quem annum non potest differri legatio, qua de nobis sermo est, cum eodem anno mensis Novembris die* xvii *Valentinianus extremum vitæ diem clauserit, sicut apud chronologos notissimum est : nec ante diem* xvii *Septembris ejusdem anni* 375, *quia Diocletianus declaratus est imperator anno* 284, *a qua epocha originem duxit famosa æra*

A *æra Diocletianea. Vide Baronium ad annum istum, Tillemontium Historiæ imperatorum tom. 4 art. 2 pag. 5, et Pagium in Critica Baroniana tom. 1 ad an. 284 num. 4. Jam vero si ab isto anno pergas ad annum 375, habebis annum Diocletianeæ æræ 91, dicto die* XVII *Septembris completum, et annum 92 exhinc currentem, convenienter ad inscriptionem epistolæ, quam supra dedimus.*

solitariam

8 *His prænotatis, audiamus quidnam epistola, quam citabam, ad propositum nostrum contineat. Sic ergo S. Epiphanio scribunt Acacius et Paulus archimandritæ :* Quamobrem cum Marcellus, communis nostrum omnium frater, tantæ famæ magnitudine stimulatus, ad te pietatis tuæ desiderio traheretur, idemque monasterio nostro esset adscriptus ; hominem nacti, qui longinquitate tanta itineris nostra vice fungeretur, rudem adhuc et tironem ; huic ipsi peccatorum omnium videlicet nostrum postulationem ad te Christi discipulum perferendam, paulo eam quidem audaciorem mandavimus. Petitionis porro nostræ summa hæc est, ut quæ nonnullis fratribus dixisti, ea ad B nostram institutionem impertiri non graveris *etc. Ex dictis itaque conficitur,* S. Marcellum *vitæ solitariæ tirocinio vacasse anno Christi 375, suaque ad S. Epiphanium legatione fuisse tunc functum mensibus Septembri, Octobri vel Novembri; quamdiu vero deinde vitæ asceticæ institutum continuarit, tametsi non est mihi promptum præcise definire; quid prohibet tamen supponere, in eo ipsum perseverasse usque ad suum episcopatum, de quo mox agendum est.*

Promotus ad episcopatum,

9 *Ms. nostrum e codice Ambrosiano postquam exposuisset dignitatem, qua Martyr noster in seculo honoratus est, et de qua dictum superius num. 5, de ecclesiastica subdit sequentia :* Ἀλλὰ ταύτην τὴν ἀρχὴν ἡ μείζων πάντως διεδέξατο καὶ ἀξία. Τῆς Ἀπαμείας γὲ ὁ Σοφὸς πρόεδρος προχειρίζεται καὶ διδάσκαλος, οὐχ ἁπλῶς οὕτως, οὐδ' οἷα φιλεῖ γίνεσθαι τοῖς πολλοῖς, ψήφῳ δὲ καὶ κρίσει Θεοῦ. Τοῦ γὲ πρὸ τούτου τὸν βίον ἀπομετρήσαντος ὁ ἄξιος ἐπεζητεῖτο τῷ θρόνῳ. Καὶ πολλῶν ἄλλως λεγόντων καὶ ἄλλων ἑτέρως, τὸν Μάρκελλον ὁ λόγος ἐκάλει. Πολὺς γὲ ὁ λόγος Μαρκέλλου ἐν τοῖς ἁπάντων χείλεσιν, ὁ Μάρκελλος ἐλέγετο, Μάρκελλος ἠκούετο. Τῆς οὖν συμφρόνου ταύτης οὕτω ψήφου κρατούσης, ἐπεὶ καὶ Θεὸς σύμψηφος ἦν (οὐδὲ γὲ ἂν εἰς C μίαν γνώμην συνῆλθον ἅπαντες, εἰ μὴ τοῦτο ἦν) πέμψαντες ἄγουσιν τὸν Δίκαιον οἱ τῆς πόλεως κατ' ἄλλην μὲν τινα δῆθεν χρείαν τὸ δ' ἀληθὲς κατὰ τὴν μεγάλην ταύτην, καὶ ἧς ἔπρεπεν εἶναι τοιοῦτον ἀρχιερέα, γνωρίζουσι τοῦτο πρᾶγμα πρὸς τὸν ἐγχείρησιν .... Πείθουσι, δ' ὅμως χειροτονεῖται παρὰ τῶν ἐκκρίτων τοῦ βήματος· τὴν Χριστοῦ ποίμνην ἐπιστεύεται καὶ γίνεται ταύτης ποιμὴν καλὸς καὶ οὐ μισθωτός· ἐπανάγει το ποιμνίον ἐπὶ χλόην πίστεως καὶ ἐφ' ὕδωρ τρέφει καὶ ὁδηγεῖ καλῶς ἀναπαύσεως· τρέπει τοὺς νοητοὺς λύκους τῇ σφενδόνῃ τοῦ πνεύματος, πᾶσαν ἐκποδὼν ποιεῖ τὴν ἑλλήνων θρησκείαν· τεμένη τούτων εἰς ἔδαφος κατασσᾷ· θείους οἴκους ἀνεγείρει θερμῶς, καὶ ὅλως ἦν τῇ πόλει ποθητὸς καὶ ἐπέραστος. *Hæc autem sic latinitate donamus :*

omnes optimi pastoris partes implet.

19 Ast hunc magistratum (*secularem*) major omnino (*ecclesiasticus*) excepit, ac dignitas. Sapiens namque hic Vir Apameæ præsul ac magister deligitur non pervulgato more, nec quemadmodum multis evenire assolet ; sed suffragio ac judicio Dei. Nam ejus decessore vitam emenso, qui solio dignus esset inquirebatur. Dumque multi sic, aliter alii dicerent, sermo Marcellum vocabat. Quippe omnium in ore multus de Marcello erat sermo, Marcellus dicebatur, Marcellus audiebatur. Postquam misissent cives, qui Virum justum adducerent quasi pro alia quadam utilitate, sed revera ut magnæ huic civitatis præesset, cujus utique decebat hujusmodi esse pontificem ; indicant ei hoc negotium, ut executioni mandetur... Persuadent simul : consecratur ab electis altaris ministris : Christi grex ei committitur, ejusdemque fit pastor bonus et non mercenarius : adducit gregem ad gramen fidei, et ad aquam bene deducit requietis : lupos ratione præditos arcet, et funda fidei omnem gentilium superstitionem e medio tollit : delubra eorum humi prosternit : divina templa cum fervore excitat, eratque urbi omnino gratus ac perquam amabilis. *De his vide inferius num.* 13

Communicat per litteras

11 *Porro Virum hunc sanctissimum non modo spiritu ferventem, quod supra dicebamus, sed etiam martyrii cupidissimum fuisse, videtur ex eo colligi posse, quod studio singulari erga Martyres afficeretur scribendo ad illos, ac necessitudinis vinculo se cum eis colligando. Audiamus Theodoretum superius allegatum :* Nam et ad invictissimos Martyres scribere, et ab eisdem litteras accipere consueverat. *Tillemontius Historiæ impe-* E *ratorum tom. 4 in Theodosio I, art. 58 pag. 327 scrupulum hic movet dicens, multos quidem sub Valente exstitisse confessores, sed nullos se nosse sub eo Martyres præter Eusebium Samosatenum At respondemus, si hunc duntaxat Martyrem sub Valente norit Tillemontius, nullum norit, si stricte loqui volumus : nam Valentem obiisse die* IX *Augusti anno Christi 378, notat in tabula chronologica ad calcem tomi mox designati pag. 832 : Eusebius autem Samosatenus missus quidem ab ipso in exsilium fuit circiter annum 373, secundum ea quæ habentur apud nos tom.* IV *Junii, die* XXII, *pag. 241 ; sed occisus est post mortem Valentis : anno videlicet 379, ex eodem tomo nostro ad dictum diem, quo ejusdem Sancti Acta edita et illustrata sunt.*

cum Martyribus.

12 *Nullum itaque novit, ut iterum hoc dicamus, Tillemontius Martyrem sub Valente, si præter hunc non novit alium. Sed nos tom.* IV *Maii, die* XVIII, *pag. 170 novimus sanctos martyres Constantinopolitanos Urbanum, Theodorum, Menedemum, et* LXXVII *Ordinis ecclesiastici viros sub Valente vivente ac jubente passos anno 370. Noverat item illos ante nos Socrates lib. 4* F *Historiæ ecclesiasticæ a Valesio editæ cap. 16 pag. 227, ubi rem gestam refert, quam et nos ex ipsius lib. 4 descripsimus loco modo allegato, Noverant eos alii, quamquam non ita distincte ipsos memorarint, quam Socrates, sicut ibidem in nostro opere lector inveniet. Quid, quod ipse eos alibi norit Tillemontius : nam in Valente imperatore tomo citato art. 10 pag. 97 tractat de historia dictorum octoginta Martyrum ecclesiasticorum, quos idem Valens morti addixit, et citat locum ipsum Socratis, quem nos paullo ante designavimus, addens diem cultus* V *Septembris, quo exstant in Martyrologio Romano. Atque hæc ad scrupulum Tillemontii male fundatum plus quam satis.*

§ II

AUCTORE J. P.

§ II. Martyrium ejusque tempus, publica veneratio e Fastis Græcis ac Latinis ; an Martyr hodiernus ab alio synonymo diversus , Acta.

Sanctus dum in destruendo Jovis templo occupatur,

Tanta et tam inveterata erat Apameensium erga idolorum cultum superstitio , ut masculo prorsus atque imperterrito opus fuerit pectore ad eam abolendam. Nam, teste Theodoreto antea citato, Venerat... Apameam Cynesius præfectus prætorio Orientis, *ut ibidem destrueret templum Jovis* , duos secum tribunos habens, cum militibus qui illis parebant. Ac populus quidem metu militum se continuit, *ne præfecti incepto resisteret. Theodoreto adjungatur Sozomenus lib 7 cap. 15 ita loquens :* Adhuc tamen in aliquot urbibus pagani pro templis suis acriter dimicabant.
B *Quos ubi nominasset, iis accenset* denique cives urbis Apameæ,... quos quidem accepi , *ait* , ad tutelam templorum suorum sæpenumero usos esse præsidio Galilæorum et rusticorum hominum ex vicis qui sunt circa Libanum ; tandemque eo audaciæ prorupisse, ut Marcellum ejus loci episcopum interfecerint. Nam cum hic intelligeret , illos non aliter a priori superstitione facile converti posse, fana quæ in urbe et in pagis erant subvertit. Cumque audiisset maximum templum esse in Aulone, qui tractus est regionis Apamenorum , assumptis secum militibus et gladiatoribus, eo perrexit. Et cum propius accessisset, ipse quidem extra telorum jactum remansit ; (Erat enim pedibus æger, et neque pugnare nec persequi aut fugere poterat) militibus vero et gladiatoribus in expugnatione templi occupatis, quidam ex paganis cum illic solum relictum esse cum cognovissent, qua parte locus pugna vacabat egressi sunt, et ex improviso supervenientes eum corripiunt, injectumque in rogum interficiunt.

martyrio potitur.

13 Et in præsenti quidem , quinam fuissent auctores cædis, latuit. Postquam vero processu
C temporis detecti sunt, filii quidem Marcelli mortem patris ulcisci cupiebant : verum provinciæ synodus id prohibuit, æquum non esse censens, eam ulcisci mortem, ob quam gratias Deo agere oporteret, tum ipsum mortuum, tum filios ejus atque amicos : quippe qui dignus habitus esset qui pro Deo moreretur. Atque hæc quidem ita gesta sunt. *Ast illa adeo tenax et ferox apud Apameenses superstitio quo pacto satis conveniat cum narratione superiore, quæ e Ms. exemplari Græco Ambrosiano exponebat modum ac rei adjuncta, quibus S. Marcellus a civibus Apameensibus ad episcopatum arcessitus, urbique admodum gratus ac perquam amabilis dicebatur, non satis intelligimus, veroque propius apparet, Sanctum alterius alicujus auctoritate eo accitum, cathedræ admotum, ac eradicandæ idololatriæ divinoque cultui propagando operam navasse heroicam inter odia, feritatem et persecutiones populi Apameensis.* Cynesius *supra nominatus ansam dabit parvæ observationis, quam remittimus ad Annotata in Compendium Actorum lit. b. De voce* gladiatoribus *consuli potest Tillemontii nota in Theodosio I imperatore ad art. 59 pag. 329; de* Aulone *autem seu Aulocrene observatur ad Nicephori Callisti Historiam ecclesiasticam lib. 12 cap. 27* *pag. 278 editionis Parisiensis anni* 1630, ita vocari convallem decem millia passuum ab Apamea. D
At nunc alia de sancto nostro Athleta expendenda nos vocant.

14 *Quantum attinet ad tempus martyrii ; Baronius, recitata ex Sozomeno historia, quam modo nos ex ipso proferebamus, illud intexit anno Christi* 389, *et in notationibus ad Martyrologium Romanum* anno undecimo Theodosii imperatoris *rem gestam affigit, qui annus concurrit cum dicto anno* 389. *Tillemontius Historiæ imperatorum tom.* 5 *in Theodosio I, art.* 58 *utrumque istum annum assignat ; quamquam alibi sibi non constet : nam Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 10 *in S. Epiphanio art.* 10 *pag.* 507 S. Marcelli *nostri martyrium affigit versus annum* 395. *Bailletus in collectione de rebus* S. Marcelli *nostri quam Vitis Sanctorum hodierno die inseruit, ab ista ratione temporis dissentit dicens, poni mortem ejus ab aliis anno* 385 *vel sequente, idque* majore cum verisimilitudine ; *at potuisset hypercriticus ille verbulo, ut fidem faceret, hujus temporis rationem addere. Theodoretus lib* 5 *cap.* 27 *pag.* 235 *de Arcadii imperatoris pietate ac S.* E *Joannis Chrysostomi ordinatione pro cathedra Constantinopolitana, nec non de variis episcopis per idem tempus ecclesias varias moderantibus loquens,* divino, *inquit,* Marcello successit Agapetus. *Verum quo anno Marcellus sit affectus martyrio, vel quo ei suffectus in episcopatu Agapetus, quisnam inde extundat ? Nos vero in initio hujusce nostri Commentarii assignavimus ad marginem morti ejus annum* 389 *vel circiter : quæ notatio temporis cum patiatur aliquam latitudinem, superiores annorum designationes cum ea inter se utcumque componi possunt, uti et notatio temporis apud Castellanum ad marginem textus sui Martyrologii Romani, ubi signatur versus an.* 386.

Ejusdem tempus.

15 *Veneratio publica sancti Præsulis nostri probatur e Fastis Græcis, Latinis et aliis. Nam in Martyrologio nostro Arabico-Ægyptio hac die* XIV *Augusti signatur* Memoria S. Marcelli episcopi, *omisso titulo* martyris. *Menæa magna Græcorum impressa dicunt :* Eadem die memoria hieromartyris Marcelli episcopi Apameæ. *Subdunt elogium, in quo tamen crassissimum committunt errorem, quando scribunt, illum fuisse* natum sub Theodosio imperatore. *Menologium Sirleti rectius ,* F *dum ejus annuntiationi ista subnectit :* Hic sub Theodosio magno imperatore ex insula Cypro , mundani magistratus regimen disponens *etc. Dicta Menæa hoc disticho Sanctum prosequuntur, in quo alluditur ad genus martyrii, quod per ignem consummavit :*

Κνίσσαις σαρκικαῖς τὸν Θεὸν κατευθύνας
Καὶ σαρκὸς αὐτὸν ἡ θύει κνίσση, Πάτερ.
Nidore carnis spiritus cælum subit :
Nidorque carnis non subit cælum, Pater.

Memoria Sancti in Fastis Græcis

Supplementum nostrum Sirmondo-Chiffletianum indicat locum Constantinopoli ejus publico cultui adhibitum : Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ προφητείῳ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἐν τοῖς Σφωρακίου. Peragitur ejus solennitas in æde sacra prophetæ sancti Joannis Baptistæ in tractu Sphoracii : *de qua æde Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 102.

16 *Porro publica Martyris veneratio a Græca ecclesia transiit etiam ad Latinam : nam Martyrologium Romanum annuam ipsius memoriam præscribit recitandam his verbis :* Apameæ in Syria sancti Marcelli episcopi et martyris ; qui cum Jovis delubrum diruisset, a furentibus gentilibus occisus

ac Latinis ;

A occisus est. *Ghinius illum etiam refert et laudat in Natalibus sanctorum canonicorum. Præcesserat Petrus de Natalibus lib. 9 cap. 55, ubi dicitur* apud Apamiam honore condigno tumulatus IV Idus Octobris. *Tamayus in notis ad suum Martyrologium Hispanum hac die pag. 471 merito refutat ineptias Bivarii, qui hunc sanctum Athletam inani prorsus commento putavit Hispaniæ accensendum esse. Pudeat vanitatis. Quod supra dicebatur ex Sozomeno et ex Menæis de laurea martyrii ab eo per ignem obtenta, ansam præbet inquirendi, an Marcellus martyr synonymus in Menæis Græcis signatus alio die, sit idem cum hodierno, an ab illo diversus.*

An Martyr hodiernus ab alio synonymo diversus,

17 *Tomo nostro* III *Februarii in Prætermissis ad diem* XXV *ejusdem mensis pag.* 486 *notantur sequentia :* S. Marcellum episcopum Apameæ Cypri, qui gladio percussus martyrii coronam adeptus est, hoc die commemorant Menæa et Maximus Cythereus. Suspicamur Apameæ in Syria legendum, eumque esse S. Marcellum, quem Martyrologium Romanum refert XIV Augusti. *Ast hunc ab illo distinguendum esse, nobis videtur magis*
B *ad verum accedere, non tam quod diversis relati sint diebus, quam quod diverso mortis genere interempti. Hodiernus enim necatus igne, cui alicubi adduntur sagittæ, ut videre est infra in Annotatis ; alter vero iste capite truncatus, prout eruimus e versibus, qui annuntiationi ejus dicto die* XXV *Februarii in Menæis magnis excusis subjiciuntur, in hanc sententiam a nobis hic Latine redditi :*

Σπένδεις Θεῷ, Μάρκελλε, θερμῷ τῷ πόθῳ
Θερμοὺς σταλαγμοὺς αἱμάτων ἐξ αὐχένος.
Marcelle, voto fervido dans fervidas
Guttas Deo cruoris e collo litas.

Sive autem superius sit legendum in Menæis Apameæ in Syria *sive* Apameæ in Phrygia, *certe* Apameæ in Cypro *legi non posse, constat ex eo, quod nullam hactenus ibidem existere Apameam noverimus. Plinius enimvero lib.* 5 *cap.* 31 oppida in ea XV *nominatim enumerat, sed nullam inter illa Apameam ponit ; nullam inter varias urbes synonymas Ortelius in Thesauro geographico in voce* Apamia ; *nullam alii geographi quos consuluimus. Jam nosce, lector, apographa nostra Græca, quæ* S. Marcelli *Acta describunt.*

C 18 *Unum habemus hoc titulo :* Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μαρκέλλου ἐπισκόπου Ἀπαμείας τῆς Συρίας. *Id est :* Martyrium sancti martyris Marcelli episcopi Apameæ Syriæ. *Desumptum notatur ex* cod. Ambros. *N.* 152, de quo ad Vitam S. Maximi conf *Vide de eo Commentarium nostrum ad Acta istius Sancti prævium die* XIII *hujus mensis* § 10 *num* 80. *Martyrium vero prædictum sic incipit :* Ὅτε Θεοδόσιος ὁ μέγας τῶν Ρωμαϊκῶν εἶχε σκήπτρων τὸ κράτος, τότε καὶ Μάρκελλος ὁ τὰ θεῖα σοφὸς Ἀπαμείας τῆς Συρίας ἐπίσκοπος ἐγνωρίζετο. Πάλιν ἄνωθεν μικρὸν χρὴ τὸν λόγον ἀναγαγεῖν. *Quæ sic sonant Latine :* Quando Theodosius magnus Romanorum sceptrorum imperio potiebatur, tunc etiam Marcellus divina sapientia præditus Apameæ Syriæ episcopus innotuit. Verum paulo altius sermo repetendus est. *Brevis quidem admodum, quæ sequitur, narratio est, sed hians loco non uno, quia exemplar, e quo excepta fuit, legi non potuerit. Præter illa, quæ supra ex isto ecgrapho dedimus, narrat auctor delubrum Jovis destructum miro modo (Factum postea referetur ex Theodoreto) ac deinde martyrium per ignem breviter indicat.*

De Martyrii exemplaribus

19 *Aliud in promptu est Græcum exemplar de vita ac martyrio* S. Marcelli *nostri, quod notatur esse desumptum ex* Ms. bibliothecæ regiæ Paris. 274, *et extare* item in Cæsareo, *de quo consuli potest Lambecius in Commentariis de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib.* 8 *pag.* 128. *Incipit :* Νενόμισται πολλάκις καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς γῆς ὡραίοις ἄνθεσιν εἴτουν καρποῖς τὰς τῶν μαρτύρων θήκας τιμᾶν, μόνον δὲ ὡς ἔοικεν ὡραίον τούτοις προσαγεσθαι λόγους. *Quæ sic Latine interpretamur :* Visum est sæpenumero, venustis e terra floribus ac fructibus Martyrum honorare sepulcra ; sed solum hoc, ut decet, venustum, sermones illis deferre. *Narratio hujus Ms. longior est quam præcedentis et continet prologum scriptoris, laudat Sanctum a rebus gestis ac virtutibus, nec non ab Jovis eversione templi et aliorum ; post quæ meminit de cursu vitæ per ignem consummato. Ea vero e Græco hic Latine repræsentari supersedemus : sufficiant quæ in compendio præmisimus e codice Ambrosiano, et per quæ suppleri utcumque potest Theodoretus, qui plura alia de S. Marcello scivisse se quidem affirmat, sed non retulisse ; idque eo nobis dolendum, quod et hic ipsi suppar vixerit, et res tunc gestas, ut Baronii ad* E *annum Christi* 389 *verbis utamur,* utpote Syrus homo, habuit exploratas. *Reliquum est ut subjiciamus*

AUCTORE J. P. quæ habemus : sed eorum loco compendium damus.

ACTORUM

COMPENDIUM

Ex Theodoreto, Cyri episcopo, lib. 5 *Ecclesiasticæ historiæ cap.* 21 *a pag.* 262 *editionis Valesianæ.*

Post hæc fidelissimus Imperator adversus gentilium superstitionem *a* studium suum convertit, legesque scripsit, quibus idolorum fana destrui jubebat. Nam Constantinus quidem magnus, omni laude dignissimus, qui primus pietate imperium ornavit, cum orbem terrarum adhuc insanientem erga simulacrorum cultum videret, ne dæmo- D nibus sacrificaretur omnino interdixerat. Eorum tamen templa nequaquam destruxerat, sed occludi tantum præceperat. Ejus quoque filii paternis institerunt vestigiis. At Julianus impietatem renovavit et vetusti erroris flammam suscitavit. Postea Jovianus imperium adeptus simulacrorum cultum denuo prohibuit. Valentinianus deinde major iisdem usus legibus Europam gubernavit.

Theodosius magnus idolorum cultum ab aliis imperatoribus destructum,

2 Valens vero aliis quidem omnibus permisit colere ut vellent, iisque quos colerent, observantiam exhibere. Solis iis qui Apostolicam doctrinam tuebantur, bellum inferre nunquam destitit. Itaque quamdiu ille imperium tenuit, et in aris incendebantur thura, et libamenta ac sacrificia simulacris suis offerebant pagani et publicas epulas in foro celebrabant. Et Bacchi sacris initiati, cum caprinis pellibus cursitabant, canes discerpentes furentesque et bacchantes, et alia pergentes, quibus magistri ipsorum festus dies indicatur. Quæ omnia cum fieri reperisset fidelissimus imperator Theodosius, funditus sustulit et perpetua oblivione texit.

ab aliis permissum ; lege prohibet.

3 Primus ergo inter alios episcopos Marcellus, vir

Ex Theodoreto. vi cujus S. Marcellus ep. fana primus destruit Apameæ.

vir undequaque præstantissimus, legis illius præsidio munitus, urbis, quam regendam susceperat, fana detruxit, fiducia magis in Deum quam hominum opera ad eam rem usus. Quod quidem cum memoria dignissimum sit, hoc loco narraturus sum. Jam e vivis excesserat Joannes Apamiensium episcopus, cujus antea mentionem feci. Ejus autem loco ordinatus fuerat Marcellus, vir plane divinus et, juxta præceptum Apostoli, spiritu fervens. Venerat autem Apamiam Cynegius *b* præfectus prætorio Orientis, duos secum tribunos habens, cum militibus qui illis parebant. Ac populus quidem metu militum se continuit.

Templum Jovis

4 Præfectus igitur templum Jovis, quod amplissimum erat et variis ornamentis decoratum, destruere aggressus est. Sed cum operis structuram admodum firmam ac solidam esse deprehendisset, nulla vi humana dissolvi posse lapidum compagem judicavit. Erant enim vastissimi lapides et inter se aptissime juncti, ferroque insuper ac plumbo vincti. Hanc præfecti trepidationem cum vidisset divinus Marcellus, cum quidem ad alias urbis interim misit; ipse vero Deum precatus est, ut quo-
B modo destruendum esset ædificium indicaret. Mane igitur quidam ad eum ultro accessit, qui neque structor erat, neque lapicida, neque ullam aliam artem callebat; sed lapides tantum et ligna humeris bajulare consueverat.

structura solidissimum,

5 Hic Marcellum adiens, levi negotio destructurum se templum spopondit. Duorum tantum opificum mercedem postulavit. Quam cum sanctissimus Pontifex se daturum promisisset, hujusmodi quiddam vir ille molitus est. Templum in vertice positum, porticum ex quatuor lateribus ipse cohærentem habebat. Columnæ vero maximæ erant, templique altitudinem æquabant. Singularum ambitus sexdecim erat cubitorum. Lapidis vero natura erat firmissima, et quæ lapicidarum instrumentis haud facile cederet. Harum igitur singulas cum in orbem suffodisset et suppositis oleaginis lignis eas suffulsisset, ab una ad aliam transibat. Hac ratione cum tres jam columnas suffodisset, ignem lignis subjecit.

dæmone frustra id impedire conato,

6 Sed dæmon quidam atri coloris apparens et flammæ vim cohibens, materiam ab igne, sicut natura fert, consumi non sinebat. Cum igitur id sæpius moliti, inutilem conatum suum esse per-
C spicerent, episcopo post meridiem dormienti eam rem indicarunt. Is confestim ad ecclesiam progressus, aquam in vasculo afferri jussit : et aquam quidem sub altari posuit; ipse vero frontem solo adfixam habens clementem Dominum orabat, ne D dæmonis tyrannidem ulterius pateretur; sed tum imbecillitatem illius ostenderet, tum potentiam suam declararet, ne forte incredulis gravioris damni occasio ex eo nasceretur. Hæc et hujusmodi alia cum dixisset, crucisque signo aquam signasset, Equitio cuidam diacono, qui fide ac zelo munitus erat, præcepit, ut aquam acciperet et ocius ad locum properans, eam cum fide spargeret, ignemque admoveret.

jubet comburi miro modo, ac postea martyrio coronatur.

7 Quo ita facto, dæmon aquæ vim non ferens aufugit. Ignis vero, aqua ipsi contraria, non secus atque oleo excitatus et materiam apprehendit et momento temporis eam consumpsit. Ita columnæ, combustis, quibus suffulciebantur, lignis, et corruerunt ipsæ, et duodecim alias eadem ruina secum traxerunt. Sed et templi latus quod columnis cohærebat, illarum vi simul tractum concidit. Ex quo ingens secutus fragor cum universam urbem pervasisset, cunctos ad rei spectaculum excivit : qui cum adversarii quoque dæmonis fugam didicissent, hymnos in supremi omnium Moderatoris laudem canere cœperunt. Reliqua quoque delubra eodem modo destruxit divinus ille Antistes. De quo E cum multa quoque alia plane admiranda mihi suppetant ad narrandum (nam et ad invictissimos Martyres scribere et ab iisdem litteras accipere consueverat *c*; taudemque ipse martyrii coronam adeptus est *d*) ea nunc referre supersedeo, ne sermonem longius trahens, hujus operis lectores tædio afficiam.

ANNOTATA.

a *De Theodosii conatu in abolenda omnino idololatria sui imperii, varia affert Tillemontius Historiæ imperatorum tom.* 5 *in Theodosio I, art.* 57 *pag.* 325. *Videri etiam potest art.* 17 *pag.* 229.

b Cynesius *non est in textu Græco, sed ab interprete eidem additur. Varia de eo collegit Tillemontius mox citato art.* 17. *Scrupulum adversus eum objicit in sua notatione ad art.* 58.

c *Apographum nostrum Parisiense quemdam inter eos nominat* Antonium martyrem.

d *Igne obtinuisse Sanctum lauream martyrii, habemus supra* § 2 *ex Sozomeno, et ex Menæis : quibus adde Ms. Parisiense ac Ambrosianum. Hoc ultimum tamen, eum jaculis confectum vel F confossum, et igne combustum fuisse indicat, dicens* : Καὶ πυρὶ κατακοντίσαντες ἔκαυσαν.

DE S. URSICINO VEL URSICIO MILITE AC MART.

IN ILLYRICO

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, elogium, Acta.

Sub Maximiano. Memoria in Fastis Latinis ac Græcis :

Annua quidem hujus sancti Martyris memoria notatur in Fastis Græcis ac Latinis, sed non eodem hujus mensis die. Nam Martyrologium Romanum die XIV *Augusti eum ita annuntiat* : In Illyrico sancti Ursicii martyris, qui sub Maximiano imperatore, et Aristide præside post multa et diversa tormenta pro Christi nomine gladio cæsus est. *Præcesserat Martyrologium Sirleti eodem die ipsum referens cum sequenti elogio, quod Actorum continet compendium* : Eodem die (XIV *Augusti*

AUCTORE J. P.

A *Augusti)* commemoratio sancti martyris Ursitii, qui sub Maximiano imperatore ex urbe Sibeuto, urbe existente supra Illyricos, delatus apud imperatorem, traditus est præsidi: cumque in confessione stabili constanter permaneret *etc. Pluribus inde transcribendis supersedeo, quæ cognoscentur ex Actis ac Menologio Basiliano, cujus textus Græcus ad finem tomi* I *mensis Augusti apud nos excusus, et hic more nostro Latine a me redditus sic sonat:* Eodem mense, *die* XV. Certamen sancti martyris Ursicii.

elogium e Synaxario Basilii

2 Martyr Christi Ursicius fuit imperante Maximiano, regione Illyrici oriundus, officio miles, dignitate tribunus. Dum autem Christianus esset, ad imperatorem delatus est ab uno e militibus qui ei suberant; et comprehensus adigebatur, ut idolis sacrificaret: sed non obtemperans, vehementer cædebatur, manusque ac pedes ligatus funiculis crassis oleo, sulphure, resina ac pice illitis, immisericorditer comburebatur incenso igne. Postquam vero exusti essent pedes ac manus, exclamans dixit: Bona et justa patior dignæ quippe sunt hæ manus aduri, quia pessime perB euntem in bello tyrannum, quod fieri non debebat, conservarunt. Hæc audiens tyrannus et pudore suffusus, dum manus ejus injecisset in aquam et exstinxisset, ipsum dimisit. Sed deinde Sanctus iterum comprehensus, capite truncatus est. *Menæa magna Græcorum impressa Martyrem nostrum die* XIV *hujus referunt cum elogio: sed singulare in eo est Martyrium, e codice Cæsareo Vindobonensi paullo post exhibendum, quod in titulo notet diem Augusti* XI, *sub finem vero* X *ejusdem mensis; ubi quamquam in nostro apographo ponatur ι, id est* X, *cum vacua aliqua lacuna, Lambecius tamen lib.* 3 *Commentariorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi pag* 125, ita ibi scriptum est, *inquit,* nempe ι non autem ια, ut supra: *unde intelligas sic ibi vere scribi, non autem contigisse vitio amanuensis nostri, quod ita descriptum sit.*

Variæ dantur observationes

3 *His de cultu hactenus prænotatis subjiciendæ sunt observationes nonnullæ. Discrepantia nominis* Ursicini ac Ursicii *morari nos non debet, quando alia sunt quæ majorem creant difficultatem, Nam in dicto Martyrio passus fuisse indicatur Sanctus sub Maximino imperatore post Maxi-*C *mianum; in Menæis autem magnis, Menologio Basilii imp., Sirleti, ac Martyrologio Romano, cui adde Galesinium, sub Maximiano. Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 308 *num.* 27, qui, *ait,* numeratur tertius imperii Maximini *hæc scribit:* Eadem quoque persecutione urgente, in Illyrico passus est Ursicius martyr sub Aristide præside. *Sed Pagius in Critica Baroniana anno* 407 *imperium ejus innectit; quod Tillemontius tom.* 4 *Imperatorum in Constantino artic.* 14 *in annum proxime sequentem differt, additque e diversis inscriptionibus erui, quod Maximinus pro augusto fuerit agnitus in Illyria paullo post principium anni prædicti* 308, *quodque Pagius debili admodum fundamento nixus sit, neque satis conciliari posse videatur cum Lactantio. Jam vero Maximianus (Herculium hic intelligo) post quem a Maximino susceptam esse imperii potestatem memorant* S. Ursicii *Acta, ex Illyria expulsus et Massiliam profugus, captusque a Constantino et purpura exutus eodem isto anno; sequente autem vita privatus est, ut videre datur in tabula chronologica ad calcem laudati tomi* 4 *Imperatorum pag,* 708 *et* 709. *Maximianum, inquam, Herculium in Actis intelligo (tametsi Maximianum sine cognomento exprimant) non vero Galerium Maximianum, propter ea, quæ de Illyria jam dicta sunt, et porro dicentur in iisdem Actis. Indicavi autem superius Sancti martyrium accidisse sub Maximino imperatore; qui supervixit usque ad annum Christi* 314 *secundum Baronium ac Pagium; secundum Tillemontium vero in imperatore Constantino art.* 34 *et in indice chronologico citato pag.* 710, *usque ad annum dumtaxat* 313; *quoto autem imperii ejus anno illud acciderit, non est mihi exploratum, Posui supra sub Maximino, non sub Maximiano rem accidisse, conformiter ad Acta, tametsi non sint magnæ auctoritatis.*

quibus

4 *Acta inquam, cum aliunde sunt exigui meriti, tum in ratione temporis, quæ huc spectat, misere vacillant. Nam Sanctum obiisse memorant Indictione nona, quæ intelligi debet proleptica: nam prima et vera tantum cœpit anno* 312, *ante quem usus non erat Indictionis ad suppudandam annorum rationem. Vide Petavium de Doctrina temporum tom.* 2 *cap.* 39 *et* 40, *nec non Baronium et Pagium ad annum modo citatum. Indictio autem ista nona concurrit cum anno Christi* 306, E *quando ex dictis nondum erat imperator Maximinus; quomodo ergo Sanctus tunc obiit? Quomodo annus iste cohæret cum iis quæ mortem ejus præcessere, et quæ narrantur in Actis num.* 2? *Ibi enim dicitur a Candidiano delatus ad Maximinum quod Christianus esset, tum temporis quando Maximinus* desiderio tenebatur belli contra Armenos gerendi: *de bello autem isto ad annum* 311 *Baronius agit ex Eusebio, qui lib.* 9 *Ecclesiasticæ historiæ cap.* 8 *pag.* 355 *editionis Valesianæ,* Bellum, *ait,* insuper a tyranno *Maximino* commotum est adversus Armenios, jam inde a priscis temporibus amicos ac socios populi Romani. Qui cum Christiani ipsi quoque essent et divinæ religionis studiosissimi, Deo invisus tyrannus eos ad simulacrorum ac dæmonum cultum traducere per vim conatus, pro amicis inimicos, hostes pro sociis effecit... Et ipse quidem in bello adversus Armenios una cum exercitu suo varias clades atque ærumnas pertulit.

Acta

5 *Neque in his tantum, sed etiam in consulatu errant Acta, sub quo S. Athletam martyrii laurea coronatum volunt. Lambecius loco supra* F *citato hallucinationem illam castigans observat sequentia:* Notanda quoque est in supra exhibitis Actorum Græcorum verbis mentio consulatus Dalmati quintum et Maxentii secundum; quippe qui in ordinariorum consulum fastis haud reperitur. Similiter enim fit mentio æque obscuri consulatus Maxentii et Maximi in epistola S. Marcelli Papæ ad ipsum Maxentium; de qua Eminentissimus Cardinalis Baronius Annalium ecclesiasticorum tom. 3, et quidem supra memorato anno Christi trecentesimo octavo num. 24 obiter agens, recte subjungit: « Quod vero diversi ab ordinariis in ea epistola consules scripti leguntur, civile inter imperatores conflatum bellum potuit esse in causa, ut quisque trium imperatorum ex sententia consules sponte crearet, nec ea in re cum aliis consentiret. Nam et secundi immo et quarti consulatus Maxentii in libro de Romanis Pontificibus mentio habetur, cum tamen nullus Maxentii consulatus scriptus reperiatur in fastis. Sed his non immoramur, quod aliis testificationibus Acta Marcelli sarta tecta confirmataque habeantur ». Consule præterea Severini Binii editionem Conciliorum generalium et provincialium tom. 1 part. 1 pag. 187, 188 et 189, ubi exstat supra citata S. Marcelli

AUCTORE J. P.

celli ad Maxentium epistola; ut et pag. 208, ubi exstat Vita S. Melchiadis Papæ, in qua expresse memoratur Maxentii consulatus secundus. *Vide Labbeum tom.* I *Conciliorum col.* 946, 951 *et* 1393.

discutiuntur

6 *Sed ad majorem hujus difficultatis intelligentiam juvat audire Petrum Relandum, qui in Fastis consularibus, Trajecti Batavorum anno* 1725 *editis, pag.* 282 *observat sequentia ad annum Christi* 306: Abhinc per sex annos diviso inter plures Augustos imperio, alii fuere consules ordinarii in Italia, ubi Maxentius imperabat, alii in reliquo orbe Romano... In Italia sub Maxentio CCCVII post VI consulatum. CCCVIII Maxentius Aug. et Romulus. CCCIX Maxentius II et Romulus II. CCCX Maxentius III solus. CCCXI. Rufinus et Eusebius. CCCXII Maxentius Aug. IV solus. *Deinde citat Pagii Dissertationem hypaticam, in qua a pag.* 243 *pluribus declarata reperies ea, quæ a Relando in compendium brevissime contracta sunt. Consuli de his etiam potest Tillemontius in tabula chronologica, quam antea designavi, pag.* 708. *Si itaque ab auctore* B *Martyrii recte signatus est consulatus secundus Maxentii, sub quo S. Ursicius suum pro Christo certamen consummarit, tunc ex dictis illud erit innectendum anno Christi* 309; *sed cum illo non concurrit Indictio nona, quam signat idem auctor, sed duodecima: nec consulatus quintus Dalmati vel Dalmatii, pro quo secundum præmissa esset ponendus Romuli secundus: Dalmatium quippe nullum hoc tempore consulem invenio, sed ad annum Christi* 333 *cum Xenophilo. Quia itaque Martyriographus noster characteres temporis ita male composuit, ideo, ut hoc repetam, Sancti agonem posui superius sub Maximino sine notatione anni.*

et explicantur.

7 *Alia insuper se offert molestia in voce* τὸν φελὸν *num.* 6, *quam ibi interpretor* penulam. *Cum autem ratio istius interpretationis, quam dabo, pluribus verbis constet, eam huc conjiciendam putavi, ac dicendum, quænam mihi illa de re venerint in mentem, salvo interim meliori judicio.* Τὸ φελόνιον *est, uti habent Lexica, vestis sacerdotalis. Cangius in Glossario Græco-barbaro observat* φαινόλης, φαινώλιον, φενόλιον, φελώνης, φελόνιον *etc. (quippe ni ergo et ὁ φελὸς?) voces unius ejusdemque significationis esse. Et post paucula de ejus etymo*, Lucianus in Lexiphane, *ait*, illud barbaris accenset, forte quia e Latinis acceptum, quibus penula idem sonat. Gloss. Lat. penula, πενόλης. *Tametsi vero* est φελώνης seu φενόλιον vestis sacerdotum propria, absque manicis, talaris, et totum corpus ambiens, *uti ibidem notat; mox tamen citantur ab eo Glossæ Mss. ex cod. reg.* 930, *ubi* φαινόλις, χιτὼν *vocatur, id est, tunica vel talaris vestis. Deinde ex Glossis nomicis Vaticanis Mss. dicitur quod* φαινόλης *sit* τόγα, οἱονεὶ σκέπασμα, toga, videlicet velamen, *tegumentum vel operimentum. Olbianus itaque, ut redeamus ad rem nostram, præ indignatione et iracundia contra* S. Ursicium *concepta concusserit et agitaverit penulam vel togam qua super reliquis vestimentis indutus fuerit tamquam minister publicus. Varia etiam ad præsens institutum collegit Mathias Martinius in suo Lexico Romæ prohibito, ad vocem* penula.

E

Eorum apographum et valor.

8 *Antequam Sancti Martyrium seu Acta proferamus, visum est de iis observare sequentia. Notantur hoc titulo:* Μηνὶ Αὐγούστῳ ιά. Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Οὐρσικίνου. Mense Augusto XI. Martyrium sancti martyris Ursicini. *Auctor eorum est anonymus, Pro nobis descripta sunt e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, quem pluribus indicavi die* VIII *Augusti, tom.* II *ejusdem mensis, pag.* 314, *num.* 8 *et* 9. *Ad eorum valorem quod attinet; videntur nobis esse ex illorum genere, quæ non tam apposite ad veritatem historicam, quam composite ad ornatum contexta sunt: quod vitium Græcis in hac materia nimis esse familiare, ex Opere nostro toties indicatum est. Ad hæc, continent aliqua quæ non cohærent, sicut supra jam ostendimus. Divisio textus in capita ac numeros nostra est. Cum autem nobis alia melioris notæ non sint in promptu, hæc qualiacumque damus, ac Latine interpretamur.*

ACTA

C

F

Auctore anonymo

e codice Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. Interprete J. P.

CAPUT I.

Patria, vita militaris, insidiæ contra Sanctum, examen, varia tormenta.

Sancti patria, militia ac fides in Christum:

Maximinus, suscepta post Maximianum imperii potestate, tantam contra nos Fideles exhibuit crudelitatem, ut tyrannos omnes, qui sibi praecesserant, insaniæ excessu longe superarit *a*. Neque enim perfunctoriam in Christianos instituit inquisitionem; verum etiam omnem gentem, civitatem omnem, pagosque et agros, ipsasque etiam inhabitatas solitudines investigavit, ut nemo eorum, qui Dominum timerent, barbaras ejus manus effugeret. Contigit itaque tantam Martyrum illo tempore multitudinem, Deo miserante, manifestari,

Μαξιμῖνος ὁ μετὰ Μαξιμιανὸν τὸ κράτος τῆς βασιλείας ἀναδεξάμενος, τοσαύτην καθ' ἡμῶν τῶν πιστῶν ὠμότητα ἐπεδείξατο, ὡς ἀποκρύψαι τῇ τῆς μανίας ὑπερβολῇ πάντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ γενομένους τυράννους· οὐ γὰρ παρέργως ἐποιεῖτο τὴν ζήτησιν τῶν Χριστιανῶν, ἀλλὰ πᾶν ἔθνος καὶ πᾶσαν ἀνίχνευε πόλιν, κώμας τε καὶ ἀγρούς, καὶ αὐτὰς τὰς ἐρήμους τε καὶ ἀοικήτους, ὡς μή τινα τῶν φοβουμένων τὸν Κύριον τὰς ἐκείνου ἀπανθρώπους χεῖρας διαφυγεῖν. Τοσοῦτον οὖν συνέβη μαρτύρων ἑσμὸν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐλέει Θεοῦ ἀναδειχθῆναι, ὅσον ἄν τις εἴποι

A ποι ἀπὸ τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου μέχρι τοῦδε γεγονέ-
ναι. Ἐν τούτοις καὶ Οὐρσικῖνος ὁ διαπρεπέστατος καὶ
ἐξοχώτατος τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, τὸ μὲν γένος ἄγων ἐκ
τῶν ἄνω Ἰλλυριῶν πόλεως Σιβέντου, καταλεγόμενος δὲ
ἐκ νέας ἡλικίας ἐν τῷ τάγματι τῶν λογχοφόρων. Πιστῶν
δὲ γονέων κλάδος γενόμενος, μέχρι τέλους ἀκεραίαν
τὴν εἰς τὸ θεῖον πίστιν διεσώσατο· τοὺς μέντοι τηνι-
καῦτα ἀνθρώπους ὡς οἷον τε λανθάνειν πειρώμενος,
μόνῳ δὲ τῷ τὰ κρυπτὰ τῆς καρδίας εἰδότι σαφῶς γινω-
σκόμενος. Ἀλλ' οὐ μέχρι παντὸς ὑπῆρξεν αὐτῷ τὴν πο-
λύτιμον ἀποκρύπτειν μαργαρίτην. Παρῆν γὰρ αὐτῷ ὁ
τοῦ ἀγῶνος καὶ τῶν στεφάνων καιρὸς, καί τις ἐκείνου
συστρατιώτης, Οὐάλης τοὔνομα, Καππαδόκης τὸ γένος,
ὁρῶν αὐτοῦ τὸ τῆς πολιτείας καθαρὸν, καὶ τοῦ βίου
τὸ ἀκριβὲς, στοχαστικῶς αὐτὸν ὑπέλαβεν εἶναι Χρι-
στιανόν.

2 Πανούργως οὖν αὐτὸν καὶ δολίως ὑπελθὼν τιμαῖς
τε καὶ κολακείαις γνησιωτέραν τὴν πρὸς τὸν Ἅγιον πλάτ-
τεται φιλίαν, δόξας δῆθεν καὶ τὰ ἀπόῤῥητα αὐτοῦ
τῆς ψυχῆς ἐκκαλύπτειν, καὶ ἑαυτὸν Χριστιανὸν ψευ-
δῶς ὀνομάζειν. Ταύτην τὴν ὑπόκρισιν διεφύλαξεν ὁ
Οὐάλης, ἄχρις οὗ ἑώρα αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ βαθμῷ
ὑπάρχοντα. Ἐπεὶ δὲ ἐθεάσατο αὐτὸν διὰ τὰς ἐν
πολέμοις ἀνδραγαθίας, καὶ τὴν περιβόητον κατα τῶν
B ἑλόντων τὸν τύραννον βαρβάρων νικὴν, τῆς τοῦ τριβού-
νου τυχόντα τιμῆς, ἐκκαλύπτει τὸν φθόνον λοιπὸν,
καὶ ὥσπερ μάστιγί τινι τῇ βασκανίᾳ τυπτόμενος, ἡσυ-
χάζειν οὐκ ἠδύνατο. Καὶ προσελθὼν Κανδιδιανῷ τῷ
ἄρχοντι τῶν σωματοφυλάκων, διαβάλλει τὸν Οὐρσι-
κῖνον ὡς Χριστιανόν. Ταχέως δὲ ὁ Κανδιδιανὸς ἀνα-
φέρει τῷ Μαξιμίνῳ τὴν ὁρμὴν ἔχοντι τότε ἐπὶ τὸν
πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον. Μαθὼν δὲ ταῦτα ὁ τύραν-
νος, τὰ μὲν πρῶτα θαυμάζειν ἔφησεν, εἰ Οὐρσικῖνος
ὁ ἐπὶ συνέσει πάσῃ καὶ ἀνδρείᾳ βεβοημένος, καὶ το-
σαύτης παρ' ἡμῶν διὰ τὰς ἐν πολέμοις ἀνδραγαθίας
ἀξιωθεὶς τιμῆς, τῆς ἀλογωτάτης τῶν Χριστιανῶν θρη-
σκείας ἐστίν.

3 Διϊσχυριζομένου δὲ τοῦ Κανδιδιανοῦ, καλέσας ὁ Μα-
ξιμῖνος τὸν ὑπ' αὐτὸν ὕπαρχον (Ἀριστίδης οὗτος ἦν)
δίδωσιν αὐτῷ ἔκδοτον τὸν Οὐρσικῖνον παραγγείλας
ἀνετάσαι, αὐτὸν ἀνύβριστον τέως διατηρῶν διὰ τὴν
πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν· καὶ εἰ μὲν εὕροις πειθόμενον τοῖς
ἡμετέροις νόμοις, ἐξαυτῆς ἡμῖν ἀπόστειλον τὸν ἄνδρα
ἐν τῷ ἡμετέρῳ ἐκσπεδίτῳ· εἰ δὲ, ὅπερ ἀπείη, εὕροις
αὐτὸν ἀπεναντίας τῶν ἡμετέρων νόμων θρησκεύειν
πειρώμενον, λαβὼν αὐτῷ τὴν ζώνην καὶ γυμνώσας αὐ-
τὸν τῆς ἀξίας, πᾶσαν αἰκίαν προσάγαγε, ὥστε αὐτὸν
C ἢ ἄκοντα ταῖς βασάνοις ἐνδοῦναι, ἢ ἐμμένοντα τῇ
οἰκείᾳ πλάνῃ κακίστως τοῦ ζῆν ἀπαλλαγῆναι. Ταύτην
παρὰ τοῦ τυράννου λαβὼν τὴν ἐξουσίαν κατὰ τοῦ Οὐρσι-
κίνου ὁ Ἀριστίδης, μετὰ δύο ἡμέρας κελεύει αὐτὸν εἰσα-
χθῆναι πρὸ τοῦ βήματος αὐτοῦ, καὶ φησι πρὸς αὐτόν.
Εἰ μὲν τις ἄγνωστος ἡμῖν ἐτύγχανες, ὦ Οὐρσικῖνε, κατὰ
τάξιν ἂν ἡ ἐπὶ σοι πεῦσις τοῦ δικαστηρίου προῆλθεν,
πατρίδα, γένος, ὄνομα καὶ τὰ ἑξῆς εἰπεῖν παρακελευο-
μένης τῆς ἐμῆς ἐξουσίας· ἐπεὶ δὴ δὲ οὐχ ἡμῖν μόνοις,
ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ κυρίῳ τῶν πραγμάτων ἐπίσημος
καθέστηκας, πάντα ἐκεῖνα παρέντες συντόμῳ λόγῳ τοῦτο
μαθεῖν βουλόμεθα παρὰ σου· Τῆς πανευδαίμονος ἑλ-
λήνων θρησκείας ὑπάρχεις, ἢ τῆς κακίστης Χριστιανῶν
αἱρέσεως;

4 Ὁ δὲ Οὐρσικῖνος ἀπεκρίνατο λέγων· Οὔτε ἕλλην
εἰμὶ, οὔτε ἐξ ἑλλήνων γεγέννημαι, ἀλλὰ Χριστιανὸς ἐκ
Χριστιανῶν γονέων τυγχάνω, καὶ ἐν τῇ πίστει ταύτῃ
εὔχομαι τελειωθῆναι ἐνδυναμοῦντός με Χριστοῦ. Ὁ
ὕπαρχος λέγει· Τί οὖν διὰ τὴν ψυχρὰν τῶν γονέων
σου παράδοσιν ἀντιτάσσῃ τοῖς Ῥωμαίων νόμοις; Οὐρ-
σικῖνος εἶπεν. Ἐγὼ τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἐπαινῶ, ἅτε
εὔτακτον πολιτείαν εἰσηγουμένους, καὶ πᾶσαν πρᾶξιν
ἀπηγορευμένην, λῃστείαν, φημὶ, καὶ μοιχείαν, ἀδικίαν
τε καὶ ἁρπαγὴν, καὶ φόνους καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ
ὅμοια τούτοις ἀποκωλύοντας, εὐνομίαν δὲ καὶ εἰρήνην πᾶσι

quantam a Domini Ascensione ad hoc usque tempus A. Ascensione.
quis recensuerit? In his etiam fuit Ursicinus, ex-
cellentissimus ac præstantissimus Christi martyr,
Sibento *b* quidem superioris Illyriæ civitate oriun- *b*
dus, sed ab ineunte ætate lanceam ferentium agmini
adlectus. Dum vero e parentibus fidelibus esset ge-
nitus, sinceram perpetuo in Deum fidem conserva
vit, homines quidem tunc, quantum poterat, latere
conatus, at soli Deo, qui cordium novit arcana,
perspicue cognitus. Verum non licuit ipsi pretiosis-
simam fidei margaritam usquequaque abscondere:
aderat enim ei certaminis ac coronarum tempus; et
quidam ipsius commilito, nomine Valens, genere
Cappadox, integram vitæ ejus rationem et accura-
tionem conspicatus, per conjecturam suspicabatur,
Christianum ipsum esse.

2 Callide igitur ac dolose eum aggressus, hono- *fraudibus circumvenitur ac defertur quod sit Christianus;*
ribus et adulationibus arctiorem fingit erga ipsum
amicitiam; ratus videlicet et animi sui arcana ob-
velare, seque Christianum falso nominare. Hanc si-
mulationem tenuit Valens, donec videret, ipsum in
eodem esse secum [militaris vitæ] gradu. Postquam
autem conspexit illum ob mascula in bellis facinora
ac memorabilem adversus barbaros, qui tyrannum E
interfecere, victoriam, tribuni honore potitum,
clam deinceps invidiam aluit, et odio non secus ac
quadam fascinatione agitatus quiescere non poterat.
Et accedens ad Candidianum, corporis custodiæ *c* *c*
ducem, accusat Ursicinum quod Christianus esset.
Nec mora, Candidianus rem defert ad Maximinum,
qui tunc temporis desiderio tenebatur belli contra
Armenos gerendi *d*. Tyrannus autem hæc edoctus, *d*
primo quidem se mirari dixit, si Ursicinus, omni
prudentia et fortitudine celebris, tantoque a no-
bis, ait, propter præclara in bellis gesta honore
dignatus, insanissimam Christianorum superstitio-
nem coleret.

5 Id dum Candidianus confirmaret, ac Aristi- *examinatur,*
dem, qui sub ipso præerat, advocasset Maximia-
nus, dat ipsi in mandatis, ut Ursicinum sibi tradi-
tum examinet, at nulla interim læsum injuria con-
servet propter benevolentiam qua, ait, in nos fer-
tur. Et siquidem ipsum inveneris legibus nostris
obtemperare, continuo ad nos Virum mitte in
castra *e*: sin vero, quod absit, contrariam legibus *e*
nostris religionem tentare, omnem ei zona *f* orba- *f*
to et dignitate spoliato contumeliam infer, ut vel
tormentis invitus succumbat, vel errori suo inhæ- F
rens pessima cum morte vitam commutet. Aristides
hac a tyranno adversus Ursicinum accepta potestate,
post biduum adduci eum jubet ad suum tribunal, et
sic eum affatur: Si homo esses quidam nobis igno-
tus, o Ursicine, secundum ordinem fori judicialis
interrogatio super te procederet, meaque potestas
patriam, genus, nomen et reliqua enuntiare te ju-
beret: sed quandoquidem non solum nobis, sed
ipsi etiam rerum domino apprime es notus, omnia
illa mittentes summatim discere abs te volumus:
An beatissimam gentilium religionem sectaris, an
pessimam Christianorum sectam?

4 Respondit Ursicinus: Neque gentilis sum, *fidem profitetur intrepide*
neque e gentilibus natus; sed Christianus e Chri-
stianis parentibus: et in hac fide opto mori, Chri-
sto vires mihi sufficiente. Præfectus dixit: Cur
igitur propter absurdam parentum tuorum traditio-
nem repugnas Romanorum legibus? Cui Ursici-
nus: Leges ego Romanorum laudo, quæ ordina-
tam videlicet vivendi rationem suadent, et quid-
quid est vetitum, latrocinium, inquam, adulte-
rium, injustiam et rapinam, cædesque et alia omnia
hisce similia arcent; æquitatem vero et pacem
24 omnibus

A. Anonymo. omnibus ubique hominibus administrant. Fidei au-
tem ac pietatis erga Deum causa nullo mihi illæ in
pretio sunt : nihil enim pretiosius anima, quæ cæ-
litus gubernatur, et sub lege Christi optime diri-
gitur, Ad hæc iterum præfectus : Si Christianorum
superstitionem sectaris, cujus causa et militiam
gentilium, et gratiam imperatoris, et dignitatem
hujusmodi suscipere ausus es ? Respondit Martyr :
Ego horum omnium factus sum compos non indis-
creto studio, sed justa sententia, non ut fortunæ
gentilis donum referrem, sed bellicorum certami-
num præmium possiderem, Christo universorum
rege me roborante et victoriam largiente contra
hostes. Nam quid vetat, viribus corporis uti ad-
versus hostes, animæ autem proposito servire
vero Deo, qui omnium bonorum auctor mihi ex-
stitit ?

ac variis tormentis g

5 Hæc a Martyre dicta interpellavit adstans com-
mentaresius *g*, nomine Olbianus, et ad præsidem,
Maxime, ait, judicum, genus hoc Christianorum,
ex natura loquax est : si itaque illud sustineamus,
nunquam superabitur : sin vero vestræ visum
potestati fuerit, tormenta nunc experiatur. Video
B quippe sermonem ejus immutabilem esse. Hæc au-
tem dixit Olbianus, scelesto Cappadoce Valente ei
illa suggerente. Semel enim a satana contra Ursi-
cinum concitatus quiescere haud poterat; sed nocte
ac die vigilabat curasque agitabat a prætorio non
discedens, et quidquid ad pœnam ejus esset grave,
manipulo militum prætoriano maligne suggerens.
Præfectus quidem reverentia Ursicidium ducens,
suadendo potius quam metu et tormentis flectere
eum satagebat; sed Olbiano annitente, qui furo-
rem tunc magis accendebat, tormenta adversus
eum incepit, et a quatuor partibus extendi jussit,
ac nervis duris verberari in tergo atque in lateribus,
clamante præcone : Nega Christum tuum, et sa-
crifica diis, ut graviora non experiaris tormenta.
Dum autem cæderetur Beatus, orabat cum clamo-
re dicens : Domine Jesu Christe adjuva me servum
tuum. Ut vero eum jam deficere Aristides conspe-
xit, e medio sublatum referri in custodiam denuo
mandavit.

cruciatur

6 Sequenti die postquam communia administra-
tionis civilis negotia peregisset, Martyrem adduci
jubet, Olbiano id suggerente : dumque staret ante
tribunal, Aristides ita eum alloquitur : Quidnam
C impensius per noctem es meditatus, o Ursicine ?
Martyr dixit : Consideravi numquam derelinquere
Deum, qui me fecit et nutrivit a juventute mea
nunc usque, neque unquam dæmones malos ac
impuros colere. Rursum itaque Olbianus deorum
injuriam exhibens Aristidi, dictaque ab Ursicino
exaggerans, ad alia supplicia præsidem adhortatur,
et, instigato animo a Valente, suggerit, ut manus
Martyris freno lineo involvantur, oleoque inun-
gantur ac sulphure et resina aspergantur, atque
ita accendatur ignis. Hoc facto, quando urebantur
Martyris manus, magna voce dixit : Bona et justa
patior : hæ namque igne et amputatione sunt
dignæ manus, quibus tyrannum pessime pereun-
tem conservavi. Tertullianus præses ad præfectum
dixit : Per deos ! pœnam hanc non debebat hic
subire. Confestim itaque præfectus afferri jubet
cadum aquæ frigidæ, et in illum injici manus. Olbi-
anus item videns quod factum fuerat, indigne id
tulit, et concutiens penulam *h* exivit e prætorio ira
plenus.

πανταχοῦ πρυτανεύοντας τοῖς ἀνθρώποις · πίστεως δὲ D
ἕνεκα καὶ τῆς εἰς τὸ θεῖον εὐσεβείας οὐδείς μοι λόγος
ἐκείνων ἐστίν · οὐδὲν γὰρ ψυχῆς τιμιώτερον τῆς ἄνωθεν
βασιλευομένης, καὶ ὑπὸ τὸν τοῦ Χριστοῦ νόμον κάλ-
λιστα ἰθυνομένης. Καὶ πάλιν πρὸς αὐτὸν ὁ ὕπαρχος ·
Καὶ εἰ τῆς τῶν Χριστιανῶν μεταποιῇ θρησκείας, τίνος
ἕνεκεν καὶ στρατιᾶς ἑλληνικῆς, καὶ δωρεᾶς βασιλικῆς,
καὶ ἀξιώματος τοιούτου ἐθάρρησας κατατολμῆσαι; Ὁ
Μάρτυς εἶπεν · Ἐγὼ τούτων ἁπάντων οὐκ ἀκρίτῳ αἱρέ-
σει, ἀλλὰ ψήφῳ δικαίᾳ ἐντὸς ἐγενόμην, οὐχ᾽ ἑλληνικῆς
τύχης δῶρον κομισάμενος, ἀλλὰ πολεμικῶν ἄθλων
γέρας κληρωσάμενος, πανταχοῦ τοῦ παμβασιλέως
Χριστοῦ ἐνδυναμώσαντός με, καὶ κατὰ τῶν πολεμίων
νίκην χαρισαμένου. Τί γὰρ κωλύει τῇ μὲν ῥώμῃ τοῦ
σώματος κεχρῆσθαι κατὰ τῶν πολεμίων, τῇδε τῆς ψυχῆς
προθέσει λατρεύειν τῷ πάντων μοι τῶν καλῶν αἰτίῳ γεγε-
νημένῳ ἀληθινῷ Θεῷ;

5 Ταύτων παρὰ τοῦ Μάρτυρος λεγομένων ὑπέκρου-
σεν ὁ ἑστὼς κομενταρίσιος, Ὀλβιανὸς τοὔνομα, καὶ
φησι πρὸς τὸν ὕπαρχον · Μέγιστε τῶν δικαστῶν, τὸ
γένος τοῦτο τῶν Χριστιανῶν φύσει ἐστὶ πολύρημον · ἐὰν
οὖν ἀνεχώμεθα αὐτοῦ, οὐδέποτε ἡττηθήσεται · ἀλλ᾽ εἰ
παρίσταται τῇ ὑμετέρᾳ ἐξουσίᾳ, ἤδη πεῖραν τῶν βασά-
νων λαμβανέτω · ὁρῶ γὰρ αὐτοῦ τὸν λογισμὸν ἀμετά- E
θετον. Ταῦτα δὲ ἔλεγεν ὁ Ὀλβιανὸς, τοῦ μιαροῦ Καπ-
παδόκου Οὐάλεντος ὑποβαλόντος αὐτῷ. Ἅπαξ γὰρ
κινηθεὶς ὑπὸ τοῦ σατανᾶ κατὰ Οὐρσικίνου, Οὐάλης ἡσυ-
χάζειν οὐκ ἠδύνατο, ἀλλ᾽ ἠγρύπνει καὶ ἐφρόντιζε νύ-
κτα καὶ ἡμέραν προσκαρτερῶν τῷ πραιτωρίῳ, πᾶν εἴτι
δεινὸν πρὸς τιμωρίαν αὐτοῦ κακοτέχνως ὑποτιθέμενος
τῇ τάξει. Ὁ μέντοι ὕπαρχος δι᾽ αἴδους ἄγων τὸν Οὐρ-
σικῖνον, πειθοῖ μᾶλλον ἢ φόβῳ καὶ τιμωρίαις προσάγεσθαι
ἐσπούδαζεν · ἐγκειμένου δὲ τοῦ Ὀλβιανοῦ, τὴν ὀργὴν
ἔτι μᾶλλον ἐκκαίοντος, ἄρχεται τῶν κατ᾽ αὐτοῦ βασάνων,
καὶ κελεύσας ταθῆναι αὐτὸν ἐκ τεσσάρων νεύροις ὠμοῖς
ἐποίησε τύπτεσθαι κατὰ τοῦ νώτου καὶ τῶν πλευρῶν,
κήρυκος ἐπιβοῶντος · Ἄρνησαί σου τὸν Χριστὸν, καὶ
θῦσον τοῖς θεοῖς, ἵνα μὴ καὶ δεινοτέρων πειρασθῇς βασά-
νων. Τυπτόμενος δὲ ὁ Μακάριος, ηὔχετο μετὰ φωνῆς,
λέγων · Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, βοήθει μοι τῷ δούλῳ σου.
Ὡς δὲ εἶδεν αὐτὸν ἤδη ἐκλείποντα ὁ Ἀριστίδης, ἐκέλευ-
σεν αὐτὸν ἐκ μέσου ἀρθέντα ἐν τῇ φρουρᾷ πάλιν ἀποκο-
μισθῆναι.

6 Τῇ δὲ ἐπιούσῃ μετὰ τὸ πρᾶξαι τὰ κοινὰ τῆς πο-
λιτικῆς διοικήσεως πράγματα, εἰσαχθῆναι κελεύει τὸν
Μάρτυρα, ὑποβάλλοντος τοῦ Ὀλβιανοῦ. Καὶ στάντος
αὐτοῦ πρὸ τοῦ βήματος, λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Ἀριστίδης ·
Τί πλέον ἐβουλεύσω διὰ τῆς νυκτὸς, ὦ Οὐρσικῖνε; F
Ὁ Μάρτυς εἶπεν · Ἐσκεψάμην μηδέποτε ἐγκαταλι-
πεῖν τὸν Θεὸν τὸν ποιήσαντά με καὶ τρέφοντά με ἐκ
νεότητός μου ἕως τοῦ νῦν, μηδὲ λατρεῦσαί ποτε δαί-
μοσι πονηροῖς καὶ ἀκαθάρτοις. Πάλιν οὖν ὁ Ὀλβια-
νὸς τὴν ὕβριν τῶν Θεῶν ὑπ᾽ ὄψιν φέρων τῷ Ἀριστί-
δῃ καὶ δεινοποιῶν τὰ παρὰ τοῦ Οὐρσικίνου λεγόμενα,
ἐφ᾽ ἕτερα βασανιστήρια προσκαλεῖται τὸν ὕπαρχον, καὶ
γνώμην λαβὼν πονηρὰν παρὰ τοῦ Οὐάλεντος, ὑποβάλ-
λει λίνον ἡνιοχικὸν τοῦ Μάρτυρος τὰς χεῖρας ἐνειλι-
χθῆναι, ἐλαίῳ τε διαβρέξαι, καὶ καταπάσαι θεάφιον
καὶ ῥητίνην, καὶ οὕτως προσάψαι πῦρ. Τούτου δὲ γενο-
μένου, περιφλεγόμενος ὁ Μάρτυς τὰς χεῖρας, μεγάλῃ
τῇ φωνῇ ἔλεγεν · Καλά τε καὶ δίκαια ὑπομένω · ἄξιαι
γὰρ πυρὸς καὶ τομῆς αἱ χεῖρες αὗται, ἐν αἷς κάκιστα
ἀπολλύμενον τὸν τύραννον περιέσωσα. Τερτυλλιανὸς ὁ
πρόεδρος πρὸς τὸν ὕπαρχον εἶπεν · Μὰ τοὺς Θεούς! ταύτην
τὴν βάσανον οὐκ ἔδει αὐτὸν ὑπομεῖναι. Παραχρῆμα οὖν
ὁ ὕπαρχος κελεύει κομισθῆναι κάδον ὕδατος ψυχροῦ, κἀκεῖ
βληθῆναι τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Ἰδὼν δὲ τὸ γεγονὸς ὁ Ὀλβια-
νὸς, ἠγανάκτησε, καὶ τινάξας τὸν φελὸν ἐξῆλθε τοῦ πραι-
τωρίου ὀργῆς πληρωθείς.

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *Eusebius supra allegatus de Martyribus Palæstinæ cap.* 4 *pag.* 322 *his Maximini barbaram adversus Christianos crudelitatem breviter perstringens, dicit, eum sævitie alios tyrannos superasse :* Maximinus cæsar ex eo tempore ad imperium evectus... violentius quam superiores principes persecutioni nostrorum incubuit. *Et Ecclesiasticæ historiæ lib.* 9 *pag.* 366 *narrantur ista :* Solus ex religionis hostibus adhuc relictus omnes improbitate superavit. *Plura Eusebius.*

b *Locum hunc non inveni hactenus apud geographos.*

c *Id est, ittorum satellitum vel armigerorum ducem, qui ad imperatoris corpus custodiendum sunt deputati. Videri possunt dicta ad diem* 9 *hujus pag.* 438 *in Annotatis ad Acta Martyrum Constantinopolitanorum lit.* k.

d *De hoc belto Commentarius prævius num.* 4.

e Ἐξπέδιτον, *est* expeditio, exercitus, castra ; *uti videre ticet apud Cangium in Glossario Græco barbaro, ubi plura.*

f *Consuli possunt Annotata, quæ indicabam, ad Acta Martyrum Constantinopolitanorum pag.* 447, *lit.* a.

g *Sive* commentariensis, *id est, custos carceris, ita dictus, quod commentarios, hoc est, rationes custodiarum et reorum conficeret et inscriptiones criminum reciperet. Adisis Cangium in utroque Glossario.*

h *Nostram de hac voce conjecturam habes in Comm. num.* 7.

CAPUT II.

B E

Alia contra Sancti constantiam molimina, martyrium, sepultura.

Πάλιν οὖν ἀνεκομίσθη ὁ Δίκαιος ἐν τῇ φυλακῇ, εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ τῷ τὴν ὑπομονὴν αὐτῷ χαρισαμένῳ. Καὶ εἰς ἑαυτὸν γενόμενος ἀπὸ τοῦ ἀγῶνος, ἔψαλλεν οὕτως· Διήλθομεν διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος καὶ ἐξήγαγες ἡμᾶς, Χριστὲ ὁ Θεὸς, εἰς ἀναψυχήν· ἀλλὰ χάρισαί μοι, δέσποτα, τοῦ μέχρι παντὸς ὑπομονὴν, καὶ τελείωσόν μου τὸν δρόμον ἐν τῇ σῇ ὁμολογίᾳ, ἵνα τέλειον τὸν στέφανον τῆς ἀθλήσεως κομίσωμαι παρὰ τῆς σῆς ἀγαθότητος. Ὁ μὴν οὖν Ἅγιος ταῦτα ἐν ἀγαλλιάσει καὶ κατανύξει ψυχῆς προσευχόμενος διετέλει ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. Ὁ δὲ Ὀλβιανὸς ἀπελθὼν ἅμα δύσιν ἑτέροις αὐτοῦ ἐν τῷ δημοσίῳ λουτρῷ, ᾧ ἐπώνυμον Ἀντωνῖνος, ἐλούσατο, καὶ ὑποστρέψας εἰς τὸν οἶκον αὐτου ἑστιαθεὶς μετὰ τῶν ἑταίρων, ἐκείνους μὴν ἀπέλυσεν, αὐτὸς δὲ εἰσελθὼν ἐν τῷ χαμαιτρικλίνῳ, ἡσύχασε τὸ μεσημβρινόν. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν αὐτὸν, σκορπίος μέλας ἐκ τῶν θεμελίων ἐξελθὼν, εἰσῆλθεν εἰς τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ καὶ ἔμεινεν ἐν αὐτῷ.
C Διεγερθεὶς δὲ ἀπὸ τοῦ ὕπνου, καὶ προτείνας τὸν πόδα ὡς ὑποδησάμενος, ἐξαίφνης κρούεται ὑπὸ τοῦ μέλανος ἐκείνου σκορπίου ἀναμέσον τῶν δακτύλων τοῦ δεξιοῦ ποδὸς, καὶ ἀνατραπεὶς ὑπὸ τῆς σφοδροτάτης ὀδύνης, ἐπὶ τὸν κλίνην διεσπᾶτο, ἀπὸ τῶν ἀλγηδόνων τρόμῳ καὶ βρασμῷ ὅλου τοῦ σώματος αὐτοῦ κλονουμένου. Ἀπορούμενος δὲ καὶ ἀναβοῶν τοὺς μὴ ὄντας Θεοὺς ἐπεκαλεῖτο. Εἰσελθοῦσα δὲ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, λύσασα τὰς κόμας καὶ τύπτουσα τὰς ὄψεις αὐτῆς, τοιαῦτα πρὸς αὐτὸν ἔλεγεν· Τί ἔχεις μετὰ τῶν Χριστιανῶν, ἄνθρωπε; ποσάκις σοι εἶπον· Θεὸν, ὃν οὐ σέβῃ, μὴ δὲ ψέγε· ἴδε τί σε ἐποίησαν οἱ στεναγμοὶ τοῦ τριβούνου Οὐρσικίνου· ἄρτι ἔλθωσιν οἱ θεοί σου καὶ ἐλεήσωσί σε.

*f. ἀνασκήπτειν 8. Μεταβαλὼν δὲ Ὀλβιανὸς ἤρξατο λοιδορεῖν τοὺς θεοὺς αὐτοῦ καὶ ἀρᾶσθαι καὶ ἀνασκάπτειν *. Ὡς δὲ ἥψατο ἡ ἄρρωστος ὀδύνη τῆς καρδίας αὐτοῦ, τρίξας τοὺς ὀδόντας καὶ συνδακὼν αὐτοῖς τὴν πονηρὰν γλῶσσαν, μετὰ μεγίστου βρυγμοῦ ἀπέρρηξε τὴν ψυχήν. Δείλης δὲ ταῦτα μαθὼν ὁ Ἀριστίδης καὶ σφόδρα καταπλαγεὶς τὴν διάνοιαν, προσκαλεῖται τοὺς προέδρους αὐτοῦ, καὶ βουλεύεται μὲν οὐδεν ὑγιές· Συνεχόμενος δὲ τῷ φόβῳ ἐσκόπει ποίῳ τρόπῳ χρήσεται, ὥστε καὶ τὸ πρόσταγμα τοῦ τυράννου πληρωθῆναι, καὶ τῷ Δικαίῳ, εἰ οἷόν τε, μὴ προσκροῦσαι. Οἱ οὖν πρόεδροι ὁρῶντες αὐτὸν ἐν τοιαύτῃ ὄντα ἀμηχανίᾳ, εἰσηγοῦνται αὐτῷ τὴν διὰ τῶν λόγων παραίνεσιν πάλιν εἰσενεγκεῖν τῷ Οὐρσικίνῳ·

Iterum ergo Vir justus in custodiam reductus est, Deo gratias agens de patientia sibi donata. Et post certamen sibi relictus, ita canebat : Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos, Christe Deus, in refrigerium. Sed da mihi, Domine, patientiam perpetuam, ac cursum meum consumma in tua confessione, ut perfectam certaminis coronam referam a tua bonitate. Sanctus igitur in exultatione et compunctione animi hæc precatus perseverabat in carcere. Olbianus vero una cum duobus aliis sociis ad publicum discessit balneum, cui nomen Antoninus, abluit se, domumque reversus, celebrato cum sodalibus convivio, illos quidem dimisit, ipse autem ingressus triclinium humi stratum quiescebat meridiano tempore. Dum autem dormiret, scorpius niger e fundamentis exiens intravit in calceum ejus et in eo permansit. Experrectus vero e somno, quando extendebat pedem ut calceum indueret, repente impetitur a nigro illo scorpio per medios digitos dextri pedis, et præ vehementissimo cruciatu retrorsus in cubile pertrahebatur, toto ejus corpore perturbato ex dolorum tremore ac æstu. Mentis ergo inops et exclamans, deos, qui non existunt, invocabat. Ingressa ipsius mater, quæ solvebat capillos ac vultum suum percutiebat, his eum adfata est : Quid tibi, homo, cum Christianis? Quoties tibi dixi : Deum, quem non colis, ne contemne. Vide quid tibi fecerint suspiria tribuni Ursicini. Jam veniant dii tui, et misereantur tui. *Martyr Deum laudat.* F

8 Olbianus vero mutatus deos suos conviciari, diris impetere et in eos irruere. Ubi autem cruciatus a quo male habebat, tetigit cor ejus, stridens dentibus, et malignam linguam simul illis mordens, magno cum rugitu vitam abrupit. Sub vesperam hæc edoctus Aristides et admodum perculsus animo, advocat suos præsides, et consilium agitat neutiquam sanum. Metu autem correptus dispiciebat, quem esset adhibiturus modum, ut et mandatum tyranni impleretur, et Viro justo, si fieri posset, infestus non esset. Præsides itaque tali cum in perplexitate versantem conspicati, auctores ipsi sunt, ut sermonibus iterum admoneat Ursicinum ; *ejusque constantia.*

A. ANONYMO.

num; et siquidem iis morem gerere se dicat, optime cum eo agatur: sin minus, gladii sententiam contra eum feremus. Hæc presides ad præfectum. Ille vero per totam noctem se discrucians gravi consilii inopia laborabat. Exorto autem die jubet ad se adduci Martyrem, et sic affatur: Nihil dico absurdi, etiamsi hodierno die experiar quid sentias, et edocear, quidnam post tormenta tibi illata respondere nobis velis. Fortasse enim dii, qui benigni sunt, ita disposuere, ut quæ in rem tuam sunt moliamur. Si ergo paratus sis abnegare Crucifixum et immortalibus diis sacrificare, breviter eloquere. Martyr dixit: Solus immortalis super omnes Deus est, qui in Trinitate adoratur et ab omnibus Fidelibus pie glorificatur: nam quos dicis deos immortales, dæmones sunt, qui nec vivunt nec moriuntur, sed semel mortui sunt, quando ex bono delapsi sunt, et ab omnibus Fidelibus deridentur, in vobis autem solis operantur filiis diffidentiæ.

frustra iterum tentatur.

9 Præfectus respondit: Christus, quem adorare te dicis, nonne fuit cruci affixus ac mortuus tamquam judicio damnatus? Quomodo itaque dicis: B Deus meus est immortalis? Cui Martyr: Ast in libris nostris scriptum est, quod resurrexerit, et ascenderit ad cælos, et sederit ad dextram Patris. Si ergo illa admittis, admitte etiam hæc. Nemo quippe rationis particeps ex parte admittit Scripturas, et ex parte non admittit. Præfectus dixit: Omnia hæc videntur mihi nugæ: ad id autem quod te interrogo, sine mora responde. Si thus afferatur, an nobiscum ingrederis templum Jovis et thus adoles more nostro rerum domino, an non? Valde otio abundas, judex, nec habes quod agas: jam enim audisti sæpius, et nunc tibi dico, quod, etiamsi diaboli tormenta mihi inferas ac corpus meum membratim disseces aut igne totum consumas, non persuasurus mihi sis, ut desistam ab adoratione Dei mei, ac impuris dæmonibus thus adoleam. Tunc præfectus præsidibus annuens sententiam contra eum pronuntiari jussit. Martyr vero, audita sententia, gaudens exivit, ut gladio cursum consummaret.

Martyrium subit

10 Postquam autem pervenit ad locum morti suæ præstitutum, Martyr se vertit, ac Valentem conspicatus multa cum alacritate sequentem hilarique C vultu urgentem lictores, ductores suos, producto conspectu sic eum alloquitur: Cur tantopere, o hominum longe vaferrime, ut quam ocyssime videns mortem mihi desideratam, casum vero tuum, de quo lætentur omnes, et inexspectatum pauco post tempore interitum nec vides nec consideras. Jam enim exiit sententia contra te a vero et justo judice, et permanebit ira Dei super te, et non effugies quin mali ad te mittantur angeli. Hæc locutus Martyr petiit a militibus ductoribus suis, ut unius momenti spatium sibi concederent: quo favore ab ipsis impetrato, flectens genua orabat his verbis: Domine Deus potestatum, qui mihi indigno dedisti gratiam moriendi in hac pulcra Christi confessione, accipe cum pace spiritum meum, et per meam mortem ac per meum minimum sanguinem fac ut cesset ecclesiarum tuarum persecutio, et ne adhæreat tibi sedes iniquitatis, formans laborem in præcepto.

et sepulturæ mandatur.

11 Quando hæc orasset Martyr, non patienter id tulit Valens, sed impulsus vehementer a dæmone, qui a principio ipsum male armaverat, ensem, quem lictor vibrabat, in humerum dextrum cum fragore decidentem e manibus ejus eripuit, ac in Martyris collum impegit: ictum deinde iteravit; et ne sic quidem valens illud amputare, tertium etiam ictum dedit. Statim vero magnus præsentium tur-

καὶ εἰ μὲν πεισθείη, φησί, τῷ λόγῳ, ἄριστα ἂν ἔχοι· εἰ D δὲ μήγε, τὴν διὰ τοῦ ξίφους ἀπόφασιν ἐκφερόμενος κατ' αὐτοῦ. Ταῦτα μὲν οἱ πρόεδροι πρὸς τὸν ὕπαρχον. Ὁ δὲ διὰ πάσης νυκτὸς ἀδημονῶν, ἐν ἀμηχανίᾳ ὑπῆρχε δεινῇ. Ἡμέρας δὲ γενομένης εἰσαχθῆναι κελεύει τὸν Μάρτυρα, καὶ φησι πρὸς αὐτόν· Οὐδὲν λέγω ἄτοπον, καὶ τὴν σήμερον ἡμέραν ἀπόπειραν ποιήσασθαι τῆς σῆς γνώμης, καὶ μαθεῖν τί καὶ μετὰ τὰς ἐπί σοι προελθούσας βασάνους βούλει πρὸς ἡμᾶς ἀποκρίνασθαι· ἴσως γὰρ εὐμενεῖς ὄντες οἱ θεοὶ τὰ συμφέροντά σοι βουλεύσασθαι παρεσκεύασαν. Εἰ οὖν ἑτοίμως ἔχεις ἀρνήσασθαι τὸν Ἐσταυρωμένον καὶ θῦσαι τοῖς ἀθανάτοις θεοῖς, συντόμως εἰπέ. Ὁ μάρτυς εἶπεν· Μόνος ἀθάνατός ἐστιν ὁ ἐπὶ πάντων Θεός, ὁ ἐν τριάδι προσκυνούμενος καὶ ὑπὸ πάντων πιστῶν εὐσεβῶς δοξαζόμενος· οὓς γὰρ λέγεις ἀθανάθους θεούς, δαίμονές εἰσι οὔτε ζῶντες οὔτε τελευτῶντες, ἀλλ' ἅπαξ ἐκ τῆς τοῦ καλοῦ ἀποπτώσεως νεκρωθέντες, καὶ ὑπὸ πάντων γελώμενοι πιστῶν, ἐν ὑμῖν δὲ μόνοις ἐνεργοῦντες τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας.

9 Ὁ ὕπαρχος λέγει· Ὁ Χριστός, ὃν λέγεις προσκυνεῖν, οὐκ ἐσταυρώθη καὶ ἀπέθανεν ὡς κατάδικος; Πῶς οὖν λέγεις, Ὅτι ὁ ἐμὸς Θεὸς ἀθάνατός ἐστιν; Ὁ μάρτυς εἶπεν· Ἀλλ' ἐν ταῖς βίβλοις ταῖς ἡμετέραις γέγραπται, ὅτι καὶ ἀνέστη καὶ ἀνῆλθεν εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρός. E Εἰ οὖν ἐκεῖνα δέχῃ, δέξαι καὶ ταῦτα· οὐδεὶς γὰρ λόγου μετέχων ἐν μέρει δέχεται τὰς γραφάς, καὶ ἐν μέρει οὐ παραδέχεται. Ὁ ὕπαρχος λέγει· Ἐμοὶ ταῦτα πάντα λῆρος εἶναι δοκεῖ· ὃ δὲ ἐρωτῶ σε, διὰ τάχους ἀποκρίνου· Ἐὰν ἐνεχθῇ λίβανος, εἰσέρχῃ μεθ' ἡμῶν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διός, καὶ θυμιᾷς κατὰ τὸ ἔθνος ἡμῖν καὶ τῷ αὐτοκράτορι, ἢ οὔ; Οὐρσικῖνος εἶπεν· Μᾶλλον εὐκαιρεῖς, ὦ δικαστά, καὶ τί πρᾶξαι οὐκ ἔχεις; ἤδη γὰρ ἤκουσας πολλάκις, καὶ νῦν δέ σοι λέγω, ὅτι τοῦ διαβόλου τὰς στρεβλώσεις ἐάν μοι προσαγάγῃς καὶ μελιδὸν τὸ σῶμά μου διακόψῃς, ἢ πυρὶ ἅπαν καταναλώσῃς, οὐ πείσεις με ἀποστῆναι τῆς προσκυνήσεως τοῦ Θεοῦ μου καὶ θυμιάσαι δαίμοσιν ἀκαθάρτοις. Τότε ὁ ὕπαρχος νεύσας τοῖς προέδροις, ἐκέλευσε τὴν κατ' αὐτοῦ ἀπόφασιν διαλαλῆσαι. Ἀκούσας δὲ τῆς ἀποφάσεως ὁ Μάρτυς, χαίρων ἐξῄει ἐπὶ τὴν διὰ τοῦ ξίφους τελείωσιν.

10 Ὡς δὲ ἦλθεν ἐπὶ τὸν ὡρισμένον τῆς τελειώσεως αὐτοῦ τόπον, στραφεὶς ὁ Μάρτυς καὶ ἰδὼν τὸν Οὐάλεντα μετὰ πολλῆς ἑπόμενον τῆς προθυμίας, καὶ ἱλαρῷ τῷ προσώπῳ ἐπείγοντα τοὺς φέροντας αὐτὸν δημίους, F βλέμμα μηκύνας ἔφη πρὸς αὐτόν· Τί τοσοῦτον, ὦ πάνδεινε, σπεύδεις ὡς τάχιστα τὸν ἐμοὶ ποθούμενον θάνατον ἰδεῖν, τήνδε πᾶσιν ἐπίχαρτόν σου πτῶσιν καὶ τὸν μετ' ὀλίγον ἀδόκητον ὄλεθρον, οὔ τε ὁρᾷς οὔ τε λογίζῃ; Ἤδη γὰρ ἐξῆλθεν ἀπόφασις κατὰ σοῦ, παρὰ τοῦ ἀληθινοῦ καὶ δικαίου κριτοῦ, καὶ μενεῖ ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ σε, καὶ οὐκ ἐκφεύξῃ τὴν πονηρῶν ἀποστολὴν τῶν ἀγγέλων. Ταῦτα εἰπὼν ὁ Μάρτυς ᾔτησεν τοὺς ἄγοντας αὐτὸν στρατιώτας, μιᾶς αὐτῷ ῥοπῆς διωρίαν δοῦναι. Καὶ λαβὼν παρ' αὐτῶν τὴν χάριν, κλίνας τὰ γόνατα προσηύχετο, λέγων· Δέσποτα Κύριε τῶν δυνάμεων ὁ δοὺς χάριν ἐμοὶ τῷ ἀναξίῳ ἐν τῇ καλῇ ταύτῃ τοῦ Χριστοῦ ὁμολογίᾳ τελειωθῆναι, δέξαι μετ' εἰρήνης το πνεῦμά μου, καὶ παῦσον διὰ τῆς ἐμῆς σφαγῆς καὶ τοῦ ἐμοῦ ἐλαχίστου αἵματος τῶν ἁγίων σου ἐκκλησιῶν τὸν διωγμόν, καὶ μὴ συμπροσέστω σοι θρόνος ἀνομίας, ὁ πλάστων κόπον ἐπὶ πρόσταγμα.

11 Ταῦτα τοῦ Μάρτυρος προσευχομένου, μὴ καρτερήσας ὁ Οὐάλης, ἀλλὰ σφοδρῶς ὠθούμενος ὑπὸ τοῦ ἐξαρχῆς αὐτὸν κακῶς ὁπλίσαντος δαίμονος, ῥήγνυται κατὰ τὸν δεξιὸν ὦμον τὸ ξίφος κατέχοντι τῷ δημίῳ, καὶ ἁρπάσας ἐκ τῆς χειρὸς αὐτοῦ τὴν σπάθην, καταφέρει κατὰ τοῦ τραχήλου τοῦ Μάρτυρος. Εἶτα καὶ ἐδευτέρωσεν, καὶ μηδὲ οὕτως δυνηθεὶς ἀποτεμεῖν, καὶ ἐτρίτωσεν. Εὐθέως δὲ θόρυβος μέγας τῶν παρόντων

A ὄχλων ἐγένετο · καὶ συρίζοντες ὡς δράκοντες οἱ δή-
μιοι, ἔβαλον λίθους κατ' αὐτοῦ, οὐ μόνον ἄνδρες, ἀλλὰ
καὶ γυναῖκες σὺν τοῖς ἀπὸ τῶν διατριβῶν παιδίοις..
Καὶ μὴ φέρων ὁ προδότης τὰς σφοδρὰς καὶ ἀλλεπαλ-
λήλους τῶν λίθων νιφάδας, πεσὼν ἐπ' ὄψιν χαμαί,
θάπτεται ἐν αὐτοῖς ἐνδεινοῖς οἰμωγαῖς καὶ ἐν ὀργῇ
ἀγγέλων πονηρῶν συντριβεὶς ἅπαν τὸ σῶμα σὺν τοῖς
ὀστέοις, κατα τὸ ῥῆμα τοῦ μακαρίου Μάρτυρος Οὐρ-
σικίνου, τὸν ἐπάρατον θάνατον ἀπενεγκάμενος. Ὡς δὲ
ἤκουσε περὶ τῆς αοιδίμου τελειώσεως καὶ τοῦ καλλι-
νίκου μάρτυρος Οὐρσικίνου ἡ δούλη τοῦ Θεοῦ Σιμπλι-
κία, πέμψασα ἕνα τῶν πιστῶν εὐνούχων αὐτῆς μετὰ
πλειόνων οἰκετῶν, καί τῆς θεραπείας τῶν τοῦ πραιτω-
ρίου, ἀνείλετο τὸ τίμιον λείψανον τοῦ Μάρτυρος, καὶ
κοσμίως ἐνταφιάσασα ἀπέθετο ἐν προαστείῳ ἰδίῳ λεγο-
μένῳ Καλάμῳ, ἀπέχοντι τῆς πόλεως σταδίους κβ', εἰς
μνημόσυνον αἰώνιον αὐτῆς τε καὶ παντὸς τοῦ φιλο-
χρίστου γένους αὐτῆς, ἰασίν τε καὶ ἄναψιν τοῖς ποι-
κίλοις νόσοις συνεχομένων, καὶ τῇ θήκῃ τοῦ τιμίου
λειψάνου προσκαρτερούντων. Ἐτελειώθη δὲ ὁ ἔνδοξος
καὶ πολυύμνητος τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Οὐρσικῖνος μηνὶ
Αὐγούστῳ ι' Ἰνδικτίωνος θ', ἐν ὑστατείᾳ Δαλμάτου
τὸ πέμπτον καὶ Μαξεντίου τὸ δεύτερον, κατὰ δὲ ἡμᾶς
βασιλεύοντος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ
B τῷ Πατέρι δόξα, ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ
καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

barum tumultus est factus, et draconem instar sibilantes plebei, lapidibus illum impetiere, non viri dumtaxat, sed etiam feminæ cum pueris scolarum trivialium : et proditor non sustinens vehementes lapidum unius post alium nivis adinstar cadentium ejaculationes, lapso humi vultu sepelitur in gravibus hisce ululatibus, et in pravorum angelorum ira toto contritus corpore cum ossibus, sicut prædixerat beatus Martyr Ursicinus, execrandam mortem subiit. Simplicia vero Dei famula dum obitum celebrem egregii victoris Ursicini audivit, misso uno e fidelibus suis eunuchis una cum pluribus domesticis ac comitatu prætorianorum, sustulit corpus pretiosum Martyris, illudque ad sepulturam decore comparatum deposuit in suburbio suo, nomine Calamo, stadiis duobus ac viginti ab urbe distante, ut perpetua et sui et omnis Christum amantis generis ejus servaretur memoria, sanarenturque et accenderentur illi qui diversis detinentur morbis et ad loculum pretiosi corporis perseverarent. Gloriosus vero ac celebratissimus Christi martyr Ursicinus obiit mensis Augusto die x *a* Indictionis IX *b*, Dalmato quinto ac Maxentio secundum consulibus *c*; apud nos autem regnante Domino nostro Jesu Christo, quocum Patri gloria ac sancto Spiritu E nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

A ANONYMO.

ANNOTATA.

a *In titulo hujus Martyrii ponitur* ια', *id est* XI. *Vid. Comm. num.* 2.
b *Vacillat illa Indictio, ex Commentario num.* 4 *et* 6.
c *Non cohærent consules isti, ut ibid. dictum est.*

DE S. FELICE EPISCOPO MARTYRE

VALLE GARDUMI IN TYROLI

Sylloge de cultu et miraculis.

J. B. S.

XIV AUG. *Sanctus de quo hic agitur*

Coli sanctum hunc Felicem *ut* episcopum et martyrem *asserunt Tyrolenses, ut ita dicam, omnes, probat innumeri populi adsacras reliquias concursus, frequentissima prædicantur* C *miracula, sacellum in ejus honorem legitima auctoritate exstructum est, reliquiæ translatæ et honorifice expositæ, imago circumfertur, quam infra exhibebimus: verbo, clamant certa monumenta quæ pro vindicanda alicujus sanctitate afferri possunt; quidquid interim nec Fasti ulli ecclesiastici, nec scriptor ullus paulo antiquior, quem saltem noverim, de eo usquam meminerint, nisi cum aliquo synonymo confundatur, cui rei via omnis præclusa videtur, cum patronos ejusdem nominis singulæ urbes sibi seorsim vendicent, singulæ Sanctorum suorum corpora exhibeant. De ætate autem, gestis aut martyrii tempore æque quidquam eruitur: neque mihi integrum est alia huc adducere, præter ea quæ a nostro P. Jacobo Sehmid, qui de rebus Tyrolensibus scripsit, non ita pridem mihi suggesta sunt cum imagine, quam hic recudere visum est.*



2 *Conquisivit collegitque vir eruditissimus et diligentissimus dum Historia sua Tyrolensi Germanice*

AUCTORE J. B. S. *solis Tyrolensibus cognitus*

nice scribenda occuparetur, quidquid ad Sancti, utut alibi incogniti, gloriam spectare posse censuit; cumque mense Augusto illustrando nos occupatos intellexisset, Sanctique istius memoria XIV *hujus mensis festive recoli soleat, nihil antiquius habuit, quam ut ea nobis subministraret, quæ eo die in opere nostro consignari possent, quæque ex laudata ejus historia, ab ipsomet Latine versa, hic fidelissime subjungam, præmissa modo effigie Viennæ excusa, unde etiam pateat in Austriam usque aliasque regiones pridem extensam sancti hujus* Felicis *venerationem. Ex ipsa imagine satis apparet,* S. Felicem *ut episcopum coli; rem clarius explicant subscripta verba in hunc modum* : S. Felix episcopus et martyr thaumaturgus, in ecclesia archipresbyterali et parochiali Vallensi Gardumi in Tyroli.

celebri cultu honoratur

3 *Imagine annecti solet brevis Italica narratio de quotidianis prope miraculis et beneficiis ab omni hominum genere impetrari solitis, quam infra ex Schmidio ampliorem dabimus. Satis sit hic subjungere orationem ex Italico versam.*

B

DEVOTA ORATIO

Facienda in omni opportunitate ad miraculosum S. Felicem

℣. In omnibus nostris miseriis et calamitatibus animæ et corporis

℟. Adjuva nos et ora pro nobis o! S. Felix. Omnipotens, æterne et misericordissime Deus, qui mirabilis es in Sanctis tuis, præcipue in glorioso S. Felice episcopo et martyre, cujus patrocinio et protectione in omnem fidelem Christianum, humillime supplicantem, cum summa pietate thesauros inexhaustæ bonitatis tuæ cum summa pietate effundis, esto misericors misero mihi peccatori, et mediante potenti intercessione prodigiosi servi tui Felicis, in me, licet indigna creatura tua, sanare digneris omnem miseriam et infirmitatem, tum spiritualem tum corporalem ut per immensam gratiam et benignitatem tuam incessanter tibi gratias agam, te laudem, toto corde te amem et adorem, omnibus viribus tibi serviam et benedicam, plenissime recreatus tua sancta divina benedictione et ineffabili misericordia, hic temporaliter, et ibi in C æternum. Per Jesum Christum Dominum ac Redemptorem nostrum. Amen. *Additur.*

Ter oratio Dominica, ter salutatio Angelica, et ter Gloria Patri *etc. Quod superest, sequantur modo traditio Tyrolensium et miracula, ex variis relationibus et documentis collecta, atque huc missa a jam laudato nostro P. Jacobo Schmidio, in hæc verba :*

loco qui hic describitur

4 Etsi jam ab immemoriali tempore gloriosissimus hic sanctus episcopus et martyr Felix cultum habuerit insignem in ecclesia archi-Presbyterali, de quo nomen sortita est; verum nostris præcipue temporibus cultus iste ob plurima, quæ Deus hujus Sancti patrocinio operatus est, beneficia plurimum quoque auctus est, et in omnem late viciniam diffusus. Jacet Gardumensis ager in provincia, seu comitatu Tyrolensi, Tridentinæ Diœcesis, pertinetque ad Illustrissimos Comites de Castelbarco, ad pedem arcis Grestanæ * situs, Complectitur septem aut octo villas, suis quoque templis instructas, a quorum incolis S. Felix in communem omnium patronum electus est.

* Gressa Italis.

5 Omnem movebam lapidem, ut de actis Sancti hujus Thaumaturgi, aut quo modo in patriam nostram devenerit, certi quidpiam eruerem, sed casso labore, iis solum exceptis, quæ, D adjuvante potissimum reverendissimo domino canonico Martinio, tunc episcopi Tridentini vicario generali, ex litteris et relatione admodum reverendi domini Hyppoliti Madernini, loci illius parochi per R. P. Georgium Tonaver, Tridentini nostri Collegii Rectorem transmissis hauseram documenta, tum etiam alia ex epistola Murio (Italis Mori) qui locus haud multum Gardumo distat, accepta abs Illustrissimo et Reverendissimo S. R. I. Equite Hieronymo de Thunn Murii parocho : ac tandem fideli ex relatione, quam hauseram, dum ipse Tridentini Collegii incolam agerem. Domini Hippolyti Madernini epistola fere sequentia loquitur, scilicet omnia antiquiora de S. Felice documenta interiisse ob hostilem in Tyrolim Gallorum incursionem, factam anno MDCCIII.

et unde pauca accepta sunt

quæ de martyrio testantur

6 Id tamen concordi illorum, qui annis graves, aut alia rerum notitia pollent, relatione constat, S. hunc Felicem cum crudelissimam persecutionem fugeret, huc delatum adhuc ante tempora S. Vigilii, Tridentini præsulis, his oris Christianam fidem intulisse: præterea eumdem sanctum Virum hoc ipso in loco martyrii palmam E consecutum, cum in magnam scrobem, in qua, superinfusa aqua, calx ad cœmentum faciendum paratur, injectus, combustusque esset, solis, quæ postmodum extracta sunt, ossibus intactis. Hæc ex litteris domini Madernini. Pauca addit in suis Reverendissimus Thunnius, ita inquiens: S. Felix episcopus fuit in Italiæ partibus, in ultima gentilium persecutione (tempore, ut opinor Diocletiani Cæsaris) in has horas se contulit, et cum hisce populis Euangelium prædicaret, ab iisdem martyrii palma condecoratus fuit. Hæc Reverendissimus Thunnius. Ubi locorum episcopum egerit Sanctus, difficile erit divinasse, ob Sanctorum multitudinem, qui simili nomine variis in Italia ecclesiis præfuerunt.

ad x persecutionem referendo.

7 Certiora porro dici poterunt de persecutionis tempore, quæ probabilius decima fuit, quam crudelis sanguisuga Diocletianus contra Christianos movit anno CCCII. Erat hæc omnium maxime diuturna, atque atrocissima; quippe per decem omnino annos in Christi fideles desæviit, ita quidem, ut non solum non remitteret, sed in dies majores in furias excreverit. Neque urbium, re- F gionumque præfecti mitius cum Christianis agebant, quam ipse Diocletianus, sed hujus imperia ad unguem exsecuti, ubique in Christiani nominis exterminium conjurabant, unde huic crudelissimæ tempestati, juxta Christi Salvatoris consilium, cedendum nonnihil ratus, in valles hasce Tyrolenses sese subduxit S. Felix, quamvis, ut supra diximus martyrii purpura candida, cui injectus est, calcis ex massa indutus in cælum evolarit. Hæc omnia, dum mecum conferrem, in hanc demum sententiam abii, S. Felicem martyrio coronatum fuisse eodem tempore, quo S. Cassianus Brixinensis in Tyroli prius, dein Imolanus in Italia episcopus, pro Christo sanguinem fudit, etsi serius nonnihil, tum nempe, cum persecutio latius sese extendisset. Agitur autem dies festus S. Felicis in tota illa Gardumensi vicinia, XIV Augusti, celebraturque cum octava. An hæc dies illa sit, qua moriens cælis transcriptus est, non ausim affirmare.

De sacris reliquiis

8 Quod id sacros illius cineres, et ossa attinet, jam per centenos aliquot annos in prædicta ecclesia parochiali quiescebant, donec anno MDCCXIX elevata, et in novam eamque elegantissimam

AUCTORE J. B. S.

A tissimam e fundamentis erectam capellam translata sunt, populo instantissime flagitante, et annuente, immo et jubente Reverendissimo, et Celsissimo S. R. I. Principe, et Episcopo Tridentino Joanne Michaële Comite a Spaur, quæ solennis translatio hunc in modum instituta est.

ibidem inventis

9 Vigesima sexta Octobris reverendus D. loci parochus multis aliis hunc in finem stipatus testibus, medio noctis silentio in ecclesiæ sacrarium sese contulit, ubi postquam a tergo altaris murus apertus est, marmoream cistulam seu sarcophagum operis pervetusti, in quo sacra ossa delitescebant, invenere. Cistula dein e muro extracta, atque altari imposita, sequentia sacra inventa sunt lipsana. Primo integrum sacrum caput, una cum dentibus omnibus, et utraque mandibula, quam, non sine magna admiratione, observarunt adstantes penes visibili adhuc carne, et cute obductam: præterea brachia, pedes, et crura: costæ, omniaque reliqua, quæ integrum corpus constituunt, ossa, excepta cruris alterius parti-
B cula.

et magnifice exaltatis

10 Lustratis hoc modo Divi ossibus, reverendus dominus parochus, prius jam superpelliceo, stolaque indutus sacrum caput venerabundis prehendit manibus, eoque adstantibus impertitus est benedictionem, tum in sarcophago recondidit, quod ferreis vinculis denuo clausum, firmatumque fuit. Inde in novam, quam descripsimus, capellam translatum aræ ibidem imposuere, ad marmoream, quæ Divum exhibet, statuam. Compulsatis dein campanis omnibus ad lucis usque crepusculum seu ad diei mensis ejusdem XXVII exordium, quo affluente magna populi multitudine capella, et ara præscriptis ab Ecclesia ritibus benedictione sacratæ, et dicto in eadem sacro, tota hæc festiva translatio hymno Ambrosiano clausa est. In hac tam pretiosa capella S. martyr, et episcopus Felix in dies maximo peregrinantium concursu ex circumjecta regione colitur: quod idem quoque factum, antequam sacra divi Felicis ossa in novam hanc capellam translata sunt; quippe ipse Reverendissimus et Celsissimus S. R. I. Princeps et Episcopus Tridentinus anno MDCCX sese Gardumum contulit, tum magnum ibidem Sanctum deveneraturus.

ob continua miracula.

C 11 Nunc tam frequentem omnium ordinum ad sacra lipsana concursus continua, eaque illustria, quibus Deus Servum suum identidem glorificat, miracula excitant; neque enim ullum pene malorum tum animi, tum corporis genus est, cui divus hic Euergetes non medeatur. Præsentaneam præprimis opem sentiunt mæsti parentes, dum demortuas in ventre matrum proles ad Divi aram deportant, datoque vitæ signo Baptismatis lavacro abluuntur. Cæcis visum, auditum surdis, mutis loquelam restituit: sic pedum quoque aliorumque membrorum usum: sed præcipue potentem experiuntur Divi manum energumeni, aut variis præstigiis, magicisque incantationibus oppressi, quos tum a malignis liberat hospitibus, tum a maleficiis immunes reddit. Complures jam cum morte luctantes, quam primum vel ipsi, vel adstantium quispiam, Divi hujus opem imploravit, actutum sanitati redditi sunt: nec minoris res aliis steterat, quando aut animi, aut corporis in angustiis deprehensi, vix Sanctum in vota vocantes, liberos sese, incolumesque statim senserunt. Quæ omnia ecclesiastica auctoritate rite examinata, probataque ubique locorum divulgata, immo et quotidiana devotorum clientum experientia luculenter manifestata sunt, licet nihil per hæc derogatum velimus constitutioni Urbani VIII. Peculiarem tamen memoriam quædam beneficia merentur, quæ, præ reliquis aliis pluribus hic addenda duxi.

Curatur laborans pedibus;

12 Margarita Romanella, oriunda ex oppido Nogarè, nunc vero Roboreti (urbe Tridento quatuor leucis Italiam versus distante, Italis Roveredo, Germanis Roffereuth) habitans tam gravi pedum malo laborabat, ut vel iis insistere, vel domestica obire munia prorsus nequiverit. Vovet igitur peregrinationem ad divum Felicem anno MDCCXIII. Distat Gardumum Roboreto tribus solum horis; verum illa tribus omnino diebus * emensa est. Postquam tandem ad sacra lipsana Gardumum devenerat, nescio, quam vocem audire sibi visa est, ac si hæc verba sibi in aures dicerentur: Margarita, projice abs te baculum: obsecuta illa dicenti voci, et ecce, sanam, et incolumem se animadvertit: brevique temporis spatio viam Gardumæ Roboretum relegit, non sine ingenti omnium admiratione, qui communi calculo rem velut magnum sane prodigium Sancto adscribebant, E cum vetulam, annis jam gravem, integrum pedum usum S. Felicis patrocinio adeptam obstupescerent.

* iter

item epilepticus

13 Anno MDCCXVIII Nicolaus Coo solo areæ attactu qua sacra Divi ossa continentur, speciem quamdam morbi epileptici, quo divexabatur, dispulerat. Haud multo post, tertio nimirum Junii, Catharina Berlanda pari attactu areæ, et olei, quod ante Divi aram ardebat, inunctione, brachium, ad omnes prorsus labores inutile, sanum recepit, quin et visum, quo jamjam periclitabatur, eodem attactu recuperavit.

tum mania affectus:

Joannes Brigenti ex oppido Brenzono * hujus anni MDCCXXIV cum filiolo suo ad templum divi Felicis advenerat; agitabatur miselius pessimo maniæ malo, præterquam, quod et mutus, atque ad omne functionum genus incapax esset: cum vero sacra sibi impertita benedictione, oleo, quod supra diximus, inungeretur, et ore quoque aliquid excepisset, protinus melius habere cœpit. Substitit tamen per horam ad sacros Divi cineres, tum vero non solum loquelam recepit, sed etiam quod longe magis in votis erat, integræ menti restitutus, domum propriam ingenti animi solatio reversus est.

* i. e. Maii

alia pedibus capta

F 14 Maria Bonoma ex oppido Thun, utroque pede capta, curru ad divum Felicem advehebatur: ex quo duabus innixa grallis in templum repebat: concepta, quam potuit in Sanctum fiducia, et sacra pariter benedictione recepta, grallas extemplo projicit, ac omni prorsus liberata gradiendi difficultate, incolumis ad suos rediit XX Aprilis MDCCXXV, cum paulo ante, scilicet XXV Martii, eumdem a Sancto favorem impetrasset proprius ipsius filius, Thomas nomine.

alia oculis orba,

15 Eodem denique anno Alexander Caurino ab oppido Tierno, utriusque oculi lumen Sancto adscripsit. Multa is pro recuperanda oculorum acie, sed frustra, expenderat, cum, ecce, suasu piæ cujusdam feminæ, peregrinationem vovet ad divum Felicem, ibique expiata exomologesi conscientia, ac sacra Synaxi refectus beneficium, quod a Sancto poposcerat, impetravit.

unde thaumaturgus audit.

16 Ceterum id pro coronide de hoc illustri patriæ nostræ Sancto addidisse sufficiat, illum scilicet adeo in patrandis miraculis excellere, ut sibi licet adeo in patrandis miraculis excellere, ut sibi etiam Thaumaturgi nomen hisce in terris jam Proprium fecerit.

DE

A

DE SANCTO EUSEBIO PRESBYTERO

ROMÆ

Sylloge de cultu et gestis.

J. B. S.

Varia in aliis annuntiatio

Dum S. Felicem II Papam et martyrem ab iniquioribus criticorum censuris ad XXIX Julii vindicare conati sumus, viam una stravimus, ut et hic Eusebius strenuus fidei assertor, meritissima sua laude non privaretur. Quæ de ipso paulo intricatius in vetustis Martyrologiis prædicantur, abunde explicata supponimus in nostra ad Usuardum observatione hoc die, ubi nobis præplacere ostendimus vetustissimam annuntiationem Romani parvi ita simpliciter conceptam : Romæ Eusebii presbyteri et confessoris sub Constantio Ariano, sepulti in cœmeterio Callisti, a qua recte absunt quæ Ado ex non sinceris Actis superaddidit, et a quibus abstinuit Usuardus, recte B etiam annuntians : Romæ via Appia, natalis beati Eusebii presbyteri et confessoris, qui a Constantio Augusto, ob Catholicæ fidei defensionem, in quodam cubiculo domus suæ inclusus, ibique in oratione constanter perseverans, dormitionem accepit. *A martyrii titulo utrobique abstinetur, qui cur ei merito tribui possit ex diuturnis ærumnis quas passus est, facile intelligitur. Audiamus modo verba Martyrologii Romani cum Baronii observatione :*

in Romano restituitur.

2 Romæ, natalis beati Eusebii presbyteri, qui a Constantio imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defensionem, in quodam cubiculo domus suæ inclusus, ibique menses septem in oratione constanter perseverans dormitionem accepit, cujus corpus Gregorius et Orosius presbyteri colligentes in cœmeterio Callisti via Appia sepelierunt. *En modo annotationem :* De eodem Beda, Usuardus, Ado ac ceteri recentiores. Recitat ejus C Acta Mombritius tom. I. Habemus eadem manuscripta. Est vetus titulus S. Eusebii, cujus mentio habetur in concilio primo Romæ habito sub Symmacho Papa. Asservantur illic veneranda corpora SS. Eusebii *(adde Gregorii)* Orosii atque Paulini, multæque aliorum martyrum reliquiæ, ut ejusdem ecclesiæ monumenta declarant. Eamdem ecclesiam Zacharias Papa, vetustate collapsam restituendam curavit : hæcque tam inscriptiones in marmore incisæ, quam etiam liber de Romanis Pontificibus testantur. *Addidi Gregorium, quem Acta testantur, in eamdem cryptam jussu Constantii præcipitatum fuisse, et in eadem etiam sepultum.*

augeturque a Motherio

3 *Pluscula notàt Motherius noster ad idem Martyrologium Romanum a se Gallice versum, dum ait,* Sancti Eusebii nomen semper celeberrimum fuisse, ejusque memoriam in summa veneratione per totam Ecclesiam. Fuisse item olim unam ex stationibus Quadragesimalibus Romanis in templo sub ejus nomine Deo dicato, solitumque ibidem Missam particularem in ejus honorem celebrari, de quo tamen hodie sola fiat commemoratio; *Romæ, opinor, non in hodierno missali pro tota Ecclesia.* Adscribitur, *inquit,* ei simplicis confessoris titulus tametsi mortis ejus circumstantias considerando MARTYRIS lauream meritus videatur. *Recte sane, cum tot aliis, etiam minora passis, adscriptam eamdem lauream experientia nos doceat. Atque hæc pro vetustissimo et celeberrimo* S. Eusebii *cultu dicta sint. Superest modo ut de Actis Mombritianis, apud nos etiam varie Mss. et postremum a Baluzio editis tom. 2 Miscell. a pag. 141, ea moneamus quæ ad salvandam eorum integritatem necessaria censuimus.*

Acta Mombritii

4 *Præmittenda observatio postremi editoris pag. 496 quæ est hujusmodi :* Vitam istam sancti Eusebii presbyteri Romani, qui crudeli novoque mortis genere exstinctus est Romæ jussu Constantii imperatoris, ediderat olim Boninus Mombritius, sed valde corruptam. Nos cum illam invenissemus in F quatuor vetustissimis codicibus manuscriptis, quorum tres exstant in bibliotheca Colbertina, quartus in Regia, cam diligenter recensuimus et emendavimus, et sic emendatam putavimus emittendam rursum esse : continet enim res scitu dignissimas quarum nulla mentio exstat in Annalibus ecclesiasticis. *Diceres, Baluzium thesaurum hic aliquem, a se refossum, nobis exhibere, ubi tota historia, sive ut apud Mombritium et in tot manuscriptis exstat, sive ut eam ipse edidit, tam libere exornata sit, et dialogismis incomponibilibus respersa, ut pro majori parte admitti non possit. En ipsam, cujus titulum facit.* Vita Sancti Eusebii presbyteri Romani.

in nova editione

5 Eodem tempore quo Liberius de exilio revocatus fuerat a Constantio augusto hæretico, in eodem tantum dogmate ut non rebaptizarent populum, sed una communione consummarent plebem, Eusebius presbyter urbis Romæ cœpit declarare; Liberium hæreticum et amicum Constan- F tii. Cumque multi sancta confessione et Catholica fide vitarent communionem Liberii per Eusebii presbyteri doctrinam occupantur ecclesiæ a Liberio, ejicitur Felix de episcopatu, subrogatur Liberius, tenetur Eusebius presbyter, et quod in domo sua, quam ipse exstruxerat, populum congregaret, et quia confortaret plebem sanctam. Tunc Constantius imperator aggreditur cum Liberio Eusebium presbyterum dicens : Tu solus Christianus es in urbe Roma? Eusebius presbyter respondit : Sic confidimus in Domino, quia fideles nos inveniet Christus, sicut et baptizati sumus et benedictionem quam a beato Julio suscepimus, tenemus. Liberius dixit : Nos cujus fungimur vice, nonne Julii anterioris nostri? Eusebius presbyter dixit : Si perseverasses in fide quam in persecutione primo tenere visus fueras.

paulo fusius

6 Liberius dixit : Præsente Augusto tam contumacem me existimas? Eusebius dixit : Rex ipsa te docet et declarat. Imperator Constantius dixit : Et quid est inter fidem et fidem? Eusebius presbyter respondit : Quantum ad nos peccatores integre tenentes sumus. Quantum ad vos, insania diaboli et invidia superstitionis vestræ, ut Felicem episcopum, quem vos non tacuistis Catholicum et Dominum Jesum Christum invocantem, purum sacerdotem ab omnibus declaratum, in damnationis causam exilio direxistis, qui tamen in præ-

AUCTORE J. B. S.

A prædiolo suo orationibus vacat. Et quidem jussu tuo Christianis occisionem et necem præcepisti, inferri, maxime clericis et presbyteris et diaconibus. Tunc iratus Constantius, subrogatu Liberii, includit Eusebium presbyterum in quodam cubiculo domus suæ, quod humile erat in latitudine pedibus quatuor, et ibi multis mensibus in oratione constanter perseverans, inclusus tamen, post menses septem dormitionem accepit nono decimo Kalendas Septembris. Cujus corpus collegerunt Gregorius et Orosius presbyteri parentes ejus et sepelierunt in crypta juxta corpus beati Sixti martyris et episcopi via Appia in cœmeterio Calisti, ubi et titulum ejus scribentes posuerunt pro commemoratione ejus: EUSEBIO HOMINI DEI

explicantur; 7 Eodem tempore auditum est a Constantio imperatore eo quod Gregorius et Orosius presbyteri collegerunt corpus Eusebii presbyteri et in eadem crypta vivum præcepit includi Gregorium. Tunc B Orosius presbyter collegit semivivum beatum Gregorium noctu occulte propter Constantium Augustum, et emisso spiritu, sepelivit eum juxta corpus sancti Eusebii presbyteri. Qui etiam Orosius hæc gesta conscripsit. Ab eodem die intra ecclesias jussu Constantii imperatoris quisquis inventus fuisset non sic confiteri vel participari sicut Liberius, indiscussus gladio puniretur. Quapropter in plateis et in vicis et in ecclesiis sive in balneis gladio trucidabantur, persequente Constantio Christianos una cum Liberio.

sed correctione indigent, 8 *Quæ in ea Vita merito displicere oporteat, continuo intelliges, si memineris Constantium cum Liberio et* Eusebio *Romæ eodem tempore non fuisse. Advenit ille triumphabundus in Urbem sub finem mensis Aprilis an.* 357, *unde, mora exigua interposita, Maio ejusdem anni exeunte, Mediolanum digressus est, tum quando Liberium necdum ab exilio Romam rediisse, constans est Chronologorum sententia, ut proinde congressus iste et paulo acerbior collocutio dicto jam anno haberi omnino non potuerint, multo minus anno insequenti* 358 *quo ab exilio reversus est Liberius, tum nempe dum ab Urbe procul aberat imperator Constantius. Adde quod ita res connectantur ac si* Eusebius, *Cæsare adhuc Romæ commorante, in suo carcere fuisset exstinctus, utpote qui Grego-* C *rium, quod Sanctum sepelisset, in eamdem cryptam præcipitari jusserit, unde semivivus ab Orosio eductus est, paulo post ipsi* Eusebio *consepultus.*

ut præferenda sit Eusebii historia 9 *Variis hisce difficultatibus nos eximit* Eusebii *elogium longe brevius apud Petrum de Natalibus Equilinum episcopum, in quo omnia recte explicari possunt, si morbo Liberium censeamus cæsarea auctoritate usum ut ardentiorem* Eusebii *et Gregorii zelum comprimeret, licet Constantius ipse Roma procul abesset. Audi Equilinum*: Eusebius presbyter Romæ claruit tempore Constantii Augusti et Liberii Papæ hæreticorum; qui vir Catholicus et doctrina præclarus, dum fidem Catholicam constanter defensaret, et Constantium Augustum atque Liberium urbis Romæ episcopum hæreticos prædicaret, quod Arianæ fidei consensissent, ab eodem Constantio rogatu Liberii detentus est; in quodam cubiculo domus suæ inclusus, habente in latitudine pedes quatuor et ibi multis mensibus in oratione perseveravit. Inclusus tamen adhuc post menses septem dormitionem accepit XIX Kal. Septembris. Cujus corpus Gregorius et Orosius presbyteri sepelierunt via Appia in cœmeterio Calixti, juxta corpus beati Sixti Papæ et martyris in crypta. Quod audiens Constantius Augustus, Gregorium presbyterum cepit, et vivum in eadem crypta sepelivit; ubi post dies tres in pace quievit.

expuncta Liberii hæresi; 20 *Hæc narratio, si hæretici appellationem, Liberio crude impactam expunxeris, satis tolerabilis est, ex qua id præcipue patere volumus, quanto zelo rem Catholicam tueri conatus sit* S. Eusebius, *eam a Christo Domino coronam promeritus, ut inter fortissimos confessores seu fidei de-* E *fensores, quin et eo titulo martyris merito recenseri possit. Ad certum obitus diem aliunde eruendum frustra laboravimus, ut in hodierno sistendum sit, quo sive translationis alicujus aut ecclesiæ dedicationis, aut alia festivitas recolatur, id certissimum est, a primis usque Ecclesiæ post obitum ejus, seculis, ut supra notabat Molherius,* S. Eusebii *memoriam in summa veneratione per totam Ecclesiam fuisse hoc ipso die, tametsi de prima festi institutione aut ejus causa, nulla antiqua monumenta meminerint. Monet Piazza in suo Menologio Romano,* S. Eusebii *ecclesia hodie gaudere PP. Cœlestinos, apud quos ejus memoria celebretur, ut pluribus videre est apud Pancirolum, de templis Romanis agentem pag.* 166.

cur omissus Gregorius 11 *Locus postularet ut hic* Gregorium *subjungerem in eadem causa mortem passum, si ejus memoria ut in Greveno ita in ullis vetustis Fastis sacris aut in Romano Martyrologio consignata esset. Satis erit cum Ferrario in Catalogo SS. Italiæ hic modeste insignare*: De S. Gregorio presbytero et martyre Romæ, vide in Vita S. Eusebii presbyteri supra hac eadem die, qua etiam die S. Orosii presbyteri et Confessoris prædictorum F socii et familiaris memoria adnotatur. *Ubi satis clare innuit, nihil de ipsis traditum superesse præter ea quæ in Actis jam datis supra memorantur. Neque nobis licitum est, ulteriorem eis cultum decernere. Locum hic demum habeat Wandelberti elogium metricum:*

Quæ decima et nona est Septembris ante Kalendas
Eusebium Romæ sancit celebratque beatum.

DE S. CALLISTO EP. MARTYRE

P. B.

TUDERTI IN UMBRIA

Anno DXXVIII. Annuntiatur hoc die in Martio Rom.: Quæ *de cultu et reliquiis S. Cassiani, ilidem episcopi et martyris Tudertini, hesterno die notata sunt, æque ad* S. Callistum *hunc pertinent; neque hic repetenda censemus. Eodem uterque tempore Martyrologio additus est; sed* Callistus *ad hunc diem, his verbis*: Tuderti, sancti Callisti episcopi et martyris; *antea extra ecclesiam Tudertinam Fastis omnibus fuit ignotus. Lectiones apud suos in Officio antiquas habuit, quas ibidem in archivo episcopali etiamnum asservari, testatur Ludovicus Jacobillus in Vitis Sanctorum Umbriæ tom.* 2 *pag.* 118; *addens, alias nunc novas*

AUCTORE P. B.

novas legi, a Sacra Congregatione Romana approbatas anno 1602; festum autem ejus nunc Tuderti celebrari ritu duplici. Acta ejus nulla sciuntur, nisi quæ brevi compendio Italico collegit ex Annalibus Tuderti ibidem in urbis tabulario servatis, Joannes Baptista Possevinus ad hunc diem in Vitis Sanctorum Tudertinorum pag. 37. Sed quoniam ab isto compendio vix dissonat elogium Latinum, quod in Catalogo Sanctorum Italiæ proponit hoc die Ferrarius ex Officio ecclesiæ Tudertinæ, hoc recitare visum est potius, quam illud vertere. Sic ergo habet :

elogium habet apud Ferrarium et alios.

2 Callistus, episcopus Tudertinus insignis pietate, eo tempore ecclesiam Tudertinam administravit, quo Gothi Ariani Italiam occuparant. Qui cum munus episcopale magna constantia et religione in ea temporum calamitate gereret, ecclesiam suam immunem ab ea labe Arianæ hæresis servavit. Ecclesiam S. Joannis Baptistæ cathedralem prope forum civitatis ædificavit. Fortunatum Pictaviensem, virum sanctissimum, ex D Gallia Romam proficiscentem hospitio accepit : quem et redeuntem curiæ episcopalis adjutorem fecit, ac postea in episcopatu successorem habuit. Cilicio asperrimo, quod adhuc suavissimum mittit odorem, corpus suum macerabat. His et aliis pie gestis clarus sanctus Episcopus, dum quorumdam perditos mores increparet, familiarium illorum hastis gladiisque crudelissime confossus, ad sempiternam martyrii palmam evolavit XIX Kal. Septemb. anno post Christum natum DXXVIII. Cujus corpus in æde S. Fortunati honorifice requiescit. *Hæc Ferrarius; quibus haud absimilia tradunt Ughellus Italiæ sacræ tom.* 1 *in episcopis Tudertinis, et laudatus modo Jacobillus, qui cum addat, illum annis tantum quatuor sedisse, episcopum fuisse statuit ab anno Christi circiter 524. De S. Fortunato, qui* S. Callisto *successisse hic dicitur, agemus die ejus natali* XIV *Octobris.*

DE SANCTA ATHANASIA

E

B

VIDUA AC HEGUMENA

IN ÆGINA INSULA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Locus vitæ asceticæ, cultus, ætas, Acta Latina cum Græcis collata, dies obitus; Sanctæ synonymæ.

Sæc. IX. Insulæ Æginæ situs :

Ægina, insula parva Græciæ in mari Ægeo et sinu Saronico, teste Strabone, Egina vulgo sive l'Egina, sub Attica censebatur, et urbeculum habet episcopalem cognominem in ejus ora australi sub archiepiscopo Atheniensi, nunc C paucis constantem incolis, cum arce a Turcis excitata in colle in tutelam sinus Saronici, ab ea le Golfe d'Egina dicti, XX mill. pass. distat ab Athenis in meridiem, inter Epidaurum Peloponnesi urbem XXVIII mill. pass et Megaram XX distans. Pauli medici insignis patria, ex qua is Æginetа cognominatur, olim Myrmidonia dicta fuit, teste Brietio : circuitus est XXXVI mill. pass. *Locum hunc ita describit Baudrandus in sua Geographia ; Cellarius autem in sua, situm ejusdem exhibet parte* I, *tabula* 20 *ad pag.* 704, *ac varia ex antiquis de ea colligit a pag.* 805. *Plurima alia curioso lectori videre licet in descriptione Græciæ lib.* 2, *qui est de Corinthiacis, apud Pausaniam, a quo, teste Ortelio in Thesauro geographico ad vocem* Ægina, *ea* optime describitur.

memoria Sanctæ in Fastis Græcis

2 *Insulam hanc* S. Athanasia *virtutibus ac miraculis egregie illustravit, quæ utpote insignem ac nomini ejus consentientem immortalitatem (hoc enim significat Græca vox* ἀθανασία) *tam apud Latinos quam apud Græcos publica veneratione ipsi pepererunt, uti liquet e sacris illorum tabulis. Menologium quippe Sirleti die* XVIII *Aprilis, a qua die apud nos tom.* II *dicti mensis pag.* 522 *ad hanc remissa fuit, sic habet :* Item sanctæ martyris (*immo* matris) nostræ Athanasiæ, quæ piis orta parentibus se ipsam Deo consecravit. *Menæa magna impressa hæc memorat :* Eadem die XVIII *Aprilis)* sanctæ matris nostræ Athanasiæ. *Sequitur longum elogium seu Actorum compendium, e quo delibabimus, si quæ in rem nostram erunt, quando de ejus vita loquemur. Tunc etiam signatur in Menæo Chiffletii :* Ἀθανασίας θαυματ., Athanasiæ thaumaturgæ, *nec non in nostro Aprili Moscorum figurato ante tomum* I *Maii pag.* XXIV *sub hac notione :* Athanasia † vidua sanctimonialis. *Publicus porro ipsius cultus apud Latinos etiam propagatus est, qui hac die* XIV *Augusti eam referunt.* F

ac Latinis.

3 *Martyrologium Romanum ita annuam ejus memoriam annuntiat :* In Ægina insula sanctæ Athanasia viduæ, monasticæ observantia et gratia miraculorum illustris. *Notatur item in additionibus apud Molanum, ac in Martyrologio, quod vulgo Canisii nomine appellatur ; quibus adde Arturum in sacro Gynæceo, monasticis etiam Wione, Dorganio ac Bucelino locum inter suos Sanctos ei dantibus. An recte ? Mabillonius in Prætermissis ante partem primam seculi* VI *Actorum Ordinis S. Benedicti, quod est ab anno Christi* M *ad* MC, *illam accensere eidem non audet, sed rem in medio indecisam relinquens, hæc scribit :* Athanasia abbatissa in insula Ægina celebratur die XIV Augusti in Martyrologio Romano, quo item die in Menologio Benedictino Bucelini et apud Arnoldum Wionem memoratur : sed ex ejus Vita, quæ habetur apud Surium eadem XIV Augusti die, patet eam seculo IX vixisse, ut observat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum. Nec forte meliori titulo pertinuisse dicitur ad Ordinem Benedictinum. *Huic itaque qui eam adscribendam censent, probare illud debent. De tempore, quo Sancta floruit, et de quo e Mabillonio jam facta*

A *facta est mentio, videamus quid afferri possit.*

Ætas qua vixit. 4 *Baronius in notis proxime citatis* dum in *Actis nostræ Sanctæ apud Surium* mentio habetur de S. Joannicio, qui ea, quæ de ipsa essent futura, prævidit, colligi posse *affirmat*, eam vixisse circa tempora Michaëlis et Theodoræ augustorum. *De eorum imperio post mortem Theophili augusti agit Pagius in Critica Baroniana ad annum* 842 *num.* 7. *S. Joannicii abbatis gesta illustranda erunt ad diem* IV *Novembris, quo is habetur in Martyrologio Romano. Floruit seculo* IX, *anno utpote ejusdem* 846 *mortuus, ex Baronio et Pagio ad eumdem annum. Vaticinium istius Sancti, quod in vita* S. Athanasiæ *inferius exstat apud nos num.* 11, *non transcribo. Quo autem ante suum obitum tempore illud enuntiarit, in eadem non additur: nec per ejusdem Vitæ decursum reperio ullos personarum rerumve relucentes characteres, vi quorum Sanctæ gesta ac obitus ejus in ordinem redigi chronologicum atque ad determinatos annos revocari queant, aliis alios signantibus. Apud Surium quippe notatur annus* 850, *annus vero circiter* 860 *placet Castellano in suo* B *Martyrologio universali. Ex dictis itaque abunde refutantur Wionus ac Bucelinus, qui circa annum Domini* 1050 *Sanctam ponunt. Quia autem de S. Joannicio paulo post fiet mentio, breve est illud Baronii ad annum* 846 *de eo elogium:* Magnus ille et sanctitate celebris, quem suis scriptis adeo laudavit Theodorus Studita, admirandis operibus clarus, virtutibus insignis, Joannicius anachoreta, de quo sæpe tomo superiori dictum est, ex hac vita migravit ad Dominum, annos natus centum quindecim *etc.*

Ratio Actorum, 5 *Antequam ad Sanctæ Acta veniamus, nonnulla de iis prænotanda sunt. Habemus illa Græce hoc titulo:* Βίος καὶ πολιτεία τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Ἀθανασίας, καὶ μερικὴ τῶν αὐτῆς θαυμάτων διήγησις. *Id est:* Vita et conversatio sanctæ matris nostræ Athanasiæ, et peculiaris miraculorum ejus narratio. *Exstat Latine apud Surium ista cum inscriptione:* Vita et institutio sanctæ matris nostræ Athanasiæ, ejusque miracula a quodam viro pio narrata, qui partim ea vidit, partim a mulieribus ipsius Matris familiaribus audivit. *Hæc confirmantur ex ejus verbis sub finem dictæ Vitæ*, Provin- C ciam, *ait*, hanc suscepi non vana secutus figmenta, sed quæ tum ipse propriis oculis vidi, tum a sanctis mulieribus, cum hæc dicerent, audivi, e quibus et fuit felicissima Mater nostra. *In prædicta inscriptione apud Surium dicitur Vita ex* Symeone Metaphraste *desumpta esse. Verum sive ejusdem exemplar sit suppositum aliis istius biographi Vitis Sanctorum, sive is manum quoque suam eidem exemplari postea admoverit, ut res in illo narratas suo proferret modo; sive neutrum acciderit; monumentum saltem istud meretur fidem. Illud nos more nostro in capita titulosque ac numeros divisimus, et cum nostro apographo Græco contulimus, ut paullo post dicetur.*

in quibus res aliqua 6 *Et quia num.* 2 *occurrit aliquid, ad cujus elucidationem opus est pluribus verbis, ideo malim illud hoc loco expedire, quam in Annotata differre. Vita itaque ibidem hæc refert:* Cum vero aliquando fames esset, omnesque inopia premerentur, illa non solum iis, qui ejusdem fidei homines erant, nutrimenta copiose largiebatur; sed alienis etiam, qui Athingani appellabantur, fame tunc oppressis, et ad eam accedentibus, misericordia commota victum impertiebat.. Neque solum nutrimenta illis tribuebat, verum etiam vestibus eos fovebat, et aliis donis eos consolabatur. *Quæritur hic, quinam fuerint* Athingani. *Pagius ad annum Christi* 810 *postquam num.* 1 *ex Theophane scripsisset de odio publico, quo æstuabat Nicephorus imperator, num.* 2 *ex eodem subdit auctore, Manichæorum et Athinganorum superstitionibus ipsum fuisse addictum: de quibus Theophanes in Chronographia anno* 1655 *Parisiis edita sic memorat pag.* 413: Porro Manichæorum, quos nunc Paulicianos dicimus, et Athinganorum ex Phrygia et Lycania *(imo Lycaonia, nam in textu Græco lego* Λυκαονίαν*)* juxta patriam suam erumpentium amicus totus eorum cupidine flagrans extitit, ac eorum vaticiniis et superstitionibus omnino deditus: iis enim accitis, cum Bardanius patricius seditionem movit, eorum præstigiis usus hominem in se rebellantem prostravit *etc.*

7 *Jacobus Goar in notis ad Theophanem pag.* 632. De Athinganis, *inquit*, nonnulla Balsamo. Eorum reliquiæ ac successores Italis Tzingari, nobis Boëmi vel Ægyptii, quod ex Oriente profecti in illas partes, et inde versus nos penetrarint. De hominum istorum fæce tractat abunde Delrio Disquis. magic. cap. 4 quæst. 5. *Hæc ibi.* Verum, E *sicut observat Pagius num.* 2 *jam citato*, Constantinus, Porphyrogennetus *(seu ejus potius continuator)* in Chronographia lib. 2 num. 3 *(pag.* 27 *editionis regiæ Parisiensis)* loquens de Michaële Amoriensi imperatore, qui ex Athinganorum secta erat, ait quidem frequentem semper multitudinem Athinganorum in Phrygia consedisse, sed eorum sectam his verbis describit: „ Secta hæc divinum quidem lavacrum ut salutare „ et a suis explorate agnitum probatumque, „ eos qui initientur percipere sinit: in reliquo „ autem omnia præter unam circumcisionem, „ ex legis Mosaïcæ ritu servat. „ Iisdem fere verbis hanc hæresim Cedrenus in Vita ejusdem Michaëlis depingit. Quare Goaris interpretatio rejicienda. *expenditur.*

Dies obitus. 8 *Locus alter, qui in Vita expendi meretur, agit de die, quo Sancta nostra obiit. Biographus apud Surium sic habet:* Quoniam vero dies festus aderat, quo sanctissimæ Genitricis Dei Assumptio celebratur, omnes sic admonens, Videte, inquit, ne quid eorum, quæ ad diem festum pertinent, infectum prætermittatis. Itaque Psalmorum ordinem, et ministerium in ipsos egentes pro viribus F diligenter exequamini: deinde post divinum rei sacræ ministerium humile hoc corpus meum terræ mandetis. Hæc cum præcepisset.. in pace dormivit ac requievit. *Quæri hic potest, quisnam dies morti ejus sit assignandus, festusne Deiparæ in cælos assumptæ, an profestus. Bucelinus in Compendio vitæ*, Mortua est, *ait*,... cum supremis verbis, de festo crastini diei tam sibi charo solicita *etc. Castellanus vero in notula marginali ad hanc diem* XIV *Augusti adjecta, uti etiam in indice nominum Sanctorum indicat eam obiisse die* XV *ejusdem mensis. Res decidi certo posse non videtur e verbo* aderat, *quod est in Vita Latina, nec e verbo* παρῆν *quod lego in nostro exemplari Græco. Nam Latinum* aderat *etiamsi sæpissime alibi significet* præsens aderat; *hic tamen hoc verbo significari potius rem præsentem quam proxime futurum, fateor nihil esse mihi in promptu, unde id decidam.* Nam adesse etiam dicitur quod paulo post futurum est, aut quod adventat. Unde dicimus, Adest Scipio, cum jam in itinere est, vel non longe abest, *uti notatur in Dictionario octolingui Ambrosii Calepini, Lugduni anno* 1647 *edito. Græcum vero* παρῆν *quia non*

AUCTORE J. P.

non tantum significat rem adesse præsentem, sed etiam instare, uti habent Lexica Græca, sive, quod eodem redit, appetere vel prope adesse, ideo candide profiteor, non esse mihi satis exploratum, an sancta nostra Hegumena in ipso festo, an in profesto die Virginis in cœlos assumptæ ultimum vitæ suæ diem clauserit.

Sanctæ synonymæ, Vita Latina cum Græca collata.

9 *Observat Baronius in notis hac die*, aliam fuisse ejusdem nominis clarissimam feminam, quæ Constantinopoli vixit cum S. Matrona; de qua plura in Actis ejusdem Matronæ apud Lipomanum tom. 5: itemque ejusdem nominis aliam, de qua inferius ad septimum Idus Octobris. *Hujus autem nostræ priusquam Vitam Latinam damus, monitum volumus lectorem, cum ea quæ in ipso ejusdem textu uncinis inclusa sunt, tum observationes quæ ad marginem opponuntur, tum denique alia quæ in Annotatis occurrent, eruta esse e nostro Ms. Græco cum eadem Vita collato, quam nunc legendam exhibeo.*

VITA

B

Auctore anonymo synchrono *Apud Surium vulgata, et hic cum textu Græco collata.*

CAPUT I.

Natales, educatio, visio, nuptiæ, vita ascetica, virtutes.

Parentes, patria educatio, visio, conjugium, mariti mors:

Apostoli Pauli præceptum est, ut Sanctorum memoriis communicemus. Eorum vero vitam atque institutionem conscribere, et ea legentibus communem utilitatem proponere, illud certe laudabile est ac salutare. Beatæ igitur feminæ Athanasiæ vitam conscribere conabimur, pauca quædam C eorum, quæ ad illam pertinent, oratione percurrentes, ne temporis diuturnitate res ipsæ oblivioni traditæ plurimis hominibus damnum afferant. Hæc Femina laude digna, et immortalitatis nomine prædita, quæ vitam ipsam bene transegit, Deique universorum Domini optimam ancillam se præbuit, patre Niceta, matre vero Irene orta est, parentibus sane genere præstantibus, et Deum valde timentibus qui domum in insula Ægina *a* possidebant: e quibus genita, et ad vitam humanam promota, utilissimum quoddam sanctissimi Spiritus vas extitit. Illa cum esset annos septem nata, brevi tempore Psalterium edidicit, et divinis literis *b* prompto animo operam navabat. Cum igitur quodam die sederet, et sola telam texeret, vidit stellam quamdam valde splendidam ad suum usque pectus descendere, seque ab illa multum illustrari, ac stellam ipsam postea ex oculis suis evanescere. Ex ea igitur re cum ejus anima multo lumine illustrata esset, omnino vitæ hujus vanitatem odisse cœpit. Cumque sibi proposuisset ad monasticam institutionem se conferre, ejus parentes invitam et nimium recusantem, multam ei violentiam adhibentes, cum viro collocarunt; quocum sexdecim solos dies habitavit, ac repente vidua remansit. Cum enim Maurisii *c* barbari homines in illas regiones irrupissent, atque D Athanasiæ virum ad prælium egressus esset, judiciis illis, quæ Deus novit, factum est, ut gladio interficeretur.

secundæ nuptiæ, eleemosynæ corporales ac spirituales.

2 Cum igitur multum temporis præteriisset, et Athanasia secum ipsa certaret, et ad monasticam vitam mentem dirigeret, regale quoddam edictum *d* repente prolatum est, ut mulieres, quæ nuptæ non erant, seu viduæ, iis viris, qui essent ex natione, collocarentur. Ex eo igitur factum est, ut Athanasia non antea monasticam vitam aggredi posset, quam ejus parentes eam ad alterum virum ducendum impulerint. Quæ res quamvis facta sit, illa tamen, ut consueverat, propriam salutem curabat, Psalmorum cantibus et divinis lectionibus diligenter vacans, neque ullarum bonarum rerum aut studiorum mutationem accipiens; sed mansuetudine ornata, cordis humilitate sanctissime fulgebat, ita ut ab hominibus, qui bonos ipsius mores audivissent, laudatissima illa Femina dilecta valde fuerit. Eleemosynæ vero tantopere studebat ut, quæ domi habebat, quamvis plurima illa essent, ad copiosam tamen manus ipsius distributionem minime sufficerent. Omnes enim monachos, qui E undique peregre veniebant, benigne accipiens, viduis, pupillis et omnibus indigentibus abunde suppeditabat quæ vitæ sunt necessaria. Cum vero aliquando fames esset, omnesque inopia premerentur, illa non solum iis, qui ejusdem fidei homines erant, nutrimenta copiose largiebatur; sed alienis etiam, qui Athingani *e* appellabantur, fame tunc oppressis, et ad eam accedentibus, misericordia commota victum impertiebat. Illud enim Domini præceptum observabat: Estote misericordes, ut Pater vester cælestis, qui facit solem suum oriri super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. Neque solum nutrimenta illis tribuebat, verum etiam vestibus eos fovebat, et aliis donis consolabatur. Dominicis vero et festis diebus vicinas omnes amanter ad se congregans, divina scripta illis legebat, eorum mentem aperiens, et ad Domini timorem ac desiderium divino quodam modo illas erigens.

Marito ejus facto monacho ac mortuo, monialibus ipsa præficitur,

3 Cum igitur in his, quæ Dei sunt, ita proficeret, et virtutibus ipsis, ut campus multis floribus abundaret, conjugi suo persuasit post aliquot annos convictus, quem cum illo habuerat, ut admonitionibus suis cedens, mundo et his omnibus, quæ in eo sunt, renuntiaret, et ad sacram F monachorum institutionem se conferret. In qua cum sancte versatus esset, et in ea excelluisset, postea dormivit in Domino. Beata igitur illa Femina libertatis tempus nacta se totam per omne tempus Deo ipsi dedicavit. Nam cum ei alias mulieres valde religiosas invenisset, quæ et idem propositum habebant, et spiritu ipso ardentes erant, illis concordi animo adhærens, quam primum ex hujus mundi confusione se removit. Cumque omnia, quæ possidebat, pauperibus distribuisset, una cum moribus et mundi habitum mutavit cum illis ipsis honestis *f* mulieribus, quas supra diximus. Itaque cum quodam in loco quietam vitam ducere cœpissent, cujusdam viri sancti et virtute præditi adhortatione, qui et eas totondit, post tres aut quatuor annos Athanasia earum mulierum, quæ cum illa erant, principatum etiam in vita suscepit, prima quidem ab illis nominata, sed omnium novissimam, quod ad mentis sensum pertinet, seipsam existimans, ut illud Domini præceptum servaret: Qui vult in vobis esse primus, sit omnium novissimus et ultimus *g*.

4 Sed

A 4 Sed quænam oratio, aut quæ lingua humilitatis et summissionis, qua Femina illa excellebat, celsitatem explicare posset? Neque enim umquam passa est ab aliqua earum mulierum, quæ cum ipsa erant, ministerium sibi præberi, vel aquam in manus dari per totum vitæ suæ tempus, quemadmodum quæ cum ea vixerant, post sanctum ejus obitum, omnes illius regionis homines de ea re certiores fecerunt *h*. Illa enim se indignam putabat, quæ una cum ipsis versaretur: tantum abest, ut sibi tamquam præsidenti ab illis ministrari vellet. Cum etiam abstinentia multum valeret, paulum panis et aquæ post nonæ horæ tempus gustabat, caseo et pisce omnino abstinens, quæ in solo die festo Paschæ, Deo gratias agens, gustare solita erat. Sanctæ vero Quadragesimæ diebus post biduum sumens cibum, crudis tantum oleribus contenta erat, in illis sanctis diebus omnino potum non gustans. Cumque dormiret, non in latus, sed in unum quemdam lapidem, ad id ipsum accommodatum, sese inclinans, parum somni capiebat. Neque solum in sancta et magna Quadragesima, sed etiam in sanctorum Apostolorum, B et sacratissimi Dei natalis Christi Salvatoris nostri temporibus, eamdem exercitationis et vitæ regulam servabat. Ejus vero stratum ex magnis lapidibus in solo ipso compositum parva quadam et aspera veste desuper tegebatur: quo loco in ipso quietis tempore cubans, lacrymis per singulas noctes, ut Propheta dixit, stratum suum rigabat. Cum enim divinus amor intus abunde ipsam accenderet atque inflammaret, lacrymæ ipsæ tum in Psalmis canendis, tum in precibus ad Deum mittendis ita copiose profundebantur, ut fontem potius vidisses aquis destitutum, quam sanctos et assidue Christum spectantes ejus oculos lacrymarum expertes esse.

Virtutes ejus ac donum lacrymarum ... *recensentur,*

5 Indumentum illi erat interius quidem asperum *i*, ipsius carnem asperitate affligens, exterius vero tegumentum pannis constabat ex ovium lana contextis. At interior illa vestis ignota erat; exterior autem corpus contegens, ab hominibus cernebatur *k*. Ad hæc, vigilabat se colligens, et Davidis Psalmos meditans, singulisque sessionibus *l* orationem animo valde sobrio atque attento ad Deum fundens. Die autem modo secum, modo cum aliis, quæ cum illa erant, Psalmo- C rum versus recitans, dabat operam, ne ullo tempore aut hora ejus os aut mens a Dei gloria celebranda vacaret, ut sacrorum carminum author David cecinit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Ex quo autem die monasticam vitam Femina illa ingressa est, ad illud usque tempus, quo ad Deum migravit, nullos omnino fructus degustavit. Cumque multas ærumnas pateretur, et sororibus præesset, earumque curam haberet, ob animi submissionem, qua excellebat, nulli umquam increpationem adhibuit, neque contumeliosum aliquid ex ejus ore honestissimo *, ne adversus minimum quidem aliquem aut magnum, servum aut liberum hominem profectum est: præsertim cum sæpius audiret, diabolica tentatione illa omnia se facere. Omnes igitur mansueto animo, et recto corde perferebat, ad futuram illam mercedem semper animum attentum habens.

* Græc. τιμίου honorabili

6 Cum vero quatuor anni præteriissent, iis, quæ cum illa erant, persuasit, ut e loco, in quo manebant, exurgerent, et ad privatum et omnino remotum montem secederent, in quo possent solitariam vitam degentes Deo ipsi operam dare, et ab omni humana consuetudine separari. Cum igitur quæcumque ad proprios usus possidebant, ea omnia pauperibus distribuissent, ardenti animo ad id, quod sibi proposuerant, se præparabant. Adierunt igitur virum quemdam virtute præditum, et Dei amantissimum, Matthiam nomine, presbyterii honore decoratum, et eorum, qui se in vita monastica exercebant, ovili præsidentem. Ille cum vitæ honestæ esset studiosus, et earum mentis ardentem affectum vidisset, beatæ Athanasiæ dixit: Tuum quidem et earum, quæ tecum sunt, bonum est et valde laudabile propositum; sed quoniam vos video ita exercitatione afflictas, ut infirmissimæ sitis, moneo ne * durissimis vitæ legibus vos ipsas tradatis. Itaque si meum consilium suscipitis, vos in quemdam locum perducam, in quo poteritis ita, ut decet, versantes, bene vobis ipsis consulere. Habebitis etiam me infirmitati vestræ opitulantem, vobisque toto animo et omnibus viribus ea, quibus indigetis, ministrantem. Hæc cum dixisset, sanctæ Mulieri, et iis, quæ cum illa erant, persuasit, ut eum promptissimo animo sequerentur. Cum vero prope locum accessissent, eum beata illa Mulier contemplata, valde hilaris cœpit dicere: E Hunc ego locum jam pridem mentis lumine contemplabar, et, ut opinor, hic in posterum vivemus, vitæque finem excipiemus.

Locum quærit solitarium, ut melius Deo serviat,

* Græca addunt οὕτω, sic

7 Erat in loco illo sanctum protomartyris Stephani templum, tum gloria tum vetustate clarissimum. Beatus igitur ille Matthias, nutu ejus episcopi, qui regioni præsidebat, illic mulieres illas collocavit, omnemque curam eis adhibuit. Insuper virtutis exercitationi valde studebat, continentiæ, inquam, et vigiliis multis, cum per totam noctem et Psalterium recitaret, et preces quamplurimas ad Deum funderet, dormiensque non supra latus, sed sedens, somnum, quantum satis esset, caperet. Tanta etiam erat illius viri compunctio, tum in Psalmis canendis, tum in offerendo divino et incruento Sacrificio, ut, qui eum videbant, multam ex ea re utilitatem perciperent. Veste autem aspera contentus erat: quam cum unicam ferret, carnem ipsam horribiliter domabat. Cum vero Joannis Apostoli, qui recubuit super pectus Domini, esset valde studiosus, et ejus die festo ac memoria instante, incruenti Sacrificii ministerium celebraturus esset, maxima compunctione affectus, uni ex iis, qui præsen- F tes erant, Num, inquit, aliquis est dignus hodierno die, qui Ephesum proficiscatur, et sanctum Apostolum Joannem contempletur? Cumque hæc dixisset, fontes lacrymarum ex oculis emittens, gemitum e corde proferebat. Res igitur oblata est * ejus fide et in discipulum Domini charitate digna. Nam ab initio sacræ illius mysteriorum celebrationis, quoad res divina completa est, sanctissimum Apostolum Joannem in ara illa sancta secum una stantem videbat, neque solus ipse eum cernebat, sed duo etiam alii, qui una præsentes erant, cum incruentum Sacrificium celebratur. Ad tertium igitur usque diem permansit, ita compunctione illa se oblectans, ut humani cibi particeps fieri non posset.

quem ei procurat B. Mathias monachus; cui apparet S. Joannes Ap.

* Græc. γίνεται fit vel accidit

8 Ad hunc beatum Matthiam accessit homo quidam, totius corporis compages remissas et dissolutas habens: cujus misericordia commotus vir ille *, chlamyde, qua indutus erat, se ipsum exuit, et in ejus humeros eam imposuit. Quo facto, ejus compages cum stridorem magnum emisissent, statim homo ille sanus factus est. Cuidam vero alii faciem habenti, diabolo auctore, perversam, honoratæ manus suæ signaculo curationem

Sanctitate vitæ et miraculis insigni.

* Gr. ὁ Ὅσιος, Sanctus

A. ANONYMO. nem attulit. Quin etiam vetulæ mulieri, impuro spiritu detentæ, et ad beatum illum virum Matthiam accedenti, illius precantis perseverantia factum est, ut Deus ipse paucis diebus sanitatem conferret. Alia quædam mulier habitu monastico induta impuro spiritu vexabatur, et ad monasterium accessit. Cum igitur [Sanctus] ille ingressus, eam solam vidisset in ecclesia pravo spiritu laborantem, misericordia commotus in cælum manus erexit: cumque, quantum satis esset, oravisset, et ad eam conversus esset, ter Crucis signaculum ipsi adhibuit. Quo facto, pravus ille dæmon aufugit, et femina illa sana deinceps permansit. Hæc nos perstrinximus, ut vitæ, quem vir ille tenebat, præstantiam declararemus, et signorum gratiam a Deo illi concessam omnibus manifestam faceremus.

Eo defuncto Ignatius presb. monialos Sanctæ dirigit: m

9 Sed [hei mihi!] nescio quomodo factum sit, ut cum sanctus ille homo et Deo ipsi dicatus navem conscendisset, et ad regiam ac magnam urbem m navigaret, judiciis illis, quæ solus Deus novit, acciderit, ut una cum sociis navigationis fluctibus marinis suffocaretur. Quamobrem et illius sancti corporis expertes facti sumus, neque B sacras illas et beatas reliquias repositas habemus, quæ nos maxime juvare possent. Omnino enim Sanctus quemadmodum, cum in corpore erat, curationes abunde conferebat, multo magis, postquam excessit, his qui ejus reliquias attigissent, easdem afferre posset. Hujus ministerio alius quidam presbyter successit, eunuchus natura, qui vocabatur Ignatius. Ille cum iisdem moribus, quibus et is, quem supra diximus, excelleret, sancte admodum et Domino Deo gratus migravit *: cujus sepulcrum fulgoribus quibusdam dæmonum turmas prosternit, et curationes affert. Sed ad narrationis ordinem revertamur, sanctæ matris nostræ Athanasiæ facta perstringentes.

* Gr. ἐν Κυρίῳ κεκοίμηται, in Domino obdormivit:

ANNOTATA.

a Ægina insula *pluribus describitur in Commentario prævio num* 1.

b *Exemplar nostrum Græcum Vitæ habet* : Καὶ πάσαις ταῖς ἁγίαις γραφαῖς *Id est* : Et omnibus sacris Scripturis.

c *Scribendum* Maurusii *ex textu Græco, qui* C *exstat* Μαυρουσίων ; *Latinis autem sunt Mauri. Strabo lib.* 17 *pag.* 825 *editionis Parisiensis anni* 1620, *de Lybia seu Africa agens*, a Græcis, *ait*, Maurusii appellantur... Romani et indigenæ Mauros vocant. *Plura habet Cellarius lib.* 4 *Notitiarum orbis antiqui cap.* 7 *in Mauritania Tingitana.*

d *Quando, a quo, et qua occasione decretum illud fuerit latum, hactenus non reperi.*

e *De iis Commentarius num.* 6 *et* 7.

f *In Græco est* τιμίαις *id est*, honore dignis.

g *Bis dicitur idem. In Græco habetur* πάντων ἔσχατος καὶ πάντων διάκονος Omnium novissimus et omnium ministrator.

h *Græcum exemplar sic legit* : Καθῶς αἱ συν αὐτῇ πᾶσαι ἀλλήλας μετὰ τὸν ἁγίαν αὐτῆς κοίμησιν διερευνήσασαι, πάντας ἐβεβαιώσαντο. *Id est* : Sicut omnes, quæ cum ea vixerant, postquam rem inter se inquisivissent post sanctum ipsius obitum, omnibus confirmarunt.

i *In dicto exemplari est* τρίχινον : *cujus substantivum est* τριχίνιον, *quod significat vestem e pilis confectam.*

k *Ibidem tantum sunt ista* : Καὶ τὸ ἱερὸν αὐτῆς ἐπικαλύπτον σωμάτιον. Et quod sacrum ejus corpusculum contegebat. D

l *In Græco dicitur* καθ' ἕνα τῶν καθισμάτων. *Apud Goarum in Euchologio sive Rituali Græcorum pag.* 34 *inter ea quæ observantur in notis ad ordinem sacri ministerii, dicuntur ista* : Rarissime et fere numquam iu ecclesia sedent Græci.... Habent nihilominus tempus aliquod sedendo permissum, καθίσματος verbo significatum: quo, ubi de Psalmis, iutelligitur ea Psalterii pars quæ sedendo dicitur: ubi de Canticis, illud etiam est quod, ut cantoribus levamen concedatur, sedendo persolvitur. *Videri etiam ibidem possunt notæ in sancti olei Officium pag.* 435. *Porro voci, de qua hic agimus, alia insuper significatio subest; nam* καθίσματα vocautur divisiones seu sectioues totius Psalterii, eaque numero viginti, *sicut invenies in Glossario Græco-barbaro Cangii, quæ etiam enumerat.*

m *In Græco dicitur* μεγαλόπολιν. *Sic appellatam Romam, Alexandriam, Thessalonicam, et Antiochiam; sed præsertim apud scriptores Byzantinos ita dici Constantinopolim, videre datur in eodem Glossario Græco-barbaro. Hoc autem loco indicari Constantinopolim, eruo ex eo, quod apponatur in Vita* τὴν βασιλίδα, *quæ vox urbem regiam seu imperatoriam indicat.* E

CAPUT II.

Favores cælestes, templorum ædificatio, mors, apparitio, miracula, fides auctoris Vitæ.

cujus mansuetudo et humilitas cælesti apparitione honorantur.

Hæc igitur beata Femina cum multam, ut diximus, humilitatem, magnamque et singularem mansuetudinem in se haberet, sæpe Deum precans, atque in cælum intuens, stupore atque excessu quodam * implebatur: nubem autem * lucidam solis radios emittentem videbat, et in ejus medio virum speciosum, formaque ita effulgentem, ut ejus species singularis existeret. Cumque hoc sæpe vidisset, et ejus viri adspectum obstupesceret, secum ipsa dicebat: Ecquisnam virum hunc tam multo decore atque ornatu replevit? Et quænam virtus ita splendidum ac speciosum effecit? Cum hæc cogitaret ac diceret, sibi F visa est vocem hanc audire: Virum hunc, cujus speciem tu admiraris, humilitas et mansuetudo ita splendidum reddiderunt: quæ cum et ipsa mirum in modum imiteris, te quoque illustrem futuram manifesto scias. Quotidie igitur hæc contemplans ita duabus virtutibus se ornavit, ut in illa iræ aut superbiæ ne vestigium quidem ullum appareret. Quæ vero ad earum virtutum celsitatem ascenderat, quæque cælestem visionem puro cordis lumine inspexerat, mirum non est, si admirabilibus signis Deus eam ornavit.

* Gr. καὶ δαίματος, et pavore
* Gr. γὰρ enim

Cæcum sanat, templa, condit: CPoli, quo iverat, visione revocatur.

11 Etenim cum quodam die ipsa sederet, et Deo operam daret, ad eam venit homo quidam oculos multum dolens eamque rogans, ut pro ipso Deum precaretur. Illa vero humilitatem suam ostendens, quasi eum consolaretur, Et mihi, inquit, hujusmodi morbus molestiam attulit: feras igitur, et Dominus te curare poterit. Ille vero cum nequaquam discederet, sed curationis se compotem fieri cum fide multa postularet, beata illa Mulier manum suam super ipsius oculos imponens, Ille, inquit, Christus, qui cæcum natum curavit, det tibi, frater, perfectam istius morbi curationem.

A. ANONYMO.

A curationem. Hæc cum ille audisset, et firma fide accepisset, statim illo ipso tempore optatam sanitatem assecutus est. Postea vero quam Athanasia prope templum illud protomartyris Stephani supradictum alia tria templa ædificavit, celeberrimæ Dominæ nostræ et Dei Genetricis Mariæ, Joannis Præcursoris, et Nicolai illius divini præconis, necessitate postulante, ad regiam urbem profecta fuit, ibique in monasterio sex vel septem annos morata est. Quod moleste ferens, Exul, inquit, facta sum e templo illius, quæ Deum peperit: quo derelicto, en hic moror. Cum igitur divina quædam visio illi oblata esset, ansa est iis, quæ cum illa versabantur, dicere: Tempus jam instat, ut ad eum locum abeamus, ubi olim nos sedebamus. Vidi enim in mentis excessu templi Dominæ et sanctissimæ Mariæ, quæ Deum genuit, fores patefactas, nosque illuc introire jussas. Cumque hæc dixisset, ex urbe illa regia migravit, et Dei vere pretiosum illud vas ad desideratum locum venit, qui vocatur Timia, nomine ipso ab honore deducto; decebat enim honestum locum illum ejus præsentia honorari, B et appellationem veram ac factis ipsis comprobatam habere *a*, ut a quadam perspicacissimo viro ac patre multis annis antea prævisum fuerat. Hic, quem dixi, Joannicius *b* fuit ille laudatus et insiguis vir, cujus gloria per totum orbem terrarum celebratur. Hic, inquam, divinus vir, cum per eum locum transiret, prophetico spiritu pronuntiavit, decere *, locum illum honorari quorumdam sanctorum corporum collocatione. Id quod postea factum fuit.

a

b

** Græc. δεῖ, oportet*

12 Cum igitur beata Mulier eo pervenisset, et paucos quosdam dies illic vixisset, gravissimo quodam morbo correpta est, et duodecim diebus, antequam e vita discederet, de ea re mysterio quodam edocta fuit. Vidit enim viros duos, albis vestibus indutos, ad se venientes, et paginam quamdam ei tradentes, in qua hæc scripta erant: En libertas tua hæc est: sume hanc, et lætare. Beata vero Mulier cum ad se rediisset, et unam e sororibus ad se vocasset, singulatim ei omnia narravit. Totis igitur illis duodecim diebus mansit assidue contemplationi dans operam, neque cibi neque potus particeps fiebat, nihilque aliud, nisi hoc dicebat; Psallite, sorores meæ, psallite, et C Deum assidue laudate, ut propitius sit peccatis nostris. Cum igitur duodecimus dies venisset, sancta Mulier alias, quæ cum illa erant, affata, Succurrite, inquit, quæso infirmitati meæ, et in ædem sacram ingressæ, versus *c*, qui mihi dicendi essent, vos Deo reddite: non enim possum amplius Psalterium complere, cum omnino vis mea deficiat. Illæ vero cum clamore et lacrymis respondentes, Ad quemnam, inquiunt, Psalmum ipsa * pervenisti, et undenam, quod reliquum est, nos incipiemus? Illa sensim respondens, Nonagesimum, inquit, psalmum in ore habeo: sed infirmior facta ulterius progredi non possum. Illæ cum hæc audivissent, ad ædem sacram ingressæ, reliquos Psalmos compleverunt. Cumque exiissent, in faciem ceciderunt, et ululatum magnum emittentes, sibi preces a sancta Muliere impartiri postularunt. Illa vero omnibus quidem pariter bene precata est: Marinam autem et Euphrasiam ulnis suis honoratis amplexa, En, inquit, sorores meæ dilectæ, ex hoc ipso die a nobis * separamur; sed in futuro illo seculo rursus nos Deus conjunget: det autem vobis pacem, charitatem et concordiam, et impleat vos omnibus bonis suis. Hæc et alia cum dixisset, ejus facies instar luminis effulsit, ita ut qui ad eam videndam eo venerant, admiratione et stupore afficerentur.

Cælitus de morte præmonita radiis fulget,

c

** Gr. κυρία ἡμῶν, domina nostra*

** Gr. ἀλλήλων mutuo*

13 Quoniam vero dies festus aderat quo sanctissimæ Dei Genitricis Assumptio * celebratur, omnes sic admonens, Videte, inquit, ne quid eorum quæ ad diem festum pertinent, infectum prætermittatis. Itaque et Psalmorum ordinem, et ministerium in ipsos egentes pro viribus diligenter exequamini: deinde post divinum rei sacræ ministerium humile hoc corpus meum terræ mandetis. Hæc cum præcepisset, et duas sorores, quas supra diximus, amplexata esset, in pace dormivit ac requievit, ita ut qui eam viderunt, communi somno requievisse crederent: nam ore atque oculis * clausis, minime illi opus fuit, qui hæc honeste componeret. At sorores, ad sanctas ejus reliquias se abjicientes, et suam orbitatem deplorantes, Quonam, inquiunt, nunc abiisti, Mater nostra sancta, et immortalitatis cognomen habens *d*? Quomodo nos ita orbas dereliquisti, e nostro conspectu evanescens? Ubinam posthac angelicam faciem tuam adspiciemus? Ubi vocem illam tuam audiemus, qua nostra corda exhilarentur, et ad bonorum operum studia excitentur? Ex- E tinctum est nostræ spei fomentum. Tu nunc dormis, et nos in segnitia velut mortuæ jacemus. Non amplius te nobiscum una versantem habebimus: elegit enim te Dominus, et ad mansiones illas æternas vocavit.

ac placidissime migrat ad Dominum,

** Gr. κοιμήσεως ἑορτή, dormitionis festum*

** Gr. additur εὐφυῶς facile, leniter, placide*

d

14 Cum hæc et his similia lamentatæ fuissent, et consuetum Officii canonem *e* in ea complevissent, post mysteriorum tempus, sacrum illud corpus in loculo repositum, in terra congruenter condiderunt. Quæ vero mulier in ejus locum successit, prope sepulcrum permanens, neque nocte neque die illic discedebat, lachrymans, et beata illa Femina se orbatam lugens. Cui Athanasia in somnis apparens, Esto, inquit, bono animo, et certo fore scito, ut, completis quadraginta diebus post meum obitum, recipiam quod a Deo ipso receptura sum. Hæc igitur cum in somnis vidisset, experrecta dubitabat, quidnam hoc visum, et sanctæ Mulieris verbum significaret. Cumque quadragesimus dies venisset, quæque sorores monasterium habitabant id oblitæ (ut sæpe usu evenire solet) post duos dies illum quadragesimum diem futurum existimarent, ejus diei vespere sorori, quæ supradicta est, Athana- F sia, beata illa femina, se offerens, Cur, inquit, ita quadragesimos dies meos neglexisti, neque quæ ad pauperum distributionem, neque ea, quæ ad amicos benigne accipiendos pertinent, præparasti? Hoc viso illa perculsa, et ad se rediens, ac diligenter dies numerans, cognovit tempus illud vesperam esse quadragesimi diei, quo sacra Psalmorum cantio celebrari deberet. Cum igitur dies illuxisset, et divinum Officium celebrari cœpisset, duæ, quæ illius sacri et monastici chori principem locum tenebant, quarumque cordis oculos Deus aperuerat, ut horribile illud visum animadverterent, duos quosdam viros contemplatæ sunt specie terribiles, habitu effulgentes, et beatam Athanasiam mediam habentes: quam cum duxissent, et ante sacram aram constituissent, purpuramque pretiosis lapidibus ac margaritis ornatam protulissent, regali habitu eam induerunt, et corona, crucem et ante et retro habente, caput ejus cinxerunt: cumque virgam gemmis ornatam in manus ei dedissent, eam ad divinam aram perduxerunt. Hæc igitur visio cum quadragesimo die contigisset, loculus, in quo sanctæ Mulieris reliquiæ infra terram jacebant, stridorem emittere cœpit,

et post dies 40 apparet in gloria.

e

A. ANONYMO.

cœpit, idque assidue per totum anni tempus faciebat.

Sanat dæmoniacum, corpus habet incorruptum, renuit vestem pretiosam.

* Gr. πανσεβάσμιος, omni veneratione dignus

15 Cum vero anniversarius * dies, quo sancta illa Mulier obierat, jam venisset, ecce, viri duo adstiterunt, et cum ipsis misera quædam mulier, pravis spiritibus vexata: qui spiritus supra sanctæ illius Mulieris reliquias debacchantes, redarguti sunt. Manibus igitur tegumentum illud, quod supra sanctæ Athanasiæ reliquias impositum fuerat, amoventes, arcam e monumento extraxerunt. Quo facto, mulier illa spiritu malo agitata, curationis statim compos facta est. Sacri vero illi viri arcam illam inspicientes, eam viderunt undique suavissimi odoris unguento diffluentem. Cum igitur diligenter eam patefecissent, Athanasiam invenerunt ita decore positam, ut recens mortua fuisse videretur: nam et ejus oculi luminis speciem præ se ferebant, et labra [ejus sancta] et totum illud beatum corpus sanum, integrum et intactum videbatur, teneris adhuc carnibus, et manibus in rectum protensis, neque alia ex parte [ad motum] impeditis. Cum illud igitur venerati essent, et lacrymas [ubertim] B effudissent, arcam munierunt, et in omnium conspectu ponendam esse, sancte * judicarunt. Postea vero quam in aliam arcam translata fuit in qua et nunc [sancte] Beata illa reposita est, monachæ ipsæ veste priore illam exuentes, alia quadam sericis filis contexta et colore cæruleo *f* eam induere cupiebant: sed minime Athanasia sancta eis obtemperabat, manus ipsas tenens pectori adhærentes, et vestem illam [omnino] renuens. Una igitur e [sacro] choro illo, quæ omnibus virtutibus effulgebat, et sancti Spiritus vas quoddam erat valde pretiosum, flexis genibus sic eam precata est: Quemadmodum quo tempore nobiscum versabaris, obedientiam [domina] sine aliquo discrimine præstitisti, ita et nunc libenter nobis obedire velis, et humilem tunicam tibi oblatam te indui patiaris *. Hæc illa cum perinde ac si viveret, audivisset, manus statim relaxavit, et tunicam, quam diximus, accepit, ac deinde ad sanctam illam arcam se reclinavit.

* Gr. ἀιδίως, recte

f

* Gr. περιβαλοῦ assume, induc,

Puella ac puer a dæmone, servus ab hydrope liberati

16 Operæ pretium vero est pauca quædam, quæ postea facta sunt, miracula commemorare, et ita orationi finem imponere. Cum non multi dies præteriissent, puella quædam, annos fere duodecim nata, impuro spiritu detenta, eadem et spumam emittens, ad sacræ Mulieris sepulchrum C adducta est: cumque illic quadraginta dies permansisset, divina ope adjuta, sana rediit.

Alius quidam puer, annos fere octo natus, in manu ipsa dæmonem habebat. Hunc ut passerem quemdam nigrum ad manum suam venientem, et illic sedentem videbat, a quo et manus ipsa commovebatur. Quare miserabiliter afflictus puer ille, cum totos septem dies apud divinas sanctæ Mulieris reliquias permansisset, sanctissimi Spiritus ope curatus est.

* Gr. Ἀνὴρ vir

Alius * quidam conditione servus, fide vero liber, occulto dæmone vexatus, et insuper aqua intercute totum corpus instar utris tumefactum habens, ad monasterium illud venit, et sanitatis compos fieri supplex postulabat. Illi ergo beata Athanasia in somnis apparens, Expecta, inquit, frater, paululum, et ego tibi, divina ope adjuvante, curationem afferam: partem enim quamdam mei corporis ad te mittam, qua morbo isto [qui te tenet undique, omnino] liberaberis. Audivit hæc vir ille, et fuit bono animo, et post mensem unum nocte quadam in mentis stuporem incidens, seipsum vidit undique a templi tecto aqua defluente madefieri, et, omnibus candelis ex- D tinctis, ad sanctas beatæ Mulieris reliquias confugere, stridoreque magno ex arcula emisso, vocem ad se venientem audire sibi videbatur, quæ ita diceret: Aperi cito os tuum, aperi. Quod cum ille fecisset, hilaris, quod missum fuit, excepit, simulque sanitatem recuperavit. Cum vero dies illuxisset, omnibus, quæ in monasterio erant, curationem suam clara voce prædicabat. Cumque omnes concursu magno illuc venissent, et causam ejus rei ediscere cupivissent, tum ille donum, quod acceperat, e sinu protulit, unguem videlicet magni digiti e sanctæ Mulieris pede missum, ac parvo quodam panno involutum. Abiit igitur vir ille sanus, divinam gratiam, et sanctæ Mulieris gloriam * celebrans.

* Gr. θαύματα, miracula

Alia mala

17 Aliquando cum ejus sancta memoria celebraretur, et multus populi concursus factus esset, mulier quædam, nomine Theodota, manum arefactam habens, curationem assequi supplex poscebat. Una igitur e sororibus, cum eam apprehendisset, et maxillæ sanctæ Mulieris, quæ in arca erat, admovisset sanam atque integram Dei ope illine extulit. E

Alia vero quædam mulier cum occulto spiritu vexaretur, et multos dies illic permansisset, re infecta ac tristis domum suam reversa est. Vidit autem sanctam Feminam [in somnis] talia sibi dicentem: Tu fraudem viro tuo fecisti, et animam tuam in gravem mortem injecisti. Vade igitur, et erratum tuum proferas, et ego mali dæmonis vexatione te liberabo. Hæc cum mulier audivisset, et ea, quæ audiverat, fecisset, divina ope adjuta, sanata est.

Alia quædam mulier infantem puerum mammam sugentem ferens, cui tum dexter oculus extinctus, tum manus et pes torpens, et motionis expers erat, ad Sanctæ illius sanitatis datricem arcam eum adduxit *. Post paucos vero dies illum sanum receptum in propriam domum gaudeus retulit.

* Gr. ἀπέρριψε, abjecit

18 Alia quædam tam male oculorum morbo *g* laborans, ut ei tamquam poma aliqua oculi penderent, ad ejus arcam accessit, et, capite supra sanctas reliquias imposito, sanitatem assequi precibus postulabat. Cum igitur duobus aut tribus diebus permansisset, Dei ope adjuvante, sana facta est, ejus oculis ad priorem statum restitutis.

g S. Athanasiæ patrocinio sospitata.

Puer vero duodecim fere annos natus, cum ma- F nus et pedes torpentes haberet, ad ejus sepulcrum accessit. Cumque nondum pauci dies præteriissent, divina visione puer ille dignus factus, et propriis pedibus inambulans, domum suam reversus est: quod miraculum per beatam Mulierem editum omnes obstupescebant.

Collum puellæ cujusdam, quæ Maria vocabatur, et in monasterio habitabat, gravi morbo laborabat. Cui beata Athanasia in somnis apparens, Asperam, inquit, tunicam meam accipias, et morbo admoveas. Id cum illa e somno excitata fecisset, statim curationem ipsam admirabiliter assecuta est.

Marina vero, cujus supra mentio facta est, multo tempore gravi morbo ex ventre laboraverat. Cum igitur lauri folium sumpsisset ex iis, quæ tunc super arcam illam posita erant, et supra morbi locum tribus diebus reliquisset, perfectam sanitatem accepit.

Fides hujus historiæ.

20 Hæc, quantum vobis religiosis monumentum esse possiut, mediocriter a nobis dicta sunt. Singulatim enim omnia persequi, non solum supra vires meas est, sed neque iis facile erit, qui et

A. Anonymo.

A et vita meliore sunt, quam ego, et orationem vitæ parem habent. Ego vero cum ingenio sim valde tenui, et sublimoris orationis omnino expers, provinciam hanc suscepi, non vana secutus figmenta, sed quæ tum ipse propriis oculis vidi, tum a sanctis mulieribus, cum hæc dicerent *h*, audivi, e quibus fuit et felicissima Mater nostra. Quæ omnes cum per totam vitam rebus gestis excelluerit, et Athanasiæ beatæ mulieris facta cuncta bene noverint, illis ego credidi. Earum autem vitam, et optimam maximæque utilitatis conciliatricem institutionem, aliis suo tempore scribendam prætermittamus.

Apostrophe ad Sanctam.

21 Tu vero Beata et immortalitatis appellatione prædita, divinorumque angelorum contubernalis Athanasia, quæ propter Christum bene paupertatem exercuisti, et divinis muneribus dives facta es: quæ assidue lugens, consolationem istam tibi comparasti, et mansuetudine oblectata mansuetorum terram recepisti, et in fame et siti vitam ducens, perennes delicias invenisti, misericordemque animam habens, a Deo ipso misericordiam magnopere B consecuta es: tu, quæ corde puro splendorem sancti Spiritus excipiens, et in animo pacem habens, ejusdem sancti Spiritus diversorium, et, ut summatim dicam, omnium bonorum thesaurus, ob idque maximo lumine digna facta es, cum Sanctorum turmis simul versans, et cum justorum choreis hilaris una chorum ducens; sis nostri memor, qui factis tuis lætamur *i*: cura sororum gregem, quem propriis laboribus congregasti: respice vitam nostram, multis hujus mundi fluctuationibus *k* agitatam, ut per tuas preces sancte viventes, et laqueis diaboli fortiores redditi, tecum una sempiternis bonis digni efficiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul cum sancto Spiritu sit gloria, honor et adoratio nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Exemplar Græcum sic habet*: Πρὸς δὲ τὰ Τίμια, οὕτω γὲ ὁ τόπος ὠνόμασται, τὸ ὄντως τοῦ Θεοῦ τίμιον σκεῦος ἀφήκετο. Ἔδει γὲ ἔδει δι᾽ αὐτῆς τιμηθῆναι τὰ Τίμια, καὶ τὴν κλῆσιν τοῖς πράγμασιν ἔχειν ἐπαληθεύουσαν. *Quæ ita interpretor*: Ad Timia autem (hoc quippe nomen loco fuit inditum) *Sancta*, honorabile revera vas Dei, pervenit. Oportebat enim, oportebat, ut ab ipsa honorem acciperent Timia, nomenque haberent rebus vere congruum. *Vides allusionem ad nomen proprium loci* τὰ Τίμια *et ad adjectivum synonymum. Est autem adjectivum* ὁ καὶ ἡ τίμιος, honorabilis, in pretio habendus *etc. Proprium itaque* τὰ Τίμια *quasi dicas loca honore ac pretio digna.*

b *De hoc Sancto dictum in Comm. prævio num.* 4; *e cujus tempore fixa ibidem est ætas, qua* S. Athanasia *floruit.*

c *In Græco est* στιχολογίαν, *id est*, Psalmorum secundum singulos στίχους seu versus recitationem seu decantionem, quæ fit in ecclesia, *uti exponit Cangius in Glossario Græco-barbaro, apud quem etiam reperies discrimen inter* στίχους *et* στιχηρόν. *Consuli etiam potest Goarus supra assignatus pag.* 30, 32, 206.

d *In Græco est* τῆς ἀθανασίας ἐπώνυμε *quod est hic*, quæ immortalitatis aptum conveniensque E nomen sortita es. *Vide Commentarium prævium num.* 2.

e Κανὼν ἀναπαύσιμος εἰς κοιμηθείσας γυναῖκας. Canon funereus pro mulieribus defunctis *exstat apud Goarum pag* 588.

f *Græcum exemplar ponit* φαιῷ *id est*, fusco, pullo, μυίνῳ mustellino, qui medio est inter candidum et nigrum colore, et ex albo et nigro colore commixtus est. *Vide Lexica: in quibus etiam invenies colorem cæruleum dici* κυάνεον.

g *Græca dicunt* φλεγμονήν, inflammationem: *de qua agit Gorræus in Definitionibus medicis Francofurti excusis anno* 1601, *pag.* 493.

h *Græce ea sic expressit auctor* ἀληθείας λόγον ἐρευγομέναις veritatis sermonem eructantibus.

i *Græce* τῶν ἐπὶ σοὶ καταχαλλυνομένων quæ in te ornamur.

k *Gr.* τρικυμίαις procellis maximis et tempestatibus; *quasi dicas* TRINIS FLUCTIBUS, *ut Latine dicitur* fluctibus decumanis.

C

DE B. ALBERTO EP. FERRARIENSI

F

IN ITALIA

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Beati cultus et reliquiæ.

Anno MCCLXXIV. Cultum ejus publicum,

Quæ de B. Alberti, *episcopi primum Placentini, deinde Ferrariensis, inventione dicta sunt in hoc Opere ad diem* VII *Maii occasione S. Maurelii episcopi, martyris, et Ferrariensium patroni, plus quam sufficere videntur ad cultus ejus antiquitatem legitimam confirmandam. Constat enim inde, corpus ejus inventum fuisse una cum corpore S. Maurelii eodem anno* 1419, *eodem die ac mense* VII *Maii, in eadem ecclesia S. Georgii prope Ferrariam, in eadem crypta seu sacello subterraneo sub ara majore, in eodem tumulo; sed in theca separata, simili tamen Maurelianæ, hoc est plumbea, unam ulnam longa, et his verbis inscripta*: Hic est corpus, sive ossa beati Alberti episcopi Ferrariensis et confessoris. *Constat, eidem inventioni assistentes Petrum Boiardum episcopum Ferrariensem, Nicolaum marchionem Atestinum, cum amplissimo tam cleri quam nobilium comitatu, statim in genua provolutos honorasse reliquias; tum peractis debitis cæremoniis, capsam utramque sigillatim, hoc est unam post aliam, sustulisse ex crypta ad altare majus, et ad geminam translationem idem hoc elogium magna psallentium voce iteratum fuisse*: Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus: *dein continuo ad re-*positas

AUCTORE P. B.

positas in altari capsas ambas sacrum Missæ officium solennissime celebratum a reverendissimo domino episcopo fuisse. Quis hic non agnoscat cultum B. Alberti *publicum, non præsentem tunc modo, sed etiam diu præteritum?*

cujus primordia referenda videntur

2 *Quid enim capsula plumbea unius ulnæ, quæ certissime defuncti primum corporis capax esse non potuit, at potuit resoluti, refossi et loti; quid inscriptio* Beati Alberti *significant, nisi præteritam diu corporis ejus aut ossium elevationem? Quid item inventio ejusdem capsulæ juxta similem S. Maurelii capsulam intra tumulum eumdem positæ in sacello, tum quidem neglecto ac deserto, sed olim publico, et eo recurrentium supplicationibus frequentato, indicare potuit evidentius, quam publicam istic aliquando fuisse non minus* B. Alberti, *quam S. Maurelii venerationem? Enimvero si dubitare de hac re potuissent qui inventionem hanc apparatu tanto pompaque illustrabant, numquam in ea parem utriusque Sancti reliquiis tam conjunctis quam separatis cultum aut exhibuissent ipsi, aut ab alio quocumque palam exhiberi permisissent. Præcesserat* B *ergo jam diu manifesta erga beatum hunc Antistitem religio ætatem ante assignatam inventarum ejus reliquiarum: quamquam alioquin ætas hæc ipsa ad cultus immemorabilis probationem abunde sola sufficiat.*

versus initium seculi 14,

3 *Diu, inquam, hanc illa præcesserat: quod vel ex eo colligimus, quod monachi Olivetani, teste Bonaverto in Vita Italica S. Maurelii pag.* 52, *tempus ignorent, quo jam dicta corpora ambabus illis hierothecis excepta, et in oratorium istud subterraneum intra sepulcrum commune reposita fuerint: etsi enim alium hujus ignorantiæ causam non obtendat ibidem laudatus auctor, quam quod ecclesia illa instaurata sæpius fuerit et a diversis possessa rectoribus, antequam per Joannem PP. XXIII, anno Pontificatus ejus quinto, Christi* 1411, *Montis Oliveti monachis obvenit; facile tamen quilibet intelligit, præcipuam ejus causam fuisse rei gestæ antiquitatem, quæ nimirum seculo* XV *non modo testem illius nullum superstitem; sed ne memoriam quidem reliquerit. Itaque Papebrochius in Maurelio num.* 29 *non temere suspicatus est, factum hoc,* eodem forsitan XIII, quo obiit B. Albertus, seculo *conti-* C *gisse. Favet sane generalis illa omnium, cum vita decessit, sanctitatis ejus opinio, duplici, ut infra narrabitur, in ipsis ejus exsequiis miraculo confirmata.*

auxit inventio corporis ejus anno 1419,

4 *Priorem vero cultum illum illustravit mirifice solennitas illa, qua diximus anno* 1419 *inventum ac translatum ejus corpus fuisse una cum corpore S. Maurelii: hæc namque Deo quantum cordi fuerit, plurima continuo prodigia declararunt, de quibus ita Papebrochius loco citato, num.* 13 *et sequente:* Vulgatus quaquaversum rumor inventionis prædictæ brevi tantam excivit hominum multitudinem, adorare, videre, tangere cupientium, ut discrimen considerantes monachi, ne minime pares sustinendæ multitudini, haud satis arcere a sacro thesauro possent pie rapaces manus, ipsum recluserint in quoddam archivium intra sacristiam, donec novum sepulcrum fabricaretur. Verum increbrescente in vulgus rumore, quod sancta corpora aliorsum auferre molirentur Patres, parum abfuit, quin impetu facto effringerent ostium sacristiæ. Quare curatum celeriter est, ut altare ligneum, instar arcæ majoris, fabricaretur, quæ superne aperienda collocaretur in medio templo in capella, quæ tunc sub nomine divæ Virginis censebatur; ibique incluserunt D prædictas capsas, prius omni populo palam monstratas, cunctis certatim caput inclinantibus, manus brachiaque tollentibus in cælum, percutientibus pectus, magna voce clamantibus: „ Succurre nobis, miserere nobis. „ Exinde vero tam multa facta miracula sunt, ut iis exponendis non sufficiam; tacere tamen non possum rem prorsus novam et admirabilem. In eodem, unde sacra lipsana extracta primum fuerant, loco scaturire cœpit fons aquæ pulcherrimæ sapidissimæque, nec non saluberrimæ iis, qui ad medelam variarum infirmitatum illuc descendunt, ipsam vel in potum haustam sumpturi, vel in lavacrum aspersionemve acceptam infusuri corporibus suis; ex quorum ingenti numero recensebo paucos, nominatim descriptos.

plurimis ornata miraculis.

5 *Tum subjicit octo miracula, sigillatim a Bonaverto in Vita S. Maurelii pag.* 58 *et seqq. Italice recensita, quæ apud nos ibidem Latine contracta legi possunt; modo hoc unum monitus hic lector observet, quod interpres noster, dum studuit brevitati, ea passim illis adjuncta resecuerit, per quæ scriptor Italus disertissime significarat, prodigiosa hæc omnia beneficia, non per* E *unius S. Maurelii, sed per Maurelii simul et* Alberti *supplices invocationes impetrata fuisse, adeoque non ad hujus minus, quam ad illius patrocinium et gloriam relata fuisse olim, ac referri nunc etiam oportere. Ceterum quæ producta sunt hactenus, legitimum* B. Alberti *cultum usque adeo persuasere Majoribus nostris, ut jam tum ibidem num.* 19 *ampliorem ejus mentionem hoc in Opere ad hunc diem decreverint; quod animadvertisse videtur Castellanus, dum illi, forte solus huc usque, locum eódem die fecit in Martyrologio universali, quod Parisiis edidit anno* 1709; *sic enim annuntiat:* In Æmilia, S. Alberti episcopi Ferrariensis.

Etsi cultus ille dein paulatim elanguit.

6 *Porro tametsi intra eamdem subinde ecclesiam sacra utriusque corpora in suo quodque sacello non paulo honorificentius fuere reposita; nempe S. Maurelii ad dexteram aræ majoris in arcula argentea æneo monumento conclusa;* B. Alberti *vero ad sinistram ejusdem aræ partem in tumulo, qui ex candido marmore eleganter sculptus, auro sparsim interlucente, rutilabat, ut alibi dictum est; diffiteri tamen non possumus, quin* F *hujus veneratio illa apud Ferrarienses aliquando tam fervida, paulatim intepuerit: liquet id enim non solum ex Philippo Ferrario, cujus in Sanctis ac Beatis, præsertim Italiæ, perquirendis operosam sagacitatem omnino fefellit hujus* Alberti *jam tum nimis obscurata memoria; sed vel maxime ex litteris P. Heraclii Cristanelli nostri huc Ferraria datis* XXIV *Aprilis anno* 1676, *in quibus de memorato Beati antistitis tumulo mentionem faciens, ait:* Si quærit Reverentia vestra a me, quanam in veneratione modo habeatur ejus sepulcrum; respondeo: Fere in nulla: neque ulla fit memoria toto anno: *quibus verbis non omnem quidem desiisse venerationem affirmat, sed fere tamen omnem; sicut neque omnem tollit Bernardinus Faynus in Cœlo Brixianæ ecclesiæ anno* 1658 *excuso Brixiæ, cum pag.* 341 Albertum *hunc accenset* Brixianis non Sanctis nec canonice Beatis, quorum memoria tantummodo in benedictione habetur: *nam in ejusdem elogio pag.* 93 *agnoscit satis recentem reliquiarum ejus distributionem:* Cujus, *inquit,* non mediocri reliquia gaudent Brixiæ Patres Oratorii, S. Philippi Nerii sectatores, favore Valeriani Scaleæ, abbatis

A batis generalis Olivetanæ Religionis illis concessa.

§ II. Ejusdem gesta quædam et felix obitus.

B. Albertus anno 1244

Vitam B. Alberti *scriptam non fuisse, censet Bonavertus in S. Maurelio pag.* 51 : *neque enim Vitam ille reputavit cum Guarino in Compendio historico ecclesiarum Ferrariensium pag.* 393 *exiguum illud elogium Italicum cum duobus miraculis, quod manuscriptum servatur in archivo Olivetanorum, apud quos requiescit Beatus, et unde apographum nos fidelissimum accepimus, anno* 1675 *die* XXVII *Aprilis a P. Andrea Lazari Societatis Jesu subscriptum, missum huc autem anno sequente a P. Joanne Heraclio Christanello, et suo mox loco inserendum post alia nonnulla, quæ diligentissimus rerum ejus investigator Petrus Maria Campi, Canonicus Placentinus, in amplissima sua et summo labore col-* B *lecta digestaque Historia ecclesiastica Placentina, part.* 2 *a pag.* 181 *de illo refert ac probat; et nos ex eo Latine hic versa delibabimus. Orditur is ab hoc ejus elogio* :

fit ep. Placentinus, et laudatur ab Innocentio PP IV:

8 Fuit B. Albertus patria Brixianus, gente Prandonius, gradu magister et doctor (Theologiæ, an legum, ignoratur,) professione ac statu clericus et sacerdos secularis, domesticus antea Cardinalis Prænestini *(Jacobi Pecorariæ defuncti anno* 1244) subdiaconus. Nunc autem *(eodem anno* 1244) subdiaconus Apostolicus et Pontificis sacellanus, atque in episcoporum Placentinorum serie quinquagesimus quartus. *Consonat fere epistola Innocentii PP. IV, de Alberti ad cathedram Placentinam promotione, ad Præpositum et Capitulum ejusdem ecclesiæ directa, quæ sic habet ibidem* : Nos diligentius attendentes, quod solicitudinis nostræ intererat, ut in eadem ecclesia illum hominem poneremus, qui Deo gratus, et hominibus sit acceptus, diligenti deliberatione præhabita, dilectum filium, Magistrum Albertum, subdiaconum et cappellanum nostrum virum profecto secundum cor nostrum propter prærogativam morum et scientiæ, super C quibus ei, tamquam illi qui diu nobiscum est laudabiliter conversatus, laudabile testimonium perhibemus, ipsi ecclesiæ de Fratrum nostrorum consilio in episcopum præfecimus et pastorem etc. Dat. Laterani secundo Idus Martii, anno Pontificatus nostri primo; *id est Christi* 1244, *cujus Octobri mense jam in Placentinæ sedis possessione constitisse* Albertum, *ostenditur ibidem pag.* 182.

scripsisse dicitur contra Fridericum II imp.:

9 *Anno sequente verisimile ait esse Campius pag.* 183. *ipsum cum aliis centum et quadraginta episcopis astitisse concilio* I *Lugdunensi adversus Fridericum II imperatorem; tum quia tunc acta Placentiæ Beati Vicario adscribuntur, nec ab ipso quidquam reperiter anno* 1245 *aut sequente gestum; tum quia deinde a Friderico eique adhærentibus diu atque acerbe vexatus est : quamquam hoc etiam accersere sibi potuit per scripta, quibus imperatorem illum infensissimum Romanæ Sedi insectatus fuisse dicitur ab Ughello, Fayno et aliis. Ibidem pag.* 186 *legitur examinasse, approbasse, ac scripto publico consignari jussisse miracula quædam S. Raymundi Palmarii; de qua re videri possunt hujus Acta, vel eorum potius Appendix prima, ad diem* XXVIII *Julii pag.* 661, *num.* 19.

auctore P. B. erigit Placentiæ studia litterarum: præbendam fundat:

10 *Anno* 1248 *instituisse scitur apud Romanum Pontificem, et obtinuisse, ut Placentiæ studium generale vel erigeret vel instauraret, ditaretque legibus, quibus aliæ tum universitates gaudebant. Litteras ipsius Innocentii PP. IV exhibet auctor noster ibidem pag.* 399; *ubi etiam videre est instrumentum a Beato dictatum anno* 1249, *quo Placentiæ in ecclesia collegiata S. Antonini præbendam sacerdotalem fundavit* ad honorem Dei et gloriosæ Virginis Mariæ, ac SS. Antonini et Victoris, *his præter alias conditionibus*, ut ea gaudens debitam et continuam residentiam faciat in dicta ecclesia, et prout ei Dominus facultatem concesserit, Officium divinum debeat in ecclesia ipsa celebrare, singulis diebus Sabbati ad honorem sanctæ Mariæ, et in secunda feria pro remedio animæ meæ, *inquit*, et antecessorum atque successorum meorum et omnium fidelium defunctorum Missas celebrare; quas Missas si omiserit aliquo impedimento, postmodum illas dicat, cum poterit celebrare. *etc.*

solicite curat cœnobia,

11 *Difficillimis temporibus ad Religiosarum etiam familiarum stabilitatem tutandam curas extendit, ne quid iis vel in re domestica, vel quod pejus, in spiritus primævi fervore detrimen-* E *ti accideret. Hinc anno* 1250 *Arduinum, abbatem S. Sabini, æris alieni, quo cœnobium ejus premebatur, solerter expedivit angustiis, ibidem pag.* 204. *Hinc anno* 1252 *ceram præfecto militiæ Placentinæ parthenonem S. Syri una cum hominibus illi subjectis ac rebus omnibus in tutelam suam et fidem per instrumentum publicum, ibidem pag.* 401 *recitatum, suscepit ac securum præstitit adversus infesta tum passim ibi latrocinia. Hinc denique anno* 1256, *cum extorris ipse et ad curiam Romanam profugus rescisset, inter moniales Placentini cœnobii, quod nuncupabant Hierusalem, pessum ire disciplinam, hoc per vicarium suum uniri mandavit cum cœnobio S. Syri florentissimo, translatis huc inde monialibus et conversis omnibus; ut ibidem legibus imposterum et exemplis recte vivere discerent alienis, quæ domi jam non poterant emendari suis Mandatum authenticum repræsentat ibidem Campius pag.* 402.

et fidem Catholicam; ideo exosus hæreticis:

12 *Religionis autem Catholicæ promovendæ quanto ferbuerit studio, inde licet conjicere, quod itinerum socium sibi sciatur adscivisse, Campio* F *teste ad annum Christi* 1250, *ardentissimum illum Romanæ fidei, tum quidem prædicatione, auctoritate, miraculis, at paulo post etiam sanguine ac nece gloriosissima defensorem ac vindicem S. Petrum martyrem ex Ordine Prædicatorum, cujus Acta videri apud nos possunt ad diem* XXIX *Aprilis pag.* 696, *num.* 33, *ubi et prodigium ejus narratur coram præsule hoc nostro Alberto patratum. Hæc sane inter utrumque familiaritas, si eodem ambos animatos ardore non reperit, animasse credenda est : quandoquidem ut S. Petrum anno* 1252 *e medio sustulerunt grassatores hæretici* : *sic* Albertum *eodem anno fautor hæreticorum idem hostisque Pontificius Ubertus Pallavicinus odio primum, et mox deinde electus Placentiæ dominus pervicacissimis injuriis ac tyrannicis direptionibus persequi cœpit usque eo, ut sub initium anni* 1254 *Vir mitissimus, ecclesia vicario commendata, Romam ad asylum Innocentii PP. IV confugiendum clam sibi duxerit. Verum enim cujus ita jugulum suum subtraxit odio atque insidiis, ejus adeo in ecclesiæ suæ fundos rapacissimam accendit avaritiam; ut, cum ne solemni quidem, anno* 1257, *Alexandri PP IV*

AUCTORE P. B.

PP. IV in eum ac Placentinos illi adhærentes anathemate (quod recitat Campius pag. 403) coërceri potuisset, Placentia tandem debuerit cum Episcopo, quo digna non erat, quique Ferrariam inde translatus fuit, etiam episcopatu privari. Vide eumdem auctorem pag. 214, ubi tam diuturnam Præsulis hujus tot inter adversa patientiam non immerito commendat elogio.

translatus ad sedem Ferrariensem, obiit 14 Aug. 1274,

13 *Ecclesiæ porro Ferrariensi præfectus quid egerit, intelligi maxime debet ex manuscripto, de quo supra meminimus num. 7, et quod ex Italico Latine sic vertimus :* Erga venerandum urbis Ferrariensis antistitem, beatum Albertum (uti habetur, et ego hisce oculis legi, in catasto * antistitum tabularii episcopalis Ferrariæ) cum huic ecclesiæ præsidens, vitæ sanctimonia fulgeret, maxima viguit populi devotio ac reverentia, propter ipsam illam, quam in ejus orationibus, jejuniis, eleemosynis, exhortationibus observabant omnes sanctitatem. Præfuit autem ibi (quantum quidem comperiri potuit) annis circiter quindecim. Cumque jam prope abesset a vitæ termino, ex affectu commiserationis eleemosynas multas B ipse distribuit, multas imperavit in varios Religiosos, aliosque pauperes. Sicque anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, die decima quarta Augusti ex hac vita ad beatam et immortalem commigravit, postquam paulo ante testamentum condidisset unumque codicillum, mandassetque corpus suum efferri ad ecclesiam S. Georgii, ibidem sepultura donandum. Concurrit excitatus opinione sanctitatis ejus frequens ad exsequias populus : quotquot vero iisdem adstiterunt, bina eodem die spectavere miracula in personis duabus, quæ attactu corporis B. Alberti, morbis, quibus nuibæ laborabant, liberatæ fuerunt. Hujus rei veritas multorum testimoniis fuit comprobata ; ut apparet etiamnum ex instrumentis antiquis, per illius temporis notarios confectis. Miracula vero illa sic habent.

* i. e. codice

In ipsis exsequiis decoratus miraculis

* f. sutor appellative.

14 Primum. Quod ibi conspectus fuerit vir quidam, nomine Dominicus Calzolaro *, incola burgi S. Joannis extra muros Ferrarienses ; qui pro certo affirmavit, annis amplius quatuor manum dextram ac brachium gestasse se prorsus inutilia, quando cum fiducia ac devotione acce- C dens, et idem illud brachium manumque admovens corpori B. Alberti, subito hac se infirmitate liberum sensit. Examinati super hoc testes multi, professi sunt omnes, vera esse quæ iste asserebat, captum se videlicet ultra quadriennium illo brachio fuisse ; id enim sese universos vidisse. Miraculum secundum. Mulier quædam, Betta nomine, dixit, privatam se fuisse plus quam sex mensibus usu dextræ manus, antequam fide ne religione incitata istuc intervenit, et manu illa B. Alberti corpus attingens, extemplo convaluit, eoque malo, pluribus circum adstantibus fuit perfecte liberata. Hujus prodigii monumentum adhuc superest in vetusto scripto testium tunc præsentium ac spectatorum, qui fuerunt partim Canonici, partim Religiosi, viri fide digni et nominatim recensiti per manum tabellarii coætanei in eodem codice antiquo, qui signatur « O. monasterii ». *Hactenus Ms. apographum, cui additur alia manu :* Ego infrascriptus plenam et indubitatam fidem facio, quidquid hic scriptum est de B. Alberto, desumptum esse ex antiquo manuscripto, quod servatur in monasterio S. Georgii Patrum Olivetanorum. Ita testor die XXVII Aprilis MDCLXXV

Andreas Lazari Soc. Jesu.

15 *Consonant fere quæ eodem ex fonte tradit* D *in Vita S. Maurelii pag. 51 et sequente Bonavertus, et ex hoc Petrus Maria Campi Hist. eccles. Placentinæ part. 2 pag. 214 et 287 ; imo et pag. 455, ubi ipsum Beati Testamentum authenticum repræsentare se credidit hoc principio :* Millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, die decimo quarto exeunte Augusto, præsentibus testibus *etc. Verum qui totum legerit, fallor, nisi meum judicet, non esse Testamentum illud ; sed instrumentum aliud legale, testamento et morte Beati posterius, quod confici ad securitatem sibi jusserit executor testamenti. Patet id primum ex tempore quo Albertus obiit, anno, ut jam dictum,* millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, die decima quarta Augusti ; *cum instrumentum illud factum sit eodem quidem anno, sed alio die ; nempe* die decimo quarto exeunte Augusto ; *id est (ut recte Cangius probat in Glossario ad voces* Mensis exiens) *die decimo octavo Augusti, toto post obitum ejus quatriduo. Patet idem ex eo, quod instrumentum illud eodem die* XVIII *Augusti testetur solutiones jam tum factas heredibus ex testamento : quæ certo valere non poterant, nisi post obitum testatoris, ipsumque adeo testamentum, quod obitum utique ante-* E *cesserat. Ceterum instrumentum illud tectu ac fide dignissimum fatemur, pluriumque conferre, ad ea, quæ de Beati virtutibus dicta jam sunt, egregie confirmanda ; quia tamen longiusculum est, assignare maluimus quam recudere.*

De ejusdem testamento,

16 *Quod ad tempus attinet episcopatus ejus in ecclesia Placentina : ab anno scilicet 1244 usque ad 1257, recte illud probat Campius : at non ita certum videtur, eodemne anno 1257 translatus fuerit ad sedem Ferrariensem ; an potius aliquanto posterius ; quod omnino in episcopis Ferrariensibus tom. 2 Italiæ sacræ secundo editæ col. 514, num. 40 evincere debet Ughellus, si satis fidelia sunt, ut esse videntur, hæc ejus verba :* B. Albertus de Pandonis *(lege* Prandonis *aut* Praudonius) Brixiensis, episcopus antea Placentinus, ad Ferrariensem sedem translatus est anno MCCLXI ab Urbano IV ; ut habetur in Formulario Marini de Ebulo, ejusdem Pontificis vicecau- F cellarii, *Quo quidem modo sedisse dicendus erit Ferrariæ annis tantummodo tredecim completis ; pro quibus Ms. antea recitatum numerare potuit annos* circiter quindecim , *si intelligantur hoc loco (ut intelligi possunt) anni 15 utrimque incompleti. Plura de beato hoc Antistite non suppetunt.*

ac tempore, quo sedit Ferrariæ.

Additio ad Commentarium de S. Alberto Ferrariensi.

Accessere Ferrariensia scripta

Rem *huc perduxerat P. Boschius, quem postmodum ea corripuit infirmitas, ut omnino a studiis nostris abstinere coactus fuerit. Interim Ferraria accessere scripta nonnulla huc spectantia, a nostro P. Petro Brescianini missa et ab adm. reverendo et eruditissimo D. Josepho Antenori Scalabrino operose collecta. Descripsit is impigro labore instrumenta varia duodecim folia chartæ implentia, at quibus plurima complectitur, quæ potius ad S. Maurelium episc. martyrem spectant, ad S. Georgium, ad S. Romanum et alios, in Actis nostris jam pridem illustratos, et porro magis in supplemento illustrandos ad proprios*

AUCTORE P. B.

A *prios dies, ut hic eorum ratio haberi non possit, quemadmodum nec variarum figurarum, ex quibus eam solam hic elegimus, unde doceamur quo in honore haetenus apud suos fuerit* S. Albertus *episcopus, cujus gesta, numquam haetenus edita hic, quoad fieri potuit, non indiligenter collecta et illustrata sunt. En ipsam delineationem cum sufficienti totius rei explicatione.*



Icon partis anterioris tumuli marmorei in quo reconditur corpus B. Alberti Pandoni, Episcopi Ferrarien, ex quo formatur Altare S. Benedicti apud Olivetanos in templo S. Georgii extra muros Ferrariæ. Exhibet imagines mauratas B. Alberti in medio : S.S. M.M. Georgii et Maurelii Ep. Ferrar. à lateribus.

De quibus hic agitur.

18 *Toto illi ampliori Antenorii scripto multa fusius referuntur instrumenta tum ad illustrem* S. Alberti *familiam spectantia, tum ad Gymnasium ab eo erectum, ad fundata cœnobia, aut varie amplificata, ad testamentum, ad monumenta, et quibus præcipuum jam supra dedimus. Verum iis et variis ampliationibus et parergis id adversus Ughellum et plures alios evicit Antenorius noster Scalabrinus,* S. Albertum *non serius quam anno* 1257 *ad Ferrariensem cathedram erectum, quod manifeste ostendit variis inscriptionibus et epitaphiis, ubi annus diserte exprimitur sedente Ferrariæ S. Alberto, ut in eo uti et in ceteris cum Boschio omnino consentiat, atque adeo operæ pretium non censuerimus, testimonia illa omnia hic verbotenus describere, cum et hoc et cetera omnia satis probata et illustrata existimemus.*

C

DE BB. MARTYRIBUS HYDRUNTINIS

F

IN REGNO NEAPOLITANO

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Cultus eorum et reliquiæ in ecclesia Hydruntina.

ANNO MCDLXXX. *Cultus eorum*

H*ydruntum, Italis Otranto, urbis est Italiæ in regno Neapolitano satis nota, ut quæ ejusdem regni provinciæ Jonio mari proximæ nomen dedit Terræ Hidruntinæ, vernacule Terra d'Otranto. Qui plura ejus ornamenta nosse desiderat, adeat Italiam sacram Ughelli recusam nuper et auctam tom.* 9 *a columna* 32, *ubi de metropoli et archiepiscopis Hydruntinis ; et obvios passim geographos cum recentiores, tam etiam veteres : nobis hic satis erit unum illud illustrare decus, quod ei anno Christi* 1480 *Civium plurimorum, sub immani Turcarum in capta exarmataque jam urbe dominantium, tyrannide constantia peperit. His etenim honores Martyrum etsi nondum per solenne decretum Ecclesia confirmavit ; ipsa tamen (hac non solum non obnitente, sed etiam fovente) satis asseruisse videtur antiquitas; quod agnovit Philippus Ferrarius, dum illos Martyrologio suo, seu Catalogo Sanctorum generali ad diem Augusti* x *non dubitavit in hunc modum adscribere* : In Salentinis BB. martyrum Stephani episcopi Hydruntini, Fabii calcearii, et aliorum DCCCXII, a Turcis ob Christi fidem occisorum. *Idem tamen mox apparebit luculentius, una cum auctoris hujus hallucinatione, præter alias, illa qua* Martyres *hos annuntiat die* x *hujus mensis ; cum celebrentur die* XIV.

ab ipso fere martyrio cœptus,

2 *Ut ergo cultus antiquitatem ab ipsa ducamus origine, dubitare non possumus, quin cum suscitarint*

AUCTORE P. B.

suscitarint miracula, quæ infra ex certis auctoribus contigisse dicemus in ipso martyrii loco, dum ibi per annum circiter inhumata Heroum nostrorum corpora jacuerunt. Itaque cum ad urbem illam jam jussu suo Christianorum armis obsessam Alfonsus Calabriæ Dux regisque Neapolitani filius natu maximus die XV *Junii anno* 1481 *advenisset, nihil sibi prius faciendum putavit, quam ut locum invisens, positis primum genibus prostratos adhuc sparsosque* Martyres *non salutaret modo, sed etiam ad expugnandam feliciter eorum patriam propitios invocaret; deinde, ut in locum decentem eorum omnia corpora colligeret, propediem dum urbe potitus esset, meritis honoribus transferenda. Narrat hæc Franciscus de Araijo in Historia* Martyrum Hydruntinorum *Hispanica anno* 1634 *edita Neapoli, cap.* 30; *sed confirmat epistola responsoria eodem tempore et ante recuperatum Hydruntum data ex urbe Florentina a Marino Tomacello ad Joannem Albinum, tum cum Alfonso Duce, cujus appellatur librarius major, in castris Hydruntinis agentem, et rei jam dictæ non testem tantummodo,* B *sed etiam participem: sic enim ad illum inter alia rescribit Italice (nos Latine vertimus) Tomacellus:* Pium ac dignum opus mihi fecisse videtur dominus (*Alfonsus*) cum in unum congeri mandavit corpora sanctorum illorum Martyrum, quos Bassa jusserat interfici. Utinam Deo placeat (et placebit, spero) tantæ caritati vicem rependere tum domino, tum etiam tibi, qui operam in ea tam sedulam contulisti. Jam id factum acceperamus, at manu tua factum esse, nunc primum discimus etc. *Citatur hoc fragmentum apud Franc. Antonium Capano in Collectione monumentorum de* Martyribus *nostris excusa Lycii in provincia Hydruntina anno* 1670, *pag.* 79.

continuo crevit in ecclesia metrop. Hydrunti,

3 *Urbe recepta pulsisque ab Italia Mahumetanis mense Septembri ejusdem anni* 1481, *continuo de* Martyrum *horum corporibus in metropolitanam ecclesiam transferendis digneque condendis est cogitatum. Qua de re, quod ad probandam illustrandamque publicæ venerationis antiquitatem non parum conferat, audire juverit Pompeium Gualterium, ejusdem ecclesiæ metropolitica præterito seculo Canonicum ac decanum,* C *cujus apud laudatum Capanum pag.* 99 *hæc est* De reliquiis Martyrum Hydruntinorum hieroto-Chronica enarratio *Latina:* Hydruntinæ metropoleos cathedralis ædes, magnifica regum Normandorum liberalitate constructa, et lithostroto speciosi emblematis exornata, XL passuum longitudine a bemate ad frontem protenditur in occasum hybernum, inter subvesperum et argesten: latitudine vero distenditur in dimidiam laxitatem; X scilicet passuum structura basilicæ mediana, marmoreis subnixa columnis usque ad chori limitem; et alæ utrinque distensio passuum V, geminatorum a columnis ad extremos parietes, hinc in septemtrionem inter eorum et trasciam, inde in austrum inter leuconotum et vulturnum medios in templum aditus exhibentes. Ipsum autem chori spatium quatuor magnis undique elevatis arcubus insurgit. Eorum ultimus declinat introrsus in hemicycliam curvaturam, cujus eleganti schemate bema perficitur. Istius in medio stat ara maxima situata, cum signo puerperæ Dei Genitricis; dextroque a latere solium prominet archiepiscopale, comprovincialium sedibus episcoporum, pro conciliis celebrandis, ex adverso coëxistentibus. Extremi vero alarum fornices augustiori schemate arcuantur, eoque minorum apsidum D hemicyclos efficiunt; qui exporrectis infra testudinibus ædiculas formant ferreis a fronte clathris obstructas: quarum in dextra collocatum est sanctissimæ Eucharistiæ tabernaculum; in læva reliquiæ venerabiles conditæ sunt Martyrum Hydruntinorum. Pleraque etiam sacris apta ministeriis altaria in ædis lateribus utrimque adnumerantur.

hic satis accurate descripta

4 Sed per minores januas basilicam iutroëuntibus scala se duplex inflectit. Per ambas descenditur in cryptoporticum; quæ superioris chori et conterminorum laterum atque hemicycliarum areolarum amplitudini subest, perpendiculari substructione; passibus lata XX, longa XVI in medio, XIV in lateribus, propter hemicyclias inæqualitates: fenestris a parte septemtrionali conspicua duabus, ab Orientali quatuor; columnatione spectabili sustentata. Columnæ ipsæ promiscui generis, ordinisque compositi una et septuaginta, æqualibus interstitiis novenorum pedum collocatæ: expeditæ solidæ marmoreæ XLII, ceteræ ex lapide Salentino parietibus impactæ, quarum singulis epistyliis cornua insur- E gunt arcuum terna, expeditarum, singulis quaterna: et inde est universa concameratio novem et quadragiuta constructa quadratis æqualium intercolumniorum; et trigonis, in tribus hemicyclorum curvaturis, novem.

una cum hypogæo,

5 Locus antiqua observatione sanctus, Confessionis nomine jam olim celebris; deinde Rosarii titulo insignitus: ubi sacellum est sacratissimæ Virginis, et simulacrum ejusdem venerandum; ante cujus aram archiepiscopi laudatæ memoriæ Petri Antonii de Capua sepulchrum jacet subterraneum: optimus enim antistes, magnis pro Catholica religione perfunctus laboribus, et de sua Hydruntina ecclesia, capitularique illius Collegio sat bene meritus, postquam ab œcumenico Tridentino concilio summa cum laude reversus est, eum sibi locum tumulando vivens adhuc prælegit; sicut et plures et nobilibus civitatis altaria et familiares ibidem sepulturas pio voto construendas impetrarunt; propterea quod in istius cryptæ venerabilis excavatam fossam fuerunt initio translata benedicta corpora Christi fidelium Hydruntinorum, qui salutis anno MCDLXXX sub serenissimi Ferdinandi regis Aragonii potentatu, post validam cum F impiis hostibus dimicationem, fracti bello vincti- que extra urbem educti, Turcarum Duce jubente, totoque exercitu spectante, gloriose occubuerunt: dum Testes fidei, optione sibi data, vivere ne malint Christum abnegantes, quam alioqui diram subire mortem, constanti animo temporalem vitam contemnentes, illustre martyrium consummarunt. Quorum corpora ad tertium et decimum mensem insepulta, solique imbribusque exposita, integra omnino et a feris avibusque penitus intacta permanserunt.

in quo Martyres nostri depositi sunt an. 1481,

6 Divini cujus prodigii Xistus IV summus Pontifex certior factus, esse illa omni veneratione digna advertit: propterea speciali diplomate Francisco de Arenis archiepiscopo Brundusino provinciæque præfecto commisit, ut cælesti ope expeditique jam regii exercitus auxilio postquam ab hostibus fuerit receptum oppidum, suffraganeis episcopis convocatis, cunctisque diœcesis et vicinarum civitatum congregatis sacerdotibus, Fidelium corpora pro Christo interfectorum incorrupta in campo jacentia reverenter colligenda, religioseque in prius reconciliatam cathedralem ecclesiam Hydruntinam asportanda curaret. Quæ anno subinde MCDLXXXI, expulsis ab urbe Turcis,

A cis, a quodam sacro loco, ubi serenissimi Calabriæ ducis Alphonsi, Ferdinandi regis filii pio jussu in modum aggeris coacervata fuerant, ne ob reverentiam expugnationi essent impedimento, solemni ritu in civitatis templum introducta, et in foveam prædictam illata sunt; ac humo superinjecta, diu inibi sepulta jacuerunt.

donec absolveretur in eadem ecclesia sacellum proprium,

7 Anno postea MDLXXXII ædiculam superius memoratam Hydruntinus populus de regia largitate faciendam impetravit (quæ tamen anno demum MDXXIV perfectionem habuit) ut in ea corpora gloriosorum Martyrum honorificentius conderentur. Quæ dum exhumantur, non utique integra, ut jam fuerant ibi reposita, reperiuntur; sed vitio sarcophagi, temporisque diuturnitate, carne consumpta; nonnullis exceptis membrorum partibus et paucis frustulis, quæ summa Dei providentia, ad posterorum animos in venerationem excitandos, carnibus tecta dignatur adhuc asservare. Igitur in hoc regali sacello, cujus longitudo XVIII pedum est, totidemque frontis latitudo, ac X cubitorum altitudo, altare est positum quinque palmaris altitudinis, septem palmaris latitudinis, et crassitudinis tripalmaris, blatteoserico B ornatu auroque intexto accuratissima diligentia instructum; cui supereffertur insignis picturæ imago Deiparæ Virginis, inter angelorum obsequia Theanthropum infantulum gremio foventis; a cujus dextra D. Stephanus protomartyr astat, D. Martyr Laurentius a sinistra.

ad quod an. 1524

8 Sub altare vero (quod ex ligno concavum est, et detracto frontali, in arcæ biforis modum clave reseratur) Reliquiarum loculus continetur inclusus, id est capsula lata palmis sex, alta palmis quatuor et semi, crassa sesqui palmo: fundo, lateribus, ac tergo ligneis constans; fronte tamen et summitate limpidis obducta specularibus quadratis, inaurata compage dispositis: per quæ, ablato purpureo velamine, inspici clarissime valent sacra pignora; dum, admotis luminibus, frequenter solitum est ea singillatim devotis fidelibus indicari, qui sancta impulsi curiositate, ex diversis locis et longinquis regionibus ad illa contuenda et adoranda quotidiano concursu confluunt; maxime vero in anniversaria memorabilis martyrii solemnitate, quæ XIX. Kal. Septembris magnificentissima pompa, ac totius civitatis, universæque diœcesis et provinciæ exultatione ce- C lebratur. Quo die sexus utriusque fidelium multitudo, non modo Reliquias in sacello expositas venerantur; verum etiam in subterraneam ædem descendentes, ad singulos scalarum gradus consistunt, precesque effundunt genuflexi: tum simili modo orantes, singulas hypogæi columnas devotis amplexibus osculantur, solumque illud benedictum reverentur, lacrymisque perfundunt, sub quo a principio fuerunt sacratissima corpora tumulata.

perhonorifice sunt elevati.

9 Sed armaria lignea bina concinnati operis in superioris ædiculæ parietibus defixa complent reliqua venerabilium corporum ossa cum suis capitibus digne aptata: quæ diducti chalybis rete affabre facto prætexta interius, deauratis exterius foribus conteguntur, et clavibus obserantur: duabus hinc atque illinc argenteis lampadibus in ipsorum Martyrum honorem regio sumptu perpetuo ardentibus. Magnam denique partem similium Reliquiarum suspiciendam præbent (coccino dimoto sipario) tesseræ vitreæ, deauratis compactæ juncturis ac deaurata comprehensæ corona, VII palmorum altitudinis et XVIII latitudinis, a convexo fornice arcuatim deductæ ad planum lapidei tabulati; quod elegantissima venustate sculptum et similiter deauratum, quatuor lapideis item et insculptis deauratisque columnis sustentatur, velut altaris cælum, novempalmaris longitudinis: habetque in zophoro Monumentum hoc: MORTE SUA FACTI SUNT IMMORTALES. *Addit idem auctor in alia Relatione Italica anno 1677 bis impressa Lycii pag. 17, sacellum jam dictum non tantum regio jussu ac sumptu erectum fuisse, verum etiam fundatum assignato censu perpetuo ducatorum centum annuorum, qui usque eo ex camera regia constanter quotannis persolveretur. Idem asserit Araüjus, sive Araüchus, Hispanice de* Araüjo, *in opusculo citato pag.* 86, *ubi ait, eum summam esse destinatam* ornamentis, Missis, et Officiis, quæ in eodem sacello celebrantur, *Ceterum de Missis et Officiis dicendum hic paulo explicatius,*

§ II. Cultus amplificatio et extensio.

Ibidem post an. 1539

E *Quamquam ex allatis huc usque et postmodum afferendis manifesto constet* Martyrum *horum publicam venerationem per immemorabilem temporis cursum floruisse ante celebres Urbani PP. VIII Bullas; eamque adeo sufficere etiam nunc ad legitimum eorum cultum absolute comprobandum; in ea tamen olim Hydruntini nequaquam acquievere, donec Apostolicæ Sedis auctoritate copia fierit eosdem etiam ut veros Martyres communi Martyrum Officio Missaque celebrandi. Pungebat vero eos id maxime; quod gloriosos hosce Pugiles suos, quod tot aliis jam dudum argumentis palam ut Christi Martyres et profitebantur et supplices invocabant, non alio tamen usque ad annum Christi 1539 vel Officio vel Sacrificio fas esset prosequi recurrente quotannis eorum natali die* XIV *Augusti, quam quæ ad juvandas fidelium quorumvis, si forte piacularibus adhuc flammis expurgantur, animas præscribit Ecclesiæ; Vesperis mortuorum videlicet et Missa pro defunctis; per quæ nimirum non obscure proderent, se vel pro Martyribus eos, contra quam firmissime credebant, non agnoscere; vel injuriam iis inferre pro cultu, secundum illud S. Augustini:* Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre. F *Eodem igitur anno rogandum Christi Vicarium Paulum III censuerunt, ut* Martyribus Hydruntinis *in sacello suo regio Missam imposterum et Officium de Communi Martyrum concedere pro sua potestate eorumque majore gloria dignaretur. Hoc autem ut fieret efficacius, institutum est continuo examen canonicum, sive, ut appellatur,* Informatio de *ipsorum* martyrio, *una Pontifici cum libello supplice consignanda, cujus nos infra subjiciemus exemplum.*

auctus est cultus eorum

11 *Votine statim facti sint compotes, haud equidem certo novi; fallor tamen, si res multum dilata est: eam enim omnino indicare videtur in opusculo posthumo, quod Basileæ prodiit anno* 1558, *De situ Iapygiæ Antonius Galateus pag.* 55; *ubi collegisse narrat cives Hydruntinos* Martyrum *horum lipsana, eaque reposuisse* intus capellam, seu sacellum, quod dedita opera constituerunt in ecclesia majori; ubi usque ad hodiernum diem quiescunt, et quoad Christiana erit religio, visenda commorantur, in maximaque veneratione habentur, SOLEMNIBUS OFFICIIS DIVINIS CELEBRANTUR. *Galateum autem diu post annum*

AUCTORE P. B.

annum 1539 *supervixisse, nequaquam est verisi-mile; utpote qui ante annos fere octo et quinqua-ginta Christianorum castris, ad Hydruntum po-sitis, non utique puer, assistens, oculis ipse suis Alfonsum serenissimum Calabriæ Ducem sæpe cum Turcis depugnantem viderit; ut fidem facit Epitaphium, quod eidem ipse principi, imo regi, composuit, quodque una cum Iapygiæ descriptio-ne vulgatum est. Scio, Ferrarium ad locum su-perius* § 1, *num.* I *citatum hæc observare* : Non-dum *(anno* 1625*)* Officio ecclesiastico coluntur; venerationem tamen apud incolas habent: *sed et scio, virum optimum* Martyrum *horum notitia perquam exili fuisse instructum, quod iterum in-fra patebit.*

per Officium et Missam de Communi MM.

12 *Sed hæc utcumque tum fuerint, certum est in usu fuisse jam pridem, teste Pompeio Gualte-rio in memorata jam anni* 1677 *Relatione Italica pag.* 20 *et seqq.*; *ubi hæc asserit* : Die martyrii eorum, quod contigit, ut dictum est, XIV Au-gusti, solenniter ipsorum festum quotannis agitur cum apparatu totius ecclesiæ cathedralis, nec sine musica, concione, academia (*per quam intelli-*
B *go pia rhetorum ac poetarum certamina*) in ho-norem sanctorum Martyrum, et supplicatione ge-nerali Capituli, cleri, Religiosorum, concur-rente universo populo non hujus tantummodo ci-vitatis, sed et locorum in diœcesi ac provincia circumjacentium. Exponitur vero tum pars reli-quiarum ipsorum in ara principe, ad quam de-cantatur Missa conventualis de Communi Marty-rum « Intret in conspectu tuo, Domine, gemi-tus compeditorum » etc. cum Oratione « Præsta, « quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos « Martyres fortes in sua confessione cognovimus, « pios apud te in nostra intercessione sentiamus. » Quæ eadem Missa privata tum in eadem ecclesia celebratur a quolibet sacerdote; reliquo autem anni tempore per modum votivæ, quoties ad invocanda Martyrum patrocinia recurritur: quod si necessitas est publica, cantatur solenniter loco Missæ conven-tualis.

non sine auctoritate Sedis Apostolicæ.

13 *Incredibile vero prorsus est id incœptasse Hydruntinos absque assensu Sedis Apostolicæ; primo, quia palam profitentur in instrumento jam dictæ Informationis, id se a Pontifice postu-*
C *lare, quod ejus ad hoc auctoritatem necessariam esse scirent*; Sine cujus assensu, *inquiunt*, nemo pro Sancto est honorandus in terris. *Deinde, quia Roma, cum id fieri intra fines Italiæ ignorare diu non possit, numquam tamen impedivit, ne quidem post Urbani PP. VIII Decreta. Imo vero tantum abest, ut hæc Urbanum secuti Pontifices inhibuerint, ut foverint potius beneficentia sin-gulari; ut Clemens PP. IX, qui* omnibus utrius-que sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, con-fessis, ac sacra Communione refectis, qui eccle-siam cathedralem Hydruntinam et in ea sitam ca-pellam, Sanctorum Martyrum nuncupatam..., die XIV Augusti a primis Vesperis usque ad occa-sum solis die hujusmodi singulis annis, devote vi-sitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia *etc.*, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam *concessit anno* 1668 *die* XX *Junii. Verba Bullæ hic data videri possunt apud Capanum in Collectione pag.* 97; *ubi sequuntur et aliæ duæ Clementis PP. X; quarum prima committitur archiepiscopo Hydruntino dispensa-tio pro sacerdote, cui* occasione solemnitatis san-ctorum Martyrum, quorum corpora in dicta *(nem-pe Hydruntina)* ecclesia (ut pie creditur) asser-vantur,... ex displosione sclopi tres digiti manus

D dexteræ .. ablati fuerant. *Altera conceduntur et annectuntur indulgentiæ pro defunctis eidem ca-pellæ sanctorum* Martyrum, dummodo in ea septem Missæ quotidie celebrentur. *Sufficiunt hæc, opi-nor, ut ne quis de assensu Romano possit ambi-gere in cultu, quo Hydrunti* Martyres *nostri cele-brantur. Nunc alio divertamus.*

Antiqua venerationis eorum extensio perseverans

14 *Narrat Joannes Antonius Summonte in Historia sua Italica urbis ac regni Neapolitani tom.* 3, *lib.* 5, *pag. mihi* 501, *multa* Martyrum *horum* corpora *a vicinis Hydrunto populis ex affectu religioso sublata fuisse et in suis eccle-siis collocata; quod si verum est, contigisse debet antequam illa conderentur; adeoque jam tum dif-fundi cœpisse latius dicenda erit eorum publica veneratio. Summonto certe patrocinabitur infra inter coævos, anno* 1539 *canonice examinatos Hydrunti, testis tertius, Joannes Longus, in responso ad interrogationem sextam; ubi etiam docebit, quanta in veneratione locus martyrii sub-urbanus fuerit habitus anno circiter decimo quar-to post ejectionem Turcarum. Et vero de eodem in Relatione Italica pag.* 15 *sic scribit Gualte-*
rius : Loco martyrii, qui antea Mons Minervæ, E dein Mons Martyrum dictus est, ædificata fuit ecclesia titulo S. Mariæ Martyrum, idque jussu Sixti PP. IV *(qui obiit anno* 1484.*)* Postmodum fundatus ibi est Conventus Fratrum Minimorum; *anno scilicet* 1540, *ut ad annum illum in Chronico generali Ordinis notat Lanovius. Gualterio con-sonat Summontus tom.* 3, *lib.* 5, *pag.* 501. *Supra hujus ecclesiæ januam hæc marmori insculpta leguntur* :

D. O. M.

SS. Martyribus Hydruntinis, a Turcis ob Chri-sti fidem constantissime servatam crudeliter cæ-sis, et D. Francisco Paulano, victoriæ au-guri, templum claustrumque, olim a Duce Calabriæ conditum, vetustate collapsum et fun-damentis in ampliorem formam redactum, ma-jore reddit u locupletatum Joannes Franciscus Arnesanus, Lupiensis, et Maria Leucia, con-juges, pietatis ergo PP. DD. anno Domini MDCXIV.

Neapolim usque

15 *Vetustissimam quoque cultus extensionem usque ad urbem Neapolitanam et hujus ecclesiam olim S. Mariæ Magdalenæ, deinde, illatis in eam et honorifice conditis cum facultate Inno-* F *centii PP. VIII* Martyrum *nostrorum reliquiis, Mariæ Martyrum, nunc autem S. Catharinæ ad Formellum nuncupatam, traditamque RR. PP. Prædicatoribus, testatur inscriptio, quam ibi sic legit Carolus de Lellis in Neapoli sacra part.* 2 *pag.* 148 : In hoc sanctissimi Rosarii sacello, die XXIV Maii MDLXXIV erecto condita sunt du-centum * quadraginta capita cum suis ossibus et reliquiis illorum beatorum Martyrum, qui in civi-tate Hydrunto pro fide Christi trucidati sunt, quorum nomina, soli Deo nota, scripta sunt in Libro vitæ. Hos serenissimus rex Alphonsus II, Calabriæ Dux, in duabus magnis capsis transtulit Neapolim, et in capella a se constructa sub nomi-ne S. Mariæ Martyrum in ecclesia modo S. Ca-therinæ ad Formellum reposuit. Et quoniam præ-fatæ capsæ ob temporis vetustatem a tineis corro-sæ et pene consumptæ erant, venerabilis P. F. Paulus Rovadus, tunc sacrista major, et Fr. Jo-annes Baptista de Bononia conversus de licentia Subprioris Fr. Cornelii de Calvisano cæterorum-que Patrum in rei memoriam dictas reliquias san-ctas ex capsis extractas, reverenter et debito cum honore in hoc altari ab omnibus venerandas po-suerunt

* *lege ducenta*

A suerunt die xxix supradicti mensis et anni. *De his inferius recurret sermo, cum examinabitur historia martyrii, cujus hic epitomen libet præmittere in Hymno Ms. quem in Capani Collectione subjunctum accepimus datæ jam Pompeii Gualterii hierotopochronicæ enarrationi hoc titulo :*

Hymnus solennis Hydrunti,

16 Ejusdem *(Gualterii)* in eosdem sanctos Martyres Hymnus, qui cantari solet processionaliter in anniversaria eorum solemnitatis die xiv Augusti, *Hydrunti scilicet :*

Majorum celebri plaudite nomini,
Lætantes socii, psallite Gloriæ :
Invictos Fidei pandite Milites,
Christi dicite Martyres.
Hi sunt, quos genitos inclyta Japygis
Pubes Gnossiaco sanguine nobiles
Hydrunto peperit, Fonteque mystico
Cæli Claviger abluit.
Hinc audax Gothicis firmaque Gallicis
Obsistens Soboles postera præliis,
Regni principibus fulsit amabilis
Romanis et Iberibus.
Hi, dum pervaluit dira Mahomadum
B Victorum rabies, urbeque diruta,
Percussi gladiis, se tibi Victimas,
Jesu, denique consecrant.

quo breviter describitur

17 Aucta fulminis classe triremibus,
Jussit bellipotens rex Othomanicus
Invadi Hesperiæ littora protinus,
Salentinaque mœnia.
Plenæ Bistonio milite Bosphorum
Naves transiliunt, et vada Cycladum,
Ægeum superant ac mare Ionicum,
Agmatho Duce perfido.
Terrent innumeris æquora puppibus
Substrata omnigenum corda Fidelium ;
Incerti pavitant, quo fera transvehat
Immanis ratis agmina.
Sed jam velivolis Acroceraunia
Proris advehitur, jam tenet Adriæ
Angustum pelagus, jam Scytha barbarus
Hydrunti subit ostia,
Eheu sollicitus quam timor oppidis
Instat finitimis; non tamen incolis;
Qui siccis oculis fluctibus evomi
Cernunt monstra ferocia.
Urbem terrificis, ecce, phalaugibus
C Urgens impavidam Thracius improbus,
Mittit Christicolis nuncia fortibus
Pravi fœderis impia.
Quos et legitimi principis integra
Et Christi intrepidos alma fidelitas
Labi ne sineret, protulit, emori
Accinctos fore millies.

Martyrum historia

18 Turritis igitur mœnibus efferi
Hostes assiliunt; summaque civium
Virtus objicitur; mox tamen arduos
Muros impete subruunt.
Augescit feritas insilientium :
Custos opprimitur, fortior occidit.
Transcurrunt rabidi per loca milites
Urbis plena tumultibus.
Sacris tum medios Ædibus ingruunt;
Mactant presbyteros, et caput, infula
Protectum, Stephano cæde nefaria
Fœdi sæviter amputant.
Vinctos sacrilegum turba superstites
Educit, Domitor quo ferus imperat,
Mandans interimi, ni Mahometica
Christo dogmata præferant.
Sed constans perhibet quisque libentius
Jesu martyrium : verbera, spicula

AUCTORE P. B.

Perpessos rigidus postmodo transtulit
Cunctos ensis ad æthera.
Nunc a Christiadum finibus aspera
Turcarum pereant arma furentium
Istorum meritis, o bona Trinitas,
Cui per secula Gloria.

§ III. Hydruntum obsessum a Turcis et crudeliter expugnatum.

Martyrum horum historiam permulti scripserunt,

Martyrum *nostrorum certamen auctores synchroni supparesque multi scripserunt : ut Antonius Galateus, de quo supra num.* 11 *diximus, in libello de Situ Iapygiæ pag.* 51 *et sequentibus : Michaël Lagettus in volumine Ms. Italico ac pervetusto, quod in archivo metropolitanæ ecclesiæ servatur Hydrunti hoc titulo,* Historia della cita d'Otranto *etc., id est,* Historia civitatis Hydruntinæ; quomodo capta fuerit per Turcas, et affecti martyrio cives ejus fideles; scripta per Joannem Michaëlem Lagettum et ipsum E Hydruntinum. *Magnam hic meretur fidem, ut qui pleraque acceperit a patre suo, qui Hydrunti tum captus a Turcis manserat usque ad mensem Martium anni* 1481, *quando Velonam in Albania, seu Valonam, uti nunc vocatur, avectus, ibique fugæ nactus occasionem; medio circiter Julio rediit ad obsessam per Christianos patriam; ubi mansit in castris usque ad urbis deditionem. Asserit insuper, se multa didicisse ab aliis senibus, qui rebus, quas testabantur, olim interfuerant; non omnia tamen a singulis, sed aliud ab alio. Non habemus, nisi præcipua hujus Excerpta, sed ipsis auctoris verbis edita in Collectione Capani a pag.* 37. *Testem quoque ex iis, quibus in eadem Hydrunti calamitate parcitum est, honestum audivit Leander Albertus, cujus narrationem exhibet in sua Descriptione Italiæ; ubi de Hydrunto in Salentinis.*

e quibus brevem nos hic eclogam dabimus.

20 *Accedunt ejusdem ætatis ac loci testimonia, quæ infra consuli poterunt in Informatione anni* 1539, *quam recudemus. Mitto cetera instrumenta temporum fere illorum ; quæ si necessaria* F *fuerint, in loco exponentur : visum est enim ex universis optima seligere potius, quam unum exhibere, cui vel multa desint (ut fere desunt antiquioribus singulis) vel plurima redundent, quæ ad absolutam Hydruntini belli, magis, quam ad* Martyrum, *de quibus hic agendum est maxime, faciant historiam ; qualia sunt, quæ tamquam a Galateo pridem Latine composita, vulgavit Italica phrasi adulto jam seculo* xvi *Joannes Michaël Martianus, Canonicus Hydruntinus : tum ea quoque, quæ anno* 1631 *Hispanice non sine laude publici juris fecit Neapoli Franciscus de Araüjo protonotarius apostolicus ; et siqua forte sunt alia generis ejusdem hactenus ignota nobis, nec satis huic Operi congrua. Ordiamur adeo hanc syllogen ab urbis obsidione, de qua sic loco citato Antonius Galateus :*

Achmetes Hydruntum appulsus, frustra deditionem poscit :

21 Anno a Christo nato mcdlxxx Achmatus, præfectus classis Machometis Turcarum regis, ex Aulone Macedoniæ oppido, solvens cum ducentis navibus et octodecim millibus fortissimorum bellatorum, Hydruntum obsedit non sine omni armorum et machinamentorum genere. Qui, tentatis oppidanorum animis, ablatisque non iniquis conditionibus; ut, quando non haberent aliquam spem

27

AUCTORE P. B.

spem auxilii (exercitus enim noster eo tempore in Hetruria res gerebat) neque invalidam urbem defendi contra tantam vim posse [scirent,] ut callide et vere aiebat barbarus, aut ultro se dederent; [quod] suadebat; aut cum uxoribus et liberis et iis quæcumque ferre possent, urbem defenderent (*imo* desererent,) atque in vicinas urbes commigrarent, vitamque et libertatem suam servarent. Stultum esse aiebat bene sperare, ubi nulla esset spes salutis aut auxilii : at si ipsi fidem, homini et ignoto et hosti, non haberent, se exercitumque suum omnem naves ascensurum atque in mare octo aut decem millibus passuum ab urbe abiturum pollicebatur; illi interea suæ saluti et libertati consulerent. Hæc oratio primo ab Hydruntinis contempta est. Responderunt, se paratos esse pro Christo proque suo rege extrema omnia pati et demum mortem obire : ac nuntio, ne iterum rediret, jusserunt, ac mortem comminati sunt, si quis civium de deditione verbum faceret. Secundum nuntium eadem referentem sagittis confixerunt. *Hactenus Galateus; cujus luxatam ab amanuensi vel typotheta syntaxim per* B *insertos uncinos restituere coactus fui. Quod si cum illo alios eatenus conferre volueris, observa sequentia.*

hujus rei tempus, et alia quædam

22 *Primo, Expeditionis hujus Turcicæ causas referri a Martiano apud Capanum pag.* 1 *et* 2 *ab Araüjo pag.* 17, *a Spondano in Continuatione Annalium Baronii ad hunc annum, num.* 3, *aliisque; ubi legi possunt; cum nostra nihil intersit, quæcumque demum illæ fuerint. Secundo, æque quidquam huc facere, qualis quantusve apud Mahumetem II ejusque filium Bajacetem fuerit Achamatus; videri id proinde posse ad annum* 1475 *num.* 8 *apud eumdem Spondanum, qui eum Visirem Bassam Geducem Achmetem nuncupat. Plura tamen volenti dabit Leunclavius in Historia Musulmana ab anno* 1480 *seu fine libri decimi sexti. Tertio, annum Christi* 1480, *quo Turcæ Hydruntum venerint, adeo certum esse ex consensu veterum atque ejusdem anni litteris Apostolicis a Raynaldo recitatis; ut mirum sit, a Leandro Alberto sequentem assignari potuisse. Quarto, diem adventus Turcarum et cœptæ obsidionis a Volaterrano exprimi* XXVIII mensis Julii. *eumdemque colligi posse paulo inferius ex Gala-* C *teo contra Martianum, qui adventum affigit ejusdem mensis diei* XXIV, *exscensionem vero e navibus diei* XXV. *Quinto, variari inter auctores in numero, cum hostium tum navigiorum; hæc enim Volaterranus universim ait fuisse* circiter centum *alii multo plura; solus, quod sciam, Galateus usque ad ducenta pertingit : hostium cum Galateo Martianus recenset octodecim millia; alii cum Bonfinio Rerum Hungaricarum decade* 4, *lib.* 6, viginti millia : *contra urbis propugnatores idoneos, Martiano teste, non amplius mille quadringentos.*

adjuncta.

23 *Quod narrat Galateus, ante omnia propositas obsessis fuisse deditionis conditiones; et mori bellico convenit, et Araüjus affirmat cap.* 13; *Martianus tamen ait, prius diebus decem impetitos atque interruptos fuisse muros. At si hoc ipse ex Latina, nescio qua, Galatei Historia vertit Italice, profecto Galateum cum Galateo pugnantem exhibuit : cum in opusculo ejus notissimo, quo hic utimur, asserat, et muros quati cœpisse posterius, et solo* triduo *eversos fuisse. Hinc Martianum historiæ suæ Italicæ malim auctorem credere, quam sincerum interpretem. Porro repulsum ab oppidanis cum interminatione hostilem oratorem fuisse, certa res est; at secundo* D *redeuntem horum sagittis esse confixum, apud solum legimus Galateum. Ceterum tempestatem tam improvisam omnibus pridem ante divinitus edoctus præviderat simul ac prædixerat S. Franciscus de Paula, uti et secuturam anno sequenti Turcarum ejectionem; quemadmodum in Actis ejus non semel notatum est ad diem 2 Aprilis pag.* 141 d, 166 f, 169 a *etc. Sed prosequamur cum Galateo ibidem.*

Expugnatur Hydruntum XI Augusti

24 Concitatus ira barbarus, omnia machinamentorum genera, et quæ bombardas dicunt, et quas habebant incredibilis magnitudinis, expediri jussit; ac invalidos et veteres muros triduo evertit; adeo ut per plures dies inter nostros Turcasque res telis ensibusque ageretur. Nostri urbem acerrime repugnantes tutabantur. Tandem sexta, quam genus Turcarum in veneratione habet, feria, decimo quinto obsidionis die, tertio Idus Sextiles (Idus semper Italiæ infaustas : etenim VI Idus Sextiles apud Cannas cum Hannibale infeliciter pugnatum est) omnibus fere nostris sauciis ac laboribus et vigiliis defessis, Turcæ urbem per plana ingressi, primo impetu nemini pepercerunt. E Sacerdotes in ecclesia omnes ad unum trucidaverunt, et nonnullos super altaria Hostiam tenentes tamquam victimas mactaverunt. Postquam nocte tota, quam turbulentus ille dies secutus est, Stephanus archiepiscopus, consanguineus meus, omnem populum divino Eucharistiæ Sacramento firmaverat ad matutinam, quam præscierat, pugnam, a subterranea templi parte ad locum, quem chorum dicunt, ascendit; ubi martyr Christi pontificalibus insignitus ornamentis, in sua sede ab irruentibus Turcis jugulatus est. *Ad hæc iterum observes velim, quæ subjicio.*

crudelitate maxima in sacerdotes præsertim

25 *Primo de die urbis expugnatæ Galateo assentiri Volaterranum; testem sextum juratum infra, Lagettum; antiquam epigraphen in ecclesia Hydruntina apud Capanum pag.* 45 *etc. Proinde, audiendos non esse Bonfinium cum sequacibus, qui eum fuisse volunt die* XVII *obsidionis; multo minus vero vel Summontium, qui notat* XXI, *vel Giannettasium nostrum, qui* XX *Augusti, seu* XIII Cal. Septembris, *Hist. Neapolit. tom.* 3, *pag.* 62. *Secundo, crudelitatem licentiamque Turcarum in primo illo invasionis impetu paulo fusius a Volaterrano et Sixto PP. IV apud Ray-* F *naldum hoc anno num.* 17 *et* 20 *depingi; sed nescio, an satis explorata veritate; quod addo propter supplicium, quo Sixtus affectum fuisse scribit archiepiscopum Hydruntinum; ut mox dicetur. Porro inter sacerdotes, qui in variis ecclesiis tum cæsi memorantur, agit celeber istius ætatis in Ordine S. Dominici concionator Gabriel Barelete, alias Barletta, ad feriam tertiam Pentecostes folio, secundum editionem anni* 1518 *Hagenoënsem,* 142, de Fratre nostro *(hoc est, ejusdem opinor Ordinis)* in Otrando : dum civitas caperetur a Thurcis, nec cessaret a prædicatione, Descende, inquiunt. Mori potius voluit : et per medium in pulpito sectus est; nec cessabat loqui : Sancta fides, sancta fides, sancta fides! *Verba sunt ipsa citati auctoris. De aliis vide-sis Martianum pag.* 11.

et archiepiscopum,

26 *Tertio, mira varietate narrari cædem archiepiscopi Hydruntini : nam Sixtus PP. IV scribit, apud Raynaldum hoc anno ad num.* 20 *scribit, capta jam urbe, Turcas* ad metropolitanam ecclesiam accedentes bonæ memoriæ Stephanum archiepiscopum Hydruntinum, senem decrepitum et plenum dierum, qui in apparatu pontificali corpus

A pus Domini nostri Jesu Christi deferendo per eamdem ecclesiam cum suis Canonicis et aliis presbyteris ac clericis processionaliter pro civitatis defensione et incolarum ejus salute humiles preces effundebat, non secus atque impius Manasses Isaiam serra lignea per medium secasse, et eos, quos secum habebat, canonicos et presbyteros prædictos Deum laudantes et misericordiam ab eo alta voce exposcentes crudeliter intra ecclesiam ipsam trucidasse et interemisse etc. *Consonat Sixto synchronus Breydenbachius sub finem operis de Peregrinationibus sacris, ipseque Raynaldus, et alii. Bonfinius contra decade 4, lib. 6 ait,* cute exutum *fuisse : Martianus aliique, obtruncatum, et quidem cum sacram Eucharistiam populo distribueret; eodemque modo cecidisse Canonicos omnes ipsi assistentes, quos auctor ille singulos compellat nomine. Nimirum hæc omnia sparsisse famam, facile credimus. Cedere tamen hæc debet jurato testimonio venerabilis abbatis (hic titulus est canonicorum Hydruntinæ ecclesiæ) Angeli Pendinelli, qui anno 1539 legitime interrogatus, respondit sequentia :*

in ecclesia sua obtruncatum ;

B 27 Quod, cum jam ipse testis sit ætatis annorum LXXXIV, recordatur, quod de anno Domini MCDLXXX, cum ipse testis tunc esset diaconus, venit classis Turcharum, et obsedit civitatem Hydruntinam per dies quindecim continue, et tandem eam vi cepit : in qua inter alios erat tunc reverendæ memoriæ dominus Stephanus, tunc archiepiscopus Hydruntinus : et dum ipsi hostes astu expugnarent civitatem, ipse dominus archiepiscopus apparatus cum vestibus sacris, accessit ad altare, et, præsente magna populi multitudine, cum magna devotione sacram Missam celebravit, et benedictionem pontificalem populo dedit, omnes paternis vocibus animando, ut firmi starent in sancta Christi fide, et pro ejus amore, si opus esset, vitam exponerent; respondente universo populo, se paratos esse pro sancta Christi fide millies libentissime mori. Et cum ipse reverendissimus tunc dominus archiepiscopus, finita Missa, ad sacristiam rediret, irruentibus hostibus in civitatem, venerunt intra ecclesiam ipsam; et reperto ibi D. archiepiscopo ante fores sacristiæ, eum occiderunt, IPSO TESTE PRÆSENTE cum multis aliis clericis, quos omnes ipsi hostes infideles captivos fecerunt, SOLO IPSO ARCHIEPISCOPO INTERFECTO jam decrepitæ ætatis annorum octuaginta et ultra, discurrentibus etiam ipsis Turcis per ecclesiam et civitatem occidendo multos ex ipsis civibus et quotquot inveniebant. *Redibunt hæc infra in Informatione Hydruntina; placuit hic tamen etiam adscribere; quia nihil ad rem præsentem videtur afferri posse locupletius.*

C

a MM. tamen Hydruntinis nostris diversum.

28 *Observa quarto, tametsi archiepiscopum hunc Galateus appellet* Martyrem Christi; *de cultu tamen ejus nullum verbum facere; quin ab illis* Octingentis, *quorum deinde cultum adstruit, hunc manifeste secernere. Sed neque aliunde quidquam accepimus hactenus, quo communem ipsi cum Octingentis, de quibus modo agendum nobis est, venerationem tueamur. Bis asserit, fateor, Ughellus in archiepiscopis Hydruntinis, eum in communi cum ceteris Hydruntinæ ecclesiæ sacello conditum esse; sed non probat : cum appareat multo verisimilius, deperditum fuisse corpus ejus per Mahumetanos, qui, ut mox narrabitur, constratam promiscuis cadaveribus urbem ante Achmetis ingressum purgare jussi sunt. Viderit adeo Ferrarius, quo nixus fundamento annuntiationem ejus supra num. 1 propositam dictaverit : nam Paulus Regius, quem solum citat, cum insinuare videtur, archiepiscopum eodem die cum Octingentis fuisse cæsum, errat insigniter; tum quæ affert publicæ venerationis vel incitamenta vel indicia (ut quod martyrii locus sua jam ætate nuncuparetur* Vallis Martyrum; *item, quod ibidem per multas noctes lucere visæ sint faces super* Martyrum *corporibus, non dubio cælestis eorum gloriæ argumento) ea prorsus nihil ad archiepiscopum, alio loco, alio modo, alio tempore cæsum abjectumque. Absit tamen, ut pastoris tam boni (ut qui animam strenue posuerit pro ovibus suis) detractum aliquid gloriæ velimus, dum cultum ejus publicum absque graviore auctoritate non audemus aut possumus confirmare.*

§ IV. Acta Martyrum Hydruntinorum.

Urbe jam capta, 800 Martyres

Acta Martyrum, *quos hoc die solemniter coli ostendimus,* Hydruntinorum *Galateus perstringit potius, quam enarrat his verbis :* Qui cladi superfuerint octingenti Viri, aut capti, aut saucii, aut ægroti extra urbem ducti, omnes ante crudelissimi Ducis barbari oculos cæsi sunt. Dicam rem raræ et antiquæ laudis, et futuris forte seculis minime credendam : nemo in tanto populo, mortis metu, a fide Christi descivit; imo alter alterum, filius patrem, pater filium, frater fratrem ad mortem hortabatur. Macti virtute, felices animæ, Martyres Iesu Christi, ausi facinus magnum ac memorabile! Numquam ego possum vos satis laudare : laus vestra et gloria et felicitas apud Deum manet æterna semperque manebit. *Hæc ille tantum de martyrio; quam breviter, tam confuse atque involute. Alium interim istius ætatis, qui hoc argumentum, quod huc proprie ac propemodum unice pertinet, Latine et pro dignitate digesserit, habemus neminem : nam Leander, etsi fusior est et olim Latinitate donatus; Italice tamen ipse scripsit; et quidem ex unius tantummodo testis relatione, quam utrum satis fideliter, usque dum postea scriberet, commendarit memoriæ, non temere dubites, si eam cum Lagetti narratione et admodum simplice et plurium ac sæpius auditorum testium fide confirmata comparaveris. Hujus proinde Excerpta, ut apud Capanum exstant legitime collata subscriptaque a pag. 37, Latina hic facere non pigebit ac sequi potissimum. Sic igitur habet, postquam de victa jam urbe dixisset :*

E

F

ad Achmetem adducti,

30 Noluit bassa civitatem intrare, antequam esset purgata corporibus mortuis tam Christianorum quam Turcarum; nam plateæ omnes iis erant plenæ; sed mansit in agro, in quo castra posuerat : præcepit quoque, ut omnes, qui captivos habebant, eos proderent et sibi coram sisterent, qua de re edictum emisit die sequente, qui sabbatum fuit XIII * Augusti : sic non diu post ad illum adducti sunt omnes; exceptis quibusdam, quos Turcarum capitanei absconderant in triremibus et qui adducti non fuerunt, quique se postea redemerunt pecunia, quam ante abstruserant (ut ferme fecerant universi) quam classis fuisset appulsa : hi vero cum producti non essent, sigillatim omnes exacti fuerunt a Capitaneis suis; qui affirmarunt, eos esse necatos ipso die, quo civitas expugnata fuerat.

* lege XII

31 Itaque per interpretem suadere cœpit atque hortari,

AUCTORE P. B.

iterum tentantur promissis ac minis

* *i. e.* Sultani

hortari, ut Christo renuntiantes Mahumetis religionem amplecterentur : hoc si facerent, reddituros se iis uxores suas ac filios, ac liberos in urbe relicturum uti subditos domini * : sin detrectarent, jussurum interfici; sic enim omnino fieri oportere ex consilio et sententia Chogiæ (ut magistrum ipsi suum appellant;) quod arma ceperint ac domino suo restiterint. Erat autem interpres ille apostata Calaber, qui simplex sacerdos * fuerat, ac de se ipse referebat, Christianum se fuisse et presbyterum, nuncupatumque antea Dominum Joannem; sed errore cognito, in quo versabatur, transisse ad Mahumetem, quem sciret a Deo missum fuisse; ut perspicuum esset ex victoriis, quas Turcarum domino largiebatur : tum si major Mahumeto Christus esset, ab hoc utique suos bello defensurum fuisse, non captivitati permissurum. His et similibus blasphemiis atque impiissimis falsisque argumentis nitebatur eos adducere sceleratus interpres, ut Christum ejurarent.

* *Ital.* prete di Missa

ad Mahumetismum;

32 *Antequam pergamus, nota primo; de hac nova optione Octingentis hisce Christianis jam*
B *inermibus vinclisque seorsum ab Achmete proposita, non meminisse quidem Galateum in Opere de situ Iapygiæ, ut neque testes infra proferendos in Informatione Hydruntina : sed neque illam eosdem negare. Secundo, subsistere igitur debere scriptoris hujus gravissimi tam expressum de illa testimonium, imo testimonia : testes enim plures audivit ac secutus est; quibus accedit ille, quem pro se adducit Leander Albertus, de Octingentis his tantum sic asserens* : Ceteri ad octingentos comprehensi omnes, deductis vestibus nudi, extra muros in vallem exiguam pertracti sunt.... Constitutos autem in eo certaminis loco primum Turca præmiis amplissimis propositis, ut fidem in Christum abnegarent, tentare; deinde minis indictaque morte, si recusarent, terrere. Sed omnium una voce *etc. Accedunt Martianus pag.* 13 *et seqq., Araüjus cap.* 19, *aliique tanto numero, ut affirmet Gualterius in Relatione Italica pag.* 11 *et sequente, eam esse* vocem publicam, famam ac sensum universalem provinciæ Hydruntinæ. *Tertio, de interprete apostata Calabro consentire cum auctore nostro Araüjum cap.* 19, *licet*
C *per vocem* Chogia, Coggia *seu* Cozza *videatur intellexisse* legem *seu* statutu *Turcarum : Martianum vero silere de interprete jam dicto : sed ejus loco nominare Moplesum quemdam, qui apud suos appelletur* Tulisman; *cuique permagna sit in rebus ad superstitionem eorum pertinentibus auctoritas. Leunclavius in Onomastico Turcico* Tulisman *interpretatur sacerdotem illum, qui precibus Turcis prævit : potuit hoc officium eidem apostatæ fuisse collatum. Sed parum refert, idemne fuerit, an alius. Prosequamur.*

sed, hortante Grimaldo, invicti

* *al.* Primaldus

33 Inter alios captivos, *inquit ibidem Lagettus,* erat Antonius quidam Grimaldus *, pannitonsor, vir senex, et ceteris bassæ propinquior : is omnium nomine respondit, agnoscere se omnes Christum filium Dei, Dominum suum ac verum Deum, et mori se millies malle, quam huic renuntiando Turcas fieri, atque apostatæ damnato et Christi inimico assentiri. Hinc ad Christianos conversus; Fratres, inquit, mei, pugnavimus hactenus ad patriam nostram vitamque tutandam ac probandam fidem dominis nostris temporalibus; nunc tempus est, ut pro animabus nostris et pro Christo decertemus, qui cum pro nobis in cruce sit mortuus, æquum est, ut et nos pro illo moriamur solidi et constantes in fide : hac morte temporali æternam vitam et martyrii coronam obtinebimus. D Ad hæc verba cœperunt una omnes voce et contentione multa clamitare, malle se millies perire quocumque genere mortis, quam Christum negare. Quærit bassa ex interprete, ecquid Christiani responderent. Reposuerunt omnes, inquit ille, mori se velle potius, quam a Christo deficere. Et sic omnino deliberatum est illis omnibus post senis istius Christiani adhortationem. Indignatus admodum hoc responso bassa, obtruncari mandavit universos; primo tamen loco magistrum Antonium Grimaldum, qui primo locutus, ad hoc ceteros impulisset.

die 14 Augusti

34 Itaque die tertia, quæ Dominica fuit, XIV Augusti, deduci jussit illos in montem, Della Minerva dictum, passibus fere trecentis ab urbe dissitum (Montem Hydrum appellant cosmographi) manibus a tergo colligatis, et partito per quinquagenos ordine; ut ibi omnes tamquam in altero colle Calvariæ per Turcas immanissimos jugularentur. Incedebant vero alacritate maxima, se invicem ad suscipiendum patienter martyrium animantes : hoc pater filio, filius patri, hoc frater frater, amicus amico, socio socius multo cum E fervore lætitiaque suggerebant. Relatum est etiam, cum ita constricti procederent, adductam illuc per certos Turcas puellam fuisse, quæ inter vinctos illos utrumque conspicata germanum suum, rogitarit : O fratres mei; et quo tenditis? Respondente autem altero : Imus ad moriendum amore Jesu Christi; ad has voces misellam continuo velut exanimem concidisse; tum per unius ex iisdem Turcis, qui erigere illam volebat, impactum in caput aciuacem ipso in loco mactatam exspirasse. Christi Servos porro, cum in loco jam destinato consisterent..., Turca quidam circumibat, manu prætendens tabellam characteribus Turcicis aliquot inscriptam, proclamante hæc interim scelesto interprete : Quicumque vult ista credere, vita donabitur; qui non vult, occidetur. Sed ne unus quidem iuventus fuit, qui a sancta sua voluntate propositoque dimotus sit.

octingenti obtruncantur post Grimaldum.

35 Ergo alii post alios per accinctos muneri carnifices ante oculos perfidi et spectaculo tam ferali lætantis, quem dixi, bassæ, ad unum omnes imperterriti constantesque, amputatis capitibus, F interempti sunt; et primus quidem, ut bassa præceperat, magister Grimaldus; qui ceteros, quoad superfuit, contenta ardentissimaque voce commonere atque incitare non cessabat ad martyrium; intentis in cælum oculis affirmans, illud se apertum videre, paratosque magna cum exultatione ad suscipiendas interfectorum animas angelicos spiritus; et hæc quidem se clare ac distincte intueri. Cum ea diceuti decussum caput esset, fixus perstitit et erectus; instar columnæ, truncus ejus; neque ad terram concidit (quidquid ad lapsum impelleretur a Turcis) donec in ceteros carnificina desæviit; ac tum demum juxta illos suapte sponte collapsus est.... Numerus hoc modo necatorum fuisse dicitur octingentorum.... Post lanienam relicta sunt in dicto monte, ita ut conciderant, corpora trucidatorum, insepulta, canibus, feris, avibusque carnivoris in prædam exposita, luculentissimo impietatis ac sævitiæ Turcicæ argumento. *Hæc ille de martyrio : nam quæ hoc secuta idem auctor aliique narrant, prosequemur sequente paragrapho; postquam hic nonnulla monuerimus.*

Hujus martyrii adjuncta quædam

36 *Ac primo quidem, Grimaldum illum, quem noster* panni-tonsorem *facit, a testibus in Informatione anni* 1539 sutorem *appellari. Secundo*

A *cundo, nihil ab his referri, de truncati corporis ejus tam diuturna atque immobili statione, quam post Lagettum etiam adstruunt Martianus pag. 17, et Araüjus cap. 19; qui addit, permotum eo miraculo carnificem Christo statim dedisse nomen; ideoque sine mora palo transfixum, evasisse martyrem. Hæc tam singularia in loco tam patente præsentes non omnino ad unum omnes advertere debuisse: et, si adverterint, potuisse deinceps interrogatos non testari, vix apparet credibile. Tertio, hunc eumdem Grimaldum videri, quem supra num* I *Ferrarius per ignorationem historiæ* Fabium *appellaverit* calcearium. *Quarto, deductos fuisse ex urbe* Martyres *nostros non solum ligatos, sed etiam* nudos, *ut in Informatione infra testabitur Joannes Longus; et consonat supra Leander Albertus. Quinto, de illa sorore, quæ fratres duos, cum una ducerentur, allocuta sit; et horum responso, meminisse etiam in Informatione anni* 1539 *testem septimum; sed nihil de sororis ejusdem cæde; quam alteri puellæ ibidem adscribit.*

B observantur. 37 *Sexto, tabellam, quam, interprete comitante, singulis ante necem Turca quidam exhibuerit, non reperisse me, nisi apud Lagettum, et qui hunc plerumque sequitur, Araüjum cap.* 19. *Septimo, quamquam ex auctore non appareat, vinctorum quemquam in loco supplicii supplicium evasisse; id aliunde tamen esse certissimum: nam in Informatione jam toties memorata de se fatentem audiemus Angelum Pendinellum; et ibidem de alio Baptistam de Natali. De Gabriele Memmo idem asseverat Martianus pag.* 17 *et sequente; de anonymo, qui dissolutis paulatim vinculis, præcipiti se fuga subduxerit, nec visus deinde fuerit nec auditus uspiam, narrat loco citato Araüjus. Hoc tamen verum, nemini prorsus abjectæ religionis crimen inferri. Octavo, universos numero quidem rotundo octingentos passim censeri; non videri tamen hunc numerum tam exacte definitum esse; quandoquidem in Informatione anni* 1539, *modo numerentur* septingenti et ultra, *modo* circiter septingenti, *modo* octingenti vel circa etc. *Postremo, de supplicii genere nullam apud veteres (nam recentiorem Bzovium nil moror) esse discrepantiam. At Martyrum cruorem (quod aiunt Martianus pag.* 18 *et Araüjus cap.* 19) *per ducentos et quinquaginta passus decurrisse in mare,* C *difficile creditu est; difficilius, (quod solus Martianus addit) illud aquis marinis exceptum ita supernatasse per dies multos, ut nec amitteret ruborem, neque inde longius æstu difflueret.*

§ V. Incorruptio prodigiosa sacrorum corporum, ac duplex translatio.

Corpora per menses 13 sub dio incorrupta, *Corpora* Martyrum *nostrorum in loco martyrii non tantum insepulta jacuisse: verum etiam incorrupta; idque per menses tredecim continuos, affirmant omnes: puta, per decem omnino menses a* XIV *Augusti anni* 1480 *usque ad* XV *circiter mensis Junii anni* 1481; *quando (ut Araüjus ex integra, ni fallor, Historia Lagetti scribit cap.* 30, *ea Dux Alfonsus projecta colligi, et ad proximum istic eremitorium coacervari jussit, donec honorifice sepeliendi post urbem receptam locus esset ac tempus; ut fuit mensibus postea tribus, quibus æque ibidem, etsi congesta, corruptionis expertia permanserunt: quam vero expertia? Solus in Informatione anni* 1539 *testis decimus asserit, ea se vidisse* cum carne EXSICCATA integra et illæsa; *alii tamen de exsiccatione nihil; sed primus ait, fuisse* sana, integra, et etiam odorifera, cum carne et ossibus, acsi tunc interfecta fuissent: *tertius;* absque aliqua corruptione et absque aliqua læsione; quin imo cum carne incorrupta et superextensa super ossibus ipsis: *nonus;* illæsa intacta et incorrupta absque aliquo fœtore, et pulchra, sicut si tunc occisa fuissent. *Octavus testis, cum jam in urbem et ecclesiam Hydruntinam inferrentur, eodem* vocatus a quodam cive, nomine Urso Capito, ut accederet ad videndum corpus sui genitoris *(unius ex iisdem* Martyribus) *vidit illud inter alia, aitque;* quod erat adhuc cum carne, acsi tunc fuisset occisum, non obstante quod per tresdecim menses sic prædicta corpora stetissent inhumata tempore tam hyemali quam æstivo. *Ceteros prætermitto.*

E et sæpe prodigiosis luminibus collustrata, 39 *Nemo autem fuit, qui incorruptionem hanc non adscripserit manifesto providentiæ divinæ miraculo, atque evidenti cum veri martyrii tum cælestis eorum gloriæ argumento; præsertim cum id solis illis corporibus acciderit: nam* cum non post multos dies a dictorum Sanctorum occisione quidam alius forensis *(id est, rusticus)* fuisset a Turcis ipsis in eodem loco decapitatus, et ibi inhumatus derelictus, canes accesserunt ad comedendum carnes ejus; ad corpora autem dictorum Martyrum numquam se approximarunt; *ut ait infra testis quartus. Imo vero ad hoc prodigium interim accessit et alterum, de quo ita Lagettus pag.* 44: Neque illud, quod a senibus, qui tunc evaserunt, accepi, prætcribo; quod postquam beata illa corpora cæsa fuerunt, noctu viderentur ibi luminaria multa accensa; qualia etiam videbant ex muris urbis ipsi Turcæ; quod canes illi ululantes; dicebant, animas interfectorum illorum per montem istum errabundas vagari; diabolos autem venire cum luminaribus ad eas capiendas. *Prodigiosa hæc lumina super stratis adhuc in martyrii loco corporibus illis noctu sæpius et a multis fuisse visa, luculente docebit Informatio Hydruntina.*

F transferuntur mense Novembri 1481 40 *Hæc miracula impulerunt Alfonsum Calabriæ Ducem, ut quamprimum urbem Hydruntinam recuperasset (recuperavit autem die* x *Septembris; ut certum est ex Raynaldo in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1481 *num.* 30; *quam quam eam non nisi post biduum ingressus est, Araüjo teste cap.* 40) *de* Martyrum *horum solenni in ecclesiam Hydrunti metropolitanam translatione acceleranda solicitus imprimis esset. Et vero fuit: nam, uti narrat ibidem Araüjus, eadem die* XII *Augusti, qua urbem intravit, ad principem ecclesiam recta contendens, ibi primum de victoria Deo gratias egit; tum ejus damna, quæ obsidionis tempore fuerunt illata, jussit continuo reparari.* Postridie, *inquit Lagettus pag.* 42, Calabriæ dux sacerdotes multos, et viros Religiosos ex provincia mandavit acciri; qui et venerunt: et cum solenni procedentium ordine comitatus ipsemet conducere voluit corpora illa benedicta Cæsorum, eaque reponi jussit in civitate Hydruntina in ecclesia majore... pro veris eos agnoscens Jesu Christi Martyribus. *Translationem hanc* Martyrum *ad eamdem ecclesiam per Alfonsum Ducem confirmabunt infra testes, qui interfuerunt; quique, cum illam contigisse asserant*

AUCTORE P. B.

rant post menses a martyrio tredecim, ad provectum eam Septembrem anni 1481 *non obscure defigunt.*

partim in ecclesiam Hydrunti metropolitanam;

41 *Martianus pag.* 19 *ait, a Sixto PP. IV mandatam fuisse curam tam Hydruntinæ ecclesiæ reconciliandæ, quam transferendorum in eam, jam reconciliatam, dictorum corporum Francisco de Arenis, archiepiscopo Brundusino, et in provinciis Hydruntina et Bariana proregi : quod satis apparet verisimile ; primo, quia ante translationem sine dubio reconciliari ecclesia illa debuit : secundo, quia id fecisse non dicitur ullus alius episcopus, nedum Hydruntinus, qui die tantum* XII *Augusti ad vacuam illam sedem (ut habet Araüjus cap.* XI*) ab Alfonso designatus, non tam cito credi potest consecratus fuisse : tertio, quia nemo ad illam solennitatem paratior, nemo dignior ; nemo Ferdinando regi ejus filio Alfonso (quos omnino credibile est rem hanc antea Sixto Papæ IV proposuisse) gratior tum erat, quam archiepiscopus ille ac prorex, ut ex Ughello colliges in editione Italiæ sacræ novissima tom.* 9, *col.* 37. *Itaque miramur, de hujus in hoc nego-*
B *tio præsentia operaque solum, quod quidem sciamus, Martianum fecisse mentionem. Observa hic interim Summonti et quorumdam aliorum hallucinationem, cum dicta jam corpora translata tum fuisse narrant, non intra urbem ad ecclesiam majorem, ut expressis verbis testantur qui astiterunt ; sed in ecclesiam, quæ nondum exsistebat, S. Mariæ* Martyrum *in loco martyrii suburbano. Observa præterea, locum ecclesiæ Hydruntinæ, in quo primum condita fuere ; illumque, ad quem ibidem posterius fuerunt elevata, descriptos esse superius* § I *a num.* 3 *a Pompeio Gualterio ; ante cujus tempora tantum de Hierogazophylacio hoc Hydruntino decesserat per largitiones quorumdam archiepiscoporum ; ut, nisi distractiones istiusmodi imposterum excommunicationis pœna coërcuisset, exhauriendum aliquando videretur ; quod ex Araüjo discimus cap.* 40.

partim aliquanto posterius.

42 *Majori in pretio* Martyrum *nostrorum exuvias Alfonsus habuit ; quam ut Hydrunti ad extremos regni fines, universas relinqueret, nullasque secum ad regni centrum et caput, Neapolim comportaret. Ergo Lagettus pag.* 42, *post*
C *descriptam translationem Hydruntinam, et corporum prodigiosam integritatem, ita subdit :* Hanc *(incorruptionem)* Dux cum attentius fuisset contemplatus (ut erat religione excellens) multa ex dictis corporibus in suo discessu inclusa capsis, quibus onerati muli fuere, transtulit Neapolim, eaque honorifice collocavit in ecclesia quadam, ubi etiamnum quiescunt. *Et in Informatione anni* 1539 *testis quartus in eo etiam consonat,* quod illustrissimus Dux Calabriæ devotione motus hujusmodi signis, fecit de corporibus illis ad cassas honorifice reconditis transportare super tresdecim mulos ad civitatem Neapolis ; ubi condidit quamdam ecclesiam, et ibi dictas cassias cum corporibus dictorum Martyrum reverenter reponi curavit. *At enim credi non possunt muli tantummodo tredecim in discessu Alfonsi tot capita cum suis ossibus et reliquiis, quos num.* 15 *numerata sunt,* ducenta quadraginta *scilicet, Hydrunto Neapolim transferre simul potuisse ; nisi jam ante translationem resoluta fuerint illa corpora, diuque adeo ibi, antequam aveherentur, deposita manserint. Miramur igitur, a Galateo de Situ Iapygiæ pag.* 55 Martyrum horum OSSA multa *Neapolim translata dici, et quidem ante corporum jam dictorum translationem in eccle-*
D *siam Hydruntinam. Certe contigit hæc Hydruntina translatio ante ullam corporum resolutionem in ossa, ut asserunt locupletissimi testes : contigit hæc ergo Neapolitana non paulo posterius.*

Neapolim

43 *Non paulo, inquam, posterius : nam hoc etiam innuere videntur auctores modo citati, cum translationi Neapolitanæ statim adjungunt repositionem eorumdem ossium* in ecclesia quadam *Neapolitana,* ubi etiamnum quiescunt : *paratam ergo fuisse significat ecclesiam illam ad hæc ossa honorifice collocanda, priusquam ea Hydrunto movere statuisset Alfonsus. Constat autem illam Alfonso concessam non fuisse ab Innocentio PP. VIII, nedum ita comparatam, nisi post annos aliquot a corporum translatione in ecclesiam Hydruntinam ; ut ex litteris Alexandri PP. VI mox intelliges. Non est igitur, quod utraque* Martyrum *nostrorum translatio, altera ad Hydruntinam, altera ad Neapolitanam illam ecclesiam, uno circiter eodemque tempore censeatur instituta. Sed Lagettus, inquis, translationem Neapolitanam connectit cum Alfonsi* discessu ; *discessit hic vero Hydrunto Neapolim* post aliquot menses
E *ab urbe recuperata, et quidem urgente admodum Ferdinando patre ; uti docet Araüjus cap.* 43 ; *imo ante provectum ver anni* 1482, *ut liquet ex Diario Stephani Infessuræ et Historia Neapolitana. Non potest igitur inter translationes jam dictas interjici tantum spatii, quanto opus est ad corporum illorum, quam defendimus, dissolutionem in ossa pulveresque. Respondemus, Alfonsum ut Neapoli Hydruntum sæpius venit ; sic Hydrunto Neapolim sæpius discessisse : venit Neapoli Hydruntum* 1480 *sub finem Septembris ad obsidendos Turcas ; discessit inde Neapolim exeunte ejusdem anni Novembre, propter hiemis inclementiam coactus aliquamdiu cœpta suspendere ; ut habet Araüjus cap.* 25 : *Hydruntum Neapoli rediit mense Junio anni sequentis* 1481, *quando strata istic* Martyrum *corpora primum vidit ac veneratus est ; discessit inde Neapolim accersitus a Patre, verno circiter tempore anni* 1482, *postquam recuperatæ civitatis munimenta designasset, quibus absolvendis toto decennio operæ insudarunt : rediit postremo iterum*
F *Neapoli ad eamdem urbem ad muniliones omnes, quas dudum imperaverat, lustrandas, iterumque post aliquot menses discessit inde Neapolim, ut narrat idem Araüjus cap.* 43. *Ad hunc tertium discessum respexisse putamus Lagettum, eique translationem Neapolitanam alligasse ; hic enim solus ad Innocentii VIII tempora referri potest, quem transferendis* Martyribus *ecclesiam Alfonso Neapoli concessisse testantur litteræ Alexandri PP. VI, quas ex Capani Collectione pag.* 93 *subjicimus :*

in ecclesiam S. Magdalenæ (cum facultate Innocentii VIII,

44 ALEXANDER PAPA VI. Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum cum felicis recordationis Innocentius Papa VIII, prædecessor noster, monasterium monialium B. Mariæ Magdalenæ prope Castrum Capuanum Neapolitanum Ordinis sancti Augustini sub cura Fratrum Minorum degentium, suppressis in eo dignitate abbatissali et prædicto ordine, claræ memoriæ Alphonso regi Siciliæ; tunc Duci Calabriæ, ut in loco dicti monasterii unum palatium pro sua habitatione construi et ædificari faceret, per quasdam suas literas concedi mandasset, pro parte ipsius Alphonsi, tunc Ducis, eidem Prædecessori exposito, quod ipse ecclesiam dicti monasterii honorare et decorare, ac libris, calicibus, paramentis, et aliis ad divinum cultum necessariis munire, et ibi nonnullos presbyteros

A ros et clericos, qui inibi divina Officia celebrarent, instituere, ac pro eorum sustentatione congruos redditus assignare proponebat: desiderabatque, ut ex tunc deinceps præfata ecclesia, non B. Mariæ Magdalenæ, « sed B. Mariæ de Martyribus ap- » pellaretur; quodque certa pars ossium Christi » Fidelium, qui apud Hydruntum per perfidos » Turcas pro Christianæ fidei defensione interfecti » fuerunt, et quæ ipse pro sua devotione recol- » ligi, et honorifice recondi fecerat », ad dictam ecclesiam de Martyribus transferrentur; idem Prædecessor per alias suas literas inter alia eidem Alphonso, tunc Duci Calabriæ, partem ossium hujusmodi ad dictam ecclesiam transferri, et inibi honorifice recondi faciendi, ac in ipsa ecclesia, postquam illam sufficienter dotasset, certos presbyteros et clericos, qui simul Collegium facerent, introducendi plenam et liberam licentiam concessit; prout in singulis literis prædictis plene dicitur contineri.

hic denuo confirmata ab Alexandro PP. VI) 45 Cum autem, sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Federici Siciliæ regis III fuit nobis nuper expositum, presbyteri et clerici prædicti in dicta ecclesia numquam fuerint instituti, B licet per aliquos presbyteros conductitios divina ibidem Officia aliquando celebrentur, et moniales dicti olim monasterii ad alia loca translatæ fuerint, ibique decenter collocatæ, ipseque Federicus rex singulari devotione ductus, cupiebat nonnullos Fratres alicujus ex Ordinibus mendicantium in dicto olim monasterio introduci, illudque ipsis pro perpetuis eorum usu et habitatione concedi; pro parte ipsius Federici regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut ejus piis votis in hac parte annuere dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati; Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, aut alter vestrum, si est ita, aliquos Fratres de aliquo ex Ordinibus mendicantibus, de quo eidem regi visum fuerit et prout ejus devotio dictaverit, in præfato monasterio authoritate nostra introducatis, ipsisque illud pro eorum perpetuis usu et habitatione concedatis, nec non eisdem Fratribus monasterium ipsum recipiendi, et illud perpetuo habitandi licentiam eadem authoritate elargiri curetis; nos enim quamcumque obligationem per præfatum Alphonsum regem de C dotando « ipsam ecclesiam de Martyribus » forsan factam penitus cassamus et annullamus; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII, prædecessoris nostri Constitutione, per quam prohibetur, nequis Ordinum mendicantium Fratres loca ad inhabitandum de novo recipere præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali faciente plenam et expressam de verbo ad verbum de hujusmodi prohibitione mentionem, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinibus * Apostolicis, nec non Statutis et Consuetudinibus Ordinum, quocumque juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XI Martii MCDXCVIII, Pontificatus nostri anno sexto.

* f. ordinationibus

L. Podentbarus.

Retro vero:
Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Neapolitano, et Episcopo Montis Pilosi.

Locus † Sigilli.

Registrata numero 37.

46 *Nota primo, Ordinem mendicantium, quem ad ecclesiam S. Mariæ de* Martyribus, *nunc S. Catharinæ ad Formellum, administrandam harum litterarum Alexandrinarum beneficio Federicus, seu Fridericus elegit anno proxime secuto, Christi* 1499, *fuisse Ordinem S. Dominici; ut vide apud Cæsarem Eugenium in Neapoli sacra eam supplementis, part.* 2, *pag.* 148. *Nota secundo, quamvis in Litteris Alexandri non exprimatur annus, quo Innocentius VIII ecclesiam jam dictam Alfonso cesserit, moniatibus alio translatis: non videri tamen dubitandum, quin id contigerit anno Christi* 1492; *primum quidem: quia fere ab initio Pontificatus ejus usque ad annum illum, qui Innocentio postremus fuit, perpetua inter Apostolicam Sedem andamque Neapolitanam bella contentionesve pertinacissime continuata, nullam istiusmodi beneficio opportunitatem videntur obtulisse; quam obtulit sine dubio annus* 1492, *a die* XXVIII *Januarii solemni inter partes dissidentes pace recreatus; ut ad annum eumdem num.* 10 *Raynaldus, aliique tradunt. Deinde, quia Alfonsus non potuit inde moniales dimittere, nisi alium iis fundum coëmeret; coëmit autem eodem hoc anno* 1492; *ut probat Eugenius loco citato. Quidni ergo eodem illo anno et concessionem ecclesiæ, et* Martyrum *aliquot* Hydruntinorum *ad Neapolitanos translationem;* E *et honorificam hic intra eamdem ecclesiam collocationem defigamus? Sed jam de Neapoli satis. Redeamus Hydruntum.*

AUCTOR P. B. putat anno Christi 1492.

§ VI. Alia miracula.

Ecclesia Hydruntina sæpe divinitus collustrata. T*ranslatis ad ecclesiam Hydruntinam corporibus* Martyrum, *desinere quidem cœpit, quod ad illorum gloriam ubique propalandam satis jam superque luxerat, integritatis adeo prodigiosæ spectaculum; sed alia tamen minime defuerunt:* Sic, *inquit Lagettus pag.* 41 *et seq.*, cum jam introducti in urbem fuissent et intra majorem ecclesiam depositi, multo tempore istic apparebant accensa prædicta luminaria; ita ut semel, cum forte navis quædam esset in portu, viderint homines in ea positi lumen maximum super ecclesiam; cumque ardere illam crederent, in cymbam exposuerint, qui cives commonefacerent: qui denuntiatione perturbati oppidani, cum ad ecclesiam undique concursum esset, nihil ibi quidquam deprehenderunt. Totum hoc, *subdit ibidem auctor* F *de omnibus, quæ huc usque narraverat,* scribo ex vera patris mei, qui præsens ibi fuit, relatione. *Testes plures infra dabit Informatio anni* 1539; *et inter eos quidem tertius de* Martyrum *eorumdem aliquot ossibus alibi collocatis mentionem insuper facit,* quæ *per eadem tempora* multis miraculis claruerunt.

urbs ipsa a MM. apparentibus defensa 48 Neque illud annotare negligam *(Lagetti verba sunt pag.* 42) quod hæc civitas *(Hydruntina)* per Martyrum horum sanctorum merita innumeris vicibus liberata fuerit compluribus adversitatibus et periculis, quæ ab hostibus ac pestilentia obvenerant; ut multis exemplis et luculentis probatum est, et firmiter creditur: Et quid hoc videri potest evidentius, quod accidit ætate nostra, anno MDXXXVII? Volens enim tum in hoc regnum irruere Turcarum imperator Solimannus, per se ipse suorum exercitum advexit immanem (capitum fuisse ferunt ter centies mille) una cum classe trecentarum navium, cui præerat Sofi bassa, Solimanni cognatus, ad portum hujus urbis die XXV mensis Julii MDXXXVII; ubi postquam, demissis velis, satis longam consultando moram traxisset, tandem

AUCTORE P. B.

tandem sublatis denuo velis, discessit ulterius, cepitque Castrum Uxentum *(oppida sunt Hydruntinæ provinciæ)* et alia loca, quorum incolas Aulonem avexit in servitutem... Multi autem Græci, qui in eadem tum classe fuerant, postea retulerunt, Mahumetanos tantam super urbis muris conspicatos fuisse multitudinem armatorum tantumque præsidium, ut præ terrore ausi non fuerint ad pugnam tentandam exscensum e navibus in terram facere. *Simile quid anno 1644 ibidem accidisse, refert Pompeius Gualterius; addens, in ejusmodi eventibus* Martyres *apparere consuevisse pro summis mœnibus tamquam bellatores armatos. Vide Relationem ejus Italicam secundo impressam Lyciis anno* 1677, *pag.* 22; *inde enim sequentia Latine versa depromimus, resectis tamen quæ nil faciunt ad historiam.*

in loco martyrii auditi cantus, visa lumina :

49 Sæpe etiam (etsi olim rarius) nocturno tempore visa sunt lumina in ecclesia S. Mariæ de Martyribus Fratrum S. Francisci de Paula extra urbem; et quandoque cum apparitione eorumdem Martyrum, composito ordine gradientium, ac descendentium et ascendentium per gradus montis, in cujus B apice non procul ab ecclesia sacellum est, ubi saxum asservatur, in quo sancti Martyres obtruncati fuerunt. *(De hoc Saxo nihil alibi legimus.)* Et post istiusmodi apparitiones, nuntii supervenere vel de apparatu classis cujusdam Turcicæ, vel de transitu navium aliquot barbaricarum, vel de casu aliquo sinistro, qui terris ab hac provincia remotis obvenerat. Unde pro certo habetur, quod hi sancti Martyres in omni necessitate nobis apud misericordiam divinam assiduo patrocinio opitulentur, nosque ab imminentibus defendant periculis. Recentius est quod accidit anno proxime elapso MDCLXXVI, mense Aprili; quando a rusticanis quibusdam extra muros juxta dictum S. Mariæ de Martyribus Conventum habitantibus exauditæ noctu fuerunt voces dulcissimæ melodiæ: quod cum indicarent patri familias, prosiliens et ipse foras, vidit in monte prope ecclesiam lucentes maximo numero tædas, quasi hominum processionem solennem instituentium.

apparitiones quatuordecim

50 Verum hoc demum admiratione magna, nec minore metu affectuque religiosis omnes perculit, quod hoc ipso anno MDCLXXVII similes luminum C apparitiones tribus aliquando plus mensibus decies et quater noctu sint observatæ. Et quatuor quidem primis vicibus Hispani milites ad arcis hujus regiæ custodiam excubantes, ex ædis hujusce cathedralis fenestris prolucere viderunt splendores plurimos; ut in examine publica curiæ nostræ archiepiscopalis auctoritate instituto juridice testati sunt. Apparitio prima contigit post mediam noctem die VI Januarii festo Epiphaniæ Domini. Secunda, eodem illo mense in profesto S, Pauli primi eremitæ, die Jovis, XIV Januarii post mediam noctem. Tertia post mediam itidem noctem diei Sabbati, pridie festi S. Petri Nolasci, XXX mensis ejusdem. Quarta, post mediam noctem diei Jovis, IV Februarii, in profesto S. Agathæ.

eodem anno

51 Apparitio quinta successit post mediam noctem diei Sabbati, VI Februarii, pridie festi S. Romualdi abbatis; neque ab excubiis tantum arcis, sed etiam ab oppidanis multis conspecta fuit. Lumina tum scilicet, majore, quam antea numero e fenestris iisdem prodire, et ipsum ædis tectum occupare visa sunt. Quinimo etiam Domino placuit, in immensa splendorum adeo gloriosorum luce ipsos etiam oculis cum intra tum extra memoratam basilicam spectabiles exhibere sanctos Martyres, qui multitudinis instar innumerabilis in sacrosanctam illam ædem ingredientes, more D supplicantium totam circuibant. Et vero insuper tum Canonicus istic inventus est satis dignus, ut modulationem ipsorum cælestem aure perciperet; tunc scilicet concinentium voces : « Gloria, gloria « Altissimo » : inde respondentium : » Jubilate, « jubilate ». Dum idem interim Canonicus, tamquam abreptus in ecstasim, ita defixus hæsit; ut nec movere se posset ad alios advocandos, neque scire quamdiu durasset hæc apparitio; cujus æque accuratum et solenne, ac præcedentium, examen est habitum....

52 Folio hoc scripto, Romamque exemplis *Christi* 1677
ejus non paucis die XVI Februarii ad Cardinales diversos missis, contigit apparitio sexta, tanto ceteris illustrior, quanto magis publica fuit et universæ civitati notoria. Die Dominica, XXI dicti mensis, hora noctis secunda, visi sunt conspecti splendores et intra et extra et supra dictam ecclesiam cum admirabili et multis palam exhibito spectaculo sanctorum eorumdem Martyrum; qui, ad modum succedentis ordine sibi multitudinis, bini ac bini progredi videbantur ex australi ecclesiæ porta (quæ plena lumine apparebat et aperta; E tametsi revera esset obserata,) et circumire usque ad septemtrionalem ejusdem ecclesiæ portam; quæ et ipsa clausa cum esset, aperiri tamen ad illorum ingressum et collustrari visa est. Ea species omnium animos variis ac piis commovit affectibus. Illustrissimus dominus Piccolomineus, archiepiscopus noster, in ecclesiam descendit eodem vespere; ad quam accurrisse jam populum universum comperit; et postquam Litanias Beatissimæ Virginis cum Collecta sanctorum Martyrum in ipso Martyrum eorumdem sacello devote cantari jussisset, unumquemque ad veram pœnitentiam et Communionem generalem adhortatus; universale jejunium indixit in proximum diem Lunæ, quando et servatum illud fuit, et ipse illustrissimus interfuit Missæ, quæ de Communi Martyrum solenniter fuit celebrata, assistente cum civitate propemodum tota magistratu. Inde, ad preces publicas, juridice discussa prodigii jam dicti veritas, et in tabulas relata...

53 Post apparitiones luminum septimam et *usque ad diem 17 Aprilis*
octavam subsecutis diebus observatas non solum a civibus, verum etiam a viris Religiosis e monasteriis suburbanis, ac præsertim e cœnobio S. Jo- F annis FF. Minorum Observantium, cui partes hujus basilicæ superiores magis expositæ sunt, accidit etiam nona ad vesperam dici Martis, XXIII mensis Martii, cum jam sol duabus horis occubuisset: tum enim ad copiosissimos luminum solitorum splendores, ab ecclesiæ metropolitanæ fenestris, muris, tecto affulgentes urbi toti, ipsique illustrissimo Domino ejusque familiæ, viderunt qui utrumque palatium ex adverso frontispicii basilicæ incolebant iu eamque ex alto per oppositas utriusque alæ fenestras duas attente introspectabant, viderunt, inquam, inter lucidissima multa et quasi discurrentia sidera consuetam jam videri beatam illam innumerabilis populi Multitudinem ordinata serie procedentem ab ea parte, ubi sacellum est Sanctissimi Sacramenti, per alam ecclesiæ dexteram, et, præterita media templi nave, per alam sinistram ad sacellum regium, ubi sanctorum Martyrum venerandæ quiescunt reliquiæ. Cumque Beatorum illorum alii proprio, quem ex sese spargebant, fulgore, alii discurrentium luce siderum, alii cereorum, quos manu præferebant, limpidissimis flammulis, oculis intuentium clarissima se in luce exhiberent, per insignem

A signem Dei bonitatem licuit accuratissime observare gloriosam cujusque formam, habitum, aliaque adjuncta, quæ in confectis hac de re legitime tabulis omnia sigillatim enumerantur, usque eo, ut in quibusdam etiam rubentia vulnerum, quasi recens inflictorum ac sanguine (ut apparebat) fluentium, indicia discerni potuerint.

spectatæ, Hydrunti

54 Die Jovis, VIII Aprilis, quinta post occasum solis hora, pridie quam celebrari solet Officium de Septem doloribus Beatissimæ Dei Matris, contigit apparitio decima; sed a paucis personis conspecta, quarum una egregie pia ex cubiculo, quod habebat in altero dictorum palatiorum, per oppositam in fronte basilicæ fenestram prospiciens idem vidit agmen gloriosum inter splendidissimos radios, ab ipsomet, ut a sole clarissimo, diffusos, ordine in binos partito, ecclesiam circuire. Eidem accidit apparitio undecima post mediam noctem diei XI Aprilis, quæ fuerat Dominica Palmarum; quando inter tonitrua nimbosque cælo deciduos ingens populi murmur audivit ex cubiculo; inde ad fenestram cubiculi prædictam accedens, clamores advertit ex basilica, tamquam B oppleta populo, proficisci: aperta deinum fenestra prospiciens in ecclesiam, simul hanc vidit paulatim illustrari totam, simul audivit hæc verba contentis quidem, suavissimis tamen consonisque vocibus versus altare venerabilis Sacramenti sæpius iterari: « Deus, Deus meus; sede a dextris « Dei »: crescentibus istic interea magis magisque splendoribus vis tanta venti pluviæque in fenestram et vultum obtuentis irruit, ut, ea confestim occlusa, ulteriori spectaculo fuerit abstinendum.

in ecclesia metropolitana

55 Eidem personæ oblata est apparitio duodecima, die XVIII Aprilis, festo Resurrectionis Domini, paulo ante horam secundam noctis, qua vidit ecclesiam illam luculentius illustratam, quam esse posset interdiu; sed ex humili reverentia mox a fenestra recessit. Secuta est postridie ad camdem horam apparitio decima tertia, non tantum ab illa jam persona, sed et ab aliis ejus domesticis per eamdem fenestram spectata satis diu; siquidem in eadem æde cathedrali, præter fulgores jam sæpius visos contemplati sunt duabus et amplius horis continuis hominem quemdam gravem ac lucidissimum, positis humi genibus manibusque junctis, ante aram Sanctissimi Sacramenti quasi orantem; uti constat ex instrumento juridici examinis de rebus modo dictis instituti....

C

et in suburbiis,

56 Evenit postremo apparitio quartadecima die Martis, XXVII Aprilis, versus horam ab occasu secundam; quando primum ab arcis præsidiariis et urbis incolis conspecta fuit solita claritas, adeo tum tamen intensa, ut flagrare basilica videretur; deinde iidem præsidiarii milites numerosam viderunt supplicationem cum accensis in manu cereis ex urbe procedentium ad montem sacri martyrii: et multi cives spectantes ex urbis muris, eos non solum in dicto monte, sed etiam alibi (ut ad orientem versus mare, et ad occasum versus continentem) eodem modo conspexerunt, simulque conclamarunt: Sancti Martyres; sancti Martyres! sonantibus interea campanis omnium, quæ sunt extra urbem, cœnobiorum; nonnullis etiam melodiam illorum, quasi conjuncta voce supplicantium, dulcissimam exaudientibus, etsi minus distincte cum propter nimiam distantiam, tum etiam propter immodicos obturbantis populi clamores.

57 Attendens vero illustrissimus D. archiepiscopus, per apparitiones gloriosissimorum Martyrum nostrorum toties iteratas, non obscure significari, quam sedulo et constanter advigilent, ut omnipotentem Deum, tot nostris peccatis irritatum, semper nobis exorent propitium: attendens insuper, quot, quantaque præter ordinarium naturæ cursum et olim collata sint, et conferantur adhuc fidelibus eorum tam in urbe quam in provincia clientibus beneficia præsertim in malignis morbis, qui fere omnes in perfectam valetudinem desierunt die, postquam cœperant, quartodecimo (qui numerus mysterio non caret, utpote Martyribus nostris consecratus, qui die XIV Augusti pro Christo passi sunt:) attendens præterea, post apparitionem hujusanni decimam quartam ita cessasse febres, ut exinde nemini unquam attulerint mortem: hæc, inquam, attendens, omnia, firmiterque confidens, hæc prodigia secuturæ felicitatis esse præsagia, decrevit illustrissimus Dominus novenam solennem, precibus publicis, expositione Corporis Domini, et Sacramentorum frequentatione celebrandam: invitavit exinde missionarios, qui more suo populi pietatem accenderent. Postremo per edictum publicum adhortatus est universos ecclesiæ suæ subditos ad vovendum commune jejunium, in solo pane, ut loquimur, et aqua servandum festo sanctorum Martyrum anniversario, die XIV mensis Augusti proximi.

AUCTORE P. B. et edictum archiepiscopi occasione illa promulgatum.

E

Hic finem facit referendi Gualterius. Nos, quando recentiora non suppetunt, ad vetera redeuntes, promissam toties Informationem Hydruntinam anni 1539 ex edita Lyciis probataque anno 1670 Francisci Antonii Capani Collectione monumentorum ad hos Martyres pertinentium, hoc loco recudimus, notis pauculis intercisam.

EXEMPLUM

informationis super martyrio gloriosorum Martyrum Hydruntinorum, factæ coram episcopo Scodrensi, Hydruntinæ sedis vicario generali anno MDXXXIX *a*.

F

Ex impressis apud Capanum a pag. 46.

Informatio hæc cur nomine civitatis

Coram vobis, reverendo domino Antonio de Baccharis, sacræ theologiæ doctore, episcopo Scodrensi et generali in spiritualibus vicario ecclesiæ archiepiscopalis Hydruntinæ, constitutus magnificus Joannes Franciscus de Cesanis, syndicus præsentis anni magnificæ Universitatis Hydruntinæ *b*, et syndicario nomine, et pro parte ipsius Universitatis exponit; quod, cum jam sint anni fere quinquaginta novem, quod, tunc Domino sic permittente occulto judicio sapientissimæ providentiæ suæ, civitas Hydruntina fuerit vi capta a sævissimis Christianæ fidei inimicis Turcis: et deprædata immanissime ipsa civitate, inter alia per ipsos fidei Christianæ ac Christiani populi hostes *c*, quæ gesserunt immania, plurimos ipsius civitatis Cives trucidarunt usque ad numerum septingentorum et ultra, ob id, quod

EX IMPRESSIS. quod constanter fidem Christi fatebantur, et requisiti sub promissione liberationis vitæ eorum, eam aliquo modo abnegare noluerunt : quorum venerabilia ossa cum recuperata eadem Hydruntina civitate per tunc honorandæ memoriæ serenissimum Alfonsum, Calabriæ Ducem, fuerint honorifice collocata inter cappellam majorem ecclesiæ cathedralis dictæ civitatis, ante sacristiam sita, et in eorum memoriam ab inde usque ad præsens consuetum sit in die occisionis prædictæ a presbyteris et clericis Hydruntinæ ecclesiæ cantari Vesperæ mortuorum cum Missa etiam pro defunctis; videaturque ipsi Hydruntino populo satis indecens esse, ut pro liberatione animarum illarum a purgatorii pœnis clerus et populus Hydruntinus oret, quorum tamen, veluti Christi Martyrum, in dies ante eorum ossa sacra genuflexi, suffragia petunt, et de quorum in cælesti patria gloria etiam complura apparuerunt signa; tum, ut hæc removeatur indecentia, dicente sancto Doctore Augustino : « Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre » ; tum ut, quantum potest ipse Hydruntinus populus, beatas illorum olim concivium suorum animas debito
B prosequatur honore, et amplius illis gratias agat pro ea protectione, quam in dies ipsa civitas experitur se ipsorum sanctorum Martyrum habere suffragiis :

postulata fuerit, 59 Ob has, inquam, rationes, intendens ipse Hydruntinus populus suppliciter petere a sanctissimo domino nostro Papa, sine cujus assensu nemo pro sancto est honorandus in terris; ut loco dictarum Vesperarum et Missæ pro defunctis ab ipso clero in honorem dictorum sanctorum Martyrum dicantur Vesperæ de Communi plurimorum Martyrum, cantetur etiam et successive Missa, cum Collecta ista, videlicet. « Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut, qui gloriosos Martyres tuos fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum etc. » Propterea ipse syndicus prædictus nomine prædictæ magnificæ universitatis petit, ut a Rev. D. V. tamquam a vice illius ordinario Pastore infrascripti testes legitime et canonice super præmissis examinentur, quatenus vera relatione facta sanctissimo in Christo patri ac domino nostro, domino Paulo, divina providentia Papæ tertio, facilius his devotis
C desideriis nostris sua Sanctitas assentiri dignetur.

et indicta juridice. 60 Præsens supplicatio præsentata fuit coram Rev. Domino Antonio de Baccchariis, episcopo Scodrensi, et generali in spiritualibus Vic. Hydruntino, per Magn. Joannem Franciscum de Cesanis, syndicum ordinarium ipsius civitatis Hydruntinæ, nomine et pro parte ipsius universitatis; quæ per ipsum Rev. dominum episcopum, et vicarium benigne admissa fuit : et decretum exiit per eumdem, quod capiatur informatio super expositis in retroscripta supplicatione per examinationem infrascribendorum testium, jam nominatorum; citatis prius nihilominus et præmonitis testibus ipsis etc.

Ex provisione facta per supradictum Rev. dominum episcopum, et Vic. committimus uni ex Clericis juratis et servientibus ipsius curiæ, quatenus receptis præsentationibus, ad omnem instantiam ipsius magn. syndici se personaliter conferat ad præsentiam infrascribendorum testium, eosque citet, moneat et requirat; et citando mandet eisdem, prout per præsentes nos citamus et mandamus, quatenus prima die post præsentium intimationem ipsi, et ipsorum quilibet comparere debeant coram nobis, in virtute sanctæ obedientiæ depositiri testimonium veritatis de et super contentis in retroscripta supplicatione : alias ipsis citatis, relatis, et non comparentibus providebitur, prout juris fuerit. Citetur, mandetur, et referatur quoniam etc. Datum in archiepiscopali palatio Hydruntino die XVII Junii MDXXXIX. D

Antonius episcopus, et vicarius qui supra, manu propria, etc.

Nomina Testium *d*

Abbas *e* Bernardinus de Alexandro.	omnes de Hydrunto.
Abbas Angelus Pendinellus.	
D. Joannes Leondarius.	
Nobilis Angelus Pavosius.	
Joannes Longus.	
Magister Paduanus de Vito.	
Joannes Panemolla.	
Magister Baptista Natali.	
Franciscus de la Cerra.	
Philippus de Pressa.	

Abbas Marcus Antonius de Giliberto Act.

Die XVIII Junii MDXXXIX cursor, etc. clericus Antonius Lazaretta retulit mihi abbati Marco Antonio de Giliberto actuario, se intimasse supradictos testes modo et forma sibi superius commissis, etc. E

ANNOTATA.

a *Hunc titulum ipsius Capani Latinum fecimus ex Italico.*

b Syndicus universitatis Hydruntinæ, *id est, urbis Hydruntinæ totius procurator.*

c *Etsi hic nonnumquam argui poterit grammatica; de infidelitatis tamen vitio cave nos arguas.*

d *Observa, non esse hic nomina testium scripta eo ordine, quo infra citabuntur.*

e Abbas, *hac appellatione gaudent Canonici ecclesiæ metropolitanæ Hydrunti.*

TESTIS I.

Constitutus coram prædicto Rev. domino episcopo, et Vic. antedicto, die XXXI mensis Junii præsentis anni MDXXXIX in ædibus archiepiscopalibus Hydruntinis, venerabilis abbas Bernardinus de Alexandro, Canonicus Hydruntinus, prius de ipsius D. episcopi mandato legitime et canonice citatus, et eidem per ipsum D. episcopum delato juramento de veritate dicenda super contentis in præmissa petitione, seu supplicatione facta per supradictum spectabilem syndicum nomine prædictæ Magn. universitatis Hydruntinæ, manibus corporaliter tactis Scripturis, interrogatus respondit. *R. D. Bernardinus de Alexandro testatur inter alia.* F

Et primo interrogatus, quantum tempus est, quod habitat in civitate Hydrunti; respondit, quod a die nativitatis suæ usque in præsentem diem semper in ipsa civitate habitavit, cum sit ipse natus annum circiter sexagesimum quintum.

Secundo interrogatus, si scit, quantum tempus est, quod civitas Hydruntina fuit capta a Turcis; respondit, quod fuit de anno Domini MCDLXXX.

Tertio interrogatus, an ipse testis esset in ipsa civitate, quando fuit capta a Turcis; respondit, quod sic; et quod ipse testis etiam fuit captus ab ipsis Turcis, et stetit captivus per menses tresdecim.

62 Quarto interrogatus, an sciat aliquos homines

A mines ipsius civitatis post illius capturam fuisse a Turcis trucidatos et ferro peremptos: respoudit, quod fueruut post captam civitatem circiter octingenti Viri, ab ipsis Turcis in ipsa civitate capti et ligati deducti extra ipsam civitatem circiter per tertiam partem uuius miliarii, in loco, qui dicitur Il Monte de Sau Joanue de la Miuerva, et ibi fuerunt ferro peremupti. *de numero Martyrum, et palæstra,*

de causa martyrii, Quinto interrogatus, an sciat vel audierit, propter quam causam Turcæ sic trucidaveriut dictos Viros; respondit, quod, ipso capitanio Turcharum, dicto el basciu, dicente universitati dictæ civitatis, quod in deditioueu se darent sibi; responderunt tota civitas, una cum prædictis Civibus interfectis, quod ipsi parati eraut mori pro fide Christi et fidelitate suorum dominorum:

de B. Grimaldo. Addens insuper ipse testis iuterrogatus, se audivisse a pluribus civibus, et præsertim a quondam veuerabili Demetrio, Canonico Hydruntino, et a quondam D. Raymuudo de Muro, qui cum essent captivi et servi Turcharum, ibi fuerunt præseutes, quod inter dictos Viros sic ligatos, ut iuterficereutur, uuus ex eis senior *a* ad alios omues conversus dicebat verba exhortatoria hujus tenoris, B vel similia in effectum, vulgari eloquio; videlicet: „ Figlioli et fratelli miei, questa è la giornata che „ dovemo a Christo: ciascuno per suo amore si piglia „ iu pacientia è cou bono animo, che haveremo la „ corona del martirio. „ *b*

de corporum incorruptione, 63 Sexto interrogatus, an sciat vel audierit, apparuisse aliquod signum post mortem dictorum Virorum, propter quod rationabile sit cogitare tale signum, seu talia sigua, si plura fuerint, esse in testimouium, quod tales Viri sic interfecti essent de numero Electorum Dei, et merito inter Martyres numeraudi, utpote mortui pro fide Christi; respondit, quod ipse testis vidit corpora dictorum sic occisorum stetisse inhumata iu eodem loco, in quo occisi fuerunt, per meuses tresdecim absque aliqua putrefactioue et absque aliqua læsioue, nec a canibus, aut lupis, vel avibus rapacibus fuerunt in aliquo læsa aut tacta.

translatione in urbem, Insuper etiam dixit ipse testis, quod post menses tresdecim ab eorum occisioue, cum fuisset ab ipsa captivatioue liberata civitas Hydruntina a quoudam C honorandæ memoriæ Alfonso secundo de Aragouia, tunc Calabriæ Duce, ipsa corpora sic interfecta, in eodem loco reperta fueruut saua, integra, et etiam odorifera, cum carne et ossibus, acsi tunc iuterfecta fuissent; et honorifice deducta in ipsam civitatem Hydruntinam, cum magna dicti Ducis, et aliorum devotione:

collustrationibus cælestibus. 64 Addens insuper ipse testis interrogatus, se audivisse a fide dignis persouis Hydruntinis, quod, postquam dicta corpora fuerunt introducta in ipsam ecclesiam Hydruntinam, visa fuere multotiens de nocte luminaria magna in ipsa ecclesia, et lucem immensam extra fenestras dictæ ecclesiæ apparuisse, et sic visam fuisse per aliquantulum spatium; ita ut etiam in ipsa prima apparitione accurrerint multi cives, dubitantes, ne ecclesia combureretur. Insuper ipse testis etiam dixit interrogatus, audivisse a fide dignis personis iu loco eodem, ubi dicti Viri sic interfecti fuere, apparuisse multotiens luminaria miraculose accensa. In causa scieutiæ dixit, se vidisse et audivisse, prout supra deposuit.

Ego Julius de Caballis Auct. Apostolica Not. Actor. dictæ Curiæ Not.

EX IMPRESSIS

ANNOTATA.

a Seuior. *Innuitur sine dubio Antonius Grimaldus, de quo vide supra num.* 33 *et* 36.

b *Hoc est*: Filii et fratres mei, hoc prælium est quod Christo debemus: patienti fortique animo illud quisque suscipiat propter ejus amorem; martyrii namque coronam habebimus.

TESTIS II.

Constitutus coram prædicto Rev. domino episcopo, et vicario antedicto, die XXVII ejusdem mensis et anni prædicti in loco prænominato spectabilis D. Joannes Leondarius, civis dictæ civitatis Hydruntinæ, prius de ipsius D. episcopi mandato *etc., ut supra num.* 61. *Joannes Leondarius.*

Et primo interrogatus, quantum tempus est, quod dictam civitatem Hydruuti habitat; respondit, quod in ea natus est jam sunt anni septuaginta, et in ea semper mansit, præter annos quatuor, in quibus captus a Turcis, captivus eorum stetit in eorum regione. E

Secundo interrogatus, quantum tempus est, quod civitas Hydruntina fuit capta a Turcis; respondit, che, secondo lo parere suo *a*, sunt anni circiter quinquaginta novem. *a*

Tertio interrogatus, an quando fuit capta a Turcis civitas Hydruntina, ipse testis fuerit in dicta civitate; respondit sic; et cum esset natus annum undecimum, fuit captivus ab ipsis Turcis usque Constantinopolim deductus.

vidit Martyres occidi coram se 66 Quarto interrogatus, an sciat, tunc in ipsa civitate captiva fuisse trucidatos Viros aliquos, dictæ civitatis cives, ab ipsis Turcis; respondit, quod cum ipse testis fuisset factus captivus ab uno ipsorum Turcharum, fuit conductus ad locum, qui dicitur San Joanne de la Minerva, extra civitatem Hydruntinam; ad quem locum deducti fuerant viri circiter septingenti ligati ut trucidarentur, ad hunc finem, ut ipse testis, qui tunc sic erat in puerili ætate haberet timorem; fecitque sibi testi dici per unum ex servis suis hæc verba: Si tu no serai homo da bene, el Signor farà far cusì à te *b*. Et sic in eodem loco vidit ipse testis dictos prædictos Viros ferro incidi, et magna crudelitate trucidari. F

Causa martyrii. Quinto interrogatus, si scit aut intellexerit, propter quam causam dicti Viri sic interfecti fuerint, et quid dixerint, quando sic trucidabantur; respondit, quod intellexit, quod quando ipse capitaneus Turcharum, dictus el Basela, præsentavit se armata manu in civitate Hydruntina, petiit a populo et civibus, ut traderent se sibi; promittens, quod bene eos tractaret: tum Viri illi una cum populo constanter responderunt, se esse paratos mori pro fide Christi et fidelitate servanda domino suo: addens insuper ipse testis interrogatus, quod inter Viros sic ligatos in dicto loco, ubi fuerunt trucidati, erat quidam inter alios senior, nomine magister Grimaldus, sutor, qui verbis suis animabat et animavit omnes ad sufferentiam mortis et passionis pro amore Domini nostri Jesu Christi. Et sic vidit ipse testis omnes illos cervices proprias absque aliqua contradictione gladiis exponere.

Miracula, translationes Hydruntum et Neapolim. 67 Sexto interrogatus, an scit vel audierit, apparuisse aliquod signum vel aliqua signa insolita; ita quod sit rationabile cogitare, talia signa fuisse a Deo, quod illi erant de numero electorum

EX IMPRESSIS. rum ipsius Dei, et inter Martyres merito numerandi; respondit, quod audivit a multis et multis fide dignis personis, multa luminaria miraculose accensa et apparentia super locum illum, in quo jacebant ipsa cadavera dictorum mortuorum, et etiam super ecclesiam archiepiscopalem Hydruntinam, postquam per * menses tredecim ipsa corpora de mandato honorandæ memoriæ Ducis Calabriæ, recuperata ipsa civitate Hydrunti, fuerunt deducta in dictam ecclesiam et ibi honorifice recondita: addens ipse testis interrogatus, et hoc aliud signum admirandum apparuisse, quod, cum dicta corpora stetissent per tresdecim menses inhumata in loco eodem, ubi trucidata fuerunt, numquam tamen fuerunt putrefacta, nec malum odorem emiserunt, nec umquam fuerunt tacta aut læsa nec a canibus nec a lupis nec ab avibus et vermibus; propter quam causam admiratus tunc illustris Dux Calabriæ, ex devotione fecit dicta corpora deferri intra ipsam ecclesiam Hydruntinam, et multa etiam ex eis in casseis *c* honorifice recondita, tamquam Sanctorum ossa et corpora, devote fecit deduci B in civitatem Neapolitanam. In causa scientiæ respondit ipse testis se vidisse, et audivisse, ut supra dixit, et testificatus est.

** lege post*

Ego Julius de Caballis Auct. Apostolica Not. et Cur. Metr. Hyd. Actor. Magis.

ANNOTATA.

a Che, secondo lo parere suo, *id est:* quod, secundum opinionem suam, sunt *etc.*

b Se tu non serai *etc. Hoc est:* Si tu non fueris homo frugi, idem tibi fieri dominus imperabit.

c Casseis, *id est*, capsis.

TESTIS III.

Joannes Longus

Die eodem, et loco constitutus coram prædicto Rev. domino episcopo, et Vic. antedicto honorabilis vir, magister Joannes Longus de civitate prædicta, prius de ipsius domini episcopi mandato *etc. ut num.* 61.

Et primo interrogatus, quantum tempus est, quod ipse habitat in civitate Hydrunti; respondit, C quod, cum jam sit ætatis annorum septuaginta unius, in ipsa civitate natus est, et in ea semper mansit, præter annos quatuordecim, quibus stetit captivus in regione Turcharum.

Secundo, quantum tempus est, quod civitas Hydruntina fuisset capta a Turcis; respondit, quod sunt anni quinquaginta novem.

Tertio interrogatus, an ipse testis tunc esset in ipsa civitate, quando fuit capta; respondit, quod sic; et tunc cum ipse esset ipse annorum duodecim, fuit factus captivus a Turcis, et exinde transportatus in regionem eorum.

adstitit martyrio, quod narrat.

69 Quarto interrogatus, an sciat Viros aliquos dictæ civitatis fuisse trucidatos, et quot fuerint, et ubi interfecti fuerint post ipsam civitatem captam *a*; respondit, quod, cum ipse testis fuisset deductus captivus ad papilionem sui patroni Turcæ, in loco, qui dicitur San Joanne dela Minerva, prope civitatem vidit Viros Hydruntinos circiter septigentos vel octigentos nudos, et ligatos cum funibus, manibus post terga ligatis, ad illum locum deduci, et ibi vidit eos cum ensibus trucidari et incidi.

Quinto interrogatus, an sciat causam, propter quam dicti Viri sic fuerint trucidati, et quid dixerint, quando sic mortui fuerint; respondit, quod cum D ipse testis esset in ecclesia majori civitatis Hydruntinæ, antequam ipsa civitas capta fuisset; et venisset unus nuncius magni Bascia Turcharum, interrogans ipsos omnes cives, et Viros prædictos, quod vellent dare se in deditionem principis Turcharum, qui omnes bene tractaret; Viri prædicti, una cum toto populo cœperunt clamare, dicentes, se esse paratos mori pro fide Christi et fidelitate suorum dominorum: et ideo post captam urbem sic ad occasionem deducti fuerunt ferme omnes, exceptis adolescentibus ephebis:

De Grimaldo,

70 Addens insuper interrogatus, fuisse quemdam magistrum Grimaldum, sutorem, seniorem, animantem omnes alios, quod respicerent cælum apertum, et libenter sustinerent mortem pro amore Domini nostri Jesu Christi. Et sic, cum ipse testis esset prope papilionem dicti patroni sui, in eodem loco distentos vidit omnes illos Viros, cum humilitate et mansuetudine despouentes capita sua, ut pro amore Christi trucidarentur:

et patre testis;

Addens insuper ipse testis, quod, cum ipse esset E in domo sui patris, et esset sermo, an deberent se dare in manibus Turcharum juxta eorum requisitionem, audivit suum patrem hæc verba dicentem, vel in effectum similia: „ Tutti noi homini de questa „ città siamo deliberati è pronti morire per lo amore „ de Giesù Christo *b*, „

de visis luminibus ante et post translationem;

71 Sexto interrogatus, an audierit vel viderit apparuisse signum aliquod, propter quod rationabiliter cogitari possit, prædictos sic interfectos Viros merito inter Christi Martyres numerandos, respondit, quod ipse testis audivit, quosdam nautas in navi una, existente in portu prope civitatem, vidisse supra ecclesiam majorem Hydruntinam, postquam in eam fuerunt deducta dicta corpora, faces magnas et luminaria miraculose accensa: addens insuper ipse testis interrogatus, audivisse a multis personis utriusque sexus, quod ipsæ viderant supra corpora ipsorum interfectorum in loco eodem, ubi interfecta fuerant relicta inhumata, multa luminaria accensa in nocte.

de miraculis alibi factis:

72 Insuper etiam dixit, quod, cum ipse testis, postquam rediit de captivitate, semel esset in quodam horto suo, vicino dicto loco, applicuit quædam navis quorumdam forensium *c* ex parte occidentali ad litus, et descenderunt de navi, ducti F devotione videndi locum, in quo interfecti fuerant dicti Martyres; et reperto ipso teste, rogaverunt eum, ut locum ipsum eisdem ostenderet; quos ad eumdem locum adduxit, qui cum magna devotione inclamati, * osculabantur terram illam, dicentes, se habere in regione sua aliqua ossa dictorum Martyrum, ibidem interfectorum, quæ miraculis multis claruerunt:

** i. e. vociferati*

de corporum incorruptione.

Addens postremo ipse testis, sibi pro magno signo videri, quod dicta corpora sic interfecta, per menses tresdecim in eodem loco inhumata steterint absque aliqua corruptione et absque aliqua læsione; quinimo cum carne incorrupta et superextensa super ossibus ipsis.

In causa scientiæ respondit, se sic vidisse, et audivisse, prout sup. dixit, et deposuit.

Ego Julius de Caballis Apostolica Auct. Not. et Cur. Hyd. Metr. Actor. Magis.

ANNOTATA.

a *Observa, numquam hic examinari testes de iis, qui tempore obsidionis aut irruptionis hostium in urbem sive armati sive inermes interfecti sint; sed*

A *sed solum de iis, qui post ipsam civitatem captam, seu omnino subactam occubuerint; ad quam non pertinent, qui in prima Turcarum invasione ceciderunt, quando cives nondum omnes arma deposuerant, sed adhuc passim intra urbem cum Turcis tumultuarie dimicabant. Vide supra num.* 28.

b *Id est*, Nobis, quotquot urbis hujus viri sumus, deliberatum est promptumque mori propter amorem Jesu Christi.

c Forenses *appellantur sæpe, qui de civitate non sunt.*

TESTIS IV.

R. D. Angelus Pavosius coram adfuit martyrio.

Die XXVIII Junii MDXXXIX ibidem constitutus coram prædicto Rev. domino episcopo, et Vicario, ut supra, nobilis Angelus Pavosius, de civitate Hydrunti, prius de ipsius Rev. episcopi mandato *etc. ut num.* 61.

Et primo interrogatus, dixit, quod, cum ipse testis sit jam ætatis septuaginta annorum vel circa, natus et educatus in dicta civitate Hydrunti, in B ipsa erat quando, jam sunt anni quinquaginta novem, civitas ipsa fuit capta a Turcis manu hostili: cum esset ipse testis, postquam ipsa civitas fuit capta, apud papilionem illius Turcæ, qui fecerat eum captivum, prope locum, qui dicitur San Joanne de la Minerva, extra ipsam civitatem, vidit ad locum illum deduci ligatos circiter septigentos Viros de ipsa civitate: qui ita ligati, tamquam agni ad locum prædictum ibant, ubi trucidati fuerunt, nominantes nomen Domini nostri Jesu Christi et se se invicem alterutrum confortantes: quos omnes, cum ipse testis esset prope dictum locum, vidit cum ensibus crudeliter trucidari a Turcis ipsis, cervices proprias humiliter extendentes.

Causa martyrii;

Secundo interrogatus de causa, propter quam ipsi Viri sic interfecti fuerunt; respondit, quod, cum fuissent requisiti per nuncium a bascia Turcharum, ut se dederent principi suo, renuerunt, dicentes, se paratos esse mori pro amore Christi et fidelitate dominorum suorum. Et sic propter istam causam, amoris Christi scilicet et fidelitatis, postquam capta fuit dicta civitas partim C dolose et partim vi ab ipsis Turcis, bascia Turcharum fecit ipsos sic deduci ad locum dictum, et, prout dixit, trucidari; semper ipsis clamantibus, et invocantibus nomen Domini nostri Jesu Christi; et sese invicem ad martyrium animantibus.

incorruptio corporum;

74 Tertio interrogatus, si sciat vel audierit, apparuisse aliquod signum, propter quod rationabile sit cogitari dictos Viros sic interfectos, annumerandos esse inter electos Dei et Martyres Jesu Christi; respondit, quod, cum ipse testis post diem tertium dictæ occisionis transisset per illum locum, ductus a servis patroni sui, cujus erat captivus, cum esset de mense Augusti circa duodecimum vel tertium decimum diem *a* ejusdem, qui * sunt magni calores, et essent ibi corpora inhumata et sanguinolenta, nullum sensit fœtorem; imo potius suavem odorem: addens insuper interrogatus, fuisse magnum et etiam sufficiens signum, quod erant veri Martyres Christi; quia, cum stetissent corpora illa inhumata per menses tresdecim, numquam tamen fuerunt tacta, neque læsa, nec a canibus, nec a lupis, nec ab aliqua fera sylvestri, vel volatili, cum tamen non post multos dies a dictorum Sanctorum occisione, quidam alius forensis fuisset a Turcis ipsis in eodem loco decapitatus, et ibi inhumatus derelictus, et tamen canes accesserunt ad comedendum carnem ejus; ad corpora autem dictorum Martyrum numquam se approximaverunt:

a
* *pro quando*

ex impressis

eorum collustratio cœlestis;

75 Addens insuper ipse testis, apparuisse aliud signum, prout ipse testis auribus propriis audivit sæpius ab ipsis Turcis, quod supra corpora ipsorum trucidatorum sic inhumata plerumque in nocte apparuerunt luminaria magna:

translatio Neapolim.

Addens etiam, quod illustris. Dux Calabriæ, devotione motus hujusmodi signis, fecit de corporibus illis, sic trucidatis, ad cassas honorifice reconditis, transportare super tresdecim mulos ad civitatem Neapolis; ubi condidit quamdam ecclesiam, et ibi dictas cascias cum corporibus dictorum Martyrum reverenter reponi curavit.

Interrogatus in causa scientiæ, dixit, se vidisse et audivisse, prout sup. deposuit.

Ego Julius de Caballis Apostolica Auct. Not. et Cur. Metrop. Hydr. Actor. Magistr.

ANNOTATA.

a *Satis apparet ex ipsis verbis* circa, vel, *vacillasse virum senem in tam longa memoria; et* E *aliunde certum est, martyrium non accidisse ante diem* XIV *Augusti.*

TESTIS V.

Paduanus de Vito martyrio interfuit.

Die ultimo Junii ibidem constitutus coram prædicto Rev. episcopo, et vicario, ut supra, honorabilis magister Paduanus de Vito, de Hydrunto, prius de ipsius D. episcopi mandato *etc. ut num.* 61.

Et primo interrogatus, dixit, quod, cum jam ipse sit ætatis annorum sexaginta octo vel circa, natus et educatus in ipsa civitate Hydrunti; in ipsa erat, quando, jam sunt anni quinquaginta novem vel circa, civitas prædicta Hydruntina fuit capta a Turcis; et ipse jam testis cum esset annorum novem vel circa, fuit factus captivus et expositus venditioni: deinde post captam ipsam civitatem cum esset ipse testis in quodam loca prope montem, qui dicitur San Jovanne de la Minerva, vidit multos, de quorum numero dixit se nescire, ex ipsis Christianis viris Hydruntinis extra ipsam civitatem duci F ligatos ad dictum locum seu montem, cum funibus ad collum, et manibus post terga ligatis, qui cum magna humilitate procedebant: et audivit ipse testis passim a circumstantibus ipsis dici quod ibant ad moriendum pro fide: addens ipse testis, quod audivit ab illis, qui erant viciniores ipsis interfectis, quod sese invicem hortabantur ad moriendum pro amore Domini nostri Jesu Christi et pro Christiana fide.

Prodigia martyrum secuta, et translatio MM.

77 Secundo interrogatus, an sciat vel audierit, apparuisse aliquod signum, propter quod sit verisimile cogitare merito, tales Viros sic interfectos, esse inter Martyres Christi annumerandos, respondit, quod scit, corpora dictorum Virorum sic interfectorum ibi stetisse inhumata per tresdecim menses absque hoc, quod fuerint læsa, nec a canibus nec a feris: et absque hoc, quod emitterent malum odorem: quam rem ipse testis novit: quia post quatuor vel quinque dies ipse testis ductus fuit a quibusdam Turcis per medium dictorum corporum; quæ vidit sic intacta et illæsa, ut prædixit: addens insuper, quod vidit etiam ipse testis, quod honorandæ memoriæ tunc Dux Calabriæ post menses tresdecim recuperavit ipsam

EX IMPRESSIS ipsam civitatem de manibus Turcharum; et fecit de dicto loco colligi et asportari ipsa corpora, quæ erant sana, integra et illæsa; et honorifice recondidit: et ea vidit ab ipso Duce cum reverenti devotione tractari: dicens ipse insuper testis se pluries audivisse a multis, quod viderant supra corpora ipsa, quando sic inhumata jacebant, multa luminaria miraculose accensa.

In causa scientiæ dixit, sic vidisse et audivisse, prout sup. dixit et deposuit.

Ego Julius de Caballis Auct. Apostolica Not. et Actor. Magister Cur Metrop, Hydr.

TESTIS VI.

R. D. Angelus Pendinellus urbem capi vidit, jam tum diaconus,

Die XVII Julii MDXXXIX Hydrunti constitutus coram supradicto Rev. domino episcopo, et vicario, ut supra, in ædibus archiepiscopalibus Hydruntinis, venerabilis abbas Angelus Pendinellus *a*, Canonicus Hydruntinus, citatus prius de mandato *etc. interrogatus respondit*:

Et primo, quod cum jam ipse testis sit ætatis an-
B norum octuaginta quatuor, recordatur, quod de anno Domini MCDLXXX, cum ipse testis tunc esset diaconus, venit classis Turcharum, et obsedit civitatem Hydruntinam per dies quindecim continue; et tandem eam vi cepit: in qua inter alios erat tunc rev. memoriæ dominus Stephanus, tunc archiepiscopus Hydruntinus: et dum ipsi hostes astu expugnarent civitatem, ipse dominus archiepiscopus, apparatus cum vestibus sacris, accessit ad altare, et præsente magna populi multitudine, cum magna devotione sacram Missam celebravit et benedictionem pontificalem populo dedit, omnes paternis vocibus animando, ut firmi starent in sancta Christi fide, et pro ejus amore, si opus esset, vitam exponerent; respondente universo populo, et omnibus, se paratos esse pro sancta Christi fide millies libentissime mori: et cum ipse Reverendis. tunc dominus archiepiscopus, finita Missa, ad sacristiam rediret, irruentibus hostibus in civitatem, venerunt intra ecclesiam ipsam; et reperto ipso D, archiepiscopo ante fores sacristiæ, eum occiderunt, ipso teste præsente cum multis aliis clericis, quos
C omnes ipsi hostes infideles captivos fecerunt, solo ipso archiepiscopo interfecto jam decrepitæ ætatis annorum octuaginta et ultra; discurrentibus etiam ipsis Turcis per ecclesiam et civitatem; occidendo multos ex ipsis civibus et quotquot inveniebant.

et martyr mox futurus cum sociis, nisi petenti Turcæ donatus fuisset.

79 Secundo interrogatus, addens ipse testis dixit, quod, cum ipsi Turcæ cepissent civitatem in die Veneris; sequenti autem die, videlicet Sabbati, ipse bascia Turcharum proclamare fecit, ut omnes captivi ante se ducerentur; et sic octingenti, vel circa, Viri Christiani ligati, ad conspectum ipsius basciæ præsentati fuerunt; qui sedebat super cathedra quadam in loco, qui dicitur lo Monte de san Joanne de la Minerva, ipso teste etiam cum aliis trucidandum, quod etiam absque dubio mortuus fuisset cum aliis, ni quidam Turcha ex gratia eum ab ipso bascia requisivisset, ut esset captivus, seu, ut dicitur, schiavo suo *: quem postea vendidit pro pretio ducatorum quatuor. Et sic captivum ad civitatem Constantinopolitanam deduxerunt; ubi stetit per annos octo cum dimidio captivus, quousque, commoditate sibi a Deo concessa, fugam arripuit.

* *i. e. mancipium suum*

Tertio interrogatus, si vidit dictos Viros Christianos in eodem loco, seu monte, deductos occidi; respondit, quod vidit eos, sponte cervice D deposita, et verba sancta dicentes, trucidari et occidi.

Quarto interrogatus, si audivit aliquos, aut aliquem, ex dictis Viris Christianis se ipsos hortantes; respondit, quod audiebat eos ad invicem dicentes, quod libenter sufferrent mortem illam; quia illa dies erat dies salutis; et sic vidit omnes illos voluntarie, et libenti animo cervices suas gladiis exponere.

Prodigiosa lumina super corporibus MM.

80 Quinto interrogatus, si sciat, vel audiverit, apparuisse aliquod signum, propter quod rationabile sit cogitare, dictos Viros Christianos sic interfectos, merito annumerandos inter Martyres Christi; respondit, quod audivit a multis et multis personis, quod de nocte super dictis corporibus ibidem relictis apparuerunt lampades divinitus accensæ; et tum propter voluntariam sic mortem toleratam pro amore Christi et sanctæ fidei, tum propter dicta signa, credit, ipsos inter Christi martyres esse computandos: alio autem modo, et alia dixit nescire; quia ipse sic captivus illis diebus fuit deductus in regionem Turcharum. E

In causa scientiæ dixit, quia sic dixit et audivit, prout supra testificatus est. De loco et tempore dixit, ut sup. dixit et deposuit.

Ego Julius de Caballis Apostolica Auct. Not. et Actor. dictæ Curiæ Metrop. manu propria.

ANNOTATA.

a *Videtur ex agnomine fuisse ejusdem familiæ cum archiepiscopo.*

TESTIS VII.

Joannes Panemollis vidit urbem capi,

Die XXIX Augusti MDXXXIX constitutus coram prædicto Rev. domino episcopo, et Vic. ut supra, in archiepiscopali palatio Hydruntino, honorabilis Vir Joannes Panemollis, de civitate Hydrunti, citatus prius de ipsius Rev. episcopi mandato *etc. ut supra*.

Et primo interrogatus, dixit, quod, cum ipse testis sit annorum septuaginta in circa *a*, meminit, a quando fuit capta civitas Hydruntina a Turcis, modo possunt esse anni circiter sexaginta: in qua F etiam deprædatione ipse testis fuit factus captivus a quodam Turcha, habente barbam prolixiorem: et cum esset ipse testis ætatis minoris, fuit ductus ab ipso Turcha extra civitatem ad papilionem suum, ubi fuerunt occisi Martyres illi, de quibus supra.

post oblatam a Turcis frustra libertatem,

Addens ipse testis interrogatus, se audivisse, fuisse transmissas quasdam literas per sagittam unam in ipsa civitate, scriptas per quemdam Christianum, nomine Joannem, qui tamen morabatur in regione Turcharum, in loco ubi dicitur la Velona *b*, et adductum cum classe in obsidionem b civitatis Hydruntinæ: in quibus literis continebatur, quod, si ipsi cives Hydruntini darent civitatem libere magno Turcæ, dimitterentur abire illæsi cum filiis et rebus suis: et audivisse unanimiter ipsos cives Hydruntinos prompto animo respondisse, se paratos esse velle mori pro sancta Christi fide et pro fidelitate suorum Dominorum.

et vinctos duci Martyres,

82 Secundo addens ipse testis interrogatus, respondit, se vidisse et audivisse, cum postea deductus fuisset ab illo suo patrono extra civitatem, in locum, ubi dicitur la Minerva, ubi erat papilio magni bascia, ibique vidisset successive

A ve magnam multitudinem ipsorum civium Hydruntinorum, qui, ligatis manibus, ducebantur ad locum occisionis, et omnes se se invicem hortabantur ad tolerantiam passionis et mortis propter fidem et amorem Domini nostri Jesu Christi: addens insuper, specialiter se vidisse duos fratres seorsum ab aliis fuisse conductos: et cum una eorum soror esset captiva, et ducerentur ipsi coram dicta eorum sorore, illaque diceret eis: Quo vaditis, fratres? responderunt: Ad mortem propter amorem Domini nostri Jesu Christi.

et occidi puellam, invocata Dei Matre.

Insuper etiam dixit, se vidisse ibidem quamdam adolescentulam, quæ ducebatur captiva a duobus Turcis, inter sese altercantibus, cujus deberet esse ipsa adolescentula; [quæ] elevatis oculis in cælum, invocabat Sanctissimam Dominam Virginem Matrem, ut mitteret sibi mortem, ut a manibus infidelium eriperetur: sicque, oculis in cælum elevatis, fuit ab altero Turcharum gladio confossa, et extensis manibus in cælum vocans et invocans nomen Beatiss. Matris, emisit spiritum.

De luminibus et incorruptione

B 83 Interrogatus amplius, si vidit, vel audivit aliquod signum apparuisse, propter quod conveniens sit putare dictos occisos merito esse numerandos inter Martyres Christi; respondit, quod audivit multotiens atque multotiens a multis Turcis, super corpora dictorum occisorum apparuisse multa luminaria accensa; de qua re, ut dixit ipse testis, videbantur etiam ipsi Turcæ admirari: addens ipse testis insuper, quod, cum per multum tempus corpora dictorum occisorum stetissent ibi inhumata, numquam tamen fuerunt, nec a canibus, nec a bestiis sylvestribus, nec ab avibus rapacibus in minimo tacta aut læsa, nec aliquem minimum malum odorem emiserunt.

Interrogatus in causa scientiæ, dixit, quia sic vidit, et audivit, ut supra. Super generalibus recte respondit.

Ego Julius de Caballis, qui supra, manu propria.

ANNOTATA.

a In circa *Italicum est; Latinum* circiter.

b La Velona *seu* Valona, *urbs et Latinis olim*

C Aulon *appellata; at jam pridem in potestate Turcarum cum portu capacissimo, in Albania; unde Achmetem cum funesta Hydrunto classe egressum supra diximus.*

TESTIS VIII.

Baptista de Natali vidit urbem capi,

Die v Septembris MDXXXIX constitutus coram prædicto Rev. Domino episcopo, et Vic. ut supra, honorabilis magister Baptista de Natali, de civitate Hydrunti, citatus prius de ipsius D. episcopi mandato *etc. ut supra.*

factus et ipse tum captivus,

Interrogatus, respondit; quod, cum ipse testis nunc sit annorum circiter sexaginta novem, recordatur, quod existente ipso annorum circiter novem, modo possunt esse anni sexaginta vel circa, Turcæ acceperunt civitatem Hydruntinam. Verum die præcedenti, cum ipsi Turcæ sollicitassent ipsum populum Hydruntinum, ut sese dederent eis, responderunt omnes unanimiter, potius velle se mori pro fide Christi, et fidelitate suorum dominorum, quam dare civitatem ipsis infidelibus: addens ipse testis interrogatus, quod vidit postea Turchas ingredientes ipsam civitatem, et passim multos occidentes, et alios captivos facientes; inter quos ipse testis etiam, quamvis esset minoris ætatis, ut præmissum est, fuit factus captivus.

vidit et patrem suum, inter Martyres constantem,

85 Insuper dixit ipse testis interrogatus; quod, cum die sequenti ab illo Turcha, qui fecerat eum captivum, fuisset deductus extra civitatem Hydrunti ad locum, ubi trucidati fuerunt dicti Viri Hydruntini, vidit ipse testis ipsos deduci ligatos ad locum occisionis: inter quos dixit, quod erat etiam genitor suus, magister Natalis; quod omnes simul pergebant ad locum occisionis, prompto animo sese invicem, ut dixit ipse testis se intellexisse, exhortantes ad tolerantiam mortis amore Christi et fidelitatis. Et specialiter dixit: quod, cum unus ex ipsis civibus se redemisset pecunia data, dictus suus genitor noluit se redimere; sed voluit potius cum aliis suis consociis mori; cum tamen potuisset se redimere quadam pecunia et summa ducatorum, quam prius metu Turcharum ipse absconderat.

et post 13 menses cum iisdem incorruptum.

86 Interrogatus præterea, si vidit, aut audivit aliquod signum apparuisse, propter quod cogitari possit, dictos Viros sic occisos annumerari posse inter sanctos Martyres Christi; respondit, quod multotiens audivit, quod a multis visæ fuerunt frequentius faces accensæ, et luminaria super corporibus E ipsorum occisorum noctis tempore; quæ ibi steterunt ita inhumata, illæsa, et remota ab omni fœtore per annum, et ultra, de qua visione dixit ipse testis se audivisse, quod ipsi Turcæ talia videntes, multum admirabantur: addens ipse testis interrogatus; quod, cum post tresdecim menses a dicta occisione recuperata civitate Hydrunti a Christianis, eoque redacto in libertatem, ipsa corpora deducta fuerunt in civitatem, et posita in ecclesia, fuit ipse testis vocatus a quodam cive, nomine Urso Caputo, ut accederet ad videndum corpus sui genitoris, quod erat adhuc cum carne, acsi tunc fuisset occisum, non obstante quod per tresdecim menses sic prædicta corpora stetissent inhumata tempore tam hyemali, quam æstivo propter quæ signa merito cogitari potest, dictos occisos sic computandos esse inter sanctos Martyres Jesu Christi.

In causa scientiæ dixit, se vidisse, et audivisse, prout supra dixit et deposuit.

Interrogatus super generalibus, recte respondit. F

Ego Julius de Caballis Not. et Actor. Magister, manu propria.

TESTIS IX.

Franc. de la Cerra vidit urbem capi et Martyres interfici,

Eodem die constitutus coram Rev. domino episcopo prædicto, et Vic. ut supra, honorabilis Franciscus de la Cerra de civitate Hydrunti, citatus legitime de mandato *etc.* dixit; quod, cum ipse testis fuisset annorum duodecim, modo possunt esse anni circiter sexaginta, civitas Hydruntina fuit capta a Turcis: ante cujus capturam, dixit ipse testis, quod Turcæ requisierunt populum Hydruntinum, ut darent sibi civitatem, et abirent. Tunc, dixit ipse testis, unanimiter omnes responderunt; quod volebant mori in fide sua. Deinde capta vi ipsa civitate, multi se multi in eorum ingressu fuerunt occisi; et multi etiam fuerunt facti captivi, qui postea trucidati fuerunt die sequenti *a* in loco, qui dicitur San Joanne de la Minerva: inter quos etiam ipse testis fuit captivus; sed cum esset minoris ætatis, evasit mortem: addens insuper ipse testis interrogatus, quod vidit altera die ad mandatum capitanei Turcharum

EX IMPRESSIS. Turcharum deduci omnes illos, qui erant captivi, ligatos ad locum occisionis; ad quem locum ibant cum maxima patientia et patientissime permiserunt se trucidari pro amore fidei Christianæ.

et post 13 menses absque ulla corruptione transferri. 88 Interrogatus, si vidit aut audivit, apparuisse aliquod signum, propter quod merito credi possit, dictos Viros, sic occisos, computandos esse inter sanctos Martyres Christi; respondit; quod vidit ipse testis, post annum et mensem deduci dicta corpora in civitatem et in ecclesiam, cum per illud tempus stetissent in loco occisionis illæsa, intacta, et incorrupta absque aliquo fœtore; et inducta in civitatem, et ecclesiam, apparebant pulchra, sicut, si tunc occisa fuissent.

In causa scientiæ respondit, quia vidit, et audivit, ut supra testificatus est.

Interrogatus super generalibus, recte respondit.

Ego Julius de Caballis Actor. Not. manu propria.

ANNOTATA.

B a Die sequenti; *sed non proxime sequenti: nam ex aliis constat,* Martyres *passos esse biduo post captam urbem.*

TESTIS X.

Philippus de Pressa fuit in urbe obsessa; sed evasit; Die XVII mensis Septembris MDXXXIX constitutus coram prædicto Rev. episcopo, et Vic. ut supra, honorabilis vir Philippus de Pressa, de civitate Hydrunti, citatus legitime de mandato sup. Rev. domini episcopi, et Vic. et sibi delato juramento, corporaliter tactis Scripturis, interrogatus [de] supra dicta supplicatione et petitione præsentata per supradictum D. syndicum, dixit et respondit; quod, modo possunt esse anni sexaginta vel circa, cum ipse testis tunc esset annorum sexdecim vel circa, recordatur, quod civitas ipsa Hydrunti fuit obsessa a classe et acie exercitus Turcharum; et fratres ipsius testis per funem deposuerunt ipsum extra muros, ut salvaretur; et ipse tunc aufugit ad terram, quæ dicitur Scorranum, distantem a C civitate Hydrunti circiter miliaria decem: addens ipse testis interrogatus, quod intellexit tunc, cives Hydruntinos, qui postea fuerunt occisi, quod ad interrogationem, quam fecerat capitanus Turcharum eis, ut illi darent civitatem, et ipse securi recederent, responderunt omnes unanimiter, se potius velle mori pro sancta Christi fide, quam illud facere.

testatur tamen de translatione et incorruptione corporum, a 90 Interrogatus, quid sciat postea dictis civibus accidisse, respondit; quod, capta civitate Hydrunti ab ipsis Turcis, fuerunt omnes occisi; inter quos, dixit, fuisse occisos patrem suum, duos fratres, et matrem cum duabus sororibus *a*: addens ipse testis interrogatus, quod illi, et omnes alii sic occisos pro amore Christianæ fidei, steterunt per tresdecim menses, ita inhumati, intacti, et illæsi in loco extra civitatem Hydrunti, qui dicitur lo Monte de san Joanne de la Minerva, ubi fuerunt occisi, usque ad illud tempus, in quo venit honorandæ memoriæ tunc Illustris. Dux Calabriæ, Alfonsus secundus de Aragona, qui recuperavit dictam civitatem a manibus Turcharum; et recuperata ipsa civitate, fecit colligi corpora dictorum Sanctorum occisorum, et introduci in civitatem, quæ corpora, dixit ipse testis, se vidisse cum carne exsiccata, integra, et illæsa.

D 91 Interrogatus, si intellexisset, apparuisse aliquod signum, propter quod putari possit, dictos Homines, sic occisos, annumerandos inter sanctos Christi Martyres; respondit; quod primo intellexit, eos fuisse mortuos pro amore sanctæ fidei Jesu Christi, et patienter ipsam mortem sustinuisse: insuper, quod steterunt per tantum tempus sic inhumati, illæsi, et sine fœtore; et postea ipsa corpora deducta fuerunt a prædicto olim Illustris. Duce, cum magna devotione et reverentia: insuper etiam, quod apparuerunt multotiens faces accensæ super eisdem corporibus de nocte, quando sic erant inhumata in loco occisionis; quas etiam faces intellexit etiam apparuisse sic accensas de nocte in ecclesia archiepiscopali Hydruntina, in qua, ut prædixit, deducta fuerunt. *et luminum apparitionibus.*

Interrogatus, in causa scientiæ, respondit; quia vidit, et intellexit, prout supra dixit.

De loco, et tempore dixit, ut supra.

De reliquis recte respondit.

Ego Julius de Caballis Actor. Not. ut supra.

ANNOTATA. E

a *Mater tamen ac sorores non fuerunt inter Octingentos nostros, qui omnes fuerunt mares: ergo censendæ sunt cecidisse in primo tumultu irrumpentium in urbem Turcarum.*

ATTESTATIO ILLUSTRISS. VICARII.

Ego Antonius de Baccharis Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, Dei, et Sedis Apostolicæ gratia episcopus Scodrensis, in archiepiscopatu Hydruntino in spiritualibus generalis Vicarius, in mea subscriptione attestor, et fidem facio, me diligenter examinasse suprascriptos honorabiles viros; qui, ut probi et honorabiles ac boni et sani capitis ab omnibus habentur: eosque sic ad meas interrogationes respondisse, prout per suprascriptum egregium virum et venerabilem dominum Julium de Caballis, subdiaconum et Apostolica authoritate Notarium, notatum et descriptum est. In cujus rei fidem ego idem Antonius me subscripsi et sigillum meum annularem apposui. In Ædibus archiepiscopalibus Hydruntinis die XXII mensis Septembris MDXXXIX.

Locus † sigilli Episcopi. F

SUBSCRIPTIO NOTARII.

Ego Julius de Caballis, clericus subdiaconus Hydruntinus, Apostolica authoritate Notarius, et ordinarius Actorum Magister curiæ archiepiscopalis Hydruntinæ, supradictis examinationibus et inquisitionibus factis per prædictum reverendum dominum episcopum, et vicarium generalem præsens fui, et descripsi fideliter; ut permissum * est: quæ fideliter ex originali meo authentico, reservato in archivio ordinario prædictæ Hydruntinæ archiepiscopalis curiæ, exemplatæ fuerunt; quamvis aliena manu, tamen in præsentia prædicti reverendi domini episcopi, et Vicarii fuerunt diligenter collationatæ cum supradicto meo originali, et repertæ in omnibus fideliter extractæ, salva semper meliori collatione. In quorum fidem me subscripsi, et signum solitum mei tabellionarii apposui, solitoque sigillo prædictæ archiepiscopalis curiæ munivi. Datum Hydrunti in ædibus archiepiscopalibus die XXII mensis Septembris MDXXXIX.

* imo præmissum

Ego Julius, qui supra, manu propria.

Locus † sigilli Notarii.

DIES

A D

DIES DECIMA QUINTA AUGUSTI

SANCTI QUI XVIII KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Tharsicius acolythus M. Romæ.
S. Alypius ep. Tagastensis, in Africa.
S. Maccarthannus ep, in Hibern.
S. Altfridus ep. conf. Hildesemii.
S. Arduinus conf. Arimini in Italia.
S. Arnulfus episc. Suessionensis conf. Aldenburgi in Flandria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

B Sancti Sulpitii episcopi Trajectensis translatio
notata reperitur in Additionibus Mss. Car-
tusiæ Bruxellensis ad Grevenum. De ipso
xviii Januarii.
actum est
Natale S. Virginis Brigidæ. *Ita additiones Mss.*
Cartusiæ Bruxellens. ad Grevenum. Quam hic
Sanctam indicare velit, nescio : binæ synony-
i Februarii
mæ jam datæ sunt
Juliana *in monasterio S. Mariæ de Monte Me-*
diolanensis diœcesis sanctimonialis anno 1501
hoc die obiit, et Beata *habetur : ejusdem cor-*
pus anno 1547 xxi *Februarii de sepulcro leva-*
tum et in choro monasterii honorifice deposi-
tum fuit ; quod quia privatæ venerationis potius
quam publici cultus est, ipsam hic omittimus,
eo magis quod pleraque, quæ diei de ea possent,
attigimus in Actis B. Catharinæ de Palanza
vi Aprilis.

In monasterio Flechtorp adventus sancti Landolini,
(pro Landelini) confessoris, de pago dicto Boeck,
ubi per Carolum Magnum translatus erat. *Est*
annuntiatio Greveni, quem secuti ferme sunt
auctor Florarii Sanctorum Ms., Canisius et
C *alii. De* S. Landelini *non una translatione plu-*
ribus disputavit Papebrochius in Commentario
ad ejus Acta tom. ii *Junii pag.* 1062, *ad diem*
xv Junii.
quo colitur
S. Naviti episcopi Trevirensis translatio *signata est*
in additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad
Grevenum. Vide quæ de ipso dicta sunt die na-
vii Julii.
tali
S. Eusebii martyris in Palæstina *meminere aucta-*
ria ad Usuardum nostrum, ac Maurolycus.
Sed cum Passioni ejus, quam hesterno die de-
dimus, prænotetur xix Kalendas Septembris,
Martyrem istum tunc etiam Operi nostro inse-
xiv Augusti.
ruimus. Vide ergo
S. Eusebius *presbyter et martyr in Syria in non-*
nullis codicibus Usuardinis hoc die relatus,
idem est, quem cum sociis ex codicibus Hiero-
nymianis consignavimus pridie seu xiv Augusti.
In Scotia S. Silvestri presbyteri. *est annuntiatio*
Ferrarii in Catalogo generali, unde non magis
docemur quam ex Camerario die præcedenti.
Pelagium Legionensem episcopum *solus hoc die*
signavit Ferrarius in Catalogo generali, citans
Thesaurum concionatorum licet, *ut candide*
fatetur, in Tabulis ecclesiæ Legionensis Ma-
driti anno mdcxii excusis minime sit adnotatus.
Poterat nobiscum exspectare, donec in iis Ta-
bulis legitime consiguetur, quo nihil prorsus
conferunt Tamayi elogia.
Balthrannus abbas *laudatur in Vita S. Deicoli ad*
xviii *Januarii cap.* 10 : *verum de ejus cultu ni-* E
hil hactenus nobis innotuit.
Alberti de Sarthiano *memoriam hoc die notat in*
Martyrologio suo Franciscano Arturus, uti et
Hueberus in Menologio ; sed hic abstinet a ti-
tulo Beati, *haud dubie quia sufficientia legitimi*
cultus ejus indicia non reperit. Neque vero
etiam nobis ea sufficere videntur omnino, quæ
ad asserendam admirabilis hujus vereque apo-
stolici Viri posthumam et publicam veneratio-
nem diligentissime collegit Franciscus Harol-
dus in Vita ejus Operibus præfixa, et una cum
illis edita Romæ per Patricium Duffium anno
1688, *hoc est integro decennio ante vulgatum*
Hueberi Menologium.
Cormachus vel Cormacus episc. Murthacensis vel
Aberdonensis *soli Camerario hoc die notus est,*
Dempstero non item, neque Missali nostro Ms.
Aberdonensi, ut paulo distinctiori notitia opus
sit tum gestorum ejus tum cultus.
Silvestrum Scotum *die præcedenti ex Camerario*
prætermisimus, ipsum hoc die notavit Demp-
sterus et ex eo Ferrarius, F
Assumptio sanctæ Mariæ *in codicibus Hieronymia-*
nis et in vetustis omnibus Martyrologiis con-
stanter signatur hoc die : dormitionem *seu mi-*
grationem *non patitur Florentinius. Ceterum*
de hac quæstione et celeberrima solennitate
agetur in opere non semel dicto de beatissimæ
Deiparæ festicitatibus.
Conradus conversus Heisterbacensis in Germania,
vir simplex et timoratus et variis revelationibus
illustris *hoc die laudatur ab Henriquez, Chale-*
moto et Bucelino, ut qui cælos penetrans, voces
et concentus angelorum audire meruerit, in ipsa
solemnitate Assumptionis B. M. V. piissime mo-
riens. *Necdum mihi occurrerunt exhibiti ei ali-*
quando cultus vestigia.
Consimili elogio ab eisdem mire extollitur Maria
sanctimonialis ad S. Clementis Toleti in Hispania,
quam mirum est Tamayo non innotuisse, qui
in tali festivitate eam certo non omisisset. Vel-
lem, mihi alicunde constaret, eam Sanctorum
honoribus celebrari.
Petrum Acotanto seu Acotantum *aut* Acotantium
Venetum suggessit nobis hoc die citatum supra
non semel Janningi nostri P. M, Itinerarium,

A qui plerasque Venetas ecclesias lustrans, in S. Basilii invenit S. Constantium Anconitanum, cui et jam dicto Petro Acotanto inscriptionem recens appositam legit his verbis contextam: Viator quisquis venerabundo poplite sistis sacras ad aras, divi Constantii Anconitani et Petri Acotanti Veneti hic quiescunt ossa, scito et adora. *Abest a Petro* divi *titulus, et quamvis nonnulla adferat, quæ insinuari videantur,* Petrum *illum Venetiis in ea ecclesia olim veneratum, diserte tamen asserit,* ei *hodie* nullum omnino cultum exhiberi, *ut proinde pauca, quæ de ipso habemus manuscripta solidiori auctoritate a Venetis, rerum suarum sacrarum non nimium curiosis, confirmanda sint, priusquam hic* Petro Acotantio *locum inter sanctos tribuere audeamus.*

Aymo de Tapellis *inter Beatos recensetur ab Ambrosio Taegio in Chronico Ordinis sui Prædicatorum hoc die cum insigni elogio, ut plane mirer, a Marchesio et aliis nullam ejus memoriam fieri: certe necdum constat, ulla ei licitæ* B *venerationis aut cultus signa fuisse unquam exhibita; de quibus si docear, debitus ipsi in hoc Opere locus concedetur.*

Cosmas a S. Damiano martyr *Hierosolymis* Joannes Galterus confessor *in Gallia*; Antonius Ortitius confessor *in Hispania* Rufinus a S. Urso confessor *Perusiæ* Euphrasia Roderica virgo Tert. *in Hispania*	Beati *titulo donantur ab Arturo in Martyr. Franc.*
Ægidius Anglanus conf. *Pennæ in Aprutio* Joannes Schifictus conf. *Catanæ in Sicilia* Thomas de Pescocampagno conf. *Calitri in Apulia* Joannes Bapt. de Campo conf. *Faventiæ in Romandiola* Maria Pimentes Clarissa *in territorio Abulensi*	*Adduntur ab Huebero sed absque titulo qui etiam abest ab aliis.*

Bartholomæus *ex Ordine Prædicatorum in Armenia archiepiscopus, dictus* Parvus *comparatione* C *facta ad S. Bartholomæum, ejusdem gentis primum Apostolum, patria Bononiensis a Joanne Rechac, Marchesio aliisque non solum* Beatus *appellatur hoc die, sed et* Martyr. *Eum mire laudat Leander Albertus, sed omni titulo abstinens, eumque asserens* plenum bonis operibus sancto fine quievisse *lib. 3 de Viris illustribus Ordinis f. 124, de martyrio altum silens. Neque vero Echardus in sua Bibliotheca aliter eum nominat quam* bonæ memoriæ, *de martyrio nec verbum etiam memorans, ut prorsus non videam unde Castellanus eum tam liberaliter sanctis Martyribus adscripserit. Vereor equidem ne quid confusionis subsit: certe priusquam eum in hoc Opere collocem, cupio de ejus gestis et cultu paulo distinctius edoceri.*

Jacobus de Blanconibus *ab eodem Castellano subjungitur ex eodem Ordine cum titulo* Beati, *de eo agetur die* XXIII *hujus mensis, quo colitur.*

Harlemi in Hollandia, transitus ANDREÆ NOORTH Dominicani, viri boni admodum et devoti. Hic sedulo beatissimam virginem Mariam rogabat cum lacrymis, ut eum ex hac luce recedere minime permitteret, nisi in festo ejusdem *Verba sunt Raissii in Auctario ad natales SS. Belgii. Quibus subjungit:* D

Ibidem obitus beatæ memoriæ NICOLAI, Conversi, ut vocant, viri admodum pii.

Maria Pisana *cum* beatæ *titulo refertur in Diario Dominicano Marchesii, verum de ejus cultu probando, parum fuisse videtur sollicitus.*

Bartholomæum Vargas, Dei servum *recte nuncupat idem Marchesius;* Andream *de quo jam egimus, male cognominans* Holiort.

S. Vamnes M. in Persia *ponitur in Martyrologio universali hac die apud Castellanum; sed differri debebat, uti ipsemet Castellanus se corrigens, in suo Supplemento monet, in diem proxime sequentem, quo nos eum daturi sumus* XVI Augusti.

S. Simplicianum *episcopum Mediolanensem signatum repererunt Majores nostri in aliquo Kalendario hoc die, ab aliis refertur dum Mediolani colitur* XVI Augusti.

S. Balsemius *martyr in diœcesi Tricassina ponitur hoc die a Castellano, ab aliis* XVI Augusti.

Idem dicendum de S. Frambaldo *qui etiam ad diem sequentem spectat,* XVI Augusti. E

S. Hiacinthum *hoc die signat Molanus, spectat ad diem quo colitur et quo de ipso agendum erit* XVI Augusti.

S. Liberatus abbas *et socii Carthagine in Africa sub Wandalis martyrium passi, nescio unde hoc die signentur; de ipsis cum Martyrologio Romano agemus* XVII Augusti.

SS. Stratio *seu* Strato, Philippus *et* Eutychianus et socii *referuntur hoc die in codd. Hieronymianis. De ipsis agemus cum Martyrologio Romano ad diem* XVII Augusti.

S. Aredium *abbatem Lemovicensem hoc die signatum reperio in chartis nostris, ast ipsius natalis est die quo de ipso agemus* XXV Augusti.

SS. Isaac et Maximianus *MM, Africani ex aliquo codice hoc die signarunt Majores nostri, absque ulteriori notitia: Castellanus eos referendos contendit ad diem, quo res examinabitur* XXVII Augusti.

S. Stephani regis Hungariæ *memoria tamquam natalis hoc die signatur in Martyrologio Romano, sed ibidem additur, festivitatem ejus recoli* IV *Nonas seu* II Septembris.

Terentii martyris translatio, *opinor Pisaurensis, notata est a Bollando, qui recte monet, de ea agendum die quo colitur* XXIV Septembris. F

Abbo *abbas ut sanctus et martyr refertur in aliquo Kalendario Benedictino, qui non ad hunc diem spectat sed ad* XIII *Novembris, quo ei insigne elogium texit Bucelinus, Castellanus tamen nonnisi* venerabilis *titulo ornare ausus est, si cultus aliunde probetur, poterit de eo agi* XIII Novembris.

Die præcedenti notavimus, male ibi signatum a Ferrario S. Stanislaum *nostrum, quem constat hoc die in ipsa B. M. Virginis festivitate obiisse. De cetero, ut ibi etiam diximus, translata est ejus solemnitas ad* XIII Novembris.

Margarita Priorissa, *S. Edmundi archiep. Cantuariensis soror, a Wilsono in Martyrologio Anglicano signatur hoc die: inde eam accepit Ferrarius in Catalogo generali. Citat ad marginem Wilsonus Matthæum Westmonast. in Historia ad annum* 1257, *quod paulo accuratius notari vellem, atque de ejus cultu edoceri, quem non reperi hactenus. Si de ipso postmodum satis constet, poterit de Margarita agi cum sanctissimo fratre ad diem quo is colitur* XVI Novembris.

xvi Novembris.

A Mechtildis *sanctimonialis cœnobii Elpediani in Saxonia, multis revelationibus aliisque mirandis celeberrima, non recte hoc die ponitur in Martyrologio Bened. Menardi, qui alibi probat eam obiisse mense Novembri die quo obiit et colitur S. Elisabetha Thuringica. De ejus itaque sanctitate et cultu videbitur ad dictam diem* xix Novembris.

Balsemium *reclusum in Campania hoc die Menardus inter Sanctos numerat, quemadmodum et Saussayus in appendice pag.* 1159, *at Castellanus eum solo* venerabilis *titulo dignatur pag.* 929, *distinguitque accurate ab alio synonymo qui hoc vel sequenti die colitur. Rem ancipitem remittimus ad diem quo agendum erit de S. Basolo ejus patruo aut avunculo, nempe ad* xxvi Novembris. D

S. Audentius episcopus Toletanus *hoc die refertur a Tamayo in Martyrologio suo Hispanico, ubi tamen fatetur, ab aliis signari eo die quo olim cultus fuit in ecclesia ipsa Toletana, nempe* III *Decembris quo eum signavit Castellanus in Martyrologio universali, Tamayo in hisce longissime præferendus, ut adeo* S. Audentium *remittamus ad dictum diem* III Decembris.

DE S. THARSICIO ACOLYTHO M.

ROMÆ

J. B. S.

Ex Actis S. Stephani Papæ II Augusti.

E

B *Inter plures egregios hujus S. Pontificis discipulos merito recensetur fortissimus hic martyr* Tharsicius *duce Romano parvo ab Adone laudatus, atque ex eo ab Usuardo totaque ejus progenie. Martyrii occasionem narrant Acta jam citata die* II *Augusti num.* 22 *pag.* 145. *Nos ea hic describimus ex Petro de Natalibus lib.* 7 *cap.* 66 : Tharsicius acolythus et martyr Romæ passus est sub persecutione Valeriani et Galieni imperatorum. Qui cum Corporis Christi Sacramenta portaret ; tenentes eum pagani, discutere cœperunt, ut quid gereret, indicaret. At ille indignum judicans, porcis prodere margaritas ; nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria : quem fustibus ac lapidibus tamdiu mactaverunt, quousque spiritum exhalaret : revolutoque ejus exanimi corpore sacrilegi discussores, nihil in manibus ejus aut vestibus Sacramentorum Christi invenire potuerunt, sed relicto corpore, cum terrore fugerunt : quod a C Christianis sublatum et via Appia in Cœmeterio Calixti sepultum XVIII Kalendas Septembris.

Quod hic imperitiores posset offendere, ab acolytho nempe Sacramenta portari, *pluribus in annotatione explicat Baronius, usitatum fuisse in Ecclesia, sævientibus præsertim persecutionibus, ut ea ratione Christianis prospiceretur in maxima ministrorum raritate et penuria. Hic adjungimus ex Aringhi Roma subterranea tom.* I *pag.* 456, *quod,* hujus etiam beati Viri sepulchrum Damasus Pontifex carminibus hisce, tamquam nobilis triumphi insignibus exornaverit.

PAR MERITUM QUICUMQUE LEGIS COGNOSCE DUORUM,
QUIS DAMASUS RECTOR TITULOS POST PRÆMIA REDDIT.
JUDAICUS POPULUS STEPHANUM MELIORA MONENTEM
PERCULERAT SAXIS, TULERAT QUI EX HOSTE TROPHÆUM
MARTYRIUM PRIMUS RAPUIT LEVITA FIDELIS
TARSICIUM SANCTUM CHRISTI SACRAMENTA FERENTEM
CUM MALESANA MANUS PETERET VULGARE PROFANIS,
IPSE ANIMAM POTIUS VOLUIT DIMITTERE CÆSUS, F
PRODERE QUAM CANIBUS RABIDIS CÆLESTIA MEMBRA.

DE S. ALYPIO EPISC. TAGASTENSI

IN AFRICA

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Modernus ejus cultus; gestorum scriptor S. Augustinus.

Circa an. cdxxx. Annuntiatur hoc die Sanctus in Martyrologio Rom.,

Tametsi venerationem S. Alipii, *seu potius* Alypii *post obitum publicam ac veterem uspiam olim in Ecclesia viguisse, ex nullis omnino Musei hujus nostri monumentis sive Græcis sive Latinis aut jam prælo vulgatis aut manu tantum scriptis demonstrare possimus ; æquum tamen haudquaquam putavimus, ejus hic memoriam silentio præteriri, cujus modo cultum non tolerat solum Ecclesia, verum etiam auctoritate legitima fovet ac dilatat : nam primo Gregorius PP. XIII ab anno* 1584 *ex reformato recens Martyrologio Romano per omnes ecclesias hoc eidem Antistiti elogium recitari quotannis palam in choro mandavit ad hunc diem* XVIII *Kal. Septembris :* Tagaste in Africa, sancti Alipii episcopi, qui Augusti olim discipulus, postea in conversione socius, in munere pastorali collega, et in certaminibus adversus hæreticos commilito strenuus, ac demum in cælesti gloria consors fuit.

Quam

AUCTORE P. B.

Quam quidem annuntiationem usitatam antea non fuisse, cum præcedentia Martyrologia prorsus omnia, dum illa carent; tum ibidem in annotatis ad eamdem Baronius indicant, dum nullum, contra quam passim assolet, Martyrologum citat, qui in ea præluxerit.

et colitur apud Canonicos Regulares S. Augustini

2 *Deinde Canonici S. Augustini Regulares congregationis Lateranensis ab anno* 1634 *eumdem festo duplice per Officium proprium colere die* XVI *Augusti cœperunt; ut constat ex Officiis eorum propriis eodem anno apud Venetos excusis: idque non alia, quantum apparet, auctoritate, quam sancti Pii PP. V, cujus privilegia congregationi suæ et Ordini anno* 1570 *concessa ibidem præfigunt. Nimirum quod eis ibi præter alia Sanctorum nominatim expressorum festa generaliter indulserat sanctus Pontifex,* Ut omnium quoque aliorum dictæ congregationis et Ordinis Sanctorum festa etiam sub duplici Officio celebrare, atque iis omnibus et singulis proprias eorum atque authenticas lectiones.... accommodare valeant *etc.; hoc, inquam, interpretati sunt illi sigillatim de* SS. Alypio, *Possidio et aliis, quos pro* B *suis habent, et quorum proinde festa duplicia propriis Officiis anno* 1634 *celebranda typis publicis ediderunt; non modo reclamante nemine: sed et aliis mox ejusdem Ordinis ubique congregationibus idem exemplum, etsi non ad eumdem ubique diem, certatim sequentibus. Imo vero cum ex eodem privilegio, etsi ante institutam Romæ sacram Rituum congregationem dato, Canonici Regulares festa sua propria et Officia nova ad alios insuper Sanctos et longe plures extendissent in Germania,* Præpositus et conventus monasterii sanctæ Crucis Augustæ, provinciæ Moguntinæ, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, sacræ Rituum congregationi supplicavit, facultatem eis impartiri dignaretur recitandi Officia Sanctorum Ordinis S. Augustini; sacra congregatio respondit, oratoribus hujusmodi Officia LICUISSE ac licere recitare, modo sint Regulares ejusdem Ordinis. Die XI Sept. MDCLX. *Ita Proprium congregationis Windesemensis, Bruxellis impressum anno* 1678.

et universum Ordinem Eremitarum ejus.

3 *Accessit postremo cum amplissima summi Pontificis facultate Ordo Eremitarum S. Augustini universus; qui in prolegomenis ad Officia* C *sua propria anno* 1674 *Antverpiæ edita de festo* S. Alypii *sigillatim hæc habet:* Clemens Papa X ad expositionem Josephi Eusanii, ex Ordine Eremitarum sancti Augustini, episcopi Helenopolitani et sacrarii Apostolici Præfecti, tria decreta, quæ a sacra Rituum Congregatione ad preces ejusdem episcopi emanaverant, confirmavit: quorum primo, dato die XVIII Julii MDCLXXI, conceditur, ut omnes utriusque sexus Religiosi dicti Ordinis recitare valeant die XVI Augusti sub ritu duplici Officium sancti Alipii episcopi Tagastensis ejusdem Ordinis, in Martyrologio Romano die XV Augusti commemorati, de Communi confessorum pontificum, cum oratione et lectionibus propriis, a deputatis pro correctione Officiorum dicti Ordinis ex Operibus sancti Augustini desumendis et in Kalendario Breviarii et Missalis præfati Ordinis apponendis. *Apparet hinc, quam longe lateque jam* Alypii *nostri sese cultus diffuderit. Nunc ad Acta procedimus, seu potius eorum scriptorem.*

Historiam Alypii viventis a S. Paulino desideratam

4 *Qualis quantusque vir fuerit S. Paulinus, episcopus Nolanus, fuse ex instituto demonstratum est in hoc Opere ad diem, quo celebratur in Ecclesia,* XXII *mensis Junii. Hic autem quam eximiam de* Alypii *recentissime ad episcopatum* D *Tagastensem evecti virtutibus ac sanctimonia jam tum concepisset opinionem, luculenter ostendit in epistola sua ad ipsum eodem tempore, hoc est anno Christi* 394, *data, quæ est inter Paulinianas editionis novissimæ Parisiensis anni* 1685 *tertia, alias quadragesima quinta; inter Augustinianas vero apud Benedictinos S. Mauri tom.* 2 *epist. vigesima quarta, alias trigesima quinta. In ea præsul sanctissimus non tantum* Alypii *virtutes extollit mirifice; sed et historia dignissimas reputat his verbis:* Specialiter autem hoc a te peto, quoniam me immerentem et inopinantem magno tui amore complesti, ut pro hac historia temporum *(Eusebii Chronico, quod in Africam una cum hac epistola submittebat* Alypio) referas mihi omnem tuæ sanctitatis historiam; ut qui genus, unde sis domo tanto vocatus a Domino, quibus exordiis segregatus ab utero matris tuæ, ad matrem filiorum Dei prole lætantem, abjurata carnis, et sanguinis stirpe, transieris, et in genus regale et sacerdotale sis translatus, edisseras.

scripsit S. Augustinus, primo seorsum continuam,

5 *Hoc Paulini judicium ac desiderium usque adeo probavit S. Augustinus, ut exsecutionem in se ipse susceperit; sic enim in epistola* 27, *alias* 32, *anno* 395 *circiter ineunte, Romanianum quemdam,* Alypii *cognatum, S. Paulino commen-* E *dans scribit:* Est et aliud, quo illum fratrem amplius diligas: nam est cognatus venerabilis et vere beati episcopi Alypii, quem toto pectore amplecteris, et merito: nam quisquis de illo Viro benigne cogitat, de magna Dei misericordia et mirabilibus Dei muneribus cogitat. Itaque cum legisset petitionem tuam, qua desiderare te indicasti, ut historiam suam tibi scribat, et volebat facere propter benevolentiam tuam, et nolebat propter verecundiam suam: quem cum viderem inter amorem pudoremque fluctuantem, onus ab illo in humeros meos transtuli: nam hoc mihi etiam per epistolam jussit. Cito ergo, si Dominus adjuverit, totum Alypium inseram præcordiis tuis: nam hoc sum ego maxime veritus, ne ille vereretur aperire omnia, quæ in eum Dominus contulit; ne alicui minus intelligenti (non enim abs te solo illa legerentur) non divina munera concessa hominibus, sed seipsum prædicare videretur; et tu, qui nosti quomodo hæc legas, propter aliorum cavendam infirmitatem fra- F ternæ notitiæ debito fraudareris. Quod jam fecissem, jamque illum legeres, nisi profectio fratris *(Romaniani)* improvisa repente placuisset, quem sic commendo *etc. Dubitari vero non potest, quin cito præstiterit Augustinus, quod hic cito facturum se spondet, etsi opusculum illud olim intercidisse videatur.*

deinde sparsam per opera varia; quam hic colligemus.

6 *Est, qui locum hunc S. Augustini intelligendum putarit non de historia quadam S, Alypii separata, verum de illa, quæ legitur etiam nunc in libris Confessionum. Non placet opinio, primo quia hic promittitur historia cito mittenda; cum libri Confessionum toto posterius quinquennio scripti sint: deinde promittitur* totus Alypius, *id est narratio gestorum ejus usque ad annum* 395 *complectens utique promotionem ejusdem ad infulam Tagastensem, quam sigillatim expetierat S. Paulinus: at in libris Confessionum hæc non attingitur, sed historia desinit in* Alypii *baptismo. Sed enim satis nunc certum est, quæ de vita hujus Antistitis diei jam possunt, ex variis S. Augustini operibus adhuc servatis esse præcipue colligenda. Et fecit hoc pridem vir clarissimus atque in Augustino perquam versatus Innocentius Keferloherus, Canonicus Regularis, Diessensis in Bavaria*

A *varia abbatiæ decanus: cujus haud absimilem*
Actorum S. Possidii episcopi Calamensis conge-
riem dedere Majores nostri ad diem XVII *Maii a*
pag. 29, idem jam tum statuentes in hunc mensem
ae diem de collectione ejusdem gestorum Alypia-
norum huc simul tunc humanissime directa. Ve-
rum, ut jam idem opus alii suscepere, visa nobis
est ea Keferloheri lucubratio nec satis ordinata,
nec satis integra, ut non præstet modo novam
exhibere, quam nunc aggredimur, ducto a nata-
libus ejus initio.

§ II. Alypii natales nobiles; studia in juventute Tagastæ, Carthagine, Romæ.

Nobiles Alypii natales post. an. Christi 354:

Alypius *(inquit S. Augustinus Confess. lib. 6,*
cap. 7) ex eodem, quo ego, ortus erat municipio
parentibus primatibus municipalibus, me minor
natu. *Natus est ergo in oppido Numidiæ Taga-*
B *stensi; nam id et Augustino natale facit Possidius*
in ejus Vita, cap. 1; et quidem post annum Christi
354, *utpote natu minor Augustino, qui anni illius*
mense Novembri prodiit in lucem. Non fuisse
multo minorem natu, facile colligemus infra cum
ex tempore, quo Romæ gessit munus assessoris,
tum ex anno, quo consecratus postea fuit episco-
pus; præsertim quia gravitatem publicis mona-
steriis consentaneam semper debuit ætate fere
tantum ac morum constanti maturitate tueri:
nam corporis ejus moles nihil ad illam admodum
conferre potuit, nisi forte minuendam: siquidem
statura pusillum fuisse anno Christi 386, *manife-*
ste significat Augustinus lib. de Beata vita, num.
15, *his verbis*: Quasi vero, inquam longum aliquid
nos quærimus, præsertim adversus Alypium:
nam non mediocriter parva ista esse fortia et
utilia, sibi ipse de suo corpore argumentare-
tur.

studia grammaticæ ac rhetoricæ sub Augustino.

8 *A natalibus ejus S. Augustinus loco ante cita-*
to ad ætatem jam liberalibus disciplinis idoneam
transgressus, egregiam ejus et amabilem com-
mendat indolem, docetque, quibus eam ab anno
circiter Christi 375 *studiis recte excoluerit; qui-*
C *bus perperam oblectarit*: Nam et studuerat, *ait*,
apud me, cum in nostro docere cœpi oppido, et
postea Carthagini *(hic rhetoricam, Tagastæ*
Grammaticam docuit Augustinus, teste Possidio
cap. 1;) et diligebat me multum, quod ei bonus
et doctus viderer, et ego illum, propter magnam
virtutis indolem, quæ in non magna ætate satis
eminebat. Gurges tamen morum Carthaginensium,
quibus nugatoria, servent spectacula, absorbuerat
eum in insaniam Circensium. Sed cum in eo mi-
serabiliter volveretur, ego autem rhetoricam ibi
professus publica schola uterer, nondum me au-
diebat ut magistrum, propter quamdam simul-
tatem, quæ inter me et patrem ejus erat exorta;
et compereram quod circum exitialiter amaret, et
graviter angebar, quod tantam spem perditurus,
vel etiam perdidisse mihi videbatur. Sed monendi
eum et aliqua coërcitione revocandi nulla erat
copia, vel amicitiæ benevolentia vel jure ma-
gisterii: putabam enim, cum de me cum patre
sentire; ille vero non sic erat. Itaque, proposita
in hac re patris voluntate, salutare me cœperat,
veniens in auditorium meum et audire aliquid, at-
que abire.

9 Sed enim de memoria mihi lapsum erat, agere
cum illo, ne vanorum ludorum cæco et præcipiti
studio tam bonum interimeret ingenium. Verum
autem, Domine, tu, qui præsides gubernaculis
omnium quæ creasti, non eum oblitus eras futurum
inter filios tuos antistitem sacramenti tui; et ut
aperte tibi tribueretur ejus correctio, per me qui-
dem illam, sed nescientem operatus es. Nam qua-
dam die cum sederem loco solito, et coram me
adessent discipuli, venit, salutavit, sedit, atque
in ea, quæ agebantur, animum intendit: et forte
lectio in manibus erat, quam dum exponerem, et
opportune mihi adhibenda videretur similitudo
Circensium, quo illud, quod insinuabam, et ju-
cundius et planius fieret, cum irrisione mordaci
eorum quos illa captivasset insania, tu scis, Deus
noster, quod tunc de Alypio ab illa peste sanando
non cogitaverim. At ille in se rapuit, meque il-
lud non nisi propter se dixisse credidit: et quod
alius acciperet ad succensendum mihi accepit
honestus Adolescens ad succensendum sibi et ad me
ardentius diligendum..... Etenim ille post illa
proripuit se ex fovea tam alta, qua libenter de-
mergebatur et cum miserabili voluptate cæcaba-
tur, et excussit animum forti temperantia, et E
resiluerunt omnes Circensium sordes ab eo, am-
pliusque illuc non accessit. Et audire me rursus
incipiens, illa mecum superstitione involutus est,
amans in Manichæis ostentationem continentiæ,
quam veram et germanam putabat. Erat autem
illa vecors et seductoria, pretiosas animas captans,
nondum virtutis altitudinem scientes tangere, et
superficie decipi faciles, sed tamen adumbratæ
simulatæque virtutis.

AUCTORE P. B. qui juvenem abstractum a Circensibus ad Manichæos attraxit.

Romæ ad spectacula curiositate umque fiducia relapsum

10 Non sane relinquens incantatam sibi a pa-
rentibus terrenam viam, Romam præcesserat,
ut jus disceret; et ibi gladiatorii spectaculi hiatu
incredibili et incredibiliter abreptus est. Cum enim
aversaretur et detestaretur talia, quidam ejus amici
et condiscipuli, cum forte de prandio redeuntibus
pervius esset, recusantem vehementer et resisten-
tem familiari violentia duxerunt in amphitheatrum
crudelium et funestorum ludorum diebus, hæc
dicentem: « Si corpus meum in illum locum tra-
« hitis, et ibi constituitis, numquid et animum
« et oculos meos in illa spectacula potestis inten-
« dere? Adero itaque absens, ac sic et vos et illa
« superabo. » Quibus auditis, illi nihilo secius eum F
adduxerunt secum, id ipsum forte explorare cupien-
tes utrum posset efficere. Quo ubi ventum est, et
sedibus, quibus potuerunt, locati sunt, serva-
bant omnia immanissimis voluptatibus. Ille clausis
foribus oculorum, interdixit animo, ne in tanta
mala procederet. Atque utinam et aures obturavis-
set!

misericordia divina restituit;

11 Nam quodam pugnæ casu cum clamor in-
gens totius populi vehementer eum pulsasset, cu-
riositate victus, et quasi paratus, quidquid illud
esse, etiam visum contemnere et vincere, ape-
ruit oculos, et percussus est graviore vulnere in
anima, quam ille in corpore quem cernere con-
cupivit, cecidítque miserabilis, quam ille, quo
cadente, factus est clamor, qui per ejus aures
intravit et reseravit ejus lumina; ut esset qua
feriretur et dejiceretur audax adhuc potius, quam
fortis animus, et eo infirmior quo de se præsum-
serat, qui debuit de te *(Deum Sanctus alloqui-*
tur.) Ut enim vidit illum sanguinem, immani-
tatem simul ebibit et non se avertit, sed fixit
aspectum, et hauriebat furias, et nesciebat, et
delectabatur scelere certaminis et cruenta volu-
ptate inebriabatur. Et non erat jam ille qui vene-
rat, sed unus de turba ad quam venerat, et ve-
rus

AUCTORE P. B.

rus eorum socius, a quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, clamavit, exarsit, abstulit inde secum insaniam, qui stimularetur redire, non tantum cum illis, a quibus prius abstractus est, sed etiam præ illis et alios trahens. Et inde tamen manu validissima et misericordissima eruisti eum tu, et docuisti non sui habere, sed tui fiduciam; sed longe postea.

sicut et alias inconsultam ejus curiositatem

12 Veruntamen jam hoc ad medicinam futuram in ejus memoria reponebatur. Nam et illud quod cum adhuc studeret, jam me audiens apud Carthaginem, et medio die cogitaret in foro quod recitaturus erat, sicuti exerceri scholastici solent, sivisti eum comprehendi ab æditimis fori tamquam furem. Non arbitror aliam ob causam te permisisse, Deus noster, nisi ut ille, vir tantus futurus, jam inciperet discere, quam non facile in dignoscendis causis homo ab homine damnandus esset temeraria credulitate. Quippe ante tribunal deambulabat solus cum tabulis ac stilo, cum, ecce, adolescens quidam ex numero scholasticorum fur verus, securim clanculo adportans, illo non sentiente, ingressus ad cancellos B plumbeos, qui vico argentario desuper prominent, et præcidere plumbum cœpit. Sano autem securis audito, submurmuraverunt argentarii, qui subter erant, miserunt qui apprehenderent quem forte invenissent. Quorum vocibus auditis, relicto instrumento, ille discessit, timens, ne cum eo teneretur. Alypius autem, qui non viderat intrantem, exeuntem sensit, et celeriter vidit abeuntem. Et causam scire cupiens, ingressus est locum, et inventam securim stans atque admirans considerabat. Cum, ecce, illi qui missi fuerant, reperiunt eum solum ferentem ferrum cujus sonitu exciti venerant. Tenent, attrahunt, congregatis inquilinis fori, tamquam furem manifestum se comprehendisse gloriantur; et inde offerendus judici ducebatur.

supplicio proximum liberaverat Carthagine

13 Sed hactenus docendus fuit. Statim enim, Domine, subvenisti innocentiæ cujus testis erat solus. Cum enim duceretur vel ad custodiam vel ad supplicium, fit eis obviam quidam architectus, cujus maxima erat cura publicarum fabricarum. Gaudent illi, eum potissimum occurrisse, cui solebant in suspicionem venire ablatarum rerum quæ perissent de foro; ut quasi tandem ille C cognosceret, a quibus hæc fierent. Verum autem viderat homo sæpe Alypium in domo cujusdam senatoris, ad quem salutandum ventitabat: statimque cognitum, manu apprehensa, semovit a turbis; et tanti mali causam quærens, quid gestum esset, audivit; omnesque tumultuantes qui aderant et minaciter frementes jussit venire secum. Et venerunt ad domum illius adolescentis qui rem commiserat. Puer vero erat ante ostium, et tam parvus erat, ut nihil exinde domino suo metuens, facile posset totum indicare: cum eo quippe in foro fuit pedisequus. Quem posteaquam recoluit Alypius, architecto intimavit. At ille securim demonstravit puero, quærens ab eo, cujus esset. Qui confestim, Nostra, inquit; deinde interrogatus, aperuit cetera. Sic in illam domum translata causa, confusisque turbis, quæ de illo triumphare jam cœperant, futurus dispensator verbi tui, et multarum in ecclesia tua causarum examinator experientior instructiorque discessit.

D

§ III. Gesta ejus usque ad baptismum Mediolani susceptum.

Mediolanum anno 384 cum Augustino discedit Roma,

Ceterum Alypius *Romæ diuturnam perdiscendis juris prudentiæ legibus impendit operam; quandoquidem, eum eo advenit Augustinus anno Christi circiter 383, aut certe antequam anno sequente* Alypius *inde cum eo, ad profitendam Mediolani rhetoricam evocato, discessit, jam ibi non semel in causis gravibus ac publicis consilarius assederat, etiam amplissimo magistratui; ut Comiti largitionum Italicarum seu Italicianarum, qui largitionibus in Italia faciendis præerat; ubi stipendia militibus, aliisque persolvi curabat. Sed ipsum de his Augustinum audiamus, attendentes interim simul (quod antea monuimus,) an ab anno ætatis trigesimo, quem S. Augustinus a die* XIII *Novembris anni* 383 *ingredi cœperat, abesse tunc multum potuerit Sanctus noster. Sic igitur Confess. lib.* 6, *cap.* 10 *de* S. Alypio *suo Augustinus:* Hunc ergo Romæ inveneram, et adhæ- E sit mihi fortissimo vinculo, mecumque Mediolanum profectus est, ut nec me desereret, et de jure, quod didicerat, aliquid ageret secundum votum magis parentum, quam suum. Et ter jam assederat mirabili continentia ceteris, cum ille magis miraretur eos, qui aurum innocentiæ præponerent.

ubi consiliarii munus incorrupte gesserat:

15 Tentata est quoque ejus indoles non solum illecebra cupiditatis, sed etiam stimulo timoris. Romæ assidebat Comiti largitionum Italicianarum. Erat illo tempore quidam potentissimus senator, cujus et beneficiis obstricti multi et terrori subditi erant. Voluit, sibi licere nescio quid ex more potentiæ suæ, quod esset per leges illicitum. Restitit Alypius: promissum est præmium: irrisit animo: prætentæ minæ: calcavit, mirantibus omnibus innsitatam animam, quæ hominem tantum, et innumerabilibus præstandi nocendique modis ingenti fama celebratum, vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicum. Ipse autem judex, qui consiliarius erat quamvis et ipse fieri nollet, non tamen aperte recusabat; sed in istum causam transferens, ab eo se non permitti asserebat; quia et re vera si ipse faceret, iste discederet. Hoc solo autem pene jam illectus erat F studio litterario, ut pretiis prætorianis codices sibi conficiendos curaret; sed consulta justitia, deliberationem in melius vertit; utiliorem judicans æquitatem qua prohibebatur, quam potestatem qua sinebatur. Parvum est hoc; sed qui in parvo fidelis est, et in magno fidelis est..... Talis ille tunc inhærebat mihi, mecumque nutabat in consilio, quisnam esset tenendus vitæ modus.

hic miratur Augustinus ejus castitatem:

16 *Mediolani cum jam essent, ac de vitæ modo diligendo conferrent, non minus ibi miratus est Augustinus* Alypii *castitatem, quam suspexerat Romæ justitiam: cum enim ad matrimonii statum, uti de se ipse narrat lib.* 6 *Confess. cap.* 12, *vehementius inclinaret*, prohibebat me sane Alypius, *inquit*, ab uxore ducenda, causans, nullo modo nos posse securo otio simul in amore sapientiæ vivere, sicut jam diu desideramus, si id fecissem. Erat enim ipse in ea re etiam tunc castissimus, ita ut mirum esset; quia vel experientiam concubitus cœperat in ingressu adolescentiæ suæ; sed non hæserat; magisque doluerat et spreverat; et deinde jam continentissime vivebat. Ego autem resistebam illi exemplis eorum, qui conjugati

AUCTORE P. B.

A jugati coluisseut sapientiam, et promeruisseut
Deum, et habuissent fideliter ac dilexissent amicos.
Quamquam vero, ut ibidem explicatur, cum sæ-
pius res eadem ageretur, Alypius *Augustini in-*
firmitatem, obstinatamque a cœlibatu aversio-
nem, ac matrimonii tamquam necessarii defen-
sionem identidem admiratus, manus tandem ami-
co, imo serpenti per hujus linguam blandienti,
dederit, cœperitque et ipse desiderare conjugium,
nequaquam *tamen id fecit* victus libidine talis vo-
luptatis, sed curiositatis : dicebat enim, scire se
cupere, quidnam esset illud, sine quo vita mea,
quæ illi sic placebat, non mihi vita, sed pœna vi-
deretur. *Sed nec illud qualecumque desiderium*
diu fovit, testante ibidem Augustino : Sic era-
mus, donec tu, Altissime, non deserens humum no-
stram, miseratus miseros, subvenires miris et oc-
cultis modis.

hic etiam cum ipso Augustino fit catechumenus,

17 *Jam si usque ad matrimonii desiderium*
amici verbis et exemplo potuit adduci indoles ejus
illa tanta virtutis, et a conjugii voluntate modo
tam aliena per sese; dubitari vix potest, quin ce-
teris in rebus, quæ ad virtutem proprie pertine-
B *bant, ad ejusdem exemplum promptius multo se*
ac libentius accomodaverit; Mediolani præser-
tim, ubi una convixerunt, donec tertius accessit
Nebridius, qui, relicta patria vicina Carthagini..,
relicto rure paterno optimo, relicta domo et non
secutura matre, nullam ob aliam causam Mediola-
num venerat, *inquit Augustinus Confess. lib.* 6
cap. 10, nisi ut mecum viveret in flagrantissimo
studio veritatis atque sapientiæ.... beatæ vitæ in-
quisitor ardens et quæstionum difficillimarum scru-
tator acerrimus. *Non dubium, inquam, quin eo*
loco ac tempore honesta quæque Augustini studia
sit multo ardentius imitatus Alypius, *ac proinde*
quærendæ veritati et sapientiæ se totum dederit,
S. Ambrosium omni die Dominico verbum verita-
tis in populo recte tractantem una cum Augustino
suo adierit, per hujus prædicationem paulatim
cum eodem victus, a Manichæorum erroribus ad
Ecclesiam et ad Litterarum sacrarum lectionem
propendere cœperit, ac denique fieri catechume-
nus in catholica Ecclesia, donec aliquid certi elu-
ceret, quo cursum dirigeret. Quæ omnia cum de
se confiteatur Augustinus, de Alypio certissime
C *innuit; utpote Mediolani aliud agente nihil, quam*
ut inquirendæ veritatis ac sapientiæ occasionem
omnem captaret, dum socii, Augustinus et Ne-
bridius, curis insuper aliis ibidem vacare coge-
rentur; ut asseritur Confess. lib. 8, *cap.* 6. *Et*
certe catechumenum fuisse antequam nomen ad
baptismum daret, diserte asserit Augustinus ibi-
dem lib. 9, *cap.* 4.

et convertitur cum eodem,

18 *Unum aliquid interea cursum ejus ad veri-*
tatem tunc adeo prosperum retardarit aliquam-
diu : nempe quod Alypius, *teste Augustino Con-*
fess. lib. 7, *cap.* 19, Deum carne indutum ita
putabat credi a Catholicis, ut præter Deum et
carnem non esset in Christo anima; mentemque
hominis non existimabat in eo prædicari : et quo-
niam bene persuasum tenebat, ea quæ de illo me-
moriæ mandata sunt, sine vitali et rationali crea-
tura non fieri, ad ipsam Christianam fidem pigrius
movebatur. Sed postea hæreticorum Apollinarista-
rum hunc errorem esse cognoscens, Catholicæ fidei
collætatus et contemperatus est. *Itaque bene cœ-*
ptis alacrius insistens, S. Pauli Apostoli Episto-
las meditabatur haud dubie cum Augustino,
quando utrique inopinate superveniens Pontilia-
nus Afer, quam in palatio tum præclarus tam
egregie Christianus, gratulatorie miratus est,
quod eas et solas apud illos Litteras repente com-
perisset. Et vero quam ex ea re spem de utroque
concipiebat, non segniter ipse in loco promovit
multa subjiciendo de S. Antonio abbate, deque
ejus historia, cujus improvisa lectione aulici duo
prope Treviros, cum ibi esset imperator, subito
commoti, solitudinis horrorem prætulissent aulæ
deliciis, novam e vestigio sanctioremque militiam
auspicati; ut apud Augustinum videre est lib. 8
Confess. cap. 6 *et seqq. : ubi etiam vix digressum*
inde Pontilianum statim consecuta narratur Au-
gustini et Alypii *per earumdem Apostoli Pauli*
Litterarum brevissimam et quasi fortuitam in-
spectionem conversio.

lectione textus Apostoli Pauli :

19 *Nam a Pontiliani congressu hortum ambo*
subeuntes, miris adeo cogitationum et affectuum
æstibus agitari cœperunt, ut Augustinus, posito
apud Alypium *codice S. Pauli, tantillum inde*
secesserit, quo lacrymis ac gemitibus paulo libe-
rius indulgeret. Sed mox ad cœlestes hasce voces,
Tolle, lege : Tolle, lege, *ad* Alypium *et sacrum*
codicem revolans, arripui, *inquit*, aperui, et legi
in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt
oculi mei : « Non in commessationibus et ebrie- E
» tatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non
» in contentione et æmulatione : sed induite
» Jesum Christum, et carnis providentiam ne
» feceritis in concupiscentiis ». Nec ultra volui
legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine
hujusce sententiæ quasi luce securitatis infusa cor-
di meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.
Tunc interjecto aut digito aut nescio quo alio si-
gno, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indi-
cavi Alypio. At ille quid in se ageretur (quod ego
nesciebam) sic indicavit : petit videre quid legis-
sem : ostendi; et attendit etiam ultra quam ego
legeram; et ignorabam quid sequeretur. Sequeba-
tur vero : « Infirmum autem in fide recipite ».
Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed tali
admonitione firmatus est, placitoque ac proposito
bono et congruentissimo suis moribus, quibus a
me in melius jam olim valde longeque distabat,
sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est.
Accidit hoc certo, secundum Augustinum ibidem
lib. 9 *cap.* 2, *viginti circiter diebus ante ferias*
vindemiales sive autumnales, ac proinde ineunte
Augusto. Sed cujus anni? Controvertitur; aliis F
annum 387, *aliis quos hic sequi malumus,* 386
defendentibus.

inde simul cum illo in agro Cassiciaco

20 *Sic animati cum nihil optarent magis, quam*
ut procul a civium strepitu negotiisque tranquil-
lum alicubi meditationibus otium invenirent,
peropportuna eis accidit Verecundi cujusdam
amicissimi, rus ac villam suam Cassiciacum in
agro Mediolanensi ad id ultro offerentis benigni-
tas. Hac igitur usus libenter Augustinus cum suis
omnibus (puta matre Monica, Navigio fratre,
filio Adeodato, Trigetio ac Licentio discipulis,
Lastidiano et Rustico cognatis, atque individuo
imprimis Alypio,) *secessum illum adeo sibi com-*
perit idoneum; ut rhetoricæ valedicens, inde re-
nuntiarit, peractis vindemialibus, ut scholasti-
cis suis Mediolanenses venditorem *(sic ipse lo-*
quitur) verborum alium providerent : *simulque*
ad S. Ambrosium de præparatione sua ad bapti-
smum scripserit : Et insinuavi, *inquit ibidem*
lib. 9 *cap.* 5, per litteras antistiti tuo, viro san-
cto, Ambrosio pristinos errores meos et præsens
votum meum, ut moneret, quid potissimum mi-
hi de libris tuis legendum esset; quo percipien-
dæ tantæ gratiæ paratior aptiorque fierem. *Ex*
quibus verbis perspicuum fit, quid ipse, quid
Alypius

AUCTORE P. B.

Alypius *in hoc recesssu tam sacro spectarint præcipue, et cur in eo ad proximam usque Quadragesimam sese continuerint.*

per aliquot menses ad baptismum egregie comparatus,

21 *Ibi igitur* Alypius *quod ante ab Academicis Christianæ veritati ac certitudini contrarium hauserat, jucundissima cum Augustino concertatione victus, agnovit, ejecitque; ut fatetur ipse (nam ipsa* Alypii *verba servavit Augustinus in opere tum scripto contra Academicos, lib.* 3, *cap.* 20) *Ibi siqua supererat vanitas, cui non satis arrideret in scriptis philosophicis vel ecclesiastici stili humilitas, vel usurpatio crebra sanctissimi nominis Jesu Christi, eam penitus erasit ex animo. Testem habemus Augustinum ita de hoc tempore ac loco scribentem lib.* 9 *Confess. cap.* 4 : Et quando mihi sufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, præsertim ad majora properanti? Revocat enim me recordatio mea, et dulce mihi fit, Domine, confiteri tibi quibus me stimulis perdomueris, et quemadmodum me complanaveris, humiliatis montibus et collibus cogitationum mearum, et tortuosa mea direxeris, et aspera lenieris,
B quoque modo ipsum etiam Alypium, fratrem cordis mei, subegeris nomini unigeniti tui Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod primo dedignabatur inseri litteris nostris : magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros, quas jam contrivit Dominus, quam salubres herbas ecclesiasticas, adversas serpentibus. *Ibi quibus facibus conceptum Dei amorem aluerit, idem istic Augustinus indicat* : Quas tibi, Deus meus, voces dedi cum legerem Psalmos, cantica David fidelia et sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo, catechumenus in villa cum catechumeno Alypio feriatus? *Ibi virtutum ejus exercitia usque adeo suspexit præ suis Augustinus, ut non dubitarit hæc de illis coram affirmare lib.* 2 *de Ordine cap.* 10 : Quæ tanta rapuisti aviditate, tantoque in ea naturæ admirabilis impetu ingressus es; ut ego tibi verborum, tu mihi rerum magister effectus sis. *Impetum autem illum ad quam inusitatum sui odium divina ibidem impulerit gratia, colliges ex lib.* 9 *Confess. cap.* 6; *ubi sic habetur :*

a S. Ambrosio baptizatur in Paschate anni 387.

C 22 Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret *(puta circa Quadragesimam, uti dictum, ad baptismum Paschate proximo suscipiendum)* relicto rure, Mediolanum remeavimus. Placuit et Alypio renasci in te mecum, jam induto humilitate Sacramentis tuis congrua, et fortissimo domitori corporis, usque ad Italicum solum glaciale *(per exactam jam hiemem)* nudo pede obterendum insolito ausu. *Dura enimvero rudimenta homini in caloribus Africanis nato adultoque! sed heroe tanto digna quantum exinde se præbuit reversus in Africam. Porro baptizatum a S Ambrosio fuisse, satis ex eo liquet, quod una cum Augustino renatus in Christo sit, de quo S. Possidius in Vita cap* 1 *tradit* : Et factum est, *divina præstante opitulatione, ut per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium et doctrinam salutarem Ecclesiæ Catholicæ et divina perciperet Sacramenta* ; *quamquam idem etiam aliunde, atque adeo ex ipso ipsius testimonio apud S. Paulinum epistola inter Augustinianas* 24, *alias* 35, *certissimum est. Tempus quoque ex dictis numero* 19 *eruitur, Pascha nimirum anni* 387.

§ IV. Reliqua, quæ de illo sciuntur.

Cœpit mox evangelicæ vitæ societatem cum Augustino instituere,

Quid S. Augustinus jam lavacro salutari tinctus egerit, sic explicat in ejus Vita cap. 3 *Possidius, alia quædam interjecta transiliens :* Ac placuit ei, percepta gratia, cum aliis civibus et amicis suis Deo pariter servientibus ad Africam et propriam domum agrosque remeare. Ad quos veniens, et in quibus constitutus, ferme triennio, et a se jam alienatis curis secularibus, cum iis qui eidem adhærebant, Deo vivebat jejuniis, orationibus, bonisque operibus, in Lege Domini meditans die ac nocte. *Societatem hanc in ipso quodammodo baptismo ab* Alypio *et cum* Alypio *Mediolani exorsum fuisse Augustinum putamus, et ideo, cum de aliorum secutu mox aggregatione loquitur, se et* Alypium, *tamquam simul aggregantes, exprimere numero plurali ; ut cum de Adeodato meminit Confess. lib.* 9, *cap.* 6, Sociavimus eum, *inquit*, coævum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua. *Quam-* E *quam hunc mors præmatura sustulit, antequam in Africam socii navigarent. Non aliter ibidem cap.* 8 *intelligendum videtur, quod ita de altero socio subdit :* Qui habitare facis unanimes in domo, sociasti nobis et Euodium juvenem ex nostro municipio; qui cum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conversus est et baptizatus. Simul eramus; simul habitaturi in placito sancto, quærebamus, quisnam locus nos utilius haberet servientes tibi : pariter remeabamus in Africam. *Imo hoc loco* Alypium *comprehendi certissimum est ex libro* 22 *de Civitate Dei, cap.* 8; *ubi Augustinus ex Italia recenter se cum* Alypio *Carthaginem appulsum interfuisse narrat miraculo, quod ibi tum acciderat hospiti suo Innocentio exadvocato vicariæ præfecturæ;* venientes enim, *inquit*, de transmarinis me et Fratrem meum Alypium, nondum quidem clericos, sed jam Deo servientes, ut erat cum tota domo sua religiosissimus, ipse susceperat, et apud eumdem tunc habitabamus *etc.*

F

et plures ad eam exemplo suo constanter attrahere.

24 *Fuit igitur* Alypius *tam sancti propositi fœdere cum Augustino conjunctus in Italia ab anno* 387; *ita discessit inde cum eo in Africam* post Maximi tyranni mortem *(ut asseritur lib.* 3 *Contra litteras Petiliani cap.* 25) *hoc est, post mensem Augustum anni* 388; *ita Carthagine in communi cum eodem hospitio commoratus est. Et quidni porro inde Tagasten cum eo adierit, ibique præstituto jam in Italia more* ferme triennio *convixerit? Certe nondum umquam discesserat ab ejus conjunctione anno* 391, *quo ineunte Augustinus ab Hipponensibus raptus ad presbyterium, ejusdem instituti monasterium apud eos erexit, ad illudque secum traxit* Alypium : *id enim satis manifeste ipse Augustinus indicat epist.* 22, *alias* 64, *cum Aurelio episcopo Carthaginensi, qui hoc ei gratulatus fuerat, ita rescribit anno* 392 : Quod Fratrem Alypium in nostra conjunctione mansisse, ut exemplo sit Fratribus curas mundi hujus vitare cupientibus, benevolentissime accepisti, ago gratias quas nullis verbis explicare possim. Dominus hoc rependat in animam tuam. Omnis itaque Fratrum cœtus qui apud nos cœpit coalescere, tanta tibi prærogativa obstrictus est, ut locis terrarum tantum longe disjunctis ita nobis consulueris tamquam præsentissimus

spiritui

A spiritu. Quapropter precibus, quantum valemus, incumbimus, ut gregem tibi commissum tecum, Dominus sustinere dignetur *etc. Vides hic Alypii in arrepto semel vitæ genere ac societate non modo constantiam, sed eminentem insuper et Carthaginem usque celebratam perfectionem.*

Invisit S. Hieronymum anno 393 :

25 *Vix in Hipponensi monasterio tam utilem S. Augustino collectisque Fratribus operam posuerat, cum ejusdem impulsu in Orientem profectus est ad S. Hieronymum anno, ut statuit Baronius, Christi* 393. *Nimirum hunc talem ac tantum virum adire per se ipse ac videre coram vehementer* optabat ; *sed quoniam id non poterat, Hipponensis jam ecclesiæ curis presbyter alligatus, per alteram saltem sui partem adhuc liberam, per* Alypium, *inquam, desiderium suum explere conatus est. Eruitur hoc facile ex ejus epistola* 28, *alias* 8, *post* Alypii *reditum, quamprimum sine dubio per occasionem licuit, ad Hieronymum data; cujus hæc verba describimus, quia Sancto nostro perquam honorifica sunt :* Quamquam ergo, *inquit Augustinus*, percupiam omnino te nosse ; tamen exiguum quiddam tui mi- B nus habeo ; præsentiam videlicet corporis : quam ipsam postea quam te beatissimus nunc episcopus, tunc vero jam episcopatu dignus, Frater Alypius vidit, remeansque a me visus est, negare non possum, magna ex parte mihi esse relatu ejus impressam : et ante reditum cum te ille ibi videbat, ego videbam, sed oculis ejus : non enim animo me atque illum, sed corpore duos, qui noverit, dixerit, concordia dumtaxat et familiaritate fidissima, non meritis, quibus ille antecellit.

unde anno sequente redux fit episcopus Tagastæ, et ibi condit sibi monasterium

26 *Patet vero etiam ex eodem hoc loco, erectionem* S. Alypii *ad sedem Tagastensem nequaquam longo intervallo secutam fuisse reditum ejus; cum utramque rem simul Hieronymo proximis ac primis ad eum litteris renuntiet Augustinus. Rediit ergo eodem forsitan, quo factus est episcopus, anno Christi* 394, *ad cujus autumnum spectat epistola* Alypio, *tamquam episcopo, rescripta per S. Paulinum, quam supra laudavimus num.* 4. *Ex ea quoque discimus, conditum ab eo jam tum fuisse monasterium Tagastæ, cui non aliter advigilare per se cœpisset episcopus, quam Hipponensi adhuc presbyter Augustinus :* Nam etsi in populis, *inquit ibi Paulinus*, ac su- C per populum agas, oves pascuæ Domini regens solicitis vigil pastor excubiis ; tamen abdicatione seculi et repulsa carnis ac sanguinis, desertum tibi ipse fecisti, secretus a multis, vocatus in paucis. *Quod intelligi de monasterio Tagastensi indicat per hæc verba continuo præmissa :* Per sanctitatem tuam nostris invicem salutentur obsequiis et in clero sanctitatis tuæ comites, et in monasteriis fidei ac virtutis tuæ æmulatores : *et quæ sub epistolæ finem sequuntur :* Benedictos sanctitatis tuæ comites, et æmulatores, in Domino fratres (si dignantur) nostros tam in ecclesiis, quam in monasteriis Carthagini, Thagastæ, Hippone-regio.... Domino catholice servientes multo affectu et obsequio salutari rogamus : *etsi etenim monasteria plura commemorantur, ubi sanctitatis Alypianæ tam celebris æmulatores tum fuerint ; Tagastensi tamen soli tunc temporis congruere potuisse censemus quod additur :* Desertum ibi ipse fecisti.

quod simul cum ecclesia sanctissime rexit,

27 *In eadem epistola præter solicitas hujus Pastoris excubias et sublimium exempla virtutum commendat etiam S. Paulinus eximiam prorsus de rebus divinis vel per litteras disserendi rationem, quas proinde frequenter ad se ac Therasiam suam dari sic efflagitat :* Visita litteris tuis, et profer in lucem in qua ipse versaris super aurea candelabra conspicuus. Eloquia tua lumen semitis nostris erunt, et oleo lucernæ tuæ impinguabitur caput nostrum, et accendetur fides, cum spiritu oris tui cibum mentis et lumen animæ sumpserimus. *Sub tali igitur Præsule quam florentem continuo Tagastensis ecclesiæ statum fuisse necesse est ? Hoc certe innuit anno* 395 *Augustini adhuc presbyteri, in epistola editionis novissimæ* 29, *hæc ad Alypium episcopum scripta gratulatio :* Magna sane ex parte vobiscum requiescimus cum alacritate ferveris, quia spiritualis ecclesiæ Thagastensium tam crebra nobis dona nuntiantur. *Itaque talis paulatim ejusdem ecclesiæ facies evasit, ut sacrum quoddam Africæ delicium videri debuerit S. Melaniæ juniori ejusque matri et conjugi, quando sub finem anni* 410 *illuc usque peregrinati, ibi annorum omnino septem sibi sub* Alypii *disciplina stationem fixere ; quam gloriosam Pastori, quam utilem ecclesiæ Tagastensi, docebit Vita S. Melaniæ ad diem* XXXI *Decembris.*

intentissimus interim ubique rei Catholicæ.

28 *Sed si tam admirabilis fuit ac felix quam ovili suo peculiari, dum illi præfuit, impendit operam ; longe profecto mirabilior illa dicenda est, quam interea simul Ecclesiæ ubicumque de-* E *mum laboranti constantissime commodavit universæ. Verum enim hanc laudum ejus partem amplissimam alio remittere satius est pro dignitate explicandum, quam hoc loco per summa tantummodo rerum capita perstrictam involvere : quidquid enim in hoc genere magnum maximus aliquando præstitit Augustinus, id fere totum ab eo constat* Alypii *sui et consilio susceptum et promotum auxilio confectumque fuisse, ne victoria quidem illa de Pelagianis, quæ Augustiniano nomini tantum ubique gloriæ peperit, excepta : nam et hanc* Alypio *simul et Augustino tribuunt S. Hieronymus, et impius atque acceptæ cladis impatiens Julianus ; hic atrocissimis utrumque identidem proscindendo calumniis apud ipsum Augustinum in Opere imperfecto contra Julianum ; ille sub finem anni* 419 *sio per unam epistolam (quæ inter Augustinianas est* 102, *alias* 24) *ad utrumque scribendo :* Deo gratias agimus, quod ita evenit, ut nostrum silentium vestris epistolis vinceretis : mihi enim omnis occasio gratissima est, per quam scribo vestræ reverentiæ ; testem F invocans Deum, quod, si posset fieri, assumptis alis columbæ, vestris amplexibus implicarer, semper quidem pro merito virtutum vestrarum ; sed nunc maxime, quia cooperatoribus et auctoribus vobis hæresis Celestiana jugulata est. *Et hunc ejus quidem rei Catholicæ per se et Augustinum adversus hæreticos operosissime tuendæ ardorem usque ad annum circiter* 429 *haudquaquam intepuisse, testis est ipse S. Augustinus in epistola, quam ad Quodvultdeum tum dedit, secunda.*

Nescitur tempus mortis ejus, nec locus, nec modus.

29 *Post annum vero illum quid Alypio factum sit ignoramus. Sunt, qui non temere sentiant, eum anno* 430 *confugisse Hipponem ad S. Augustinum, ibique obsidionis tempore perstitisse cum iis, de quibus agit Possidius cap.* 28 *:* Quo etiam ipsi nos de vicino cum aliis nostris coëpiscopis confugeramus, in eademque omni ejus obsidionis tempore fuimus. *Res tamen certa non est. At multo incertiora et nullis hactenus relecta monumentis, quæ ad Viri tanti gloriosum obitum pertinent : nescitur tempus, quo decessit, nescitur modus et locus : nulla sepulturæ ejus notitia superest, nulla sepulcri, nedum corporis aut reliquiarum ;*

30 *quiarum ;*

AUCTORE P. B.

quiarum; imo vero nulla etiam cultus publici indicia (saltem apud nos) vetustiora, quam quæ initio hujus Commentarii dedimus. Quod igitur S. Alypio *in margine apposuerimus,* CIRCA AN. CDXXX, *sic accipe, ut significetur, ulterius nihil de gestis ejus esse compertum; quamquam alioqui etiam verisimile non est, Virum septuagenario majorem ac tot fractum laboribus multo superfuisse diutius.* D

DE S. MACCARTHENNO EP. CONF.

CLOCHORÆ IN HIBERNIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Cultus ejus et Acta.

Anno DVI. Sancti cultus,

De hoc sancto Antistite egit ex instituto R. P. Joannes Colganus in Actis Sanctorum Hiber- niæ ad diem XXIV Martii, quo nos illum inter prætermissos positum remisimus ad hunc diem
B XV Augusti, ejus itidem memoriæ sacrum; si forte interim, ut ibi notatum est, plena nancisceremur ejus Acta, quæ ex codice nostro Ms. Salmanticensi acephala Colganus edidit, aut alia his non omnino sinceris meliora. Nunc igitur hac spe dejecti proferre cogimur non quæ mallemus, sed quæ possumus, et quam brevissime possumus, resectis, quæ laudatus auctor de Sancti familia et genealogia ex monumentis Hibernicis non raro variantibus operose collegit in Appendice ad ejus Acta. Ad illius tamen notitiam ac distinctionem observandum ante omnia videtur, etsi non unum olim in Hibernia nomen ipsi fuerit, sed quadruplex (puta Ædi *sive* Aidi, Ferdachrici, Kerthenni *sive* Caerthenni, *et* Maccarthenni *sive* Maccaerthennii) *hoc tamen ultimum vulgi nunc usu solum esse notum, quamtumvis non eodem ubique modo expressum; quoniam vero per hoc nomen non satis distinguitur a germano fratre aliisve synonymis, adjungi fere titulum ecclesiæ cui solus hoc nomine præfuit episcopus,* Clochorensis Clocharensis, de Clochar *etc.*

C 2 *Est autem Clochoro, Clochar, Clogeria (vulgo Cloger) urbecula Ultoniæ in Comitatu Tyronensi episcopalis sub archiepiscopo Armachano, a cujus metropoli viginti circiter milliaribus Anglicis distat versus occasum. Ibi decessisse* Maccarthennum *nostrum anno Christi* 506 *tradit Usserius in Indice chronologico ad Britannicarum ecclesiarum Antiquitates. Consentiunt alii, ut Jacobus* Waræus *in Commentario de præsulibus Hiberniæ pag.* 41, *et Franciscus Porterus in Compendio Annalium ecclesiasticorum regni Hiberniæ pag.* 173, *addentes, tum ibi sepultum fuisse* in ecclesiæ suæ cœmeterio. *Unde dubium esse non potest, quin ibidem cultus ejus et primum cœperit et viguerit præcipue, tametsi primordia nobis adeo perspecta non sint ex Portero jam citato, cum ait*: Post aliquot deinde secula, anno nempe MXLI, hæc ecclesia de novo ædificata est et S. Maccartini memoriæ dicata. Circa annum vero MCCXCIII eam restauravit Matthæus Mac-Catasaid episcopus Clochorensis. Is capellam porro condidit supra sepulcrum sancti Maccartini, et cœmeterium muro circumdedit. Anno demum post centesimo, Aprilis XXVIII, dum Arthurus Mac-Camæil loci episcopus capellam Maccartini de novo erigi curaret, ecclesia ipsa cathedralis et duæ capellæ et monasterium B. Mariæ nec non curia episcopi una cum triginta duobus aliis ædificiis etc. incendio conflagrarunt. Ad ecclesiæ et curiæ structuram Arthurus hic omni studio postea incubuit. *Hæc ille de loco cultus* S. Maccarthenni *primario; quæ legi etiam pleraque possunt apud Waræum in episcopis Clochorensibus ex loci Regesto ante medium seculi* XVI *concinnato desumpta,*

in ecclesia Clochorensi celeberrimus,

E

3 *De tempore cultus, seu potius festis ejus olim anniversariis ita Colganus in Appendice ad ejusdem Acta cap.* I: Duo hujus Sancti festa in Hibernia celebrari tradunt Martyrologi. Primum die XXIV Martii; qua ejus natalem celebrari tradunt Martyrologium Salisburiense *(a Richardo Whitfordo cum additionibus aliquot editum Anglice Londini anno* 1526;*)* Usserius.. *(in Britannicarum ecclesiarum Primordiis pag.* 856;*)* Martyrologium Tamlacteuse... *(quod alibi scriptum ait vel interpolatum circa annum Christi* 900;*)* Marianus Germanus.. *(cujus Martyrologium refert ad annum circiter Christi* 1167;*)* Calendarium Casselense... *(anni, ut antea statuit, circiter* 1030;*)* Maguir *(intelligo Maguirii Martyrologium adulti seculi* XV*)* et Martyrologium Dungallense, *collectum ex variis ante medium seculi* XVII. *Tum continuo pergens ad festum ejus hodiernum.* Secundum festum ipsius, *inquit,* celebrari die XXV Augusti *(Lege* XV Augusti, *ut eadem pagina bis, et alibi sæpius legitur)* tradunt plerique ex citatis. *Confer, si lubet hunc auctoris hujus locum cum ejusdem Annotatis in Triade pag.* 181 *num.* 174.

annuntiatur in Martyrologiis hoc die, et 24 Martii.

F

4 *Acta* S. Maccarthenni, *ut jam dictum, alia nunc non habemus ulla, quam quæ olim ex codice nostro Salmanticensi a quadringentis ut minimum annis exarato desumpta Colganus publici juris fecit. Aliane viderit, an eadem quidem, sed cum initio, quod nostros deest, Usserius, incertum est. Certe in nostris non habentur de Sancto verba, quæ ipse pag.* 856 *transcripsit ex suis,* Mac-Kartinus de nobili prosapia Aradensium ortus. *Recudemus hic adeo jam pridem excusa, sed ad codicem iterum eumdem exacta; non quod ea nunc pluris facienda putemus, quam decessores olim nostri censuerint; sed quia non suppetunt alia.*

Ejusdem Acta.



ACTA

A

ACTA MUTILA

Auctore anonymo ex codice nostro membraneo Salmanticensi, notato P. Ms. II

Sanctus Clochorus episcopus et abbas factus *a*

Die quodam sanctum magistrum trans flumen quoddam, ut solebat, portavit *a*: cumque sacrum deponeret onus, signa debilitatis suspirando ostendit. Cum a pio patre pulsaretur, ut causam suæ diceret debilitatis, ait; Jam, inquit, pater accedente senio vires mihi deficiunt et assiduum iter me multum gravat; fac ergo me, pater, in aliquo loco Deo et tibi servire. Quod pater annuens, ait: Vade in pace, Fili, et monasterium tibi construe in platea ante regalem sedem Ergallensium, resurrecturus in gloria inde. B Sedes enim illorum, qui terrena sapiunt, desolabitur; tua vero de die in diem augmentabitur *b*; atque de ejus sacro cimitherio * plurimi ad beatam resurgent vitam. Et addidit; Accipe, inquit, baculum itineris mei, quo ego membra mea sustento, et scrinium in quo de sanctorum Apostolorum reliquiis, et de sanctæ Mariæ capillis, et sancta Cruce Domini, et sepulcro ejus et aliis sanctis reliquiis continentur. Quibus dictis dimisit eum cum osculo pacis paterna fultum benedictione. Itaque illuc perveniens Clochorensе fundavit monasterium *c*.

b — * *lege cœmeterio*

c

d — *vexatur a loci dynasta*

2 Eo tempore Echodius *d* regni sceptrum tenens, Virum Dei in multis molestabat: bovem namque unum, qui ad usum discipulorum ejus necessaria portabat, a pratis coërcebat, atque ad lapidem ligari jussit. Cumque bos longa affligeretur inedia, tres altos dedit mugitus. Quibus auditis suus magus regi ait: Scias, te grande damnum incurrere, eo quod bovem Episcopi *e* ligari fecisti. Ipsius enim possessio erit, ubicumque mugitus bovis advenit: quod rei probavit eventus. Audiens vero rex verba magi, timuit, ac prophetiam cassare volens, misit filium suum, Corpreum *f* nomine, licet parvulum ætate, præ- C cipiens, quatenus Servum Dei de terra sua expelleret. Sed regina conatum pueri prohibuit, ne scilicet in aliquo Virum Dei offenderet, et pro benedictione, quam super filium procuraret, maledictionem induceret. Cumque pater filium ad jussa complenda cogeret, licet nolens ac animo renitens et in lachrymas prorumpens, et obtemperans ivit. Quod cum mater videret; flens flenti pomum quoddam dedit. Cumque puer ad mediam plateam perveniret, donum quod mater dedit, perdidit: sed cum diu perditum quæreret, et minime inveniret, vexatio fomentum ei soporis ministravit. Res mira atque omni admiratione stupenda! Transit turba equitum, transit et multitudo peditum; sed ille a nullo est tactus, neque a somno excitatus, nec etiam alicui est visus. Pater miratus, quod tam diu filius moratur, mittit post eum nuncios; sed quæsitus non invenitur. Aulici regis plangunt, et nox illa in ploratu omnium transitur. Crastina vero die illucescente, de somno expergiscitur, pomumque sollicite quæsitum, faciliter reperitur. Sic gaudens domum revertitur. Adveniente filio parentes et cæteri lætantur. Percunctatus ille de moræ retardantia, rem narrat ex ordine; atque apud Episcopum sanctum sub vestimento suo esse et optimum odorem naribus percipere putat.

e

f

A. anonymo.

quem crebris miraculis reddit beneficum.

3 Rex tot et tantis miraculis visis, non credidit; sed magicis artibus fieri asserens, quemdam de suis misit, atque ut ignem refocillantem Virum Dei extingueret, et ipsum a finibus expelleret, præcepit. Qui cum ad Sanctum perveniret, et ignem extinguere conaretur, manus ejus riguerunt. Cum iram Dei in se sævientem sentiret, flexis genibus a Servo Omnipotentis veniam humiliter petit. Qua data, solutus est a pœna, ac ea, quæ vidit, renunciavit. Videns autem rex, quod sui contra Virum Dei nil proficerent, arrepto gladio, ut eum interficeret, ipse perrexit. Cumque manum ad percutiendum erigeret, velut lapidea statua riguit, nec illam deprimere, nec pedem movere, vel linguam ad loquendum potuit aptare. Sed cum regina ad retardandum conatum regis properaret, ac eum pœna tam debita flagellari conspiceret, fusis lacrymis suppliciter deprecatur, ut a tot flagellis solvatur. Movetur precibus tam devotis pius Pater atque aqua benedicta regem perfundens *g*, mox sospitati integræ est restitutus. Cum vexatio daret regi intellectum, ante Virum Dei in terra E prostratus, quidquid ipse ei præciperet, facturum se veraciter promisit, atque ad opus monasterii terram ei dedit *h*.

g

h

Alia miracula ejus

4 Quodam die dum divinam Scripturam cum vehementi desiderio perlegeret, et ingruentis noctis tenebras venire doleret, Deus, qui vera lux est suorum, dilecti Filii desiderium complens, effusa desuper luce, tota nocte monasterium suum, acsi esset irradiatio solaris, illuminavit. Item aliquando inceptam diluculo prædicationem, ad sequens mane continuavit. Et non solum hic in prædicationis veritate resplenduit, verum etiam in misericordiæ operibus abundavit. Quodam enim tempore, dum quidam hospites extranei ad Virum Dei venirent, nec quo reficeret eos, alimentum haberet, ad charitatis fontem recurrens suppliciter petiit, ut qui bruta animalia et bestias sufficienter reficit, suis servis venam misericordiæ in hac necessitate aperiat. Nec distulit summa Dei liberalitas Amici sui complere desiderium: nam mox in monasterio suo frumentum e cælo copiose pluere cœpit, nec tota nocte sic pluendo cessavit, et ubi antea nulla habebatur aqua, fons limpidissimus erupit: mirantur omnes qui aderant, et glorificant Deum, F qui in Sanctis suis semper est mirabilis. Denique ex manna cælitus data *i* viri Israëlitæ reficiuntur, atque ex aqua mirabili refocillantur. Panis saporem mellis, et aqua vini dulcedinem prætendebat. Mirificavit Dominus Sanctum suum in his; et non solum his signis, verum etiam spiritu prophetiæ dotavit.

i

in vita

5 Erat enim vir quidam crudelis, immemor misericordiæ et pietatis, a quo Vir Dei postulavit, ut bovem unum, quem in monasterio habebant, in prædio suo pasci permitteret. Sed obduratum est cor Pharaonis; noluit Virum Dei exaudire. Tunc Vir Dei prophetice ait: Te novem milites decollabunt; sed unde venerint, aut quo redierint, nescietur. Quia vero negasti pabulum bovi in aratro Dei trituranti, tuum prædium erit meum. Quod totum completum est. Postmodum enim novem viri venientes ipsum decollaverunt, et caput ejus in pera non longo spatio deferentes, sine honore dimiserunt, et statim disparuerunt. His et hujusmodi Electus Christi tamquam sol mundum istum in vita illuminavit. Sed nec minus de mundo transiens miraculis coruscavit, de quibus pauca ad memoriam reducamus.

6 Quidam

A. ANONYMO. et post obitum

6 Quidam vir Clochorensis diœcesis uxorem habuit dæmonio vexatam, quam in Clochorensi civitate in quodam obscuro loco catenatam reliquit, ac aliam sibi copulavit. Expleto autem anno dæmoniacam de carcere eduxit, ac in domo sua ligatam tenuit. Cumque sic duplici contritione infelix mulier vexaretur, oriens ex alto Sol justitiæ, circumfulsit eam lux immensæ irradiationis; ac in ejus splendore vidit virum reverendum nimio fulgore circumdatum ad cubiculum suum accedentem. Quem cum admiratione interrogans, ait: Domine quis es tu; et quid quæris? At ille respondens dixit: Ego sum, inquit, episcopus Maccartinus, qui venio sanare te a languoribus tuis; cras enim liberaberis, et sana eris. Cujus promissio facta est veritatis completio: nam crastino die illucescente, mente et corpore cum omnium videntium admiratione illa inventa est sana; atque vinculis soluta, in domo viri sui ad tempus supervixit *k*.

ANNOTATA.

B a *Vides hoc non esse principium Actorum, cùm non exprimatur* S. Maccarthennus, *sed supponatur antea nominatus; uti etiam supponitur nominatus antea* magister, *qui fuit S. Patricius. Et vero in codice nostro manifestum est præcedentem paginam unam aut plures excidisse.*

b *Hæc S. Patricii prædictio non videtur commode componi posse cum ejusdem alia, prout apud Colganum in Triade ab auctore Vitæ septimæ S. Patricii pag.* 145 *num.* 123; *sed nullo modo illi repugnat, prout narratur a Jocelino ibidem pag.* 93 *cap.* 123, *et apud nos Martii tom.* 2 *pag.* 565 *num.* 107.

c *Quæ huc usque leguntur in his Actis de* S. Maccarthenno, *clarius narrat et melius in Vita S. Patricii Jocelinus apud nos Martii tom.* 2 *pag.* 569 *num.* 125, *et apud Colganum in Triade thaumaturgica auctor Vitæ septimæ ejusdem S. Patricii pag.* 149, *seu part.* 3 *cap.* 3: *utrobique disertius exprimitur Sancti promotio ad episcopatum ecclesiæ Clochorensis; cui adjunctam fuisse cœnobii fundationem ac præfecturam satis indicat Jocelinus, addens mox de* S. Maccarthenno, *quem ipse* Certhennum *nuncupat:* Ibidem ergo S. Certhennus degens, Interius abbatis, exterius pontificis officium exercens, canos suos fovit, et in magna sanctitate vitam finivit. D

d Echodius, Eochodius, Echa, Echu *dynasta fuit olim tractus istius in Ultonia, in quo sita erat Clochora. Vide quæ de hujus filia S. Cinnia sive Kinnia dicta sunt ad diem* I *Februarii pag.* 96 *et sequenti, vel Colganum hic in Annotatis num.* 10.

e *Vides, non tantum ibi monachis præfuisse Sanctum, sed etiam episcopum Clochorensis ecclesiæ.*

f *Hunc notat Colganus proavum fuisse S. Endei, Araniensis abbatis, de quo post ipsum egimus ad diem* 21 *Martii.* E

g *Nominativus pro ablativo absoluto, passim frequens.*

h *Nondum tunc tamen baptizari voluit, secundum Jocelinum in Vita S. Patricii cap.* 80; *vel apud nos Martii tom.* 2 *pag.* 557 *num.* 70 *et* 71.

i Manna *etiam alibi invenitur generis feminini. Vide Martinium in Lexico etymologico.*

k *Putat Colganus etiam hic aliquid esse mutilatum; sed hoc non indicat codex noster.*

DE S. ALTFRIDO EPISC. CONF.

HILDESEMII IN SAXONIA INFERIORE

J. B. S.

SYLLOGE HISTORICA

DE CULTU, ÆTATE ET GESTIS

C F

§ I. Examinatur cultus.

ANNO DCCCLXXV. De cultu Majores nostri

Hildesia, *Hildesemium* (Hildescim) *urbs episcopatis Germaniæ in Saxonia variis modis Latine effingitur, ut ex dicendis patebit: ea autem singulari prærogativa gaudet, quod ejus hodie episcopus solus sit Catholicus in tota Saxonia, et civitas ipsa cum tota episcopali ditione, imperialis et libera. Paulo ampliorem descriptionem dabit Chronographus Saxonicus anonymus apud Mabillonium, cujus nonnullas observationes infra subjiciemus. Hic potissimum quæritur utrum* Altfridus *quartus ordine dictæ civitatis episcopus Sanctis annumerandus sit, de quo dubitasse aliquando Majores nostros, patet ex iis quæ notarunt ad Vitam B. Rabani Mauri die* IV *Februarii, tomo* I *pag.* 505, *ea nimirum occasione quod aliqui* Altfridum *B. Rabani discipulum perperam fuisse velint, cum extra omnem controversiam non sit, teste Mabillonio, utrum vere monachus Corbriensis in Saxonia fuerit. Ut ut sit, ita citato Februarii toco de ipso loquitur Henschenius:*

aliquando dubitantes

2 Tertius ad episcopalem dignitatem ex Rabani discipulis pervenisse dicitur, Altfridus qui Fulda missus ad Corbeiam Saxonicam Scholasticus, postea quartus Hildelsheimensis ecclesiæ pontifex ordinatus est ". Verum ne eum Otfrido monacho eum confuderit Trithemius multum veremur. Scribunt de eo Trithemius de Viris illustribus Ord. S. Benedicti lib. 3 cap. 207, et lib. 4. cap. 196, et in Chronico Hirsaugiensi ad annum 847, Wion in Episcopis Hildesheimensibus, Letzuerus in Chronico Corbeiensi cap. 9, ubi anno DCCCXXXIX ad monasticam vitam admissus dicitur: a quibus aliisque Scriptoribus nulla mentio fit aut monachatus Fuldensis aut disciplinæ Rabani. Apud Egghardum Vragiensem abbatem in Chronicis a Browero post Vitam S. Godehardi episcopi Hildeshemensis inter sidera illustrium Sanctorum Virorum Germaniæ editis, legitur " IV episcopus Altfridus constitutus anno DCCCXLVII sedisse annis XXIX, in die Assumptionis obiisse anno DCCCLXXV "

quo

AUCTORE J. B. S.

A quo die in nullo Martyrologio nomen adscriptum reperimus, licet Sanctum appellet Trithemius lib. 2 num. 15, et Wion loco citato.

postmodum agnoverunt

3 *Agnovere postmodum ad* XX *Februarii inter Prætermissos*, S. Altfridi episcopi Hildeshemensis *nomen Kalendario Ms. Ord. S. Benedicti eo die inscriptum, sed constare, eum obiisse* XV *Augusti seu hoc die, quo ipsum refert Greveneus, quasi subtimide his verbis* : Item sanctæ memoriæ Altfridi episcopi Hildensheymensis et confessoris, in Essendeno monasterio quiescentis. *Greveni phrasim Germanice reddidit Canisius; neque Florarium nostrum Sanctorum Ms. satis aperte rem exprimit. Ferrarius in Catalogo generali rotundius scribit* : Hildesemii in Saxonia, sancti Altfridi episcopi. *Æque expressa est annuntiatio Castellani in suo Martyrologio universali, dum ita loquitur* : In Germania, S. Alfridi episcopi Hildesemensis, fundatoris abbatiæ Assindiensis, cujus abbatissam ut supremam Dominam agnoscunt. *Succedat Mabillonius qui rem conficere videtur dum* Altfridum *nostrum Sanctis Ordinis sui inserit sec.* IV, *parte secunda a pag.* 259.

B

cum PP. Benedictinis.

4 *Non absque elogio ipsum memorant Wion et Bucelinus, qui posterior cur eum differat ad* IX *Decembris prorsus non intelligo, neque longiorem ejus orationem hic juvat describere, sufficiant ea quæ habet Wion tom.* I *Ligni vitæ pag.* 321, *his verbis* : S. Altfridus sive Alefridus monachus S. Viti Corbetæ Saxonicæ, patria Coloniensis, ac nobilissimo genere natus, vir doctrina et sanctitate emicans, creatus est quartus Hildeshemensis episcopus anno DCCCLXVII. Hic construxit tria cœnobia, Essense et Assuedense Virginum, et Selgenstadense virorum sub regula S. Benedicti, nec non et ecclesiam collegiatam in honorem Dei Salvatoris et sanctissimæ Matris ejus, in qua ordinavit et constituit, ut canonici sui omnes sub professione ac regula divi Benedicti viventes, Deo acerrimo studio servirent, non secus ac monachi, omnia habentes communia. Mortuus est autem bonis operibus plenus anno DCCCLXXV, regiminis sui XXVIII, et in monasterio Assuedensi honorifice sepultus est. *Ut superius diximus varie inflecti Hildesium, ita et hoc cœnobium.*

C

cum nostro P. Kritzradt

5 *Porro de* S. Altfridi *cultu recentiora testimonia nobis olim suggesserunt Patres nostri, alibi non semel laudati, Kritzradt et Kloppenburg, quorum prioris epistola data* V *Maii anni* 1651 *testatur in hæc verba* : Essendiæ respondit mihi Clar. D. Arnoldus Tütmannus J. V. Licentiatus, Dominæ Essendiensis agens et consiliarius : Fundator noster est S. Alfridus episcopus Hildesiensis, cujus corpus in ecclesia tumulatum. Fundationem erexit piissimam XXXII canonissarum virginum et viginti canonicorum, duodecim scilicet sacerdotum, quatuor diaconorum et quatuor subdiaconorum, sub titulo B. Virginis et sanctorum Cosmæ et Damiani. Clausuram habet fundatio, contra nunc mutata est in statum secularem. Ejus festum non peragitur nec Patronorum nisi antehac in choro, nunc vero ex mandato celebrari jussum. *Addit, reliquias Coloniam translatas dici, sed de qua translatione non constet.*

et P. Kloppenburg.

6 *Alter Neuhusio ita ad Papebrochium scripsit* XI *Januarii* 1686 : Fui nuper, fine scilicet Octobris anni elapsi MDCLXXXV, cum Celsissimo Principe nostro Corbeiæ, quod celebre et imperiale monasterium novit ad Visurgim conditum, quo tempore in eleganti eorum templo vidi in ultari summo collocatas justæ humanæ magnitudinis statuas cum titulo Sancti : nimirum a dextro latere S. Caroli magni, a sinistro S. Ludovici pii : deinde in choro sequentes divorum statuas, qui aliquando monasticem in hoc asceterio professi fuerint, cum titulo S. aut B. ut subjungo : B. Heimeradi (qui tamen monachus non fuit) S. Ludolphi abbatis Corbei. S. Warini abbatis Corbei. S. Altfridi episcopi Hildesiensis, S. Rogeri archiepiscopi Bremensis, S. Remberti archiepisc. Bremensis, S. Stephani episc. Upsalensis in Suecia. B. Druthmari abbatis Corbei. S. Paschasii Radberti, qui aliquamdiu in hac nova Corbeia vixerit, S. Adelardi abbatis Corb., S. Adelgarii archiepisc. Bremensis. *Mitto ceteros; satis mihi sit, ex his omnibus manifeste constare,* S. Altfridum, *merita gloria pridem celebratum et porro hodie constanter celebrari.*

De gestis pauca supersunt.

7 *Id nobis quam maxime dolendum videtur, neminem unum, qui saltem ad notitiam nostram pervenerit, nec inter canonicos a se fundatos, nec inter monachos Corbeienses repertum, qui tam illustris Sancti Vitam aut Acta posterorum memoriæ commendaret, ut laciniæ hinc inde colligendæ fuerint, ex quibus ea potissimum* E *eruuntur, quæ ad Hildesiensis, alias Hildinisheimensis episcopatus erectionem et primorum Antistitum successionem, uti et ad exstructiones templorum monasteriorumque fundationes spectant, quæ cum in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, loco superius citato satis accurate digesta sint, operæ pretium nobis visum est, totum Mabillonii commentarium hic describere, cui et ineditum hactenus, præterquam a nostro Schateno inter res Paderbornenses, instrumentum præclarissimæ fundationis Assendienses sive Esnedienses subjungendum censuimus. Habe modo laudatum commentarium, ut normam nostram in duas partes divisum, cujus prima est*

§ II. Prima ecclesiæ Hildesiensis fundatio, ex Actis Benedictinis.

F

Prima Hildesiensis episcopatus origo.

Ex octo episcopalibus sedibus, quas in Saxonia erexit Carolus Magnus anno DCCLXXXI, ut superius diximus, ad annum DCCCLII, ubi de Hunione episcopo Halberstadensi; una fuit ecclesia Aulicensis, dein Hildinesheim translata : cujus sedis originem accurate describit anonymus chronographus Saxonicus ad annum DCCCXV in hæc verba. „ Karolus Magnus imperator, postquam diu infrenem et Christiani nominis tunc immunem Saxoniam, longo tandem mollitam bello, Fidei catholicæ impressit sigillo; inter cetera Saxoniæ loca, quæ episcopalibus sublimanda sedibus decrevit, Aulicam villam, ab insigniente eamdem loeum regis aula appellatam, et ubi Sala fluvius parvus, sed piscosus, Leviæ influit, sitam, sede episcopatus dignam judicavit, tum propter delicatam ipsius loci amœnitatem, tum propter confluam negotiandi commoditatem. Quippe cum naves Fresiæ de Wisara per Leviam adscendentes, eumdem locum locupletare, publicis etiam usitatissimusque viarum transitus celeberrimum possent reddere.

Aulica primum a Carolo Magno

9 „ Quo decreto Karolus Aulicensis ecclesiæ primam fundamenti petram ipse ponens, eamdem ecclesiam, quasi primitias Saxoniæ et desudati Christo triumphi titulum, fundato super petram

AUCTORE J.B. S.

„ petram qui Christus est, cæli clavigero dica-
„ vit : et subsequenter morato ibidem pio Impe-
„ ratore, ad primam usque cæmentarii staturam
„ murus ejusdem surrexit ecclesiæ. Karolo au-
„ tem, quoad vixit, ad promovendas, ordinan-
„ dasque in episcopatus, et hanc, et alias quas
„ construxit ecclesias, impedito, et ex negotiis
„ bellorum et penuria prædiorum, Aulicensis in-
„ terim ecclesia per directos præfectosque sibi a
„ suo conditore sacerdotes, qui Saxoniam soli-
„ dioris cibi tunc minime capacem, lacte ecclesia-
„ stico imbuerant; per hos, inquam, gubernata,
„ adjacenti provinciæ erat ecclesiasticæ legis ma-
„ gistra et Religionis christianæ evidens forma :
„ loco, quem nunc Hildineshemensis illustrat ec-
„ clesia, deformem adhuc situm passo, domesticis
„ adhuc paludibus obducto, silvis horrido, venatui
„ tamen apto.

sed postmodum a Ludovico Pio

10 „ Karolo eumdem regni et vitæ finem sor-
„ tito, Lodowicus tam paternæ religionis, quam
„ potestatis heres, cum totus esset in promoven-
„ do Aulicensem ecclesiam in caput et arcem epi-
„ scopatus, et cum hoc disponendi gratia eum-
„ dem locum incoleret frequentius, contigit eum
B „ transitu Levia venandi affectu in loco, quem
„ nunc Hildineshemensis occupat ecclesia tento-
„ rium fixisse, ibique allatis regiæ capellæ reli-
„ quils Missam audivisse. Erant autem ex Dei pro-
„ videntia eædem reliquiæ sanctæ Genitricis Dei
„ Mariæ. Rege autem dehinc de venatu Aulicam
„ regresso, ibique tunc missarum solennia audi-
„ turo, capellanus reliquias altari impositurus,
„ demum recoluit se oblitum eas dimisisse, ubi
„ Missa celebrata est pridie. Revertitur sollicitu-
„ dinis stimulo conatus, invenitque eas ubi et
„ suspenderat, in ramo scilicet arboris purissimum
„ fontem obumbrantis. Approperat hilaris, et, o
„ stupenda Dei magnalia! o divina dispositionis
„ abyssus multa! quas facili manu ibi suspenderat,
„ nullo conatu auferre suffecit. Recurrit Impera-
„ torem mirando affecturus nuntio. Ille avidus au-
„ dita experiri, acceleratissime multis stipatus ve-
„ nit, reliquias de loco, cui semel inhæserant, nolle
„ moveri sensit.

non sine miraculo

11 „ Instructus igitur hoc nutus esse divini,
„ sacellum ibidem Dei acceleravit Genitrici, al-
C „ tari eumdem locum obtinente, quem et suspen-
„ sæ reliquiæ. Locum igitur hunc novitate mira-
„ culi illustratum, hunc tantopere Dei Genitrici
„ placuisse probatum, rex Lodowicus toto affe-
„ ctu promovere aggressus, principalem episcopii
„ cathedram, quam prius in apud Aulicensem ec-
„ clesiam a patre suo fundatam, et a se tantope-
„ re celebratam, honori Principis Apostolorum
„ attribuere decrevit, sacello Dei Genitricis con-
„ cessit, eique probatæ religionis Guntarium pri-
„ mum episcopum præfecit. Sic Hildinisheimensi
„ ecclesia principalem sedem obtinente, sic Prin-
„ cipe Apostolorum Genitrici Conditoris Redem-
„ ptorisque sui locum dante, obtinuit Aulicensis
„ ecclesia, ut esset mater et filia : filia scilicet ec-
„ clesiæ episcopalis : mater vero ecclesiarum qua-
„ rumdam ultra, omnium autem secum cis Le-
„ viam positarum.

Hildesium translatus, cujus primi episcopi.

12 „ Sacellum autem Hildinisheimense a rege
„ Lodowico constructum, et sanctæ Mariæ di-
„ catum, perduravit in sibi digno religionis cul-
„ tu, non adjuncto sibi alio opere usque ad Alt-
„ fridum quartum præsulem ipsius ecclesiæ. Gun-
„ tarius enim primus ejus episcopus, episcopa-
„ lem ecclesiam, in qua principalis fratrum cle-
„ rus Deo serviret, cum duabus altissimis turri-
„ bus remotius a dicto sacello, in meridiano ejus D
„ latere construxit et principaliter in honore san-
„ ctæ Ceciliæ virginis dedicavit. Sed hanc eccle-
„ siam fratrum celebritas et canonicalis religio non
„ incoluere, nisi præsidentibus tribus episcopis,
„ Guntario et Reinberno, qui per XX annos illi
„ ecclesiæ præfuerunt, tertio Ebbone, prius Re-
„ mensi archiepiscopo post Hildinisheimensi epi-
„ scopo „. Hæc de hujus episcopatus origine fu-
sius referre visum est, quia non facile cuivis obvia
esse possunt.

§ III. Primi ejus episcopi quatuor, quos inter illustrissimus S. Altfridus.

Eos inter celebris Ebo Rhemensis

Reinberto Guntarii successori Ebo Remensis
Antistes sufficitur, non anno DCCCXXXV quo in
ordinem redactus est, neque anno DCCCXXXVII,
ut legitur in Chronico Saxonico, ubi ejus obitus
anno DCCCXLVII male repouitur, sed anno DCCCXLV,
ut constat tum ex epistola synodica concilii Tri- E
cassini ad Nicolaum Papam, tum ex narratione
clericorum Remensium de Ebonis depositione.
Siquidem Ebo post reditum ex profectione Italica
ad Sergium Papam, cum „ legationem in Græ-
„ ciam a Hlothario sibi injunctam suscipere de-
„ trectaret „ abbatiis quas imperatoris beneficio
possidebat, sibi ablatis „ Hlodovici Germaniæ re-
„ gis largitione in provincia Mogontina et regio-
„ ne Saxoniæ, non longe a vicinitate fluium Nort-
„ mannorum, quibus a Paschali Papa prædicator
„ fuerat destinatus, episcopium Hildinesheim va-
„ cans obtinuit : ubi etiam auctoritate privilegii
„ a beato Gregorio Papa sibi collati, ministerium
„ pontificale fine tenus exercuit „ ut scribunt Pa-
tres Concilii Tricassini anno DCCCLXVII celebrati,
ac proinde isti ecclesiæ præfuit Ebo ad annum
DCCCLI, quo ejus obitus, teste Hincmaro in epistola
27 ad Nicolaum Papam, contigit „ Indictione XIV,
„ XIII Cal. Aprilis „.

cui successit S. Altfridus

14 Remenses clerici testantur, eumdem in se-
de „ Hildinesheim „ non solum usque ad finem
vitæ perstitisse, sed inter cetera multa bona, di- F
versas etiam fecisse ordinationes, „ quæ absque
„ ulla umquam reprehensione ab omnibus Deo
„ amabilibus „ probarentur. Et tamen in prædi-
cto Chronico Saxonico Altfridus, Ebonis in se-
de Hildinesheimensi successor, „ administrata ab
„ antecessore suo ecclesiastica sacramenta cas-
„ sasse „ memoratur „ iterando scilicet ecclesia-
„ rum consecrationes et clericorum (si qui digni
„ videbantur) ordinationes „. Itaque anno non
DCCCXLVII, ut legitur in eodem chronico Ms., sed
DCCCLI, Eboni mortuo successit Altfridus ex mo-
nacho (ut scribit Trithemius) Corbeiensi. Intel-
ligit, ut puto, Corbeiam Saxonicam, tametsi in
catalogo ejus loci monachorum, qui Warino tum
abbate ibidem vixerunt, nullus Altfridus reperitur
apud Meibomium. Jam Altfridi res gestas ex Chro-
nico Saxonico repetamus. „ Deus curtes suæ pro-
„ prietatis, Saligenstad et Esnedi ecclesiæ suæ con-
„ donavit, in quibus abbatias Saligenstad mona-
„ chorum et Esnedi virginum coadunavit „ Hæc ad
annum DCCCXLVII.

15 „ Anno DCCCLII Liudolfus dux Saxoniæ
„ cum sua conjuge Oda Romam petiit et ab Apo-
„ stolico reliquias sanctorum Præsulum Anastasii

„ et

Ejus prima cura exstruendarum ecclesiarum,

A „ et Innocentii impetratas detulit, et in honore co„ rum monasterium et cœnobium virginum, ante „ quatuor annos in Brunesteshuse inchoatum, in „ Gandersheim antiquiori loco construxit. Tum„ que domnus Altfridus Hildinisheimensis episco„ pus ecclesiam ibidem ædificare cœpit et Hathmo„ dam ejusdem ducis filiam primam abbatissam „ ibidem ordinavit. Decimas etiam ex proprietate „ suæ ecclesiæ ibidem pro exhibendo sibi servi„ mine et censu in beneficium præstitit, et cetera „ ibi Christo famulantibus profutura ex sua paterna „ pietate providit „. Gerbergam Hathmodæ sororem ipsi successisse anno DCCCLXX ait Chronographus, Gerbergæ Christinam anno DCCCLXXXIII, dein Rotswindam, post Wendelgardam anno CMXXVI. Wendelgardæ successit Gerberga, cui Hroswita ejus loci sanctimonialis et illustris poëtria panegyrin Ottonum dedicavit. Exstat carmen istud apud Meibomium cum diplomate Ottonis imperatoris, confirmantis bona monasterii sanctæ Mariæ, quod Gerberga „ in superiore plaga civitatis „ Gandersheim construxerat. Gandersheimense prænobile cœnobium ducatus Brunswicensis superiori B seculo, uti et alia multa, ab hæreticis pessumdatum est.

præsertim suæ cathedralis,

16 „ Idem ecclesiasticus præsul cum religio„ sissimo suo clero tridnanum egit jejunium, cæ„ los pulsante precum constantia, Deum orans, „ locum sibi demonstrari in Hildinisheimensi ci„ vitate, quem Mediator Dei et hominum digna„ retur ecclesia in sui suæque Genitricis honore „ construenda. Cumque quartus dies illucesceret, „ visi sunt designati, et quasi ad fodiendum eccle„ siæ fundamentum artificioso metientis orthigo„ nio limites descripti, instar vernalis pruinæ, di„ recti quidem a primitivo sanctæ Mariæ sacello „ occidentem versus, lati quippe et longi inter se„ que distantes, prout muri spissitudo et eccle„ siæ longitudo ac capacitas poscebant. Revela„ tum est præter hoc eidem præsuli eadem, qua „ jejunium finierat, nocte, quia in crypta, quam „ adjuncturus erat sacello, a Lodowico Impera„ tore olim constructo, duo deberet altaria dedi„ care, alterum Joanni Baptistæ, alterum Ste„ phano protomartyri. Mox illustris præsul suæ „ intentioni divinam adspirare dignationem læti„ ficatus, posito, ut sibi revelatum est, funda-C „ mento, ecclesiam tam honesti quam firmi, sed „ arti ædificii construxit „. Hæc chronographus Saxonicus.

Alia ejus gesta in conciliis et cum regibus.

17 Anno DCCCLXIV, cum Gallicani episcopi, urgente Nortmannorum procella, Pistas, qui locus est diœcesis Rotmagensis, convenissent, et ipse inter eos adfuit „ Althfridus Hildinesheimen„ sis episcopus „ subscripsitque privilegio Antisiodorensis monasterii S. Germani, ut legitur in Spicilegii tomo 2 pag. 592. Deinde anno DCCCLXX cum Carolus Calvus pro Coloniensis archiepiscopi ordinatione in Germaniam perrexisset „ legati a „ Lodowico mittuntur, orantes, ut a regno disce„ deret. Novissime Liutbertum archiepiscopum et „ Altfridum episcopum Hildinisheimensem, virum „ prudentem, dirigit, mandans, ut aut discederet, „ aut sibi pugnandum cum fratre sciret. Qui cum „ tanta ingenii arte tantaque constantia aggressi „ sunt, ut absque dilatione recederet, seque in suo „ regno reciperet „. Hæc ex chronographo Saxonico, ut et sequentia.

18 „ Anno DCCCLXXII, Indictione V, in Kalen„ dis Novembris dedicatum est principale mona„ sterium sanctæ Mariæ in Hildensheim ab Alt„ frido ejusdem ecclesiæ episcopo, et Rimberto „ Bremensi, Liuthardo Balherbrunnensi, ac Theo„ dorico episcopis, cum interventione Corbeiensis ab„ batis Adalgarii, sub titulo Cosmæ et Damiani, „ Tiburtii et Valeriani martyrum, et Ceciliæ vir„ ginis.

Dedicat monasterium S. Mariæ.

Pius obitus et successores.

19 „ Anno DCCCLXXV Altfridus, Hildinsheimen„ sis quartus episcopus, plenus dierum, XVIII Ka„ lendas Septembris in consortium Sanctorum mi„ gravit, et Asuede in sua ecclesia, quam ipse „ construxit, ac dedicavit, sepultus est: ubi mira„ culorum virtutibus per plurima sanitatum insi„ gnia, ut ibi commanentes perhibent, innotescit. „ Post hunc Lindolfus, novæ Corbeiæ monachus, „ designatur; sed subita morte præventus aufertur. „ Marquardus dehinc quintus successit episcopus „. Ejus sedis episcopus fuit sanctus Godehardus, de quo agendum in seculo VI.

§ IV. Assendiensis fundationis diploma.

E

Sanctus præfatur

Alfridus, Dei disponente providentia, Hildesiensis ecclesiæ antistes. Cum inter immensas Dei Patris miserationes, quibus humanum genus gratuita pietate relevare dignatur, præcipue eam, qua constat consubstantialem coæternum ejus filium pro nobis incarnatum et crucifixum fuisse, ad memoriam reducerem, circa me vero specialiter divitias bonitatis ejus non sine admiratione perpenderem, qui me nullis exigentibus meritis de sordibus levatum inter Principes Ecclesiæ considere, et solium gloriæ tenere fecit, ne tantis ejus beneficiis ingratus apparerem, quid retribuerem Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, diu multumque mecum cogitare cœpi.

se amore in B.V. Dei param

21 Tandem itaque ex divina, ut credo, inspiratione occurrit animo, sanctissimam et semper Virginem Mariam unicum et singulare præsidium peccatorum post Deum esse, cui siquid venerationis impenderem, id et Deo fore gratum et animæ meæ ejus patrocinantibus me meritis arbitratus sum profuturum. Opitulante itaque Dei gratia in prædiolo meo, quod Asnide vocatur, in honore sanctæ et individuæ Trinitatis consecratam, sanctæque semper Virgini Mariæ et SS. martyribus Cosmæ et Damiano dicatam ecclesiam his, quæ Domino donante possidebam, construxi, in qua ad immaculatum sacrificium sanctimoniæ tam animæ, quam corporis Deo in cordis et spiritus contritione offerendum, sanctimonialium congregationem coadunare, eique victus et vestitus necessaria providere; spiritualem quoque matrem, quæ regulariter præsideat, eidem ex eadem præficere F curavi.

parthenonem condere;

22 Ne vero post mei excessum futuris seculis de electione abbatissæ dissensio oriatur, ex decreto Sergii Papæ et ejus successoris Adriani sancitum est, et eorum privilegiis confirmatum, ut nec prece, nec pretio, nec ullo omnino unquam modo alterius congregationis sanctimonialis dictis sanctimonialibus præponatur, sed quæcumque ex eisdem, et in Dei servitio potissima, ejusdem ecclesiæ rebus juste disponendis aptissima reperiatur, hæc ex communi omnium ibidem Deo famulantium electione, secundum Dei timorem suis sororibus præficiatur. Quod tamen consuetudinarium jus tam ministrandis suis rebus imposuerim, et perpetualiter offerendum velim, paucis absolvam.

AUCTORE J. B. S.

vam. Possessiones ecclesiæ traditas vel tradendas, interiores vel exteriores, tam mobiles quam immobiles cum consilio Deum timentium summa cum diligentia abbatissa procuret, redituque earum tam in sua, quam in sororum æquabili distribuat, utilitate, id summopere cavens, utpote Deo rationem redditura, ut de communibus earum rebus ne vel unam minimam præbendam absque earum consilio vel utilitate alicui tradat, ne, quod absit, penuria familiaris rei urgente, ruptis sanctimoniæ habenis, liberius hac vel illac absque Dei timore vagentur.

quod sanctis legibus firmat,

23 Si quæ vero sanctimonialis ibidem habet propriam domum, aut aliud ædificium vel a se emptum, vel dono sibi datum, vel aliquas res undelibet juste acquisitas, nihilominus ex omnibus supradictis neque abbatissa neque aliquis alius ei auferat, neque ullo modo auferendum suadeat, sed eadem sanctimonialis libero arbitrio eamdem domum et cuncta, quæ inibi possidet, sorori suæ vel amico ad eamdem ecclesiam pertinenti, absque ullius contradictione, sive morti sit proxima, sive vitæ, quocumque modo voluerit tradat.

etiam pro clericis.

B 24 Id ipsum vero et clericis ibidem servientibus constituimus, si quis antedictam earum aliquam ecclesiæ possessionem abbatissa largiente susceperit, tali suscipiat conditione, ut post ejus obitum eamdem possessionem ecclesia absque ullius contradictione suscipiat, restitutis prius omnibus D tam mobilibus quam immobilibus rebus, quæ in illa esse videbantur ea die, qua ipse eam suscepit, aut ipsa vivens, prout voluerit disponat, aut aliquis amicorum ejus post illius mortem pro salute animæ distribuat. Constituimus etiam ut nullus hominum vel advocatus aliquis aliquam jurisdictionem in civitate prænominata habeat, excepta abbatissa Assindi, præter intruncationem manuum, vel armorum proclamationem. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXVII sub piissimo rege Ludowico anno imperii ejus XXXVI apud Coloniam civitatem V Calend. Octobr. in ipso die dedicationis basilicæ S. Petri. Ego Alfridus episcopus hoc privilegium coram domino Wiliberto prædictæ civitatis archiepiscopo recitavi, nec non coram Luitberto Moguntiacensi archiepiscopo, et Bertolfo Treverensi archiepiscopo, et Berhardo Virdunensi episcopo, atque Tiederico Mimidonensi episcopo, et Herolfo Ferdensi episcopo, et Luithardo Paderbornensi episcopo, atque Hildegrimo Halverstadiensi episcopo, et Adolfo Mimigernafurdensi episcopo, et Othiboldo Trajectensi episcopo, et coram Luitberto Osnabrugensi episcopo, E nec non coram aliis quamplurimis sacri ordinis viris, qui ob supradictæ ecclesiæ dedicationem convenerant.

DE S. ARDUINO CONFESSORE

ARIMINI IN ITALIA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Antiquus hujus Sancti cultus, vitæ institutum, Acta, eorumque scriptor.

Anno MIX. Ex stationibus monasterii S. Gaudentii, etiam pro clericis.

Etsi hic sanctus Vir tantum recentioribus Menologiis sit inscriptus, tamen immemorabilem ejus cultum facile eruimus ex aliis veteribus monumentis, inter quæ est libellus de stationibus et indulgentiis monasterii sancti Gaudentii extra muros civitatis Ariminensis, quem C *Cælestinus ejusdem loci monachus anno Christi* 1442 *composuit, et in quo apud Ughellum in novissima editione Veneta Italiæ sacræ* tomo 2 *col.* 414 *ad rem nostram legimus sequentia :* Quinta statio seu locus indulgentiarum sancti Gaudentii est in capella sanctæ Coronæ, quæ est superius ascendendo per supradictam scalam lapideam, ubi est monumentum beati Lanfranchi, in fine ecclesiæ ad manum sinistram altaris majoris sancti Gaudentii, in qua capella est altare lapideum, et retro junctum cum eo est quoddam magnum sepulcrum lapideum, in quo est corpus Coronæ virginis, et corpus sancti Arduini confessoris, qui in eodem monasterio sancti Gaudentii vixit, et ibidem sanctificatus fuit. *Raphaël Adimari anno* 1616 *Brixiæ edidit Opus Italicum de situ Ariminensi, cui inseruit Latinum memorati Cælestini libellum, ubi lib.* 2 *pag.* 118 *hæc eadem referuntur. Ceterum ex hoc testimonio patet, reliquias* S. Arduini *ab immemorabili tempore ante notissimum Urbani VIII decretum in ecclesia sancti Gaudentii honorifice conservatas fuisse, et eumdem Sacerdotem tunc titulo* sancti confessoris *decorari.*

et testimonio beati Petri Damiani

2 *Præterea S. Petrus Damiani occasione quorumdam venerabilium virorum, qui ab episcopis Simoniacis ad sacerdotium innocue promoti fuerant, indicat veterem canonizationis ritum in Ecclesia usitatum, et Opusculo* VI *cap.* 29, *seu in Lugdunensi Operum suorum editione pag.* 441 F *sic scribit :* Illud quoque, quod crebrius iterari multis referentibus audio, tacite prætereundum non duco. Quid enim quod nonnullos venerabiles viros; quos constat procul dubio a Simoniacis ad sacerdotium provectos, et usque ad obitum novimus offerendis indesinenter sacrificiis institisse, et nunc perspicue videmus insignibus miraculorum virtutibus coruscare? Nostra quippe ætate beati viri, videlicet Roudaldus * Camarinensis, Amitus Ramibonensis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmensis, et quamplures alii sanctæ conversationis studio floruerunt : super quorum videlicet veneranda cadavera ex sacerdotalis auctoritate concilii sacra altaria sunt erecta, ubi nimirum divina mysteria, miraculis exigentibus, offeruntur. Evidens ergo clarescit indicium, ex eorum manibus sacrificium divino conspectui quam suaviter sit et acceptum, atque per eos divina dispensatio luce clarius innotescit; quia neminem caligo alienæ perversitatis obnubilat, quem fulgor propriæ religionis et honestatis illustrat; nec reatus obruit promoventium, ubi stat puritas et innocentia promotorum. *Eminentissimus Baronius*

* *al.* Ronaldus

A *nius in Annalibus ecclesiasticis anno Christi* 993 *apud nos num.* 8 *ad hæc S. Petri Damiani verba observat, concessam illam facultatem erigendi aras super corpora defunctorum tunc supplevisse locum solemnis canonizationis, quæ jam in usu est.*

probatur publicus et antiquus cultus S. Arduini

3 *Porro S. Petrus Damiani post proxime relata verba ibidem statim meminit de Sancto nostro, qui etiam ab Uberto primo, Simoniaco civitatis Ariminensis episcopo, innocenter sacerdotium susceperat, et Ubertum secundum, pium ejusdem urbis præsulem, hac de re ita secum colloquentem inducit:* Sed dum hæc aliquando cum religiosis quibusdam episcopis agerem, ecce nunc in memoriam redit, quod Ubertus Ariminensis, reverendissimus videlicet et honestissimus præsul, attulit. Æquivocus, inquit, prædecessor meus Ubertus episcopus in sacræ sedis acquirendæ commercio, teste provincia, nongentas Papiensis monetæ libras appendit, qui tamen postmodum beatum Arduinum, per quem omnipotens Deus tot exhibet stupenda miracula in presbyterum consecravit. Quem cum perquisissem e vestigio, utrum beatæ memoriæ Vir ab offerendo in sua incolumitate perstiterit, usque ad ultimæ decubaB tionis articulum offerendo salutaribus Hostiis sedulum insudasse respondit. Cum igitur omnes isti, quorum supra meminimus, et consecrati a Simoniacis asserantur, et tamen acceptis usque ad finem vitæ officiis permanentes, ita divino examini placuerint, ut admirandis eorum meritis miranda testimonia signum perhibeant, constat procul dubio, quia promoventis coëmptio non præjudicat, ubi promotus contractus venalitatis ignorat; nec distractoris in eum culpa transfunditur, qui distractionis crimine non tenetur. *Denique sanctus ille scriptor in Actis S. Mauri episcopi Cæsenatis, quæ Operi nostro ad diem* xx *Januarii inserta sunt, satis indicat publicum et immemorabilem* S. Arduini *cultum, dum ibi apud nos cap.* 3 *istius Vitæ num.* 17 *sic scribit*: Popiliensis diœcesis turba ad beati Arduini limina orationis causa tendebat. *Præter alia igitur habemus synchronum antiqui cultus testem, qui etiam hunc Virum jam vita functum expresso* beati *nomine appellat. Quapropter ex omnibus hactenus dictis confidenter concludimus,* S. Arduino *secure locum dari posse* C *in Opere nostro, quamvis in Martyrologio Romano et vetustioribus Menologiis non memoretur. Nunc videamus, an pius ille Sacerdos monasticum vitæ institutum ex professo amplexus fuerit, ut nonnulli arbitrantur.*

quem aliqui dicunt fuisse monachum Benedictinum,

4 *Mabillonius in Actis Sanctorum Benedictinorum seculo* 6, *parte*, I, *pag.* 81 *paucis de* S. Arduino *presbytero agit, cumque Ordini suo ibidem sic adscribit*: Etsi monachi titulus Arduino non tribuatur a Baronio, Ferrario, aliisque auctoribus, eum tamen nostris esse accensendum, persuadent vitæ austeritas, et mora diuturna in monasterio sancti Gaudentii, ubi post transactam in accurata regulari disciplina vitam obiit et sepultus est. *Equidem fateor, hanc Mabillonii conjecturam non esse improbabilem; sed ei argumenta quædam opponi possunt. Imprimis ampliora* S. Arduini *Acta, quæ Mabillonius non vidit, infra apud nos num.* 12 *narrabunt, quomodo Venerius tandem officium abbatiale monasterii S. Gaudentii admiserit suasu* S. Arduini, *et hic suum amicum tunc eo secutus fuerit, ut ibi exponitur his verbis*: Quem *(scilicet Venerium jam abbatem electum)* isdem Vir sanctus ad monasterium est devota mente secutus, cœpitque cum eo perfectiorem vitam, quam antea, ducere. Tamen dum in hoc mundo corporaliter vixit, canonicum habitum nequaquam mutavit, et in eodem habitu omne monachicum opus solicitus adimplevit.

AUCTORE G. C.

cui opinioni difficultas quædam opponitur.

5 *Ex his quidem sequitur,* S. Arduinum *virtutes monachorum æmulatum esse; at hinc nondum constat, illum professionem Religiosam vel Benedictinam emisisse: nam regula S. Benedicti cap.* 55 *sectatoribus suis certam vestium monasticarum formam et quantitatem præscribit. Quomodo igitur* S. Arduinus, *jam regulam Benedictinam professus, semper habitum canonicum retinuit? Potuit itaque sanctus Sacerdos in monasterio illo degere, ut forsan cum veteri suo magistro Venerio viveret vel consilio ejus et exemplo in via perfectionis securius procederet. Præterea S. Benedictus in regula sua cap,* 60 de sacerdotibus, qui voluerint in monasterio habitare, *statuit sequentia*: Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem ei citius assentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat, se omnem regulæ disciplinam servaturum; nec aliquid ei relaxabitur. *Si ergo* S. Arduinus *fuerit Benedictinus stricte dictus, cur regulæ Benedictinæ, certam vestium formam* E *præscribenti, non obedivit, et* Canonicum habitum *cum monastico* nequaquam mutavit? *Si quis has difficultates solide dissolverit, libenter Benedictinam* S. Arduini *professionem admittemus. Attamen Cæsar Clementinus eques in Ordine militari S. Stephani, constantem illam Canonici habitus retentionem etiam notatu dignam censuit in Collectione Italica historiæ Ariminensis tomo* I *lib.* 3 *pag,* 287 *ante Latina* S. Arduini *Acta, de quibus jam nonnulla præmonebimus.*

Vitam ejus Ferrarius contraxit

6 *Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano ad diem* xv *Augusti annuntiat annuam* S. Arduini *memoriam, et ibidem in notis meminit de manuscriptis ipsius Actis, quæ in bibliotheca eminentissimi Baronii conservabantur. Haud dubie diligens ille hagiographus vidit hæc aut similia* S. Arduini *Acta, cum in Catalogo Sanctorum Italiæ eadem die ex iis concinnaverit satis accuratam Vitæ compendium, quod hic ad præviam notitiam transcribimus, et quod ibidem exprimitur his verbis*: Arduinus Arimini natus, mortuo pa- F tre, Venerio presbytero, ecclesiæ sancti Gregorii rectori viro spectatæ vitæ adhæsit; quocum vigiliis, orationibus, jejuniis, eleemosynis, et aliis piis operibus vacare cœpit: qui ut Deo liberius inservirent, urbem egressi: in ecclesiam sancti Apollinaris se recipiunt, ibi in unum orantes, psallentes, ac etiam laborantes. Ubi Arduinus adhuc juvenis, ut carnis incendia exstingueret, sese, quoties ardor invaderet, intra urticarum condensa volutabat, gravioraque remedia adhibebat. Sacris initiatus et denique factus sacerdos non tam ætate, quam vitæ sanctitate, famaque crescebat. Quare multi ad eum in dies consilium poscentes confluebant; quos instruebat et increpabat, in quibus Rodulphum Comitem Ariminensem. Cum multa sibi in dies donarentur, omnia pauperibus erogabat. Cœnobium sancti Gaudentii, per eos dies pastore destitutum, cui cum Joannes episcopus Venerium tanquam seniorem præfecisset, isque onus detrectaret, tandem Arduini hortatu illud suscepit. In quo cœnobio quanta Arduinus humilitate, obedientia, patientia, abstinentia, vitæque austeritate fulserit, vix dici potest. Denique Vir sanctus assiduis vigiliis et macerationibus confectus migravit e vita xviii Kalendas

AUCTORE G. C.

lendas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis MIX, Henrico Juniore imperatore, in eadem ecclesia sancti Gaudentii sepultus. Ad cujus tumulum plures ægroti et infirmi divinitus sanati sunt. In iis puer pedibus contractus, puella paralytica, cæci duo, unus Bononiensis, et alter Ravennas, præter demoniacos, aliisque morbis laborantes. *Hæc eadem fusius referuntur in antiquioribus Actis, quæ post hunc Commentarium prævium prælo subjiciemus,*

ex amplioribus Mss Actis,

7 *Habemus duo manuscripta hujus amplioris Vitæ exemplaria, quorum primum accepimus Arimino, ubi exstat in veteri codice membraneo, qui ibidem apud illustres dominos confraternitatis sancti Hieronymi conservatur. Alterum prodit ex Passionali pergameno cœnobii Bodecensis, ex quo P. Joannes Gamans, in Opere nostro sæpissime laudatus, hæc Acta descripsit, et anno Christi* 1641 *apographum ad Majores nostros transmisit. At miror, Actis in codice Bodecensi hunc præfigi titulum :* Incipit Vita sancti Arduini EPISCOPI et confessoris, quæ est XVIII Calendas Septembris. *Nescio, cur in titulo vocetur episcopus, cum in ipsis Actis de episcopatus illius nul-* B *lum fiat verbum. Ceterum in hoc apographo Bodecensi deest prologus, qui legitur in codice Ariminensi, ex quo Vitam* S. Arduini *una cum prologo edemus. Cum tamen librarius Ariminensis non videatur admodum peritus fuisse linguæ Latinæ et solœcismis scateat, emendatius apographum Bodecense non inutilem præstabit operam, ut sphalmata illius amanuensis corrigamus. Nihil hic dicimus de Actis, quæ supra memoratus Cæsar Clementinus absque prologo excudi jussit ex libro membraneo Ariminensi, ex quo fonte nos eadem inferius integra et emendatiora propinabimus ; postquam de auctore Vitæ aliqua præmonuerimus.*

quæ auctor anonymus incertæ ætatis conscripsit.

8 *Scriptor eorumdem Actorum non prodit suum nomen, neque clare exprimit, quo tempore Vitam et miracula* S. Arduini *collegerit. Attamen ætatem illius præterpropter sciremus, si catalogus chronologicus abbatum S. Gaudentii, aut historia istius monasterii nobis ad manum esset : nam in prologo asserit, sese hæc scripsisse rogatu venerabilis Patris Andreæ, qui verosimillime fuit abbas S. Gaudentii, quemadmodum colligimus* C *ex sequenti auctoris phrasi, qua illum ita alloquitur :* Postulas enim; ut de beato Arduino sacerdote, qua sit provincia vel civitate exortus, vel qualiter divinis ab infantia fuerit mancipatus præceptis, qualiterque in matura vixerit ætate, quibusve post obitum, NUNC APUD TE, miraculis fulgeat, ad posterorum memoriam, cunctorumque audientium ædificationis exemplum, epilogum luculento stilo conscribam. *At certe tunc corpus* S. Arduini *in abbatia S. Gaudentii sepultum erat, ibidemque miraculis fulgebat. Deinde biographus eidem Patri Andreæ causam susceptæ lucubrationis suæ indicat his verbis :* Nulla me ad id peragendum provocat artis peritia, sed tua prorsus et filiorum tuorum, quos in Christo nutris, benignissima caritas. *Ex his probabiliter concludimus, Andream tunc monasterio S. Gaudentii præfuisse; sed cum hactenus nos lateat ætas hujus abbatis, quam eruditis Ariminensibus indagandam relinquimus, etiam ignoramus, quo tempore gesta et miracula* S. Arduini *ab anonymo conscripta fuerint. Hoc tantummodo ex lectione Actorum constabit, ætate hujus biographi plura patrata esse miracula, quæ se audivisse affirmat ex iis ipsis testibus, quibus ea contigerant. Nunc ipsam hujus scriptoris lucubrationem oculis cu-* D *riosi lectoris subjicimus.*

VITA

auctore anonymo incertæ ætatis

Ex veteri Ms. libro, qui Arimini apud illustres dominos confraternitatis sancti Hieronymi conservatur, a folio III *usque ad folium* 119, *et quem cum apographo Bodecensi contulimus.*

PROLOGUS.

E

Auctor anonymus præfatur,

Mirum mihi est, venerabilis pater Andreas, quod, relictis sapientibus, quos contiguos habes, opus me persolvere cogis, quod nisi prudentibus nequaquam faciendum convenire probatur. Postulas enim, ut de beato Arduino sacerdote, qua sit provincia, vel civitate exortus, vel qualiter divinis ab infantia fuerit mancipatus præceptis, qualiterque in matura vixerit ætate, quibusve post obitum, nunc apud te *a*, miraculis fulgeat, ad posterorum memoriam cunctorumque audientium, ædificationis exemplum epilogum luculento stilo conscribam. Ego vero jussionibus dilectionis tuæ libentissime obtemperare satagerem, si ingenii facultas * me adjuturam sperarem ; sed imparem me hujus operis omnino coguosco, nec me digne posse reor perficere, quod tam studiose efflagitas commentarii.

** lege facultatem*

quomodo hanc Vitam scribendam susceperit.

2 Verum quoniam sanctitas tua obtinentissima prece coarctat, non audeo ultra tuæ resistere voluntati. Idcirco tuam deprecor enixius charitatem, quatenus precibus adjuvas, quem laborare compellis, ut, quod imbecillitas non supplet ingenii, sanctæ compleat oratio caritatis. Fateor equidem, F nulla me ad id peragendum provocat artis peritia, sed tua prorsus et filiorum tuorum, quos in Christo nutris *b*, benignissima caritas, nec non et clara Sancti hujus, de quo loqui cupio, merita. Quidquid igitur caritas præcipit, obedienter oportet impleri, quia caritatem Apostolus majorem omnium virtutum commemorat. In nomine ergo summæ Trinitatis ad narrationis initium, licet inculta oratione, devota tamen mente, festinare tentabo,

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 8 *ex his verbis collegimus, hunc Andream fuisse præsidem in monasterio S. Gaudentii, in quo tunc reliquiæ* S. Arduini *quiescebant.*

b *Etiam ex hac phrasi confirmavimus conjecturam nostram, qua ibidem suspicati sumus, hanc vitam jussu Patris Andreæ, qui monasterio sancti Gaudentii præerat, conscriptam fuisse.*

CAPUT

A

CAPUT I.

Sancti patria, pueritia, sacerdotium, præcipuæ virtutes.

Sanctus Arimini in Italia natus, a b

Beatus igitur Arduinus, eximiæ sanctitatis sacerdos, ex provincia, quæ ab historiographis Flaminia *a* nuncupatur, civitate Arimino *b*, quæ in littore maris Adriatici sita est, oriundus fuit. Sed priusquam de ejus laudabili vita aliquid proferam, hujus nominis etymologiam reor præponere *, quo ex hoc intelligere quis valeat, quanta sit electionis gratia ab ipsis etiam refertus auspiciis. Arduinus namque quasi ardua, id est alta, conscendens dicitur: re etenim vera de virtute in virtutem succrescens polorum ardua scandit. Nam quam religiose vixerit, sacer ejus tumulus prodit; enimvero plurimi ibi salvantur, qui diversis infirmitatibus obsessi, undique de propria confluunt salute solliciti. Sed de his interim sileamus, et qualis quantusve vir iste sanctus ab infantia fuerit, ne narrandi ordinem interrumpere videamur, prout possumus, primitus expliceemus.

** Bod. exponam*

B

transacta pie pueritia,

4 Ab annis namque puerilibus traditur a parentibus litteris imbuendus. Qui quippe quanto proficiebat corporeis incrementis, tanto magis divinis animabatur præceptis. Cumque illi jam sensus cognoscendi veritatem plenius inesse cœpisset, cœpit quoque hujus mundi voluptates abjicere, atque ad æternæ beatitudinis gloriam totis visceribus anhelare. Crescebat igitur in eo quotidie virtus gratiæ spiritalis, atque totius sanctitatis in illo augebatur industria. Cuncta enim hujus vitæ caduca postponens, sola, quæ mansura sunt, sollicitus appetebat. Illud evangelicum dictum devoto attendens auditu, Omnis, inquit, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Et qui amat patrem, aut matrem, plus quam me, non est me dignus, et cetera.

C

sacerdotio initiatur, et alteri pio sacerdoti adhæret,

5 Omne enim quod in hoc mundo possidere videbatur, simul cum matre, quam jam patre defuncto superstitem habebat, dereliquit, et sacerdotalem gradum Christo jugiter famulaturus devote suscepit; et quoniam videbat pene cunctos hujus ordinis tunc per abrupta vitiorum turpiter gradientes, noluit se hujusmodi sociari, ne forte illorum pravis exemplis in aliquod facinus laberetur. Adhæsit igitur cuidam religioso Venerio sacerdoti, qui tunc ecclesiam beati Gregorii *c* infra præfatæ urbis muros assiduis regebat obsequiis, petiitque illum, ut sibi magister fieri dignaretur. At ipse videns eum probis moribus intentum, suo eum collegio libentius sociavit. Cœpitque cum illo simul Christo Domino alacriter studioseque impendere famulatum, illud quodammodo psalterium decantans: Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Fiebatque in illis fraternæ consolationis caritativa sollicitudo, quemadmodum scriptum est: Si frater fratrem adjuvaverit, ambo consolabuntur: ut autem ferrum ferro acuitur, ita quippe invicem se ad obsequia animabant divina.

c

ex MSS. cujus consilio acquiescens

6 Vir itaque Domini Arduinus cum esset junior tempore, in divinis operibus existebat. Nam crebra jejunia peragebat, assiduis orationibus, crebrisque vigiliis pernoctabat, eleemosynis, prout poterat, insistebat. Nihil quippe quod ad divinum pertinet cultum in aliquo negligendum credebat; verum, in quantum quibat, id adimplere studebat: suo vero priori atque magistro debitam honorificentiam exhibebat, nec ab ejus præceptis vel modicum declinabat. Ille autem, ut bonus pater, dilecto suo filio illi complacere studebat, ipsiusque consilio cuncta, quæ acturus erat, agebat. Cumque quadam die simul sederent, et sicut soliti erant divinis occuparentur alloquiis, idem venerabilis Venerius ait: Arduine frater, multum doleo, valdeque contristor, quoniam inter serpentes, et scorpiones, et spalargios *d* habitamus, quorum venenosis percussionibus noster Ordo a recto frequentius tramite perturbatur. Necesse est ergo, fili, ut de his tumultibus nos quantocius auferamus, atque ad tutiorem locum cum Dei adjutorio commigremus. Cui beatus Arduinus tale accommodavit responsum: Licet enim, sanctissime pater, laudabilior sit inter reprobos vita proborum, sicut collaudans Apostolus discipulos suos inquit, In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes. Beatus quoque Job de semetipso commemorat dicens: Frater fui draconum, et socius struthionum. Et beatus Loth inter millia populorum, qui Deum perversis moribus offendebant, solus tunc inventus est justus. Tamen quia tibi rectum videtur, hinc habitationis mutemus locum.

d

E

ad alium locum cum eodem migrat,

7 Est ergo ecclesia extra muros hujus urbis in cujusdam possessione beati Apollinaris *e* constructa memoria, ad quam, si obtinere apud possessorem possumus, commigrare valebimus. Ibique ab omni tumultuosa crepti inquietudine divinis securius laudibus insistemus, ejusque servitiis liberius vacare poterimus, sicut scriptum est: Vacate, et videte quoniam ego sum Deus. Cujus siquidem consilium eidem Venerio optime placuit, ac protinus accersivit ejusdem oratorii possessorem, atque indicavit illi hoc, quod habebant negotium. Mox igitur ille legali titulo eisdem, quod devote poposcerant, gratanter concessit, insuper etiam ut id concite fieret, inhianter exhortari cœpit. Tunc illi in Christi nomine gratulabundi quodammodo de gravibus catenarum laqueis crepti præfatam adierunt habitaturi basilicam, fidentes per divinam misericordiam, illic se melius in bonis actibus custodiri.

e

F

ubi inter alia exercitia ad comprimendos stimulos carnis

8 Constructis denique primitus, prout facultas suffragabatur, necessariis officinarum domiciliis, hoc quod corde conceperant, prodire deinde patulo anhelabant, et ne quidem vitium incurreret otiositas, quæ inimica esse animæ comprobatur, cœperunt fodere terram, hortos excolere, plantare vineam, irrigare plantaria; nullumque momentum præterire sinebant, quo non aut legerent, aut psallerent aut orarent, aut etiam manibus laborarent. Vir itaque Domini Arduinus juvenili adhuc ætate pollebat, sed animo jam ad seniles transcenderat annos, cunctasque maturis moribus carnales necaverat voluptates. Etenim quotiescumque tentationum carnalium stimulis premebatur, parcimoniæ mox medicamine sanabatur. Quicquid autem carnalis delectatio conabatur evertere, spiritalis afflictio reformabat. Legebat igitur assidue antiquorum instituta Patrum, atque ad eorum se corrigebat exemplum.

9 Quandocumque vero internis ureretur incendiis, competentibus se exterius vulneribus affligebat.

Ex MSS. corpus suum variis cruciatibus affligit.

fligebat. Sæpe namque, dum aliquo vitio pulsaretur, inter urticarum condensa nudo se corpore volutabat. Aliquando vero de eisdem urticis inter femora sibi locabat. Urebatur exterius, ut interius refrigesceret: imitabatur autem in hoc facto beatissimum illum monachorum eximium decus, Benedictum scilicet cælestis tramitis ostensorem, quem ita legerat quadam die fecisse. Aliud quoque, quod non est prætermittendum, sanctus iste vir facere consueverat. Nam tamdiu marmoreis collo tenus perstabat in fluentibus, donec titillatio voluptatis a cordis antro funditus pelleretur. His, et hujuscemodi cruciatibus omnes carnales delectationes jugiter edomabat. Bene atque prudenter intelligens illud, quod Apostolus ait: Mortificate igitur membra vestra, quæ sunt super terram, et illud: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege, quia ut idem alio loco,
B Justo, inquit, lex non est imposita; ipse enim sibi pro lege est. Lex autem namque non spiritalibus, sed carnalibus data est. Iste quidem vir desideria carnis minime perfecit, suaque membra crebris macerationibus super terram mortificavit, et qui tuno in terris seminavit in lacrimis, nunc in gaudio cum Christo metit in cælis.

ANNOTATA.

a Flaminia *est regio Italiæ, quæ etiam Æmilia, et nunc communiter* Romandiola *vocatur.*

b Ariminum *vernacule* Rimini, *urbs Æmiliæ in Italia, episcopatis sub archiepiscopo Ravennate, estque sita in ora maris Adriatici, de qua vide geographos passim obvios.*

c *Suspicor, hanc esse ecclesiam parochialem S. Gregorii Papæ, de qua Raphaël Adamari lib.* 1 *Situs Ariminensis apud nos pag.* 136 *meminit.*

d Spalogus *vel* spalangius *est species serpentis, ut videre est in Glossario Cangii, et hic ex sensu satis colligitur.*

e *Puto, hanc ecclesiam constructam fuisse in honorem S. Apollinaris episcopi Ravennatis, de*
C *quo ad diem 23 Julii egimus.*

CAPUT II.

Amor ejus erga proximum, et transitus ad perfectiorem vivendi modum.

Postquam Sanctus intrepide proximum adjuverat,

Tunc denique fama illius per omnes finitimas regiones se cœpit extendere, cœperuntque ad eum concurrere plurimi, ut de suis ab illo erratibus pœnitudinis judicium reportarent. At ipse, ut erat Vir magnæ discretionis, tanta modestia unicuique loquebatur, ut neminem sperneret; sed secundum morem proprium singulis sua documenta præberet. Aliter enim loquebatur humilibus, aliter superbis, aliter juvenibus, aliter senili jam ætate provectis, aliter fortibus, aliter imbecillibus, aliter innuptis, aliter conjugatis, aliter divitibus, atque aliter paupertate attenuatis. Erat namque tunc Comes Ariminensium Rodulphus *a*, qui fortior, et nobilior, ac locupletior in cunctis adjacentibus regionibus præeminebat; quem Vir iste sanctus crebris correptionibus coërcens coram cunctis, ne pauperibus molestus foret, objurgabat, quin et de omnibus eum graviter arguebat erratis. Nam si fortasse pro aliquibus aliquando supplicandum adiret, imperare potius, quam rogare videbatur. Timor enim, inquit Scriptura, non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem. Hic autem, remoto jam timore pœnali, in solo timore Domini jugiter permanebat, sicut dicit Psalmus, Initium sapientiæ timor Domini, et Beatus Vir qui timet Dominum, et nihil deest timentibus eum. Subditorum ergo vulnera non jam noverat palpare, sed pungere. Quemadmodum in Sapientia scribitur: Verba sapientum quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi. Cumque tantæ esset constantiæ vir, nullis prorsus flectebatur adversis, nullisve secundis extollebatur. Jam vero suæ domus fundamina supra firmam posuerat petram, nec jam sonori euri metuebat flatibus dejici, nec procellosis ventorum nimbis prosterni. Eratque stabilis in omni bonitate, et sanctitate, omnesque illicitos appetitus radicitus ab animo extirparat. E

et misericordiam erga pauperes exercuerat,

11 Illi autem, qui ab illo pœnitentiam accipiebant, de suis falcultatibus illi libentius munera conferebant. Quæ ille, non amore pecuniæ captus, suscipiebat, quippe qui nihil præter victum, et vestitum, juxta Apostolum in hoc mundo penitus appetebat, sed quædam eorum scilicet munerum mox ut accipiebat, pauperibus erogabat. Quædam vero vendere faciebat, et vestimenta ex illis in opus simile expendenda comparabat, et hoc ipsum in quantum occulte poterat. Nam dum pro aliqua utili, et necessaria causa extra habitationis locum exire disponeret, nimium quodammodo se simulabat algere, quo hac occasione numerosa vestimenta portaret, et ubicumque nudum pauperem invenisset, unde operiretur, haberet. Qua de re nonnumquam in uno revertebatur, qui plurimis abierat vestimentis indutus. Illud semper attendens quod veritas dicit: Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est, et illud: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quidquid ergo quodammodo rapiebat divitibus, erogare satagebat egenis. Verumtamen pro ipsis videlicet, qui pecuniam tribuebant, die, noctuque Dominum deprecans salutare sacrificium F offerebat, quatenus ad salutem animarum suarum proficeret, quod in his operibus conferebant.

migrat ad monasterium S. Gaudentii.

12 Eodem itaque tempore cum Johannes episcopus Ariminensem gubernaret ecclesiam *b*, contigit, ut cœnobium beati Gaudentii, quod haud longe extra muros prædictæ civitatis est positum, proprio pastore careret, nec foret qui aggregatis ibidem fratribus debita solatia ministraret. Tunc præfatus episcopus pertractare una cum fratribus cœpit, quis ibi abbatis officium digne posset implere. Factum est, autem divino nutu, ut omnes una voluntate, unoque consensu, superius nominatum Venerium eligerent sacerdotem. Quam ille ordinationem, cohortante beato Arduino, qui hoc præcipue perfici cupiebat, omnium votis tandem obtemperans, non repudiavit. Quem isdem Vir sanctus ad monasterium est devota mente secutus, cœpitque cum eo perfectiorem vitam, quam antea, ducere. Tamen dum in hoc mundo corporaliter vixit, canonicum habitum nequaquam mutavit, et in eodem habitu omne monachicum opus sollicitus adimplevit *c*. Nam humilitas, quæ est regina, materque virtutum, perspicua in illo claritate fulgebat; obedientia vero, quæ ex humilitatis radice nascitur, et est præcipua

A pua monachorum virtus, illi specialiter adhærebat, patientia illum comitabatur insignis, mansuetudo simplex, modestia discreta, omniumque bonorum actuum fructus veluti bona arbor ex se quodammodo proferebat, et sicut primus indicat Psalmus: In lege Domini meditabitur die ac nocte, eratque tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, dabatque fructum suum in tempore suo, et omnia, quæ faciebat, prosperabantur.

ubi vitam monachorum imitatur,

13 Quis, inquam, monachorum per hæc extrema, et, ut ita dicam, periculosa tempora, sanctiorem poterit ducere vitam? Quis tanta frugalitate sufficiens est, ut huic se valeat in aliqua parcitate præferri? Eratque illi ciborum abstinentia mira, vigiliarum exercitatio crebra, orationum sollicitudo continua: nam alimenta, quæ sibi competentibus inferebantur horis, impertire studebat egenis, illeque viliorem, ac parcissimum victum, a secretorum suorum consciis latenter delatum percipiens, latice potabatur. Si quando tamen ab occasione supervenientium hospitum in aperto illum reficere contigisset; ne, quod absit, si-B mulator, vel hypocrita videretur, ex omnibus, quæ illi apponebantur,, alacri voluntate, et, ut ita dixerim, avide quodammodo cum gratiarum actione percipere videbatur, attendens quod ait Apostolus ad Timotheum, Quia creatura Dei bona, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificabitur enim per verbum Dei, et orationem. Quid igitur de vigiliarum exercitiis proferam, cum nihil de somno curaret, nisi quantum lassitudo cogebat. Qua de re ita extenuatus videbatur et debilis, ut nequaquam illum crederes vel uno die subsistere posse. Cumque ad horam collocandi ad lectulum perveniret, ita se lassabundum exhibebat ac tenuem, ut non eum putares in sequenti luce omnimodo surrecturum. Verum ille mox ut ceteros dormitasse sentiret, de stratu consurgens oratorium ingredi festinabat, in quo totam pene noctem pervigilem in oratione, et laudibus Christi ducebat.

multisque virtutibus ornatus,

14 Cunctis ergo probæ vitæ præbebat exemplum, omnibus suadebat iter peragere supernum. Quod vero prædicabat ore, opere confirmabat. Non cessabat quotidie alios instruere et docere, C sed quasi bonus dispensator pecuniam Domini sui studuit non minui, sed augere. Talentum quoque quod acceperat in terra minime abscondit, sed ad mensam posuit, et erogando multiplicavit. Nam cantandi artem, quam optime noverat, aliis quamplurimis insinuare curavit, ex quo nempe audire meruit: Euge serve fidelis, in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui. Ergo beatus iste Sanctus jam gaudet cum Christo, jam quippe intravit in gaudium [Domini] sui, jamque adeptus est, quod sibi promissum a Domino fuerat. Qui fecerit, inquit, voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

anno 1009 e vivis excessit,

15 Nunc igitur hæc pauca sufficiant, quæ de vita sancti Viri summatim pestrinximus: quoniam si omnia, quæ salubriter gessit, dum adhuc in corpore degeret, explicare voluissem ante lingua defecta torpesceret, quam cuncta saltem simpliciter quiret effari. Unum ergo super hæc necessarium reor, ut quo tempore vir Domini vitæ hujus cursum impleverit, et ad cælestem gloriam transierit, cunctis hoc opusculum legentibus patefiat. Obiit igitur in pace beatus Arduinus sacerdos quintodecimo die mensis Augusti in festivitate scilicet sanctæ Virginis et Matris Dei Mariæ. Ab Incarnatione vero Dominica calculabatur tunc nonus et millesimus annus. In Cyclo autem Indictionum, septima tenebatur Indictio. Tunc quoque gloriosissimus atque invictissimus rex Henricus regni gubernabat habenas. Cathedram vero urbis jam sæpius prælibatæ, per hæc tempora præsul regebat omnigenæ bonitatis Ubertus *d*. Sepultus autem est beatus Arduinus intra ecclesiam beati Gaudentii, in angulo septemtrionalis plagæ; ubi quam mirificis sit clarificatus signis, tuis petitionibus annuens, reverendissime Pater Andrea, subsequentibus Domino juvante conscribam.

ex MSS.

ANNOTATA.

a *Cæsar Clementini lib.* 3 *Historiæ suæ Ariminensis, quam Italice edidit, apud nos tomo* 1 *pag.* 286 *disputat, quomodo Rodulphus ille fuerit Comes Ariminensium, vel vicarius imperatoris.*

b *Hic Joannes episcopus Ariminensis apud Ughellum tomo* 2 *Italiæ sacræ in postrema editione Veneta col.*419 *dicitur anno* 967 *concilio Ravennati interfuisse.*

c *Ex hac relatione canonici habitus in Com-* E *mentario prævio suspicati sumus,* S. Arduinum *non emisisse stricte dictam regulæ Benedictinæ professionem,quamvis ibi austeram monachorum vitam imitaretur.*

d *Hic est Ubertus præsul Ariminensis, secundus istius nominis, quem S. Petrus Damiani laudat, ut in Commentario prævio num.* 3 *diximus. Hunc aliqui perperam cum altero homonymo et simoniaco ejusdem sedis episcopo confuderunt.*

CAPUT III.

Varia miracula, quæ post mortem Sancti contigerunt.

Intercessione hujus Sancti puella paralytica,

Devoluto itaque, postquam Vir sanctus obierat, parvo temporis intervallo, cum jam summus et æquissimus retributor tanti Viri meritum cunctis in propatulum prodere decrevisset, cœperunt circa sepulchrum sanctissimi Arduini clariora signa frequentius apparere, per quæ daretur intelligi, F beatum Arduinum magni apud Deum esse meriti, cui tam devote in vita servivit. Erat itaque in supradicta civitate quædam puella, cujus brachium, et manum paralysis ita contorserat, ut nec illam ad os, nec ad ullos corporis usus inflectere omnino valeret. Jam enim omnem spem recuperandæ sanitatis perdiderat. Cumque a medicis nullum jam expectaret solatium a suis commonita ad sepulchrum beatissimi, ac præclari sacerdotis Arduini rogatura devenit, illicque parum demorata dum orasset ad Dominum, mox sanitate recepta ad propria cum gratiarum actione læta recessit. Tunc omnes cives, omnesque circum manentes cœperunt hoc miraculum circumquaque magna cum exultatione largius divulgare, cœperuntque undique ægroti concurrere, auxiliumque salutis a sancto viro, videlicet Arduino, inhianter deposcere.

puer contractus,

17 Interea quidam puer, Dominicus nomine, in præfata civitate ita contractus cruribus, pedibusque jacebat, ut de loco, in quo erat, nullatenus moveri, nisi manibus reptando valeret. Quadam vero nocte dum soporatus jaceret, affuit ei quidam vir splendidissimus vultu, et habitu decorus

Ex MSS. rus in visione, qui illum alloquutus est dicens: Quid agis puer? Cumque ille responderet, Domine, inquit, nescio quid agam, quia contractus, et aridus jacens miserrimam vitam gero. At ille, Vade, inquit, ad episcopum hujus civitatis, et acquire tibi luminaria, ipsisque cum luminaribus ad sancti Gaudentii domum propera, ibique ingressus, sancti Arduini require sepulchrum; illic enim tibi divina pietas dignabitur subvenire. Tunc ille expergefactus conatu, quo poterat, surgens, verba jubentis cœpit anxius adimplere, atque ut ocius valuit, ad locum qui illi in somnis designatus fuerat, properare curavit. Cui divina pietas adeo dignata est succurrere, quatenus sine ulla actione, mox ut sancti Viri tumulum tetigit, optatam meruit percipere sanitatem, non tamen sine ingenti artuum cruciatu. Nam cum se in orationem dedisset, plorausque jaceret ad tumbam, illico se cœperunt contracti extendere nervi. At ille præ nimio dolore clamare cœpit, ac dicere: Sancte Arduine, succurre, meque miserum tuis orationibus juva. Tibi enim si convaluero, donec flatus spiraverit in pectore, devote me servitu-
B rum promitto. Cumque hæc et alia, prout sensus capacitas ministrabat, inter acerrimos proferret dolores, paulatim membra, quæ contorta fuerant, pristinum receperunt vigorem. Ille vero membrorum sanitate recepta, promissionis suæ non immemor, nunc usque suo Benefactori famulatus sui ex magno cordis amore impendit excubias. Ista vero quæ supra attuli ab ipso audita cognovi *a*.

a

alter membris distortus, et in ter alios

18 Idemque præterea sæpius mihi solitus est referre de alio, qui simili fuerat infirmitate detentus, sed ita toto corpore glomeratus, ut pedes natibus, et genua pectori strictius cohærerent. Ad sepulchrum sancti Viri a parentibus est adductus, ut illum Dominus dignaretur adjuvare misertus. Nam dum illic per paucum degeret tempus, precibus beati Arduini adjutus, ab omni infirmitatis connexione solutus, gaudens cum suis ad propria est regressus. Beneficium quoque, quod a sancto Viro acceperat, omni modo non cessabat narrare.

Post hunc alius luminibus venit orbatus, sanctumque palpans tangere properavit sepulchrum,
C nec multo post fidenter gradiens recessit illuminatus.

Puer autem quidam, quem gravis infirmitas fecerat mancum, aliquantisper Sancti flens oravit ad tumulum, sanum reportavit ad propia brachium.

duo cæc

19 Eo quoque tempore cæcus quidam in Ravenna morabatur, qui in hac vita numquam se aliquid vidisse recordabatur. Hic beatissimi Arduini dum famam audisset, veloci, ut valuit, gressu ducere se fecit ad Sanctum. Cumque pro expectanda sanitate illuc demoraretur, contigit dum die Dominica Euangelium legeretur, ut paulatim inciperet lumina aperire; speciesque a se numquam visas attonitus admirari. Fit protinus magnus populorum tumultus, omnesque, qui aderant, pro tam mirificis signis grates referunt Deo omnipotenti, qui per merita sanctissimi Sacerdotis sui tanta præstat beneficia fideliter invocantibus se. Completis itaque Missarum solemnis * læti, et alacres ad propria redierunt, et hoc quod mirabiliter gestum fuerat, longe lateque divulgarunt. Ipse vero, qui aliorum manibus ductus venerat cæcus, sine ductore Ravennam rediit illuminatus, ibique cœpit discere videndo, quod hactenus didicerat solummodo audiendo. Omnibus concivibus suis innotuit, quod sibi divina pietas D
per Arduinum suum famulum fecit. Hujus quippe miraculi, multi idonei testes existunt, qui hoc se vidisse firma assertione fatenter.

al. solemnitatibus

20 Alter quidam cæcus Bononiæ habitans hac excitatus fama, concito gradu Ariminum petiit, atque ab incolis illius loci ad sancti Gaudentii deductus est monasterium, ad locum, in quo sancti Arduini quiescebat cadaver *, inhianter properare curavit. Cumque ibi per aliquot dies prona mentis intentione ad Dominum funderet preces, minisque se miserum suppliciter declamaret, tandem omnipotens Deus beati Arduini precibus motus, petenti cæco, optatæ lucis contulit munus. At ille immensas pro recepto lumine gratias reddens, beneficium, quod sancti Viri patrocinio acquisierat, clara voce rediens prædicabat.

visum recipiunt,

** al. corpus*

21 Sed et hoc non est prætermittendum, quod præfatus hujus cœnobii Pater frequenti mihi relatione narravit. Aiebat enim quod unus puer, qui vocabatur Felix, ex ignotis partibus ad memoriam beati Arduini a matre fuerat deportatus, qui, ut ipse affirmabat, ita erat corpore dissipatus, atque contortus, ut transversis, ac commutatis cruribus dextro pro levo, levoque pro dextro uteretur E
incommoda ratione vestigio. Nullusque erat, qui illum aliquo modo sanandum in æternum speraret. Sed rerum omnium providentissimus Gubernator, cui nihil impossibile est, qui vocat ea, quæ non sunt, tam mirificis prodigiis voluit attollere Sanctum suum, ut apud omnes magnæ esset venerationis, sicut magnæ fuerat bonitatis. Cumque jam desperatus miser ille jaceret ad tumulum (jam enim postquam venerat, evolutus abierat annus) affuit tandem illi per beati Arduini suffragia, divinæ gratiæ pietas, quæ ita illum sanavit, ut nec ullum in eo remaneret pristinæ infirmitatis vestigium.

variisque morbis afflicti

22 Illud quoque non debeo silentio tenere, quod cuidam contigit, qui miraculum, quod in semetipso gestum est, mihi narravit. Qui quippe ut ipse dixit, adeo paralytica infirmitate depressus fuerat, ut caput inter genua habens, nates vero calcaneis junctas per terram omnino trahebat. Quique dum diutius venerandum jacuisset ad tumulum, beati Viri interventu ita est sanitati restitutus, acsi numquam fuisset infirmus. Quamobrem sibi medicanti Arduino adhuc servit devo- F
tus *b*.

ad tumulum ejus prodigiose sanantur.

b

Quædam quoque mulier filium suum parvulum, dæmonio plenum, adduxit, nec multo post illum ad propria sanissimum reportavit.

Alter dæmoniacus per aliquod tempus ibidem est demoratus, tandemque sanitate recepta ad propria est regressus.

Quis præterea enarrare sufficiat, quanti febribus laborantes, quanti paralytici, quantique variis infirmitatibus detenti, ad sepulchrum illius venientes sanati sunt? Nam si cuncta mei corporis membra in linguas commutarentur, non possem edicere cuncta, quæ Dominus per famulum suum Arduinum operari dignatus est. O Arduine facundissime Medice, quo habuisti hactenus ista medicamenta abscondita? Puto enim, immo veraciter credo, quia pigmenta, unde talia antidota confecta, jejunia, orationes, eleemosynæ, cæteraque bonorum operum incrementa fuerunt. Et quoniam in tuæ quondam carnis mortario spiritali pilo tonsa fuerunt, atque protrita, summæque discretionis cribro bis terque cribrata charitatis quoque melle bene conspersa, ideo nunc infirmis omnibus salutis transeunt ad effectum. Agamus ergo omnipotenti Deo

EX MSS.

A Deo grates, qui nobis talem contulit Sacerdotem, per quem et animarum, et corporum accipere possimus salutem. Teneamus igitur illius exemplum in terris, ut illum habeamus socium et patronum in cælis, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum Patre et Spiritu sancto omnis honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ex hac similibusque phrasibus patet, quantam fidem scriptor iste anonymus in his miraculis referendis mereatur, ut etiam in Commentario prævio observavimus.*

b *Hinc etiam conjicimus, pleraque hæc miracula tempore hujus scriptoris anonymi contigisse.*

DE S. ARNULFO CONFESSORE

EPISCOPO SUESSIONENSI

ALDENBURGI IN FLANDRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§I. Aldenburgi in Flandria præcipuus hujus Sancti cultus, memoria ejus in Martyrologiis, et unum alterumve antiquum ejusdem elogium.

E B

ANNO MLXXXVII. Disputatur de etymologia

De etymologia Aldenburgi, ubi Sanctus in titulo propositus forsan hodiedum quiescit, et potissimum colitur, inter scriptores Belgas diversa est opinio: quidam enim tradunt, Aldenburgum vernacule* Oudenburg, *id est* vetus castrum *sic ab antiquitate dictum fuisse. Alii autem volunt, Aldenburgum ab Aldo vel Aldone, qui istius loci dominus erat, nomen suum traxisse. His favent antiqua Acta S. Ursmari, quæ Henschenius noster ad diem* XVIII *Aprilis illustravit, et in quibus tomo 2 istius mensis pag. 562 legimus sequentia:* Ipse etiam provinciæ dominus, Aldo nomine, beati Ursmari prædicatione ad fidem Christi conversus, donavit DE SUO DICTUM VOCABULO Aldeburch vicum, et mille passus undique per circuitum, in quo construxit atque consecravit ecclesiam in honore Petri Apostoli; de qua postmodum dotavit Laubiensium ecclesiam, quatenus ipse beatus Apostolus, cui a Domino ligandi atque solvendi collata est potestas, patrocinaretur Flandrensibus atque Menapibus, qui de diversis idolorum cultibus revocati, facti erant una ecclesia Christi. C

et antiquitate loci in Flandria,

2 *Etiam scriptores illi dissident circa antiquum ejusdem loci statum; quem nonnulli magno splendore exornant, inter quos Aubertus Miræus in Originibus cœnobiorum Benedictinorum in Belgio cap. 39 sic scribit:* Aldeburgum primæ olim notæ apud Flandros oppidum fuisse constat. Sed Attila Hunnorum rege Galliam vastante, cum aliis oppidis excisum est; et monstrant hodieque castrorum Attilæ locum primo lapide ab Aldeburgo, quem vernacule Attilaghem nuncupant. Tradunt autem a Balduino Calvo, Flandriæ Comite, ad annum Christi octingentesimum sexagesimum quintum, burgum Brugense, cum a patre ejus muniri cœptum esset, Aldeburgi ruderibus eo advectis cinctum fuisse. *Meyerus, Marchantius, Buzelinus, aliique apud Antonium Sanderum tomo* I *Flandriæ illustratæ pag. 316 et sequentibus relati de Aldenburgo similia narrant, eamque ante tempora Attilæ metropolim Flandriæ ac opulentissimam civitatem fuisse contendunt.*

3 *Sed Olivarius Vredius juris-consultus Brugensis in Flandria veteri sive ethnica cap. 9 pag. 87 et sequente hanc popularium suorum opinionem ita explodit:* His temporibus chronica nostratia volunt eversum ab Hunnis Aldenburgum vetus oppidum, tertio ab urbe Brugensi lapide, ita dictum, ut aiunt, ab antiquitate, tamquam vetus burgum, quod ALT Germanis, Flandris OUDT, sit vetus, antiquum. At verum id non esse apparet, tum ex itinere Attilæ superius demonstrato; tum ex eo, quod Aldenburgum situm sit in prima Francia, ubi non in urbibus, sed pagatim habitabatur. Et nemo credat Aldenburgum urbem adeo antiquam fuisse: secus enim attestatur Vita S. Ursmari, ubi Aldenburgum dicitur cujusdam toparchæ, cui nomen erat Aldo sive Aldus, vicus fuisse. *Hic Vredius citat verba, quæ numero primo ex Actis S. Ursmari retulimus, et deinde ratiocinium suum ita prosequitur:* Origo hujus fabulæ videtur profluxisse ex nuncupatione pagi vicini, qui ERTELGHEM cum dicatur, Attilæ domum sive templum videtur sonare. Verum enimvero Attilam eo loci consedisse, domumve aut templum habuisse, nihilo magis verum est, quam Ulyssem errando ad has quoque partes delatum, pagis nostris VLISSEGHEM, LISSEWEGHE, et oppido VLISSINGHE; Circeumque urbi Zelandicæ ZIRICX-ZEE, quasi Circæi maris, appellationem fecisse. *Denique laudatus scriptor cap. 24 seu pag. 493 ejusdem Operis variis testimoniis et argumentis confirmat, Aldenburgum vetustis temporibus tantummodo vicum appellari.* F

qui vocatur Aldenburg,

ubi ab immemorabili tempore colitur S. Arnulfus

4 *Quidquid sit de hac controversia, nobis sufficit, S. Arnulfum Aldenburgi animam Creatori reddidisse, et hunc locum sacris suis reliquiis ditasse. Unde ibidem hic Sanctus singularem venerationem obtinuit, ut Acta nostra et Menologia Benedictina passim testantur. Certe ab immemorabili tempore monachi Aldenburgenses festum ipsius Officio proprio celebrarunt, et in ejus honorem decantarunt hymnum, quem Arnoldus Wion, eruditus ejusdem monasterii quondam incola, lib. 3 Ligni Vitæ seu parte 2 pag. 269 exhibet his verbis:*

Pange

AUCTORE G.C.

Pange lingua gloriosa
Confessorum gaudia,
Inter quos floret, ut rosa,
Arnulphus in gloria
Possidendo fructuosa
Meritorum præmia.
Militari armatura
Juvenis hic utitur:
Seculi relicta cura,
Medardus expetitur;
Portans Christum mente pura
Monachus efficitur.
Christo cupiens servire,
Promptus ad obsequia,
Et abbati obedire,
Servando silentia;
Pura studet custodire
Mentis domicilia.
Fratribus hic abbas datus
Corrigit discrimina;
Piis mitis est et gratus,
Mœstis dat solatia:
Sic devote adornatus
Præsulis est infula.
B Jussa sibi adimplendo
Monitus per somnia,
Discordantes paci dando
Prædicat in Flandria,
Abundanter seminando
Pietatis semina.
Præsuli associantur
Virtutum insignia;
Cæci vident, muti fantur,
Ægra sanat omnia:
Dæmonesque effugantur
Per sua suffragia.
Hic a Petro visitatur
Mortis in confinio,
Angelorum hunc solatur
Copiosa legio:
Cum Maria præsentatur
Virginalis concio.
Adoremus Christum regem,
Qui gubernat omnia,
Suum ut conservet gregem
Per Arnulphi merita:
C Cujus hic servando legem
Meruit cælestia.
Collaudantes celebremus
Arnulphi solemnia:
Nostri cordis illi demus
Et oris officia
Ut cum illo conregnemus
In cælesti gloria.
Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo
Una Patri, Filioque
Inclyto Paracleto,
Cui laus est et potestas
Per æterna secula. Amen.

Hic hymnus, qui præcipua S. Arnulfi *gesta summatim continet, ex diffusioribus ipsius Actis post hunc Commentarium prævium edendis clarius intelligetur.*

qui etiam in Martyrologiis refertur,

5 *Legitimus hujus Sancti cultus confirmatur ex Martyrologiis, inter quæ Romanum modernum die* XV *Augusti de illo sic breviter meminit:* Suessione in Calliis sancti Arnulphi episcopi et confessoris. *Martyrologium Romanum hic haud dubie eum Suessione annuntiat, eo quod Suessionensem episcopatum administraverit, vel magnam vitæ partem in hac urbe transegerit. Florarium Ms. nostrum die sequente nullum locum* D *exprimit; sed de eodem sancto Præsule hæc habet:* Natale beati Arnulfi Suessionensis episcopi et confessoris. Hic natione Brabantinus de stirpe quoque Karolidarum prodiens, genere nobilis, sed religione nobilior, factus est primo abbas sancti Medardi; dehinc crescentibus meritis præsul Suessionensis constituitur, miraculis refulgens, et diem suæ mortis prænoscens. *Codex Centulensis inter auctaria nostra Usuardina ad diem* XVI *Augusti in extrema laborum suorum ac mortis palæstra eumdem Sanctum annuntiat his verbis:* Item in Flandria, depositio sancti Arnulfi Suessionensis episcopi, qui inter cetera miraculorum præconia, oratum regis Francorum Ludovici et orando impetravit et præscius prophetavit. *Prætermitto hic Menardum, Saussayum, aliosque recentiores Martyrologos, qui hunc Sanctum distinctius Aldenburgi in Flandria collocarunt: nam ex his annuntiationibus atque ipsis Actis infra dandis abunde constat, sanctum Antistitem illum antiquo et legitimo cultu honorari.*

et ab auctore coævo bis impense laudatur.

6 *Hisce subjungo honorificum testimonium, quod scriptor coævus de sanctitate ejusdem Præsulis perhibuit. Is est Sigebertus cœnobita Gemblacensis, qui in chronico editionis Pistorianæ ad* E *annum* 1080 *exornat illum sequenti elogio:* Hoc etiam tempore in cœnobio sancti Medardi pollebat signis et virtutibus vir beatissimus Arnulphus, qui pro miro sanctitatis fervore propositum reclusionis eligens, et arcta nimis abstinentia seipsum affligens, prophetiæ gratiam divinitus accepit, et ex recluso abbas hujus monasterii factus, ad ipsam reclusionem pro contemptu mundi ac desiderio internæ quietis postmodum rediit. Suessonico autem pontifice defuncto, electus est ad episcopatum, et jussu Papæ Gregorii a Sedis Apostolicæ legato Hugone Lugdunensi archiepiscopo in præsulem est consecratus. *Deinde memoratus chronographus ad annum Christi* 1087 *de eodem mirabili Viro hæc habet:* Sanctus Arnulphus ex abbate sancti Medardi postmodum etiam ad pontificatum civitatis Suessionicæ promotus, pro pacis reintegratione inter Flandrenses Flandriam venit, atque in vico, nomine Aldenburch ecclesiam sancti Petri jam divinis miraculis illustratam, cœnobium monachorum fecit, ordinem regularis vitæ instituit, tandemque F in eodem monasterio et finem vitæ et sepulturam, secundum quod ipse prædixerat, accepit. *Similia leguntur in Chronico Sigeberti, quod Laurentius de la Barre Parisiis inter alia vetera monumenta anno* 1583 *imprimi curavit. Quamvis in eodem Sigeberti Chronico, quod Aubertus Miræus Antverpiæ anno* 1608 *edidit, hæc omnia non inveniantur, tamen ad annum* 1086 *aliis characteribus in illo legitur hoc breve ejusdem sancti Viri elogium:* Arnulfus Suessonicæ civitatis episcopus spiritu prophetiæ, puritate vitæ, et miraculis venerabilis claruit, et in Aldenbort * in ecclesia sancti Petri Dei nutu sepelitur. *Omitto hic Trithemium aliosque recentiores auctores, qui eumdem sanctum Episcopum meritis laudibus extulerunt, et ad sacras ejus reliquias indagandas progredior.*

* *lege* Aldenborch *vel* Aldenburch



§ II.

A

§ II. Ossa hujus sancti Præsulis identidem recognita, et furori Calvinistarum prudenter subducat.

Corpus Sancti, in vitata magna populi multitudine,

Postquam in synodo Bellovacensi decretum erat ut ossa S. Arnulfi *solenniter de terra levarentur, Lambertus episcopus Tornacensis, ad cujus diœcesim tunc Aldenburgum spectabat, litteris encycticis fideles sibi subditos ad hanc honorificam sacrarum reliquiarum elevationem invitavit, quemadmodum in Actis infra edendis lib. 3 cap. 2 fusius narrabitur. Sed ibi deest authenticum hujus invitationis vel convocationis instrumentum, quod tamen non ita pridem favore reverendissimi ac illustrissimi D. Henrici Josephi Van Susteren episcopi Brugensis accepimus. Quare nobis visum est hic inserere legitimum hujus authentici instrumenti apographum, quod ex*

B *scheda pergamena juridice extractum ita scribit:* Lambertus Dei gratia Tornacensis et Noviomensium episcopus, omnibus decanis ac presbyteris nostræ diœcesis salutem et benedictionem. Cooperante gratia Spiritus sancti, decrevimus sacrum corpus sancti Arnulphi episcopi de terra levare; ad quod sacrum officium prima die mensis Maii, præduce Christo, explendum plebes vobis commissas per singulas ecclesias a vestra charitate jubemus commoneri, ut devote conveniant, et Domini benedictione potiantur apud Aldenborgh in ecclesia sancti Petri Apostoli. Datum anno Domini millesimo centesimo vigesimo, Indictione XIII.

anno 1121 solemniter de terra elevatur,

8 *Anno sequente solemnis illa sacrorum ossium elevatio Kalendis Maii facta est, ut patet ex altero instrumento, in quo hæc leguntur :* Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo primo, Indictione XIV, Ludovico rege Francorum annis XIV, Calisto Papa Romanam sedem tenente anno secundo, Carolo etiam Flandrensium Comite anno secundo, cœnobium Aldenborgense desudante abbate Hariulpho annis jam quindecim et

C mensibus sex præter dies novem, levatum et translatum est sacrum corpus beati Arnulphi episcopi Kalendis Maii a Lamberto Tornacensi episcopo, quando Romanus Cardinalis presbyter Petrus de Leone hospitabatur apud sanctum Bertinum visitans has regiones. *Hi characteres chronologici ferme conveniunt cum iis, quos infra in Actis lib. 3 cap. 2 num.* 136 *referemus, aut saltem cum illis facile possunt conciliari.*

ut ex legitimis instrumentis constat,

9 *Ceterum in dorso ejusdem schedæ pergamenæ de quibusdam* S. Arnulfi *reliquiis hæc notata erant :* Alba, quæ in sacculo seorsum jacet, ipsius Sancti fuerat, in qua consecratus est in episcopum, et in qua usque ad finem vitæ Missas cantavit. *Deinde ibidem leguntur sequentia :* Tibia in alba posita de ipsius sacro corpore fuit; sed ex amore cogitaveramus eam forinsecus retinere, donec nimia importunitate coacti sumus in lectum * recondere. *Ignoramus, quo tempore hæ duæ annotationes scriptæ sint; sed scimus ex alio translationis testimonio, quod mox infra exhibebimus eamdem Sancti albam anno* 1457 *in veteri hierotheca inventam fuisse. Porro authentica hujus atiorumque instrumentorum fides juridice probatur hac subscriptione :* Concordat hæc copia cum originali schedula ex pergameno vetustate ambesa, sed legibili; collatione cum ea facta, præ-

** id est in hierothecam*

sente et adjuvante reverendissimo ac nobilissimo domino D. Carolo Philippo de Rodoan episcopo Brugensi, nec non reverendo domino Joanne Bourier abbate sancti Petri de Oudenburg. Quid testor Joannes Baptista Van Belle I. V. D. scriba civitatis Brugensis hac XXVII Maii MDCXIII.

auctore G. C.

et anno 1457 pretiosiori hierothecæ includitur,

10 *Ab hac prima sacrorum ossium elevatione nobis de reliquiis* S. Arnulfi *nulla occurrit mentio usque ad annum Christi* 1457, *quo Anianus abbas Aldenburgensis eas pretiosiori capsæ includi curavit, ut colligimus ex authentico instrumento, quod in lipsanotheca conservatur, et cujus apographum sic sonat :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Hic requiescit gloriosum corpus sanctissimi Patris ac defensoris nostri Arnulphi, episcopi et confessoris, translatum per reverendissimum in Christo patrem et dominum Guilielmum episcopum Sareptanum, suffraganeum reverendissimi in Christo patris ac domini D. Joannis episcopi Tornacensis, Indictione quinta, Calisto tertio Romanam sedem tenente, Joanne metropolitanam Remorum sedem regente, Carolo rege Francorum regnante, Ludovico nobilissimo Delphino E Franciæ Brugis spatiante, Philippo autem Flandriæ Comite anno sui regiminis XXXVIII principante, atque Aniano curam Aldenburgensis cœnobii, auctore Deo, administrante, multis præterea tam abbatibus quam præpositis ceterorumque Christi fidelium cum gaudio et devotione astantibus. Actum solemniter anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, Kalendis Maii die Dominico. Ut a posteris nostris indubitanter credatur, diligenter honoretur, ac in perpetuum celebretur, nomina et signa eorum qui huic translationi interfuere, annotare sanctum est.

ut in authentico testimonio

11 *Huic instrumento adhuc annectuntur sigilla præferentia proprium cujusque nomen, exceptis duobus, quæ haud dubie exciderunt : nam in ipso autographo omnia sigilla vel signa per litteram majusculam S designantur in hunc modum :* S. D. Guilielmi episcopi Sareptani. S. Aniani abbatis S. Petri Oudenburgensis. S. Jacobi abbatis S. Audreæ juxta Brugas. S. Nicasii abbatis S. Adriani martyris. S. Everardi abbatis de Duuis. S. Jacobi abbatis de capella Thosana. S. Petri abbatis B. Mariæ Middelburgensis. S. Limauui abbatis S. Nicolai Furuensis. S. Hectoris Præpositi de Loo. S. F Petri Præpositi de Eversam. S. Jacobi abbatis B. Mariæ de Zunuebeyke. S. Antonii abbatis S. Bartholomæi de Eeckout. S. Walteri Præpositi ecclesiarum B. Mariæ Brugensis ac S. Petri Casletani: *Circa Albam* S. Arnulfi, *de qua superius memini, in dorso hujus instrumenti habebatur alia manu sic scriptum :* Nota, quod eodem anno *(nimirum* 1457, *quo id contigit)* quædam Alba, in qua fuit consecratus episcopus, fuit reperta in antiqua capsa, a qua fuit exstracta et reservata ob augmentationem majoris reverentiæ.

et Opere Sanderi narratur.

12 *Sanderus tomo* 1 *Flandriæ illustratæ pag.* 320 *eamdem translationem ex Annalibus cœnobii Aldenburgensis distinctius refert his verbis : Videns insuper dictus abbas (videlicet Anianus, de quo supra egerat)* corpus gloriosi patris nostri Arnulphi requiescere in quadam veteri capsa lignea, quæ præ nimia vetustate erat tam modicæ præsentationis ac parvi apparatus, quod ob hoc veneratio ejusdem Sancti omittebatur, fecit Brugis fabricari quoddam novum feretrum auro et argento, ut oculis patet intuentium, decoratum, in quo fecit translatari sanctissimum corpus patris nostri

nostri Arnulphi anno MCDLVII, prima die Maii, quæ tunc erat dies Dominica, præsentibus multis abbatibus præpositis, doctoribus, curatis, et capellanis ac nobilibus, ceterisque utriusque sexus in maxima multitudine, videlicet Gandenses, Brugenses, Oudenburgenses, Dixmudenses Noviporgenses, Furnenses, Ostendenses, Bergenses, Ghistellenses, Ettelghemenses, et Leffingenses, qui omnes decoraverunt hunc locum mirabiliter præcedendo clerum processionaliter cum tædis infinitis ac tubis bene sonantibus in magno numero cum devotione, gaudio et jucunditate. Hæc vidi. Diligentia et studio dicti Aniani hæc omnia in memoria remanserunt. *Ita ille ex teste oculato, qui verosimiliter historiam monasterii sui Aldenburgensis conscripsit.*

Paucis reliquiis alio translatis,

13 *Vix dubito, quin eo tempore quædam* S. Arnulfi *reliquiæ aliis ecclesiis communicatæ fuerint. Saltem proxime laudatus Sanderus tomo* 1 *Flandriæ illustratæ pag.* 317 *in rem nostram hæc scribit :* Corpus hujus Divi nunc Brugis adservatur, nisi quod portio aliqua exigua per Anianum abbam anno MCDLVIII Tidegemensi in Brachbanto, unde natus erat, ecclesiæ donata sit. *Paragrapho sequente hunc natalem Sancti locum indagabimus, et ea occasione ibidem explicare conabimur quomodo pagus Tidegemensis in Brabantia collocari possit. Quod vero ad alias ejusdem Sancti reliquias attinet, Balduinus Willotus noster in Martyrologio seu Hagiologio suo Belgico ad hanc diem asserit, brachium hujus* S. Arnulfi *Montibus Hannoniæ in ecclesia S. Waldetrudis honorari. At vehementer miror, notitiam hujus brachii non pervenisse ad Arnoldum Rayssium diligentissimum reliquiarum Belgicarum investigatorem, qui tamen in Hierogazophylacio suo Belgico pag.* 544 *et sequentibus minores ejusdem ecclesiæ Montensis reliquias recenset. Quare illi, quorum interest, facile poterunt istud Rayssii silentium supplere, si hunc sacrum thesaurum adhuc possideant. Nunc ad aliam ejusdem sacri corporis inspectionem transeamus.*

pleraque hujus Sancti ossa anno 1557 rursus Aldenburgi recognita.

14 *Centum annis post supradictam lipsanothecæ mutationem rursus ossa* S. Arnulfi *visitata sunt ut constat ex sequenti instrumento, quod est hujus tenoris :* Vigesima octava die mensis Junii anno Domini MDLVII, Pontificatus sanctissimi in Christo patris Domini D. Pauli divina providentia Papæ IV anno tertio, Indictione XV, vivente Carolo Romanorum imperatore, rege Hispaniarum ejus nominis quinto, regnante Philippo ejusdem filio, Hispaniarum, Angliæ, Franciæ, Siciliæ, Neapolis etc. rege, comite Flandriæ, sub episcopatu reverendissimi D. Caroli de Croy episcopi Tornacensis reverendus in Christo pater D. Oliverius Vander Hulst abbas monasterii S. Petri Audenburgensis desiderans alleviare pondus multum grave feretri continentis sacrum corpus seu reliquias S. Arnulphi episcopi et confessoris, fecit aperiri dictum feretrum, in quo reperit litteras in pergameno scriptas, sigillatas tredecim sigillis de data anni Domini MCDLVII, Kalendis Maii, die Dominica in codem iterum repositas. Item reperit ossa et reliquias prædicti S. Arnulphi involutas panno cerato corrupto et coopertas panno serico integro : et has litteras testimoniales includens solenniter fecit recludi, præsentibus reverendis in Christo dominis D. Guillelmo Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopo Sareptano, D. Johanne Vander Weerde abbate monasterii S. Andreæ prope Brugas, Joanne de Muer monacho ejusdem monasterii S. Andreæ et Priore monasterii S. Petri Oudenburgensis, D. Petro Westbusch, D. Adriano de Grutere, D. Christophoro de Bonkere, Ægidio Sawyne, Laurentio Bertenchon presbyteris Religiosis, Jacobo Cromelyne diacono, Joanne Hoye subdiacono monachis professis totoque conventu; nec non honestis dominis ac magistris viris Arnoldo Dierkens, Hugone Cocus curato Canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Salvatoris oppidi Brugensis, magistro Leone de Voocht curato ecclesiæ parochialis oppidi Audenburgensis : item probis ac honestis viris Jacobo Lucas receptore fabricæ et totius communitatis S. Salvatoris oppidi Brugensis prædicti, Daniele Miels, Joanne Sanders, Arnoldo Bertelz, Judoco Valentin aliisque plurimis. In cujus rei testimonium prædictus D. abbas has litteras suo sigillo et sigillo præscripti reverendissimi domini Guillelmi episcopi, suffraganei Tornacensis et decani prædicti Salvatoris Brugensis communiri fecit anno, die, ac mense, quibus supra. *In plica superius hæc legebantur :* De mandato præfati domini Sareptani; *et erat signatum* Christianus Grave Notarius Apostolicus admissus. *Appendebant autem duo sigilla memorata et ceræ rubræ impressa.*

et postmodum furori Calvinistarum subducta sunt,

15 *His temporibus in Belgio adversus avitam religionem Catholicam variæ seditiones excitatæ sunt et impii rerum sacrarum violatores plura Belgii templa et cœnobia partim spoliarunt partim destruxerunt. Huic ruinæ etiam involutum fuit monasterium Aldenburgense, ut Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam* S. Arnulfi *num.* 7 *tradit his verbis :* Eodem tempore in eo cœnobio : *(nimirum Aldenburgensi, de quo ibi sermo est)* florebant duo viri illustres de Ordine Benedictino bene meriti, scilicet Jacobus Byns et Arnoldus Wion, qui anno MDLXXVIII, destructo funditus per hæreticos Calvinianos Aldenburgensi monasterio, in alias provincias abire compulsi sunt. Jacobus in Hispaniam transiit, ubi Hispali xenodochium ad suos contribules recipiendos et fovendos construxit; Arnoldus vero in Italiam secedens, ibi librum de Ordinis nostri initiis, progressibus, aliisque ad eum pertinentibus sub nomine Ligni Vitæ conscripsit, dinque inter nostros Casinenses versatus in eadem regione defunctus est. Hæc sub Melchiore Everaert abbate contigerunt, sub quo monachi hinc illucque varia in loca dispersi sunt; sacras vero reliquias aliaque furori hæreticorum subducta Brugis interea asservabant pauci admodum monachi, qui postea pacatis tumultibus ad monasterium rediere. *Sanderus in Hagiologio Flandriæ ad diem* XV *Augusti de his* S. Arnulfi *reliquiis, quæ tunc Brugis asservabantur, sic breviter meminit :* Corpus ejus etiamnum Brugis adservari, a Judoci Damhouderi regii consiliarii filia per has turbas solicite custoditum, nuper Aubertus Miræus nobis indicavit

ut patet ex testimonio episcopi Brugensis.

16 *Hæc veneranda* S. Arnulfi *ossa prudenter furori iconoclastarum subducta esse, ac tempestive sacrilegas eorum manus evasisse, patet ex testimonio illustrissimi præsulis Brugensis, qui anno Christi* 1613 *veterem hierothecam examinavit, et eadem Sancti ossa in aliam transtulit, ut docet sequens instrumentum juridicum, cujus hic est tenor :* Jacobus Philippus de Rodoan Berleghemius Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Brugensis, perpetuus et hereditarius Flandriæ cancellarius etc. Universis et singulis præsentes nostras litteras visuris, lecturis, pariter et audituris salutem in Domino. Posteaquam religione avita restituta, et iconomachorum furore cessante, inter alia

A alia sacra pignora relata esset major pars calvariæ cum variis notabilibus ossibus corporis S. Arnulphi episcopi Suessionensis et confessoris, nec non antiquæ litteræ, sigillis plurimorum prælatorum firmatæ ejus fidem facientes, nos juxta decretum sacri concilii Tridentini, examinatis illius ergo examinandis, eadem, ea qua par est reverentia, repurgata ex priore lipsanotheca, iu qua recondita erant, huic novæ inclusimus.

qui anno 1613 hierothecam ejusdem Sancti coram multis inspexit,

17 Et ut nemini dubium esse possit de sacri hujus thesauri certitudine, testimonium hoc apponendum duximus, sigilli majoris appensione et secretarii nostri subscriptione firmatum, præsentibus reverendis, venerabilibus, et nobilibus viris, Joanue Bouvier prælato S. Andreæ, Joanne Montano abbate S. Bartholomæi vulgo Querectano, Arnoldo Van Mechelen archidiacono, Remigio Druitio officiali, Joanne Baptista Blotagrio cathedralis ecclesiæ nostræ Canonicis, Petro de Cueninck collegialis et parochialis ecclesiæ S. Salvatoris decano et primario pastore, Jacobo Stratio rectore collegii Societatis Jesu, Jacobo de Noyelles vice-comite de Nielles, Ludovico B Lopez Gallo Baroue de Male, Adolpho de Maldeghem scabinorum Burgi-magistro Brugensi, Carolo de Boonem Francouatus, Carolo Christiano de Rodoau domino de Berleghem, Nicolao de Schieter, Petro Snucx, et infinita utriusque sexus multitudine, appositis copiis binarum aliarum attestatiouum vetustate corrosis et fere absumptis, anni videlicet millesimi centesimi vigesimi, Indictionis decimæ tertiæ, Calixto Papa, Ludovico Francorum rege, et Carolo Flandrensium Comite reguantibus. Datum et Actum Brugis auno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo decimo tertio, mensis vero Maii vigesima octava, Indictione undecima, Pontificatus sanctissimi domini nostri Pauli Papæ V nono, regnantibus serenissimis uostris principibus Alberto et Isabella Eugenia infante Hispaniarum, Archiducibus Austriæ, Ducibus Burgundiæ, Comitibus Flandriæ etc. *In plica hæc habebantur* : De maudato reverendissimæ suæ gratiæ P. De Meuleuaere secretarius. *Præterea sigillum illustrissimi Jacobi Philippi de Rodoan in cera rubra appendebat.*

et adhuc hodiedum in Flandria conservantur.

18 *Decreveram præsentem sacrarum reliquiarum statum et peculiarem earumdem venerationem distinctius hoc loco describere, si petitioni meæ satisfactum fuisset : jam enim fere ab anno P. Procuratorem Collegii nostri Brugensis rogaC vi, ut data occasione traderet amplissimo D. Abbati Aldenburgensi scedulam quamdam memorialem, quam scripseram eo fine, ut de hodierno istarum situ et ornatu edocerer. Sed nulla hujus rei notitia ad me pervenit, cum forsan Procurator ille negotii sibi commissi oblitus fuerit, aut nullum responsum acceperit. Collega meus Sollerius ab aliquot annis vidit has sacras* S. Arnulfi *exuvias, quæ tunc Brugis privatim asservabantur. Facile tamen credo, eas postea ad abbatiam Aldenburgensem translatas esse, quandoquidem monasterium istud, quod olim bellis aliisque infortuniis ferme exhaustum fuerat, nunc incipit ita reflorescere, ut non exigua spes sit, fore ut paulatim ad pristinum splendorem reducatur. Cum igitur Acta* S. Arnulfi *jam prælo danda sint æquus lector mihi ignoscet, ut spero, quod de præsenti illarum reliquiarum statu nihil certi indicare potuerim.*

§ III. Sancti nomen, patria, nobilitas, et duo ejus corporeæ fortitudinis exempla, quæ in Mss. Actis nostris non memorantur.

Sanctus duplex nomen habuit,

Ex Actis infra edendis lector intelliget, hunc Sanctum nostrum cœlesti vaticinio Christophorum vocatum esse ; sed ipsius consanguineum Arnulfum Aldenardensem ei suum nomen Arnulfi imposuisse. Hoc posteriori nomine ad auctoribus passim appellatur, et Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem XVI *Augusti de illo sic disserit :* Familiare est autem matronis sterilibus et gravidis hunc sanctum Præsulem pro felici partu invocare. Est porro Arnulphus Flandrice 𝔄𝔯𝔫𝔬𝔲𝔱 sed Aldenardenses dicunt Latine ARNOLDUM, et Flandrice cum grata sibi aspiratione 𝔥𝔞𝔯𝔢𝔫𝔱. Posterius Latinum nomen Trithemius refert ad morem Ger- E manicum. *Si hunc Sanctum cum quibusdam* Arnoldum *nominare mavis, per nos licet : at cave, ne propter hanc nominis similitudinem confundas illum cum S. Arnoldo citharœdo, cui Carthusiani Bruxellenses in Mss. additionibus ad auctaria Usuardina tumulum Aldenburgi perperam assignarunt, ut tomo* IV *Julii in Commentario prævio ad Acta S. Arnoldi citharœdi pag.* 448 *ostendimus. Ceterum nos in titulo hujus Commentarii hodiernum sanctum Præsulem appellavimus solo* Arnulfi *nomine. quod apud veterem biographum aliosque scriptores plerumque usurpatur. Hæc de nomine Sancti nostri dicta sufficiant.*

et natus est in pago,

20 *Laudatus Molanus loco proxime citato de stirpe et patria* S. Arnulfi *sic ratiocinatur :* Ad familiam Pameliorum eum pertinere, notissimum est ex gentilitiis armis et aliunde. Sed putatur Lisiardus *(supponit Molanus, Lisiardum Vitam Sancti litteris mandasse, qua de re postmodum agemus)* scriptor Gallus eum male vocare Brabantum : quamvis enim territorium Alostanum, quod Scaldis disterminat, Brabantiæ soleat annumerari, 𝔗𝔦𝔡𝔦𝔫𝔤𝔥𝔢𝔫 tamen, quæ nunc vocatur 𝔗𝔦𝔤𝔥𝔢𝔪, F natale ejus solum est extra ditionem Alostanam citra Scaldim duobus milliaribus ab Aldenardo, cui loco abbas Anianus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo reliquias aliquas beati Arnulphi contulit, ut Præsulem exinde oriundum ardentius honorarent. *Circa natalem Sancti locum cum Molano consentit Sanderus, dum tomo 2 Flandriæ illustratæ pag.* 589 *de eodem pago sic scribit* : Tiedeghem clarus est pagus sub dominio Baronis Anglo Monasteriensis, ac magis ob natalem, reliquias et miracula beati Arnulphi Suessionensis episcopi et apud Aldenburgenses abbatis.

qui nunc adscribitur Flandriæ,

21 *Attamen Arnoldus Wion lib.* 3. *Ligni vitæ seu parte 2 istius Operis pag.* 270 *eumdem Sanctum vocat patria Aldenardensem, dum ibidem sic scribit :* Fuit autem sanctus Arnulphus natione Flander, patria Aldenardensis, præclara ac nobili Pameliorum familia ortus. *Certe his scriptoribus, qui Sanctum nostrum in pago* Tiedeghem *vel* Tighem *natum asserunt, favet antiquus Vitæ auctor, qui infra in Actis num.* 3 *de patre* S. Arnulfi *ita loquetur* : Fuit vir, nomine Folbertus, in pago Brabantiæ circa fluvium Scaldum, qui non solum generis spectabili nobilitate, sed rerum

AUCTORE G. C.

rerum copia mundanarum ditatus, inter ceteros compatriotas tam mente quam corpore per omnia inclytus existebat. *Forte igitur Wionus hunc sanctum Episcopum cognominat Aldenardensem, eo quod pagus* Tiedeghem *vel* Tighem *in territorio Aldenardensi situs esset, vel Sanctus ortum ducere ex illustri familia Pameliorum, qui vetus castrum Aldenardense incolebant, et in tractu illo late dominabantur: non enim existimo, ipsam Aldenardam nomine* pagi *designatam fuisse eo tempore, quo biographus noster hæc scribebat.*

etsi antiquitus annumeraretur Brabantiæ,

22 *At nonnemo ex me quæret: Sive iste Sanctus Aldenardæ, sive in pago* Tiedegem *natus sit, quomodo potest alteruter ille locus natalis ab antiquo biographo* Brabantiæ *annumerari, cum utrumque in Flandria situm esse constet? Molanus supra citatus rotunde pronuntiat, auctorem Vitæ in ea re errasse. Sed verosimilius opinor, scriptorem Actorum in hac re secutum esse divisionem sui temporis, quo Brabantia latius extendebatur. Ne id gratis dixisse videar, hanc opinionem vetustis quibusdam testimoniis probabo. Sigebertus monachus Gemblacensis apud Miræum in Chronico ad annum* 1059 *ita scribit*: In pago B *(pagus deducitur a voce Gallica* pais, *et sæpe quemdam regionis tractum significat)* Bracbatensi juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatæ, prodigioso prælio inter se concurrunt *etc. Anselmus monasterii Gemblacensis abbas apud eumdem Miræum in Chronico suo ad annum* 1113 *hæc narrat*: In pago Bracbatensi. IX Kalendas Maii circa Tornacum nix tanta cecidit, ut et silvas fregerit. *Tornacum igitur civitas Bracbanti vel Brabantiæ tunc erat, quæ nunc Flandriæ attribuitur.*

quæ tunc latius extendebatur.

23 *Quinimo ipsa urbs Gandensis, quæ jam Flandriæ metropolis est, antiquitus in Brabantia collocabatur, ut patet ex litteris Ludovici Augusti, quarum fragmentum Valesius in Notitia Galliarum pag.* 93 *refert, et in quibus vocatur* Einhardus abbas ex monasterio, quod dicitur Ganda, quod situm est in pago Brachbatense, constructum in honore S. Petri, ubi etiam S. Bavo corpore requiescit. *Unde Valesius pagina mox citata monet sequentia*: BRACBANTUM, quæ BRABANTIA Latinis scriptoribus recentioribus, nostris LE BRABANT ex parte nuncupatur, C olim ab Alosto et Ganda usque ad Turnacum, aut etiam usque ad Coudate pertinebat, si qua Miræo fides habetur. *Joannes Roberti noster ad nomen* Bracbante, *quod in vetustis S. Huberti Actis occurrit, in notis num.* 76 *hæc breviter observat*; Brabantia, multo quam nunc, patebat latius, adeo ut magnam Flandriæ partem occuparet, magnam etiam Hannoniæ. *Denique Justus Lipsius in Descriptione Lovanii lib.* I *cap.* 13 *et Carolus Scribanius noster in Originibus Antverpiensium cap.* 2, *quos laudatus Joannes Roberti citat et sequitur, hanc sententiam pluribus exemplis confirmant.*

Ortus est autem sanctus Præsul

24 *Quidquid sit de peculiari nativitatis loco, quem Flandriæ aut Brabantiæ pro arbitrio adscribere poteris, auctores Belgæ unanimiter tradunt,* S. Arnulfum *ex territorio Aldenardensi et claro Pameliorum stemmate oriundum esse. Inter alios Joannes Baptista Gramaye in Descriptione Aldenardæ hanc originem probat his verbis*: Lisiardus abbas *(haud dubie episcopum dicere voluit)* in Vita beati Arnulfi matrem ejus nobilissimam ex stirpe Lovaniensium, Montensium, Namurcensium et Lossensium ait fuisse; patrem Fulbertum vocat, quem ex Aldenardensibus dominis fuisse arguunt Arnulphi insignia gentilitia apud Aude- D burgenses exstantia, eademque, quæ nunc sunt Pamellensium; et amplius, quod Arnulphus de Aldenarda Puerum sacri baptismatis lavacro ablutum testis et sponsor excipiens, a se voluerit appellari, non facturus temere, si nulla intercessisset affinitas. *Similia habent alii scriptores Belgæ, quibus accedere videtur Mabillonius Gallus cum Sammarthanis, dum in observationibus præviis ad Vitam Sancti nostri ita loquitur*: Arnulfus ex parentibus non nobilitate solum, sed et divitiis amplissimis pollentibus natus dicitur initio ejus Vitæ; quem e nobilissima Pameliorum in Belgio familia ortum asserunt unanimi consensu omnes rerum Belgicarum scriptores, quos Sammarthani in Gallia Christiana secuti sunt. Arnulfum Aldenardensem patruum habuisse, testis est Vitæ scriptor, qui ibidem matrem ejus ex illustri Comitum Lovaniensium, Namurcensium, Losnensium, et Montensium prosapia prodiisse asseverat.

ex nobilibus parentibus

25 *Aubertus Miræus in Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum cap* 362 *consanguinitatem matris ejus cum Comitibus Namurcensibus sic obiter indicat*: Sanctus Arnulfus Martyrologio Romano XV Augusti adscriptus, patrem habuit Folbertum, matrem Meinsindem, aviam Godam, quæ fuit filia Alberti primi Comitis Namurcensis, ut Quercetanus in sua Luxemburgensi historia docet. *Verum Goda illa, quæ hic dicitur filia Al-* E *berti primi, vocatur soror ejusdem Comitis Namurcensis in veteri Ms. codice monasterii Clarimarisci, ex quo laudatus Mabillonius in observationibus præviis supra citatis distinctiorem maternæ stirpis ejus genealogiam ita refert*: Albertus Comes Namurcensis habuit tres germanas sorores, Lutgardam, Godam, Ermengardam; qui Albertus genuit Godefridum patrem Godefridi Namurcensis; Lutgarda genuit Emmonem et Ottonem fratrem ejus. Emmo genuit Arnulfum Comitem de Lo et Sophiam de Hungaria: ista Sophia genuit regem de Hungaria et Ducissam de Hui. Otto frater Emmonis genuit Gislebertum de Durat *. Goda soror Alberti Comitis genuit Meinsindam, matrem sancti Arnulfi episcopi Suessionicæ civitatis in Francia. *Fere eadem habentur post Vitam* S. Arnulfi *in apographo nostro Thosano, cujus notitiam paragrapho sequente suggeremus.*

* *al.* Gizelbertum de Duras.

F

quorum stemma ab auctoribus indicatur,

26 *Compendium Vitæ, quod Mabillonius longioribus* S. Arnulfi *Actis subjunxit, de paterno ejusdem Sancti genere meminit, et inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* VI *part.* 2 *pag.* 555 *sic incipit*: Quamvis Brabantia litium ac rapinarum olim fuerit altrix et magistra, veridicoque poëmate dictum sit, FRANCIA QUOT VITES, TOT HABET BRABANTIA LITES, sub tempore tamen Comitis Balduini et Adelæ Comitissæ, superno dono irradiari meruit, dum sanctæ recordationis virum Arnulfum futurum episcopum ad illuminationem hominum non paucorum suo sinu progenitum, ceu radium sole justitiæ illustratum, meruit procreare. Hujus genitor Fulbertus, Godelef matris *(pro* matris, *ni fallor, cum apographo nostro Thosano* martyris *legendum est)* consobrinus, clara nobilitate refulsit; et mater, nomine Mainsindis, Teuthonicorum procerum stirpe edita, ingenuitate spectabili claruit. *Vides hic patrem Sancti nostri consanguinitate conjunctum cum S. Godoleva martyre Ghistellensi, cujus Acta ad diem* VI *Julii, tomo* 2 *istius mensis a pag.* 359 *illustravimus, et quam ex Bolonensi Picardiæ tractu oriundam diximus. Dum vero*

A *vero auctor Florarii nostri manuscripti, quod superius alia occasione allegavimus, ad diem* XVI *Augusti asserit, Sanctum nostrum* de stirpe Karolidarum *prodiisse, verosimiliter secundam regum Francorum stirpem designare voluit. Sed nobis non vacat singulos illos nobilitatis gradus operose indagare et hic diutius inhærere rei, quæ ad præcipuam* S. Arnulphi *gloriam parum spectat.*

et præditus fuit magna corporis fortitudine, 27 *Non multum quoque faciunt ad honorem Sancti nostri ea, quæ Surius de corporeo illius robore edidit, et quæ in apographis ac codicibus nostris non leguntur. Nescimus, utrum hæc ab ipso Actorum scriptore fuerint exarata, an ab alio posteriore adjecta. Cum tamen Mabillonius ista corporeæ fortitudinis exempla ex Surio transcripserit, atque Actis* S. Arnulfi *inseruerit, nos oculis curiosi lectoris hic subjicimus eadem, quæ apud laudatum Mabillonium referuntur his verbis:* Ad ostendendam corporalem ejus fortitudinem licet plura suppetant, nos tamen non nisi duo succincte expedimus. Cum enim opera Domini universa sint bona valde, illius quoque roboris seu virtutis cognitio materia erit laudis Dei, B qui eam illi contulit. Simul etiam accedet ad cumulum gloriæ Sancti hujus, qui ea non ad mundi vanitatem et insanias falsas, cum posset, abusus est: sed contemptor ejus, et quæ ex illa comparatur, mundanæ gloriæ, totus ad Dominum conversus est. Enimvero in Sanctis etiam corporalia Dei dona prædicantur, nobilitas commendatur, opulentia extollitur; non quod hæc beatitudinem illis contulerint, sed quod eorum contemptu, quibus ad malum potenter abuti poterant, sed noluerunt, gloriosiores et illustriores evaserint.

ut ostenditur duobus exemplis, 28 In aula igitur imperatoris apud Trajectum frequens erat conventus secularium, mundano fastu tumentium, et in iis Comes Flandriæ inter præcipuos summus. Is cum exoccupatus quibusdam hora opportuna occurreret, ut juvenilis fervor assolet pro captando inani favore mira facilitate agi, exsurgit hinc inde militaris cohors, jactandisque lanceis non sine virium attenuatione alius alium vincere summopere contendebat. Inter hos conatus animosi et audaces arcus frangunt, et imperatoriis militibus in hoc conflictu fere superioribus, dum Flandrenses nihil egregium, quod C celebris eorum virtutis quoddam esset probamentum sive documentum, efficiunt, parum absunt ab opprobrio et ignominia. Aderat tunc in comitatu Flandrensium vir egregius Arnulfus, qui ætate quidem juvenis, sed senili prudentia et gravitate pollens, nulla instar illorum levitate movebatur. Quidam igitur virtutis ejus, cui nulla in Germanorum regno comparari poterat, conscii ipsum adeunt, et ut ludicro certamini apponat manum, non tam rogant, quam cogunt. Adduntur precibus præcepta majorum et seniorum, quibus ille coactus in re, etsi ipsi nihil profutura, non tamen cuiquam nocitura, obedientiam pertinaciter negare frivolum ducens, lignum quod in vertice mali positum velum continet, afferri curavit. Allato ligno, quod lanceis multo longius et crassius esset, ille cunctis stupentibus assurgit, et molem illam atque pondus potius quam lanceam, ut * multa concutiens procul conjicit. Mox strepitus et clamor omnium in laudem Viri exstitit et Flandrensibus co in ludo sine periculo victoria cedit: nam juxta illud poëtæ Ludus enim genuit trepidum certamen et iram; ira truces inimicitias et funebre bellum. Ejusmodi aulis regis fiebant conflictationes, joco quidem initio susceptæ, sed persæpe in luctum et homicidia desinentes: quod idem profecto levibus hominibus et mutuo tumore inflatis facile etiam his evenire potuisset, si non hunc ludum vir virtutis Arnulfus diremisset.

* Forsan vi

auctore G. C.

quæ in apographis nostris omittuntur. 29 Cum seniore suo Arnulfo Aldenardensi quandoque, ut crebro solebat, proficiscens, ad iter arctissimum pervenit, ubi plaustrum fœno onustum viæ angustias occupans omnem transitum prohibebat. Itaque sociis ejus alio se conferentibus, solus cum armigero suo mansit illic, partemque fœni in terram abjicientes, et aliam cum plaustro manu sustollens, in eum locum, quem vepres et spinæ obsidebant et iter angustum faciebant, longiuscule transposuit; atque ita viæ obstacula iter agentibus non minus facile quam benigne amovit. *Haud dubie Surius hæc in codice suo invenit, etiamsi ea in nostris apographis non compareant. Præterea in Actis Surianis occurrit quoddam fragmentum magis notatu dignum, quod in manuscriptis nostris desideratur, et quod paragrapho sequente proferemus.*

E

§ IV. Scriptor Actorum et varia eorum exemplaria.

Eruditissimus Joannes Mabillonius *Inter auctores modernos quæstio est, quis Acta* S. Arnulfi *conscripserit, quibusdam hanc lucubrationem Lisiardo Suessionensi episcopi, aliis eamdem Hariulfo abbati Aldenburgensi tribuentibus. Mabillonius in Observationibus præviis ad Acta* S. Arnulfi *num.* I *hanc controversiam clare explicat, et ibidem de hac re sic erudite disserit:* Insigne monasterium sancti Medardi Suessionensis, de quo alias fuse diximus, hoc seculo beati Arnulfi meritis et virtutibus illustratum fuit. Hujus beati Viri Vitam sub Lisiardi Suessionensis episcopi nomine edidit Surius ad diem XV Augusti, in cujus initio exstat ejusdem Lisiardi epistola ad Radulfum Remorum archiepiscopum, qua hanc Vitam a se, uti profitetur, conscriptam ejus censuræ subjicit. Varii item alii codices manuscripti eamdem epistolam sub Lisiardi nomine præferunt. Unde factum est, ut eadem Vita ab omnibus fere scriptoribus sub Lisiardi nomine laudata fuerit. Verum si rem attentius expendere libeat, hanc ipsam Vitam sive priores duos libros Hariulfi abbatis tertii Aldenburgensis sincerum esse fætum deprehendemus; quod tum manuscriptorum codicum auctoritate, tum etiam F nonnullis aliis argumentis ex ipso contextu mutuatis probare non adeo erit operosum. Et quidem ex variis codicibus manuscriptis, in quibus hæc Vita habetur, unus exstat in bibliotheca monasterii Ursi-campi Ordinis Cisterciensis prope Noviomum, ubi hæc ipsa Vita cum triplici epistola ipsi præfixa sub Hariulfi nomine reperitur. Earum prima Lamberto Tornacensium episcopo inscripta est; altera ipsimet Lisiardo; tertia denique Radulfo Remensi metropolitano, quæ quidem ultima eadem est, paucis admodum mutatis, quæ in aliis nonnullis codicibus et in editione Suriana sub Lisiardi nomine eidem archiepiscopo nuncupata legitur.

edidit tres epistolas. 31 *Postea laudatus Mabillonius exhibet tres illas epistolas, quas humanitati R. D. Nicolai Peremperti acceptas refert, et quarum prima sic sonat:* Domino Lamberto Dei gratia Tornacensium episcopo filiorum ultimus Hariulfus salutem. Regalia fercula, quamvis auro et argento fulgeant, quamvis saporibus peregrinis et aromaticis odoribus

AUCTORE G. C.

odoribus redoleant, nisi salis condimento temperentur, contemptui potius quam delectationi proveniunt. Sic architecti peritia, si in suis ædificiis æquos limites excesserit, vel linearum tramites justo libramine non servaverit, frustra se laborasse sero pœnitebit, dum et peritiæ palmam amiserit, et fabricæ jacturam dolens incurrerit. His ita consideratis, et paris periculi formidans eventum, tibi, o præsul venerande, o pater hilarissime Lamberte, præsentis opusculi offero xenium; tibi, ceu fido pastori, ingenioli mei fructigenum committo vellusculum, ut vestra pontificalis auctoritas det robur et fiduciam his ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ legendis, cognoscendis et imitandis; ne propter agricolæ abjectam indignitatem cives deliciosi novellæ segetis conculcent fœcunditatem: tanta enim spinarum densitas et veprium asperitas, id est impugnantium nequissima stoliditas me hactenus contorsit et compedivit, ut nil aliud quam tristem fugam tractare animo liberet.

B *quas Hariulphus*

32 At postquam gratia cælestis ad pontificalem gradum in gemina sede Tornacensium Noviomensiumque vestram paternitatem promovit, statim spinæ et tribuli, quibus fortiter stimulabar, arescere et succidi cœperunt. Statim mihi valde contrito pax nova exorta est, et immensas ago gratias et Christo vobis: quoniam sicut ranæ ad vocem tonitrui conticescunt, sic affligentes me in initio vestri præsulatus, vestræ mox pietatis formidine sopiti sunt et relisi. Igitur quia per vos quamdam vivendi libertatem recepi, in diebus pacis, quibus jugum inimici vestra auctoritate computruit, hunc compegi libellum de vita et virtutibus electi viri domni Arnulfi Suessonici episcopi, mira Dei pietate nobis collati, nostroque in loco proventu divino humati. Hunc denique pavens tota certe veritate suffultum, primum vobis, uti fas est, tribuo promulgandum, quatenus vestri censura imperii aut sanctis Ecclesiæ filiis innotescat, aut certe intra domesticos fines mole silentii comprimatur. Si ergo lux gratiæ Dei hoc opusculum cognitione dignum effecerit, per vos et a vobis viam progrediendi accipiat: quod dum clementi judicio duxeritis laude dignum, obsecramus, ut domino nostro, C fratri et coëpiscopo vestro Lisiardo Suessionico antistiti prorogare non pigritemini, qualiter vestro et illius officio nobilibus arcis Remorum visibus propagetur. Valete.

abbas Aldenburgensis,

33 *Postea idem abbas Aldenburgensis in altera epistola ad Lisiardum ita scribit*: Omnimode probitatis floribus enitenti sanctæ Suessorum ecclesiæ episcopo Lisiardo H *(hæc est initialis littera, qua abbas Hariulfus nomen suum exprimit, et quam veteres sæpe ad nomina sua indicanda adhibebant)* sub titulo abbatis servus sancti Petri apostoli salutem et jugem in oratione Fratrum memoriam. Ut vestræ paternitas reverentiam his interpellemus affatibus, bina nos congruæ rationis causa permovit. Una quidem quia præsentis negotii notitia vos non modica fulcit, vitæ scilicet et virtutis meritorumque domini nostri, vitæ scilicet et virtutis meritorumque domini nostri, prædecessoris vestri, Arnulfi episcopi; altera vero, quia etsi vobis numquam notus fuisset, tamen quia illum Deus mirabilem cultu justitiæ fecit, quidquid de illo sanctum authenticumque potest dici vel describi, vestro debet testimonio roborari.

præfixit Actis S. Arnulfi,

34 Libellum itaque de vita et miraculis almifici viri Arnulfi, ejusdem, cui, Deo auctore præestis ecclesiæ antistitis, ad notitiam sanctæ matris Ecclesiæ proferre cupientes, huncque legitimo calle per manum domni Lamberti Noviomensis ac Tornacensis episcopi ad audientiam metropolitani perducere satagentes, ratum taxavimus eumdem prius vestro exhibere examini, scientes D profecto, quoniam quæ vobis veritatis libramine placuerint, sanctæ quoque Remensis ecclesiæ nullatenus judicio displicebunt. Horum itaque veritas vobis non ignota vestræ auctoritatis obtentu liberius pateat, et in cordibus eorum, qui hanc perceperint relationem, respectu vestræ experientiæ uberior credendi fiducia oriatur: non enim inanes nænias hæc pagella resonabit, sed opera virtutis, quæ soli Deo competunt, et quæ duce Spiritu sancto omnem fidelem animam ad virtutis exercitium valeant provocare. Munus igitur, quod vestræ discretionis examini pio ausu committimus, latius propalare fideliter procurate, ut cognitio pietatis, quæ quondam illuxit vestræ menti, ad aliorum præcordia vestro ministerio diffundatur. Valete.

et inter quas tertia

35 *Tertia denique epistola, quam Hariulfus ad archiepiscopum Rhemensem dedit, est hujus tenoris*: Venerabili et carissimo patri atque domino Radulfo, Dei gratia sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopo, omnium abbatum peripsema E Hariulfus salutem et omnium bonorum plenitudinem. Frequens videndi et audiendi usus patefecit mihi vestræ scientiæ pelagus immensum et vestræ prudentiæ cor ad omnia discretum, amorem quoque provectuum sanctæ Ecclesiæ, et in his, quæ corrigenda sunt, tenorem disciplinæ. Idcirco tot vestrarum virtutum adminiculis confortatus, præsumpsi opusculum, peritis scriptoribus merito reservandum, non typho elationis (novit Christus) sed obtentu utilitatis, ut per meæ pusillitatis obsequium qualitercumque palam fierent opera Dei, quæ sapientes et docti hactenus neglexerunt sustollere de profundo silentii. Cumque ad hæc exaranda aciem mentis dirigerem, palpitabat animus præ timore: sed cum retractarem, quod ille meus timor fraternæ foret utilitati obstaculum, reducebam cor ad altum vestræ discretionis obtutum; sciens procul dubio, facilem veniam patere temeritati, quæ accidit germanæ famulando caritati.

archiepiscopo Rhemensi inscripta

36 Donet itaque vestra paternitas veniam præsumptori, qui talia nitens vestro per omnia studuit decori. F Donet vestra auctoritas gratiam et vigorem horum propalatori, ne ob sui vilitatem subjaceat rubori. Porro de istorum veritate nullius mens vertatur in ambiguum, quoniam tam exquisita ab illis qui, interfuerunt, et ad liquidum sunt comperta, ut in omnibus sit veritatis constantia certa. Et quoniam ratum habeo ecclesiarum provectum vos ante omnia sectari, quidquid in his minus compte prolatum est, vestræ vestrorumque committo sophiæ, ut per nobile Remensis acumen eloquii fiat elimatum, quod per meam socordiam resonat impolitum. Vitæ igitur sanctitatem et virtutum opera, quæ Christus dominus novellis temporibus suo militi Arnulfo contulit, ex aliqua parte narraturus, omnium artificem bonorum mihi opto adesse Spiritum sanctum, ut ad hæc referenda benignus repleat os meum laude sua, qui, ut talia operaretur, ejusdem servi sui præcordia illustravit luce sua. Admittant hanc incultam dictionem ad sanctæ fabricam Ecclesiæ lege silvestrium lignorum, facundissimarum periti lectionum, ut in domo Domini pili caprarum locum habeant; et magnæ domus vasa diversa, prout competiit, suis officiis non fraudentur. Vitam vestram vestrumque primatum incolumem carne et spiritu conservet Deus noster

A noster in longum. Amen.

etiam sub nomine Lisiardi invenitur.

37 *Cum hæc ultima epistola, paucis mutatis, tegatur in variis MM. codicibus sub nomine Lisiardi, Surius aliique eum secuti totam illam lucubrationem Lisiardo adscripserunt. Huic opinioni aliquod pondus addere potuerunt verba Lisiardi, qui in concilio Bellovacensi infra apud nos num.* 130 *narrat sequentia :* Inter ceteros quoque adfuit ipse Aldenborgensis abbas, ferens in manu libellum de vita et moribus miraculorumque gestis ipsius sancti Arnulfi; quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, et apertum obtuli episcopis dicens : Ecce, domini, libellus iste me conscio meque AUCTORE conscriptus est *etc. Sed arbitror, hoc loco per* auctorem *intelligi* suasorem, *quemadmodum Latine dicimus : auctor tibi sum, id est suadeo tibi, ut istud facias. Hinc Aubertus Miræus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum cap.* 362, *et Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica secundæ editionis pag.* 340, *aliique recentiores bibliographi passim asserunt, hanc Vitam* S. Arnulfi *a Surio non recte Lisiardo fuisse attributam.*

Porro probabilius putamus, hanc Hariulphi lucubrationem

B 38 *Quinimo Surius ex ipsa editione sua colligere potuisset, hanc lucubrationem potius Hariulfo quam Lisiardo adscribendam esse, cum in fine Actorum addat nonnulla, quæ in apographis nostris prætermittuntur, et quæ ipse tamen in codice suo haud dubie invenit expressa his auctoris verbis :* In calce libelli mei meus cudendus est apologeticus, ut quorum relatu hæc didicerim, quibusve urgentibus hæc scribenda suscipere ausus fuerim, omnibus perspicuum fiat. Primus ex iis fuit, quem sæpe diximus, Everolphus, in ejus servitio perseverans, qui cum præsens res ejus certius cognovisset, mecum Aldemburgi manens dies aliquot, cuncta, quæ noverat, mihi in cera exaranti ordine enarravit. Alter Arnulfus sancti Viri ex sorore nepos, et primus abbas Aldeuburgensis, quæ ceris impresseram mihi adjumento fuit, ut ea atramento in chartis conscriberem. Tertia denique soror ejus Adzela, quæ illi fuit familiarior, multa de eo nobis indicavit. *Non videntur hæc Lisiardo episcopo Suessionensi convenire, ut Mabillonius solerter observat ad illam biographi monitionem, et ex qua in supradictis observationibus præviis ita argumentatur :* C Hæc sane nescio, quo pacto Lisiardo tribui possent, qui numquam Aldenburgi commoratus est. Deinde non tantum ea, quæ ab aliis visa fuissent, scripsisset Lisiardus; sed ea etiam, et id potissimum, quæ coram viderat, cum in præfatione libri de miraculis, quem edituri sumus, asserat, se a beato Arnulfo subdiaconum ordinatum fuisse, seque ipse ejusdem beati Viri cohabitatorem nuncupet; quin et in eodem libello miracula a se visa passim enarrat.

a Lisiardo adoptatam esse,

39 *Deinde Mabillonius ibidem propter verba Lisiardi, quæ nos paulo superius num* 37 *retulimus, istud opusculum Lisiardo non penitus abrogat, et ex iis sic denique concludit :* Ex quibus verbis apparet, quod sive Hariulfo, sive Lisiardo id opus tribuatur, nihil detrahitur ejus auctoritati; siquidem Hariulfi, qui tunc erat Aldenburgensis abbas, librum Lisiardus adoptavit, quo conscio et auctore conscriptus fuerat. Ceterum hanc Vitam uno libro comprehensam edidit Surius, cujus, pro more suo, stilum passim mutavit, omissis etiam nonnullis versibus, qui pro eorum temporum consuetudine, variis in locis narrationi immixti erant. Eamdem unico quoque libro in quadraginta capita diviso complectitur codex manuscriptus Ursi-Campi cum tribus epistolis, quas modo laudabamus. Sed eam ex Ms. codice monasterii Longi-Pontis Ordinis Cisterciensis in duos libros divisam proferimus cum tertio libro de ejusdem Sancti miraculis et canonizatione. Quæ omnia sub Lisiardi nomine in eo codice habentur, ita tamen ut tertio libro peculiaris epistola præfixa sit, qua suum opus idem Lisiardus Radulfo Remensium archiepiscopo nuncupat. Ex quibus omnibus licet conjicere, Lisiardum post beati Arnulfi canonizationem, Hariulfi opus cum libro suo de miraculis et canonizatione ejusdem Sancti in unum simul conjunxisse : unde contigerit, ut hæc Vita ab aliis sub Hariulfi, a ceteris vero sub Lisiardi nomine postea descripta fuerit. *Propter hæc Mabillonii ratiocinia duobus prioribus libris nomen Hariulfi præfiximus; tertium autem librum partim Lisiardo tribuimus, ita tamen ut existimemus, pleraque miracula prius ab Hariulfo conscripta et postmodum a Lisiardo recognita aut forsan aucta fuisse, quemadmodum in Annotatis ad librum tertium observabimus.*

AUCTORE G. C.

quam edimus ex apographo Thosani monasterii;

E 40 *Jam superest, ut breviter enumeremus varia Actorum exemplaria, inter quæ primum occurrit in codice nostro membraneo Ms.* P 158, *ubi in fine libri tertii unum alterumve folium deest. Alterum apographum accepimus ex Cisterciensi monasterio Ursi-Campi, illudque ibidem Ildephonsus Vragel nobis officiose transcripsit, ut in fine ejusdem apographi notatur. Papebrochius noster manu propria in hoc ecgrapho scripsit sequentia :* Eadem Vita continetur in Ms. Carthusiæ Brugensis, quod nobiscum communicavit Hugo Bollius Carthusiæ Liranæ professus anno MDCLXXII mense Septembri, ex eodemque promisit transcribere Officium, Missas, et quædam miracula carmine expressa. *Inter ea miracula primum occurrit de monacho quodam surdo, cujus initium aut fragmentum assignatur his verbis :* Hoc mirum fit ita Tornaci de cœnobita. *Frustra Officium, Missas, et hæc miracula, quæ Bollius se transcripturum promiserat, apud Carthusianos Brugenses indagari jussimus. Porro hæc Acta, quæ in monasterio Ursi-Campi exstant, plerumque conveniunt cum apographo nostro Thosano, de quo jam nonnulla monebimus.*

cujus situs et origo ostenditur.

41 *Eruditissimus D. Joannes Franciscus Foppens nuper cathedralis ecclesiæ Brugensis, nunc vero metropolitanæ Mechliniensis Canonicus, in notis ad Diplomata Belgica Miræi non ita pri-* F *dem recusa et aucta tomo* 2 *pag.* 905 *de monasterio Thosano hanc suggerit notitiam :* Intra limites parochiæ de Lisseweghen sita fuit abbatia quondam florens et opulenta, dicta Thosana, vulgo DOEST, cujus hæc fuere exordia. Erat illic sacellum iu sacris dependens ab abbate sancti Richarii Ordinis S. Benedicti ab anno MCVI Prioratus titulo insignitum. Everardus de Oisy episcopus Tornacensis, accedente emptione et donatione Gerembaldi domini de Lisseweghe hoc anno MCLXXV convertit in abbatiam Ordinis Cisterciensis, donavitque Religiosis Dunensibus. Cœnobium hoc per bella et turbas seculi decimi sexti devastatum augendæ doti episcopatus Brugensis anno MDLXI destinatum fuit, et nunc esse desiit. Refugium vero, quod Brugis possidebat, Religiosis Dunensibus ad novum a fundamentis monasterium excitandum, fuit attributum. *Habes hic originem et finem monasterii, ex quo apographum nostrum promanavit. Porro suspicamur, antiquiorem illum codicem Thosanum, ex quo Acta nostra descripta sunt, ad monachos Dunenses transisse : nam Papebrochius*

AUCTORE G. C.

pebrochius in schedis nostris notavit, similem S. Arnulfi *Vitam in Passionali Dunensis monasterii parte tertia exstare.*

et cum aliis Actorum exemplaribus conferimus.

12 *Quidquid sit de hac conjectura nostra, in codice nostro membraneo et jam dictis apographis post Acta longiora sequitur quoddam Vitæ compendium, quod in Officio ecclesiastico usitatum fuisse videtur, cum in octo lectiones dividatur. Alibi tamen his brevioribus Actis præfigitur hic titulus* : Sermo de Vita sancti Arnulfi. *Mabillonius seculo* VI *Benedictino part.* 2 *pag.* 555 *et sequente hanc ipsam Actorum synopsin sub nomine Compendii Vitæ typis vulgavit. Habemus præterea aliam Vitæ epitomen, quam Lovanii ex libro manuscripto Canonicorum Regularium sancti Martini desumpsimus. Nobis non videtur operæ pretium hæc Actorum compendia prælo subjicere, cum tantum ex primævis Actis excerpta sint, et Mabillonius jam unum eorum exemplar excudi jusserit. Quare edemus dumtaxat Acta et miracula longiora ex apographo Thosano, quod cum editione Mabillomiana contulimus, et quod variantibus alicujus momenti lectionibus, solitisque annotatis post singula capita illustrare cona-* B *bimur.*

VITA

auctore Hariulfo synchrono abbate Aldenburgensi, quam adoptavit Lisiardus episcopus Suessionensis etiam coævus.

Ex Ms. Thosano, quod cum aliis tam manuscriptis quam impressis ejusdem Sancti Actis contulimus.

LIBER PRIMUS.

C

PROLOGUS.

Auctor in prologo lucubrationem suam *a* *b* *c*

Venerabili et carissimo patri atque domino Rodulpho *a*, Dei gratia sanctæ Rhemensis ecclesiæ archiepiscopo, omnium episcoporum infimus Lisiardus *b*, salutem, et totius sanctæ obedientiæ plenitudinem *c*. Frequens ac celebris vos videndi et audiendi usus, patefecit multis, inter quos et mihi, vestræ scientiæ pondus immensum vestræque prudentiæ cor ad omnia discretum, amorem quoque provectivum * sanctæ Ecclesiæ, et in corrigendis tenorem disciplinæ. Idcirco tot vestrarum virtutum studiis confortatus, veridicorum etiam testium multiplici relatione informatus, nec non rerum magnitudine instigatus præsumpsi opusculum doctis scriptoribus merito reservandum, non typo *d* elationis, sed obtentu utilitatis, ut per meæ exiguitatis obsequium, qualitercumque palam fierent magna opera Dei, quæ sapientes ac docti hactenus neglexerunt de profundo sustollere silentii.

* al. provectuum

d

2 Cumque ad hæc exaranda aciem mentis dirigerem, palpitabat animus præ timore; sed cum vigilantius retractarem, quod ille meus timor fraternæ foret utilitatis obstaculum, reducebam ad cor vestræ discretionis intuitum, sciens procul dubio facilem veniam patere temeritati, quæ accidit germanæ famulando caritati. Donet itaque vestra paternitas veniam præsumptori, qui talia nitens vestræ per omnia studuit ecclesiæ decori : donet vestra auctoritas gratiam et vigorem horum propalatori, ne ob sui vilitatem subjaceat rubori. Porro de istorum veritate nullius mens vertatur in ambiguum, quoniam tam exquisita ab illis, qui interfuerunt, et ad liquidum sunt comperta, ut in omnibus sit veritatis constantia certa. Quidquid vero in his minus compte prolatum est, vestræ, vestrorumque committo sophiæ *, ut per nobile Remensis ingenii acumen fiat climatum, quod per meam socordiam cernitur impolitum. Vitæ igitur sanctitatem et virtutum opera, quæ Christus Dominus nostris pene temporibus suo militi Arnulfo contulit, ex parte narraturus, omnium artificem bonorum invoco Spiritum sanctum, ut ad hæc referenda, beniguus repleat ora nostra laude sua, qui, ut talia perageret, ipsius Servi sui præcordia illustravit luce sua.

D *archiepiscopo Rhemensi dedicat.*

* *id est sapientiæ*

E

TITULI VETERUM CAPITUM.

I. De loco et patria Viri Dei Arnulfi, et de præsagiis ortus sui.

II. De nomine in latere reperto, et de vaticinio peregrini.

III. De inclyta ejus juventute et armorum strenuitate.

IV. De conversione ejus ex milite in monachum.

V. De obedientia ejus, et rigore vitæ.

VI. De monacho recluso, qui post mortem ipsi Arnulfo apparuit.

VII. De silentio ejus per quadraginta duos menses, id est annorum trium et mensium sex.

VIII. De fuga, quam iniit noctu, ne abbas fieret.

IX. De lupo, qui illum noctu reduxit nescium.

X. De asino debilitato, quem recuperavit.

XI. De caduco, quem sanavit.

XII. De ægroto escas horrente, quem sui panis gustu sanavit.

XIII. De muliere decennio cæca, quæ per aquam manuum ejus illuminata est. F

XIV. De rhombo repente reperto in dedicatione cryptæ.

XV. De contempta regis Francorum expeditione.

XVI. De abbate Gyraldo sibi substituto.

XVII. De multimodo sanctæ vitæ exercitio.

XVIII. De præscita morte Israëlis sui quondam sodalis.

XIX. De pisce infecto per spiritum cognito; et de corvi obedientia.

XX. De præcognita morte sui nepotis.

XXI. De muto annorum XIII, cui loquelam dedit.

XXII. De arreptitio a legione, quem, ut vidit, purgavit.

XXIII. De suspicione adventus barbarorum; quam divinitus rejecit.

XXIV. De obtentu gloriosi quondam Comitis Simonis, quem statim agnovit.

XXV. De Guidone nobili diu infirmante.

XXVI. De uxore ipsius Guidonis in partu periclitante.

XXVII. De infante cæco nato, quem per salivam oculis donavit.

XXVIII De sorore ejusdem infantis.

XXIX. De

A xxix. De rege Francorum et regina filium a sancto Arnulpho poscentibus.

xxx. De Gerico milite, quem corpore et corde sanavit.

xxxi. De uxore ejus, nomine Judith, cui futurum filium prophetavit.

ANNOTATA.

a *Guilielmus Marlolus tomo* 2 *Metropolis Rhemensis cap.* 23 *et sequentibus gesta hujus archiepiscopi, qui ineunte seculo* XII *ad cathedram Rhemensem evectus est, fuse commemorat.*

d *Lisiardus, qui hanc Hariulfi abbatis lucubrationem adoptavit, dicitur apud Sammarthanos anno* 1108 *cathedram Suessionensem ascendisse, ac anno* 1127 *eamdem moriens reliquisse.*

c *In aliis quibusdam manuscriptis ac editis pro* et totius sanctæ obedientiæ plenitudinem *legitur* et omnium honorum plenitudinem.

d Typus *vel* typhus *apud scriptores mediæ ætatis accipitur pro superbia, ut in Glossario Cangii videre est.*

B

CAPUT I.

Prænuntiata Sancti nativitas, sedula educatio, militia, conversio a vita militari ad cœnobiticam et solitariam.

LIB. I. CAP. I. *Nobilis matrona deflens mortem filii.* a b c d e f

Per id tempus, quo regio Flandriæ Balduini *a* Comitis et conjugis ejus Adelæ regimine ornabatur, regnum Francorum moderante Heurico *b* filio Roberti regis, et Anglis regnante Eadwardo *c* pio rege, fuit vir nomine Folbertus in pago Brabantiæ *d* circa fluvium Scaldum *e*, qui non solum generis spectabili nobilitate, sed rerum copia muudanarum ditatus, inter ceteros compatriotas *f* tam meute quam corpore per omnia inclytus existebat; qui ex more uobilium digno matrimonio sociatus ex nobilissima conjuge Mensinde genuit filium elegautem, quique jam adultus et armorum gestui aptissimus ex præsenti luce est ablatus, cujus mors gravissimum patri et matri omnique domesticæ clientelæ incussit mœrorem, adeo ut annuali tempore illum deflerent, et iucessanter lugerent. C

divinitus præmonita, 4 Jamque menses aliquot iu hoc dolore defluxerunt, cum, ecce, in somnis apparuit eidem matronæ vir speciosus et luce micanti fulgidus, dicens ad eam: Quid te ipsam mœrore afficis et inutili tristitia deprimis pro filio tuo tam utiliter mortuo; quem si spiritum vitæ ex te accepisse cognosceres, profecto a te factum vel plasmatum nou immerito plangere vel lugere debueras: at quem Supernus couditor secundum incomprehensibile æquitatis judicium sustulit de hac vita, ut quomodo lugere præsumpsisti? Pro cujus obitu nullum tu deinceps cordi tuo admittas dolorem; imo potius grandi lætare gaudio, quouiam in utero gestas puerum, quem superna electio præordinavit magnum futurum. Hunc dum tu in lucem protuleris, Christophorum vocari optabis; quoniam revera idem puer ad hoc est præscriptus, ut operibus et verbo suo Christum in pectore ferat. Et ut certo seias hæc ita divinitus præfixa, vadens ad ecclesiam iu eo loco, ubi orare solita es, fodere fac, et fossa humo invenies laterem magnis litteris sculptum, quæ litteræ tibi prodent tui partus nomen meritum. *ex MSS.*

5 At matrona, tantæ laudis percepto oraculo, a somno evigilans cum ingenti stupore et mirabili gaudio visionem enarravit marito. Ac demum ut comprobaret cælestium fidem verborum, assumpsit famulos cum fossorio *g*, et pergens ad ecclesiam in eo loco, ubi supplicare solita erat, fodere fecit, lateremque quadrum invenit altis litteris exaratum ita: CHRISTOPHORUS; quo reperto, majori lætitia afflata est, et jam secura de prolis sanctitate, quoniam antea nesciebat, se concepisse, alacriter exspectabat divinæ operationis munus tam honestum. Tempore ergo opportuno peperit filium repromissum cum magna lætitia genitoris et propinquorum, quem etiam de sacro fonte suscipiendum, secundum morem direxerunt ad Arnulphum Aldenardensem, divitiis tunc et potentia inclytum virum. *II. parit hunc Sanctum,* *g*

6 Hic lætauter suscipiens puerum mox acceleravit impertiri illi sacræ regenerationis lavacrum, et ex nimio propinquitatis amore fastuque jactantiæ non permisit, ut nominaretur Christophorus; sed sibi æquivocum nominari fecit Arnulphum, cui quidem etsi defuit nomeu Christophori, virtus tamen Christum ferendi de die in diem semper excrevit: nam dum studiose satisque accurate nutriretur, die quadam supervenit quispiam peregrinus veterana canitie respersus, qui eumdem infantulum benedicens ac quasi balba locutione alludens ait ad nutricem: Hunc parvulum magna diligentia summaque munditia enutrito: quoniam Christus Dominus cor ejus habitando, virtutem operum suorum per hunc populo suo decrevit annuntiare. Tantis ac talibus auspiciis, agente * Deo, meritum illius et futura gloria propalabatur et antequam faceret opera Domini, jam qui facturus erat, divini favoris laude anticipabatur. *qui solicite educatus* E * *al.* augente

7 Denique adultus cœpit esse blandus alloquio, acutus ingenio, promptus obsequio, alacer in opere, efficax et fortissimus membrorum robore, tantaque virium excellentia ac corporis agilitate emiuebat, ut quatuor aut quinque coævorum viribus excederet, et illum omnes Arnulphum fortem nuncuparent, quem pater ac mater cupiebant tradere studio litterarum; sed ceteri propinqui resistebant plurimum, et maxime supradictus Arnulphus Aldenardensis ex paterno sanguine propinquus ejus: nam materna prosapia ex Comitum gente * derivabatur, scilicet ducis Lovaniensis, Comitis Namurcensis, Comitis Lozonensis et Duracensis atque Montensis. *III. post peractam pueritiam* F * *al.* genere

8 Hac tanta nobilitate ornatus Arnulfus Christophorus (sic enim illum mater memor divinæ sponsionis, maluit appellare) quidquid in se elegans prætulit et jucundum, totum concupivit ad Domini redigere famulatum. Optabant igitur propinqui illius magis in rebus bellicis habere tyronem, quam ecclesiasticorum graduum mancipari consortem. Inde factum est, ut secularis militiæ cingulum cum grandi exultatione carorum susciperet, spiritualia postmodum arma feliciter subiturus. Susceptis itaque juxta votum amicorum ritumque nobilium militiæ signis, studuit pietatis fœdera retinere, in subditos pius, in gratiam indigentium profusus, in judicio misericorditer rectus, in auscultandis divinis officiis summo nisu sollicitus, in amore comparum mirabiliter gratus, in Domini timore fundatus, in parentum honore studiosus, omniumque qui noverant eum, amore præcordialiter fretus *h*. *suasu consanguineorum* *h*

9 Omnia

EX MSS. IV. nomen dat militiæ :

9 Omnia denique militiæ studia percurrit, imperialibus seu regalibus bellis interfuit, in principum curiis quaquaversum veniens, facundus causidicus cuituit. Brabantinas atque Flandrenses lites, seditionesque obice suæ prudentiæ multotiens diremit atque tremore suæ incomparabilis fortitudinis compressit, dum non esset, qui illius viribus seu verbis ratione validis obviare tentaret. Ab Imperatore Romanorum, a rege Anglorum et a comitibus propiuquis amplas possessiones rerumque administrationes ac illustrissima matrimonia sibi oblata semper recusavit memor videlicet, quia non ad usum sæculi, sed ad laudem gratiæ Dei Christophorus vocari meruisset. Et quoniam tot et tanta virtutum genimina, quæ divina in eo seminavit gratia, non poterat in latum fructificare, mortali retardante militia, eleganti concepit consilio, ut labor et cura militiæ in meliorem usum verterentur, et illa stipendia poscerentur, quæ vitæ et lautis nullum finem sentirent.

sed postmodum in Suessionensi S. Medardi cœnobio

10 Itaque convocatis duobus armigeris suis, jubet quantocius omnia armorum vasa aptari, qualiter cum eximio decore, et pompa decenti curiam regis Francorum valeret adire. Parent armigeri imperanti, præparant equos, arma componunt, omnia strenue militi digna assumunt. Tunc B Arnulfus valefaciens matri (nam antea pater obierat) arripuit iter versus Franciam, et neglecta curia regis tunc Philippi *i*, festinus expetiit ecclesiam almi confessoris Medardi sitam juxta muros Suessonicæ civitatis. Erat tunc in eodem cœnobio præclara monachorum congregatio, quorum honesta refulgebat institutio, digna Deo immolans laudum sacrificia sub abbate Raynaldo *k* : hujus vero congregationis prudentes fratres tam Dei quam mundi astutia callentes, et coram Deo atque coram hominibus bona providentes (nec enim esse poterant moribus inculti qui totius Franciæ et Romanæ vel Remensis curialitatis erant frequentatione suffulti) supradictum virum devotione præcipua ad Christum festinantem, devote, ut par erat, excipiunt, atque militiæ cingulum respuentem, armaque cum vestibus cultissimis, quas attulerat, ad ecclesiam conferentem attondent, ac tonsuratum in habitu regulari crucis Christi mortificatione amiciunt. Jam vero monachum factum et vere huic mundo crucifixum, litteris C erudiunt, et legibus ac præceptis Dominicis informant, cunctisque sanctionibus exornant; quæ ille omnia in antro interioris hominis adeo recondidit, ut semina verbi Dei nec secus viam nec in petrosa nec inter spinas cecidisse sequens vita ejus prodiderit.

V. vitam monasticam amplectitur,

11 Jamque annuum cursum in regulari tramite peregerat, et ob majorem devotionis atque obedientiæ probationem injungitur ei cura eleemosynæ et alendorum pauperum sollicitudo. Dignum plane negotium, ut ei cura pauperum committeretur, qui et misericordiæ visceribus afflueret et liberalis per omnia haberetur; pro qua causa dum die quodam prædium ad agapem *l* deputatum solus inviseret, cuncti canes vici adjacentis in eum subito insiluerunt dentibus rabidis illum dilacerare cupientes: quibus manu extensa innuit, ut se sequerentur et sic rabiem in obsequium commutantes, in ejus comitatu sensu placido perrexerunt, et quamdiu ibi mansit, cum eo manserunt, ac tandem illo revertente, simul redierunt; nec aliquem in ejus præsentia morsu vel latratu prosecuti sunt. Cœpit interea valida se mortificatione carnis constringere, vigiliis et jejuniis operam dare, orationique prolixis cum lacrymis insistere, D et se in omnibus probabilem exhibere: et ut funditus sibi risum motumque lætitiæ temporalis extingueret, asperrimo et nodoso spinosoque tribuli ramo corpus suum sub veste præcinxit, membra viriliter macerans, et mentem ad cœlestia erigens; vultum tamen hilarem ac jucundum omnibus prætendens.

ubi diu silentium ex simplicitate servans

12 Quadam vero die dum in communi fratrum quiddam proloqui volens, non potuit more Francorum ad unguem exprimere verbum: idcirco dixit ei abbas, ut ad horam sileret; ne scilicet utilitas causæ differretur, si latius inde tractaretur: quod tacendi mandatum corde simplici et zelo veræ obedientiæ per aliquot menses servavit, nulli dans verbum, nulli reddens responsum, donec a fratribus est Abbati nuntiatum, quod omnino mutus esset. Et abbas eum evocans ac requirens, cur taceret, didicit diuturni causam silentii fuisse mandatum ab eo injunctum silendi; qui admirans renovatam in hoc Pauli *m* simplicitatem, et congaudens fervori ejus circa obedientiam, præcepit, ut causa ædificationis interim fratribus exhiberet obsequium collocutionis. E

VI. servivit cuidam monacho ægroto.

13 In eodem monasterio erat tunc temporis monachus quidam, nomine Gremboldus, propter divinum amorem reclusus, qui de gente Flandrensi ortus, duram et austeram vitam ducebat, divinæ contemplationi incessanter anhelans. Huic Arnulfus sollicite obsequebatur, non quia famulantium copia deesset, sed ut magis arctiora sancti fervoris argumenta ab illo hauriret. Cumque post multos continentiæ agones ad finem mortalis vitæ jam tenderet, viribus corporis cœpit destitui et valido angore urgeri. Tunc amabilem Arnulfum sibi indefesse ministrantem rogavit ut modicum lactis sibi provideret, quo imbecille corpus vel ad punctum recreare debuisset; quod Arnulfus implere festinans, tulit panem unum ex his, qui pauperibus erant deputati, quo pane comparatum lac obtulit servo Dei. Ille quidem sumpsit; sed ex eo parum profecit: nam et morbus et ætas illum graviter deprimebant, imo potius dispensario cœlestis ad requiem promerendam, divino verbere coaptabat; quæ flagellat omnem filium, quem recipit.

qui post mortem ei apparet :

14 Hunc itaque oravit Christi miles Arnulfus, ut post suam mortem statum suæ retributionis et habitum animæ suæ demonstraret. Ac ille quod F fidei calore et proficiendi amore præsumptum fideliter promisit, et cum a seculo migrasset secundum promissionem sæpe fato servo Dei Arnulfo gloriosam de se præbuit visionem, alacrem et gaudentem, beatæque requiei se conjunctum luciflua demonstrans. Cui Arnulfus ait; Pater, quid agis aut qualiter tecum fit? Vel aliquam pœnam pro quovis reatu pertulisti? At ille respondit: Causa illius lactis per te mihi ministrati, et parumper a me comesti, aliquid pœnarum sustinui, idcirco quod idem lac de substantia pauperum comparasti, sed tam hoc quam et omnia mihi sunt remissa peccata, et beatorum gaudia condonata.

VII. qua apparitione excitatus multos ad Religionem allicit.

15 Hac siquidem visione venerabilis Arnulfus admodum fervefactus, incaluit multum ad divinæ servitutis cultum, et deinceps non quievit a precibus, pulsans abbatis voluntatem, donec impetravit, quod optabat, ut scilicet eamdem subintraret secretæ conversationis reclusionem. Hoc potitus desiderio, factus est Christi bonus odor in omni loco, et ejus exemplum sequentes multi de longe et de prope, monasticam conversationem certatim expetebant. Eodem quippe tempore Theobaldus

IX MAI.

A Theobaldus * nobilis adolescens clam diffugiens a comparum consortio exsul et pauper Domino militavit, et coronam præmiorum extemplo consecutus, victoriam, quia nunc fulget, in multorum mentibus plantavit. Quis enim audiens Arnulfum militum scilicet majestatem [et] seculum respuisse, non continuo amore seculi solveretur? Quis, inquam, facile poterat non mirari hominem genere nobilem, amicis potentibus fultum, statura procerum, vultu decorum, cui mundus favebat, quem tota seculi gloria sequebatur, tam repente conversum, ut de summis divitiis ab infimam paupertatem tractus, amore Christi semetipsum dejiceret. De regione quoque Flandrensi et Brabautia multi tam clerici, quam laici, sacrum beati Medardi monasterium expetebant, ideo quod monasticus ordo in illo tunc loco florebat, et quod venerandi alumni sui Alnulfi jam reclusi dilectio quammaxime illos attrahebat.

* al. Tedbaldus

et solitariam duramque vitam agit.

16 At ipse de virtute in virtutem quotidie succedens, et quod hactenus fuerat pro nihilo ducens, cellulæ reclusionem delicias paradisi existimabat, et continuam corporis afflictionem non dolorem B aut miseriam, sed gloriam et voluptatem computabat. Unde cellam egrediens atque extrinsecus sub divo fossam faciens rescdit ibidem, ita ut stillicidium de tecto ecclesiæ super caput ejus et collum decideret: et quoties pluvia aut nives defluebant, sedem fossæ non mutavit, neque gelu neque frigus declinans, sed ad omnem aëris incommoditatem perseveranter orans et psallens, gemens et plorans, lectionique interdum vacans ibidem contistebat. Tribus igitur annis et mensibus sex, nullum mortalibus locutus est verbum, et continuo strictus silentio et delectatus in cælesti contemplatione atque assidua verbi Dei meditatione, quam solus legens et lugens ex copia divinorum librorum ubertim hauriebat: cujus instantia proficiens et auxilio gratiæ Dei præcedente, multum exuberans, non mediocriter sapiens fiebat, prudenter intelligens et efficaciter cupiens divinorum senteutias sermonum, tanto Deo propinquior, quanto ab humanis remotior; deditque operam, ut scribendi notitia frueretur; nec non dictandi peritiam non contemnendam acquisivit. De cibo et potu quid referam? Cum diuturna jejunia magis illi complacerent, C quam deliciosa fercula; panis ex hordeo semitrito raro et parce sumebatur, alter numquam. Aqua squalens erat potus, et neque quotidie apponebatur neque apposita ad satis sumebatur.

ANNOTATA.

a *Hic Balduinus Comes Flandriæ ab urbe natali cognominatur* Insulensis, *quo cognomine ab aliis Balduinis Frandriæ Comitibus distinguitur, quæ distinctio etiam ex uxore Adela hic satis colligitur. Comes autem ille ab anno* 1036 *usque ad* 1067 *Flandriam gubernavit.*

b *Henricus Galliæ rex anno Christi* 1027 *regnare cœpit, ex quo sequitur,* S. Arnulfum *post hunc annum* 1027 *natum esse.*

c *Anno* 1066 *obiit hic sanctus Angliæ rex, cujus Acta majores nostri ad diem* 5 *Januarii illustrarunt.*

d *Quomodo* S. Arnulfus *in Brabantia natus dici possit, in Commentario prævio* § 3 *explicuimus.*

e *Scaldis est notissimus Belgii fluvius, qui ex Gallia oritur, et ad quem locus natalis* S. Arnulfi *situs est, ut in Commentario prævio diximus.*

f *Auctor hoc loco barbare* compatriotas *nominat pro popularibus sive hominibus in eadem regione vel patria natis.*

g Fossorium *hic accipitur pro ligone seu instrumento, quo terra effoditur, ut ex sensu patet. Deinceps hujusmodi voces barbaras non explicabo, quando significatio earum ex adjunctis satis intelligi poterit.*

h *Hic in editione Suriana quædam interseruntur, quæ* § 3 *Commentarii prævii exhibuimus.*

i *Hic Philippus ab anno* 1060 *per quinquaginta fere annos regnum Galliæ administravit.*

k *Sammarthani in monasterio S. Medardi duos Reinoldos vel Rainaldos abbates distinguunt, quorum primo addunt numeros annorum* 1040 *et* 1044, *quibus tempus regiminis significari existimo; alteri autem adjungunt annos* 1066 *et* 1070, *quibus numeris etiam initium et finem muneris abbatialis indicari arbitror. Mabillonius vero in Annalibus Benedictinis ad annum* 1045 *num.* 79 *meminit de Rainoldo abbate S. Medardi, qui tunc isti monasterio præfuerit, et ad annum* 1063 *num.* 10 *de eodem, ni fallor, scribit sequentia:* Rainaldus quorumdam præpotentium favore fultus et auctoritate abbatiam *(videlicet Suessionensem S. Medardi, de qua ibi agit)* per fas nefasque retinuit, identidem ejectus, tum restitutus, usque ad annum circiter MLXXVI, quo fere tempore moriens locum fecit Pontio, qui illo deterior erat. *Authenticis instrumentis destituti determinare non audemus, utrum hic Rainoldus sive Rainaldus sit unus idemque, et quo tempore abbatiam S. Medardi gubernare cœperit. Quapropter certiora hujus rei documenta exspectabimus ab editoribus novæ Galliæ Christianæ, quando abbates diœcesis Suessionensis sub archiepiscopatu Rhemensi recensebunt.* E

l Agape, *præter epulas, quas primi Christiani charitatis causa invicem offerebant, apud scriptores medii ævi significat eleemosynam vel refectionem pauperum, ut in recuso Cangii Glossario ad vocem* agape *licet fusius videre. Auctor itaque hoc loco indicat, proventus hujus prædii, quod Sanctus adibat, ad refectionem pauperum destinatos fuisse.*

m *Majores nostri ad diem* 7 *Martii Acta S. Pauli Simplicis illustrarunt, ubi tomo* I *istius mensis pag.* 646 *hoc exemplum silentii ex historia Lausiaca narratur.* F

CAPUT II.

Fuga Sancti, ne fieret abbas, mira ejusdem reductio, electio, sedula muneris abbatialis administratio, et quædam miracula.

VIII. *Cum Sanctus electus esset abbas.* a

Interea fungitur abbas Rainaldus *a*, et instigante spiritu ambitionis Pontius quidam pseudomonachus gradu comparativo non secundum grammaticam, sed secundum Simoniam, a rege Francorum Philippo nomen et sedem abbatis adipiscitur: qui Pontius nimis fluxe atque dapsiliter agens, cunctam loci substantiam in brevi exhauserat, ecclesiæ quoque ornamenta, quæ præcipua erant, in usus militum se stipantium expenderat, et pene omnia, quæ ad decorem domus Dei pertinent, vesanus effuderat. Quid plura? Ingruente

ex MSS grnente inedia, defecerat divinæ laudis officium in ecclesia, et illa quondam famosa beati Medardi basilica, ad tempus facta est opprobrium vicinis suis. Tunc Fratres sanioris consilii in unum congregati tractabant, quid medelæ opus esset ad tantam perniciem. Reperiunt bonum fore, si assumpto episcopo Suessionicæ sedis cum primariis loci majestatem regiam implorent, quatenus cœnobii prisca nobilitate fundati, et per Pontium modo destructi, clementer misereatur, pretiosorum martyrum confessorumque corpora ibidem consistentia revereatur, jubeatque ut ejecto Pontio, non abbate, sed tyranno, dignus pater ovili dominico provideatur. Sicque facientes et mox regis mentem pronam ad clementiam inflectentes, communi consilio Fratrum atque
b ecclesiæ casatorum *b*, concordante clero ac populo, elegerunt in abbatem servum Christi Arnulfum.

c 18 Tunc pontifex Theobaldus *c* cum Fratrum
tempus deliberandi petit, caterva pergit ad inclusum, et præmissa oratione solenni, alloquitur illum episcopus, rogans et obsecrans, monens et imperans, ut votis Fratrum acquiescat et abbatis curam locumque in Christi nomine exerceat. At ille, qui annis jam tribus et
B mensibus sex conticuerat, nimium expavescens, tabellam corripit, et scriptitat in ea tale responsum: Rogo, Patres * carissimi, parcite mihi, et
* *al.* Fratres me peccatorum mole prægravatum, sinite aliquem offerre Deo pœnitentiæ fructum, nec me insulsum ullo modo cogatis ad tale onus suscipiendum; quod si meam modo petitionem implere non vultis, vel inducias mihi usque mane largimini, quo valeam explorare circa hoc voluntatem Domini.

et clam aufugit; 19 Tale responsum scripto suscipiens episcopus cum clero vel monachorum choro, advertit callidum quid in ejus mente versari. Datis tamen induciis, custodes, ne nocte fugeret, in circuitu cellæ disponunt. Verum ille altis gemitibus crebrisque suspiriis noctem trahens pervigilem, ubi advertit custodes grato sopore sopitos, scalam conscendens de muro abscedit, fugiendoque errans, et qua fugeret ignorans, tandem devenit in quamdam villam
d subtus montem Lauduni *d*, intransque cujuspiam hospitium pauperis quievit. Veniente hora cœnæ, defuit aqua. Ille injussus arripit amphoram, pergens
C ad puteum haurit aquam, defert in domum, omnibus servit, omnibus ministrat, mutus tamen omnino perseverat.

IX. *sed a lupo Suessionem reductus* 20 Circa vesperum redit homo ab urbe Suessionica, et dum cœnaret, cœpit enarrare, quæ vulgo referente coguoverat, dicens: Multus rumor, multaque turba agitabatur per populos ob discessum cujusdam servi Dei, quem dicunt aufugisse, ne fieret abbas sancti Medardi, et ecce diriguntur plures missi undique per regiones quærere sanctum virum per sylvas et montes, proposito edicto, ut nemo reficiatur, donec vir Dei reducendus reperiatur. Audiens hanc famam Heros reverendus, et ex toto satagens devitare quærentium manus, prima noctis hora surgit de stratu et vadit ad ecclesiam ipsius villæ, ibique foris ante januam prostratus clamat ad Dominum multo ploratu deprecans majestatem, ne onus regiminis, quo se prorsus indignum sentiebat, ullo modo sibi permitteret imponi; id vero multum diuque cum orasset, ubi credit a Domino suas preces exauditas, deliberabat fugere ad remotiora deserti, et ecce subito lupus ingens adveniens cum eo pergere cœpit. At ille credens ex lupi comitatu se melius perventurum ad devia, illum sinit præire; ipse sequi e vestigio conatus est. Hic præduce lupo, immo magis auctore Deo, per noctem rediit Suessionis et supra clivum urbi contiguum residens D
orto sole, ubi esset, agnovit. e

21 Tunc animo angustiatus et mœrore confectus *et ab agricolis detectus,*
est, statimque prospiciens eminus fossam in rupe, qua lapides quadrabantur, in ea latitaturus succedit. Advenientes autem agricolæ et lapidum cæsores ut viderunt hominem in veste humili et sine loquela, renuntiaverunt in civitatem. Quale vero gaudium et quanta celebritas mox in urbe surrexerit, impossibile credimus ab homine posse referri. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudabant nomen Domini, quod non eos privasset inventione patris optati. Exeunt monachi cum clericis et nobiles cum suburbanis, et alligatum fugitivum suum pertrahunt ad ecclesiam beati Medardi, invito imponentes locum officiumque abbatis; qui vix tandem ora resolvens, Vere, ait, nisi divinis nutibus resistere formidarem, quæ imponitis, omnino recusarem.

22 Sic igitur cœnobio prælatus sancti Ordinis *dignitatem acceptare cogitur.*
restaurator opimus studuit prava corrigere, vitia funditus extirpare, mores Fratrum dulci verbo, præeunte exemplo, assidue componere, et quidquid sacræ regulæ obviat, propemodum disperdere. E
Mirum dictu quanta temporis velocitate status totius cœnobii ad formam rediit pristinæ honestatis: ornamenta ecclesiæ revocata sunt, ordo claustralis redintegratus, quidquid utile reparatum, quidquid ab re, dissipatum. Gaudebat his in locis cuncta nobilitas, quod ille famosus regalisque locus prisci honoris cultibus non caruisset in longum. Exultabat etiam regio, quod magnus ille cæli senator martyr præcipuus Sebastianus *f* cum aliis pluribus inibi f
decubans, competentibus sibi laudum officiis non jam diutius privaretur.

23 Sed quoniam ordo narrationis ad hoc processit, X.
ut patrem monasterii illum extitisse ostendamus, *Cum munere abbatis*
dignum est, ut labores et fatigationes, quas in *fungeretur,*
regimine pertulit, memoremus, ut et in hoc optima imitandi utilitas rectoribus proponatur. Godefridus enim Floriuensis vir potens et fortis et tanto superbior, quanto potentior, nec hominem metuens nec Deum, prædium grande vocabulo Hanceniæs *g* in g
pago Sambrico *h* situm, usibus Fratrum beati Me- h
dardi multis dudum annis subtraxerat atque in suæ superbiæ commoda contraxerat, et quoniam ejus rigida potestas omnibus timori erat, nemo pontifi- F
cum in faciem convenire illum audebat, et intolerabilem ejus cernentes malitiam, nullo modo tractare eum canonice audebant; proinde ipsorum fratrum unanimitas exoravit famulum Christi Arnulfum, abbatem videlicet suum, ut causa caritatis laborem assumeret, eumdem potentem convenire, et ut res ablatas ecclesiæ redderet coërcendo commonere.

24 Assensit fraternis sensibus fervens zelo do- *possessiones*
mus Dei Vir beatus, et jussit parari itinere neces- *monasterio*
saria, inter quæ asinum, qui beatum Virum ge- *suo ereptas*
stare potuisset. Quamvis autem mundi gloriam toto conamine devitaret, utpote is, qui in Christi caritate totam mentem fundaverat, quorumdam tamen familiarium ejus mens infirma et minus curans, quæ Dei sunt, pompose illum agere et delicate ingredi affectabat, et ad exemplum multorum de Francia abbatum ambitiose illum equitare et delitiose vivere exoptabat, humilitatem, qua vir Dei utebatur, pro opprobrio sustinentes. Denique asellum, quem sibi ad sedendum delegerat, clam debilitaverunt, qualiter remoto asello spumei equi vectionem usitare inciperet, intimaruntque servo Dei, ut caballum quæri juberet,

A ret, qui illum gestare debuisset.

humilitate recuperat, 25 Audiens hoc Christi Servus et pro constantia fixæ humilitatis abhorrens equestrem vectionem, cum paucis discipulorum adiit stabulum, quo asinus languens jacebat, et imponens manum super fracturam ita cœpit loqui miti voce, mitiore affectu : Omnipotens Dominus bene scit, quo animo iter imminens aggredi volo; quoniam non jactantiæ typo, sed divini officii voto ac fraternæ utilitatis studio hanc profectionem subire appeto. Et quoniam postquam seculi militiam deposui, terga equi numquam sedere proposui, non aliqua vanitate, sed domini nostri Jesu Christi imitatione; modo si placet ei, ut abeam, placeat, ut sanetur tibia vel pes hujus aselli, qualiter humili vehiculo gestatus, servitium ejus et ecclesiæ opus exerceam lætus. Hæc dicens signum sanctæ Crucis de contra edidit, et recessit; sed asinus illico reparatus, semet concutiens surrexit et tota sospitatis alacritate famuli Dei devectionem et suscepit et perfecit. At ubi ventum est in facie supradicti inflatissimi divitis Godefridi, mirum dictu quanta benignitate illum exceperit, quam prona B humilitate eidem obtemperaverit : nam mox, ut eum allocutus est, illico detumuit fastus ejus, illico concidit illa ferox cervicositas et e vestigio restituta est ecclesiæ prisca hereditas, et qui hactenus fuerat ecclesiarum vastator, amodo factus est devotus conservator.

XI. *et prædia recepta invisens,* 26 At postquam cum eodem Godefrido aliquos dies exegit, tunc prædia recepta cum Fratribus invisere deliberavit; ubi cum esset et colonos sua præsentia multum lætificasset, venit ad eum quædam mulier nobilis, nomine Hesplcudis, rebus et moribus inter suos honorabilis, quæ viro Dei querelam pro servo deposuit, veluti ille Euangelicus centurio fecerat, dicens : Domesticus mihi fidelis procurator et servus menstruis casibus *i* male torquetur, pro quo flagito, ut oratio vestra ad Deum mittatur, qualiter miserante Deo sanari mereatur. Tunc ille buccellam panis, de quo ipse percipiebat, benedixit, et honestæ mulieri jussit dari dicens : Mox ut domum redieris, aliquid hujus panis ante omnem alium cibum manducare coge et Deo jubente passio, qua torquetur, conquiescet. Fecit illa, ut docta erat; sed malignus invasor non permisit, ut de illo pane quidquam C contingeret : panem enim illum acsi incendium taugere extimuit, donec diuturna fame compulsus de illo comedit, et statim perfectæ sanitatis libertatem accepit.

XII. *ægros sanat,* 27 In præfato prædio commanebat homo, qui præ nimia morbi acerbitate usum manducandi panem ex toto perdiderat, et miseram vitam squalenti edulio ducens, quotidie in peius * tabescebat. Hujus talia ad prædictam feminam fuerunt precata : Precor, ait mi * domina, ut cum ad hominem Dei accesseris, intimare illi studeas, quod certa mihi visione crebrius allatum est; quoniam si de pane victus ejus percipere meruero, statim usum panis manducandi recuperabo, et obsecra illius dulcedinem, ut hanc mihi impendat pietatem, mittatque optati sui panis benedictionem. Ut ergo talia reverendus Heros ex feminæ relatu audivit, mox affluenti miseratione compatiens, divinæ bonitati preces lacrymosas libavit, et in hora suæ refectionis panis sibi peculiariter appositi particulam profusius benedixit, ac prædictæ feminæ ægroto deportandam per monachum delegavit. Mox itaque, ut de ipso pane infirmus in os tulit, non solum facultas comedendi rediit, sed quædam aviditas vorandi extemplo successit, adeo ut dictim repararetur robur corporis, quod attritum videbatur essurie longi temporis.

* al. in pænis

* al. mea

XIII. *mulierem cæcam illuminat,* 28 Exinde placuit aliud invisere monasterii prædium, vocabulo Vintircdium * *k* super Mosam *l* amnem situm. Ubi dum paucis diebus commaneret, quædam ipsius accola mulier jam decennio cæca accessit ad monachos itineris ejus socios et dixit : ante complures dies meam mihi ærumnam deflenti apparuit quædam per somnium visio, certissime repromittens quod si aquam manuum suarum ablutione perfunctam ad fovendos oculos meos hic Homo Dei mihi commodare dignetur, statim illius meritis diu amissum Dominus restituet lumen oculorum. Idcirco deprecor, ut vos, dum ille manus laverit aquam mihi reservetis, qua valeam exui tenebris diuturnæ cæcitatis. Ergo post hæc prima vice, qua servus Dei manus abluit, contulerunt aquam orbatæ, quam continuo unum fuit et oculis admovisse et lumen recepisse. Vir autem Dei hoc ipsum comperiens haud æquanimiter tulit; sed mox iter accelerans sub festinatione abscessit, videlicet præcavens, ne pro tantæ signo laudis plausus illi resultaret populis. E

* al. Junetredium *k l*

XIV. *et piscem, qui in solennitate quadam dari solebat,* 29 In monasterio beati Medardi erat crypta in parte orientali, cujus anniversaria dedicationis dies solenniter annuatim agebatur, ad cujus pastum prisca loci, ut dicebant, urbanitas esum piscis rhombi requirebat. Hunc autem usum novus Abbas ignorabat, donec ipsa festivitas præ manibus extans quemdam quasi articulum Abbati ex hoc non cogitanti et aliis curis occupato incussit : hora etenim diei prima decantata, convenerunt Fratres in Capitulum, interrogant suum œconomum, si rhombus diei debitus in promptu haberetur. Negante illo et eorum verba potius admirante, cœperunt stomachari et contentiose affirmare, Missarum celebritatem a se non peragi, nisi rhombus ipsorum coquinæ inferretur. His auditis, quidam seniorum adeunt Abbatem nil tale suspicantem; pandunt sententiam Fratrum

mirabiliter impetrat, eumque postea defuturum prædicit. 30 Audiens Vir per omnia sagax Fratrum sensum tam puerilem, et parumper tacendo deliberans, ad Christum vocem cordis emisit et tandem respondit : Si istum morem pridem præscissemus, illum piscem quærere de vacanti potuissemus. At nunc quoniam derepente id novimus, valet omnipotentia Dei hoc ipsum conferre, ut Fratribus F scandalum tollamus, et sancta celebritas alacriter compleatur. Jam citius vadat minister cum pretio ad pontem Axonæ *m* et rhombum inveniens, velociter comparet, ac coquinæ Fratrum præparandum præsentet. Et conversus senioribus, dixit : Ite charissimi, nuntiate Fratribus, quia rhombus non deerit; faciant gaudentes solennia Domini. Sed et hoc intimate illis, quoniam sive vivam sive moriar, determinatum noverint, ut ab hodie per annos viginti non habeant in die ista fercula rhombi. His dictis, rhombus juxta verbum ejus ex insperato repertus, emitur, et mensis Fratrum parandus palpitans inducitur. Solennia etiam dedicationis solito alacrius celebrantur; Fratres quoque, qui huic rei interfuerunt, sub invocatione divini nominis testificati sunt, quod ex tunc per annos viginti ille talis piscis in eadem solennitate non potuit invenire. Mirandum valde, quod tam præsens ille aderat spiritus veritatis, ut quidquid ore protulisset, totum semper veritatis constantia fundaretur.

ANNOTATA

EX MSS.

ANNOTATA.

a *Si fuerint duo Rainaldi abbates S. Medardi, de qua distinctione superius dubitavi, hic certe agitur de secundo, cujus locum Pontius invasit. Hæc opinio mea confirmabitur ex ætate episcopi Suessionensis, de quo mox sermo occurret.*

b Casati, *teste Mabillonio hic in notis*, erant ecclesiæ feudatarii, seu qui ex ecclesiæ bonis beneficia acceperant. *Plura de his vide in auctiore Cangii Glossario.*

c *Iste Theobaldus ab anno* 1072 *usque ad* 1080 *Suessinonensem ecclesiam rexit, ut hic notat Mabillonius. Inde saltem patet,* S. Arnulfum *non fuisse electum abbatem S. Medardi ante annum Christi* 1072.

d *Hic indicatur urbs Galliæ, quæ a monte Clavato, in quo sita est, aliquando Laudunum Clavatum vocatur, et a Gallis vernacule* Laon *appellatur. Distat autem septem leucis ab urbe Suessionensi, ut Baudrantius testatur.*

e *Notissima urbs Galliæ, quæ olim* Suessiones,

B *vel* Suessones et Augusta Suessonum *dicebatur, nunc communiter* Suessio *et vernacule* Soissons *nuncupatur. Plura de his et similibus ejusdem urbis appellationibus vide apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag.* 536 *et sequente.*

f *Majores nostri Acta hujus S. Sebastiani ad diem* 20 *Januarii ediderunt, ubi etiam de reliquiis ipsius ad monasterium Suessionense S. Medardi translatis meminerunt.*

g Exstat etiamnum in hoc loco, qui vulgo dicitur Hensiennes præpositura in honorem S. Georgii, monasterio S. Medardi subjecta, *ut Mabillonius hoc loco in notis observat.*

h Sambricus pagus *appellatur hic locus, eo quod ad Sabim vel Sambram fluvium situs esset, de quo plura apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 493 *legi possunt.*

i *Suspicor, hic* menstruis casibus *significari morbum comitialem vel epilepticum, quo servus ille singulis mensibus torquebatur a dæmone, cum infra dicatur* malignus invasor *non permisisse, ut buccellam panis a Sancto oblatam comederet. Talis etiam erat ille lunaticus, de quo Mat-*

C *thæus cap.* 17 ✝ 14 *meminit.*

k *Pleraque Mss. hunc locum appellant* Junciredium. *Surius legit* Vincercdium. *Sed Mabillonius in notis monet, forsan legendum esse* Duncircdium, *vernacule dictum* Doncheri, *quod oppidum in diœcesi Rhemensi non procul ab urbe Sedana situm est, ubi etiam habetur præpositura ad monasterium S. Medardi pertinens.*

l Mosa *est passim notus Galliæ Belgicæ fluvius, qui ortum habet in provincia Campaniæ juxta pagum* Meuse, *a quo nomen traxit. Inde per Lotharingiam et varias Belgii ditiones fluens, in oceanum Germanicum se exonerat.*

m Axona *est fluvius Galliæ ab incolis dictus* l'Aisne, *qui post varios fluxus augetur Vidula fluvio, ac urbem Suessionensem bifariam secat.*

CAPUT III.

Post abdicatum abbatis officium vita ejus solitaria, et mirabilis rerum futurarum arcanarumque cognitio.

Sane quoniam apud mortales permanet ecce rastum nihil omni parte beatum, erat illo in tempore in eodem cœnobio quidam monachus, nomine Odo, honestatis usurpator et virtutis simulator, qui famulo Dei Arnulfo abbati nimium invidebat et se ad regimen loci digniorem et utiliorem autumabat, qui etiam incessanter revolvebat, quonam argumento servum Christi potuisset removere a suscepto regiminis officio. Is cum esset in exterioribus agens per internuntios, quos frequenti munere cæcabat, studuit intimare regi Francorum Philippo, ut cum in procinctu con- E tra hostem aliquorsum proficisceretur, abbatem sancti Medardi venire secum juberet. Annuit rex consiliis Odonis, et cum exercitum promovisset, missis legatis monuit domnum Arnulfum, ut cum armata militia in expeditione secum abiret. Arnulfus ad hæc stupuit, et regiis missis devote respondit: Certum est, me peccatorem militiæ quondam actibus sorduisse, et notum est, ob Domini timorem relicta militia consortium monachorum expetisse. Legimus dicentem Dominum : Qui perseveraverit in finem salvus erit. Et quid ego infelix, qui causa Dei militiam abjeci, rursum stipabor militibus, rursum arma exercebo ? Grande nefas. Recte ait psalmus de me et mei similibus : Dejeci eos, dum allevarentur. Nam qui me putabam assumptam ad curam abbatiæ, ecce compellor offendere in foveam apostasiæ. Maluissem certe nomen istud abbatis et locum non suscepisse, quam sub hujus dignitatis obtentu sæculo tam pessime deservire.

XV. *Cum Sanctus obedire nollet cuidam mandato regis Francorum,*

32 Hoc comperto, rex Philippus misit denuo legatos, qui dicerent, fuisse morem antiquum, ut milites abbatiæ, abbate prævio, regali expeditioni inservirent, aut faceret juxta morem antiquum aut daret locum, ut fieret regis imperium. Tunc F Arnulfus tali occasione accepta prompto animo obedivit regis imperio et secessit libens in reclusionis angulo. Non reputavit culmen tanti honoris, dummodo liceret sibi tenere vocem Salvatoris ; cupiens longe melius, longeque ferventius scipsum exercere in servitio divinæ majestatis. At monachi omnes nimium consternati tali facto, conveniunt pariter, et quasi obsident Arnulphum planctu nimio, et sic illum flagellant dolenti obsequio : O amande pater, quid voluisti facere, gregem commissum tam inconsulte deserere, oves Christi tibi creditas lupis exponere, et domum sanctam, quam sic honorifice tractabas, vastatoribus iterum tradere? Si molestum tibi erat exercitum regis subire, sedisses tranquillus in loco tuo; nos cum nostris militibus, paruissemus regis imperio. Ecce Pontius noster olim vastator, oneratus crumenis, nostri loci fiet iterum comparator, et accepta potestate instabit acrior dilapidator. Miserere, quæsumus, filiis tuis, miserere supplicibus tuis, et non abjicias nos subesse gaudentes dictis tuis. Monemus te per martyrium Sebastiani, per confessionem Medardi, per Papatum

officium abbatis deseruit,

A Papatum Gregorii, per Sanctorum copiam, quorum huic loco nosti inesse reliquias atque memoriam.

XVI. *abbatem eligendum suadet,*

33 Auditis his sermonibus, Arnulfus dissecabatur sensibus suis,, et uberrime flens respondit illis: O dulcissimi Fratres, nolite quæso adeo mihi vestri conventus vel loci desolationem imputare; sed caute cognoscite, quia vos inter habitat, et ex vobis exiit, qui totum istud malum conatur patrare. At nunc quoniam, Deo gratias, abbatia spoliatus sum, quod valde optabat anima mea: (etenim plus erat mihi oneri, quam honori) hortor unanimitatem vestram, quatinus numquam adhoc intendatis, ut denuo pertrahar præesse vobis. Si consiliis meis vultis acquiescere paratus sum bonum vobis et utile consilium ferre. Convocate vobis episcopum et omnes prælatos ecclesiarum urbis, et festinanter eligite patrem Deo acceptum et rebus nostris necessarium. Monachi responderunt: Hoc libentissime faceremus; sed oppressione avari regis nostra statim electio cassabitur. Unde melius fore probavimus, ut nostra electio in manu vestra consistat, et quemcumque a vobis electum viderimus, nos illi fideliter obediemus: quemcumque enim vos elegeritis, credimus quoniam non resistet illi vesania regis.

B

et reginæ successorem suum ejicienti a b

34 Tunc convocatis omnibus ecclesiarum prælatis, et communicato consilio, electus est in abbatem vir magnæ scientiæ et religionis præcipuæ, nomine Giraldus *a*, quo non diu substituto, derepente advolat supradictus ille Pontius, totius pietatis adversarius, ducens secum reginam Francorum nomine Bertradam *b*, quæ ex regia Giraldum expellere, et eumdem Pontium in prælationem sancti loci contra fas subinferret: quo comperto, famulus Christi Arnulfus de cella egreditur, et reginam adiens furibundam blando affatu humiliter rogavit, ut quamvis regina haberetur, memor tamen femineæ conditionis, memor etiam divinorum judiciorum, ecclesiasticis legibus obviare formidaret, et ab injuria tanti viri seipsam verecunde temperaret; quæ monita cum illa tumore regii fastus audire abnueret, ait ad illam prophetizans Servus Dei: O regina, si placet, crede Fratri Arnulfo; imo crede Spiritui sancto, quoniam si domnum abbatem Giraldum a loco isto violenter expuleris, vindice Deo, et tu ante diem mortis tuæ a dominio totius regni extruderis, et in ærumna atque despectu exsors regni morieris.

C

prænuntiat divinam ultionem, quam eventus probavit. c

35 Hæc siquidem viri Dei prophetia luce clarius manifesta facta est, dum omnibus patet, quod eadem regina post aliquot annos regis offensam irremediabiliter incurreret, ob quam a consortio totius regni rejecta in pagum Pontivum *c* cum dedecore transposita sit, ibique diuturna calamitate detenta, more plebeio defuncta sit et sepulta. Giraldus autem ab illa repulsus dedit locum iræ et secessit in partes Aquitaniæ ubi a duce terræ illius gratanter exceptus, in sylva majori illustre cœnobium construxit, ubi Deo digne deservivit, et beato fine in Domino quievit, cujus et vita et mors signis virtutum et gloria miraculorum refulsit *d*.

d XVII. *Sanctus ad vitam solitariam reversus,*

36 Arnulfus denique amica reclusione semotus, tamquam si tunc primo inciperet, quotidianis sese jejuniis instanter macerabat, vigiliis affligebat, orationi vacans assidue et toto conamine insistens contemplationi divinæ. Taliter agens et tantis virtutum studiis quotidie excrescens, magnam a Domino consecutus est gratiam, et in terra Francorum gloriosam adeptus est famam in tantum, ut tota regni nobilitas ejus uti benedictionibus congauderet, et totius dignitatis homines ejus colloquium ardenter requirerent, tam de pace ecclesiæ quam et de salute animarum consilium flagitantes: felicem se multum credebat quicumque ab ore illius vel sermonem audire poterat, ita quidquid dicebat omni audienti videbatur salubre ac gratum ac spirituali sale conditum, ut liquido pateret, illum sancti Spiritus præsentia præcordialiter afflatum; fama vero sanctitatis ejus per omnes provincias emanabat, et ad ejus colloquium personas diversæ ætatis ac dignitatis undique advocabat. Sed jam remur opportunum, ut quæ signa vel prophetiæ dona eidem Dominus contulerit, enarrare inchoëmus.

XVIII. *infelicem cujusdam absentis mortem indicat,*

37 His diebus venit ad illum maritus sororis ejus, nomine Trudbertus, quem post colloquium de salute animæ collatum requisivit, dicens: Noster olim commilito et sodalis Israël, putasne vel qualiter illum agere credis? At ille respondit: Sospes est, et in omnibus prosper agit. Cui vir prophetico Dei Spiritu plenus ait: Nequaquam ita est, ut dicis; nam Israël, quem sospitem et valentem nuntias, corpore et spiritu E mortuus est; besterna nempe die multam prædam diripuit, cum qua domum repetens in scamno juxta focum in gremio concubinæ se reclinavit, ubi circa vesperum mortem improvisam subiens, et istam et æternam vitam funditus amisit. O paveudas exsequias, o horrendos exactores, quibus infelix ejus anima tot viduarum et pupillorum imprecationibus comitata, totque doloribus cruciata ad æternum ignem est pertracta! Hæc audiens vir præfatus nimium exterritus est, et postquam domum rediit, omnia de Israël sic gesta invenit, ut vir Domini Arnulfus annuntiavit.

XIX. *piscem sibi appositum:*

38 Alio tempore accessit ad eum visendum quædam ejus soror, nomine Adsela, quæ cum ante fenestram cellulæ ejus cum quibusdam resideret, et de vita animæ, quomodo inter tot mundi procellas servari posset, disquireret, jam hora meridiana venit minister deferens piscem frixura assatum (erat enim dies celeberrimus) et intulit coram eo in fenestram: nam ut spiritum vanitatis motumque jactantiæ a se prorsus repelleret, solebat claustrales cibos Dominicis diebus et festivitatibus præcipuis parumper degustare, ob hoc, ne fratrum mensas videretur contemnere. Habebat F in hoc præceptores atque consolatores viros summa discretione præditos, Romanum Papam Gregorium VII *e*, Hugonem *f* venerabilem Cluniaci abbatem divinæ institutionis ducem atque peritum doctorem, Giraldum *g* quoque Silvæ-majoris sanctissimum abbatem quorum literis sibi frequentius missis erudiebatur, non plus sapere quam oporteret, nec sub specie virtutum mensuram a patribus probatam transcendere.

e f g

quam veneno infectum noverat, a corvo auferri jubet,

39 Pisce ergo illo coram eo illato, sic ait soror sua: Jam modo, sancte frater, hinc mihi secedendum est, quia tempus est, et cibus apponitur, ut aliquid debeas manducare. Cui homo Dei, Non, inquit, cara soror, propter hunc cibum te hinc permitto abire, quoniam piscis iste sic allatus mihi non erit sumendus: est enim veneni peste infectus, quam nobis infestus apparavit inimicus, ut ex eo mihi fieret interitus; sed gratias Deo, gratias Spiritui sancto, qui suo instinctu aperuit cordi nostro, ne venenum percipiendo gaudium faceremus inimico. Tunc emissa voce inclamavit corvum adesse, quem de more consueverat collectis micis in fenestra pascere. Adest repente corvus, cui inquit imperando Dei servus: In

XX MSS. In Jesu Christi Domini nostri nomine hunc piscem rostro tuo assume, et in tali loco projice, ubi ab homine numquam possit inveniri; quem aliquantisper dubitans, tandem rostro assumpsit, levavit, et recessit. Illo projecto, rediit et de manu nutritoris consuetum sumptum accepit. Tunc terribiliter interminatus est sorori et ceteris præsentibus, ne quamdiu ipse viveret, hoc alicui aperirent.

XX. *occulta revelat,*

40 Hæc ipsa filium habens adolescentem cuidam potenti comuiendatum, ut ab illo arma sortiretur, interrogata est ab eodem servo Dei : Ubi est filius tuus vel qualiter agit? At illa, Ad quemdam, inquit, potentem nostrum consanguineum salvum et incolumem transmisi, ut cum eo degat, donec miles efficiatur. Tunc ait homo Dei : Vanum præsagium, imo scelestum sortilegium, initio nuper actæ quadragesimæ de illo exercuisti, ut quasi mori non posset, cujus calceamentum in altum projectum ultra trabem supervolasset. Peccatum tibi mansit et filii vita recessit : nam in illo loco ægrotans tali die, talique hora diei mortuus est ac sepultus. Inde multum hortor dilectionem tuam, ut pœnitentiam agens secundum scita B Catholicæ Ecclesiæ satisfacias, ne tibi ultima dies subrepat tanto delicto compeditæ : qui enim talia agunt, Spiritui sancto omnino resistunt et sacram Christianitatem lædere comprobantur. Tunc illa ultra quam credi possit admirans et valde pavens discessit, et antequam domum rediret nuntius illam de filii morte præveuit, in eo loco, tali die, talique hora mortuum nuntians et sepultum, veluti vir Domini Arnulfus, Spiritu revelante, prædixerat. Habebat ante fores suæ cellæ spatium quoddam in modum hortuli, in quo areolas manu propria operans, otium atque inertiam fugiebat : habebat et quasdam arbusculas, quæ dum poma protulissent, quotiens ægroti jussu ejus ex eisdem degustasseut, mox a suis languoribus erigebantur. Ad infirmos etiam longius positos multoties panem vel vinum sua benedictione conditum rogatus transmisit; qui cum inde gustarent, statim melius habebant.

XXI. *muto loquelam restituit,*

41 Solenne martyrium gloriosi levitæ Laurentii annua celebritate festive, ut dignum est, agebatur, et populi multitudo campos et plateas in circuitu monasterii beati Medardi undique replecverat, cum ecce quædam mulier filium habens C XIII annorum ab ortu mutum, irrupit ad fenestram cellæ Servi Dei, et cum gravi mœrore cœpit implorare, ut sui filii Vir sanctus misereretur dicendo : Serve Dei, ne abjicias preces meas, ne asperneris; attende calamitates meas. Ecce Dominus omnipotens abstulit unicum maritum meum, dimisit mihi unicum filium, cujus ope sustentarer; et ecce mutus et surdus est, non valens audire verbum vel dare cuiquam responsum. Ad hæc servus Christi compunctus compassione et miseratione affectus piissimi, infusus lacrymis ex dulcedine caritatis, orationem intentius ad Dominum emisit et mutum ipsum signorum uutibus advocavit, quem acceptum ante fenestram signo sanctæ crucis cum divini nominis invocatione signavit, labris ejus signum almæ crucis impressit, digitis linguam ejus contrectavit et sic eum interrogavit : Quale nomen habes? Et ille statim in verba resolutus, plane et aperte ait : JOHANNES. Quo dicto, deinceps inoffense verba formans pleno locutionis munere perfunctus est.

XXII. 42 Adolescens quidam immanissima dæmonum pervasione comprehensus, vinculisque ac catenis colligatus non poterat domari; sed omnes, quos tangere potuisset, morsibus lacerabat. Postremo a D multis utcumque superatus et coartatus, cum magna vi pertractus est ad ecclesiam S. Medardi, et Viro Dei indicatum est de eo; qui condolens pessime captivo, jussit eum ad se conduci : cumque in cominus pertractus venisset, mox ut servus Dei illum videre potuit, signum crucis edidit et trahentibus illum ait : Dissolvite illum. Aiunt illi : Domine hunc dissolvere nequaquam audemus, ne forte in uos consurgat et perimat. Et Vir Dei; Jam dixi, inquit, vobis; dissolvite illum nil metuentes. Tunc nimis ægre manus applicantes cœperunt eum dissolvere, et ille dissolutus mox corruit pronus in terram et adoravit. Jam enim postquam Servum Christi viderat, et ab eo fuerat consignatus, tota vis inimica in eo consopita quieverat. Vir autem Domini jussit eum a terra surgere et ad cellæ fenestram proximare; qui prope astante, cœpit Servus Christi requirere, dicens : Dic mihi fili, inimica hæc infestatio, quæ te tenuit, quando vel qualiter tibi advenit?

et liberat energumenum,

43 At ille eventum rei enarravit dicens : Mi carissime pater, quidam fuit mihi amicus et carne propinquus, forma pulcherrimus, et corporis robore acer, cujus animos cujusdam viculi homunciones dure offenderant, in tantum, ut adu- E natus idem meus propinquus sodalium et amicorum catervis eumdem viculum assalire tentaret, ut effracto viculo et trucidatis incolis, injuriam suæ offensæ crudeliter vindicaret : sed quoniam idem viculus silva undique cingebatur et valle consurgente ambiebatur, illi quoque homines, qui inibi reperti sunt, viriliter restiterunt : supradictus propinquus meus nil votorum obtinuit; quinimo vulneratus lancea et visceribus patefactis, ibidem ilico mortuus est, quem mortuum ego miser apprehendi et utrique scapulæ meæ talos ejus imposui, sicque trahens illum per medium saltus educebam a loco interfectionis. Nox erat tunc tetra et ecce circumsteterunt me ante et retro sinistrorum spirituum innumeræ turbæ ululantes et sibilantes et interdum cachinnantes. Tunc timor et tremor horrendus me invasit, et vis adversaria medullitus me concussit, et quid facerem nescius, tandem mortuum, quem trahebam, nescio quem in locum projeci. Mox itaque sensu perdito et mente mutata talis effectus sum, ut vestra vidit beatitudo. Tunc Famulus Domini dixit ei : F Ecce, Deo gratias, sapienter confessus es. Restat, ut pœnitentia Deum places, quod tam grandi piaculo interesse voluisti. Ille ait : Pro hoc malo et pro cunctis, quibus Deum offendi, volo, sancte Pater, dignam Deo pœnitentiam offerre, et abhinc, quantum potero, ab omni malo cessare. Sic Christi Famulus, injuncto sibi pœnitentiæ modulo, sanum et incolumem, rectaque mente vigentem, in propria remisit, emundatum non solum dæmonica legione, sed humani sanguinis hauriendi ingenita crudelitate : nam si tali modo præpeditus non fuisset, omnes illos viculi accolas in ultionem amici perempti peremisset.

qui ei causam dæmoniacæ possessionis aperit.

ANNOTATA.

a *Nonnulli scriptores in dubium revocant hanc Giraldi vel Geraldi electionem, putantque illam ab amanuensibus huic Vitæ insertam esse. Sed Mabillonius in Observationibus præviis ad Acta S. Geraldi, quæ sec. 6 Benedictino part. 2 edidit, pag. 866 et 867 recte eos refellit.*

b *Mabillonius melius pro* Bertrada *legit* Bertam : *nam rex Philippus, repudiata Berta, duxit*

A *xit Bertradam, et ea lectio ex sequenti prophetia confirmatur.*

c Pagus Pontivus, *jam vernacule dictus* le Ponthieu, *est tractus Galliæ, in quo situm est* Monstrolium *vel* Monasteriolum, *munitum Picardiæ oppidum, nunc vulgo* Montreüil, *ad quod Berta post repudium passim ab historicis Gallis relegata fuisse dicitur. Bertrada autem post divortium cum rege Philippo factum in monasterio Fontis-Ebraldi religiosam vitam amplexa est. Unde iterum patet, supra* Bertam *pro* Bertrada *legendam esse.*

d *Acta hujus S. Giraldi vel Geraldi ad diem* 5 *Aprilis, tomo primo istius mensis a pag.* 409 *Majores nostri illustrarunt. Postea Mabillonius inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini sec.* 6 *part.* 2 *Vitam ejusdem sancti abbatis nonnihil diversam edidit, de qua Observationes ipsius præviæ ibidem a pag.* 866 *consuli possunt.*

e *Sanctus hic Pontifex ab anno* 1073 *cathedram Romanam ascendit, et anno* 1085 *ad superos migravit, ut diffusius refertur in Opere nostro ad diem* 25 *Maii, ubi tomo* VI *istius mensis a pag.*102 *gesta discutiuntur.*

B f *Papebrochius ad diem* 29 *Aprilis sive tomo* III *istius mensis pag.* 628 *et sequentibus Acta hujus S. Hugonis abbatis Cluniacensis examinavit.*

g *Hic est idem S.Giraldus vel Geraldus,de quo superius ad litteram* d *mentio facta est.*

CAPUT IV.

Multæ Sancti prædictiones, quas eventus probavit, et quædam personæ in morbis aliisve infortuniis per intercessionem ipsius adjutæ.

XXIII. *Cum spargeretur falsus rumor de irruptione Danorum*

Per idem tempus sæva opinio urbem Suessonicam et illius suburbana, villasque adjacentes per quosdam rumigerulos fœdaverat de hostili barbarorum adventu, dicentibus quibusdam, quod gens Danorum de terra sua emergens totam Franciam in brevi occupatura et deletura esset, et nec C senibus vel infantibus ecclesiisque ullo modo parcitura. Compellebat hoc ad credendum, quoniam similia multoties Danos patrassse referebant historiæ diversarum chronicarum. Qui rumor infaustus in tantum invaluit, ut Tetbaldus *a* episcopus Suessionensis virum Dei Arnulfum tamquam videlicet divinitatis symmystam super hoc magnopere consulens exposceret. et Domini misericordiam, an ita de proximo futurum esset, ab illo indagari auxius imploraret. At Famulus Domini mox, ut audivit rumorem, inanem prorsus, et vacuum sensit; tamen ne temerariæ levitatis notaretur, inducias petit in crastinum, quatenus per alta noctis silentia supernam Majestatem uberius precaretur, hujus rei aliquod sibi manifestum aperiri indicium. Arnulfus psalmis occupans tempora, cinere tectus, cilicio amictus, emittit preces ad Christum, fundit flumen lacrymarum super solum, sollicitat Majestatem, ut hujus secreti aperiat veritatem. Sequenti diluculo sollicitus redit episcopus ad modernam spiritualis arcam testamenti, ac cæleste reposcit super hesterno deposito oraculum : quem Famulus Christi divinitus sumpto roborans solamine. Ne paveas, inquit, præsul reverende, quoniam quam diu tu vel ego mortale gerimus corpus, gens Danorum, vel quælibet alia barbarics, regnum Franciæ non vastabit. *Ex Ms.*

Sanctus eamdem vera prædictione destruit,

45 Præsul Tetbaldus Suessorum pastor opimus
Audivit famam vulgi levitate volantem,
Quod gens Danorum devastans cuncta locorum,
Francia quos retinet proceres, extinguere vellet,
Ut sic Francorum compesceret arma virorum.
Sæpius auditum, vel sæpius hoc repetitum,
Concussit gentes, fecit pallere potentes.
Hac de re præsul populari murmure pulsus,
Consulit Arnulfum divino Pneumate fultum,
Implorans nimium, qua poscat pandere Christum,
An sit venturum, vel sit regnum ruiturum.
Arnulfus symmysta Dei petit otia nactis,
Sternitur in terram, lacrymarum flumina stillat
Orans hac de re : Deus omnipotens miserere,
Parce tuis, miserere reis, spes unica mundi.
Constans, invictus, nullius imagine fictus.
Sub quo curvantur reges cælique rotantur,
Per mortem Nati qui solvis jura baratri,
Hostibus infandis ne tradas jus pietatis,
Ne dicant vani, quod Francia servit inani;
Ne ludant misere : Deus iste nequit misereri. E
Ecce feri Dani, velut inquit vox popularis,
In tua consurgunt, qui perdere cuncta requirunt.
Protege nunc gentem, Dominum te rite legentem,
Se tibi donantem, vel præcipue famulantem.
Gentes Francorum, plenas turmis monachorum,
Gentes sanctarum cultrices ecclesiarum,
Quæ te glorificant, quæ Sanctos semper honorant.
Sis memor istorum, sis protector famulorum,
Ne videant hostes, caveant vel plebs tua mortes,
Præsta per Genitum tecum simul omnipotentem
Flamine cum sancto, per quem tibi gloria constat.
Talibus intento cælestis nuntius astat.
Fulget ut aurora redimitus veste decora
Dicens : Serve Dei da finem fletibus istis :
Nempe Deus Christus lacrimarum voce tuarum
Compulsus, statuit votum conferre rogatum.
Unde scias certo, quod gens hostilis ad istud
Non veniet regnum, quo tempore duxeris ævum :
Postque tuum finem per tempora longa manebit
Francia secura, superans hostilia jura.
Pax tibi, serve Dei, sit tecum gloria Christi.
Tunc Domini Servus vultum levat a pavimento,
Et Domino grates pro tali dat documento.
Præsul mane redit, nimis anxius, abdita quærens, F
Exquirit tremulus, quæ sit sententia cæli.
Quem servus Domini solatur famine dulci
Dicens : Ne paveas, pater et præsul venerande :
Nam donec mundi vitam linquamus uterque,
Francia regnabit, nec barbarus hanc violabit.
Me Deus hoc docuit, cæli sententia struxit;
Ipsius invictum sit regnum jam benedictum,
Præsul ad hæc gaudens, et læto pectore plaudens,
Munera libavit, quæ voverat, ac cumulavit.

XXIV. *mortem B. Simonis monachi,*

46 Fœcundabat Christus suam ecclesiam donis gratiarum, quibus accensi nobiles et inclyti perplures viri relinquebant vanam mundi prosperitatem, et seipsos mortificando acquirere contendebant divinam nobilitatem, inter quos tamquam sydus aureum gloriosus Ambianensium et Veromandensium Comes pulcherrimus Simon *b*, filius Radulfi Comitis, divino amore inflammatus abjecit Comitatus honorem vel potestatem : reliquit civitates et castella opulentissima, reliquit sponsam decoratissimam, atque Christum sequi exardescens, de tantis opibus nudus evasit, et totam Francorum deserens gentem, in qua inter millia servorum dominabatur, in partes Italiæ se contulit,

Ex Mss. contulit, ab hoc præcipue, ut copiam inveniret visendi et adorandi sacratissimam gloriosissimorum Apostolorum Petri et Pauli præsentiam; quorum dum sacras memorias divinitus inspiratus pia devotione frequentius adiret, innotuit tanti viri devotio domino Papæ Gregorio VII. Paucis denique annis Deo militans, in simplicitate et humilitate cordis et jugi contritione corporis atque in sanctarum exercitio virtutum viriliter se extendens, propitiante Deo, consummatus est in brevi, et quoniam placita erat Deo anima illius, educta est de carcere mundi, ut fulgeret inter lapides vivos in diademate cæli.

quam divinitus cognoverat, abbati prænuntiat,

47 Eadem vero hora, qua carne solutus ad beatam requiem transire meruit, vir sanctus Arnulfus in cella sua reclusus, mentis excessu sublevatus est. Atque donante Deo vidit omnia, quæ circa honorandum virum Simonem olim Comitem, modo monachum, gerebantur. Cumque post visum ad se fuisset reversus, festinavit evocare Fratres, ut indicaret eis tantæ gratiam visionis. Veniunt Fratres, quibus annuntiavit dicens: Ite fratres festinanter; nuntiate abbati ac Fratribus quia dominus Simon olim Comes Vermandensis B hodie de hac vita recessit; et jubeat abbas velociter celebrari officium pro exitu tanti viri. Stupefacti monachi hæsitare cœperunt nimium dubitantes de tali mandato: tamen vadunt ab abbatem nuntiant, quod audierant. Ille stupens plus miratur et consurgens properat ad Inclusum: requirit attentans, quid sibi mandaverat. Tunc ait homo Dei: Si quid falsum aut incertum vobis olim protulissem, justum esset, ut nobis difficilius crederetis. At nunc quoniam adhuc in me falsitatem verborum non reperistis, cur tantæ duritiæ ad credendum estis, ut rebus incertis me quasi dementari putetis? Notate diem, notate horam, et invenietis ita esse vel fuisse, ut mihi est manifestum. Tunc festinus abbas et Fratrum conventus intrant ecclesiam, pulsantur signa, cantantur psalmi et suo ordine celebratur officium defunctorum. Interea suspensæ erant mentes eorum reputantes, quod delusi deriderentur; cum ecce ante mensem dierum nuntius advolat, sub ea die et sub eadem hora domnum Simonem dicens obiisse, qua viro Dei Arnulpho de illo fuerat præostensum.

XXV. uxori cujusdam Guidonis c

C 48 Non longe ab urbe Suessorum commanebat vir nobilis militiæ actibus implicitus, nomine Guido c, habens uxorem pietatis cultricem, nomine Ermegardem. Illi ambo flore divitiarum vernabant et pietatis operibus valde abundabant. Is itaque Guido quodam tempore valida ægritudine depressus languebat, et amissa facultate dormiendi vel manducandi, a suis desperabatur, atque velut jam mortuus ab amicis plangebatur. His ferme diebus conjux ejus dolore et angustia partus jam vicini anxiabatur et duplici timore attrita hinc propriam, hinc mariti mortem formidabat. Tantis irretita tormentis unum sibi credidit remedium, si suos et mariti casus orationibus sancti Arnulfi commendasset, mittensque nuntium fidelem domesticum clericum, tam suum quam mariti periculum auribus illius lacrimabiliter allegavit.

varia futura prædici jubet,

49 Servus autem Christi, ut erat ex Dei dono valde præscius futurorum, oratione præmissa, eidem feminæ remandavit dicens: Vade, frater, et dulcissimæ sorori nostræ hæc diligenter cum festinatione reporta. Duæ sibi angustiæ graves imminent, quas, propitio Deo, bono exitu superabit; tertia vero angustia ingruit, quam ipsa ignorat, quæ ideo erit gravior, quia irrecuperabilior: nam vir quidem ejus, quamvis modo languent, postmodum convalescet et stabili incolu- D mitate donabitur. Ipsa etiam de periculo pariendi sine dubio salvabitur, et sub tempore noctis hujus, priusquam signum nocturni Officii audiatur, pariet filium, de quo gaudebit; anxietas vero tertia, de qua modo ipsa non curat, et quæ illam diutius cruciabit, ita se habet: Albricus frater ejus Coditiaci dominus per consilium suæ conjugis Aveliuæ ita proditus est, quod die crastina a suis inimicis in lectulo capietur, et comprehensus abstrahetur, abstractus ligabitur, ligatus duris tormentis agetur, et ad redemptionem suimet arctabitur: redimens autem moribundam vitam suam thesauros expendet; porro castellum nec videbit, nec recipiet; sed mittat velociter soror nostra et tam uxoris malitiam quam hostis insidias jam ingruentes denuntiet. Sic nuntius ab eo recedens celeriter remeat ad dominam, refert mandata Viri sancti; et gaudium pavore mixtum meus matronæ concipit. Mittens vero concitum nuntium ad fratrem expresse intimavit, quid uxor pertractasset, vel quid ejus inimici, ejus uxore duce, molirentur. Albricus autem credidit sorori; sed conjugi hæc neganti magis fidem accommodans E non præcavit, turrim suam et castellum vel oppidum non munivit, ideoque diluculo adhuc pausans invaditur, capitur, trahitur, ligatur, educitur, et habitatione vel dominio Coditiaci in perpetuum nudatur.

XXVI. ejusque filio a nativitate cæco

50 Eadem denique nocte uxor Guidonis soror Albrici de partu laborans antequam in ecclesia beati Medardi nocturnæ synaxis prævia nola pulsaretur, filium enixa est. Ecce autem sequenti luce dum puerum tractant diligentius, deprehendunt, illum absque oculis esse natum; loca vero oculorum carne et cute obsita erant, sicut frons vel maxilla. Quid tunc facerent obstetrices? Nimio terrore consternatæ planguut suppressius, condolent mussitantes et omnimodis elaborant, ne filii cæcitatem mater moribunda cognoscat. Sic sex dies transierunt, ut filii cæcitatem mater nesciret, donec ad id ventum est, quod puer baptizandus ad ecclesiam ferri deberet. Tunc sane major trepidatio pervasit pedissequas, et totis nisibus argumentantur, ne illa tam diu celata cæcitas in notitiam vulgi publicetur. Adeunt adhuc de recenti partu ægrotam genitricem, persuadent, ut filium prius mittat ad Arnulfum sanctum Dei, F quam feratur ad baptismum. Favit mater verbis ancillarum, dirigensque legatum ad hominem Dei, erat, ut parvulum suis manibus tangere et benedicere dignaretur. Ad quod Vir sanctus respondit: Vere necesse est, ut infantulum videamus; proinde velociter præsentetur: sicut mater ab angustia et dolore pariendi magno Dei munere servata est, ita misericors Dominus filium imperfectum ad integrum salvare dignabitur. Quibus verbis demonstratur, quia infantis infirmitas jam servo Dei innotuerat.

XXVII. visum impetrat,

51 Itaque allatum infantem Servus Christi per fenestram introtulit, in lectum cinericium reclinavit, et ipse prostratus pavimento orationi incubuit. Oratione peracta, infautulum in gremium collegit, saliva oris sui loca oculorum perunxit, et statim divino munere oculi patuerunt, novosque ocellos lux nova penetravit. Relato puero ad matrem, facta est ingens exultatio, et tunc primum agnovit mater, se cæcum peperisse, quando per Famulum Christi novos oculos didicit filium accepisse *d*.

d XXVIII.

52 Opportunum cernitur et illud expedire, quo cognoscatur, quam subtilem præscicutiæ prærogativam

A gativam vir Domini sanctus Arnulfus invenitur habuisse. Præfati nobiles genuerant dudum filiam vultu decoram, quæ per id temporis jam nubiles annos ducens, a parentibus fuerat cuidam militi rebus ac natalibus non impari desponsata. At illa, ut se habet puellaris mobilitas, quemdam alium rebus ac genere inferiorem plus diligens, refutabat delectum sibi a progenitoribus sponsum, multis juramentis affirmans, se interficiendum a se, nisi cupitis amplexibus potiretur. Hujus causæ infortunio affecti genitores puellæ, virum Dei Arnulfum consulunt, si forte ejus menti dignaretur Dominus intimare, quid in tali conflictu potius agendum susciperent. Tunc vir Domini auditis brevi relatu genitorum querelis, opportunum et salubre illis dedit responsum: Canonica est, inquit, auctoritas ne puella, cui non vult, umquam jungatur; idcirco mandatum vobis injungo, ut puellam amato a se viro condonetis, ne ad quodlibet inconvenieus puellam cogatis. Est autem Deo notum, et nobis ob meritum vestræ pietatis ostensum, ut post modicum temporis videatis filiam vestram illum sponsum anhelanter appetere, a cu-

et parentibus optatum filiæ matrimonium vaticinatur.

B jus conjugio tam gratanter se cupit removere; deferte illi modo suam voluntatem, et sic proveniet, ut redeat ad vestram honestatem. Tunc illi verbis ejus nimium creduli, nuptias optatas filiæ detulerunt, et dilecti viri conjugio illam perfrui permiserunt. Et vir ille puellæ conjugatus, quoniam miles famosus laborabat videri, dum nimium fertur in arma, ut sibi nomen acquireret, repente ab armatis perimitur atque de nova conjuge novam valde viduam citius operatur. Sic juxta Viri Dei verbum puella rediit ad illius sponsi amorem, quem parentes primitus elegerant, illique copulata, damnum prioris æquanimiter toleravit. Hoc etsi ab ordine narrationis nostræ videtur alienum, propterea debet audiri, quia in S. Arnulfo specialc quoddam prophetiæ virtutis declarat præsagium.

XXIX. *Reginæ Francorum fœcunditatem precibus obtinet,* e

53 Rex Francorum Philippus tam diu per annos aliquot nuptiali copulæ sociatus cum videret suam regiuam *e* permanere sterilem, famulum Dei S. Arnulfum frequentius exoravit tam per se, quam et per alios clarissimos viros, ut Domini clementiam impetraret, quatenus ad regni tutelam et C sanctæ Ecclesiæ defeusionem filium sibi successurum condonare dignaretur. Abhorruit primum hoc facere Servus fidelis Domini, cavens inde hominum favorem et formidans mentis laxare rigorem. Tandem ubi a Tetbaldo venerabili episcopo Suessonico et ab aliis multis religiosis viris hoc coram Deo bonum et acceptum fore didicit, secundum quod beatus Apostolus pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, obsecrandum docet, et hoc primo omnium fieri tam bonorum hominum suggestione quam Apostolica monitione pertractus oraturum se promisit. Hanc vero ejus sponsionem cognoscens regina gavisa est plurimum, et tamquam jam secura dirigit legatos idoneos ad Famulum Dei multa prece deposcens, ut sibi prænuntiare dignaretur,, quando esset jam futurum. At ille sentiens in corde reginæ fidei constantiam, remandavit illi, ut pauperum curam diligenter haberet, intimans quod eorum vox divinis auribus vim inferret, ut optatam prolem sibi Dominus commodaret. Regina paruit, et quotidiana convivia pauperibus instauravit fixa, quod oratio Servi Dei non posset cassari.

XXX. *et suum olim commilitonem,*

54 Vir Domini sanctus Arnulfus cum adhuc temporali militia esset implicitus, fuerat ei quidam miles consodalis præ ceteris carus, nomine Gericus, qui recedente Arnulpho de vita seculi, rapinis et deprædationibus attentius insudabat, nec Deum timens, nec hominem pavens. viduas et orphanos assidue opprimebat. Hanc ejus vituperabilem vitam relatione adventantium comperiens Servus Dei, sæpius exorabat Christi Domini bonitatem et omnipotentiam, quatinus illi Gerico immiteret occasionem et compunctionem pœnitentiæ, qua pessimos mores desererc et timorem æterni judicii inciperet cogitare: per fideles etiam viros et mulieres a se repatriantes monita salutis illi mandabat, quæ ille aure corporis audiens, fide et opere non servabat. Interea Gericus mundi prosperitate perfructus, duxit uxorem, nomine Judith, æqua nobilitate valentem; generat plures liberos, et annis plurimis cum tota domo sua jocunda felicitate fulcitur.

Ex Ms.

55 Postea cœperunt liberi defungi, et intra paucos annos vel unus filiorum superstes non fuit. Ipse etiam gravem ægritudinem incurrit et XLII mensibus in lectulo decubuit, quod est annis tribus cum dimidio, de vita desperans et mortis articulum præ oculis spectans. Jam nepotes ejus, de fratribus vel sororibus nati, terras ejus et quasque E possessiones sibi affectare vendicabant: jam uxorem ejus Judith absque dote facere et ab omni mariti hereditate alienare conabantur. At illa quid faceret? Nullus tutor, nullum solatium se illi offerebat. Tunc conversa ad Dominum exoravit flebiliter, ut divinum adesse dignaretur auxilium, ubi cessabat humanum; et recordata servi Dei Arnulfi, conveuit maritum moribundum questubus multis: Mi carissime, inquit, conjux, ecce tui nati mortui sunt, ecce tui nepotes mortem tuam peroptantes omnia bona tua in suum jus vendicare satagunt: ecce paraverunt sibi sermonem malignum, ut, te sepulto, me turpiter ejiciant, nec conjugem tuam me fuisse cognoscant. At quare tua integra fides non acquiescit consiliis tuæ conjugis, vitam tuam et salutem super omnia diligentis? Loquere in corde tuo et fac votum Jesu Christo Domino nostro, quod servum ejus Arnulfum, tuum quondam sodalem et amicum, lectica vectus visites et ejus consilio temet et omnia tua subjicias, et Pater misericordiarum dolores tuos et mœrores meos respiciet. At ille parumper recogitans quasi poudus dictorum apud se examinans, respondit dicens: F Sapienter tractasti: optimum consilium inveuisti, quod libenter suscipio, et ut ita citius fiat, et volo et voveo.

qui consilio uxoris suæ

56 Igitur lecticam equis gestantibus, devehitur Suessionem, et Viro Dei in suo exercitio desudanti perlatus est, qui tum gaudens adveuisse virum olim sibi fideli amicitia junctum rogavit, immo jussit illum adduci ad se. Sequenti die deductus ante fenestram audivit ab eodem Viro Dei amicabilem increpationem: Frater, ait, Gerice, tu miles optimus tuis, pessimus tibi; quamdiu provocasti Dominum Deum intendens operibus rapinarum? Crede mihi prope fuit interitus tibi; in fauces draconis paulo minus incidisti, sed Christo Domino gratias ago: lacrymas meas, ut video, non despexit, qui te immissa ægritudine præpedivit, ne usquequaque rapinis incrassatus, fieres esca inimici dentibus. Scias igitur indubitanter, quia infirmitas, quæ te detinuit, diuturnis precibus meis a Domino postulata fuit, ita ut vel invitus cessares ab oppressione viduarum et voracitate rapinarum. Adverte, quantum tibi Deus immensæ misericordiæ suæ impendit beneficium, ut cognoscas, te nequiter egisse, qui tantis malitiis inflammatus morsus leonis potuisti evadere. Sed inquires,

lectica sese ægrum ad Sanctum deferri jusserat,

Ex Mss. quires, cujus leonis. Audi beatum Petrum divina voce dicentem : Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret. Hujus leonis rictus sola Dei pietate evasisti. Jam nunc da operam, ut ab ejus voluntate penitus exuaris. Et Gericus ait : Sanctissime et amantissime Pater eo voto eaque deliberatione ad tuum consilium properavi, ut secundum tenorem Dominicæ voluntatis juxta mandatum vestræ sanctitatis vita mea deinceps componatur et nihil amplius faciam, nisi quod consilii vestri sententia dictaverit, pro mea tantum recuperatione Deo nostro preces offerte, et ego fœdere perpetuo assero et confirmo, quod ulterius non faciam, quidquid divinis legibus contrarium novero.

XXI. *prænuntiata filii nativitate.* 57 Cum autem hæc verba finirentur, uxor ejusdem Gerici, nomine Judith, in vocem prorupit lacrymabiliter dicens : Sancte serve Dei, attende quæso et casus meos, et fer opem miseræ ac destitutæ. Homo Dei respondit ei : Dum audio vocem tuam mox agnosco qualitatem et necessitatem tuam, et spondeo tibi in nomine Dei, quod adventus tuus B vel mariti tui non erit infructuosus vobis. Unde scias certo, quod dabitur tibi gaudium pro mœrore, eo quod viro tuo fideliter ministrasti in sua infirmitate : maritus enim hic tuus, quia iniquitatem rejecit, perfecte sanabitur, de quo filium suscipies nominandum Lambertum, qui jubente Deo hoc eodem die, peracto anno, nascetur. Ille patri succedet, ille tuam senectutem enutriet; nec morieris, donec filii tui Lamberti prole legitima læteris.

ab ægritudine corporis et animæ liberat. 58 Unde volo et exhortor te, dulcissime frater Gerice, ut admodum * per viam justitiæ ambules, Ecclesiam Dei et sacrum clerum honorifices, pauperibus nil auferas immo ablata restituas, et eleemosynam jugiter et abunde facias : sic enim monet sanctus Apostolus divitibus imperare. Decimas tuas numquam retineas, nec alicui eas, nisi cui Christus * jusserit, tribuas. Agros tuos excole, et de fructu nutrimentorum tuorum et de justo quæstu vivere stude; cum tuis colonis misericorditer age, quod solvere nequeunt vel partim remitte; principi tuo et comparibus tuis fidem et veritatem ex corde exhibe; de collatis beneficiis Deo omnipotenti gratias age, et divina officia celebrantibus interesse frequentius stude. Ita tibi C facienti aderit gratia Dei, et dabit pacem rebus tuis atque bono fine fungeris. Tu vero, qui huc infirmus deportatus es, equitando sanus hinc recedes. O quanta clementia supernæ bonitatis, quæ beatum famulum suum Arnulfum tot virtutum donis exornavit, ut et conversatio ejus in cælis assidue esset, et vitæ ejus meritum in terris aliis prodesset : nam juxta quod ex dictis ipsius potest intelligi, iste miles Gericus merito suæ perversitatis coram Deo mortuus esset, nisi hunc oratio Arnulfi jugiter comitata fuisset. Denique propitio Deo et sanus a Viro Dei recessit, et domi consistens mox filium procreavit, qui, ut prædictum est, condicto die ad ortum processit : qui et defuncto patri successor extitit, et matri suæ pius nutritor permansit. Ipsa vero mater Judith tam diu in corpore vixit quousque filius ejus Lambertus legitime uxoratus filios procreavit.

* al. amodo

* al. episcopus

ANNOTATA.

a Tetbaldus *idem est episcopus Suessionensis, qui supra* Theobaldus *nuncupatur, et quem ab anno* 1072 *usque ad annum* 1080 *ecclesiæ Suessionensi præfuisse diximus.*

b *Vita hujus B. Simonis, quam Mabillonius* D *inter Acta Sanctorum Benedictinorum sec.* 6 *parte* 2 *a pag.* 374 *edidit, in Opere nostro ad diem* 20 *vel* 30 *Septembris discutienda erit.*

c *Dormasius lib.* 5 *Historiæ Suessionensis cap.* 15 *putat, hunc Guidonem fuisse dominum Castilionis oppidi supra Matronam, cujus uxor Ermengardis erat Alberici Comitis Codiciacensis soror, de quibus hoc loco etiam sermo est. Est autem* Codiciacum *vel* Cociacum, *quod vernacule* Coucy *appellatur, castrum Galliæ in Insula Franciæ, situmque est fere medium inter Suessiones ad Meridiem et Faram ad Septemtrionem.*

d *Hic puer a nativitate cæcus, quem S. Arnulfus illuminavit, postea factus est ecclesiæ Suessionensis archidiaconus, de quo Lisiardus infra in prologo ad librum tertium verosimiliter meminit.*

e *Hæc regina erat Berta, ex qua Philippus rex primo Ludovicum ac deinde duos alios liberos suscepit.*

LIBER SECUNDUS.

TITULI VETERUM CAPITUM. E

I. De electione ejus in episcopum Suessionensium.
II. De injurioso fratre ob verbi injuriam a se remoto.
III. De prophetia futuri regis Lhudoici.
IV. De sacratione ejus ab Hugone Romano legato.
V. De domno Hugone Abbate Cluniacensi illum festive excipiente.
VI. De constantia domni Arnulphi et amore martyrii.
VII. De actibus ejus pontificalibus.
VIII. De monacho infirmo, quem sanavit.
IX. De ostensione suæ sepulturæ alio futuræ.
X. De rapta planea, super quam videt diabolum gestari.
XI. De pane et vino multiplicato.
XII. De cœca annorum XV, quam in Calvo-Monte sanavit.
XIII. De causa adventus, et adventu ejus in Flandriam.
XIV. De pace inter Flandrenses composita. F
XV. De arreptitio apud Thurold pervaso et ab eo curato.
XVI. De Wilhelmo Longo.
XVII. De quinque fratribus infirmis, quos insimul recuperavit.
XVIII. De Folcardo Gestelensi per sanctum Arnulfum curato.
XIX. De muliere malevola et rebelli, divina ultione extincta.
XX. De Ecclesia S. Petri apostoli sibi collata.
XXI. De antiquitate et miraculis ejusdem loci.
XXII. De muliere languida, quam apud Aldenborch sanavit.
XXIII. De sorore ejus in sanctimonia functa.
XXIV. De adventu ejus in Arningahem et largitione nobilium.
XXV. De lumine cælesti in atrio refulgente.
XXVI. De regressione ejus in Franciam, et repetitione cellæ.
XXVII. De ultimo adventu ejus in Flandriam.
XXVIII. De præscientia obitus sui, vel sepulturæ sibi denuo data.
XXIX. De ægritudine ejus ante mortem.
XXX. De trina concussione cellæ, in qua decubuit.

A xxxi. De pio et sancto transitu ejus.
xxxii. De ostensione tumuli ejus.
xxxiii. De extensione dextræ ejus post mortem.
xxxiv. De sepultura ejus cum epitaphio.

CAPUT I.

Evectio Sancti ad cathedram Suessionensem, occultarum ac futurarum rerum revelatio, consecratio episcopalis, et datum scientiæ suæ specimen.

Lib. II. Cap. I. Sanctus episcopatum Suessionensem

Interea Tetbaldum civitatis Augustæ Suessorum antistitem jussio divina sustulit ex hac vita, cujus sedem atque locum quidam generosus, nomine Gervasius, pro recompensatione palatini servitii impetravit donari suo fratri carnali nomine B Ursioni, habitu quidem monacho et ab infantia litteris erudito, sed ad episcopale officium moribus et animo nequaquam idoneo : cujus ignavia vitæ et non canonicus accessus haud longe personuit ad aures Romani pontificis, nomine Gregorii *a*, qui mox datis epistolis ad Hugonem Diensem *b* episcopum et tunc Galliarum legatum, monuit ut vita et promotio Ursionis canonice discuteretur, et quidquid in his sacris legibus obviasset, synodali judicio corrigeretur. Hinc accidit, ut Hugo præfatus in civitatem Meldis *c* super amnem Maternam *d*, Tetbaldo Comite sibi patrocinante, teneret concilium *e*, ubi secundum decretum domini Papæ concessa Ursioni se purgandi facultate, postquam legitime vocatus et canonice protractus se præsentare contempsit, judicio episcoporum noxam subiit, ac proinde condemnatus, Clero Suessionico ibidem præstolanti electionis copiam patefecit.

administrare cogitur,

60 Tunc igitur consultu consilii pars sanior cleri et casati ecclesiæ Suessionicæ elegerunt sibi in Pontificem sanctæ religionis cultorem domnum C Arnulfum, per id temporis reclusum, et ut sibi celeriter donaretur instanter acclamaverunt. Sic facta et conscripta concordi electione, Hugo legatus statim e concilio reverendas personas direxit ad cœnobium S. Medardi, mandans et monens per epistolas, etiam Romanæ Ecclesiæ auctoritate imperans, ut domnus Arnulfus cellam exiret et concitus ad concilium Meldense veniret, alioquin ut inobediens anathema subiret. Tantæ jussionis tonitrum expavescens Catholicæ Ecclesiæ revera filius Arnulphus, licet ægre, paruit mandatis Legati, venitque ad Concilium; quo residente repente relecta est petitio Cleri et nobilium populi Suessionici, domnum Arnulfum sibi in episcopum eligentis. Exhinc fit vox episcoporum, Arnulfum omni sanctitate ornatum suum collegam fieri postulantium. Sic mox tractus et infulatus, et nec ad modicum se excusare permissus in consessu pontificum statim est collocatus; cui afflicto et mœrenti Hugo legatus in virtute sanctæ obedientiæ sacro injunxit mandato, ut deinceps Ecclesiæ Christi ministrare studeret in pontificali officio. Jam ita constrictus cessit edictis, et designata consecrationis die vel loco, rediit ad monasterium sancti Medardi, ut futuro itineri necessaria præpararet : quibus copiose paratis non suo typo, sed fidelium voto, profectus est cum quatuor monachis et electis de clero, venitque Campaniam in castellum Tetbaldi Comitis, quod dicunt Virtutes *f*.

Ex Ms.

II. cognitoque divinitus contumelioso monachi absentis verbo,

61 Comes autem Tetbaldus, cognito ejus adventu, cum magno Comitum ac nobilium comitatu gaudens eum excepit, obsequensque intra tectum inducit. Jam hora autem vespertina in quodam remotiori triclinio Vir Domini secretius residebat, et præfatus Comes cum perpaucis nobilium assidebat, ac de spiritali salute quæritabat, cum subito vultu mutatus, Vocentur, inquit, ad nos illi duo fratres Everolfus et Ostermarius : habeo enim illis aliquid dicere. Nec mora; vocantur, veniunt, qui dum starent ante illum ait Ostermaro : Postquam Deo miserante secularis militiæ supercilium dereliqui, pro viribus studui, ne cui fratrum quamlibet injuriam aut contumeliam irrogassem, et quod sollicite observavi, ab omnibus, qui mihi adhærebant, sollicitius observari sategi. Novi enim pœnam divino ore decretam ei, qui scandalizaverit unum de pusillis. Cum hæc quam maxime vera sint, quomodo tu, frater Ostermare, huic confratri nostro Everolfo tam infaustam E contumeliam dicere præsumpsisti, et nec timori Dei, nec pudori nostro quippiam pepercisti? Vade et compone iter tuum, rediens ad monasterium, quia post tantæ ineptiæ profusionem tuam in via ista non patior societatem. Volo enim nostri comites itineris fieri gratos, mites, benevolos sibi invicem servientes sermone circumspectos, non rebelles, aut non subditos.

reum acriter reprehendit,

62 At ille supra modum consternatus tremula voce respondit : Domine pater ubi quæso rebellis fui, aut cui contumeliam feci? Prorsus nusquam. Respondit ei Christi Servus, Nonne aures meæ ad os tuum fuerunt, quando dixisti fratri Everolfo, te malle, ut caput ejus mergeretur in latrinam, quam tuus caballus solito ampliorem non haberet annonam? Crede nobis, tale quid dicere horruisses, si nostræ gratiæ ullam curam habuisses. Tunc Comes Tetbaldus hæc audiens et omnes, qui aderant nimium obstupuerunt quomodo rem secretam et quasi furtive prolatam tam expresse potuit cognovisse : siquidem longe a se distabat camera, qua Vir Domini residebat et caballorum stabulum, ubi in distributione annonæ hoc F fuerat dictum stultiloquium. Taudem provolvitur dicti reus ad vestigia sancti Viri provolvuntur et ceteri fratres veniam suppliciter implorantes, quibus Dei famulus ait : Indulgeat tibi Dominus; sed tamen in hac via noster deinceps non eris socius. Tunc ille plorans et nimium tristis ait : Eheu sancte homo Dei qualiter a te digrediar solus, vel qualiter tantum hujus repulsæ portabo opprobrium? Putabunt omnes, quod nefandum scelus admiserim, et idcirco a te ejectus sim. Parce, precor, meo pudori, præsta veniam, ne perpetuo subjiciar mœrori. Adhæc consurgit Comes Tetbaldus et cum eo tota præsens nobilitas, fiuntque supplices pro monacho, postulant ei aliquot causæ remedium, ne majori impellatur exitio.

III. illumque pœnitentem mittit ad reginam Galliæ,

63 Tunc Vir Dei illius dolori compassus fratrumque pro eo supplicantium, Comitis quoque et nobilium votis condescendens, tulit eum in partem et ait : Tu quidem ob nimiam stoliditatem tuam omnino regredi habebis; sed nos per gratiam Dei tam honestam tibi causam injungemus, ut ex hac digressione nullum unquam patiaris dedecus, sed mandatum, quod tibi committo, serva secretum, nec alicui dicas, nisi cui volumus fore nuntiatum. Itaque a nobis digrediens civitatem Parisius

ex mss. g
* lege Bertam

sius g veniens, et reginam Bertradam * vice nostra visitabis et annuntiabis ille optabile gaudium, quia revera id utero gestat filium, quem in sacro fonte vocabit Lhudoicum, quique post patris discessum regnum tenebit Francorum. Illa tibi vix credet, quia infans vitalem motum nondum habet: sed dic ei confidenter credat quoniam post modicum temporis sentiet, quod portat. Sic monachus valde lætificatus arripit iter versus urbem Parisiorum et reginæ pandit amabile mandatum, dicens:

ut ei prænuntiet futurum partum.

64 Rex noster Dominus, tibi nunc regina maritus,
Tu regina pari sensu cupiens generari
Sæpius Arnulfum rogitastis tuncque reclusum,
Exorare Deum vobis concedere natum
Per proceres summos per pontifices quoque magnos
Artius optastis, quod per vos non potuistis,
Ut daret Ecclesiis nitorem Conditor orbis.
Catholicæ fidei personæ consuluerunt,
Ut Dominum cæli precibus votoque fideli
Expeteret prolem regnandi forte sequacem
Vobis et regno donari jure superno
B Quod simul optastis completum nuntio vobis:
Nam Dominus cæli compulsus mente fideli
Contulit hoc vobis, ut detur gratia prolis.
Ventre geris puerum, quod debes credere verum.
Ille puer magnus, dum vivet, mitis ut agnus
Francis regnabit, super hostes non trepidabit.
Pessima delebit; Lhudovicus nomen habebit.
Nec tamen hic vivit, nec eum vivax animavit
Spiritus, at Domini dono mox influet illi:
Arnulfi præcibus sit filius iste creatus.

quam prophetiam veram fuisse,

65 Illa præ stupore pallescit regemque Philippum venatibus intendentem, missis perniciter nunciis, evocavit, qui cursim veniens et legationem tam gratam avide suscipiens, optatamque diu prolem a Domino sibi concessam comperiens, cœpit gaudere et timere, multumque metu et letitia fluctuare. Gauderet plane si ex toto certus esset, metuebat, ne talis promissio vacua remaneret. Tandem vicit in regali pectore fidei præsumptio et prudenter decrevit non esse superfluum, quod per talem Servum Dei fuisset prophetatum. Noverat certe multiformi experimento cujus sanctitatis ac veritatis existeret, per quem tale præsagium processisset.

C Post bis quinque dies infans vitalis haberi
Incipit, et matri succressit ventre gravedo.
Lætitiam tamen infantis sic duxit habendam,
Ut dolor atque metus reginam non gravet ullus.
Tempore condiguo rex nascitur hic Lhudoicus
Pacificus, qui sceptra gerens bene jura gubernat.

nativitas Ludovici probavit.

66 In hujus igitur principis præstita, immo impetrata nativitate, laudanda atque admiranda est famuli Christi Arnulfi devotionis industria qui tanti mysterii arcanum et meritorum prærogativa obtinere meruit, et profunda humilitate dissimulavit: nec enim aliquando regi vel reginæ importunior extitit, ut ab eis aliquid peculiare requireret, quibus tanti gaudii contulisset beneficium. Et cum rex vel regina anhelarent, ut ei aliquid magnificum impenderent, nihil tamen umquam ab eis expostulavit, nisi ut pauperum curæ, ecclesiarum defensioni intenderent, quatinus pax et veritas in eorum diebus prævalerent, et ecclesiarum tranquillitas imperturbata maneret. Anno vero dominicæ Incarnationis millesimo LXXXI, Indictione quarta, natus est futurus rex Lhudoicus, orationibus et meritis sancti hujus Arnulfi impetratus, qui utinam, ut bono fine potiatur, ejusdem Sancti suffragio sit adjutus h.

D

h
IV. *Consecratur episcopus Suessionis,*

67 Expleto igitur itinere, pervenit ad Hugonem Diensem, ejusque insperato adventu idem Hugo gavisus est pariter et turbatus: gavisus, quod tam laudabilem personam excepisset, turbatus, quod ad ejus consecrationem nullum episcoporum invitasset. Sed totum Deo committens, repentino nuntio lætificatur, omnisque ei anxietas tollitur. Sequenti enim die præsentant se illi tres episcopi, qui nulla necessitate de suis tunc locis exierant, sed tacito instinctu, ut legatum tunc inviserent se permotos palam asserebant. Patuit ergo omnibus divini consilii manifestum arcanum, et quod revera hunc in pontificem consecrare superno judicio esset præfixum. Omnia vero quæ ad opus consecrationis ejus utilia videbantur, sic parata et inconfusa evenerunt, tamquam si divinis nutibus aptarentur. Posito super caput ejus sacro Euangeliorum corpore, eum episcopi respicerent, invenerunt secundum Matthæum dictum Salvatoris: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Dominica i ante natalem Domini, quæ accidit XIV Kalend. Januar. consecratus est episcopus cum magna gratia omnium, et eum tota prosperitate divini favoris ad sedem Suessionicam feliciter est transmissus. E Nec latuit populos Viennenses inclyta fama ejus; quin potius congregati mutuo se hortabantur ut illum vi raperent et suæ urbi archiepiscopum inthronizarent. Tunc etenim Vienna k civitas pontificis administratione carebat; quo rumore latius pervagante, Vir Dei festinavit exire fines eorum, accelerans exercere salutem animarum sibi specialiter commissarum et vineam excolere, cui fuerat cultor et custos ordinatus.

V. *et visitat monasterium Cluniacense,*
l

68 Sane Cluniacum l monachorum agmine gloriosum dum quasi latenter permeans declinare disponeret, fama comes virtutum non permisit eum latere: nam comperiens iter ejus et causam itineris, Hugo abbas præcipuæ religionis misit velocius monachos suos in occursum ejus, mandavitque ei conjurans per caritatem sanctæ fraternitatis, ut nullatenus declinaret ab itinere sacri cœnobii Cluniacensis, sed monachis comitibus obviam sibi missis, præpararet videre fratres ejus adventu gaudentes ejusque benedictionibus avide confrui exoptantes, quam tantæ humilitatis executionem vir Domini expavit recusare, et mandatis obtemperans, direxit viam ad venerabile cœnobium Cluniacense. F Tunc collecto monachorum exercitu magnoque decore exornato obviam ei processit, et beatum Pontificem eximia cum veneratione excepit, nec tantum propter episcopatum, quantum propter prioris vitæ sibi notum et Deo gratum meritum. Nam antea idem vir sanctus Arnulfus ipsius domini abbatis Cluniacensis magisterio et regimonio jugiter utebatur.

ubi specimen doctrinæ suæ præbet.

69 Unde et fama manaverat, quod in electione ipsius ecclesia Suessionensis consilio ejusdem abbatis confortata fuisset, quem honorifice susceptum et benigne habitum sedulus explorator obsedit, non typo curiositatis, sed fervore sanctæ caritatis proponens quæstiones de Scripturis et earum solutionem ab ore illius eliciens, ut tali indagine rescire posset, utrum in promptu haberet proferre nova et vetera, ne commissa sibi ecclesia minus justo spirituali aleretur doctrina. Denique sic contigit, ut quem idiotam et agrestem existere domnus Hugo pius Abba extimuerat zelo caritatis, hunc doctrinæ fluentis exundare et eloquii facundia non mediocriter vigere lætus expertus sit. Sed prædicti Hugonis vel brevem istic memoriam videre, animus sitit, fuit nempe corpore

A pore et corde castissimus, monasticæ institutionis vitæ regularis sator et custos perfectus, probatorum monachorum, honestissimarum personarum nutritor indesinens et sanctæ Ecclesiæ auctor ac defensor fervens.

ANNOTATA.

a *Is est sanctus Gregorius VII Papa, de quo superius mentio facta est, de quo infra iterum sermo recurret.*

b *Hugo iste legatus Sedis Apostolicæ eo tempore varias synodos in Gallia celebravit, ut apud Labbeum tomo* 10 *Conciliorum col.* 397 *et sequentibus videre est.*

c *Civitas Meldensis, quæ nunc vernacule* Meaux *vocatur, est in Gallia caput provinciæ Briæ, et adjacet Matronæ fluvio, de quo mox agetur.*

d *Fluvius Galliæ, qui hoc loco* Materna *appellatur, nunc passim Latine* Matrona, *et ab indigenis vernacule* la Marne *dicitur, de quo plura vide apud Valesium in Notitia Galliarum pag.* 323.

B e *Non habemus Acta hujus concilii Meldensis, ut Longuevallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ ad annum* 1081 *sive tomo* 7 *istius Operis pag.* 580 *monet, ubi etiam in notis recte observat, hoc concilium anno Christi* 1081 *celebratum fuisse.*

f *Hoc castellum Campaniæ Rhemensis vernacule dictum* Vertus, *ab aliquibus* Virtudum, *ab aliis villa vel vicus* Virtutis *vocatur, ut Valesius in Notitia Galliarum pag.* 614 *ex veteribus instrumentis probat.*

g *Auctores medii ævi hanc vocem* Parisius *in omni casu et numero indeclinabiliter usurpant, ut alibi interdum monuimus.*

h *Hic Ludovicus, cognomento Crassus, anno Christi* 1137 *moriens regnum Galliæ filio suo reliquit. Ceterum ex hoc loquendi modo liquet, hanc Vitam scriptam esse, dum rex ille adhuc viveret.*

i *Longuevallius supra laudatus ex hac Dominica recte contra quosdam concludit,* S Arnulfum, *anno Christi* 1081 *episcopum consecratum esse.*

k *Antiqua urbs Galliæ in Delphinatu, cujus* C *cathedra archiepiscopalis post mortem præsulis Warmondi aliquot annis vacavit.*

l *Cluniacum est celeberrimum Galliæ monasterium in Ducatu Burgundiæ situm, et caput Ordinis Cluniacensis, cui tunc præerat S. Hugo abbas, de cujus sanctitate alibi egimus, et cujus virtutes iterum infra obiter ab hoc biographo laudantur.*

CAPUT V.

Constantia Sancti in adversis, administratio muneris episcopalis, mortis ac sepulturæ suæ prædictio et varia prodigia per preces ejus patrata.

VI. Occupabat Sedem Suessionicam non ecclesiæ jure, sed palatii favore episcopus Ursio, Gervasii regalis dapiferi Germanus, et idcirco rebus episcopii utebatur, quouiam regius favor ob gratiam Fratris eumdem comitabatur. Venienti ergo domno Arnulpho episcopo et Suessionis civitatem intrare disponenti, fit obvius idem Gervasius cum turma armatorum, et monuit valde, ne civitatem intraret, si tandem vivere vellet. Cui Vir Dei constanti mente respondit: Scriptum est dicente Apostolo: Quoniam perfecta caritas foras mittit timorem. Et quia mihi vivere Christus est, et mori lucrum, obedientiam Apostolico mandato mihi imposito conabor implere, ne non obediens merear improbari. Me decet audire, quæ jussit Papa subire: opilio Christi non frangitur agmine tristi, habeat me Dominus Deus meus aut martyrem, si interficior, aut confessorem, si evado. Caritas enim Christi urget nos. Ita dicens, animal, cui insidebat, calcaribus agitavit, ut civitatem velociter subiret. At Gervasius injecta manu arripuit frenum jumenti et retorquens animal cum sessore aliorsum digredi coëgit utrumque. Vir autem Domini statim cessit obsistenti memor Domini dicentis: Amice, ut quid venisti? Intendebat et illud; quia nec in hasta nec in gladio salvat Dominus. Sic in quantum licuit obedientiæ mandatum implevit, et sedem, quam non cupie- E rat, tranquilla interim mente deseruit, sed excoluit pietate, quam visus est deseruisse corpore.

Sanctus ab urbe Suessionensi violenter exclusus,

71 Verum quia non sedes episcopum, sed episcopus sedem facit, et virtus majestatis per loca non scinditur, in quodam castello ejusdem diœcesis, vocabulo Ulciaco *a*, solatio Tetbaldi Comitis mansionem ac sedis vicariam sibi statuit, ubi convenientibus ecclesiarum prælatis, et senioribus de clero, concurrentibus etiam promiscuis populorum cœtibus pœnitentiam in confessis et reparationem lapsis strenue ac fideliter procurabat.

VII. diœcesim regit ex vicino loco,

Pontificis studium colit omnis grex populorum,
Præsulis officium clerus sitit ecclesiarum;
Consecrat ecclesias, clerum docet, agmina firmat,
Prædicat, absolvit, baptizat, chrismate tangit,
Cœtibus haud stultis diffundit verba salutis:
Lapsis dat veniam, contritis corde medelam,
Se sponsum viduis patrem dedit esse pusillis,
Virginibusque tamen studit conferre juvamen.
Exhibuit carum se cunctis, sprevit amarum.
Ecclesiæ cultum coluit super omnia multum,
Pervigil exorans et mundi crimina plorans. F
Nec tulit indignum famulis se ferre benignum,
Vir pius et lætus prædulci famine fretus,
Omnibus omne gerens, sceleratis valde resistens.
Præstans vitalem non se tulit exitialem.
Sic Domino gratus patuit sic mente beatus,
Fieret ut Christo laus gloria sorde carendo.

72 Commorante autem viro Dei in eodem loco, accidit graviter infirmari monachum ac presbyterum Everolfum, ipsi antistiti per omnia devotum, quem pro utilitate sui diligebat plurimum, jamque idem præ acerbitate fervidi languoris credebat se moriturum, ac idcirco postulavit episcopum, ut sacro cum oleo perungeret suumque exitum suffragiis præmuniret. Cui episcopus lumine prophetiæ illustratus ait: Intempestiva sunt, quæ flagitas; quibus ideo non annuo, quia divinæ dispositioni contraria scio: nam non ego te ungere aut sepelire habeo; sed tu me alio tempore alioque in loco obeuntem ungendo et sepeliendo sacris officiis prosequeris. Et ille ait: Ad vestri transitus obsequium quomodo ego tantillus possum accedere, dum episcopi vel abbates debeant illud celebrare. Ad quem præsul: Scias certissime quod ad meæ unctionis vel tumulationis exequias nullus episcoporum aut abbatum conveniet, sed per

VIII. ubi monachum ægrum mirabiliter sanat.

EX MSS per tuæ dilectionis servitium omnia circa me complebuntur. Sed jam modo surge, ad ecclesiam vade, et Missam faciens Salvatori nostro Deo gratias age. At ille dixit: Domine pater viginti et uno diebus non manducavi, et quomodo impenas, ut surgam vel ad ecclesiam pergam, cum corporis vires nullas habeam. Tunc Pontifex alludens tenuit manum ejus et dixit: Ecce dico tibi in nomine Christi velociter surge, et quæ tibi imperavi hilariter comple. At ille surrexit et seipso fortior ad ecclesiam ivit, orationem fecit, Missam celebravit. Reverso ab ecclesia ipsemet Vir Dei cibos apposuit, poculum ministravit, et sic sanissimum factum eodem die in comitatu sui itineris illum socium habuit.

IX. *eique mortis et sepulturæ suæ locum prædicit,*

73 Idem Vir sanctus aliquando ab eodem fratre requisitus, quando et quomodo vel ubi futurus esset transitus ejus, respondit: Non multum tempus successerat, postquam divinæ voluntatis consilio episcopus licet indignus ordinatus sum, cum sentirem monachos sancti Medardi et Clericos ecclesiæ sanctæ Gervasii *b* invicem altercari vel pro exuviis futuris corporis mei; totis visceribus imploravi Regem, cui omnia vivunt, ut dignaretur aperire mihi, quando et ubi præfixus esset mihi transitus de corpore mortali sive locus deputatus meæ tumulationi. Et quadam nocte his precibus incumbenti astitit visio beati Petri apostoli talibus verbis me instruens atque confortans: In regione Flandriæ est locus Domino nostro Jesu Christo sub titulo nominis mei consecratus, ubi multa signa Christo volente facta sunt, ad cujus honorem vel provectum renovandum impetravi a Domino, ut in eodem loco debeas sepeliri; qualiter, te Christo glorificante, idem locus splendore meritorum tuorum illustretur, et ad lucem sanctæ religionis, te inchoante, reducatur. Cui ego: Domine, cum ille locus ex toto mihi sit ignotus et a diœcesi mihi commissa alienus, qua ratione potero illuc venire sepeliendus. Ille respondit: Tu audisti quamsæpius, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum; proinde de hoc non solliciteris, quia mox ut erit tempus, paratum est Domini opus. Romanus Pontifex tibi mandatum injunget, per quod adventus tui in Flandriam causa fiet. Pax Christi tecum, pax nostra simul eomitetur in ævum. His talibus monitis confortatus credo, quod non erit vacuum, quod dignatus est spondere primus Apostolorum. Sed tu carissime, diligenter custodi, ne talia cuiquam, quamdiu spiro audeas confiteri.

X. *occultum furtum cognoscit,*

74 Populorum frequentia undique ad eum properante, quorum morbis expiandis attentius insudabat, quadam die in exedra stans et per fenestram foras prospiciens vidit in platea jacentem hominem anhelum gradientem et super collum plancam bajulantem, moxque dixit circumstantibus clero et militibus: Planca illa, quæ eminus bajulatur, rapina est. Circumstantes responderunt: Et unde hoc cognoscere, o domine, potuisti? Respondit eis Dei Servus: Certissimum habeo, rapinam esse, quoniam hac eadem hora auctor rapinæ diabolus collum illius hominis insidendo premit. Aiunt ei: Et possumus requirere, an ita sit? Dicit Sanctus: facite, ut vultis. Mox de illis unus pro omnibus in agilem cursum se celeriter dedit, et gerulum plancæ sic affatur: Heus tu, o homo, planca ista, quam sic anhelus bajulas, unde rogo tibi pervenit? Respondit ille: Apud Nantolium villam in quodam assultu interfui, et hanc ibi plancam rapiens acquisivi. His percunctator auditis, ad eos, qui se miserant, celer rediit, et Viri Dei testimonium ex toto fuisse veridicum stupentibus nuntiavit. In hoc autem quædam similitudo est de beati virtute Martini, qui quondam ad Avitianum superbum Comitem veniens, diabolum super collum ejus incubantem aspexit.

XI. *panem ac vinum multiplicat,*

75 Quodam tempore, dum cujusdam vici plebitaneam ecclesiam esset dedicaturus, clientibus suis et viæ sociis futuris dixit: Tali rogo semita ad illam nos ecclesiam conducite, qualiter confluens populus nesciat, qua nos illo via debeamus pervenire; et aliquid alimentorum vobiscum comportate, ut post itineris laborem vel ad modicum valeamus corpora recreare. Itaque semita remotior ac devia arripitur, nec tamen fervor populi siticutis hoc argumento sedatur, sed sub omni celeritate grandis multitudo ante illum et post adunatur. Quod cernens Dei Servus in laudem Conditoris erupit, et famulantibus sibi dixit: Quidquid alimentorum hic habetis, proferte, ut post labores viæ vires corporum valeamus reparare. Nec mora proferuntur claustrales panes quinque; vini quoque funduntur quinque vascula juxta morem claustralis justitiæ, et expansis in herba tapetibus, Vir Domini resedit, proflua turba illum gregatim ambiente. Tunc benedicens panes paucos quidem numero, sed multos numeri mysterio, jussit omnibus, qui undique considebant, ex eodem pane distribui, vinum quoque illis ad satis propinari. Res itaque tunc gesta in hoc visa est digna magno miraculo; quoniam ille panis, illudque vinum tam abunde cunctis suffecit, ut dicerent, se bene refectos et copiose satiatos. Etiam quidam illorum de illo pane spe credula quasdam particulas reportarunt, quæ languentibus postea appositæ gustu sui salubre remedium præbuerunt. Manducantium vero et gaudentium caterva præter Præsulis comitatum septiugentorum numerum superavit.

XII. *et mulierem diu cæcam illuminat.*

76 Rogerus *c* Comes Porcensis in castello, quod vocatur Calvus Mons *d* Remensis provinciæ, ecclesiam construxit, ad cujus dedicationem faciendam magnis precibus invitavit sanctum Arnulfum Suessionensem episcopum. Ventum est usque ad id, ut, basilica consecrata, altare consecraretur. Et tunc residente Episcopo et paululum respirante, accessit Comitissa ducens in manu sua mulierem quindecim annis cæcam et genu flexo ante illum ait: Pie domine, miserere huic misellæ, et tua sancta oratione tuæque manus impositione lumen illi oculorum suorum clementer restitue. Illo autem negante, et se indignum magis clamante, cæca mulier dixit: Episcope Dei, ne differas, quoniam cælitus mihi est promissum, quod tactu manus tuæ lumen recipiam oculorum. Et ille statim lacrymis suffusus oravit, dexteram cum signo crucis oculis mulieris apposuit, et continuo lumen clarum mulier ipsa recepit. Hujus miraculi inspectores fuerunt Angelrannus *e* vir facundus, beati viri tunc archidiaconus et postea Laudunensis episcopus, Rodulfus *f* Viridis postea Remorum archiepiscopus, ad quem scilicet hujus operis præfatio dirigitur, abbates convocati et propositi ecclesiarum plures, ipse Comes Rogerus et Comitissa ejus, clerus multus et populus infinitus, quorum voce laus Dei nostri celebrata est celsa voce pro honore rei gestæ cunctis vociferantibus TE DEUM LAUDAMUS.

ANNOTATA.

a *Suspicor, hic castro,* Ulciaco *indicari locum eumdem urbi Suessionensi vicinum, qui ab Hadriano Valesio in Notitia Galliarum pag.* 615 Ulceium

A Ulceium *vel* Ulcheium *vocatur, et ab incolis vernacule* Oulchi *vel* Onchi le chatel *dicitur.*

b *Hæc est ecclesia cathedralis Suessionensis, quæ sub titulo sanctorum Gervasii et Protasii Deo dicata est, ut Mabillonius in notis testatur.*

c *Sulpicius Dialogo 3 de hoc Avitiano Comite meminit, ut in Actis S. Martini Turonensis postea dicetur.*

d *Calvus-mons, vulgo* Chaumont, *est oppidum diœcesis Rhemensis, non procul a castro Porcensi, quod vernacule* Chateau-Porcien *appellatur. Ecclesiam autem, de qua hic sermo est, titulo abbatiæ illustratam nunc possident Præmonstratenses, ut Mabillonius ex Martoto notat.*

e *Hic apud Sammarthanos vocatur* Ingelrannus, *qui post annum* 1098 *Helinando episcopo Laudunensi successit.*

f *De hoc Rodulfo, vel Radulfo, qui cognominatur* Viridis, *in annotatis ad prologum breviter aliquid diximus.*

CAPUT III.

B *Turbæ et inimicitiæ per Sanctum compositæ in Flandria, ubi prædicationem suam diversis miraculis confirmat.*

XIII. *Orto dissidio inter Comitem Flandriæ et subditos.*

Qualiter sane regionem Flandrensium petierit et quæ causa cum ad illas partes retraxerit, competens descriptionis ordo jam narrandum exposcit. Rodbertus *a* igitur, tunc Comes Flandrensium, infestus fuerat quibusdam nobilibus ac ditioribus gentis suæ, qui hoc consilium tractaverunt, ut Rodberto feroce Comite dejecto, mitiorem, ut putabant, principem sibi providerent, Balduinum scilicet Comitem montis Castrorum *b*. Tale consilium illorum postquam Comiti Rodberto innotuit, omni molimine suos proditores intercepit, aliquantos perimens, aliquantos proscribens, quosdam etiam honoribus et rebus nudatos extra patriam exulare compulit, inter quos Arnulfus Morinorum archidiaconus et ecclesiæ C beati Audomari præpositus de omni sua rerum vel officii facultate depulsus, multis diebus profugus intolerabilem calumniam est perpessus : qui sero ad cor rediens Romanum Papam, nomine Gregorium, expetiit, et quanta calumnia gradus sui honorem et rerum suarum facultatem amisisset, lacrymabiliter proclamavit. Tantæ ejus et sibi similium calamitati compatiens domnus Papa decrevit suis epistolis animos Comitis Rodberti turbidos et feroces ad lenitatem provocare, ut suspectis suis aut plene indulgeret, aut certe facultatem se purgandi concederet. Sed quia nemo potuit inveniri, qui Apostolici litteras in præsentiam Comitis tam offensi deferre præsumeret, res in longum dilata est.

Sanctus a Gregorio VII Papa in Flandriam mittitur.

78 Tandem memoriam subiit constantia sanctitatis et fervor caritatis hujus sancti viri Arnulfi Suessionici episcopi; idque in palatio domini Papæ celebre innotuit, hunc esse procul dubio, qui Apostolici mandata Comiti Rodberto præsentare incunctanter prævaleret. Tali tandem consilio animatus dominus Papa Gregorius scriptas et bullatas epistolas dirigit reverentissimo pontifici Arnulpho mandans et imperans, ut litteras interventrices et personas, de quibus agebatur, ad præsentiam Comitis Rodberti in suo conductu offerret, illisque veniam vel copiam se purgandi ad honorem Apostolicæ Sedis impartiret. Hac igitur causa bifariæ justitiæ, id est obedientiæ principalis et fraternæ correctionis, alligatus Vir pietate fortis, non immemor Apostolicæ sibi præostensæ sponsionis, cum quibusdam illorum venit ad oppidum Insulam *c* nuncupatum, ubi reporto Comite Rodberto, sacra Apostolici præsentavit. Quæ dum legerentur interim accusati clam se submittentes tenuerunt pedes ejus. O furor, o rabies, o motio fellis amara, quæ tunc fronte oculis et toto vultu Comitis ferbuerunt, quando sensit, exosos suos tetigisse pedes suos. Sed quid illa ferocitas ante Virum justum faceret. Affuit ille, qui respicit terram et facit eam tremere, et tam obtentu sanctitatis ejus, quam pro reverentia Sedis Apostolicæ, salus et vita, rerumque facultas indultæ sunt. Ecce quam vera et quam miranda sunt consilia Dei. Quis ex hoc cogitare potuit, ut nequitia proditorum verteretur in occasionem salvandorum populorum? Quis scire vel excogitare potuit, ut grandis furor irati Comitis rediret ad magnum honorem famosi præsulis? Sed interim sileat omnis caro, ut E appareat, quid Dominus Jesus decreverit operari in servo suo.

XIV. *ut cruenta Flandrorum odia exstinguat :*

79 Quia nempe illo in tempore per quædam immo per cuncta Flandriæ loca quotidiana homicidia et insatiabiles humani sanguinis effusiones pacem et quietem totius regionis turbaverant, ob hoc magnis precibus maxima nobilium multitudo impetravit, ut loca, in quibus maxime atrox crudelitas sæviebat, Præsul Domini visitaret, et mentes Flandrigenarum indociles ac cruentas de pace ac concordiæ bono aliquatenus commoneret : qui in spiritu sentiens hoc acceptum coram Deo et, ut præscriptum est, sciens de divina jussione et beati Petri apostoli interventione huc oportere venire, tanto citius acquievit eorum precibus, quanto certius adspiciebat, hæc omnia actitari divinitus. Nobilium itaque ac magnatorum stipatus caterva venit ad Brugense oppidum et in Flandriam interiorem ad Aldenburgensem vicum, quibus in locis tanta rabies occidendi tantusque inerat furor ulciscendi; ut humano sanguine assiduo cruentari jocundum haberent, et vel una die a cædibus cessare ignavum atque improbum æstimarent. Vix pater filio, vix filius parcebat patri, frater ger- F manum, nepos avunculum vel patruum, quin et patruus nepotem pro modica causa neci tradebat. Horum autem diabolicam rabiem et tam Brugensium quam Furneusium et Aldenburgensium insanam perniciem vir Domini Arnulphus verbo dulcifluæ prædicationis et exemplo eximiæ sanctitatis mirabili modo mansuefecit, et corda crudelium ad concordiæ tenorem licet valde laboriose complacavit. Nam instante illo et opportune atque importune prædicante, et crebrius se illorum vestigiis prosternente, tandem omnis inimicitia sopita est, et de infestissimis inimicis in tenaces amicos arctius sunt confœderati.

XV. *sed hoc munus diligenter exsequenti d*

80 Hac in re enixius laborans venit in villam, quæ appellatur Thurold *d* : nam et ibi hostis antiquus ignem litium flammasque rixarum spiraverat. Cumque proximos effusi sanguinis alloqueretur, ut pacis fœdera inirent, et diabolica incendia sopirent, erat ibi quidam, nomine Heradius, Heradii presbyteri filius, qui maluit surda aure monita pacis spernere, quam seipsum vel proximos ad pacis studium informare. Atrium itaque ecclesiæ, in quo stabat Episcopus, visus est exire, ut absens monita justitiæ protinus posset decli-

nare.

ex MSS. clinare, dictumque fuit episcopo : Ecce unus recedit, in quo quam maxime causa constitit. Statim Episcopus e vestigia prosecutus usque ad Comitis stationem illum subsequendo pervenit, et ante pedes ejus solo tenus prostratus, humiliter exorabat, ut ad concordiam pacis redire debuisset.

nonnulli pertinaces resistunt, 81 Ille vero typo juvenilis arrogantiæ inflatus subsistere noluit; sed veritus, ne ab aliis teneretur, in fugæ cursum perniciter se laxavit; fugienti vero malignus spiritus insiluit, et in amentiam versus, seipsum dentibus et ungulis dilacere coëgit : quo comperto, amici vel affines venerunt et ligaveruut amentem et dæmonio plenum, et pertraxerunt stridentem et motibus repugnantem in domum patris sui. Deinde adeunt sanctum Episcopum obsecrantes plurimum, ut superbo et fatuo ingnosceret, nec injuriæ irrogatæ memor esset; quibus Domini servus dixit : Injuriam pro veritate illatam amplector; sed de cordis illius stoliditate plus afficior. Unde si vultis, ut pro illius liberatione Dominum exorem, facite nobis certitudinem, ut vos omnes (velit ipse aut nolit) teneatis firmam pacem, et si litigium aut seditiouem commoverit, nemo ex vobis ferat illi solamen.

B Una omnes voce dixerunt : Anathema sit inter nos, quicumque auxilium illi dederit, nisi ad custodiendos sermones vestros. Ita Episcopus quasi promissis delinitus aquam benedictam cum exorcismi permixtione confecit, de qua juvenis aspersus, statim diaboli pervasionem evasit et sensibus suis sobrie functus pacem et concordiam speciali devotione servavit.

XVI. quos ille divina ultione terret, 82 In eadem villa Thurold gestum fuit aliud non minus mirandum. Quidam miles Aldenborgensis indigena, nomine Wilhelmus, statura et aguomine Longus, habuerat filium suum jam adultum tirocinio mancipatum, sed furtis et rapinis plus intentum : qui filius dum quodam tempore in domo cujusdam Sigeri luce clara rapere niteretur, ab ipso Sigero gladio percussus citius mortuus est; qui Sigerus cernens, se peccasse in morte tyronis, quamvis justé perempti, adiit veneraudum sanctumque virum Arnulfum episcopum rogans, ut medelam verborum adhiberet ad sanaudum ulcus tanti piaculi. Vir autem Sanctus, qui se ipsum obtulerat in præparationem evangelii pacis,

C impiger exiit in campum seculi subiturus duellum contra potentias diaboli, et armatus scuto fidei viriliter decertavit rapere vasa fortis maligni. Adunatis vero cum peremptore juvenis propinquis ejusdem interfecti, seminavit verbum justitiæ, verbum veritatis et pacis, et auctore Deo pacificavit Sigerum cum Willelmo Longo, patre videlicet interfecti.

ac variis miraculis 83 Postea Wilhelmus a quibusdam malignis increpatus, cur filii mortem tam leviter indulsisset, cœpit pœnitere de benefacto et iterum cœpit captare locum, quo vindictum sumeret de Sigero : nec cedebat ei locus ultionis, donec recursu temporis circa festum sancti Joannis in nundinis Thuroldensibus, veniente fortuito Sigero ut vestem emeret, illum Willelmus gladio acutissimo cervice tenus perculit, et exanguem factum non mortuum, in cartallum *e*, quo vestes jacebant, dejecit. Statim omnes nundinæ turbatæ sunt. Fit clamor et indignatio in populis, cur quis Comitis pacem temerare præsumpsisset. Curritur ad Comitem, qui præsens in domo sua Thurolti consistebat. Nuntiatur ei probrose illum jam nihili valere, qui suas celebres nundinas uequisset defensare. Prosilit Comes Rodbertus animo efferatus, jubet continuo percussum et percussorem sibi sisti. Interim audit a suis militibus, quod Wilhelmus Longus hujus audaciæ præsumptor fuisset, et in ultionem occisi filii nundinas exturbasset. D

84 Jam comes aliquantisper mitigatus, respondit : Guilhelmum Longum seu militem strenuum diligo, ut filium; sed hoc redarguo, quod filii mortem per sanctum Arnulphum episcopum perdonatam *atque pacificatam, denuo ultum repetivit. Interea deducitur coram eo percussus trepidans quidem, sed illæsus, videturque cervix ejus non gladio percussa, sed quasi rubeo filo præcincta. Tunc Comes ait ad Wilhelmum : Miror tuam temeritatem, sed plus horreo tuam tantam debilitatem : quandoquidem enim parcere noluisti, cur tam pueriliter ferire non erubuisti, ut manus feminea non virilis dextra in ista cervice compareat? Agnosce igitur quoniam nec gladii nec dexteræ causa fuit, sed imperio Dei summi id factum est, qui non permisit vulnerari cervicem, quæ per documenta tam sancti Viri sponte susceperat pacem. Sic Comes, sic Comitis proceres et milites prædicabant, quod quidquid sanctus Arnulphus pacificasset, fixum et inviolabile Dei nutu permaneret. E *ad concordiam adducit,* ** id est condonatam*

XVII. et ibidem quinque ægros viduæ filios f 85 Intra terminos parochiæ Ghestellensis *f*, quæ subjacet diœcesi Toruacensi, est quædam vena terræ nigra et quasi subrufa, quæ crebris paludibus intersita non facile potest transiri. In his vero locis gemoratur gens hominum atrocitatem semper gestiens, ut vulgus Scytharum. Ad hæc loca Vir Dosmini pertractus, ut inter tales verbum pacis seminaret, conventus est a quadam anicula lacrymosis planctibus ita clamante : Sancte Serve Dei, miserere mei, et dignare intrare in tugurium paupertatis meæ, sicque videbis multiplicem et diuturnam pœnam afflictionis meæ. At ille mansuetus et humilis memor semper nominis Christophori cælitus sibi inditi, intravit tectum viduæ pauperis, ut videret causas declamatæ calamitatis. Jacebant enim in lectulo quinque filii ejus uno eodemque languore constricti, quorum nullus alium poterat adjuvare vel in aliquo supportare.

statim sanitati restituit. 86 Tunc mulier dixit : Vide serve Dei, quanta sit mea miseria, quantus dolor me angit, quanta tristitia me affligit. Servio sola quinque viris, curro et festino ab illo ad illum, ab isto ad istum, et minime placeo famulando. Tunc vir Domini nimia compassione congemiscens, tacuit. Deinde aquam benedictam conficiens, totam domum et infirmos aspersit F et eisdem sic imperavit : In nomine Domini nostri Jesu Christi recedat a vobis languor iste, ut statim convalescatis, et matrem vestram tot doloribus addictam serviendo vobis fatigare non egeatis. Affuit continuo Domini virtus et statim consurrexerunt, atque cibos diu exosos avide sumpserunt. Sequenti die lavacra subierunt ac deinceps omni incolumitate viguerunt.

ANNOTATA.

a *Rodbertus vel Robertus ille, communiter cognominatus* Friso, *occupavit Comitatum Flandriæ, pulsis Richilda Balduini Comitis vidua ac ipsius filiis.*

b *Opinor, hic designari Balduinum Comitem Montensem : nam urbs Montensis in Hannonia olim vocabatur Castri-locus, ut Valesius in Notitia Galliarum pag.* 133 *testatur. Nunc illa civitas a situ Latine* Montes *appellatur, et forte hic ex recentiori et antiquo nomine* Mons castrorum *dicitur.*

c Insula *vel* Insulæ *celeberrima Flandriæ civitas*

A *tas et mercimonio clara, quam Galli* l'Ile, *et Flandri* Ryssel *vernacule appellant.*

d Thurold *nunc vulgo dicitur* Tourhout, *et est pagus Flandriæ, qui inter Brugas et Ipras jacet.*

e Cartallus *inter alias significationes, quæ in auctiore Cangii Glossario videri possunt, accipitur pro cophino vel canistro. Ex sensu patet, ea voce hic significari capsam aut cophinum majorem, in qua vestes servabantur.*

f Ghestella *vel* Ghistella *est pagus Flandriæ, qui una leuca ab Aldenburgo distat, et de quo in Actis S. Godolevæ ad diem 6 Julii, sive tomo 2 istius mensis pag. 359 fusius egimus.*

CAPUT IV.

Divina animadversio in nonnullos Flandros, qui monita Sancti contemnebant; fundatio monasterii B *Aldenburgensis, reditus S. Arnulfi in Galliam, et iterata profectio ejus in Flandriam.*

XVIII. *Quidam suasionibus sancti Viri* Folcardus quidam accola Gestelensis alacer et robustus, nec tam utilis quam temerarius, beatum Præsulem, de pacis gratia colloquentem, contemnendum putavit; qui dum faciem Viri Dei fugeret, repente est traditus maligno spiritui, a quo discerptus et miserabiliter laniatus, ab amicis vel propinquis vix potuit coërceri: et hic non sua fide, sed aliorum prece, per beatum Pontificem a dæmonio purgatus, didicit jam ex passione, quantum beato Viro impendere debuisset amoris et reverentiæ.

XIX. *pervicaciter repugnantes a* 88 In vicinio Furnensis *a* Castri habitavit quædam vidua nobilitate et opibus fulta, nomine Evergerda, cujus maritum simulque filium atroces inimici peremerant, et pro quorum interitu graves inimicitiæ interfectoribus undique incumbebant: C nam pro morte duorum omnis illa regio conturbata fuerat, dum alii vindictam, alii defensionem homicidarum molirentur: ad quod malum compescendum accersitus præsul Domini sanctus Arnulfus sponte ac prompte properabat, ubicumque de pace et concordia esset agendum. Venit ergo asello vectus ad domum illius divitis viduæ, contra quam vox Apostoli insonat dicens; Vidua, quæ in delitiis est, vivens mortua est. Talis illa cum esset, beati Viri ingressum omnino noluit, sed ante suam portam pontem levatorium *b* erigi jussit, ne pateret ingressus, neve daretur effectus votis hominis Dei.

divinitus puniuntur, 89 Ille tamen non destitit prædicare, arguere, obsecrare, ut interfectoribus filii vel mariti pro refrigerio animarum ipsorum indulgeret, et quos crudeliter odiebat, amicos sibi confœderatos effici consensisset. Illa vero neque preces ejus neque monita suscipere voluit, sed in suo persistens tumore animi, Famulum Christi de aselli sessione, et de vestis humilitate subsannando derisit, et a se repulit; sed non impune: nam postquam Præsul gemebundus ab ea recessit, gravis illam divinæ animadversionis vindicta percussit. Post modicum quippe temporis, manente cæli serenitate, quidam levis turbo consurgens domum ejus concussit et contrivit, in qua ruina deprehensa repentina morte percussa interiit. Ubi valde mira res contigit, quod in eadem domo cum essent famuli et ancillæ plures, porci vel canes, gallinæ, anseres, columbæ atque hirundines, nil tunc ibi periit nisi ferox femina, nec quodlibet animal vel quippiam læsum fuit. Funditus extincta, docuit non dogmata ficta, quæ monuit Sanctus vindictæ pondere tantus. Femina sic fortis, fit juste filia mortis. Hujus certe ultionis fama volans perterruit corda duricordium Flandrigenarum, ut nemo auderet Viro Dei resistere, nec sacris ejus monitis non obedire.

et alii ad frugem reducuntur. 90 Erant eo tempore in vico Aldenborgensi duo vesanæ animositatis adversarii Conon unus, alter Robalinus, quorum Robalinus Cononis patrem, nomine Hidonem, dolo peremerat; alter alterius amico et domesticos trucidabat; alter alteri quæcumque poterat privatim et publice mala ingerebat. Horum quoque mentes dæmoniis plenas suarum documentis prædicationum et terrore frequentium signorum ad gratiam pacis convocavit. Talibus congratulans Comes Rodbertus E totaque gentis nobilitas gaudio magno gliscebant, quod talem suis temporibus Christus Dominus tribuisset ministrum, qui curam omnium paterno affectu gereret, et viam vitæ omnibus exemplis propriorum actuum declararet. Et jubente Comite, Eremboldus prætor, assumptis secum prudentibus viris in Brugensi palatio, supputatis per nomina interfectis Brugensis coloniæ vel aliorum locorum, unde personarum notitiam colligere potuerant, invenerunt et scripto indiderunt, quoniam expensio duorum millium marcarum argenti meri non potuisset persolvere, quod gratia Dei per hunc veritatis ministrum dignata est moderari. Hinc factum est, ut Virum sanctum omnis homo tam potens quam impotens medullitus adamarent; illumque secum habitare anhelanter præoptabant. Exhinc toto conamine cœperunt disquirere, quonam in loco sacer Præsul utiliter et honoste valuisset

XX. *Sanctus construit Aldenburgi monasterium,* 91 Ecclesia erat in oppido Aldenborgensi sub honore sancti Petri Apostoli et omnium Sanctorum antiquitus fundata, divinis miraculis frequens et famosa, quam quidam nobilis et multum locuples, nomine Conon, frater Everardi Tornacensis, in F rationem beneficii de Flandrensi Comite habebat; Comes autem hanc eamdem ab episcopo Tornacensi tenebat. Hunc Cononem inflammavit timor Dei, suggerente fidelissima conjuge, nomine Hazecca,* ut ecclesiam sancti Petri Apostoli, quam terribilem fecerant divina miracula, immunem sui juris liberamque perageret, et ad laudem Dei abbatiam monachorum instauraret: oportebat enim impleri superius scriptam beati Petri sponsionem, quam ad ipsum Præsulem factam retulimus, tam de loci structura quam et de ipsius sancti Viri obitu et sepultura. Ordinatione vero Dei peractum est, ut reddente Conone Comiti ecclesiam, quam tenebat, Comes hanc eamdem Tornacensi episcopo nomine Radbodo *e* reddiderit; Radbodus quoque episcopus cum Galtero archidiacono, laudante clero et gaudente populo, liberam et expeditam episcopo Arnulfo, illique canonicam de eadem fecit investituram.

* *al.* Hufecca *et* Zazecca

XXI. *accepta veteri ecclesia S. Petri.* 92 Hanc denique ecclesiam seniorum traditio a beato Ursmaro *d* temporibus Dagoberti *e* regis Francorum commemorat ædificatam, quam majestas Domini diversis revelationibus signorumque ostensionibus multoties mirificavit: cæci visum receperunt,

ex mss.

receperunt, surdi auditum, muti loquelam, paralytici vel contracti restaurati sunt, et omnis morbus vel ægritudo optatam ibidem recipiunt salutem. Anno autem MXCI *f* in sacra nocte Natalis Domini factus est ventus vehemens et validus, qui turres urbium et tecta domorum ac ædificia plurima ecclesiarum concussit, fregit et dejecit. Eadem nocte ejusdemque venti turbine campanarium ecclesiæ sancti Petri evulsum est a suis cardinibus, et supra tectum turris, in qua stabat, versus Orientem projectum, ita ut per sex dies et noctes cerneretur pendulum quasi semper esset ruiturum. Congregati mane loci habitatores sub omni celeritate convocant architectos statutis præmiis, si illud revocarent, munerandos; at illi multa promittunt, restes præparant, balistas erigunt, ligamenta constituunt, ut multimoda artis argumenta componunt. Et dum populus præstolaretur ad inventas artificum machinas, quibus campanarium sperabatur reformari, ante noctis medium pridie Kalend. Januarii advenit virtus de cælo in visione ignis, et campanarium quidem suis sedibus firmissime relocavit; ecclesiam vero intus et foris flammeo lumine vestivit. Hæc me sic referre puderet, nisi testes mille se vidisse perhibuissent *g*.

XXII. multisque miraculis

93 Habebat in usum Catholicæ fidei Conservator, ut si quando ægrotus ad illum causa medelæ accessisset, mox prælato signo Crucis manum ille imponeret, et verba Euangelii decantaret, tertio dicens: Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Quibus ita tertio dictis, recedebant languores, sanitas sequebatur. Talia pernoscens quædam mulier, Aldenborgensis oppidi indigena, venit ad eum, ubi tunc manebat, apud sanctum Petrum et oravit dicens: Rogo te, sancte Episcope, tange et benedic caput meum, ut sanari valeam a tantorum afflictione dolorum. Cui Præsul: Quid molestiæ patiaris, vel qua nos ratione adieris, edicito soror. At illa subjunxit: Longum tempus transegi in acerrimis doloribus capitis, qui in tantum me exagitant, ut phrenesim me pati homines credant et die nocteque aliqua requies in me non habeat locum. Dormire vel manducare vel operis quid exercere numquam possum. Tot mihi malis oppressæ apparuit quidam divinus monitor dicens: Vade ad Arnulfum episcopum et pete ab eo, ut caput tuum tangens benedicat, et continuo sanaberis. His compulsa causis venio et promissam sanitatem exposco. Ad quam mox Episcopus ait: Secundum fidem tuam fiat tibi. Simul et tangens benedixit, moxque capitis dolor cum caloris immoderantia deletus est.

XXIII. ac spiritu prophetiæ apud Flandros illustrior factus,

94 Adhuc in eodem loco consistente Viro sancto, venit quidam de Jerosolymis peregrinus et nuntiavit illi dicens: Domine, soror vestra domina Oda mihi Jerosolymis locuta nimium efflagitavit, ut dicerem vobis, quoniam, quantumcumque prævalet, laborat et festinat, ut ante vestrum transitum vos in carne videat, vobis loquatur, remissionem delictorum et agendæ in reliquum vitæ normam atque consilium a vobis præsens petat et accipiat. Hæc vero summa petitionum illius est, ut vestra oratio ad Deum fiat impetrans, ut vos non recedatis, donec veniat, et ipsa non moriatur, donec dilectam sibi vestram faciem videat. Tunc ait Homo justus: Odo soror nostra et in Domino germana, quamvis festinet, quam avide properet, frustra contendit, in vanum laborat, in vanum concertat adipisci, quod Dominus aliter disposuit. Videat et contempletur actus nostros et studium timendi Dominum. De cetero faciem nostram corpoream numquam videbit. Ita que hæc pudicissima mulier properans et festinans, nec aliquam sibi requiem attribuens, celeriter intravit Aldenborch, et invenit fratrem sepultum, octo dies habentem in monumento.

XXIV. recipit ab iis decimas

95 Sed ut ad ordinem revertamur, beatus et sanctus Christi miles Arnulfus mense Junio subintrante cœpit curiose inquirere, sicubi haberetur memoria sancti Medardi, cupiens solemnitatem ejus, quæ est VI. Idus Junii *h*, in ecclesia ejusdem nominis dicata celebrare. Illo sic sollicito, intimatum est in fundo nuncupato Ervingahem *i*, stare ecclesiam beati Medardi nomine insignitam, non longe ab Aldenborch in plaga Australi, ad quam sanctus Dei Præsul venit, ut ibi perficeret debita officia pro honore tanti Confessoris. Vidit autem illius fundi populus sanctam celebritatem, et compuncti corde donaverunt ecclesiæ sancti Petri in Aldenborg duas partes decimarum omnium allodiorum suorum cultorum et colendorum, palustrium vel aridorum, silvarum vel pratorum, et quidquid liberæ terræ habere visi sunt: ex hoc duas partes decimæ totius annonæ lini et cannæ *k* prompto animo contulerunt. Hujus autem largitionis principes quique nobiles et ingenui illius loci viri, Bertulfus filius Ermenarii cum Vigelborch uxore sua, Eremboldus et Malgerus filii Almari, Leggiva vidua alterius Ermenarii cum filiis Angrauno Fredeboldo ac Lamberto vel tota istorum consanguinitas exegerunt a sancto Viro, ut æterno anathemate damnarentur isti vel eorum posteri, siquando molirentur de præfata decima aliquid subtrahere vel minuere vel quocumque modo quippiam damni inferre.

i al. Arningahem

XXV. pro monasterio Aldenburgensi

96 Loco igitur canonica, ut præfatum est, traditione sibi delegato et legitime emancipato deputavit ibidem aliquos suorum, qui locum mundarent et habitationes Deo servientibus competentes præpararent. Populus etiam vicinus, sed et longe circumquaque positus alacriter auxiliabatur dando pecunias et animalia ac diversa subsidia. Gaudebant autem quod lucerna Dei inter illos emicare cœpisset; nam in atrio ecclesiæ beati Petri apud Aldenborch eo scilicet loco, quo steterat vel sederat hic beatus cum pro pace et concordia insudaret, visa est columna ignis ab alto prominens consistere, quæ ab initio noctis usque circa auroram prægrandi fulgore noctis caliginem mutavit in lucem, et cuncta in circuitu spatia luce perlustravit splendiflua.

XXVI. et in Galliam rediens,

97 Post ad sedem Suessionicam rediens, omnium votis ambitur, omnium gaudiis celebratur. Pervenit autem ad illum reprehensibilis in plerisque regis Philippi operatio et continua coërcendorum dissimulatio, nec non indiscreta episcoporum vel abbatum impositio, ideoque cœpit tædere super malis, quæ undique patrabantur, nullo rempublicam moderante rectore. Dormitavit ergo anima ejus præ tædio malorum, quæ quotidie excrescebant: quoniam et illa nobilis moderatio Remensis ecclesiæ adeo tepuerat dejecto jure metropolitanæ dignitatis, ut nec episcoporum concilia nec ecclesiarum judicia inibi exercerentur.

solitariam vitam repetit,

98 Illam igitur compunctionis nutricem, illam silentii custodem, illam psalmorum et vigiliarum consciam, illam et divinæ contemplationis amicam primæ reclusionis resumpsit semitam, eligens abjectus esse in domo Domini magis quam abire, stare, vel sedere in qualibet divinæ legis transgressione. Noverat quippe potentes protenter tormenta passuros; idcirco declinavit a malis, ut totis

A totis viribus faceret bona, cupiens paratus fore et pervigil, ut Domino quandoque pulsanti confestim aperiret: quam reclusionis semitam arduo tramite conservavit, sacris virtutibus decoravit, vivens in fame et siti et jejuniis multis, in frigore et nuditate extendens semper mentem suam in scientia Dei, in caritate non ficta, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto.

XXVII. *rursumque ob exortas turbas in Flandriam reversurus,*

99 Emerserunt autem importuniores causæ circa locum et finitimam regionem, pro quibus adunati nobiliores quique Aldenborgensis coloniæ cum Everolfo monacho statuerunt, ut venirent ad Virum Dei et totis nisibus compellerent, ut rediret in Flandriam et causis importunioribus modum finemque proferret. At ille conscius futurorum, utpote qui divinis revelationibus frequentius docebatur, votis se quærentium libens annuit; sicut qui revera noverat, se non posse dissolvi ut esset cum Christo, nisi in loco Aldenborch. Veniens vero cum illis frequenti verbo commonebat eos dicens: Quod modo Flandriam vado, filioli, scitote non tantum esse vestræ voluntatis, quantum divinæ dispositionis.

B 100 Dumque meant glebas regionis, venit Atrebas,

monetur extus in itinere de imminente morte

Quo patuli campi, spatio virgulta ferentis,
Obdormire volens sternitur ille jumento,
Utitur et verbis orans vernantibus herbis,
Ut modicum somni capiat, studio gerit omni;
Hæc requies felix quæ provocat agmina cælis,
Tuncque Viro fesso somno per tempora presso
Visio monstratur, de qua mox ipse beatur.
Nuntius applaudit, quæ Præsul lætior audit:
Aldenborch veniens non multo tempore vivens
Secula transibis, felicia regna subibis,
Quæ careant fine, quæ pollent perpete luce.
Te domus illatum Petri capiet tumulatum,
Tempora nec multa patieris carne sepulta
Terra tolleris, meritorum laude frueris.

XXVIII. *quam vix comitibus indicat.*

101 Vir Domini surgens, sociosque viæ satis urgens,
Sic famulis inquit: Jam surgite; sufficit istic
Nos ita dormisse vel somnia grata vidisse;
Somnia non falsa, quæ pandunt præmia celsa.
Jam bene electis, quæ me referente scietis.
Vobis prædico, quod triste manet inimico:
C Me scito scansurum cælos civemque futurum
Angelicis turbis, precibus quod posco diurnis.
Hinc vos gaudete, lætissima corda tenete.
Et sic tractate Christum, sic rebus amate,
Ut vos suscipiat, quando einis hæc caro fiat.
Hoc simul ostendit, quod mens cognoscere tendit,
In Petri templo tumulabor et ipse sepulchro
Sed jam pergamus, patriam jam calle teramus,
Tempore completo venient hæc munere læto

Hic stupor atque dolor famulantum pectora scidit. Attamen in ejus comitatu nulli licebat aut mœrore plus justo affici aut inepta lætitia resultare. Tantum erat in illo auctoritatis et gratiæ, tantusque circa illum vigor disciplinæ, ut illum videre et audire omni animæ gratum esset: eum tamen vultus ejus offensam tamquam grande piaculum præcaverent.

ANNOTATA.

a *Per* castrum Furnense *hic indicatur munitum Flandriæ oppidum, quod nunc* Furna *vel* Furnæ *vocatur, et vix una leuca ab ora littorali maris Germanici distat.*

b *Est pons, qui facile attollitur ac deprimitur, et qualem Galli vernacule* pont-levis *appellant.*

c *Quamvis hic Radbodo apud Sammarthanos in serie præsulum Tornacensium non recenseatur, tamen in ea videtur collocandus, cum ipse sub titulo Tornacensis episcopi ad Lambertum Atrebatensem scripserit epistolam, quæ apud Baluzium in Miscellaneis tomo 5 pag. 298 legi potest, et in his Actis diserte Tornacensis episcopus nominetur. Idem tamen a Sammarthanis inter præsules Noviomenses sub titulo Ralbodi II refertur.*

d *Acta S. Ursmari abbatis, qui anno Christi 713 obiit, ad diem 18 Aprilis illustrata sunt, ubi tomo 2 istius mensis pag. 560 et 562 ædificatio ejusdem ecclesiæ Aldenburgensis memoratur.*

e *Potest hoc loco indicari Dagobertus secundus istius nominis rex Francorum, qui anno 687 Rotomagi mortuus est, vel Dagobertus tertius, qui anno 711 patri suo Childeberto in regnum successit, ut in Diatriba Henschenii nostri de tribus Dagobertis licet videre.*

f *Etsi in aliis Mss. hic annus etiam exprimatur, tamen opinor, hic vitium amanuensis irrepsisse, et pro anno* MXCI *annum* MLXXXI *substituendum esse; quæ opinio mea confirmatur ex Sigeberto coævo, qui de hoc miraculo ad annum* E *1081 meminit, ut mox ostendam.*

g *Sigebertus Gemblacensis in suo Chronico, quod ex bibliotheca Joannis Pistorii Nidani editum est, ad annum Christi 1081 refert, Aldenburgensem S. Petri ecclesiam claruisse variis miraculis,* Inter quæ illud tam mirabile, *inquit,* quam inauditum antea exstitit, quod hoc anno Dominici nocte Natalis contigit. *Deinde prodigium jam in his Actis relatum ipse ita narrat:* Campanarium præfatæ ecclesiæ, vehementi vento flante, a suis locis evulsum et ad terram penitus fuit inversatum, ita in aëre pendens et ruinam sui minitans, ut semper casurum et cuncta vicina confracturum cerneretur. Sed cum per sex noctes et dies id tractaretur a populo, qualiter hinc inde exstructis machinis sursum erigeretur, et utrumque loco suo relocaretur, pridie Calendas Januarii circa noctis medium adveniens virtus divina totam ecclesiam intus et foris replevit luce ignea, et campanarium ad terram reclinatum, totum simul erexit, ac firmissime locis suis relocavit, et campanas ibi dependentes mox sonare compulit.

h *Acta S. Medardi episcopi Noviomensis et Tornacensis ad diem 8 Junii in Opere nostro il-* F *lustrata sunt.*

i *Sanderus tomo* I *Flandriæ illustratæ pag. 312 hunc pagum* Eereghem *appellat, ubi etiam meminit de hac donatione, quam monasterium Aldenburgense anno 1084 ab incolis istius pagi accepit.*

k Canna *apud scriptores mediæ ætatis pro* cannabe *usurpatur, ut in Glossario Cangii nuper recuso et aucto, ad hanc vocem videre est.*

CAPUT V.

Morbus Sancti reversi in Flandriam, signa de imminente obitu, pia mors, honorifica sepultura et epitaphium.

XXIX.

Mense Julio octava decima mensis cursu prospero cum felici fama virtutum intravit Aldenborch, ibidemque evangelizans regnum Dei, septem

XX. MSS. *Sanctus in Flandriam reversus ægrotat.*

septem diebus incolumis permansit; die autem sancti Jacobi apostoli, peractis Missarum solenniis, cœpit infirmari, et uno vigintique diebus valetudine laboravit. Cumque in extremis positus putaretur, suggerebant ei fratres, ut sacris officiis se præmuniri faceret, ne forte sine iis de hac vita exisset; quibus mitissima voce respondit: Karissimi filii super hoc nolite quidquam sollicitari, quia per Dei misericordiam bene scutio, quid vel quando mihi expediat. Scio tempus, novi et horam et de his commonebo vos, cum opportunitas evenerit.

XXX. *et triplici fragore*

103 Vicesima die postquam decubuit cum esset sexta feria ante noctis medium, cella in qua jacebat, mirabili tremore atque horrifico fragore tertio concussa est, et a fundamentis pene collapsa in tantum, ut monachi vel famuli aute illum excubantes intolerabili timore quaterentur, et cellæ formidautes ruinam foras fugere exoptarent; quos Vir Dei verbis consolatoriis demulcebat, et, ut se cubitum collocarent, hortabatur, nil incommodi successurum promittens. Tunc ei presbyter et monachus Everolfus flebiliter aiebat:
B Domine, terra tremit, cella concutitur, ostium a me jam diligenter tertio obseratum, denuo patet, turbarum murmur hinc inde resonat; et quomodo possumus inter tot terrores obdormire? Cui Homo Dei ait: Care frater, ne paveas et nullus vestrum formidet, quoniam hæc omnia supernæ majestatis signa sunt, et postmodum vobis manifestabitur, quæ vis hunc terræmotum et hujus cellæ concussionem patraverit. Sequenti sabbatho cum Vir Domini articulum mortis imminere sentiret, peractis ex more matutinalibus hymnis, fratribus dixit: Jam nunc parate nobis funeri necessaria, quoniam circa noctis initium transibo ex hac vita: ita enim mihi Dominus, cui servire pro viribus laboravi, nocte hesterna innotuit, quamvis et antea diu hoc scissem, quando terremotu et aeris concussione fragor cellæ inhorruit, et prima quidem concussione B. Petrus apostolus advenit dicens, mea omnia peccata remissa et januam vitæ mihi patere. Comitabantur illum multitudo Beatorum, laudes divinas alta voce modulans.

monetur de vicina morte,

104 Laudes excelsas tunc decantasse catervas
Ostia senserunt, quæ tanta vi patuerunt.
Prima fuit talis processio spiritualis.

C In secunda concussione sanctus advenit archangelus Michaël cum collegio Beatorum angelorum, et suo conductu felicem vitam me intrare instanti hora promisit:

Dixerat intente, tu cælica regna repente,
Me duce, suscipies, paradisi convena fies.
His dictis jubilant, cælestia cantica formant.
Quam vim dictorum capiunt vix corda piorum.
Talibus expavit mens, quamvis cælica stravit.

Tertia commotione adfuit Domina nostra vera Mater misericordiæ cum sanctarum caterva virginum, quæ sub gaudio suæ Assumptionis meam animam assumendam benignissima voce promisit. Sed omnes vos, o fratres, contestor per misericordiam Dei, ne, dum adhuc vivo, alicui ista dicatis.

propter quem ter rentur præsentes, * *Mab. tincta*

105 Idibus Augusti properant dum funera justi,
In feria sexta Christi de sanguine texta *
Ad medium noctis veniunt præsagia doctis:
Clamor, cantus, odor, strepitus vocesque virorum.
Hymnos vel psalmos resonabat vox populorum
Atque fores cellæ reserantur more procellæ:
Cantus ab his cultus, sentitur jure tumultus,
Laudant cantando jubilaut et vociferando.
Cum famulis monachi quatiuntur voce veraci: D
Credunt seque mori subdentes corda timori,
Irrumpunt laudes, seu dicant undique plaudes,
Carmina psalmorum solvuntur voce virorum,
Deficiat ne res, responsum dant mulieres
His monachus quatitur, famulorum turba sopitur;
Corruit hic fortis credens discrimina mortis,
Non valet ista caro, dum mundo servit avaro,
Et caret his donis præ pondere conditionis.
Cælitus iste chorus divina laude sonorus.
Hac illac resonat, plebs cæli carmina donat,
Palpitat et monachus, pavet, æstuat, angit anhelus,
Laudibus atque choris reboat domus illa canoris,
Complet odor cellam signans intrasse puellam
Viseret ut servum, meruit quæ gignere cervum
Cornua gestantem saliendo sanctificantem;
Ipsa Dei Mater, Behemoth *a* per quam ruit ater, a
Ipsa Dei Genitrix justorum semper amatrix
Rite pios fovit, quorum jam nomina novit:
Ipsamet Arnulfo propria sic voce loquendo
Intulit ornate multa virtute; Beate
Quando meus natus me de convalle levavit,
Te tunc assumens ad cæli regna levabit. E
Dando pias voces mea tu solennia duces
Et tibi festa choris ego ducam carmen amoris,
Virgineus cœtus jubilabit me duce lætus,
Gaudia conjuncta deducent agmina cuncta.

ac propterea monacho petenti * *Mab. tantis*

106 Postea jam monachus trepidus surgens Everolfus
Pallidus atque tremens pro nobis * vocibus hærens
Aggreditur Sanctum dans toto pectore planctum.
Sic pater et præsul, pro quo sum longius exul,
Dic mihi nec celes, noctu quæ gesta reveles.
Affectu tristi moneo sub nomine Christi
Cuncta mihi dicas, quando me corpore tricas *.

* *Mab. tritas*

Heu nimis infelix tegitur tot laus tua velis,
Et nescit mundus tenebrosa morte profundus,
Quis sis vel qualis, quam lucidus ac specialis.
Plurima dicentem, vel talia sic repetentem,
Affatu miti Præsul jubet illa remitti,
Rem similem veri mandat magis ipse taceri.
Si tibi ego pater, si me, carissime frater,
Diligis ut Patrem, caveas me prodere vatem.
Vitæ consortem sileas, donec mihi mortem
Pertransisse scias, tunc postea paudere causas
Occultas poteris, vel signis prodere veris.
Fortius adjuro te frater judice Christo F
Ut tibi quod credo taceas dum luce recedo.

causam istius fragoris aperit,

107 Primitus advenit cum Petro præsule cæli
Concio depromens, quod sit mea crimina solvens.
Ipse pius Petrus sic protulit ista locutus:
Quæ mihi commissa sunt, stant tibi prorsus aperta:
Nil timeas damni, patet ex me janua regni.
Vultibus angelicis fruitus sum semper amicis.
Me confortando de sancto fine morando
Gaudia fecerunt hymnumque Deo cecinerunt.
Tertius ordo fuit comes almæ jam Genitricis,
Quæ nos invisit, quæ mundo gaudia misit,
Gratia plena Dei, quæ permanet huic Genitrici,
Nobis non celat, sed quæque futura revelat.
Fecerit hæc Mater Domini, dulcissime frater.
Ad notum morem subiit tunc cella fragorem,
Ostia panduntur, quæ sic virtute premuntur.
Hinc reboat cantus cælesti carmine tantus.
Mens tua sic cecidit, quia pondus ferre nequivit.
Illa dies major consurgens, quem sacrat auctor,
Est festiva nimis, Deus hac quod surgit ab imis,
Cælitus assumpta beat hanc et Virgo Maria.
Tertia causa datur, quod festum multiplicatur.
Deprecor idcirco, custodi quæ tibi dico.
Accipe mandata Domini, quod luce sacrata

Jura

A Jura sepulturæ non fiant, sit tibi curæ.
* Mab. statuatur Fossa mihi munda struatur * luce secunda.
Hæc mea mandata tibi sint in corde parata.
Respondit frater : Quæ mandas, o pie pater,
Omnia servabo, dimittere nulla parabo;
Sed precor hæc festa nobis pater o manifesta.
Quis locus est dignus, quo tantum condere pignus
Nos nunc possimus, quando vos cælicus hymnus
Sursum suscipiet, gravior nos luctus aduret?
Præsul respondit, hos sollicitosque retundit :
Ante sepulturam nolitis tendere curam :
Nuntius adveniet demonstrans, quo mihi fiet
Fossa pii tumuli totius et ordo sepulchri.

XXXI. diemque sui obitus præsciens, 108 Itaque vicesima prima die suæ infirmitatis cum esset sabbatum et vigilia Assumptionis gloriosæ Dominæ nostræ Dei Genitricis et semper Virginis Mariæ, tunc vocatis discipulis, convocatis etiam vicinæ ecclesiæ clericis, cum psalmis et lætaniis fecit se sacro oleo perungi, et dans confessionem coram omnibus, et omnium humiliter petens orationem.

Et sic confessus fuit acsi crimine pressus :
Penitus erravi, scelerum fas multiplicavi
B Monachus et miles tractavi res juveniles.
Corde gerens fatuum, non vixi ceu decet usum
Multum peccator, mihimet peccando gravator,
Offendi regem dantem super omnia legem,
Per quem salvetur quicumque Deum reveretur.
Ecce meam culpam fateor moribundus inultam,
Quam precibus vestris, quæso, dissolvite caris.

pie moritur, 109 Docuit autem eosdem fratres dicens : Cras de resurrectione Domini gaudium erit in cælis, et adventu Reginæ cæli gaudium sanctis duplicabitur angelis. Largiente Christo, tertia causa addetur, pro qua gaudia tripliceutur. Idcirco prohibeo, ne in crastina ad opus meæ sepulturæ terram aperiatis; sed in secundam feriam reservetis : sic enim cælitus præfixum est, ut in die sancti Arnulfi Metensium antistitis *b* hujus peccatoris Arnulfi corpusculum terræ reddatur. Multa vero prædixit tam de regni vel ejusdem loci statu, quam et de principum vel pontificum casibus venturis, quæ omnia, veluti prophetavit, evenerunt. Jam ergo incumbente hora vespertina, Corpus et sanguinem redemptoris summa cum devotione accepit omnibus benedicens, ab omnibus benedici C se expostulavit, et sic ad requiem anhelans sanctæ Crucis signo a se tunc propensius adorato totum se consignavit. Tunc in pavimentum cinere et cilicio stratum semet deponens et nomen Domini orans ac benedicens felicem dormitionem accepit, et regionem viventium Domino conjungendus intravit. Obiit autem XIII *c* Kalend. Septemb. anno Domini MLXXXVII.

XXXII. et cum magno populi concursu 110 At ubi obitus ejus populis innotuit, mirum dictu quanta alacritate, quantaque devotione plebs undique confluens universa in circuitu complevit. Clerici psalmis instabant, laicorum quidam pauperum concurrentium refectionem procurabant. nobilium quoque ac militum plurima multitudo plurimum insistebant, ut decore eximio celebrarentur exequiæ sancti Pontificis; tanta vero Clericorum ac plebium irruit multitudo, ut non basilica, sed ipsum atrium et atrii confinia non possent capere tam copiosam frequentiam, aliis luminaria congerentibus, plerisque inde gaudentibus quod tantis exequiis interesse meruissent. Cumque beati Viri corpus de more compositum et pontificalibus insignibus ornatum in ecclesiam fuisset advectum, verens frater Everolfus, ne alicujus rapacitas inter tot promiscuas turbas annulum de manu ejus concupiscens præriperet, tulit illum et reposuit. EX MSS. ab Everolfo monacho

111 Adveniente vero hora sepeliendi, cum eumdem annulum digito ejus voluisset indere, frigida manus et incurvi digiti sic obdurati rigebant, ut nequaquam extendi potuissent. Tunc pro hujusmodi difficultate amor præsentium fidelium indoluit et cum gemitu supplicabant, ut facultatem Dominus annueret illud corpus sanctum suis cultibus non carere. Intererat his exequiis Bernoldus *d* præpositus Guatenensis cum Ricoardo *e* decano cum maxima turba presbyterorum ac clericorum, quorum hortatu et prævia voce cantati sunt psalmi, prosequente lætania et flente laicorum conventu, cum subito mirabilis Deus mirificavit Sanctum suum in oculis omnium præsentium. Revera etenim, mirum dictu! illis conquerentibus, manus dextera a pectore defuncti sese erexit, digitos erigens discrevit, et annuli inserendi locum dedit, quo inserto manus eadem se ad pristinum recollegit, et digitos, ut antea, infra palmam recurvavit.

Vox populi fertur, mox laudibus omnia dantur
Et magis hunc plorant, quia sanctum semper honorant, E
Præmia virtutum retinet quæ quæstor earum,
Præsule translato, de terris sede locato,
Ecclesiæ Petri confertur corpus herilis.
Præparat obsequium populi grex et monachorum,
Presbyteri veniunt, it clerus, in agmina currunt
Omnimodo plebis, portantia lumina sanctis,
Prandia et pauperibus, vel Clero munera dantur,
Munia Missarum satis et super hic celebrantur,
Atque dies celebris Christi vel nomine Matris
Ducitur excelsa, feriam exspectando secundam.

112 Venerat et feriæ jam clarum mane secundæ, XXXIII. honorifice sepelitur;
Angelus e cælo descendens, monstrat aperto
Cum sermone locum, faciant quo rite sepulcrum,
Fratribus ostendit; post cælica scandere tendit.
Et faciunt tumbam feriam ducendo secundam
Cælitus ostensam cælesti munere mensam :
Namque domus Petri loculus fit corporis almi,
Et juxta claustra, quæ sunt in parte sinistra,
Quo deponatur Vir sanctus, fossa paratur.
Mense sub Augusto dedit almus funera busto.
Conditur in tumulo dans membris pignera sæclo.
Planctus vel gemitus suspiria cordis ab intus
O quot mittuntur, quoties tunc et repetuntur! F
Clamat amor cordis, mugit, ejulat ardor amoris;
Traditur huic baculus pro signo pontificatus.
Stanneus atque calix fit testis sacrificantis.
Plumbea scribuntur quæ postea scripta legantur,
Et tabulæ modulo positum stat pectoris antro.
Infula Pontificis monstratur vestibus aptis,
Aurea traduntur pedibus sandalia Sancti.
Tales ornatus secum tulit ille Beatus,
Per quæ clareret, quam digno flore niteret
Spiritus in cælis vivens per secula felix.

113 Nunc igitur considerandum et fideli mente retinendum est, quantis laboribus, quantisque afflictionum generibus iste Servus Christi tantam meruerit virtutis efficaciam, ut etiam membra defuncti miraculorum laude polleant : nec enim gulæ et Veneri serviendo et humanis cupiditatibus inhiando tale donum a Christo percepit; sed corpus mortificando, mandatis Dei invigilando, veræ caritati inhærendo, et in via justitiæ quotidianis augmentis crescendo et perseverando. Et quoniam cordis ejus cubile, corpore edomito, rite fuerat purificatum, idcirco complacuit Spiritui sancto, ut glorificantem se glorificaret, et sibi pure servientem in conspectu omnium hominum amabilem atque laudabilem exhiberet. Aspiciant igitur XXXIV. nullo abbate præsente, sicut jam dudum prædixerat Sanctus.

ex Mss. igitur dignanter hæc legentes et prudenti memoria colligant hujus Viri prophetiam, quam ante plures dies in pago Suessionico apud Ulciacum castellum habitans prædixerat, quod exequias funeris ejus nemo pontificum aut abbatum conveniret celebrare, sed per monachum ac presbyterum suum circa eum omnia supplereutur. Talis namque tantaque occupatio vicinos abbates duos Gandenses, et unum Bergensem præpedivit, ut sollicite invitati libenter occurrere vellent, et nullo modo prævalerent.

cujus epitaphium refertur. 114 Celebratis itaque Missarum solenniis a multis, qui undique confluxerant, sacerdotibus, distributis in pauperum usus largissimis stipendiis, qua die sancti Arnulfi Metensium antistitis sacer natalis recolitur, eadem die in basilica beati Petri apostoli apud Aldenborch hujus sancti Viri corpus sepultum est et subjuncto epitaphio prænotatum.

Miles in hoc mundo, modo pulvis in hoc monumento
Militiam mundi sprevit amore Dei.
B Cujus tutela, qua vivitur absque querela,
Primum devotus Suessionis monachus.
Et mox augustæ devotior accola cellæ
Se per pauperiem frigus et esuriem,
Atque per insomnes in fletibus et prece noctes
Virtutum studiis extulit et meritis.
Abba dein factus et præsul utrimque coactus,
Quæ digne subiit dignius excoluit.
Huc veniens demum, Domino donante, supremum
Claudens morte diem transiit ad requiem.
Transitus ejus ei provenit fine diei,
Quam sequitur celebris orbe colente dies,
Quæ cæli Dominam de mundi valle Mariam
Intulit astricolis cælica turma choris.
Præsulis Arnulfi qua festa dies celebratur,
Præsulis Arnulfi corpus humo tegitur.

Completur hoc opusculum anno post transitum ejus XXVIII, Indictione septima, quem credimus ab Incarnatione Domini millesimum centesimum et quartum decimum, regnum Francorum tenente Lhudoico filio Philippi regis, ab isto Viro Dei ante ortum prophetato, septimo regni ejus anno, Romanæ C Ecclesiæ præsidente beato Paschali Papa II, Remensem metropolim gubernante domno Rodulfo archiepiscopo, regnante Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, cui cum Patre in unitate Spiritus sancti sit omnis honor et gloria et imperium per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Nomen Hebraicum* behemoth *proprie significat elephantem seu quamlibet bestiam majorem; sed sæpius metaphorice accipitur pro dæmone, ut hic ex sensu colligitur, et apud obvios sacræ Scripturæ interpretes legere est.*

b *Festum* S. Arnulfi *præsulis Metensis diverso die propter obitum vel translationem corporis celebratur, ut dictum est in Commentario prævio ad Acta ipsius, quæ ad diem* 18 *Julii sive tomo* 4 *istius mensis a pag.* 423 *jam edidimus.*

c *Hic iterum error amanuensis irrepsit, quamvis idem numerus in aliis quibusdam Mss. exprimatur : nam ex antecedentibus et consequentibus liquet, Sanctum eo die non obiisse. Quare cum Mabillonio pro* XIII Kalendas Septembris *legere malumus* XVIII Kalendas Septembris.

d *In Ms. nostro apographo Ursi-Campi pro* Bernoldo *legitur* Bernardus.

e *In aliis Mss. dicitur* Gitalenicnsis *vel* Guastenensis cum Ricardo. D

LIBER TERTIUS.

In quo Lisiardus episcopus Suessionensis narrat miracula, elevationem reliquiarum, et alia, forsan prius ab Hariulfo abbate Aldenburgensi descripta, quæ post mortem Sancti contigerunt.

PROLOGUS.

Auctor miracula post obitum Sancti patrata relaturus, Domino, jure amabili, merito venerabili Rodulfo, Dei gratia sanctæ Remensis ecclesiæ archiepiscopo Lisiardus filius, utinam idoneus minister sanctæ Suessionensis ecclesiæ, salutem et paternorum palmam victricem. Residente vestræ pater- E nitatis dignitate in illo magno atque inauditæ episcoporum multitudinis concilio, quod auctoritate præsentis domini Papæ Calisti *a* Remis celebratum est *b*, cum et ego humilis vestro lateri inhærerem, conquestus est nobis in commune frater et coëpiscopus noster Lambertus *c* Noviomensium et Tornacensium antistes, injustum et ingratum sibi videri, nec soli sibi sed multis, quod sanctus præsul Arnulfus prædecessor meus, qui sanctam vitam et Deo placitam duxit, cujusque sanctitas multis valde miraculis a Domino comprobata est, in sinu humidæ terræ adhuc cubaret, neque de luto fecis usque adhuc elevatus esset. Aderat testis miraculorum ejus regia majestas ipsius sancti Arnulfi impetrata lacrymis et precibus condonata *d*; aderat Petrus archidiaconus Suessionicus, qui se cæcum natum fuisse atque per salivam oris viri Dei Arnulfi se oculos accepisse cum multorum testimonio fatebatur. Aderam et ego licet minus idoneus, qui me in ordinem subdiaconatus ab eo consecratum, plurimum exultabam, et illi olim cohabitans, abstinentiam et rigorem vitæ latius cognoveram, præsa- F gia multa audieram, miracula non pauca præsens conspexeram *e*.

archiepiscopum Rhemensem alloquitur. 116 Cumque hæc et his similia multa a pluribus protestata referrentur placuit paternitati vestræ inferre, dicendo : Cur me afficitis relatibus vestris, cum ipse melius vobis cognoverim opera sanctitatis ejus. Vidi cum in Calvo-monte dedicationem facere, ubi femina de vico, quem dicunt Caviniaco, ter quinis annis oculorum prædita damnis, in faciem sancti se misit voce precanti, mox mora nulla fuit postquam præsul benedixit, palpebra se scidit, patuit lux, femina vidit. Sed estote; mira fecerit, vixerit juste, non dico levandum, nisi gratia Dei per clara signa cælitus dederit testimonium. Adest Romana Ecclesia, adest ipse dominus Papa; referatur hæc res ad eorum cognitionem, et sequamur inde illorum examen. Factum est, et consona omnes voce in nostram se redegerunt sententiam. Itaque quæ et quanta postquam sepultus est, circa extincta ossa ejus. Dominus et salvator noster demonstrare dignatus sit miracula, hac præsenti decrevimus vobis et matri Ecclesiæ intimare pagella, ut præcedens cognitio vestra in auctoritatem securius legendi ceteris proficiat.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Hic est Calistus II Pontifex, qui ab anno* 1119 *usque ad annum* 1124 *Ecclesiam rexit.*

b *Hoc concilium mense Octobri anni* 1119 *Rhemis celebratum est, cui quadringenti viginti quatuor episcopi interfuisse dicuntur.*

c *Quamvis Lambertus ille apud Sammarthanos etiam non recenseatur inter episcopos Tornacenses, tamen in serie præsulum Noviomensium ab iisdem refertur, et ab anno* 1115 *usque ad annum* 1120 *ecclesiis Noviomensi ac Tornacensi præfuit, quæ postmodum in duas diœceses divisæ sunt.*

d *Hac phrasi auctor indicat, ibi adfuisse ipsum Ludovicum regem Francorum, qui precibus* S. Arnulfi *impetratus fuerat, ut supra narratum est.*

e *Ex his patet, quantam fidem hæc narratio mereatur.*

TITULI VETERUM CAPITUM.

B

I. De igneo splendore et Crucifixo prosiliente.

II. De pulvere circa tumulum ejus collecto.

III De terrore cælitus acto contra hos, qui furari illum quærebant.

IV. De muliere contracta et ibidem sanata.

V. De cereis ibi cælitus accensis.

VI. De multitudine languentium inibi recuperatorum.

VII. De hydropico sanato.

VIII. De balena per nomen ejus devicta.

IX. De paralytica sanata.

X. De duobus senibus ibidem melioratis.

XI. De manco ibi recuperato.

XII. De homine sanato nocte S. Joannis Baptistæ VIII Kalend. Julii.

XIII. De reliquiis sancti Arnulfi in combusta ecclesia non combustis.

XIV. De homine, qui ideo infirmatus est, quod votum non implevit.

XV. De elevatione corporis ejus.

XVI. De tribus miraculis tunc peractis.

XVII. De sphera in cælo apparente.

XVIII. De homine pacem respuente debilitato.

C XIX. De episcopo Belgoto, qui nolente eo successit, et periit.

CAPUT I.

Varia prodigia, quæ ad Sancti tumulum et per invocationem ipsius in Flandria contigerunt.

Lib. III. Cap. I. *Tumulus S. Arnulfi splendore illustratur,*

Postquam beatus iste Servus Dei humanis rebus feliciter exemptus est, diversa miracula juxta ejus exuvias a Domino facta sunt, ac plurimæ languentium sanitates condonatæ. Non longe vero a tumulo ejus stetit altare et crux grandis superposita, habens imaginem Crucifixi Domini, de cujus imaginis vultu ac pectore viderunt duo fratres spirituales igneum globum seu fulgur erumpere, et in illius tumbam circa ejus pectus celeriter transilire; quo signo datur intelligi, quoniam ille, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, huic Famulo suo veræ lucis gaudia contulisset. Sequenti tempore, eodem tamen anno, tumba ipsa a capite usque ultra pedes scissa est, et in directa divisa, quasi ad lineam fuisset concisa. Ista autem divisio vel scissura instantis elevationis ejus præcurrens præsagium omnium mentibus intimavit. EX MS.

118 A primo quoque tempore depositionis ejus, ardor fidei et devotionis tantus circa illum emicuit, ut quicumque ægrotantes per se vel per missos suos venerunt ad sepulchrum sancti Arnulfi et per circuitum colligentes pulverem volitantem, reportabant sibi quasi certam medecinam: ipsum vero pulverem cibis suis aut poculis immittentes, seu siccum pulverem lambendo, sorbendo a cunctis infirmitatibus evadebant, et certissimum remedium velocius assequebantur; et hoc non quater aut septies, vel octies, sed millies evenisse notissimum est. Vidimus energumenum pessime vexatum, cui cum pulvis ille nolenti in os fuit injectus, mox hostem evasit, et mentem recepit. Pulvis iste celeber non soli nostræ Flandriæ * *a*, sed omnibus finitimis regionibus grandem suæ utilitatis notitiam comportavit. Anglia, Gallia, Scotia, Fresia sic tenuerunt; externæ gentes patriæque simul cinerem E rapuerunt.

II. *pulvis ibi collectus ægros sanat,*

* al. Franciæ

a

119 Hæc et his similia multa postquam sic fieri latius comperta sunt, et rumor iste laudabilis Franciam penetravit, cum et gratus odor ex ejus tumba jugiter emanaret, monachi sancti Medardi graviter condolentes, quod tanti Viri exuviis caruissent, consilium inierunt cum suo abbate Odone *b*, ut quasi visitationis gratia locum Aldeuborgensem adirent, et clam tumulum ejus aperirent, ut extracta ossa ad cœnobium suum Suessionis sub omni celeritate deportarent. Ventum est eo usque, et, paratis hujusce negotii instrumentis, noctu cœperunt aperire tumulum ejus a latere dextro. Mox ingens fragor cælitus intonuit concutiens fodientes, et nimium consternatos ab incepto deterruit. Illi paulo post recreati et ex occulta aëris passione id accidisse autumantes, redierunt ad sepulchrum, ut cœptum perficerent.

III. *et monachos corpus ejus auferre tentantes*

b

120 Sed statim ut cœperunt fodere, iteratus fragor terribiliter increpuit; at illi facti examines corruerunt in terram, ac tandem resumpto anhelitu cum nimia formidine aufugerunt. Cumque de F longe starent suppresso murmure mussitantes, subiit illos cogitatio, ut iteratam temeritatem tertio repeterent, et an ullus cederet effectus denuo attentarent. Adveniunt tremuli, applicant manus pavitantes; sed continuo intolerabili terrore jam tertio percelluntur. Alliduntur pavimento, palpitant exanimes et pene præmortui, quid fuerint, nesciunt. Horarum vero trium spatio evoluto, ad sensum redierunt et nimium angustiati fecerunt votum, quod numquam amplius attentarent sacrum corpus ejus, vel sepulchrum temerare. Arnulphus nepos ipsius sancti Præsulis et primus abbas Aldeuborgensis *e*, hæc patrare conatus est, cum duobus monachis Godeberto, natione Aldenborgensi, et Boldrado Brugensi, quorum etiam relatione hæc eadem sic gesta innotuerunt.

triplex fragor ab incepto deterruit,

c

121 Sequenti tempore delata est illuc quædam fæmina miserrima contractione deformiter distorta, ita ut genua ejus pectori confixa, et palmæ manuum sub poplitibus colligatæ, tali quoque natibus carneteus cohærerent. Hæc miserentis populi studio ad tumulum sancti Arnulfi projecta, ubi per modicum quasi requievisse visa est, divino munere ad honorem Servi Dei sanata est erecta, quæ per ecclesiam atque per atrium ecclesiæ recto gressu

IV. *et ad sepulcrum ejusdem Sancti*

EX MSS. gressu deambulans ostendebat loca membrorum cruore horrentia, ubi aliud alii cohærens complicitum pridem fuerat et connexum.

V. *varia miracula patrantur.*

122 Multoties accidit, ut luminaria ibidem cælitus accendi viderentur. Sed ne fortuita vel quolibet astu adumbrata referre videamur, mille testibus defenditur, quod narramus. Solennitas præcipua agebatur prima die mensis Maii et populi multitudo undique locum compleverat, et ecce hora diei tertia cum solennis processio ageretur, duo cerei, qui portabantur, ad ostium ecclesiæ flante vento extincti sunt. Sed ut ventum est ad sepulchrum S. Arnulphi, statim ipsi cerei accensi sunt et ita accensi, ut flamine venti extingui non possent.

VI. *Multi opem S. Arnulfi experiuntur in morbis*

123 Anno etiam Dominicæ humanitatis post mille et centum quinto decimo per totam vicinam regionem facta est plaga sævientium morborum in hominibus utriusque sexus et totius ætatis, et tunc catervatim properantes languidorum bajuli satagebant projicere ægrotos suos circa tumbam Arnulfi servi Christi; tanta vero diffusa est gratia in reparatione languentium, ut a medio Aprili usque ad B medium mensis Augusti, quando transitus ejus celebratur, sexaginta sint curati aegrotorum, præter eos, qui sic sanati sunt, ut ad notitiam nobis non venerint. Similiter factum est anno sequenti; ut a mense Maio usque ad mensem Augustum quinquaginta hominum utriusque sexus diversæque ætatis reparatio ibidem condonata sit.

VII. Sane inter eos venerat quidam hydropicus, ventris et venarum distensione vehementer inflatus, qui sumptum de cespite humili tumuli contiguo pulverem, in aquam conspersit et eamdem aquam ebibens, mox salutem est consecutus.

VIII. *aliisque casibus, cum eum invocant,*

124 Sub eodem tempore exeuntes de ista Flandria piscatores balenam permaximam circumdederunt, lanceis et jaculis vulnerantes ut devictam ad terram convehcrent, et de morte bestiæ divitias sibi aggregarent. At bestia immanis, quamvis fortiter jaculis et lanceis fuisset vulnerata, capi vel sedari nequaquam potuit; sed ex dolore plus insaniens, modo aquas vomebat ad cælum, modo se submergebat in profundum; modo de profundo resurgens caudæ suæ et alarum impetu confringebat armaC menta navium. In tanta difficultate dixit unus ad socios: Invocemus sanctum Arnulfum de Aldenborg, et voveamus ei partem de pisce; et confido, quia auxilio ejus cito hanc bestiam devincemus. Fecerunt ita, et statim balena destitit sævire, et se capiendi atque funibus colligandi locum quietissimum attribuit.

IX. *aut visitant illius reliquias*

125 In Vigilia Dominicæ Ascensionis ad concentum sancti euangelii *d* intra synaxim vespertinam quædam paralytica sanata est.

X. In nativitate sancti Joannis Baptistæ dum noctu vigilias ageremus *e*, quidam homo ibidem sanatus est.

XI. Quidam etiam provectæ ætatis homines duo senes gratiæ nimium et consimili angore percussi dolebant se vivere: nam utrorumque genitalibus illapsa viscera nimiam passionem et vivendi difficultatem illis inferebant. Hi, audita fama gratiarum beati Arnulfi, cum magno labore pervenerunt ad sepulchrum, et eorum contentio in salubre gaudium divino nutu conversa est: nam meritis et orationibus sancti Arnulphi eorum viscera sursum redacta sunt atque in naturalem situm revocata et qui cum maxima difficultate huc venerant, cum gaudio sanitatis expediti et alacres redierunt.

XII. In feria sexta hebdomadæ Pentecostes quidam juvenculus aridam manum se habere dolens, venit et projecit se ad loculum tumuli sancti Arnulfi D multis planctibus pulsans sancti pietatem; et dum lectio euangelica recitaretur, sanata est manus ejus et perfecte restituta.

XIII. *quæ ab incendio mirabiliter conservantur,*

126 Antequam de terra levarentur ossa sancti Arnulfi, habebat ecclesia sancti Petri ejusdem sancti reliquias, id est totam supellectilem peculiaris capellæ ejus. Ex his vero reliquiis dederunt fratres quamdam portionem quibusdam de insula Scolda *f* hominibus, ut ædificarent ecclesiam in nomine Christi sub titulo sancti Arnulfi. Ecclesia illa constructa, et erecto altari, posuerunt capsulam istarum reliquiarum in altari, et accidit per incuriam, ut illa ecclesia ignibus deprehensa funditus arderet; capsula vero reliquiarum sancti Arnulphi ab ignibus intacta et omnino illæsa in altario sedit; ipsa autem palla altaris, in quantum tangebat capsulam vel subjacebat, incombusta remansit.

XIV. *et coram quibus Wido pacem spondens, eamque non servans,*

127 In insula, quæ nuncupatur Bevelandia, hoc est tremula terra *g*, quidam nobiles quorum caput erat Alvisus filius Landradæ et Ellicus frater ejus, contentionem et litigium exercebant adversus compares suos æque nobiles viros. Unde contigit, ut quidam nomine Wido ante portam Ellici in manu vulneratus duos amitteret digitos medium et medicum *h*, et maneret duobus digitis debilis et mancus. Pro hac re viguit magna Widonis et inimiE corum ejus inimicitia contra Alvisum et Ellicum, coutraque amicos vel complices illorum, quousque sanctuarium sancti Arnulphi in illas partes deveheretur ad faciendam pacem inter gentes ignorantes Deum. Ille vero Wido duorum digitorum damno deformatus, in ecclesia deprehensus a monachis et clericis coram se prostratis, cum et reliquiæ sancti Arnulphi coram eo solo tenus jacerent, artatus est, ut spoponderet pacem se facturum cum Alviso, et Ellico suis quondam inimicis, et ejusdem sponsionis arrhabonem coëgerunt eum ponere super reliquiarum lecticam sive manus chirothecam; et quidem propter reverentiam præsentium Sanctorum obedivit ad horam; sed domum reversus et a propinquis vel clientibus probrose increpatus, aversus est a bono et supersedit perficere, quod spoponderat sancto Arnulfo. Statim invasit illum fortis ægritudo, qua detentus decubuit diebus XXI, in quibus non somnum vel cibum capiens, sed de die in diem pejus F tabescens, ad hoc redactus est, ut accersito presbytero de funere cogitaret.

morbo opprimitur, qui peccati pœnitens statim sanatur

128 Tunc presbyter dixit ei: Omnis hæc infirmitas, quam tam dure pateris, pro mendacio, quod S. Arnulfo mentitus es, juste infertur; sed si mihi credas et promissam pacem atque mancorum digitorum tuorum reatum bono corde indulgere non renuas, spero in Deum vivum, quod convalesces et vitam tuam prosperari senties. At ille nil deliberans, Defer ad me, ait, istam sanctam crucem; qua præ manibus oblata ait: Ecce certissime novi, quoniam propter meam falsitatem incurri infirmitatem; sed si nunc sanctus Arnulfus pro me oret, ut possim vivere, voveo et juro in cruce ista, quod de pace et digitorum meorum indulgentia, quidquid dudum promisi, complebo omnia.. Sic dicens et novo dono novum votum in cruce perficiens, continuo subjecit: Si habeo amicum vel fidelem, provideat mihi, ut cito manducem: nam timor mortis a me recedit, spes tota vitæ mihi succedit. Quid plura? Statim cibo et potu refectus convaluit. Post diem tertium ascensis equis Flandriam intravit. Aldenborch petiit et coram Fratribus pœnitentiam egit

A git. Rediens vero in locum suum, omnia, prout postulatus erat, et prout ipse primitus devoverat, ad perfectum complevit, et in pace, quam spoponderat, stabiliter permansit.

ANNOTATA.

a *Suspicor illam discrepantiam lectionis, quæ in variis Mss. codicibus occurrit, provenire ex eo, quod Hariulfus abbas Aldenburgensis tamquam Flander vel saltem Flandriæ incola prius scripserit, pulverem illum* nostræ Flandriæ *utilem fuisse. Cum autem Lisiardus natione Gallus esset, et hæc postea suo nomine narraret, pro* nostræ Flandriæ *forsan* nostræ Franciæ *posuit. Etiam ex aliis phrasibus facile colligi potest, primum scriptorem horum miraculorum Aldenburgi præsentem fuisse, dum aliqua eorum contingebant, cum tamen Lisiardus verosimiliter ibi numquam fuerit, ut in Commentario prævio monui. Propterea etiam in tituto libri tertii notavi, narrari a Lisiardo miracula et alia,* forsan prius ab Hariulfo abbate Aldenburgensi conscripta *fue-*
B *rant.*

b *Apud Sammarthanos duplex Odo distinguitur, et priori annus Christi* 1090, *alteri autem annus* 1132 *adjungitur. Hic verosimiliter de primo istius nominis abbate agitur, si distincti sint. Porro ab editoribus novæ Galliæ Christianæ ampliorem horum abbatum notitiam exspectabimus.*

c *Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* 67 *cap.* 39 *sive tomo* 5 *pag.* 243 *narrans hunc irritum Arnulfi conatum, de eodem scribit sequentia:* Forte necdum abbas erat Arnulfus, sed tantum sancti Medardi monachus, cum tentavit. Odoni sancti Medardi abbati anno MXCVII jam successerat Radulfus ejus nominis secundus.

d *Ad hanc vocem Mabillonius in notis hæc monet :* Id videtur intelligi debere de cantico MAGNIFICAT; nec enim alia pars sancti Evangelii cantata fuisse videtur tunc temporis in synaxi vespertina.

e *Iste modus loquendi potius Hariulfo abbati Aldenburgensi quam Lisiardo episcopo Suessionensi convenire videtur, cum hic forte numquam Aldenburgi fuerit, ut supra etiam notavi.*

f *Hæc insula ab incolis vernacule* Schouwen *vocatur, et ab auctoribus medii ævi Latine* Scolda
C *vel* Scaldia *appellatur, estque una ex insulis Zelandiæ ad os fluvii Scaldis sita.*

g *Hæc est altera Zelandiæ insula, quæ anno* 1532 *inundatione maris in duas insulas divisa est, quarum una Bevelandia borealis, altera meridionalis dicitur. Quod vero spectat ad etymologiam hujus nominis, de qua scriptor hic agit, sciat curiosus lector, verbo* beven *apud Flandros* tremere, *et voce* land *apud eosdem* terram *significari.*

h *Est digitus minimo vel auriculari proximus, qui etiam vocatur medicus aut annularis, ut in Calepino videre est.*

CAPUT II.

Elevatio sacrorum ejus ossium, quam signa cœlestia et miracula consecuta sunt.

XV. *Præsules in synodo Bellovacensi.*

Hæc et alia supernæ gratiæ documenta postquam ad aures episcopi domni Lamberti sive ad notitiam fidelis populi latius perveneruut, idem iniit episcopus consilium in Concilio Bellovacensi xv. Kalendas Novembris *a* cum quibusdam coëpiscoporum suorum, quid facto opus esset ad tantam Dei magnitudinem. Intererant inibi episcopi Francorum Wilhelmus Cathalaunensis columna doctorum *b*, Joffredus Carnotensis episcopus, Delbertus Senonensis archiepiscopus, Aurelianorum episcopus, Parisiorum episcopus, Clarembaldus Sylvanectensis episcopus, Petrus Belloacensis episcopus, Angelrannus Ambianensis episcopus, Rodtbertus Atrebatensis episcopus, Joannes Morinorum episcopus, Lambertus Tornacensis episcopus, Burchardus Cameracensis episcopus, Bartholomæus Laudunensis episcopus, Liziardus ego iudignus Suessionensis episcopus, abbatum, archidiaconorum, præpositorum et copiosa cleri multitudo.

ex ms. *a* *b*

130 Inter ceteros quoque adfuit ipse Aldenborgeusis abbas, ferens in manu libellum de Vita et moribus miraculorumque gestis ipsius sancti Arnulfi, quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, et apertum obtuli episcopis dicens : Ecce, domini, libellus iste, me conscio meque auctore, de Vita ejus conscriptus est *c*, cui quod vera sint omnia quæ narrat, testimonium in E fide perhibeo, et de cujus miraculis et hic quosdam et domi plures valde testes veraces adhibeo. Hunc ergo libellum postulo a vobis diligenter considerari, ut ex hujus notitia valeatis, quid de illo agendum sit, melius informari. Vestra autem sanctitas audiat judicium meum, quoniam si in diœcesi mihi commissa pausaret, longum est, quod iu terra non jaceret. Tunc Wilhelmus Cathalaunensis episcopus accepit libellum. et inspiciens a principio vidit numerositatem capitulorum, et ait ad episcopum Toruacensem : Domine, quid amplius quæritis? Absque libello isto sufficit nobis testimonium domini episcopi Suessionensis et clericorum ejus : debet vobis maguam fiduciam præbere iste talis abbas, cujus et ætas suscipienda est et prudentia bene placet; libellum vero istum, quia synodalibus negotiis occupamur, percurrere non vacat.

auditis S. Arnulfi miraculis, *c*

131 Joffredus Carnotensis episcopus ait : Domine Toruacensis, dico vobis in veritate; si Dominus talia vel semel fecisset circa aliquem prædecessorum meorum, ego nec Papam nec legatum nec vel archiepiscopum consulerem; sed F tota constantia Sanctum Dei, ut dignus est, exaltarem *d*. Interim dum hæc ab episcopis decernuntur, quidam nobiles magistri scholarum acceperant libellum et cursim perlegerant quædam gestorum capitula. Quidam ergo eorum recurreutes, ubi erant episcopi, cum magna constantia fatebautur : Revera ex Deo non est, qui hujus Saucti exaltationi contrarius est. Tunc Guilhelmus Cathalaunensium episcopus ait : Per Deum turpe est, quod de re tam aperta dubitamus. Unde vos, domiue Tornacensis, cum Domini gratia, remota omni ambiguitate, statuite diem, quo ad locum conveniatis et sauctum Servum Domini de terra elevaudo, honorifice recondatis. Lambertus episcopus Tornacensis ait : Ecce legatus in hac ipsa basilica cum archiepiscopo nostro Remensi vel Turonensi eminus residet; rogo vos, placeat vobis ante illos venire et vestram sententiau illorum judicio confirmare. Episcopi dixeruut : In uomine Domini fiat. Ut ventum est, Lambertus dixit domino Cathalauneusi : Rogo agite causam meau. Cumque ille brevi facundia ante legatum et archiepiscopos causam explicuisset, tam legatus Conou, quam et Remensis archiepiscopus, uua voce

statuunt, sacras ejus reliquias elevandas esse, 1 *d*

ex mss. voce responderunt: Judicium vestræ auctoritatis plene suscipimus, et decretum vestri consensus corroboramus.

quod ab episcopo Tornacensi 132 Itaque episcopus Lambertus convocans abbatem designavit diem, quo Aldenborch conveniret, id est Kalend. Maii, et Viri Dei corpus sanctum de humo levatum juxta morem Gallicanæ ecclesiæ ceu revera sanctum reponeret. Dedit etiam litteras cum sigillo, quibus omnem Tornacensis diœcesis populum, ad tam sanctum officium convocaret *e*. Fama volans, celeri currente meatu, diversos populos has sedes visere fecit. Taceamus de Flandria, Walachrenses, Scoldanii, Bevelaudenses, Antverpenses, Taxandriani, Wasiani, Brabantini, Menapenses, Morinenses, Bolonienses vel ceterarum regionum *f* plebes ubertim affuerunt. Tempore itaque præstituto advenit episcopus cum Tornacensi archidiacono honorabili Rodberto et magna copia cleri, et prælato Crucis trophæo, allato quoque sacro Evangelii corpore cum cereis et odoribus, concinente clero, aperitur tumulus Viri sancti, eliguntur de pulveris situ ossa beata. Stabat calix consepultus super pectus ejus, jacebat et plumbea tabula sub calice B præ pectore ejus; quæ tabula scripta tenebat nomen, patriam, genus, militiam, conversionem, in abbatem promotionem, diem ordinationis ejus in episcopum, diem transitus ejus de seculo isto ad Christum. Hæc tabula a pectore Sancti elevata et episcopo astante relecta fecit illi gaudia magna, quoniam formidabat, ne errore aliquo aucti non sanctum Arnulfum, sed quemlibet indignum, Fratres sub nomine sancti elevarent. Similiter et pastoralem petalum *g* cum episcopo demoustrassent, gavisus est plurimum. Ad ultimum cum sandalia auro intexta extructa vidisset, in lacrymas resolutus est. Ad suscipienda ossa et de sepulchro levanda fuerunt electi tres presbyterio functi abbas Hariulfus, Goduinus monachus, Hagamingus monachus.

non sine miraculis 133 Cumque abba calvariam capitis e terra levasset, et in capsam ad hoc paratam posuisset, ecce manus ejus pingues et liquore olei infusæ repertæ sunt, tamquam si manus suas intinxisset in vas oleo plenum. Ecce coram Deo, quia verum est, et verum fuit quod dicitur. Odor quoque magnæ suavitatis ibidem diffusus est, nec immeC rito: nam qui in vita mortali in omni loco Christi bonus odor existere studuit, non mirum, si jam coronatus a Deo ipso largiente, cui servivit, cælesti honore meruit honorari. Interim reboat ecclesiæ sinus almæ Trinitatis laudibus et usque dum beata ossa digno cultu amicta, scrinio conderentur, tam episcopus quam clerus divinis verbis operam dabat. Quibus scrinio illatis, mox episcopus imposuit hymnum Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Hoc vero hymno usque ad nubes conjubilato, effertur Sanctus extra sanctam ecclesiam ad stationem condictam manu siquidem militari: tanta enim ad Sanctum irruit hominum multitudo ut nimium sese conculcarent, impingerent, contunderent, et nemo præ amore Sancti vel sibi vel alteri parceret. Ita devotio Sanctique desiderium metas rationis abjecerat, ut abba vel monachi ad Sanctum propinquare nulla ratione valerent.

XVI. *et plurium ægrotantium sanatione* 134 Sane divina non defuerunt miracula sed verus Deus in Trinitate unus, cui pure servierat Arnulfus, trinum miraculum ibidem exhibuit: nam quidam juvenis inimica vi possessus, et ob id in insaniam longo dudum tempore auctus, ibi ab inimico liberatus, et sospitati corporis et libertati sensus sui est donatus. Duæ quoque feminæ paraD lysi percussæ ac membrorum officio penitus destitutæ, plenariæ sanitati sunt restitutæ. Hæc vero tria signa intra ecclesiam facta ad notitiam populi per plateas vel agros diffusi, non satis palam devenerunt, quia densa plebium multitudo stipatim adeo basilicam impleverat, ut nemo ibi palam loqui, nemo ibi quoquam se vertere, nemo ibi nisi fremitus tumultuantis populi tunc posset audire.

XVII. *signisque cælestibus* 135 Deus de cælo complacens sibi in suo sancto Arnulfo dedit tunc signum etiam de cælo. Etenim ab hora prima usque ad sextam plenam, visa est in cælo sphæra ardens, quasi flamma ignis, quæ incumbebat super sanctum corpus beati Viri; per transversum vero ipsius sphæræ radiabat velut aurum purissimum in camino probatum, signum sanctæ Crucis, quæ crux suo splendore vincebat omnem solis decorem, sua etiam longitudine superabat amplitudinem prædictæ sphæræ, per quatuor cornua ultra tendens, et nimio fulgore velut aurum rutilans. Hoc certe signum in cælo visum videtur signar cæleste mysterium. Quid enim sphæra figurat, nisi orbis terrarum latitudinem? et qui visio crucis, nisi terrenam mortificationem designat corporis? Quid E autem aurum vel auri splendor indicat, nisi æternæ sapientiæ claritatem et internam divini luminis contemplationem. In sphæra vero apparuit flamma, quoniam per orbem scitur, imo scietur, quoniam caritas Dei diffusa est in corde Arnulfi per sanctum Spiritum, qui datus est illi. Si datus est, a Deo cæli datus est. Jure ergo signum Arnulfum glorificans in cælo apparuit. Et nemo dicat, Arnulfum quis noverit? Nos dicimus quoniam optime notus est, qui jure cæli dignus est nosci: nec enim fallit propheta, qui dicit: In memoria æterna erat justus. Sphæra igitur, quæ in cælo apparuit, figuravit latitudinem bonæ famæ. Flammeus affectus, ardorem caritatis internæ. Crux significat martyrium. Aureus splendor divinæ caritatis mysticum intellectum. Longitudo crucis superans sphæram, intimat sanctam beatæ mortificationis perseverantiam. Potuit dicere beatus et sanctus Arnulfus: Mea conversatio in cælis est. Potuit dicere: Omnia mundi amabilia vel delectabilia, quæ reliqui, arbitror ut stercora. Talis vero talibus debuit declarari. F

XVIII. *factum est ineunte Maio anni 1121.* 136 Facta est autem hæc sancti Arnulphi translatio primo die mensis Maii, Indictione quarta decima, sub anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo primo, Francorum sceptra tenente Hludoico filio Philippi annis XIII, Flandriæ Comitatum agente Carolo *h* filio regis Danorum, cujus mater fuerat filia Rodberti Comitis, cœnobium Aldenburgense regente Hariulpho abbate per annos jam XVI. Animadversum est autem cum beati Viri elevatione regioni Flandrensium advenisse frugum fœcunditatem, corporum sanitatem, aurarum salubritatem, quæ antea per annos septem pluviarum inundatione et agrorum sterilitate, animalium quoque peste et hominum crebra mortalitate atrociter languerat.

XIX. *quo tempore Flandria* 137 Dominica tertia post Albas quando Introitus Missarum cantatur, Jubilate Deo omnis terra Alleluia, facta est nobis beati sancti Arnulfi corporalis elevatio: a qua Dominica deinde octava decima die evenit præclara solennitas de Ascensione Domini, quæ est quadragesima dies a sancto die Resurrectionis. Hæc vero solennitas Ascensionis in oppido Aldenburgensi ab aliis solennitatibus magis frequentior fit, eo quod

A in illo die solennes nundinæ in eodem loco ducuntur, et ideo populi ab operibus vacantes solito plus confluunt. Hac vero opportunitate promiscuis turbis undique irruentibus, contigit convenisse de una vicinia tres milites germanos fratres, et duos alios seorsum milites illis tribus inimicantes; quoniam illi tres nuper interfecerant germanum illorum duorum fratrem militem. Illi vero tres aliorum fratris interfectores convenerant abbatem et monachos ejus loci, et rogaverunt nimium supplices, ut ferrent auxilium laborando pro reconciliatione eorum: ad quod abbas et monachi satis voluntarii, requirentes, ubi essent illi duo fratre orbati, tulerunt secum lecticam beati Arnulfi, et venerunt ex improviso, ubi illi sedebant, et prandere inceperant.

patrocinium ejusdem Sancti sensit. 138 Senior frater, ut vidit monachos et sanctam lecticam intellexit, hos venire ad sese cogendum. Statim projectis dapibus et poculis, voluit exurgens effugere; sed virtute Domini et meritis sancti Arnulphi, nates ejus adhæserunt scamno, pedes ejus adhæserunt scabello suppedaneo, et ita compeditus et constrictus resedit invitus. A monachis B postulatus indulgentiam, respondit verba stultitiæ. Quid multis differamus? Lingua proterva, oculi torvi, et totius corporis motus dissimiles illum amentem prodiderunt et morti jam iuditum amici defleverunt. Tunc junior frater devovit dicens: Sancte Arnulphe, miserere mei, et redde mihi vitam fratris mei, et, ecce, voveo, et promitto, quoniam si evaserit frater meus, et pro amore tui istis inimicis efficiar amicus, et ipsum, velit, nolit pertraham, ut faciat cum eis perpetuæ pacis fœdus Monachi præsentes hæc audientes gavisi sunt, et accepta aqua humectaverunt pedes lecticæ, ipsamque aquam resumentes infuderunt ori ejus et faciei totæ *. Tunc ille quasi de gravi somno expergiscens continuit se, dein vocans fratrem fortiter ejulantem ait: Gaude, frater, quia revixi: orationibus sancti Arnulphi me Deus vivere permisit. Et consurgens adoravit cum magna devotione; deinde fratris sui occisores cum magno affectu accepit in amicos et sub firmamento juramenti pollicitus est, illis pacem stabilem observare *i*. Sic exosis gratiam, sic odientibus benevolentiam, sic beato Arnulpho honoris C reverentiam, sic Christus Deus noster uomiui suo laudem et gloriam provenisse dedit in secula seculorum. Amen.

* lege toti

ANNOTATA.

a *Hæc synodus Bellovacensis anno* 1120 *celebrata est, ut auctores jam consentiunt; sed Acta hujus concilii ad notitiam nostram non pervenerunt, ut Longuevallius noster ac alii historici observarunt.*

b *Hic fuit doctus præsul, qui a natali solo in diœcesi Parisiensi vulgo Guilielmus de Campellis cognominabatur, et propter eximiam scientiam* columna doctorum *dicebatur. Præcipua ejus gesta breviter apud Sammarthanos in serie episcoporum Catalaunensium narrantur.* EX MSS.

c *Lisiardus hoc loco non dicit, quod ipse hunc libellum de gestis et miraculis* S. Arnulfi *exaraverit; sed tantum asserit, hunc libellum, se conscio atque auctore (id est, ni fallor, se suasore) conscriptum esse. Hinc in Commentario prævio colligimus, libellum istum ab hoc præsule adoptatum fuisse.*

d *Hic episcopus Carnotensis ex affectu et nonnihil hyperbolice loquitur: nam eo tempore nullus præsul in sua diœcesi poterat quempiam Sanctum declarare, nisi Pontifice per se aut legatum suum consentiente.*

e *Has invitatorias aut convocatorias episcopi Tornacensis litteras in Commentario prævio exhibuimus.*

f *Hic exprimuntur antiqua nomina diversorum Belgii tractuum et incolarum, quæ apud geographos et historicos Belgas passim occurrunt*

g *Mabillonius hoc loco legit* petatium, *et hanc vocem in notis per* schedulam *interpretatur. Sed* E *verisimilius puto, cum Ms. nostro ac codice Valcellensi* petalum *legendum esse: nam per* petalum *vel* petalium *præter alia, quæ in Glossario Cangii occurrunt, significatur pedum pastorale, de quo Harigerus Lobiensis abbas cap.* 8 *inter miracula S. Ursmari sic scribit*: Baculum recurvum, quem plerique cambutam, alii petalum vocant. *Cum autem hic addatur* pastorale, *arbitror, hanc significationem reliquis præferendam esse.*

h *Hoc loco indicatur Carolus cognomento* Bonus, *qui anno* 1119 *comitatum Flandriæ cœpit administrare, et anno* 1126 *vel* 1127 *ab hominibus seditiosis in templo S. Donatiani occisus est, ut Majores nostri ad diem secundam Martii retulerunt in Actis hujus beati Principis, quæ tomo* I *Martii a pag.* 152 *illustrarunt.*

i *Inter titulos veterum capitum in omnibus exemplaribus nostris cap.* 19 *legitur hic titulus*: De episcopo Belgoto *(codex Valcellensis* Helgoto *habet)* qui noleute eo successit et cito periit. *Sed in textu ipsius libri tertii nullum de hac re fit verbum. Quare Mabillonius in notis ad titulum hujus capitis monet sequentia.* Nihil omnino de eo episcopo habetur in hoc libro. Et quidem Hilgotus episcopus Suessionensis, de quo hæc epigraphe videtur debere intelligi, cito non periit; sed post annos circiter duodecim regiminis in monasterium majus prope Turonos secessit, anno scilicet MLXXXVIII, ubi postea abbas factus est. Ejus apologiam fecit Ivo Carnotensis episcopus in epistola ad Paschalem II summum Pontificem. *In Ms. nostro apographo Thosano dicitur quidem episcopus hic periisse; sed adverbium* cito *omittitur. Ceterum de præsule Hilgoto, qui episcopatum Suessionensem abdicavit, et vitam monasticam amplexus est, plura apud Sammarthanos et Longuevallium nostrum legi possunt.* F



DIES

A

DIES DECIMA SEXTA AUGUSTI

SANCTI QUI XVII KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sancta Serena Romæ.

SS. Martyres XXXIII in Palæstina.

S. Diomedes medicus et M. sub Dioclet.

S. Arsacius conf. Nicomediæ in Bithynia.

S. Theodorus ep. apud Helvetos.

S. Simplicianus conf. Mediolani.

S. Vamnes martyr in Persia.

B S. Orion, S. Æmilius, S. Agnatus — MM. Alexandriæ.

SS. Thyrsus et socii MM. in Perside.

S. Ambrosius centurio martyr Ferentini in Campania Italiæ.

S. Chæremon apud Græcos.

S. Titus Diaconus martyr Romæ.

S. Balsemius M. Ramerude in diœc. Tricassina.

S. Nostrianus ep. conf. Neapoli.

S. Aregius episc. conf. Dicesiæ in territorio Nivernensi.

S. Armagilus conf. in Brit. Armorica.

S. Eleutherius ep. conf. Autissiodori.

S. Frambaldus abbas conf. Silvanecti in Gallia. E

S. Theodulus ep. conf. Seduni.

S. Laurentius eremita conf. Sublaci in Latio.

S. Hyacinthus conf. Cracoviæ in Polonia.

S. Rochus conf. in Monte Pessulano.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctorum martyrum Thyrsi, Leucii, Coronati ac societatis eorum *mentio habetur in nostris apographis Græcis e bibliotheca Ambrosianæ Menæis. Vide quæ diximus cum Martyrologio Romano ad diem* XXVIII *Januarii; ubi* C *tamen, qui tertio loco ponitur,* Callinicus, *non* Coronatus *vocatur. Plura itaque de his ad eumdem diem* XXVIII Januarii.

S. Rabulas in pacc cousummatur, *uti hoc die memorant Menæa magna Græca typis edita, de quo etiam meminit Menæum Chiffletii ac Menologium Sirleti. Adi diem* XIX Februarii.

Davidis episcopi Menevensis translatio *ponitur in additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Videantur quæ de ipso dicta sunt* I Mart.

Morinis, Ostensio S. Huufredi ep. couf. *signatur a Greveno, Molano et Edit. Lubec. Col. de ipso pridem actum est* VIII Martii.

S. Didymi *nomen invenio in Calendario nostro Syriaco seu Chaldaico : non mirum itaque est, inde non sciri quo spectet. Sed Martyrologium Arabico-Ægyptium sic dicit :* Memoria Domitii et sociorum, *et forte respicit ad Domitium ac socios martyres (quos dedimus ab eodem disjunctos, sed tamen ab aliquibus illi conjungi monuimus die* XXIII *Martii) vel ad Dometium monachum Persam, cum duobus discipulis sub Juliano Apostata lapidatum, de quo inter Prætermissos die* VII *Augusti. Consuli ergo possunt* XXIII Martii et VII Aug.

Reate, translatio SS. Martyrum Eleutherii episcopi et Anthiæ matris *legitur apud Ferrarium in Catalogo generali. Vide quæ superius de iis dicta sunt* XVIII Aprilis. F

S. Sinesii translatio corporis Romam *refertur in ejus Actis, quæ illustrata sunt et videri possunt* IV Maii.

S. Troiccia *cx Litaniis Pictonicis apud Labbeum a Majoribus nostris olim huc remissa fuerat, postmodum vero observatum est, diversis eam diebus, variis de causis recoli, precipue autem eo, quo de ipsa actum est* IX Junii.

Turonis in Gallia S. Arnulphi episcopi, *est annuntiatio hodierna Ferrarii in suo Catalogo generali, poterat addere* et martyris, *eumque collocare eo die quo Acta ejus recensuimus* XVIII Julii.

S. Arnulphum episcopum Metensem *hoc die signat Castellanus in Martyrologio universali quam ab causam nescio : nonnulli* elevatioucm *notant. Acta ejus etiam illustrata sunt* XVIII Julii.

S. Syntiches translatio *est in Florario Ms. De ipsa egimus* XXII Julii.

S. Rusticula *virgo Arelatensis signatur hoc die a Ferrario in Catalogo generali et a Saussayo : melius ab aliis eo die quo Acta ejus illustrata sunt* XI Augusti.

S. Tharsitius martyr *male hoc die refertur in Viola*

A *la Sanctorum; spectat ad diem præcedentem quo de ipso actum est* xv Augusti.

Apud Africam sanctorum septem Martyrum Liberati *etc., est anticipatio codicis Usuard. Bruxellensis; spectant ex Usuardo ad diem sequentem* xvii Augusti.

Iheronis *in Matric. Cartus. Ultrajectinæ spectat ad diem sequentem* xvii Augusti.

S. Dega Maccayrill *Hibernus episc. alicubi hoc die relatus, spectat ad* xviii Augusti.

S. Orontius M. Alctinus *(Lecce) quo die passus sit nescitur. Signant eum aliqui hac die, alii* xxvi *hujus. Id certum videtur, coli ipsum* Dom. ultima Augusti.

S. Limbania virgo *sanctimonialis Cypria in monasterio nobilium S. Thomæ Genuæ signatur hoc die a Ferrario in utroque Catalogo, non recte, cum aliunde constet, annuam ejus festivitatem recoli* vi Septembris.

Andegavis translatio S. Maurilii *refertur in cod. Usuard. Burdegalensi, colitur* xiii Septembris.

S. Hedwigis elevatio *memoratur hoc die in Kalendario Cisterciensi et Menologio Henriquez. Dies* B *ejus natalis notissimus est quo de ipsa agetur* xv *Octobris vel die ad quem dilata est* xvii Octobris.

Translatio S. Berwardi ep. Hildensheymensis et conf. *est annuntiatio Edit. Lubeco-col. et Greveni. Spectat Sanctus ad* xx Novembris.

Margarita virgo abbatissa Vallis Gratiæ *Parisiis anno* 1626 *defuncta, ut* illustrissimum seculi sidus, *mire et fuse hoc die exornatur a Bucetino, ex cujus elogii principio cetera ferme colliges :* Parisiis depositio beatæ Margaritæ virginis et abbatissæ Vallis Gratiæ, virtutibus ac miraculorum gratia illustrissimæ; æternum postremæ ætatis nostræ decus et speculum *etc. Gesta hujus Venerabilis distinctius narrat Castellanus notans etiam non Parisiis obiisse, sed Seriaci (Sery) in Biturigibus.*

S. Hieremias per S. Bertholdum in Carmeli Ordinem admissus, ejus et successor in Prioratu loculi fuit. Divinis revelationibus irradians et sanctimonia præstans obiit in Carmelo ad annum mccxviii. *Verba sunt Aciei bene ordinatæ, toties alibi a nobis citatæ rogatu Philippi Visitantini.*

C Cizium *aliquem (Gall.* Cizy) *ut* patronum ecclesiæ episcopalis Rivensis in Occitania Galliæ *inter Sanctos hoc die collocat Castellanus in Martyrologio suo universali, aitque ipsum ibidem* coli ut a Mahumetanis martyrio affectum, *nullo assignato tempore. Frustra notitias alibi quærimus quibus sane opus est, ut de ejus ætate, gestis, martyrio et cultu plenius doceamur, priusquam hic locus ei concedi possit.*

Primo loco inter suos Galliæ Sanctos præterea refert idem Castellanus S. Theodotum episcopum, qui Basileæ honoretur *absque ulla ulteriori notitia, in quo etiam solitam suam diligentiam desiderari passus est.*

Tertius æque nobis ignotus suggeritur in eodem Martyrologio universali Radulfus *monachus,* Redonis apud sanctimoniales S. Sulpitii, *ut* institutor monasteriorum Loci Mariæ et Felicerosæ. *Quemadmodum et* natalis Carolomanni *signatus a Greveno et Ferrario.*

Hac item die Sancti Ursani confessoris, *annuntiatio est Ferrarii in Catalogo generali absque ulla notitia unde illam acceperit, ut nec de loco cultus nec de ætate aut gestis quidquam indicaverit, nec alibi notatum inveniatur. Siquis de iis nos edoceat, poterit Ursanus alibi inter Sanctos* D *recenseri.*

Regulinda mater S. Adelrici, *in nullis sacris Fastis nota, memoratur in epistola, apud nos Ms. monachi Einsidlensis data anno* 1673, *ubi tamen fatetur scriptor, eam* non habere cultum publicum, *tametsi* servetur corpus cum magna reverentia, *quemadmodum et aliorum monachorum ejusdem loci corpora, quæ in lapideo sepulchro decenter reposita ac publicæ venerationi saltem aliquati plebi exposita sunt* quorum omnium memoria fit xvi Augusti. *Eorum plura adessent monumenta, nisi funesta incendia et hæreticorum rabies omnia consummassent.*

Rufinum puerum martyrem *notatum pro hoc die invenio in scheda Ms. Sanctorum diœcesis Firmanæ in Italia, ubi paucis narratur, impiæ matris jussu fuisse jugulatum, colique in vico Mandialæ, seu Amandiolæ, exstructa quidem non una in ejus honorem ecclesia : ut mirandum prorsus sit, nihil de eo scivisse Ferrarium. Cupia, ea nobis suggeri, quibus ipsum inter Sanctos tuto referre possimus.* E

Sanctem *minoritam ex Arturo inter Prætermissos retulimus* xiv *hujus, necdum consulto Waddingo qui tomo* vii *suorum Annalium in Supplemento ad tom.* iv, *num.* 9 *fusius agit de hujus Sancti eximiis virtutibus ac miraculis, testaturque aliquali cultu saltem privato a multis invocari. Necdum audio corpus legitime elevatum, aut ullam ejus memoriam agi in Officiis ecclesiasticis : imo necdum scitur an hoc die id fieri deberet. Paulo distinctioribus ac certioribus monumentis opus est, ut ei in hoc opere locus dari possit, etiam hoc mense ad quem reduci posse videtur.*

Tres Franciscos beati *titulo hoc die donat laudatus Arturus, primum* Papiensem conf., *alterum* Rheginum, *tertium* Ximenesium *in Hispania, ambos et* confessores.

Additur demum Beatrix a Sylva virgo *de qua etiam in Gynæceo.*

Ex Huebero habentur Martyres quatuor a Turcis in Hungaria Thomas de Szodemio, Ladislaus de Zadvora, Bernardinus de Lippa *et* Franciscus de Villaco.

Item Paulus a Jesu *in Hispania.* F

Jacobus Granerius *in Gallia.*

Didacus Schweizer *Monachii in Bavaria.*

Georgius Cremonensis *Ordinis PP. Eremitarum S. Augustini inter Sanctos hoc die numeratur a Greveno, qui unde cum ut Sanctum coli suo tempore et quidem eo die intellexerit, cum anno primum* 1451 *(nescitur quo die) obierit, haud equidem satis intelligo, nisi ei præluxerit nescio quod Martyrologium Augustinianum a Palazzolo aliquo editum anno* 1487, *unde ipsum a Molano acceptum censuit Herrera in Alphabeto Augustiniano. Longe notior esse debuit Martyrologo Mediolanensi Boscæ, cum tamen ipse* Georgium *illum* Cremonensem *nusquam nominet. Laudatus Herrera in suo Alphabeto ipsius meminit pag.*286 *laudatque satis parce, non tamen absque titulo* Beati, *qui ipsi, æque ac pluribus monasticis nimium familiaris est. Neque vero de reliquiis, miraculis aut ullo ejus cultu in ea qua sepultus est ecclesia, præter inanem titulum quidquam adfert, vel ipsum obitus diem, quo coli deberet ignorans quemadmodum Simplicianus a S. Martino Usuardum cum Molano confudit. Rogatos cupio RR. Patres.*

A RR. Patres, de vero cultu ejusque die nos doceant, non deerit alibi locus, quo de ipso agi possit.

In Baiocasino Basiliaco vico, depositio S. Basiliæ virginis. *Ita hoc die legitur in altero codice Reginæ Sueciæ apud Florentinium. Quid hæc annuntiatio sibi velit, necdum perspicere potui, nisi forte confundenda sit eum aliqua ex pluribus synonymis, quæ in Actis jam datæ sunt.*

Aduiuus *hoc die inter collectanea nostra notatur, ut reperiendus in Saussayi Supplemento ad* IV *Februarii, ubi Martyrologus ille eum signavit his verbis*: In agro Agiunensi monasterio Exieusi ad Oldum fluvium commemoratio sancti Aduiui episcopi et confessoris, cujus gloriosus transitus colendus iucidit in diem XVI Augusti. *Hæc quidem satis confidenter. Vellum addidisset e quibus monumentis hæc tam certo asseruerit, ut ea etiam nobis liceret consulere, dum nec apud Castellanum nec alibi de* Aduiui *istius gestis quidquam reperitur.*

In Belgio commemoratio beatarum Christi virginum Fulcidis, Sanctæ et Ruessellæ sororum. *Est* B *Henriquezii annuntiatio in Menelogio Cisterciensi ubi plura memorat, quæ mirum profecto ignorasse Martyrologos Belgas, Molanum, Miræum et Raissium. Certe nec beatas esse nec coli, ex eorum silentio manifestum existimo. Saussayus ipsarum* commemorationem *hoc die notavit.*

Athanasius de Villa Gomez *monachus Cisterciensis in Hispania refertur ab eodem Henriquez sed cum solo* venerabilis *titulo, quem solum ei etiam tribuit Bucelinus.*

Scevæ in India B. Elsæ confessoris *memoria reperitur apud solum Ferrarium in Catalogo generali, ubi satis vage notat, eum haberi ex relationibus PP. Societatis Jesu; colique ipsum ibidem ex sanctæ Sedis Apostolicæ concessione. Dum vero adjungitur* Teclaimanoth, *qui apud Michaëlem Pium* Elsæ *magister fingitur, tam disparata et stupenda connectuntur, ut de vera istius* Elsæ *non solum sanctitate sed et de existentia ferme dubitare cogar: certe Marchesius de eo loqui ausus non est. De* Teclaimanoth *videatur Echardi Bibliotheca tom. 2 pag. 338. Si* C *paulo tolerabiliora de* Elsa *suggerantur, locum ei libentissime in hoc opere concedam, quocumque mense aut die legitime colatur.*

Arvernis monasterio Magnilocensi, sancti Domnini inclyti martyris et sociorum ejus. *Ita habet cod. Usuardinus Caudiacen. At pridem notavi, Sanctum illum aut synonymum sæpius recurrere.*

Artemiæ virginis et martyris filiæ S. Serenæ et Diocletiani *a solo Greveno hoc die notatur. At quid de ea sentiendum sit, non semel diximus. Vide superius diem* VIII, *ubi de Cyriaco, Largo et Smaragdo pag. 331, et etiam hoc die ubi de S. Serena.*

Magnum Kalendarium Benedictinum Ms. hoc die ex S. Arnulpho Suessionensi *formavit* Arnulfum Lugduuensem, *quem in Flandria monachum fuisse prædicat. Florarium Ms. scripsit* Rothomagensem.

Addit Kalendarium Nicaldum abbatem, *de quo alibi nec vestigium.*

B. Veronicæ *meminit Kalendarium Ruthenorum apud Possevinum. Martyr istius nominis Antiochiæ, et altera in Mesopotamia nolantur* D *apud nos die* XV *Aprilis, matrona vero synonyma Hierosolymitana die* IV *Februarii. Putamus hic designari* Veronicam *seu veram iconem Antiochenam Christi Domini non manu factam de qua hic inter Prætermissos etiam agitur, quæ vide, uti et dicta in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tom. 1 Maii pag.* XXXIX.

Imaginis, sine manu factæ, Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi ex Edessa deportatio *ad urbem Constantinopolitanam,* ἤτοι τοῦ ἁγίου μανδηλίου *id est*, sive sancti mantilis *vel sindonis memoria exstat in Typico, quod vocatur S. Sabbæ: de qua etiam agunt Menæa magna excusa ac Menologium Sirleti. Vocem* μανδήλιον *invenies apud Cangium in Glossario Græco-barbaro tom. 1 col. 868. Molanus in additionibus ad suum Usuardum anno 1573 editum ponit hac die nomen* S. Maudelii, *et mox post annuntiationem S. Diomedis M., subnectit deportationem imaginis supra dictæ. Castellanus item in indice nominum Sanctorum ad suum Martyrologium universale assignat Gallice* Mandele *(quod latine reddit* Mandelius) omissus, XVI Augusti. *Ambo igitur perperam acceperc* τὸ E mandelium *pro nomine proprio alicujus Sancti. Crassius autem hallucinatur Ferrarius dum in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano sic scribit*: In Asia SS. martyrum Mandelii et Diomedis. *Ceterum de historia hujus imaginis videri possunt Menæa excusa; quibus adde Baronium ad an. 31 num. 61, Surium, nec non opuscula Combefisii, quæ Diatribæ Leonis Allatii de Symeonum scriptis subjuncta est pag. 75. Illam vero historiam examinare, non est hujus loci.*

Eadem die commemorationem facimus immensæ Dei benignitatis quam Deus tunc ostendit, propulsatis cum ignominia impiis Agarenis per sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ ac semper virginis Mariæ intercessionem, *inquiunt Græci in suis Menæis magnis ad hanc diem* XVI *Augusti, addentes historicam rei gestæ narrationem; quæ peracta ibidem dicitur in initio imperii Leonis Isauri. Agit de isto facto Baronius tom. 9 Annalium ad an. 717. Mentio ejusdem fit in Menologio Sirleti die crastina.*

S. Æglonis anachoretæ memoria *habetur hoc die* F *in nostris apographis Græcis, nec non* XVII *hujus: qui cum ignotus nobis sit, liceat alia desiderare documenta, antequam nostro Operi inseratur.*

Fontis sanctificationis in templo exhausti ac iterum repleti *mentionem faciunt Menæa magna excusa. Vide Baronium ad annum 419 sub finem.*

Memoria horrendæ comminationis per terræ motum illis temporibus superinductæ nobis non sine commiserationibus; a qua præter spem nos benignus Deus liberavit, *nota est in Menæis magnis impressis. Raderus in Observationibus Ms. ad Menæa ista,* Fortasse, *ait,* ille fuit, de quo Evagrius lib. 2 cap. 14 *Ecclesiasticæ historiæ pag. 307 editionis Valesianæ.*

Thomas monachus martyr in Anglia *hoc die perperam refertur a Wilsono et ex hoc a Ferrario in Catalogo generali, jam eum prætermisimus ad diem* VI *hujus.*

Sanctæ Gemmæ *est in cod. Daveronensi. Pridem monui, me nescire de qua hic agatur.*

DE

DE S. SERENA

ROMÆ

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

G. C.

Antiqua hujus Sanctæ memoria in Martyrologiis, et diversæ de conditione gestisque ejus opiniones.

Exeunte seculo III aut ineunte IV. Hæc Sancta in antiquis Martyrologiis dicitur fuisse uxor Diocletiani

Quamvis hac die in vetustissimis Martyrologiis Hieronymianis nulla hujus Sanctæ mentio occurrat, tamen in variis posterioribus Ecclesiæ Fastis celebratur tamquam uxor Diocletiani imperatoris : nam in Romano Parvo, quod Rosweydus noster edidit, hodie legitur sequens annuntiatio :* Romæ, Serenæ uxoris Diocletiani Augusti, *Ado eodem die in suo Martyrologio titulum sanctæ ita addit :* Romæ, sanctæ Serenæ, uxoris quondam Diocletiani Augusti. *Usuardus hanc Adonis annuntiationem secutus est, cui codex Usuardinus Hagenoyensis adjecit sequentia :* Romæ, depositio sanctæ Serenæ imperatricis, uxoris Diocletiani, quæ Christiani suo in tempore multum utilis fuit, et multis Christianis vitam istam prolongavit, ne punirentur. *Hic titulus imperatricis aut uxoris Diocletiani haud dubie primum prodiit ex Actis S. Susannæ Martyris, quæ Ado præ oculis habuit, et de quibus ad diem* XI *Augusti judicium tulimus, cujus hoc loco juverit meminisse. Ex illis veterum Martyrologiorum annuntiationibus quidem patet, esse immemorabilem hujus Sanctæ cultum ; sed inter eruditos non exigua controversia est, an ei nomen uxoris Diocletiani vere tribui possit, ut jam verbis ipsorum referemus.*

quem titulum eminentissimus Baronius

2 *Eminentissimus Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi 295 occasione Actorum S. Susannæ contendit,* S. Serenam *fuisse uxorem imperatoris Diocletiani, ibidemque num. 3 et sequentibus opinionem suam probare nititur his argumentis :* Sed antequam quæ Actorum sunt reliqua prosequamur, *inquit*, de Augusta Diocletiani conjuge, de qua incidit mentio, disserendum. Ipsam enim dictam esse Serenam, non tantum, quæ præ manibus sunt, Acta Susannæ testantur ; sed et res gestæ Marcelli Papæ, insuper et Romanum ac reliqua omnia Martyrologia antiquitus scripta eidem veritati adstipulantur. Siquidem quod Christiana esset et de Christianis optime merita, ac saucto fine quieverit, Occidentalis ecclesiæ tabulæ omnes ejus memoriam antiquitus scriptam conservant : nam decimo septimo Kalendas Septembris natalis ejus dies adscriptus habetur.

eidem vindicare nititur ;

3 Deridebunt hæc fortasse litteratuli, qui gentilium instar, candidam Christianam simplicitatem ex more sugillant, quod apud scriptores ethnicos vel in antiquis inscriptionibus nulla penitus de Serena Augusta Diocletiani uxore mentio habeatur. Sed dicaut, quonam alio nomine Diocletiani conjux Augusta ab antiquioribus dicta inveniatur. Quod si alio nomine eam quis appellatam posset inveuire, nou tamen propterea Serenæ nomen explodendum esset : quid enim absurdi est, ut imperator, qui tot annis vixit, plures diversis temporibus uxores habuerit, vel illa ipsa etiam Serena fuerit coguominata ? At cum nulla sit mentio apud scriptores ethnicos, uec in antiquarum inscriptionum monumentis vestigium ullum exstet de ejus conjugis nomiue, quo jure quis negare poterit, cam non eo nomine esse dictam, quo in Actis sanctorum martyrum reperitur adscripta et in tabulis ecclesiasticis appellata ? Prodant aliud nomen, quibus displicet nomen Serenæ Augustæ ; sed cum non inveniant, nihil est ut faciant de nomine controversiam. Fortasse accidit (haud enim inanis est conjectura) quod cum absque exemplo inter tot conjuges diversorum imperatorum solius inveniatur uxoris Diocletiani nomen excidisse, id in odium Christianæ religionis factum esse decreto principis vel ex Senatus-consulto (quod alias sæpe accidisse scimus imperatoribus) ut nomen ejus abolitum atque abrasum penitus fuerit, quod in chartis Christianorum tantummodo integrum manserit : deperditis enim semel commentariis Claudii Eusthenii de rebus Diocletiani, tum nomen Augustæ ex libris gentilium excidit, tum alia multa sunt penitus oblivione deleta. *Hæc Baronius antequam prodierat liber Cecilii vel Lactantii de Mortibus persecutorum, quem si amantissimus veritatis scriptor sua ætate editum vidisset, probabiliter sententiam mutasset.*

sed Stephanus Baluzius ostendit.

4 *Stephanus Baluzius lib. 2 Miscellaneorum in notis ad Lactantium, cujus antiquum opusculum primus feliciter detexit, pag. 379 et 380 argumentis eminentissimi Baronii ita respondet :* Hic se offert ingens difficultas ; nam in vetustis Actis sanctæ Susannæ virginis, quæ martyrium Romæ consummasse scribitur sub imperio Diocletiani, mentio est Serenæ Augustæ, uxoris ejusdem principis, quæ occulte Christiana erat, et sancta dicitur in vetustis Martyrologiis, ubi dies natalis ejus consignatus est ad diem XVII Kaleudas Septembres. Gravis sane difficultas, si de Actorum illorum veritate et auctoritate constaret. Sed cum illa multa eaque magna suppositiouis indicia habeant, tum ex hoc sane capite falsa esse probautur, quod Serenam uxorem Diocletiani fuisse volunt. Quippe ostensurus sum, Diocletiano nullam aliam toto principatus sui tempore uxorem fuisse, quam Priscam. Etenim si ea mater Valeriæ fuit, ut sane fuit, necesse est, eam Diocletiano nupsisse, antequam is fieret imperator, id est, aute aunum Christi CCLXXXIV, cum Valeria Galerio Maximiano juncta matrimonio sit anno CCXCIII, ætatis suæ ut minimum duodecimo. Vixisse autem tum Priscam matrem ejus hinc certo colligitur, quod diu postea superstes fuit, et anno tantum CCCXIII exstincta est post victoriam, quam Licinius reportavit de Maximino.

5 Hæc monumenta non senserat illustrissimus Annalium

auctore G. C. uxorem Diocletiani Priscam appellari. Annalium ecclesiasticorum conditor Cardinalis Baronius, et tamen suspicabatur futuros, qui eam de Serena Augusta historiam in dubium revocarent, quod nulla penitus de ea mentio alibi habeatur, neque apud scriptores ethnicos, neque in antiquis inscriptionibus; ac tamquam ei difficillimæ quæstioni finem imposuisset, interrogat litteratulos, si his displiceat nomen Serenæ Augustæ, ut dicant, quonam alio nomine Diocletiani conjux Augusta ab antiquioribus dicta inveniatur, et cum non invenerint, non faciant de nomine controversiam. Satisfactum est igitur cumulatissime interrogationi ejus. Rejecta itaque suppositia illa Diocletiani uxore, videamus, an Eleutheria, quam vir clarissimus Hadrianus Valesius in defensione disceptationis suæ de Basilicis uxorem Diocletiani fuisse collegit ex Vita Vigilii Papæ, quæ extat in gestis Pontificalibus, quæ vulgo tribuuntur Anastasio Bibliothecario, vere Diocletiani uxor fuerit.

idque probat ex auctore coævo 6 Venerat Vigilius Constantinopolim ex præcepto Justiniani et Theodoræ, et cum ad ea cogeretur, quæ facere nolebat, ait: Ut video, non me fecerunt venire ad se Justinianus et Theodora, piissimi principes, sed hodie scio, quod Diocletianum et Eleutheriam inveni. Ex hoc itaque loco collegit vir ille clarissimus, Eleutheriam Diocletiani uxorem fuisse, quod certum sit, illic comparationem institui inter Justinianum et Diocletianum, et inter Theodoram Justiniani conjugem et Eleutheriam, propterea Diocletiani uxorem. Verum ex argumentis, quæ adversus Serenam allata sunt, efficitur etiam, Eleutheriam sive Lutheriam, ut est in vetustissimo codice Ms. 417 bibliothecæ Colbertinæ, aut Leuterem, quo modo scriptum legitur in codice 933 bibliothecæ Regiæ, non fuisse uxorem Diocletiani, cum certum sit, ut antea dixi, nullam aliam eum uxorem habuisse, quam Priscam, toto principatus sui tempore.

cujus liber post ætatem Baronii primo inventus est, 7 Erravit ergo Vigilius in historia, aut corruptus in hoc loco est gestorum Pontificalium liber, Sane in codice 736 ejusdem bibliothecæ Colbertinæ ita habetur: Sed hodie scio, quod Diocletianum et Decium vel Leutherium inveni. Jam ergo femina illa in virum mutata est. Porro ex his quæ hactenus dicta sunt de Serena et Eleutheria facile colligere quivis potest, quæ fides adhibenda sit historiæ sancti Georgii martyris, in qua scriptum est, Alexandram imperatricem Diocletiani conjugem, viso quodam insigni miraculo in persona martyris perpetrato, veritatem agnovisse, id est Christi fidem esse amplexam. Hæc nimirum est Alexandra, Diocletiani conjux, mater conjugis Maximiani, ut refertur in Vita ejusdem Georgii, cujus fragmentum in tomo tertio Aprilis pag. 103 edidit Godefridus Henschenius. Eamdem defunctam ab inferis oratione sola ejusdem Georgii revocatam tradit Nicephorus Callistus lib. vii cap. xv. *Huc usque Baluzius, cui consentiunt Tillemontius, Antonius Pagius, et Nicolaus le Nourry Benedictinus, quos in Actis S. Susannæ ad diem undecimam hujus mensis citavi.*

propter quod testimonium præcluduntur effugia, 8 *Mihi non placet effugium, quod fortasse nonnulli quærent dicendo, conjugem Diocletiani pluribus nominibus appellatam fuisse: nam ex Lactantio sive Cecilio constat, uxorem Diocletiani Priscam (quodcumque demum aliud cognomen hæc præterea habuerit) simul cum filia sua Valeria diis sacrificasse. Si autem hæ feminæ umquam Christianæ fuerint, de qua re plures auctores dubitant, nusquam legimus, eas illud crimen expiasse pœnitentia, quam Lactantius vel Cecilius, scriptor Christianus et coævus, haud dubie ad gloriam Christianæ fidei posteris indicasset, ut in Actis S. Susannæ fusius demonstravi. Neque placet conjectura eorum, qui suspicantur, S. Alexandram et* S. Serenam *fuisse concubinas Diocletiani, et postea ad fidem Christianam conversas esse: id enim videtur omnino improbabile ob rationes, quas in gestis S. Cyriaci sociorumque martyrum, et in laudatis S. Susannæ Actis tomo 2 Augusti pag.* 331 *et* 630 *allegavi.*

et varii scriptores Baluzio consentiunt. 9 *Illustrissimus Franciscus Maria de Aste, archiepiscopus Hydruntinus, hac die in notis ad Martyrologium Romanum post relata Baluzii argumenta tandem consentit, ut in Martyrologio Romano deinceps tantum ita annuntietur:* Romæ sanctæ Serenæ. *Hanc illustrissimi viri opinionem facile amplector, et propter auctoritatem veterum Martyrologiorum prorsus existimo, tempore Diocletiani exstitisse illustrem quamdam matronam Christianam, et forte in aula imperatoris familiarem, nomine Serenam, quæ propter professionem fidei Christianæ exsilio mulctata aut martyrio coronata sit, et sic verum* sanctæ *titulum promeruerit. Sed simul arbitror, Acta illius sanctæ* Serenæ *ab aliquo posteriorum temporum scriptore interpolata esse, quando gesta hujus sanctæ Matronæ jam ignota erant, aut notitia eorum in ipsa Diocletiani persecutione perierat. Porro ex posterioribus hisce Actis, quæ Ado præ oculis habuit, verosimiliter titulus uxoris Diocletiani irrepsit in vetera quædam Martyrologia, quibus tamen omnibus antiquior est Lactantius sive Cecilius, qui tempore Diocletiani imperatoris vixit, et qui conjugem istius imperatoris diserte Priscam nominat. Nunc breviter attingenda sunt aliqua incerta, quæ recentiores nonnulli auctores de* S. Serena *tradiderunt.*

Circa patriam Sanctæ, 10 *Joannes Tamayus Salazar ad hanc diem in Martyrologio suo Hispanico contendit,* S. Serenam *origine Hispanam esse. Contra vero Joannes Tomcus Marnavitius patriam ei assignat Dalmatiam vel Illyricum, quando in opere de Fœcunditate regiæ sanctitatis Illyricanæ pag.* 58 *dubitat, an hæc Diocletiani uxor* in patria apud Salonas, vel Romæ potius Christianæ pietati adhæserit. *Eruditis nugari videbor, si diversam utriusque auctoris illius opinionem scrupulosius discutiam, et de incerta* S. Serenæ *patria operose litigem, cum de ipsa hujus Sanctæ persona disceptetur, ut ex supradictis liquet.*

genus mortis 11 *Superius dixi, forsan tempore Diocletiani imperatoris nobilem quamdam matronam Christianam exsilio mulctatam vel martyrio coronatam fuisse: nam Antonius Pagius in Critica historico-chronologica Annalium eminentissimi Baronii ad annum Christi* 295 *num.* 2 *hanc Sanctam inter Martyres ita recenset:* Susanna itaque, Serena, Maximus Comes rei privatæ aliique mox memorati morte quidem a Diocletiano in fidei Christianæ odium mulctati; sed quæ de iis posteriores scriptores retulere, vel ex toto vel ex parte fabulosa. *Verum Bartholomæus Piazza hac die in Hemerologio suo sacro asserit,* S. Serenam, *uxorem Diocletiani, propter publicam fidei Christianæ professionem in exsilium pulsam esse, ac obiisse in Castello, quod vulgo* Foglia *nominatur, et quod in Sabina Italiæ provincia situm est, ibidemque sacrum ejus corpus honorari. Suspicor, Leandrum Albertum de hoc castro meminisse, dum in*

A *in Descriptione Italiæ apud nos pag.* 109 *per interpretem Latinum sic loquitur* : Tertio hinc per ripam Tiberinam lapide pervetusta est turris, ubi transitus Tiberis, Folianum vocant, ex adversum Maliano in Sabinis, de quo postea in Umbria dicetur.

locum sepulturæ

12 *Nescio, unde Pagius martyrium* S. Serenæ, *et Piazza exsilium ejusdem Sanctæ eruerint, cum Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.* 7 *cap* 69 *de illa sic scribat* : Serena regina, uxor quondam Diocletiani Augusti a sancto Cyriaco martyre conversa et baptizata est, quia filiam ejus Artemiam a dæmonio liberavit, ut supra dictum est in Passione Cyriaci VI Idus Augusti. Quæ videns persecutionem diram Christianorum, quam vir ejus exercebat, quæ per annos decem duraverat, ita ut infra dies triginta per diversas provincias septemdecim millia martyrio coronarentur, et in Phrygia civitas una Christianorum undique conclusa, ne ullus evadere posset, igne cum omnibus cremata fuisset. Videns quoque Susannam neptem ejus passam, et alia mala, quæ fiebant, dolore cruciata et febre correpta in confessione Domini migravit ad Christum XVII Calendas Septembris, sepulta a Christianis juxta corpus Susannæ in crypta B *Hic audis*, S. Serenam *Romæ ex morbo mortem obiisse, et ibidem juxta corpus S. Susannæ in crypta sepultam esse. Hinc non satis intelligimus, quomodo corpus* S. Serenæ *in castro Foliano honoretur, nisi postea eo translatum fuerit, aut Petrus Equilinus in assignando sepulturæ loco erraverit, quod utrumque hactenus ignoramus. Si porro quispiam plura novisse desideret circa illa, quæ hic apud Petrum Equilinum de S. Cyriaco et S. Artemia referuntur, is consulat Acta SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi sociorumque martyrum, quæ ad diem* VIII *Augusti discussimus, ubi etiam tomo* II *istius mensis pag.* 331 *de Artemia ista quædam diximus.*

AUCTORE G. C.

et tempus obitus variæ incertæ opiniones referuntur.

13 *Neque magis certum est tempus, quo* S. Serena *e vivis excessit, quam genus et locus mortis ejus : laudatus enim Joannes Tomcus Marnavitius in Opere supra citato pag.* 60 *Petrum de Natalibus sive Equilinum redarguit his verbis* : Tantum a vero abest, quod Petrus de Natalibus scribit, eam mœrore ex sanctæ Susannæ indigna nece concepto, paulo post obiisse : constat enim ex pluribus inde secutis, Augustam multis annis a Susannæ martyrio fuisse superstitem et de promovenda re Christiana studiosissimam vel ex unius Marcelli Papæ Actis. *Deinde Marnavitius ibidem pag.* 63 *ex levi conjectura obitum* S. Serenæ *usque ad imperium Constantini Magni ita differt* : At Serena cum Arthemia pietatis officiis intenta mansit in Urbe, ibique sanctissima vita digno fine necessitatis humanæ debitum solvit ea luce, quæ supremæ cæli Reginæ transitum ad immortalitatis thronum proxime consequitur ; sed quo anno, incertum habetur. Verosimile, et pietate sua eximia condignum conseo, eam, quæ tot lanienas piorum suorum- E que imprimis fuerat contemplata, divina benignitate eo usque vitam protraxisse, donec Constantini, bono generis humani nati et Christinæ Religioni ab indigna oppressione in libertatem vindicandæ a Deo datum imperatorem agnovit. *Sed hæc Marnavitii conjectura et interpolata S. Marcelli Acta apud me non sunt tantæ auctoritatis, ut propterea certum mortis tempus assignare ausim. Quapropter initio hujus sylloges obitum* S. Serenæ *exeunti seculo tertio vel ineunti quarto ambigue affixi. Hæc sunt omnia, quæ de hac Sancta comperire potui.*

DE SANCTIS XXXIII MARTYRIBUS

IN PALÆSTINA

Cultus e Martyrologio Romano ac Fastis Græcis.

J. P.

Die XVI Augusti.

C **M***artyrologium Romanum ita hoc die Pugilum istorum manipulum commemorat* : Item sanctorum triginta trium Martyrum. *Menologium Sirleti eodem die sic habet* : Item sanctorum triginta trium Martyrum, qui ex Palæstina igne consummati sunt. *Menæa Græca magna typis excusa eumdem locum, et idem mortis genus exprimunt : sed in versiculis, quibus illos honorant, diversum : canunt enim ista* :

F

Στρατὸς στέῤῥοστε καὶ συνασπισμὸς μέγας
Ξίφει πεσὼν στράτευμα δαιμόνων τρέπει.

Commilitonum fortis ac grandis phalanx
Ferro perempta dæmonum avertit manum.

Hic dicuntur gladio cecidisse ; supra autem igne martyrium consummasse. An ergo post mortem ferro illatam in ignem injecti ? Menæum Chiffletii tantum dicit hoc die, quo eos etiam refert, Μάρτυρες λγ' ἐκ Παλαιστ. *Id est* : Martyres XXXII ex Palæstina. *Nos Græcorum exemplum secuti in Palæstina eos etiam supra annuntiavimus.*



DE

A D

DE S. DIOMEDE MEDICO ET MART.

NICÆÆ IN BITHYNIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, elogium, Martyr hic cum alio confusus; templum Constantinopoli, caput in Italia, Acta.

Sub Diocletiano. Colitur et laudatur Sanctus

Celebre hujus Martyris nomen esse apud Græcos, conficitur e tabulis eorum sacris. Hoc quippe die inscribitur Typico, quod sub nomine S. Sabbæ citari solet, Menologio Sirleti, ac Slavo-Russico Sparwenfeldiano: quibus adde Menæa magna excusa, Menæum Chiffletii, nec non Menologium Basilii imperatoris, e quo elogium tom. B 1 Augusti apud nos excusum Græce, hic more nostro latinitate donatum, ita sonat: Diomedes Christi martyr Tarso Ciliciæ oriundus quidem fuit, artem vero medicam exercuit. Diocletiano autem imperante Tarsum relinquens Nicæam se contulit, pietate in Deum artisque medicæ scientia bene meritus de accedentibus ad se. Unde accusatus est apud imperatorem. Postquam autem illi, qui advenerant, ut eum comprehenderent ad Dominum migrasse ipsum compererunt, caput ejus amputarunt, atque ad imperatorem detulerunt: quod imperator conspicatus, referri illud jussit, ac corpori apponi Et hoc facto, dicuntur illi milites, qui illud referebant, oculorum suorum usum statim recepisse, quem amiserant, quando Sancti caput amputabant. Venerandum autem ipsius corpus sepulturæ traditum est a fidelibus ac piis viris. *Menæa magna excusa simile habent de Martyre elogium, in quo memoratur* illustri ac bono genere natus, sed melior moribus.

apud Græcos

2 *Versiculi sequentes ibidem annuntiationi ejus subjiciuntur :*

C
Ἠθλησε καὶ ζῶν καὶ θανὼν Διομήδης,
Προαιρέσει ζῶν καὶ νεκρὸς τομῇ κάρας.
Ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ νέκυς ἐτμήθη Διομήδους.
Vivusque mortuusque Diomedes orat :
Ratione vivus ; mortuus, sectus caput.
Scinditur ad sextam et decimam corpus Diomedis.

Alluditur ad miraculum, quod post amputatum Sancti caput contigisse fertur. Raderus hæc Menæorum verba de eodem capite Λέγεται παραυτίκα τοὺς ἀγαγόντας αὐτὴν στρατιώτας ἀπολαβεῖν τῶν οἰκείων ὀφθαλμῶν τὴν ἐνέργειαν, ἣν ἀπέβαλον ἐν τῷ τεμεῖν τοῦ Ἁγίου τὴν κεφαλήν, *sic vertit in Ms. sua eorumdem Menæorum interpretatione quam habemus;* Dicuntur milites, qui caput retulerant, eamdem vim seu splendorem et energiam in ipsius oculis conspexisse, quam viderant, cum illi cervicem abscinderent. *Sed quantum Raderus a genuino verborum sensu aberravit, cum ex textu patet, quem nos supra dedimus, tum is sensus confirmatur aliunde ex iis, quæ de istis militibus inferius dicentur.*

et Latinos

3 *Publico etiam cultu apud Latinos* S. Diomedes *honoratur. Nam de eo miminit Molanus in additionibus ad suum Usuardum hac die, qua Galesinius hoc eum elogio exornat :* Nicææ in Bithynia S. Diomedis martyris. Is civis Tarsensis, genere nobilis, sed pietate illustrior, cum medicinam exerceret, quibus medebatur eorum corpora medicamentis, animas salutaribus fidei præceptis curabat. Tarsis autem a Diocletiano captis, inde Nicæam commigravit: ubi non medendi solum arte, sed religionis Christianæ studio omnibus ad salutem prodesse studuit. Itaque cum esset apud regem accusatus, caput ei in fidei confessione absciderunt qui ad illum comprehendendum missi sunt. *Martyrologium Romanum ita ipsum refert :* Nicææ in E Bithynia S. Diomedis medici, qui in persecutione Diocletiani pro Christi fide gladio cæsus martyrium complevit.

Martyr hodiernus

4 *Baronius in notationibus ad hanc annuntiationem,* Usuardus, *ait,* tam de Diomede quam sociis agit quarto Idus Junii. *Sed videamus an Eminentissimus Cardinalis duos Martyres synonymos non confuderit. In Usuardo a nobis edito hæc habentur non quarto, sed quinto Idus Junii, seu nono ejusdem mensis :* Nicea, sancti Diomedis. *De qua in Observationibus ibidem sunt ista :* Diomedes ex Hieronymianis decerptus et a sociis avulsus est, a nullo alio antiquiorum relatus. Nihil de eo aut sociis memoriæ proditum est præter sola nomina varie in Martyrologiis connexa, ut etiam ex auctariis nostris patebit.

cum synonymo alio confusus.

5 *Martyrem hunc cum quatuor sociis, videlicet Amantio, Muciano, Alexandro, Januario dedimus ad dictum diem* IX *Junii. In hoc itaque Diomede atque in hodierno consentiunt quidem nomina ac palæstra passionis, sed plura alia dissentiunt, ut nobis multo videatur probabilius, unum ab alio distinguendum esse. Etenim 1°. Differunt* F *dies, quibus coluntur. 2°. Martyri hodierno apponitur imperator, sub quo passus ; non alteri synonymo. 3°. Noster fuit medicus secundum Martyrologia et Acta ; ille talis non dicitur. 4°. Nostro non adjunguntur socii, sed isti. 5°. Noster denique magnam cum apud Græcos tum apud Latinos habet venerationem ; alius autem iste meras Latinorum annuntiationes, prout videre apud nos tom.* II *Junii ad diem* IX *superius citatum. Quæ cum ita sint, non videtur esse dubium, quin Martyres isti toto cælo, ut ita loquar, sint diversi.*

Templum Constantinopoli a Constantino magno constructum.

6 *Quia vero Athleta noster tam magna nominis fama apud Græcos inclaruit, ideo non abs re facturum me existimo, si quæ jam dicam, de ipso potius quam de alio aliquo synonymo intelligam. Codinus in Originibus Constantinopolitanis pag.* 51, Templum, *ait,* sancti Diomedis primus ædificavit Constantinus magnus: post eum autem Basilius Macedo id majus et pulchrius reddidit, multisque donavit divitiis, propterea quod inde oraculum de futuro imperio acceperat. *Rem testatur ac confirmat Constantinus Porphyrogenitus in Basilii Macedonis avi sui Vita cap.* 73, *in qua*

A *qua sic narrat* : Magnum.. martyrem Diomedem cum donariis pretiosis tum librorum copia donavit, pignoribusque aliis ac splendidis vestibus magnifice ornavit, ejusque nomine exstructum monasterium, magna prædia uberesque reditus præbendo, abunde locupletavit, et ut nullis umquam necessariis deficeretur, providit : ædificiorum quoque magnificis structuris illustravit, modisque omnibus extulit atque ditavit; *ex ea utique occasione, ut observat Cangius lib. 4 Constantinopolis Christianæ, quam præter eumdem Porphyrogenitum tradunt alii, quos ibidem Cangius allegat.*

qua occasione a Basilio Macedone

7 *Verum audiatur solus Porphyrogenitus loco citato cap. 9 hæc de eodem Basilio Macedone referens* : Profectus ergo ex Macedonia Thraciæ, ad hanc urbem omnium reginam *(id est Constantinopolim)* iter arripuit.. Emensoque itinere, et cum ad urbis Aureas portas venisset, inclinata jam ac deposita per eas ingressus die, ad sancti martyris Diomedis monasterium, quod prope erat, accedens, ex via fessus, ibidem pro foribus in gradibus pro vestibulo positus, sic neglectim pro-B jecto corpore quiescebat. Et, ecce, circa primam fere noctis custodiam, martyr Diomedes monasterii præfecto in somnis adstans ad fores monasterii jubet exire, exque nomine Basilium compellantem quisquis vocanti obaudierit, hunc inducere in monasterium ac curare diligenter, ciboque et tecto et vestimentis, omni denique necessario cultu ac obsequio, quoad per facultatem licuerit, impartiri atque fovere : esse enim a Deo unctum in imperatorem, ipsumque extruendo augendoque monasterio operam quandoque collaturum. Verum eum ille visum temere oblatum, inanneque mentis commentum arbitratus, quod ita conspexerat, nullo loco præceptum babuisset, sed se rursum somno dedisset, eadem iterum videt auditque. Et cum adhuc etiam segnior somnoque gravis, ut videbatur, se non colligeret, tertio Martyrem vidit, non jam blande ac bilariter præcipientem, sed atrociter minitantem, plagasque, ut apparebat, inferre tentantem, ni citius jussa præstaret.

postea fuerit exornatum

8 Tunc itaque velut ægre emergens, mortique vicinum somnum oculis excutiens ad fores C venit, et, ut ei Martyr præceperat, ex nomine vocat, Basili. Cui ille statim respondit : Ecce ego, domine. Quid jubes servo tuo? Introducens vero in monasterium, cum squallore ac sordibus obsitum, solisque ardoribus longe exustum conspexisset, convenientem cura obsequiumque adhibuit, ac omni humauitate accepit. Tum monens ut secretum penes se teneat, caveatque cuiquam evulgare ob rei periculum, Martyris illi indicat vaticinium, et, ut post eventum meminisset, jurejurando obstringit. Cum autem Basilius nec acceptare videretur, ut quod res ejus modum excederet, sed potius rogaret, ut ejus insinuatione nobiliorum cujusdam obsequiis pro comitatu operam addicere liceret; impigre se præstiturum præfectus iu se recepit : quodque monasterio familiarius utebatur, sæpiusque amice inviscbat, Michaëlis imperatoris Bardæque cæsaris consobrinus.. ei præfectus Basilium commendat *etc. His adde si lubet, non tantum exstitisse Constantinopoli monasterium S. Diomedis nomine insignitum, de quo insuper Waddingus meminit in Annalibus Minorum tom.* 3 *ad an.* 1374 *num.* I ; *sed etiam carcerem, cui illius nomen fuerit inditum, sicut invenies apud Cangium supra citatum : idque indicio est, nomen ipsius Constantinopoli non mediocriter fuisse pervulgatum.*

Caput dicitur delatum in Italiam.

9 *Porro insigne Martyris lipsanon Constantinopoli in Italiam delatum fuisse, scribit Ughellus tom.* 7 *Italiæ sacræ in Metropoli Amalphitana col.* 243 : Extra urbem in dextro latere prostat abbatia sancti Petri de Canonica Ordinis Cisterciensis, ab eodem piissimo Cardinale *(nimirum Petro Capuano, de quo erat actum proxime)* cum ecclesia in honorem Apostolorum principis exædificata ac dotata.. Hic asservatur caput.. sancti Diomedis martyris.. aliorumque Sanctorum insignes reliquiæ ab eodem Card. ex Oriente allatæ. *Agitur de illo Cardinale apud Ciaconium in Vitis Romanorum Pontificum et Cardinalium, ubi tom.* I *col.* 1163 *scribitur e vita excessisse anno Christi* 1209. *Ad Actorum exemplaria quod attinet, velim de iis observari sequentia.*

Varia martyrii apographa

10 *Asservamus apographum unum inter alia, quod notatur exceptum e* bibliothecæ Vaticanæ cod. 1671. *Inscribuntur* Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Διομήδους. Martyrium sancti martyris Diomedis. *Incipit* : Ὅσον μὲν ἔχει θαύματος τὰ τῶν ἁγίων Μαρτύρων ἐκ προθέσεως αὐτοῦ ἀγαθῆς ἆθλα, καὶ ἡ ἐνέργεια τῆς ὑπομονῆς αὐτοῦ δεικνύουσα τοὺς ἀειθαλεῖς στεφάνους αὐτῶν, οὐ δυνατὸν γλώττῃ λογικῶν ὁμοφύλων E ῥηθῆναι. *Quæ sic reddimus Latine* : Quæ sancti bene sibi proposuere Martyris præmia, nec non efficax patientiæ eorum vis, quæ coronas ipsorum semper virentes ostendit, quanti prodigii res sint, humana lingua dici non potest. *Aliud in promptu est exemplar Ms. hoc titulo* : Μηνὶ Αὐγούστῳ 16. Ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον τοῦ Χριστοῦ μάρτ. Διομήδην. Mense Augusto XVI. Laudatio in sanctum Cbristi martyrem Diomedem. *Exordium est* : Χθὲς ἡμᾶς ἡ πανύμνητος τῆς ὑπερυμνήτου Μαρίας ὑπερφυῶς ἐξεναγώγησε κοίμησις, καὶ ὑπερλάμπροις θυμηδίαις καὶ τερπνότησι μυστικαῖς καὶ ἡδύσμασι τοὺς πνευματικῶς ἑαυτὴν ἑορτάζοντας κατεύφρανε· σήμερον ὁ μέγας ἀθλοφόρος . . Διομήδης, *etc. Quæ sic sonant Latine* : Heri celebratissima Mariæ omnem laudem excedeutis dormitio nos egregie et hospitaliter detinuit, ac splendidissimis animi voluptatibus ac mysticis jucunditatibus juxta ac suavitatibus eos, qui cum spiritu celebrarunt ejus festivitatem, exhilaravit. Hodie magnus præmii reportator... Diomedes *etc. Descriptum hoc est exemplar e codice Cæsareo bibliothecæ Vindobonensis, de quo pluribus apud nos actum est tomo secundo Augusti pag.* 344. *Orationem aliam encomiasticam de nostro Sancto assignat Lambecius lib.* 8 *Commentariorum de dicta bibliotheca pag.* 199. F

assignantur

11 *Aliud ex eodem codice apographum habemus, cui prænotantur ista* : Μηνὶ Αὐγούστῳ 16. Μαρτύριον σύντομον τοῦ ἁγίου μάρτυρος Διομήδου. *Id est* : Mense Augusto XVI. Martyriuu compendiosum sancti martyris Diomedis. *Hoc est principium* : Ὁ ἅγιος μάρτυς Διομήδης ἦν ἐπὶ Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως ἀπὸ Ταρσοῦ τῆς Κιλικίας, ἰατρὸς τὴν τέχνην. Sanctus martyr Diomedes erat Diocletiauo imperante ex Tarso Ciliciæ, arte medicus. *Aliud denique ecgraphum apud nos exstat his verbis prænotatum* : Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτ. Διομήδους τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ 16, *quod depromptum adscribitur* ex cod. Ambros. N. 152, de quo ad Vitam S. Maximi. *Vide de isto codice in hoc tomo* III *hujus mensis, die* XIII, *Commentarium ejusdem Sancti Vitæ prævium* § 10 *num.* 80. *Exordium autem ac textus istius Martyrii simul cum Latina interpretatione postea dabuntur. Super istis itaque exemplaribus tantisper ratiocinemur, eaque inter se conferamus.*

10 *Omnia pene anonyma, et eamdem fere substantiam historiæ continent. Vaticanum et Cæsareo-*

AUCTORE J. P. et expenduntur, collatis inter se exemplaribus

reo Vindobonense illum ornant, uti patet in pro-
logo et allocutionibus. Brevissimum ex omnibus
est Compendium Vindobonense. Medium tenet Am-
brosianum Ms.; idque præ aliis nobis placet, ut
latinitate donetur ac Græco-Latine repræsentetur.
Redeamus ad Vaticanum, in quo sequens refer- Λέγεται κόρακα τὸ αἱμοβόρον ὄρνεον
tur narratio : προσεληλυθέναι τοῦ γεύσασθαι ἀπὸ τῶν σαρκῶν τοῦ σώ-
ματος, καὶ αὐτὸν ἐνθουσιασθέντα ὥσπερ ἐκ Θεοῦ πνεύμα-
τος, κραυγαῖς πληροῦν ὅλον τὸν τόπον, καὶ παραμένειν τῷ
σώματι ὥσπερ δέσμιον, μὴ ἐᾶν τε ἄλλα ὄρνεα πλησιά-
σαι · αὐτὸς δὲ ὅλως μὴ ἁπτόμενος τοῦ σώματος. Καὶ πε-
ριπετόμενος ἀχώριστος ἦν ἕως τῆς ταφῆς τοῦ μακαρίου
σώματος, ὥστε τοὺς φύλακας τοῦ λογιστοῦ καὶ τῆς σεβα-
στῆς, τοὺς διὰ τὴν ὀθόνην, μή τις ἀποσκευάσῃ τοῦ σώματος,
παραμένοντας, μὴ ἐπαρκεῖν ἀποδιώκοντας αὐτὸν, συνεχῶς
περιιπτάμενον καὶ βοῶντα. Ὅμως μετὰ τὴν ταφὴν τοῦ μα-
καρίου σώματος, ἀφανὴς εὐθὺς γίνεται ὁ κόραξ. *Quæ La-*
tine ita reddimus :

quæ habemus

13 Fertur corvus, avis sanguivora, accessi-
se, ut corporis carnibus vesceretur; sed quasi di-
vino numine afflatus totum clamoribus implet lo-
cum, manetque apud corpus tamquam ligatus,
nec permittit alias volucres appropinquare; ipse D
autem corpus omnino non tetigit. Et circumvo-
lans non poterat inde avelli, donec beatum cor-
pus sepulturæ esset traditum : adeo ut logistæ,
(Vide de hac voce inferius in Annotatis) ac ve-
nerabilis [Petroniæ] custodes, qui ut involve-
retur linteo corpus, permanserant, ne quis illud
auferret, non sufficerent, ut eum abigerent, as-
sidue illud obeuntem, ac crocitantem. At simul at-
que beatum corpus sepultum fuit, corvus statim
e conspectu evanuit. *Hæc ibi, quorum fides sit*
penes auctorem anonymum : qui de die obitus ac
sepulturæ ista superaddit : Ἐτελειώθη ἐν τῇ Νικαέ-
ων μητροπόλει τῆς Βιθυνίας τῇ πρὸ τριῶν εἰδῶν Αὐγού-
στων, τοῦτ' ἔστιν Αὐγούστῳ ια' · τῇ δὲ ταφῇ τὸ σῶμα πα-
ρεδόθη μηνὶ Αὐγούστῳ 16. Vivendi finem fecit in Ni-
cæensium Bithyniæ metropoli tertio Idus Augu-
sti, hoc est, Augusti undecimo : corpus autem
sepulturæ traditum fuit mense Augusto XVI. *Si*
quæ præterea occurrant observatu digna, di-
centur in Annotatis ad Martyrium, quod hisce
subnecto. E

B

MARTYRIUM

Auctore Laurentio monacho Rutensi in Calabria, e codice Ambrosiano N. 152. Interprete J. P.

Sanctus fuit insignis

Inclytum Diomedem et sermone in medium producere pulcrum est, et pro argumento assumere Illud quippe simul cum narratione multum habet venustatis. Magnus autem hic Vir natales hausit ex illustri Ciliciæ regionis civitate Tarso *a* Parentes vero nactus est bonos, et religiosis moribus conspicuos. Erat medicus bonus Diomedes non corporum dumtaxat, sed etiam animorum; neque arte solummodo fretus sanationes efficiebat, sed potius invocatione Christi. Qua de causa et omnem sanabat morbum et omnem curabat infirmitatem. Vitæ autem integritas et commiseratio erga omnes ei conciliavit divitias hujus gratiæ per spiritus boni illuminationem.

C 2 Ad magnam Nicæam *b* urbem profectus, illamque, non secus atque Tarsum alteram, viris tunc illustribus insignem diligens, consuetæ erga omnes beneficentiæ inhæsit, nec de omnibus bene mereri prætermisit. (Diocletianus *c* ac Maximianus execrandi imperabant tum temporis) Omnem quippe circumiens civitatem, partim quidem civium morbos, partim vero etiam animas, quantum poterat, curabat, promptis aliquando ex arte, aliquando ex fide adjumentis egregie ad Dei cultum ipsos perducens, et, quamquam impium imperatorem Nicææ vicinum haberet, sincera erga Deum dilectione ac fide foras mittens timorem : amabat enim, sicut ostendit, pro eo pati. Præter alia vero quid fecit? Ipsos ingrediebatur carceres, detentosque in iis omnes, quantum poterat, curabat, ac rerum, quibus indigebant, defectum sublavabat, omnia, quæ auxilio essent, liberaliter suppeditans iis potissimum, qui pro Christo certabat, ac qui propter illum circumferebat stigmata in corporibus.

cum morborum corporis

b

c

3 Et saniem quidem vulnerum eorum separavit, calidis illa expurgans lavacris, aliaque applicans ex arte remedia. Quin etiam sermonibus illos confirmavit ad certamina : quæ autem a Deo ita patientibus promissa sint bona, sermone ipsis ostendebat, ut immortalia, ut sempiterna, ut finem non haben-

tum animæ medicus.

Καὶ τὸν κλεινὸν Διομήδην καλὸν εἰς μέσον προθεῖναι τῷ λόγῳ, καὶ ὑπόθεσιν τοῦτον ποιήσασθαι. Ἔχει γὰρ μετὰ τῆς διηγήσεως αὕτη πολὺ καὶ τὸ χαρίεν. Ἔφυ μὲν ὁ Μέγας οὗτος [ἐκ] χώρας τῆς Κιλίκων πόλεως εὐπιφάνους τῆς Θάρσου. Ἔσχε δὲ γεννήτορας ἀγαθοὺς καὶ τρόποις ἐναρέτοις κεκοσμένους. Καὶ ἰατρὸς δὲ ἦν ὁ καλὸς Διομήδης οὐ σωμάτων μόνον, ἀλλὰ δὴ καὶ ψυχῶν, καὶ τὰς ἰατρείας οὐ τῇ τέχνῃ μόνῃ θαῤῥῶν ἐποίει, τῇ ἐπικλήσει δὲ μᾶλλον Χριστοῦ · παρ' ὃ καὶ πᾶσαν νόσον ἰᾶτο καὶ πᾶσαν ἐθεράπευε μαλακίαν. Τὸν πλοῦτον δὲ τῆς χάριτος αὐτῆς καὶ τῆς γνώσεως τὸ τοῦ βίου καθαρὸν, καὶ τὸ πρὸς ἅπαντας συμπαθὲς διὰ τῆς τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος ἐπιλάμψεως αὐτῷ προεξένησεν.

2 Οὗτος τῶν Νικαέων καταλαβὼν Μεγαλόπολιν, καὶ F ἄλλην αὐτὴν ὥσπερ Θαρσὸν ἀγαπήσας ἐνευδοκιμοῦσαν τότε τοῖς ἐπιδόξοις, τῶν συνήθων εἴχετο πρὸς ἅπαντας εὐεργεσιῶν, καὶ τοῦ ἀγαθοεργεῖν οὐκ ἀπελιμπάνετο · (Διοκλητιανὸς ἐκράτει τότε καὶ Μαξιμιανὸς οἱ κατάρατοι.) Περιϊὼν γὰρ τὴν πόλιν ἅπασαν, τοῦτο μὲν τὰς νόσους τῶν πολιτῶν, τοῦτο δὲ καὶ τὰς ψυχὰς, ὅση δύναμις, ἐθεράπευε, ποτὲ μὲν τοῖς ἐκ τῆς τέχνης, ποτὲ δὲ τοῖς ἐκ πίστεως βοηθήμασιν ἐπανάγων αὐτοὺς καλῶς πρὸς τὴν θεοσέβειαν, καίπερ ἀγχίθυρον ἔχων κατὰ τὴν Νικομήδους τὸν δυσσεβῆ βασιλέα, τῆς ἀνυποκρίτου πρὸς Χριστὸν ἀγάπης καὶ πίστεως ἔξω βαλλούσης τὸν φόβον τοῦτον. Ἠγάπα γὰρ, ὡς ἔδειξε, τὸ παθεῖν δι' αὐτόν. Τί οὖν πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐποίει; Τὰς φυλακὰς αὐτὰς εἰσιὼν, καὶ πάντας μὲν τοὺς ἐν αὐταῖς, ὅση δύναμις, ἐθεράπευε, καὶ τὴν ἔνδειαν αὐτοῖς τῶν ἀναγκαίων παρεμυθεῖτο, καὶ πάντα δὲ δαψιλῶς ἦν τὰ πρὸς ἐπάρκειαν αὐτοῖς ἐπιχορηγῶν, καὶ μάλιστα τοῖς διὰ Χριστὸν ἐναθλοῦσι, καὶ τὰ δι' αὐτὸν στίγματα διαφέρουσιν ἐν τοῖς σώμασιν.

3 Ἰχῶρας μὲν γὰρ τῶν τραυμάτων αὐτῶν ἀπέσμηχε, λουτροῖς θερμοῖς ἐκκαθαίρων, καὶ τὰ ἐκ τῆς τέχνης ἐπιτιθέμενος βοηθήματα · ἀλλὰ καὶ λόγοις ὑπεστήριζε πρὸς τοὺς ἀγῶνας, καὶ τὰ ἐπηγγελμένα δὲ παρὰ Θεοῦ τοῖς οὕτω πάσχουσιν ἀγαθὰ, τῷ λόγῳ τούτοις προσεπεδείκνυεν ὡς ἀθάνατα, ὡς αἴδια, ὡς τέλος

A λος μὴ ἔχοντα. Τουτῳ γοῦν τῷ τρόπῳ τῆς ἰατρείας ἀκωλύτως εἰσῄει τὰς φυλακὰς, καὶ παρεθάῤῥυνεν, ὡς εἴρηται, τοὺς Ἁγίους, καὶ πρὸς τοὺς ἀγῶνας ἀλείφων στεῤῥοτέρους ἐποίει, τῶν φυλάκων ἀνέτους αὐτῷ χαριζομένων τὰς πύλας, διάτε τὸ πολλάκις αὐτοὺς ὑπ' αὐτοῦ υχεῖν θεραπείας, καὶ τὰ χρήματα ἔστιν ὅτε λαβεῖν. Παρείχοντο γὰρ ὑπὸ τῶν εὐπορούντων αὐτῷ πιστῶν ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἦν ταῦτα καὶ τοῖς διδοῦσι καὶ τοῖς λαμβάνουσι φίλα.

4 Ἀλλὰ τούτων οὕτω πραττομένων οὐκ ἦν ἠρεμεῖν τὸν ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἀγαθοῖς ἀντικείμενον · ἀναφέρει γὰρ διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτῷ τῷ ἀδίκῳ καὶ πονηρῷ βασιλεῖ, ὡς εἴη τὶς ἰατρὸς ἐν τῇ Νικαέων Διομήδης ὀνομαζόμενος, πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν πόλιν τῆς τῶν θεῶν ἀποστήσας λατρείας, καὶ τῷ Ἐσταυρωμένῳ προσαγαγών. Αὐτίκα τοίνυν ὁ τοῦ πονηροῦ δαίμονος πονηρότατος ὑπηρέτης δέσμιον αὐτὸν ἀχθῆναι κελεύει καὶ τὴν Νικομήδους. Ἤγετο τοιγαροῦν χαίρων καὶ ἀγαλλόμενος καὶ πολλὰ τοῦ Θεοῦ δεόμενος, μὴ παραιδεῖν αὐτὸν ἐν θλίψεσι, μὴ χώραν δοῦναι τῷ δυσσεβεῖ παρατρέψαι τοῦτον τῆς ἀληθείας. Ἔμελε τούτῳ καὶ περὶ τῶν ἄλλων Ἁγίων · ναὶ μὲν καὶ μεῖναι καὶ αὐτοὺς ηὔχετο στεῤῥοὺς καὶ ἀμετακινήτους ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς πίστεως.

B 5 Καὶ ὅρα μοι ξένον τινὰ μαρτυρίου τρόπον καὶ ὑπερέκπληκτον. Νῦν καιρὸς εἰπεῖν καὶ ἡμᾶς κατὰ τὸν Δαβίδ · Ὡς ἀνεξερεύνατα τὰ κρίματα τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. Ἀγόμενος γὰρ δέσμιος ἐπὶ τῶν σταλέντων στρατιωτων κατενεχθῆναι βραχὺ τοῦ ὀχήματος ἐξαιτεῖ · κἀκεῖνοι τῶν τοῦ σώματος ἀναγκαίων χάριν ὑπολαβόντες τὴν αἴτησιν, κατενεχθῆναι τοῦτον ἐκέλευσαν. Κατενεχθεὶς οὖν καὶ μικρὸν παρεκκλίνας τὴν ὁδὸν ὁ Θαυμάσιος, τὰ γόνατα θεὶς προσηύχετο (ἔγνω γὰρ πάντως τῇ τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος χάριτι τὸ μέλλον εἰς αὐτὸν γεγονῆσθαι) καὶ οὕτω ποιῶν παρέδωκε τὴν ψυχὴν τῷ Κυρίῳ. Οἱ τοίνυν στρατιῶται χρονίζοντα τοῦτον τῇ εὐχῇ κατιδόντες διελογίζοντο τί ἄρα τὸ τῆς βραδύτητος εἶναι θέλει τῷ Μάρτυρι. Ὡς οὖν προσιόντες εἶδον αὐτοῦ τῶν δεσμῶν ἀνειμένας τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς ἀγκῶνας τῇ γῇ προσεστηριγμένους, ἐξεπλήττοντο, διηπόρουν, οὐκ εἶχον ὅτι καὶ συλλογίσονται.

6 Ἀποβάντες οὖν τῶν ἵππων καὶ διαναστῆσαι τοῦτον ἐπιχειρήσαντες, ὡς ἀκίνητον εἶδον καὶ νεκρὸν χρηματίζοντα, διεμέριζον τὸν νοῦν καθ' ἑαυτοὺς τί καὶ πράξουσι. Φόβος γὰρ εἶχεν αὐτοὺς ὁ βασιλικὸς, εἰ τοῦτον καταλείψειαν. Ἀνθεῖλκε δὲ λογισμὸς ἕτερος, ὡς τί

C ἄρα καὶ ἔσται νεκρὸς αὐτῷ κομιζόμενος. Ὅμως νικᾷ τοῦτο τὸ τὴν κεφαλὴν τοῦ Μάρτυρος ἀποτεμόντας τῷ τυράννῳ κομίσαι, ἵν' ἔξω συντηρήσωσιν ἑαυτοὺς ὑπονοίας. Γίνεται τοῦτο, καὶ μάρτυς ἀπαράγραπτος ὁ Διομήδης γνωρίζεται. Εἰ γὰρ καὶ προὔθλησε ταῖς τῶν Ἁγίων ἐπισκέψεσι, καὶ ταῖς εἰς αὐτοὺς παραινέσεσιν, ἔτι τε καὶ τῇ τοῦ μαρτυρίου ἐλπίδι, καὶ τῷ προθύμῳ τῆς ψυχῆς καὶ γενναίῳ · ἀλλ' οὖν καὶ τομὴν ὑπέρεστη μαρτυρικὴν κρίμασιν οἷς εἶδε Θεὸς, καὶ τέλειος ἑκατέρωθεν ἀνηγόρευται στεφανίτης. Τμηθείσης οὖν τῆς παντίμου αὐτοῦ κεφαλῆς, εὐθὺς οἱ στρατιῶται τὰς ὄψεις συναπετμήθησαν, καὶ περιῆγον τυφλοὶ μηδὲ τὸ σύνολον καθορῶντες τὸ φῶς.

7 Περιαγόμενοι τοίνυν σὺν τῇ μαρτυρικῇ κεφαλῇ, τὴν Νικομήδους κατέλαβον, καὶ τῷ βασιλεῖ προσιόντες, τὸ πρᾶγμα γνωρίζουσι, καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ προσκομίζουσι. Καὶ ὃς, εἰ καὶ διὰ θαύματος τὸ πραχθὲν ἐκομίσατο, ὅμως μηδέν τι προθέμενος, τῷ λοιπῷ σώματι ταύτην ἀποδοθῆναι κελεύει, τὸ αἰδήσιμον τοῦ Ἀνδρὸς ἐκ ταύτης καταμαθών. Αὐτίκα γοῦν οἱ στρατιῶται τὸν τόπον ἐκεῖνον, εἰς ὃν τὸ μαρτυρικὸν ἔκειτο λείψανον, τάχος καταλαβόντες (ἐτήρει γὰρ αὐτὸ τῶν Νικαέων ὁ λογιστὴς παραδεδομένον αὐτῷ παρ' αὐτῶν διὰ τὸν τοῦ τυράννου φόβον ἅμα τῷ συνάψαι τὴν κεφαλὴν τῷ τοῦ Μάρτυρος σώματι) καὶ τὸ βλέπειν ἀπέλαβον ὡς τὸ πρότερον, καὶ τὴν θεογνωσίαν ἠσπά-

tia Hoc igitur medicationis modo carceres libere ingrediebatur, Sanctosque, uti dictum est, excitabat, atque ad agones ungens reddebat eos firmiores, custodibus impense ipsi ingressum præbentibus tum quia sæpe ab eo consequerentur medelas, tum quia nonnunquam accideret, ut pecunias acciperent : in hunc enim finem ipsi dabantur a fidelibus divitibus, et tam dantibus quam accipientibus erant gratæ. A *Latere-no.*

4 Verum his ita actis, bonorum hostis a principio non poterat quiescere. Per ministros etenim suos iniquo ac maligno imperatori refert, medicum quemdam esse Nicææ, nomine Diomedem, qui omnem, ut ita dicam, civitatem a deorum cultu averteret, et ad Crucifixum adduceret. Statim igitur maligni dæmonis malignior minister jubet eum vinctum duci Nicomediam. Ducebatur itaque gaudens et exultans, ac impense Deum rogans, ne se in tribulationibus despiceret, nec locum daret, ut per impium a veritate averteretur. Cura autem erat etiam ipsi de aliis Sanctis ; imo vero orabat, ut ipsi quoque firmi in confessione fidei ac immobiles permanerent. *Ducitur vinctus Nicæa Nicomediam ;*

E

5 Et aspice inusitatum quoddam ac supra modum mihi mirabile martyrii genus. Tempus nunc est, ut et nos dicamus illud Davidis : Quam inscrutabilia sunt judicia Dei, et investigabiles viæ ejus! Etenim dum vinctus duceretur, a militibus, qui erant missi, brevis moræ descensum e vehiculo deposcit. Illi vero ob necessitatem corporis hoc exposci autumantes, descendere eum jusserunt. Postquam igitur descendisset ac parumper a via declinasset Vir mirabilis, positis genibus orabat : (Gratia quippe boni spiritus norat omnino quidnam sibi esset eventurum) et sic agens Domino animam tradidit. Milites ergo cum orationi immorantem conspicati, sermonem conferebant, quidnam sibi vellet Martyris cunctatio. Ubi ergo accedentes viderunt ejus manus vinculis solutas, ac cubitos terræ adhærentes, admiratione perculsi nesciebant quid agerent, nec babebant quod concluderent. *sed in itinere*

6 Postquam igitur ex equis descendissent, et erigere eum conati essent, ubi viderunt immobilem esse ac mortuum, divisis inter se hæsere sententiis, quidnam acturi essent. Timebant enim sibi ab imperatore, si illum reliquissent. Alia autem occurrit cogitatio, quid utique futurum esset, si mortuus ad ipsum deferretur. Simulque hoc prævaluit, ut abscissum Martyris caput deferrent ad tyrannum, quo a suspicione sese conservarent immunes. Hoc fit, et Diomedes martyr esse cognoscitur genuinus : siquidem certamen prævenit Sanctorum inspectione, adhortationibus ad illos, et martyrii insuper spe, alacrique ac generoso animo. Adde quod ictum martyrii subierit judiciis Deo notis, ac perfectus utraque ex parte declaratus sit Athleta coronatus. Abscisso igitur ipsius capite prorsus venerando, mox milites sectione in oculis mulctati sunt, et circumibant cæci nihilque omnino videntes lucis. *expirat miro modo : et ductores ejus fiunt cæci,* F

7 Circumeuntes ergo cum capite Martyris, Nicomediam pervenere, et accedentes ad imperatorem, rem indicant, caputque ipsi afferunt. Et is, siquidem per miraculum percepit, quidnam esset factum, nihil tamen quidquam addens, reliquo corpori illud restitui jubet, debitam Viro reverentiam ex ipso discens. Statim igitur milites ad locum illum, in quo Martyris corpus jacebat, cum festinatione pervenientes (Nam custodiebat illud Nicænorum logistes *d* sibi ab ipsis traditum ob metum tyranni, ut simul conjungeretur Martyris caput cum corpore) pristinum receperunt visum, veri Dei notitiam sunt amplexi, Christumque Deum confessi, ac gentilem *lumen deinde recipiunt corporis et animæ.* d

A. LAURENTIO.

gentilem errorem reliquerunt, imo vero multos transmutarunt alios, et ex eodem ad Christum perduxerunt errore.

Martyris sepultura.

8 Petronia autem mulier quædam opibus admodum abundans, logisten ubi pecuniis inescasset, accipit tuum, o Athleta optime, corpus martyrio perfunctum, et valde pretiosis linteaminibus involutum ac unguentis perfusum (In doloribus quippe corporis, quibus conflictabatur, consecuta aliquando abs te sanitatem fuerat) splendide deposuit. Nunc autem, Vir celeberrime, cælos inhabitans, Domini solio adstas cum angelis, nobis subministra tuis supplicationibus, ut sortem habeamus regni cælorum : quia Deo gloria in secula. Amen.

σαντο, καὶ Θεὸν τὸν Χριστὸν ὡμολόγησαν, καὶ τὴν ἑλληνικὴν ἀπελαβοντο * πλάνην · ἀλλὰ δὴ καὶ πολλοὺς ἄλλους μεταστήσαντες ἐξ αὐτῆς τῷ Χριστῷ προσηγάγοντο. D

* f. ἀπελείψαντο

8 Πετρωνία γοῦν τις γυνὴ πλούτῳ κομοῦσα βαθεῖ, χρήμασι τὸν λογιστὴν ἡττήσασα τὸ μαρτυρικόν σου λαμβάνει σῶμα, Πανάριστε, καὶ πολυτίμοις ἐν σινδόσιν εἰλίξασα, καὶ μύροις αλείψασα (καὶ γὰρ ἀπέλαυσέ ποτε τῆς ἀπό σου θεραπείας ἐφ' αἷς εἶχε περιωδυνίαις τοῦ σώματος) φιλοτίμως κατέθετο. Καὶ νῦν τοὺς οὐρανοὺς κατοικῶν, πανοίδημε, τῷ δεσποτικῷ σὺν ἀγγέλοις παρίστασαι θρόνῳ, βράβευσον ἡμῖν ταῖς ἱκεσίαις σοῦ τὴν κληρουχίαν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν · ὅτι τῷ Θεῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *De hac urbe egimus in Annotatis ad Acta S. Marini mart. tom.* II *Augusti, die* 8, *pag.* 348 *lit.* b.

b Nicæa, *urbs archiepiscopalis Bithyniæ quondam clarissima, in Asia minore ad montem Olympi et lacum Ascanium sita, magnum sibi nomen fecit duobus conciliis œcumenicis ibidem celebratis : altero quidem sub S. Silvestro PP. I, Constantino M. imperante, adversus Arianos, anno Christi* 324; *altero autem sub Adriano I. PP. anno* 787 *contra Iconoclastas, sicut notissimum est.* B

c *Alibi etiam, ut videre est in Commentario nostro prævio, ponitur Sanctus sub Diocletiano, quod et nos ideo ibidem fecimus cum Martyrologio Romano.* E

d Logistes, λογιστὴς *rationum descriptor vel procurator. Cangius in Glossario Latino barbaro,* Logistæ, *inquit,* curatores et patres Reip. *Titutus* Logistæ civitatis splendidissimæ Nicomediensium *habetur in veteri inscriptione apud Gruterum pag.* 389. 2.

DE S. ARSACIO SEU URSACIO CONF.

NICOMEDIÆ IN BITHYNIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, locus ac tempus mortis, vitæ institutum, Acta.

ANNO CCCLVIII. *Sancti memoria in Latinis Martyrologiis*

Duo *nobis in hoc Confessore miranda se offerunt : alterum quidem, quod nullam de eo in sacris Fastis Græcorum vel minimam inveniamus memoriam, cum tamen ad Orientalem atque adeo ad Græcam ecclesiam omnino pertineat; alterum, quod apud antiquissimos ac celeberrimos Martyrologos Latinos, ad quos neutiquam spectat, annuo cultu celebretur, eo etiam usque propagato, ut inter hodiernæ diei Cœtites in Martyrologio Romano moderno (de antiquo enim mox dicam) locum habeat his verbis :* Nicomediæ sancti Arsacii confessoris, qui sub Licinio persecutore militia relicta, solitariam vitam ducens, tantis virtutibus claruit, ut dæmones expulisse, et ingentem draconem orando interemisse legatur : denique futuram civitatis cladem prænuntians, in oratione spiritum Deo reddidit. *Mirum, inquam, id accidit cum ob rationes, quas dicebam, tum quia nullum novi præter Sozomenum, auctorem Græcum, qui Latinis hagiologis in hoc Sancto præluxerit primus; cui dein Nicephorus adjungi potest, Baronio in notationibus ad Martyrologium Romanum utrumque citante. Sed nunc audiamus quidnam de ipso memorent Martyrologia antiqua. Romanum vetus seu parvum hæc habet hodierna die :* In Nicea Bithyniæ, Ursatii confessoris sub Licinio. *Ado :* In Nicæa Bithyniæ, natalis sancti Ursatii confessoris sub Licinio persecutore. Qui, derelicta militia, solitariam vitam in quadam turre præfatæ urbis egit, tantisque virtutibus claruit, ut et dæmones expulisse, et ingentem draconem orando interemisse legatur. Scriptum in libro quinto Historiæ ecclesiasticæ tripartitæ. *Adoni adde Usuardum, Usuardo Notkerum. Belinum, Grevenum, Felicium, Maurolycum, Galesinium satis est nominasse, uti et Florarium nostrum Ms.* F

non eodem tamen ubique die

2 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum qui in Romano Martyrologio non sunt, die* XXXI *Martii sic memorat :* Nicææ in Bithynia S. Arsacii solitarii. Ex Canisio, *ut addit in notis,* hac die, *monens,* videndum an sit idem cum eo, de quo in Martyrologio Romano ad diem XVI Augusti agitur : tametsi ille non Nicææ, sed Nicomediæ tribuitur. *In Usuardo a nobis illustrato inter Auctaria ex editione Lubeco-Coloniensi ad eumdem diem* XXXI *Martii ponitur ista annuntiatio :* Apud Nicæam Bithyniæ, sancti Arsatii confessoris, ex milite heremitæ, qui dæmoniacum curavit, et draconem interfecit. *Ex Greveno autem hæc :* Apud Nicæam Bithyniæ, Arsacii militis, heremitæ et confessoris. *Ex Greveno autem vel, si vis, ex dicta etiam editione accepta est annuntiatio Martyrologii, quod sub Canisii nomine circumfertur, quod die* XXXI *Martii Germanice sic refert :* Item Nicææ in Bithynia, sancti militis, heremitæ ac confessoris Arsacii. *Hodierna autem die nomen ejus denuo ibidem signatur cum elogio, in quo notantur nonnulla, quæ sint ejusdem argumenti cum eo, quod postea producemus ex Sozomeno. Existimasse*

AUCTORE J. P.

A *istimasse vero istius Martyrologii scriptorem, quod duo diversis diebus signarentur Arsacii, satis videtur colligi ex dictis. Verum non est nisi unus et idem, uti conficitur ex istis characterismis* Nicææ in Bithynia, militis, eremitæ, confessoris, *qui uni eidemque nostro hodierno omnes exacte conveniunt. Quem cave ne confundas cum alio fere synonymo, qui exstat apud nos tom.* III *Martii, die* XXXI *pag.* 897 *: hic quippe ab isto diversus est toto cœlo, ut ita loquar : cum vocetur* Acacius, *fuerit episcopus, notetur Melitenæ in Armenia minore ac sub Decio, aliaque sit ejus historia quam nostri.*

E quibusdam de famoso Nicomediensis urbis terræ motu

3 *Hisce notationibus aliæ quædam superaddendæ sunt super loco ac die, quibus antea* S. Arsacium *ab hagiologis annuntiari diximus. Lucem ad hoc suggeret famosus ille terræ motus Nicomediæ, quem, priusquam accideret, prævidisse refertur inferius in Actorum Compendio, quod ex Sozomeni Historiæ ecclesiasticæ lib.* 4 *cap.* 16 *editionis Valesianæ producemus. Indidem delibamus interea temporis sequentia in rem nostram :* Placuit ut Nicomediæ in Bithynia synodus con- B gregaretur... Sed cum major jam pars episcoporum iter ingressa esset, nuntius allatus est de Nicomediæ calamitate, eam scilicet totam terræ motu concussam fuisse. Cumque rumor passim invaluisset, eam urbem penitus eversam esse, episcopi ulterius progredi destiterunt *etc. Ammianus Marcellinus anno* 1693 *a Gronovio editus, lib.* 17, *cap.* 7, *pag.* 129 *de tragico illo terræ motu scribens,* Inter monumenta , *inquit,* multiformium ærumnarum eminuere Nicomediæ clades, Bithyniæ urbium matris... Primo lucis exortu die nono Kal. Septembrium , concreti nubium globi nigrantium *etc. Cœpit ergo feralis illa ruina die* XXIV *Augusti secundum Marcellinum.* Consentit Idatius in Fastis, Datiano et Cereale Coss., *sicut dicitur in notis loco mox citato :* « Ipso anno terræ motus factus, ita ut civitas « Nicomediensium funditus versaretur die IX Cal. « Sept. » Et Aurelius Victor in Marco « Asiæque, ait, Ephesus ac Bithyniæ Nicomedia con« stratæ terræ motu, æque ac nostra ætate Nico« media Cereali Consule ». Præterea Socrates in lib. 2 cap. 31 Historiæ ecclesiasticæ ait, Constautium, qui initio quidem jusserat coucilium episco- C porum Nicomediæ fieri, audita clade Nicomediæ, Seleuciam Isauriæ concilii sedem constituisse : additque : Τοῦτο δὲ γέγονε Δατιανοῦ καὶ Κερεαλίου περὶ τὸν ὀγδόην εἰκάδα τοῦ Αὐγούστου μηνός. Id est, IX Kal. Sept. (non V, ut male vertit interpres) qui formam loquendi Atticam esse non advertit. *Sic ibi.*

ejusdemque tempore,

4 *Porro de modo illo numerandi Græco breviter animadverte, dividi ab eis menses suos in tres decades seu decurias, uti pluribus videre licet apud Gretserum in Institutionibus linguæ Græcæ lib.* 3 *cap.* 23 *pag.* 625 *et* 626 *impressionis Ingolstadiensis anni* 1593. *Decas vero tertia incipit a die* XXI φθινοῦντος *vel* παυομένου, *vel* λήγοντος, *vel* ἐπὶ εἰκάδι, *quasi evanescentis vel cessantis mensis, vel supra vigesimum diem, et dicta dies* XXI *est* δεκάτη φθινοῦντος μηνός, *id est decima cessantis mensis (Latinis autem est* XI *Kalendas) dies* XXII ἐννάτη *nona, dies* XIII ὀγδόη *octava, quæ Latinis est* IX *Kalendas, seu* XXIII *mensis : nam, uti observat Gretserus, in decade* μηνὸς φθινοῦντος, *utuntur Græci ordine retrogrado numerorum, sicut Latini in suis Nonis, Idibus, et Kalendis. Quæ ibidem exhibet Gretserus in tabula. Dicamus ergo illum terræ motum secundum præmissa accidisse die* XXIII *vel* XXIV *mensis Augusti, anno Christi* 358 *; cui respondent Datianus et Cerealis Coss., de quibus videri possunt Fasti consulares Petri Relandi a pag.* 384. *At nunc revertamur ad* S. Arsacium, *ad cujus investigandam rationem temporis ac loci hæc dicta sunt ; quibus postquam adjecerimus puncta nonnulla ex Sozomeni de Sancto narratione, conjecturia nostra proferemus.*

ac compendio Actorum Sancti præmissis observationibus eruitur, quo loco obierit, quo die,

5 Aiunt *prout ille refert,* Arsacium eam calamitatem *motus terræ* , priusquam accideret, prævidisse... In arce Nicomediæ intra urbis muros commorabatur... Illic divina visio ei oblata jussit, ut egrederetur civitate... Exinde celeriter ad ecclesiam profectus mandavit clericis ut sollicite Deo supplicarent ... ad depellendam iram... Cum vero non persuaderet illis... in turrim suam reversus est, pronusque in terram cadens Deum oravit. Interea temporis orto terræ motu plerique perierunt. *Deinde incendii flamma* totam civitatem instar unius rogi, ut ita dicam, effecit. Ob hanc causam cum domus inaccessæ essent, ii qui ex terræ motu incolumes evaserant, ad arcem cucurrerunt. Illic Arsatius in turre, quæ inconcussa E steterat, mortuus repertus est, pronus humi jacens eodem habitu, quo se orationem inchoaturus extenderat. *Sequitur ex his* 1°, *ut mortem obierit Nicomediæ : ubi a Martyrologio Romano moderno recte annuntiatur. Cur ergo ab aliis Hagiologis, quos supra nominavimus, ponitur Nicææ ? Sequitur* 2°, *ut non satis recte in Fastis memoria ejus annua referatur ad diem* XVI *Augusti, quo etiamnum vivebat, non utique mortuus ante diem* XXIII *vel* XXIV *Augusti, cum tunc cœperit dumtaxat famosus terræ motus ; imo vero non certo constet, an tunc etiam aliquot post diebus non supervixerit tempore istius incendii, de qua agebamus, motum terræ subsecuti ac extracti ad dies* 50 *totidemque noctes, teste Ammiano Marcellino supra designato, qui pag.* 130 *narrat, quod* superesse potuerit ædium sacrarum et privatarum, hominumque pars major , ni palantes abrupte flammarum ardores per quinquaginta dies et noctes, quidquid consumi poterat, exussissent. *Si tamen tunc etiamnum supervixerit, non videtur supervixisse nisi pauculis diebus ex illis quinquaginta propter rapidissimam flammarum voracitatem ac populi concursum ad arcem, qui* F *e terræ motu incolumis non diu fuerit cunctatus saluti suæ ibidem loci, cum alibi non posset, consulere.*

quo anno :

6 *Sequitur* 3°, *ut Sancti nomen sit* Arsacius, *non vero* Ursacius : *quod tamen nos cum pluribus aliis ita etiam expressimus in titulo hujus nostri Commentarii. Sequitur* 4°, *ut annus ipsius emortualis esse debeat* 358 *æræ vulgaris ex Coss. supra notatis, ac proin is notari potius quam* 310 *cum Surio, quamquam inficias non eamus, illum tunc temporis etiam floruisse : nam* non ignobilis, *Sozomeno referente,* inter Confessores principatu Licinii exstiterat. *Sequitur* 5°, *ut noster* Arsacius *longe diversissimus sit ab alio synonymo, qui* vixit, *prout observat Baronius in notationibus ad Martyrologium Romanum ,* temporibus Juliani Apostatæ, *fuitque* rex Armeniæ Christianus, in quem ob odium in Christum idem impius imperator se illiberalem nimis exhibuit : de quo Sozomenus lib. 6 cap. 1, et Ammianus Marcellinus frequenter meminit. *Etenim distinguuntur loco, tempore et officio.*

quo denique vitæ instituto-

7 *At quonam officio seu vitæ instituto functus aliquando fuit Confessor noster ? Sozomenus,* Ἀπὸ

Auctore J. P.

στρατιώτου δὲ, *ait*, θηροκόμου τῶν βασιλικῶν λεόντων
etc. Quod apud Valesium sic vertitur Latine:
Qui eum aleudis Imperatoris leonibus præpositus
militaret *etc. Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ
historiæ lib.* 9 *cap.* 38 *pag.* 771 *editionis Pari-
siensis rem ita refert*: Ὃς ἀπὸ θηροκόμου στρατιώτης
ὤν. Qui miles antea et leonum ferarumque alia-
rum domitor, et custos in imperiali comitatu fue-
rat, *sicut Latinus vertit interpres. Quæ nos ita*
reddimus : Qui ex ferarum altore miles existens.
*Ubi vides duo diversa officia indicari, militis vi-
delicet ac ferarum præfecti. Valesius in annota-
tionibus ad tocum istum Sozomeni, pag.* 126, Hunc
locum, *ait*, non iutellexit Nicephorus. Putavit enim
Arsaeium prius nutritorem imperialium leonum,
ac deiude militem fuisse... Ignoravit scilicet Ni-
cephorus, militiam dici quodlibet ministerium quod
imperatori præstatur.

functus fuerit in seculo.

8 *Idem Valesius ad illa Socratis Historiæ ec-
clesiasticæ lib.* 2 *cap.* 2 τοῖς κατὰ τὰ βασίλεια στρατευο-
μένοις, iis qui in palatio militabaut, *inter alia,
quæ in illum auctorem observat, in annotationi-*
B *bus pag* 18 *hæc scribit*: Male Christophorsonus
imperatoris satellites interpretatur. Omnes enim
Palatini hac dictione designantur, non protectores
solum ac domestici et reliqui scholares, qui sub
armis erant, verum etiam ministeriani et scriniarii.
Hæc enim Palatina militia dicebatur. Eodem modo,
quo officiales seu apparitores magistratuum ordina-
riorum seu civilium, milites dicebantur : eorumque
actus in codice Theodosiano cohortalis militia appel-
latur. *Plura huc spectantia dabit volenti Cangius
in utroque Glossario. Ex his conficitur, per illud
Sozomeni* ἀπὸ στρατιώτου δὲ θηροκόμου *designari
unicum munus, officium unicum seu præfec-
turam alendarum ferarum seu Leonum imperato-
ris, ac proinde hoc etiam sensu intelligendas cen-
semus expressiones Martyrologiorum, de quibus
supra.*

Actorum fides

9 *Reliquum est, ut de Actorum compendio pau-
cula animadvertamus. Verbum* λέγουσι aiunt,
*ejusdem historiam reddere suspectam neutiquam
debet : nam etiamsi* τὸ dicitur, fertur *etc, alibi
non raro extenuet fidem rerum quæ postea nar-
rantur: si tamen hic principium historiæ cum
finc ejusdem conferas, invenies ibi ab auctore*
C *afferri sequentia, quæ eam commendent*: Et hæc
quidem ita relata sunt ab iis, qui ea accepisse dice-
bant a viris qui Arsacium ipsum viderant.

ACTORUM

COMPENDIUM

Ex Sozomeno Ecclesiasticæ historiæ lib. 4 cap. 16 pag. 559 editionis Valesianæ.

Sanctus post institutum seculare exercens monasticum

P*ostquam tractasset auctor de luctuosissimo
terræ motu urbis Nicomediensis, de quo a no-
bis facta etiam est mentio superius in Commenta-
rio prævio, occasione ejusdem terræ motus mox
exponere aggreditur res quasdam gestas et mi-
racula* S. Arsacii *in hanc sententiam*: Cæterum
aiunt Arsacium quemdam eam calamitatem, prius-
quam accideret, prævidisse. Erat hic natione
Persa : qui eum alendis imperatoris leonibus præ-
positus militaret *a*. non ignobilis inter confessores D
principatu Licinii *b* exstiterat : abjectaque militia, a b
in arce Nicomediæ intra urbis muros commora-
batur, monasticæ disciplinæ studiis sese exercens.
Illic divina visio ei oblata jussit, ut egrederetur
ex civitate, utpote passura ea, quæ mox perpessa
est.

Nicomediensibus terræ motum prædicit:

2 Exinde celeritet ad ecclesiam profectus, manda-
vit clericis, ut sollicite Deo supplicarent, precesque
ei placando offerrent, ad depellendam iram quæ
inteutabatur. Cum vero non persuaderet illis, sed
ridiculus videretur, quippe qui insperatam prædi-
ceret cladem, iu turrim suam reversus est : pro-
nusque iu terram cadens, Deum oravit. Interea
temporis orto terræ motu *c*, plerique perierunt : c
reliqui autem qui superfuerant, in agros et in soli-
tudinem profugerunt.

quem terribile incendium subsequitur,

3 Etenim tamquam iu opulenta et maxima civi-
tate, ignis per omnes domos erat accensus in foen-
lis, ac furnis, et in caminis balneorum, eorumque
opificum, qui ignis beneficio artes suas exercent.
Dejectisque ædium tectis et lacunaribus, flamma
materiem corripiens, permixtis, ut verisimile est,
aridis lignis, et quæcumque olei naturam babent, E
et ad ignem celeriter concipiendum aptissima
sunt, copiosum pabulum nacta est : serpensque
passim, ac sibi ipsi conjuncta ac coadunata,
totam civitatem iustar unius rogi, ut ita dicam,
effecit.

et ea occasione invenitur mortuus.

4 Ob hanc causam cum domus inaccessæ essent,
ii qui ex terræ motu incolumes evaserant, ad arcem
cucurrerunt. Illic Arsacius in turre, quæ inconcussa
steterat, mortuus repertus est, pronus humi jacens
eodem habitu, quo se orationem inchoaturus exten-
derat *d*. Aiunt porro eum, antequam moreretur, d
Deo supplicasse, morique maluisse, quam oculis
suis cernere ruinam urbis illius, in quâ Christi
notitiam primum accepisset, et ecclesiasticam phi-
losophiam didicisset.

Potestate in dæmones

5 Ceterum quandoquidem narrationis ordo ad
hujus Viri mentionem nos deduxit, sciendum est,
illum ita Deo carum fuisse, ut dæmonas fugave-
rit, eosque, qui ab illis vexabantur, purgaverit.
Quodam igitur die dæmoniacus per forum exerto
gladio cursitare cœpit. Cumque omnes diffuge-
rent, et civitas tumultu plena esset, occurrens
ei Arsacius, prolato Christi nomine eum dejecit : F
statimque dæmonio liberavit, et ad sanam mentem
reduxit.

aliisque prodigiis excelluit.

6 Alia quoque multa ab illo patrata sunt, quæ hu-
manam vim superant, inter quæ et istud est. Draco,
sive aliud serpentis genus, viatores antequam ab
illis videretur, afflatu suo perimebat. Nam in specu
juxta viam publicam latitabat. Progressus eo Arsa-
cius, Deum oravit : et statim serpens sua sponte
egressus est e specu, et capite ad solum alliso, se-
metipse interfecit. Et hæc quidem ita relata sunt
ab iis, qui ea se accepisse dicebant a viris, qui Arsa-
cium ipsum viderant.

ANNOTATA.

a Militare *non significat hic rem bellicam exer-
cere ; sed alio fungi officio, sicut observavimus in
Commentario prævio*

b *Imperavit ab anno* 307. *Labbeus in Com-
pendio chronologico, et Pagius ad annum* 318
num. 8 *mortem ejus innectunt anno Christi* 325 ;
Tillemontius autem tom. 4 *Historiæ imperatorum
eam refert ad annum* 323. *Vide indicem chrono-
logicum ibidem pag.* 711.

c *Ex anno ac die istius motus fiximus tempus
Sancti*

A *Sancti in Commentario prævio.*

d *NicephorusCallistus supra assignatus causam istius perfugii ad arcem seu turrim non adscribit incendio, sed terræ motui, et huic illud deinde subjungit.* In ipso, *ait,* cladis ejus impetu *(sermo est de terræ motu)* turri ipsa immota et stabili permanente, orantis habitu Martyr mortuus est repertus a multis, qui eo concurrerant, ut terræ motum D ex loco superiore spectarent. *Sed nihil nos cogit vel ad latum quidem unguem recedere a narrationis modo, quem habet Sozomenus. Porro per τὸ* Martyr, *μάρτυς, intellige testem, mortuum videlicet, illius calamitatis, quam prænuntiarat vivus.*

DE S. THEODORO SEU THEODULO

EPISCOPO OCTODORENSI VEL SEDUNENSI

IN VALLESIA APUD HELVETOS

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C

§ I. Antiquus Sancti cultus, scriptor Actorum, et varia horum exempla.

E

B

XVI AUG. *Publicam venerationem S. Theodori seu Theoduli,*

In *titulo dixi, hunc sanctum Præsulem episcopatui Octodorensi vel Sedunensi præfuisse, tum ob rationes infra proferendas, tum quod aliqui hos duos episcopatus distinctos velint, aliis contra existimantibus, hanc esse unam eamdemque cathedram, quæ alio translata sit, et ex loco diversum cognomen acceperit. Hanc controversiam didici ex Josia Simlero, qui in Descriptione Vallesiæ lib.* I *apud nos fol.* 25 *de hac re sic scribit:* Nonuulli censent Vallesiam olim duos episcopatus habuisse, Sedunensem et Octodorensem; uti enim distincta jura fuere Sedunorum et Veragrorum, ita quoque episcopatus diversos fuisse arbitrantur. Sed alii contra censent, id regionis angustiam vix pati: etsi enim urbes penes conjunctæ in Italia proprios episcopos habent, aliam tamen rationem servatam aiunt iu provinciis, præsertim Transalpinis, in quibus longe majores sunt diœceses episcoporum, quam in Italia.

C 2 Præterea id indicium unici episcopatus esse voluut, quod unius tantum Theodori Sedunensis episcopi meutio fit in dedicatione D. Mauritii apud Agaunum, a qua nou est credendum abfuturum fuisse Octodorensem episcopum, in cujus diœcesi hæc agebantur, si alius a Sedunensi fuisset. Existimant autem Octodorum, quod caput aliquando Vallensium fuit, ut ex libello provinciarum apparet, primam fuisse episcoporum sedem, donec bellis Burgundionum vastatum et dirutum fuit; deinde episcopatum Sedunum translatum esse, ac rursus propter Seduni excidia in veterem sedem rediisse; donec id restitueretur; vel Florentinum et Theodorum Sedunenses episcopos non ab urbe, sed a populo denominatos, quod Sedunorum vetustissimum nomen omnibus Vallensibus, ut hodie etiam solet, tribueretur. Nos rem in dubio reliuquimus; nomina autem Sedunensium episcoporum et res gestas alio loco persequemur. *Ita ille.*

qui Octodorensi

vel Sedunensi ecclesiæ præfuit,

3 *Franciscus Guillimannus in Opere de Rebus Helvetiorum lib.* 4 *cap.* 3 *aliam quorumdam opinionem circa hunc episcopatum proponit his verbis*: Quidam arbitrati sunt et Sedunos et Veragros unum tantum episcopum habuisse, qui tamen sedes mutaret; ita quidem, ut si, qui diem obiisset, Seduni egisset, successor Octoduri sedem collocaret, et vice versa; donec, ut diximus, per nimbi tempestatem Drausa fluvius, facto impetu, oppidum everteret, cathedram deinceps Seduni remansisse. *Illustrissimus D. Franciscus Augustinus ab Ecclesia, episcopus Salutiensis, in Historia chronologica Pedemontanæ regionis putat, cathedram Sedunensem Octodorensi successisse, et ibidem cap.* 44 *apud nos pag.* 330 *sententiam suam exponit hoc modo*: Sedunum civitas Vallesiorum, vulgo Sion, sive ut Germani vocant, Sitta, a flumine ejusdem uominis ultra Alpes Penninas ad Rhodanum, ubi olim Seduni, quorum mentio habetur in Arcu Cæsaris Augusti, in amœna planitie sita est. Aliquando paruit Comitibus Sabaudiæ; uunc autem tam in spiritualibus quam in temporalibus episcopum, qui Comes et præfectus Vallesiæ dicitur, superiorem agnoscit. Huc, Octoduro deleto, illius episcopalis sedes, cujus proventus iu antiqua taxa Romana ad 2000 floreuos taxantur, translata fuit; quocirca nou amplius Octodurensis, ut in Notitia provinciarum dicebatur, sed Sedunensis inscribitur, et archiepiscopatui Tareutasieusi subjicitur. F *Hanc communiorem illustrissimi auctoris opinionem amplectimur, nisi editores Galliæ Christianæ postmodum solidis argumentis ostendant, Seduni et Octoduri eodem tempore distinctos præsules sedisse.*

intelligimus ex litteris

4 *Interea sancti Præsulis nostri (sive hic Octodorensis sive Sedunensis episcopus fuerit) antiquum cultum stabiliamus, quem jam ab anno* 1668 *diligenter indagavit Ernestus Bidermannus noster, ut intelligo ex litteris, quas testis ille oculatus tunc Friburgo Helvetiorum ad Majores nostros dedit, et in quibus inter alia sic scripsit*: Ad satisfaciendum desiderio R. V. excursionem feci in Vallesiam, ut in Acta sancti Theoduli inquirerem. Veni primo Agauuum, nunc ad S. Mauritium dicitur..... Veui dein Octodurum;... Post Sedunum appuli, et apud episcopum nobis amicissimum diverti. Sed olim per belli injurias spoliatum est archivum episcopale, ita ut incolæ vix memoriam antiquitatis aliquam habeant authenticam præter Officia propria de S. Theodulo et Carolo Magno. Utraque curavi describi, et penes me habeo, et ea, si ita libuerit, R. V. submittam. Reperi autem inter alia sequentem titulum sancti Theoduli iu

AUCTORE G. C.

in catalogo vetustissimo castri Valleriæ episcoporum Sedunensium : S. THEODOLUS EX BURGUNDIA DE GRANDI-MONTE, EPISCOPUS SEDUNENSIS, PRIMUS PRINCEPS, COMES ET PRÆFECTUS VALLESIÆ, ANNO 802.

quas Bidermannus noster anno 1668 scripsit.

5 Ante hunc sanctum episcopum legitur iste titulus : S. ALTHÆUS EPISCOPUS SEDUNENSIS ET ABBAS S. MAURITII AGAUNENSIS, cujus tempore Carolus Magnus Francorum rex, ad divum Mauritium appulit, et miraculum cælestis harmoniæ in beatis Martyribus dormiens audivit : et inde ipse rex cum eodem sancto Althæo episcopo et abbate Romam proficiscitur anno 790. Post sanctum Theodulum ponitur : S. GARINUS EPISCOPUS SEDUNENSIS, SECUNDUS COMES ET PRÆFECTUS VALLESIÆ. Sepultus est in monasterio Vallis Alpium. Vixit anno 901. Spectavi Seduni templum ab eodem sancto Theodulo ædificatum. Servatur insuper in arce Valleriæ urbis Sedunensis frustum de campana, quam aliqui dicunt, jussu sancti Episcopi a dæmone Roma eo usque portatam; alii verius, benedictam a sancto Viro contra B tempestates et grandines eo in hodiernam diem effectu, ut ad primum pulsum campanæ, cui de campana illa benedicta frusta sunt infusa, momento tempestates dissipentur; eapropter nomen sancti Theoduli non tantum per vicinam Helvetiam, sed totam Sabaudiam et Pedemontium est celeberrimum, et in vota vocatur. *Hactenus Bidermannus noster, qui postmodum promissa Officia propria ad nos transmisit.*

Etiam a Chiffletio nostro accepimus

6 *Etiam ex Burgundia accepimus varia monumenta, ad hunc sanctum Præsulem spectantia, ex quibus Chiffletius noster contexuit sequentem Actorum ejus synopsin :* Theodulus in Grandi Monte, Bisuntinæ Burgundiæ castello, nobili Grandi-montensi familia natus, merito suo ad episcopatum Sedunensem evectus est. Quo in munere cum magna laude versaretur, contigit, ut cum aliis episcopis vocaretur ad synodum, in qua Carolus Magnus rex gravi se quodam scelere obstrictum publice professus, ejus veniam sibi a Deo ipsorum precibus obtineri flagitabat. Cum autem episcoporum nonnulli duodecim, alii viginti aut triginta Sacrificia ad eum finem se facturos reciperent, unicum promisit Theodulus. Quo oblato, C et regiæ noxæ genus et ejus condonationem divinitus edoctus est. Itaque regem adit turbatum, solatur, flagitii seriem ei privatim recenset. Culpam omnem expiatam affirmat; et Vallensium præfecturam ecclesiæ dotem, tanti beneficii præmium, refert.

compendium Actorum,

7 Aliquando Vallensium vitibus nimio frigore adustis, appetente vindemia, nihil prope erat uvarum, quod legeretur. Consultus igitur a populo Theodulus, quid facto opus esset, cupas omnes et vasa vinaria velut ad uberem vindemiam præparari jussit. Tum collectas uvas unum in locum deferri, ac per omnia vasa distribui. Ipse vero accedens, singulos racemos signo crucis benedixit, et in vasa singula manu compressos injecit. Mirum dictu! ita subito vasa omnia vino in primis generoso repleta sunt, ut etiam redundarent. Agaunensium martyrum ossa, hac illac dispersa, vel opprimebant glebæ, vel Rhodani eluvione nudata volucres ac feræ arrodebant. Non tulit eam sacris exuviis illatam injuriam Theodulus. Illas, monstrante Deo, internovit, humo educta effodi curavit, locis honestis composuit. Obiit Vir sanctus decimo septimo Calendas Septembris, cujus reliquiarum variæ partes in Bisuntinam et Lugdunensem diœceses translatæ adversus tempestates ac cæli injurias præsidio sunt; sed et campanæ ab eo benedictæ sonitu suo veneficorum ac dæmonum impios cœtus solvere et maleficia discutere solent. Eamdem virtutem aliis quoque campanis inesse, compertum est, quibus immixtum fuerit frustulum metalli e quadam campana ab ipso benedicta, quæ dudum inter pulsandum effracta est. D

quod desumptum est ex Officio proprio.

8 *Hæc desumpta sunt ex solenni Officio, quod hac die in Breviario Sedunensi legitur, et in quo ad primas Vesperas recitatur hymnus, qui eadem gesta sic paucis exprimit :*

Chorus cælestis curiæ
Congaudet nobis hodie
Colentibus celebria
Patris nostri solennia.
Cujus in natalitio
Mentis affectu nimio
Solventes laudis debitum
Attollamus emeritum.
Fusa prece Theodoli
Nudatur culpa Caroli
Thebæorum cadavera
Conduntur ejus opera. E
Luxit terra Vallensium :
Per gelu namque nimium
Aruerant vindemiæ
Sedunenses et aliæ.
Vasa, lagenas, dolia
Nihil liquoris habentia,
Facto crucis signaculo,
Vini replevit poculo.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum. Amen.

et ex variis Martyrologiis

9 *Omitto hic alia Officii istius propria, et more nostro profero aliquot Martyrologia, quæ annuam S. Theodori vel Theoduli festivitatem breviter annuntiant. Codex Gollianus in Usuardo nostro illustrato ad diem* XVII *Augusti sic habet :* Castro Seduno, sancti Theodori episcopi. *Sed die præcedente de eodem sancto Præsule, ni fallor, meminit Martyrologium sancti Joannis Vesontionensis, ex quo laudatus Chiffletius transcripsit hæc verba :* XVII Calendas Septembris, Seduni natale S. Theodoli episcopi et confessoris. F *Molanus in quibusdam Martyrologii sui editionibus ad diem* XVI *Augusti post alias annuntiationes ita scribit :* Eodem die, Theodoli confessoris, episcopi Sedunensis. *Saussayus in Martyrologio suo Gallicano ad diem* XVI *Augusti memorat sanctum Præsulem Sedunensem ejusdem nominis, sed alterius ætatis, eumque sequenti elogio exornat :* Eodem die Seduni inter montes Alpinos ad Rhodanum, depositio sancti Theoduli episcopi illius sedis et confessoris, qui post Constantium hoc pontificatu sublimatus sancto regi Sigismundo charus, eum ad opera pia religiosa instantia instigavit; cui et suasor exstitit construendi celebris cœnobii Agaunensis in honorem sancti Mauritii martyris illic cum sociis coronati, cujus loci fundationi cum Viventiolo Lugdunensi, Victore Gratianopolitano, Maximoque Genevensi, exploratæ quoque sanctitatis præsulibus, subscripsit, basilicamque ipsam pontificali ritu dedicavit. Deinde virtutum incrementis assiduus, clerum populumque suum sic ipsarum coloribus tinxit, ut morum purissimorum imitatores sedulos, piis nisibus (superna afflante aura) effecerit. Et ita decursa feliciter Dei mandatorum palæstra, ad supernorum senatorum consessum perfectæ sanctitatis

AUCTORE G. C.

A tatis purpura insignis emigravit. *Si hic* S. Theodulus *tempore Sigismundi regis floruerit, plus quam duobus seculis ab ætate Caroli Magni distat. Ceterum juverit infra hujus annuntiationis meminisse,*

aliisque monumentis Burgundicis

10 *Interim antiquum* S. Theoduli *vel* Theodoli *cultum corfirmabimus ex monumentis Burgundicis, quæ proxime laudatus Chiffletius Majoribus nostris communicavit, et ex quibus patet, quanto in honore reliquiæ hujus Sancti ibi habeantur. Imprimis indefessus ille Operis nostri adjutor ex catalogo reliquiarum monasterii Athanatensis apud Lugdunum excerpsit hæc verba:* Item aliud est brachium argenteum, in quo sunt reliquiæ plurimorum Sanctorum, et brachium S. Theodoli Sedunensis episcopi et confessoris. *Præterea testatur, in Prioratu de Bauda (vulgo de Joué) qui pertinet ad collegium nostrum Dolanum, honorifice servari hierothecam* S. Theodoli *cum aliquot ejus ossibus in ea inclusis, et circa alias ejusdem Sancti reliquias in veteri Rituali sancti Stephani Vesontionensis præscribi sequentia :* In die Pentecostes debet ire processio B ad sanctum Joanuem. Quidam Canonicus portat reliquias S. Theodoli, quæ prosunt coutra tempestates; et Hebdomadarius portat brachium proto-martyris, et benedicit civitatem hisce verbis: Per merita beati proto-martyris Stephani benedicat nos et fines nostros Christus Filius Dei. Per merita sancti Theodoli benedicat nos et fines nostros Christus Filius Dei. *Deinde hæc adduntur:* Quinto Nonas Maii, fit precessio super montem cum brachio, cruce, et reliquiis beati Theodoli, et per crucis signaculum benedicitur civitas: Per signum sanctæ crucis, per merita beati Proto-martyris, et per merita beati Theodoli, dicendo Protege Domine etc.

immemorabilem hujus Sancti cultum confirmamus.

11 *In iisdem monumentis Burgundicis dicitur Otho Comes has* S. Theoduli *reliquias Vesontionensibus dedisse. Suspicor, Othonem illum fuisse Comitem Cabilonensem et Burgundiæ, qui Margaretam uxorem habuit, et circa finem seculi duodecimi ex hac vita discessit, ut apud Nicolaum Vignierium in Chronico Burgundionum ad annum* 1199 *sive pag.* 144 *videre est, et præterea colligitur ex Necrologio S. Joannis Vesontio-* C *nensis, in quo ad rem nostram leguntur sequentia :* iv Idus Julii obiit Margareta Comitissa, quæ iustituit duos capellanos ad altare S. Theodoli, pro se, et Othone Comite, marito suo. *Henricus Murerus ex religiosissimo Cartusianorum Ordine scriptor Helvetus pag.* 135 *et sequente Helvetiæ suæ sanctæ narrat Germanice prodigiosas quasdam castigationes eorum, qui circa medium seculi* xv *festum* S. Theoduli *celebrare neglexerant, aut ipsum Sanctum impie spreverant. Quamvis omnia hactenus allata abunde probent legitimum et immemorabilem* S. Theodori *vel* Theoduli *cultum, tamen nobis nondum omnino constat quis proprie hac die colatur ex duobus aut tribus ejusdem fere nominis præsulibus, qui diversis seculis ecclesiam Octodorensem vel Sedunensem gubernarunt. Quapropter paragrapho sequente hunc difficilem nodum proponemus, et eruditis solvendum relinquemus.*

Dicitur monachus quidam anno 1491 scripsisse Acta Sancti,

12 *Hic jam tantummodo superest, ut de scriptore Actorum, variisque horum apographis nonnulla præmoneamus. In Legendario S. Anatolii Salinensis et in Ms. codice bibliothecæ Thuanæ scriptor Actorum vocatur Ruodpertus monachus peregrinus, quem proxime laudatus Murerus pag.* 133 *Helvetiæ suæ sanctæ Robertum appellat, ibidemque asserit, ab illo Roberto, quem ex Vallesia oriundum suspicatur, hæc Acta anno* 1491 *Latine conscripta, et ecclesiæ* S. Theoduli *relicta esse. Ceterum nobis ignotus est monachus iste, qui certe ab antiquitate non magnam habet commendationem, si circa finem seculi* xv *Acta illa primum concinnaverit. Præterea Ruodpertus vel Robertus ille his Actis inseruit quoddam figmentum de campana, quam* S. Theodulus *per dæmonem ex urbe Romana in Vallesiam portari jusserit; sed hæc fabulosa narratio in apographis nostris omissa est, et pag.* 135 *Helvetiæ sanctæ ab ipso Murero rejicitur. Hæc de auctore illo, quo antiquiorem hactenus non novimus, dicta sufficiant.*

quorum diversa exemplaria recensemus.

13 *Habemus diversa Actorum exemplaria, quorum jam brevem notitiam suggeremus. Primum prodit ex bibliotheca Thuana num.* 275, *cui prolixus ac ineptus prologus præfigitur. Porro ipsa Actorum historia in hoc apographo mutila est. Quare longam illam præfationem, quæ nihil ad rem facit, et varia pererga prælo subjicere noluimus, seculi consilium Chiffletii nostri, qui in fine Actorum nos ita monet :* Hæc pererga ex codice Thuano indigna sunt, quæ typis edantur, E uti et prologus Ruodperti monachi non minus ineptus, qui constat quinque fere paginis cum dimidia. *Alterum apographum excerptum est ex quodam manuscripto S. Stephani Vesontionensis, quod finitur miraculo vini multiplicati, et in quo revelatio de sacris reliquiis Martyrum Thebæorum non exprimitur. Tertium denique exemplar Chiffletius noster ex Legendario sancti Anatolii Salinensis transcripsit, et cum codice Thuano contulit, quod post hunc Commentarium prævium typis excudemus, quamvis non careat aliquibus perergis, quæ auctoris et seculi sui simplicitatem indicant. Insuper accepimus varia Auctorum compendia, quæ ex Breviariis excerpta, vel ad recitandum Officium proprium composita sunt, et ex quibus unum supra exhibuimus. Ceterum hæc omnia ecgrapha in eo concordant, quod* S. Theodorum *vel* Theodulum *hodiernum statuant floruisse tempore Caroli Magni imperatoris, etiamsi hæc ætas et distincta istius sancti Præsulis veneratio non levem patiantur difficultatem, ut ex paragrapho sequente apparebit*

F

§ II. Intricata difficultas circa personam et ætatem episcopi Octodorensis vel Sedunensis, qui hoc die colitur.

Ex triplici Theodoro vel Theodulo

Supra laudatus Henricus Murerus Cartusianus in Helvetia sua sancta proponit nobis pag.* 133 *et* 183 *duplicem* S. Theodorum *et unum* S. Theodulum, *quos tres Octodorensi vel Sedunensi ecclesiæ præfuisse et quorum omnium annuam memoriam hac die* xvi *Augusti celebrari affirmat, quamvis diversis longe temporibus vixerint : nam primus seculo quarto, alter sexto, tertius autem seculo nono floruisse dicitur. Etiam illustrissimus D. Franciscus Augustinus episcopus Salutiensis in Historia chronologica Pedemontanæ regionis, quem superius laudavi, pag.* 331 *et sequente hos tres ejusdem sedis antistites ita distinguit.* Theodorus episcopus Octodurensis, qui subscripsit concilio Aquileiensi sub Damaso primo papa..... Theodorus secundus, sive Theodolus, qui in fundatione mouasterii S. Mauritii Agaunensis iuter sexaginta

AUCTORE G. C.

xaginta episcopos secundus numeratur... S. Theodolus, cui Carolus Magnus dominium civitatis Sedunensis donavit. *In margine autem tempus, quo tres illi præsules floruerunt, ibidem ita notat, ut primo annum* 381, *secundo* 508, *ac demique tertio annum Christi* 805 *assignet. Mutata nonnihil hac chronologia, etiam Sammarthani in Gallia Christiana triplicem* Theodorum *vel* Theodulum *inter episcopos Octodorenses vel Sedunenses recensent.*

illustrissimus episcopus Novariensis existimat,

15 *Reverendissimus Carolus a Basilica Petri, episcopus Novariensis, in sua Novaria seu in Opere de ecclesia Novariensi existimat, die* XVI *Augusti primum ex his tribus præsulibus coli, et de illo* S. Theodoro *vel* Theodulo *ibidem pag.* 21 *et sequente hæc scribit :* Sed cum de sanctis viris, qui ex Alpibus per hanc diœcesim regionemque coluntur, dicere cœperimus, commemorandum est etiam de Theodulo episcopo Octodurensi. Diœcesis hæc Transalpina est, nuncque Vallesia dicitur, regio satis amplos Alpium sinus capiens, qua Seduni et Veragri erant, populi a Cæsare commemorati; cujus regionis sacra profanaque sunt in ipsius episcopi potestate, atque B utinam integra, ut olim : non enim, ut credibile est, venisset in præsens Catholicæ fidei discrimen. Confinis est longo sane spatio diœcesi Novariensi, jugis Alpium interpositis, de quo mox dicetur. Pro Octoduro nunc Seduuum civitas est, licet non eodem loco. Sanctus igitur Theodulus patronus et primus episcopus ecclesiæ Sedunensis etiam in hac diœcesi magna sanctitatis et antiqua existimatione in honore habetur; ut votum quoque publicum populi Læsiæ seu veterem consuetudinem inveuerimus ejus sepulcrum iu Sedunis cum sacra oblatioue adeundi; multorum item populorum votum festi ejus diei celebrandi, qui est XVI Augusti; licet pro Theodulo plerique dicant Theodorum.

hodie celebrari primum,

16 Interfuit autem concilio Aquileiensi et subscripsit tempore S. Ambrosii, licet codices quidam item pro Theodulo habeant Theodorum. Atque credibile est, hunc esse, cujus nomen scriptum legimus in epistola S. Ambrosii ad Syricium : licet enim alibi me dixisse meminerim, non videri verisimile, episcopum Gallum et Transalpinum Ambrosianæ provinciæ fuisse, nunc tamen secus C existimo : nam frequentem video fuisse olim consuetudinem huic Seduuensi ecclesiæ ac genti cum Cisalpinis. Neque difficile eo est iter per montem Cæpionis appellatum, de quo postea dicetur; maxime eum videam, etiam Curiensem episcopum ad synodales Mediolani actiones venisse, quemadmodum iu paulo ante memorata Eusebii archiepiscopi epistola legitur. Invocatur itidem Theodulus contra grandinem : ac frustula quædam ex campanæ metallo dantur iu ecclesia cathedrali Sedunensi, ut campanis aliis infusa, earum sono meritis sancti Episcopi avertatur grandinis malum: ideo ad ejus imaginis pedes campana pingi solet, et prætcrea etiam diabolus prostratus. *Eruditus lector hic videt, illustrissimum Carolum episcopum Novariensem* S. Theodoro *vel* Theodulo *primo tribuere patrocinium contra grandinem aliaque campanarum miracula, quæ traditio Sedunensium et Officia quædam propria adscribunt alteri* S. Theodulo, *qui tempore Caroli Magni vixerit.*

quem Saussayus alio die collocat.

17 *Andreas Saussayus in Supplemento ad Martyrologium suum Gallicanum decimo Calendas Aprilis eumdem* Theodorum *primum Sanctis annumerat, illumque condecorat hoc encomio ;* Sedu- D ui in Gallia sancti Theodori alias Theodorici episcopi et confessoris, qui sui seculi clarum lumen, cum apud Octodurum Veragrorum cathedram episcopalem (quæ demum Sedunum Vallesiorum translata fuit) teneret, ad concilium Aquileiense, quod, Damaso Papa et Gratiano Augusto jubentibus celebratum est adversus Palladium et Secundianum episcopos, Ariana dogmata renovantes, unus scilicet ex propriis Galliæ episcopis invitatus accessit, sanctique Ambrosii, illic majestatem Unigeniti æterni Patris adversus horum impiorum sceleratam perfidiam strenue propugnantis, suffragator damnationis sententiæ, quæ contra illos lata est, sacros inter proceres conspicuus subscripsit. Dehinc ad sedem reversus cum triumpho, orthodoxam fidem sedulo excoluit; verbo autem et exemplo cum gregem suum Pastor bonus sustentasset, locupletatus fœnoribus gratiæ, ad coronam justitiæ, lætus de bonæ militiæ felici successu, properavit. *Hic observa, ab Andrea Saussayo eumdem episcopum Sedunensem, seu potius Octodurensem, die* XXIII *Martii memorari quem illustrissimus Carolus Novariensis ad diem* XVI *Augusti publice coli asseruerat.* E

Cratepolius tantummodo unum videtur novisse,

18 *At Petrus Cratepolius Minorita tantummodo secundum* S. Theodorum *vel* Theodulum *videtur novisse, eumque in opusculo suo de Sanctis Germaniæ apud nos pag.* 139 *sub nomine Theodorici ita laudat :* Sanctus Theodoricus, primus episcopus Seduneusis, a Deo plurimis donis et virtutibus exornatus fuit : sua enim doctrina et pietate Vallesianos ad Christi cognitionem adduxit. Quare ob plurimas virtutes ejus loci præsul ordinatus est. Fuit anno Domini DL. In hujus memoriam Carolus Magnus Sedunensem ecclesiam multis donis et privilegiis exornavit. *Nolo hic operose refutare anachronismum aliosque errores, qui in hoc parvo elogio occurrunt : si enim* S. Theodorus *vel* Theodoricus *ille floruerit anno Domini* 550 *quomodo potest dici* primus episcopus Seduuensis, *et sua doctrina Vallesianos ad Christi cognitionem adduxisse, cum Vallesiani jam diu ante hæc tempora alterum Theodorum aliosque præsules habuerint, ut ex dictis dicendisque evidenter apparet.*

licet alii distinguant

19 *Attamen Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ad diem* XXIII *Martii cæce secutus est Cratepolium, et hunc S. Theodoricum appellat primum urbis Sedunensis episcopum, eumque circa annum Christi* 550 *floruisse asserit; sed in notis ad annuntiationem suam prudenter lectorem monet his verbis :* Videndum est, an sit idem cum Theodulo de quo die XVI Augusti agemus : sæpe enim scriptores, Sanctos varie nominantes fallunt. *Dein die* XVI *Augusti in eodem catalogo annuntiat festum* S. Theoduli episcopi Sedunensis, *et in notis instrumenta, ad hunc Sanctum spectantia, sic assignat :* Ex tabulis ecclesiæ Sedunensis et Augustæ Prætoriæ. De eo Sebastianus Munsterus lib. 3 Cosmographiæ, ubi scribit, Karolum Magnum Sedunorum præfecturam sancto Theodulo episcopo et successoribus donasse. Claruit sub Clodoveo rege circa annum CDLXXXVII. De eodem ecclesia Curiensis hac die. *In hoc chronologico Ferrarii systemate neutra ejus annuntiatio convenire potest vel* Theodoro *primo, qui concilio Aquileiensi subscripsit, vel* Theodoro *alteri, qui fundationem cœnobii S. Mauritii promovisse dicitur. Tamen suspicor, quod Ferrarius in utraque sua annuntiatione designare voluerit* Theodorum *vel* Theodulum *secundum, quamvis in chronologia erraverit.* F

20 *Accipe*

AUCTORE G. C.

duos ejusdem nominis et cathedræ episcopos

A 20 *Accipe igitur paucis exactiorem utriusque hujus* Theodori *distinctionem ex Josia Simlero, qui lib.* I *de Vallesia apud nos fol.* 25 *quosdam præsules Sedunenses vel Octodorenses ita recensset :* Episcopatus Sedunensis unus est e vetustissimis totius Galliæ. Sigebertus in Chronico refert anno Domini DXI Florentinum episcopum Sedunensem pro Christo mortem pertulisse. Rursus in Agaunensis cœnobii, quod a divo Mauritio martyre nomen habet, consecratione mentio fit Theodori episcopi Sedunensis; exstructum autem fuit hoc cœnobium a Sigismundo Burgundionum rege circa annum Domini DV. Sed in concilio Epaunensi, quod circa annum Domini DX celebratum fuit sub eodem Sigismundo rege, mentio fit Constantii Octodorensis, id est Valensiæ episcopi; et in concilio Aurelianensi quinto circa annum Domini DXLVI sub Childeberto Francorum rege Rufus Vallensium Octodorensium episcopus adfuit. Et longe ante hæc tempora Theodorus Octodorensis episcopus concilio Aquileinsi interfuit circa annum Christi CCCLXXXV : nam id celebratum fuit tempore Gratiani imperatoris et Damasi Papæ, Siagrio et Eucherio consulibus. B *Franciscus Guillimannus in Opere de Rebus Helvetiorum lib.* 4 *cap.* 3 *etiam utrumque hunc Theodorum episcopum Sedunensem vel Octodorensem accurate distinguit.*

quibus nonnulli addunt tertium,

21 *Sed jam quæstio est, an his duobus ejusdem nominis et cathedræ præsulibus addendus sit tertius* Theodorus *vel* Theodulus, *qui tempore Caroli Magni imperatoris ecclesiam Sedunensem rexerit. Illustrissimus episcopus Salutiensis, Henricus Murerus Cartusianus, traditio Vallesianorum, Breviaria, et qualiacumque Acta hunc tertium* Theodorum *vel* Theodulum *commemorant, et ab aliis duobus præcedentibus distinguunt. Traditioni huic videtur assentiri Sebastianus Munsterus, dum lib.* 3 *Cosmographiæ suæ universalis apud nos pag.* 365 *sic scribit :* Episcopus Sedunensis princeps est et dominus totius Vallesiæ superioris et inferioris in rebus secularibus et spiritualibus, deditque Carolus Magnus circa annum Christi DCCCV hunc Comitatum et præfecturam sancto viro Theodolo episcopo Sedunensi atque omnibus successoribus ejus. Confirmarunt quoque multi alii imperatores hanc donationem et roboraverunt usque in hodiernum diem.

aliquibus contra opinantibus,

C 22 *Alii tamen censent, illam opinionem ortam esse ex eo, quod Carolus Magnus in honorem* S. Theodori *vel* Theoduli, *olim episcopi Octodurensis, cujus memoria ob sanctitatem tunc celebris erat, hanc prærogativam cuidam præsuli Sedunensi sui temporis concesserit. Sane non raro reges ac principes in diplomatibus suis dant aliquas possessiones aut quædam privilegia alicui Sancto, qui jam a multis seculis ad Superos migravit. Hæc autem dona et privilegia intelliguntur concedi monasterio vel ecclesiæ, in qua Sanctus ille colitur aut quiescit. Id etiam hic ita factum opinatur Henricus Pantaleon, qui tomo* I *Prosopographiæ pag.* 200 *de* S. Theodoro *vel* Theodulo *secundo hæc habet :* Sanctus Theodorus a Deo plurimis donis et virtutibus ornatus fuit; is enim sua doctrina et pietate Vallesianos in vera Christi religione diligenter instituit, atque omnes in sua vocatione perseverare docuit. Itaque factum, cum post Rufum Octodurensem præsulem episcopatus Sedunum a rege Burgundionum Sigismundo transferretur, ut hic Theodorus ob plurimas virtutes ejus loci primus præsul ordinatus fuerit. Unde etiam in fundatione monasterii S. Mauritii hic Theodorus cum aliis præsulibus subscripsit anno post Christum DL. Cum autem magna prudentia hanc ecclesiam administrasset, S. Theodorus, qui etiam vulgo Theodolus dicitur, ex hac vita in cæleste gaudium penetravit. In hujus Theodori memoriam postea Carolus Magnus ecclesiam Sedunensem multis donis et privilegiis exornavit. Unde factum, ut aliqui postea hunc Theodorum Carolo coævum posuerint. *Ita ille citans Joannem Stumpffium, qui in Germanico Helvetiæ Chronico lib.* XI *cap.* 13 *similia asserit, et ibidem præterea contendit, nullum episcopum Sedunensem, nomine* Theodorum *vel* Theodulum, *temporibus Caroli Magni floruisse.*

hunc aliis duobus errone additum esse,

23 *Hanc sententiam quoque amplectitur Josias Simlerus, quem supra citavi, dum lib.* 2 *Vallesiæ apud nos fol.* 48 *de præsenti quæstione sic scribit :* Theodorum episcopum, quem vulgo sanctum Theodolum nominant, Caroli ætate vixisse, ac ab eo gladio et Vallesiæ præfectura donatum esse quidam tradunt, et Munsterus Comitatum et præfecturam Vallesiæ anno DCCCV a Carolo Magno Theodolo episcopo datam scribit. Sed nos ante ostendimus, Theodorum episcopum, quem etiam Theodulum vocant, sub Sigismundo Burgundiæ rege vixisse supra ducentos et quinquaginta ut minimum annos ante Caroli imperium. E Sed quia Theodorus magnæ sanctitatis apud omnes habebatur, facile concesserim, regem Carolum ingentia munera, quæ episcopo dedit, Theodoro, qui inter Divos censebatur, donasse, ac inter cetera forte Vallesiæ præfecturam ei dedisse. Constat tamen, imperatores, qui aliquot seculis Carolum secuti sunt, præfecturam episcopatus retinuisse, quam tandem Fridericus Æuobarbus pro regni Arelatensis permutatione Berchtoldo Zeringio dedit.

quæ opinio nihil derogat juri præsulum Sedunensium.

24 *Sed propter hanc controversiam nihil minuitur ex jure episcoporum Sedunensium ad præfecturam Vallesiæ, quod proxime citatus Simlerus in alio opere de Republica Helvetiorum lib.* 2 *apud nos pag.* 185 *agnoscit his verbis :* Princeps vero regionis est episcopus Sedunensis, qui Comes et præfectus Vallesiæ nuncupatur. Hunc suffragiis communibus deligunt Canonici collegii Sedunensis et legati septem decumarum superioris Vallesiæ. Tradunt autem Vallesianorum annales, Carolum Magnum imperatorem Theodolo episcopo Sedunensi, quod is ab angelo edoctus nescio cujus secreti delicti remissionem sibi indicasset, donasse Comitatum et præfecturam Vallesiæ ipsi ac successoribus, et jus præferendi gladii in signum civilis jurisdictionis, item cetera privilegia principum imperii concessisse. F Etsi autem sunt quædam, quæ hanc narrationem suspectam redduut, de quibus in nostra Vallesia disseruimus, illud tamen certum est, jura hæc, quæ diximus, ab aliis imperatoribus postea episcopis Sedunensibus concessa et confirmata esse, ac nominatim a Carolo IV imperatore, eademque renovata et aucta per Carolum V imperatorem, qui libenter hoc dedit precibus Matthæi Schineri episcopi et Cardinalis optime de se meriti.

et quam ulterius discutiendam relinquimus.

25 *Ex hactenus relatis patet, ab illustrissimo Carolo Novariensi* S. Theodorum *primum, ab aliquibus* S. Theodorum *secundum, et aliis denique* S. Theodorum *vel* Theodulum *tertium hac die celebrari. Nonnulli scriptores unum dumtaxat, quidam duos, alii tres hujus nominis præsules Octodurenses vel Sedunenses catalago Sanctorum adscribunt. Quid si gesta horum Præsulum confusa sint? Saltem sæpe laudatus Murerus pag.* 134 *Helvetiæ sanctæ existimat,* S. Theodoro *secundo*

AUCTORE G.C.

cundo adscribenda esse ea, quæ circa reliquias martyrum Thebæorum S. Theodoro *vel* Theodulo *tertio tribuuntur. Quid si recentiores Vallesiani erraverint, quando putarunt, quemdam* S. Theodorum *vel* Theodulum *exstitisse tempore Caroli Magni, et in hunc errorem inducti fuerint, eo quod imperator ille cuidam episcopo Sedunensi suæ ætatis in honorem* S. Theodori *primi vel secundi præfecturam Vallesiæ concesserit? Certe principes aliique ecclesiarum benefactores in diplomatibus suis sæpe dicunt, se privilegia et possessiones conferre alicui Sancto, quamvis hic jam a multis seculis in cœlum receptus sit, ut supra monuimus. Vides hic undique intricatos nodos, quibus dissolvendis nos impares fatemur. Quapropter ab eruditis Vallesiæ incolis aut novis Galliæ Christianæ editoribus, qui in Opere jam inchoato accuratam præsulum Octodorensium vel Sedunensium seriem promiserunt, clariorem hujus difficultatis solutionem exspectabimus, et interim excudemus qualiacumque*

B

ACTA

auctore quodam Ruodperto vel Roberto, monacho peregrino.

Ex Legendario a. Anatolii Salinensis in Burgundia, quod cum aliis Mss. codicibus collatum est.

Dicitur hic sanctus Præsul Carolo Magno, a

* *al.* Theodorus *et sic ubique.*

Temporibus Magni Karoli in Burgundiorum terra conversatus est *a* beatus Theodolus *, ubi in tanta conversione inter provinciales illos excrevit, ut non solum juxta positorum, sed etiam longe manentium civium in se provocaret affectum, ita ut omnes quasi patrem haberent, in quo statum totius perfectionis in tantum excrevisse viderent. Unde contigit, ut Seduneusis C ecclesiæ præsule defuncto, beatus Theodolus eidem regendæ præficeretur, ut qui in propria domo bene et ordinate ante disposuerat, ceterorum ignorantiam doceret, quod in sua postmodum honeste tractaret. Postquam autem episcopale culmen adeptus est, puro homini nihil præter naturam relaxabat; sed semper eidem ita voluit imperare, ut imaginis Dei similitudinem non auderet arroganter vitiare. In omni devotionis suæ opere id agere satagebat, ut misericordiæ et veritatis obviationem taliter proferret in publicum, ne aliqua occasione contrariæ partis inimici justitiæ et pacis corrumperent osculum. Unde factum est, ut relatione famosa currente prædicti domini piissimi Karoli notitiam habere cœpisset: atque inter cetera, quæ idem dilectus Domini ab eo facienda cognovit, cuidam generali concilio *b* ab eodem rogatus interfuisse narratur, ubi, sicut in posterum rei probavit eventus, quantæ dignitatis vir iste fuerit, et præsentes, qui tunc aderant, agnoverunt, et futuris memoriæ mandandum reliquerunt.

b

2 Inter alia, quæ ab ecclesiasticis viris in eodem concilio necessaria inventa sunt, memoratus princeps (sicut dictum est: Justus in principio D accusator est sui) episcopos omnes secreta silentii allocutione reverenter aggressus est, et cujusdam capitalis criminis prævaricationem se incurrisse lacrymabiliter professus est. Grande, inquit, peccatum me commisisse profiteor; quod quia nomine ipso valde vituperandum, in facti sui inhumanitate omnimodis est exsecrandum. Nunc ergo orationum vestrarum solatia adhibete, et pœnitentiæ meæ fructum vobis acquirite, ut unusquisque vestrum in suæ ecclesiæ domum revertens Missarum solennia * pro me Deo offerat, et ut absolutionis meæ spem ad altiora vel etiam certiora perducat, quantas aut quales in præsentiarum nominatim edicat. Illi autem satisfactioni tanti principis pro Deo annuentes, nonnulli etiam imperatoriæ severitatis lege coacti, triginta aut viginti vel decem Missas se facturos promiserunt. Tunc sanctus Theodolus, sicut semper solebat, conscientiæ suæ temperamento humilitatis reverentiam imponens, tantum cum unius Missæ oblatione se pro eo supplicaturum promisit. Istius promissionis voce accepta, Augustus et omnes, qui aderant, ve- E hementer admirati sunt, indignatione pro ignorantia hoc cum promisisse credentes; firmata tamen astipulatione sui promissi, ad propria statim fuere reversi.

qui occultum quoddam peccatum generatim confessus fuerat,

* *al.* oblationes

3 Vir autem Domini Sedunum veniens, die noctuque lacrymis et orationibus insistendo, divinæ miserationis auxilium pro lapsu, quem ignorabat, incessanter supplicare curabat. Supervenit statuta dies, qua Missarum oblationem devotus fidejussor explevit. Et ecce angelica relatione quid et quantum Augustus deliquerit, per ordinem agnovit: et etiam insuper in suæ dignitatis obtinuit opere, ut alienæ præsumptionis delictum absolvere potuisset, ut impleretur, quod dicitur. Oratio humiliantis se nubes penetrabit; et donec appropinquet non consolabitur, et non descendet *, donec aspiciat Altissimus. Peracto deinde tempore, Christianæ fidei obsides, quos prædiximus, convenerunt omnes quod promiserunt, regiæ exspectationis audientiæ retulerunt. His auditis, imperator digna gratiarum actione omnibus satisfecit, et quid sibi postea observandum fuisset, diligentius inquisivit: quem sanctus Theodolus secreta altercatione * semotum ducens, ita consolabatur dicens: Domine F semper Auguste, omnipotenti Deo gratias age. Talia et tanta audivi ab angelo, in quibus te peccasse pro certo cognovi. De cetero emenda hæc omnino dimissa: spontanea enim professione pœnitentiam quæsivisti, idcirco plenæ indulgentiæ locum invenire meruisti *c*.

speciem et remissionem ejusdem peccati exhibitus indicasse,

* *al.* discedit

* *al.* alteritate

4 Quo responso accepto, Augustus lætus efficitur, et egregii Antistitis benevolentiam regiis donationibus et muneribus remunerari volens, maximum opportunitatis et familiaritatis locum inter amicos illi concessit, et in omnibus suæ voluntatis affectibus * se obtemperaturum promisit. Cui Episcopus ait: Vallensium præfecturam, quæ in nostra diœcesi est sita, sanctæ Mariæ Sedunensi *d* gratanter donate, et ipsam cum Deo, et Deum cum ipsa propitios semper habete. Importunum est et ecclesiasticæ libertatis quieti omnino contrarium, ut seculari exactione vexentur, qui altaris et ministeriorum * Dei officiis addicti æternorum * curam gerere debent. Sed, ut sæpe contingit inter plebeios, quod spirituale est, aliquando minus perpenditur. Qui ecclesiasticus est, si bicipitem gladium in manu portat, in carnali quidem non occidendo, sed terrendo incidit, in spirituali autem quasi blandiendo unguentum curationis imponit.

ac propterea præfecturam Vallesiæ ab ipso accepisse.

* *al.* effectibus

d

* *al.* mysteriorum

* *al.* internorum

ponit. De talibus profecto Psalmista exponit dicens: Exultationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Cujus * petitioni imperator protinus annuens, eumdem Comitatum episcopo venerabili Theodolo *e*, suisque successoribus, perpetua stabilitate subnixa contradidit; et sicut dictum est: Multi requirunt faciem principis; a Domino egreditur judicium singulorum. Multi, qui aderant, se multa percepturos opinati sunt; hic, quia in Domino confisus est, judicium ejus sublatum est. Interea Vir Domini, regiæ magnificentiæ donatione percepta, domum reversus, tanta, ut prædiximus, auctoritate vivendi usus est, ut divinæ pietatis augmentum illo in tempore in tantum percipere meruisset, quod non solum puræ conscientiæ frueretur arbitrio, sed etiam faciendorum signorum non modico dignus haberetur imperio.

* al. Cui

Auctor post quædam parerga narrat,

5 Beatæ memoriæ S. Gregorius Romanus, ecclesiasticæ disciplinæ auctor præcipuus, subtilissimæ disputationis dissertor egregius, intimæ speculationis radius solaris, luculentissimæ eruditionis regula, divinæ et humanæ inscriptionis tabula, sancti Spiritus organum, totius bonitatis ærarium, ipse etiam receptaculum singulare peccatorum, et idcirco memoriale spectaculum omnium seculorum, eos, qui mira faciunt, et signa valenter operantur, in supernarum virtutum sorte computari describit; et qui Dei et proximi charitate latius abundant, inter cherubim numeros meritorum suorum ordinem habere denuntiat. Quod tanti antistitis ratione * subnixum est, ulla umquam occasione refutari omnino non debet *f* utraque etenim hæc, quæ de sancti Gregorii narratione protulimus, beatum Theodolum aperte promeruisse fatemur. Ubi, vel quando promeruit? Ibi, ubi secum habitavit. Ubi habitavit secum? Verum ubi exteriori et interiori nihil in voluntate diversum, sed consonum totum, et in Christo vere pacificatum, ibi habitavit secum in corpore, secum in mente, secum in opere. Quando autem promeruit? Videlicet tunc, quando hoc studuit agere, ut sine concertatione secum posset habitare. Eo tempore, ea hora, eo momento illud, quod promeruit, securus obtinuit. Quod si secum non esset, neutrum horum omnino posset. Si autem secum erat, numquid solus erat? Solus vero si esset, numquid prodesset, aut quidquam facere potuisset? Solus nequaquam fuit, et tamen secum fuit, et non fuit. Si sic erat, quæ convenientia inibi esse poterat? Certe magna et vera, et pacis abundantia multum secura. Secum erat provida mentis cogitione; et secum non erat, in divina erectus contemplatione. Hæc spiritualis et invisibilis duorum convenientia; quod miraculum dicemus, effectiva erat potentia.

* al. relatione

quomodo sanctus Præsul vinum multiplicaverit,

6 Charissimi Fratres, audiendi aures habete; quid novi acciderit, patienter audite. Quodam tempore Vallensium partium cives nimia vindemiarum inopia coacti, Antistitis sui auxilium implorare cœperunt, et quid de annuali stipe agendum censeret, vel quid illorum penuriæ succurrendum putaret. Venerabilis vir * Theodulus petitioni suorum misericorditer satisfacere volens, omnia vasa, vindemiantium more, sicut solent, præparari præcepit, et quantum unusquisque potuisset habere, sive multum sive parum, in unum locum fecit portari; deinde per omnia vasa confidenter distribui. Ipse autem accedens, per se singulos botros accipiens, benedixit, et singulis vasis impressit. Mirum dictu! Ita repleta sunt, ut usque ad summitatem vini optimi abundantia subito redundarent in tantum, ut novos liquores musti æstuantis vix in se continerent *f*. O quam mirabilis Deus in Sanctis suis, quibus non solum meritorum qualitatem in suæ humilitatis * participatione permittis; sed quod majus est et benignius, tibi ipsi similia atque majora aliquando consentis operari. Petro tuo te majora facere permisisti; Theodolo vero similia misericorditer non negasti. Infirmi corporis fluxum tactu fimbriæ medicasti; sed quod majus est, Petri tui umbram multorum infirmorum præstitisti esse medicinam. In quinque panum fractione mira quæ feceris, Evangelista testatur. In vini novi multiplicatione Theodolus tuus quid egerit, moderna ætas fatetur. Helias olei parvi augmentatione viduæ necessitati subvenit; vinum, quod deerat, Vallensium civium petitioni Theodolus augmentavit.

* al. vero

ex ms.

* al. humanitatis

quod miraculum incepta digressione exornare nititur,

7 Hæc omnia, Domine, tuis, quæ fecisti mirabilia, similia et idcirco mirabilia; et quia mirabilia, ideo multum magnifica. Tu in te ipso magnus et immensus. Magnus in cælo, magnus in terris, magnus omnia creando, magnus ipsa gubernando, cælum, terram, mare, elementa, cetera universa hæc, quorum esse per te, magna et mira per se; tamen nisi ex te creata, penitus fuissent ignota. Sed quoniam creata et rationabiliter armata, ideo mirabilia et laudabilia, et sine comparatione magnalia. De istis mirabilibus, Domine, et magnalibus Theodolum in publico produxisti, quem in tuæ lucis secreto celatum hactenus habuisti. Inde exemplatus, lucerna ardens erat, quia de lumine procedebat. Videamus, si in se, non a se, lumen erat, quomodo et quando lucebat. Lucebat in dictis, lucebat in factis, lucebat in conscientia, lucebat in consummata bene vivendi providentia. Quomodo autem lucebat, audivimus; quando autem luceret, nihilominus attendamus. Quando, ut prædiximus, secum erat, quia extra alios aliquid sciebat, quod et ipsos omnino latebat. Utrum hoc spirituale, an carnale? Si spirituale tantum, et non carnale, quare ignorabant, qui tunc spirituales erant? Si carnale fuit, et non spirituale, quomodo apud eos latebat, qui tunc carnales erant? Sed utrumque erat, et spirituale et carnale; et quia utcumque erat ideo solus sciebat. Et quomodo hoc? Duæ vitæ erant, quæ viduarum *g* sororum habitudine præfiguratæ fuerunt. Harum unam Theodolus quasi a tergo ferebat, cum Marthæ bonam partem forinsecus exhibebat; alteram vero velut in sinu gestabat, cum Mariæ optimam partem in omnibus præferebat. Inter has duas quia medius erat, invenit, quod latebat. Quod aliquid latuerit novimus; quomodo invenit, videamus.

et quomodo divina revelatione edoctus

8 Dum reipublicæ Romanæ Diocletianus et Maximianus principatum tenerent, inter multos, quos tyrannidis eorum furor exemit, beata legio Thebæa gladii ipsorum animadversione mundo interfecta est *h*. In eo tractu, ubi Vallensium agrorum terminus occurrit, Rhodanus amnis nimia velocitate Octodorum castrum dextra parte præterfluit, qui ibi per angusta Alpium itinera ingressus in loco, cui Agaune nomen est, cum vastarum rupium objectu luctatur; suæ tamen inundationis congressione superior, mox inoffensus meat. In ejus clementi situ, quod recedit et cedit, planities campestris habetur, ubi prædictæ legionis concertatio peracta fuisse memoratur: ubi dum multorum annorum circulis evolutis corpora eorum inhumata jacent, assidua ferarum et volucrum direptione corrosa, et Rhodani discurrentis

ex MSS. tis abluvione perrosa, pene præter famam perdiderunt, quod in se ipsis terrenum habuerunt. Quod in eis spirituale erat, in Deo stabilitum vivebat; quod autem carnale, sub terra occultum manebat.

reliquias Martyrum Thebæorum honorifico loco collocaverit.

9 O Antistes pretiose Theodole, utrumque horum invenisti. Dic, unde cognoscere potuisti? Audenter dico; sub ara Dei eos contemplative vidisti, et idcirco super terram eos active quæsiisti. Tantus ac talis eras, quod idipsum in terra quærebas, quod in cælo ante videbas. Et quoniam ibi eos indubitanter vidisti, ideo hic patienter invenisti. Utique si veram caritatem non haberes, hic eos non invenires, et ibi nequaquam videres. Sed quia sanctam dilectionem habuisti, idcirco utrumque potuisti. Cum autem invenisti, quod quærebas, quid faciebas? Bonus tu ipse fuisti, bene laudabiliter egisti, locum habitationis eorum honorifice præparasti, et ossa eorum in pace requiescere præcepisti *i*. O novæ conversionis alter Tobias! Quam bene cum angelo direxisti vias tuas! Ambo occisis sepulturam præbuistis. Sed quid inde meruistis? Hoc utique, B quod et de eis dictum legitur: Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio eorum apud Altissimum. A justo Abel usque ad nos infinita collectio justorum excrevit. Cum iis usque ad vesperam laborastis in vinea; vere et indubitanter cum ipsis capietis et præmia. O sanctæ Thebæorum animæ, martyrium dicite; et vos qualiter remunerastis Theodolum? Utique ita ei reddidistis, quomodo ab illo accepistis. Illius adjuvantibus meritis, vestra admodum claruerunt; vestra autem illi adjutorio fuerunt, et utraque ad victoriam pervenerunt. Ille vobis locum præparavit Agauno, vos illi Seduno. In Vallensibus Theodolus clarus habetur; vestri triumphi gloria Agaunensibus maxime principatur. Proxima loca ad invicem inter monumenta * tenetis. In paradiso Dei vestri candentium liliorum coronas insimul feretis. Exultate justi in Domino, quos digne et vere decet laudatio, qui per ipsum talem convenientiam in cælo meruistis habere, per quem vitæ innocentiam in terra voluistis servare.

* al. momenta

ANNOTATA.

a *In quibusdam Officiis propriis hic Sanctus dicitur oriundus ex nobili familia Baronum Grandi-Montensium. Imo in quadam scheda nobis transmissa ad hanc traditionem probandam lego sequentia* : Qui ex familia dominorum de Grammont Sedunum proficiscuntur, trium dierum spatio egregie excipiuntur et laute. *Quidquid sit de nobili sancti Præsulis stirpe, quæ in hoc aliisque apographis non exprimitur, illam genealogis Burgundis indagandam ac stabiliendam relinquimus.*

b *Hactenus ignoramus, quando aut ubi hoc concilium celebratum fuerit.*

c *Hæc historia non reperitur in Actis S. Caroli Magni, quæ Majores nostri ad diem* 28 *Januarii illustrarunt.*

d *Seduni quondam ecclesia cathedralis Deiparæ Virgini dedicata fuit, ut Simlerus, in Descriptione Vallesiæ agens de urbe Sedunensi, lib.* 1 *fol.* 24 *testatur his verbis* : Templa celebriora habet Divæ virginis unum prope Guudesianam E portam, quod olim episcopale templum fuit, et collegium Canonicorum habuit, qui non, ut olim, urbem ipsam, sed Valeriam incolunt; alterum divi Petri, item sanctæ Trinitatis, et ad mœnia divi Theodori templum, a Matthæo Cardinale exstructum.

e *Quomodo hæc donatio* S. Theodoro *antiquiori, vel potius in honorem* S. Theodori *primi vel secundi ab imperatore Carolo fieri potuerit, in Commentario prævio obiter indicavimus.*

f *Utinam scriptor Actorum tempus hujus publici miraculi distincte expressisset!*

g *Forte pro* viduarum *legendum est* duarum : *non enim satis clare intelligo, quomodo auctor Martham et Mariam nomine viduarum appellet.*

h *Acta horum Martyrum, Deo favente, ad diem* 22 *Septembris cum Martyrologio Romano discutiemus.*

i *Murerus in Helvetia sua sancta putat,* S. Theodoro *secundo convenire ea, quæ hic de reliquiis Martyrum Thebæorum narrantur, ut in Commentario prævio monuimus.*

C F

DE S. SIMPLICIANO EPISC. CONF.

MEDIOLANI IN INSUBRIA

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, patria, ætas, conditio ante episcopatum.

Anno cd. A Belino primum Fastis adscriptus,

Virum adeo celebrem, a SS. Ambrosio et Augustino laudatissimum, in nullis antiquis Fastis sacris memorari, jam ante me non pauci mirati sunt : certe nec inter vetustiora Usuardi auctaria locum obtinet, ut primus qui de eo meminerit, sit Belinus, dum ita de eo scribit non hoc die, sed* XIII *hujus* : Eodem die, depositio sancti Simpliciani episcopi et confessoris. *Paulo distinctius et uberius Greveni editio* : Mediolani, depositio beati Simpliciani episcopi et confessoris. Qui ob celebrem sanctitatis suæ famam, ex eremita senio confecto, beato Ambrosio succedens, sicut in vita solitaria Domino specialiter exstiterat devotus, ita ad regimen ecclesiæ assumptus, S. Ambrosii imitator exstitit strenuus. *Molanus Belinum ad verbum descripsit; Maurolycus, si non iisdem verbis, certe etiam die* XIII *eum signavit. Ghinius elogio hoc die Sanctum exornat, quod describendum censuimus, tametsi annum obitus perperam determinaverit. Ita habet* :

a Ghinio elogio ornatur;

2 Mediolani, depositio S. Simpliciani episcopi, sanctorum Ambrosii et Augustini testimonio celebris. Qui insigni virtutum Christianarum claritate splendescens, cum a ceteris piis omnibus, tum ab eodem imprimis S. Ambrosio, usque adeo in honore habitus est, ut hunc ille patris loco coluerit.

AUCTORE J. B. S.

A coluerit. Ejus vitæ exemplo hortatuque et idem S. Augustinus Mediolani et Victorinus rhetor magnus Romæ ad veram Christi Domini fidem se contulerunt. Episcopus autem in S. Ambrosii locum successit; divinis virtutibus in episcopali munere affluens, ecclesiam Mediolanensem religione et pietatis institutis auxit: qua ecclesia annis quatuor pie præclareque administrata, ac multis in rebus sanctitate divinitus declarata, obdormivit in Domino anno salutis CDV. *Non solus errat in consignando obitus anno, ut mox patebit ex Ferrario, de Sancto in hunc modum prædicante:*

De Sancti patria

3 Simplicianus Mediolani natus, ut ferunt, ex Catania familia et educatus, a teneris litteris et religioni operam dedit, ac pietatis causa multas urbes peragravit. Romæ Victorinum rhetorem egregium ad Christum convertit. Mediolanum reversus reliquias SS. Apostolorum secum detulit. Tanta autem sanctitate, doctrina et virtutibus effulsit, ut a SS. Ambrosio et Augustino non semel laudatus fuerit. Senio prope confectus S. Ambrosio in episcopatu successit, cui adjutor ab initio a Damaso B datus fuerat, quem Anastasio summo Pontifice sanctissime rexit. S. Gaudentium episcopum Novaricusem ordinavit. Legatos concilii Carthaginensis, qui ad se consulendum venerant, excepit. Ritum Officii ecclesiastici ecclesiæ Mediolanensis auxit. His et aliis præclare gestis obdormivit in Domino XVII Kal. Septembris anno Dom. Incarn. CDIX, Innocentio I Pontifice. Corpus in S. M. conditum, postea in templum suo nomini dicatum translatum est.

et sacerdotio Romano.

4 *Hæc de Simpliciano Ferrarius, in quo non solum displicet signatus obitus annus; sed id maxime quod in notatione observet*: Quod Simplicianus patria Mediolanensis fuerit, id quod S. Augustino lib. 8 Confess. cap. 2, teste Baronio in Annal. ad an. D. CCCLXXVI * adversatur. Nam, ut ibidem Baronius scribit, eum S. Ambrosius præter Eccl. regulam episcopus ordinatus fuisset, Damasus Papa Simplicianum Romanæ Ecclesiæ presbyterum illi adjutorem et monitorem dedit. *Quid hic S. Augustinum et Baronium alleget Ferrarius haud equidem satis intelligo*: S. Simplicianum Romanæ Ecclesiæ presbyterum *fuisse, nemo est qui inficietur: an inde obsecro recte inferri potest, etiam Romanum gente, non Mediolanensem fuisse?* C *Pari certe argumento, et me esse Romanum, non Belgam quis diceret, quod non in Belgio, sed Romæ sacerdotio initiatus fuerim. Tamayi me hic non meminisse nemo mirabitur, qui ineptias ejus in ipso fonte consulere dignatus fuerit.*

* imo CCCLXXV

atque item de die obitus.

5 *Nolandum hic etiam, circa ipsum obitus diem non parvam in Martyrologiis discrepantiam occurrere; utpote cum Sanctus in eo quod SS. Augustinianensium dicitur, Idibus Augusti collocetur*: Mediolani, natalis S. Simpliciani episcopi et Confessoris, qui S. P. Augustinum ad monasticam vitam adhortatus est, quique Ecclesiæ Romanæ quondam alumnus, S. Ambrosio adversus Arianos laboranti adfuit, et in ejus locum postea subrogatus, sanctitate et doctrina conspicuus quievit in pace. *In Romano autem hoc die ita legitur*: Mediolani, depositio S. Simpliciani episcopi, SS. Ambrosii et Augustini testimonio celebris: *ut quodammodo insinuari videatur, sanctum obiisse XIII Augusti, hoc vero die depositum aut sepultum fuisse, contra quam scripserint citati superius Martyrologi, qui cum aliis depositionem innectunt ipsis jam dictis Idibus. Aliter sentiens Galesinius Sanctum XIV hujus annuntiat. Brautii breve elogium ad nomen alludit*

Simplicianus erat simplex, velut alba columba,
Qui fuit Ambrosii dignus adire thronum.

Ennodii elogium metricum.

6 *Paulo nitidius et nervosius est, quod ei cecinit Ennodius Ticinensis episcopus in hunc modum:*

Ambrosius linquens viduatæ munia plebis
Transtulit ad curam, Simpliciane, tuam.
Successoris opes, spoliati viscera regni,
Creverunt merito temporis alterius.
Ac velut annosam zephyris spargentibus ornum,
Ne metuat bellum, longa quies solidat.
Tyro tamen felix cana ad rudimenta vocatus,
Non flexit priscum degenerans apicem.
Nil timuit gelidis, anima fervente, medullis
Pontificis virtus, floris habet senium.
Æquora qui recto pressit terrena patenti,
Moribus et cultu sidera cum tetigit.

De Sancti controversa ætate,

7 *De cultu et patria satis dictum sit, ex Vita res planius intelligetur. Ad ætatem vero quod attinet; jam tum senescentem Mediolanum rediisse, sive sua sponte, sive missum a Damaso Papa S. Ambrosio auxiliatorem, communis est etiam opinio: ætate autem senem et gravem, dum eidem Sancto successor datus est, anno, ut fert plerorumque sententia 397, contra quam statuerint* E *Majores nostri in Exercitatione singulari ante tomum* I *Aprilis, et in alio Præliminari ad tomum* VII *Maii. Utcumque fuerit, negari non potest, Romæ maxime floruisse tempore Papæ Liberii, tum etiam initio pontificatus Damasi. Neque dubitaverim, quin quadragenario multo major fuerit, dum de Victorino rhetore tam gloriose triumphavit, eum ad fidem Christianam, Roma stupente, perducens, ut consequens inde videatur, natum fuisse circa annum 320. Jam vero, ut dixi, senescebat, dum ad S. Ambrosium, ex præfecto episcopum ordinatum, directus est, in patriam reversus anno 374, ut adeo sanctitate et doctrina clarissimus fuerit, et sancto Doctori intimus, dum anno 384 eo pervenit S. Augustinus, quem ipse etiam ut magister fidem edocuit.*

et de anno obitus.

8 *In anno obitus* S. Simpliciani *jam hallucinantes vidimus Ghinium et Ferrarium, ut velint, eum ad annum* CDV, *imo ad* CDIX *vitam protraxisse, quem pridem ostenderunt Majores nostri, non toto triennio sedem tenuisse, nempe a mense Aprilis* CCCXCVIII *ad Augustum* CD, *quo ipso anno* F S. Simpliciano *successit S. Venerius, ut habes etiam tomo* I *Maii pag. 491 Atque hæc de Sancti ætate. Superest modo controversia, quam satis erit indicasse, fueritne nimirum Eremita vel Canonicus regularis S. Augustini; an vero Carmelita, de qua quæstione ingenue fatetur Bosca*, vacuos dies se non habuisse, ut tantarum rerum pondera examinaret. *De Carmelitis omnia pridem satis examinata sunt, neque satis apposite Augustinianis adscribi posse videtur, cum S. Augustino seniorem, ejusque instructorem fuisse sciamus, ut rectius S. Augustinus Ordinis Simpliciani dici posset, si umquam is Ordo exstitisset, quam* S. Simplicianus *Augustiniani. Audi verba rhythmi apud Ferrarium de S. Augustino* XXVIII *Augusti*:

Baptizat hunc Ambrosius,
Deum Laudamus intonat:
Simplicianus monachum
Habitum dat et cingulum.

Vita.

9 *Jam ad Vitam ipsam progredimur, a solo Mombritio, quod sciam, editam tomo 2, quæ cujus scriptoris aut ætatis sit, explorare mihi hactenus non licuit. Satis genuinam existimo, cum ex S. Ambrosio præcipuæ, et ex S. Augustino collecta sit. In obscurioribus annotationum nostrarum*

AUCTORE J. B. S.

vices supplebit Vita recentior a Ripamontio explanata, neglecto Puccinellio, continuis prope parergis Sancti gesta implicante: de quibus postmodum in Actis SS. Ambrosii et Augustini sermo non semel recurret. In Missali Ambrosiano non recolitur memoria S. Simpliciani, *neque* XIII *neque hoc die, sed* XV *Augusti una cum translatione sanctorum MM. Sisinnii, Martyrii et Alexandri, de quibus deque jam dicta translatione Tridento Mediolanum sub* S. Simpliciano *facta videri potest tomus* VII *Maii die* XXIX *a pag.* 38. *Ne hic actum agamus, solam præmittendam censuimus lectionem ex Breviario Mediolanensi, quæ hoc die est hujusmodi sub ritu solenni:*

Lectio Breviarii Mediolan.

10 Simplicianus ab ineunte ætate studiis deditus, Deo ita sancte vixit, ut pietatis etiam causa deinceps multas peragraverit partes. Romam profectus, vitæ exemplo et doctrinis piaque solertia Victorinum rhetorem, apud Romanos auctoritate florentem, ab impura superstitione ad Christi fidem convertit. Inde Mediolanum reversus, reliquias Apostolorum attulit. Tanta autem virtute præluxit, ut ei multum B tribuerint sancti viri Augustinus et Ambrosius. Hic cum graviter ægrotans, non longe ab obitu abesset, voce ter emissa, eum dignum putavit qui sibi succederet. Archiepiscopus igitur factus ecclesiam sibi commissam divinorum Officiorum ritibus pietatisque ornamentis auxit. Gaudentium primum Novariæ episcopum consecravit Doctrinæ autem ac sanctitatis nomine usque adeo illustris fuit, ut de re dubia eum synodi Carthaginensis patres consuluerint. Demum multis laboribus pro gloria Dei perfunctus, meritis cumulatus migravit ad Dominum. *Et modo Legendam Mombritii a nobis tantillum elimatam.*

VITA

Ex Bonino Mombritio tom. 2.

CAPUT I.

C

De Sancti præclaro in studiis et virtutibus progressu, præsertim Romæ, ubi celebrem Victorinum rhetorem, Urbe stupente, ad fidem adducit.

Natus in agro Mediolanensi

Beatus Christi confessor Simplicianus, sicuti quorumdam veridicorum virorum relatione didicimus, qui hæc se in quibusdam vetustissimis scriptis reperisse fatentur, tam moribus quam genere clarissimus fuit, patre Lodovico, matre vero Senedruga in pago Betuatensi, ut fertur, oriundus. Traditus autem a parentibus liberalibus studiis, adeo suam pueritiam ibi exercuisse visus est, ut præ omnibus sui temporis philosophiæ splendore radiaret.

litteris probe instructus est

2 Quanto vero labore in sua adolescentia et juventute tam divinis quam humanis litteris, non solum Romæ ubi præcipue degit, sed etiam per mundum quasi fugientes litteras insecutus est, ejus venerabilis testatur senectus, quæ pro sua sancta scientia suaque vera sapientia in tam celebri D ecclesia, Deo ordinante, pontificali mitra, sicut in sequentibus demonstrabitur, redimiri meruit. Et ne mea imbecillitas de proprio quidquam hic addidisse videatur, præstantissimi doctoris Ambrosii, sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopi, cujus venerabile os sapientiæ sale repletum, nihil solet redolere insipidum, testimonium in medium proferamus.

ut satis probat S. Ambrosius cui successit.

3 Namque, ut Sanctos Dei decet, exhortationis seu familiaritatis subtilissimis requisitus sæpe quæstionibus, in quadam sua epistola ad eumdem venerabilem Simplicianum rescribens beatus Ambrosius, inter cetera sic respondet: Sed quid est, quod tu ipse dubites et a nobis requiras, cum fidei et acquirendæ dilectionis divinæ gratia totum orbem peragraveris, et quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ hujus tempus deputaveris, acri præsertim ingenio etiam nec intelligibilia, utpote qui etiam philosophiæ libros monstrare soleas et plerosque inanes esse, ut prius scribentium in suis scriptis sermo, quam vita eorum defecerit.

Virtute non minus conspicuus

4 Sed interim ea, quæ sibi in sua senectute contigerunt, relinquentes, ad ea quæ adhuc juvenis gessit, cujusve honestatis sive sanctitatis fuerit videamus. Erat autem Domini confessor Simplicia- E nus, etiam antequam ullo ecclesiastico officio fungeretur, vir per omnia moderatus, humilis in habitu, in incessu compostus, velox ad audiendum, tardus ad loquendum, discretus in silentio, temperatus in verbo, in consilio providus, castitate præcipuus, sibi parcus, pauperibus largus, in lectione assiduus, in oratione continuus, præcipuus in contemplatione, Dei et proximi plenus dilectione.

Romæ etiam junior fulget,

5 Talibus tantisque virtutibus sanctam juventutem suam vir Domini decorare studebat: unde factum est, ut gradatim ad sacros ordines digne promoveretur, et a cuncto non solum Romanæ Ecclesiæ clero diligeretur, verum a cunctis pene catholicis per orbem constitutis ejus opinio declararetur. Per idem tempus dum Liberius summi Pontificis honore potiretur, et Romanum imperium a Constantio regeretur, multimodæ hæreses per totum orbem maxime in Ecclesia Apostolicæ sedis pullulabant.

ubi rhetorem Victorinum.

6 Fungens igitur beatæ memoriæ Simplicianus in ipsa principali ecclesia precationis seu Dei dilectionis officio, pro viribus elaborabat, ita et Ecclesiæ Dei diligentius providebat, ut talenta a F Deo sibi commissa duplicarentur, et ad cultum veræ fidei, verbo Dei disseminato, multi per eum perducerentur: inter quos fuit quidam Victorinus urbis Romæ rhetor, natione Apher, qui totam fere urbem suo stemmate pollucrat adeo, ut servi Dei diversis suppliciis, non solum in plateis, verum etiam in ecclesiis necarentur. Ipse vero, favente sibi universo populo, statuam in Romano foro adorandam erexerat. Insuper etiam, ut supradictus Papa Liberius exilio deportaretur, effecerat.

qui multa istic turbaverat,

7 Ad postremum vero nimio timore obstupefactus acquievit hæreticis, et communicatus est cum eis. His et aliis innumerabilibus angustiis Ecclesiæ Dei crebrescentibus, nixus est beatus vir Dei Simplicianus, lumbis succinctus, duplici ense Dei et proximi dilectione accinctus, pro muro se opponere, et in die Domini pro Israël in prælio stare. Unde factum est, ut primitus seculum * veridicam sententiam Domini, beatus Simplicianus secretius ac familiarius rhetorem Victorinum corriperet, atque corripiendo admoneret, seu admonendo

** l. secundum*

A monendo suaderet, quatenus a tam magno cruore desisteret, et sanctas Scripturas investigaret, ut ad viam veritatis redire posset.

feliciter aggressus,

8 Igitur sicut divina testatur pagina, ubi Spiritus sanctus doctor adest, nulla mora discendi est, statim postquam sanctam Scripturam investigasset, omnesque Christianas litteras cum beato Simpliciano studiosissimo perscrutatus fuisset, sic affatus sanctum Simplicianum; Noveris me jam esse Christianum. Cui beatus Simplicianus respondit: Non credam, nec deputabo te inter Christianos, nisi in ecclesia te videro. Victorinus autem irridebat eum dicens: Ergo parietes faciunt Christianum? Beatus inquit Simplicianus: Non ob hoc dixi, quod parietes faciant Christianum, licet Christiani magis in ipsa ecclesia confiteantur Deum et recognoscant delictum; sed sicut instinctu diabolico fecisti pene omnes viam veritatis oblivisci, ita tuo sollenni exemplo doceas eos ad tramitem veritatis converti.

ad fidem demum adduxit.

9 Victorinus vero hoc sæpe ei dicebat jam se esse Christianum, et beatus Simplicianus illud sæpe respondebat, et sæpe ab illo parietum irrisio B repetebatur: amicos enim suos reverebatur offendere superbos dæmonicolas, subditos domesticos, quorum culmine Babylonicæ dignitatis quasi ex cedris Libani, quas nondum contriverat Dominus, graviter ruituras in se inimicitias arbitrabatur.

CAPUT II.

Victorino probe instituto et baptizato, multis præconiis clarus Mediolanum revertitur, ubi S. Augustinum convertit, et mortuo S. Ambrosio succedit.

Omnibus feliciter superatis,

Sed posteaquam legendo atque inhiando cum beato Simpliciano duxit firmitatem, timuitque negari a Christo coram Angelis Dei, si enm C timeret coram hominibus confiteri, reusque sibi magni criminis apparuit, erubescendo de sacramento humilitatis Verbi tui de sacrilegio superborum dæmoniorum, quæ imitatorum superbus acceperat, depuduit vanitati, et erubuit veritati. Subitoque et inopinatus ait beato Simpliciano: Eamus in Ecclesiam, et acquiescere tibi volo, Christianus fieri cupio.

catechumenum se profitetur,

11 At beatus Simplicianus magno gaudio, nimiaque lætitia accensus incedebat per viam, eum introducendo atque Deum omnium bonorum factorem glorificando. Ubi autem imbutus est primis instructionum Sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, ut per Baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia: superbiebant et irascebantur, dentibus suis stridebant et tabescebant hæretici. Servo autem suo Victorino Dominus Deus erat spes ejus, et non respiciebat in vanitates et insanias mendaces.

ac summa cum ædificatione

12 Denique ut ventum est ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis retentisque memoriæ de loco eminentiori in conspectu populi fidelis Romæ reddi solent ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam, oblatum esse dicebant Victorino a presbyteris, ut secretus redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat. Illum autem constitit maluisse admonitionem pii patris Simpliciani in conspectu tantæ multitudinis profiteri.

et [illegible].

ad ecclesiam perductus

13 Itaque ubi ascendit, ut symbolum sanctæ fidei in conspectu tantæ multitudinis redderet, omnes sibimet invicem increpuerunt, nomen ejus a strepitu gratulationis esonuit, et presso sonitu per ora cunctorum collætantium Victorinus cito sonuerunt exultatione, quia videbant eum, et cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronuntiavit ille fidem veracem præclara fiducia, et volebant eum omnes rapere in cor suum, et rapiebant amando et gaudendo atque gratiam sancti Spiritus paracliti recipiendo.

Baptismo initiatur

14 Sicque factum est, ut Urbem a præfati Victorini beatus Simplicianus errore expiaret, ipsumque Victorinum per sua sancta monita cum ingenti multitudine ad Catholicam fidem converteret. Ob hoc fit, ut Ecclesia Dei multis vulneribus scissa consolidaretur, atque in pristinis bonis restitueretur, et beatus Simplicianus a cuncto clero et populo prædicator egregius et prælatus Romæ habitus, magnis præconiis attolleretur. E

inter Urbis applausus.

15 Si quis autem plenius nosse desiderat, qualis et quantus, cujusve fuerit auctoritatis Victorinus, sive quo ordine divina gratia illustratus et beati Simpliciani suffragantibus meritis ad fidem Christi fuerit conversus, seu quomodo post diuturnam cordis conversionem ejusque verissimam confessionem, fonte baptismatis innovatus, beati Augustini Hipponensis episcopi octavum Confessionum librum requirat. Ibi siquidem invenire poterit horum omnium integram veritatem.

quorum testis est S. Augustinus,

16 Revolutis vero paucis temporibus, Valentiniano cum fratre Valente regnantibus, Mediolanum ad destruendam perfidiam Arrianorum, prædestinante divina clementia, directus vir est inclytus Ambrosius, cui subsecutus, dogmati supradicto perfidiæ contrarius, vir venerabilis Simplicianus. Per idem tempus extincto Auxentio Arrianæ perfidiæ episcopo, qui, Dionysio venerabilis memoriæ episcopo ad exilium destinato, regebat ecclesiam, ex ore infantium et lactentium sui episcopatus accipit laudem beatus Ambrosius: a cunctis ecclesiæ Mediolanensis confratribus in officio archidiaconatus venerabatur beatus Simplicianus.

quem Mediolanum redux

17 Nos quippe ad alia tendentes de pluribus pauca prælibamus. Verumtamen quoniam sancti Augustini Confessionum fecimus mentionem, quid ipse eo libro Deo confitendo de beato Simpliciano referat audiamus. Ait enim inter plurima: F O tu Deus misisti in mentem meam visionem bonam pergerem ad beatum Simplicianum, qui mihi bonus apparebat servus tuus, et lucebat in eo gratia tua. Audiebam enim, quod a juventute sua devotissime tibi viveret.

etiam paterne instruit,

18 Perrexi ergo ad eumdem beatum Simplicianum patrem in accipienda gratia tunc episcopi Ambrosii, quem vere ut patrem diligebat. Jam vero tunc senuerat et longa ætate in tam bono studio sectandæ viæ tuæ multa expertus, multa edoctus mihi videbatur. Et vere sic erat. Unde mihi ut preferret volebam conferenti secum æstus meos, quis esset aptus modus sicut affecto, ut ego eram, ad ambulandum in via tua. Narravi ei circuitus erroris mei.

et exemplo Victorini

19 Ubi autem commemoravi, legisse me quosdam libros Platonicorum, quos Victorinus quondam rhetor urbis Romæ, quem Christianum defunctum esse audieram, in latinam linguam transtulisset; gratulatus est mihi, quod non in aliorum scripta incidissem plena fallaciarum et deceptionum

EX IMPRESSIS num secundum elementa mundi. In istis autem omnibus incertis insinuari Deum, et ejus verbum. Deinde ut beatus Simplicianus exhortaretur me ad humilitatem Christi, sapientibus absconditam et parvulis revelatam, Victorinum ipsum recordatus est, quem, Romæ cum esset, familiarissime noverat.

omnino convertit, 20 De illo mihi narravit, suamque conversionem me remonendo patefecit. Sed ubi beatus Simplicianus de rhetore Victorino ista narravit, exarsi ad imitandum. Ad hæc enim et ille mihi narravit. His et aliis quampluribus verbis, quæ a beato Augustino in supradicto Confessionum libro referuntur, manifeste convincimus, beatum Simplicianum sancti Augustini conversioni plurimum contulisse, eique in tantum, ut a beato Ambrosio Mediolanensi baptizaretur, valuisse. Nec mirum, si cum adhuc Manichæorum hæresis laqueis irretitus teneretur, a beato Simpliciano sæpe monitus sit, quatenus hæresim derelinqueret, et ad Catholicam fidem converteretur.

VITA ALTERA

B

Ex Josepho Ripamontio,

Historiæ ecclesiæ Mediolanensis lib. VI.

Mediolano Romam profectus Sequitur Ambrosium Simplicianus imbutus ipsius moribus, et iustitutis, vigore animi ceterisque virtutibus, ad eum modum, ut mœstam atque consternatam desiderio civitatem pene unus recreare potuisse videretur. Patria Mediolanensis erat, honesto loco natus ex ea familia, quam Cæsares honoris vocabulo Capitaneam appellavere. Prima ætate, postquam operam dedisset iis artibus, quibus adolescentium animi ad humanitatem informantur, multorum mores videre et urbes concupivit, ac præcipue Romæ est moratus. Victorinus ibi per ea tempora prave facundus, abducere quamplurimos a Catholica religione conabatur, et eo conatu maximum Christianæ rei detrimentum adferebat. Neque facile quispiam obviam iret, sive admiratione quadam illius ingenii passim hærerent, sive favor apud paucos potentes, terrorem omnibus injiceret, sive etiam artificiose ille spargeret venena, et occultis motis ad perniciem animarum grassaretur.

C

Victorinum rhetorem aggreditur 2 Non terruit, aut fefellit Simplicianum. Sed eludebat, donec ad singulare certamen venere. In eo certamine cum aliquamdiu veluti manibus æquis pugnatum esset, demum superiores fuere veritas et Simplicianus, neque Victorinus recusavit oblatam lucem, vicitque ipse dum vincitur. Statim expetito Baptismo, refertur in Christianos, acerrimus ex eo die populator inanium deorum, et insanæ gentilitatis. Ac tanta fuit constantia, ut cum Julianus cognomento Apostata legem tulisset, qua lege Christianis hominibus publicum docendi, vel interpretandi munus interdicebatur; ipse confestim, amplissima conditione relicta, Christum et salutem, et rei familiaris angustias, principi et gloriæ, divitiisque præoptarit. Meruerat sapientiæ fama publicæ statuæ decus, eaque posita est in foro Trajani.

3 Tanto magis admirati sunt homines, illum magnum, illum inclytum dedisse manus homini peregrino, et commisisse, ut summus honos, quem esset assecutus, principis ira verteretur in contumeliam. Ante veritatis Christianæ lucem, præcipuus labor illi, ut latine loquentem Platonem exhiberet. Postea sanctiore argumento stylum occupavit, et inter alia, quæ scripsit Catholico jam spiritu, robora Machabæorum eleganti prosecutus est carmine, cum eorum exitu forte inter legendum esset delectatus. Igitur hoc ad Catholicam Ecclesiam adjuncto firmamento, Simplicianus in ora hominum abire, celebrari laudibus omnium, et apud ipsum præcipue sacrorum Principem pollere gratia et auctoritate, clarus magnusque haberi. D *et plaudente Roma ad fidem adducit.*

Inde Mediolanum remissus 4 Ea scilicet fuit causa, quamobrem mitteretur veluti collega et magister Ambrosio, cum ille ad ecclesiastica negotia rudis principio et novus, talem requirere adjutorem atque consiliarium videretur. Ceterum, tanta egit submissione ac modestia, ut mallet videri repperisse aptum Pontificio muneri, quam fecisse. Grandis jam natu sacerdos, et sacrarum rerum usu ac disciplina contritus, in magistri loco venerabatur Ambrosium, ac eum ultro de divinis rebus et ecclesiæ gubernatione consulebat, cui magister et moderator ipse appositus fuisset. Hanc viri moderationem et virtutem, ipse pari virtute Ambrosius refert, multique viri prudentes illius ætatis, animi magnitudinem intellexere. E

S. Ambrosium mire juvat. 5 Adeo non quæsita gloria cumulatior redit, neque submittendo se quisquam unquam imminuit famam et nomen. Sed præter tantam modestiam, quantam hac ætate haud facile in ullo mortalium repereris, aliæ quoque multæ magnæque et raræ Simpliciani laudes fuere. Illa præcipue memorantur. Ad psalmodiam insomnis, ad retegendas episcopo civitatis universæ corruptelas attentus, promptus inopiæ sublevandæ tanta sollicitudine, quanta sibi quisque res necessarias quærit. Pervigil idem et irrequietus, donec ad Christum adjunxisset, si quem forte deprehendisset alienum rebellem.

et S. Augustinum instituit 6 Nimirum etiam conciliaverat Augustinum Ecclesiæ, eum cum ad Ambrosium introduxisset, atque essent una de Platonicæ philosophiæ mendis et vanitate collocuti. His meritis in Ambrosii locum F venit anno trecentesimo nonagesimo uono * postquam redempti sumus. Eminebant ea tempestate viri graves in clero Mediolanensi, quos nemo adspernaretur Ecclesiæ Præsides et Pastores animarum. Felix et Theodulus inter ceteros, qua disciplina, et imitatione Pontificis Ambrosii, qua suis virtutibus habebantur eximii, et digni eo munere, nisi Simplicianus ipse dignior fuisset. * *l. 397 vel 398,*

S. Ambrosio successor datur: 7 Ceterum, breve deinceps vitæ spatium, haud magnam gloriæ materiam, et segetem dedit. Ac nisi prioris ævi sanctimonia et virtus venisset in secula, haud ferme erant, quæ de Simpliciano memorare possemus. Nam præter exiguas vitæ reliquias, quas ille ad pontificatum attulit, fecerunt aliæ quoque causæ, ut augustis terminis illa prudentia et ille gubernator animus includeretur. Ambrosius ita decesserat, ut ne longævo quidem succedenti Pontifici campum relinqueret. Ille statum Ecclesiæ, per æqua, per iniqua constitutum, ille cleri disciplinam, ille populi mores ad perfectum emendatos tradiderat Non inciderat Simplicianus in eum principem, quem, aut pravus ipsius animus, aut stimuli proximorum in Ecclesiæ damna et clades incitarent; ut, vel periculis objectando vitam, fortis et invicti, vel impietatem ipsam flectendo ac emendando,

A dando, sapientis et providi titulum inveniret.

opitulante Honorio ecclesiæ prospicit:

8 Quippe Theodosio extincto, sicuti memoratum est, Honorius nobis imperitabat. Is, et suo et parentis ingenio, moderatus ac pius, extrema potius omnia pateretur, quam ut sacra et sacros ulla ratione perturbaret. Præterea Stilico primæ post Cæsarem ipsum auctoritatis, erat idem pietate singulari, et universam in suos mores aulam trahebat. Ita Simpliciano tuta et quieta omnia, nee jam ulla cura plaeidissimo seni, nisi quam aut salus animarum adsciseeret, aut absolutæ virtutis amor. Quod si quis Simpliciani pontificatum eum Ambrosii pontificatu, et hujus vitam cum illius vita comparare velit, aptissimo compendio fuerit usus, si alterum exereiti, et negotiosi, alterum quieti, et imperturbati pontificatus exemplar appellarit.

consulitur a conc. Carthaginensi.

9 Sed quamquam domi quies et otium, foris tamen honos et famæ celebritas obtigit Simpliciano. Donatistæ sacrilegis manibus quosdam sacro fonti pueros admoverant et ea res Patribus injecerat scrupulum ac religionem, an ratum eum haberi Baptismum oporteret. Carthagine super eo negotio B concilium est habitum, et deliberatio fluctuabant; sive negaret aliquis, sive adfirmaret, erant in promptu rationes et causæ, quæ sententiam adprobarent. Postquam nullus ei controversiæ inveuiri exitus poterat; eo demum decurrere Patres, ut rem totam Simpliciano dijudicandam permitterent, quidquid ille respondisset, ratum id atque sanctum habituri.

Honorii decretum quo episcopi

10 Cum exteri tantum tribuerunt hujus Viri famæ, licet inde eoujectare, quantum auctoritatis apud suos obtineret. Ea declarata est Honorii potissimum ipsius actionibus et decretis, queis in Simpliciani gratiam, rem ecclesiasticam auxit et ornavit, atque initium sumit hinc ea res, quæ data sanctitati, et meritis, et gratiæ, dissensionum atque turbarum excivit molem, quæve quietem apostolicam interpellat, uec sinit illam, tantopere commendatam ab auctore et capite Christo, in Ecclesia pacem consistere.

litium forensium judices declarantur.

11 Mediolaui cum sederet Houorius, multaque quotidie inciderent ejusmodi, ut Simpliciani pontificis arbitrium, et senteutiam interponi litibus, C atque causis oporteret, ratus id ad reipublicæ moderationem et commoda pertinere, princeps ultro tulit legem, qua sauxit, licere popularibus atque laicis ad episcopum iu jus ire, quasve inde seutentias, et litium, causarum, rerum, æstimatioues auferrent, eas ratas et legitimas haberi, perinde atque si altero foro essent latæ. Statuerat hoc ipsum jam antea Constantinus ille, cui Magno ex virtute cognomen fuit, dederatque provocationem a magistratibus et præfectis urbium, ad Pontifices et episcopos, eum gravi denuntiatione, si quis eam Ecclesiæ potestatem imminuere, aut violare esset ausus. Sed cum variante ac immutante res omnes ævo, multum ecclesiastico foro decessisset ejus auctoritatis, jam plena pii sensus lex abrogaretur ipsa desuetudine, Honorius eam Mediolani firmavit ac restituit admiratione virtutis, quæ videlicet eminebat in pontifice Simpliciano. Scripta lex est vi Kal. Aug. Honorio August. quartum, et Eutychiano coss. EX IMPRESSIS

Idola everti curat

12 Mox Honorius idem sanxit alia lege, ut quotquot orbe toto templa starent inanibus diis, ea vel dareatur excidio, vel in veri Dei cultum religionemque transferrentur, si quidem ea forent descriptione ac structura, quæ facile posset ad ecclesiæ consuetudinem et usum accommodari. Ea lex gentilitatis universæ reliquias perculit et coufudit, indignatione, pudore, metu. Sustulerant enim forte animos hoc tempore, decepti, ac illusi mendaciis oraculorum, et Christianæ rei adesse finem insanientes vaticinabantur. Haud ego ambigam, quin basilica martyris Laurentii, quæ fuerat Herculis ædes, ea lege reliquerit inane nomeu et in ecclesiæ partem concesserit. E

et clericorum modestiæ consulit: mortuus an. 400.

13 Ac pro dignatate quidem et incrementis et amplificatione Catholicæ religionis hæ latæ leges fuerunt: illa pertinuit ad modestiam, et disciplinam, quam in quarto Carthaginensi conventu per idem tempus gravissimi Patres intulere, fuit autem hujusmodi: Clerici, ne barbam, neve cæsariem aluntо; raso vultu, capitibus tonsis incedunto. Ea lex, et facile tunc in Mediolanensis ecclesiæ consuetudinem est inducta, et nostra demum ætate, cum longo intervallo revocaretur, non parvos animorum motus fecit; satisque constat, cum obedienter ac prompte raderent alii, eontumace mento quosdam inutile poudus ostentasse. Adeo sibi mortales etiam deformitate placent, et sumus in futilitate pertinaces, in fastu contemnendi. Per hasce gravissimas actiones et decreta, queis magni Simpliciani ævum inclaruit, subibat annus a Christo nato quadringentesimus, qui Simpliciano ultimus fuit, cum Sisinius, Martirius et Alexander martyrum numerum auxere.

Horum Martyrum certamen, eorumque Mediolanum translationem, jam supra diximus illustrata haberi tomo VII *Maii die* XXIX *a pag.* 38.

F *Quod superius hic scriptor anno* 399 S. Simplicianum *succesisse S. Ambrosio perperam notavit, jam num.* 6 *abunde correximus in margine.*

Supra etiam monuimus, recentiorem hanc Vitam hic subjungi, ut ea, quæ in priori paulo obscuriora sunt, clarius explicentur.

DE SANCTO VAMNE MARTYRE

IN PERSIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, dies mortis, annus martyrii e Persica persecutione fixus.

Anno CCXXIII. Primus eum annuntiat Castellanus

Primus Martyrem hunc e tenebris eruit atque in lucem protulit, seu potius unicus, quantum scimus, Claudius Castellanus in suo Martyrologio universali, ubi die XV *hujus inter adjectos ita eum annuntiat* : In Persia S. Vamnes, qui postquam e captivitate redemisset monachum Aëtium, sub comite Daudrasbado, per Frauí judicis sententiam fuit martyrio affectus. *Alibi nusquam, sive apud antiquos, sive apud recentiores Martyrologos, invenimus signatum ejus nomen.*

AUCTORE J. P.

men. Tota ergo probatio martyrii atque adeo cultus, quem S. Vamni adscribimus, peti debet ex ejus Actis, de quibus laudatus Casteltanus hæc typis vulgavit : Acta ejus Mss. conservata sunt in bibliotheca ecclesiæ Parisinæ, ubi mors ejus notata est hoc die ad annum secundum regni Vararanis V, Theodosii junioris vigesimo tertio. Idem Martyrologus anno 1709 huc misit eorumdem Actorum apographum., cujus Ms. in membrana litteris Carlovingicis, conservatum in bibliotheca Capituli ecclesiæ metropolitanæ Parisinæ, præmonet ante illorum titulum, qui hæc habet : Passio sancti Vamnæ martyris, qui passus est XVII Kal. Septembr. Aliud exemplum transcripsit noster Papebrochius ex pervetusto codice Moissiacensi apud D. Cau. Claud, Ioly Parisiis. Ita vero sonat ejusdem titulus : Passio S. Vamnæ martyris XVI Kal. Sept. Typis autem illud committimus, quod a Castellano accepimus A nobis est collatum cum Moissiacensi, e quo sumpta sunt, quæ vel interseruntur textui alterius, vel ad ejus marginem notantur asterisco.

B

et monet hoc die signandum, esse.

2 Castellanus die XV in suo Martyrologio universali signarat sanctum hunc Athletam : sed in ejusdem Supplemento recte se correxit, monens eum esse ponendum ad diem XVI ejusdem mensis. Recte, inquam : nam in Actorum apographo, quod huc misit, dies ista diserte signatur, nec tantum in ejusdem titulo, quem dedimus, sed etiam in Actorum decursu, apud nos num. 4 his verbis : Post non multos iterum dies post septimo decimo Kl. Septbr. jubet Vararanes rex Daudrasbodo Comiti, ut educere de carcere sanctum Vamnem, et traderet eum Frano præsidi audiendum et condemnandum. Et satis consequenter, uti apparet : in fine enim Actorum dicitur corpus ejus sepultum XVI Kal. Septb. Eorumdem Actorum ecgraphum nostrum Moissiacense consentit Parisiensi, tametsi, ut vidimus, differat, mendose utique ob dicta, in titulo. His itaque de causis damus nostrum Athletam hac die XVI Augusti, qua dari debet. Sed nunc alia quædam de illo expendenda sunt.

Ex duratione

3 Passus est S. Vamnes sub Vararane V rege Persarum, qui persecutionem adversus Christianos ab Isdegerde patre excitatam continuavit. De qua re juvat audire Theodoretum Cyri episcopum

C

lib. 5 Ecclesiasticæ historiæ anno 1642 Parisiis editæ cap. 38, pag. 751 et sequenti ista narrantem : Per id tempus Isdigerdes rex Persarum ecclesiis bellum intulit, hinc arrepta occasione, quam ibidem recenset. Hinc igitur exorsa procella gravissimós et sævissimo fluctus contra pietatis alumnos excitavit, et triginta jam anuis elapsis tempestas a magis velut a turbinibus quibusdam agitata duravit. Magos vero Persæ eos vocant, qui clementa deos faciunt... Et Vararanes quidem, Isdigerdæ filius, post mortem patris una cum regno bellum etiam adversus pietatem suscepit : moriens enim ille ambo conjuncta filio reliquit. Tormentorum vero genera et exquisiti cruciatus, quibus pios affecerunt, verbis exprimi vix possunt. Et continuo feralem ac plane barbaram tormentorum carnificinam pathetice exponit. Sed inter Pugiles sacros, quos ibidem nominat, non occurrit S. Vamnes.

ac tempore

4 Porro Vararanes Isdegerdi patri successit anno 420, uti habet Pagius in Critica Baroniana ad istum annum num. 14; ubi num. 15 etiam sermo est de continuata ab eo persecutione, ac de bello ex eadem inter Romanos ac Persas exorto, et causis ejus : ad annum vero proxime sequentem num. 13 mentio fit victoriæ de Persis reportatæ. Socrates de ea scribit lib. 7 Historiæ ecclesiasticæ a Valesio editæ cap. 18, pag. 357 ; simulque cum bello, in quo rursum Persæ ingenti prælio victos scribit a Romanis cap. 20 ejusdem libri, vult cessasse persecutionem pag. 359 hæc dicens : Hoc itaque modo bellum, quod propter Christianos in Perside degentes susceptum fuerat, finem accepit. Quod quidem contigit consulatu Honorii tertio decimo, et Theodosii decimo, anno quarto Olympiadis trecentesimæ. Simul etiam persecutio, quæ adversus Christianos excitata fuerat in Perside, conquievit. Per hosce consules indicatur annus æræ vulgaris 422, de quibus Relandus in Fastis consularibus pag. 587. Verum Theodoretus, qui persecutionem extendit ad annos triginta, sicut dicebamus, nobis persuadet, ut eam paulatim recruduisse deinde credamus, quamquam minore fortasse cum violentia : in qua re eo majorem meretur fidem, quo urbs Cyrus, cujus erat episcopus, Persiæ esset propinquior. Scripsit Theodoretus suam Ecclesiasticam historiam circa annum 450, secundum Monumentorum ecclesiasticorum collectorum Gallum tom. 12 pag. 356, ubi ex professo, ut ita dicam, tractat de hac Persica persecutione. Analecta vero Græca a monachis Benedictinis edita Lutetiæ Parisiorum anno 1688, in Vita S. Euthymii abbatis pag. 19 illam differunt sub extremum tempus, quo vixit Isdigerdis, his verbis : Initio motæ tunc persecutionis in Perside circa finem regni Isdegerdis Persarum regis cum magi omnes Christianos capere vellent etc. Anno autem 420 Isdegerdis diem extremum obiit, ut idem Monumentorum collector habet, et Pagius ad istum annum num 14 affirmat esse certum. Potuit itaque dicta persecutio cœpisse anno Christi 419.

D

E

persecutionis Persicæ

5 Sed laudatus Pagius ad annum Christi 408 num. 5, Non dubium, inquit, quin hæc persecutio sub finem regni Isdigerdis, seu anno Christi CDXIV cœperit : ast illud seu cum anno 414 esse copulandum, non satis perspicimus, neque videmus, illum esse circa finem regni ejus. Citarat quidem num. 5 Vitam S. Cyrilli in Analectis Græcis, de qua modo meminimus et nos, sed annus iste inde extundi non potest. Huic præmiserat ibidem ex Theodoreto triginta jam annis elapsis etc., quem supra loquentem audivimus ; qua in re confirmat, uti putat Pagius, quod scribit Theophanes (cujus textum attulerat num. 4) hanc scilicet persecutionem sub Isdigerde annos quique durasse, ab anno nempe Christi CDXIV, usque ad mortem ejus, quæ anno CDXX contigit. Sed videtur alteri systemati potius adhærendum ob rationes chronologicas pro eodem supra allegatas, et recedendum esse a Theophane, tot seculorum intercapedine remoto a re, de qua hic scribit. Hæc de persecutione ab Isdigerde inchoata, et continuata a Vararane, sub quo S. Vamnes martyrio coronatus est, anno videlicet ejusdem persecutionis circiter undecimo, ex dictis ac mox dicendis.

F

ordinatur

6 Acta sancti istius Martyris infra apud nos num. 4 de fustuario, quo exceptus fuit, hæc memorant : Dies autem, qua hæc agebantur, erat V Kal. Augusti anno secundo Vararanis regis Persarum, Theodosii vero junioris, filii augusti, anno regni vigesimo tertio. Notæ istæ chronologicæ signantur etiam in nostro apographo Moissiacensi. Annus secundus Vararanis concurrit cum anno æræ vulgaris 422, conformiter ad præmissa : Theodosius vero junior nascitur anno 401 mense Aprili vel Januario ; nec probationes desunt, quod ab

A *ab ipsa sua nativitate fuerit vestitus purpura, et declaratus imperator seu cæsar : at sequenti anno* 402 *tantum renuntiatus Augustus. Mortuo autem patri Arcadio Kal. Maii anno* 408 *succedit in imperio ; vide Pagium ad istum annum num.* 2 ;. *atque adeo annus imperii ejus vigesimus tertius coincidit cum anno æræ vulgaris* 430, *quo Castellanus supra citatus martyrium* S. Vamnis *innectit. Sed quo pacto illum annum compones cum anno secundo Varananis? Difficultatem hanc vel non vidit, vel dissimulavit auctor ille : at nos dispiciamus, quonam modo solvi ea possit.*

annus

7 *Dicere , quod error irrepserit in numerum annorum , est nodum hunc Gordium, ut ita loquar, scindere potius quam extricare, præsertim cum anni isti exarati sint litteris grammaticalibus, non vero cyfris vel numerabilis, quæ in lapsum sunt magis pronæ. Quia vero initium purpuræ, qua Theodosius indutus est jam tum a tempore suæ nativitatis, maxime conducit ad præsens propositum, videntur, quæ de illa re paullo ante obiter indivavimus, pluribus hic confirmanda. In Vita itaque S. Porphyrii episcopi Gazen-* B *sis, quæ exstat apud nos tomo* III *Februarii, die* XVI *dicuntur pag.*652 *sequentia :* Natus vero junior Theodosius, fuit in lucem editus in purpura. Unde etiam cum primum fuisset natus, fuit renuntiatus imperator. *Ad quem locum datur hæc nota pag.* 653 : Id est, acclamatus imperator, ac purpura tectus. Solennis inauguratio si Chronico Alexandrino fidendum, facta est ad Hebdomum anno sequenti IV Idus Januarias, Indict. IV, *Et in eadem Vita hæc sunt dicta pag.* 653: Cum autem impleti essent septem dies a puerperio, uos accersit *(Eudoxia augusta)* et nobis occurrit in porta cubiculi portans infantem in purpura. *Hæc autem gesta sunt anno* 401. *Quod vero solennis inauguratio ac renuntiatio sit differenda in annum* 402, *testatur citatus antea Sozomenus lib.* 8 *cap.* 4 *pag.* 763 : Per idem tempus, ipso, quem diximus, Fravita et Viucentio Coss. imperatori natus est filius avo cognominis : qui sub initium sequentis cousulatus augustus renuntiatus est. *Videri quoque potest Pagius ad istum annum num.* 27.

quo S. Vamnes martyrio coronatus est.

8 *Tametsi vero purpuræ anno* 402 *Theodosio juniori collatæ nova deinde accesserit solennitas, quam nondum is habebat anno* 401 ; *ab hoc tamen* C *anno Theodorus lector in Excerptis ex Ecclesiastica historia, quæ Valesius vulgavit, lib.* 2 *pag.* 568, *videtur ipsum quoque ejus imperium computare, quando hæc memorat :* Theodosius junior, filius Arcadii augusti, imperare cœpit mense Januario. Imperavit una cum patre aunos septem, menses tres. *Cum hoc itaque auctore computemus etiam nos Theodosiani imperii annos a natali ejus in purpura, id est a mense Januario, vel, si malis, ab Aprili mense anni* 401, *et hac ratione solvamus difficultatem , e verbis Actorum* S. Vamnis *superius propositam. Etenim si ab isto anno progrediamur ad annum æræ vulgaris* 423, *habebimus annum secundum Vararanis, ac Theodosii junioris vigesimum tertium inchoatum a mense Januario vel a mense Aprili, provectumque usque ad* V *Kalendas Augusti, quo die fustuarium Martyris, de quo ante dixi, accidisse memorant eadem Acta, sicut rem consideranti patebit. Huic computationis fundamento superstruximus annum emortualem nostri Martyris eumdem* 423, *superius in exordio hujus Commentarii notatum: quem postquam hisce cum rationibus nostris chronologicis contuleris, integrum tibi erit, lector, eum emendare, se meliorem inveneris. Reliquum est, ut martyrii historiam subjiciam, quæ magnam, meo quidem judicio, brevitate sua ac sinceritate meretur æstimationem, eo præsertim, quod alibi hactenus eam typis fuisse editam non noverimus.*

AUCTORE J. P.

ACTA

Auctore anonymo.

e Ms. membraneo Capituli ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis , collato cum alio e codice Moissiacensi.

In illo tempore præcepit Vararanes *a* rex, ut omnes adorarent solem, ignem et aquam, et ne quis Christiauum servum ingenuum faceret, et quicumque præceptum regis audire noluissset, diverso supplicio subjaceret. Emit itaque sanctus Vamnes inter ceteros captivos Aëtiam monachum, quem statim sumptu suo ad locum suum, unde captivatus fuerat, remisit. Hinc excitatus calumnia adversus hominem Dei , quasi adversus rebellem jussionis regiæ, qui emptitium servum, ingenuum fecisset *b*, et Romaniæ *c* reddidisset. Tunc iratus rex jussit Dandrasbado * comiti suo , ut interrogaret hominem, et ab illo audiret, si vera essent, quæ de eo dicebantur. Dandrasbadus eadem hora ex jussu regis exhibitum sibi Vamuem interrogavit. At ille respondit, vere se Christiaunm esse, et captivum monachum a se redemptum liberasse et patriæ reddidisse.

Accusatur Sanctus, a E *b c* * *al.* Daudrasbadus *scribitur*

2 Dandrasbadus comes quæ audierat a beato Vamne retulit regi. Cui rex rursum præcepit, ut eum hortaretur negare fidem Christi et servire religioni Persarum *d*, et siquidem adquievisset, indulgeret ei etiam alias culpas, et concederet vitam atque aliorum inlicitatiouem *e*, et inter amicos regis adscriberet ; audierat enim quod dives esset, et inter negotiatores in primatibus haberetur : si vero non adquievisset, tormentis eum adficeret, et post tormenta occideret. Tunc comes reversus ad prætorium , evocabat Vamnem, et indicat ei. jussionem et consilium simul * et hortabatur, dicens : Rogo te, contemne negare * Nazarenorum errorem, quo deceptus es, et revertere ad antiquam religionis nostræ consuetudinem, ut possis vivere et reputari inter amicos regis ; nam certus esto, quia si in errore isto perseverare volueris, non solum ab amicitiis regis, sed ipsa vita miserabili fine carebis.

et ad deserendam fidem, blanditiis *d* *e* F * *al.* suum * *al.* negaque

3 Beatus Vamnes respondit : Absit a me , ut pro amicitiis hominis perdam amorem Dei , et pro vitæ præseutis securitate perdam æteruæ vitæ beatitudinem. Comes ait : Quare contra præceptum regis hominem Christianum , quem servum emeras , ingenuum fecisti ? Vamnes respondit: Quia et me Deus Christianorum, cum essem captivus diaboli , et servus peccati , sanguine suo redemit et libertati veræ donavit, ac patriæ cælestis muuicipatum indulsit, nihil dignum remunerationis Deo obtuli. Ego pro eo servo * meo nummos dedi, Christus pro me se ipsum dedit. Comes dixit : Noli verbosari , sed nega Christum et sectam Nazareuorum, et transi ad religionem regis , et vivas. Ceterum juro per solem

frustra * *al.* conservo

et

A. *anonymo* et ignem, quod, si ad religionem nostram venire nolueris, tam pro te, quam pro illo, quem fugasti, supplicia solves. Vamnes repondit: Et ego juro per Deum verum me aliud non facturum, quam quod a Christo Deo vero didici.

ac verberibus adigitur. 4 Statim Comes jussit eum nudari veste; et dum in loculum *f* nudus stetisset, interrogavit eum si audiret jussionem regis. Cumque non adquiescentem audiret, fustibus eum aptavit et projecit semivivum in carcerem. Vadens ergo sanctus Vamnes martyr ligatus ad carcerem ducente se Abursane præposito regii carceris, gratias agebat Deo, quod dignus fuisset pro Christiana religione fustigari: et dicebat ad eos qui aderant: Si creditis, fratres, sic mihi videbatur, cum fustium ictibus circumdabar, quasi coronis roseis decorari *. Dies autem, qua hæc agebantur, erat Kal. Augusti, anno secundo Vararanis regis Persarum; Theodosii vero junioris, filii augusti, anno regni vicesimo *g* tertio. Post non multos iterum dies post, septimo decimo Kal. Septbr., jubet Vararanes rex Dandrasbado comiti, ut educeret de carcere sanctum Vamnem, et traderet eum Frano * præsidi audiendum et condemnandum. Hic Franus antea Christianus fuerat, et volens placere regi, discessit a fide Christi: cui pro merito obedientiæ donavit rex præsidatus dignitatem.

* al. decorarer

* al. Prhanno

B

Frustra etiam laborat præses. 5 Igitur Franus præses exhibitum sibi sanctum Vamnem martyrem sic alloqui cœpit: Si recordares * mutuæ dilectionis, adquiesceres consilio cari tui, et transires ad religionem, quam noster rex tenet; et bene tibi erit, si adquiesceres consilio meo: nam et ego Christianus Catholicus fui, sicut ipse bene nosti; sed ad jussionem regis, quem divina providentia dominum nostrum esse voluit, converti me ad sectam Persarum; et modo securus et felix vivo. Dicit ei sanctus Vamnes: Et ego Christianus sum: aliud esse nec volo, nec debeo, sicut jam frequenter a me audistis, nam et major tuus comes Dandrasbadus, etiam per tormenta experimento didicit, quid per Christi fidem animo geram, immo quid in animo meo Christus gerat. Quod si ante dulcedinem tormentorum constantissime Christum meum confessus sum; quomodo nunc negabo, tantam fortitudinem per fustes indeptus? Franus ait: Occidere te nolo, quamvis hoc facere perurgear præcepto regis: sed ut mihi aliqua de te apud regem excusandi facultas detur; si solem et ignem et aquam et terram adorare non vis, saltem clama bene fieri quod ecclesiæ destruuntur; quia aut dicas, aut non dicas, ecce jam destruuntur. Sanctus Vamnes respondit: Absit a me, ut, quod Deus pius ad congregandos in unum Christianos voluit ædificare, ego dicam bene fieri, quod ad jussionem regis impii destruatur. Franus ait: Si de ecclesiarum destructione nihil vis dicere, quod juste solvantur, vel hoc unum dicito: Male Christianis, ut sit occasio justæ relationis ad regem, qua rescripto illius dimittaris. Sanctus Vamnes respondit: Non maledicam, quibus Deus benedixit.

* al. recordareris

C

Uxoris preces 6 Dum hæc apud Franum præsidem aiebat Vamnes, ecce, uxor Sancti venit clamans et ululans, ac luctuosa voce se ingerens Viro, admonebat causas conjugii et dicebat: Cui me dimittis? Cui filios tuos commendas? Non ad hoc tibi sociari volui, ut et ego ante tempus mariti solatio destituar; et filii, patris; ac famuli, domini gubernatione fraudentur. Ad quam sanctus Vamnes ait: Confide, soror; non caret solatio de morte suorum, cui Christus per integritatem fidei vivit: permane in fide, qua renata es, et erit tibi et tuis Dominus gubernator. Et illa respondit: Nec ego sic te volo vivere, ut Christum neges, in cujus fide æternam vitam speramus; nam et gavisa sum, quando audivi te pro confessione nominis illius fustigatum: sed ut et mihi et tuis omnibus sanus et vivus reddaris rogo, ut hoc unum, quod bene est, dicas, juste ecclesias dissipari: quia, aut loquaris jam de hoc, aut taceas, ecclesiæ destruuntur; nec ad sermonem tuum deponendæ, nec ad sermonem tuum relinquendæ. D

generose 7 Tunc Sanctus athleta Christi Vamnes, altius ingemiscens, ait: Oh lingua serpentina, venenati interpres consilii? hæc autem est vox illa, quæ olim, ut Adam peccaret, inlicuit; hæc est, quo sancto Job, ut patientiam in dolore rumperet, persuadebat: hoc consilium, mulier, illis da, quibus humani affectus supra Christum valent: mihi autem consilium majus nemo dare potest quam Christus [qui] discipulatum suum in negatione omnium, quæ videntur, et [amantur] injunxit *: et tu, mulier, si scires, quanta bona per hæc verba amiseris, quam grande lucrum, quod super mea passione gratulata adquisieras, perdidisti; dolores utique tuos, et lachrymas istas, quas supra me, ignara Dei beneficii, fundis, supra te funderes, quæ adversum Deum locuta es. Ad hanc sancti Vamnis increpationem mulier compuncta dolore, cœpit pro culpa et indulgentia Christi supplicatione mariti sperare.

* al. instituit

E

contemnit Sanctus, 8 Adstante adhuc muliere, Franus judex serpentino ore priores sibilos iterare sancto Vamni cœpit: Maledicito Christianis, et dimitto te. Molita rursus mulier, conversa ad Virum suum dixit: Vel hoc fac, quod dicit; Maledicito Christianis, ut dimittaris et vivas. Sanctus Athleta Christi respondit: Audi, mulier, et disce quod nescis: Christiani ex nomine Christi Dei veri vocabulum eruunt; itaque qui maledicit Christianis, Christo Deo vero maledicit, cui * nomen sonat in Christianis: similiter et qui eis benedicit, Christo in eis benedicit, cui * sunt Christiani. Benedicam itaque eis et non maledicam, ut benedictionem consequar illius, ex cujus nomine appellantur. Hæc cum sanctus Vamnes, audiente præside, mulierem doceret; præses ait * ad sanctum Vamnem: Et quare, antequam Christum crederes, maledicebas illis et detestabaris societatem illorum? Vamnes respondit: Quia insipiebam * quod modo sapio; non enim in me erat amor Christi, qui me doceret, quo amore dignus est.

* al. cujus

* al. cujus

* al. dixit

F

* al. non sapiebam

capite truncatur, ac sepelitur. 9 Post hanc firmissimam Militis Christi confessionem, volens Franus præses morosæ ut sibi videbatur, altercationi finem imponere, simul et timens, ne dilatio protracta mandatis videretur regis contraire, jussit eum decollari. Sanctus Vamnes, accepta sententia, lætus ibat ad campum. Tunc audientes discipuli Christi, qui lætabantur, et maxime negotiatores, quibus amplius gaudium nascebatur, quod de suo corpore martyrem processisse videbant, immiscentes se paganorum turbæ, occurrerunt, et ducebant eum ad campum. Aliqui vero ex plebe, miseratione commoti portaverunt vinum, et offerebant ei ut biberet: quod accipere noluit dicens, hoc solere illis dari, qui inviti moriuntur; sibi autem illicitum hoc esse, qui etiam libens per amorem * Christi mortem susciperet; sed et nefas esse, Christo sitiente, vino inebriari. Et dicebat: Ego vinum non bibam, quod inebriat, sed calicem redemptionis, quem mihi Christus sua gratia propinavit. Et ita decollatus

* al. pro amore

A latus est beatissimus Vamnes; et servabatur ab spiculatoribus corpus ipsius. Tunc fratres, qui eidem ab initio confessionis suæ lateutes hærebant*, ministri necessitatis illius, in quantum petierunt, nummos spiculatoribus dederunt; et tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud XVI Kal. Septemb., regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

* al. latenter adhærebant.

ANNOTATA.

a *Non uno modo exaratum invenio illud nomen : egò tum hic tum alibi, ac in Commentario prævio scribo* Vararanus *cum Theodoreto, quem citavi in Commentario num.* 3, *consentiente ejus textu Græco, in quo scribitur* Βαραράνης, *ut in editione ibi assignata licet videre. Ita etiam scribitur apud Socratem Hist. eccl. lib.*7 *cap.* 18, *pag.* 355 *Valesianæ editionis. In nostro Moissiacensi mendose legitur hic* Valerianus.

b *Ms. Moissiacense sic pergit :* Accusatus igitur S. Vamnes ad regem, eo quod Christianus esset, et quod Christianum servum ingenuum fecisset, et B Romaniæ reddidisset.

c Romaniæ, *id est, terris Romanorum, uti ego quidem intelligo; ad quas etiam Christiani apud Persas in arcto positi confugiebant. Socrates paullo ante citatus,* Apud Persas, *ait,* mortuo Isdigerde rege.... filius ejus Vararanes, cum successionis jure regnum obtiuuisset, magorum consilio inductus, Christianos graviter exagitavit, supplicia ac tormeuta Persica eis infligens. Itaque Christiani, qui Persidem incolebant, necessitate constricti ad Romanos confugiunt, orantes ne ipsos funditus deleri paterentur. *Vita S. Euthymii abbatis, de qua mentio facta est in dicto nostro Commentario num.* 3, *tradit ista a pag.* 19 : Initio motæ tunc persecutionis in Perside circa finem regni Isdegerdis Persarum regis, cum magni omnes Christianos capere vellent, subditorum Saracenorum præfectos ubique viarum constituerunt, ne quis Christianorum in Perside degentium ad Romanos confugeret. *Una, etsi non unica, belli inter Romanos ac Persas causa, teste Socrate lib.* 7 *cap.* 18, *fuit, quia Christiani in Perside vexati ad Romanos confugiebant, et ab eis benevole excipiebantur.*

A. ANONYMO.

d *Lego Persas antiquos adorasse solem, lunam, ignem, nec non alias paganorum falsos deos : inter quos etiam terra et aqua, ex iis, quæ in hisce Actis habes num.* 1 *et* 5.

e Inlicitationem. *In nostro apographo Moissiacensi lego :* Atque aliorum illicitationem inter amicos regis adscriberet. *Per* illicitationem *vero puto hic significari illicium, illectationem seu incitamentum.* E

f Loculum. *Ita etiam habet Ms. Moissiacense. Expressionem illam haud omnino perspicuam equidem non satis intelligo. Tentabo tamen aliquid eidem lucis afferre. Loculus est exiguus et angustus locus. Loculi autem sacculus pecuniarum: unde hic forte sumitur* loculus *pro umbilico vel scroto, quo usque Martyris corpus nudatum fuerit.*

g *Locum hunc expendimus, et cum ratione temporis, quo Martyr noster obiit, componere conati sumus in Commentario prævio.*

DE SS. MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

ORIONE, ÆMILIO ET AGNATO.

ITEM DE THYRSO ET SOCIIS IN PERSIDE

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

F

XVI Aug.

In textu Florentinii tres jam dicti Martyres ita Alexandriæ conjunguntur : nescio cur codex Epternacensis ultimum sejungat, scribens hoc modo :* In Alexandria Orionis, Emeli, et alibi Agnati. *Corbeiensis cum codicibus Lucensibus concordat, sed binos socios superaddit* Justinum *et* Lucium *aliis omnibus pro hoc die incognitos. Cum textu quoque convenit alter ex Codicibus Reg. Sueciæ clare enuntiando :* Alexandriæ, sanctorum Oriouis, Emeli, Agnati. *Quemadmodum etiam legunt Rabanus et Notkerus.* Orionis, Æmilii, Agnati. *Sic equidem legendum existimo, ut ut* decurtatum, et cum die sequenti confusum hujus dici laterculum *agnoscat Florentinius, id quod multo pejus torserunt codices recentiores, dum dicti laterculi duas diversas annuntiationes in unum contraxerunt et mutilarunt, legentes cum Greveno :* Ipso die, sanctorum Orionis, Tirsi, Agnati. *Porro* Thyrsum *hunc scorsim sic annuntiant præcipui codices :* In Persida, natalis sancti Tyrsi cum sociis suis. *De quibus cum alibi nihil reperiam, suspicari ferme cogor, eos facile confundendos cum Thyrso et sociis, de quibus actum est ad* XXVIII *Januarii, nisi forte obsit positio* in Alexandria, *quæ amanuensium incuria facile mutata fuerit.*



DE

A

DE S. AMBROSIO CENTURIONE M.

FERENTINI IN CAMPANIA ITALIÆ

J. B. S.

Sub Diocletiano. A Galesinio primum signatus,

De Ferentino in hoc opere non semel actum est præsertim mense Aprili VIII et XV; qui plura cupit, adeat Ughellum tomo 1, ubi de ejus urbis situ et antiquitate satis fuse disserens, etiam de hodierno S. Ambrosio *honorifice meminit. Porro Galesinium hoc die de more Baronio præluxisse, inde licet conjicere, quod in nullo classico Martyrologo, ne quidem in Usuardinis additionibus aut in editione Bellini usquam notus sit. Ita primus, quod sciam, eum signavit laudatus Galesinius cum brevi elogio hujusmodi :* Ferentini in Campania, S. Ambrosii martyris. Hic centurio, Diocletiano et Maximiano imperatoribus Christianæ religionis accusatus, Datiani præsidis, B quem ad fideles contrucidandos in eam provinciam cæsares miserant, jussu comprehensus, varia primum cruciamenta pertulit, quibus ad impuram idolorum superstitionem eum adigi non posset, in fornacem injectus est, e quo incendio divinitus creptus, demum, magna fidei constantia roboratus, præceps in fluvium dejicitur.

deinde a Baronio

2 *Citat in annotatis suis* codicem scriptum, *in quo procul dubio invenerit lectiones seu brevem Vitam, quam etiam ad se missam testatur Baronius, qui de cetero ex jam data annuntiatione facile potuit ea contrahere, quæ Martyrologio Romano insereret :* Ferentini in Hernicis, S. Ambrosii centurionis, qui in persecutione Diocletiani variis modis cruciatus, novissime per ignem illæsus transiens, demersus in aquam, eductus est in refrigerium. *Ubi observes velim, idem utrobique mortis genus exprimi, quod tamen neuter reperit in jam dicta Vita, constante solis lectionibus martyrium non referentibus, ut mox dicendum erit. Audiamus prius tertium, qui de hoc sancto* Ambrosio *agit in Catalogo Sanctorum Italiæ, cum Galesinio in plerisque satis conveniens, ubi nihilominus in finali martyrii consummatione ab eo* C *multum deflectit. Verba ejus sunt :*

tum et a Ferrario,

3 Ambrosius natione Ligur, Pythagoricis disciplinis instructus, Mediolanum veniens, ibi se ad militiam transtulit, Centurio a Damiano præside factus Inde Ferentinum (quæ Hernicorum in Latio urbs est) profectus, eum Christum occulte colcret, præsidi denuntiatus quod Christianus esset, ab eo accersitur, blandeque (erat enim illi præcharus) monetur ut juxta imperatorum edicta deos coleret, spatio ei ad resipiscendum præfinito. Quo elapso præses Ambrosium in sententia colendæ Christianæ religionis persistentem militaribus ornamentis exuit, carcereque, in quo nemo eum alloqui posset, sine cibo et potu, donec aliquot urbibus visitatis rediret, includit. Post mensem reversus Ambrosium vegetiorem et constantiorem reperit. Quare illum frustra admonitum diverso tormentorum genere aggreditur. Primum enim in ignem ipsum injecit; deinde cum illæsus exisset, in aquam altam demergi jubet : denique cum etiam ex aqua incolumis evasisset, capitalem sententiam accepit. Passus est XVII Kal. Septemb. Diocletiano imp. Corpus a Christianis sepultum in ecclesia Ferentinate, cujus tutelaris est, religiosissime asservatur.

4 *Dictorum testem adducit Officium ecclesiæ Ferentinatis Romæ approbatum, quod certe multum differre oportet a Vita illa qualicumque seu antiquiori Officio Ferentinate, quod Majores accepere a P. Gallonio ex bibliotheca PP. Oratorii Romæ, quæ cujus ætatis sit nemo facile divinaverit. Hoc certum, martyrii genus in ipsa non exprimi, cum deficiat in minis præsidis, quem Datianum nominat et quidem Hispaniæ præsidem; satis mira ei applicans, quæ hic referre non lubet : operæ pretium retulero si paucis hic tradita satis tolerabilia eruditis videbuntur. Non prætermittam tamen ea hic adjicere, quæ ex Vita alia, quam non vidimus,* Romæ anno MDCV excusa, *de sacri corporis* S. Ambrosii *translatione descripsit idem Ferrarius, non hoc die, nec consequenter ad supra relata, sed eo quo ipsa olim peracta est,* E *nempe* XXIX *Decembris, quæ hic nihilominus connectenda consuimus. Ita ibi rei seriem explicat.*

aliud martyrii genus signante :

5 Cum corpus S. Ambrosii martyris extra Ferentinum conditum, diu ignotum fuisset, divinitus in æde S. Agathæ, quo tempore Saraceni Campaniam populabantur, inventum, in urbem, ab excidio S. Martyris intercessione liberatam, in ecclesiam S. Mariæ majoris non absque prodigiis, cæcis illuminatis, aliisque languentibus mirabiliter sanatis translatum est. Inde postremo cum S. Martyr cuidam archipresbytero in visu nocturno apparuisset, in Cathedralem basilicam SS. Joannis et Pauli, loco civitatis sublimiore sitam, delatum, ibi honorifice IV Kal. Januarii reconditum fuit, qua die populus Ferentinas translationis hujus celebrationem voto se publico adstrinxit. In qua translatione, dum sacræ Reliquiæ reponerentur, quidam archipresbyter, nonnihil ex iis nisus furari, ita brachio obriguit, ut nonnisi errorem confessus, ac S. Martyrem precatus, sanitatem recuperarit. Cum postea Episcopus de [veritate] reliquiarum subdubitaret, duabus puellis gravi et diutino morbo oppressas eas admovit, quibus repente sanatis, dubitatio omnis sublata est.

qui et de translatione meminit.

F

Sancti patria et metrica elogia.

6 *De patria sancti nihil magnopere controvertitur; Mediolanensem fuisse et ipse admittit Ferrarius, tametsi in textu suo Ligurem appellaverit, qua de re in Actis nostris non semel, imo et hoc die sermo recurrit. Bosca in suo Martyrologio rem paulo pluribus explicat. Nobis magis placet quod ex Brautio refert satis nitidum elogium metricum :*

Ad breve clam tempus coluit Centurio Christum
Confessusque palam castra beata subit.

Item et aliud epigramma Bulzii parte 2 Laurarii poëtici. Argumentum est

S. Ambrosius centurio et martyr
in phylaca absque cibo et potu vegetior

Carcer habet Divum, Divo mera nulla ministrant.
Grata fugant longam prandia nulla famem.
Squalida jejunos macies tamen occupat artus
Nulla viri; melior vernat in ore vigor.
Cælicola Ambrosius fuerit, cum vivere pergat
Fortior ingesto nulla per ora cibo.
Sed voco cælicolam, ne, quem non fercula pascunt,
Non hominem, verum quis putet esse Deum.

DE

A D

DE S. CHÆREMONE ANACHORETA

J. P.

Cultus apud Græcos ac vitæ institutum.

Sec. iv vel v. *Refertur in Fastis Græcis.*

Etiamsi hujus Sancti nomen alicubi sine diphthongo, alibi cum illa exprimatur; ego illud scripsi cum diphthongo cum Menæis magnis excusis, quæ ad nomen ita efformatum alludunt, ac Menæo Chiffletii. Annuntiatur hoc die apud Græcos modo valde vago et indistincto. In dicto quippe Menæo ita ponitur:* Χαιρήμων *(forte* Χαιρέμων) ἐν εἰρήνῃ. Chæremon in pace. *In Menologio autem Sirletiano sic :* Eodem die natalis beati Cheremonis in pace quiescentis. *Hisce consonant Menæa magna excusa :* Sanctus Chæremon in pace consummatur. *Sequuntur duo versiculi, quos ita e Græco Latine reddo :*

B Λήξει βίου σου χαῖρε Χαιρῆμον μάκαρ
'Αρχὴν γὲ 'εἶδες τῆς ἀμοιβῆς τῶν πόνων.
Beati gaude fine Chæremon tuæ
Vitæ, inchoata præmia laborum videns.

Tametsi autem ex allatis modo Græcis Fastis non sit nobis cognitum perspectumque, quisnam fuerit iste S. Chæremon; *aliunde tamen affulget lux. In Sylloge historica de S. Joanne Cassiano abbate, quæ exstat apud nos tom.* v *Julii, die* xxiii, *pag.* 458 *et sequentibus,* § 5 *de prima ejus profectione in Ægyptum agitur, et ex ipsiusmet verbis narratur, quomodo ad* Chæremonem *sit deductus, et quas collationes ille habuerit. Cassianus autem erat valde juvenis, quando in Ægyptum discessit, et sub primum tempus, quo illuc pervenit, ad* Chæremonem *deductus est. Obiit vero Cassianus ante medium seculi* v. *De nativitate ejus ac morte tractatur in dicta Sylloge* § 3. *Ex his videtur mors* S. Chæremonis *posse affigi seculo* iv *exeunti vel ineunti* v. *Quod vero idem ille sit cum eo, qui in Fastis Græcis supra signabatur, suadet nobis celebritas nominis, qua claruit. Adde ista :*

Nostræ de eo observationes.

2 *Ante omnia in memoriam revocemus ea, quæ tom.* ii *Martii nostri, die* xv *in Prætermissis scripta jam pridem his verbis :* Theremon abbas
C eximiæ perfectionis in Scythia, refertur a Withfordo in Martyrologio Auglice edito. Agit de eo Petrus de Natalibus lib. xi, cap. 57 citato Heraclide, in quo cap. 35, et apud Palladium cap. 92 Cheremonis monachi subita mors narratur; sed alia habet dictus Petrus. Cheremonem celebrant Græci in Menologio et Menæis xvi Augusti. *Petri de Natalibus textum accipe loco citato :* Theremon abbas in eremo de Scythi claruit, qui ibidem centenarius decessit. Hic enim adeo dorsum suum tam temporis vetustate quam orationum jugitate curvaverat, ut quasi in primævam infantiam submissis manibus in terram traheretur. Hæc qui supra Heraclides. *In appendice ad Vitas Patrum a nostro Rosweydo editas, inter alia, quæ e Paradiso Heraclidis ibidem exstant, pag,* 974 *habentur ista, citato ad marginem Palladii capite* 92 :
Acciderat ... illis ipsis diebus, ut Chæremonem E nomine monachus, residens in cathedra sua repente moreretur, defunctumque in ea ipsum atque in manibus opus, quod faciebat tenentem, subito alii fratres viderent. *Res etiam narratur ex ipso Palladio in Vitis Patrum allegatis pag.* 765. *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, quæ in lucem edidit Cotelerius, tom.* i *pag.* 707 *inter Apophthegmata Patrum hæc leguntur :* Narrabant de abbate Chæremone in Sceti, quod spelunca ejus distaret ab ecclesia quadraginta milliaria, a palude vero et aqua duodecim, atque sic inferret in speluncam suam quod manibus operaretur; portaretque lagenas duas, unam ex adverso alterius; ac sederet, quietam vitam ducens. *Videmus itaque* Chæremonem *abbatem sive monachum laudari a labore, tamquam nota sibi propria et characteristica. Græci insuper in versibus suorum Menæorum, quos supra protulimus, suum* Chæremonem *a labore commendant. Hinc ego probabilius apparet, eum, qui in illis ac in Vitis Patrum comparet eumdem esse, eo præsertim quod nomen, vitæ institutum ac exercitationis character conveniant. Atque hæc quidem nostra est sententia, superioribus rationibus fulta. De* Sceti, *cujus antea incidit mentio, consuli potest Commentarius prævius ad Vitam S. Arsenii anachoretæ tom.* iv F *Julii, die* xix, *pag.* 605.

DE S. TITO DIACONO MARTYRE

ROMÆ

J. B. S.

Ex Martyrologio Romano.

Anno ccccxxvi. *An sacra ejus ossa*

Præfixus S. Titus *certissime Martyrologis omnibus Baronii editione Romana antiquioribus incognitus est, neque ulla in Fastis sacris ejus exstat memoria antiquior illa, quam ex Prosperi Chronico erutam in Martyrologio Romano consignavit hoc die, tametsi, ut recte observat Castellanus, diem mortis non indicet Prosper, solum annum notasse contentus, nempe Theodosio XII et Valentiniano Aug. II Coss., qui est annus Christi* 426. *Agit ibi paucis Prosper de* cæde Patrocli Arelatensis episcopi : quod facinus ad occultam jussionem Felicis magistri militum referebatur, *cujus impulsu creditus est etiam Titus diaconus, vir sanctus, Romæ pecunias pauperibus distribuens, interemptus.*

in diœcesi Mediolanensi ?

2 *Atque hæc paucula solum dicenda erant, nisi laudatus sæpe a nobis Petrus Paulus Bosca aliquid de suo suggessisset in patrio Martyrologio his verbis :* Romæ sancti Titi levitæ et martyris, cujus corpus Casorati prope Arsagum in diœcesi Mediolanensi

AUCTORE J. B. S. Mediolanensi fideles devote venerantur; *pie credentes, opinor, hujusmet* S. Titi *sacra lipsana Roma accepta, in eo templo deposita esse, id quod ex tabulis ecclesiæ parochialis se accepisse testatur* D *dictus Martyrologus.*

DE SANCTO BALSEMIO MARTYRE

RAMERUDE IN DIOECESI TRICASSINA GALLIÆ,

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

Sancti a synonymo distinctio, cultus et martyrium.

Sec. v. *Sanctus hic Martyr* Binos *synonymos sanctos* Balsemios *(Gall. Baussenge) a Colvenerio in notis ad Flodoardi historiam Remensem confusos, recte alii distinguunt. Castellanus in suo Martyrologio universali non nisi hodiernum agnoscere videtur,* B *quem nescio cur pridie signaverit his verbis:* In Campania, S. Balsemii, cujus corpus Ramerudem translatum, caput vero Parisios. *Alterum Balsemium in vertice Montis Remorum reclusum et S. Basoli nepotem, qui etiam a Menardo et Mabillonio aliisque inter Sanctos refertur, melius rejiciendum censuimus ad diem, quo S. Basolus ejus patruus, quocum plane connexus est, colitur, nempe ad* XXVI *Novembris, hic de solo Martyre, in diœcesi Tricassina satis celebri acturi, quem ab altero synonymo, ubi prius ea, quæ ad ejus cultum pertinent stabiliverimus, diversum ostendemus.*

in Fastis recentioribus notus: 2 *Ab omnibus vetustioribus Martyrologis prætermissus, locum inter auctaria Usuardina primum habet in Edit. Lubeco-Col. hoc die:* Apud Castrum Remerudem, natale B. Balsemii gloriosi martyris sociorumque ejus, *quæ totidem verbis descripsit Grevenus, melius formans* Balsemii ; *ex hoc Molanus, Maurolycus, Ferrarius et Germanice Canisius, qui nescio unde* socios *ei accersiverint. Menardus pridie non hunc nostrum indicare voluit, cum reclusum, de quo jam locuti sumus, S. Basoli nepotem, expressius signet. Castellani annuntiatio non satis distincta est. Saussayus translationem ejus* XIV *hujus retulit in hunc modum :* C Apud Arceyas oppidum territorii Treceusis, translatio sancti Balsemii martyris, cujus natalis conspicuus est XVI die hujus mensis. Ejus sacrum corpus cum diu in mausoleo, quo primum tumulatus fuerat, jacuisset, Hersendis comitissa, pia affecta devotione, multo cum honore levari curavit, et ad castrum suum Ramerudem deferens collocavit in ecclesia S. Dei Genitricis, quam ipsa cum filio Hilduino comite construxerat. Ubi quiescens Martyr, hospitalitatis memor, incolis multa sanitatum beneficia impendit.

apud Saussayum elogio ornatur. 3 *Hoc die, alio ipsum ornat elogio sed perperam confundit cum S. Basoli nepote. Ita habet :* Apud Arceyas in territorio Trecensi, natalis S. Balsemii martyris, qui Lemovicus origine, S. Basoli nepos, sub persecutione Wandalica profectus in Campaniam, cum zelo Dei incensus barbaros illos, qui tractum hunc dira clade vastabant, verbis salutaribus hortaretur, quatenus exitioso infidelitatis deserto tramite, diabolique excussis, quibus impliciti erant, laqueis, in vivam salutis (veri utique ac unici rerum conditoris cultum amplectentes) ac pietatis et justitiæ semitas sese reciperent ; ab ipsis belluarum more in illum insurgentibus, probris ac pugnis impetitus, raptatus atque in montis supercilio prope oppidum prænsignatum ictus gladio, abscisso capite, laurea donandus æterna, beatum spiritum in cælum efflavit. Moxque audita est angelica melodia triumphum celebrans Martyris, qui descissum caput propriis manibus colligens, ante hostiles copias strenue gra- E dieudo revexit. At magnificum adeo victoris spectaculum non ferentes emissarii satanæ, Christi athletam gloriosum sic ovantem proterve insectantes, rursus apprehendunt, feriunt, obviumque demum in puteum præcipitant, saxorum globis onerant, atque sic obrutum mole lapidum, dum palmam ejus obscurare satagunt, illustrant erecto quasi illius victoriæ trophæa, et ipsorum immanitatis et tanti Martyris gloriæ perenni monumento. Puteus, in quem inclytus Christi miles conjectus est, etiamnum visitur, leucæ dumtaxat quadrante subductus ab eo loco, in quo securi percussus fuerat, quinque silicibus contectus et opertus, quibus Martyr obrutus fuit : pone quem cernitur ædicula, eidem triumphatori sacra, cujus hodie natalis tota in diœcesi celebratur.

4 *Atque hæc omnia ad hodiernum sanctum Martyrem pertinere, receptumque apud Tricassinos ejus cultum probare satis perspicuum est ; ut prorsus non videam, quid Colvenerium moverit, ut binos, synonymos quidem, sed ætate et vitæ et mortis genere dispares, in unum confuderit. Textus Flodoardi lib.* 2, *cap.* 3 *agentis de S. Basolo his plane verbis conceptus est :* Post multa F *Flodoardus ejus non meminit,* denique pietatis insignia, in vita ipsius ab eodem patrata, prænoscens per spiritum suæ vocationis imminere sibi tempus, misit ad nepotem suum nomine Balsemium, qui eum ad se à Lemovicina regione perduceret, significans illi, quod post obitum suum in prædicto suo conversationis habitaculo deberet vitam ducere, juxta quod revelatum sibi fuerat à Domino. Cujus salutaribus præceptis, ut bonus filius obtemperans, et ad supernam hereditatem pervenire desiderans, usque ad exitus sui diem in eadem permansit habitatione. *Quodnam hic aut Wandalorum aut martyrii vel leve vestigium ?*

5 *Ita tamen ad hæc observat Colvenerius :* Vitæ *unde a Colvenerio male confusus est cum altero :* hujus Balsemii martyris exstat fragmentum in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, eumque adjecit Usuardo Molanus XVI Augusti, quo die festum ejus celebratur in Tricassina diœcesi. *Fragmentum hic citatum, infra dabimus. Tota viri doctissimi hallucinatio est, quod unicum sanctum Balsemium agnoverit, cum certissime duo diversi fuerint, binis prope seculis a se invicem dissiti. Balsemius ille S. Basoli nepos vixisse potuit usque ad medium seculum septimum, quandoquidem*

A quandoquidem S. Basoli ætatem definit Castellanus ad annum DCXX; alter vero Martyr, de quo hic agimus, circa medium seculi quinti, in terribili ista invasione Wandalica coronam adeptus est. Cetera explicat Menardus in observatione ad hunc diem pag. 666, cujus verba hic subjicio :

ut recte notavit Menardus.

6 Nicolaus Camuzatius profert Vitam S. Balsemii, in qua habetur, eum habitasse iu pago Arceyas diœcesis Trecensis, ibique fuisse securi percussum a Wandalis. Nihil horum meminit Flodoardus, qui ait eum obiisse in loco reclusionis suæ, qui erat in vertice montis Remorum, cumque esse nepotem S. Basoli, et ab eo evocatum venisse Remos. Qui quidem Basolus multo post Wandalorum in Gallias irruptionem, primam saltem vixit. Vir doctissimus Colvenerius in notis ad hunc locum Flodoardi, putavit unum eumdemque esse Balsemium, Vitamque Balsemii martyris prolatam a Camusatio attribuit Balsemio, de quo agit Flodoardus. Qui quidem solo nomine et natali solo dumtaxat conveniunt, nempe Lemovicensi; quodque eo relicto, in Campaniam venerint. Sed differunt, B quod alter cellam habuit iu monte Remorum, alter in pago Arceyas, in quo a Wandalis cæsus est : qui fit ut differant etiam tempore sicut et genere mortis.

Ejus martyrium retulit Camuzatius.

7 *Reliquum est, ut jam non semel citatum Camuzati fragmentum, seu Vitam talem qualem, referamus, præmissis ejus ad eam notis hujusmodi pag. 336 versa* : Integram absolutamque D. Balsemii (vulgari nomiue S. Baussauge) etsi studiose investigatam historiam, naucisci tamen nulla ope valui, sed hoc dumtaxat fragmentum, quod ex vetere Ms. codice, qui in prioratu oppidi Ramerudensis, septem leucis ab urbe Tricassina, unica ab Arceyano vico semoti, frustulatim erutum est : in quo quidem prioratu, ex majore monasterio, juxta Turonum urbem dependente, reliquiæ ipsius D. Balsemii asservantur, qui in finibus dicti Arceyacensis oppiduli capite truncatus est a Waudalis, Attila, sicut ego conjicio, duce, cujus exercitus, multitudine peue innumerabilis, postea deletus et profligatus fuit ab Æsio Valentiniani Cæsaris legato, illustrissimo ac strenuissimo viro, idque in campis Catalauuicis, viginti leucis vel circiter a prædiC cto Arceyano oppidulo remotis.

FRAGMENTUM

a Historiæ S. Balsemii martyris,

Ex Promptuario Nicolai Camuzati pag. 334 vers.

A Wandalis in Campania b c

Tandem vero attingens loca Campaniæ, devenit ad quamdam civitatem Arceyas nomine, nam dicitur illo tempore civitas fuisse, nunc autem villam omnes non ignoramus esse. Contigit autem eo tempore, Waudalos c impiissimam gentem a finibus suis dimotam, loca quædam invasisse Franciæ et maxime fines ipsos, qui circumcirca contigui sunt Campaniæ. Inclytus Domiui athleta Balsemius, de quo serie hujus orationis agitur, id loci gratia divina se comitante attigit, quo palmam martyrii ipse, cui famulabatur indesinenter, Christus largiri delegit.

2 Præveniens namque ipsos Wandalos cœpit monitis et verbis salutaribus exhortari eos, quatenus viam erroris sinerent et a diaboli laqueis, quibus captivi tenebantur resipiscerent. Exinde [ut] d legitur in Salomone. Noli arguere derisorem, ne oderit te; feroces et sævi, frendentes in eum belluarum more, injuriantes et exacerbantes nimis acerbe; ad ultimum duxerunt super quoddam montis supercilium, et capite amputato, eoque interfecto, comparaverunt sibi viam baratri et mortis : similes illis qui crucifixerunt Dominum clamabant : Sit super nos ejus sanguis, et super filios nostræ posteritatis.

Ex Nicolao Camuzato, capite minutus d

illud manibus gestans

3 Accidit tunc mirandum et insigne miraculum, et in Domino Jesu Christo, qui in suis nimis gloriosus est, oppido glorificandum. Nam B. Miles Christi, mox ut decollatus est, caput proprium in manibus deprehendit, et ante interfectores suos gradiendo incedens, quasi milliario uno gestavit. O admirandum et a seculis inauditum miraculum, hominem decollatum gradiendo gestari per sese seipsum! Quis non miretur operibus tuis, Domine Jesu, quis non obstupescat ad talia, et horum similia, quæ fiunt tuo nutu.

et inter barbaros mirabiliter gradiens,

E 4 Sed ut dixisti euangelica voce : Cælum et terra transibunt, verba autem mea in ævum mauebunt; habemus quæ propriis locutus es discipulis, et quæ patrando complesti, et quæ quotidie comples in tuis adelphis. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet Angelicam non dubie credimus convenisse choream ad tanti militis et martyris Domini animam excipiendam, qui exequiarum ejus vigilias excubando, talem pro eo concinerent melodiam : Beatus quem elegisti et assumpsisti Domine, habitabit in atriis visionis æternæ.

Hic pauca desunt.

ab iis in puteum proruditur.

5 Impiissimi et sceleratissimi illi, postquam hunc Sanctum indiderunt neci, cernentes quod Beatissimus is, caput suum ferendo ante eos incederet more triumphali, repente iterum iu eum bacchantes, et pariter insequentes comprehenderunt, et in puteum quemdam, (erat namque puteus ante eos ea via, quam Vir Domini petebat) projecerunt, et lapidibus globisque terræ ipsum puteum obstruxerunt. Ibidem margaritum Domini pretiosissimum, diu multumque temporis jacuit repositum, sed quia ipsa veritas per se, civitatem supra montem positam non posse abscondi est protestata, ad commune omnium utile et profectum placuit, ut hunc Sanctum cunctis innotesceret, ac divulgaret divina potentia, quem jam glorificaverat in cælo, apud homines magnificans mirificaret in mundo. F

Mulier cæca per visionem monita

6 Erat in civitate Lemovica, de qua hic advenerat Sanctus, filia regis illius patriæ cæca, quæ hac calamitate, patre et propinquis in mœstitia persistentibus, diu vallata, noctu diuque, quid remedii sibi proveniret investigabat, nimium anxia. Dominus vero æternus, qui uuiversis subvenit coactis periculis et necessitatibus, cernens eam coartari hujuscemodi passionis angoribus, nocte quadam ipsam soporautem præmonuit hujusmodi visionis allocutionibus :

ad S. Martyrem recurrens

7 Vade, inquit, in Franciam ad civitatem Arceyas nomine, et ibidem reperies puteum obstrusum lapidibus et tellure, quem emundari ab omni sorde faciens, invenies in ipso maximum thesaurum. Ipse vero (quem dico) thesaurus, Martyr Domini est pretiosissimus, ab impiissimis hominum olim trucidatus, et malignitate eorum instigante, post abscissionem capitis ab iisdem inibi projectus et vocatus Balsemius. Hunc tu dum levaveris

Ex Nicolao Camuzato.

levaveris, et aromatibus circumliniens involves linteis; ex lympha, quam reperies, oculos lavabis, moxque aperietur tibi acies optatæ visionis.

ejus ope visum recepit: 8 Matrona præfata tale ut vidit somnium, ultra quam credi potest, admirari cœpit secum, tandemque patre et propinquis super hoc negotio acceitis, et omnibus, quæ sunt itineri congrua, optime præparatis, cum agmine multo militum, vehiculo imposita, aggreditur viam jam dicti aromatis. Attingens civitatem prædictam Arceyas, seriatim, ut sibi fuerat imperatum, ordinate omnia adimplevit, et margaritum super solem lucidissimum Balsemium a puteo extraxit, ex lymphaque lotis oculis lumen, quod diu cupierat, recepit. Ex hinc nimis gratulabunda de misericordia per Dei famulum sibi impertita, Christi Militem involvens nitidis linteaminibus, reposuit in ea, quæ ibi juxta erat, S. Petri ecclesia, retro altare ejusdem basilicæ, decenter et reverenter condens in lætitia, et gratulanter de lumine sibi concesso ovans repetit propria.

unde corpus Ramerudem transfertur. 9 Post hæc comitissa Hensendis, domini Hilduini comitis mater, audiens omnia, quæ gesta B sunt de Sancto hoc, per sese accessit, et cum honore maximo ab eodem, in quo jacebat mausoleo, XIX Kal. Septembris elevavit et totum corpus avide rapuit faustissima illa, et ad castrum suum, Rame- D rudum vocabulo, deferens, S. Dei Genitricis Mariæ posuit in ecclesia, quam tam ex filii sui, quam ex suis denariis constat fabricatam. Porro ex tunc hic Beatissimus Domini cum honore debito recubans, multis imbecillibus impartitur gratiam sanitatum cum B. Maria D. N. Jesu Christo pro eis supplicans: qui vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Recte observavit editor nonnulla in principio deesse, quæ utinam inveniri potuissent. Quis vero scripserit aut quo seculo, non est unde quis satis assequi possit.*

b *Patet mutilum esse fragmentum, carens exordio, quo haud dubie narrabatur Sancti ex agro Lemovicensi peregrinatio, unde eum in Campaniam venisse patet ex num.* 6.

c *Attilæ terrificam invasionem indicari, recte, opinor, censuit Camuzatus supra in Commentario num.* 7.

d *Putavi inserendam particulam* ut, *quo clarior fieret constructio.* E

DE S. NOSTRIANO EPISC. CONF.

NEAPOLI IN CAMPANIA ITALIÆ.

J. B. S.

Sylloge de cultu et ætate.

Sec. v. Stabilitur cultus

Tametsi *in nullis antiquis imo nec recentioribus Martyrologiis signetur memoria Sancti hujus* Nostriani, *de ejus cultu tamen dubitare non sinunt Neapolitana ea monumenta, quæ pridem suggessit Joannes Diaconus, et post illum Antonius Caracciolus, qui fuit Clericus Regularis, De sacris ecclesiæ Neapolitanæ mo-* C *numentis, atque etiam Ughellus in sua Italia sacra tomo* 6 *in principio, ubi de ejus urbis archiepiscopis agens, decimo octavo loco* S. Nostrianum *collocat, eique sub elogii finem hoc satis clarum cultus testimonium reddit, his verbis :* Sacra ejus ossa ut Sanctorum lipsana venerantur. Ejus caput argentea atque aurea theca reclusum est, quod in ea æde asservatur : memoria inibi in altari sculptis litteris e marmore posita est hæc :

Hic jacet corpus S. Nostriani Neapolitani episcopi.

ex Tabulis Neapolitanis. 2 *Porro rem indubitatam facit* Catalogus Sanctorum aliquot, jussu Illustrissimi ac Reverendissimi D. Decii S. R. E. Cardinalis Carafæ archiepiscopi Neapolitani, ab omnibus ecclesiasticis Neapoli, et per totam diœcesim Officio de Communi in posterum celebrandorum. *Hos autem inter ordine suo refertur hoc die* S. Nostrianus episcopus Neapolitanus. Duplex. Omnia de communi conf. Pont. In Primis Vesperis omnia de Assumptione B. V. cum Commemoratione S. Nostriani. Missa de Communi cum Credo.

Ætas utcumque eruitur; 3 *Hæc de cultu, quibus similia adjiciet Caracciolus. Ad gesta, ætatem, episcopatus ordinem et durationem quod spectat, candide fatetur laudatus Sancti encomiastes,* Pauca de Nostriano nobis antiquitatem reliquisse, *ut mirum non sit, si in iis varient jam dicti scriptores. In primis Joannem Diaconum a recta temporum serie deflectentem corrigit Cl. Muratorius in collectione Scriptorum Italiæ tomi* I *parte* 2 *pag.* 295, *dum ait, recte adnotatum ab Ughello, Episcopum hunc Neapolitanis præfuisse anno* CDXLIV, *citante auctorem* de Promissionibus Dei, *qui eo tempore floruit, et cap.* 6 Venerabilis Nostriani episcopi meminit, Pelagianos in Campania grassantes impigre reprimentis *: ut hæc ætatem Sancti verosimillime* F *indicare videantur.*

cetera dubia sunt. 4 *Quotus ordine episcopus sederit, non videtur ausus determinare Caracciolus. Apud laudatum Diaconum sic legitur :* XV Nostrianus episcopus sedit annis XVII, *in qua duratione facile conveniunt omnes; ast ubi Ughellus invenerit, fuisse Episcopum* XVIII, *quærere supersedemus, ne in rebus incertis definiendis oleum perdamus et operam : utilius erit Caraccioli orationem hic descripsisse, in qua omnia paulo fusius explicantur, quæ in laudato Catalogo contracta sunt.*

ELOGIUM

Ex Caracciolo.

Id unum ferme de Nostriano scitur, Pauca de Nostriano nobis antiquitas reliquit. Quod unum habemus, præcipuum certe est. Nimirum, turbarum tempore illum Neapolitanam ecclesiam rexisse. Quandoquidem Pelagii tunc et Juliani falsa dogmata Catholicos vexabant. Dige-

A Digerit bellum contra Dei gratiam ab ipsis excitatum, ex Baronii Annalibus, Claudius Menardus Notis ad Augustinum contra Pelagium in annos singulos a CDXV usque ad CDXLIV, in quo Nostrianus sedisse dicitur et ultra. Testis est S. Prosper lib. de prædictionib. dimid. temporis cap. 6 tentatam a Pelagianis Campaniam, huc e Sicilia, ut reor, adventantibus.

quod adversus Arianos pugnaverit

2 Siquidem ipsi ut occulti degerent et errores suos clam disseminarent, duas insulas ante hanc Nostriani ætatem, videlicet anno CDX elegerunt, Rhodum in Oriente et Siciliam in Occidente. Nisi potius velimus dicere, ab ipsomet Pelagio, venena suæ hæreseos fuisse in Campaniam clam inspersa, iis maxime diebus, quibus Nolæ apud Paulinum aliosque fuit. Utcumque res se habuerit, illud certum est, infecisse eam provinciam Pelagianos, sed leviter, præterquam certis quibusdam locis, quæ Julianus ille perfidus, eo veneno profundius imbuit.

cum S. Prospero et aliis.

3 Pugnavere armato calamo pro Dei gratia Prosper et alii. Sudavit quoque Nostriani diligentia pro grege suo in Catholica fide firmando. Cujus B zelus in fratrem quoque manavit. Uti enim in Historia S. Januarii diximus cap. 20 sect. 6, cum de Sosio ageremus, ex Prosperi testimonio, ab hoc germano Nostriani, et Horio presbytero, aliisque clericis ecclesiæ Neapolitanæ, tentus et coërcitus fuit quidam Florus, qui sancti Sosii sibi sanctitatem assumebat.

De ædificiis ab eo exstructis.

4 De Nostriano Joannes Diaconus : *Hic fecit balnea in urbe, et alia in gyro ædificia, qui usque hodie Nostriani balneus dicitur.* Fuisse sumptuosa ædificia suadet nomen ejus ædificiis, et plateæ datus : nam de platea Nostriana frequens est mentio in antiquis ecclesiarum Neapolis monumentis. Dices, cujusnam usui balnea extruxit, suine an aliorum? Certe non fuisse insolens viris alioqui sanctis balnea adire, ipsum B. Jo. Evangelistæ factum comprobat, balneum ingressi, indeque egressi, ut Cherintum ibi lavaturum advertit. Legendus quoque Tertullian. Apologet. cap. 21. et Clem. Alex. Pædagog. lib. 3 cap. 9. Potius autem existimo, aliorum beneficio id eum fecisse. Suadet hoc Nostrianæ regionis nomenclatio, quasi quod cuncta aliorum usui fuerit dicata : alioquin enim, si proprio, sat fuisset, illa in privato domus suæ loco construere.

[illegible]

Ignotus dies obitus, hoc die facta elevatio

5 Obiit tandem postquam decem ac septem annos sedisset, et *bonis operibus agens*, ait Diaconus, *in Domino requievit, et sepultus est in ecclesia beati Gaudiosi Christi Confessoris foris urbem euntibus ad sanctum Januarium martyrem, in porticu sita.* At post Jo. Diaconi ætatem, in regionem Nostrianam translatum fuisse corpus ejus, et proprie ad ecclesiam sancti Januarii ad Diaconiam, ipsa ejus retectio Augusto mense anni MDCXII Octavio Cardinale Aquaviva Neapolitano archiepiscopo demonstravit. E Cum autem signate quo die ipse obiisset ignoraretur, ad sextumdecimum Augusti, quando inventa sunt sacra pignora fixus est. Sic Galesinus VII. Id. Januar. testatur de SS. Beniaminio et Maximo martyribus : quorum cum natalis dies ignoraretur, agi eorum festum cœpit eo die, quo inventa fuere eorum corpora. In Romano quoque Martyrologio festum S. Danielis martyris, tertio Januarii, est festum inventionis ejus. Vide Notas Baronii.

DE S. AREGIO VEL ARIDIO EP. CONF.

DECESIÆ IN TERRITORIO NIVERNENSI

J. P.

SYLLOGE

De cultu, rebus, gestis, ac tempore, quo floruit.

Post medium seculi sexti Notitia loci præmissa

C Noviodunum Æduorum *antiquis temporibus, posterioribus vero* Nivernum *appellatum, describitur a Sammarthanis tomo 3 Galliæ Christianæ ante ejusdem urbis episcopos pag.* 791. *Argumentum hoc pluribus pertractat Adrianus Valesius in Notitia Galliarum a pag.* 383; *quod Baudrandus utroque compendiosius refert, atque huc transcripsisse in rem nostram suffecerit.* Nivernum, urbis Galliæ (quæ.... Nevers vulgo incolis....) ampla et elegans, olim Noviomagus dicta, et Vadicassium caput, nunc Nivernensis provinciæ ab ea sic vocatæ præcipua, episcopalis sub archiepiscopo Senonensi, et Ducatus titulo nobilis, cum ponte lapideo oblongo ad Ligerim fluvium, et castro, media fere est inter Lutetiam Parisiorum ad septemtrionem et Lugdunum ad meridiem ad 50 leucas distans, 20 leucis ab Altissiodoro, in meridiem Molinum versus 12, et 20 ab Augustoduno.

2 *Urbis hujus cathedram episcopalem rexit et ornavit* S. Aregius *vel* Aridius *(vulgo* saint Are *seu* saint Arey) *virtutibus, dum viveret, in ea exercitis; post mortem vero suam il-* F *lustravit Nivernensis territorii locum, nomine Decesiam, quod aliter etiam scribitur, quando ibidem sacras corporis exuvias deponi voluit, postquam Niverni ad meliorem vitam migrasset, uti scribit Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum tomo* I *ad annum Christi* 551, *num.* 18, *pag.* 783, *de* S. Aregio *hæc memorans* : Obiit Niverni; sed post mortem impositus est naviculæ, delatusque Disesiam (Desize) quia cupierat in sacello sepeliri, quod illic Eufrasius et Auxilius eremitæ construxerant. Disesia sita est in insula Ligeris supra civitatem Nivernensem, a qua distat septem leucis. *Plura de hoc habet laudatus Adrianus Valesius pag.* 169 *et* 170. *Loco depositionis adjungamus probationem publici cultus.*

exhibetur cultus ex Fastis

3 *In nostro Florario Ms. ad diem* XI *Julii occurrit memoria* sancti Argii Niveruensis episcopi et confessoris : *a quo die apud nos tomo* III *Julii pag.* 177 *ad præsentem fuit remissus. Saussayus in Supplemento ad Martyrologium suum Gallicanum pag.* 1158 *eum sic annuntiat hoc die :* Desizæ ad Ligerim in agro Nivernensi natalis S. Arigii episcopi, fratris S. Austregisili, Bituricensis

AUCTORE J. P.

sis antistitis, qui generis splendorem Christi servitutis ingenuæ nobilitate, et pietate religionis, et justitiæ cultu transcendens, postquam Nivernenses adhuc idola colentes, ad fidem Christi multo cum labore pertraxisset, expleto undique credito pastorali munere, ad gloriam cælestem evolavit : ad quem sæpius S. Gregorius Papa litteras dirigit; eumque ut Apostolicis instruit monitis, sic collaudat præconiis. *Sunt in hoc elogio quædam castiganda, ut postea videbimus. Castellanus hac etiam die decima sexta illum annuntiat in suo Martyrologio universali. Annua denique nostri sancti Præsulis memoria habetur in novo Martyrologio Pariensi his verbis* : Decetiæ in pago Nivernensi, sancti Aridii episcopi, qui concilio quinto Aurelianensi, et Parisiensi secundo subscripsit. *Si quis fortasse alia ad stabiliendum legitimum* S. Aregii *cultum, documenta requirat, in promptu habeo, quæ jam productis superaddam.*

et aliunde.

4 *Anno* 1616 *editus est Lutetiæ Parisiorum Gallico idiomate liber hoc titulo,* Catalogus historialis episcoporum Nivernensium, *auctore Michaële Cotignon, canonico et archipresbytero ecclesiæ Nivernensis, ubi inter alia, quæ narrat de nostro Præsule, pag.* 22 *dicit, corpus ejus honorifice sepultum fuisse Decesiæ, ibique paullo post magnam ecclesiam parœcialem, sicut spectatur, ait, in præsentia, exstructam, in qua patrata sint plurima miracula; et ad hodiernum usque diem corpus prædictum ibidem quiescere, ac ibidem magno cum honore venerationem eidem exhiberi, ab incolis Decesiensibus pro patrono suo ac sancto tutelari eum haberi, atque ad sanandas febres aliasque infirmitates peculiariter illum invocari. Hæc, Cotignono teste Decesiæ satis vicino, ac proin probe gnaro publicæ ejus venerationis apud Decesienses, simul conjuncta cum annuntiationibus superioribus, abunde sufficiunt, ut securi simus de possessione legitimi cultus, qua gaudet* S. Aregius *ab immemorabili tempore ante decretum Urbani PP. VIII; adeo ut suum hic inter alios hujusce diei Cœlites merito habeat locum.*

Ejus gesta, deficientibus Actis primigeniis.

5 *At dolendum, authentica istius Antistitis Acta adeo nos latere, ut aliquid ex iis superesse haud noverimus, quod ad posteros transmissum sit, sive non fuerint olim conscripta, sive, quæ litteris aliquando commissa fuerint, postea interciderint. Penuriam itaque illam Actorum primigeniorum aliunde utcumque supplere conabimur ex Cotignono, qui postquam citasset Breviarium Nivernense, in cujus de Sancto lectione ait ample referri Vitam ejus ac miracula, quæ operatus est, affirmat inter alia ibidem dici, quod oriundus fuerit e nobilissima familia, tantoque præditus ingenio ac bonis moribus, omnigenis virtutibus cumulatus, omniumque scientiarum cognitione excellens, ut omnes coætaneos ac contemporaneos istorum donorum prærogativa superaret. Addit etiam idem auctor, isto tempore dum S. Gregorius maximam antistitum regni Galliarum ac magnorum virorum partem, virtute et eruditione præstantium, convocasset Romam, ut eos de eradicandis quibusdam paganismi ac superstitiosæ idolatriæ reliquiis admoneret, onus nostro Sancto fuisse impositum, ut ea de causa ad agrum Nivernensem se conferret, cathedra episcopali ibidem vacante ab aliquo tempore : quod munus a dicto S. Gregorio et a toto præsulum supra memoratorum cœtu sibi commissum adeo numeris omnibus implevit, ut omnis clerus ac populus illum sibi pastorem elegerint, ac confirmari curaverint per eumdem S. Gregorium, libentissime eorum votis obsecundantem.*

a Breviario Nivernensi

6 *In dignitate autem episcopali ita se gessit, ut non voce dumtaxat sui gregis, sed ab ipso Deo fuerit commendatus, qui gratiam miraculorum ipsi concessit. Nam dum e provincia Aquitaniæ rediret Nivernum, ac unum e suis præmisisset, qui Præsulis adventum prænuntiaret, nomine Ursum (nam in Gallico Cotignoni textu vocatur Our) ac comperisset fluvium Niverim exundantem fractosque pontes in loco, qui unius ab urbe Nivernensi leucæ spatio distabat, et per quem transire volebat,* S. Aregii *mandato posthabuit vitæ suæ periculum. Nam ubi equo vectus tentaret transitum, aquis suffocatus est. Qua re comperta* S. Aregius *ad locum ei fatalem accessit, Deumque oravit, ut ejusdem Ursi corpus ad ripam fluvii appelleret : factusque voti compos, divinæ præterea majestati supplicavit, ut vitam ei redderet : id quod statim obtinuit, præsente ibidem magno hominum numero : a quo tempore dictus Ursus sanctam pluribus annis vitam duxit, et pons in loco quo illud miraculum acciderat, refectus, nomine ejus pons S. Ursi appellatus est, qui hucusque idem nomen retinet. Isti prodigio pro alterius persona perpetrato adjungitur apud laudatum Cotignonum aliud a Sancto factum pro sua.*

referuntur :

7 *Solenne erat* S. Aregio *semel quotannis Romam proficisci : unde postquam reversus esset atque ingressus quemdam suæ diœceseos locum, qui nunc vocatur Decesia, intravit in sacellum aliquod, a sanctis eremitis Eufrasio et Auxilio conditum et administratum, magnamque hausit voluptatem, dum comperisset locum pietati accommodatissimum esse atque gratissimum : quem etiam elegit ad depositionem corporis ac sepulturam. Hoc ubi decrevisset, morbo correptus Niverni, et a Deo vocari se sentiens, magna cleri sui ac populi parte convocata, præcepit ut post obitum imponeretur suum corpus naviculæ super Ligerim sine ullo comite, Deo curam habituro de loco suæ sepulturæ. Sacro itaque pretiosi Corporis et Sanguinis Jesu Christi viatico munitus, elevatis ad cœlum oculis, animam suo Creatori reddidit : ac corpore ejus cymbæ, prout supra dictum est, imposito super præfatum fluvium Ligerim, qui tum temporis magnus erat, absque ullo ductore eadem cymba, dum in ea nihil esset nisi crux ac faces accensæ, in conspectu omnis cleri ac populi Nivernensis adverso flumine ascendit ad septem leucas Decesiam usque, quo maxima dicti cleri ac populi pars subsecuta, et hoc miraculo gavisa est, laudans Deum, sanctumque Pastorem suum invocans : cujus corpus honorifice ibidem sepultum. Hæc in fide dicti Cotignoni relata, et e Gallico ejusdem textu Latine a nobis reddita. Quæ vero post Sancti sepulturam accidisse, apud eumdem narrantur, antea præmisimus num.* 4. *In fide, ut iterum dicamus, Cotignoni hæc damus : qui etiamsi ante superiorem narrationem allegel Breviarium Nivernense, sicut vidimus, cum tamen nobis non constet, cujus ætatis, fidei atque auctoritatis sit illud Breviarium, dabunt nobis veniam, uti par est, Nivernenses ac Decesiani, ut in circumstantiis tam mirabilibus, quæ incertæ sunt, superiori historiæ, quidquid sit de earum substantia, intra solos simplicis narrationis terminos nos contineamus, præsertim cum nonnulla in eadem occurant, quæ spongia indigent.*

in cujus narratione sunt hallucinationes,

8 *Nam crassus ibidem committitur parachronismus, quando dicitur* S. Aregius *tempore S. Gregorii (Papæ videlicet primi, cognomento Magni) ad episcopatum Nivernensem promotus, ac ab*

A *ab eodem Gregorio confirmatus in illo fuisse. Patentissimum hunc errorem chronologicum adeo in relata historia non observavit Cotignonus, ut eumdem antea pag.* 17 *ita confirmet* : Erat *noster sanctus Præsul* tempore dicti sancti Gregorii (*proxime egerat de S. Gregorio Magno*) Mauritii imperatoris, et supradicti Clotarii II Galliarum regis, circa annum DXCV, *Paulo autem ante dixerat Fulcilium, uti vult, ejus decessorem, vita functum anno* 594. *Sed inter episcopos, qui* XXVIII *Octobris, Indictione* 13, *anno* 38 *Childeberti regis, id est, anno Christi* 549 *subscripsere consilio* 5 *Aurelianensi, signatur* Aregius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Nevernensis (*Non* Clementinus, *uti ponitur apud Coquillium mox citandum : nam is in dicto concilio subscribitur* episcopus ecclesiæ Aptensis) *prout videre licet apud Labbeum tomo* 5 *Conciliorum col.* 398. *Et ibidem col.* 812 *Consilio Parisiensi* 2, *quod anno circiter* 353 *convocatum est, subscribitur* Aridius episcopus ecclesiæ Nevernensis. *Nonne igitur episcopatus ejus exordium recte scilicet a Cotignono innectitur tempori S. Gregorii* B *Magni?*

quæ corriguntur. 9 *Guido Coquille in sua Historia Nivernensi, anno* 1622 *Parisiis impressa, pag.* 30 *vult* S. Aregium *vixisse cum S. Gregorio PP. I, a quo utpote datæ sint ad illum litteræ non unæ. Idem censet Cotignonus pag.* 17. *Sed fallitur uterque, dum hunc* Aridium *vel* Aregium *non secrevit ab altero synonymo episcopo Vapincensi. Audiatur Cointius loco supra assignato :* Ex subscriptionibus synodorum cum Aureliauensis .... tum Parisiensis ..., quibus Aregius Nivernensium præsul interfuit, satis intelligis eos hallucinari, qui volunt ipsum Aregium Gregorio Magno synchronum extitisse et in episcopali cathedra sedisse post sanctos Æoladium et Agricolam, quorum ille Lugdunensi concilio subscripsit anno Christi DLXII; hic anno Christi DLXXXV Matisconensem synodum sua subscriptione confirmavit. Aredio Vapincensium antistiti sæpe scripsit Gregorius Magnus : inde nata est erroris occasio. Nam rerum Nivernensium scriptores ex duobus Aregiis unum conflarunt, ut in Aregio pontifice gloriam ecclesiæ Niverucusis illustriorem propalarent. At Aregius Nivernensium episcopus alienis laudibus C non indiget; multis enim virtutibus enituit, colique meruit a posteris XVII Kalendis Septembris. *Ex his etiam corrigendus est Saussayus, quem a nobis conventum iri insinuabamus supra num.* 3. *Tres itaque Aridii hic considerari possunt ad vitandam unius cum alio confusionem, qui eodem omnes seculo sexto simul vixere, nimirum Nivernensis hodiernus (cui S. Gregorius PP. numquam scripsisse potuit, diu utpote ante Pontificatum ejusdem mortuo, sicut planum fiet inferius) Vapincensis, ac Lugdunensis. De hoc egimus ad diem* X *Augusti, tomo* II *ejusdem mensis; ubi in Commentario prævio* § 2 *pag.* 547 *invenies, epistolas non ad hunc, sed ad Vapincensem a laudato S. Gregorio datas fuisse, secundum dicta jam pridem tomo* 1 *Maii, die* 1, *quo ejus Acta illustrata sunt, pag.* 108.

AUCTORE J. P.

E tempore quo vixit Sanctus, 10 *Nec satis convenit inter auctores, quotus inter præsules Nivernenses exstiterit* S. Aregius *noster. Apud Sammarthanos enim in Gallia Christiana tomo* 3 *pag.* 791 *post Tauricianum, qui primo loco ponitur, quique anno* 517 *subscripsit concilio Epaonensi apud Labbeum tomo* 4 *Conciliorum col.* 1582; *ac post Rusticum, qui nomen suum subnotavit synodo Aurelianensi tertiæ, anno* 538, *uti in citatis Conciliis tomo* 5 *col.* 304 *licet videre; post hos, inquam, episcopos tertio loco ponitur noster; cui proximus assignatur successor Æoladius, qui anno* 567 *interfuerit concilio Lugdunensi secundo, quemadmodum legi potest in eadem Conciliorum collectione tomo citato col.* 849. *Coquillius pag.* 30 *recte quidem contra Legendaria, ut vocat, Nivernensium antistitum censet,* Aregium *non fuisse ex illis primum; sed quos enumerat pag.* 38, *omnino a jam memoratis sunt diversi præter* Aregium, *de quo, tamquam primo celebri episcopo loqui ait Legendaria; et pag.* 39 *ponit* Eoladium *loco quinto. Cotignonus vero pag.* 1 *et seqq.* S. Aregii *decessores adeo multiplicat, ut ad locum post* E *illos duodecimum atque ad S. Gregorii tempora eum perducat. At videtur potius adhærendum esse Sammarthanis, cum indicent, non solum vidisse se duos illos scriptores, quos nominabam,* sed et *ex* aliis monumentis, actibusque publicis, non antea editis, *suum istum* confecisse catalogum.

conficitur, S. Wandregisilum non fuisse fratrem ejus. 11 *Cum itaque ex eo catalogo Rusticus sederit anno Christi* 538; S. Aregius *anno* 549, *et anno circiter* 553; *Æoladius vero ipsius successor anno* 567; *puncta hinc varia fluunt chronologica, quorum sit alterum, Antistitem nostrum non supervixisse ultra annum* 567; *alterum, suæ eum cathedræ regimen non inchoasse ante annum* 538; *tertium, non posse determinari exacte, quamdiu præfuerit, quando præesse cœperit, ac desierit. In novo Breviario Parisiensi apponitur ipsius annuntiationi annus* 566, *quo circiter anno signatus antea fuerat a Castellano in Martyrologio universali. Quartum denique, non fuisse eum S. Austregisili, Bituricensis archiepiscopi, fratrem, qualem ipsum faciunt Saussayus supra num.* 3 *allegatus, ac Cotignonus pag.* 17. *Etenim in prævio Vitæ ejus Commentario apud nos tomo* V *Maii, die* XX, *pag.* 228 * *visus jam pridem* F *Henschenio est innectendus natalis ipsius anno Christi* 551; *episcopatus autem* 612, *obitus* 624 *affigitur : qui characteres temporis pugnant cum prætensa illa fraternitate, uti e præmissis liquet. Hisce consideratis, nos superius Sancti nostri obitum fiximus post medium seculi sexti. Corrigendus itaque etiam est Ferrarius, dum in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt,* S. Arrigii (*ita nomen exprimit*) *Nivernensis episcopi annuntiationem signans ad diem* XXIII *Augusti, affirmat in notis ad eumdem diem, quod* is fuerit S. Austregisili episcopi Bituricensis frater.



DE

DE S. ARMAGILO CONFESSORE
IN BRITANNIA ARMORICA GALLIÆ

J. D. S.

ANNO DLII. *Ex Officiis potius*

Non uno modo effertur sancti hujus Armagili nomen, utpote quod Gallo-Britones passim inflectunt S. Armel, et Arzel, *ut probant pagi ab ipso denominati*, Plaermel *et* Ploarzel, *quod est dicere* Plebs Armagili, Plebs Armeli *et* Plebs Arzeli, *unde inde facile sit conjicere, quanta olim in veneratione fuerit, cum pagi et oppida ab eo tamquam singulari patrono etiam hodie denominentur. Neque ibi stetit celebris cultus, per totam, saltem Armoricam seu minorem Britanniam late diffusus, ut manifeste ostendunt Officia non solum Rhedonensia, Venetensia et alia sed etiam Macloviensia, ex cujus ecclesiæ antiquissimo Breviario ea describimus, servato totius Officii ordine, quæ de* S. Armagilo *tradita invenire potuimus, non secuturi Legendistam Albertum Le Grand, multa passim pro suo arbitrio amplificantem, ut toties in hoc Opere ostensum est.*

quam ex Martyrologiis notus

2 *In jam citato Officio ponitur* XXIII *Augusti non recte opinior, cum ad marginem manuscripti nostri expressissime notetur*; In Calendario haberi ejus memoriam hac XVI Augusti, quo die obiit, et etiam nunc colitur tum in pago diœcesis Rhedonensis, ubi vita functus, ab eo dictus S. ARMEL, tum in urbe PLOERMEL, quæ latine dicenda est Plebs Armagili, Plou Armel, vulgo Bloërmel in diœcesi Macloviensi. *Atque hæc testimonia cultum abunde testantur, tametsi in nullis vetustis Martyrologiis ejus signetur memoria. Saussayus ipse Sanctorum encomiastes solito brevius de eo hoc die loquitur, ita ipsum annuntians*: Maclovipoli, S. Armagili confessoris magnarum virtutum meritis præclari. *Paulo aliter Castellanus*: In Britannia prope Redhones, S. Armagili confessoris, qui Parisiis totis septem annis commoratus fuerat, continuis pietatis exercitiis occupatus. *Neque alia novi Martyrologia, quæ de ipso meminerint.*

laudatur Cointio.

3 *Potuisset Cointius in sua Francorum Historia ecclesiastica Sancti Vitam et gesta paulo uberius enucleare, at fortasse veritus, ne minus solida essent, quæ de ipso circumferuntur, paucis omnia complexus est tomo* 1 *ad annum* 520, *num.* XVI *his verbis*: Armelus sive Arzelus in Britannia circa annum CCCCLXXXII natus, per ecclesiasticos gradus erectus est ad honorem presbyteratus, deinde monasticæ vitæ studio incensus iter in Armoricam suscepit, et oratorium in agro Leonensi construxit, ubi hodie est parœcia S. Arzel, vulgo Plou Arsel. Ibi permansit usque ad obitum Rigualdi comitis, sed postea Comorri tyrannidem veritus, adiit Childebertum regem et Idualem comitem, a quibus honorifice susceptus est propter famam virtutum, quas Deus per eum operari dignabatur. Consule illius Vitam in Armorica sancta.

Vita ex Breviaro Maclovi·nsi.

4 *Vitam illam aut eamdem aut similem existimo cum jam citata Alberti Gallica, cui fidere non ausim, ut proinde ad solum jam laudatum Macloviense Officium recurrendum sit, quod hic totum mox subjiciam cum antiphonis et responsoriis Vitæ seriem etiam prosequentibus. De Sancti reliquiis in toto hoc Officio non agitur, ut supponere omnino liceat, eas in loco, ubi primum depositæ fuere, etiamnum devotissime honorari, quamvis partes fortasse aliquæ alio translatæ fuerint. Certe in appendice nostra ad Vitam S. Pavacii tomi* V *Julii pag.* 545 *in sacro aliquo repertæ etiam dicuntur fuisse* Reliquiæ sanctorum Armageli et Liborii, *quod hic notasse sufficiat, ut ibi me facturum pollicitus sum. Miraculis plurimis celeberrimum fuisse sanctum, non solum in Vita sed etiam post obitum, et si id in Officio non clare exprimatur, testis est Albertus, ex quo etiam discimus, ecclesiam Plebis Armagili (Ploërmel) in diœcesi Macloviensi, ejus nomini consecratam, magno populi confluxu etiam hodie frequentari.*

Patria, ætas et dignitas.

5 *Patria a nemine controvertitur: est enim* S. Armagilus *ex eorum numero, quos ex majori Britannia in Armoricam certatim transiisse in Historia sua Britannica ostendit Lobinæus tomo* 1, *longa serie ad calcem libri secundi zelosos illos prædicatores enumerans, et notanter pag.* 76 *num.* 210 *ea confirmans quæ de Sancto jam diximus. Par est circa ætatem consensio, nimirum, natum esse anno* 482, *post multos vero labores religionis propagandæ causa susceptos, sanctissimæ Vitæ finem fecisse anno* 552. *Postremum quæri posset, utrum vere abbas dicendus sit, a quo titulo abstinuimus. Monasterium aliqui ab eo conditum volunt: certe discipulos seu socios populares, et forte alios habuisse non diffiteor, quæ si ad proprie dictam abbatiam sufficiant, facile etiam patiar abbatem nuncupari. En modo promissum Officium.*

Ex Vetusto Breviario secundum usum ecclesiæ Macloviensis impresso Parisiis per Joannem Higman. an MCCCCLXXXIX, ex ea parte, quæ inscribitur Sanctorale æstivale.

S. Amargili Confessoris.

In I Noct. Antiph. Gloriosa prosapia in Majori Britannia ortus traxit natalitia B. Armagilus. Psalm. de communi unius Confess. Antiph. Vir magnæ scientiæ, vas omnis munditiæ de bono in melius crescebat quotidie. Antiph. Christi cultor jugiter ordinatus presbyter contra cuncta vitia dimicavit fortiter.

Ex Anglia in Britanniam transiens

6 LECT. I. S. Armagilus Dominicam excogitans sententiam, videlicet; Qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; parentes et ceteros amicos ac omnia, quæ habebat, relinquere maluit quam Dominis contraire præceptis. Tu autem. ℟. Puer adhuc scholarum dum exerceret studia, operatus est suarum virtutum primordia. ℣. A sodali, quem presserunt frigus, febres, abscesserunt solo tactu pallii. Operatus etc.

accersitur a rege Childeberto * *l. Childebertus*

7 LECT. II. Eo vero spiritu, quo idem S. Armagilus Britannorum applicuit finibus, Philibertus * rex Francorum sanctæ fidei cultor, postquam illius Sancti sociorumque ejus famam audivit, misit per internuntios, ut ad se venire non denegaret, efflagitare curavit. Tu autem. ℟. Prorsus dimissis omnibus, quæ obviant cælestibus Britannorum in

A in partibus, transfretat cum sodalibus. ℟. Prece regis est profectus in Galliam et effectus ejus secretarius. Britannorum etc.

a quo post sex annos discedens

8 Lect. iii. Ille vero Spiritu sancto repletus, regalibus jussis libenter optemperavit, sexque annorum spatio regis palatium piissimus Dei famulus, quasi agnus inter lupos, quippe inter curiales tyrannos inhabitavit. Tu autem. ℟. Deo placens, cunctis gratus, regali palatio moram fecit Vir beatus sex annorum spatio. ℣. Per quem Deus magnalia multa fecit in Gallia. Sex annorum spatio. Gloria etc.

In 2 Noct. Antiph. Cunctis membris impotentem curat claudum, deposcentem ejus alimoniam. Antiph. Vir benignus cæco flenti visum reddit confidenti de ejus auxilio. Antiph. Signis Sancti divulgatis assunt, quo it, villis stratis infirmorum agmina.

paralyticum sanat.

9 Lect. iv. Septimo vero anno dum iter faceret ad ecclesiam, ecce quidam vir claudus omnibusque membris penitus dissolutus sanctissimo Viro obviam se objiciens, victum corporis necessarium quærere satagebat. Quem Vir Dei tanta calamitate depressum intuens, caritativa pietate flexus ita B alloquitur: In nomine Jesu Christi crucifixi surge citius et exiliens ambula. Tu autem. ℟. De regis licentia Rhedonensi patriæ dato oratorio, it festinus cum gaudio. ℟. Quo spretis mundi gaudiis, signis effulsit variis. It etc.

Serpentem populo infestum

10 Lect. v. Cum autem Rhedonensem pagum Vir sanctus advenisset, quidam serpens miræ magnitudinis quemdam illius regionis montem occupaverat, cujus flammivomus flatus quoscumque hominum attingere valebat, amarissima morte miserabiliter occidebat. ℟. Villa quadam, per quam ibat, tota fere plebs peribat, nec non animalia aquarum penuria. ℟. Quo audito, baculo terra fixo, populo fons vivus exiliit. Plebs etc.

in fluvium præcipitat.

11 Lect. vi. Sanctus vero Armagilus, quasi vir pugnator, stolam in manu gestans, tantum monstrum intrepidus adire festinavit, statimque serpens immanissimus, inclinato capite, ad Viri Dei adventum innocuus et quasi obediens existebat. Cujus collum cum jam cominus stola adnexum tenuisset, statim supercilium prærupti montis petere conatur, et in quemdam fluvium mortuum præcipitavit. ℟. Die quadam exspectabat opem Sancti, quam optabat multitudo languentium stans ante C domus ostium. ℣ Vir benignus pietate pro his motus solita, hos remisit, sanitate prius cunctis reddita. Multitudo etc.

In 3 Noct. Antiph. Juxta siccam habitabat serpens ingens, qui dum flabat, suo flatu morti dabat terræ ejus incolas. Antiph. Prece plebis inclinatus..... reclinat declinatus, monstrum stola colligavit et in aqua suffocavit. Antiph. Timens vitam maculari vana laude populari, ad desertam Brittaniam pergit linquens Rhedoniam.

auctore J. B. S.

Claret novis miraculis.

12 Lect. vii. Cum autem miraculis et virtutibus ubique coruscaret, et ægrotantium agmina ubicumque eum sciebant, velut pium medicum persequerentur, affuit forte quidam dæmoniacus aliis immixtus, qui solo tactu straminis, ubi Vir Dei jacebat, a dæmonio liberatus est. ℟. Ad Britannos transnatando, verbum Dei seminando, multas gentes baptizavit et idola conculcavit. ℣. Ædes sacras fabricavit Jesu Christo noviter, et in fide roboravit servos Dei firmiter. Multas etc.

Monitus ab angelo

13 Lect. viii. Cum vero quadam die prædictus Armagilus aliquid infirmitatis sentiens monasterium solus intraret, et in modum crucis ad terram prostratus Dominum deprecaretur, vidit angelum Dei dicentem sibi: Electe Dei Armagile confortare in gratia Dei, quia die secunda post Assumptionem B. V. Mariæ cælorum palatia penetrabis. Tu autem. ℟. Quidam habens dæmonium, Sancti petens auxilium, ejus sensit suffragium tactu lecti straminis. ℣. Tactu vestis est sanata quædam diu fatigata propter fluxum sanguinis. E Ejus etc.

obitum prædicit et moritur.

14 Lect. ix. His auditis, facta oratione surrexit, et omnem populum in ecclesiam introire permisit. Et cum divinum Officium peregisset, cunctis audientibus proprium obitum declaravit, diebusque transactis ab angelo prænotatis, migravit ad Dominum. Tu autem. ℟. Ubicumque procedebat, opem petens accedebat infirmorum concio, quæ ejus auxilio sospes recedebat. ℣. Qualicumque tenebantur ægri morbo curabantur ejus medicamine. Quæ etc. Gloria etc. Te Deum laudamus.

Alia Sancti miracula.

15 In Laudibus. Antiph. Virgo illustris genere, illustrior opere, opem dabat omnibus bestiis et hominibus.

Antiph. Quadam die sentiens morbo se gravari, intrat oratorium Deum deprecari, statim adest angelus ipsum consolari.

Antiph. Angelus dulci modo nitens hunc affatur, tibi Dei gratia supererogatur, locus tibi debitus cum Sanctis paratur.

Antiph. Genitricis Domini completo solemnio, Deo reddens spiritum, et Sanctorum præmio, quod est tibi debitum, frueris cum gaudio.

Antiph. Dicta die reddito missali officio, et in- F structo populo divino cloquio, dicens obitum suum, Deo reddit Spiritum.

DE S. ELEUTHERIO EPISC. CONF.

AUTISSIODORI IN GALLIA

J. B. S.

ANNO DLXI. Festum ejus hoc die non 26.

De vetusto S. Eleutherii *Autissiodorensis episcopi ordine* xvi *soticitos nos esse non oportuit, cum in Usuardo totaque ejus progenie uti et in ipso Martyrologio Romano notissimus sit. Quæri potest, utrum cum Usuardinis memoria ejus reponenda sit die* xxvi, *an potius cum aliis hoc die, quo e vita migravit, et quo certissime Autissiodori ejus festivitas recolitur, de qua re cursim egimus in nostris ad Usuardum observationibus, ubi verosimiliter conjecimus, ex auctionibus, ubi verosimiliter conjecimus, ex auctiori aliquo Hieronymiano ipsum ab Usuardo acceptum, ut inter Prætermissos illius diei iterum dicendum erit. Alia quæstio est de ipsius episcopatus duratione, quam in Historia episcoporum Autissiod. apud Labbeum tom.* I *Bibliotheca Mss. pag.* 419 *recte definitam invenio annis* xxviii, *mensibus*

AUCTORE J. B. S.

mensibus VIII *diebus* IX, *quemadmodum etiam signavit Severinus Binius tomo* 4 *Conciliorum edit. Labbeanæ col*, 1784.

Probatur episcopatus duratio.

2 *Ea vero ceteris accuratius distinxit Cointius in Annalium suorum tomo primo, dum anno* 532 *num.* 5 *eum Droctoaldo successisse ostendit: anno autem sequenti* 533 *num.* 35 *subscripsisse concilio Aurelianensi* 2: *inde anno* 538 *num.* 66 *concilio ejusdem urbis* III: *rursus conc.* IV *anno* 541 *num.* 46: *adde et anno* 549 *num.* 51 *concilio ibidem* V. *Demum Sancti mortem consignans laudatus Cointius anno* 561 *num.* 2 *ita scribit*: Ad hunc annum pervenit Eleutherius Autissiodorensis, sedit enim annis duodetriginta, mensibus octo, diebus novem; obiit XVII Kal. Augustas [*lege* Septembris] quo die solennis ejus memoria celebratur in tabulis ecclesiasticis. *Hæc ita deducta et subducta sunt, ut evidenter pateat assertus ipsius episcopatus decursus, ut merito ridendus videatur Viola, seu quisquis alius, qui in Ms. Autissiodor. ausus est scribere* S. Eleutherium *non* XXVIII, *sed annis duntaxat* XIX *sedisse.* D

Elogium

3 *De aliis singularibus sanctissimi Præsulis gestis nihil traditum invenimus. Nec feliciori esse licuit Saussayo, qui in die Usuardum secutus, hoc ipsum breviori ornavit elogio*: Autissiodori, sancti Eleutherii episcopi et confessoris, qui S. Droctoaldo ob meritorum claritudinem suffectus, sanctitatis ejus ut sedis heres exstitit; atque postquam inter religionis et disciplinæ Christianæ vindices patres secundæ, tertiæ, quartæ et quintæ synodi Aurelianensis magno cum splendore virtutis sapientiæ consedisset, vitæ divinitus actæ laude clarus, boni pastoris consecutus est præmium. *Neque prætermittenda ultima verba ex Historia episcoporum, nempe quod* conjunctus sit sepultura sanctis prædecessoribus suis in basilica S. Germani episcopi. *Scio, hodie ignorari locum; at non ideo minori solennitate annua ejus celebratur festivitas.*

DE S. FRAMBALDO ABB. ET CONF.

B E

SILVANECTI IN GALLIA

COMMENTARIUS

J. B. S.

Sec. VI. Ex Fastis non antiquis notus,

Est hic Sanctus, tametsi seculo sexto satis celebris, ex eorum numero, qui Adoni et Usuardo incogniti, vix recentioribus Martyrologis innotuere: certe Frambaldus *hic, nec in ullis quidem additionibus Usuardinis signatus reperitur, nisi apud Molanum sub* Fraubaldi *nomine lateat, idque non hoc die aut præcedenti, quo e vita migravit, nequeo conjicere. Sic ibi habet*: Eodem die, beati Fraubaldi abbatis et confessoris. *Eum se sequi diserte fatetur Wion, nomen tamen in* Frambaldum *mutans, addita positione* Cenomanis, *et vocula* depositio, *quæ tota annuntiatio totidem verbis inde a Menardo descripta est, quemadmodum et apud Dorganium refertur, sed paulo simplicius*: Sancti Frambaldi abbatis et confessoris. *Bucelinus porro et Mabillonius, symmistas secuti, absque ulteriori examine,* S. Frambaldum *etiam ad dictam* XXIII *hujus mensis retulerunt. Bucelinus vero ita locutus est, ut quo de Sancto ageret, non satis intellexisse videatur. Audiamus ipsum*: C

nimium laudatura Bucelino.

2 Cenomanis, depositio S. Frambaldi abbatis. Fuit hic monachus celeberrimi Miciacensis prope Aureliam cœnobii, habuitque magistrum absolutissimum sanctum Maximinum ejusdem loci abbatem, cujus perfectissimam vitam sedulo imitatus, et ipse ab insigni vitæ sanctitate celebratus est. Fuit idem abbas ad Silvam Gabronicam, non longe ab urbe Cenomanensi, cumque eruditione non leviter præstaret, episcopus ad conversionem gentium ordinatus, apostolico labore sese Ecclesiæ plurimum commendavit. Floruit temporibus Childeberti regis et deinceps, miraculorum gloria a Numine Commendatus. *Dictorum testes appellat Bucelinus Renatum Benedictum et Menardum, apud quos de* S. Frambaldi *episcopatu nec umbram reperire est. Monachatum Miciacensem solis ei suggessit Menardus, dum in notula ad Martyrologium suum rotunde asseruit*: Fuit monachus Miciacensis ad Aureliam et discipulus sancti Maximini abbatis ejusdem loci.

Ceterum constat ejus cultus

3 *Hæc, inquam, solius Menardi sunt, nescio unde accepta; certe perperam ab ipso citatur laudatus Renatus Benedictus, in quo æque ac in elogio Labbei infra dando, de monachatu illo Miciacensi altum silentium; alium autem qui de* S. Frambaldo *scripserit, frustra quæsivi hactenus. Neque vero ut suum agnovisse videtur Mabillonius, dum in Prætermissis tomo* I *Actorum Ordinis S. Benedicti ita de eo scripsit*: Frambaldus monachus Cenomanensis tempore Innocentis episcopi; *sed perperam addidit quod* colatur XXIII Augusti. *Pergit et recte*: Corpus in ecclesia collegiata ipsius nomini consecrata apud Silvanectum colitur, exceptis aliquot reliquiis, quæ in ecclesia Beatæ Mariæ de Victoria ejusdem urbis asservantur. *Atque hæc satis clare demonstrant quam solenni cultu* S. Frambaldus *et apud Cenomanenses, et apud Silvanectenses et olim et hodie honoratus sit, ut ad Saussayum recurrere non oporteat, multa de* Frimbaldis *et* Frimboldis *commiscentem.* F

licet de gestis pauca supersint.

4 *Ast hic præcipue adduci meretur Castellani annuntiatio pridie ab ipso signata, et obitus et cultus diem dilucide explicans, in Martyrologio universali, quam Latine reddo.* Apud Cenomanos in archidiaconatu Passagiensi, S. Frambaldi *(Frambourd)* solitarii, qui aliquamdiu commoratus fuerat Iberii *(Yvry)* non procul Parisiis. Corpus depositum est Silvanecti in ecclesia ejus nomini dicata, ubi festum die sequenti celebratur. *Satis patet ejus diei impedimentum. Recte hic solitarius vocatur, seu eremita, seu monachus; socios tamen proprie habuisse et vere abbatem dici posse, ex dando elogio satis perspicies. Ceterum quam hæc abunde sufficiunt ad probandum cultum, tam pauca supersunt, quæ de præclaris ejus gestis et miraculis commemorari possint, non accipienda ex verbosiore historia Renati Benedicti, liberaliter amplificata, sed ex breviori*

A ri, *quam Labbeus noster edidit, ut hic sequitur* :

ELOGIUM

S. FRAMBALDI AB.

Ex veteri Breviario Silvanectensi descriptum apud Labbeum tomo 2 Bibliothecæ Mss. pag. 559.

Beatus Frambaldus ex regione Aquitaniæ, non ab infimis parentibus procreatus est, sed ex nobili genere ortus. A quibus litterarum studiis traditus, prudenter est eruditus. Ipse a cunabulis infantiæ totam spem suam in Salvatoris posuit dispositione : credens sibi sufficere, si omnem dilectionem suam soli cælestis patriæ Domino B commendaret.

II Qui in tantum servis Dei et viris religiosis se subdidit, ut morum honestate ingenuitatis privilegium vendicaret; proficiebatque in eo quotidianæ exercitationis effectus, in tantum ut ultra se semper ascendeus, suis meritis reliquos consodales transcenderet, et de seipso potius triumpharet.

III Sanctitatem vero ejus Dominus miraculis demonstravit. Contigit enim ut quidam adolescens gravibus æstuaret febribus, in tantum ut cuncti de ejus vita desperarent : quem Frambaldus facta oratione, liquore sanctificati olei sanavit. Quædam etiam mulier debilitate manuum contracta, nervis stupescentibus, flens occurrit S. Frambaldo, qui signo Crucis super eam facto, pristinæ sanitati restituit.

IV Beatissimus ac venerabilis sacerdos S. Frambaldus tempore Childeberti et Clotarii regum Francorum, Ceuomanicum advenit pagum, a S. Innocente benigne susceptus, ac sacerdotis Domini ducatu, ab eo ad prædicaudum directus.

V Deditque memoratus Innocens jam dicto S. Frambaldo locum in Condita Gabronense, quem C ab eo ipse petierat; qui solitarius, et ab hominibus erat remotus, ad cellulam ædificandam : quoniam ipse Sanctus magis solitarium et secretum locum diligebat, quam deliciis affluentem, aut opibus locupletatum, aut ab hominibus frequentatum.

VI Erat enim in loco densissima silva, sed tantum ille proprio sudore una cum reliquis sociis et discipulis suis ibidem extirpavit, et labore suo acquisivit, fultus præfati episcopi auxilio, ut etiam ejus adjutorio cellulam postmodum ædificaret, et monachos ac religiosos viros inibi congregaret.

VII Fuit namque S. Frambaldus virtutum donis ditatus, atque magna religione præfulgens. Quadam autem die, divulgata jam sanctitatis ejus fama, dum ipse sanctus Frambaldus una cum reliquis Fratribus in obedientia ad messem pergeret, accidit ut unus ex iisdem monachis caderet, et colliso cerebro semivivus jaceret, quem ceteri mortuum esse putabant.

VIII Mox vero sanctus Dei Frambaldus, facta oratione, suis ad Dominum precibus ei impetravit integerrimam sanitatem. Postea vero cæcos illuminavit, et dæmonia a multis dejecit. A febribus autem innumerabiles suis tantum precibus liberavit : a reliquis etiam infirmitatibus multos suis condignis meritis reddidit sanitati. EX EDITIS.

IX Ista vero et alia innumerabilia magna miracula operatus est Dei misericordia sanctus Dei Frambaldus, sacerdos et confessor Christi, Angelorum consors, Prophetarum socius, Apostolorum, Martyrum et omnium agminum Sanctorum conscius et concivis : qui obiit in pace honorifice in Christo XVII Kalendas Septembris.

Ad hæc ita Labbeus : Prolixiorem sancti Frambaldi Vitam ab aliis viris eruditis jam pridem exspectamus, in cujus locum subrogamus, quod in manus nostras devenit, diploma seu testimonium authenticum, de revelatione reliquiarum ejusdem ecclesiæ S. Frambaldi, jussu Ludovici VII regis Francorum anno MCLXXVII Idibus Maii, eodemque præsente peracta. *Sequitur diploma* :

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Ego Ebroinus Dei voluntate Decanus, Hilduinus thesaurarius, Odo cantor, et totus pariter Clerus S. Frambaldi Silvanectensis. Quoniam expedit Ecclesiasticis maxime personis diligere decorem domus Dei, nos videntes ecclesiam nostram vetustatis quodam senio acclinantem, et structuræ veteris E ignobilitatem despicabilem, in Domini confidentes subsidio, renovando causa ampliandi ausuri, sumpsimus de thesauro sanctarum reliquiarum tantum a domino rege percepta licentia revelandi eas. Dominus quidem noster et ecclesiæ Patronus Pater Ludovicus superlaudavit propositum, et reliquias videri voluit sub testimonio Religiosorum. Regiis ergo litteris evocatos abbatem Karoli-loci, abbatem Longi-pontis, abbatem Fuscinaci, qui fuit noster thesaurarius, ad diem habuimus, et in quodam secretario sub præsentia etiam domini episcopi Silvanectensis Henrici, Simonis Meldensis episcopi, et attestatione cartularum, per singula invenimus reliquias sanctas multo plures, et digniores quam sperabamus. Rex autem plurimum lætus super hoc effectus est, et constituit diem Idus Maii, quo posthabitis aliis negotiis, destinavit venire, suaque præsentia ecclesiam et reliquias honorare, sed et tanti seminarii ostensionem generaliter cuicumque præcepit interim denuntiari. Visum est ipsas reliquias nominatim debere exprimi : scilicet, corpus beati Frambaudi abbatis et confessoris : corpus Gerbaudii episcopi et confessoris : brachium B. Evulsi abbatis et confessoris : F corpus B. Laudouenæ reginæ Francorum : corpus B. Bertæ, corpus B. Baumeri abbatis et confessoris. Anno itaque Dominicæ Incarnationis, MCLXXVII, die præfixa, cum domino rege affuerunt episcopi, dominus Henricus episcopus Silvanectensis, dominus Simon Meldensis; et cum his et magnatibus viris, et populo copioso, dominus Rex reliquias extra civitatem devote, et cum magna reverentia deportans usque ad locum eminentem, sequutus est, ubi, divina providentia ordinante, sermonem fecit dominus Petrus S. R. E. presbyter cardinalis titulo S. Chrysogoni, et Sedis Apostolicæ legatus, qui authoritate BB. Apostolorum Petri et Pauli et S. R. E. atque Episcoporum, qui aderant, congregato populo, et omnibus innovationem ecclesiæ juvantibus, indulsit vota transgressa, peccata oblita, et pœnitentiarum partem septimam. Sed et postea archiepiscopus Remensis Willelmus Sedis Apostolicæ legatus, nobiscum indulgentius agens, quintam partem pœnitentiarum dimisit.

ANNOTATIO

A

ANNOTATIO EX CORVAISERIO.

Hisce instrumentis non nihil lucis addent in ordine ad S. Frambaldum *ea, quæ collegit Corvaiserius in sua Episcoporum Cenomanensium historia a pag.* 134, *ubi non solum obitus diem observat* XV *Augusti, sed etiam locum, ubi primum sepultus est, pagum nempe ad rivulum aliquem, qui etiam hoc tempore* S. Frambaldi *appellatione gaudere pergit. Cum vero tam innumeris istic claresceret miraculis, sive metu ingruentium Normannorum, sive dono ipsius comitis Cenomanensis, protiosissimum depositum Silvanectum translatum est sub seculi noni* D *finem, fundatumque subinde ab Adelaïde regina, Hugonis Capeti conjuge, duodecim canonicorum collegium. Porro tanta fuit semper populi Silvanectensis erga sanctum Patronum veneratio, ut recurrente annis singulis ejus festivitatis die, ab omni opere serviti constanter abstinuerint. Testatur etiam, vestes ejus sacras, albam, casulam etc. eximii plane operis, intactas et integras hodiedum conservari, quibus solus utatur episcopus, dein annua ejus solennitas in propria collegiata ecclesia singulari prorsus pietate recolitur.*

DE S. THEODOLO EPISC. CONF.

SEDUNI IN GALLIA

Brevis notitia ex Martyrologiis et Gallia Christiana

J. B. S.

ANNO DCCCVI. *Cultus*

Sedunum (vulgo *Sion et Sitten*) *in Helvetiæ confiniis ad Rhodani fontes, primaria pagi Vallesiani (Vallais) civitas est satis nota, ut* B *eam hic describere necesse non sit, occasione sancti hujus episcopi* Theodoli *seu* Theoduli; *de quo quæ dicantur paucissima sunt; imo dubitatum a me fateor, utrum ei inter Sanctos locus deberetur, tametsi a Molano signatus esset, utpote quem non semel observavi, Fastos sacros non satis tutos secutum fuisse. Verum Ferrarii Catalogus generalis animos addidit, non tam sua auctoritate, quam iis quæ citat instrumentis, nempe Tabulis ecclesiarum Sedunensis ipsius, atque item Augustæ Prætoriæ et Curiensis, quibus magis me fidere posse existimavi quam iis, quæ forsitan confundit circa ætatem Sancti, quem sub Clodovæo floruisse asserit anno circiter* 487, *et tamen a Carolo magno Sedunorum præfecturam pro se et successoribus accepisse.*

et ætas. 2 *Rectius ætatem definivit Castellanus hac annuntiatione, quam ex Gallico Latine vertimus:* Seduni, sancti Theduli episcopi, qui S. Mauritii reliquias transtulit. *De ea translatione hic non quærimus: de ætate melius sentit, dum obitum* E *ejus retulit ad annum* 806 *cum Sammarthanis in Gallia Christiana, ex qua sola hic dabimus quæ de Sancto reperire licuit. Ibi ita legitur:* Sanctus Theodulus ex Burgundia, de Grandimonte, episcopus Sedunensis primus princeps comes ac præfectus Vallesii, qui ipsum comitatum et præfecturam Vallesii a Carolo magno imperatore accepit anno DCCCII, quam dominationem sibi et successoribus Præsulibus in perpetuum possidendam dedit, eaque pacifice, hisce etiam temporibus utuntur. Ex archivis ecclesiæ Sedunensis. Excessit anno DCCCVI. *Notabis hic dubitari posse an hic* Theodulus *confundendus non sit cum superiori* Theodoro *seu* Theodulo; *verum cum controversa multa ibi expensa sint, necdum video usque adeo certum esse, quod istius nominis unicus fuerit.*

DE B. LAURENTIO EREM. CONF. F

SUBLACI IN LATIO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

P. B.

Cultus ejus antiquus asseritur

ANNO MCCXLIII. *Beatus annuntiatur* 17 *et* 18 *Decembris;*

Sublacus, *vulgo* Subiaco, *oppidum est Latii ad Anienem fluvium,* 40 *circiter milliaribus in ortum Roma distans, nec alia re notius quam habitatione et conventibus vicinis S. Benedicti e seculo fugitivi. Illustravit hunc locum seculo* XIII Laurentius *noster non vita solum et miraculis, sed etiam obitu cultuque apud suos Benedictinos Martyrologos annuntiato, etsi nec mense nec die, quo decessit e vivis; sed die* XVII *Decembris, quo refertur anno* 1595 *a Wione, dein a Dorganio ac Menardo; fusius a Bucelino die* XVIII *Decembris; ut de ceteris nihil dicam. Cur ad mensem illi Decembrem confugerint, equidem ignoro; cum certissimum sit, illum vivere desiisse anno Christi* 1243, *die* XVI *Augusti; ut infra videbitur, et expressis verbis fatetur Bucelinus. Istis proinde annuntiationibus acquiescendum omnino non putarunt, qui Opus hoc susceperant; nisi Sublaco certiora proferrentur. Prolata deinde sunt aliqua per R. admodum D. Silvestrum Aiossa, nepotem Michaëlis Monachi, Decretorum doctoris et canonici presbyteri Capuani, eruditis viris per scripta satis noti. Hæc assignavere majores nostri ad diem hanc Augusti* XVI; *nihil*

A *nihil alibi : sive hoc per se ipsi fecerint, quid illo die mortuum legerent; sive suasum a quoquam fuerit : quod nescimus; certe in monumentis illis de die cultus verbum est nullum.*

Nos damus hoc die, quo obiit.

2 *Nequaquam tamen istic honor ille seu cultus abjicitur; quandoquidem ibi fere semper aut* beatus Laurentius, *aut etiam aliquando* Sanctus *appellatur, in tribus præsertim Vitis, aut etiam quatuor, si Bucelinianam addideris : tres enim Vitas accepimus, alias aliis longiores; quarum illa videtur antiquior, quam ibi repertam huc misit anno* 1670 *P. Petrus Possinus noster hoc titulo,* Vita B. Laurentii eremitæ; *sed in textu semet* sanctum *illum* Laurentium *nuncupat; Papebrochius autem ad finem adscripsit :* Misit P. Possinus . . . *addens* de B. Laurentio : Cujus, inquit, corpus tertio inde milliari magno cum honore servatur in sacello exstructo in ipso, ubi vixit, loco. *Altera Vita sic inscribitur :* Vita et Miracula B. Laurentii eremitæ et confessoris a quodam humili monacho Sublacensi breviter et fideliter collecta *etc. Initium est :* Beatus Laurentius ex provincia Apuliæ ... *Hanc submisit R. adm.*
B *D. Silvester Aiossa; sed ante, ni fallor, quam nobis destinarit Appendicem Chronici Sublacensis, ex vetere emendati et aucti per Cherubinum Mirtium Trevirensem, monachum Sublacensem; adhuc tamen ab anno* 1630 *manuscripti, ut innuitur tom.* 3 *Sanctorum Umbriæ pag.* 320 : *ubi habemus post mandatum Innocentii PP. IV imperantis examen Vitæ et miraculorum* B. Laurentii, *ejusdem examinis per testes* 103 *juratos compendium neutiquam breve usque ad pag.* 32; *tum pag.* 32 *et* 33 *miraculorum examinatorum dispositionem chronicam; deinde Vitam* B. Laurentii *secundum juridica testimonia a pag.* 34 *usque ad* 44; *ubi sequitur Annotatio huc unice spectans, ac demum carmen de* B. Laurentio *usque ad pag.* 48.

Probatur cultus ab immemorabili ;

3 *Annotatio jam dicta contendit, eum ab Innocentio IV, si non cannonizatum, saltem in Beatorum numerum, quidquid Breve jam perierit, relatum fuisse; quod probatur ex bulla quadam D. Henrici abbatis Sublacensis,* Laurentio *coævi, in qua sic legitur :* Henricus divina miseratione abbas conventus monasterii Sublacensis, dilectis
C in Christo filiis Amatoni rectori et Fratribus ejus Sanctæ Mariæ, sitæ in loco, qui dicitur Morra de Butte; ubi requiescit corpus Beati Laurentii... Data anno Domini millesimo duceutesimo sexagesimo quinto, die decima Octobris. *Et additur :* Quem Beatitudinis titulum nequaquam præclarus ille abbas Fratri Laurentio in publica bulla adscripsisset, nisi certo certius sibi constitisset, eumdem Christi Famulum a Christi in terris Vicario Beatorum albo fuisse adscriptum. *Longe prius accidit, quod ibidem dicitur juramento confirmatum in Examine commisso* IV *Kal. Decembris anno* 1243, *scripto autem anno* 1244 *Februarii die* XX; *visam scilicet jam tum fuisse lampadem accensam ante* Laurentii *sepulcrum, ut legitur in testimonio miraculi* 41, *quod est Corradi a Podio Mortarii de cæca filia sua, nomine Bona, jurantis, quod* ab ea rogatus, ipsam conduxit ad sepulcrum Fratris Laurentii; cum ingrederetur specum Fratris Laurentii et Deum deprecaretur per merita ipsius, ut lumen reciperc mereretur; ecce, vidit lampadem ardentem ante sepulchrum illius *etc. Atqui ardere istic lampas non potuisset, nisi præcessisset Apostolicæ Sedis licentia.* Imo ausim dicere, *subdit annotator*, inter Sanctos fuisse relatum (sed nescio, a quo) cum summus Pontifex Martinus V hunc Fr. Laurentium Sanctum appellet in quodam privilegio concesso monasterio, seu Prioratui S. Mariæ de Morra Bottis; quod datum legitur Romæ apud SS. Apostolos anno MCDXXVI, XIX Kal. Feb. Pontificatus ipsius anno IX; cujus originale conservatur in archivo D. Scholasticæ.

Etsi nescimus certo, quo die colatur.

4 *Ut ut est, hæc videntur ad cultum sufficere æque ac finis subjecti carminis, quod illum coli significat et a vicinis, et a longinquis ad ejus tumulum suppliciter confugientibus; etsi de die festo nihil ibi repererim, quod, jam dixi, apud omnes ponitur præsertim die* XVII, *sed apud Bucelinum et Antonium de Heredia die* XVIII *Decembris, quia tunc putant inter Beatos annumeratum fuisse, quod asserit saltem de Heredia; sed quia non probatur, nos illum hoc die, quo ex hac vita discessit, referre malumus : daturi hoc loco Vitam inde primo maximam, secundo miraculorum brevem ordinem chronicum, tertio memoratum carmen : nam compendium examinis dare non lubet, præter Epistolam Innocentii præviam, quam placet hic proponere, cum adjuncta examinatorum* E *admonitione hac :* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Nos, Joannes humilis Alatrensis episcopus, et Frater Gregorius, dictus Prior S. Bartholomæi de Iusula, litteras Apostolicas recepimus in hunc modum :

Epistola Innocentii PP. IV, indicentis examen Vitæ et miraculorum ejus

5 Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Alatrensi, et dilecto filio Priori monasterii sancti Bartholomæi de Insula, Alatrensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram fide digniorum testium relatione pervenit, quod propter quondam Fratris Laurentii, cujus corpus requiescit juxta monasterium Sublacense, Dominus Jesus Christus multa et magna miracula est operatus. Cum itaque viri tanti memoria non debeat apud homines deperire; Nos super hæc certificari volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quod ad dictum monasterium personaliter accedentes, et habentes præ oculis Deum solum, de vita et miraculis Fratris ejusdem inquiratis diligentius veritatem; et quæ inveneritis, fideliter in scriptis redigatis; et scripta, rescripta denuo, per manum Notarii facientes F sub sigillis vestris alterutrum scriptorum ipsorum apud dictum monasterium, et reliquum penes Anagniensis ecclesiæ sacristiam deponere; propter ea scilicet conservanda in illis usque ad nostræ beneplacitum voluntatis : rescripturi nobis quidquid super his decreveritis faciendum. Datum Laterani quarto Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo, millesimo ducentesimo quadragesimo tertio.

quod scriptum fuit anno 1244 die 20 Februarii.

6 *Pergunt examinatores :* Hujus itaque auctoritate mandati ad monasterium personaliter accessimus Sublacense; et testes super vita et miraculis Fratris Laurentii Morræ Bottis accepimus infrascriptorum, et eosdem examinavimus diligenter anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, Pontificatus Innocentii PP. IV anno I, Indictione secunda, mense Februarii die vigesima. *Sequitur examen et valde longum et neutiquam integrum, ideoque hic omissum; tum in fine hæc adscriptio :* Ego Jacobus S. R. E. scriniarius dicta supra scriptorum testium receptorum in præsentia Reverendissimi Domini Joannis Episcopi Alatrensis, et reverendi Patris Fr. Gregorii, Prioris S. Bartholomæi de Trisalto, et mei, Scriniarii : et de ipsorum mandato in publicam formam

AUCTORE P. B.

formam redegi, et mei nominis signum feci. *Ex hoc porro examine composita est, qualis hæc est*

VITA

Ex testibus et examine ad beatificationem.

PROLOGUS AUCTORIS.

Collecta sunt hæc ex processu juridico anni 1244

Beati Fratris Laurentii, viri plane toto orbi admirabilis et singularis, tam copiosa est gestorum materia, ut cuique viro in litteris præexcellenti non debeat videri ad scribendum indigna. Ego vero omnium imperitissimus, tanto licet me cognoscam operi insufficientem, cernens tamen et dolens cum tanti operis utilitate memoriam quoque tanti Viri scriptorum negligentia paulatim in oblivionem pene deductam, ac per hoc dubitem in contemptum fore venturam; licet non decenter, licet non eleganter, licet etiam non sufficienter valeam ejus vitæ seriem condigne ex toto complecti; aggrediar tamen confisus Dei auxilio beatique Viri suffragio quoquomodo illam perstringere, et ad laudem Dei tantique Viri, sanctissimique patris nostri Benedicti asseclæ, memoriam nec non ad solatium devotorum legentium, litteris utcumque mandare, æquius judicans ex devotione (qua ad eumdem feror) inscitiæ notam incurrere, quam de tam pretiosa materia ex toto silere: indignum prorsus esse judicans (quod *a* doleo) ut si omnia majoribus meis neglectum ejus vitæ acta perfecte nequeo, saltem aliquanta studeam de tot miraculis supra memoratis, tantisque operibus illius, ordine describere, et ad posterorum notitiam referre: etsi nihil aliud; at posteris saltem ansam præbiturus, ubi me defecisse compererint, felicior conatu ac labore proprias ingenii vires periclitandi.

ANNOTATA.

a *Elogia B. Alexandri sine dubio antiquiora sunt; sed minus opinor studiose minusque accurate composita; qualia hunc ex vetustis monumentis misit P. Petrus Possinus noster ex vinici monasterii S. Scholasticæ bibliotheca: sileo Processum, seu juridicum vitæ et miraculorum examen; quo nihil esse potest solidius, clarius, uberius, antiquius.*

CAPUT I.

Casuale Beati homicidium, et mirabilis pœnitentia.

Beati patria, homicidium, et conversio anno 1209,

Recte cecinit Psalmista: Mirabilis Deus in Sanctis suis: Sapientia enim ejus attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Idcirco legentibus sacras Paginas admiratione digna videtur prudentia illa divina, qua electos suos ad se vocare dignatur: legimus enim Matthæum ex publicano Apostolum, Magdalenam ex peccatrice amatricem et discipulam, Saulum ex persecutore Ecclesiæ, ejus doctorem, et alios Sanctos ex via seculi hujus ac tenebrarum ad cælestem vocatos. Quo in numero fuit hic noster beatus Frater Laurentius, qui ex Fanello Apuliæ oppido oriundus, quod inter Spontum et Fogiam situm est *a*. Vir extitit simplex et rectus: is cum casuale homicidium perpetrasset, facti adeo pœnituit, quod pœnitentiæ causa ad celeberrimum illud sancti Jacobi Apostoli templum in extrema Hispaniarum, perarduam peregrinationem inierit; quod iter prosecutus, plurima in eo famis, sitis, frigoris et æstus, quandoque cum vitæ discrimine est perpessus incommoda: inde in Italiam reversus anno salutis millesimo ducentesimo nono, ad strictioris vitæ institutum ineundum Sublacum petiit die decima sexta Decembris. Ibi moram aliquanto tempore fecit in uno monasteriorum, quondam a sancto Benedicto ædificatorum, quod dicebatur Sancti Angeli de post lacum; alias de Balzis.

apud Benedictinos S. Scholasticæ in antro deserto,

2 Sed cum eremitico eo in loco ad plenum non posset, ut proposuerat, pœnitentiam agere, ad monasterium sanctæ Scholasticæ *b* accessit; ubi a Fratribus hospitio susceptus, post biduum ex licentia Romani abbatis, antrum Morræ Bottis, supra sancti Benedicti Specus positum, ingressus est. Nulla ibi tunc habitationis domus erat, rarissima hominum conversatio; sed potius ferarum cubilia: ad eum itaque locum duobus comitatus monachis pervenit; ibique se includens, incognitus aliquot mansit diebus. Verum specus illud tam arctum erat, ut in illo Frater Laurentius vix jacere poterat ob loci angustiam; quod duo illi monachi clava ferrea aliquantulum dilataverunt et complanarunt. In eo itaque antro latebroso reclusus, cœpit corpus suum orationibus, vigiliis et jejuniis continuis macerare; indeque raro exiens, nec nisi extrema urgeretur fame; ad colligendas herbas, quibus pro cibo vescebatur. Ibi primo a pastoribus pecudum, qui greges juxta antrum pascebant, visus; deinde ab agricolis, qui victus duritiem pietatemque Hominis admirabantur, quandoque frustum panis accipiebat. Cum vero ad notitiam hominum, referentibus pastoribus devenisset, cœperunt homines ad eum concurrere, a quibus necessariis ad vitam rebus donabatur; quos ille verbo et sanctæ vitæ exemplo pariter ædificabat.

ubi asperrime cibo, potu, vestitu

3 Et cum jam major nomine videretur, gliscente in immensum sanctitatis opinione, provinciam admiratione complevit. Jejunabat omni tempore, solo pane et aqua contentus, et sero exortis stellis se reficiebat, sitim aqua sedebat. In præcipuis autem anni festivitatibus pitantiam *c* sibi faciebat, infundens semen fœniculi agrestis et salem in aquam: hæc erat festivi diei illius refectio. Induebatur super nudam carnem retiaculo ex funiculis contexto et nodoso: et desuper lorica hamata ferrea, quam depilata laceraque coperiebat vestis: duos ferreos circulos in quolibet habebat brachio; quatuor alios in cruribus, totidemque in coxis portabat: ad ventrem quoque alterum gestabat circulum, et similiter in collo: circa lumbos catena utebatur ferrea, qua pro bracili *d* constringebatur: in capite gestabat coronam ferream crassam, habentem in superiori parte duas laminas transversas in modum crucis, quarum una protendebatur ab occipite usque ad frontem, ex qua nasile *e* dependebat usque ad medium nasi, adiustar galeæ militaris. Altera vero lamina ab altera usque ad alteram extendebatur aurem: ab iis duabus aliæ duæ dependebant laminæ,

A minæ, utramque tangentes maxillam.

se macerans 4 In carum qualibet quinque affigebantur clavi, interius aculeati, quibus pungebantur utrimque; ita quod nec ante nec retro caput declinare poterat, quin ab iis pungeretur. Sicque fiebat, ut, quando necessitate compulsus, caput ad dormiendum inclinaret, ab iis punctus, citius expergisceretur: quamobrem oportebat, ut stans rectus et rupi innixus somnum caperet. Ex tot itaque aculeorum puncturis, caput plenum foraminibus habebat, et pediculis obsessum, capillis raris hinc illincque sparsis. Circulus autem ille, qui retro ab occipite dependebat, uncinum habebat, cui gravis inhærebat lorica hamosa, cujus pondere ejus caro per subintrantes cilicii nodos disrumpebatur. Caro vero scapularum adeo excreverat supra circulum ferreum, qui collum circumdabat, ut putrefacta carne sæpe sæpius sanies efflueret. Hunc cum quadam vice ad petitionem Fratris Laurentii, Frater Benedictus, monasterii sacri Specus Prior, vellet amovere a scapulis, ambas manus ex putrefacto cruore infecit. Si vero dictorum circulorum aliquis rumpebatur, B statim ad resolidandum mittebat; et reintegratum in suum, unde deciderat, locum reponebat. Interim autem dum circulus fractus consolidabatur, præacuto utebatur pro cervicali quodam saxo, adinstar partis acutæ incudis fabri ferrarii, quo utebatur antequam laminis ferreis circa mandibulas uteretur.

per annos 16 continuos, tandem aliquantulum cessit obedientiæ 5 Talem itaque perarduam vitam tot ferri ponderibus onustus annis duxit circiter sexdecim, quo usque illustrissimus dominus Hugolinus Cardinalis, Ostiensis ac Velitrensis episcopus, fama sanctitatis illius tractus, cum invisit, reperiensque Fratrem Laurentium gravissime ægrotantem, ei persuasit, ut discretiorem ageret vitam, nimiumque moderaret rigorem; eo quod indiscreto rigore poterat apud Deum potius demereri, quam mereri; quia quod fit ultra corporis possibilitatem atque indiscreta abstinentia, non virtutis est, sed potius vitii. Cujus monitis ille obtemperans, aliquantulum de prædicta vitæ austeritate remisit; ita ut modico quandoque uteretur vino, et olera atque legumina manducaret, quod triennio observavit.

C *et necessitati.* 6 Postmodum dolore splenis ac stomachi, qui ex nimia abstinentia illi provenerat, toto corpore tam gravi cœpit ægritudinis incommodo laborare, quod nec e stratu surgere, neque sine alterius auxilio in alterum latus se volvere posset, hortatu fratris Amati sui discipuli tot ferrea pondera deposuit, eo quod tam gravi pondere oneratum solum revolvere nequibat: quare rogatus, ne penitus corpus debile frangeret, sed ei quantulumcumque solatii pateretur impendi, cessit admonitionibus, ut victu congruo attenuata membra refoveret. At hæc diutius non pertulit: nam graviores solito dolores expertus est, quod per undecim dies nullum cibum sumere potuerit præter aquam, saccharo dulcoratam: ideoque de solita vitæ austeritate denuo aliquid remittere coactus fuit; ut interdum carnibus vesceretur; licet interim nequaquam solitum prætermittebat jejunium: et quamvis continuum perpetuumque observaret jejunium, tamen in vigiliis Dei Genitricis atque Apostolorum aliorumque Sanctorum; aut quatuor temporum diebus in pane crasso et aqua jejunabat; reliquo vero anni tempore quadragesimale jejunium observabat.

7 Silentii tam exactus extitit custos, quod tribus in hebdomada diebus, nisi urgente necessitate, non loqueretur; tota vero quadragesima nec suis quidem familiaribus aut discipulis verbum aliquod diceret; sed verborum vice signis uteretur; sicque vitam peragerct in abstinentia plurima, in jejuniis indesinentibus, in vigiliis pene jugibus; ita ut, si aliquando parum aliquid somni necessitas naturalis exigeret, hunc ille non supra stratum, quo omnino nullo utebatur; sed rectus et appodiatus rupi caperet. Ad sacratissimæ autem passionis Dominicæ memoriam in festo Parasceues quolibet anno caudens ferrum in fronte sibimet imprimebat, cujus adustionis cicatrix non nisi post obitum suum hominibus innotuit. Mulierum nullam ad suum colloquium umquam admisit. Fervebat Vir Dei charitate non minus, quam hospitalitate, aliisque misericordiæ pietatisque operibus: adeo promptus ad pauperum commiserationem; ut ea, cum ei alia facultas non esset, quæ a fidelibus sibi devotionis ergo offerebantur, pauperibus et egenis magna cum hilaritate erogaret; quod patuit cum sacras etiam vestes aliquando sibi oblatas, atque altaris paramenta et tobaleas f vendi jussit, pretiumque pauperibus distribui præcepit ad eorum sublevandam inopiam. Insuper et mulierem egenam de Sublacu ex eleemosynis sibi oblatis nuptui E tradidit. *ex Mss. Silentium ejus, jejunium, frontis adustio etc.;* f

8 Quam vero gratæ extiterint Deo eleemosynæ suo Servo factæ sequens declarabit miraculum. Civis quidam Tiburtinus, cui nomen Stephanus Franguinus fuit, in equo deferebat utrem plenum oleo, et aliquot vasa figulina plena farina, cistulam repletam uva passa, nonnullos in cartallo pisces, quæ omnia quidam vir devotus pro eleemosyna Fratri Laurentio mittebat. Cum itaque Stephanus pervenisset ad aridum quemdam locum, non procul a Specu sancti Benedicti distautem, nempe ad Portellam (ut dicunt) qua ad sanctum ascenduut Romanum, in illa plaga arida, petricosa, et lubrica frutetisque plena, equus, fallente pede, dictis rebus onustus cecidit, et ad modum pilæ se circumvolvendo, in præceps prolapsus est per passus viginti quinque cum dimidio (quos duo testes oculati mensi sunt) et Dei gratia meritisque servi sui Laurentii, equus illæsus, rupta tantummodo clitella (vulgo dicitur lo' basto) sanus stansque erectus repertus est: uter olei e sacco dilapsus, ramo ilicis arboris pendens F inventus est sanus, vasa testea plena farina non sunt læsa, nec farina diminuta; massæ uvæ passæ minime dispersæ; pisces quoque in cartallis sine fractione integri reperti sunt, sicque cuncta summo exposita periculo mirabiliter conservata fuerunt. *gratæ Deo eleemosynæ ipsi datæ,*

ANNOTATA.

a Foggia *est a* Siponto *seu Manfredonia ad meridiem in Capitanata.*

b *Monasterium SS. Cosmæ et Damiani, nunc* S. Scholasticæ, *paullo ulterius Sublacensi, numeratur inter ibi condita a S. Benedicto.*

c Pitantiam, *id est, portionem cibi; alii* Pictantiam *dicunt, de qua vide Cangium in Glossario.*

d *Itaque Cangius* bracile *cinctorium non derivat a brachiis, sed a braccis, quarum vicem supplet.*

e Nasilé *et* nasale *dicitur in casside id, quod nasum cooperit.*

f Tobaleas: *satis est usitata hæc vox; sed raro explicata satis; quia diversis tobaliæ inserviunt usibus, cum fere sint lintea tegendis altaribus,*

bus, mensisque, aut etiam emungendis naribus apta. (ex MSS.)

CAPUT II.

Aliæ ejus virtutes, favor Deiparæ, felix obitus.

Charitas ejus ornata miraculo

Illius quoque charitas quam accepta fuerit in conspectu Dei, hoc unico patebit exemplo: anno itaque sui monachatus duodecimo, qui erat a partu Virginis ducentesimus vigesimus primus supra millesimum, in festivitate sancti Marci Evangelistæ, die scilicet Rogationum, accidit, quod absoluta solemni processione, decantatisque ex more Litaniis apud sacrum patris nostri Benedicti Specum, domnus Benedictus archipresbyter una cum clero Sublaciano aliisque viris numero triginta ad Moræ Bottis antrum pro invisendo ex devotione fratre Laurentio jejuni ascenderunt. Hi post sacrum colloquium ab eo ad charitativum jentaculum invitati fuerunt: non sunt ausi tanti Servi Dei spernere invitamentum. Discumbentibus itaque pariter omnibus, sub aspectu illius tres exigui allati fuere panes cum uno subcinericio, atque parva (ut dicunt) picia *a* ex semine canabis facta; qui panes viro famelico vix sufficere credebantur. Allatum quoque fuit exiguum vini vasculum (vulgo flascone *) quod sitibundo sufficere dubitabatur. Super quibus data Servi Dei benedictione, inter frangentium manus panes in tantum multiplicati excreverunt, ut non solummodo discumbentibus ad satietatem suffecerint, verum etiam supervenientibus pecudum pastoribus collecta ex iis, quæ superaverunt, fragmenta distributa abundanter suffecerint. Ex eo quoque vasculo omnes sufficienter biberunt; ita ut in illo vasculo liquor vini non quidem augeri, sed potius scaturire crederetur. Cunctis saturatis præcepit Frater Laurentius, ne quidquam cibi ea sumerent die, quia dominico fuerant refecti alimento. Cognito ab omnibus evidenti miraculo, pariter surgentes cum gratiarum actione Ambrosianum *b* canere cœperunt in abeundo: eaque die nullus eorum aliqua indiguit refectione.

(* i. e. lagena)

constantia in proposito.

10 Avaritiæ vero labem adeo Vir Dei execrabatur, quod a se ejecerit *c* Amatum suum discipulum, eo quod avaritiæ quodam spiritu tractus, plura ab advenientibus petere et accipere præsumpserit, quam sibi præceperat. Perseverantiæ virtutem ita testatus est, quod eo tempore, quo Tiberis fluvius portentosa inundatione effluxit, aliisque fluminibus inundantibus passim arva, tanta aquæ copiæ scaturivit in crypta Fratris Laurentii, quod Amatus, ejus discipulus, non suffecerit ad ejiciendam aquam extra cryptam; et conquereretur dicens: Pater, oportet te egredi specum, quia viribus mihi deficientibus aquam ejiciendo superare non valeo; licet quantitatem magnam foras ejecerim. Cui Frater Laurentius: Votum vovi Deo, me non egressurum extra hanc cryptam; quare neque aqua, neque ignis, seu quævis alia tribulatio hinc egredi me faciet: Deus suum de me faciat beneplacitum. His dictis, frater Amatus foras egressus ac post paululum reversus, non solum inundantiam aquæ cessasse vidit, verum etiam specus pavimentum taliter reperit siccum, ac si nullius aquæ indicium umquam in ea extitisset.

Monente Deipara calcem coquit,

11 Placuit postea magnæ Cælitum Reginæ, ut ecclesiam eo loci, quo olim sanctus pater noster Benedictus suo nomini ædificaverat (quam Longobardi destruxerant ante annos circiter sexcentos ac viginti octo) denuo extrueret. Quare cum pluries Fratri Laurentio apparuisset; quadam tamen nocte specialius cum duabus sociabus astitit ei ad consolandum eum, dixitque: Hic habitabo, et mihi faciam ædificare oratorium propter tuam erga me devotionem. Qua Frater Laurentius edoctus visione, calcariam * fieri curavit pro ædificanda ecclesia.

(* i. e. calcatorium)

cujus effluxum prohiberi jubetur olim ab eadem Dei Matre

12 Decocta vero calce, quadam nocte, cum ob maximam imbrium niviumque de cælo lapsarum abundantiam calx liquefacta efflueret, beata Dei Genitrix apparuit cuidam Thomæ de Morra Sublaciano nuncupato, pascenti boves patris sui: is cum quadam nocte cum duobus sociis quiesceret in antro, quod vulgo Morra Losina nuncupatur, apparuerunt ei tres matronæ vultibus roseis candidisque vestibus renitentes; quarum una, quæ præcedebat, veste fulgentior, forma venustior, et statura procerior apparebat, sic Thomam affata est: Surge et vade velociter ad calcariam, quæ facta est prope Morram Bottis, de qua debet mihi ædificari domus; quia calx istius calcariæ perit. Ad cujus jussionem cum ambulasset per stadium equi *d*, ille perterritus ex novitate rei, dubitans se a dæmonibus illudi, ad socios dormientes rediit: cumque sederet, et de his, quæ viderat et audierat, attentius animo revolveret; rursus eædem matronæ, sicut antea, vigilanti et stupenti apparuerunt; eaque, quæ prius eum affata fuerat, reprehendit vultu adirato dicens: Cur rediisti? Nos te comitabamur: quare dubitasti?

sæpius apparente, et ecclesiam sibi fabricandam describente:

13 Surgens itaque Thomas rursus ire cœpit, cumque ambulasset per stadia circiter duo, iterum infirmitas atque dubietas cordis impedimento sibi fuit, atque admonitionem iteratæ jussionis, quam manifestius audierat, observare neglexit, rursusque ad socios dormientes reversus est. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ admonitionis major solet sequi ira vindictæ; visione tertia eadem Domina cum sociabus apparens, addidit minas, et aperte ejus malefacta exprobravit, ita ut et in eo duritiem et dubietatem mentis emollirent verba correptionis ac pœnitentiæ, dicens: Vade indubitanter: sequemur enim vestigia tua, et quia nec prima nec secunda vice, ut præceperam, obedisti, discalcea te, atque discalceatus perge ad Morram Bottis in pœnitentiam commissæ fornicationis; et cura, ut in omnibus obedias Fratri Laurentio, dicesque ei nomine meo, ut ibidem ædificet ecclesiam ad honorem meum inter duos fontes noviter exortos, ita ut fons unus ab una porta ecclesiæ, et alter ab altera oriatur, et sciat, me ita velle ab eo ibidem honorari. Porro latitudo ecclesiæ fiat ad mensuram sancti Joannis Baptistæ de arcu. Quibus auditis, Thomas jam eruditus exprobratione peccati, statim surrexit, volensque socios dormientes e somno excitare, nullatenus potuit, quos sopor Domini invaserat.

paret ille

14 Discalceatus itaque viam arripuit per invia et spinosa loca, nivem rumpens fere usque ad genua altam, divina tamen roboratus gratia absque læsione aliqua ad prædictam fornacem calcariam pervenit intempesta adhuc nocte, quæ tamquam meridies illuminabatur. Ad calcariam cum tandem pervenisset, vidit calcem liquefactam per duos quasi passus effluxisse: cœpit proinde

A inde eam magnis undique lapidibus cingere, et tam grandes comportavit lapides, quod a tribus viris vix potuerint postea amoveri. Absoluta maceria, ad apparitionem auroræ supervenit frater Amatus, miratus de illius adventu: ambo deinde pergentes versus specum fratris Laurentii, ante quorum ingressum, ille præcepit Amato, ut Thomam (quem nunquam viderat nec cognoverat) ad se introduceret. Ad quem ingressus Thomas enarravit cuncta, quæ sibi illa nocte acciderant; nempe trinam mulierum apparitionem: uniusque mandata, quæ sibi pro certitudinis signo dixerat, quod triduo panem non gustaveras, sed tantummodo herbam (vulgo parietariam) de rupe evulseras, succumque de ea expressum biberas; de qua rupe aqua ex tunc indesinenter emanare cœperat.

et cum Laurentio ecclesiam, ac habitationem laxiorem ædificat.

15 Præparatis postea rebus ad ecclesiæ structuram necessariis, cum ad ædificii fundamenta jacienda deventum esset, inter opifices ceterosque, qui aderant, orta est dissensio. Tunc Frater Laurentius, accersito Thoma, lapidem illi porrexit, præcipiens, ut eumdem in ecclesiæ fundamentum poneret, quemadmodum ei per Dominam mandatum fuerat.
B Accepto lapide, Thomas ad locum ivit, et circumspexit, considerare volens, quo in loco lapis collocandus esset. Et, ecce, lapis continuo e manibus Thomæ elapsus per semet in suum se locavit locum, admirantibus cunctis factum; super eumdem ecclesiæ fundamenta jacta fuerunt anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto. Ædificata ecclesia, domum amplificare curavit pro discipulorum habitatione commodiore, quos secum sancti Benedicti Regulam profiteri et observare voluit.

Spiritus ejus propheticus, miracula, diligentia,

16 Prophetiæ quoque spiritu etiam a longe facta prædixit, ut in processu Vitæ suæ legitur (miraculum quintum:) sed et manci-stabilitate destituti membrorum, agilitati operis prorsus reddebantur idonei, et quibus contorta vestigia nutabant, libera ambulandi facultas per beati servi Dei Laurentii suffragia opitulabatur. Plures dæmonum agitatos infestatione Vir Domini expresso crucis vivificæ signaculo ab ipsis spiritualium nequitiis eruit periculis. Otium vero tamquam mortiferum animarum venenum execrabatur; quamobrem
C tempus ille nequaquam inutiliter terebat: nam cum litteras ignoraret, Prior claustralis monasterii sanctæ Scholasticæ docuit eum Alphabetum, atque deinde Psalterium legere, atque in tantum instruxit in litteris, quod sibimet plures orationes Latinas ac devotas composuit, quas idem Prior describere curavit; isque precationum libellus adhuc in sacrario divæ Scholasticæ ad beati Viri memoriam atque venerationem asservatur.

ac tandem felix obitus anno pœnitentiæ 34, Christi 1243, die Aug. 16,

17 Cum itaque Vir sanctus Frater Laurentius tamquam indefessus Christi athleta in servitute Dei cælestem in terris, annis triginta tribus eo loci vitam duxisset, et operatione sancta, lucis exempla hominibus præbuisset, jam felix ejus appropinquabat tempus, quo bene vigilantem Servum suum libertate cælestis gloriæ remuneraret Dominus, post longum atque perarduum pœnitentiæ agonem, nempe triginta trium annorum. Cum extrema laboraret infirmitate, ejus discipulus frater Amatus circa agonizantem vigilans, audivit e pectore ejus resonare quemdam suavem melodiæ sonum, tamquam parvularum campanularum concentum et consonantiam per aliquod horæ spatium, quo cessante sono, sancta illa anima carne exempta de labore ad requiem, de terrenis migravit ad cælestia, mane dici Dominicæ, quæ erat decima sexta Augusti, anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tertio, qui erat Pontificatus Innocentii quarti primus. Ejus corpus in eadem, qua habitaverat, crypta cum condigna veneratione sepultum fuit, atque usque in præsens conditum est. Quam vero pretiosa fuerit in conspectu Dei mors et vita sui confessoris Laurentii, superius *e* annotata testantur miracula. Nam muti loquelam, surdi auditum, aridi vigorem; variis atque immedicabilibus morbis laborantes sanitatem ipsius benedictione ac intercessione receperunt: aliaque complura mirabilia patravit ad laudem et gloriam nominis sui perpetuam.

ex MSS.

quamquam et martyrium videri potest,

18 Potest nunc quilibet discretus lector de hoc Famulo Dei indubitanter affirmare, quamvis ei defuerit gladius persecutoris, martyrii tamen palmam non amisisse: nam dum corpus continuo jejuniis atque vigiliis affligeret, dum nocte dieque orationibus insisteret, dum contra diaboli tentationes reluctaretur, et se ipsum tot ferreis instrumentis excruciaret; quid aliud de eo dici potest, nisi longum pertulisse martyrium? Nam sibimet persecutor fuit, et proprias persecutiones illatas pro Christo patienter usque ad mortem sustinuit ad laudem et gloriam E sui nominis perpetuam.

ANNOTATA.

a Pitia parva *sunt frustula; scribitur tamen alibi* pecia, petia et Petium.

b Ambrosianum, *id est, hymnum* Te Deum laudamus, *teste Macro.*

c Ejecerit; *sed recepit tamen vel retinuit continuo, ut ex Vita colligitur, et ex ejus testimonio jurato in Examine.*

d Stadio *fere tribuuntur gressus centum et viginti; hic aliquid simile videtur.*

e *Imo mox miraculorum illorum titulos ordine chronologico, ut accepi, ex processu subjiciam.*

Breve compendium miraculorum beati fratris Laurentii factorum in vita.

F

Ordine temporis.	Ordine processus.
1. Tribus panibus et flascone vini satiat plus quam 30 homines	1221. XV.
2. Corvus ablatum ex vertis * panem reportavit	1223. IV.
3. Duo fontes oriuntur ex rupe post adventum Fratris Laurentii	1226. XX.
4. Gravissima laborans infirmitate puer oratione F. Laurentii sanatur	1242. XXVII.
5. Graviter afflicta in mammilla, signata circulo capitis sanatur	1227. XXXVII.
6. Turpi ulceri faciei deturpatus tactu linguæ F. Laurentii curatur	1229. XLVII.
7. Sinistro excæcatus oculo signo sanctæ crucis lumen recepit	1229. III.
8. Gravissimo laborans morbo obediens præcepto F. Laurentii convaluit	1232. XLIV.
9. Inundantiamaquæ in crypta F. Laurentii exortam constantia desiccavit	1233. LV.
10 Puer dextro contractus pede oratione ac benedictione F. Laurentii sanus erigitur	1234. XXX.
11. Furiosum et insanum sola oratione ab insania et furore liberavit	1234. XLV.
12. Monachum luxuriosum inveteratum oratione ad	

* i. e. reliculis

ex ms. ad emendationem reduxit 1235. LII.
13. Excommunicatus adulter lumine privatus, pœnitens lumen et vires recepit 1235. I.
14. Puer cancro infectus signo sanctæ crucis et oratione F. Laurentii a morbo convaluit 1236. XXXIX.
15. Puerulus manu pedeque contractus, signatus signo crucis, sanus fit 1237. XXIV.
16. Puer pedibus contractus sola F. Laurentii oratione gressum recepit 1237. XXXI.
17. Paralyticus observans præceptum F. Laurentii sanatur, negligens reinfirmatus resanatur 1237. XLVI.
18. Dæmoniaca observans præceptum F. Laurentii a spiritu immundo liberatur 1237. XLIX.
19. Æger pede visitans F. Laurentium, ejus oratione sanus regreditur 1238. X.
20. Epileptica obediens præcepto F. Laurentii sanitatem recepit 1239. XXVII.
21. Habens ægram tumidamque manum, obediens præcepto F. Laurentii sanatur 1240 XII.
22. Adulter in peccato perseverans, oratione F. Laurentii castigatus a peccato emendatur 1240. II.
B 23. Dolore femoris afflictus signo crucis et oratione F. Laurentii curatur 1241. XXXIV.
24. Gravissime dolentem caput signo sanctæ crucis sanavit 1241. XL.
25. Paralyticus observans mandatum F. Laurentii a paralysi curatur 1241. XLVIII.
26. Patientem intestinorum rupturam, signatum signo crucis curavit 1241. LIII.
27. Epilepticam sola oratione ab epilepsia curavit 1242. XXXV.
28. Brachium fortiter dolens, signatus signo crucis, sanus efficitur 1241. VIII.
29. Graviter ægrotans, facto voto, visitans F. Laurentium, signatus curatur 1241. IX.
30. Equus onustus de alto cadens, salvis rebus evadit incolumis 1242. XXVIII.
31. Contractus manibus pedibusque ac brachiis sola oratione sanus erigitur 1243. XXV.
32. Paralyticus visitans F. Laurentium ejus oratione et tactu convaluit 1243. XXXVI.
33. Mulier febricitans, esu pomi et aquæ potu Morræ Bottis sanatur 1243. XXII.
34. Dæmoniacam signo sanctæ crucis a dæmone
C liberavit 1243. XXII.
35. Longe absentis feminæ scelus prædixit prophetico spiritu 1243. LI.
36. Mulierem scrufulam habentem in palpebra oratione et aqua sanavit 1243. XLIII.

Miracula post obitum Fratris Laurentii facta.

1. Infans exanimis ad invocationem B. Fratris Laurentii revixit 1243. XXXII.
2. Ulcerosus ex tactu defuncti sanatur; ob inobedientiam recidit, retactu sanatur 1243. XXVI.
3. Mulier dolore mamillæ cruciata, tactu vestis F. Laurentii sanatur 1243. VI.
4. Æger manibus ex tactu defuncti corporis sanus efficitur 1243. XVI.
5. Gravem colli sustinens dolorem ad funus defuncti F. Laurentii sanatur 1243. XVIII.
6. Parvulus dolore testiculorum afflictus ad defuncti corpus sanatur 1243. XXIX.
7. Surda recuperat auditum tangendo tabulam strati F. Laurentii defuncti 1243. V.
8. Afflicta dolore scapulæ ex tactu circuli F. Laurentii defuncti sanatur 1243. VII. D
9. Mulier fistulam in coxa patiens tactu capillorum F. Laurentii sanatur 1243. XVII.
10. Guttam falsam patiens, ex tactu vestium Fratris Laurentii sanatur; applicans cruribus medicamen deterioratur; voto facto, resanatur 1243. XXXIII.
11. Parvulus fistula laborans in scapula ad sepulcrum F. Laurentii sanatur 1243. XXXVIII.
12. Gravem rupturam inguinis sustinens ad sepulcrum F. Laurentii sanatur 1243. XLII.
13. Mulier apostema in ore patiens ex tactu tabulæ defuncti sanatur 1243. XIV.
14. Puella quatuor scrufulis cruciata ad sepulcrum F. Laurentii sanatur 1244. XIX.
15. Mulier cæca visitans sepulcrum F. Laurentii lumen recepit 1244. XLI.
16. Monachus stillicidium oculorum sustinens imposita infula F. Laurentii sanatur 1244. LIV.
17. Gravi capitis dolore afflictus ex impositione panni F. Laurentii convaluit 1244. LVI.
18. Cruciatus aurium tinnitu, panno signans aures auditum recepit 1244. LVII. E
19. Mulier fluxum sanguinis patiens ex impositione panni sanatur 1244. XIV.
20. Latus graviter dolens ex impositione capillorum F. Laurentii sanatur 1244. XIII.
21. Vir toto corpore cruciatus ex intinctu vestis F. Laurentii convaluit 1244. XXI.
22. Mulier scrufulam patiens in manu, signata circulo F. Laurentii curata est 1244. L.

ANNOTATIO.

Hæc miracula a supradictis Apostolicis commissariis conscripta fuerunt ex relatione fide dignorum testium, quorum triginta septem * priora beato fratre Laurentio superstite contigerunt: posteriora vero viginti duo intra spatium septem mensium ab illius obitu patrata fuerunt. Quoniam vero frequentissima contingebant miracula, inde fiebat, quod nemo monachorum illius ætatis illa sigillatim perscribere sit agressus: quibus enim id oneris incumbebat, visum est, vix fieri posse ut ob eorum numerositatem ac celebritatem e totius populi memoria umquam delerentur et exciderent. Quapropter F pro certo asserendum, plurima post compositum Vitæ illius processum contigisse miracula, quorum notitia ad nos (quod satis dolendum) minime pervenit. Nec dubium, quin fidelium devotio, successu temporum plura alia, forsitanque descriptis majora, a Deo per merita Confessoris sui beneficia impetraverit. Suprascripta vero commissariis Apostolicis ad comprobanda Fratris Laurentii præclara apud Deum merita, eaque ad canonizationem illius peragendam sufficere videbantur.

* forte sex

Hymnus ejusdem, opinor, auctoris de beato Laurentio confessore et eremita monacho sacri Specus.

Fortis athletæ canimus trophæum,
Qui triumphatis satana, orbe, carne;
Laureum nomen capit a virente,
arbore Phœbi.
Appulus miles fuit, ex Fanello

Oppi-

A Oppido, qui dum juvenis furorem,
Turgidus quemdam sequitur, peremit
percitus ira.

Inde pertæsus sceleris. petivit
Sacra Jacobi Peregrinus almi
Templa; quæ dites recolunt Iberi
pectore prono.

Hinc valefacto Latium reversus
Pone Sublacum; scopulo sub alto
Limen accepit modicum, rigenti
conditus antro.

Membra lorica pia militari
Texit; æratis caput, ac obivit
Circulis, instar crucis, atque crura.
corpus et omne.

Pabulum Radix præbuit agrestis,
Et sitim plura medicavit unda;
Rarius frustum Cereris, peracto
vespere, gustans.

In specu Morræ decies ter annos.
Quod vocant Bottis: Pugil hic beatus.
Tresque transegit famulande Regi
Arcis Olympi.

Extulit numquam Pater inde gressus,
B Flumen illius licet irruisset
In specum; cujus precibus coacta
restitit unda.

Signa quis vellet Pugilis referre
Mira si tanti, numeraret astra.
Et vagas Ponti potius arenas,
seu maris undas.

Plenus hic demum meritis, et annis
Rite decursis, miseras relinquens
Orbis ærumnas, petiit supremi
limina cæli.

Crypta, sed de te quid honore dignum
Proferam? cui hunc meruisse summa
Arce concessum, coluisse tanto
tempore Patrem?

Te pii circum celebrent fideles,
Quique longinquis veniunt ab oris,
Compotes votis, incolumes recedant
munere cæli.

Dive Laurenti, pietatis aure,
Quas preces fundo, capias benignus;
Meque tot mundi miserum periclis,
exime clemens.

Ut pio tecum Domino polorum
Serviens, tandem merear supernis
Civibus jungi, patriæque summum
cernere regem. Amen. E

DE S. HYACINTHO CONFESSORE

EX ORDINE F.F. PRÆDICATORUM

CRACOVIÆ IN POLONIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§I. Præcipui auctores, qui Vitam et miracula hujus Sancti conscripserunt.

Anno MCCLVII. Stanislaus Cracoviensis circa medium seculi XIV

Mirabilia gesta S. Hyacinthi, *qui ab historicis Polonis communiter* Iacko *vel* Iaczko *appellatur, primum litteris mandavit F. Stanislaus Cracoviensis, de quo scriptore Echardus in Bibliotheca Prædicatorum ad annum Christi* 1350, *sive tomo* I *istius Operis pag.* 632 C *suggerit sequentem notitiam*: Frater Stanislaus de Cracovia, sic a patria et professione nuncupatus, inter sodales Polonos medio circiter seculo XIV claruit, et librum scripsit DE VITA ET MIRACULIS S. HYACINTHI ORDINIS PRÆDICATORUM. Codex Ms. eam continens antiquissimis dictus est Romæ in congregationibus pro canonisatione Sancti habitis anno MDLXXXIX et sequentibus, in quibus Cardinalibus in hac causa delegatis traditus fuit.

scripsit Acta S. Hyacinthi, postea Romæ discussa;

2 *Echardus authenticam fidem et antiquitatem hujus codicis probat ex Severino Cracoviensi, qui Vitam, miracula, et Acta canonizationis* S. Hyacinthi *libris quatuor conscripsit, ut infra fusius videbimus, ubi lib.* 4 *pag.* 348 *illustrissimus D. Gesualdus, decanus sacri collegii, coram Pontifice Romano et quadraginta septem Cardinalibus ad rem præsentem hæc retulit.* Agentes et procuratores enixe postulantes ad ulteriora procedi, diversas scripturas et jura, duoque Processus exempla produxerunt; unum in Urbe, inter scripturas felicis recordationis Pauli quarti receptum *, qui tamquam unus ex tribus Cardinalibus in Ordine prioribus a Paulo tertio deputatus fuerat: alterum e Polonia, una cum libro vetustissimo, Vitam et miracula ejusdem Beati continente allatum, quamplurimis sigillis obsignatum, quod per multos annos maxima cum diligentia in archivio Conven- F tus Cracoviensis, tamquam verum et fidele asservatum fuerat, utraque sibi convenientia, ea omnia, fisci * Procuratore citato, admissa fuerunt, et plene recognita.

* *forte repertum*

* *An non fidei?*

quæ cum nobis desint.

3 *Laudatus illustrissimus sacri Collegii decanus, narratis præcipuis* S. Hyacinthi *gestis, apud eumdem Severinum Cracoviensem lib.* 4 *pag.* 351, *de illo Ms. codice iterum meminit, et relationem suam ita concludit*: Hæc omnia præter publicam et constantem famam probatam per testes supra quadringentos, probantur etiam per supradictum antiquissimum librum, ante ducentos annos a Fratre Stanislao Cracoviensi Ordinis sancti Dominici conscriptum, et in thesauro Cracoviensis ecclesiæ diligentissime asservatum, cui tam dicti Auditores quam Congregatio adhibendam esse fidem censuerunt. *Cum hæc legisset Echardus, eum cepit cupido videndi primigenia illa* S. Hyacinthi *Acta, prout loco proxime citato indicat his verbis*: Certe Vitam illam qualis est et primigenio suo stylo, nec minimum mutatam, typis committere necessarium esset, eo magis quod Sancti hujus gesta prima et antiqua manu scripta non

non habemus hactenus. Stanislai meminit Malvenda Annalium Ordinis lib. I cap. X et XI. Altamura etiam ad MCCCCXXXIII, sed leviter. Nos ad hunc annum MCCCL referendum duximus ea ratione, quod in Actis canonizationis relatis hæc Vita dicatur ante ducentos annos scripta. *Quamvis eodem desiderio tenear, tamen nulla mihi spes affulget obtinendi antiqua illa Acta, cum jam ab aliquot annis alias de S. Dominico et* S. Hyacintho *notitias a PP. Prædicatoribus frustra petierim.*

edemus Vitam hujus Sancti ex Leandro Alberto,

4 *Itaque nunc contentus esse cogor iis* S. Hyacinthi *Actis, quæ Leander Albertus Dominicanus jam ante ducentos et plures annos typis vulgavit, quem Severinus Cracoviensis in præfatione ad supra citatam sæpiusque infra citandam suam lucubrationem, inter alios biographos* S. Hyacinthi *laudat his verbis ;* Sunt autem viri celeberrimi non solum temporis antiquitate, verum etiam fidei auctoritate dignissimi, qui in hanc arenam descendentes, strenui virtutum ac miraculorum beati Hyacinthi præcones exstitere; quorum in numero primum obtinet locum vir multiplici B scientia clarus, Albertus Leander Bononiensis, qui anno Domini MDXVII, libro de Viris illustribus edito, magnam et longam de Vita et miraculis beati Hyacinthi fol. 189 texuit historiam, quam (ut reor) non aliunde quam ex Processu sub Clemente Septimo Pontifice maximo traxit, ob cujus auctoritatem, Sedisque Apostolicæ majestatem, quæ eo usque facta sunt, fidem habere merentur. *Cum Leander Albertus librum suum de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum anno Christi* 1517 *ediderit, et Clemens VII Papa primum anno* 1523 *ad cathedram S. Petri evectus fuerit, probabilissime existimo, Severinum Cracoviensem hic errasse, et pro Clemente VII substituendum esse Leonem X Pontificem, qui ab anno* 1513 *usque ad annum* 1522 *Ecclesiam Catholicam gubernavit.*

eaque occasione proponimus difficultatem contra Severinum Cracoviensem,

5 *Non ignoro, hic effugium quæri posse dicendo, Cardinalem Mediceum per prolepsim vocari Clementem VII, quia postmodum Pontifex electus istud nomen assumpsit. Quapropter facile potuit fieri, inquiet aliquis, ut Processus canonizationis, qui sub Leone X Pontifice agitari cœpit, adscribatur Clementi VII, eo quod tunc temporis* C *adhuc Cardinalis ad illum examinandum deputatus fuerit, vel fortasse causam canonizationis promoverit. Verum adhuc restat difficultas: nam Severinus Cracoviensis in Actis* S. Hyacinthi *lib.* 3 *cap.* I *et sequentibus innuit, causam canonizationis tantum anno Christi* 1518 *in curia Romana agitari cœpisse. Istud Processus exordium etiam colligitur ex litteris Sigismundi primi Poloniæ regis, quas anno* 1518 *ad Leonem X Pontificem dedit, et quibus hoc negotium eidem Pontifici commendat, ut infra referemus. Non videmus, quomodo hic nodus dissolvi possit, nisi quis clare ostenderit, Processum illum aliquot annis ante istas Sigismundi regis litteras Romæ institutum fuisse. Ut ut est, Vitam* S. Hyacinthi *post Commentarium prævium ex hac Leandri Alberti editione fideliter recudemus; sed subinde manifesta typothetæ errata libere emendabimus.*

qui anno 1594 copiosa ejusdem Sancti Acta

6 *Inter omnes auctores copiosissime de* S. Hyacintho *scripsit supradictus Severinus Cracoviensis, quem laboriosum virum Echardus tomo* 2 *Bibliothecæ Prædicatorum pag.* 411 *sic laudat :* Frater Severinus Lubomlius, vulgo Cracoviensis a professione dictus, gente Polonus, natione Roxolanus, Hebræus fuit genere, ac seculo XVI nomen Ordini dedit in Conventu Cracoviensi, D per consuetos scholæ agones ad magisterium tandem exinde promotus. Vir cum esset non eruditione solum dicendique facundia clarus, sed et in agendis etiam dexter et expeditus, diffinitor nomine suæ provinciæ Poloniæ electus est, et missus ad Capitulum generale Romanum MDLXXXIX, in quo cum ceteris sedit, ac in electione Magistri Ordinis F. Hippolyti Mariæ Beccaria de Monte regali votum tulit. Cum in mandatis haberet a suis Polonis, ut ea occasione sancti Hyacinthi canonizationem urgeret, ita se in eo negotio quinque circiter annis gessit, ut albo Sanctorum adscribi tandem obtinuerit. *Echardus ibidem citat Starovolscium, qui eumdem Severinum honorifico elogio exornat.*

Romæ vulgavit, ex quo Opere multa miracula excerpemus

7 *Deinde inter alia ejus scripta, quæ ad rem præsentem non spectant, recenset libros quatuor* de Vita, miraculis et Actis canonizationis S. Hyacinthi confessoris, Ordinis FF. Prædicatorum, *qui Romæ anno* 1594 *ex typographia Gabiana prodierunt. Sed Echardus in illa lucubratione errores aliquot historicos et chronologicos detexit, eosque indicat his verbis :* Libro I cap. 24 noti- E tiam dare conatus est Priorum Provincialium provinciæ nostræ Poloniæ; sed quæ (cujusvis id vitio factum sit) peccat saltem in viginti duobus prioribus ab eo recensitis, et in historia et in chronologia, adeo ut ex integro resarcienda sit et innovanda tum ex Actis Capitulorum generalium, tum ex veteribus Poloniæ monumentis. *Ceterum ex illo Severini Cracoviensis Opere, quod iisdem typis Gabianis excusum habemus, varia in hoc Commentario prævio fusius distinctiusque narrabimus. Ex eadem vero lucubratione miracula, quæ post sepulturam* S. Hyacinthi *contigerunt, Commentario nostro et Actis a Leandro Alberto collectis subnectemus. At profecto dolendum est, editionem istam Romanam, quam hactenus solam novimus, tot mendis scatere, ut subinde verba et sensum ex conjectura corrigere cogamur. Hæc præmonere volui, ut benignus lector nobis non imputet, si forsan quasdam periodos ex erronea conjectura emendatas, et interdum luxata nomina propria, præsertim Polonica, per decursum invenerit.* F

et aliunde gesta istius Thaumaturgi illustrabimus.

8 *Nihil hic dico de Joanne Dlugosso seu Longino, et Mathia Michoviensi, aliisque scriptoribus, qui ante Leandrum Albertum de gestis* S. Hyacinthi *obiter meminerunt. Data tamen opportunitate, hos testes allegabo ad confirmandum ea, quæ Leander Albertus et alii recentiores de Sancto illo tradunt. Etiam non recenseo hic varios auctores, qui post solennem hujus sancti Thaumaturgi canonizationem de Actis et miraculis ejus honorificam mentionem faciunt, et ea tum Latine tum vernacule scriptis suis copiose inseruerunt. Attamen his quoque utar, ubi opportuna occasio sese obtulerit. Denique magno usui erit bulla Clementis VIII Pontificis, qua* B. Hyacinthus *solenniter in numerum Sanctorum refertur, et in qua breviter præcipua hujus Sancti Acta et miracula narrantur. Hæc enim omnia post severum examen ex antiquiore Stanislai Cracoviensis codice desumpta esse existimo. Dum igitur neoterici scriptores confidenter exponent aliqua hujus Sancti adhuc viventis gesta, quæ in hac Pontificis bulla vel in lucubratione Leandri Alberti prætermittuntur, ea pro tam certis non habebo, donec testimonio Stanislai Cracoviensis aut aliorum veterum auctorum expresse confirmata fuerint. Nunc ad ipsa Acta discutienda progredior.*

§ II.

§ II. Sancti patria, nobile genus studia litteraria, Canonicatus, et ingressio in Ordinem Prædicatorum.

Sanctus natus est in Silesia

Certissime S. Hyacinthus *patriam habuit Silesiam, quæ olim pars erat Poloniæ, ut illustrissimus Martinus Cromerus lib.* 3 *de Rebus Polonorum apud me pag.* 55, *aliique istius regionis historici testantur. Unde Sanctus ille passim dicitur natione Polonus, cui regno etiam Leander Albertus initio Actorum eum adscribit his verbis :* Hyacinthus ex oppido Poloniæ Saxo, nobili stemmate originem duxit. *Sed sciendum est, voce Polonica* kamièn *significari saxum aut lapidem, ut natalem ejusdem Sancti locum facile conciliès cum aliis scriptoribus, qui illum in villa Kamiensi natum asserunt, cum quibus Clemens VIII Pontifex in Bulla canonizationis sic loquitur :* Natus igitur est beatus Hyacinthus in Polonia, in villa, quæ Camiensis appellatur, Wratislaviensis diœcesis, ante annum Domini millesimum ducentesimum, ex nobilibus et Christianis parentibus. *Joannes Dlugossus lib.* 6 *Historiæ Poloniæ quæ Lipsiæ anno* 1711 *edita est, ad annum Christi* 1218 *sive col.* 622 *patriam* S. Hyacinthi *adhuc distinctius indicat his verbis :* Iwo, assumpto sibi in comitem et consultorum Iackone de Opoliensi provincia et villa Lanka, Canonico Cracoviensi, viro sensato et industrioso, ad Honorium tertium in Urbem se contulit. *Nunc in Silesia est Ducatus Oppoliensis, qui ab urbe primaria Oppolio nomen accepit. Ceterum ignoro, cur villa natalitia hujus Sancti, quæ alibi* Camieu *vel* Saxum *dicitur, ab hoc auctore* Lanka *appelletur, et accuratiorem istius loci situm indigenis assignandum relinquo.*

ex nobili stemmate,

10 *Plerique scriptores consentiunt, Sanctum nostrum natum esse ex nobili stirpe Ordrowaziorum vel Odrovonsiorum, ut alii eos appellant. Huic opinioni magnum pondus addit laudatus Dlugossus, Canonicus quondam Cracoviensis, et diligentissimus veteris historiæ patriæ investigator, qui loco proxime citato de successione Iwonis in episcopatum Cracoviensem hæc habet :* Dum successor idoneus quæreretur, Iwo filius Saulis Comitis de Kouskie, *(erat hic Iwo consanguineus Sancti nostri)* genere nobilis de domo Odrowaz et natione Polonus, Cantor Guesnensis, Canonicus Cracoviensis, et Leszkonis Albi cancellarius, inter ceteros Duci et Capitulo dignior videbatur, qui ut * propter litterarum peritiam et prudentiæ humanæ fulgorem Vincentio in episcopatu succederet.

** forte et*

ut probatur ex fide dignis scriptoribus,

11 *Deinde post narrationem miraculi, quod illustrissimus Iwo Romæ patrocinio S. Dominici adhuc viventis fieri viderat, ut in Commentario prævio ad Acta ejusdem Sancti tomo* I *Augusti pag.* 466 *retulimus, propius ad rem nostram sic scribit :* Quo quidem miraculo Iwo Cracoviensis episcopus, qui omnibus, quæ circa resuscitatum agebantur, aderat, provocatus, in Poloniam rediturus Fratres a beato Dominico petiit : alios autem obtinere non valens, tres suos comites et familiares, videlicet Iackonem Canonicum Cracoviensem, QUI ET IPSE DE DOMO ORDROWAZ ERAT; item Ceslaum Polonum, Henricum Moravum et Hermanum Teutonicum ad Ordinem per beatum Dominicum assumi obtinuit, et illos secum in Poloniam deducens, primus Ordinem Prædicatorum in Polonia, beato Dominico adhuc superstite, plantavit. *Hæc testimonio suo confirmat Mathias Michoviensis, qui exeunte seculo* XV *non diu post Dlugossum floruit, dum lib.* 3 *Rerum Polonicarum cap.* 33, *vel in Corpore Historiæ Polonicæ tomo* 2 *pag.* 85 *asserit ab illustrissimo Iwone præter alios, quos S. Dominicus Romæ ad Ordinem suum admiserat, in Poloniam reductum fuisse* Iaczkonem Canonicum Cracoviensem, nobilem de domo Odrovansz, de provincja Oppoliensi et villa Lanka ortum.

*ACCTORE * G. C.*

quorum aliqui originem istius stirpis

12 *Simon Okolski Dominicanus tomo* 2 *Orbis Poloni, quod Opus genealogicum Cracoviæ tribus voluminibus edidit, pag.* 299 *arma gentilitia illustris familiæ Odrovansiæ ita describit :* Est media sagitta coloris albi; lancea sagittæ antiquæ apparet infixa lanuginibus provecti viri, cujusmodi in Turcia sæpius reperiuntur crassorum pilorum, in medium sphæræ deducuntur, coloris etiam albi, in campo sanguineo. Super coronam sunt pennæ pavonis, intra quas per transversum eadem prominent arma, quasi in latus declinata. *Tum laudatus scriptor Dominicanus incertam horum insignium originem ibidem exponit his verbis :* In Moravia antiquissima arma sunt, quæ nuncupationem suam vel a cognomine viri vel ab eventu acceperunt : fabula enim hæc originis spargitur. Ad * principem Moravorum erat gentilis quidam audaciæ et fortitudinis in lucta mirabilis. Accidit, quod Moravus, vel alterius gentis vir miles, et forte jam Christianus (ad cujus distinctionem paganus dicitur in fabula) ipsum superando in directione ad metam et in lucta ad principem comparuerit; gravis adventus pagano jam aliquoties superato. Evocat igitur virum paganus in luctam, digito in nasum collimandum *; quod quia in conspectu principis erat, indignatus miles tali evocatione, corripuit ipsius lanugines et una cum carne avulsit atque in sagittam infixit : quod ut conspexit princeps, in insigne et æviternum monumentum militi concessit. Favet proclama armorum huic fabulæ in lingua Morava; sed talis eventus frustra sagittam apponeret. Crediderim, quod sagitta emissa avulserit una cum carne hosti pagano lanuginem, sive in prælio, cui plus assentior, sive in tali coram principe eventu : erat enim sagittæ antiquæ ferrum latum et acutum ab utrimque, sicut et modo Tartari utuntur similibus in pugna contra agiles equos. Quando in regnum illata fuerint, ignoro; sed quod circa annum CMLXVI reperiantur in regno, hoc scio.

** forte Apud*

** forsan collimando vel collimans*

et magnam propagationem exponunt.

13 *Reverendissimus Thomas Joannes Pessina de Czechorod, episcopus Samandriensis ac decanus metropoleos Pragensis, nomen nobilissimi istius stemmatis nonnihil immutat, et forsan illud inflectit ad etymologiam linguæ Moravicæ, de qua mox supra ab Okolskio aliquid dictum est, dum parte* I *Martis Moravici lib.* 2 *cap.* 5, *sive pag.* 170 *istius Operis, de origine ejusdem nobilitatis ita meminit .* Odrifausus porro, cujus hic fuerat semel atque iterum mentio, est, ut reor, heros ille, Saulus nomine, vel unus ex posteris illius ejusdem cognominis, qui cuidam giganti e Græcia (juxta alios e Bulgaria) advenæ, in aula regis Moraviæ alios ad certamen provocanti, labium superius una cum mystacibus, singulari audacia nec minori animi fortitudine detraxit, et quem idcirco rex ODRIFAUSUM, id est, DETRACTOREM MYSTACUM appellavit, simul et mystaces sagitta

AUCTORE G. C.

sagitta per medium transfixos, prout illos regi videre cupienti ostenderat, in clypeo suo militari ferre jussit. Huic originem suam debet familia celeberrima Sagittiferorum seu, ut loquitur vetustissimus scriptor, familia sagittam circumflexam in naribus, suo in gentilitio clypeo ferentium, successu temporis in plures divisa ramos, ac longe lateque non tantum per Moraviam et Bohemiam, verum etiam per Poloniam, Lituaniam, Russiam, Croatiam, Dalmatiam, Serviam, et alia Slavonici nominis regna copiosissime propagata. *Ibidem illustrissimus ille scriptor varios hujus arboris genealogicæ ramos assignat, et sub finem citati capitis asserit,* S. Hyacinthum *ex hac illustri Odrifausiorum vel Sagittiferorum stirpe ortum esse. Vix dubitamus, quin splendidam* S. Hyacinthi *prosapiam etiam memoraverit Stanislaus Cracoviensis, cujus scripta Romæ examinata sunt, cum Clemens VIII Pontifex in Bulla Canonizationis diserte affirmet, eumdem Sanctum* ex nobilibus et Christianis parentibus *natum fuisse. Itaque propter unanimem recentiorum consensum et testimonia* B *veterum auctorum avitam* S. Hyacinthi *nobilitatem libenter et intrepide admittimus. Nunc de litterariis ejusdem Sancti studiis nonnulla discutiamus.*

Cum Sanctus studia absolvisset,

14 *Severinus Cracoviensis in Vita* S. Hyacinthi *lib.* I *cap.* 3 *diversas studiorum palæstras ei assignat his verbis* : Beatus Hyacinthus scholarum quidem secularium primam Cracoviensem, secundam Pragensem, tertiam Bononiensem illustres academias magistras suæ juventutis habuit, in quibus non solum doctrinæ claritate, verum etiam morum honestate decoratus totum se in virum divinum Ecclesiæ sanctæ Dei profuturum commutavit. Ac proinde ex postrema academia Bononiensi sacræ theologiæ professor et utriusque juris Doctor Cracoviam revertitur, ac beato Ivoni venerabili episcopo Cracoviensi patruo suo, qui non minus splendore vitæ Christianæ, quam dignitate fulgebat, firmiter adhæsit; in quo prædictus episcopus videns gratiam divinam prælucere, tum ob consanguinitatem tum ob vitæ integritatem volens sibi eum adstringere, in ecclesia cathedrali Cracoviensi Canonicum constituit, quo in munere tamquam lucerna ardens super caudelabrum posita, ceteris Canonicis C splendore scientiæ, morum probitate, vitæ excellentia præfulsit, non solum præsentibus, sed etiam futuris in hoc statu existentibus efficax relinquens exemplum.

et jam esset Canonicus Cracoviensis,

15 *In hac Severini narratione occurrunt aliqua observanda, quæ judicio prudentis lectoris subjiciemus. Primo si Stanislaus Cracoviensis, cujus Ms. lucubrationem nobis hactenus videre non licuit, palæstram Bononiensem, tam longe a Polonia dissitam,* S. Hyacintho *expresse assignaverit, ejus testimonio prorsus acquiescimus. Sed miramur, Clementem VIII Pontificem in Bulla canonizationis, et Leandrum Albertum Bononiensem in Actis* S. Hyacinthi *infra edendis non meminisse de Bononiensi illo Sancti studio, quod huic celeberrimæ academiæ non exiguam gloriam addidisset. Secundo advertimus, quod Severinus Cracoviensis altioribus* S. Hyacinthi *studiis subjungat Cracoviensem ejusdem Sancti Canonicatum, etsi Leander Albertus initio Actorum eumdem Canonicatum studiis theologicis præmittat. Tertio putamus, duos hos scriptores errasse aut per prolepsim locutos esse, quando Iwonem appellant episcopum Cracoviensem, antequam* S. Hyacinthus *in eadem ecclesia Cracoviensi Canonicatum adeptus esset : nam prædictus Dlugossus lib.* 6 *Historiæ Polonicæ ad annum Christi* 1218 *scribit,* S. Hyacinthum *jam fuisse sensatum et industriosum ecclesiæ Cracoviensis Canonicum (nonnulli tunc triginta tres ætatis annos ei tribuunt) dum Iwo Romam petiit, ut Vincentio Kadlubkoni episcopatum Cracoviensem abdicare volenti succederet. His minoris momenti observationibus relictis, nunc breviter videamus, quo tempore et qua occasione* S. Hyacinthus *sacrum Prædicatorum Ordinem ingressus fuerit.* D

anno 1218 Romam veniens,

16 *Tomo* I *Augusti pag.* 466 *in Commentario prævio ad Vitam S. Dominici disputavimus contra Echardum Dominicanum, qui famosam mortui Napuleonis excitationem, adeoque etiam ingressum* S. Hyacinthi *in Ordinem Prædicatorum, usque ad annum* 1220 *novi styli differt, et ibidem argumentis quibusdam probavimus, illam Sancti conversionem anno* 1218 *affigendam esse. Non lubet hic iterum operosius de anno isto disceptare, quandoquidem ibi videri possunt ea, quæ ad hanc chronologiam confirmandam allegavimus. Etiam hoc loco repetere nolumus longiorem Dlugossi narrationem, quam ibidem transcripsimus, et qua sedulus ille historiæ Polonicæ indagator fusius exponit, quomodo* S. Hyacinthus *institutum S. Dominici amplexus fuerit.* E

Ordinem Prædicatorum ingreditur.

17 *Itaque sufficiet hoc loco breviter referre illam conversionis occasionem ex Annalibus ecclesiasticis Odorici Raynaldi, qui ad annum Christi* 1218 *num.* 35 *eamdem ex Joanne Dlugosso vel Longino, aliisque historicis ita contraxit* : Emicuit quoque Romæ per hæc tempora divi Dominici sanctitas : dum enim sacris concionibus magno cum Christi fidelium emolumento operam daret, adolescentem Napuleonem nomine, Stephani Cardinalis Fossæ novæ ex fratre nepotem, ab equo dejectum collisumque, ac subita morte exstinctum, ad vitam revocavit; eaque occasione S. Hyacinthus Cracoviæ Canonicus Religioso Prædicatorum Ordini adscriptus est. Ivo enim electus Cracoviensis episcopus, quem alii ejus patruum, alii vero consanguineum appellant, in Urbem una cum eo ipso se contulerat, cumque egregio excitati mortui edito spectaculo interfuisset, Dominico intima consuetudine conjunctus, Hyacinthum ipsum nonnullosque alios in regulari disciplina erudiendos tradidit, ut Prædicatorum F familia in Poloniæ regno propagari posset, quod postea mirifice factum. Hæc pluribus Joannes Longinus, tum ii qui res SS. Dominici et Hyacinthi præclare gestas scriptis commendarunt. *Nunc ad controversa quædam* S. Hyacinthi *gesta pergamus.*

§ III. Tempus tirocinii, et nonnulla incerta Sancti gesta, de quibus inter ipsos scriptores Dominicanos disceptatur.

Sanctus, peracto Religiosæ vitæ tirocinio,

Postquam S. Hyacinthus *Ordini Prædicatorum adscriptus est, sub ipso sancto Dominico tirocinium vitæ Religiosæ posuit, quod nonnulli scriptores Dominicani ad integrum annum extendunt, aliis breviorem temporis moram eidem tirocinio assignantibus. Priorem sententiam amplectitur Abrahamus Bzovius Dominicanus in Annalibus ecclesiasticis, ubi ad annum* 1219 *num.* 8 *post narratum Napuleonis resuscitati prodigium habet sequentia* : Interfuere huic miraculo Ivo Cracoviensis

AUCTORE G. C.

A Cracoviensis et Andreas Pragensis antistites, et ambo admiratione atque amore correpti a divo Dominico flagitabant, ut vellet sui instituti sodales ecclesiis illorum concedere. Cum Dominicus nullos haberet, qui idioma gentis callerent, quatuor ex comitatu eorum pio desiderio inflammati habitum sacræ Religionis induere. Primus eorum Hyacinthus Odrovansius, Canonicus Cracoviensis, is qui sanctum Dominicum vitæ innocentia et miraculorum gloria æquavit, et in Sanctorum numerum a Clemente VIII nostra ætate adnumeratus est. Non impar ei frater germanus, beatus Ceslaus Odrovansius *(hanc consanguinitatem in Actis B. Ceslai ad diem* XVI *Julii, sive tomo* IV *istius mensis pag.* 185, *discussimus)* Canonicus Sandomiriensis, admirandorum splendore illustris. Tertius fuit Henricus Moravus; quartus vero Hermannus Teuto, uterque nobilis et propter rerum præclare gestarum magnitudinem inter Beatos ævi sincerioris deputatus. Hos INTEGRO ANNO salutaribus præceptis imbuens ad eum efformavit modum, ut non tyrones, sed veterani Religiosi, sanctimonia vitæ illustres, zeloque ardentissimo amplificandæ tuendæque fidei exæstuantes ab B omnibus suspicerentur atque haberentur. *Hic vides, integrum annum tirocinio S. Hyacinthi sociorumque tribui, qua in re Bzovius Leandrum Albertum et Ferdinandum de Castillo secutus est.*

cui Malvenda contra opinionem aliorum

19 *Contra vero Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1218 *cap.* 26 *contendit, istud tironicii tempus multo brevius fuisse, et opinionem suam probare nititur his argumentis :* Mansisse sanctum Hyacinthum cum sociis integrum annum in Conventu sanctæ Sabinæ, tyrocinia Religionis exercentem, majoremque anni partem sub disciplina sancti Dominici, qui tunc ibidem præsens aderat, ejus mores et virtutes imitari satagentem exegisse, Leander, Castillus, Bzovius et alii sunt auctores. At mihi ista reputanti difficultas oboritur; cum quod Annales Polonici, quos supra retulimus, aperte dicaut, Ivonem quatuor ejus socios, jam habitu sanctæ Religionis indutos, secum in Poloniam reduxisse; quem tamen haud est verosimile, integrum annum Romæ exspectasse, ut illi, novitiatus elapso tempore, profiterentur: præsertim C cum iidem Annales referant, Ivonem tempore excitati Neapoleonis jam Romæ omnia negotia sua opera Ugolini Cardinalis, episcopi Ostiensis; expedivisse; tum quod Clemens VIII in Bulla canonizationis, ut vidimus, diserte asserat, Hyacinthum perexiguo tempore, omni sancti Dominici disciplina instructum, e manibus ejusdem Viri Dei habitu suscepto, ac expresse illius Religionem professum, in Poloniam cum sociis rediisse. At quod ait; EXIGUO TEMPORE, de anno novitiatus procul dubio minuit, cum novitiatus tempus justum sit, quo quis egregie instrui possit in disciplina monastica.

spatium duorum aut trium mensium assignat.

20 His adde, quod non potuit Hyacinthus cum sociis a sancto Dominico in Poloniam mitti, ejusque benedictione proficisci (quod tamen plerique tradunt) mox ut explevit integrum annum probationis, cum sanctus Pater eo tempore in Hispaniis egerit, nec Romam post discessum in Hispanias, nisi ad finem anni MCCXIX redierit, ut suo loco dicemus. Conjectamur ergo, quod in aliis sæpe factum jam observavimus, Hyacinthum et tres ejus socios exiguo tempore, nempe duos aut tres menses, in sancta Sabina apud sanctum Dominicum Religiosæ vitæ formulam hausisse et omnem vitæ sancti Patris rationem animo defixisse, moxque indulgentia et concessione summi Pontificis, vel, more tunc recepto, emissa professione, quia necessitas id poscebat, amandatos a sancto Viro in Poloniam hoc ipso anno, iterque in comitatu Ivonis, qui eos reducebat, ad Carinthiam usque fecisse. *Joannes a sancta Maria inter Acta Gallica Sanctorum et Beatorum ex Ordine S. Dominici tomo* 2 *pag.* 154, *seu in Vita* S. Hyacinthi *cap.* 3, *hanc Malvendæ opinionem approbat, quam nos etiam probabiliorem putamus, licet illa controversia certius decidi posset ex Stanislao Cracoviensi, si hic in Ms. sua lucubratione tempus tirocinii exacte determinaverit.*

In Poloniam rediturus cœnobium Frisaci condit,

21 *Tum domestici tum exteri scriptores tradunt,* S. Hyacinthum *in illo itinere versus Poloniam divertisse Frisacum, quæ est urbs Carinthiæ, ibidemque cœnobium sui Ordinis ædificasse. Cum autem Sanctus ibi sex mensibus commoratus esset, Cracoviam rediturus constructo recens cœnobio Frisacensi præfecit Hermannum Teutonem quem Leander Albertus in Actis huic Commentario subnectendis* Conversum, *id est, Fratrem laïcum appellat. Sed Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum Christi* 1218 *cap.* 27 *illam Leandri appellationem refellit hoc modo :* At quod Leander et alii fratrem Hermannum Teutonicum a sancto Hyacintho Frisacensi Conventui Præpositum (quem nos Priorem vocamus) relictum, Conversum fuisse tradant, nihil ejusmodi Clemens VIII aut Annales provinciæ Poloniæ a Patre Magistro Abraham Bzovio ad nos missi indicant; nec facile creditu est, sanctum Hyacinthum numeroso Conventui tot sacerdotum et sacris initiatorum, Conversum Fratrem sine ullo sacro Ordine imposuisse Priorem; tametsi id olim in Minorum Ordine usitatum sciamus, et sanctum Didacum Conversum, Guardianum aliquando fuisse sincera ejus Acta testantur. Sed in Ordine Prædicatorum numquam id usurpatum legimus. *Si quis plura de hoc Hermanno scire cupit, consulat Bzovium in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1245 *num.* 14, *ubi inter alia in elogio hujus Hermanni asserit, illum habuisse scientiam cœlitus infusam, et idiomate* Latino, Alemanno, Boëmo, et aliis sermonibus *promptissime conciones instituisse. Hæc autem omnia favent opinioni Malvendæ, et non videntur ea Fratri laïco convenire.*

diciturque fuisse primus Poloniæ Provincialis,

22 *Severinus Cracoviensis in Vita* S. Hyacinthi *lib.* 1 *cap.* 5 *pag.* 19 *de eo hæc habet :* Beatus Hyacinthus provinciæ Poloniæ primus fundator exstitit, in qua diversis in partibus fundans monasteria, primus Provincialis fuit, eamque pluribus annis rexit, ut patet ex Calendario antiquissimo, Leopoli civitate Russiæ scripto. *Deinde cap.* 6 *ejusdem libri primi pag.* 27 *asserit, eumdem Sanctum* quadraginta uno anno *Poloniam vicinasque provincias moderatum esse. At neque antiquissimo Calendario Leopolitano, neque illa Severini assertione movetur Joannes a sancta Maria Dominicanus, qui in Vita Gallica* S. Hyacinthi *cap.* 16 *rotunde negat, hunc Sanctum umquam provinciæ Polonicæ præfuisse, multo minus eam quadraginta annis gubernasse.*

quod negat Joannes a sancta Maria Dominicanus,

23 *Tum Joannes ibidem hanc opinionem suam ita probat : Anno Christi* 1221, *inquit, quo S. Dominicus secundum Capitulum generale celebravit, Ordo Prædicatorum divisus est in octo provincias, et provincia Germaniæ complectebatur Poloniam, eique provinciæ Henricus ab illo tempore*

AUCTORE C. G.

tempore usque ad annum 1228 *præfuit. Cum autem numerus Conventuum feliciter cresceret, eodem anno Christi* 1228, *quo generale Capitulum Parisiis habitum est, B. Jordanus Magister generalis Germaniam a Polonia separavit ac in duas provincias divisit, primumque Poloniæ Provincialem constituit Gerardum Vratislaviensem, qui postea ad episcopatum in Russia assumptus est. Anno* 1235 *in gubernatione ejusdem provinciæ huic successit B. Ceslaus, quem deinde secuti sunt alii. qui recensentur in catalogo Priorum Provincialium Poloniæ, inter quos humilis et apostolicus* S. Hyacinthus *numquam locum habere voluit. Hactenus Joannes a sancta Maria, cujus sententia ex Abrahamo Bzovio, Thoma Malvenda, veteribusque Ordinis Dominicani Capitulis confirmari potest.*

cujus opinio confirmatur.

24 *Attamen Severinus Cracoviensis in laudata* S. Hyacinthi *Vita lib.* I *cap.* 24 *pag.* 62 *sic confidenter scribit* : Primus post beatum Hyacinthum Provincialis provinciæ Poloniæ reverendus P. F. Gerardus, natione Theutonicus, per reverendissimum Magistrum Ordinis Jordanem præfectus et B confirmatus anno MCCLVIII. *Hac temporis computatione, ni fallor, Severinus indicare voluit, R. P. F Gerardum istum usque ad annum* 1258 *provinciæ Poloniæ præfuisse. Sed haud dubie scriptor ille in eo computo hallucinatur, cum Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1232 *num.* 12 *de eodem Gerardo scribat sequentia* : Is porro *(nimirum Gregorius IX Pontifex, de quo ibi agitur)* Fratris B. Gerardi, nuper Provincialis Poloniæ, probitate et dexteritate perspecta, cum genti Ruthenorum recens conversæ primum præfecit episcopum, cum antea Provinciali Poloniæ amplissimum facultatem contulisset, causas matrimoniales in Russia emergentes discutiendi. *Præterea Severinus errat in viginti duobus primis Poloniæ Provincialibus, ut supra num.* 7 *ex Echardo retulimus.*

Sigismundus Ferrarius contra aliquos probat,

25 *Laudatus Severinus lib.* I *cap.* 6 *pag.* 27 *ejusdem Vitæ suspicatur, provinciam Hungariæ ab apostolico illo Viro etiam institutam fuisse. Verum Sigismundus Ferrarius Dominicanus in Opere de Rebus Hungaricæ provinciæ sacri Ordinis Prædicatorum part.* I *cap.* 3 *hanc suspi-* C *cionem ita refellit* : Non defuere scriptores, e quibus Severinus Cracoviensis, qui sanctum Hyacinthum Odrovansium Polonum hujusce provinciæ Hungaricæ prima fundamenta jecisse putarint, propterea quod Ordinis Prædicatorum primus in septemtrione fundator nuncupetur et fuerit. Verum ea ratio, quod intendit, nequaquam evincit: aliud enim est, primum fuisse fundatorem Ordinis in septemtrione; aliud, primum fuisse fundatorem peculiaris alicujus provinciæ in septemtrione existentis. Ad illud enim sufficit, in septemtrionem ante quemcumque alium, in quacumque id factum fuerit parte, Ordinem invexisse; ad hoc autem necesse fuerit, ut in ea peculiari provincia, cujus quis dicitur fundator, in eaque regione, ex qua Ordinis illa provincia denominatur, Religionem erexerit. Sanctissimus sane Hyacinthus primum Frisaci in Carinthia nobilissimum monasterium exstruxit anno Christi MCCXVIII; unde primus in Prædicatorum Ordine Germanorum apostolus a Malvenda infra citando merito dictus est; et inde digressus Cracoviam, inibi etiam eodem anno monasterium aliud fundavit, aliis etiam subinde Conventibus exstructis, ut epistola beati Patris Dominici ad Fratres et Priores Poloniæ data anno MCCXXI (quam habes apud Abrahamum Bzovium, Thomam Malvendam, Michaëlem D Plodium, aliosque scriptores) aperte manifestat. *At in Commentario prævio ad Acta S. Dominici* § 42 *et* § 45, *sive tomo* 1 *Augusti pag.* 514 *et* 524 *cum Echardo Dominicano evidenter ostendimus, hanc epistolam S. Dominico ab aliquibus perperam tribui, eamque pertinere ad Joannem Theutonicum, quartum Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, qui illam Londini anno* 1250 *ad Fratres dedit.*

Sanctum non fuisse primum fundatorem Ordinis Prædicatorum in Hungaria,

26 *Porro Ferrarius ratiocinium suum ita prosequitur* ; Monasterium Pragæ in Boëmia per Fratrem Ceslaum, germanum uterinum, nomine sancti Clementis erexit anno MCCXXII, ut ex Malvendæ Annalibus est videre. Sed nusquam legitur, eum primo monasteria in Hungariæ regione extruxisse. Accedit, quod hujusce rei historiæ nostri Ordinis de sancto Hyacintho non siluissent, cum tamen, ipso Severino teste, nullam omnino mentionem faciant: PROVINCIA VERO, inquit, HUNGARIÆ, QUÆ EST REGNO POLONIÆ PROPINQUISSIMA ET CONVICINA, LICET PER BEATUM HYACINTHUM CREATA * FUISSE CREDATUR, NON TAMEN HISTORIÆ VERITAS DE IPSA E MENTIONEM FACIT. Primus itaque Ordinis Prædicatorum in Hungaria fundator fuit beatus Paulus natione Hungarus, quamquam peculiarem ejus patriam scire hactenus non liquerit. Id tradunt Theodoricus, S. Antoninus, aliique antiqui rerum nostrarum scriptores, et ex eis Bzovius ecclesiasticorum post Baronium Annalium conditor, Castillus, Plodius, Malvenda, ceterique recentiores. *Etiam in S. Dominici de hoc F. Paulo Hungaro mentionem fecimus.*

* lege ERECTA

ac ipsi scriptores Dominicani impugnant

27 *Malvenda in Annalibus Prædicatorum ad annum* 1221 *cap* 6 *putat, Sanctum nostrum ex Polonia venisse ad secunda comitia generalia Ordinis Prædicatorum, quæ Bononiæ exeunte Maio anni* 1221 *celebrari cœperunt, et hanc opinionem suam exprimit his verbis* : Existimamus quoque interfuisse huic generali Capitulo sanctum Hyacinthum, fundatorem Ordinis in provincia Poloniæ : is enim cum sociis manens adhuc in domuncula illa lignea apud episcopum Cracoviensem, viribus omnibus prædicationi verbi Dei et propagationi Ordinis insistebat; et pro muneris sui ratione, cum vir magni nominis esset, Religionemque primus in Germaniam Poloniamque importasset, ac Prior, monasterii Cracoviensis existeret, F non dubitamus, eum ad Capitulum generale hujus anni venisse, ut statum Religionis in sua provincia Patribus exponeret, novaque mandato pro conservando et dilitando Ordine acciperet. *Ita quidem ille.*

quædam inverisimilia ejusdem Sancti gesta.

28 *Sed Severinus Cracoviensis in Vita* S. Hyacinthi *lib.* 1 *cap.* 9 *pag.* 32 *narrat, eodem anno* 1221 *non procul Cracovia ab eo filium dominæ Falislavæ ad vitam revocatum fuisse festo translationis sancti Stanislai martyris, quod in Polonia quotannis die* XXVII *Septembris celebratur. Hinc Joannes a sancta Maria in citatis Actis Gallicis ejusdem Sancti cap.* 16 *contra Malvendam argumentatur hoc fere modo : Non est verisimile,* S. Hyacinthum *secundo Capitulo generali interfuisse, quod Bononiæ exeunte Maio anni* 1221 *habitum est, cum antiqua et certa Vitæ ejus historia tradat, quod ipse eodem anno circa finem Septembris mortuum filium dominæ Falislavæ resuscitaverit, et aliunde satis constet, non superesse sufficiens temporis spatium, ut quis a festo sanctissimæ Trinitatis usque ad diem* XXVII *Septembris ex urbe Bononiensi in Poloniam sive Cracoviam*

AUCTORE G. C.

A *am pedes perveniat. Non est contemnendum istud laudati Joannis argumentum, si hoc tempus mortui resuscitati in antiqua historia Stanislai Cracoviensis diserte exprimatur. Saltem Severinus Cracoviensis huic miraculo festum translationis S. Stanislai martyris expresse assignat, ut infra iterum videbimus.*

quæ ab aliis Dominicanis ei tribuuntur.

29 *Michaël Pio sive Plodius in Opere Italico de personis illustribus Ordinis Prædicatorum part.* I *lib.* I *cap.* 26 *apud nos col.* 41 *asserit, regem Tartarorum ab eodem Sancto ad fidem Christi conversum, et anno* 1245 *adductum fuisse ad synodum Lugdunensem, ibique principem illum cum multis regni sui magnatibus solenniter baptisma accepisse. Sed huic relationi iterum contradicit Joannes a sancta Maria, qui loco proxime citato censet, id non esse probabile, tum quod veteres historici hac de re sileant, tum quod* S. Hyacinthus *anno* 1244, *die* XXVII *Septembris, adhuc Cracoviæ commoraretur, et synodus Lugdunensis exeunte Junio anni* 1245 *celebrata fuerit. His addit, non esse verosimile, quod ille Sanctus intra tam breve temporis spatium in Tartaria fuerit, regem ad Christianam religionem conver-* B *terit, eumque secum Lugdunum Galliæ adduxerit. Tamen iste scriptor Gallus admittit, forte antea vel postmodum alia occasione contigisse, ut hic Sanctus principem quemdam Tartarorum ad fidem Christi perduxerit. Denique varii auctores neoterici tribuunt eidem Sancto apostolicas expeditiones in Tartaria majore, regno Thibet, aliisque vastis regionibus usque ad murum, qui Tartariam majorem ab imperio Sinensi separat. Nos hæc longinqua* S. Hyacinthi *itinera testimonio Stanislai Cracoviensis, aliisve antiquis monumentis comprobata cuperemus. Jam his controversis narrationibus certiora ejusdem Sancti miracula subnectemus.*

§ IV. Deiparæ apparitio huic Sancto facta, et quædam prodigia ab ipso adhuc vivente patrata.

C

Deipara apparet Sancto,

Quamvis non ignorem, pleraque hæc tum in Bulla canonizationis, tum in Actis infra edendis, breviter repetenda esse, tamen hic eadem ad gloriam S. Hyacinthi *fusius transcribere volui, quia R. P. F. Severinus Cracoviensis memorat singularia et distinctiora istorum miraculorum adjuncta, quæ alibi omittuntur. Itaque jam laudatus sæpiusque laudandus ille scriptor in Vita* S. Hyacinthi *lib.* I *cap.* 8 *apparitionem Deiparæ Sancto huic factam narrat his verbis* : Erat autem ad exemplar sancti Dominici beatus Hyacinthus gloriosissimæ Virgini Mariæ devotissimus, ita ut omnia sua opera dies noctesque coram imagine ejusdem diligenter et ferventer atque cum lacrymis commendaret. Unde contigit quadam die solenni Assumptionis ejusdem gloriosæ Virginis, eumdem ante altare ejusdem in ecclesia Cracoviensi Fratrum Prædicatorum ferventius orantem, et in oratione magnitudinem mysterii et immensæ gloriæ ejusdem Virginis, quæ hac die concessa erat, contemplantem, raptum fuisse spiritus dulcedine, et præ nimio gaudio lacrymis offusum, per omnia mysteria Incarnationis devote discurrisse atque in suo corde per desiderium æternæ beatitudinis inflammatum fuisse.

cujus gratiam miraculorum spondet,

31 Cum vero ex intensissimo affectu, ut admitteretur ad æternam gloriam per divinam gratiam, lacrymabili voce deprecatus fuisset, ecce subito vidit maximam lucem super altare descendere de cælo, cujus splendore oculi ipsius dulciter reverberabantur; in medio vero illius supernaturalis lucis æternæ beatitudinis regina Mater Dei videbatur sensibiliter apparere, quæ dixit ad eum : Fili Hyacinthe, gaude, quia orationes tuæ acceptæ et gratæ sunt in conspectu Filii mei Salvatoris omnium, et quidquid petieris nomine meo mediante, per me apud eum impetrabis. Atque his dictis, cum illa admirabili luce et melodiæ angelicæ concentu ferebatur in cælum, post se dulcem harmoniam et admirabilem suavitatis odorem relinquens, quem humana lingua, æternis non assueta, explicare non potest. Post igitur hanc visionem et dulcem allocutionem beatus Hyacinthus plurimum recreatus, in tantam fiduciam excrevit, quod etiam impossibilia naturæ humanæ, factibilia tamen per Dei potentiam, cito et facile a Deo impetraret, et ex tunc per divinam virtutem miraculorum operationi se accinxit, quæ post tempora Apostolorum valde paucis concessa leguntur, quæ ex ordine singula recensebuntur. E Visionem autem beatus Hyacinthus sub secreto revelavit Floriano et Godino Fratribus, eos invitando ad gloriosæ Virginis ampliorem devotionem, asserens, eam protectricem Ordinis et specialem consolatricem filiorum beati Dominici existere.

qua fretus pridie submersum

32 *Tum capite sequente resuscitationem mortui sic refert* : Anno Domini MCCXXI in die Translationis sancti Stanislai martyris, qui est patronus regni Poloniæ, contigit beatum Hyacinthum iter facere ad locum dicti patroni, qui dum transiret navigio Vandalum fluvium, qui Latine vocatur Istula, eo quod aqua mirum in modum excreverat, invenit in littore multitudinem nobilium et simplicium plangentium super corpus cujusdam nobilis Petri de villa, quæ vulgariter dicitur Proschovo, qui raptu fluvii de equo cadens submersus fuerat. Cum igitur beatum Hyacinthum vidisset mater submersi domina Falislava, eo quod noverat vitam ejus sanctam et conversationem Deo gratam, procidit ad pedes ejus; cum lacrymis dicens : Homo Dei, Pater Hyacinthe, scio, te esse F famulum Dei devotum plenum pietate et misericordia; vide nunc meam miseriam, quia unicum filium habui, quem nunc mortuum video. Quid misera nunc faciam, quia orbata sum marito et filio charissimo ?

ad vitam revocat,

33 Tunc beatus Hyacinthus misericordia motus, qua affluebat, profusis lacrymis, discedens a multitudine flexis genibus oravit, et reversus ad corpus, dixit ad matrem defuncti : Filia Falislava, quando submersus est filius tuus ? Respondit heri hora vespertina ; sed primo hodie inventus est; ideo, dilecte Pater, consoleris me miseram. Tunc beatus Hyacinthus accedens ad corpus, accepit manum defuncti, et dixit : Petre, Dominus noster Jesus Christus, cujus gloriam ego prædico, per intercessionem beatissimæ Virginis Mariæ restituat te vitæ pristinæ Qui statim surrexit, gratias Deo agens et famulo suo beato Hyacintho. Hoc miraculum protestati sunt, qui oculis propriis viderunt, videlicet dominus Laszota miles, dominus Zegota pincerna, dominus Prandotha decanus ecclesiæ cathedralis, qui postea factus est episcopus Cracoviensis, et dominus Philippus Canonicus ejusdem ecclesiæ, et præter hos multitudo innumerabilis sexus utriusque. *Ex die*

AUCTORE G. C.

die et anno, quibus hoc miraculum contigit, *Joannes a sancta Maria adversus Malvendam contendit, S.* Hyacinthum *secundo Capitulo Bononiensi non interfuisse, ut paragrapho præcedente monuimus.*

mulierem paralyticam

34 *Deinde Severinus Cracoviensis capite decimo ejusdem libri subitaneam mulieris paralyticæ sanationem ita exponit :* Anno Domini MCCXXII in crastino sanctissimæ Trinitatis quædam generosa domina, quæ Iudka de Koscieliecz vocabatur, percussa paralysi in lingua, ita ut nec loqui nec verbum ullum formare poterat; habuitque filium, nomine Prandotham, qui naturali affectu matri compatiens, non modicam pecuniam in medicis consumpserat, quibus non proficientibus, humanoque adjutorio deficiente, matrem paralyticam ad beatum Hyacinthum, cujus sanctitatis famam audiverat, Crocoviam deduxit, vocatoque beato Viro dixit : O felix Hyacinthe, ecce filiam tuam, matrem meam, ad te adduxi, quæ nec loqui nec verbum ullum formare potest jam amplius quam sex hebdomadis. Quare te obsecro, ut eam per tuam intercessionem adjuves.
B Tunc dixit sanctus Vir : Filia mea Iudka, Dominus Jesus Christus liberet te ab hac infirmitate et restituat tibi modulos loquelæ ; et statim solutum est vinculum linguæ ejus, et cœpit diserte loqui benedicens Deum, qui talia operatur per Sanctos suos. Huic curationi multi interfuere utriusque sexus.

et alteram jam morti proximam subito sanat.

35 *Nunc sequitur mira alterius mulieris moribundæ sanatio, quam Severinus præcedenti miracuto sic subjungit :* Quædam domina ægritudine mortali percussa devenerat usque ad extremam horam, et desperans de humano adjutorio, sanctum Hyacinthum ad se vocavit, petens cum lacrymis, ut sibi manus imponeret; qui cum venisset ad eam, dixit ei : O felix Hyacinthe, quid faciam, si oratio tua mihi non proficiet ad salutem? Quapropter obsecro te, ut misericordiæ divinæ auxilio expostulato, manum capiti meo admoveas. Cum vero sanctus Vir, adhibita manus impositione, Altissimum pro ea deprecaretur, ecce subito, omnibus ad miraculum stupentibus, ab imminente morte liberata, et perfectæ sanitati per merita beati Hyacinthi est restituta. Hoc factum fuisse Processus testatur anno Domini MCCXXII in die sancti Hieronymi.

C

Sanctus sine navi fluvium Vandalum

36 *His idem auctor addit duas prodigiosas fluminum trajectiones, cum aliis miraculis conjunctas, quarum primam cap.* 12 *refert his verbis :* Contigit, beatum Hyacinthum in Ducatu Mazoviæ in districtu Plocensi Vissogradum, Ducis Mazoviæ urbem, prædicando verbum Dei attingere, ubi ex altera parte fluminis ad urbem pro prædicatione properanti per tumentem Vandalum fluvium, qui eo tempore supra modum alveum suum excesserat, transeundum erat. Cum vero nullam navem vel nautam inveniret, qui ipsum in adversam ripam trajiceret, destitutus humano auxilio, spe in Deum et firma fiducia erectus ad eos, qui secum erant, Godinum, Florianum et Benedictum Fratres corde devoto atque constanti verbum depromens dixit : Fratres charissimi, oremus omnipotentem Deum, cui cælum, terra, mareque et fontes aquarum obediunt, ut nos hunc fluvium rapidum et profundum transire faciat. Quibus ad jussa Sancti ad orationem genua flectentibus, Deumque deprecantibus, beatus Hyacinthus se erexit, et, impresso in Vandalum fluvium Dominicæ crucis signo, calcare aquas desuper cœpit, quæ illi ad modum solidæ materiæ divinum obsequium præstitere,

D

cum sociis mirabiliter trajicit,

37 Tunc dixit ad socios, præcedens ipsos super undas aquarum sicco calcaneo : Sequamini in nomine Christi vestigia mea, et in virtute Omnipotentis nequaquam diffidite. At vero Fratres socii ad tam stupendum miraculum attoniti, minusque fidei Apostolicæ innixi, ejus vestigia sequi non præsumpserunt. At ille ad eos conversus, depositamque cappam super undas expandens, dixit ad Fratres : Ut quid dubitatis, charissimi filii, factoque iterum signo sanctæ crucis, sic ait : Iste sit pons Jesu Christi, super quem in nomine ejus transeamus per hanc aquam nimiam. Et transierunt, substratis sibi ad solidæ materiæ modum fluminis undis, sancto Hyacintho cappam, in qua stabant, versus civitatem dirigente ; quod videntes illius civitatis homines, supraque modum stupentes admirati sunt, benedicentes Dominum, qui mirabilia in Sanctis suis facit opera.

cujus miraculi vestigia adhuc apparere dicuntur,

38 Hoc miraculum non solum veritas historiæ attestatur, de quo scribit Mathias Miechoviensis, Cracoviensis ecclesiæ cathedralis Canonicus lib. 3 Historiarum Poloniæ cap. 13. Fernandus de Castillo, Albertus Leander, et ceteri Domini-
E canæ familiæ historici locis, ut supra in præfatione positis, attestantur, verum etiam communis vox totius regni Polonia. Quidam etiam asserunt, se-
reno tempore super fluvium huc usque notabiliter Sancti vestigia aquæ currenti impressa apparere, nec ulla temporum intercapedine deleri, ad perpetuam divinæ potentiæ gloriam, et sancti Servi Dei commendationem. *Forsan istud impressorum vestigiorum prodigium, quod etiam in alio fluvio adhuc apparere traditur, quibusdam incredibile videbitur. Sed Petrus Ribadeneyra noster parte* 2 *Floris Sanctorum pag.* 418 *in Vita Hispanica* S. Hyacinthi *respondet, Deo nihil esse impossibite, quamvis hoc miraculum prorsus singulare et maxime stupendum videatur. Cum itaque sciamus, non esse abbreviatam manum Domini, et testes jurati affirment, vestigia illa a se visa esse, hoc prodigium quantumcumque mirabile prudenter admittimus.*

et similiter alio tempore

39 *Denique Severinus ibidem cap.* 13 *alteram similem fluvii trajectionem narrat hoc modo :* Licet apud supradictos historicos de hoc sequenti miraculo nulla sit mentio, vel saltem veritatem historiæ confundant, qui Kioviam Mazoviæ ur- F
bem esse existimant, et Vissogradum Moscoviæ civitatem, cum una ab altera plus quam ducentis et quinquaginta leucis distet ; nihilominus tamen ex Processu authentico per juratos testes, coram commissariis Sedis Apostolicæ deponentes, veritas facti est probabilis et fide digna : prædicti enim testes Dorothea Pilavina testis 115, et generosus dominus Stanislaus Gursky vice-capitaneus Cracoviensis testis 153, et generosus dominus Joannes Pieniazek judex terræ Cracoviensis, et causarum coram majestate regia referendarius testis 408, corporali juramento deposuerunt, se apud Kioviam Russiæ urbem vidisse vestigia super aquam rapidissimi Borysthenis fluvii impressa per totum fluvium de ripa in ripam unius hominis, quæ omnium fama communi et voce beati Hyacinthi esse ab omnibus populis dicuntur.

fugiens irruptionem Tartarorum

40 Historiæ autem veritas sic habet : Cum etenim beatus Hyacinthus a Kioviæ duce locum pro monasterio construendo impetrasset, et ubi quinque annis continuis prædicando et monasterium construendo numerosam multitudinem ad Christum converteret, et Conventum Fratrum instituisset, quodam tempore cum jam in Poloniam redire

A redire statuerat, ipso ad altare sacra mysteria perficiente, seque devotissime divinæ providentiæ commendante, ecce subito ex repentino Tartarorum incursu clamor in urbe exortus est; qui cum ad Fratres Conventus pervenisset, ipsi nimio terrore perterriti ad sanctum Virum, divina mysteria peragentem, in ecclesiam accurrerunt et conclamantes dixerunt: O beate Pater, actum est de nobis; fugiamus quantocyus, ut possimus infidelium Tartarorum manus effugere, qui violenta jam manu portam monasterii effringunt. Quo audito, Vir sanctus cum omnibus aliis Fratribus sic ut vestibus sacris indutus erat, accepto ex sacrario divinissimo Sacramento, fugere cœpit.

et secum ferens gravem Deiparæ statuam,

41 Et cum mediam ecclesiam transiisset, imago gloriosæ Virginis ex lapide alabastrino, pondere quatuor vel quinque talentorum, magna voce post ipsum clamare cœpit: O fili Hyacinthe, effugis manus Tartarorum, et me cum Filio meo dissecandam et conculcandam relinquis. Accipe me igitur tecum. Ad ejus vocem attonitus sanctus Hyacinthus dixit: O gloriosa Virgo, est nimis gravis istæc imago tua, et quomodo eam asportare potero? Respondit Virgo: Accipe, quia
B alleviabit pondus Filius meus. Quo audito, sanctus Vir una manu sacrum Christi corpus tenens, altera imaginem bajulans, quæ illi arundine levior esse videbatur, per medios infideles, qui monasterium depopulabantur, sanguineque omnia replebant, illæsus una cum Fratribus portam exivit, et per Borysthenem fluvium, substrata Fratribus suis cappa, siccis pedibus in alteram partem fluminis trajecit, proinde et se et suos Fratres a periculo liberavit: ad cujus miraculi vivum ac sempiternum testimonium in fluvio hoc rapidissimo semitam reliquit, quam se vidisse prædicti testes sub juramento affirmarunt. Imaginem vero illam secum usque Cracoviam detulit, quæ ad pondus suum primum, quod lapidi natura dederat, iterum rediens, a populis huc usque in veneratione habetur.

Borysthenem siccis pedibus transit,

42 Sunt etiam aliqui, qui a suis senioribus se audivisse perseverant affirmare, quod beatus Hyacinthus idolum quoddam in medio fluminis prædicti super quadam insula erectum, quod ab illo
C populo adhuc infidelitate detento pro Deo colebatur, demoliri volebat; et quia navi caruit, accensus fidei zelo super aquas ambulans usque ad idolum pervenit, et illud ad terram dejiciens in frusta contrivit: atque dum reverteretur per undas, ut primo calcans diabolum in specie hominis in medio fluvio sibi contrario occurrentem habuit, qui tali voce ad eum prolocutus est: O infelix Iaczko, cur me his locis in pace regnantem deturbasti? Nunc enim propter tuam fidem et orationem cogor recedere. Sanctus autem Vir cognoscens in spiritu, ipsum fuisse diabolum cum ira in ipsum exardescens baculo suo, cui innitebatur, eum percutiens, usque ad ripam post ipsum currendo super aquas, fluvium trajecit, atque ibidem dæmone disparente, ad Conventum Kioviensem rediit; cujus miraculi licet testes absint et scripturæ, non tamen traditio et picturæ: nam in pariete ecclesiæ Conventus Cravoviensis a ducentis et octuaginta annis inter cetera sancti Viri miracula hoc spectrum beati Hyacinthi cum dæmone in medio flumina luctantis depictum, fidem aliquam probabilem intuentibus præbet.

43 *Etiamsi Acta Leandri Alberti et Bulla Clementis VIII de hac Borysthenis trajectione non meminerint, lamen magnificus D. Cynus Campanus, advocatus consistorialis eam ex antiquo testimonio Stanislai Cracoviensis confirmat, dum apud sæpius laudatum Severinum pag.* 366 *et* 367 *coram summo Pontifice et eminentissimis Cardinalibus in elogio* S. Hyacinthi *recitavit sequentia*; Sed aliud stupendum simile miraculum, quod antiquus liber scriptus Stanislai refert. Tartaris civitatem Kioff invadentibus, beatus hic Vir, sanctissimo Sacramento manibus suscepto, et imagine beatissimæ Virginis, supra suas vires gravi et ponderosa, super humeris imposita, ne a barbaris ab omni pietate et cultu alienis conculcarentur, Borysthenem fluvium, Europam ab Asia dividentem, sua rapiditate et profunditate metuendum, siccis pedibus pertransivit, et sacra, quæ ferebat, in tutissima statione collocavit. *Quod vero attinet ad luctam Sancti cum dæmone in eodem fluvio, si ea historia tempore Severini Cracoviensis, qui librum suum Romæ anno* 1694 *edidit, jam ante ducentos octoginta annos in pariete ecclesiæ Cracoviensis depicta fuerit, ex retrograda annorum supputatione sequitur, traditionem illam non diu post initium seculi* XIV *viguisse, et lucubratione Stanislai antiquiorem esse, adeoque non exiguam fidem mereri.* E

AUCTORE G. C. quæ duo prodigia testibus juratis confirmantur.

§ V. Alia ejusdem Sancti miracula, quæ tempore vitæ suæ patravit.

Sanctus segetem

Severinus Cracoviensis cap. 14 *et sequentibus citati libri primi alia* S. Hyacinthi *adhuc viventis prodigia sic narrare pergit*: Anno Domini MCCXXXVIII eum beatus Hyacinthus ex Kiovia Russorum metropoli Cracoviam redisset, quædam matrona nobilis, nomine Clementia, de villa Koszelecz, audito Viri sancti regressu, cum magna devotione (utpote confessorum suum) sanctum Hyacinthum de Cracovia ad villam supradictam pro festo sanctæ Margaritæ recreandum et refocillandum invitavit; qui cum eo in vigilia istius Sanctæ venisset, tanto turbine pluviarumque ingruentia et grandinis pondere totius illius possessionis segetes percussas non sine dolore reperit, ita ut nihil penitus in camporum jugeribus præter stramina stipulasque quassatas aliud cerni poterat. F
Quo ingrediente domum prædictæ matronæ, eadem cum fletu et lacrymis, lamentabili voce provoluta pedibus ejus, ad eum sic ait: O felix Pater Hyacinthe, quid faciam et quo me vertam, ignoro, namque te pro mea consolatione spirituali invitavi; nunc vero cum dolore cordis animique mei dejectione in domum meam recipio: omnia enim, quæ in campis sata habui, una hora grandine percussa et annihilata perdidi. Adjuva me, obsecro, in tua coram Deo oratione confidentem. Hæc adhuc ipsa loquente, ecce multitudo virorum ac mulierum ad pedes beati Hyacinthi flentium et ejulantium procidernut, suique infortunii lamentabilem cantilenam depromentes, sic Sanctum sunt allocuti: O sancte Pater Hyacinthe, magna est fides tua et virtus operum tuorum, de qua audivimus; auxiliare nobis miseris, hoc infortunio famc periturus; namque, ut vides, omnium victualium nostrorum provisione per grandinem orbati sumus. Quoniam vero in multis probatum audivimus, in te omnibus a Deo misericordiæ exaudiri, idcirco supplices petimus, compatere nobis supplicantibus.

45 Beatus vero Hyacinthus matronæ illius et subjectæ

AUCTORE G. C. *grandine contritam reparat.* subjectæ multitudinis permotus lacrymis, ipsis ex intimo corde collacrymari cœpit. Tandem ad eos sic orditur: Æquanimiores estote, filii charissimi, et cum patientia sustinete tentationem et tribulationem vestram: Pater enim misericordiarum Deus, qui post tribulationem peccata remittens, consolationem inducit, consolabitur vos. Ite igitur in domos vestras, et ista nocte tota in orationibus vigilate. Quibus recedentibus, beatus Hyacinthus totam noctem insomnem duxit, atque pro tribulatis et afflictis coram Deo totus effusus cum lacrymis postulavit. Res mira, et omnium digna notatu! Namque quamprimum sol oriens radios porrexerat, ruricolæ in dic sanctæ Margaritæ suos omnes campos iterum annona plenos, culmis tritici et aliarum segetum erectis, acsi grandine numquam percussi fuissent, repererunt. Quo miraculo viso, omnes villæ illius cultores non nisi meritis beati Viri hæc adscribentes collectis vicinis, ad ejus pedes provoluti Deo gratias egerunt, qui per sanctum suum Hyacinthum mirabilia operatus, suæ creaturæ commiseratus est.

B 46 Anno Domini MCCXL tale factum fuisse, *matronæ sterili fœcunditatem prædicit,* probata narrat historia. Namque nobilis quædam domina Felicia Gruszouska, quæ marito suo conjuncta multorum bonorum possessionem habens, per viginti annos nulla prole edita nec opinionem amplius pariendi habens, sterilis permansit, et frequentes a viro suo ob hoc infortunii genus exprobrationes ac contemptus passa, maledictionis opprobrium non ferens (velut Anna mater Samuelis uxor Helcanæ) assiduis Deum fatigabat precibus obsecrans, ut eam a tali opprobrio liberaret, et successorem divitiarum labore partarum donaret. Quæ cum tot annis lacrymosa a Deo quæreret sæpius, a beato Hyacintho, cujus erat confessionis filia, querulosa precabatur. Tandem una vice, forsitan a viro suo nimis molestata, veniens ad beatum Virum cum lacrymis dixit: O Pater Hyacinthe, quid post tot despectus et contemptus mariti mei factura sum misera? namque propter sterilitatis meæ opprobrium et marito meo et cognatis meis sum exosa; obsecro, da manum adjutricem, et apud fontem pietatis Dominum Deum altissimum, qui vocat ea, quæ non sunt, C tamquam ea, quæ sunt, et in ejus conspectu facile est subito honestare pauperem, pro me peccatrice intercedere digneris: scio enim et firmiter credo, quod, te apud Deum exorante, heredem obtinebo, et a mariti mei opprobriis liberabor. Ad cujus preces Vir sanctus suspiria et lacrymas emittens, valdeque ei compatiens dixit: Vade, filia, Felicia, in domum tuam, fideique et spei in Deum heres filio donaberis: ecce enim paries talem natum, ex cujus genealogia et posteritate plures episcopi et barones generabuntur. Quæ dictis Viri Dei adhibens fidem, domum gaudens rediit, et non multo post ex viro suo concepit, et peperit filium, quem cum ablactasset, ad beatum Virum Cracoviam cum gratiarum actione et Dei laude attulit, omniaque esse adimpleta, quæ ex ore Sancti divino Spiritu prophetata sunt, coram multis fide dignis est protestata.

duos pueros 47 Beatum virum Dei Hyacinthum propter solennitatem Translationis gloriosissimi Stanislai martyris anno Domini MCCXLIV a prælatis ecclesiæ cathedredralis Cracoviensis, ubi sacrum martyris corpus a populo Christiano maxima veneratione colitur, ad prædicandum verbum Dei vocatum fuisse narrat historia. Ubi multitudine civium et nobilium ad prædictam solennitatem concurrente, ut ex beati Viri ore divini potarent verbi fluenta, D e monasterio quoque suo, ut prædicationis verbum ederet, properat vir Dei Hyacinthus. Cumque jam ad pedem montis, in quo regia domus et cathedralis ecclesia ædificata est, castro appropinquaret, ecce quædam mulier nobilis matrona, Vitoslauska cognomine, currui insidens et filios duos cæcos ad solennitatem prædictam secum ducens, virum Dei beatum Hyacinthum obvium habuit; quo viso, e curru prosiliit, pedesque Sancti amplexata, et alta voce lacrymis irrigua, deprecata est dicens: Homo Dei, Pater Hyacinthe, jam novimus, super afflictos te habere viscera pietatis. Obsecro respice afflictionem et dissolutionem cordis mei, mihique oculum pietatis porrige: septem enim sunt anni, quod ego infelix hos duos, quos cernis habentes imagines deformatas, cæcos genui filios. Quapropter obsecro (cum tuæ apud Dominum semper sint exauditæ preces) intercedere digneris ad Dominum pro eis, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui solvit compeditos, qui illuminat cæcos: ex ore enim tuo audivi, E Deum voluntatem timentium se facere, deprecationem eorum exaudire, et salvos facere illos. Tu, qui per virtutem Dei mortuum resuscitasti, super aquas sicco pede ambulasti, multaque alia mirabilia sola ad Deum fusa prece fecisti, exerce in me omnipotentis Dei virtutem, filiosque meos mihi videntes redde, cum non sit apud Deum impossibilis omnis sermo, poteusque sit non tantum filios meos illuminare, verum etiam et de lapidibus filios Abrahæ suscitare.

48 His atque aliis apud Sanctum peroravit verbis. *a nativitate cæcos illuminat.* Substitit igitur Sanctus, et lacrymis offusus ex intimo affectu Deum benedictum per intercessionem gloriosæ Virginis Mariæ est deprecatus, ut cæcorum illorum misereretur. Et completa mentali oratione, accessit ad eos, factoque signo crucis super oculos utriusque, sic eos affatus est: Dominus Jesus Christus natus ex Virgine, qui cæcum natum illuminavit, ipse vobis beneficium oculorum impendat. Mira res, omnique admiratione digna! Vix Sanctus verba finivit, et ecce in locis, ubi nullum oculorum vestigium natum fuerat, oculi creati sunt, et statim ut ceteri homines visu donati sunt, et lumen oculorum recipientes, Deum auctorem omnium adoraverunt, Sanctique meritis hæc F sibi donata coram multitudine præsenti et quibusvis aliis constanter et fideliter protestati sunt; factumque tam grande miraculum, non solum Cracoviensem populum, verum etiam omnes finitimas et citeriores nationes perculit, in quo sit Deus benedictus in æternum.

49 Anno Domini MCCLVII, ultimo vitæ suæ *et adolescentem* anno, quædam nobilis domina vidua, cognomine Przybislauska, de villa, quæ vulgo dicitur Serniky, filium suum Vislaum, quem unicum habebat, ad beatum virum Hyacinthum, cujus spiritualis erat filia, Cracoviam devote supplicaturum misit, ut pro festo beati Jacobi Apostoli (cujus forte patrocinium in ejus villæ ecclesia parochiali celebrabatur) ad prædicandum verbum Dei dandamque spiritualem consolationem ad se venire non dedignaretur. Annuit Sanctus, dixitque ad filium ejus: Vislae fili, præcede iter meum: ego enim brevi sequar te. Quo audito, Vislaus cum gaudio properabat ad matrem, ut accessum Viri sancti nuntiaret. Et factum est dum præcessisset, venit ad fluvium, qui vulgariter Raba dicitur, qui ob ingentes pluvias noctis præcedentis multum inundaverat; et dum vellet transire fluvium

A fluvium cum suo armigero, aquæ currentis impetu raptus, nec resistere valens, equo dejectus, submersus est, nec amplius apparuit. Armiger autem ejus vix undarum pericula evadens, ad matrem submersi (quæ devotissime beatum Hyacinthum ad se venturum exspectabat) veniens lacrymabiliter mortem filiique sui casum nuntiavit; quæ infelici nuntio perterrrita pene exanimis facta est.

in fluvio submersum

50 Denique ad se rediens, lacrymis perfusa crinesque dispersa, repentiuo cursu cum aliis nobilibus matronis ac multis mulieribus et viris, qui ad prædicationem verbi Dei per beatum Hyacinthum audituri convenerant, ad ripam fluvii, ubi submersus est filius ejus, venit. Dumque maternis visceribus dolorose clamaret et lamentabiliter ejularet, ecce vir Dei sanctus Hyacinthus, socio suo Fratre Clemente comitatus, veniebat, et navigio transiens venit ad ripam, ubi filia ejus domina Prizbislauska cum multitudine mulierum et virorum tristem casum filii sui et mortem deplorabat; quem cum vidisset venientem, procidit ad pedes ejus cum lacrymis B et maternis ejulatibus dicens: O felix Pater Hyacinthe, quid in te commerui? Quid peccavi? Ego unicum filium meum Vislaum, quem habui, pro te misi vivum, et tu mihi reddidisti mortuum: ecce enim in reditu suo in hoc loco submersus est. Quid faciam misera? quia nec maritum nec filium habeo, et lumen oculorum meorum exstinctum video.

a morte resuscitat.

51 Tunc sanctus Hyacinthus paupulum discedens, flexis genibus ad Dominum Deum oravit, et cum ab oratione surrexisset, ad eos rediit dicens: Animo æquiore estote, statim videbitis gloriam Dei. Et ecce corpus defuncti adolescentis contra velocissimum impetum aquæ, divina virtute dirigente, ad littus, in quo stabant, applicuit: quod extrahentes, ante pedes Sancti locaverunt. Tunc mœsta mater cum aliis feminis, totaque multitudine præsente ad pedes Sancti provoluti, altis cœperunt deprecari vocibus: O felix Hyacinthe, reddidisti oratione mortuum; redde nunc etiam vivum. Tunc Vir Dei cum ea, quam semper habuit ad Deum, fiducia, ad corpus demortui accedens dixit: Fili Vislae, Dominus Jesus Christus, cui omnia C vivunt, ipse te vivificet. Et statim adolescens surrexit vivus, qui erat mortuus. Quod miraculum mœsta mater videns, cum ceteris præsentibus supplices Deum adoraverunt, et gratias egeruut ei, qui resuscitat mortuos et consolatur mœstos; factum vero per totam percrebuit Poloniam.

§ VI. Felix hujus Viri mors sive sanctitas ejusdem statim post obitum variis signis et revelationibus declarata.

Sanctus anno 1257, die 15 Augusti

Dlugossus sive Longinus lib. 7 Historiæ Polonicæ mortem S. Hyacinthi ad annum Christi 1257 refert, eumque ibi exornat sequenti elogio: Quindecima mensis Augusti, Nonarum hora, beatus Iaczko Ordinis Prædicatorum, genere nobilis Polonus districtus Opoliensis ex villa Lanka post multos labores et opera et in dilatatione fidei Christianæ et salutis animarum apud Poloniam et Russiam assidue exhibita, et patratione multorum et stupendorum miraculorum (inter quæ illud exstat insigne, quod apud Viszegradense oppidum, deficiente navigio, strata super undas cappa atque conscensa, cum tribus Fratribus sui Ordinis, videlicet Floriano, Goduino, et Benedicto, universo populo Wyszegradensi inspectante, Vislam fluvium sicco vestigio tranavit) famosus in cœnobio sanctissimæ Trinitatis Cracoviæ religiosissime devotissimeque vita excedit. Ad patriam claritatis æternæ a Matre misericordiæ canente IBO MIHI AD MONTEM MYRRHÆ, et angelico cœtu prosequente (quemadmodum virgini devotæ religioseque sanctimoniali Sromislauæ, in Zwierzynecensi monasterio professæ, per visum in mortis præfati sancti Iaczkonis articulo monstratum est) deductus, a Prandotha Cracoviensi episcopo et populi multitudine in eodem cœnobio sanctissimæ Trinitatis sepelitur.

AUCTORE G. C.

migravit ad Superos.

53 Tantis autem et tam frequentibus prodigiis illum in vita et post mortem insignire et glorificare dignatus est Altissimus, ut non solum dignus, sed etiam dignissimus (si ipsa prodigia neglectum a Polonis et a notitia Pontificis maximi suppressum iri non contigisset) canonizatione videatur. Quinque monasteriorum sui Ordinis, videlicet in Frisak, ubi E Fratrem Hermanuum Theutonem reliquit, in Cracoviensi ubi solus præerat, in Praga ubi Fratrem Hieronymum præfecerat, in Wratislavia quod Fratri Creslao et Fratri Godnio, in Gdansk * quod Fratri Benedicto commendaverat, primarius fundator. *Sic diu ante solennem* S. Hyacinthi *canonizationem scribit ille Canonicus Cracoviensis, quem in signando eodem mortis anno ac die sequitur illustrissimus Martinus Cromerus, dum in Opere de rebus Polonorum lib.* 9 *apud me pag.* 235 *obitum ejusdem Sancti ita memorat*: Eodem anno, qui fuit post Christum natum MCCLVII, Iacicus sive Iacinthus divi Dominici institutum vitæ professus, post exhaustos multos labores in Polonia et Russia pro religione Christiana, de exsilio hujus vitæ in cælestem domum commigravit ad decimum octavum Calendas Septembris.

* *Id est Gedani vulgo Dantzig.*

ut fere omnes scriptores consentiunt,

54 *Huic mortis tempori consentiunt omnes recentiores, (excipe Leandrum Albertum, quem infra in Annotatis corrigemus) inter quos etiam Severinus Cracoviensis lib.* I *supradictæ Vitæ cap.* 18 *hæc habet*: Transivit autem ex hac luce anno Domini MCCLVII, in die Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, hora quasi nona, plenus dierum F sanctorum, ætatis suæ septuagesimo primo: siquidem natus est MCLXXXV, ingressus in Ordinem MCCXVI, et mortuus MCCLVII. *At nescio, unde Severinus septuagenariam* S. Hyacinthi *ætatem et distinctum nativitatis annum tam exacte noverit, siquidem Clemens VIII in Bulla canonizationis tantum indeterminate dicit, hunc Sanctum natum esse* ante annum Domini millesimum ducentesimum. *Etiamsi hæc* S. Hyacinthi *ætas non sit improbabilis, tamen libenter scirem, an ea testimonio Stanislai Cracoviensis aut aliorum veterum scriptorum confirmari possit. Certe illa Severini chronotaxis admitti potest ab iis, qui triginta tres ætatis annos* S. Hyacintho *tribuunt, dum anno Christi* 1218 *Romam venit. Sed hallucinatus est Severinus, quando ingressum* S. Hyacinthi *in Ordinem Prædicatorum affixit anno Christi* 1216, *cum primum anno* 1218 *Romam venerit, et Echardus ingressum illius in Ordinem etiam diutius differat, ut* § 2 *obiter monui.*

et statim mortuum juvenem

55 *Porro miracula et revelationes, quibus eximia hujus Viri sanctitas statim ab obitu ejus declarata est, Severinus in memorata* S. Hyacinthi *Vita lib.* I *cap.* 19 *et sequentibus refert in hunc*

AUCTORE G. C.

hunc modum : Mortuo igitur beato Hyacintho, et ex hac mortali vita ad cælestes perpetuasque sedes translato, non defuere sanctitatis hujus Viri, quæ illum venturis seculis commendarent, approbata testimonia : siquidem ejus felicem transitum dignatus est Deus miris prodigiis decorare : nam in die sepulturæ ejus, quemdam juvenem nobilem ad sacrum corpus ejus a mortuis suscitare voluit. Casu enim adolescens quidam nobilis, nomine Zegota, veloci cursu in campo sancti Floriani equum pellens gravissime decidit, et fracto collo exspiravit. Multitudine autem ad infelicem casum concurrente, parentes ejus stupore nimio perterriti advenerunt, et viso ipsius inopinato exitu, præ dolore quasi exsangues facti sunt. Postmodum ad se reversi cum magna multitudine nobilium ac civium collisi adolescentis cadaver ad sepulcrum beati Hyacinthi recenter sepulti cum ingenti clamore et lacrymarum effusione portaverunt.

ad vitam revocat,

56 Postquam vero beati Hyacinthi patrocinium invocassent, cadaverque emortuum tumulo ejus applicassent, quasi post unius horæ tangendum spatium, videntibus cunctis, juvenis, qui erat B defunctus, vivus et sanus surrexit; nullumque vestigium aut mortis aut collisionis ad vitam rediens amplius sensit, et superata morte, Deo auctori vitæ et beato Hyacintho, cujus meritis se ad vitam revocatum esse, eumque inter ceteros Sanctos in paradiso vidisse, ejusque precibus, ut ad corpus reverteretur, impetratum esse, gratias summas et laudes decantabat, atque cum magna ædificatione ecclesiæ peractis omnibus, quæ ad sepulturam corporis sancti Hyacinthi ex more ecclesiæ et patriæ spectabant, exsequiis, cum amicis suis gaudens, reversus est ad propria. Miraculum vero factum per omnes regni Poloniæ longe lateque divulgatum est provincias.

felixque ipsius mors

57 Peractis omnibus, quæ ad sepulturam Viri Dei spectabant, de more Ecclesiæ ceremoniis, venerabilis vir dominus Joannes Prandotha episcopus Cracoviensis, qui beatum Hyacinthum per seipsum terræ mandaverat, circa horam nonam ingressus est ecclesiam cathedralem sancti Stanislai martyris, Virginis gloriosæ ductus devotione. Et cum ante altare procumbens orationi paulo ferventius inhæreret, cælestiumque bonorum dulcedine C accenderetur, vehementerque suæ ecclesiæ virum omni laude dignum Hyacinthum per mortem esse ablatum doleret, subito in eum, divina permittente manu, sopor irruit, atque extra seipsum raptus est. Et ecce illi apparuerunt juvenes formosissimi, vestibus candidissimis et lucidissimis cooperti, in modum processionis cereos manibus tenentes, chorum ingredientes, quos sequebantur duo venerabiles viri, cælestis gloriæ fulgore splendentes, quorum unus quasi celebraturus pontificalibus erat decoratus; alius vero Fratrum Prædicatorum circumvestitus amictu, cujus tunica et scapulare niveum videbatur superare candorem; ipse vero duas aureas (ut sibi videbatur) gemmis radiantibus insertas coronas gestabat in capite.

episcopo Cracoviensi,

58 Dum autem pontifex in his, quæ viderat, in spiritu delectaretur, in se tamen, qui isti et quales fuerint, plurimum hæsitaret, ille, qui pontificalibus erat indutus, verso ad episcopum Cracoviensem placido vultu dixit : Ego sum Stanislaus episcopus Cracoviensis; hic autem, quem vides mecum transire, est Frater Hyacinthus Ordinis Prædicatorum, duas in capite, unam doctorum et aliam virginum, gestans aureolas, eumque hodie cum hac, quam cernis, angelorum D societate ad cælestem conduco gloriam. Atque his dictis, voce jucunda Antiphonam decantare cœpit : Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, et prosequentibus angelis cum magna luce suavissimoque beatorum spirituum concentu gloriosum Hyacinthum simul cum sancto Stanislao glorioso martyre ad cælestem gloriam deducebant. Quibus ab oculis subtractis, dominus Prandotha episcopus ad seipsum reversus, Deum optimum, qui Sanctos glorificat, magnificare et laudare cœpit. Postmodum ad circumstantes dixit : Redeamus cito, Fratres charissimi, ad Fratres Prædicatores, ut enarremus mirabilia Dei, quæ de beato viro Hyacintho misericors Dominus servo suo dignatus est revelare. Et confestim cum toto domesticorum comitatu adiit domum Prædicatorum in urbe Crovoviensi ad sanctissimam Trinitatem sitam, convocatisque Priore et Fratribus coram multis Canonicis, clericis et laïcis, qui cum ipso venerant, visionem supradictam, quam de sancto Hyacintho, Deo revelante, viderat, cum magna devotione et lacrymarum effusione clara voce per ordinem lucidissime enarravit : quæ visio facta E est in die defunctionis beati Viri in festo solenni Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, anno Domini MCCLVII.

pie moniali

59 Die eadem defunctionis sancti viri Hyacinthi nobilis quædam virgo, nomine Branislava, quæ cœnobio Sororum juxta civitatem Cracoviensem degentium, Zuierziniecz nuncupato, supra quadraginta annos devotissime et religiosissime Deo serviens, in prædicta solennitate Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ posita in oratione, et in cælestium contemplatione toto corde effusa, extra seipsam elevata, quasi quodam sopore oppressa se appodiavit, talemque visionem Deo revelante habuit : vidit etenim maximam lucem super ecclesiam Fratrum Prædicatorum, in civitate Cracoviensi sitam, de cælo descendere, in qua multitudo angelorum suaviter concinentium tecta ecclesiæ contingere cernebatur, quos speciosior sole omnium gemmorum irradiata fulgoribus Virgo Dei Mater, immenso lumine coruscans cum speciosissimo Virginum comitatu sequebatur, ad manum sinistram tenens et ducens virum facie prælucidum et habitu splendenti atque præclaro Fratrum Ordinis Prædicatorum. Quod cum supradicta F Branislava videret, nimiumque stuperet, quæ antea numquam similem lucem viderat, resumpta audacia ad Virginem, quæ præ omnibus speciosissima videbatur, sic locuta est : Obsecro te, o Domina; dic mihi, quæ es, et quem tecum, cum sis virgo, Fratrem deducis ? Cui Mater Dei gloriosissima sic respondit : Non mireris, filia, quod in has mortalitatis vias me contigit descendisse : ego enim sum Mater misericordiæ, et quem vides, est Frater Hyacinthus Ordinis Prædicatorum, quem, utpote mihi devotissimum, mecum ad regnum gloriæ æternumque thalamum festiva atque solenni processione deduco.

in cœnobio circa Cracoviam degenti

60 His dictis Virgo Mater Dei et totius misericordiæ Parens, suavissimo guttere voceque canora cantare cœpit : Ibo mihi ad montem myrrhæ et ad colles Libani; et prosequentibus angelicis spiritibus illud dulce canticum, cum sancto Hyacintho et illa splendida luce cælesti paulatim se oculis subducentes æternæ claritatis ingressi sunt patriam. Et cum se illa cælestis visio oculis spiritualibus illius sanctimonialis subduxisset, et ipsa ex illo raptu contemplationis ad se ipsam reversa fuisset, stupefacta de visione Sorores monasterii convocavit,

AUCTORE G. C.

A vocavit, eisque cælestis visionis seriem enarravit, acceptisque secum duabus sui Ordinis Fabislava et Margarita Sororibus, celeriter Cracoviam ad Fratres Prædicatores venit, et convocatis Patribus et Fratribus Conventus ejusdem, multis etiam secularibus præsentibus, eam, quam viderat de glorioso sancto Hyacintho visionem per ordinem enarravit, omnibus pro gloria Sancti Deum laudantibus. De hac visione mentionem facit venerabilis et insignis vir artium et medicinæ doctor et cathedralis ecclesiæ Canonicus dominus Mathias de Miechovo in tertio libro historiarum inclyti regni Poloniæ cap. 53 in hunc modum : „ Hyacinthus Frater „ Ordinis Prædicatorum anno Christi MCCLVII, die „ XV mensis Augusti hora nona in cœnobio sanctæ „ Trinitatis Cracoviæ devotissime vita excessit, „ Matre misericordiæ IBO MIHI AD MONTEM MYRRHÆ „ cantante, et angelico cœtu prosequente, quem- „ admodum devotæ sanctimoniali Bonislavæ * „ in Zuierziuensi cœnobio professæ per visum est „ monstratum. „ *Ante Mathiam Michoviensem de eadem revelatione meminerat Dlugossus sive Longinus, quem initio hujus paragraphi allegavimus.*

* al. Branislavæ et Sromislauæ

et eremitæ Hungaro divinitus revelatur.

61 *Severinus huic revelationi alteram ibidem ita subdit* : Secundum divinam sententiam necessarium erat (ut in ore duorum vel trium stet omne verum testimonium) sancti Viri accidentalem gloriam supervenientibus miraculis approbare. Idcirco omnipotens Dominus cuidam eremitæ, viro sancto et bono, in montibus Ungariæ vitam solitariam ducenti, per spiritum beati Hyacinthi mortis obitum revelavit : qui divina motus inspiratione Cracoviam venit, de sepulcro beati Hyacinthi diligenter inquirens. Venit igitur ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum Cracoviensium, ubi corpus gloriosi nostri Sancti requiescit, magnoque fervore spiritus et mentis devotione ductus, supplex a Priore et Fratribus petiit, ut in ecclesia prædicta illam noctem ad sepulcrum sancti Hyacinthi vigilem transire posset. Quibus permittentibus, eoque vigilante in oratione circa mediæ noctis temporis spatium super monumentum beati Viri de cælo descenderunt tres radii immensi luminis, unus ad caput, secundus ad medium sepulchri, et tertius C ad pedes ; quos cum prædictus eremita vir Dei vidisset, obstupuit, numquam antea similes expertus visiones, celeriterque cucurrit ad Fratres Hieronymum et Florianum sacristas, ipsisque excitatis, ad ecclesiam eos secum duxit, et illam insolitam ad beati Hyacinthi sepulchrum ingentem lucem, quæ firmo steterat gressu, eis ostendit; qui cum eam perspexissent, honorem dantes immenso lumini, proni in terram ceciderunt gratias agentes Deo, qui gloriæ suæ præconem suum sanctum Hyacinthum dignatus est inviscere et luce cælesti decorare. Mox vero die suborta, ille eremita visionem pandit populo et omnibus illius ecclesiæ Fratribus, peractoque veritatis testimonio, Deum laudans et glorificans, ad sibi consuetam properavit eremum divina revelatione consolatus. Et de his pro nunc dixisse sufficiat : nam in libro sequenti omnium, quæ per beatum Hyacinthum Deus gloriosus operatus est, seriem texemus miraculorum. *Nos eadem miracula. quæ post obitum et sepulturam* S. Hyacinthi *contigerunt, infra Actis Leandri Alberti subnectemus.*

§ VII Diversi Polonorum conatus ad impetrandam venerabilis sui Popularis canonizationem.

Exorta hæresi Lutherana,

Emergente Lutherana hæresi, quæ veneno suo totum Septemtrionem inficere conabatur, Deus singulare antidotum præbuit Polonis, inter quos plerique Catholicæ religionis tenacissimi permanserunt, quemadmodum Severinus Cracoviensis in Actis S. Hyacinthi *lib. 3 cap. 1 agens de hæresi Lutherana exponit his verbis* : Lethale aconitum non solum Germaniam, sed Angliam, Flandriam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Sueciam, Hungariam, regna quondam florentissima subito invasit et infelicissime a Capite Ecclesiæ tamquam mortua et putrefacta membra præcidit; ad Poloniam vero impium ac blasphemum dogma ob vigilantiam et Christianæ fidei devotissimi Sigismundi primi olim regis Poloniæ principatum, qui ferro E et igne minabatur omnibus, qui ejus regno impiam sectam introducere conarentur, accedere non audebat. At vero, ipso mortuo, cum pastores ecclesiæ, tumetiam filius prædicti, Sigismundus Augustus minus juste gregem sibi Polonicum custodirent, venit lupus et paulatim cœpit veneno blasphemiæ ex ovibus lupos transformare, et cum dormirent homines, venit inimicus homo, superseminavit zizania in medio tritici. Quoniam autem Sarmatæ, ut climate frigidiores, ita quoque corde duriores et ad credendum tardiores, zizaniorum molem non ita radicem agere in medio tritici permiserunt : nec enim sic invaluerunt zizania hæresum, ut omnino triticum opprimere et explodere (sicut in aliis regnis proh dolor! evenit) et fidem Catholicam ex cordibus hominum evellere potuerint, Deo Polonos ex infinita misericordia sua protegente, et Sanctorum, qui ibidem sepulti sunt, patrocinio auxiliante. *Quinimo Catholica religio in hoc regno ita prævaluit, ut ea gens legem sanxerit, ne quis, nisi Catholicus, rex Poloniæ eligeretur.*

cœperunt Poloni Romæ flagitare

63 *Porro Poloni ea occasione avitum Sanctorum cultum, quem Lutherus impugnabat, majori fervore promovere studuerunt, ut laudatus Severinus ibidem explicare pergit hoc modo* : Ne F vero regnum Poloniæ inter tot turbines hæresum in pelago infidelitatis Lutheranæ tenebris blasphemiarum offunderetur, sidus novum et jubar, quod diu latuerat, oculos splendida luce reverberans, scilicet sanctum Hyacinthum Ordinis Prædicatorum, populo fideli objecit, magnorumque miraculorum fulgore ipsum coruscare fecit, ut gens fidelis hujus Sancti oblectata micantibus radiis, tenebras impiæ hæresis contemneret, fugeret, atque detestaretur. Vere etenim illis contigit verbum Isaïæ prophetæ : „ Populus, qui „ ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, „ et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta „ est eis „.

publicum hujus venerabilis sui Popularis cultum.

64 Fratres igitur Ordinis Prædicatorum in regno Poloniæ degentes duplici causa, scilicet canonizatione duorum Sanctorum, et impiarum hæresum colluvie invalescente, quasi duobus fortissimis calcaribus stimulati, moti a Spiritu sancto, cum viderent indies circa Sanctum miracula coruscare, mortuos suscitari, cæcos illuminari, et diversorum languorum molestiam curari, paulo diligentiores

AUCTORE G. C.

diligentiores esse cœperunt, et duos Fratres ad conscribenda miracula, scilicet Fratrem Marcum et Fratrem Albertum Conventus Cracoviensis destinarunt, et canonizationem Sancti apud Leonem decimum peragere cœperunt: quod negotium duo Patres, scilicet reverendus Pater Frater Andreas Parczow, sacræ theologiæ magister Provincialis Poloniæ, et R. P. Frater Nicolaus de Znena, sacræ theologiæ professor Prior Cracoviensis, instantissime et felicissime operati sunt, et jam ad finem negotium perduxissent, nisi bellum inter Carolum Quintum et Clementem septimum cum direptione urbis Romæ, et cum Romanorum et nostratium injuria intercessisset. *Non satis clare intelligo, quomodo PP. Prædicatores Poloni canonizationem* S. Hyacinthi *apud Leonem X Pontificem procurare cœperint, ut Severinus asserit,* stimulati canonizatione duorum Sanctorum, *cum duo isti Sancti, nimirum Benno episcopus Misnensis et Antoninus archiepiscopus Florentinus primum anno Christi* 1523 *ab Adriano VI, Leonis X successore, in catalogum Sanctorum solenniter relati sint, ut ipse Severinus initio ejusdem*
B *capitis notavit. Verum scriptor ille forsan indicare voluit, causam horum duorum sanctorum Præsulum fere totam sub Leone X peractam esse, eoque successu PP. Prædicatores Polonos excitatos fuisse, ut etiam canonizationem* S. Hyacinthi *ab eodem Pontifice flagitarent.*

et Sigismundus I rex Poloniæ

65 *Quidquid sit de hac re, Sigismundus I rex Poloniæ operam suam in illo negotio minime desiderari passus est, ut liquet ex epistola ipsius, quæ apud Severinum lib.* 3 *cap.* 4 *sic refertur:* Sanctissimo domino nostro divina providentia Leoni Papæ decimo, domino meo clementissimo. Beatissime, Pater et domine clementissime, post oscula pedum beatorum. Posteaquam Sanctitas vestra ad multiplices meas supplicationes pro canonizatione beati Cazimiri germani mei dignata est litteris suis reverendissimum D. Joannem archiepiscopum Gnesnensem legatum natum et primatem regni mei una cum nonnullis commissariis deputare inquisitionemque fieri et testes recipi super vita, sanctimonia, religione, conversatione atque miraculis, quibus Dei optimi maximi misericordia claret, mandare; idem D. Archiepiscopus Gnes-
C nensis, dum mandatum Sanctitatis vestræ exsequeretur, mihi proposuit, ut sub uno Processus tenore beati Hyacinthi Poloni, nobili genere oriundi qui in vita trium mortuorum suscitator esse meruit: post obitum vero et usque nunc magnis claret miraculis, apud Sanctitatem vestram canonizationem impetrarem: cujus Hyacinthi vitæ historiam ex libro Alberti Leandri Bononiensis, ad reverendissimum D. Nicolaum Fliscium Genuensem Cardinalem de Viris illustribus intitulato, descriptam Sanctitati vestræ mitto. *Ex his ultimis verbis conjicio, tunc nondum notam aut detectam fuisse antiquiorem Stanislai Cracoviensis lucrubrationem, quæ postea Romam allata est. Ceterum hinc quoque crescit difficultas, quam supra* § 1 *num.* 4 *et* 5 *contra opinionem Severini proposui.*

hujus rei promovendæ causa

66 *Post hæc piissimus ille rex epistolam suam ita prosequitur*: Assiduis itaque nedum ipsius D. Archiepiscopi una cum ceteris regni mei episcopis, provinciæ ipsius suffraganeis, verum etiam principum, baronum, militum, et totius fere populi precibus et solicitudine inductus, et præsertim quam magnæ pietatis esse existimavi, non pati occidere eorum memoriam, qui egregiis factis et supra humanum captum divina quadam ope gestis æternitatem meruerunt. Supplico Sanctitati vestræ, dignetur una eademque opera ipsi D. Archiepiscopo, aut si placebit Sanctitati vestræ, Cracoviensi vel Præmiisliensi episcopis de beato Iacintho nunc exsequendum committere id, quod pro exsequendo divo Cazimiro concedere non est dedignata; cui me regnumque meum, et dominia mea commendo, et eam incolumem et florentem esse pro tranquillo universalis reipublicæ Christianæ statu desidero. Datum Cracoviæ ultima die Maii, anno Domini MDXVIII, regni mei duodecimo. D

dedit varias litteras ad Leonem X Pontificem,

67 *Leo X Pontifex huic pio regis desiderio satisfecit, et exeunte mense Julio ejusdem anni* 1518 *commisit episcopis Cracoviensi et Præmiisliensi examen testium et miraculorum, ut Processus canonizationis debita forma institui posset. Sed uterque ille præsul, unus propter diuturnam ægritudinem, alter ob publica regni negotia, onus istud recusarunt. Quare optimus rex ad eumdem Pontificem dedit alteras litteras hujus tenoris:* Sanctissimo domino nostro divina providentia Leoni Papæ decimo, domino meo clementissimo. Beatissime Pater et domine clementissime, E post oscula pedum beatorum. Commiserat Sanctitas vestra jam pridem ad postulata mea inquisitionem de vita et miraculis divi olim Hyacinthi, hic Cracoviæ apud Fratres sancti Dominici sepulti, reverendis in Christo Patribus DD. episcopo Cracoviensi et Petro Præmiisliensi regnique mei vicecancellario, quorum alterum ægritudo, qua assidue decumbit, alterum negotia publica et crebra mecum absentia impediverunt, quo minus provinciam sibi demandatam exsequi potuerint, et proinde supplico Sanctitati vestræ, ut idem munus inquisitionis committere dignetur suffraganeo, et doctori Erdziesow Canonico Cracoviensi, qui continue hic agentes id negotii facilius et exactius conficere poterunt. Faciet Sanctitas vestra rem sua pietate dignam et mihi gratissimam; cui me cum regno et dominiis meis iterum humiliter commendo. Datum Cracoviæ MDXVIII, die XX Septembris, anno regni nostri duodecimo.

qui aliis sese excusantibus

68 *Laudatus Pontifex iterum huic regis petitioni annuit, et in eam rem scripsit sequentes litteras:* Leo Papa decimus venerabili Fratri Joanni episcopo Laodicensi, et dilecto filio Jacobo F Canonico ecclesiæ Cracoviensis. Venerabilis Frater et dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum alias charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniæ rex illustris suis litteris, per dilectum filium nostrum Achillem tituli sanctæ Mariæ trans Tyberim presbyterum Cardinalem præsentatis, nobis significasset, quanta jam diu fuisset, et etiam tunc esset populorum devotio et concursus ad sepulcrum sancti Hyacinthi, qui olim beati Dominici socius et particeps vitæ existens, tam in vita quam post mortem multis semper claruit miraculis, prout ex fide dignorum testimoniis ac monumentis apparet; ac propterea idem rex per eumdem Achillem Cardinalem, in Romana curia ejus regni protectorem, nobis humiliter supplicari fecisset, ut super vita et miraculis, de quibus idem Achilles Cardinalis nobis etiam plenam fidem fecerat, Processum fieri mandaremus, ut si dignus repertus foret, Sanctorum catalogo aggregari et conscribi posset: Nos ipsius regis piis supplicationibus inclinati, ad canonizationem hujusmodi rite procedere volentes, venerabilibus Fratribus Cracoviensi et Præmiisliensi episcopis per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut super vita, fama, conversatione et miraculis

AUCTORE G. C.

A raculis, per ipsum Hyacinthum tam in vita quam post obitum factis, diligenter et sincere auctoritate nostra inquirerent, testes reciperent, et eorum desuper attestationes in publicam formam redigi facerent, et deinde Processum ipsum clausum eorumque sigillis munitum ad Nos et Sedem Apostolicam per proprium vel alium nuntium fideliter transmittere curarent, prout in illis litteris plenius continetur.

substituit viros idoneos,

69 Cum nuper præfatus Achilles Cardinalis et venerabilis Frater Erasmus episcopus Plocensis, dicti regis orator, nomine ipsius regis nobis exposuerunt, quod præfati episcopi præmissorum inquisitioni commode vacare non possent, et propterea ejusdem regis nomine nobis humiliter supplicaverunt, ut aliis negotium inquisitionis hujusmodi committere dignaremur. Nos igitur ejusdem regis pio desiderio annuere volentes, vos loco præfatorum episcoporum subrogantes, vobis mandamus, ut ad inquisitionem vitæ, famæ, conversationis et miraculorum sancti Hyacinthi hujusmodi procedatis, ac testes recipiatis, et eorum B desuper attestationes in publicam formam redigi faciatis, et Processum per vos factum sub vestris litteris clausis vestrique sigillis munitis ad Nos et Sedem Apostolicam per proprium seu alium nuntium fideliter transmittere curetis, et alia in dictis litteris contenta exsequamini in omnibus et per omnia perinde, acsi dictæ litteræ vobis a principio directæ fuisseut; iu contrarium non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XXIX mensis Augusti, anno Domini MDXXI, Pontificatus nostri anno nono.

eisque mandavit,

70 *Post hæc instrumenta Severinus cap. 8 citati libri progressum causæ enarrat his verbis :* Anno igitur dominicæ Incarnationis MDXXII, XVII Januarii sub Leone decimo, Pontificatus ejus anno decimo (*hic certe error chronologicus irrepsit, cum Leo X Pontifex ineunte mense Decembri anni* 1521 *mortuus fuerit, et tantum octo annis et aliquot mensibus in cathedra S. Petri sederit*) feria sexta Cracoviæ præsentatæ sunt litteræ summi Pontificis reverendissimo suffraganeo Cracoviensi episcopo Laodicensi, et Jacobo Erdziesow Canonico Cracoviensi, novis a Sede Apostolica C commissariis, tum etiam ipsi serenissimo Sigismundo regi, qui cum magno animi desiderio eosdem expediri cupiebat, et re, ut opus erat, mature considerata [curavit, ut] miraculorum et testium et omnium, quæ ad hoc negotium spectare videbantur, conscriberentur ratio, numerus et modus, ut omnibus ad invicem coadunatis facilius canonizatio hujusmodi ad terminum optatum perduceretur. Sed non modicum statim occurrit impedimentum : Pontifex enim ipse Leo decimus, qui jam in canonizationem sancti Hyacinthi vehementer aspirabat, hoc eodem anno charam Deo animam morte absorpta reddidit. Itaque maxime negotio tam sancto dolendus casus obstitit. Mittit postea serenissimus rex Romam Adriano sexto, jam Sedi Apostolicæ præfecto, quid ulterius faciendum esset, diligenter exquirens; cui per Achillem Cardinalem, regni Poloniæ protectorem, remissi sunt quidam tenores regularum cancellariæ Apostolicæ, in quibus declaratur, quod etiam summo Pontifice defuncto, possint procedere ad ulteriora, non præhabita nova succedentis novi summi Pontificis commissione. Hæ autem regulæ a Julio II, Alexandro VI, Pio III, Leone X, et Adriano VI Pontificibus sunt institutæ.

ut gesta et miracula venerabilis Hyacinthi

71 Quapropter cum a Sede Apostolica meliorem de hac re accepissent informationem, invocato Dei nomine, et Spiritus sancti ope in Sacrificio sancto interpellata, Sanctorumque Dei (in quorum numero sanctus Hyacinthus canonizandus in illa beatitudine computabatur) petito auxilio, et sanctæ justitiæ innixi suffragio, anno Domini MDXXIII, XVI Martii, sub Adriano sexto, anno ejus Pontificatus primo, in Conventu sanctissimæ Trinitatis Cracoviensi, ubi gleba corporis sancti Hyacinthi quiescebat, fundata est jurisdictio reverendissimorum prædictorum commissariorum, atque de iis, quæ juris sunt, diligentem fecerunt rationem : in qua siquidem jurisdictione, quoad formam juris, comparuit serenissimus rex Poloniæ Sigismundus primus, et comparens personaliter instituit procuratorem, qui nomine regio causam [ageret] R. D. Stanislaum Cloniczki Canonicum Opatoviensem coram multis testibus utriusque status ad hunc solennem actum præsentibus. Quo facto, regis exemplum R. Capitulum ecclesiæ cathedralis Cracoviensis seorsim et alma Universitas generalis studii ejusdem urbis, tum etiam et Ordo Prædicatorum scilicet Conventus sanctissimæ Trinitatis ad hoc negotium suos instituerunt procuratores, ut omnium auxilio fieret, E quod pro omnium honore, ne dicam singulorum, erat institutum.

in Polonia

72 His constitutis, datur a RR. DD. Commissariis generale edictum, quod postea per omnes ecclesias est fideliter exsecutum, ut scilicet prædicatores hoc integro anno, quo commissio duraret, in concionibus publicis, lecta commissione Leonis X, populus admonerent, et inquisitionem fieri miraculorum et beneficiorum Dei, per servum ejus Hyacinthum perpetratorum, secundum formam juris publicarent. Additi sunt etiam eidem negotio R. D. Nicolaus de Coprziwnicza, Canonicus Cracoviensis ex parte Cracoviensi procurator, et publici notarii Bernardus Bittomiensis et Bartholomæus Gondkowski, qui rem exactissime ad formam juridicam efficere erant obligati. Postmodum in omnibus concionibus ad populum publice prædicatores conclamitabant, ut si qui aliquod sibi beneficium miraculose per sancti Hyacinthi preces et eorum vota F ad Sanctum, factum sciret, Deo teste et conscientia vera, rem, ut est, vere sub juramento corporali propalarent, et in librum publicum inscribi curarent : ad quorum declamationes et publicas ex suggestis admonitiones, rei feliciter processit eventus; siquidem ii, qui sanitatis alicujus morbi aut restitutionis vitæ beneficio sunt potiti, libere accedentes, testimonium veritati præbuerunt, quorum numerus ad quadringentos novem est reductus.

diligenter examinarent.

73 Cœperunt igitur produci testes anno supradicto, septimo Maii, et duravit commissionis actus multiplex usque ad sextam Septembris anni sequentis, scilicet MDXXIV, cum omni modo, jure et forma, quibus ad tales actus procedere debitum erat, nihil omittendo vel admittendo, quod huic tam sancto negotio apposite accommodari vel incommodari poterat. Nos autem in hoc passu non formam Processus secuti, sed quod ad veritatem historiæ et commendationem honoris nostri sancti Hyacinthi pertinere videbatur, ad capita reducentes, et multitudinem miraculorum et testantium fidem conscribemus; siquidem supra ea, quæ duobus libris superioribus continentur miracula, testium veritatem adducemus, et tabularum, quæ in Processu repertæ sunt, cum suis

LECTORE G.C. suis miraculis ad eadem capita consignabimus, liberantes lectorem a fastidiosa lectione, breves nos esse in scribendo, et sanctum Hyacinthum mirabilem in operando ex quadringentis novem testibus, et nonaginta septem tabulis docebimus. *Hæc miracula ex istis testibus et tabulis infra post Commentarium et Vitam producemus, et interim serie temporis, quantum fieri potest, hic materiam nostram prosequemur.*

§ VIII. Initium et incrementum legitimæ venerationis ante solennem ejusdem Beati canonizationem variis miraculis confirmata.

Clemens VII Pontifex *De canonizatione* S. Hyacinthi *sub Leone X Pontifice ejusque successoribus agi cœpit, ut supra ex Severino Cracoviensi fusius retulimus, ac Clemens VIII Papa in Bulla canonizationis infra paucis testabitur. Sed Processus ille propter varias causas interruptus ac dilatus fuit,* B *tametsi Clemens VII Pontifex legitimo cultui hujus beati Viri aliquod initium dederit, ut patet ex illius litteris apud Severinum cap.* 31 *libri tertii relatis, quas anno* 1527 *ad PP. Prædicatores Cracovienses scripsit in hunc modum* : Clemens Papa septimus dilectis filiis Prioribus et Fratribus domus sancti Dominici Cracoviensis Ordinis Prædicatorum. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod alias felicis recordationis Leo Papa decimus prædecessor noster ad instantissimas preces charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniæ regis illustris certis episcopis tunc expressis ut ad generalem inquisitionem vitæ sanctitatis et miraculorum beati Hyacinthi, Fratris Ordinis vestri ac socii sancti Dominici, olim institutoris dicti Ordinis, procederent, mandavit; ipseque Processus per unum ex Fratribus domus vestræ clausus et sigillis obsignatus, nobis nuper præsentatus, illiusque examinatio tribus ex S. R. E. Cardinalibus, et duobus Rotæ auditoribus per Nos commissa fuit; et licet ipse Hyacinthus, dum in humanis egit, ac C tempore, quo Creatori suo spiritum reddidit, ac posteaquam vita functus fuit, plurimis claruerit miraculis, ac præterea magna Christi fidelium istius regni multitudo ad ecclesiam vestram, in qua ipsius corpus requiescit, assidue confluat, pluresque ejusdem Beati intercessione preces suas, quas ad Deum effundunt, exaudiri firmiter credant; ipsumque pro Beato teneant et revereantur; quia tamen in catalogo Sanctorum annumeratus non est, dubitant, an sibi facere liceat.

huic beato Viro 75 Quare venerabilis Frater noster Laurentius episcopus Prænestinensis Cardinalis Sanctorum Quatuor nuncupatus, dum regni protector tam præfati Sigismundi regis, quam vestro nomine, nobis humiliter supplicavit, ut pro æterni Regis laude et gloria, ac ipsius Beati reverentia et honore, nec non Ecclesiæ decore et Catholicæ religionis splendore populique devotione et salute vobis singulis annis, etiam priusquam ad illius canonizationem processum fuerit, festum et Officium ejusdem Hyacinthi in ecclesiis et domibus vestri Ordinis dicti regni et provinciæ celebrandi et celebrari faciendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur, qui fideles quoslibet ad Sanctorum Dei venerationem et jugem erga eos devotionem, ut ei, a quo omne D datum optimum et omne donum perfectum procedit, placere studeant, prout possumus, libenter excitamus; hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis et aliis et aliorum domorum nec non monasteriorum monialium seu Sororum vestri Ordinis in dicto regno et provincia consistentium Fratribus ac monialibus seu Sororibus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus in ecclesiis domorum et monasteriorum vestri Ordinis hujusmodi Officium et Missas in memoriam ejusdem Hyacinthi annis singulis altera die post festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis immediate sequenti celebrare, ejusque imaginem depingi facere, et in ecclesiis domorum et monasteriorum dicti regni et provinciæ depictam tenere libere et licite valeatis, ordinariorum locorum et cujusvis licentia super hoc minime requisita, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod propter præmissa dictus sanctus Hyacinthus canonizatus et catalogo prædicto Sanctorum adscriptus non censeatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Pi- E scatoris die II Februarii MDXXVII, Pontificatus nostri anno quarto.

Euangelista.

76 *Memoratus Pontifex postea annuam istam* concessit aliqualem cultum, S. Hyacinthi *memoriam sub ritu duplici celebrari concessit, et ad omnes Poloniæ ecclesias extendit, quemadmodum legimus in ipsius litteris, quas anno Christi* 1530 *ad Sigismundum Poloniæ regem dedit sequenti tenore :* Clemens Papa septimus charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniæ regi illustri. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Præsentavit nobis Provincialis regni tui Poloniæ Ordinis Prædicatorum litteras majestatis tuæ, quibus nobis expeditionem negotii sancti Hyacinthi, qui tam vivus quam mortuus plurimus claruit miraculis, plurimum commendat, ut ad illius canonizationem procedere dignaremur. Nos propter diversa ardua negotia, quibus ad præsens implicati sumus, considerantes ad actum hujusmodi canonizationis procedere non posse, ac desiderantes, quantum cum Deo nobis licet, tuis F piis et honestis desideriis satisfacere, attendentes, ut præfatus Provincialis nobis exposuit, Fratribus dicti Ordinis alias ab hac sancta Sede, in qua divina providentia sedemus, concessum fuisse, ut festum ac Missa et Officium ejusdem sancti Hyacinthi cum oratione de uno confessore in omnibus ecclesiis domorum Ordinis et regni prædictorum celebrari possent, majestati tuæ pro nunc concedendum duximus, prout per præsentes concedimus; quod in omnibus aliis ecclesiis etiam cathedralibus, quas regni tui duxeris eligendas et nominandas, episcoporum et prælatorum, quorum ecclesiæ per majestatem tuam nominatæ fuerint, expresso accedente consensu, Missa et Officia cum oratione de uno confessore celebrari possint, donec ad actum cononizationis deventum fuerit; ita tamen quod per hoc dictus Hyacinthus canonizatus et catalogo Sanctorum adscriptus nullatenus censeatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XV Junii MDXXX, Pontificatus nostri anno septimo.

Euangelista.

Eodem anno Clemens VII Fratribus Prædicatoribus Poloniæ permisit, ut festo S. Hyacinthi *in ecclesiis suis solennem processionem cum venerabili Sacramento*

A *Sacramento instituant, sicut apud laudatum Severinum Cracoviensem lib. 3 Actorum cap. 36 fusius videre est, ubi etiam cap. 33 et cap. 34 singillatim recensentur ecclesiæ, quæ postmodum a rege et præsulibus Poloniæ ad celebrandam* S. Hyacinthi *festivitatem assignatæ fuerunt.*

quem Paulus III Papa auxit,

77 *Causa canonizationis ferventer resumpta est sub Paulo III Pontifice, qui etiam cultum* S. Hyacinthi *ampliavit, ut nomine ipsius testatur Joannes Toletanus Cardinalis, dum apud Severinum Cracoviensem cap. 35 ejusdem libri tertii Fratribus Prædicatoribus Poloniæ sic scribit:* Joannes a Toleto miseratione divina tituli sancti Sixti S. R. E. presbyter Cardinalis Burgensis nuncupatus, dilectis nobis in Christo universis et singulis Patribus et Fratribus Ordinis Prædicatorum provinciæ Poloniæ salutem in Domino sempiternam. Hodie sanctissimus in Christo Pater et dominus noster, dominus Paulus divina providentia Papa tertius intelligens sanctum Hyacinthum Ordinis Prædicatorum provinciæ Poloniæ patronum quamplurimis clarere miraculis, cupiens propterea vestris et aliorum Christi fidelium votis satisfacere, vobis de cetero omnibus quintis feriis cujuslibet B hebdomadæ, in quibus festum proprium non occurrerit, prout in tertiis feriis de sancto Dominico Patre vestro fieri et dici solet, ad laudem omnipotentis Dei ac vestri Ordinis decorem, Officium de eo etiam solenniter, acsi jam esset canonizatus, facere et dicere possitis, per suæ vivæ vocis oraculum nobis desuper factum, auctoritate Apostolica concessit et indulsit, in cujus rei testimonium præsentes nostras attestationis litteras per secretarium nostrum fieri et subscribi nostrique sigilli impressione communiri mandavimus. Datum Romæ apud Parionem in ædibus nostræ solitæ residentiæ sub anno a Nativitate Domini MDXLII, die vero tertia mensis Junii, Pontificatus præfati domini nostri Papæ anno octavo. Ita attestamur et fidem facimus.

A. Cardinalis Burgensis.
Aut. Barba secret.

et in urbe Romana

78 *Etsi canonizatio* S. Hyacinthi *sub Paulo III variisque hujus successoribus ad optatum exitum perduci non potuerit, tamen indies crevit veneratio illius beati Viri, non solum in Polonia, sed etiam in longe dissitis regionibus, ita ut Ro-* C *mæ invocatus ante peractam canonizationem patraverit singulare miraculum, quod Abrahamus Bzovius in suo Serto gloriæ* S. Hyacinthi *sive Concione octava de eodem Sancto, apud me pag. 129 sic recitavit:* Roma orbis caput, amplius quam mille trecentis milliaribus disjecta est a monumento Hyacinthi. Romæ tamen jamjam pene a morte absorptos ad vitæ hujus usuram revocavit. Non gravabor referre, quod sub annum Domini MDXCIV eo ipso tempore, quo sanctus Hyacinthus catalogo Sanctorum adnumerandus erat, non aliquis pagus, non oppidum, non civitas, non tantum urbs Romana, sed in urbe Roma quasi universus mundus, pro solenni canonizatione sancti Viri in unum collectus propriis aspexit oculis, dum sanctus Hyacinthus suæ sanctitatis illustrissimum dedit signum.

ante solennem ejus canonizationem

79 Tiberius Ceulus, vir maximæ auctoritatis inter cives Romanos, gravissima infirmitate conflictabatur. Aderat afflicto sua uxor, omnia necessitatis officia sedulo exsequens. Nihil non faciebat, nullis parcebat sumptibus, quo charissimum maritum ab illa infirmitate sublevare posset. Omnes advocarat medicos, diversa et ea pretiosissima coëmerat pharmaca, multis ac variis medicamentis perquisitis, illius dolores vel lenire vel sedare attentabat. Tantum studii quantum vel poterat vel necesse videbat, adhibuerat, ut ægrotanti marito salutem invenire posset. Ast omnia frustra: post multas enim opes insumptas, indies magis ac magis excrescente pestifero dolore, tandem ope medicorum destitutus Tiberius ad extrema vitæ deducitur. Quod ubi persensit mulier, acsi ancipiti gladio confixa in lamentationem et ejulatum prorumpens, sanguineis lacrymis suam infelicitatem opplorare, os verberare ac pectus, vellere crines, in cælum tendere supplices manus, Tiberii nomen implorare, de humana conditione lamentabiliter conqueri, vitæ inconstantiam deflere, mortem mariti suam crucem appellare, Deum ac homines accusare, se omnium fore infelicissimam vocare cœpit.

patratum est insigne miraculum

80 Nullius audire consolationem voluit, dum miserabiliter agentem animam virum suum advertit. Aliquo temporis interstitio in agone certabat Ceulus; mœrore perdita mulier, quid moliretur, perpendebat. Tandem post multos ploratus sancti Hyacinthi nomen illi in animum incidit, cujus solennem apotheosim brevi tempore futuram esse E perceperat. Mox in terram prostrata, animo quidem mœrenti sed inflammato, cum lacrymis opem implorat ipsius, vota postmodum ei nuncupat; si scilicet suum virum a porta mortis ad vitam reducere dignetur, quatuor in eminentioribus urbis Romanæ locis, Hyacinthi imaginem depingere, sacellum nomini ejus magnifico sumptu exstruere, tot deinde sacra in honorem ipsius persolvere promittit. Illico (audite aliud stupendum et inusitatum mirandum) ad vota Hyacintho spoponsa,* et ad aures morientis nomen Hyacinthi inclamatum, qui lecto decumbebat jamjam pene spirans animam, repente surrexit, adque Hyacinthi honorem vota nuncupata persolvit. *Deinde Bzovius istud miraculum confirmat testimonio Guilielmi Blanci, Grassensis et Venciensis in Gallia episcopi, qui antea Sixto V Pontifici a cubiculis fuerat, et qui hoc aliaque* S. Hyacinthi *prodigia carmine hexametro decantavit.*

* lege sponsa

cum multa prius in Polonia contigissent.

81 *Præsertim tamen Sanctus ille ante solennem suam canonizationem in Polonia patravit innumerabilia miracula, quæ R. P. F. Camillus Ballianus in oratione panegyrica de* S. Hyacintho F *apud proxime citatum Bzovium pag. 211 sic generatim recenset:* Nolo maximam divi Hyacinthi miraculorum copiam hac mea oratione perstringere; si enim tot linguis præditus essem, quot illum et viventem et vita functum probatissima miracula effecisse accepimus, tamen ea omnia, non dico ornate explicare, sed ne summatim quidem percensere possem. Verum et hæc, quæ proposuimus, et alia, quæ possent commemorari, quæ consulto, ne longior sim, prætereo, historiarum scriptores monumentis suis commendarunt et commendabunt æternitati. Non possum tamen non breviter ex iis nonnulla commemorare: nam triginta novem mortuos ad vitam revocavit; quindecim abortivos vita et anima donavit; septuaginta sex jam morituris perfectam sanitatem restituit; centum triginta quatuor gravi valetudine pressos curavit; triginta sex magno dolore capitis affectos liberavit; viginti duos vehementi dolore dentium afflictos sanavit; quinquaginta oculorum doloribus cruciatis, ex quibus nonnulli cæci erant, lumen reddidit; triginta tres gutturis, colli, linguæ, oris doloribus oppressos ad sanitatem reduxit; tribus surdis auditum restituit; quadraginta duos pectoris,

stomachi

AUCTORE G. C.

stomachi et intestinorum doloribus languentes adjuvit; octoginta tres pedum et manuum languoribus dolentes liberavit; quadraginta octo febribus vexatos sanos effecit; ab octo colicos dolores depulit; viginti novem ex elephantico morbo eripuit; decem octo a morbo comitiali vindicavit; duobus tabe affectis sanitatem dedit; sex paralyticis et membris dissolutis vires restituit; duodecim aqua intercute tumescentes curavit; viginti tribus diversis vulneribus concisis sanitatem reddidit; duas steriles matronas prole donavit; triginta tribus parturientibus matronis, et in partu periclitantibus, subvenit; quadraginta totius corporis doloribus quassatis opem tulit; quinquaginta quinque diversis casibus agitatis succurrit; novem animalia rationis expertia debilitata; atque vitio alio affecta, in pristinum statum restituit; trigiuta octo exstant visiones et apparitiones diversæ, quibus ægri et morientes sunt ab eo recreati et sublevati; nonaginta octo Christianos variis de causis afflictos non semel solum, sed sæpissime, voto facto, voti compotes
B effecit. *Nos inferius hæc miracula post Commentarium prævium et Vitam ex Severino Cracoviensi speciatim referemus.*

§ IX. Licentia obtenta ad elevandas Sancti reliquias, earumque inventio.

Cum Paulus III Pontifex

Dum negotium canonizationis sub Pontificatu Pauli III in curia Romana agitabatur, multi Fideles ad Cracoviense PP. Prædicatorum templum confluentes et per intercessionem S. Hyacinthi *crebra beneficia impetrantes, instare cœperunt, ut sacræ ejus reliquiæ, quarum determinatum locum ignorabant, certo et honorificentiori loco collocarentur, quemadmodum Severinus lib.* 3 *Actorum cap.* 41 *refert his verbis:* Dum hæc ita agerentur et desiderium populorum augeretur, cœpit devota plebs apud Fratres Prædicatores Cracovienses insistere, ut glebam corporis sancti Hyacinthi, quæ multos latuerat dies (licet non sine magno prodigiorum et miraculorum fulgore et
C numerositate) a terra elevarent, et certiorem locum, quo oculos pro necessitatum suarum sublevamine ad sanctum Hyacinthum confidentius dirigere possent, eis assignarent. Non defuerunt tales, qui devotioni populorum annuentes, ad Sedem Apostolicam confugerunt supplicantes humiliter, quatenus ossa beati Hyacinthi honestiori loco condere permitterentur.

concessisset licentiam

83 *Paulus III Papa anno* 1538 *petitam elevationis istius licentiam concessit per eminentissimum S. R. E. Cardinalem Antonium, qui jussu ejusdem Pontificis ad PP. Prædicatores Cracovienses scripsit hoc modo:* Antonius miseratione divina tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis dilectis in Christo Priori et Fratribus domus sanctissimæ Trinitatis Cracoviæ Ordinis Fratrum Prædicatorum salutem in Domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod vos pro singularis devotionis affectu, quem ad beatum (ut pie creditur) Hyacinthum, olim Ordinis Fratrum Prædicatorum professorem, et beati Dominici ipsius Ordinis institutoris socium, geritis, cupitis corpus seu ossa ejusdem beati Hyacinthi, quæ humi in ecclesia domus vestræ sanctissimæ Trinitatis jacent, in aliquo eminenti et alias condecenti loco cum debitis reverentia et honore reponere et reponi facere, quod vobis licere dubitatis absque Sedis Apostolicæ dispensatione seu licentia D
speciali.

elevandi ossa B. Hyacinthi,

84 Quare supplicari fecistis humiliter vobis, quia asseritis quod festum et Missa ac Officium ejusdem beati Hyacinthi cum oratione de uno confessore in omnibus ecclesiis domorum dicti Ordinis in regno Poloniæ constitutarum ex concessione Sedis Apostolicæ celebrantur, per Sedem eamdem de opportuno remedio juris providere. Nos igitur vestris supplicationibus in hac parte inclinati, auctoritate domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali mandato, super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis, ut corpus seu ossa hujusmodi exhumari et in eadem ecclesia in aliquo eminenti et alias condecenti loco cum debitis reverentia et honore, Ordinarii loci vel cujusvis alterius licentia minime requisita, reponi facere libere et licite possitis, verisque existentibus præmissis, indulgemus, plenamque ad id licentiam et liberam concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis qui- E
buscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ Kal. Julii, Pontificatus domini Pauli Papæ tertii anno quinto,

Æ. de Villa-nova
Hect. Guiddatus.

R. P. F. Thomas de Szyczow Dominicanus,

85 *Sed jam sese offerebat difficultas reperiendi reliquias* S. Hyacinthi, *quæ diu latuerant, et quas anno Christi* 1543 *quæsivit invenitque R. P. F. Thomas de Szyczow, de quo Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos meminit, ibidemque tomo* 2 *pag.* 125 *asserit, ab eo scriptam fuisse* Relationem inventionis reliquiarum sancti Hyacinthi Ordinis Prædicatorum, a ducentis annis ita occultarum, ut, ubi delitescerent, periisset memoria. *Hanc relationem maxima ex parte edidit Severinus Cracoviensis, apud quem lib.* 3 *Actorum Cap.* 42 *laudatus Thomas de Szyczow, testis oculatus illam sacrorum ossium inventionem ita narrat:* Quoniam in sacris Litteris scriptum comperimus Tobiæ 12: Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est; hinc nos Frater Thomas de Szyczow Prior provincialis provinciæ Poloniæ, licet immeritus, Ordinis Prædicatorum, una cum Patribus et Fratribus Conventus sanctissimæ Tri- F
nitatis in Cracovia, omnibus et singulis Christi fidelibus ad honorem et gloriam omnipotentis Dei et Sanctorum amicorum ejus notum facere dignum duximus, quomodo juxta jam dudum quibusdam utriusque sexus hominibus Deum timentibus a Deo factam revelationem et in scriptis historicis exaratam testificationem, ossa et reliquiæ beati Hyacinthi, Patris et fundatoris primi Conventus nostri Cracoviensis, et ceterorum in regno Poloniæ quiescentum, in malis et periculosis temporibus hactenus occulta, revelari et reperiri debuere, ac etiam cum ceteris Sanctis in regno Poloniæ recondita numero senario canonizari, quod priori anno de beato viro Hyacintho factum declaramus fuisse in hunc modum.

Prior provincialis Poloniæ

86 Anno Domini MDXVII, satagente et instigante olim venerabili Fratre Ludolpho sacræ theologiæ ac totius veræ philosophiæ professore, Provinciali vigilantissimo, post frequentes preces et intercessiones serenissimi et invictissimi regis Sigismundi I feliciter moderni, ac etiam cum tempore totius coronæ venerabilium archiepiscoporum et episcoporum ac capitulorum cathedralium, ac synodalium congregationum super promovenda ac fienda

AUCTORE G. C.

A fienda canonizatione beati Hyacinthi, et cum interjecto tempore, multis per plures Patres nostros diffinitores a sacrosancta Romana Sede Apostolica in forma Brevis, et Bullis obtentis gratiis, tandem anno dominicæ Incarnationis MDXLIII spem firmam in divina gratia, non in pecuniarum thesauris, qui nulli in arcis parati habebantur, collocantes, unanimi voto Deo et sancto suo Hyacintho juxta decretum Sedis Apostolicæ erigere et ædificare locum eminentiorem supra sacellum trium Regum cœpimus adaptare, et murum versus ecclesiam infringere, et inter fractionem vel frangendum murum supra altare de compassione beatæ Mariæ Virginis reperta est capsa sive armarium muratum, testudinatum, ubi reperta fuerunt ossa integri hominis officiose recondita, licet aliquantisper per ignem adusta et rubicunda facta, nec tamen in aliquo læsa vel diminuta; et quia ossa et reliquiæ beati Hyacinthi a multorum annorum curriculo, forsitan ultra quam ducentorum, occultata fuerunt, et penitus nostro ævo ignota, prædicta ossa taliter reperta putabantur fore beati Hyacinthi, et sic ex congerie laterum, quæ
B inter frangendum dictam capsam inciderant, reverenter cum cineribus, quorum erat magnæ scutellæ quantitas, et quibusdam particulis laminarum cuprearum recollecta, et in sacristiam reverenter delata fuerunt; cujus adustionis hæc conjiciebatur fuisse ratio; quoniam a fundatione Conventus bina vice usque ad præsentia tempora Conventus cum ecclesia fertur fuisse incineratus, et præfata capsa sive armarium, ubi ipsa ossa latebant, ex parte ecclesiæ, et non nisi unico latere vel fenestrula medio latere clausa fuerant. Eapropter ardor ignis murum accenderat et capsam ligneam, cujus cineres comperti sunt, et similiter laminam cupream absumpsit, salvis miraculose ossibus et reliquiis præfatis.

diligenter ea quæsivit,

87 Postea circa principium mensis Junii facta congregatione Fratrum mendicantium in domo nostra, et rogato reverendissimo suffraganeo Fratre Dominico, et cum eo multis ex prælatis et Canonicis ecclesiæ cathedralis in fidei testimonium, et concursu populorum assistentium utriusque sexus non modico, ex devotione et flebili gaudio accedente, et acclamante, quod eorum temporibus diu desi-
C derata ossa et reliquiæ inventæ sublevatæque fuissent, sepulcrum beati Hyacinthi, quod erat intra murum excavatum et ante sacellum B. Virginis, vel, ut communiter nominatur, trium Regum, a terra duobus cubitis elevatum aperuimus, et cistulam reperimus; quibus reliquiis per reverendissimum præfatum D. Suffraganeum receptis et ad medium chori delatis, et aliis prius (ut præmissum est) repertis simul asportatis in præsentia prælatorum et medicorum chirurgicorum anatomiam scientium revisa sunt et mutuo comparata, et compertum est, diversa fore ossa, quia priora integri hominis, et reliqua iterum alterius corporis, et saltem inferiores partes, quarum caput cum ceteris superioribus membris et partibus, puta manibus, brachiis et pectore non comparebant. Unde multum murmur et admiratio præscutibus prælatis et ceteris facta est; sed et quibusdam, præsertim Lutheranismo infectis, subsannationis occasio facta fuit.

postquam per multos annos latuerant,

88 Ego etiam, qui supra, Frater Thomas pro tunc Prior et vicarius generalis provinciæ existens, cum Patribus et toto Conventu pro ea re tristes et stupidi effecti, non alium locum certo scientes, ubi tantæ reliquiæ requirendæ forent, fiduciam deinque plenam habentes in Domino Deo, et ex Patrum priscorum narrationibus et ex libris historicis, quod eo tempore reperiri, elevari et canonizari deberent, quo respublica Christiana in fide periclitaretur, quod pro tunc per Lutheranam factionem agitabatur, et ipsum regnum Poloniæ ex proxima vastatione regni Ungariæ illo tempore pavore et timore urgebatur vel angustiabatur; unde et Fratrum nedum nostrorum, sed et aliorum Ordinum et Religionum, imo et in concionibus vulgaribus per verbi Dei præcones commendabatur Domini Dei et Sanctorum suorum negotium; et sic tandem, Domino Deo miserante, XXIII die mensis Junii, videlicet decem millium martyrum hora vesperarum, jam fere consummato præfato divi Hyacinthi sacello, dum ego Frater Thomas cum Fratre Joanne Converso Conventus Vratislaviensis, illius totius operis magistro et architecto, circa dimensionem graduum, quibus foret ad sacellum congruus ascensus, conferebam, semper de sanctis ossibus tacitus et tristis revolvens; et, ecce, subito venit in mentem ex Fratrum et Patrum conferentiis, ut profundius in eodem loco murus foderetur, quoniam et vidi quasdam in muro cavaturas profundiores: et E
ita factum fuit divina, ut existimo, voluntate, ut præfatus Frater Joannes cum Fratre Protasio artis socio foderent, me ab opere abeunte: et sine mora repererunt lapidem planum, muro inferiori suppositum vel infixum; et mox me revocato, ipsum ostenderunt; et jussi cautius tractari lapidem, et comperimus sub eodem cryptam sive capsam lapideam eodem lapide artificiose plano contectam, et sic pro nocte futura omnia reliquimus intacta et integra.

ac tandem feliciter invenit,

89 In crastino, hoc est in vigilia sancti Joannis Baptistæ, ea, quæ facta fuerunt, retulimus reverendissimo domino Petro archipræsuli Gnesnensis ecclesiæ et episcopo Cracoviensi, qui cum cœtu prælatorum et canonicorum et familia non pauca eodem die adveniens, jussit levare superiorem lapidem, et tandem visis sacris bustis in loculo lapideo et plumbeo collocatis, mandavit vel jussit mihi Fratri Thomæ, quatenus totum cum capsis in chorum reverenter deferrem; quod et feci circumstante utriusque sexus et status multitudine, et iterum in medio chori collocatis reliquiis, accessit præfatus reverendissimus antistes, F
et revidens et tractans ossa et circumspiciens omnes reliquias et loculos ipsarum dixit: ISTÆ SUNT VERÆ RELIQUIÆ BEATI VIRI HYACINTHI. Et adstans venerabilis dominus Joannes Borek, decretorum doctor et decanus ecclesiæ Cracoviensis, asseveravit, ita omnino esse, quoniam et in urbe Roma taliter absconditas et inventas ipse præsens viderat. Taliter ego cum Dei laudibus inventa et protinus ad sacristiam delata et religiose custodita usque ad tempus præfati sacelli consummationem et dedicationem fuerunt. Et ita his gestis, cœpimus cum Dei auxilio negotium ipsum fiducialius pertracte, et demum serenissimo et invictissimo regi Sigismundo huic operi multum devoto per nos rem gestam proponere, et suppetias pro consummatione et ornatu præfati sacelli et lapidei sepulcri exposcere. At sua majestas dum ex ore meo audivit prætactam rationem super tempore inventionis protracto, et post in veteri historia reviso et audito, tamquam princeps Catholicus larga manu pro consummatione operis porrexit nobis centum florenos in moneta, et præfatus reverendissimus decem, et venerabile Capitulum, de quorum gremio olim erat beatus Pater Hyacinthus, vigiuti. Dominus Joannes Odrowonz, de

AUCTORE G. C.

de cujus stirpe et veteri clara familia iste fere ultimus relictus fuerat, viginti quinque florenos. Sic et ceteri Christi fideles promiscui sexus et conditionis gratanter plus et minus obtulerant, ex quibus ipsum sepulcrum et gradus et pavimenta et ferramenta ego idem Frater Thomas pro tunc altera vice Provincialis nutu Dei feci coaptari et consummari. Per omnia benedictus Deus unus et trinus per infinita secula seculorum. Amen.

non sine certis indiciis,

90 *Dubito, an hic sit integra relatio R. P. F. Thomæ de Szyczow, cum Severinus in fine citati capitis sic scribat :* Addit autem item reverendus Pater *(his verbis, ni fallor, laudatum P. Thomam indicat)* causam inventionis reliquiarum beati Hyacinthi pluries visa lumina et faces accensas super locum, ubi reconditæ fuerunt, et ad eumdem locum dæmonum ejulatus in obsessis corporibus, qui et locum monstrabant, et se uri et accendi in eodem fatebantur. Adfuit etiam pluries mira odoris fragrantia, quæ procul dubio ex reliquiis Sancti promanans, eas esse veras beati Hyacinthi designabat. *Severinus ibidem præmiserat sequentia :* Eodem tempore consecrationis supradictæ reliquiæ, quæ existimabantur esse beati
B Vitti episcopi Lubusani de Ordine Prædicatorum, de cujus sanctitate frequens memoria habetur in veteri historia beati Hyacinthi, sunt collocatæ intra altare majus in eodem sacello cum suis cineribus; et similiter reliquiæ beati Hyacinthi sunt reconditæ intra altare secundum, et in fundo altaris in capsa decenti sunt collocatæ; verum os brachii unius intra lapidem sepulcri a tergo est specialiter inclusum. *Abrahamus Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1254 *num.* 8 *meminit de quodam B. Vito Polono, qui ex Ordine Prædicatorum ad episcopatum Lithuaniæ evectus est, et quem miraculis coruscare asserit. Nos hac occasione discere cupimus ex iis, quorum interest, utrum B. ille Vitus distinctus sit ab hoc episcopo Lubusano vel Lubecensi, et quo die annua alterutrius vel utriusque memoria celebretur.*

et sacræ reliquiæ honoratiori loco collocatæ

91 *Quidquid sit de beato isto Vito, illustrissimus præsul Gnesnensis in tabulis parieti affixis reliquit memoriam consecrati hujus sacelli, ut Severinus ibidem refert his verbis :* Anno Domini MDXLV, Dominica XIV post festum sanctissi-
C mæ Trinitatis; mense vero Septembri, luna XXVI, ego Petrus de Gamratis Dei gratia archiepiscopus Gnesnensis et episcopus Cracoviensis hoc sacellum ad honorem Dei omnipotentis, beatissimæ Virginis Mariæ et beati Hyacinthi consecravi; altare autem hoc majus ad honorem Dei omnipotentis, Passionis Domini, sanctæ Crucis, coronæ et lanceæ, ejus Virginis Mariæ compassionis, sancti Laurentii, Venceslai, Longini, Erasmi, Valentini, sancti Juliani, Lazari, sanctæ Apoloniæ, Christinæ; beatorum vero decem millium Martyrum, et beatarum undecim millium Virginum reliquias in eo inclusi; sepulcrum vero ad honorem Dei omnipotentis, beatissimæ Virginis Mariæ, beati Hyacinthi; reliquias vero beatorum Martyrum Stanislai episcopi, Prothi et Hyacinthi, et beati Thomæ de Aquino in eo inclusi. Singulis Christi fidelibus hodie unum [annum,] et in die anniversario hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concedimus.

92 *Cum de sacris S. Hyacinthi ossibus hic sermo inciderit, recensebo pauca, quæ ad regiones a Polonia longe dissitas translata fuerunt. Primo occurrit os brachii duobus digitis longum et uno latum, quod in Scorialensi Hispaniæ monasterio* D
ostenditur, et cujus translationis testimonium ex Lipsanologio ejusdem monasterii fol. 115 *ibidem anno* 1722 *ita desumpsimus :* Georgius miseratione divina tituli S. Sixti S. R. E. Cardinalis Radzivil nuncupatus, perpetuus administrator episcopatus Cracoviensis et Ducatus Severiensis, Dux in Ollika et Niessiviess, ac sacri Romani imperii princeps, gratiam a Deo et pacem. Perspectam habentes sacræ Catholicæ regiæ majestatis vestræ pietatem in Deum et erga Sanctos ejus; præcipue vero erga patronum regni Poloniæ sanctum Hyacinthum, beati Dominici Hispani socium, venerationem et devotionem, mittimus S. C. R. majestati vestræ per illustrissimum Don Franciscum Mendoza, admiralium Aragoniæ, oratorem suum, particulam ex brachio ejusdem Sancti, quam ipsi in præsentia Fratrum Ordinis Prædicatorum Conventus Cracoviensis reverenter deprompsimus. Precamur igitur, ut ejus intercessione et meritis Deus omnipotens S. C. R. majestatem vestram ab omnibus adversitatibus custodiat, et quam diutissime orbi Christiano sanam, florentem fortunatamque conservet. Datum Varsaviæ die E
ultima mensis Februarii, anno Domini MDXCVII. Georgius Cardinalis Radzivil. *Etiam anno* 1594 *pars cranii S. Hyacinthi ex Lusitania in Galliam ac postea in Belgium delata est, ut apud nos tomo* I *Aprilis pag.* 73 *videre est. Non dubito, quin variæ ejusdem Sancti reliquiæ Conventibus PP. Prædicatorum communicatæ sint; sed non est mihi in promptu, eas singillatim enumerare.*

aliisque regionibus quædam communicatæ fuerunt.

§ X. Ossa Sancti in novo sacello ac altari iterum honorifice collocata.

Severinus Cracoviensis in honorem Sancti

Hæc iterum transcribimus ex Severino Cracoviensi, cujus testimonio libenter utimur, eo quod ipse interfuerit rebus gestis, quas cap. 43 *et sequente libri tertii sic narrat :* Post hæc omnia supradicta cum res alto tegeretur silentio, et propemodum per quinquaginta annos ob deperditum Processum negotium canonizationis beati Hyacinthi in curia Romana intermissum fuisset, su- F
scitavit Dominus Deus spiritum R. P. F. Melchioris Mosticensis, sacræ theologiæ professoris, et tunc jam quarto provinciæ Poloniæ Provincialis existentis, qui ad Capitulum generale sub reverendissimo Paulo Constabili Ferrariensi, Magistro Ordinis generali, anno Domini MDLXXX Romam evocatus apud Gregorium XIII Pontificem multis egit conatibus (præhabita olim sanctæ memoriæ serenissimi Stephani regis Poloniæ et quorumdam baronum ad Sedem Apostolicam commendatione) quatenus ex plenitudine potestatis Apostolicæ ad canonizandum Sanctum annuere dignaretur. Obnixe quoque precatus est Sanctitatem suam, ut ad reperiendum Processum, tempore Clementis VII deperditum, manus adjutrices dare velit; quod pius Pastor libenter præstitit, dataque excommunicatione super Romam, illum diligenter inquiri mandavit, cujus præceptum felicior secutus est eventus : nam XV Junii eodem anno reperta est copia Processus in archivo Cardinalis Caraphæ Theatini, qui postmodum fuit Paulus Papa quartus; qua inventa, venerandus senex meliora sperare cœpit. Itaque relicta hac copia

AUCTORE G. C.

A pia apud R. D. Georgium Ticinium camerarium Apostolicum (quæ postmodum ad manus R. D. Thomæ Treteri sanctæ Mariæ Transtyberim testamentaliter pervenit, et in hac ultima expeditione ad manus illustrissimorum Cardinalium Congregationis sacrorum Rituum delata est) in Poloniam lætus rediit, de negotio imposterum melius provisurus.

construit elegans sacellum ac novum altare,

94 At vero domum rediens, antequam ad ulteriora negotii se extenderet, cogitare cœpit, in quo de hoc glorioso Sancto magis mereri possit. Incidit in mentem, capellæ beati Hyacinthi fornicem ampliare, præsertim cum locus esset antea augustus, utpote trium vel quatuor cubitorum. Quoniam vero jam ultima suæ senectutis mole premebatur, id quod cogitaverat, aggredi non valebat. Præhabito tamen maturo consilio et longa deliberatione, me Fratrem Severinum Cracoviensem ex civitate Gedanensi Ducatus Prussiæ ad Capitulum Præmiisliense evocavit, et oblata mihi a bonæ memoriæ reverendissimo Paulo Constabili Ferrariensi, generali Magistro, et provinciæ Poloniæ gratia, magisterii titulo et laurea insignivit: B insuper Regentem studii generalis Cracoviensis simul et Prædicatorum ordinariorum ex eodem Capitulo assignavit. Hoc facto, Cracoviam rediens mecum de suo primo intento tractare instituit; imo et operi cum injunctione obedientiæ præfecit. Mox igitur divina ope fretus, et beati Hyacinthi patrocinio adjutus, haud segniter negotio insistere cœpi, multorumque proborum atque piorum hominum ope, nec non assidua solicitudine brevi temporis spatio primum ipsam capellam, postmodum vero ipsum altare, in quo reliquiæ beati Hyacinthi et ossa recondenda erant, cum magno splendore et sumptuoso apparatu ex alabastro alpo et subfusco, pulchra varietate permixto, notabili altitudine duodecim columnis alabastrinis, et tribus fornicibus, et octo tabulatis decoræ magnitudinis cum diversis Sanctorum sculptis imaginibus, Deo auspice, feliciter consummavi, atque ex omni parte, ut artis ratio ferebat, auro puro obtexi.

quod variis tabellis

95 In tabulatis vero talia carmina sculpta cernuntur.

C

A FRONTE ALTARIS

TABULA PRIMA.

Confessor Hyacinthe tuam benedicte catervam
Orbatam votis adjuva supplicibus.
Pondere peccati premimur; Pretiose, petentum
Persolvas, petimus, pacta parata preces.
Desere nec flentem precibus tu Sancte catervam,
Cui Deus æternos contulit esse dies.

TABULA SECUNDA.

Sancte vir, immenso major virtutibus orbe,
Cælicolum sanctis annumerate choris,
Aspice nos, precibusque tuos defende Polonos,
Ne stygii fiant præda cruenta ducis.
Da tua curramus celeri vestigia passu,
Ut regni simus pars quotacumque Dei.

TABULA TERTIA.

Ossa sub his aris Hyacinthi sacra beati
Condita sunt, multos quæ latuere dies.
Rege Sigismundo et Gamrato præsule, divum
Munere sunt miro forte reperta loco.
Coruscans variis Divum virtutibus urbem
Auxiliis istam reficit ille suis.
Quem populus Grachum cælesti numine fultus
Devote sacra relligione colit.

TABULA QUARTA.

Gregorius totum sanctis dum corrigit orbem
Legibus, ac Christi dulcia jussa suadet,
Et Stephanus claras dum regni suscipit arces
Sauromatum, superans Moschica tela virum,
Quingentos decies octo post mille fluentes
Tresque annos felix regia sceptra tenet,
Hæc celebris Hyacintho conditur ara beato,
Cujus nunc iterum hic inclyta gleba jacet.

A TERGO ALTARIS

TABULA PRIMA.

96 Splendida ne mirere, hospes, monumenta laboris, E
Artificum largam nec venerare manum.
Tradere nam voluit tabulis mansura per ævum
Marmoreis sancti tot pia facta Viri.
Scilicet eximius Fratrum isto ex Ordine doctor
Condidit hoc pulcrum nunc Severinus opus.

carminibusque exornat,

TABULA SECUNDA.

Nobilis at magnam Catherina Wapowska benigno
Ære juvit partem, rite secuta patres;
Atque alii multi, quos terra Polona quictos
Dives alit, læti dona dedere sua,
Floreat ut sancti totum diffusa per orbem
Fama Viri, precibus qui juvat usque piis.

TABULA TERTIA.

Fluctibus oppressi nautæ cælique ruina
Cum fuerant, clamant: Sancte Hyacinthe fave.
Tunc cunctus pelagi cecidit fragor; æquora, venti
Straverunt; portus naufraga turba petit. F
Hic quoque fallacem sacris cacodæmona verbis
Torsit, et in stygias jussit abire domos.
Quid memorem cunctos vitali lumine cassos,
Queis dederat vita commodiore frui?

TABULA QUARTA.

Huic cedunt rapido tumentia flumina vado,
Et firmat gelidas pendulus Ister aquas.
Hic pressas segetes et sata cadentia culmo
Orando relevat, tristiaque arva fovet,
Quot cæcos visu, quot claudos gressibus, et quot
Perfractos membris viribus iste juvat.
Quot febres, quot sanguinolentia vulnera dicto
Ac meritis sanat, quis numerare queat?

Nolo hic notare varia sphalmata, quæ inconsiderantia poëtæ vel typothetæ in metrum carminis irrepserunt.

et ad quod sacræ ejusdem Beati reliquiæ

97 *Porro Severinus cap. 44 honorificam illarum reliquiarum translationem ad novum sacellum et altare exprimit sequenti narratione:* Absolutis omnibus, quæ ad opificium prædictæ capellæ et altaris requirebantur, supererat supranominatis reliquiis, quæ jam pridem a suo loco pristino

AUCTORE G. C.

stino elevatæ erant, depositionis sive translationis festum celebrare. Ad majorem igitur Sancti honorem contigit, sanctæ memoriæ serenissimum Stephanum regem, debellatis atque profusis hostium Moschovitarum copiis, Livoniaque subacta, victorem Cracoviam rediisse, et ob ingentes illustris ac generosi Joannis Zamoscii virtutes neptem suam eidem in uxorem tradidisse, atque ad easdem nuptias pene totum senatum omnemque florem nobilitatis confluxisse. Qua occasione accepta, admodum R. P. F. Melchior Mosticensis, Provincialis Poloniæ una cum toto Cracoviensi religioso Conventu, adhibitis sacræ Sedis Apostolicæ mandatis, atque ad hunc solennem actum plurimis utriusque status primatibus vocatis, præsentibus illustrissimis Alberto Bolognetto et Andrea Battorio S. R. E. Cardinalibus, nec non RR. PP. DD. Cracoviendi, Plocensi, Premysliensi, Chelmensi, et Camenecensi episcopis cum magna populorum multitudine piarumque mentium devotione in die sanctissimorum Petri et Pauli Apostolorum ad gloriam et laudem Dei, Sanctisque perpetuum in terris honorem, harum reliquia-
B rum prædictarum translationem fecit, easque in altare alabastrinum, de quo supra fit mentio, quam honorificentissime per eosdem reverendissimos episcopos collocari procuravit.

in præsentia variorum præsulum

98 Quæ ut melius et verius videautur, testimonio reverendissimorum episcoporum litteris exarato luculentius patebit, cujus tenor est hujusmodi: „Petrus Myskowski Dei gratia episcopus Cracoviensis. Significamus præsentibus litteris nostris universis et singulis, quorum interest, præsentibus et futuris harum notitiam habituris, quia nos ad petitionem venerabilium ac religiosorum Fratrum Ordinis Prædicatorum sancti Dominici Conventus ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis intra muros Cracovienses, scilicet F. Antonii Prioris, Hilarii Supprioris, Felicis et Severini sacræ theologiæ Doctorum, Bartholomæi et Victorini sacræ theologiæ baccalaureorum, totiusque Conventus ejusdem ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis, una cum illustrissimis ac reverendissimis in Christo Patribus et dominis Alberto Bolognetto Massanensi, sanctissimi domini nostri Gregorii XIII in regno Poloniæ Nuntio, Petro Dunin Volski Plocensi, Joau-
C ne Borukowski Præmysliensi, Martino Bialobrzesky Camenecensi eadem gratia episcopis, ossa divi Hyacinthi sub altari secundo versus gradus seu scalas superioris sacelli sitas in loculo ligneo clavis ferreis obfirmato et munito ibidem a quadragiuta circiter annis recondita, ut litteræ in pergameno scriptæ, quæ in eodem Conventu habeutur, latius præmissa deponunt: qui loculus una cum osse brachii ejusdem beati Hyacinthi in theca stannea rotundo justæ longitudinis secundum proportionem ejusdem brachii reconditi in posteriori parte altaris suprafati, uti in dictis litteris annalibus descriptum erat, invento cum litteris ad partem superiorem seu clausuram ejusdem thecæ stanneæ ita exsculptis et expressis: Hic sunt reliquiæ sancti Hyacinthi, per Fratres Felicem et Severinum sacræ theologiæ professores reverenter recipientes et brachiis suis sustinentes etc., qui processionaliter ad altare majus, concomitante magna turba sexus utriusque hominum, quæ ad eum actum pro sua devotione convenerat, easdem deportaverunt.

99 „Ac ibidem apertus est loculus prædictus ligneus, in quo publice visa sunt prædicti divi
D Hyacinthi ossa cum suo cranio venerabili; saculus vero cineritius, in quo eædem reliquiæ in dicto loculo fuerant reconditæ, ob vetustatem pro tunc ex cæmento recenti intra altare contractam lacer inventus est: in superiori vero parte prædicti loculi reperta fuit schedula in pergameno de anno Domini MDXLIV, die septima mensis Septembris sub titulo olim reverendissimi Petri de Gamratis archiepiscopi Gnesnensis et episcopi Cracoviensis, continens in se repositionem ossium divi Hyacinthi scripto. Postmodum facta reverentia condigna prædictis reliquiis, ipsisque exosculatis, in sacrarium ecclesiæ et Conventus ejusdem honorifice deportari jussimus, ac sub custodia obsignatione sigilli ejusdem loculi certorum prælatorum nostrorum ad id deputatorum tamdiu asservandas, quo usque altare novum alabastrinum pro condendis hujusmodi reliquiis comparabitur, mandavimus, deposuimus, et levavimus.

aliarumque illustrium personarum

anno Christi 1583

100 „Tandem eodem anno, Mercurii vero ipso die festi sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, hæc eadem ossa divi Hyacinthi in præsentia infrascriptorum prælatorum nostrorum,
E maximaque utriusque sexus concurrente et spectante populi frequentia, ibidem in eodem sacello altaris superioris de lapide alabastrino noviter constructi in scriniolo stanneo reposuimus et condidimus. In cujus rei fidem et testimonium præsentes sigilli nostri appensione communiri ac notario nostro præsentes subscribi jussimus et mandavimus. Datum Cracoviæ anno Domini MDLXXXIII, die XIX * mensis Junii, præsentibus reverendis, magnificis, generosis ac nobilibus dominis Stanislao Craszinski archidiacono Cracoviensi, Laurentio Gosliczki decano Plocensi, Paulo Dembski, Alberto Szidlowski, Mathia Klodzinski, Martino Skarszewski prælatis et Canonicis ecclesiæ nostræ cathedralis Cracoviensis; Joanne Gierlii de Dombrswnicza castello Byeczensi et referendario curiæ sacræ regiæ majestatis, Gasparo Maczieiowski magistro stabuli capitulo Lencicieusi, Andrea Zebrzydowski pocillatore sacræ regiæ majestatis.

* *forte XXIX*

honorifice translatæ

101 „Ad depositionem vero eorumdem ossium beati Hyacinthi præsentibus reverendissimis
F supra nominatis episcopis, nec non reverendissimo Andrea Batthorio de Slomnio præposito Miechoviensi, Alberto Brudzinski custode Cracoviensi, Joanne Craszinski cantore Cracoviensi, Christophoro Podoski, Laurentio Goszilitki, Christiano Drosdowski, Martino Slcarszewski, Stanislao Skarszewski, Andrea Czieklinski prælatis et Canonicis ecclesiæ nostræ cathedralis Cracoviensis, præsente etiam serenissima domina regia Poloniæ D. Anna, olim piæ memoriæ Sigismundi primi filia, et Sigismundi Augusti pie defuncti sorore, Simeone Georgio, Alexandro fratribus et illustrissimis Ducibus Slucensibus, Nicolao Lycszniowolski castellano Podelassensi, Felice Czirski judice terræ Cracoviensis, Paulo Sczavinski magistro curiæ sacræ regalis majestatis, et aliis quamplurimis sexus utriusque et conditionis Christi fidelibus fide dignis circa præmissa peragenda existentibus testibus. Deinque in superiore parte altaris sub figura alabastrina supina in theca plumbea os brachii ejusdem Sancti, prout in priori altari simplici conditum fuerat, certis de causis præsentibus eisdem testibus, condidimus. Petrus Myszowski episcopus Cracoviensis

AUCTORE G. C.

A „ coviensis significat. Petrus Dunin Wolski episcopus Plocensis. Joannes Bornkowski episcopus Præmysliensis regni Poloniæ vice-cancellarius significat „. Sigilla quatuor reverendissimi Bolognetti, qui postmodum fuit Cardinalis factus, reverendissimi episcopi Cracoviensis, Plocensis, Præmysliensis.

ac publicæ venerationi expositæ fuerunt.

102 Est autem consecratum altare prædictum eodem anno scilicet MDLXXXIII, die Dominico in festo sancti Dominici Patris nostri coram plurima utriusque sexus et status sive conditionis multitudine, cujus consecrationis notula in pergameno in theca reliquiarum altaris talis est: „ Anno Domini MDLXXXIII, die Dominico, septima mensis „ Augusti, ego Jacobus Milewski Dei gratia episcopus Laodicensis, suffraganeus Cracoviensis „ etc. hoc altare ad honorem Dei omnipotentis et „ B. Mariæ Virginis, nec non omnium Sanctorum, et singulariter in memoriam sancti Hyacinthi confessoris consecravi, in eoque reliquias „ sanctorum Stanislai, Floriani, Thomæ Aquinatis et divi Hyacinthi confessoris et sancti Severini, sigillo suo munitas inclusi, indulgentiasque B „ his omnibus, qui adfuerunt consecrationi, hodie unum annum, et in die anniversario ipsum „ visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi „. *Nolo hic prosequi omnia illa, quæ ab hoc tempore ad promovendam solennem S. Hyacinthi canonizationem gesta sunt. Si quis ea nosse desideret, Severinum Cracoviensem lib. 3 Actorum capite ultimo consulat. His itaque omissis, ipsum canonizationis decretum paragrapho sequente transcribam.*

§ XI. Bulla canonizationis, qua magnus hic Thaumaturgus catalogo Sanctorum adscribitur.

Clemens VIII Papa gaudet,

C *Illustrissimus Justus Fontaninus Romæ anno 1729 edidit Codicem Canonizationum, cui inseritur constitutio, qua Clemens VIII Pontifex B. Hyacinthum anno 1594 solenniter in catalogum Sanctorum retulit, et quæ ibidem pag. 248 et sequentibus ita sonat:* Clemens episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Benedictus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui dilectam filii sui sponsam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam perpetua regit providentia, atque his luctuosis temporibus, multis ærumnis et calamitatibus afflictam, multiplici etiam gaudio, ex Sanctorum suorum gloria consolatur. Vere enim magna existit spiritualis lætitiæ materia, cum Deus illustria servorum suorum merita ideo mundo manifestat, ut dum illis ubique terrarum veneratio tribuitur, Deus ipse in Sanctis suis mirabilis prædicetur. Nam cum aliqui servi Dei, excellenti vitæ sanctitate et miraculis insignes, jam cum Christo in cælo regnantes, in terra quoque summa Romani Pontificis auctoritate, sancti esse declarantur, Rex ipse sempiternæ majestatis et gloriæ in Sanctorum concilio glorificatur, divini cultus observantia augetur, fidelium pietas et devotio excitatur, detestandæ hæreses magis magisque convincuntur, plures populo Dei ad virtutis exemplum et suffragii patrocinium proponuntur, ut quod fideliter petimus, id efficacius multiplicatis intercessoribus consequamur.

ubi oblatam esse occasionem canonizandi venerabilem Hyacinthum,

104 Quare magna Dei benignitate ante paucos annos factum est, ut a felicis recordationis Xysto Papa V prædecessore nostro, ex Seraphici patris Francisci religione beatus Didacus Hispanus in Sanctorum numerum referretur, et nunc vicissim ex beatissimi patriarchæ Dominici disciplina beatus Hiacynthus Polonus sanctis pariter Christi Confessoribus adscribatur, nimirum, ut duo clarissimi Ordines, unde tot pii ac sancti Viri Catholicæ Ecclesiæ lumina prodierunt, nostra quoque ætate, duplicato populi Christiani gaudio, honore consimili augeantur, ut duæ istæ lucernæ, fide et signis mirabilibus luminosæ et caritate ardentes, supra excelsum candelabrum collocatæ, in domo Dei colluceant.

cujus sepulcrum olim Cracoviæ viderat,

105 Et nos quidem cum multis aliis in rebus, tum in hoc etiam divinæ gratiæ abundantiam agnoscimus; primum quod nos ipsos Deus veluti oculatos testes, in hac religiosa causa esse voluerit. Nam cum adhuc ex numero essemus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et Apostolicæ Sedis de latere legatione in Polonia E fungeremur, vidimus Cracoviæ insigni loco sepulcrum beati Hiacynthi, in quo venerandum illius corpus in somno pacis requiescit et regni illius erga hunc beatum Virum singularem devotionem perspeximus. Deinde etiam in eo divitias bonitatis Dei prædicamus, quod ita disposuerat, ut hoc pium et salutare canonizationis beati Hiacynthi negotium ante annos quinque et septuaginta religiosis Poloniæ regibus, regnique ordinibus supplicantibus inchoatum, et a pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, variis progressionibus promotum, tandem per nostræ humilitatis ministerium, qui Poloniæ regnum peculiari paternæ dilectionis affectu complectimur, omni ex parte absolveretur.

et narrat, de hac re agi cœpisse sub Leone X Papa,

106 Anno siquidem humanæ salutis millesimo quingentesimo decimo octavo felicis recordationis Leo Papa X prædecessor noster, supplicationibus recolendæ memoriæ Sigismundi I Poloniæ regis, tunc in humanis agentis, de beato Hiacyntho Polono, Ordinis Fratrum Prædicatorum, fidei integritate et morum sanctimonia et miraculorum fama in universo Poloniæ regno percelebri, in Sanctorum numerum referendo incli- F natus, bonæ memoriæ Johanni episcopo Laodicensi, et Jacobo Canonico Cracoviensi, ut in ejus vitam et miracula diligenter inquirerent, suis quibusdam litteris mandavit. Qui pro suo Apostolicæ Sedi obtemperandi studio, universæ illius vitæ et miraculorum rationes in acta retulerunt: eaque anno etiam Domini millesimo quingentesimo vicesimo sexto, Leone prædecessore prædicto vita functo, ad piæ memoriæ Clementem Papam VII etiam prædecessorem nostrum transmiserunt.

cujus successores, Clemens VII

107 Quibus quidem actis diligenter perspectis, ac etiam ipsius Sigismundi regis supplicationibus idem Clemens prædecessor adductus, dum de tota re mature decerneret, Fratribus Ordinis Prædicatorum dicti regni, ut postridie festivitatis Assumptionis beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, solemnitatem atque Officium ac sacrosanctum Missæ sacrificium in ejusdem beati Hiacynthi honorem celebrare, atque etiam imagines et altaria illi in omnibus ecclesiis domorum suarum præfati Ordinis statuere possent, concessit. Et deinde, prædicto Sigismundo rege id etiam postulante, eamdem concessionem ad omnes dicti regni cathedrales

AUCTORE G. C.

thedrales ecclesias, quoad usque ad canonizationem dicti beati Hiacynthi deventum esset, extendit.

et Paulus III aliquem cultum B. Hyacintho concesserunt,

108 Ceterum consilio de canonizatione hujusmodi ob quasdam tunc obortas difficultates per id tempus intermisso, anno similiter Domini millesimo quingentesimo tricesimo nono, tunc existentes Præsules ejusdem regni in synodo Petricoviensi per eos celebrata, congregati, unanimi consensu, dicto Clemente prædecessore defuncto, per litteras sanctæ memoriæ Paulo Papæ III similiter prædecessori nostro supplicarunt, ut ad hujusmodi canonizationem perficiendam, suam, et dictæ Sedis auctoritatem impertiretur. Quorum supplicationibus idem Paulus prædecessor annuens, tribus venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Ordinum Prioribus, negotium canonizationis hujusmodi rursus examinandum commisit, qui et ipsi, pro assiduis ejusdem Sigismundi regis, necnon Prioris provincialis dicti Ordinis in prædicto regno tunc deputati supplicationibus, quibus nempe id petebant, B ut in ipsius Hiacynthi fidei sinceritatem, vitæ sanctitatem, et miraculorum, quorum in dies in dicto regno fama augebatur, excellentiam, diligenter iterum inquireretur, ad quosdam ipsius regni probatos viros hoc negocium detulerunt: qui concessionibus Apostolicis super ea re factis, aliisque omnibus, quæ ad canonizationem prædictam pertinebant, attente consideratis, singula mature examinata in publica documenta redegerunt, denique summa fide collecta ad dictam Sedem transmiserunt. Postmodum idem Paulus prædecessor Fratribus dicti Ordinis ejusdem regni etiam concessit, ut ipsi Officium de dicto beato Hiacyntho singulis quintis feriis, in quas nullum festum proprium incideret, perinde acsi esset in Sanctorum numerum relatus, quemadmodum de sancto Dominico singulis feriis tertiis fieri solebat, recitare, ac illius ossa et corpus exhumare, ipsumque in sublimiorem ecclesiæ locum transferre possent.

recensetque studia Polonorum, quæ sub Gregorio XIII,

109 Postea labente anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo tertio, claræ memoriæ Stephani Poloniæ regis, de eadem canonizatione apud felicis recordationis Gregorium Papam XIII pariter prædecessorem nostrum, dum in humanis C ageret, supplicatione intercedente, ac interea illo vita functo, carissimi in Christo filii nostri Sigismundi III Poloniæ regis, ac carissimæ etiam in Christo filiæ nostræ Annæ Poloniæ reginæ, necnon dilectorum filiorum nostrorum, tunc suorum Gregorii tituli sancti Xysti de Radzivil et Andreæ de Somlio, tituli sancti Angeli in Piscina, Battorii, nuncupatorum Cardinalium, et venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum et Episcoporum, ceterorumque totius regni prædicti Ordinum status, tam ecclesiastici quam secularis, votis ac precibus, a felicis recordationis Xysto Papa V etiam nostro prædecessore, per dilectos filios Stanislaum Roscium, ejusdem Sigismundi regis apud eumdem Xystum internuncium, necnon fratrem Hippolytum Mariam Beccaria de Monte Regali Magistrum generalem totius Ordinis Prædicatorum; ac ejus nomine fratrem Bartholomæum de Miranda, tunc procuratorem generalem ejusdem Ordinis, ac demum fratrem Severinum Cracoviensem ejusdem causæ, nomine provinciæ et regni Poloniæ, ad id constitutum procuratorem, supplicatum fuit; ut ipse eumdem beatum Hiacynthum pro sanctitatis suæ fama, quam miraculorum accessio in dies magis magisque confirmabat, in Sanctorum numerum, D veteri Romanæ Ecclesiæ ritu, et præscripta solemnitate cooptaret.

aliisque suis decessoribus

110 Idem vero Xystus prædictum processum super hujusmodi re confectum Congregationi venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, super sacris ritibus deputatorum, examinandum commisit; coram quibus idem Sigismundus rex et universi regni prædicti status ecclesiastici; necnon ipsius Ordinis Prædicatorum religionis professores nonnulla scripturarum, ac jurium volumina, duoque processus super eo reformati exempla protulerunt, unum videlicet felicis recordationis Pauli Papæ IV etiam prædecessoris nostri, qui unus ex tribus Cardinalibus in ordine prioribus a prædicto Paulo prædecessore ad id deputatus fuerat, scripturarum monumentis depromptum; alterum vero ex ipso regno simul cum libro, tum vetustatis auctoritate, tum vitæ, ac miraculorum ejusdem beati Hiacynthi diligenti expositione probato allatum, eo quidem illud ad fidem propositis de rebus faciendam firmius, quod esset præstantium E virorum litteris obsignatum, et longo annorum spatio in archivo Cracoviensis Conventus ejusdem Ordinis Prædicatorum tanta cum fidei laude asservatum, ut illo, tamquam certi testis opera, summæ auctoritatis homines semper dubiis in rebus uterentur. Cujus rei fidem vel hoc ipsum augebat, quod alterum alteri, tum rebus, tum sententiis omnibus, tam apte respondebat, ut nihil vel similius vel congruentius excogitari posse videretur. Quæ quidem universa, citato Fisci procuratore, recognita fuerunt.

ad hoc negotium promovendum collata sunt,

111 Idem porro Xystus prædecessor tribus causarum palatii auditoribus, doctrina, et rerum usu præstantibus, ad hoc nominatim deputatis mandavit, ut de iisdem illis juribus ac processus exemplis diligenter cognoscerent, et conclusiones inde pro more colligerent. Qua in re cum diu multumque illi operam suam exercuissent, eodem Xysto, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, felicis recordationis Gregorio Papæ XIV prædecessori etiam nostro retulerunt, producta jura plenissimæ esse fidei atque auctoritatis, processumque omnem ad Canonum præscripta fuisse confectum, atque ex eo beati Hiacynthi fidei integritatem, vitæ sanctitatem et F miraculorum, ex quibus octo potissimum consideranda proposuerant, claritatem manifeste elucere. Qua quidem re ad venerabilium etiam fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, super sacris ritibus tunc deputatorum Congregationem, ut et ipsi quid ea de re sentirent, in medium afferrent, ejusdem Gregorii jussu remissa, iidem Cardinales attente examinatis allatarum a prædictis causarum auditoribus conclusionum argumentis, ac Fisci procuratore semper citato atque audito, servatisque etiam servandis unanimi consensu eorumdem auditorum, super scripturis, juribus et processus exemplis exhibitis, relationem approbarunt, et rationes, quibus de illius fide, vita et miraculis constaret, longe firmissimas esse judicarunt.

et ea sub Pontificatu suo resumpta esse indicat.

112 Accessit denique recens, et æquitatis ac pietatis plena postulatio ejusdem Sigismundi III regis, qui etiam Sueciæ rex existit: quippe legatione nobis ac Sedi Apostolicæ obedientiæ præstandæ causa, dilecto filio insigni viro Stanislao Mynsxi, Palatino Lencintiensi, apud nos et dictam Sedem oratori suo nuper delata, nihil eum a nobis vehementius hoc tempore flagitare jussit, quam

A quam ut negotium istud ad optatum tandem, et suis atque Christi fidelium ejusdem regni Poloniæ supplicationibus consentientem exitum perducamus. Cujus quidem beati Hiacynthi vitæ omnis, ac rerum, quas Deus ejusdem tum viventis, tum defuncti intercessione ac meritis gessit, narrationem hoc loco pro nostro munere toti Ecclesiæ proponendam duximus, ut inde non solum ad divinas laudes prædicandas, atque ad Christianam religionem firmiore pietatis zelo conservandam Christi fidelium animi excitentur, verum etiam eo nomine ingentes gratiæ ab omnibus Christi fidelibus Deo agantur, quod beati Hiacynthi prædicti sanctitatem, quamquam gravibus de causis antea probatam, et multis miraculis illustrem, publica tamen ipsius Apostolicæ Sedis, quam Spiritus sanctus regit et gubernat, ac nostra sententia omnino confirmari hoc tempore voluerit.

Deinde refert, quomodo hic Beatus, natione Polonus,

113 Natus igitur est beatus Hiacynthus in Polonia, in villa, quæ Camiensis appellatur, Wratislaviensis diœcesis, ante annum Domini millesimum ducentesimum, ex nobilibus et Christianis parentibus; sed quibus vitæ virtutum ac miraculorum splendore longe ipse præluxerit. Ineuntis B ætatis tempus iis primum litteris, quibus ætas illa informari solet, impertivit, in quibus cum tantum profecisset, quantum ad altiorem disciplinam capessendam satis sibi esse videbatur, animum statim ad theologiæ, et juris canonici studia adjunxit, magno sane et admirabili cum fructu, ut qui non multo post Cracoviensis ecclesiæ Canonicus factus, ita inter Ordinis sui viros excelluerit, ut propter eximiam eruditionem, cum præclara et insigni pietate conjunctam tamquam ardens lucerna ceteros clarissimo virtutum suarum lumine collustraret.

Ordinem Prædicatorum Romæ ingressus fuerit,

114 Ab Ivone deinde Cracoviensi episcopo, patruo suo, Romam perductus est, ubi una cum Ceslao ipsius consanguineo, et Hermanno Theutonico familiari suo a sancto Dominico Romæ tunc degente, ejusdem Ivonis rogatu, qui de Hiacyntho, ac duobus aliis regularis vitæ suæ instituto imbuendis, cum ipso egerat, perexiguo tempore omni illius disciplina egregie instructus, in ejusdem sancti Dominici Ordinem nomen dedit, habituque de illius manibus suscepto, et expresse C illius regulam professus, in Poloniam tandem cum sociis rediit. Quo in itinere, cum usque ad civitatem Frisacensem processisset, verbo simul et exemplo tantum illic profuit, ut ipsis sex mensibus monasterium dicti Ordinis, multis ibidem fratribus, et Hermanno illis præposito, relictis, construxerit.

in Poloniam redierit,

115 Inde Cracoviam reversus, alio ibi ejusdem Ordinis monasterio erecto; Dominicanæ religionis crescentem paulatim familiam propagavit. Mox ad aliarum ejusdem Poloniæ regni provinciarum salutem cogitatione conversa, quatuorque aliis professionis suæ monasteriis variis in locis ædificatis, omnes, tum verbi Dei prædicatione, tum vitæ suæ innocentia in sui admirationem excitavit. Summa denique hæc est, quam a sancto Dominico ejusdem religiosi instituti auctore, tamquam e purissimo fonte hauserat, vivendi rationem, eamdem ipsum ad extremum usque vitæ diem sancte et religiose servasse. Nam sive Christianæ humilitatis species ante oculos proponatur, eo nihil erat dimissius, nihil modestius; sive castitatis ac virginei pudoris imago pulcherrima desideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit; si denique veræ in Deum et proximos caritatis forma exquiratur, illius caritate nihil potuit absolutius, nihil perfectius exoptari.

ibique multis virtutibus fulserit,

116 Quanta porro in corpore castigando, atque in servitutem redigendo, illius fuerit severitas, singulæ noctes indicio fuerunt, quibus sese usque ad sanguinis profusionem affligebat. Qua vero continentia et moderatione in victu omni fuerit, præter sextas ferias, beatissimæ etiam Dei matris Mariæ virginis et sanctorum Apostolorum vigiliæ ad unam omnes declarant, quibus, excepto pane et aqua, nihil omnino gustabat. Divini autem numinis propitiandi tanta cura, tantaque sollicitudine tenebatur, ut totas noctes in templo fundendis ad Deum precibus insomnis persæpe consumeret: et si quando inedia ac sopore fessis et cadentibus membris somnum capere cogebatur, aut stans, lapidi tantum altari innixus, aut jacens humi, scilicet prostratus, quiescebat. Et quoniam nihil magis, quam otium homini, præsertim religioso, vitandum esse sentiebat, idcirco quidquid temporis vacuum ab oratione supererat, id omne partim colendis sacris studiis, partim habendis concionibus, partim confessionibus audiendis, partim etiam ægrotis invisendis, partim denique Deo et proximo serviendo impendebat. E

et varia miracula

117 Cujus quidem singularem susceptæ vitæ rationem, qua cælestis potius, quam humanus vir merito reputabatur, frequens multorum, qui se ejus precibus et orationi commendabant, ad eum concursus, atque adeo nova in dies rerum ab eo gestarum præstantia, et pleraque miracula minime obscura declarant, in quibus, ut cetera, quæ innumera prope sunt, omittamus, cujusdam Petri, ex villa Prossovii oriundi resuscitatio proponenda primum occurrit, quem rapidi fluminis impetu ex equo dejectum et in aquis omnino submersum, cum ejus corpus altero die jam latens, inexpectato ex ipso flumine prodiisset, Deus ob merita et preces ejusdem beati Hiacynthi statim ad vitam revocavit. Ejusdem quoque sanctimoniam mulier quædam, Judith nomine, egregie ostendit, quam cum paralysis morbi vis elinguem prorsus ac mutam reddidisset, nullaque ratione vocem emittere ullam posset; tandem beati Viri intercessione assequuta est, ut lingua et sermone libere uteretur.

adhuc vivens patraverit,

118 Prædicandi autem Evangelii causa cum ad varia passim loca se conferret, ac propterea ad Vandalum flumen Vissogradum Masoviæ urbem F redundantibus aquis præterfluens aliquando pervenisset, nullo nauclero, nulloque navigio, quo trans amnem veheretur, ad illius ripas conspecto, divina ope implorata, et Crucis signo communitus, comites ad iter per medios fluctus alacriter prosequendum hortari in hunc modum cœpit: Eja, inquit, filii, sequimini vestigia mea in nomine Christi: quo dicto, statim in flumen siccis vestigiis se immisit. Verum sociis præeuntem illum sequi metuentibus, extenso pallio aquam tegens, Agite, inquit, filii carissimi, sit iste nobis pons Jesu Christi, per quem in nomine ejus transeamus. Itaque flumen illud altissimum simul ac rapidissimum una cum sociis incolumis trajecit. Quodam tempore etiam, cum per agros villæ cujusdam diœcesis Cracoviensis inopum ac pauperrimorum hominum segetes injuria grandinis læsas passim, ac disjectas videret, non prius sibi ab oratione temperavit, quam easdem incolis intactas atque integras reddidisset.

quibus post felicem ejus mortem

119 Longum esset ceteras res, ab eo, dum vixit, gestas percensere, ut cui toto vitæ cursu nullus umquam dies effluxerit, quo non præclara

AUCTORE G. C.

ra aliqua ediderit fidei, pietatis, innocentiæ, ceterarumque omnium sacrarum virtutum documenta. Quo quidem vitæ genere ad quadraginta propemodum annos perducto, cum tandem cuperet dissolvi et esse cum Christo, in vigilia festivitatis Assumptionis beatissimæ Dei Genitricis ac virginis Mariæ, Fratribus monasterii sanctissimæ Trinitatis Cracoviensis accersitis, moriturum sese definito die prædixit, eosque appropinquantis sui discessus nuncio perculsos amantissime consolatus, valere in Christo, Deumque in vita perpetuo timere jussit. Postridie igitur piis ac canonicis precibus recitatis, et sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis summa cum veneratione perceptis, cum versum illum extremo jam vitæ spiritu protulisset, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, in Domino obdormivit, ejusdem Domini anno MCCLVII, die XV Augusti.

alia sanctitatis testimonia

120 Audita ejus morte, cum magna hominum multitudo, sive prosequendi funeris, sive contingendi corporis, sive per eum divini auxilii expetendi causa, sive alio Christianæ pietatis officio B ad sanctissimæ Trinitatis monasterium ejusdem Ordinis Prædicatorum, sepulcro ipsius religiosum ac celebre, confluxisset, Deus, in cujus conspectu gloriosa est mors Sanctorum ejus, Zegotam quemdam nobilem Polonum, qui ex equo, quem forte agitabat, miserrime excussus, effractis et contusis totius corporis membris statim obierat, ad beati Hiacynthi sepulcrum, eo ipso, quo mortuus est die, a parentibus allatum, ob ejusdem beati Hiacynthi merita et preces, non solum in vitam denuo excitavit, verum etiam pristinæ valetudini et integritati ita restituit, ut in eo ne minimæ quidem læsionis reliquum ullum vestigium appareret. Cujus miraculi famam alterius etiam exitus postea auxit : infantulus enim, quem mater mortuum ediderat, a patre ad beati Viri tumulum translatus, cum primum is pro filiolo voto se Deo pie obstrinxit, magna cum omnium admiratione vivere statim cœpit.

sive illustria prodigia accesserunt.

121 Accessit aliud quoque admirabile ipsius in Urialam quamdam factum, quæ cum maximis deplorati morbi doloribus toto biennio jactata, eo tandem devenisset, ut omnis melioris valetudinis spe abjecta, ipsos jam menses duos nullo amplius C cibo, sed aqua dumtaxat vitam tueretur, Agnete tandem filia beati Hiacynthi opem suppliciter implorante, optatam salutem recuperavit. Postremo cujusdam Barbaræ Cracoviensis feminæ, quæ ex partu in hydropisim inciderat, ita ut jam de illius salute ab omnibus esset desperatum, valetudo, nulla prorsus humana medicina, sed unius beati Hiacynthi, cui se commendaverat, pietate ac meritis, redintegrata, eximiam Servi Dei sanctitatem clare confirmavit.

Clemens VIII declarat, se his aliisque signis motum esse,

122 Quibus sane signis, multisque aliis, ad camdem beati Hiacynthi sanctitatem comprobandam, pertinentibus rebus adducti, ac præterea constanti omnium ordinum dicti regni, et ejusdem Sigismundi III regis, ac Dominicanæ religionis petitioni satisfacere cupientes, cum id maxime idem Sigismundus rex per prædictum Stanislaum Myuski, suum apud nos oratorem, ipse vero Dominicanus Ordo per dilectum filium fratrem Johannem Vincentium Aristoricensem ejusdem Ordinis Prædicatorum generalem a nobis postulaverit, ut, quoniam quæcumque ad acta et processum beati Hiacynthi spectabant, ex hujus sanctæ Sedis præscripto expedita ac perfecta erant, Nos, quibus ea de re statuendi potestas a Deo est tributa, ad hujusmodi negotium definiendum omnes auctoritatis sanctæ Sedis Apostolicæ et nostræ partes conferremus, de eo ipso non prius tamen quam rebus omnibus diligenter, ut par est, circumspectis, hoc tempore nobis decernendum esse existimavimus. D

ut causam venerabilis Hyacinthi

123 Crebris igitur ac diuturnis supradictorum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationis sacrorum Rituum consultationibus, hac ipsa de re etiam nostro tempore habitis, et processu omni ex sacrorum Canonum præscripto ab eisdem viso et examinato, quin etiam viris in sacra theologia, cum nihil jam desiderari videretur, secretum consistorium indiximus, in quo venerabilis frater noster Alphonsus episcopus Ostiensis cardinalis Gesualdus, cum suo et ceterorum Cardinalium Congregationis sacrorum Rituum nomine, omnia ad eam rem spectantia exacte ac prudenter explicasset, id demum in summa retulit, de beati Hiacynthi fide, vita ac miraculis se, et Cardinales collegas suos sentire, omnia probata esse, quæ ad canonizationem ex Divini juris præscripto pertinerent, eamque ob causam, posse Beatum E illum (si idem nobis videretur) in Sanctorum numerum cooptari. Qua quidem re intellecta, vehementer in Domini lætati sumus, quod ad augendam Servi sui dignitatem facultas nobis hoc tempore se offerret.

iterum examinari juberet

124 Nullam igitur officii partem ad peragendum tanti momenti negotium prætermittendum esse censentes, veteri Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, mandavimus, ut de re ad exitum perducenda pro ipsius gravitate diutius deliberaretur. Itaque aliquot dierum spacio interjecto, publicum consistorium hanc ob rem indiximus, non modo venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consessu, sed etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Prælatorum, ceterorumque familiarium nostrorum conventu frequens : in quo quidem dilectus filius Cinus Campanus, consistorialis aulæ nostræ advocatus, res gestas, et beati Hiacynthi virtutes, fidei ipsius sinceritatem, vitæ sanctitatem ac miracula oratione de more est complexus : ac deinde ejusdem Sigismundi III regis, totiusque Poloniæ regni, ac F religionis Dominicanæ nomine, ut ipsum in Sanctorum numerum referremus, suppliciter a nobis postulavit. Quod cum præsentes ipsi audivissemus, inusitata lætitia viscera nostra perfundi sensimus. Divina enim voluntate evenisse intelligebamus, dictum Sigismundum regem, cui nunc maxima duorum præstantium regnorum moles incumbit, ideo de beato Hiacyntho inter Sanctos aggregando incredibiliter laborare, ut nimirum nova sibi, suisque regnis firmæ apud Deum intercessionis patrocinia compararet.

cumque post severam rei discussionem,

125 Itaque respondimus, in tam sollicita, tamque constanti optimi ac piissimi regis postulatione, inesse eximiæ illius religionis significationem haud ab animi sui virtute alienam, neque indignam præstanti ejus divini cultus amplificandi desiderio. Diximus etiam permagnæ nobis esse voluptati, eoque animum nostrum ad gratias Deo agendas vehementer excitari, quod quibus servis sempiternæ beatitudinis præmia jam diu in cælis sunt tributa, eosdem etiam in terris ab hominibus coli velit Deus, ut Christi fideles vel illorum intercessione cælestia auxilia facilius promereantur, vel eorumdem imitatione expeditius ad cælestem, qua ipsi jam perfruuntur, gloriam perducantur. Summa

A ma denique responsionis nostræ hæc fuit, nobis quidem esse constitutum gravissimæ illius petitioni non deesse; causæ tamen magnitudinem obstare, quo minus in summa ipsius totiusque sui Poloniæ regni voluntate res ipsa a nobis adhuc præstari possit, ut quibus eadem de re cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, et ceteris Episcopis diligenter tractandum esset. Quocirca eosdem Cardinales et Episcopos etiam atque etiam monuimus, ut non solum quæcumque hac ipsa in causa versarentur, omni studio adhibito, examinarent, verum etiam conjunctis precibus Deum deprecarentur, ut mentibus nostris lucem præferret ad ea demum agenda, quibus divinæ illius gloriæ amplitudo, et totius Ecclesiæ utilitas augeretur.

et consuetas cæremonias

126 Hisce deinde perfectis rebus, consistorium secretum rursus indiximus, in quo etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, qui tunc in Urbe erant, ac nostri et Sedis Apostolicæ notarii, et sacri palatii auditores mandato nostro vocati adfuerunt. Tunc igitur Nos pro nostra et sanctæ hujus Sedis, in qua a Deo collocati sumus, B auctoritate et potestate, et pro singulari Spiritus sancti eamdem Sedem, cujus ipsa infallibili sapientia gubernatur, præsidio, ea diximus, quæ ad rem propositam, atque ad illius temporis rationem in primis accommodata esse videbantur. Postremo cum eisdem Cardinalibus ceterisque Episcopis egimus, ut præcise responderent, utrum ex processu et ex rebus in eo comprehensis ac probatis, beatus Hiacynthus canonizandus videretur. Ac primum quidem iidem Cardinales, deinde etiam Patriarchæ, ac deinceps Archiepiscopi et Episcopi, suo quisque ordine concordibus sententiis censuerunt, beatum Hiacynthum ex rebus, quibus omnis illius vitæ processus constat, a nobis optimo jure Sanctorum numero esse adscribendum.

catalogo Sanctorum adscriberet,

127 Itaque quod unum jam restabat de talibus tamque inter se consentientibus suffragiis, Deo bonorum omnium auctori gratias agentes, ac læti rerum tot abhinc annis cœptarum felici successu, diem canonizationis præfiximus ad decimum quintum Kalendas Maias, Dominicam scilicet in Albis, cum nimirum Paschalis solemnitas festivi-C tate concluditur, novella germina sanctitatis regenerantur, neophytorum habitus immutatur, Paschales denique, id est indulgentiæ ac remissionis dies celebrantur, ut tot tantisque cælestibus præsidiis adjuti, melius ac facilius nostro munere fungeremur.

quod Dominica in Albis

128 Ubi igitur ipsa Dominica in Albis, hodiernus scilicet dies, illuxit, Nos, et iidem Cardinales, necnon Patriarchæ, Archiepiscopi et Episcopi, qui in cappellam nostram pontificiam nobiscum ad id convenerant, sacris vestibus induti, hymno Ave maris stella, ad honorem beatissimæ Virginis Mariæ, cujus opem tunc maxime invocandam duximus, inchoato, eodemque illo ab ejusdem cappellæ nostræ cantoribus ad finem usque deinceps decantato, aliisque etiam Romanæ curiæ prælatis ac officialibus, familiaribusque nostris una cum ceteris totius ecclesiastici secularis et regularis Ordinis viris longo, pioque ordine præeuntibus, et omnes cum ardentibus cereis ad illius gloriam, qui sua luce et splendore cælos complet, ex palatio nostro Apostolico summa cum celebritate processimus ad basilicam principis Apostolorum, tunc magno undique ornamentorum apparatu instructam, adeo ut singularis lætitiæ specimen omni ex parte præ se ferret.

Suggestus enim loci amplitudine insignis, ejusdem Regis, et Dominicani Ordinis impensis extructus ibi primum eminebat, in quo altare, ad sacrosanctum Missæ sacrificium solemni ritu a nobis celebrandum, e regione erectum cernebatur. Templi deinde parietes insignibus aulæis auro et bombyce intertextis obtecti erant. Omnis præterea interioris basilicæ ambitus, accensis undique cereorum flammis collucebat. Denique suspensa de tholo ac trabibus vexilla, beati Hiacynthi sanctissimam Dei Genitricem Mariam Virginem flexis genibus venerantis effigiem spectandam proponebant.

AUCTORE G. C.

cum solita pompa præstitit,

129 Nos igitur in eam basilicam magna omnium ordinum frequentia ingressi, atque in ea supernæ et beatæ urbis Hierusalem, quasi sub aspectu positam pulchritudinem intuentes, in suggestum primum, ac deinde orandi causa ad altare, ac postremo ad throni ibidem, ut moris est, ad dextrum latus erecti, sedem pervenimus, ubi eosdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos cum sacris vestibus obedientiam nobis præstantes excepimus. Tum idem Stanislaus, præfati Sigismundi regis orator, semel, iterum ac E tertio postulavit, ut beatum Hiacynthum in Sanctorum numerum referremus; Nosque ad singulas ipsius petitiones, litaniis ac sacris hymnis per tria distincta intervalla recitatis, preces adjunximus. Denique omnibus rite ac pie peractis, quæ hac in re alii Romani Pontifices prædecessores nostri servanda esse statuerunt, sanctoque Spiritu, cujus divino numine Ecclesia afflata nunquam fallitur, multis cum precibus invocato, ad honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ ac Christianæ religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, beatorum Apostolorum Petri et Pauli et nostra, de Fratrum nostrorum consilio decrevimus et definivimus, bonæ memoriæ Hiacynthum Polonum Ordinis Fratrum Prædicatorum, sanctum esse, ac Sanctorum catalogo adscribendum, sicut per præsentes definimus, decernimus et adscribimus; statuentes, ut ab universali Ecclesia anno quolibet in die decima sexta Augusti festum ipsius et Officium, sicut pro uno sancto Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii præscriptam, devote et so- F leniter celebretur.

indulgentias Fidelibus concessit,

130 Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis eodem die festo ad sepulturam, in qua ejus corpus requiescit, devote accesserint, necnon ecclesias et altaria in ipsius honorem constructa devote visitaverint, easdem indulgentias, et peccatorum remissiones concessimus et elargiti sumus, quemadmodum concedimus et elargimur, quæ ceteris dicti Ordinis monasteriis et ecclesiis in diebus festis ejusdem Ordinis Sanctorum jam concessæ sunt. Quibus rebus ad sancti Hiacynthi canonizationem necessariis absolutis, et hymno ad laudem Dei, et gratiarum actionem decantato, ac divina ope per ejusdem sancti Viri intercessionem devota ac pia precatione, quam ipsi recitavimus, implorata, tandem eodem in suggestu, et altari Missam solenniter de Octava Dominicæ Resurrectionis, cum ejusdem sancti Hiacynthi commemoratione celebravimus, et omnibus Christi fidelibus, qui huic canonizationi et Missæ interfuerant, ad laudem Dei, et Sancti sui gloriam, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

131 Quocirca omnes Jesum Christum Dominum nostrum collaudemus, agnoscamusque summa

AUCTORE G. C.

eosque ad gratiarum actionem hortatus,

ma ejus bonitate evenisse, ut in hoc perturbato rerum statu novi apud Deum intercessoris meritis ac precibus adjuvari valeamus. Magno quidem illud esse debet ad bene sperandum omnibus argumento, quod rem a tot Poloniæ regibus, ipsisque regni ordinibus jam diu expetitam, communibus piorum ac religiosorum hominum votis ubique optatam, a plerisque etiam Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris susceptam, hoc tempore perficiendi facultatem nobis tribuerit. Itaque Deum in Sanctis suis mirabilem deprecemur ut sancto Hiacyntho suffragante, Ecclesiæ suæ pacem et tranquillitatem, Regibus et Principibus Christianis unionem, obcæcatis hæreticis Catholicæ veritatis viam ostendat, miseris infidelibus Christiani nominis hostibus orthodoxæ fidei lucem largiatur.

solennem canonizationis Bullam edidit,

132 Ceterum, quia nimis difficile foret, præsentes nostras originales litteras ad singula loca, ut opus esset, deferri, volumus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignita-
B te ecclesiastica constitutæ munitis eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus, si exhibitæ et ostensæ essent, haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, decima quinta Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno tertio.

cui ipse cum plerisque Cardinalibus subscripsit.

133 † Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Protector noster aspice Deus.
† Ego Alphonsus episcopus Ostiensis Cardinalis Gesualdus.
† Ego Innicus episcopus Portuensis Cardinalis de Aragonia.
† Ego M. Antonius episcopus Prænestinus Cardinalis Columna.
† Ego Ptolemæus episcopus Tusculanus Cardinalis Comensis.
C † Ego Gabriel episcopus Sabinensis Cardinalis Paleottus.
† Ego frater Michaël episcopus Albanensis Cardinalis Alexandrinus.
†
†
†
† Ego Julius Antonius Tituli sancti Bartholomæi in Insula presbyter Cardinalis sanctæ Severinæ, major pœnitentiarius.
† Ego Hieronymus Tituli sanctæ Susannæ presbyter Cardinalis Rusticuccius.
†
† Ego Petrus Tituli sancti Hieronymi Illyricorum presbyter Cardinalis Deza.
† Ego Alexander Tituli sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis Florentinus.
† Ego Augustinus Tituli sancti Marci presbyter Cardinalis Veronensis.
† Ego Simeon Tituli sanctæ Anastasiæ presbyter Cardinalis de Terranova.
† Ego Scipio Tituli sancti Salvatoris in Lauro presbyter Cardinalis Lancellottus.
†
† Ego Henricus Tituli sanctæ Pudentianæ presbyter Cardinalis Caietanus S. R. E. Camerarius. D
† Ego Johannes Baptista Tituli Sanctorum Johannis et Pauli presbyter Cardinalis Castruccius.
†
† Ego Dominicus Tituli sancti Chrysogoni presbyter Cardinalis Pinellus.
†
† Ego Antonius Maria Tituli sanctæ Agnetis in Agone presbyter Cardinalis Gallus.
† Ego F. Constantius Tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter Cardinalis Sernanus.
† Ego Antonius Tituli sancti Stephani presbyter Cardinalis Saulius.
† Ego Evangelista Tituli sancti Matthæi in Merulana presbyter Cardinalis, Consentinus.
†
†
† Ego Joannes Franciscus Tituli sanctæ Mariæ in Via presbyter Cardinalis Maurocenus.
† Ego Marianus Tituli sanctorum Petri et Marcellini presbyter Cardinalis de Camerino.
†
†
† Ego frater Gregorius Tituli sancti Augustini presbyter Cardinalis de Monte Elpero. E
† Ego Paulus Tituli sanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Sfondratus.
† Ego Benedictus Tituli sancti Marcelli presbyter Cardinalis Justinianus.
†
† Ego Augustinus Tituli sancti Laurentii in Pane et Perna presbyter Cardinalis Cufanus.
† Ego Franciscus Maria Tituli sanctæ Mariæ in Ara cæli presbyter Cardinalis a Monte.
† Ego Octavius Tituli sancti Alexii presbyter Cardinalis Paravicinus.
†
† Ego Philippus Tituli sancti Onuphrii presbyter Cardinalis Placentinus.
† Ego Hieronymus Tituli sancti Pancratii presbyter Cardinalis Matthæius.
† Ego Flaminius Tituli sancti Clementis presbyter Cardinalis Platus.
† Ego Fridericus Tituli sanctæ Mariæ Angelorum presbyter Cardinalis Borromæus.
† Ego Lucius Tituli sanctorum Quirici et Julittæ presbyter Cardinalis Saxus. F
† Ego Franciscus Tituli sanctæ Mariæ Transpontinæ presbyter Cardinalis Toletus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Alexander sancti Laurentii in Damaso diaconus Cardinalis Montaltus, S. R. E. vicecancellarius.
† Ego Ascanius sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis Columna.
† Ego Guido sancti Eustachii diaconus Cardinalis Pepulus.
† Ego Odoardus sancti Hadriani diaconus Cardinalis Farnesius.
† Ego Antonius diaconus Cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum.
† Ego Petrus sancti Nicolai in carcere diaconus Cardinalis Aldobrandinus.

† Ego

A † Ego Cynthius diaconus Cardinalis sancti Georgii.
†
†
†
†
†
†

Ex hac summi Pontificis bulla colligimus, quam severe ac diu istud negotium examinatum fuerit, priusquam ad optatum finem perduceretur. Nunc reliquum est, ut summalim referamus nonnulla, quæ ad gloriam S. Hyacinthi *post solennem ejus canonizationem contigerunt.*

§ XII. Gloria Sancti post canonizationem longe lateque propagata, et novis miraculis aucta.

B *Abrahamus Bzovius oratorie narrat,*

Quanta lælitia canonizationem S. Hyacinthi *orbis Christianus exceperit, quanloque splendore eamdem celebrarit, ab Abrahamo Bzovio Dominicano in supra laudato Serlo Gloriæ, concione 8, apud me pag,* 139 *explicatur his rhetoricæ figuris :* Quam festive vos, remotissimi fines orbis terræ; Hyacinthum in vestros complexus recepistis? Gratulor quidem Hyacintho, quod iis honoribus ab universo orbe affectus sit, quales nulli Sanctorum eo usque contigerunt : cujus enim alterius cononizationem adeo alacriter excepit orbis, ut uostri Hyacinthi? In cujus laudes celebrandas tantus uumerus scriptorum suum exercuit calamum? Cui umquam Sanctorum, dum iu Sanctorum catalogum relatus est, tot festivitates institutæ et soleuni cæremoniarum apparatu celebratæ sunt? Nemini, præter Hyacintho. Mitto illud, quod nulla fuit urbs Italiæ, in qua vita et laudes sancti Hyacinthi cum carminibus, tum soluta oratione a gravissimis scriptoribus descriptæ, prælo commissæ non sunt.

canonizationem S. Hyacinthi

135 Optarem ego, ut omues terrarum populi sub aunum millesimum quingentesimum uonagesimum quartum (quo in numerum Sanctorum recensebatur Hyacinthus) in Italiam congregati C fuissent. Viderent, per totam Italiam eos honores Hyacintho exhibitos, quales uemini antea Sanctorum. Vidissent templa omuia magnifico splendore, auro, argento, serico, aulæis et peritromatibus pulcherrimis a summo fastigio deorsum usque ubique esse adornata. Vidissent ignes per totam Italiam omnibus in altissimis turribus succensos. audissent tormenta explosa, artificiosos ignes instructos, sonitum campanarum diurnum et noctunuum. Vidissent numerosam populi multitudiuem, nobilissimos comites, Marchioues, priucipes, urbium senatores, duces et reges ipsos potentissimos ad Hyacinthi solennitatem excurrentes. Vidisseut multitudiuem cleri, episcopos, archiepiscopos, cardinales patriarchas iuaginem sancti Hyacinthi propriis mauibus in processionibus gestantes : omnes enim civitates Italiæ devotio et gaudium inenarrabile summopere propter novi sideris sancti Hyacinthi micautem splendorem occuparat; omues canonizationis Hyacinthi novitate perculsæ urbes eamdem iucredibili gaudio et tripudiis devotissime recoluerunt.

136 Sed quid Italiam dico? Longe lateque pervasit hæc lætitia; usque ad Hispanos, Arragonios, Lusitanos, et usque ad extremos Indos perlata est festivitas Hyacinthi. Cuperem, ut omnes nationes legerent librum Hieronymi Martelii de solennitate sancti Hyacinthi a Cæsar-Augustanis celebrata conscriptum. Quos Hyacinthus in universa Hispania acceperit honores, summa cum oblectatione animi quisque vestrum agnosceret. Dici nequit, quam solenni pompa, quam splendidissimo ornatu, quam ingentibus sumptibus, quanta cum lætitia florentissimi imperii, vario argumentorum genere alacritatem, ob Hyacinthi canonizationem conceptam, testari conati sunt. Nouagesimo quarto anno supra millesimum quingentesimum universa terra novo sanctitatis splendore irradiata, quasi in cælum conversa fuisse videbatur. Omnes omnium ætatum et graduum homines angelicum quoddam gaudium præ se ferre aspiciebantur. Quis vidit umquam tale? Quis huic æquale aspexit? *auctore G. C. magno cum plausu*

137 Paucis abhinc annis Diegus Sanctis annumeratus fuit. Qui congratulatus est festivitati? Quis in laudes Sancti prorupit? Roma et Hispania sola. In Polonia, in Germania, apud Gallos, apud Siculos, sed neque apud omnes Italos plene E cognitum est, sanctum Diegum in Sanctorum catalogum esse relatum. Præcedentibus annis a santissimis Pontificibus plurimi Sanctorum numero adscribebautur. Quibus terminis solennitas illorum conclusa fuit? Quis eorum laudes celebravit? Sola civitas, quæ canonizationem conspiciebat, vel sola provincia, quæ Sanctum pia devotione excolebat. Ut Hyacinthus in apotheosim relatus est, et Poloni et Theutones, et Boëmi et Pannonii, et Itali, Siculi, Hispaui, Portugalenses, Arragouii, Grauatenses, demum et ipsius novi orbis iucolæ et extremi Garamantes miræ erga Hyacinthum devotionis admiranda et ineffabilia signa dederunt. *et ingenti gaudio*

138 *Hactenus Bzovius more rhetorum nonnihil hyperbolice, qui eadem concione apud me pag.* 135 *de plurimis* S. Hyacinthi *miraculis, quæ post canonizationem ejus patrata sunt, sic generatim meminerat :* Non hic amplius recensebo, *inquit,* quæ de Hyaciutho, postquam in uumerum Sanctorum relatus est, in florentissima Italia et Hispaniis voce plurimorum feruntur. Præteribo omuia, quæ vel tabulis publicis testata aspeximus, vel plurium relatione accepimus, quod Hyacinthus proxime præteritis quatuor annis in F Italia innumeros innumeris auxit beneficiis; et alios quidem phthisi cousumptos, alios febre correptos, alios aqueo humore disteutos, alios morbo caduco, igue pestilentiali, colica passione affectos, alios aliis oppressos malis ad sauitatem perfectam restituit; aquas diluvii alibi depulit, aliis tempestatem maris furibundam sedavit; alios jam jam pene aquis obrutos apparens super uudas fune porrecto de voragine maris ad naves reduxit; aliis cadentibus ex altissimæ turris fastigio manum supposuit; alios collisos pristina integritate donavit; quiu et plures vel morituros a sævissimæ mortis incursu præservavit, vel etiam mortuos quasi ex tumulo ad vitam evocavit. *celebratam fuisse*

139 Possem ego plurima, summa cum utilitate supplicantium, ubique terrarum per Hyacinthum patrata (quæ nou modicam vobis oblectationem, maximum vero Hyacintho houorem pareret) in medium adferre, ni et magnitudine ineffabilia et multitudine innumerabilia censeautur : quis enim universos populos Galliæ cisAlpinæ, Pedemontii, Liguriæ, Æmiliæ, Marchiæ utriusque et illius Torvisinæ et illius Anconitanæ, *per universum terrarum orbem*

AUCTORE G. C.

nitanæ, Umbriæ, Latii, Hetruriæ, Apuliæ, Calabriæ, Græciæ magnæ, Neapolitani regni; si quis Siculorum, Arragonum, Celtiberorum, Granatensium, Lusitanorum, et Hispanorum populatissimas regiones; si Poloniæ, Russiæ, Moschoviæ, Prussiæ, Masoviæ, Silesiæ, Moraviæ; si totius Septemtrionis, si demum universæ Europæ, et his addas Africæ, Indiarum, novi orbis latissimos fines perlustrare; si populos earum provinciarum enumerare potest, poterit et miracula, quæ nunc Hyacinthus patravit, percensere. In his enim omnibus amplissimis partibus, infinitis prope malis afflictos, sua ope juvit Hyacinthus.

et ubique eumdem Sanctum

140 Venetiis quadringentæ plus minus tabellæ affixæ sunt ad aras Hyacinthi, testimonium accepti beneficii referentes. Mantuæ, Placentiæ, Cremonæ plurimorum millium excesserunt numerum. Bononiæ supra quatuor millia, et argentea et aurea vota, præter cereas imagines et tabellas et vestimenta et instrumenta varia infinita ad altare B sancti Hyacinthi in significationem grati animi appensa numerantur. Patavii, Vicentiæ, Veronæ, Brixiæ, Soncini, Cremæ, Bergomi, Ticini, Mediolani, Cumis, Genuæ, Alexandriæ, Romæ, Senis, Florentiæ, Faventiæ, Ferrariæ, et ut breviter dixerim, quacumque ab Alpibus Graiis ad usque promontorium Scylleum per amplissimas totius Italiæ civitates, in quibus vestigia Prædicatoriæ Religionis exstent vel minima, perspexeris, innumerabilis multitudo imaginum, tabularum depictarum, votorum et ex cera et ex argento et ex auro, monilium ex lapidibus pretiosis, pro optatis consecutis ab Hyacintho, ad ipsius sacella dicatorum videtur.

innumeris coruscasse miraculis,

141 Perlustres vastissimos totius Europæ recessus, revolvas ab ea parte, qua Tanaïs Asiaticos a nobis disterminat, perge ad ultimam orbis nostri oram, quam et Mediterraneum et Adriaticum, et Ionium et Oceanum mare alluit; perquire universa illa a nobis remotissima regna, solis Hispanis pervia; ubique Hyacintho exstructas aras, constitutas statuas, imagines depictas, tabulas affixas, consecrata sacella, exædificatas ecclesias, ornatas et dotatas, pene infinitas reperies. Qua tandem de causa? Propter maxima facinora in orbe universo patrata; propter potestatem C rerum maximarum et admirabilium in toto terrarum orbe ingentibus factis declaratam; propter beneficia immensa ab illo cælesti Parente per Hyacinthi merita orbi universo collata; propter innumeros innumeris, et iis variis, beneficiis ex Hyacinthi devotione amplificatos. *Licet Bzovius hæc etiam oratorie exornaverit auxeritque, tamen ex iis facile colligimus, famam et venerationem* S. Hyacinthi *anno* 1594 *longe lateque in orbe Catholico percrebuisse.*

quæ summatim recenset,

142 *Porro scriptor ille Dominicanus similia Annalibus ecclesiasticis inserenda duxit, ubi ad annum Christi* 1257 *num.* 12 *præter alia de* S. Hyacintho *memorat sequentia* : Mirum est, quanta cum alacritate totius fere orbis excepta est ejusdem Divi canonizatio, quantis ubique, præsertim in omnibus Italiæ et Hispaniarum oppidis et civitatibus resplenduit post apotheosim miraculis; quæ festa ingentissimis sumptibus eidem facta, quanta altaria, sacella, templa illi ipsi erecta; quam numerosæ sodalitates sub ejus tutela institutæ; quanti utriusque sexus ejus nomine in baptismate vel sacra unctione insigniti. In Italia sola, unico pietatis domicilio apud Montem Varcum infans in puteo demersus, Bononiæ puer ex casu præcipiti allisus, Casali et apud Camertes D duo alii mortui ad vitam revocati. Varsaviæ in Polonia eo tempore, quo ego indignus recens a me ædificato Conventui præeram, infans defunctus, et piscator aquis obrutus vitæ restituti. Alibi alia ingentia et innumerabilia per invocationem divi Hyacinthi ad usque annum præsentem, quo hæc scribebamus, millesimum sexcentesimum decimum quartum patrata; quæ si recensere instituerem, nullum finem invenirem.

et quibus de se ipso addit,

143 *Denique ibidem auctor iste duo prodigiosa beneficia, quæ patrocinio* S. Hyacinthi *sibi ipsi præstita sunt, narrat his verbis* : Plane autem ingratus essem, si vitam semel atque iterum ab intercessione ipsius Divi receptam hoc qualiquali monimento non testatam relinquerem. Nam et ego quoque peccator non semel de vita periclitatus, primum quidem in morbo gravissimo a medicis deploratus, et postea in vorticosi fluminis vadatione jamjam demergendus, affuisse mihi sospitatorem Hyacinthum persensi. Narrabo : in morbo quidem, cum anno Domini MDCI in ardentissimam febrim et eam, quæ pharmaca et medicos contemnebat, incidissem. Causa fuit concussio ex bis su- E scepto itinere, uno eodemque anno, difficillimis anni temporibus, in Urbem e Cracovia provinciæ Poloniæ negotiorum causa. In urbe emensis innumeris laboribus, regredior secundo Cracoviam ad ultimum Septembris; et civitas peste laborabat. Ad supplices preces multorum die festo solenni sanctissimi Rosarii prima Octobris mensis Dominica bis concionem ad populum in ecclesia ago. Sequenti luce levi febricula, doloreque capitis nonnihil me tentari sentio. Suspicor, pestem in suggesto haustam : frequentissimus enim populus adstiterat, et sermonem arrecta aure audierat.

quod intercessione ejusdem Sancti

144 Hinc Suppriorem cœnobii consulo; ille medico inconsulto (nullus enim in civitate infecta remanserat) profert acriorem, quam morbus postulabat, medicinam. Antimonium præparatum fuit : laneinat me illud sumptum, inque visceribus febrem vehementissimam accendit. Hinc major suspicio pestis conceptæ innata. Chirurgus vocatus, qui venam aperuit, sanguinem copiosum exhausit, humores irritavit, febrem inflammavit, quæ ad tres fere menses me habuit, dolore lateris dextri intolerabili adjuncto. Suppura- F bantur nimirum interiora. Orationibus interim sancti Hyacinthi a febre liberor, ipso die sanctæ Luciæ. Secundo et iterum recido in morbum graviorem, multisque medicamentis exhaustis, balneum calidius ingredior, ex quo suppuratio lateris dissoluta. Exinde exscreare sanguinem grumosum in frusta decretum incipio, noctibus et diebus singulis libras ad minus quinque vel sex. Inde a medica manu relinquor, morti jam destinatus. Sextus jam mensis agebatur ægritudinis deciduæ quo infra paucos dies consumendus eram. Existimabant, vel pulmones vel hepar ardore febrium exustum, inque pus suppuratum rejectari; et quia tam violenter et in tanta quantitate, citam fore mihi mortem judicabant : et indicio fuerant, præter alia, pulsuum ictus ad brachium fere retracti, frigescensque totum corpus, frustra ad ignem excalefaciendum. Jam ergo accingebar ad mortem, Sacramentis omnibus pro extremo viatico ex more Religionis procuratus. Aderant Fratres, animæ exitum in oratione exspectantes, Votis autem divo Hyacintho humiliter sponsis, non sine admiratione omnium, præsertim illustrissimi et reverendissimi domini Bernardi Macieiovii S. R. E. Car-

A Cardinalis, episcopi Cracoviensis, qui me ad mortem languere sciebat, ab eadem morte præsentissima fui liberatus. Istud unum.

bis præsens mortis periculum evaserit.

145 Alterum fuit in fluvio Anaxo, Tarvisinis Piave nuncupato, anno Domini MDCVI ad diem Februarii XVI. Provinciæ Poloniæ negotiorum gravissimorum causa Patrum jussu pergebam in Urbem. Ad Anaxum accedens ningente pluvioque cælo, partim ex cliquatione nivium, partim ex pluviarum copia aquis redundantem et in plures traduces dispersum, nemine ductore ad vadandum reperto, transeo cum socio unum, alterum, et tertium torrentem fluminis turgentis; quartus trames erat latitudine non nimis nimia et altitudine aquarum ac impetu nimis nimium excedens. Hortante socio, in Dei nomine committimus nos undis, equorum fortitudine nandique peritia freti. Dum in medio amne sumus, aquæ increscentes equum subtus me impellunt rapiuntque; natare ille cupiebat: ego consilii inops et in periculo consterB natus retraho, cum socius jam evasisset. Fluctibus equus obruebatur, et non nisi extrema capitis ex aquis proferebat. Ego quoque ei insidens deorsum trahebar et jamjam mergebar. Sancto tandem Hyacintho sæpe sæpius inclamato, ejus ope ad littus delatus, extra periculum fui, qui jam periculum præsens incurreram. *Non dubitamus, quin ab illo tempore usque ad præsentem annum, quo hæc scribimus, intercessione* S. Hyacinthi *in variis orbis partibus alia insignia prodigia contigerint; sed hæc ad notitiam nostram non pervenerunt. Quare jam nihil nobis superest, nisi ut reducamus promissa superius* S. Hyacinthi *Acta, iisque dein subjungamus illa miracula, quæ solennem ejusdem Sancti canonizationem præcesserunt.*

VITA

Auctore Leandro Alberto, Dominicano Bononiensi.

C

Ex Opere de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum, lib. 5 fol. 175 et sequentibus.

PROLOGUS.

Præfatio auctoris. a b

Leander Albertus *a* Ordinis Prædicatorum Joanni Antonio Flaminio *b* suo salutem dicit. Hyacinthi Vitam scripsimus, Viri sanctitate et eximiis dotibus insignis, quam edituri propediem tuo nomini nuncupandam duximus, mi Joannes Antoni litteratissime; non ut piguus esset aut testimonium summi amoris erga me tui (neque enim aut pignore aut testimonio nostra necessitudo eget, quæ tanta quidem est, ut augeri ultra non posse putem;) sed ut ceteri scirent, quanti te facerem; et quanto te amore prosequerer, omnis ætas intelligeret: quod nulla re melius aut efficacius, quam litterarum monumentis, effici potest. Leges igitur Hyacinthum meum, imo etiam tuum, quo soles vultu cetera, quæ ad te mittimus. Et scio, non ingratam tibi fore lectionem: est enim mirificum vitæ exemplar, et sanctitatis eximiæ specimen; quod tu facile, cum legeris, fatebere. Qui mihi, tum tuus *c*, demum placere incipiet, *c* cum tibi placuisse cognovero. Vale Bononiæ pridie Kalendas Martii MDXVI *d*. *AUCT. LEANDRO ALBERTO.* *d*

ANNOTATA.

a *Hic fuit vir doctus ex Ordine Prædicatorum; qui anno* 1495 *eumdem Ordinem ingressus est. De gestis ejus ac scriptis consule Echardum inter Scriptores Ordinis Prædicatorum recensitos tom.* 2 *pag.* 137 *et sequentibus.*

b *Quis fuerit iste Joannes Antonius Flaminius, in Commentario prævio ad Acta S. Dominici* § 4 *num.* 56, *sive tomo* I *Augusti pag.* 367 *retuli.*

c *In exemplari nostro, quod Bononiæ anno* 1517 *editum est, forsan oscitantia typothetæ legitur* tuum, *quod sensum vitiosum reddit. Quare pro* tuum *substitui* tuus, *quæ vox etiam omitti posset, ac ita legi periodus:* Qui tum demum placere incipiet *etc.*

d *In Commentario prævio* § I *num.* 4 *ex assignato impressionis anno errorem Severini Cracoviensis detexi.*

E

CAPUT I.

Sancti patria, nobilitas, Canonicatus, ingressus in Ordinem Prædicatorum, variæ virtutes, et miracula.

Sanctus in Polonia ex nobili stirpe natus a b c

Hyacinthus ex oppido Poloniæ Saxo *a*, nobili stemmate *b* originem duxit. Is quidem ætatis suæ initio bonis præceptoribus traditus est erudiendus, et tantum profecit, ut brevi condiscipulos ac coætaneos in litteraria palæstra plures superaverit. Erat ei sanguinis vinculo conjunctus Ivo *c* Cracoviensis antistes, vir venerandus, cujus jussu sacris initiatus, canonicatum in ecclesia Cracoviensi accepit. Quod ubi fecit, prudentissimus antistes perpendens, sacerdotes sine literis esse ceteris F ludibrio et sibi ipsis opprobrio, ne tanti juvenis animus vilesceret, aut in delitiis constitutus obrueretur seguitia, eum duxit, in theologia instituendum, ut, procedente ætate, quod sibi ex officio incumbebat, perragere posset. O utinam nostris temporibus, omnes sancti ejus antistitis vestigia sequerentur! Non enim tantarum literarum penuria sacris initiatos esset. Quinimo et sese et alios plene de sacra Scriptura instruere possent. Exaudiens Ivo Hyacinthum in theologia multum profecisse, continuo ad se revocavit, et visa ejus doctrina, cum modestia, ac morum honestate conjuncta, qua præ aliis pollebat, ultra quam dici potest, eum amare cœpit. Quin ea die anxius erat et solicitus, qua illum videre non poterat.

Ordinem Prædicatorum Romæ ingreditur. d e

2 Forte ea tempestate Ivonem Romam persolvendi voti gratia *d* petere oportebat, qui inter ceteros Hyacinthum seligens secum duxit. Iisdem diebus Romæ divus parens Dominicus coram Ivone ac pluribus aliis venerandis viris Neapoleonem suis precibus a morte ad vitam revocavit *e*. Qua re tanta admiratione Ivo captus fuit, ut protinus sanctum Patrem colere ac observare cœperit et ejus familiaritate plurimum uti. Tunc enim parens Dominicus Romæ agebat, flagitans ab Honorio Pontifice Maximo Ordinem a se inchoatum Prædicatorum approbari, atque diplomatibus Apostolicis

AUCT. LEANDRO ALBERTO. stolicis ornari. Quod et assecutus est Dei Beneficio, et Parentis ejus beatissimæ Virginis interventu, prout in Vita ejus latius dictum est. Igitur Ivo sancti Viri captus dulci consuetudine, enixe B. Patrem rogabat, ut dignaretur Fratres aliquos Poloniam mittere, quorum gratia et exemplo, per provinciam cœnobia extruerentur. Paplo, per provinciam cœnobia extruerentur. Papter vero Dominicus se ei morem gestur undictitabat libenti animo, si Fratrum copia suppeteret. Quare se augi plurimum affirmabat, eo quod ejus petitioni ac voto satisfacere non posset: tamen ipse juvenes probos proferret, si quos ipse haberet, quos sanctæ conversationis vestimenta oblectarent, et eos imbutos sanctis moribus penes se et nutritos brevi admodum tempore illuc pro desiderio mitteret, quo fieret, ut voti compos esset. Porro præclarus antistes, consilio illius usus, ex omni familia sua tres juvenes morum honestate pollentes delegit, videlicet Hyacinthum, de quo verba facturi sumus, Ceslaum, *f* et Hermannum Theutonicum, juvenes utique raros, et tanta provincia dignos, credidit que viro sanctissimo Dominico, ut sub ejus magisterio B erudirentur in his, quæ ad Dei cultum et religionis augmentum attinerent, Quos B. Pater lætabundus suscipiens, toga prædicatoria induit, ac secum per annum *g* distinuit, ut lenitate, charitate, paupertate, ac ceteris virtutibus ornatos post annum Poloniam, juxta sancti antistitis votum, mitteret.

conditoque Frisaci cœnobio, in Poloniam redit,

3 Igitur eo tempore elapso, cum satis in sancto proposito confirmati viderentur, inque sancta conversatione pleuissime eruditi, efflagitante Ivone, placuit viro Dei Dominico Hyacinthum, Ceslaum cum Hermanno Converso *h* Poloniam mittere. Qui accepta sancti Viri benedictione, in nomine Domini nostri Jesu Christi iter arripuere. Contigit eos per Germaniam transire, et in Frizascensi *i* urbe concionari cum tanto consensu et populi favore, ut protinus compellerentur ibidem a populo cœnobium construere, et illud amplissima sacerdotum, et sacris initiatorum multitudine replere (Id factum intra mensium sex spatium, quod pene miraculo adscribi potest) quos cum ingenti gaudio per eos receptos, moribus et Ordinis nostri institutis imbuere. Dein relicto ibi Hermanno Converso, Cracoviam *k*, ut Patris Dominici jussa complerent, petierunt. Ubi C cum summa omnium lætitia, et plausu populi, tum cleri, excepti, in ædem sanctissimæ Trinitatis, juxta literarum Apostolicarum tenorem, et vota sancti *l* antistitis Ivonis, collocati sunt.

ubi variis pietatis exercitiis vacans,

4 Cœpit demum omnis civitas, seu novitate rei (ut fit) seu magis sanctissimis moribus et doctrina viri Dei Hyacinthi, et Ceslai capta, ingens cœnobium ponere, veluti præsagiens, quod futurum erat, videlicet plurimos ad sanctum religionis apicem perventuros. Quod rei postmodum eventus plenissime docuit. Erectis ædibus, ut ibidem inhabitari posset, cœpit Hyacinthus vitam asperrimam ac prorsus durissimam agere. Quippe a parente Dominico vivendi formulam acceperat. Erat animo pariter et corpore mundus, corde lenis, puritate nitidus, et mira præditus charitate. Sed ut unico verbo omnia explicem, Hyacinthi vita omnium virtutum exemplar fuit. Atqui tanta charitate præfulsit, ut alienas calamitates ceu suas defleret, et ad Deum Optimum Maximum pro illis preces emitteret. Templo pro cubiculo utebatur, nec certum locum ad quiescendum habebat; sed aliquando lassa membra, ubi se inveniebat, in terram collidebat, quieti D aliquantulum vacans. Noctibus singulis funibus nodosis corpus tundebat. Sextam feriam, et beatissimæ Virginis Mariæ ac Apostolorum vigilias, dumtaxat, pane et aqua celebrabat. Desidiæ ac inertiæ hostis acerrimus. Quippe aut litteris, aut concionibus, vel audiendis sordidorum hominum improbis gestis pro impunitate a Domino suorum criminum impetranda, vel orationibus operam dabat. Visebat libenter ægrotos, ac suis dulcissimis colloquis sublevabat. Verum de moribus hactenus.

jucundam Deiparæ apparitionem habuit.

5 Cum aliquando in vigilia Assumptionis beatissimæ Mariæ ante aram positus ingenti cum affectu tantam celebritatem diei meditaretur, et totus lachrymis perfusus anhelaret ad illam felicem ac cælestem domum, ut perfrui tantis gaudiis aliquando posset, e vestigio conspexit e cælo prolabi lucem ingentem super aram, cujus in medio Reginam cæli sibi dicentem collocatam vidit: Macte virtutis esto, Hyacinthe, et lætare, eo quod tuæ a filio meo, et a me exaudiuntur preces. Quod enim petendum duxeris, me interveniente, consequere. Continuoque in cælum sese recepit. E Cujus in recessu tanto concentu, actam dulci harmonia Hyacinthi aures oppletæ sunt, ut vix enarrari posset. Exinde tantam in Deum fiduciam sumpsit, ut minime se incassum aliquid ab eo petere posse arbitraretur. Hujus rei seriem, semotis arbitris, Floriano et Godino sociis narravit, affirmans Dei Matrem præcipuam patronam esse Fratrum Prædicatorum.

Deinde submersum ad vitam revocat,

6 Aliquando contigit, ipsum iter habere Pronium; ejusmodi enim loci nomen est. Erat autem medium intersecans inter flumen, quod phaselo trajiciebatur. Tum forte intumuerant aquæ. In citeriore igitur amnis ripa consistens animadvertit in ulteriore turbam virorum ac feminarum, quasi quemdam in medio tenentem. Admirabatur plurimum sane, et quid subesset causæ nesciebat. Igitur transmisso amne comperit, multitudinem illam adolescentem quemdam aquis obrutum deplorantem. Ast ut animadvertit vita functi mater, Hyacinthum adesse, missis ceteris, ad pedes ejus provoluta supplex efflagitabat, ut ad vitam filium revocaret. Hyacinthus vero sciscitabatur, qua hora filius naufragio perisset: ut cognovit, quod pridie F perisset, et tunc primum ex aquis eductus fuisset, habuit orationem ad Deum. Et ad matrem conversus ait: Bono esto mulier animo. Et adolescentis apprehendens manum, Petre, inquit, (id enim illi nomen erat) Christus Dominus noster, cujus gloriam prædico, intercedente beata Virgine Matre, te ad vitam reducat. Nec mora, qui fuerat mortuus, revixit coram toto illo virorum ac mulierum cœtu. Et matri Falisflavæ * mulieri nobilissimæ reddidit incolumem.

* al. Falislavæ.

mulieri paralyticæ usum membrorum restituit,

7 Prandeta nobili genere matrem habuerat paralyticam, quæ nulla medicorum ope sanari potuit. Is vero ingentem pecuniam medicis exsolverat, ut mater eo morbo liberaretur; sed nihil profecerat. Cupiens autem filius matri solatium aliquando præbere, nihil omittebat, quod speraret ei posse prodesse. Forte audierat, Hyacinthum virum Dei morbos ægrotantibus depellere; quod ubi cognovit, non negligens, sollicitus de matre, Cracoviam deduxit, sanctoque Viro obtulit, impense rogans sibi sospitem illam reddi, dicens: Hyacinthe, ecce matrem, filiam tuam, sic paralysi dissolutam, ut nec recte etiam loqui valeat; quæso, ut pristinæ sospitati restituas,

AUCT. LEANDRO ALBERTO.

A tuas, quod humano adminiculo haudquaquam fieri posse hactenus expertus sum. Tunc Vir Dei misericordia motus, inquit: Filia, Dominus noster Jesus Christus te a morbo liberet, quo premeris, et usum tibi linguæ restituat. His dictis continuo sospes facta est, et linguæ usum cum ceteris membris integrum recepit.

Sanctus aliam gravi morbo liberat,

8 Mulier gravissime ægrotans, et jam desperata salute, precibus obtinuit ad se deduci virum sanctum Hyacinthum, cui vim morbi, quo capta erat, aperiens rogabat, ut se manu tangeret, sperans se illico sic sospitem reddi posse. Ut erat Hyacinthus ad commiserationem pronus, ægrotanti opem ferre cupiens, prius oratione ad Deum emissa, manu illius caput contingens, mox eam incolumem dimisit.

et verbum Dei late disseminans,

9 Porro vir Dei, Christi vestigia sequi cupiens, postcaquam jam sat Ivonis autistitis venerandi votis fecisse animadverterat, Ceslaum in Bohemiam misit, ut sacrum verbum euangelizaret. Qui imperata propere perficiens in Praga urbe cum Hieronymo socio ita egit, ut post non multos dies
m cœnobium cum æde divo Clementi dicata *m*,
B pro patribus Prædicatoriis ædificaretur. Deinde
n Vratislaviam *n* petentes in honorem divi Adalberti cœnobium aliud extruxere, quod Ceslaus miris coruscans prodigiis in Domino quievit. Hyacinthus vero in Orientalem progrediens plagam, vitæ verbum indefesse disseminando, quod ap-
o prime callebat, perveuit Visogradum Musoviæ *o* urbem. Præterfluebat siquidem urbem amnis. Ad quem cum devenisset cum sociis, nec transmitti posset absque lintre, nec lintris copia esset, admonuit socios, ut divinam opem precibus exposcerent.

extenso pallio mirabiliter fluvium cum sociis trajecit.

10 Cum igitur aliquantulum orasset, extenso pallio super aquas, primus omnium intrepidus supergrediens, cohortatus est socios, ut idem fidenter facerent. Sicque super pallio, veluti super navi, amnem transmisere illæsi. Quod ubi iu urbe vulgatum est, accurrunt cives rem admirantes, et Virum Dei ingenti cum honore in
p urbem introducunt. Illiuc exiens adiit Chion *p*, habens itineris comites Godinum, Florianum, et Benedictum, viros nostræ Religionis toga indutos. Ibique per quadriennium permausit,
C docendoque, et concionando miris coruscavit prodigiis. Quo factum est, ut templum erigeret beatissimæ Virgini Mariæ, quo possent Patres Prædicatores inhabitare. Eo itaque temporis interstitio immensam sacerdotum ac laïcorem catervam sanctæ conversatiouis toga induit. Initio vero quinti anui Cracoviam repetiit, dimisso Chion viro veneraudo Godino. Sed diverteus per
q Gadufriam *q*, et verba vitæ disseminans, verbaque miraculis coufirmans, plurimos ad sanctæ conversationis habitum sumendum impulit. Quapropter ædibus cœptis extrui, relicto ibi Benedicto, tandem Cracoviam cum Floriano pervenit.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 9 *explicuimus, quomodo hæc Sancti patria ab Alberto* Saxum *et ab aliis* Kamien *appelletur.*

b *Nobile et antiquum Sancti Stemma* § 2 *Commentarii prævii ex vetustis scriptoribus Polonis retulimus, et ibidem de origine hujus stirpis fuse disseruimus.*

c *Hic munificus piorum locorum fundator, teste Joanne Cæsario in Vitis præsulum Cracoviensium pag.* XIX, *ad cathedram Cracoviensem* assumptus est anno MCCXVIII. Sedit annis duodecim. Mortuus anno MCCXXIX. A Dominicanis in ecclesiam sanctissimæ Trinitatis Cracoviæ Mutina translatus. *Plura de egregiis hujus piissimi viri gestis sparsim apud Dlugossum in Historia Polonica legi possunt.*

d *Severinus Cracoviensis in Vita* S. Hyacinthi *lib.* 1 *cap.* 4 *tria Romana hujus Ivonis itinera recenset, et diversas eorum causas assignat. Dlugossus lib.* 6 *Historiæ Polonicæ ad annum* 1218 *scribit, Ivonem tunc ad urbem Romanam ivisse, ut Vincentio Kadlubkoni, episcopatum Cracoviensem abdicanti, legitime succederet, ut num.* 15 *Commentarii prævii indicavimus.*

e *Hanc mortui resuscitationem in Actis S. Dominici ad diem* 4 *Augusti ex variis antiquis scriptoribus confirmavimus.*

f *Acta B. Ceslai ad diem* 16 *Julii, sive tomo* IV *istius mensis a pag.* 182 *illustravimus.*

g *De longiore aut breviore tirocinii tempore diversas auctorum Dominicanorum sententias* § 3 *Commentarii prævii retulimus.*

h *In eodem* § 3 *Commentarii prævii num.* 21 E *audivimus disserentem Malvendam, qui contra Leandrum Albertum probabilius existimat, hunc Hermannum non fuisse Fratrem laïcum sive Conversum, ut hujusmodi Fratres cognominari solent.*

i Friesacum *vel* Frisiacum *est oppidum Germaniæ in Carinthia superiori, circa fluviolum vulgo* Matuitz *appellatum.*

k Cracovia *est notissima Poloniæ urbs, et ejusdem regni caput, in Polonia Minori ad Vistulam fluvium sita, cujus fusior descriptio apud Hartmannum Schedel in Corpore Historiæ Poloniæ tomo* 1 *pag.* 165 *et sequente legi potest.*

l *Pius ille præsul Ivo hic vocatur* Sanctus, *et ab aliis quibusdam titulo* beati *decoratur. Nos discere cupimus, an alicubi legitimum et immemorabilem cultum obtinuerit.*

m *Commutatione facta, postmodum nostri Pragenses hanc ædem acceperunt, ut Severinus Cracoviensis lib.* 1 *Vitæ cap.* 5 *testatur his verbis:* Anno vero MCCXXII idem Sanctus misit Fratrem Ceslaum, qui cum eo a beato Dominico ad Ordinem receptus fuerat, iu Bohemiam; qui in metropoli Bohemiæ civitate Pragensi cum Fratre Hieronymo per beatum Hyacinthum associato pervenit, ibidemque F Conventum Fratrum Prædicatorum in honorem sancti Clementis recepit; quem sub Maximiliano II imperatore Religiosi Societatis Jesu adepti sunt, et ibi Collegium erexerunt, et Fratres Prædicatores ad ecclesiam sanctæ Aguetis ad fluvium Albim translati sunt.

n Vratislavia *urbs primaria Silesiæ ad fluvium Oderam sita, a qua Ducatus Vratislaviensis nomen suum accepit.*

o *Hæc provincia Poloniæ ab aliis communiter appellatur* Masovia *vel* Mazovia, *quæ ab Oriente habet Lithuaniam, a Septemtrione Prussiam, ab Occidente Poloniam Majorem, et a Meridie Poloniam Minorem, dividiturque in varia territoria inter quæ oppidum seu castrum Vissogrodiense numeratur, de quo illustrissimus Martinus Cromerus in Historia rerum Polonicarum sæpe meminit.*

p *Leander Albertus hoc luxato nomine voluit indicare Kioviam, urbem Poloniæ in Ukrania ad fluvium Borysthenem sitam, quæ nunc Moscis subest, et cujus antiquam amplitudinem ruinæ murorum adhuc testantur.*

q *Non*

AUCT. LEANDRO ALBERTO.

q *Non invenio ullam hujus nominis regionem. Quare suspicor, per Gadufriam hic intelligi deberePrussiam : nam dicitur* S. Hyacinthus *in urbe Gedanensi, vulgo dicta* Dantzig, *quæ est caput Prussiæ regiæ, ædificasse cœnobium sui Ordinis ac in eo reliquisse Fratrem Benedictum, ut* § 6 *Commentarii prævii num.* 53 *ex Dlugosso retulimus.*

CAPUT II.

Alia Sancti adhuc viventis miracula, felix mors, et quædam prodigia post obitum ejus patrata.

Sanctus segetes grandine percussas restituit,

Posteaquam Cracoviam reversus est, Clementia mulier cordata, nobilis genere, nobiliorque moribus ex vico Coseler *a* (ut vulgari eorum utar vocabulo) forte Hyacintbum virum venerabilem, relaxandi paruuper animi gratia, ad suburbanam villam invitaverat. Cognoverat eum vigiliis et jejuniis nimis attritum, ut refocillatione corporis non modica indigeret. Annuit Hyacinthus, et die dicta ad locum constitutum veniens, segetes passim grandine tactas offendit. Forte proxima erat messis. Porro XIII Kal. Aug. hoc accidit. Igitur ad Clementiam tristis ea de causa * pervenit. Quæ prolapsa ad pedes sancti Viri, deflebat propriam, et aliorum calamitatem. Ut vero vulgatum est per vicum, advenisse Virum Dei, missis omnibus, provoluti ad pedes ejus flentes, ut se in tanta calamitate adjuvaret, eum obsecrabant, atque obtestabantur. At Vir Dei in fletum et ipse prorumpens, illorum miseratus sortem, jussit eam noctem illos insomnem ducere, Deumque precibus fatigare, quod et sese facturum spopondit. Qui dicto Famuli Dei audientes, postquam illuxit, segetes obtritas pridie a grandine quantum ad suos agros pertinebat, in priorem restitutas invenerunt statum, acsi nullum grandinis vim passæ fuissent; finitimorum vero, prout grandine obrutæ fuerant, jacentibus. Qui animadvertentes divinam clementiam, Deo et sancto Viro gratias maximas egerunt.

* forte ea de re fama

B

C

mulieri sterili fœcunditatem prædicit,
* *al.* Fœlicia Gruszouska.

12 Aliquando venit Felix Grusonia * nobilis mulier sterilis (porro annos viginti cum conjuge egerat, nec filium tulerat) cum fletu rogans, ut Deum precaretur, ne perpetuo sterilis esset; sed ut Deus illi filium elargiretur, ne opprobrio tam diu marito foret. Conjunx enim angebatur carens filiis, cum abundaret divitiis de herede sollicitus. Ast vir venerandus: Vade, inquit, filia, et pedem referas domum, nec verearis, quia filium habebis, quo viri insignes originem ducent tam præstantes divitiis et viribus, quam in Ecclesia præsidentes. Haud falsus vates fuit. Quippe et filium tulit, et Viro sancto gratias immensas agens portavit, ex quo ingens virorum præstantissimorum caterva derivavit.

duos pueros a nativitate cæcos illuminat,
* *al* Vitoslauskam.

13 Accidit aliquando quemdam locum concionandi gratia petere (cui Castro nomen est) et ad pedem montis perveniens offendit Vitoslanam * mulierem cordatam in bigam duos natos cæcos educentem, quos luce orbatos ante septem annos pepererat. Quæ ut virum Dei Hyacintbum adesse cognovit, mox e biga descendens, humique ad ejus genua provoluta, filiis ante pedes ejus positis, lachrymans inquit: Eia Vir Dei; en ego infelix luce privatos jam septem annos hos natos enixa sum, fortunæ ludibrium. Quamobrem rogo teque obtestor, ne patiaris hac calamitate me deinceps vexari. Hoc efficies, si fueris Deum precatus. Te enim rogante, non dubito fore, ut filii mei lucem consequantur. Porro Hyacinthus mulieris verba exaudiens, deflens præsentem ejus sortem maxima fultus in Deum fiducia cæcos tetigit dicens: Dominus noster Jesus Christus, qui cæcum natum illuminavit, ipse vobis beneficium oculorum impendat. Simul ac signo crucis illos muuivit, e vestigio videntes dimisit. D

alioque submerso ad vitam revocato,
* *vulgo* Przybislauska.
b
c
* *lege* flumen,

14 Pribislaba * nobilis matrona et vidua, ex vico vulgo dicto Scenita *b*, Filium Vislaum unicum sibi Cracoviam ad sanctum Virum præmisit, ut exinde ad se educeret. Functa legatione, Vislao Hyacinthus inquit: Præcede fili, præcede. Ego enim mox te subsequar. Igitur adolescens viri Dei dicto audiens progreditur. Forte itineris medio præterfluit fluvium * vulgo dictum Raba *c*, quod ea nocte, sive imbribus, sive nivium resolutione, ultra consuetudinem ad summum excreverat. Qui adniteus transire, non aquarum vim formidans, cum armigero ex equo aquarum vi dejicitur, obruiturque aquis, vix armigero evadente: mater vero, prodeunte puero, filii miserandam sortem audiens, illico pluribus matronis sociata, ad amnem accurrit, deplorans suam ac filii ingentem fortunam. Hyacinthus iter cœptum prosequens phaselo amnem cum Clemente socio trajecit, totus admirabundus, unde tot matronarum caterva illuc clamantium advenisset. Ast Pribislaba Hyacinthum adesse jam animadvertens, concito gradu ad pedes ejus provoluta, Heus, inquit, Hyacinthe, tua causa filium amisi unicum. Quo me vertam misera, quæ conjuge et filio simul orbata sum? Igitur senectutis meæ unica spes, unicum præreptum est solatium. Obsecro obtestorque te, ne me in tanta calamitate positam deseras. Ast Hyacinthus vir Dei lachrymans, paululum e via digrediens, flexis genibus Deum impense rogavit, ut infelici matri opem ferret. Eo itaque ab oratione surgente, ecce contra aquarum impetum adolescentis cadaver ad amnis ripam applicuit. Et eo ab aquis educto occurrens cum omni multitudine, mater ad pedes Hyacinthi inclamare cœpit: Reddidisti, Vir sancte, mortuum, et vivum restitue. At Vir Dei ad corpus accedens: Fili, inquit, Vislaë, Dominus noster Jesus Christus, cui omnia vivunt, ipse te vivificet. Vix verba finierat, et ecce mortuus revixit. E F

pie moritur,

15 Igitur Hyacinthus vir venerandus post labores maximos, quos pertulerat in vinea Domini Sabaoth, post ingentia signa per ipsum edita, divina tandem dulcedine illectus, toto mentis desiderio exæstuabat, cupiens hac mole carnis solvi, et esse cum Christo. Quare in oratione positus, devotissime efflagitabat votum suum expleri a Patre misericordiarum. Exaudivit quippe eum Dominus, et sibi vitæ terminum intimavit. Quare die postero, qui fuit dies divi Dominici festus, in ægritudinem incidit, qua cognovit vitæ suæ finem advenisse. Invalescente itaque vi morbi, in vigilia Assumptionis beatissimæ Virginis Mariæ, jussit acciri quotquot aderant seniores in cœnobio Cracoviensi, sicque e grabato verba fecit: Ego, filii charissimi, Domino me vocante, die crastina vos deseram. Igitur quæ ex ore parentis Dominici audivi, tamquam hereditario vobis jure relinquo. Primum, ut cordis lenitatem, animique mansuetudinem servetis, dilectionem, ac mutuum

A tuum amorem amplectamini, sequaminique paupertatem. Hoc enim testamentum est æternæ hereditatis. Ilis dictis, conticuit. Postero die devote Officio reddito (quas canonicas horas appellant) fultus Ecclesiæ sacramentis, astantibus omnibus Fratribus, flentibusque, et ad Deum porrigentibus preces, erectis in cælum luminibus, prorumpensque cum lachrymis in illum psalmum, IN TE DOMINE, SPERAVI, NON CONFUNDAR, IN ÆTERNUM, cum dixisset, IN MANUS TUAS DOMINE COMMENDO SPIRITUM MEUM, mox spiritum efflavit. Et deductus est ante Deum sanctorum ministerio Angelorum, quorum consuetudine adhuc in humanis agens sæpe recreari solebat, quo æterno ævo frui cum Sanctis omnibus licet. Vita functus est sanctissimus Hyacinthus anno Domini MCCLVII, Idibus *d* Septembris hora ferme nona. d Tantus autem omnes, qui aderant, luctus invasit, ut ex iis nonnulli præ dolore parum animi compotes clamorem extollerent.

quo die per ejus intercessionem juvenis mortuus revivit,

16 Postquam illius mortem fama vulgavit, incredibilis repente cives plebemque Cracoviensem omnem adeo luctus occupavit, ut nullus a lachrymis temperaverit. Concurrunt, et undique virorum ac mulierum agmina, et ad sancti Viri corpus confluunt visendi vel tangendi gratia. Funus ejus Prandeta *e* Cracoviensis antistes, vir ve- e
B nerabilis, cum omni multitudine civium, et plebis ingenti cum luctu celebravit. Ea ipsa die adolescens equo evectus in campo S. Floriani (sic eum locum vocant) Zaglichæ filius, incaute agitans equum, in terram prolapsus mortem obiit. Ut vero Zaglicha et Florentia ejus parentes intellexere, filii accepto cadavere, maximo cum luctu multitudineque civium comitante et conlachrymante ad sepulchrum detulerunt Hyacinthi, exposcentes precibus ejus a Deo sibi filium vivum restitui. Nec mora, post horæ spatium adolescens mortuus repente revixit incolumis, absque ullo vulneris stigmate, asserens in cælum se cum Hyacintho fuisse deductum. Pro restituto ad vitam filio parentes Deo et beato Hyacintho gratias immensas agentes, domum sunt regressi cum ingenti gaudio.

et felix Sancti obitus episcopo Cracoviensi,

17 Venerandus antistes Prandeta, celebrato sancti Viri funere, templum D. Stanislai ingressus est; ibique ante aram beatissimæ Virginis Ma-
C riæ procumbens, fessus labore, aliquantulum levi admodum somno captus est. Putavit, se juvenes quosdam videre tunicis albissimis indutos, binos chorum ingredi, duosque præclarissimos viros subsequentes; alterum pontificali tiara præditum, prædicatoria toga alterum indutum, candore scapulare et tunica immenso fulgentibus, duabusque redimitum coronis, et rei insolitæ processum admiranti sibi dixisse pontificem: Sum Stanislaus antistes, et quem mecum cernis Fratrem, Hyacinthus est ex Ordine Prædicatorum, corona doctoratus, et altera corona virginitatis ornatus, quem hac gaudebunda beatissimorum societate spirituum, in illam perpetuam ac felicem vitam, qua frui licebit, Deo æterno deduco: moxque Stanislaum incepisse dulci ac alta voce illud eulogium, LUX PERPETUA LUCEBIT SANCTIS TUIS, DOMINE, et sanctis illis spiritibus prosequentibus, cum magno fulgore scandisse cælum cum beato Hyacintho. Quo pacto evigilans Prandeta, ad cœnobium Prædicatorum accedens, seriem visionis coram Fratrum, sacerdotum, ac civium immensa multitudine non sine lachrymis narravit.

sanctimoniali Polonæ,

18 Bonisflava * nobilis fœmina, in monasterio vulgo dicto Zewezrenugh *, quo ultra annos quadraginta Deo famulata fuerat, apprime sanctum Virum colens, ipsa die orans, levi capta somno, vidit e cælo supra Prædicatorias ædes ingens lumen descendere magno sanctorum spirituum agmine circumfusum, illos beatissimam Virginem pulcherrimam sequentem, secum quemdam præclara prædicatorum toga insignitum ducentem. Porro Bonisflava (ut fit) facta perquirendi avidior, quinam esset tantus ille comitatus, Virginem illam speciosissimam percunctata est, quænam esset: Respondit illa, se misericordiæ Matrem esse, et illum Prædicatorum vestimentis indutum esse Hyacinthum, quem in cælum deduceret. His vero dictis, cœpit psallere beata Parens dulci ac suavissima voce: IBO AD MONTEM MYRRHÆ, ET AD COLLES LIBANI, sanctis illis spiritibus prosequentibus cum B. Hyacintho. Qui cum immenso lumine cælum ingredi visi sunt ad illam æternam dulcedinem perfruendam.

A. LEANDRO ALBERTO.
* *al.* Branislava
* *al.* Zwierziniecz

ac eremitæ Hungaro revelatur,

19 Eremi cultor, nomine ac re Bonus, captus desiderio visendi Hyacinthi sepulchrum (forte fama cognoverat miracula, et ingenta meritis ejus edita prodigia) ex montibus Pannoniæ *f* Cra- f
coviam petiit. Templum ingressus, quo sancti E Viri corpus jacet, obtinuit a Præsidente cœnobii, posse ad ejus pernoctare sepulchrum. Igitur orationi miro quodam mentis ardore insistens, tres radios mira claritate e cælo emitti ac super tumulum Hyacinthi aperte vidit, unum ad caput, alterum ad pedes, tertium in medium jaci. His autem visis, illico Hieronymum et Florianum ædituas accivit, ut lucem e cælo intuerentur demissam. Continuo venere illi, et divinam cernentes lucem, in terram procidentes venerati sunt, et Deo gratias egerunt.

variaque deinde ad tumulum ejus miracula patrantur.

20 Alia quidem multa ad ejus tumulum prodigia contigerunt. Nam et Margarithæ usus linguæ, manuumque paralysi dissolutarum, restitutus est. Emisso voto, filius unicus militis cujusdam hydropicus, et humano adminiculo destitutus, desperata etiam vita, pristinæ sanitati e vestigio restitutus est, deductusque a patre ad B. Viri sepulchrum, uti pater ipse promiserat, gratias illi egit. Alius similiter febribus correptus, voto emisso, liberatur. Mortuum ex crapula *g* filium g
Andreæ, invocato S. Viri patrocinio, matri vivum reddidit. Agatha Comitis Zegotbæ arcis Cra- F
coviensis præfecti conjunx pro pedissequa cujus pene vita desperata erat, febribus gravissime laborans Hyacinthum rogavit, promittens sepulchrum ejus se muneribus donaturam. Non multo post astitere duo viri Prædicatorum habitu induti circa cubile puellæ febribus exæstuantis, quorum senior puellæ ait: In me respice: sum enim Hyacinthus pro sanitate tibi restituenda, a domina tua invocatus; itaque in Christi Jesu nomine surge et Deo gratias age. Illicoque puella incolumis, evanescente Hyacintho cum socio, surrexit. Emisso voto a nobili quadam matrona pro filio morti appropinquante, e vestigio sospes regressus est. Longum esset, si vellem cuncta complecti. Sed hæc ad testandam Viri clarissimi sanctitatem sufficere possunt.

ANNOTATA.

a *Vicus, quem hic Leander vulgari vocabulo appellat* Coscler, *supra apud nos in Commentario prævio* § 5 *num.* 44 *vocatur* Koscieliecz *a Severino Cracoviensi, cui, utpote Polono, magis credendum arbitror.*

b *Leander Albertus etiam nomen istius vici luxavit:*

A. Leandro Alberto. *luxavit : nam ab eo vocatur* Scenita *locus ille, quem Severinus Cracoviensis supra apud nos eodem paragrapho Commentarii prævii num.* 49 Scrniky *appellat. Alias similes nominum luxationes aut mutationes in margine annotavi.*

c *Suspicor, hoc nomine indicari fluvium, quem Dlugossus agens de fluminibus, quæ a Meridie in Vistulam influunt, lib.* 1 *Historiæ Polonicæ col.* XI *assignat his verbis :* Item Raba, cujus fons in Sarmaticis montibus oriens, ostia habet circa oppidum Uscie.

d *Cum* S. Hyacinthus *die* 15 *Augusti obierit, hic certe error irrepsit, et pro* Idibus Septembris *legendum est* decimo octavo Kalendas Septembris, *licet sequenti die annuum ejusdem Sancti festum celebretur.*

e *Hic præsul communiter appellatur* Prandotha, *et Dlugossus lib.* 7 *Historiæ Polonicæ ad annum Christi* 1266, *sive col.* 778 *de eo scribit sequentia :* Vigesima prima die mensis Septembris Prandotha episcopus Cracoviensis, vir vitæ venerabilis, et canonizationis beati Stanislai præcipuus effector et promotor, omnibus Sacramentis audiendo B Missam procuratus, religiose et devote circa noctis crepusculum moritur, et in ecclesia Cracoviensi apud capellam sancti Petri et Pauli sepelitur, cum annos decem et octo in sede Cracoviensi absumpsisset.

f *Nomine Pannoniæ significatur Hungaria ut passim notum est.*

g Crapula *non tantum immoderationem cibi aut potus, sed etiam medicamentum ex vino confectum significat, ut apud Martinium in Lexico Philologico ad hanc vocem videre est.*

MIRACULA

QUÆ POST OBITUM SANCTI VIRI CONTIGERUNT,

collectore R. P. F. Severino Cracoviensi ex Ordine Prædicatorum,

C *Recudimus ex Opere de Vita, miraculis, et Actis canonizationis S. Hyacinthi, quod Romæ anno 1594 editum est, lib. 2 cap. 1 et sequentibus.*

CAPUT I.

Beneficia quæ Sanctus non diu post mortem, sive ab anno 1257 usque ad annum 1270 clientibus suis contulit.

Post sepulturam B. Hyacinthi

Post viri Dei gloriosi Hyacinthi sepelitionem, multorum piorum virorum corda, atque mentes consternebantur, et memores tantorum mirabilium, per Virum Dei patratorum, ingemiscen- D tes dolorosa voce congeminabant querulantes, et dicentes : Ubi est noster Hyacinthus, qui nos suis meritis ex omnibus nostris afflictionibus liberabat, et velnti Eliseus propheta, cum pallio aquas divideret, conclamabant : ubi est spiritus Eliæ? Videres multos nunc ad tumbam Sancti, nunc ad alias ecclesias in suis necessitatibus et afflictionibus voces congeminare : Ubi est noster Hyacinthus, mœrentium consolator, et veritatis prædicator? Noluit divina clementia piorum cordibus, jam ab æterno paratam consolationem prorogare, neque Sancti viri gloriam, quæ in cælestibus refulget, in abditis temporum celare. Siquidem hoc eodem anno scilicet MCCLVII, quo sacra gleba corporis ejusdem (anima ad cælos evocata) terræ concredita est post instertitium uuius mensis, scilicet in die S. Michaëlis Archangeli *a* divina refulsit gratia.

a mulier paralytica,

2 Nam domina quædam Margarita civis Cracoviensis incurabili paralysi percussa, corporis totius et motu, et sensu destituta, sex mensibus medicorum et chirurgorum artes experta, nullo remedio ad concussæ a natura loquelæ, et virtutis E beneficium redire poterat, et instar trabis in lecto suo se movere nequaquam valebat. Quoniam vero Viri Dei laus, et miraculorum operationes nondum ab animis fidelium exciderant; maritus ejusdem dominæ lachrymis effusus cum plena fide sua, et amicorum, uxorem suam ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum ad sepulchrum B. viri Hyacinthi voto facto portari jussit, et ibidem oratione devota ad Dominum Deum fusa, meritis beati Viri eam commendavit. Mira res, vix verba suæ orationis finivit, et ecce conjunx sua prædicta Margarita nexibus paralysis liberata, meritis B. Hyacinthi ad perfectam sanitatem restituta, cunctis astantibus videntibus, et Dominum Deum pro miraculo laudantibus, rediit, domumque propriam, abjecto grabato, in quo postrata ad ecclesiam ferebatur, reversa est, et misericordem Dominum, qui in Sanctis suis semper est mirabilis, ubique collaudavit.

puer hydropicus,

3 Quidam nobilis, nomine Boguslaus, filium unicum, cui nomen Suieutoslaus imposuit, habebat, qui ob naturæ propensionem in hydropem morbum incidit, et accrescente tumore, infirmitateque invalescente, ad portas mortis, dum nihil F minus quam vitam speraret, appropinquavit. Pater vero suus cum frustra medicaminum corporalium juvamina tentaret, indiesque morbus invalesceret, amicorum consilio et persuasu ad beati viri Hyacinthi suffragia devotus concurrit, dicens : O beate Hyacinthe, qui tot mirabilia virtute Dei operatus es, digneris curare filium meum, qui humana ope destitutus, omnibus viribus carens ulterius vivere non potest, nisi tuis sanctis orationibus adjutus, et ego eum ad tuum sepulchrum cum devota oblatione deducam; et ecce vix votum pater complevit, cum juvenis statim et immediate depulso omni tumore et inflatura corporis, per merita B. Hyacinthi a morte præsente perfecte liberatus surrexit, et votum, quod pro eo pater suus fecerat, veniens ad sepulcrum Viri Dei gaudens, et Dominum Deum laudans adimplevit, parentibus suis et aliis fide dignis miraculo præsentibus.

juvenis morti proximus sanitatem recuperant.

4 Quidam civis Miechoviensis, nomine Sulco, et Margarita uxor ejus, hanc super filio suo Joanne per virum Dei Hyacinthum acceperunt consolationem. Contigit enim filium eorum, in acutissimam et gravissimam febrim incidere, ita quod

A quod quinta die ad vitæ suæ terminum appropinquans, omnibus sensibus destitutus jacebat, nec quidquam videre, audire, vel sentire poterat: sed tantum palpitante corde animam in mortali corpore hærentem, spiritusque vitales prodentem cernere licuit. Et cum jam præsentem mortem in domo viderent, et quo se amplius pro auxilio quærendo verterent, ignorarent, ad beatum virum Dei Hyacinthum pater suus una cum matre, filium suum morientem cum lachrymis devoverunt, dicentes: O S. Hyacinthe succurre filio nostro in mortis agone laboranti; quem si sanaveris, promittimus Deo et tibi eumdem cum devota oblatione ad gloriam Dei, et tui nominis honorem ad sepulchrum tuum præsentare. Mira res! Vix parentes verba finiunt, et ecce statim juvenis moriturus et agens animam, meritis B. Hyacinthi, parentibus et amicis præsentibus et plangentibus, ad vitam revocatur, et perfecte sanitati redditur, parentibus suis votum ad sepulchrum B. Hyacinthi reddentibus, et miraculum protestantibus.

et alius jam defunctus ad vitam revocatur. *b*

B 5 Contigit quemdam juvenem, unicum filium patris cujusdam nobilis Andreæ de Iakubocze, ob nimiam crapulam *b* graviter infirmari, et dum medicorum arte dolor leniri sperabatur, eo magis virus infirmitatis excrescens supradictum juvenem usque ad portas mortis deducens oppressit: et cum jam vitam ageret, concurrentibus parentibus, et notis ac amicis omnibus flentibus et condolentibus, juvenis expiravit, ex cujus morte magnum parentes ejus conceperunt dolorem, præsertim quod hæreditatis suæ non poterant habere successorem. Videntes vero quod humana desint præsidia, ad divinam opem lacbrymabiliter et devote se contulerunt. Insuper et mater defuncti genibus provoluta S. Hyacinthum in patrocinium invocare cœpit, supplexque precari, ut filium suum, quem avida mors absorbuerat, meritis suis ad vitam revocaret, promittens et devovens, se ad sepulchrum S. Viri vota certa reddituram. Hoc itidem et pater juvenis demortui cum amicis astantibus a Domino per merita Sancti apud Altissimum ex intimis cordis sui affectibus expostulabat. Hæc ipsis facientibus, ecce juvenis, qui erat defunctus, post longum mortis suæ intervallum, quasi media nocte superata, ex feretro se elevavit, et se vivum et sanum C affirmans ex fasciis, quibus ligatus erat, absolvi petiit, et coram multitudine astante, et ad miraculum obstupescente, Deo gratias retulit, et S. Hyacintho, cujus se meritis resuscitatum a morte, et sanatum ab infirmitate constanti voce protestatus est, quod miraculum non tantum domesticis, sed etiam aliis civitatibus innotuit, atque Dei gloriam, et Sancti honorem in mentibus hominum maximam propagavit. Factum hoc fuisse anno Domini MCCLXII testatur historia.

Puella moribunda subito sanatur

6 Quædam matrona nobilis, a baptismo nomen Agathæ habens, Comitis Zegotæ Castellani Cracoviensis conjunx [erat.] Hæc puellam quatuordecim annorum habens, infirmitatem octo dierum spatio patientem, graviterque decumbentem sibi auferri lamentabatur, et medicorum delusa ingenio, de vita filiæ desperare cœpit. Quæ cum in agone posita fuisset, jamque animam exhalare cœpisset, supradicta matrona domina Agatha flexis genibus virum Dei B. Hyacinthum invocare cœpit dicens: O beate Hyacinthe, obsecro te per misericordiam Dei, ut mihi miseræ succurrere digneris, et per preces tuas apud auctorem vitæ dominum Deum nostrum, vitam filiæ meæ impetrare. Et cum hæc et alia plura dicendo filiam suam ad sepulchrum S. Viri devoveret, ecce duo fratres circa lectum agonizantis puellæ, habitu Fratrum Prædicatorum induti, beatitudinis notam præferentes astiterunt. Tunc senior puellam agonizantem læto vultu aspiciens, benigne affatus est dicens: Respice in me; ego sum, inquit, Frater Hyacinthus pro tua sanitate a matre tua devote invocatus: ideo in nomine Domini nostri Jesu Christi surge, et pro præstita tibi incolumitate Deo gratias age; et statim postquam hæc dixisset B. Hyacinthus una cum socio suo disparuit. Puella autem confestim surrexit, sanitate perfecta recuperata, et qualiter ad ipsam reducta fuerit per B. virum Dei Hyacinthum sibi apparentem, et alloquentem, omnibus se de hoc requirentibus firmiter et devote cum gratiarum actionibus, et divina laude semper protestabatur. EX IMPRESSIS

Matrona dæmonibus liberatur.

7 Quædam matrona nobilis, cognomento Thomislava, Comitis Sdislai uxor, dum in vita ageret, semper devote se in omnibus S. Hyacintho supplex commendabat. Quæ cum ad terminum vitæ suæ pervenisset, graviterque infirmata usque ad mortem in agone posita palpitare cœpisset, ad eam venerunt duo dæmones quasi æthiopes, micantibus oculis, E eamque, ut sibi videbatur, arripientes per vias lubricas ac tenebrosas secum ad inferos trahebant; et cum jam locis pœnalibus appropinquaret, ecce occurrit eis vir candida veste indutus in habitu Fratrum Prædicatorum, qui ait ad illos dæmones: Quo ducitis hanc peregrinam? Qui responderunt: Eo ducimus, quo nobis est mandatum. Quibus intulit vir Dei; dimittite, inquit, eam: nam nostra est; et statim illæ larvæ dæmonum, ipsa relicta, evanuerunt. Tunc dixit vir Beatus ad illam: Sis bono animo, filia; ego enim sum F. Hyacinthus Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem multoties pro tua liberatione invocasti: idcirco in nomine Domini nostri Jesu Christi scias, te ab infirmitate tua esse curatam, et a dæmonibus liberatam. Quæ expergefacta, et a morte *c* quasi a somno sublevata *c* statim surrexit, et ab omni infirmitate se liberatam esse sensit. Porro non ingrata beneficio, statim ad ecclesiam S. Trinitatis Cracoviensis ad sepulchrum S. Viri Hyacinthi properavit, et quid illi per virum Dei effectum fuerat, cum gratiarum actione et divina laude coram Patribus Conventus, et aliis plurimis protestata est. F

vitula mortua resuscitatur.

8 Circa annum Domini MCCLXVI tale factum fuisse narratur prodigium. Quædam enim matrona nobilis, nomine Vitonslauska, habuit quamdam ancillam servilem, quæ Danbronska vocabatur; hæc a sua juventute S. Hyacintho semper fuit multum devota, et cum dominæ suæ pluribus annis fideliter inserviret, vitulam quamdam sibi nutriendam ab ipsa impetravit, quam adeptam cum magna sollicitudine nutrivit, utpote servitii sui pensum; quæ vitula infortunio quodam imminente infirmata decidens expiravit. Quod cum vidisset illa puella Dambronska, cernens, se esse spe frustratam pretii, profusis lacrymis et magna devotione cordis ad sepulchrum S. Viri cucurrit, et prostrata in oratione sic eum allocuta est: O S. Hyacinthe, ego sum paupercula ancilla tibi semper devota; obsecro adjuva servam tuam: hanc enim, quam loco pretii vitulam habui, jam mortuam domi reliqui, et quo confugere in hac mea necessitate debeam præter te, nescio; obsecro igitur fac mecum misericordiam, et per preces tuas ad Dominum Deum digneris eam vivificare: et cum in ecclesia diutius moraretur, domina ejus indigne ferens animal mortuum in domo

EX IMPRESSIS domo sua, jussit vocari lanionem, mandans ut excoriata pelle cadaver ejiceretur. Cum vero ancilla ab ecclesia rediisset, et voluntatem dominæ suæ, ut excoriaretur animal, præsensisset, rogavit dominam suam procidens ad pedes ejus, ne adhuc excoriari vitulam permitteret, donec ipsa accurreret ad sepulchrum S. Hyacinthi, et reverteretur: et his dictis properavit ad ecclesiam, ad sepulchrum S. viri Hyacinthi, rogans sibi vivam restitui vitulam. Tandem festine domum reversa reperit lanionem vitulam ipsius excoriantem: tunc vitula cœpit movere pedem excoriatum, et elevato capite sana surrexit. Haud dubium, quod meritis S. Hyacinthi id factum sit: ad quod miraculum plurimi ex civitate Cracoviensi videndum cucurrerunt, et Dominum Deum in glorioso sancto viro servo suo Hyacintho mirabilia facientem collaudarunt.

vir proximo mortis periculo eripitur, 9 Fuit quidam civis Cracoviensis, nomine Geraldus, qui cum uxore sua Elizabeth incedens in omnibus mandatis et justificationibus Domini, sine querela in timore Domini educatus, S. viro Hyacintho semper devotus fuit, et ut ipsius devotione, et
B merito præmium responderet, non est frustratus spe sua: cum enim acutissima et gravissima febri oppressus esset et repentine prehensus, de spe vitæ desperare cœpit, et tandem ad seipsum reversus, S. Hyacinthum, ut sibi succurreret, invocavit. Uxor vero sua Elizabeth mente devota ad ecclesiam, ubi sacrum corpus Viri Dei requiescit, cum lachrymis pro sanitate sui mariti interpellatura cucurrit. Et ecce Geraldo prædicto in agone posito, et quasi jam a sensibus alienato, ad lectum ipsius decumbentis astitit S. Hyacinthus dicens: Fili Geralde, quid petis a me? Ego sum Frater Hyacinthus per te invocatus, et præcipue per consortem tuam Elizabeth, quæ in ecclesia existens adhuc cum lachrymis orat pro te apud sepulchrum meum. Ad quem infirmus: Pater Sancte Hyacinthe, inquit, obsecro te per misericordiam Dei, ut meritis tuis me curare digneris. Cui Vir Dei dixit: In nomine Domini nostri Jesu Christi sis ab omni infirmitate liberatus; et hæc dicens, ab oculis ægrotantis se subtraxit, et disparuit. Tunc infirmus supradictus Geraldus, perfecta sanitate suscepta, statim surrexit, et repentino cursu absque mora cum
C multis amicis, ad agonem ejus expectantibus, et familia magna ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum venit, et uxorem suam Elizabeth ad sepulchrum sancti viri Hyacinthi orantem invenit. Quæ cum ipsum sanum vidisset, præ gaudio obstupuit, et tandem Deo gratias agentes, et sancto Hyacintho suo patrono, reversi sunt ad propria. Miraculum vero toti civitati innotuit, quod circa annum Domini MCCLXVII contigisse narratur.

mulier in periculoso partu juvatur, 10 Matrona quædam nobilis, nomine Petronella, uxor Domini Versii, existens partu gravida, sex ante partum septimanis, magno dolore uteri angebatur, et appropinquante hora, cum parere non potuisset, propter magnam vim doloris defecit spiritus ejus, et invocans B. Hyacinthum ad terminum vitæ et limen mortis deducta est. quæ dum esset in agone posita, et ultimum spiritum ageret, ecce mox vir Dei B. Hyacinthus ante lectum illius astitit dicens: Filia Petronella Deo devota, ecce adsum quia me in tua infirmitate invocasti: ideo in nomine Jesu Christi sanaberis, et filium absque magno dolore paries. Quæ cum ad seipsam quasi de quodam gravi sopore evigilans reversa fuisset, sanam se invenit, et filium, sicut prædixerat vir Dei Hyacinthus, absque labore, et dolore peperit. Itaque veniens cum filio ad sepulchrum S. Hyacin- D thi cum devota oblatione Deo gratias egit, qui per merita S. Hyacinthi a periculo mortis illam liberavit, miraculumque coram Patribus Conventus, et pluribus aliis solenniter protestata est factum fuisse MCCLXVIII in die S. Gregorii Pontificis, et Confessoris.

11 In die translationis beatissimi Patriarchæ nostri Dominici anno Domini MCCLXVIII tale fertur contigisse miraculum. *alteri matronæ usus dextræ restituitur.* Matrona enim quædam nobilis, nomine Martha, usum manus dextræ, propter quemdam gravem influxum dolore plenum ita amiserat, ut nec extendere nec flectere eam posset, et cum diversis medicinis dolorem manus avertere, et proprio usui applicare tentasset, et minime unguentorum juvamine profecisset, recordata viri Dei B. Hyacinthi, quod multis aliis ad se confugientibus perfecta sanitate opitularetur, nimio pressa manus dolore, venit cum magno ejulatu ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum, ubi requiescit corpus B. Hyacinthi, et cum multis lachrymis posita manu super sepulchrum ejus fiducia plena dixit: O beate Hyacinthe, tu E
multos mortuos suscitasti, et diversi morbi atque infirmitates ad preces tuas a corporibus hominum abscessere; digneris me tibi devotam a dolore manus liberare. Quæ dum vix cum lacrymis verba protulisset, manumque arefactam sepulchro B. Viri applicasset, mox beneficium perfectæ curationis suscepit, visaque Dei omnipotentis virtute, ingrata esse nequaquam voluit; sed convocatis antiquioribus Patribus miraculum pandit, et Deo bonorum omnium largitori per merita Sancti ejus coram omnibus præsentibus ingentes gratias reddit.

12 Quædam religiosa femina, Cæcilia nomine, *femina cæca illuminatur.* a pueritia sua serviens devote Domino plusquam triginta annis: quæ incidens in infirmitatem et gravissimum dolorem oculorum, ita quod octo annis nimium dolorem patiens, ut cæca ducebatur; tandem speciali devotione ducta, quam habebat ad virum Dei S. Hyacinthum, mandavit se duci ad sepulchrum S. Hyacinthi. Quod cum manu tetigisset, in vocem prorumpens cum lachrymis [ait:] O S. Hyacinthe, per te Deus mira operatur nunc circa mortuos, ut suscitentur, nunc ut illuminentur cæci; digneris ergo me miseram jam octo F
annis cæcutientem oculis clementiæ aspicere, et ab hac oculorum meorum cæcitate eripere. Quæ cum dixisset, oculos suos ad tumbam S. viri Hyacinthi applicavit, cujus fidem statim secuta est divina misericordia: namque subito meritis S. Hyacinthi omnem infirmitatem oculorum evasit, et desideratum lumen perfectum recepit, multis ad præsens miraculum astantibus et misericordiam Dei super creatura sua laudantibus. Hoc quoque [factum] fuisse anno Domini MCCLXVIII in die sanctissimæ Trinitatis, liber authenticus miraculorum testatur.

13 In territorio Cracoviensi erat quædam matrona, quæ Margaritæ nomen habuit. *et alia surda auditum recipit.* Hæc in viduitate sua, secundum Dei timorem plusquam viginti annis pudice et religiose conversata incidit in gravem et insanabilem infirmitatem, ex qua ob ingentes dolores capitis humoribus concurrentibus, tanta et tam gravissima percussa est surditate, quod nec campanas, nec tubas, nec homines ad eam loquentes vel quoscumque alios resonantes ictus et sonoras percussiones audire poterat. Quæ cum undique tum herbarum, tum unguentorum unctionibus se voluisset liberare, nec potuisset,

A potuisset, cum magna devotione ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum Cracoviæ, ubi corpora sanctorum virorum S. Hyacinthi, et S. Vitti episcopi Lausanensis *d* de Ordine Fratrum Prædicatorum assumpti requiescunt, pervenit, et prostrata inter utrisque altare (beati enim Vitti episcopi corpus in altari, quod est a tergo altaris S. Hyacinthi in stannea tumba est reconditum) sic allocuta est dicens: O Sancti et electi Dei, S. Hyacinthe, et B. Vitte, per misericordiam Dei peto; liberate me ab hac surditatis infirmitate. Et persoluta sua devota oratione, cum magna fiducia ad sepulchrum S. Hyacinthi accessit, deosculans illud, et aures desuper ipsius tumbam applicans. Non defuit divina misericordia; verum ad Sancti honorem afflictam feminam ab illa surditate, quam contraxerat, liberavit, et beneficio auditus perfectissime donavit: quo percepto, Domino Deo ingentes gratias retulit, et miraculum in gloriam Dei, et honorem Sancti coram multis publicavit.

ANNOTATIO.

B a *Festum S. Michaëtis archangeli celebratur die 29 Septembris, adeoque post obitum* S. Hyacinthi *integer mensis et aliquot dies effluxerant, quando hoc miraculum contigit.*

d *Supra in Annotatis ad Acta post cap.* 2 *littera* g *monui, voce* crapula *subinde medicamentum quoddam significari.*

c *Hæc liberatio a dæmonibus facitius explicari potest, si facta intelligatur de visione, quæ huic matronæ ægrotanti obtata sit.*

d *In Commentario prævio* § 9 *num.* 90 *obiter egimus de quodam* Vito *vel* Vitto, *ex Ordine Prædicatorum, qui ad episcopatum Lithuaniæ evectus fuit. Ibidem dubitavimus, an hic sit idem cum illo, qui præsul* Lubusanus *vel* Lubecensis *vocatur. Crescit hic dubium nostrum, eo quod ille Vittus, cujus ossa Cracoviæ quiescunt, hoc loco episcopus* Lausanensis *appelletur. Sed forsan nomen istius episcopatus vitio typothetæ corruptum est.*

CAPUT II.

C *Miracula, quæ per intercessionem ejusdem Sancti ab anno 1270 usque ad annum 1280 patrata sunt.*

Intercessione ejusdem Sancti cæcus visum recipit,

Anno Domini MCCLXX, in crastino sanctissimæ Trinitatis tale narratur factum fuisse per merita S. viri Hyacinthi miraculum. Vir enim quidam nobilis genere, professione miles, qui S. Hyacintho, dum adhuc viveret, amicissimus fuit; hic ex gravi quodam capitis dolore in uno oculorum saniosa quadam infirmitate percussus, cæcitatem contraxit: in ea enim parte, qua affectus erat oculus, in medio pupillæ albugo putredine plena ad modum juglandis excreverat, quæ et oculo maximum dolorem, et faciei turpitudinem non parvam ingerebat. Verum est equidem, se huic dolori multos adhibuisse medicos, diversasque consultantium excepisse artes. At cum nihil profuissent, immo magis ac magis faciei tumorem, capiti dolorem, et intuentibus horrorem ingenerarent, relictis humanis consiliis, ad divinum se contulit auxilium. Siquidem mente concipiens, et anima pertractans S. Hyacinthum, apud Dominum Deum esse gloriosum meritisque acceptabilem, et suum quondam amicum, Cracoviense ad sepulchrum S. Hyacinthi ad Fratres Prædicatores se contulit, et cum illa corrupti oculi affectione corde devotus, et spe plenus ad tumbam sancti Viri accessit, oculumque corruptum sepulchro applicans sic dicebat: O sancte Hyacinthe, tu cum in hoc mortali corpore viveres, me, ut filium, dilexeras, et ego vicissim semper tibi devotus fui; nunc, obsecro, vide infirmitatem meam, et ab hac turpi carie libera me, meumque mihi oculum restitue. Scio enim, te apud Altissimum precibus tuis hæc obtinere posse. Mira res! Vix verba finierat, orationique terminum dederat, et ecce subito caro illa putrida, et superflua sanieque referta ab oculo recidit; facies a tumore liberata, et pupilla, quæ jam effluxerat, novum dans actum videndi clarissimum, militi supplici, meritis S. Hyacinthi apparuit. Quod multis præsentibus factum fuisse, Dominumque Deum in Sancto suo collaudatum, scripto authentico notificatur.

E

dux mulieres jam agonizantes

15 Comitis cujusdam, Sulconis nomine, Castellani Cracoviensis filia, uxor Scarbimiri, percussa gravi infirmitate, et desperata, quæ somnum ab oculis, et omnem gustum a palato subtraxit, ita ut nec comedere, nec bibere, nec loqui poterat. Et cum jam medicorum ope frustraretur, deque ejus vita desperatum esset, cumque morti appropinquasset, quidam amicorum parenti suo, ut eam ad monumenta sanctorum Vitti episcopi, et Hyacinthi confessorum cum certis votis offerret, suggessit. Pater ergo illius dominus Sulco prædictus Castellanus Cracoviensis ad lectum filiæ mortaliter decumbentis cum ceteris amicis suis flexis genibus sanctos Dei confessores devote, et lachrymabiliter invocare cœpit dicens: O sancte Hyacinthe, et sancte Vitte, dignemini succurrere orationibus vestris apud Dominum mortaliter laboranti filiæ meæ, et ego eam cum solemni oblatione ad sepulchrum vestrum deducam, votumque supplex explebo. Illo itaque votum sic promittente, illa, quæ jam præscutem mortem passa est filia, statim elevans se in lecto voce sonora clamavit: Gratias ago Domino Deo meo, et sanctis, ejus Hyacintho, et Vitto confessoribus, quia eorum meritis a mea infirmitate, mortisque periculo sum liberata: confestimque F sana surrexit, et cum patre suo domino Sulcone prædicto, magnoque comitatu nobilium, qui ad se deplangendam accesserant, ad sepulchrum Beatorum jam dictorum cum magna devotione venit, et votum, quod pater pro ipsa fecerat, devote persolvit, cunctis mirantibus, et Dominum in Sanctis suis mirabilem laudantibus. Hoc miraculum factum est circa annum Domini MCCLXXVII.

statim sanantur,

16 Simile miraculum factum esse meritis beati Hyacinthi perhibetur circa annum Domini MCCLXX in districtu Podlachiæ *a*, in civitate Czechanoiwecz, ubi quædam domina, cognomine Serta *b* Bodislauska, ultimum spiritum agens, recommendata votis ad sepulchrum beati Hyacinthi, subito omnem infirmitatem evasit, et perfectam sanitatem recuperavit, cui miraculo plures fide digni interfuere.

vir ab hostibus graviter vulneratus

17 Ne omni generi morborum per inenarrabilem Dei virtutem beatus Hyacinthus deesse videretur, eam quoque apud Altissimum gratiam (ut etiam vulneribus concisis medeatur) impetravit: omnibus enim, ut vivens, in pietatis Christianæ visceribus

EX IMPRESSIS. visceribus compatiebatur; sic et mortuus et beatæ vitæ potitus sedibus, cunctis ad se confugientibus non solum precantibus vel tota offerentibus, sed etiam suspirantibus tantummodo, sua solatia præstabat. Contigit enim hoc, quod enarrare cupio miraculum, ita misericordiæ Dominum Servumque ejus exaltans, ut nequaquam præteriri silentio dignum esse judicem. Civis namque Cracoviensis divitiis, et fortuna temporali, tum etiam morum probitate insignis, cui familia Hinconis nomen imposuerat, qui more humano casibus variis subjectus, casum vulneris gravissimi subiit. Hic siquidem ab hostibus suis sibi insidiantibus gravissime in capite vulneratus, usque ad cerebri excussionem, et in brachiis usque ad ossium effractionem semivivus relictus, præsentem mortem pertimescens, chirurgorum et pharmacopolarum se curæ commisit. At quia ob tam letale vulnus nullo modo hominum arte et ingenio spes vitæ relinquebatur, statim divinæ se providentiæ sanandum porrexit. Sciebat siquidem in illa metropolitana civitate Cracoviensi singulare datum esse miseris et afflictis refugium, scilicet sanctum Hyacinthum Ordinis Prædicatorum.

B 18 Tunc se recolligens, et devoto pectore suspiria emittens, verso vultu ad parietem ecclesiæ, sic sanctum Virum alloquitur; O sancte vir Dei Hyacinthe, mœrentium consolator; ecce jam morior, nullumque jam mihi aliud datur vitæ refugium; sic etenim ab inimicis meis sum vulneratus, quod medicorum arte frustra cupitam debeo sperare salutem. Ad te igitur solum mihi et ultimum restat diffugium. Tu qui mortuos ad vitam revocas, potes me etiam (quod certo, et firmiter credo) ad mortem concisum vulneribus resarcire, et precibus tuis ad vitam revocare. Nec facultas tibi deest, qui tantis apud Deum meritis abundas, nec voluntas deesse poterit, qui divina semper charitate plenus fuisti. Obsecro igitur, miserere mei, et succurre jam destructæ et convulsæ fragili naturæ meæ. Ego vero, quam primum juveris me, promitto cum non exiguo munere et oblatione tuum invisere, et honorare sepulchrum. Audi miraculum, et miram Dei virtutem. Vix votum corde et ore promiserat, et ecce confestim vulnera, quæ unguentorum ratio mederi nequibat, omnipotentis Dei virtute solidata

miro modo curatur,

C atque perfecte sanata, et ipse Hinco ab omni se infirmitate et debilitate meritis sancti Hyacinthi curatum reperit. Et mox a præsenti morte, et vita insperata sanus consurgens, cum sua uxore Elizabet, et duobus filiis Philippo et Jacobo ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum ad tumbam sancti Hyacinthi venit, gratiasque Deo agens, solemnem voti oblationem complevit, omnibus magna voce contestans Dei gloriam, et sancti Viri apud Deum reputationem, quod ejus meritis jam a morte præsenti esset liberatus, cicatrices solum, velut signa divinæ gratiæ, donum reportans anno Domini MCCLXXII.

adolescens jam animam exhalaturus

19 At vero anno sequenti insigne ob Sancti gloriosam in mentibus hominum refricandam memoriam, Deo operante, tale fertur fuisse perpetratum miraculum. Namque in oppido Prossoviecє cujusdam matronæ honestæ, cognomento Boguslavæ, Nicolaus unicus filius, et viduitatis consolationem et curæ domesticæ labores sufferens, matri suæ carissimus habebatur; qui permissu divino, in febrim acutissimam incidens, de die in diem majorem habuit suæ vitæ jacturam, nec ullis medicorum curis obviari poterat, quin ad terminum vitæ velox cursus fieret. Quid mœsta mater ageret, quo se verteret, ignorabat. Jam filium, quem D viduitatis suæ fulcimen habebat, agentem animam spiritumque Deo reddentem videbat; nec ullum jam præstolabatur humanum subsidium. Suasu tamen feminarum assistentium bene sperare jubebatur, dummodo ad paratum a Deo mortalibus refugium votis præcedentibus ex intimo corde quantocius se conferret.

20 Mox mœsta parens cum ceteris feminis genibus provoluta ad lectum filii conclamare cœpit: O sancte vir Dei Hyacinthe, quantas jam per te hominum audivimus operatas salutes? Quot miranda et stupenda quotidie experimur? Ne despicias, obsecro, miseram matrem dilecto filio orbatam; sed consolare mœrentem, et redde mihi filium morientem: et si mihi miseræ filium vivum restitueris, promitto in honorem tuum ferias quartas singulas usque ad finem vitæ meæ ob gratiam mihi præstitam jejuniis et orationibus transigere. Quod votum cum lachrymis illa emisit. Et ecce filius ejus jamjam moriturus ad matrem dixit: Noli flere, mater charissima, sed quantocius mihi cibum manu tua paratum porrige. Ecce etenim nunc per beatum virum Dei Hyacinthum hic præsentem a mea sum E infirmitate curatus. Et assumpto cibo, surgens perfecte se curatum sensit, statimque cum matre, et domino Falislao, et Præbislao militibus ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum Cracoviam venit, et ad tumbam beati Hyacinthi solemnem suæ curationis per Virum Dei protestationem fecit, gratias agens Deo, qui talem in mundo hominibus consolationem reliquit,

pristinæ sanitati restituitur:

21 Inter ceteras sanctorum corporum mirabiles gratias his, quæ adhuc in terris gloriosam expectant resurrectionem propter encomium virginitatis perpetuæ, a Christo Jesu Domino virginei partus fructu singulariter concessas, hæc una solet esse non contemnenda, quod ex eorum ossibus sive veneraudis reliquiis suavis in Christi fidelium nares odor diffunditur, vel simile aliquid, quod singularem alicujus Sancti virtutem commendet. Sic enim S. Catharina martyr dat lac pro sanguine collo; Sic Paulus capitis saltu, et dulcis Jesu memorato nomine tres perpetuos fontes Romæ prodidit: sic beatus Januarius Neapolitanus sanguinem suum bullire facit capiti suo admotum; sic beatus Nicolaus sacro resudat oleo; sic Joannis Evangelistæ manna perpetuo fonte scaturit. Non mirum ergo, si beato et glorioso Hyacintho ad ostendendam puritatis virtutem conceditur, ut de ejus corpore suavissimus odor emanet. F

quidam nobilis ex tumulo Sancti

22 Quidam enim nobilis, Zegocius cognomento, circa annum Domini MCCLXXIV cum adhuc secularibus curis, et mundanæ conversationis involucro, licet jam clericus esset, teneretur, quadamque die devotionis ergo ad ecclesiam Fratum Prædicatorum Cracoviæ, et cum aliis, qui magno devotionis erga sanctum Hyacinthum virum Dei tenebantur affectu, ad sepulchrum ejusdem exosculandum accederet, dum nihil minus, quam se aliquando Fratrem Ordinis Prædicatorum futurum speraret, [ex] sepulchris sanctorum virorum Hyacintbi, et Vitti sensit miram fragrantiam, odorisque suavissimi suaveolentiam, qualem lingua humana explicare nequaquam potens erat. Et cum nulla pigmenta, et commentitiæ suffumigationes in ecclesia viderentur, mirabatur, unde tantorum suavitas odoramentorum reperiretur: domumque reversus nullatenus ejus odoris fragrantiam deperditam sensit. Illius ergo odoris supernaturalis fragrantia illectus, divinoque tactus lumine, Ordinem

suavissimum odorem percipit.

A nem Prædicatorum Cracoviæ est ingressus, in quo memor cælestis dulcedinis, sanctissimam vitam ducens laudabiliter vixit, juramentoque sæpius confirmavit, se ex sepulchris Sanctorum eam, de qua scribimus, odoris fragrantiam sensisse.

c et alius periculoso gutturis d e

23 Boleslai *e* Ducis Poloniæ cancellarius, cognomento Dobroslaus, qui sibi erat carissimus, ex quadam ingluvie *d* et corporis distemperamento, squinantico *c* morbo percussus, tantam gutturis et faucium passus [est] inflaturam, ut cibo, et potu nequaquam amplius uti posset. Jamque octavum diem transegerat, cum nihil eorum, quibus humana sustentatur fragilitas, deglutire poterat; et cum jam omnium medicorum ars in seipsam reversa, quid morbo eradicando, et strangulato sanando remedii adhibendum esset, prorsus nesciebat. Dux Boleslaus, ne tam honorato et Reipublicæ utili subjecto privaretur (sciens quanta Deus per beatum virum Hyacinthum affectis corporibus afferret opitulamina) mox die nona currum parari jubet, et suum squinaticum *f* ad sepulchrum beati Hyacinthi portari, comitante tum servorum tum amicorum Ducique famulantium non B parva caterva.

aut faucium morbo liberatur.

24 Cumque jam ecclesiæ, in qua Sancti corpus requiescit, limen transisset, modulos loquelæ, quam amiserat, recuperavit. Et appropinquans sepulchro Sancti, illudque devotissime exosculans, cum lachrymis sancti Viri patrocinium et adjutorium invocare cœpit dicens: O sancte Hyacinthe, per te usus loquelæ est mihi restitutus; obsecro per misericordiam Dei, pristinæ me sanitati meritis et orationibus tuis restitue. Ego vero in memoriam beneficii usque ad mortem ferias quartas jejunare promitto. Hæc eo dicente, statim, cernentibus cunctis, per merita Sancti inflatura capitis et gutturis disparuit, et apostema scissum est, saniesque tota effusa, corpusque pristinæ sanitati restitutum; et hoc perfectissime: quod ipse videns, coram præsentibus, et miraculo assistentibus, gloriæ Dei reverentiam exhibuit, miraculumque Dei ope, et Sancti patrocinio patratum confessus, gratias dignas Deo decantavit, atque ad suum Ducem cum gaudio, et virtutis Dei confessione reversus, quid Dei beneficio sibi contigerit, per ordinem enarravit. Hæc autem anno MCCLXXVII contigisse processus inquisitionis sancti Hyacinthi nar- C rat historia.

ANNOTATA.

a Podlachia *seu* Polachia *est tractus Poloniæ, et pars Orientalis Mazoviæ provinciæ inter Lithuaniam ad Ortum et Mazoviam propriam ad Occasum.*

b *Forsan pro* serta *legundum* dicta, *vel substituendum est nomen proprium, puta mutatione unius litteræ initialis* Berta, *aut simile, quod divinare non possumus. Plures alios errores typographicos ex probabili conjectura correximus, quemadmodum* § 1 *Commentarii prævii num.* 7 *præmonueramus.*

c *Is verosimiliter fuit* Boleslaus *cognomento* pudicus, *dux Poloniæ, qui usque ad annum* 1279 *vixit, cum hoc miraculum anno* 1277 *contigisse dicatur.*

d Ingluvies *inter alias significationes aliquando sumitur pro tumore gutturis, ut in Lexico Martinii ad vocem illam videre est*

e *Hic morbus in Definitionibus medicis Gorræi vocatur Græce* συνάγχη *qui est tumor et rubor faucium cum magna respirandi difficultate conjunctus. Ab Italis hoc malum vernacule appellatur* squinantia, *et a Gallis* esquinancie, *quæ voces* anginam *significant. Vix dubito, quin Severinus Cracoviensis Romæ degens, hanc vocem ab Italis mutuatus fuerit, et ex ea novum adjectivum Latinum facere voluerit.* EX IMPRESSIS

f *Scriptor Polonus paulo superius hunc morbum vocaverat* squinanticum; *nune autem eo morbo laborantem, omissa littera* n, *appellat* squinaticum. *Nescio, utrum auctoris an typothetæ erratum sit, Utut est, ex supradictis et circumstantiis miraculi satis intelligimus, qualis morbus eo nomine indicetur.*

CAPUT III.

Morbis aliisque malis afflicti, qui ab anno 1280 *usque ad annum* 1290 *opem Sancti senserunt.* E

Sanctus adolescenti moribundo apparet,

Jam vero quid factum sit anno MCCLXXX in crastino Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ audiamus. Namque in villa, quæ Polonis dicitur Pelesnicza, quatuor a Cracovia milliaribus distante, nobilis quidam, nomine Vislaus, Boguslai militis filius, in gravissimam eamque mortalem febrem incidit, quam nulla medicorum ars curare valebat. Cumque jam de ejus vita desperaretur, jam jamque agonizans morti vicinus esset, parentibus et amicis ad lectum morientis circumstantibus, ac irremediabiliter flentibus, Magdalena matrona mater ejus, et conjunx præfati Boguslai, flexis genibus resumpto spiritu cum lachrymis cœpit invocare S. Hyacinthum in patrocinium, necnon B. Vittum episcopum Lausanensem ex Ordine Prædicatorum (de quo supra libro primo dictum est) dicens: O sancte Hyacinthe, et Vitte, veri servi et amici Dei, quorum animæ in cælis gloria perpetua perfruuntur, et in terra nomen famaque est celeberrima, dignemini mihi miseræ succurrere, huncque filium meum, quem invida mors a conspectu meo rapere properat, ad vitam suum precibus meritisque vestris restituite, et ego promitto cum eum solemni F oblatione ad tumbas vestras sistere.

eumque ab instanti mortis periculo liberat:

26 Quam primum vero verbo et corde devoto expressisset dicta, statim juvenis quasi e gravi somno expergefactus, ad parentem vota Deo offerentem, præsentibus cunctis, dixit: O mater carissima, cito properemus Cracoviam ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum, et agamus Deo gratias pro mea curatione, et sanctis ejus S. Hyacintho, et B. Vitto, qui modo mihi spiritum exhalanti in decore mirabili, unus quidem pontificali vestitus amictu, alter vero in habitu Fratrum Prædicatorum astiterunt, dixeruntque mihi jamjam morienti: Vislaë fili, in nomine Domini nostri Jesu Christi curamus te ab infirmitate, quam pateris; surge, et cum matre tua ad nostra sepulchra, vota pro te facta completurus, perge. Et hoc dicto, disparuerunt, et ego optime sentio, me esse sanatum. Mater igitur hæc audiens luctum convertit in gaudium, et præparato curru cum marito suo et filio, multisque consanguineis sibi adjunctis, cum gaudio Cracoviam ad sepulchra Beatorum properarunt, et miraculum Fratribus Prædicatoribus, et aliis civibus promulgarunt, Deo optimo

ex impressis

optimo ingentes gratias votis adjunctis reddiderunt, qui per Sanctos suos hic in terris mortalibus auxilia confert pietatis.

matronam sex annis cæcam

27 Non contemnendum sane, divinam virtutem et Sanctorum honorem commendans anno MCCLXXXI, in die beatissimi patriarchæ nostri Dominici accidit miraculum. Quædam enim matrona nobilis Christina nomine, uxor olim Nicolai Irdeniava militis, Deo permittente, in gravem lapsa infirmitatem, ex nimio capitis dolore oculorum est oppressa passione in tantum, quod invalescente morbo indiesque crescente totaliter visiva virtute privatur. Jam siquidem nec lucem aliquam, nec hominem, nec quidquam materiale sive palpabile cernere poterat. In qua cæcitate, dum jam sextum ageret annum, omnium ore cæca Christina appellabatur, quæ licet pulchra facie fuerat, tamen ob cæcitatis deformitatem a marito suo despiciebatur: postmodum autem a quadam devota matrona admonetur, ut non parvi penderet Dei gratiam, quæ nuper ad consolationem fidelium Cracoviæ apud Fratres Prædicatores emicuit: namque si aliis Deus tot solatia in B eorum infirmitatibus præbet, cur tu etiam, inquit illa matrona, porrectum in terris a Deo beneficium despicis? Sum certa, quod per Dei gratiam, si ad S. Hyacinthum te devoveris, oculorum lumen es adeptura.

mirabiliter illuminat,

28 Quod audiens cæca mulier matronæ respondit: nullus hucusque fuit, qui me hac de re commoneret. At vero ex hac persuasione tua, pro qua gratias multas tibi refero, ad ecclesiam nostræ villæ accedo, et ibi solemne votum ad tumbam istius Sancti gloriosi emittam. Quæ cum ad ecclesiam venisset, et cum lachrymis orans votum ad S. Hycinthum perficiendum promitteret, statim cœpit quasi quodam sopore gravari, et cum sic obdormiret, astitit illi S. Hyacinthus in fulgida veste, et decoro Ordinis Prædicatorum amictu, et dixit illi: Domina Christina, si vis visum recuperare, visita sepulchrum meum cum devota oblatione. Et his dictis, disparuit. Tunc supradicta domina ad seipsam reversa, clamare cœpit super famulos suos: Quantocius mihi paretur currus, ut possim per vos Cracoviam ad Fratres Prædicatores perduci ad sepulchrum S. Hyacinthi: modo siquidem mihi in fulgido apparuit C amictu Fratrum Prædicatorum, lumenque oculorum meorum mihi promisit restituere. Quod cum factum fuisset, et ipsa ad sepulchrum viri Dei S. Hyacinthi cum lachrymis devotissime orasset, et prælibata oratione oculis cæcis sepulchrum Sancti contigisset, meritis et intercessione ipsius statim visum recepit, Dominumque Deum supremis extulit laudibus, qui Sanctos suos in terris mirabiliter glorificat, marito suo, et multis nobilibus utriusque sexus, tum etiam, et Fratribus conventus Cracoviensis præsentibus, et ad factum prodigiosum stupentibus.

alterius dysenteriam sanat,

29 Quædam nobilis, et devota matrona domina Margarita, conjunx olim D. Falislavi de Calina militis, ob intemperiem ciborum ex causis morbi concurrentibus, gravi et insanabili est correpta dysenteria *a*, in tantumque eam lubricus morbus affecit, ut viribus destituta omnem cibum potumque respuens, præ foribus mortem venire sensit; cumque jam nec medicorum rationes, nec servientium sollicitudines a morte superveniente eam liberare possent, relicto humano, ad divinum anxia concurrit præsidium. Namque cœpit S. Hyacinthum devoto corde sub his verbis invocare: O sancte vir Dei Hyacinthe, vere credo, te in æternam et cælestem transisse vitam, D vereque profiteor, quod etiam nostro seculo orationes tuæ coram Deo altissimo plures languidos curarunt, plures mortuos suscitarunt. Obsecro, fac mecum misericordiam, et vitam præsentem mihi conservari apud Altissimum obtinere digneris. Et ego haud immemor beneficii in tui honorem ferias quartas, et sextas, usque ad ultima vitæ meæ tempora in pane et aqua jejunare coram Deo promitto, et ad tuum sepulchrum notabilem, et devotam offerre oblationem. Mira res! Vix mulier languida, et pene vita destituta votum complevit; et ecce statim, Deo per merita sancti Hyacinthi auxiliante, matrona prædicta, quæ ob fluxilem morbum emarcuerat, acsi numquam ejusmodi dysenteriam passa fuisset, sana et incolumis surrexit. Ne vero tam grande sibi præstitum beneficium per oblivionem ingratitudinem aboleret, protinus Cracoviam cum marito suo, adjunctis sibi suæ incolumitatis honoratis et fide dignis testibus, venit, miraculumque appendit, et Domino Deo gratias egit, quod per Virum Dei in ipsius infirmitate salutem contulit, et solemni oblatione ad sepulchrum E Sancti relicta, laudans communem omnium bonorum largitorem Deum ad propria remeavit anno Domini MCCLXXXIII.

ac gravissimam virginis febrem curat.

30 Anno Domini MCCLXXXIV, in die Sanctissimæ Trinitatis tale narratur factum fuisse miraculum. Quædam nobilis, et ingenua virgo, cognomento Dobroslava, Janickonis Mileuski de villa Kunicze filia, correpta febre gravissima, ex variis accidentibus morbo ingravescente, ad finem vitæ suæ deducta est, frustra circa morbi increscentis curam medicis laborantibus. Cumque jam a medicis de vita ipsius desperaretur, mater virginis domina Mileuska, quæ semper sancto viro Dei Hyacintho erat devota, ad divinam se contulit misericordiam. Idcirco flexis genibus corde mœsto et voce lachrymabili cœpit sancti Viri efflagitare patrocinium, multis cum in sua oratione verbis compellans, et si suam filiam primæ sanitati restitueret, cum devotione certam oblationem ad sepulchrum Sancti se allaturam promittens. Quod votum cum constanti corde complevisset, sequitur a Deo præstitum beneficium. Namque illa virgo prædicta a sua, quam passa est, periculosissima infirmitate convaluit, et sana surrexit. Quo F facto gratulabunda mater, nec non prædictus Ianiczko nobilis, ne beneficii immemores existerent, cum filia sua multoque nobilium personarum comitatu Cracoviam ad Fratres Prædicatores venerunt, vota persolveruut, Domino Deo misericordi gratias retulerunt, miraculum publicaverunt, et quantum per sancti Hyacinthi merita a Domino Deo obtinuerint, palam coram omnibus enarraverunt, factoque voto, post gratiarum actionem, ad propria remearunt.

Sanctus uxorem fratris sui uterini

31 Nobilis et generosa matrona, nomine Przibyslava, olim Comitis de Odrovons F. Jacobi de terra Opoliensi de villa Kamiensi, sancti Hyacinthi Fratris uterini conjunx, ex naturæ injuria in acutissimam et periculosissimam febrem prolapsa, humanis se dedit præsidiis, medicorumque animos, sed non auxilium, frustra implorando. Itaque cum indies magis magisque paroxysmo *b* divexaretur, morbusque in deterius vergeret, cum ab omnibus medicis destituta, et ab amicis deplorata remaneret, in mentem venit S. Hyacinthi in omni morborum genere diversis personis ad suum præsidium confugientibus opitulatio, quæ non solum in districtu Cracoviensi, verum

A rum etiam per omnes regni Poloniæ partes longe lateque protendebatur. Quoniam vero mors inexorabilis, quæ carminibus non eluditur, nec pharmacis revocatur, præsentem demonstrabat animæ de corpore exitum, quod verbis non poterat morbi oppressa magnitudine, cordis anxio spiritu et devoto suspirio sancti viri Hyacinthi, utpote sui consanguinei, cum lachrymis orando petebat patrocinium. Jam vero marito ejus Jacobo prædicto ad lectum ejus funestam dilectæ conjugis suæ mortem deplorante, atque exituræ animæ horam exspectante, circa gallicinium, ceteris dormientibus, mediæ noctis transcurso tempore, ad lectum prædictæ matronæ jamjam spiritum exhalantis astitit sanctus vir Hyacinthus, splendido Prædicatoriæ professionis indutus habitu, et sic est eam allocutus: O Pribyslava, inquit, domina Deo devota, quia me in tuæ mortis anxia hora invocasti, ecce adsum. Idcirco in nomine Domini nostri Jesu Christi te vitæ pristinæ et perfectæ sanitati restituo. Atque his dictis, disparuit.

ab acutissima febre liberat;

B 32 Matrona autem prædicta Pribyslava, cum mortis jacula et naturæ injuriam depulsam sentiret, seque subito sanatam et a morte revocatam cerneret, ad personas circa suum agonem assidentes et sopore pressas clamare cœpit alta voce dicens: Surgite, surgite; numquid non videtis sanctum Hyacinthum splendido Prædicatorum Ordinis habitu refulgentem hic astitisse, meque allocutum fuisse, et ab hac, quam agebam, morte liberasse, et deperditæ sanitati præsidium dedisse? Ecce jam tota sana facta sum. Hæc cum dixit, sana atque incolumis surrexit de lecto, et marito gaudium restituens cum ipso, et tota familia sua, multorum amicorum congaudentium comitatu Cracoviam ad Fratres Prædicatores miraculum publicatura perrexit, ad sepulchrum sancti Viri orationes, et vota, humilesque gratiarum actiones redditura accessit, Deum omnium bonorum inexhaustum largitorem magnificans, qui ob merita Sancti sui ad pristinam ipsam revocaverit sanitatem. Hæc contigisse narrat historia anno Domini MCCLXXXIX.

alteri mulieri duos digitos

33 Eodem anno in crastino sancti Dominici patriachæ nostri non minus stupendum, quam quod sanctitatis sancti viri Hyacinthi encomium commendet, contigit miraculum. Siquidem domi-C na quædam Bartholomæi civis Cracoviensis uxor dum domestici operis aliquid ferventius atque diligentius operaretur, cultrumque incautius versaret acutissimum, casu repentino præcidit duos de manu propria digitos, ita ut penitus a manu dissecti in terram deciderent. At illa, ut muliebris fert animus, viso atroci vulnere, quasi exanimis in terram ejulans proruit, infortunium suum lachrymabiliter deplorans. Quoniam vero sæpius in publicis concionibus de virtutibus, et stupendis per sanctum Hyacinthum factis prodigiis declamari audierat, concepta in Deum fide, et ad sanctum Virum devotione, acceptis illis duobus præcisis digitis, et sudariolo sive panniculo involutis, ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum quantocius properavit, veniens ad sepulchrum sancti Hyacinthi, cum lachrymis cœpit supplicare dicens: O sancte Vir Dei, nonne nobis in declamationibus publicis sæpius tua merita apud Altissimum proponuntur, quibus et mortuos ad vitam, et diversis calamitatibus oppressos ad perfectam restituis sanitatem? Obsecro, ne me despicias famulam tuam, quæ toto pectore tuo me patrocinio committo; en attuli infelicis laboris mei partum duos digitos, quos de manu incauta præcidi: digneris tuorum meritorum virtutem in me quoque miseram effundere, hosque sic abscissos manui meæ reunire et vivificare. Ego vero si me sanaveris, promitto ob memoriam sanctitatis tuæ, quamdiu terrena carne induta terras incoluero, septies orationem Dominicam et salutationem Angelicam indies devote persolvere.

EX IMPRESSIS.

cultro præcisos restituit;

34 Itaque voto emisso, manum duobus digitis detruncatam super sepulchrum sancti viri Dei Hyacinthi posuit, et digitos avulsos ex sudariolo depromptos suis locis adaptavit. O rem miram, et stupendum miraculum! Digiti siquidem per merita sancti Viri locis suis sic reuniti adhæserunt, et perfectæ sanitati sunt restituti, quasi numquam crudeli mucrone a parte corporis resecti fuissent. Ad quod miraculum gratulabunda mulier virum suum et alios domesticos, qui concisam manum viderant, in testimonium vocavit, et coram Fratribus Prædicatoribus mirabilem Dei omnipotentiam, et in sanctum Virum Dei favorem prædicavit, multis ob tam grande miraculum stupentibus, et Deum gloriosum laudantibus.

puerum a nativitate cæcum illuminat,

E 35 Hoc eodem anno MCCLXXXIX, in die Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, tantæ et tam magnæ virtutis miraculum prodiit. Homo enim quidam de pago, qui vulgo Maslovicze dicitur, cognomento Suienton, licet conditione pauper, sed in Dei providentia dives meritis, et ad sanctum Hyacinthum devotione plenus. Hic (ut a Domino probaretur, et gloria Sancti magis ac magis cresceret) filium habuit cæcum a nativitate, quem et Simonem in sacro baptismate nuncupavit; et cum jam in hoc naturæ et oculorum defectu sexennium transegisset, nec esset ulla spes aliqua arte humana ad optatam filio lucem pervenire, accepto secum filio Cracoviam ad Fratres Prædicatores ad tumbam sancti Hyacinthi perrexit, et viva fide in Deum et ad sanctum Virum Dei devotione faciem cæci nati filii super sepulchrum Sancti posuit, et cum lachrymis sic est exorsus: O sancte Hyacinthe, succurre mihi misero, et me in hac calamitate consolare. Illuminasti duos gemellos cæcos a nativitate, dum viveres; illumina et hunc similia patientem, dum cælestia regna inhabitas: nec enim es minoris meriti mortuus, qui omnipotenti Deo æternaliter assistis. En tibi offero victimam, accipe sacrificium, et præsta tuo devoto patrocinium. Quod si tuis meritis huic lumen dederis, hunc F eumdem filium usque ad terminum vitæ meæ singulis annis cum oblatione devota in recompensam beneficii ad sepulchrum tuum præsentare promitto. Hæc cooperante et votum promente fidei merito, non est frandatus: subito enim illius pueri cæci nati aperti sunt oculi, et lumen oculis integrum est restitutum. Tunc filius ad patrem, Pater, inquit, charissime, jam omnia clarissime video, omni cæcitate semota. Pater vero suus procidens in faciem, Deum omnipotentem, qui in Sancto signum suæ benevolentiæ ostendit, pronus adorans, fideli pectore et ore collaudavit. Ne vero miraculum celaretur, vocatis Patribus Cracoviensibus et personis fide dignis, factum stupendum publicavit, et lætus cum filio ad propria remeavit.

et eumdem postea lethali febri eripit;

36 Postmodum sexto mense post hoc grande opus perpetratum, quatenus ad servitium Dei traheretur, iterum manus Domini fuit ad probandum illum: siquidem hic idem, cum consecuta oculorum gratia filii sui gauderet, illum in acutissimam et mortalem febrem incidisse vidit: qui cum jam agonizaret et animam ageret, pater suprædictus

EX IMPRESSIS. prædictus flexis genibus cum lachrymis cœpit S. Hyacinthi patrocinium invocare dicens : O sancte vir Dei Hyacinthe, sicut dignatus es filium meum cæcum illuminare, ita nunc eumdem, quem mihi mors eripere conatur, digneris ab ejus falce liberare; quem si mihi vivum restitues, abinde simul cum filio Ordinem Prædicatorum intrare promitto, et in eodem Ordine usque ad mortem perseverare. Et ecce, hæc eo dicente, filius ejus, qui jamjam moriturus erat, per merita S. Hyacinthi vivus et sanus surrexit, et postmodum Cracoviam veniens, persolutis ad sepulchrum S. Hyacinthi votis et gratiarum actionibus, publicatoque miraculo, una cum patre Ordinem Prædicatorum est ingressus, in quo uterque pluribus annis et religiosissime et constantissime Deo servientes, ex hac vita ad cælestem patriam transierunt.

phthisim alterius pueri curat. 37 Similiter eodem anno suprafato in octava Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, in prædicto pago Maslovicze, matrona quædam nomine Cæcilia filium, in sacro baptismate Flosculum nominatum, a nativitate phthisicum genuit, multisque annis tabe interiori consumebatur in
B tantum, quod ossibus et cute hærens, carne omnino deperiret, proptereaque pedibus manibusque et toto corpore invalidus existens, proprium lectum exire non poterat. Cum vero mœsta mater et suum infortunium et filii dolendam passionem plangeret, admonita per quamdam vicinam suam, Magdalenam vocatam, ut pro filii sui salute se ad S. Hyacinthum devoveret : si quidem præcedenti Dominica, cum publicis concionibus interesset, oculis se vidisse et auribus sensisse prodigia et mirabilia, quæ Deus omnipotens per S. Hyacinthum operatus est, affirmabat. Quo audito, mater pueri, fiducia incalescens, maternoque amore superata, iter usque Cracoviam emensa est : et cum ad monumentum S. Viri, eum lachrymis oraret, modico sopore depressa, vidit S. Hyacinthum habitu Fratrum Prædicatorum indutum sibi dicentem : Vade, Cæcilia, domum tuam, quia jam curavi filium tuum. Quæ cum expergefacta esset, et revelationi credidisset, veloci cursu ad prædictam villam iter arripuit. Et factum est, dum jam territorio villæ appropinquaret, ecce occurrit ei filius suus totaliter sanatus, diuturnæ tabis
C languore curato, dicens : Mater charissima, quidam venerandus homo nocte mihi astitit, in lecto infirmitate mea detento, habitu Fratrum Prædicatorum indutus, qui dixit mihi : Surge sanus, et occurre matri tuæ, quæ villæ jam est propinqua : et hoc dicto disparuit, et ego totus factus sum sanus. Quod videns supradicta Cæcilia mater sanati filii, cum gaudio gratias Deo immensas retulit, nec ingrata beneficio, filium suum, adjunctis sibi vicinis cognatis, ad sepulchrum Sancti duxit, et oblationem et gloriam Dei fecit, et Sancti merita omnibus ad miraculum concurrentibus magna voce enarravit.

et apparens nobili matronæ, 38 Nobilis et generosa, necnon in religione Christiana pie a parentibus suis educata, cui nomen Dobroslanuska vidua, olim Thomæ Comitis de Brzezie uxor, languore diuturno podagrico divexata, interpolatos sentiebat dolores, et cum, ut illi videbatur, ab illo dolore liberior esset, devotione affecta promisit visitare limina sanctorum Stanislai episcopi Cracoviensis, Hyacinthi, et Vitti episcopi Lausanensis, idque non nisi pedibus absque aliquo curruli ministerio. Accepta itaque magna servorum et amicorum caterva, (utpote Comitis conjux) iter promissum persolvere cœpit. Cum vero ad villam Modelnicza in districtu D
Cracoviensi accessisset, et cum jam fere dimidium itineris explevisset, podagrico iterum morbo correpta vehementer languere, spirituque, ita ut cœptum iter nequaquam perficere valeret, deficere cœpit. Mandavit igitur famulis suis, ut se ad hortum pomis consitum ejusdem villæ languidam, quasi animi resumendi gratia deportarent; quod et statim dictis obtemperantes exsecuti sunt.

39 At illa, eliminatis omnibus, cum sola remansisset, devota, et lacrymabili voce sanctos Hyacinthum, et Vittum tali voce compellare cœpit : O Sancti et gloriosi confessores, en ego famula vestra ex devotione, quam ad vestra sancta monumenta conceperam, eo usque pedibus peregrinata sum : adhuc magnum iter restat, et ego podagra percussa devotionem meam explere non potero, et frustra tot itinera emensa, sine fructu devotionis domum regrediar? Obsecro igitur, gloriosa merita vestra hoc mihi efficiant, ut a dolore pedum liberari, et devotionem jam cœptam complere valeam. Et statim, ut dixit, levi somno gravata dormiturire orando videbatur; cui mox duæ reverendæ personæ astiteruut; una habitu Fratrum E *quæ podagra laborabat,*
Prædicatorum induta, et alia pontificalibus exornata, quas sequebatur processio multorum Fratrum quasi pertranseuntium, et suavi voce canentium : In civitate Domini clare sonant jugiter organa Sanctorum.

40 Duo autem illi, quos plus honoratos cernebat, dixerunt ad eam : Domina Dobroslava Deo devota, surge et iter quod cœpisti perge, et meritis eorum, quos invocasti, qui et tecum sunt hic, scias te esse curatam. Et his dictis, disparuerunt : quæ ad se reversa, clamare cœpit : Heus servi, cito properemus Cracoviam ad sepulchra Sanctorum ad Fratres Prædicatores : modo enim dignati sunt me invisere sancti Hyacinthus et Vittus cum aliorum multitudine Fratrum et me a dolore vehementi pedum curarunt, iterque cœptum perficere mandaverunt. Itaque perrexit ad sepulchra sanctorum Vitti, et Hyacinthi confessorum, ibidemque pro sua liberatione et perfectæ sanitatis restitutione Deo optimo, qui eam sanctorum suorum Confessorum meritis exhilarare dignatus est, ingentes gratias et laudes peregit, coram multis et amicorum et domesticorum, et civium Cracoviensium testibus miraculum pudlicando. Secutum hoc factum eodem, quo supra, anno contigit F *illam ab hoc dolore liberavit.*
in die S. Bernardi confessoris.

ANNOTATA.

a Dysenteria, *teste Gorræo,* est exulceratio intestinorum, dejectiones ramentosas, eruentas et dolorificas inducens, *et in varias species dividitur, ut in Definitionibus medicis ejusdem Gorræi videre est.*

b Paroxysmus *est accessio, incrementum vel exacerbatio cujusdam morbi, ut Gorræus, Casteltus, atiique medici passim explicant.*



CAPUT IV.

A

CAPUT IV.

Plures invocato Sancti patrocinio, sanitatem aut alia beneficia ab anno 1290 usque ad annum 1500 impetrarunt.

Patrocinio Sancti equus pauperis

Jam vero anno dicto MCCXC in die S. Machaëlis Archangeli, magnum et stupendum factum est miraculum. Fuit siquidem in civitate Cracoviensi quidam homo pauper, qui unum equum possidens, victum sibi et uxori suæ conquirebat. Hic dum quadam tota die in via lubrica laborasset, fatigatusque laboribus itineris et oneris ad hopitium venisset, equus ille oppressus pondere, infirmatusque procidens expiravit. Accurrit pauper Miroslaus cum conjuge sua, jumenti sui violentos dolores mederi, B trahunt retrahuntque cadaver, existimantes suis illud clamoribus excitare. At ubi vident, se incassum verba fundere, clamoresque concitare, in fletum prorumpunt, domumque suam clamoribus ac ejulatibus replent. Accurunt vicini, animal mortuum vident, tristique homini solamen, ut possunt, præbent. At ille quid faciam, inquit? Quo me vertam? Hoc solo animante domus meæ remediabar malo, hoc solo familiæ licuit esuriem propellere: atque talia et similia replicando, suos e capite crines vellicabat. Ad quem unus vicinorum suorum, Dobeslaus nomine, talibus eum consolatus verbis admonuit: Noli, inquit, quasi desperatus irremediabiles profundere lachrymas, et singultibus siste modum. Animal est siquidem, quod usibus tuis a Deo ad tempus est tibi concessum; providebit Dominus de alio; atque si tibi hoc tam carum est, licet sit mortuum, potens est Deus tibi illud restituere. Solum pro auxilio ad S. Hyacinthum, cujus meritis nunc Dominus Deus mirabilia in terra operatur, recurre; et ipse, si placuerit altissimo Domino, te consolabitur.

a morte resuscitatur,

C 42 Consensit pauper ille persuasioni et confestim ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum cucurrit, et ad sepulchrum S. Hyacinthi provolutus cum lachrymis oravit dicens: O sancte Hyacinthe, vide lachrymas meas, obsecro; intuere paupertatem meam, restitue mihi jumentum meum, quo egestatem meam a domo mea propellere, et victum quærere consueveram. Ego autem, si tantum beneficium a te recepero, jumentique defuncti compos fuero, promitto, me tibi integro anno, singulis feriis quartis in pane et aqua jejunaturum. Quod votum dum ad tumulum Viri Dei complesset, neque tale aliquid futurum existimasset, ecce sua uxor cum gaudio veniebat dicens illi: Miroslaë, vir charissime, equus noster, qui fuerat mortuus, meritis S. Hyacinthi est suscitatus. Veni, et vide, quæ hodie Dominus Deus omnipotens dignatus est nobis præstare mirabilia: qui repente surgens ab oratione, et pro suarum precum exauditione gratias referens, domum gaudens regreditur et equum sanum, et a mortuis resuscitatum, meritis gloriosi S. Hyacinthi conspexit. Ne vero tam inauditum miraculum in Dei contumeliam oblivioni traderetur, statim vicinis suis, qui defunctum equum viderant, convocatis miraculum est contestatus, eisdemque secum ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum conductis, mirabilia Dei clara voce tam Fratribus, quam secularibus personis, constanter enarravit, et gratias referens Deo, cui nihil est impossibile, ad propria cum uxore et vicinis suis remeavit.

ab energumena expellitur dæmon, *a*

43 Anno Domini MCCXC, femina quædam a dæmonio obsessa de civitate Ezieszin, quæ est in Ducatu Silesiæ *a*, Cracoviam pro sui liberatione ad reliquias S. Hyacinthi est adducta, quæ cum cœmeterio ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis, in qua corpus hujus gloriosi Sancti requiescit, appropinquasset, visa ecclesia, stetit, nec ultra amplius appropinquare, vel saltem uno passu progredi voluit; sed discerpens et torquens mulierem obsessam, rugitu et clamore vicum replebat dicens lamentabiliter: Abducite me hinc, rogo, abducite, nec ad sepulchrum Hyacinthi vestri sistite: precibus enim ejus et meritis accendor; maxime enim nobis adversatur, et tartarus noster per ipsum ruinam permaximam patitur, imo adhuc patietur: tot enim nobis animas eripit mortuorum, totque illis dat præsidia orationum, quod omnes nostros conatus in his partibus dispergit. At quem quidam devotus ex Ordine Prædicatorum, et per omnia vir approbatus, Boguslaus nomine, sacræ theologiæ doctor talia locutus est: Conjuro te per nomen sanctissimæ et E individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut nobis dicas veritatem, quantum te Deus scire permisit: Si Frater Hyacinthus, quem Deus tot miraculis decoravit, aliquando canonizabitur?

qui futuram Sancti canonizationem prædicere cogitur,

44 Quod audiens dæmonium, per os obsessæ se torquens, et volutans respondit lamentabili et quasi indignabunda voce: Væ mihi, quia conjuratus cogor dicere veritatem! Nam vester Hyacinthus pro certo canonizabitur, ejus canonizatio majora nobis damna inferet, quam canonizatio S. Stanislai: multos enim de nostro nobis auferet inferno. O quam magnam per istum patimur injuriam. Ad quem supradictus P. Boguslaus, Quando, inquit, hoc futurum est? Respondit dæmonium: Scio, quod est canonizandus; sed quando hoc futurum est, non est mihi datum nosse desuper; et hoc est signum, quod hic Iatzko (quod est Latine Hyacinthus) canonizabitur, quia quam cito sepulchrum, ubi sunt ossa ejus, tetigero, exibo de hoc vasculo, quod obsideo. F Quo dicto, cœperunt illud dæmonium cum obsessa ad sepulchrum Sancti ducere, quod cum magno renisu, clamore, et difficultate ad ecclesiam sanctissimæ Trinitatis venire est compulsum. Et factum est, dum ad sepulchrum Sancti pervenisset, et locum, ubi recondita fuerant ossa Sancti, contigisset, dæmonium se torquens et ejulans, væ quoque suum congeminans, mulierem a se obsessam reliquit, infernaque loca repetiit; et mulier sana, et a dæmonio liberata cum gratiarum actione et laude, quod per merita sancti Hyacinthi liberata sit, ad propria remeavit. Hoc miraculum multis coram testibus est factum, qui ad exorcismum hujus liberatæ feminæ adfuerunt, et dialogum hujus dæmonii talia proloqueutis audierunt.

et redditur ratio, cur multa miracula omissa sint.

45 Sed hoc maxime notandum, quod in libro miraculorum S. Hyacinthi post expulsionem dæmonis adjectum est. Ab hoc, inquit, anno MCCXC non reperiuntur aliqua scripta miracula de S. Hyacintho usque ad annum MCCCXXIX propter negligentiam, quæ est fomentum et nutrix oblivionis, licet Nicolaus de Zmina *b*, quondam Cracoviensis per XX annos Prædicator, ducenta miracula tempore

EX IMPRESSIS. tempore suæ prædicationis fuisse facta et publicata, in libro miraculorum S. Hyacinthi testetur, non tamen scripta. Similiter Stanislaus de Pauvolo tempore suæ prædicationis plusquam centum miracula publicata, non tamen scripturæ mandata, coram commissariis Sedis Apostolicæ medio corporali juramento confirmet. Et non est dubium quin dæmon omnes conatus suos ad hoc extenderit, ut sanctus Hyacinthus canonizationem non consequeretur: Sanctorum enim hominum gloria est in inferno maximum tormentum dæmonum. Nec fuit minor hujus canonizationis moræ causa, quod quotiescumque de ipsa tractabatur, aut bella, aut pestes, aut mortes regum, aut mortes summorum Pontificum, et præsertim deperditio processus sub Clemente Septimo, in direptione Romæ intercessere: atque id partim effecit, quod per trecentos triginta tres annos, quamvis quinquies tentatum sit apud summos Pontifices, ad canonizationem pervenire fuit valde difficile, ut infra patebit. Ab hoc vero anno usque ad annum Domini MCCCXXIX, cum innumera Deus miracula sit per hunc Sanctum operatus, non nisi sex ob prædictam causam his superioribus adjecta B sunt.

Quidam ab apostemate gutturis liberatur,

46 Anno igitur MCCCXXIX, in vigilia S. Stanislai martyris, episcopi Cracoviensis, quidam civis Cracoviensis, arte et opificio monetarius, nomine Fridericus, vir boni testimonii, et erga sanctum Hyacinthum magnæ devotionis, dum quodam tempore infirmitate maxima divexaretur, ad sanctum Hyacinthum, tamquam ad communem Polonorum patronum confugit, et ad sepulchrum ipsius Sancti orans, ab ea, qua detinebatur, infirmitate est liberatus. Postmodum vero, pene unius anni spatio præterlapso, supradictus Christianus magno dolore gutturis et morbo, quem squinanticum medici appellant, est prægravatus in tantum, quod nec comedere, nec bibere, nec quidquam deglutire poterat; et cum medicorum ope frustra remedium tentaret, non immemor beneficii antea per virum Dei Hyacinthum sibi in sua infirmitate præstiti, iterato cum devotione ob spem a prædicta infirmitate liberationis ad tumbam sancti Hyacinthi properavit, et se illi devotissime commendavit orans, ut a prædicto gutturis dolore ipsum liberaret. Et factum est, dum sic ad Sanctum pro intercessione C ad Deum preces funderet, subito ab illo apostemate est liberatus et pristinæ sanitati restitutus. Quod ille gaudens et exultans, sibi præstitum per merita Sancti beneficium, Fratribus Prædicatoribus publicandum populo commendavit; et dum per prædicatorem conventus Fratrem Mathiam sacræ theologiæ lectorem ad laudem Dei populo miraculum enarraretur, idem ipse Fridericus ad extollendum sibi per S. Hyacinthum datum beneficium, astante ad prædicationem utriusque sexus plurima multitudine, propriæ vocis encomio asseruit esse verum, et quod dixerat prædicator, verbo confirmavit.

puer sine baptismo mortuus reviviscit,

47 Anno Domini MCCCXXXI, Deus omnipotens, et gloriosus in sancti Hyacinthi recommendationem stupendum operatus est miraculum. Matrona enim quædam, Elizabeth nomine, Nicolai civis Cracoviensis uxor, enixa est filium masculum maxime debilem, quem usque ad quintam diem sacro baptismate perfundi ob quasdam causas distulerunt, et sic sine baptismo obiit. Quod videntes parentes ejus maxime ingemuerunt, et præsertim quod puerum sine baptismo decessisse contemplabantur, seque ei non consentæ salutis causam fuisse querebantur. Tandem accepto D consilio, votum ad sarcophagum sancti Hyacinthi uterque voce lachrymabili emittens, puerum mortuum cum solemni oblatione ad tumbam Sancti deportari mandaverunt: quod pater pueri plenus devotione et fide propriis manibus puerum mortuum deferens votum explere properabat. Et factum est, dum super sepulchrum Viri sancti puerum deposuisset, voce lachrymabili, et corde devoto sanctum Hyacinthum compellare cœpit dicens: O sancte Hyacinthe, amice Dei, quam multa de te stupenda et mirabilia audivi; Deum patrem per te et per tua merita mortuos plures suscitasse, et alia plurima in consolationem fidelium operatum esse; obsecro te per misericordem Dominum Deum nostrum, ut intercessione tua filium meum, sine baptismate defunctum, vivificare et resuscitare digneris. Et ego non immemor beneficii in honorem tui singulis feriis quartis usque ad ultimum diem vitæ meæ jejunare coram Deo promitto. Mira res, et digna ob quam Deo summæ laudes decantentur! Vix homo votum compleverat, et confestim puer revixit, signa quoque suæ resuscitationis vocem vivam et planctum E puerilem personare cœpit. Pater igitur cum gaudio ibidem in ecclesia coram multis, ad miraculum stupentibus, factum est contestatus, et Deum, qui facit per sanctum suum Hyacinthum mirabilia, exultabundus collaudavit, puerumque bis natum quantocius sacro baptismate initiari curavit.

presbyter imminentem mortem evadit,

48 Anno vero MCCCLII, die XXII mensis Julii, tale prodiit miraculum. Quidam enim sacerdos Nicolaus in villa, quæ vulgo Sczirzicze dicitur, parochus ex causa soli naturæ cognita percussus est gravissima infirmitate, quæ ad sui incrementum sanguinis fluxum sive lienteriacum c morbum c acciverat. Hic igitur jam exhaustus, atque enecatus, ad portas mortis est deductus; qui cum agonem ageret spiritumque exhalaret, et a circumstantibus ut moribundus plangeretur, vir Dei sanctus Hyacinthus in nube lucida, cappa gemmis splendidissimis decorata, et tunica et scapulari nivei candoris indutus, lapidemque (ut ipse postea referebat) gestans in pectore fulgore inusitato coruscum, presbytero agonizanti et animam agenti subito adstitit, et sic eum est allocutus: Sacerdos Nicolaë Frater, respice in me, et cognosce diligenter, quis sim ego. Quem presbyter F intuens respondit: Domine, ignoro, quis sis. Cui Vir Dei: Ego sum, inquit, Frater Hyacinthus Ordinis Fratrum Prædicatorum, cui tu devotus fuisti; veni huc ad te a tua infirmitate liberandum. In nomine igitur Domini nostri Jesu Christi sis sanus, et vade celeriter ad tumbam meam ad Fratres Prædicatores Cracovienses, magnaliaque Dei tam Fratribus meis, quam cunctis populis constanter, quæ vidisti, prædica. Et hoc dicto, disparuit. Mira res! Sacerdos ille, qui jam agonizabat, et morti propinquus animam nutanti pectore agebat, tamquam de levi somno, recepta perfecta sanitate, de morbo gravissimo ac lienteria letali liberatus surrexit, et confestim (ne ingratus beneficii existeret) ad sepulchrum S. Hyacinthi devotus et gaudens Cracoviam properavit, Deo et sancto ejus famulo Hyacintho ingentes agens gratias, quod se a morte liberaverit, et qui, qualis sit Sanctorum gloria in cælis, per sanctum Hyacinthum prægustare fecit. Vocatis igitur Conventus Cracoviensis Fratribus, et aliis fide dignis, quæ ei beneficia per Sancti merita sunt præstita, et in quali decore gloriosum Sanctum viderat, per ordinem enarravit, et factum

A ctum publicari rogavit.

famulus cujusdam sacerdotis *d*

49 Eodem suprafato anno casu contigit, famulum quemdam cujusdam sacerdotis Cracoviensis, flumen Istulam *d*, urbem Cracoviensem præterfluentem, quod tunc exundaverat alveumque excesserat, in aliam ripam in navicula parva trajicere; qui cum impetui fluminis obsistere non valeret, eversa navicula, profunda aquarum petiit; et quia humano caruit præsidio, ab aquis suffocatur atque submergitur, atque per multum temporis spatium sub aquis demoratus est. Multitudine igitur, ut possent cadaver submersi sepelire, in auxilium concurrente, et diligenter ipsum quærente, repertus est, et ex aqua ad littus fluminis est deportatus. Certior fit sacerdos, quod famulus suus submersus esset, et per piscatores mortuus ad ripam aquæ extractus, concretus, et tumidus defunctusque jaceret. Quod ipse audiens, perterrefactus, statim ad locum, ubi mortuus famulus jacuerat, accessit, multitudine adhuc circumstante, et tantum casum et infortunium mirante; vidensque famulum suum, lachrymari cœpit. Et postmodum B resumpto spiritu circumstantes rogare cœpit, ut pro animo defuncti flexis genibus Dominum Deum misericordem deprecarentur, quatenus illi peccata sua cum quibus inopinate raptus est, dimittere vellet, ad cælestemque patriam ipsum perducere dignaretur.

in flumine submersus,

50 Flexit genua populus; flexit et ipse, et concepta in Deum spe, devoto corde et lachrymabili voce pro ipso oravit, patrociniumque sancti viri Dei Hyacinthi imploravit, obsecrans, ut eum apud misericordiæ Dominum ad vitam redire, ut saltem pro peccatis suis pœnitentiam ageret, per merita sua impetraret, ibidemque eum ad sepulcbrum ejusdem Sancti deducere cum solemni oblatione spopondit. Vix verba finierat, et ecce statim ille, cujus cadaver mortuum et tumore plenum intuentium oculis præsens erat, vivus ac sanus surrexit, quasi numquam nec mortis jaculum, nec aquarum periculum expertus esset. Quod videns sacerdos dominus suus, cum omnibus assistentibus ad sepulchrum sancti Hyacinthi personaliter eum, illos concomitantem præseutarunt, laudantes et benedicentes Dominum, qui in Sanctis suis semper est mirabilis. Hoc miraculum contigit sub C revereudo Patre F. Marriano Priore Cracoviensi, qui postmodum in suffraganeum ecclesiæ Cracovieusis est sublimatus.

et puer etiam submersus

51 Ab hoc anno MCCCLII usque ad MDXCIX religiosi admodum Patres Conventus nostri Cracoviensis quamplurimum miracula, quæ Deus per sanctum suum Hyacinthum illorum centum quadraginta septem anuorum spatio operatus est, describere minime curarunt. Anno igitur Domiui MDXCIX tale contigit miraculum. Femina quædam in metropolitana urbe Cracoviensi habuit filium quatuor annorum, qui, matre in foro pro victu conquirendo occupata, cum aliis pueris ad fluvium Rudanka *e*, qui mœnia urbis circumambit, ludendi gratia domo exierat, et cum minus caute, (ut iu lusu puerorum contingit) ad ripam staret fluminis, cadens in aquam, est submersus, ceteris pueris ad lusum congregatis, ne punirentur, fugientibus. Mater ex platea domum rediens puerum quærit et non iuvenit: vicinas domos obambulaus iuterrogat: nullibi filium potest reperire. Taudem quædam dicit; se vidisse quosdam pueros ad ripam fluminis lusisse, sed quo postea abjerint ignorasse.

e

52 Mater igitur cum audiret filium ad ripam stetisse, timore perculsa ad ripam cucurrit, et diligenter tridente ferreo in ligno fabrefacto per fluvium trahens, casu in puerum submersum supervenit, illoque hamato ferro eum quantocius ad se in littus fluvii attraxit, et an suus vel alterius esset, cautius circumspexit; quem suum esse agnoscens, iu lachrymas et ejulatus prorupit, se infelicem asserens, quod tam inopinata morte unicum suum filium per negligentiam amiserit. Concurrunt mulierculæ et infortunium deplorant, et persuasu aliquarum ex ipsis mœsta mater flexis genibus submersum puerum et extinctum devoto corde ad sepulchrum sancti Hyacinthi devovit. Mirabile dictu! Puer coram omnibus assistentibus, qui erat mortuus, revixit, et sanus, ac si numquam submersus fuisset vel mortuus, apparuit, et cum matre ad sepulchrum Viri Dei Missæ sacrificium pro se factum audivit. Mater vero non ingrata gratiæ Dei, miraculum publicavit, et vestes, in quibus submersus erat, in miraculi testimonium circa sepulturam Sancti appendi curavit. Ab hoc anno per sexaginta et unum anuos Fratres Cracovienses a miraculis, quæ multa fuerunt, scribendis supersederunt E

ex impressis, ad vitam revocantur.

ANNOTATA.

a Silesia *est ampla provincia, quæ versus Oderam fluvium a Septemtrione ad Meridiem extensa est, et ab Oriente jam terminatur Polonia, ad quam olim pertinebat, ut in Commentario prævio num.* 9 *diximus.*

b *Nescio, utrum ille Nicolaus* de Zmina *sit idem cum illo, quem Severinus Cracoviensis in Vita* S. Hyacinthi *lib.* 1 *cap.* 25 *Nicolaum* de Znino, *et lib.* 2 *cap.* 1 *Nicolaum* de Znena *appellat. Non dubito, quin ab Italo typographo luxata sint plura hujusmodi nomina propria, quorum orthographiam ignoramus.*

c *Apud Castellum in Lexico medico dicitur quis proprie* lienteria *laborare, dum alimenta prorsus cruda, protinus ut sumpta sunt, inferne prodeunt. Videtur iste morbus hic pro fluxu sanguinis sumi, aut cum eo fluxu conjunctus fuisse.*

b *Mathias Michoviensis lib.* 4 *cap.* 78 *in Corpore Historiæ Polonicæ tom.* 2 *pag.* 245 *meminit de diluvio* Istulæ, *quo nomine arbitror indicari fluvium, qui communiter* Vistula *et aliter* Vandalus *appellatur.* F

e *Suspicor, esse eumdem Poloniæ fluvium, qui a Dlugosso* Rudawa *vocatur, et quem lib.* 1 *Historiæ Polonicæ col.* 13 *sic assignat* : Item Rudawa, cujus fous in villa Gierzmanowice, ostia in Cracovieusi civitate.

CAPUT V.

Varia miracula, quæ Sanctus seculo decimo sexto patravit.

Ope Sancti fœtus mortuus animam recipit.

Anno Domini MD, Dominica Sexagesimæ ad memoriam Sancti in iucutibus hominum resuscitandam tale factum est prodigium. Siquidem Cracoviæ matrona quædam, nomine Margareta, Stanislai de oppido Grodek *a* advocati filii uxor, in partu est periclitata, et abortum passa, puerum mortuum projecit. Quod cum idem Stanislaus prædictus vir ejus audisset, luctumque et lamenta plorantium et tumultuantium seusisset, hypocaustum intravit, ubi uxor sua parturieus decumbebat,

a

EX IMPRESSIS decumbebat, puerumque mortuum et concretum et fractum videns, cum gemitu et lachrymis foras exivit. Tandem postmodum cameram suam intrans, prostratus in faciem super terram, corde lacrymabili et devoto patrocinium sancti Hyacinthi humiliter imploravit, votumque ad sepulchrum Sancti fecit, præsidio se Viri sancti committeus. Facto vero voto surgens, in hypocaustum regreditur, et ecce puerum sanum vivum, et iu membris consolidatum, acsi uumquam fuisset fractus vel mortuus, reperit. Quod videns iterum genibus provolutus, cum gaudio et lachrymis omnipotentem adoravit Dominum, qui per merita Sancti sui eum et consanguineos suos est consolatus. Et statim surgens, ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum festinans cum sociis properat, et puerum vivum ad sepulchrum sancti Hyacinthi cum oblatione et gratiarum actione offert, miraculum pandit, et ad sacrum baptisma quantocius properat. Benedictus Deus, qui per omnia sit laudabilis, et gloriosus in æternum.

b periculosum viri apostema sanatur. 54 Anno Domini MDXIX, aute carnisprivium *b*, quidam homo, uomine Stanislaus de Biskupie, sartor et civis Cracoviensis, inciderat in maximam infirmitatem: ex ejus affectione ab usu ciB borum, et potus exclusus erat, siquidem guttur ejus cum media parte capitis vehementer inflatum erat in tantum, quod media pars vultus propter apostematis et ulceris excrescentiam minime secerni poterat; immo etiam et oculus illius [ad] partem, quam occupabat affectio, clausus et excæcatus manebat. Adhibita suut quoque diversarum specierum et unguentorum remedia, nec qnidquam ad speratæ salutis auxilium adjicere valuerunt; et cum jam a morbo opprimeretur, nec humanis præsidiis locus erat, in tanta angustia positus præfatus Stanislaus ex intimo corde suo recurrit ad Dominum Deum, et ad Virum Dei, et amicum sanctum Hyacinthum, rogans misericordem Dominum, ut suæ creaturæ per merita sancti Viri misereretur, ibidemque ad sepulchrum Sancti votum fecit. Mira res! Emisso enim voto, confestim suæ infirmitatis et calamitatis sensit levamen; namque in spatio quatuor horarum tumor ille, qui vultum, oculos, guttur, et collum occupaverat, totus et totaliter deperiit, faciemque sanitati reC stitutam venustas secuta adornavit, nullumqne vestigium pustularum et turgentis humoris penitus post se præcedens morbus reliqnit. Quod cum factum fuisset, non immemor beneficii, per Sancti merita præstiti, ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum venit, vota facta præfatus patiens persolvit, miraculum publicavit, ingentes gratias referens Deo omnipotenti suæ vitæ restauratori, et sancto Hyacintho suarum uecessitatum advocato et patrono

alius abortivus vita donatur. 55 Eodem anno, scilicet MDXIX, quædam mulier in civitate Cracoviensi, uxor Joannis de Vico Slacoviensis, fœtu gravida suos menses naturæ debitos complere nou valens, antequam partus ad debitam perveniret quantitatem, abortum passa puerum peperit mortuum. Quo facto, familia domus et vicini cives infelicem casum pueri, eo quod sine sacro baptismo hominis species in lucem, mox sepulchro condenda, prodiret, de utero, ut dicit S. Job transferenda ad tumulum, condolentes fletibus exceperunt, totaque domus insperato mœrore completur: quod etiam cum præsensisset Joannes prædictus vir suus, vehementi excruciabatur dolore lamentabilisque conjugis lachrymis movebatur; atque dum jam a familia necessaria ad coudendum in terra abortum pararentur, nec aliqua alia ratio præsto erat, qua D mœrentibus parentibus satisfactum esset, in angustia positus ad Dominum Deum vitæ datorem animarumque creatorem, qui mortificat et vivificat, vulnerat et sanat, ad inferos ducit et reducit, necnon ad suffragium et patrocinium sancti Hyacinthi supplex se convertit, atque flexis genibus devotione magna orationibus præmissis, ad tumbam Viri Dei prolem spiritu carentem cum certis oblationibus offerendam promittit, supplex precaturus, quatenus per Dei misericordiam et Sancti patrocinium animæ, quæ baptismo non expiata a corpusculo recessit, provideatur. Atque hæc ipso vota proferente, pueri anima nou sine miraculo et stupendo prodigio emortuum cadaverculum intravit, informavit, vivificavit; et puerorum more vagire vocesque plangentis emittere cœpit, et postmodum in brevi temporis spatio sanitatem, necnon sacrum baptisma percepit. Quapropter parentes ejus ad laudandum Deum, qui facit magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus, obligati ad sepulchrum sancti Hyacinthi vota emissa compleverunt, miraculum publicarunt multis coram fide dignis utriusque sexus testibus, E

56 Supradicto anno, feria tertia, post festum victoriosissimæ Resurrectionis Domini nostri Jesu *puer quinquennis ab infirmitate,* Christi tale publicatum est miraculum. In civitate siquidem Cracoviensi extra muros ejusdem quidam Henricus librorum ligator, filium quinque citra vel ultra annorum gravi oppressum iufirmitate habuit, a qua per tres hebdomadas detentus, uulla arte medicorum liberari potuit. Mater namque ejusdem super filium visceribus maternæ pietatis effusa quærebat anxia, quibus remediis tormenta filii repellere, et ab imminenti mortis periculo præservare valeat: præpostero siqnidem ordine ad medicos corporis, non ad Dominum, qui omnia verbo restaurat, confugit; sed ab ipsis delusa, ad Dominum Deum per merita Sancti supplex recurrit, sanctumque Hyacinthum, qui omnibus ad se confugientibus benignum auxilium solatiumque singulare non tardat impendere, humiliter obsecrat, quatenus meritis suis intercessioneque sibi miseræ subveniat; siquidem audierat, quanti apud Dominum hic sanctus Dei Vir sit meriti, quem quotidiana miracula sedulo magnum esse apud Altissimum protestantur. Votum F igitur ad tumbam Sancti emittit quo facto, ille, qui nulla medicorum arte curari potuit, statim convaluit, et in parvo temporis spatio, dolore ipsum divexante fugato, ad cupitam rediit sanitatem. Indignum mater videns, quod tantum sibi per Sancti merita datum auxilium siccis labiis et contracto ore prematur, statim accepto filio, ecclesiam Fratrum Prædicatorum adiit, et ad tumulum Sancti votum, quod pro ipso voverat, humiliter et devote complens, miraculum Patribus, et pluribus assistentibus clara voce pronunciat, gratias referens omnipotenti Deo, qui suæ creaturæ per merita sancti Hyacinthi optatum contulit præsidium.

57 Quædam mulier vidua, civis Cracoviensis, de platea S. Floriani, eodem præfato anno *mulier apostemate gutturis* circa festum natalis Domini in gutture ex quodam naturæ defectu, apostemate et intensissimo dolore percussa, multam passa est molestiam: siquidem et capitis defectionem faciebat vehementem, et desideratum cibum sive potum naturæ sustentationi debitum, ad interiora trajicere prohibebat. Duplici igitur malo deperiens, quo se verteret, ignorabat: neque enim medicorum usa consilio

A consilio aliquid proficiebat, sed inter spem vitæ, et metum mortis consistens, ulteriorem de se divinam dispositionem expectabat. Dumque jam quintus mensis elaberetur, et morbus veneni incrementa majora conquireret, ad memoriam reducens, quanta quotidie Deus per sanctum Hyacinthum Christi fidelibus præberet solamina, convertit se ad ejusdem apud Altissimum suffragium, precataque est Sanctum, ut pro eo sacro tempore Paschæ, quo Christiani victoriam Salvatoris lætis excipiunt cordibus (siquidem jam sabbatum Paschæ erat) dignaretur eam meritis suis a tam funesto morbo liberare. Quæ cum votum ad tumbam sancti faciendum emittit, mox morbi purulenti evasit periculum, et allevamen, quod optaverat, accepit, atque cito ad cupitam pervenit, sanitate percepta, cum Christi fidelibus lætitiam. Quæ postea feriis Paschalibus quarta die ad templum Prædicatorum adiit, lætaque vota promissa persolvit: ne quoque memoria beneficii divini deperiret, miraculum pandit, et testes miraculi fide dignos utriusque sexus adhibuit, laudans Jesum Christum viventem cum mortuis,
B qui in cælestibus gloriosus cum Sanctis suis triumphat.

famulus ab imminente morte,

58 Civis quidam et insiguis mercator Cracoviensis, Fraocz nomine et cognomine, famulum sibi ad servitia fidelem et charum habuit, cui nomen Joannes ab ipso sacramento baptismi inditum erat. Hic repente in magnam et gravem incidit infirmitatem, de qua consurgere secundum naturæ cursum erat impossibile, præsertim cum medicorum, quos sibi Dominus suus adhibuerat, esset ope destitutus. Desperans igitur, se mortis evadere jacula, more Christiano conscientiæ et animæ suæ cœpit tractare remedium, qualiter coram Altissimo Sacramentis præmunitus, et a peccatis purgatus comparere mereretur. Confessione igitur peccatorum suorum peracta, Sacramentisque receptis, ultimam suæ vocationis horam præstolabatur: jamque signa mortis futuræ in ea apparuerunt, ad quam sine dubio properabat; loquelæ quoque usum per triduum perdidit. Dominus autem ipsius videns, eum viam omnium hominum ingredi, et morti esse vicinum, vehementi dolore pro eo afficiebatur. Quapropter ad lectum infirmi genibus provolutus ad sanC ctum Hyacinthum votum fecit dicens: O sancte Hyacinthe, miserere famulo meo, et restitue illi vitam et sanitatem; est enim mihi valde charus. Ego autem promitto eum ad sepulchrum tuum cum oblatione pingui offerre, et Missæ sacrificium celebrari, et in perpetuam rei memoriam tabellam sive imaginem tui appendere. Et factum est, dum sic pro servo suo dominus votum emitteret, ecce servus per triduum mutus clara voce dicit ad conservum suum: Eleves me paulisper a lecto. Quo elevato, dixit iterum: Ducas me per hypocaustum hinc inde; sicque paululum deambulans, qui jam mori incipiebat, in brevi perfectam adeptus est sanitatem. Domino suo, et illo ad Beati sepulchrum votum compleute, et pro sanitate percepta Deo gratias agente, miraculum est omnibus patefactum.

lanio a gravi læsione pedis liberantur.

59 Hoc eodem anno circa secundam Paschatis Dominicam, quidam lanio Jacobus, cognomento Cruczck, civis Cracoviensis, casu quodam inopinato graviter cecidit, cadensque sic enormiter pedem læsit, quod etiam de genu poplitem deturbarit et avulserit; ad quod malum medendum varia medicamina quæsivit; sed nihil profecit: os enim poplitis nullatenus ad juncturam pedis accrescere valebat; immo etiam ipsimet chirurgicæ artis professores, qui medendi pedis curam susceperant, indubitanter affirmarunt, cum usque ad terminum vitæ suæ claudum permansurum. Hic igitur prædictus civis, ne sibi deesse videatur, audiens quanta Deus per sanctum Hyacinthum operatur miracula, totis viribus cœpit invocare sancti Hyacinthi patrocinium. Facto tandem voto, ad sepulchrum Sancti subito vulnus obduci, poplitem ad locum suum redire, et se ad pristinam per intercessionem Sancti reduci sensit sanitatem. Ad quod ille gaudens, et Domino Deo gratias agens, votum quod promiserat adjunxit, ecclesiam Prædicatorum adiit, miraculumque coram multis publicavit. *ex MPRESSIS.*

Præterea puer in puteo submersus

60 Puer semiduorum annorum cujusdam figuli Martini Ezech in suburbio Cracoviensi in platea, quæ vulgo in arenis appellatur, a parentibus suis male custoditus in puteum, quem in horto effoderant, casu cecidit. Quod videntes alii pueri, ad matrem cucurrerunt velocius, ei narrantes per ordinem, quæ contigerunt. At mater hæc audiens, stupore vehementi perculsa, quantocius concurrit ad puteum, et introspiciens diligen- E ter, nihil ob altitudinem fontis cernere potuit; discurrens itaque per hortum quærebat, quo saltem in aqua puerum attrectare posset, et invento ligno oblongiori aquam turbare cœpit, qua validius turbata, puer submersus pedum extrema protendit in sublime: quo viso, mulier materna charitate inflammata flens, et lamentabiliter ejulans circa puteum, clamansque humanum quærebat ad extrahendum puerum auxilium; ad cujus clamorem vicini concurrunt, et causam tanti clamoris, et mæroris percunctantur. At illa, Ecce, inquit, causa mœroris mei, et ducens eos ad fontem monstravit summitatem pedum submersi et mortui pueri, rogavitque eos, ut puerum jam mortuum de dicto puteo extraherent; illi vero gyrantes et cursitantes hinc inde, scalam minime reperiunt, sed mulier quædam ceteris audacior in puteum se submisit, quæ apprehensa summitate pedum pueri prædicti simul cum cadavere extrahi se mandavit. Quo facto, puer extractus inflatus nigerque apparuit, super quem mater dolorosa cautilenas lamentabiles convulsis crinibus ingeminabat.

F

ad vitam revocatur,

61 Quapropter una ex vicinis mulieribus accipiens puerum cum altera vicina sua, cum in domum suam detulit, ut pueri submersi absentia singultus et lachrymas miseræ matris temperaret. Hæc igitur mulier, cum ad Sanctum semper fuisset devota, in domo sua, absente matre, flexis genibus oravit ad Dominum, quatenus per merita, et intercessionem S. Hyacinthi dignaretur puerum ad vitam revocare, ibidemque pro illo puero votum ad S. Hyacinthi sepulchrum cum oblationibus offerre promisit. Grande miraculum! Ipsa enim muliere votum promente, puerulus, qui erat mortuus, respexit, et cœpit flere. Quem illa, vehementer gavisa, quantocius ad matrem suam portavit, eique per ordinem conditionem voti notam fecit. Ad quod miraculum vicini concurrunt, et omnipotentem Deum laudibus prosequuntur, qui vitam mortuis, et Sanctis suis gloriam indesinenter subministrat. Mater vero tantum exosculata prodigium, statim cum puero ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum properavit, votumque complevit, et factum publicavit. Puer vero jacuit debilis, de die in diem melius habens ad pristinam naturæ reversus est qualitatem anno Domini MDXIX, feria sexta ante Dominicam Rogationum

EX IMPRESSIS. gationum hora prandii hoc contigit miraculum.

studiosus moribundus sanitati restituitur, 62 Anno eodem studiosus quidam juvenis, Raphaël de contubernio scholæ philosophorum, magnam et gravem incurrit ægritudinem, qua per totam septimanam vehementer oppressus viribus corporis cœpit destitui. Cum autem languor continuam adauctionem haberet, et incremento suo naturam jam dolore tabescentem opprimeret, veloci cursu ad mortem properabat; qui cum jam morti propinquus cerneretur, contubernales sui et condiscipuli illiusmet collegii dolentes, sibi charum condiscipulum et collegam insperata morte auferri, flexis genibus apud lectum decumbentis pro infirmo opus charitatis fraternæ explere cupientes, votum ad sepulchrum sancti Hyacinthi fecerunt, rogantes Dominum misericordiæ, quatenus per merita Sancti dignaretur illi vitam prolongare; quod statim ad pia desideria ipsorum per merita Sancti est secutum: confestim enim juvenis, qui mortali ægritudine agonizabat, ad seipsum reversus, cito ad pristinam præter omnium existimationem restitutus est sanitatem, B qui postmodum Deo et S. Hyacintho gratus existens votum pro se factum explevit, et miraculum publicavit.

femina graviter læsa curatur, 63 Anno eodem in die S. Catherinæ virginis et martyris, civis Cracoviensis, et opificio saluitrarius, Joannes nomine, hoc ipso die festivitatis salnitrum, quo pulveres tormentarii conficiuntur, vehementiori igne excoquebat, et cum bullire plus justo incipiebat, ex vase fictili saluitrum bulliens, in ligneum quoddam vas effundere properabat; quod utique vas uxor sua, Catherina nomine, manibus tenens, ventre suo fultum suppeditabat. Factum est autem cum salnitrum effunderetur, vas illud ligneum salisnitri fortitudinem non sustinens, subito ruptum totaliter dissiliit; ille vero liquor bulliens super ventrem mulieris totus profusus est, eamque terribiliter exussit; quæ ob venenosæ materiæ qualitatem et liquoris fervorem quasi exanimata corruit. Maritus autem suus videns uxorem vehementer corruisse, accepta aqua frigida totum locum corporis, quo salnitrum attigerat, perfudit, ut dolorem leniret. Quo facto, statim uterus mulieris intumuit inflatione valde terribili. Porro C vir suus advocat chirurgos rogans eos, ut uxori suæ periclitanti subvenirent; qui adhibitis variis medicamentis, nihil profecerunt, propter quod pauper mulier per quatuor septimanas in lecto decubuit, omni solatio, et auxilio humano destituta, seque a lecto minime movere poterat. Et cum jam effusa non modica pecunia ad cupitam sanitatem pervenire non posset, suasu aliquorum, convertit se ad patrocinium S. Hyacinthi, votumque ad tumulum ejusdem se facturam et completuram promisit. Voto igitur facto, confestim ipsa mulier, quæ a medicis desolata jacebat, cœpit convalescere, et paucis interjectis diebus ad pristinam rediit sanitatem. Quæ non ingrata beneficii existens, ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum devota venit, votaque emissa ad tumulum Sancti, cujus merito a tumore periculosissimo est liberata, Deo gratias agens complevit, et ut futuris seculis sit memorabile miraculum, coram omnibus publicavit.

mortifera militis ægritudo pellitur, 64 Quidam decurio, stipendiarius miles, Martinus nomine, in magnam et periculosam incidit infirmitatem, in qua dum incolumitatis via sibi ob invalescentem morbum præcluditur, ad ecclesiam S. Michaëlis, quæ in arce Cracoviensi sita est, se deportari a suis militibus mandavit. Quo cum deportatus fuisset jacens in lecto, vidit D in visione quamdam personam grandævam et veneratione dignam sibi assistentem, et dicentem: Martine, si ad cupitam vis pervenire valetudinem, atque de præsenti infirmitate consurgere, fac votum ad tumbam S. Hyacinthi, et liberaberis. At infirmus, qui forte in civitate Cracoviensi erat novitius, nec urbis dispositionem noverat, Ubi, inquit, jacet iste S. Hyacinthus? Et ille: In ecclesia sanctæ Trinitatis; et confestim disparuit. Ille vero vocatis ad se aliquibus stipendiariis, jussit se ad ecclesiam sanctæ Trinitatis deportari; qui dum portaretur, oravit intra semetipsum ad S. Hyacinthum. Mira res! Vix mentalem orationem finierat, subito suæ sensit levamen infirmitatis, et ad portitores suos ait: Sistite; volo enim per me ipsum in ecclesiam Fratrum Prædicatorum intrare ad sepulchrum S. Hyacinthi. Vos autem ad opera vestra revertimini. Quibus recedentibus, ipse baculo exiguo suffultus, venit ad supradictum sepulchrum Sancti, et oratione ad Deum fusa, votoque ad Sanctum expleto, confestim a sua infirmitate totaliter et integre sensit se esse liberatum et sic lætus ac gaudens, finitis gratiarum actionibus, et publicato miraculo, ad propria rediit E anno Domini MDXIX.

et alius puer submersus resuscitatur. 65 Ad oras villæ Protnik prope Cracoviam decurrit fluvius ejusdem nominis c, a quo et pagus Protnik est denominatus, in cujus alveum eodem anno puer ejusdem villæ agricolæ casu decidit, et ab aquis velociter currentibus suffocatur, longiusque per aquam a villæ possessionibus deportatur usque ad possessionem cujusdam domini Ezepel civis Cracoviensis, qui cum diligenter quæreretur, inventus in ejusdem ripa fluminis, mortuus extrahitur, incolis ejusdem pagi ad casum concurrentibus, et mirantibus. At mater pueri submersi ad filium defunctum funestam cantilenam, Væ mihi! væ mihi! quid faciam! ingeminans, ad locum ubi depositus erat, cum gemitu, et clamore magno venit, submersi filii cadaver conspicata, magnis ejulatibus conceptum dolorem meditabatur. Quæ cum ad se rediisset, accepto filio domum suam defert mortuum. Et flexis genibus materna pietate ad Deum fusis lachrymis oravit, quatenus sibi miseræ filium inopinata morte raptum misericorditer restitueret. F Tandem ad S. Hyacinthum, qui plures mortuos suscitavit, conversa votum ad sepulchrum Sancti emisit rogans, ut meritis suis mortis dominium a puero repelleret. Et ecce quamprimum filio per preces Sancti est imprecata salutem, et vitam; subito enim mortuus filius revixit, et anima resumpta sanus surrexit. Quod videns mater, cum magno gaudio coram multis astantibus omnibus filium vivum assignavit, vota complevit, miraculum publicavit, et in ecclesia Fratrum Prædicatorum Cracoviæ collaudavit Creatorem suum, qui per meritum Sancti mortuum resuscitavit.

ANNOTATA.

a *In Polonia est duplex oppidum, quod* Grodek *nominatur Præterea ibidem est castrum ejusdem nominis, de quo Dlugossus lib.* 3 *Historiæ Polonicæ col.* 255 *mentionem facit. Quis locus hic designetur, ignoramus.*

b Carnisprivium *apud scriptores mediæ ætatis accipitur pro tempore Quadragesimæ, ut sæpius in Opere nostro dictum est.*

c *Dlugossus hunc pagum et fluvium appellat* Pradnik, *et de fluvio quidem lib.* I *Historiæ Poloniæ*

A *lonicæ col.* 13 *hæc habet:* Item Pradnik, cujus fontes in villa Sulosowa, ostia infra civitatem Cracoviensem.

CAPUT VI.

Alia prodigia, quæ intercessione hujus Sancti eodem seculo decimo sexto contigerunt.

Sanctus succurrit cuidam lethaliter ægrotanti,

Anno Domini MDXIX, die XXIX Januarii, quidam homo, nomine Martinus, pro tunc in suburbio Cracoviensi post ecclesiam S. Nicolai prope Istulam fluvium degens, ex emergentibus casibus in gravem et magnum incidit infirmitatem; in qua existens incrementum morbi tam vehemens sensit, quod etiam indies debilior appareret. Volens autem suæ infirmitatis babere solatium, jussit se extra stupham *a* sive bypocaustum foras efferri, sedensque in scabello exanimis factus subito in terram corruit, morti vicinæ ad se
B viam sternens; casu enim illo in majorem decidit ægritudinem, ita ut moveri, vel audire quidquam uon valeret. Uxor autem sua mœsta videns maritum sibi per mortem abripi, devotissime ad lectum flexis genibus orare cœpit, beatumque Hyaciuthum in sui patrociuium advocare, votumque ad sepulchrum suum se expleturam promisit. Hæc ea faciente, vir suus confestim suæ infirmitatis levamen accepit, et paucis diebus elapsis, qui jam moriturus erat, plenissime convaluit, seque ad tumbam sancti Viri cum uxore et suis consanguineis obtulit, votisque completis, quid circa ipsum divina sit operata misericordia, haud segniter enarravit.

puerum ab ignitis carbonibus adustum,

67 Anno eodem mulier quædam in platea Castrensi circa ecclesiam omnium Sanctorum Cracoviæ degens, puerum duorum aunorum habuit, qui, matre in aliis domus negotiis occupata, solus remausit, et apud quemdam artificem gladiorum in patellam plenam ignitis carbonibus casu decidit ventremque suum, eo quod se cito juvare nequibat,
C enormiter usque ad interiora exussit, et tamdem ab illo igne ereptus, quasi exanimis jacuit, utpote, qui tenuis corpusculi et cordis affectione laboraret. Tunc mater sua hanc calamitatem non ferens, medicorum, et chirurgorum artes quæsivit, omnesque possibiles modos, quibus tanto malo occurreret, adinvenire nitebatur. Cum vero frustra et incassum et tempus et pecunia deperiret, puerque indies affectionis suæ majora incremeuta pateretur, relicto humano (quod jam erat inutile) ad divinum se convertit præsidium, cœpitque S. Hyacinthum ad sibi succurrendum invocare, votisque se ad ipsius sepulchrum complendis, si puerum restituerit pristinæ sanitati, obligare: sicque facto voto, puer ex illo ulcere subito convalescere cœpit, et post aliquot dies ad pristinam rediit sanitatem, cicatricibus tamen in signum miraculi relictis; cujus beneficii præstans gratitudinem, se mater ad sepulchrum Sancti obtulit, vota reddidit, et miraculum cum gratiarum actionibus publicavit.

et alium ex lapsu graviter læsum curat.

68 Anno præfato in platea Castrensi puer cujusdam inquilini, Ilusian nominati, casu quodam gestantis ancillæ e manibus lapsus, de superioribus domus ad gradum cecidit; deinde ex illo impetu de gradu in gradum usque ad terram volutatus membra omnia et ossa, utpote tenera, et mollia convulsit. A circumstantibus igitur, et ex casu perterrefactis ocius a terra elevatus est semimortuus, membris omnibus conquassatus adeo, ut omnes, qui cum viderant, de ejus salute desperarent; nibilominus quantocius remedia quæquæ poterant subministrabant: quæ cum nibil profuissent nec sperabatur amplius humanis remediis posse ad pristinam redire salutem, mater pueri devota, filii sui repentinum casum S. Hyacintho supplex commendabat rogans, quatenus apud omuipotentem Dominum pro salute filii sui meritis suis intercederet: et post hæc dicta puerum ad sepulchrum gloriosi sancti Viri Dei devovet. Mira res! Subito puer ab illo repentino casu et convulsione membrorum, qui ut mortuus jacebat, sublevatur, et in brevi ad suæ incolumitatis formam, quam habuit ante, rediit, matre lætanter Deo, et beato Viro gratias referente, et ad sepulchrum Sancti vota devote offerente.

nobili dolorem gutturis

69 Nobilis quidam ob intemperantiam in gravem incidit infirmitatem, et cum chirurgorum arte uti vellet ad medendum morbum, Theutonicum quemdam Joaunem Tbeswciz chirurgum sibi elegit, cujus opera in infirmitate sua uteretur. Hic igitur medicinis infirmitatem interiorem E
pepulit in guttur ejusdem, maximoque eum affecit dolore, a quo consurgere desperabatur. Infirmus autem videus, se esse delusum, immo magis læsum, minabatur mortem chirurgo, vel per se vel per alium infligendam, si morbo, qui jam guttur occupaverat, occurrere nollet: in tantum enim indies crescebat infirmitas, quod os jam nou poterat aperire. Chirurgus autem sibi timens, non amplius coram illo infirmo apparuit; necessaria tamen illi per suam uxorem subministrabat. Mulier ergo illius videus, quod viro suo periculum mortis immineret, si hic nobilis moreretur, quadam nocte se in oratioue postravit, supplicans S. Hyacintbum, ut meritis suis et intercessione, propter securitatem vitæ mariti sui, dictum nobilem infirmum pristiuæ sanitati restituere dignaretur. Factoque mane, invenit nobilem melius se babere, et postmodum cito de illa suffocatione integre convaluisse. Quare uon ingrata mulier, veuit ad sepulcbrum Sancti, votum explevit, et miraculum publicavit.

et mulieri morbum caducum aufert,

70 Anno Domini MDXVIII, in ecclesia sanctissimæ Trinitatis quodam prædicante post meridiem, mulier quædam in media concione cœpit a morbo epileptico *b* atrocissime agitari, aspectum omnibus hominibus miserabilem exhibere. Assurgunt omues auditores, et casum doleutes mirantur. Ad quos concionator, dato silentio, admonitionem fecit, quatenus omnes flexis geuibus pro patiente Deum omuipotentem deprecareutur, ut per merita et orationes S. Hyacinthi, cujus reliquiæ in eadem ecclesia visuntur, dignaretur eam a tauto morbo sanare et perfecte liberare: ad cujus vocem omnes flexis genibus Deum sunt devote deprecati, ut ejus per merita Sancti misereretur. Factumque est satis pie petenti populo, eo quod sit perfecte sanata, nec amplius morbus ab eo tempore eam vexavit, cum toto ante triennio eumdem fuisse se passam fateretur, gratias agens Deo omnipotenti, et S. Hyacintho pro sui liberatione.

puerum a suffocatione

71 Puer cujusdam mulieris reptando super terram, invento digitario (id est instrumento, quo sartores in expungendis acubus super digito utuntur) cum filo eum deglutivit: quo deglutito, suffocari cœpit; mater vero ejus hoc videns confestim accurrit, tundensque scapulas ejus (ut mos ri-

EX IMPRESSIS.

ris est in tali casu facere) nihil profecit. Puer tandem nimium tussiens, pallorem iudnit, colorem mutavit: quod autem mœsta mater amplius factura esset, penitus ignorabat. Conversa igitur ad patrocinium S. Hyacinthi, flexis genibus invocavit sanctum Virum pro pueri liberatione, votumque emisit ad sepulchrum ejusdem Sancti pro salute filii. Quo facto, statim dictus puer evomuit digitarium sanguinolentum, et a periculo mortis liberatus est. Quod videns mulier, non ingrata veniens ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum, digitarium et puerum attulit, votum complevit, et miraculum publicavit.

et alium a cæcitate liberat.

72 Mulier quædam peperit puerum cæcum natum, quem ob defectum naturæ exosa manibus propriis jugulavit et sepelivit. Tandem et sequenti anno peperit alium puerum similiter cæcum, quem similiter, exosa cæcitatem, interficere machinabatur. Et dum hæc cogitaret, subito obdormivit, et vidit in somnis quemdam virum sibi assistentem et dicentem; Cave, ne feceris tam grande scelus, quod cogitasti; sed si vis puerum cæcum illuminari, et visum recipere, fac votum ad sepulchrum sancti Hyacinthi. Evigilans igitur B mulier, vocato ad se marito suo, prædictam visionem per ordinem illi enarravit. Tandem uterque, facto voto ad sanctum Hyacinthum, sibi in hac parte faveri precabatur. Mira res! Vix votum completum est ex ore ejus, puer, qui erat a nativitate cæcus, visum clarum recepit, acsi numquam natus esset cæcus. Parentes autem Dei omnipotentis glorificaverunt nomen, qui illuminat cæcos, et diligit justos.

Puer occisus,

73 In pago quodam territorii Cracoviensis mulier quædam, concepto fœtu, partui appropinquans, a marito sibi inviso durius tractabatur. Quæ livore feminco mota, puero, quem genuerat, alimenta denegavit. Idcirco statim effecit, ut puer inedia consumptus tabe prævia moreretur. Quo mortuo, eadem mulier mater pueri, videns se rem crudelem perpetrasse, pœnitentia ducta supra modum tristis esse cœpit, atque ut puericidii reatum expiaret, diversorum Sanctorum patrocinia sine intermissione implorabat, præsertim S. Andreæ Apostoli, in cujus festivitate tale facinus perpetratum est. Contigit igitur, eam ante somnum devotam ad S. Andream Apostolum pro suo C crimine agere orationem; et cum se sopori dedisset, vidit in somnis quamdam venerandam personam magna cruce, ut moris est S. Andreæ depingere effigiem, quæ sibi talia fatur: Noli, inquit, tristari mulier; ecce adsum, quoniam toties exorasti me. Verum si vis, ut puer tuus, quem immaniter occidisti, vitam resumat peremptam, fac votum ad S. Hyacinthum confessorem, et optatis tuis votis cedet, ut puer resuscitetur. At mulier, Ubi, inquit, est iste sanctus Hyacinthus? Respondit; Cracoviæ in ecclesia sanctissimæ Trinitatis; et hoc dicto, disparuit. Mulier vero læta de oraculo, evigilans, flexis genibus ad S. Hyacinthum votum fecit, totamque se humiliter precibus ejusdem commendavit. Quo facto, ecce puer, qui erat enecatus et inedia consumptus, resumpta anima, statim resurgit sanus. Quem postea vivum et adultum ad sepulchrum S. Hyacinthi obtulit, votum explevit, et miraculum ad Dei laudem et honorem Sancti testificata, ad sua se recepit.

episcopus Cameneceensis periculose ægrotans,

74 Circa annum Domini MDXVI reverendus dominus Laurentius Niedzieloswki, Præpositus ecclesiæ Cathedralis Vilnensis, postmodum vero Episcopus Cameneceusis, Vilnæ moram trahens; magnam quamdam incurrit infirmitatem, ad quam D cum plures advocasset artis medicæ professores, nec aliquo remedio præsens malum sopire valuisset, imo indies magis magisque morti propinquus extitisset, anceps et dubius de salute recuperanda plurimum tristabatur. Quadam igitur nocte post festum S. Ægidii abbatis immediate sequente, ceteris omnibus somno depressis, qui ad ejus lectum vigilias faciebant, et illo sic insomnem horam percurrente, aperto ostio venit ad ipsum Frater habitu Ordinis Prædicatorum circumamictus, veneranda canitie conspersus staturaque gravitatem præferens, et lecto adstans sic illum alloquitur: Quid, inquit, tristem geris vultum, et molestæ infirmitatis lassitudine rumperis? Sanaberis et convalesces. Porro majore vigilantia canonizationem meam procures, quam hactenus egisti, dominisque consiliariis regni suggeras, ut hoc ipsum faciant. Ad quem Episcopus. Quis es tu, domine Pater? Respondit ille: Ego sum Hyacinthus Ordinis Prædicatorum Frater: et post multa, quæ ad hoc negotium pertinebant, colloquia, Sanctus cum lumine circumfulgente disparuit; Episcopus vero a sua infirmitate confestim E liberatur, et non ingratus beneficii miraculum publicavit atque Cracoviam, quia per se non poterat, literis beneficium Dei per merita Sancti præstitum insinuavit.

puer ab equo obtritus

75 Anno Domini MDXIX infra octavas Visitationis gloriosæ Virginis Mariæ puer duorum annorum in vico Cazimiriæ urbis cujusdam civis Mathiæ cæmentarii, patre in opere suo occupato, relictus in media platea sedens cum aliis pueris lusit. Accidit autem, ut quidam miles veloci cursu, eadem via equum impetu multo ageret atque effreni passu in puerum sedentem incurreret, calcibusque ferratis fortiter pressum in pectusculum infantis impingeret, qui et enecavit eum; quem pater suus vitam exspirantem domum reportavit, et cum jam livore et vulnere nigresceret, quo se verteret, mœstus parens ignorabat. Tandem ad seipsum rediens, profusis lachrymis et flexis genibus divinam misericordiam implorabat, sancti Hyacinthi patrocinio se commendabat, et ad sepulchrum suum se humiliter cum filio enecato devovebat. At vero necdum ipse votum complet, et ecce per merita Sancti filio sanitas et vita redditur et cicatrices mortis puero ob testimonium beneficii indelebiliter inhæserunt. Post F quod patratum miraculum Deus omnipotens laudatur, populus Christianus in fide fortificatur, et quantum Deus diligat Sanctum suum, aperte monstratur.

et alter submersus.

76 Eodem anno, feria quinta, die XXII Septembris, hoc est in ipso die sanctorum Dei Mauritii et sociorum ejus martyrum, mulier quædam Joannis Vengrzinek, dominorum consulum Cracoviensium famuli, uxor circa horam 15 filium suum nuper natum in quodam vasculo ligneo, (quod Polonis vulgo vanna dicitur) causa ablutionis in aquam paulo profundiorem, quam pueri ætas tulerat, posuit, eoque sic reposito, ad consueta domus negotia filii sui oblita rediit, patre interim a domo sua absente. Qui cum rediisset, invenit filium suum demersum in aqua supinum et suffocatum jacere, aquam eamdem jam ab aliquot horis mortuum supernatare. Quo viso, pater pueri totam domum clamore nimio replevit, matrem pueri ob negligentiam durius increpavit; ad cujus clamores multi cives convicini accurrerunt, mortuumque puerum considerantes, admonuerunt patrem, ne ulterius in coleram excandescesceret

A candesceret, sed puerum secundum Dei providentiam et promissionem submersum more Christiano sepulturæ commendaret. Mœsti igitur parentes videntes, se omnino consolatione privatos, recordatique sanctum Hyacinthum tantorum fuisse mortuorum resuscitatorem, ejectis omnibus suis vicinis, flexis genibus divinam opem per merita Sancti invocare cœperunt, filiumque devotissime ad sepulchrum ejusdem Sancti confessoris devovere. Mira res! Vix vota complevere, et ecce puer, cernentibus cunctis, sanus ac vivus apparuit, acsi numquam aquarum succubuisset injuriæ. Quod videntes parentes ejus, vicinos viciuasque convocarunt, Deumque gloriosum et in Sanctis suis mirabilem glorificaverunt, et, accepto puero, S. Hyacinthi sepulchro vivum obtuleruut, publicato miraculo, voto completo, et Sancto Dei mirabiliter in tanto opere honorificato.

multique alii variis casibus afflicti

77 Ne legentium mentes longitudine operis fatigareutur, ea, quæ secundo libro supersunt miracula, censui breviori stilo explicare, quatenus et pii lectores atque devoti suo desiderio potiantur, atque ad amorem gloriosi sancti Hyacinthi B inflammentur, et miræ gloriæ Dei saturato ex beneficiis Dei populo Christiano, non dispereant; sed cophino gratitudinis et gratiarum actionis recondantur. Supersunt igitur quædam pauca huic secundo libro miracula, quæ ordinatim recenseutur.

In primis quædam Margareta civis Cracoviensis in domo dominorum Lautzkoronskie c, sub castra Cracoviensi, magno dolore dentinum obruta, per vota ad Sanctum facta sanatur.

Sophia quædam vidna, sancto viro Hyacintho devota, habens naturalem curvaturam pedum, devota ad tumbam Sancti sentiens miram ex ejus sacra corpore odoris fragantiam, a suæ naturæ injuria per merita Sancti vindicatur.

Puer cujusdam Vinceutii sartoris civis Cracoviensis gravi infirmitate oppressus, et mortuus per aliquot horas, post vota ad Sanctum facta vitæ restituitur; et ejusdem filii pater in tibia fracta ad Sanctum recurrens sauatur.

Anna Mathiæ pellificis Cracoviensis uxor, ob dolorem vehementissimum capitis per duodecim he- C bdomadas totaliter excæcata, per vota ad Sauctum facta sanatur, et visivæ potestati restituitur.

Cujusdam Nicolai de Lobzowo dicti Swider, duo equi ob nimios labores consumpti et valetudinarii, post vota ad Sanctum facta, subito sauantur et fortes evadunt.

Catharina quædam vidua et civis Cracoviensis fractum pedem, oratione ad Deum facta, per merita S. Hyacinthi iterum sanum recuperat.

Cujusdam Joannis tibicinatoris regis Poloniæ filius, gravi infirmitate triduo oppressus, post vota et recommendationem ad Sanctum sanitati restituitur.

Similiter cujusdam pistoris Mathiæ Przesmiari civis Cracoviensis filius gravi languore per quindenam oppressus, patre ad merita S. Hyacinthi recurrente, sanatur.

Civis quidam Cracoviensis Adam pictoriæ artis ab insanabili et incurabili quadam infirmitate, quam a nativitate patiebatur omni mense una certa die, quæ medicorum ingenia et artes eludebat, per merita Sancti, quem invocaverat in patrocinium, perfecte sanatur. Ejusdem vero uxor ab apostemate gutturis, quod ex quadam gravi infirmitate acciderat, post vota ad Sanctum facta sanatur.

ex impet[illegible] intercessione ejusdem Sancti vitam vel sanitatem recuperarunt.

78 Anno Domini MDXIX cujusdam chirothecarii Thomæ de platea Castrensi civis Cracoviensis filius oppressus gravi infimitate, postquam pater ad patrocinia Sancti confugisset, a morbo et morte præsenti liberatur.

Matrona quædam in Stradomie suburbio Cracoviensi, Alexii civis Caacoviensis uxor, a desperata infirmitate, marito suo S. Hyacinthi sepulcbrum ipsam devovente, subito liberatur.

Laurentius quidam telonearius Cracoviensis valido pedum, renum, et lumborum tumore graviter laborans, cum medicorum artes frustra tentasset, ad sanctum Hyacinthum pro auxilio recurrens, a desperato dolore et tumore prædicto subito sanatur.

Sophia quædam Urbaui civis Oswieczimensis conjunx per quatuor annos maximo dolore pedum divexata, et ab omnibus medicis derelicta, mortique appropinquans, post vota ad sepulchrum sancti Hyacinthi facta, sana cito efficitur.

Scholasticus quidam Stanislaus Masovita ex contubernio sive collegio philosophorum Cracoviæ sic dicto, graviter infirmatus, cum de sua salute desperaretur, post vota pro eo ad Sanctum facta, confestim E pristinæ incolumitati redditur.

Martinus quidam suburbanus Cracoviensis in platea S. Nicolai confessoris prope Istulam fluvium gravissima infirmitate usque ad agonem mortis deductus, per vota ad sepulchrum Sancti pro eo facta, confestim sanus resurgit.

Mulier quædam vidua de civitate Cazimiriensi apud Cracoviam, Anna nomine, septem annis morbum passa, gravemque infirmitatem, post vota ad sepulcrum Sancti facta, cito et mirabiliter exsurgit.

In his omnibus sit Deus omnipotens in æternum laudabilis et gloriosus, qui in sancto Hyacintho confessore suo semper est mirabilis. Amen.

ANNOTATA.

a *Haud dubie Severinus hoc nomen barbarum* stuphæ *deduxit ab Italica voce* stufa, *quæ hypocaustum significat.*

b *Morbus epilepticus aliter cognominatur* comitialis *vel vulgo* caducus, *qui passim notus est, et de quo plura apud Gorræum in Definitionibus medicis ad vocem* epilepsia *legi possunt.* F

c *De hoc nobili Lantzkoronskiorum stemmate agit Simon Okolski tomo* 3 *Orbis Poloni pag.* 317 *ad familiam* Zadora *alias* Plomieniczyk, *et in indice alphabetico ejusdem tomi ad vocem* Laczkoronski *addit varia de hac illustri stirpe, quæ serius ad manus suas pervenisse testatur.*

ALIA

EX IMPRESSIS.

ALIA MIRACULA

Quæ R. P. F. Severinus Cracoviensis Dominicanus ex Processu authentico et tabulis ad sepulcrum Sancti appensis contraxit in Vita S. Hyacinthi lib. 3 cap. 9 et sequentibus.

SECTIO I.

Plures mortui resuscitati et abortivi vita donati.

B

Plures pueri 1. Testis quintus P. F. Mathias de Miedzirzecz medio corporali juramento coram RR. DD. Commissariis Apostolicis deposuit, quod in districtu Lublinensi puer, cujusdam nobilis filius, in flumine submersus mortuus est; qui sic inventus a mœstis parentibus ad sepulchrum sancti Hyacinthi medio voto oblatus, continuo surrexit vivus; quem pater suus cum voto, et certis eleemosynis per spatium triginta sex leucarum ad sepulchrum S. Hyacinthi vivum attulit, et miraculum est testificatus, factumque esse MDII.

II. Testis 27. Agnes de Cracovia, relicta olim Gregorii pistoris ejusdem civitatis, medio corporali juramento deposuit, filium Fæliciæ Goltszlerowa civis Cracoviensis morte subitanea obiisse; quem illa cum matre ad ecclesiam S. Trinitatis, ubi corpus Sancti requiescit, mortuum attulit, et post vota facta vivum recepit, atque matri suæ consignavit. Factum anno MDXXII.

III. Testis 62. Honesta Catharina, Laurentii civis Cracoviensis uxor, deposuit puerum suum annorum decem ex superioribus domus in terram corruisse, et ex casu fracta cervice mortuum fuisse; C quem mater postmodum mortuum et confractum reperiens, ad S. Hyacinthum devovit, et post vota vivum per merita Sancti recepit. Factum anno MDXXI.

ac puellæ 2 IV. Testis 75. Martinus Czech lutifigulus Cracoviensis corporali juramento præmisso, deposuit, filium suum Stanislaum feria sexta in crastino Ascensionis Domini MDXX puerum trium annorum cecidisse in fontem profundum, et ibi submersum fuisse, et cum difficultate extractum mortuum accepisse: post vota vero utriusque parentis præsentis, et aliorum tunc præsentium, puerum, reassumpta anima, resuscitatum fuisse, puerumque vivum Commissariis Apostolicis consignasse, atque ex ambone publicasse miraculum.

V. Testis 76. Joannes Vengrzinek de platea S. Floriani civis juratus Cracoviensis, et Joannes Zwierz, medio corporali juramento, coram reverendissimis Commissariis deposuerunt, quod Anna filia unius anni in domo sola remanens, in dolio aqua pleno cadens submergitur, et moritur. Quam pater suus Joannes Vengrzinek prædictus domum rediens extraxit, et per quindecim horas mortuam jacentem ad S. Hyacinthum cum certis Missis devovit. Post vota immediate vivam et sanam recepit, et reverendissimis Commissariis vivam consignavit, et præsentavit. Factum XV Septembris MDXIX D

VI. Testis 95. Honesta Petronilla Niedbalczina civis Cracoviensis deposuit, puerum filium filiæ suæ undecim hebdomadarum de mensa cecidisse et emortuum esse, et post vota facta ad Sanctum immediate revixisse. Factum est miraculum MDXXI.

VII. Testis 112. Honesta Barbara conjunx Stanislai aurifabri Cracoviensis testatur, neptem suam anno primo suæ ætatis ex paroxismo oppressam, mortuam fuisse, et per quamdam monialem ad sepulchrum S. Hyacinthi oblatam, coram præsentibus vicinis resuscitatam fuisse. Factum anno MDXX.

VIII. Testis 135. Honesta Agnes Wallcova de Crupniki suburbana Cracoviensis deposuit, quod puer sororius *a* novem annorum in fluvio villæ dictæ Wola est submersus, diuque sub aqua detentus, et vix per quemdam Paulum de Crupniki inter palos inventus, per testem ad tumbam Sancti devotus revixit. Factum profesto Paschæ MDXXIII. E

3 IX. Testis 190. Houesta Anna vidua, relicta olim barbitonsoris Martini Cracoviensis, in Adventu Domini MDXXII deposuit, filiam suam Catharinam in calidissimum fornacem conscendisse, quæ postmodum a vehementi calore suffocata moritur; quam mater ipsa testis mortuam inveniens, ad sepulchrum S. Hyacinthi devovet, ac post vota emissa vivam recuperat, multis in sua domo præsentibus et coram Commissariis testificantibus. *variis casibus mortui,*

X. Testis 217. Martinus Leliow una cum uxore sua Dorothea, juramento præmisso, deposuerunt, quod Joannes filius eorum e sublimi loco graviter in terram cadens, auribus et naribus fluens sanguinem, mortuus est, et per tres horas jacens, exanimis, cum per vota ad S. Hyacinthum oblatus fuisset, a morte revocatur ad vitam.

XI. Testis 272. Honesta Dorothea Czieszlina de platea S. Floriani Cracoviensis jurata deposuit, quod filius suus sex annorum ex alto domus in terram cadens, collisus et confractus, mortuus est repertus. Postquam autem vota pro ipso reddiderunt, iterum ad vitam mortalem rediit anno MDX. F

XII. Testis 288. Albertus Bnino et Catharina conjunx ejus, uterque de Clepardia *b* jurantes deposuerunt, quod filius eorum XIX hebdomadarum crepuit, omniaque intestina ejus ad testiculos exiverunt, propter quod et mortuus est: quem cum ad sanctum Hyacinthum devovisseut, sanum iterum atque vivum lucrati sunt: quem notariis publicis, miracula et testes examinantibus, ostenderunt vivum: quinta enim die ante examen contigerat. Factum MDXXIII,

4 XIII. Testis 322. Providus Stanislaus, sartor et civis Cracoviensis, penes ecclesiam sanctissimæ Trinitatis manens, juratus deposuit, quod filius suus Stanislaus quinque annorum ludens cum pueris, ex alto domus cadens mortuus est; quem ad tumbam S. Hyacinthi devovens, vivum recepit, meuse præsenti hujus examinis anno MDXXIII, *ad vitam revocantur,*

XIV. Testis 323. Vincentius in platea Castrensi civis Cracoviensis juratus deposuit, quod una cum uxore nescienter in lecto suo jacentes filium XXIV hebdomadarum suffocaverunt, et mane surgentes in cussinis *c* plumealibus ad pedes lecti mortuum invenerunt, quem postea deplorantes et vota ad Sanctum deferentes, vivum rehabuerunt. Factum est in mense Maii, anno Domini MDXX.

XV. Testis

A xv. Testis 355. Martha mulier de Cracovia deposuit, quod filius ejus Joannes ob promissum et neglectum votum in pœnam culpæ matris mortuus est secundum illud Proverb. 20 : Ruina est homini devotare *d* Sanctos, et post vota non reddere.

xvi. Testis 363. Nobilis Zopbia Zakrzewska civis Cracoviensis deposuit, se oculis suis vidisse quamdam puellam annorum xiv, ab equo occisam et convulsam, mortuam fuisse apud quemdam civem Cracoviensem Petrum Porembski, et post vota facta revixisse.

xvii. Testis 383. Zophia, Mathiæ Neilar uxor, in platea Castrensi manentis deposuit, filium suum in aquæ dolio submersum et mortuum, postmodum revixisse post vota ad Sanctum facta, et completa, præsentibus duabus inquilinis domus suæ. Factum est autem in mense Septembri, anno MDXX.

xviii. Testis 403. Anna Joannis Zakrzrwski Cracoviensis filia, et Catharina servilis ancilla juratæ deposuerunt, quod prædicta Anna in fluvio Histula *e* submersa fuerat, et mortua postmodum B ex aqua extracta, dum nullum aliud humanum superesset remedium, ad sanctum Hyacinthum devovetur per Catharinam ancillam : post votum factum, vitæ restituitur. Factum est in mense Aprili MDXXIII.

et quidam abortivi

5 i. Testis 15. Famatus Mathias Czarni pellifex civis Cracoviensis sub juramento deposuit, quod uxor sua in partu laborans filium peperit mortuum, quem præfatus Mathias pater suus sancto Hyacintho devovit, et vivum lucratur. Hoc idem miraculum testis 123 famata Catharina conjunx Fælicis sartoris Cracoviensis contestatur, quæ præsens fuit ad partum prædictum. Factum MDXX.

ii. Testis 33. Catharina uxor providi Bernardi carpentarii civitatis Cracoviæ generalis, abortum passa filiam mortuam peperit, quam pater suus cum præsentibus ad sepulchrum S. Hyacinthi devovit, et post vota expleta vivam recepit; quod miraculum Bernardus pater, et mater Catharina, et nurus ejus, et Catharina Czieslina, mediis juramentis, coram Commissariis affirmarunt. Factum in die S. Stephani Protomartyris anno MDXXI.

C iii. Testis 36. Honesta Margareta Albussowa de Biscupie sub juramento deposuit, [se] duos abortivos mortuos meritis sancti Hyacinthi vita donatos vidisse; unum cujusdam Annæ Stanislai Jagielka de Krowodrza; alterum Annæ cujusdam Gregorii Bembenek de Bislcupie uxoris : et hoc propterea, quia obstetricis officio fungebatur : quod miraculum in ambone publicatum est. Factum in festo S. Michaëlis anno MDXXI.

per intercessionem S. Hyacinthi

6 iv. Testis 42. Providus Fælix sartor Cracoviensis testatur, se vidisse puerum mortuum natum Mathiæ pellifici coinquilino suo, quem parentes post vota expleta vivum receperunt, contestantibus domino domus et inquilinis, et propriis parentibus præscutibus ad miraculum. Factum MDXXIII.

v. Testis 136. Anna Clepardiensis Czieslina nuncupata, jurata deposuit, se fuisse circa partum nutricis suæ inquilinæ, quæ peperit puerum mortuum capite nimium compresso, ita quod etiam oculi fuissent extra positi; post vota vero ad Sanctum facta, non solum animatum, sed etiam ad propriam formam restitutum conspexisse, eumque baptismo sacro intinxisse. Factum MDXXII.

vi. Testis 200. Margareta Grodziezka Cracoviensis jurata deposuit, quod abortivum mortuum sit enixa, quem obstetrices ad sepulchrum S. Hyacinthi detulerunt, et post vota expleta vivum et sanum ad domum reportaverunt. *EX IMPRESSIS.*

vii Testis 205. Honesta Catharina Wochowa cum juramento deposuit, quod filium pepererit abortivum, quem postmodum, factis et expletis votis ad sepulchrum Sancti, vivum recepit non sine grandi miraculo.

viii. Testis 218. Hedvigis Claboczowa de Clepardia, cum juramento deposuit, quod filium peperit abortivum mortuum, quem cum ad sepulchrum S. Hyacinthi vovisset, recepit vivum, contestante sub juramento Elizabeta inquilina sua obstetrice. Factum in mense Aprili MDXXIII.

7 ix. Testis 241. Nobilis matrona Petronilla, sub juramento deposuit, se fuisse præsentem circa partum unius matronæ Catbarinæ Kuniczowa, quæ mortuum puerum peperit; suadentibus autem ipsa teste et aliis matronis, ut illum ad sepulchrum S. Hyacintbi devoveret; quo facto puer, cunctis videntibus, vivus esse cœpit. Factum in Septembre MDXXI. *anima donantur.*

x Testis 334. Honesta Hedvigis Petri civis Cracoviensis ante portam novam manentis, jurata E deposuit, se mortuum puerum peperisse, quem matronæ præsentes ad S. Hyacinthum devoverunt, et post vota expleta matri vivum consignarunt. Factum anno MDXX.

xi. Testis 398 Honesta Dorothea Stanislai Sliwka uxor, in platea Slakoviensi degens, sub juramento deposuit, se interfuisse partui unius mulieris, Dorotbeæ nomine, quæ peperit abortivum mortuum, et quamprimum Dorothea puerpera flexis genibus filium suum ad sancti Hyacintbi tumbam devovit, statim, videntibus et gaudentibus cunctis astantibus, animatus, est, qui etiam tunc vixit, et Commissariis est præsentatus. Factum anno Domini MDXX.

ANNOTATA.

a *Per puerum* sororinum *intelligo filiolum sororis illius feminæ, quæ hoc miraculum testatur.*

b Clepardia *est oppidulum, quod urbs Cracoviensis a Septemlrione sibi adjunctum habet.*

c Cussinum *barbare a scriptoribus medii ævi pro cervicali vel pulvinari usurpatur, ut in aucto Cangii Glossario videre est.* F

d *In vulgato sacræ Scripturæ textu pro* devotare *legitur* devorare. *Alii vicina verba substituerunt, de quibus consule nostrum Cornelium a Lapide in Commentariis ad caput 20 Proverbiorum ỳ 25, ubi etiam varias hujus verbi expositiones subministrat.*

e *Existimo hic per* Histulam *indicari eumdem fluvium, quem auctor superius sine aspiratione* Istulam *appellavit.*

SECTIO II.

Multi moribundi et jam agonizantes mirabiliter ad perfectam sanitatem reducti.

Multi per morbos

i. Testis 43. Honesta Zophia Slodkowa, lanionis Cracoviensis uxor in platea Swiuska sub juramento deposuit, se ex magna infirmitate agonizantem, apparente sibi sancto Hyacintbo, sanatam et a morte liberatam fuisse; et sedentibus

EX IMPRESSIS. dentibus tunc Commissariis Canonizationis S. Hyacinthi in ecclesia S. Trinitatis ex lecto consurgens testificata est MDXXIII.

II. Testis 49, Hedvigis uxor Joannis magistri culinæ de Stradomie *a* jurata deposuit, quod post puerperium ad agonem mortis deducta, viro pro illa votum explente ad sepulchrum Sancti, statim sanatur. Factum MDXXIII.

III. Testis 60. Joannes Bialek murator Clepardiensis cum juramento deposuit, quod graviter vulneratus in capite ad extrema deductus, vovente pro ipso uxore sua, vitæ et sanitati restituitur. Similiter et Zophia uxor ejus sex hebdomadis graviter decumbens ab agone mortis, viro pro ipsa vovente, revocatur ad vitam incolumis MDXXIII.

aliaque infortunia

9 IV. Testis 62. Honesta Catharina, uxor Laurentii Cracoviæ jurata deposuit, puerum suum unius anni agonizantem, offerentibus pro ipso vota ad sanctum Hyacinthum parentibus, vitæ restitutum fuisse.

V. Testis 86, Honesta Anna puella quindecim annorum jurata deposuit, quod in mense Februarii
B usque ad mortem infirmata, antequam Sacramento communiretur, usum loquelæ perdidit. Verum matre pro ipsa vovente, et S. Hyacintho sibi apparente, statim et loquelam et sanitatem recipit. Factum anno MDXXI.

VI. Testis 102. Honesta Catharina Joannis Perst sutoris Cracoviæ uxor sub juramento deposuit, filiam suam Reginam ex maxima infirmitate agonizantem, matre sua pro illa vovente, subito vitæ restitutam esse MDXXI.

VII. Testis 107 Honesta Barbara Pauli Sadlonis Cracoviæ uxor deposuit, filium suum septem annorum, cum duobus diebus agonizaret, nec mori potuisset, matre pro præsidio ad Sanctum currente, statim Deo spiritum reddidisse.

VIII. Testis 117. Joannes Barila sutor Cracoviensis juratus deposuit, filium suum Mathiam ex infirmitate agonizantem, patre pro se vovente, ad vitam restitutum fuisse.

IX. Testis 190. Honesta Ursula Adami civis Cracoviensis uxor sub juramento deposuit, quod ad mortem deducta agonizans, filia Agnete pro se ad Sancti tumbam vota explente, statim vitæ et sanitati
C restituitur. Hoc etiam et filia testatur verum fuisse. Factum anno MDXXI.

ad extremum vitæ terminum deducti

10 X. Testis 151. Generosus Laurentius Spitek cum juramento testatur, quod ex infirmitate gravi agonizans per vota matris ad S. Hyacinthum vitæ restituitur. Contestantur miraculum magnifica D. Anna ad Jaroslaw consors magnifici D. Nicolai Jordani Castellani Woinicensis mater sua et Beata filia ejus, et Ursula Krolikowska, et Helena Geraltowna pedissequa dominæ Beatæ, mediis juramentis. Factum anno MDXX.

XI. Testis 158. Nobilis D. Joannes Stradomski sub juramento deposuit, se ad extrema deductum agonizantem, vovente pro se filia sua, ad vitam revocatum esse.

Testis 175. Catharina vidua Cracoviensis jurata testatur, Annam filiam suam agonizantem, matre sua pro illa vovente, vitæ redditam esse.

XII. Testis 189. Generosa domina Catharina Przedborowa testatur juridice, quod subditi sui filius quartus (cum jam tres morte enecati erant) jam agonizans, et per dictam dominam ad sanctum Hyacinthum devotatus, statim sit vitæ et sanitati restitutus anno MDXXIII.

11 XIII. Testis 193. Mathias cocus Regiæ Majestatis cum uxore sua Hedvige uterque juratus deposuit, quod puer illorum ex infirmitate ad mortem deductus, votis pro se factis, subito ad vitam et ad perfectam sanitatem est restitutus. Factum anno MDXIII. D

et jam agonizantes.

XIV. Testis 196. Dorothea Clepardiensis Capusczina dicta, jurata testatur, quod ex infirmitate agonizans, apparente sibi sancto Hyacintho, ad quem se devoverat, vitæ restituitur. Hoc itidem sibi et pestis tempore morituræ contigisse affirmat. Factum anno MCDLXXXVII.

XV. Testis 198. Barbara dicta Czerwoua cerdonis ex suburbio conjunx Cracoviæ jurata deposuit, filium suum ægritudine oppressum et agonizantem post vota facta sanum se recepisse.

XVI. Testis 208. Honesta Catharina Jacobi pistoris Cracoviæ filium novem mensium agonizantem sanum recepisse, sub juramento testatur.

XVII. Testis 209. Ursula Petri Casimiriensis *b* uxor, Dorotheam inquilinam suam agonizantem post vota statim convaluisse, testatur. b

invocato S. Hyacinthi auxilio,

12 XVIII. Testis 218, Hedvigis Claboczowa uxor Nicolai Clepardiensis sub juramento deposuit, filium suum trium annorum a se graviter percussum, ita quod in gravissimum morbum incideret, et cum jam agonizaret, illa timens puericidium, recurrit ad auxilium S. Hyacinthi, et statim sanatus est. Factum anno MDXV. E

XIX. Testis 225. Margareta Przibuszina civis Cracoviensis testatur, duas filias suas diversis temporibus agonizantes, matre pro ipsis votum reddente ad tumbam S. Hyacinthi, sanatas fuisse.

XX. Testis 244. Fælicia de Krupiniki filium suum agonizantem, matre pro se vovente, vitæ restitutum affirmat.

XXI. Testis 248. Agnes Petri mensatoris uxor ex opposito sanctæ Trinitatis ecclesiæ Cracoviæ manens, testatur, matrem suam ad extrema deductam et agonizantem post vota convaluisse.

XXII. Testis 253. Stanislaus custos Cracoviensis moriturus et agonizans, uxore pro se vovente, vitæ restituitur.

XXIII. Testis 256, Honesta Catharina Janoczina testatur, [se] Laurentium sutorem Cracoviæ virum suum agonizantem et jamjam moriturum, voto facto, sanum recepisse.

XXIV. Testis 257. Bernardus Kleparczik de platea Slakoviensi agonizans, uxore pro se votum reddente, convalescit. F

aut oblatis votis,

13 XXV. Testis 269. Catharina de Cerdonia filium suum agonizantem, per votum pro eo solutum, ab infirmitate incolumem recepit.

XXVI. Testis 281. Nobilis Stanislaus Lelowski in platea sutorum Cracoviæ manens testatur, se uxorem suam prægnantem ex iracundia percussisse, ita quod usque ad mortem infirmata fuisset; et dum agonizaret, pro ipsa ad Sanctum recurrit, et statim vivam atque sanam recipit.

XXVII. Testis 287. Mathias murator sub Castro Cracoviæ manens, ex infirmitate agonizans, facto voto, sanatur.

XXVIII. Testis 294. Providus Stanislaus civis Cracoviæ in platea S. Nicolai degens, in gravi infirmitate agonizans, uxore pro se votum faciente, statim sanus elevatur, et ad sepulchrum S. Hyacinthi vadit, omnibus stupentibus.

XXIX. Testis 331. Catharina Czieslina, Michaëlis carpentarii uxor, testatur filiam suam decem annorum jam morientem ad sepulchrum sancti Hyacinthi attulisse, et post Missæ sacrificium immediate filiam suam resurrexisse, et domum rediisse.

XXX. Testis 340. Margareta de Cracovia dominam

A nam quamdam Iglarka morientem et agonizantem ad Sanctum devovet, et sanam recipit.

xxxi. Testis 341. Catharina, Valcutina cognominata, testatur, quod puer collisus et concussus per quemdam scholasticum, infirmatus agonizans, marito ejus pro puero votum faciente, a morte et ægritudine liberatur.

pristinæ sanitati restituuntur. 14 xxxii. Testis 351. Zophia dicta Janowa de Cracovia testatur, puellam suam filiam ad mortem ægrotantem, meritis S. Hyacinthi vitam recepisse; et cum citata fuisset ad testimonium reddendum coram Commissariis, jurare noluit; sed eadem nocte superveniente infirmitate, coacta in crastino sub juramento testimonium præbet veritati.

xxxiii. Testis 352. Barbara Casprowa de Clepardia, virum suum Gasparem graviter agonizantem, voto expleto, sanum recipit.

xxxiv. Testis 360. Stanislaus vitreator Cracoviæ uxorem suam Hedvigim jam jam morientem, votis expletis, vivam et sanam recipit.

xxxv. Testis 392. Joannes Liefzianin Casimiriensis sartor gravissime agonizans, apparentibus sibi B Hyacintho Ordinis Prædicatorum, et Simone *c* Ordinis S. Francisci Minorum Sanctis, et ipsum sanantibus, statim ad vitam resurgit.

xxxvi. Testis 404. Joannes barbitonsor chirurgus Cracoviæ in platea sancti Nicolai degens, testatur, mense Aprili quemdam nobilem Osieczki graviter in capite vulneratum jam agonizantem, et a medicis Regiæ Majestatis destitutum: confisus meritis S. Hyacinthi ipsum curandum recipit, et post vota optime sanavit, quod procurator Regiæ Majestatis videns, alium chirurgum Galliacium Italum induxit, qui factum medio juramento deposuerunt.

ANNOTATA.

a Stradomia *est alterum oppidum sive suburbium civitati Cracoviensi vicinum, ut in Actis B. Simonis de Lipnica tomo* iv *Julii pag.* 544 *monuimus.*

b Cazimiria *est tertium suburbium sive oppidum, quod metropolis Cracoviensis sibi vicinum habet, et de quo in Actis B. Simonis de Lipnica* C *pagina proxime citata egimus. Est insuper alia ejusdem nominis civitas in Polonia, de qua Martinum Zeillerum in Germanica descriptione Poloniæ pag.* 81 *consule.*

c *Non dubito, quin hoc nomine designetur B. Simon de Lipnica ex Ordine FF. Minorum cujus Acta ad diem* 18 *Julii, tomo* iv *istius mensis a pag.* 510 *illustravimus.*

SECTIO III.

Diversi gravibus ac periculosis morbis affecti, implorato Sancti patrocinio, sanitati restituti.

Plurimæ personæ i. Testis 3. Reverendus P. Stanislaus de Pawlow sacræ theologiæ Baccalaureus Vicarius Cracoviensis et Prædicator generalis, in quadam sua gravi infirmitate constitutus, suffragio S. Hyacinthi est ab ipsa plene liberatus.

ii. Testis 8. Honesta Zuzanna Cracoviæ uxor Laurentii cantrifusoris, filium valde infirmum, *ex infantibus,* mediante voto ad Sanctum Dei, recepit læta. Factum mdxxi.

iii. Testis 9. Honesta Barbara de Cracovia, uxor Nicolai levigatoris, filium ægrum duorum annorum sanum suscipit.

iv. Testis 10. Thomas maritus honestæ Marthæ 18 hebdomadas infirmus post vota sanus insurgit. Similiter et filio utriusque sana consurgit.

v. Testis 13. Nicolaus Gonsiorek civis Bochnensis *a* diœcesis Cracoviensis cum patre suo, diversis tamen temporibus, a gravibus infirmitatibus, factis votis ad sepulchrum sancti Hyacinthi, liberantur. Similiter et uxor ejusdem civis Bochnensis in infirmitate gravi sanguinem vomens, sanatur. Factum mdxix et mdxxiii.

16 vi. Testis 23. Honesta Catharina Climuntowa *utriusque sexus* cerdonissa *b* Cracoviæ testatur, filium suum Bartholomæum in juvenili ætate sua per hebdomadas 4 magna fuisse detentum infirmitate, a qua statim post vota sanatur. Factum mdii.

vii. Testis 26. Anna uxor Fælicis sutoris in platea sutorum, in Quadragesima octo hebdomadas existens infirma a desperata infirmitate, perfectis votis E ab eadem sublevatur. Factum mdxxiii.

viii. Testis 31. Honesta Hedvigis Slodovoniczka, a gravi infirmitate patrocinio Sancti liberatur. Factum anno mdxxiii.

ix. Testis 37. Honesta Margareta Szimonova testatur, filium suum sex hebdomadibus infirmum, a desperata infirmitate fuisse liberatum.

x. Testis 38. Filius Martini Socha pellificis Cracoviensis infirmitate post vota liberatur. Mater testis.

xi. Testis 46. Honesta Anna, Martini Pograczarz de Cracovia uxor, filium vix decem dierum valde infirmum, eum vota explesset, sanum recipit. Anno Domini mdxxiii.

xii. Testis 54. Honesta Fælicia, uxor Bartholomæi arcuficis, in suburbio Cracoviensi degens, affirmat, puerum duorum annorum ab infirmitate quadam indicibili, in qua jam uno anno detinebatur, jacuisse; quem postquam ad Sancti tumulum devoverat, sanum rehabuit mdxxii.

17 xiii. Testis 59. Honesta Anna Jaworska pileatrix *c*, vidua in platea Wislensi Cracoviæ filium *et variæ conditionis* tredecim annorum a desparata infirmitate post vota facta sanum recipit mdxxiii.

xiv. Testis 60. Honesta Zophia uxor legitima Joannis Bialek muratoris in Clepardia, per sex hebdomadas in infirmitate gravi detenta, post vota expleta sanatur. F

xv. Testis 87. Nicolaus Krol Pangraczarz de Cracovia, gravi infirmitate depositus, post vota profesto S. Michaëlis liberatur. Similiter et uxor ejus Catharina, viro pro se vovente. Factum anno mdxxii.

xvi. Testis 89. Honesta Dorothea Mezua Cracoviæ affirmat, filium suum Sebastianum ab infirmitate, post vota facta, fuisse liberatum.

xvii. Testis 101. Honesta Catharina Woitkowa Garczarka in infirmitate ad Sanctum Dei recurrens sanatur.

xviii. Testis 107. Honesta Barbara Sadloniowa Cracoviæ cclxix hebdomadibus infirmata, precibus Sancti sanatur. Factum anno mdviii.

18 xix. Testis iii. Honesta Anna providi Floriani *diversis morbis,* aurificis Cracoviensis uxor, et scabini Castrensis supremi, in sua infirmitate ab omnibus medicis destituta, ad Sanctum recurrens sanatur. Vir ejus testis. Factum mdxxiii. Idem testis similia depouit de domino Joanne Bonar.

xx. Testis

EX IMPRESSIS xx. Testis 112. Honesta Catharina Koczielkowa Cracoviensis affirmat, filium suum a gravi et desperata infirmitate post vota facta, fuisse liberatum MDXX.

xxi. Testis 114. Honesta Anastasia Stanislai iustitoris uxor de Posnania per unum gravi infirmitate detenta et a medicis neglecta, ad Sanctum Dei confugiens sanatur. Factum anno MDXX.

xxii. Testis 115. Filia Dorotheæ Pilawiua Cracoviensis graviter infirmata, ad S. Hyacinthum devota, sanatur.

xxiii. Testis 116. Stanislaus Zuioszek pellifex Cracoviæ testatur, quod filius suus Adam ter a gravi mortali infirmitate liberatur. Pater testis. Factum MDXXI. Mater vero, ejusdem testis uxor, hoc idem contestatur; testis CXIX.

xxiv. Testis 127. Elizabeth Cracoviæ centum annorum testatur, neptem suam puellam et quamdam dominam Czerwienska gravibus infirmitatibus laborantes, non habito humano præsidio, ad Virum Dei confugientes, esse liberatas.

iisque gravissimis, 19 xxv. Testis 134. Honesta Zophia Steczkowa Cracoviensis testatur, quod puer filius suus na-
B turali quadam infirmitate oppressus post vota convalescit.

xxvi. Testis 141. Honesta Apolonia Hannszowa, civis Cracoviæ testatur, quod filia sua Hedvigis a desperata infirmitate ad sanitatem redit. Similiter et ipsa mater, post vota, ægra sanatur: Factum anno MDXIX.

xxvii. Testis 161. Erasmus Altophus civis Cracoviæ testatur, quod filius suus Joannes circa festum S. Michaëlis gravissima occupatus infirmitate sublevatur MDXIX.

xxviii. Testis 162. Michaël Faber civis Cracoviensis testatur, quod Gaspar filius suus lethali infirmitate percussus, profesto Pentecostes sanatur MDXXIII.

xxix. Testis 164. Joannes Warchol testatur, quod filius suus Thomas maxime ægrotans, et Sancto se diligenter commendans, sanatur. Factum MDXX.

xxx. Testis 167. Honesta Barbara Przesmianowa, uxor Mathiæ pistoris Cracoviæ testatur, quod filius suus septennis, a gravi infirmitate sanatur.

C xxxi. Testis 176. Honesta Ursula de Crowodrza testatur, quod filius suus a gravi infirmitate post vota facta sanatur.

interdum afflictæ, 20 xxxii. Testis 178. Fœlicia pistrix testatur, quod filius suus graviter infirmatus sanatur.

xxxiii. Testis 180. Agnes Rakowska testatur, quod filius suus a desperata infirmitate liberatur.

xxxiv. Testis 181. Nicolaus Gelonek infirmus, omnium medicorum ope destitutus, ad Sanctum se devovens, cito sanatur.

xxxv. Testis 183. Catharina Cranczowa testatur, Joannem Cranez virum suum ter a gravissima infirmitate, votis expletis, liberatum fuisse.

xxxvi. Testis 185. Bernardus pistor, dictus Jabloniecz, Cracoviensis multo tempore graviter infirmatus, post vota convalescit. Factum anno MDXXIII.

xxxvii. Testis 188. Nicolaus sutor Cracoviensis testatur, filiam suam Annam desperata infirmitate laborantem, post vota facta, fuisse liberatam.

xxxviii Testis 165. Margareta Stanislawowa a gravi infirmitate consurgit.

21 xxxix. Testis 200. Maritus Margaretæ Grodziczka Wilnæ post vota sanatur MDXXIII.

xl. Testis 210. Laurentius pannifex Cazimiriensis D a gravi infirmitate liberatur.

xli. Testis 212. Honesta Barbara Sebastiani *implorata S. Hyacinthi ope,* apothecarii Cracoviæ uxor, gravi infirmitate sublevatur. Quod etiam cum ipsa Martha monialis testatur.

xlii. Testis 213. Barbara de Bochnia dimidio anno gravissimum languorem habens, voto facto, sanatur.

xliii. Testis 215. Honesta Zophia de platea sancti Floriani Cracoviæ cum filia sua infirma, factis et expletis votis, sanatur.

xliv. Testis 214. Honesta Margareta de Arena infirmata sanatur.

xlv. Testis 216. Honesta Barbara, Sebastiani pistoris Cracoviensis uxor, eum filia sua diversis infirmitatibus sanatur.

xlvi. Testis 218. Honesta Hedvigis Claboczowa graviter infirmata sanatur.

xlvii. Testis 219. Dorothea puella servilis apud Nicolaum Gemski proconsulem Cracoviæ cum matre infirmata sanatur. Factum anno MDXVII.

22 xlviii. Testis 220. Honesta Hedvigis Jacobi de *et factis votis*
Rawa testatur, quamdam dominam Wielewiczka E
graviter infirmantem, et vota S. Hyacintho offerentem, esse sanatam.

xlix. Testis 224. Honesta Anna Janowa de platea S. Stephani graviter infirmata, post vota facta sanatur.

l. Testis 226. Honesta Anna, uxor Joannis Saletrnik sub castro manens, bis graviter infirmata, post vota sanatur.

li. Testis 227. Puella Annæ uxoris Stanislai Ziemianin Cracoviæ a desperata infirmitate liberatur.

lii. Testis 229. Margareta de Cracovia infirma cito liberatur.

liii. Testis 231. Dorothea, Stanislai Mondrii Bastarii de Cracovia uxor, a gravissima infirmitate, facta sibi revelatione, ut voveret ad Sanctum, sanatur.

liv. Testis 232. Matrona Dorothea Caraskowa de Clepardia in platea Sancti Joannis manens, testatur puerum suum graviter infirmatum, et ad Sanctum devotatum, fuisse liberatum.

lv. Testis 240. Matrona Catharina testatur, quod puer biennis infirmatus sanatur.

lvi. Testis 242. Honesta Dorothea Stanislai lictoris *d* Cracoviæ uxor, testatur, quod puella filia sua F
graviter infirmata post vota sanatur.

23 lvii. Testis 249. Honesta Hedvigis Stanislai *ad tumulum ipsius,* muratoris, sub arce Cracoviensis degentis uxor testatur, virum suum ter graviter infirmatum, post vota sanum repertum esse.

lviii. Testis 252. Jacobus custos Cracoviensis et uxor illius et filius graviter infirmi post vota sanantur.

lix. Testis 259. Margareta de Stradomie duos filios, primum per unum annum gravi infirmitate detentum, alium graviter in terram collapsum et vulneratum, sine aliquibus medicamentis, post vota facta, sanos recipit.

lx. Testis 260. Honesta Fælicis uxor pictoris Joachim civis Cracoviensis eum filio suo a gravi infirmitate liberatur.

lxi. Testis 261. Nobilis Zophia Ruszieczka testatur, virum suum graviter infirmantem post vota convaluisse.

lxii. Testis 262. Honesta Barbara uxor Philippi horologiatoris testatur, virum suum graviter infirmantem, post vota convaluisse.

lxiii. Testis 263. Zophia inquilina apud Giziwna

A ziwna civem Cracoviæ graviter infirmata sanatur.

ab infirmitatibus suis

24 LXIV. Testis 264. Honesta Elizabeth de Cazimiria uxor Joannis barbitonsoris testatur, filium suum a gravi infirmitate fuisse liberatum.

LXV. Testis 266. Nobilis Catharina Stradomska a lethali infirmitate liberatur.

LXVII. Testis 267. Honesta Anna de platea Slocoviensi graviter infirmata sanatur.

LXVI. Testis 271. Abraham civis Cracoviensis de platea S. Joannis, cum uxore sua gravibus infirmitatibus vexati, post vota sanantur.

LXVIII. Testis 274. Honesta Barbara Blasii serifabri uxor de platea Castrensi testatur, quod filium suum graviter infirmatum post vota sanum recepit.

LXIX. Testis 276. Honesta Agnes de Biskupie graviter infirmata sanatur.

LXX. Testis 280. Honesta Zophia Hanusowa ab infirmitate quatuor annorum sanatur.

LXXI. Testis 285. Gregorius murator a gravissima infirmitate liberatur.

LXXII. Testis 297. Martinus Agnetis de cerdonio e

B vico graviter infirmus sanatur.

LXXIII. Testis 298. Filius Fæliciæ Sliosarka, infirmus sanatur.

LXXIV. Testis 301. Joannes Lieszien, in prædio Domini Klisewski manens, a quadam gravi infirmitate, post vota ad Sanctum facta, liberatur.

mirabiliter liberatæ sunt,

25 LXXV. Testis 306. Honesta Zophia Valentini rotificis de Clepardia uxor, tam in sua, quam in mariti sui gravi infirmitate, consolationem habet.

LXXVI. Testis 307. Honesta Hedvigis Kurkowa de Clepardia graviter infirmata, apparente S. Hyacintho, sanatur.

LXXVII. Testis 309. Jacobus Scholasticus Martini de Przasznik diœcesis Plocensis clerici frater germanus, ab infirmitate consurgit.

LXXVIII. Testis 312. Religiosa Anna abbatissa monasterii S. Augustini in Zwierzinicez sub arce Cracoviæ siti, diversis temporibus in suis infirmitatibus ad Sanctum confugiens, liberatur.

LXXIX. Testis 314. Honesta Catharina, Petri sculptoris Cracoviæ uxor, gravissima infirmitate pressa sanatur.

LXXX. Testis 317. Zophia famula Adæ notarii Castrensis graviter infirmata sanatur, votis ad Sanctum

C expletis.

et beneficium sibi

26 LXXXI, Testis 319. Honesta Catharina, Andreæ pellificis Cracoviæ uxor, una cum filio infirma graviter pressa morbo, post vota sanatur.

LXXXII. Testis 321. Catharina inquilina apud dominam Bidlenska in platea Vislcusi manens, subita quadam infirmitate correpta, sanatur.

LXXXIII. Testis 322. Providus Stanislaus sartor Cracovienses in mense Maii gravissime infirmatus, ad vota recurrens, sanatur. Factum MDXXIII.

LXXXIV. Testis 328. Gallicianus Mantuanus chirurgus, et barbitousor episcopi Posnauiensis, in gravissima infirmitate constitutus, dum humano caret, divino juvatur auxilio, et convalescit. Factum anno MDXXII.

LXXXV. Testis 345. Dorothea, dominæ Annæ Mastalina famula, septem annis gravissima infirmitate detenta, a medicis derelicta, apparente S. Hyacintho, sana et valida consurgit.

LXXXVI. Testis 356. Stanislaus Urbanek de Casimiria consul testatur, quod filius suus graviter infirmatus post vota facta sanatur.

LXXXVII. Testis 357. Stanislaus Maszno et Fælicia conjuges de Zakrzow cum juramento deposuerunt, quod Stanislaus gravissima infirmitate depositus, postea ad S. Hyacinthum devotatus, subito sanatur.

ex infirmitate

vel aliis præstitum

27 LXXXVIII. Testis 360. Stanislaus vitreator Cracoviensis una cum puero suo graviter infirmati sanantur.

LXXXIX. Testis 364. Laurentius architector de Cazimiria et puer ipsius filius, bis acriter infirmata, ad sepulchrum S. Hyacinthi devotati, sanantur.

XC. Testis 370. Hedvigis Franczbankowna graviter infirmata, revelatione habita, et devotione ad Sanctum sanatur.

XCI. Testis 374. Anna de Cracovia gravissime infirmata, apparente sibi S. Hyacintho, pristinæ sanitati restituitur.

XCII. Testis 376. Generosa domina Zophia Stongiewska a longa, et incurabili infirmitate post vota facta sanatur. Factum anno MD.

XCIII. Testis 388. Anna puella filia Annæ viduæ civis Cracoviensis, gravi et desperata infirmitate conquassata, post vota convalescit. Contestantibus D. Simone clerico diœcesis Wratislaviensis et D. Joanne clerico diœcesis Cracoviensis. Factum anno MDXXIII. E

XCIV. Testis 384. Puella matronæ Hedvigis de platea S. Annæ Cracoviensis gravi infirmitate pressa sanatur.

XCV. Testis 387 Elizabeth uxor Michaëlis pistoris, Cracoviæ circa portam novam degentis, bina vice a gravissima infirmitate patrocinio S. Hyacinthi liberatur. Factum anno MDXX.

jurejurando confirmarunt.

28. XCVI. Testis 388. Stanislaus introligator *f*, et uxor Barbara et filius eorum a gravibus infirmitatibus, diverso tamen tempore, patrocinio S. Hyacinthi liberantur. *f*

XCVII. Testis 393. Filius Annæ de platea Slakoviensi Cracoviæ upud Caliethnik inquilinæ per longum tempus infirmatus sanatur.

XCVIII. Testis 395. Puella filia Carharinæ, in cerdonia Cracoviæ manentis, graviter infirmata post vota facta sanatur.

XCIX. Testis 401. Puella filia Annæ viduæ de Biskupie decem hebdomadibus tamquam lignum stupidum jacens, devota ad S. Hyacinthum cito convalescit.

C. Testis 402. Nobilis Andreas Cziganowski a gravissima infirmitate intrinseca, facto voto, convalescit. F

CI. Testis 403. Famatus Martinus tubicinator Regiæ Majestatis honestam Hedvigim uxorem suam post vota facta et completa, apparente sibi S. Hyacintho, et de canonizatione sua admonente, lætam, et sanam recipit, miraculo publicato. Factum anno MDXXIV, XXIX Aprilis.

ANNOTATA.

a Bochna *vel* Bochnia *est oppidum Poloniæ in palatinatu Cracoviensi situm, et quinque leucis ab urbe Cracoviensi distat, ut Zeillerus in Germanica Poloniæ descriptione pag.* 80 *tradit.*

b *Per* cerdonissam *hic intelligo uxorem cerdonis.*

c Pileatrix *verosimiliter hic significat uxorem opificis, qui conficit pileos. In his miraculis occurrunt plura hujusmodi barbara opificiorum nomina, quæ deinceps non explicabimus, quando eorum significatio utcumque intelligi potest.*

d *Quænam sit significatio vocis* lictor, *passim apud Latinos notum est. Sed suspicor, hic nomine illo indicari aliud officium: nam Dorothea ista, uxor lictoris, hoc loco cognominatur* honesta

 sta, *quod epitheton uxori lictoris sive carnificis non videtur covenire.*

e *Conjicio, hic* cerdonio vico *significari plateam seu partem urbis Cracoviensis, in qua cerdones habitant. Sic infra dicitur sanata esse quædam filia Catharinæ, Cracoviæ* in cerdonia *habitantis, qua expressione eumdem locum indicari opinor.*

f *Quid sit* introligator, *plane ignoro. Si hic non sit vitium typothetæ forsan Poloni officium aut opificium introligatoris intelligent.*

SECTIO IV.

Liberati doloribus et incommodis membrorum, ad caput ac collum pertinentium.

Plures tum feminæ,

1. Testis 54. Honesta Fælicia uxor Bartholomæi Areuficis intenso dolore capitis pressa per triduum, votis expletis, continuo sanatur MDXXI.

B

II Testis 62. Honesta Catharina Laurentii Cracoviensis uxor vertiginem passa capitis doloremque, post vota expleta, perfecte sanatur.

III. Testis 95. Mathias Szoldra Cracoviensis a nimio dolore capitis invasus liberatur.

IV. Testis 109. Zophia Hakowa vidua Cracoviensis ab irremediabili dolore capitis sanatur. Factum anno MDXXIII.

V. Testis 128. Dorothea puella de Lublin gravi vertigine cerebri pressa sanatur.

VI. Testis 137. Anna puella servilis, de Piotrkow *a* oriunda, gravi capitis oculorumque dolore, apparente sibi sancto Hyacintho, post vota sanatur.

a

VII. Testis 144. Catharina Pasternianka puella gravissimo dolore capitis sanatur. Factum anno MDXXII. Contestatur etiam huic facto mater ipsius Barbara Pasternakowa testis CXLIII.

tum viri,

30 VIII. Testis 149. Honesta Barbara Remultowa pileatrix civis Cracoviensis per duas hebdomadas gravissimo dolore capitis oppressa post vota sanatur. Cui sub juramento contestatur maritus suus Nicolaus Remulth MDXXIII.

C

IX. Testis 161. Honesta Margareta uxor Erasmi Altophi civis Cracoviensis gravissimo dolore capitis pressa in festo conversionis sancti Pauli post vota sanatur. Factum anno MDXX.

X. Testis 167. Honesta Barbara Przesmianowa Cracoviæ ob dolorem capitis mente capta sanatur.

XI. Testis 168. Honesta Barbara Woitkowa integro anno dolore capitis infirmata sanatur.

XII. Testis 174. Joannes Labuski de Pilzno sartor a vertigine cerebri liberatur.

XIII. Testis 185. Bernardus pistor, dictus Jablonicez, ob nimium dolorem capitis in furorem versus, et ab amicis ligatus, per vota cujusdam dominæ Voianczkowna pro ipso facta, et ab insania et a morbo perfecte liberatur MDXX.

invocato S. Hyacinthi auxilio,

31 XIV. Testis 193. Honesta Hedvigis uxor Mathiæ magistri cocorum Regiæ Majestatis gravissimo dolore capitis detenta, dum vota sua offert, beneficium sentit MDXXIII.

XV. Testis 220. Honesta Hedvigis Jacobi de Rava mercatrix Cracoviæ dolore capitis liberatur.

XVI. Testis 228. Honesta Catharina Stanislai Clecha Bochnensis uxor, præ dolore capitis nimium fluxum sanguinis passa, qui a medicis sisti non potuit, sanatur.

XVII. Testis 251. Honesta Margareta Strzelczowa Cracoviæ a nimio dolore capitis liberatur.

XVIII. Testis 277. Dorothea uxor Fælicis Naiberger aurifabri nimio dolore capitis pressa liberatur. Contestatur sub juramento vir suus.

XIX. Testis 278. Honesta Agnes de Cazimiria, Lucæ filia, dolore intenso capitis liberatur. Factum anno MDXXII.

XX. Testis 296. Honesta Elizabeth in platea S. Nicolai manens, infirma capite sanatur.

32 XXI. Testis 311. Joannes carpentarius per medium annum ob nimium dolorem capitis in amentiam versus, facto pro se voto ad Virum Dei, integre sanatur. Quod ipse et Anna uxor ejus, et filius Laurentius sub juramento testantes approbaverunt. *per intercessionem ejus*

XXII. Testis 324, Religiosa Zuzanna Regulina tertiæ regulæ Ordinis S. Francisci, apostemate in naso percussa, post vota sanatur.

XXIII. Testis 325. Andreas Maslni ante portam sancti Nicolai manens, in mense Aprili ob nimium dolorem capitis in amentiam versus, post vota ad Virum Dei facta, apparente sibi sancto Hyacintho, perfecte sanatur MDXXIV. E

XXIV. Testis 332. Honesta Zophia Nicolai Czarnii uxor, ob dolorem capitis per spatium sex mensium sanguinem e naribus fundens, dum per medicos sanari non poterat, invocato patrocinio Sancti, liberatur.

XXV. Testis 348. Stanislaus aulicus regis, per quemdam Scotum veneno propinato, capitis insaniam passus, per vota ad Beatum facta, Sancto sibi apparente, a prædicta insania liberatur. Contestatur hoc factum Catharina Swaczka de Casimiria. Factum anno MMXXIV.

33 XXVI. Testis 365. Nicolaus pistor Cracoviæ fluxum sanguinis e naribus multo tempore passus, et ab hac gravi ægritudine laborans, dum per medicos sanari non posset, per Sanctum liberatur. *magno capitis*

XXVII. Testis 366. Stanislaus de Cleparz a gravi dolore capitis sanatur.

XXVIII. Testis 368. Religiosa virgo Barbara, tertiæ regulæ sancti Dominici, magno dolore capitis, prece ad Sanctum fusa, perfecte sanatur. F

XXIX. Testis 397. Margareta Nicolai coci uxor, phrenesim, et capitis dolorem vehementem patiens, post vota recuperatur. Factum MDXXI.

XXX. Testis 400. Honesta Margareta Altophi, institoris Cracoviensis uxor, bina vice dolorem capitis gravissimum sentiens, post vota sanatur. *et dentium dolore*

34 I. Testis VIII. Honesta Zuzanna Laurentii cantrifusoris *b* uxor vehementi dolore dentium liberatur, voto facto. Factum anno MDXXI. *b*

II. Testis 15. Stanislaus filius Mathiæ Czamii pellificis sanatur.

III. Testis 29. Honesta Catharina Francova vidua Cracoviæ ab eodem dolore liberatur.

IV. Testis 92. Honesta Anna Golkowa naturali gravique dolore dentium liberatur. Factum anno MDXXII.

V. Testis 99. Honesta Barbara uxor Laurentii sutoris Cracoviæ similiter MDXIX.

VI. Testis 110. Honesta Anna uxor Petri Porembski eodem dolore liberatur.

VII. Testis 150. Honesta Dorothea Niclowa vidua in platea cerdonum Cracoviæ MDXIII.

VIII. Testis 162. Honesta Anna uxor Michaëlis fabri civis Cracoviæ similiter MDXX.

IX. Testis 172. Honesta Magdalena Gierlachowna puella Cracoviæ similiter MDXXII.

X. Testis 176. Honesta Ursula uxor Jacobi de

A de Krowodrza eodem dolore liberatur.

xi. Testis 177. Honesta Zophia puella de Cracovia dentium gravi dolore liberatur.

statim liberantur. 35 xii. Testis 201. Honesta Hedvigis conjunx Nicolai muratoris similiter.

xiii. Testis 223. Honesta Ursula, Lucæ pileatoris Cracoviæ uxor, in platea Vislensi manens, una cum filia sua dolore dentium post vota sanatur.

xiv. Testis 233. Honesta Dorothea Thomanowa de platea S. Joannis similiter.

xv. Testis 242. Honesta Dorothea Stanislai lictoris Cracoviensis uxor similiter.

xvi. Testis 289. Honesta Agnes, uxor Nakiel sellatoris Cracoviæ, eodem dolore liberatur.

xvii. Testis 337. Honesta Anna Stanislawowa de Cracovia similiter.

xviii. Testis 341. Honesta Catharina, Valentina cognominata, similiter.

xix. Testis 349. Honesta Barbara Czeczotkowa de Ogrodniki *c*, apparente sibi sancto Hyacintho, et eam ad votum faciendum admonente, a dolore prædicto sanatur.

xx. Testis 375. Generosa Catharina Domini Joan-

B nis Haller proconsulis Cracoviensis filia etc.

Quædam personæ etiam 36 i. Testis 6. Religiosus Frater Jacobus, sacerdos Ordinis S. Dominici, bis oculis captus, per merita sancti Hyacinthi sanatur.

ii. Testis 20. Honesta Catharina virgo, quinquaginta annis virginitatem suam ducens, oculorum dolore sanguinem fundentium post vota sanatur.

iii. Testis 21. Mathias Porembski civis Cracoviæ magno dolore oculorum liberatur MDXXII.

iv. Testis 22. Agnes filia Brudzowski serifabri civis Cracoviæ, cæca 10 hebdomadibus, post vota illuminatur, et ipse serifaber Brudzowski cæcus duobus annis post vota illuminatur. Factum anno MCDXCIII et MDVII.

v. Testis 57. Honesta Catharina Hauusowa dolore tacta oculorum sanatur MDXXI.

vi Testis 59. Honesta Anna Javorska pilcatrix vidua, Cracoviæ oculorum dolore et corrosionibus vexata per medium anuum, post emissa vota sanatur.

C vii. Testis 64. Honesta Barbara Stefanowua Nozewnicka Cracoviæ capta oculis per uuum annum, et post oblatiouem votorum illuminatur.

viii. Testis 71. Filius Catharinæ Chwastowa de Proszowicze duobus anuis cæcus post vota completa illuminatur. Factum anno MDXXI.

in doloribus oculorum 37 ix. Testis 77. Honesta Agnes Andreæ Grouostai Cracoviensis etc. duobus annis gravem oculorum dolorem passa liberatur. Factum anno MDXX.

x. Testis 90. Providus Andreas caldeator, et Anua uxor ejus deposuerunt, quod uterque longo et gravi oculorum dolore vexati, redditis votis ad Sancti sepulchrum, sanantur. Factum anno MDXXIII.

xi. Testis 99. Honesta Barbara Laurentii sutoris, oculorum sanguineum dolorem habens maximum per 4 septimanas, sanatur. Factum anno MDIX.

xii. Testis 107. Honesta Barbara Sadloniova per tres septimanas privata beneficio oculorum ob infirmitatem, factis votis, sanatur.

xiii. Testis 117. Joannes Baryla sutor Cracoviensis bis a gravi dolore oculorum sublevatur. Factum anno MDXXI.

xiv. Testis 122. Honesta Hedvigis Kobylinska gravi oculorum dolore pressa, post vota ad Sanctum completa, sanatur, et factum dominis *ex inquisit.* Commissariis revelat anno MDXXIII.

xv. Testis 125, Honesta Hedvigis Mathysowa maximo sanguineo dolore oculorum vexata post vota sanatur.

xvi. Testis 138. Agnes puella Cracoviensis privata beneficio oculorum dimidio anno, postquam vota complevit, beneficium recepit MDXXIII.

38 xvii. Testis 162. Joannes filius Michaëlis fabri *et periculo exoculatis* Cracoviæ iii Decembris ferro oculum excæcatum habens, parentibus pro se vota offerentibus, sanatur anno MDXX.

xviii. Testis 164. Zophia filia Joannis Warchol Cracoviensis gravissimo dolore oculorum oppressa, parentibus pro se Sanctum supplicantibus, perfecte sanatur anno MDXX.

xix. Testis 182. Paulus de Krupniki figulus, oculorum beneficio privatus, illuminatur.

xx. Testis 184. Albertus lotor vestimentorum Regiæ Majestatis cum filio suo captus lumine oculorum, post vota reddita, uterque illorum sanatur anno MDXXII.

xxi. Testis 202. Barbara filia Dorotheæ de Krupniki triennio laborans oculis, per parentes suos ad S. Hyacinthum devotata, sanatur. E

xxii. Testis 234. Filia Agnetis Pawlova Gurbarka sanguineo dolore oculi liberatur.

xxiii. Testis 245. Quædam famula dominæ Catharinæ de platea S. Joannis sanatur.

xxiv. Testis 246. Filius Catharinæ Jenoczina beneficium oculorum a cane morsus recuperat, et testis mater ipsius, oculis per quatuor septimanas capta, sanatur.

xxv. Testis 258. Filius Catharinæ uxoris Thomæ muratoris Cracoviæ sanatur.

xxvi. Testis 262. Honesta Barbara uxor horologiatoris oculorum dolore pressa sanatur.

xxvii. Testis 263. Zophia inquilina apud Grzywnam civem Cracoviæ apostema habente filio suo in oculo, per vota facta ad Sanctum depulit.

39 xxviii. Testis 282. Filia Catharinæ uxoris Joannis mensatoris de Cracovia medio anno usu oculorum privata, post vota reddita sanatur. *opem ejusdem Sancti expertæ sunt;*

xxix. Testis 291. Catharina de Krupuiki dolore oculorum infirmata sanatur.

xxx. Testis 298. Fælicia Slioszarka de platea S. Nicolai post vota visum recuperat. F

xxxi. Testis 301. Joannes Liefzien privatus oculorum beneficio post vota sanatur.

xxxii. Testis 318. Anna Grusczina dolore oculorum oppressa sanatur.

xxxiii. Testis 325. Andreas Maszlnii per octo hebdomadas oculis privatus, postquam vota complevit ad tumbam Sancti, in mense Septembri illuminatur MDXX.

xxxiv. Testis 333. Simon murator Cracoviæ magno dolore oculorum liberatur.

xxxv. Testis 335. Honesta Anna vidua Cracoviæ puerum suum a dolore oculorum per vota liberavit.

xxxvi. Testis 343. Honesta Helena Karvatowa Cracoviæ in dextro oculo dolens sanatur.

xxxvii. Testis 344. Puer honestæ Dorotheæ uxoris Nicolai Pierzchala Cracoviæ mercatoris, octo hebdomadibus dolore oculorum pressus, post vota sanatur. Factum anno MDXXII.

xxxviii. Testis 359. Nobilis Georgius Legniczki maximo dolore oculorum vexatus post vota completa sanatur.

xxxix. Testis 407. Filia generosi domini Joannis, Pienyazek ex familia S. Hyacinthi Odrowonz

ex impressis wonz dicta, ab oculorum dolore liberatur.

xl. Tabula 88. Nicolaus de Ilza artium baccalaureus summo dolore capitis, et oculorum liberatur, facto pro se voto, in mense Octobri anno MDXXIII.

aliæ autem angina, 40 i. Testis 10. Martha Thomaszowa ob neglectum votum, quod ad Sanctum promiserat, cœpit ore incurvari; ita quod omnino retortum habens, gravem inde sentiret dolorem; at vero post completum votum, os perfecte sanatur. Factum anno MDXXIII.

ii. Testis 25. Apollonia Cracoviensis civis a doloribus gutturis, manuum, et pedum, votis ad Sanctum factis, sanatur.

iii. Testis 40. Reverendus D. Mathias de Cracovia clericus, et in Lyszagora parochialis Rector, ex ulcere gravi in gutture defixo, toto integro triennio laborans, cum nullo cederet remedio, ad S. Hyacinthum recurrens cum voto, in mense Aprili sanatur. Factum anno MDXXIII.

iv. Testis 41. Honesta Agnes uxor sartoris Grosz de Cracovia puerum medii anni babens attulit, qui gutturis dolore suffocabatur, et post B vota parentum ad Sanctum, sanatur. Factum anno MDXXIII.

v. Testis 50. Honesta Catharina magni Andreæ uxor civis Cracoviæ ex magna infirmitate sua usum loquelæ perdiderat, quam confugiens ad Sanctum Dei cito recuperavit.

vi. Testis 52. Nicolaus Rivolt pilcator de platea Wislensi Cracoviæ morbo squinantiæ uno atque eodem anno bis evadit, patrocinio S. Hyacinthi sibi advocato, MDXXIII mense Aprili.

incommodis colli, 41 vii. Testis 74. Honesta Anna Piotbrowa de Stradomyc morbum squinanticum passa, ad Sanctum recurrens sanatur. Factum anno MDXXIII.

viii. Item etiam eadem osse piscis suffocata in gutture, invocato S. Hyacinthi patrocinio, liberatur profesto Inventionis sanctæ Crucis. Testatur tabula 54 anno MDXVIII.

ix. Testis 97. Honesta Petronilla Niedbalczina in sua puerili ætate ex infirmitate os retortum babens, precibus parentum ad Sanctum porrectis redit ad suum locum sana.

x. Testis 98. Honesta Catharina Lorinczowa C magno dolore gutturis oppressa, sacerdote legente pro ea ad sepulchrum Sancti Missam votivam, statim a prædicto dolore liberatur. Factum anno MDXXIII.

xi. Testis 105. Paulus de Corczinin in diœcesi Plocensi ob gravem infirmitatem usum loquelæ perdiderat, quam post vota facta, post Pascha die et mense certis recuperat anno MDXXIII.

xii. Testis 129. Ursula Swidrowa de Lobzow a squinantia liberatur MDXVIII.

xiii. Testis 159. Catharina de Lenczicza per decem hebdomadas gravissimo dolore gutturis pressa post vota sanatur anno MDXIX.

linguæ, 42 xiv. Testis 148. Blasyus Wydra de Radomye notarius Vicariatus Cracoviæ nobilis, circa festum S. Michaëlis in Villa Opathkowicze comedens aves quisquillas *d*, os avis in gutture ejus ita fortiter hæsit, quod humano præsidio extrahi non poterat; et cum jam de vita desperaretur, ad S. Hyacinthum per vota recurrens, statim ab osse liberatur anno MDXXIII.

xv. Testis 152. Magnificus Dominus Nicolaus de Pilcza Palatinus Sendomiriensis, cum semel coram matre sua Zophia Palatina Sendomiriensi Sanctum Dei blasphemaret, nocte eadem usum loquelæ perdidit tam diu, donec iterum præ matris votis apud Sanctum Dei hic blasphemus expiaretur, et tunc statim perfecte correctus loquebatur. Factum anno MCDLXXX. D

xvi. Testis 166. Stanislaus filius honestæ Agnetis Gabrielowa Cracoviæ osse piscis suffocatus, ad S. Hyacinthum matre recurrente, sanatur MDXXIII.

xvii. Testis 171. Honesta Magdalena Dampleszowa semel osse piscis, secundo vero frusto pomi ob neglectum votum suffocata, ad Sanctum Dei recurrens liberatur.

xviii. Testis 201. Puer quatuor annorum filius Nicolai muratoris Cracoviensis casu digitarium, alias naparstek *c*, deglutivit, qui ei ita in gutture hæsit, ut nulla arte humana adjuvari posset, ita ut jam puer morti vicinus ore spumare inciperet. At matre ad Sanctum Dei virum recurrente, ab illa gravi suffocatione gutturis liberatur. Hoc miraculum contestatur F. Georgius Lector post prandium supra miraculo 19 anno MDXIX.

43 xix. Testis 261. Honesta Zophia Ruszieczka oris, dolore gutturis liberatur.

xx. Testis 295. Honesta Catharina Benedictorum apud sanctimoniales S. Andreæ manens Cracoviæ, E osse ex carnibus in gutture suffocatur, et post vota liberatur. Factum anno MDXXIII.

xxi. Testis 313. Religiosa Ursula sanctimonialis D. Augustini Cracoviæ casu ex osse piscis comedens, suffocatur, et humanis deficientibus præsidiis, ad divina recurrens, mediante Sancto, liberatur.

xxii. Testis 314. Honesta Catharina Petri sculptoris de Cracovia, cum mater sua ob infirmitatem usum loquelæ amisisset, filia pro illa vovente; eidem loquelam præsidio Sancti Dei recuperat.

xxiii. Testis 338. Stanislaus, Wlodarz de Crovodrza apostema et tumorem in gutture passus sanatur.

xxiv. Testis 372. Honesta Anna Focaria apud Porembski Cracoviensis per duas hebdomadas maximo dolore gutturis liberatur.

xxv. Testis 389. Puer filius Mathiæ muratoris sub Castro Cracoviæ magno dolore gutturis post vota liberatur.

xxvi. Testis 399. Honesta Anna vidua de Casimiria, tribus annis continuis dolorem et morbum gutturis passa, liberatur. Factum anno MDXXIII. F

44 i. Testis 95. Providus Mathias Scboldra Cracoviæ sutor, passus surditatem 4 mensibus, post vota facta sanatur. Factum anno MDXXIII. ac aurium liberatæ sunt.

ii. Testis 135. Honesta Agnes Walkowa de Crupniki, vermem quemdam sinistra aure percipiens tribus diebus vexabatur; at post vota facta, vermis expellitur.

ANNOTATA.

a *Opinor, hoc nomine assignari Petricoviam, urbeculam majoris Poloniæ, quæ in Palatinatu Siradiensi sita est, et quam indigenæ idiomate suo vernaculo* Peotrkow *appellant.*

b *Forsan per* cantrifusorem *hoc loco intelligitur artifex, qui cantharos ex stanno aut alio metallo fundit, quandoquidem scriptores medii ævi* cantharum *etiam nominant* cantrum, *ut in auctore Cangii Glossario ad hanc vocem licet videre.*

c *Probabiliter hic indicatur castrum in rupe constructum et in Palatinatu Cracoviensi situm, quod Latine* Ogrodenecia *vocatur, ut apud Zeillerum in Germanica Poloniæ descriptione pag.* 91 *traditur.*

d *Arnoldus*

A d *Arnoldus Villanovanus apud Ulyssem Aldrovandum tomo* 2 *Ornithologiæ lib.* 13 *cap.* 22 *sive pag.* 152 quisquilam *usurpavit pro coturnice. Hinc colligo, quod Severinus Cracoviensis per* quisquillas *designare voluerit easdem aves.*

c *Hac voce* naparstek *haud dubie exprimitur nomen vernaculum, quo apud Polonos digitale istud instrumentum appellatur.*

SECTIO V.

Dolor pectoris aliarumque vicinarum partium, et languor pedum manuumque curati.

Varii oppressi cardialgia,

I. Testis 8. Honesta Anna cantrifusoris uxor Cracoviæ pueri sui, gravissimas corrosiones in ventriculo habentis, post vota pro eo præstita, sanatione lætatur. Factum anno MDXXI.

II. Testis 11. Martinus filius XII annorum Al-B berti Dronzek de suburbio Cracoviæ profesto Paschæ a fluxu ventris, et a gravi infirmitate curatur MDXXIII.

III. Testis XII. Honesta Catharina Collegiatka de Cracovia inquilina apud domos Conventus S. Dominici in mense Aprili pectoris et gutturis ab insanabili dolore levatur. Factum anno MDXXIII,

IV. Testis 17. Uxor providi Mathiæ Szyrmierz sutoris Cracoviensis triennio a gravibus punctionibus cordis cum magno dolore per Sancti patrocinium sublevatur. Factum anno MDXX.

V. Testis 24. Agnes Swidrowa de Lobzowo a dolore cordis sanatur.

VI. Testis 77. Honesta Agnes uxor Andreæ Gronostai per duodecim annos magnam pectoris infirmitatem passa sanatur. Hoc idem contestatur testis CLXIX.

VII. Testis 80. Joannes Pudelko tussi pectoris mortali pressus, propter quam jam loqui non poterat, per Magdalenam uxorem suam devotatus sanatur MDXX.

VIII. Testis 91, Laurentius septem annorum filius Prantoris, et ipse Petrus pater suus gravi interiorum C dolore vexati liberantur.

seu pectoris et cordis

46 IX. Testis 100. Honesta Catharina Procopowa Garnczarka dolorem iuteriorum per viginti annos passa sanatur anno MDXXII.

X. Testis 106. Honesta Regina Naymanowa Cracoviæ septem annis morbo cordiaco vexata post vota facta liberatur.

XI. Testis 129. Honesta Ursula Swidrowa a gravi intrinseca intestinorum vexatione, apparente sibi S. Hyacintho iu visu, et ipsam sanante, liberantur MDXVIII.

XII. Testis 130. Elizabet uxor Alberti pellificis Cracoviæ morbo mammillæ gravissimo post partum Joannis filii sui occupata, post vota reddita sanatur. Factum anno MD.

XIII. Testis 131. Elizabet filia Annæ Sebabczina tribus annis infirmitate tussis vexata sanatur. Anna mater testis.

XIV. Testis 147. Nobilis Jacobus Colatowski diœcesis Posnaniensis et Notarius officiuæ Vicariatus Cracoviæ ab irremediabili dysenteria post vota liberatur. Factum anno MDXXIII.

XV. Testis 159. Honesta Anna, generosæ Dominæ Catharinæ Kosczieleczka, thesaurariæ regni Poloniæ filia, a gravi apostemate in pectore in sinistra mamilla post vota sanatur. Factum anno MDXIX. *EX IMPRESSIS*

XVI. Testis 198. Laurentius Wawrzynek de Clepardia, a cordiaca *a* passione meritis et intercessione Sancti liberatur anno MDXX.

XVII. Testis 203. Filius nobilis Hieronymi Braczieiowski civis Cracoviensis ab apostemate sub alis habito sanatur.

47 XVIII. Testis 204. Mathias Krupnik a dolore dorsi liberatur. *aliisque interiorum doloribus,*

XIX. Testis 230. Margareta Nogawczina uxor sartoris Cracoviensis in platea Vislensi usum linguæ deperditum reaccipit. Factum MDIII.

XX. Testis 247. Catharina uxor Hanus muratoris Cracoviæ loquelam, quam amiserat, votis perfectis, resumit.

XXI. Testis 277. Dorothea Naibergerowa civis Cracoviæ iu mammilla apostema habens, cum vota reddidisset, sanatur.

XXII. Testis 283. Hedvigis Bernardi pistoris Cracoviæ uxor, gravissimas corrosiones ventris habens, sanatur.

XXIII. Testis 290. Mathias Lupus Cracoviæ sellator a gravi tussi liberatur, apparente sibi in visu S. Hyacintho. E

XXIV. Testis 304. Joannes Baszynski de platea sancti Joannis Cracoviensis corrosiones in medullis ossium habens sanatur.

XXV. Testis 310. Catharina Jurkowa de Cazimirz dolore pectoris sanatur.

XXVI. Testis 336. Zophia mulier de Cracovia magno dolore intestinorum et ossium divexata, post vota ad Sanctum facta sublevatur.

XXVII. Testis 367. Anastasia virgo monialis de tertia regula S. Dominici tribus annis dolorem cordis et cordiacam passa sanatur anno MDXX.

XXVIII. Testis 390. Joannes Byelski librorum ligator Cracoviæ, morbum passus intriusecum, miraculose sanatur.

XXIX. Testis 392. Joannes Lyeszianin civis Cracoviensis, asperrimam interiorum corrosionem patiens, post vota sanatur.

48 XXX. Tabula 13. Uxor pictoris Sebaldi civis Cracoviæ dolore pectoris gravissimo pressa, ad Sanctum recurrens, liberatur anno MDXXI. *auxilium S. Hyacinthi experiuntur:*

XXXI. Tabula 14. Famata domina Martha de platea sancti Spiritus civis Cracoviensis, per quinque annos dorso vehementer cruciata, patrocinio S. Hyacinthi sanatur perfecte anno Domini MDXXI.

XXXII. Tabula 37. Puella dominæ olim conjugis Andreæ Pilawa, tussi gravissima oppressa, voto facto, liberatur anno MDXX. F

XXXIII. Tabula 42. Generosa domina Kosczieleczka, uxor domini Andreæ Koszczieleszki vicethesaurarii Regni cordiaca passione, toxico, et capitis vertigine oppressa, per vota ad Sanctum facta sanatur anno MDXXI.

XXXIV. Tabula 43. Generosa domina Regina Sapbranczowa existens in sua teneriore ætate, fœtido et oculis humanis inconspectabili tumore et apostemate percussa, cum ad Sancti auxilium se omnino convertisset, turpe apostema cessit anno MDXX.

XXXV. Tabula 44, Domina Pilawiua pectoris simul et gutturis ulcus habens pessimum, invocato Sancti patrocinio, sanatur anno MDXXI.

XXXVI. Tabula 95. Michaël Kyenski a maximo dolore cordis, et infirmitate, S. Hyacinthi fultus adjuvamine, sanatur anno MDXXIV.

49 I. Testis 7. Nicolaus Noszck corrosionem pedum viginti annis passus, post vota ad Sanctum, facta sanatur. *alii autem,*

II. Testis

EX IMPRESSIS. II. Testis 8. Puer duorum annorum ulceribus, et morbo gravi contractus in pedibus, oblato illo per vota, sanatur. Factum anno MDXXI.

III. Testis 10. Filius Marthæ Thomaszowa ex vulnere acriter læsus, et læsuram cum putrefactione ossium viginti annis passus; dum humanis destituitur auxiliis, divinis adjuvatur.

IV. Testis 14. Nicolaus carpentarius graviter in pede læsus, cum per medium annum decumberet, post vota facta sanatur anno MDXXII.

V. Testis 16. Honesta Catharina de Lublin magno vulnere pedis sanguinem continue fluentis post vota sanatur.

VI. Testis 21. Mathias Porembski civis Cracoviæ a corrosione ossium in genubus cum dolore maximo, post vota facta liberatur anno MDXXIII.

VII. Testis 24. Honesta Agnes Swidrowa de Lobzow, per tres annos magnum dolorem pedum patiens, sanatur anno MDXX.

VIII. Testis 33. Bernardus carpentarius civis Cracoviensis ante festum S. Michaëlis quinque hebdomadibus gravissimo, et irremediabili dolore pedum affectus, post vota completa sanatur.

B IX Testis 34. Martha de Lublino, ex gravi casu fractam manum a medicis irremediabilem, factis votis recuperat anno MDXX

qui languoribus manuum b 50 X. Testis 45. Mathias calligator *b* civis Cracoviæ ambulandi usum ex repentino morbo amiserat: postquam ad Sancti tumbam per uxorem suam Annam testem voto præsentatur, sanatur anno MDXXIII.

XI. Testis 47. Honesta Hedvigis vidua Cracoviæ a sex mensibus maximo dolore pedum detenta, post vota sanatur anno MDXXIII.

XII. Testis 51. Honesta Salomœe familiaris apud Iglarka in platea Judaïca degens, quatuor hebdomadarum tumorem pedum passa, sanatar.

XIII. Testis 53. Margareta Clepardiensis uxor Mathiæ Cothlarz a morbo pedis liberatur anno MDXXI.

XIV. Testis 59. Puer tredecim annorum magno dolore pedis liberatur.

XV. Testis 70. Honesta Barbara uxor Alberti sellatoris Cracoviæ candenti ferro læsa, inflaturam unius anni pedis passa, nec medicorum auxilio sanata, ad Sanctum recurrit. Factum anno MDXVI. Hoc idem contestatur testis 168.

C XVI. Testis 73. Joannes Pochilius civis Cravoviensis ante festum S. Michaëlis in sinistro pede acriter læsus, post vota sanatur MDXXII.

XVII. Testis 78. Honesta Catharina Bilenska in platea Castrensi Cracoviæ dolorem magnum et incurabilem passa, expletis votis, sanatur anno MDXX.

XVIII. Testis 79. Religiosa soror Martha tertii habitus S. Dominici ante carnisprivium fractum pedem et a medicis incurabilem habens, apparente sibi S. Hyacintho, a dolore liberatur. Factum anno MDXX.

XIX. Testis 81. Elizabeth Rimarka Andrichowa a podraga curatur MDIII.

vel pedum affligeban tur, 51 XX. Testis 87. Nicolaus Krol ab inflatura pedis cum accecusione sanatur. Factum anno MDXXX.

XXI. Testis 88. Joannes Czech, gener Dlugoszii civis Cracoviensis, bina vice a magua inflatura pedis sublevatur anno MDXX.

XXII. Testis 115. Dorothea Pilawina fracturam ossium pedis passa sanatur.

XXIII. Testis 117. Joannes Baryla fracturam ossium in cruribus passus sanatur.

XXIV. Testis 124. Mathas Krzewski laicus Cracoviæ dolore dextri pedis liberatur. D

XXV. Testis 132. Catharina Woitkowa fracturam crurium uno et medio anno passa, nec a medicis adjuta, facto voto, sanatur. Factum anno MDXXII. Hoc idem contestatur tabula LXXI.

XXVI. Testis 133. Zopbia puella de Cracovia gravi dolore pedis dextri liberatur. Factum anno MDXXII.

XXVII. Testis 172. Catharina Wrzeszikowa vidua, sinistro pede vehementer et diu laborans gressuque privata, post vota consurgit sana anno MDXIX.

XXVIII. Testis 194. Barbara Czieslina Cracoviæ tumore pedum sanatur.

XXIX Testis 207. Jacobus Cracoviensis dolore sinistri pedis affectus sanatur.

52 XXX. Testis 221. Dorothea Wroblowa Cracoviæ pede graviter læsa sanatur. *intercessione ejusdem Sancti*

XXXI. Testis 222. Margareta pileatrix de platea Wislensi dolore pedum liberatur.

XXXII. Testis 231. Filius Stanislai Mondrii a vulnere pedis insanabili liberatur.

XXXIII. Testis 232. Dorothea Karaskowa, ex gradibus cadens, pedibus callisa sanatur. E

XXXIV. Testis 233. Dorothea Tomanowa gravi dolore pedum onerata liberatur.

XXXV Testis 239. Zopbia uxor Gregorii fabri, pedum dolorem quinquennio passa, sanatur.

XXXVI. Testis 250. Nobilis Jacobus Przemenczki Cracoviæ in platea Vislensi manens, manum abscissam ex toto, et recuperatam cum digitis ostendit Commissariis præsentibus in rei evidens testimonium. Factum anno MDXXII.

XXXVII. Testis 265. Petrus sartor de Casimiria, manu dextra graviter vulneratus, et a medicis vulnerariis *c* destitutus, post vota sanatur *c*

XXXVIII. Testis 266. Filia Catharinæ de Stradomia e sublimi cadens, collisa et confracta pedibus, post vota emissa sanatur,

XXXIX Testis 268. Catharina ante portam Swieczka dictam manens, pedem morbo corruptum, deprecata Sanctum, recuperat sanum.

53 XL. Testis 274. Stauislaus Bachmat gravi pedum dolore detentus adbuc juvenis, ad S. Hyacinthum recurrens, sanatur anno MCDXC. *usum istorum membrorum*

XLI. Testis 282. Catharina Joannis mensatoris uxor Cracoviensis per duos annos pedum gressu privata, post vota sospes evadit. F

XLII. Testis 297. Agnes de platea cerdonum quatuor annis pedibus infirmata sanatur.

XLIII. Testis 307. Hedvigis Curkowa Clepardiensis pedem inflatum habens liberatur. Factum anno MDXX.

XLIV. Testis 318. Anna Gruszczina ex suburbio Cracoviæ ferreo clavo pedem perforatum habens, post divina auxilia sana existit.

XLV. Testis 321. Catharina iuquiliua apud Bidlenska a dolore manus sanatur.

XLVI. Testis 327. Joannes cerdo de Scobiro, dolore pedum sublevatur.

XLVII. Testis 326. Simon rotifex Clepardiensis pedem inflatum habens sanatur.

XLVIII. Testis 349. Barbara Czeczotkowa de Ogrodiniki, pede putrido sanatur. Contestatur hoc tabula 53 anno MDXXII.

XLIX. Testis 350. Christophorus pictor tetrum ulcus in pede habens sanatur.

54 L. Testis 368. Religiosa virgo Barbara tertii habitus S. Dominici dolorem manus dextræ et tumorem habens sanatur. *protinus recuperant,*

LI. Testis 379. Zophia de Casimiria dolore pedum,

A pedum et dorsi liberatur.

LII. Testis 394. Catharina de platea Slacoviensi in sinistro pede ulceroso sanatur.

LIII. Testis 396. Puella filia Catharinæ Stradomiensis a pedum dolore liberatur.

LIV. Testis 406. D. Martinus Belza doctor decretorem, auditor causarum, officialis Cracoviensis, læsus pede post vota sanatur.

LV. Testis 407. Filia Joannis Pienyonzek pedum læsa doloribus sanatur.

LVI. Testis 409. Adam Mniszowski domini Haliczki Marchionis curiæ regalis notarius publicus, habens inflaturam pedis tam magnam, sicut ejusdem corpus nec potens per medicos sanari, ad S. Hyacinthi patrocinium recurrens, sublevatur.

ut etiam tabellæ ad ejus tumulum appensæ testantur.

55 LVII. Tabula 8. Matrona quædam dolore pedis sinistri intolerabili liberatur MDXX.

LVIII Tabula 20. Joannes in suburbio Cracoviensi gravi ulcere in pede per biennium vexatus, ad vota Sancti recurrens, sanatur anno MDXXI.

LIX. Tabula 22. Zophia de platea Columbina, dolore manuum ac pedum vexata, recurrens ad Sancti auxilium adjuvatur anno MDXXII.

B

LX. Tabula 51. Puer cujusdam nobilis dominæ, morbum latentem in manu habens, oblatus ad Sancti sepulchrum liberatur anno MDXXII.

LXI. Tabula 64. Adolescens quidam dextra manu morbo corrupta per triennium divexatus, relinquens humana, divina sensit præsidia anno MDXX.

LXII. Tabula 66. Nobilis Hedvigis de Rzeplin virgo clauda sanatur MDXXII.

LXIII. Tabula 68. Juvenis quidam Cracoviæ maximo dolore pedis oppressus sanatur MDXXII.

LXIV. Tabula 69. Mulier quædam a cane læsa in pedis parte, quæ furra *d* dicitur, ita ut etiam musculi defluerent, sanatur anno MDXXII.

LXV. Tabula 73. Juvenis quidam dolore pedis per dimidium annum divexatus, sanatur anno MDXXII.

LXVI. Tabula 84. Juvenis quidam longo tempore pedum dolore detentus, sublevatur anno MDXXIII.

LXVII. Tabula 89. Joannes filius dominæ Annæ Mastalinæ pedes retortos habens, quibus ambulare non valens per novem annos, sanatur.

C

LXVIII Tabula 91. Soror Zuzanna de Pœnitentia S. Dominici tertii habitus, integro anno pedis dolore afflicta, post vota sanatur.

LXIX. Tabula 94. Generosus Nicolaus Landskorunski de Brzezie, burggrabius *e* Castri Cracoviensis, periculoso apostemate pedis, post multa medicamina nihil juvàntia ad sanctum Hyacinthum cum votis confugiens, divina ope sanatur. Factum anno MDXVI, XIII Septembris.

ANNOTATA.

a *Ægritudo, quæ hic a Severino* cordiaca *appellatur, passim a medicis nominatur* cardiacus morbus *vel* cardialgia, *quæ appellatio deducitur a voce Græca* καρδία *quæ* cor *significat. Hinc morbo illo laborantes communiter dicuntur* cardiaci, *licet Severinus eos* cordiacos *vocet, forsan hoc nomine a voce Latino* cor *derivato.*

b *Non magis intelligo, quid hoc loco sit* calligator, *quam quid supra fuerit* introligator. *Quare has voces, quæ parum ad rem nostram faciunt, Polonis explicandas relinquo. Forsitan simplici* l *scribendum est* caligator, *qua voce auctor voluerit indicare eum, qui conficit caligas.*

c *Existimo per* medicos vulnerarios *hoc loco intelligendas esse chirurgos.*

d *Non dubito, quin pro* furra *hic legendum sit* sura, *quæ est posterior tibiæ pars carnosa.*

e Burggrabius *vel* Burggravius *est comes burgi vel castri, et deducitur hoc nomen a vocibus* burg, *quæ castrum et* grave, *quæ comitem significat. Eadem significatione dicitur* burggraffius *a voce Germanica* graf, *quæ comitem designat, ut patet ex Lexico Cangii.*

EX IMPRESSIS.

SECTIO VI.

Febri, aliisque morbis ac vulneribus afflicti pristinæ sanitati restituti.

Quidam oculis

I. Testis 32. Anna filia Agnetis Cziestlina Cracoviæ a subita infirmitate et a febri convalescit post vota reddita anno MDXX.

E

II. Testis 72. Jacobus Wodziczka de Lonkowicze, faber acutissima febre laborans, porrectis ad Sanctum votis, liberatur anno MDXX.

III. Testis 82. Catharina puella de Zabno, filia Joannis Pusdro, febricitans ad extrema deducta, apparente Sancto sibi, sanatur MDXXI.

IV. Testis 89. Dorothea Mezna Cracoviæ Anuam ancillam servilem, patientem febrim per XV hebdomadas, per vota rehabet sanam anno MDXX.

V. Testis 93. Ursula relicta Petri Szeliong consulis Casimiriensis tribus hebdomadibus acutissimis febribus divexata consurgit, Catharina Religiosa tertiæ regulæ S. Francisci de observantia pro ipsa vovente anno MDXXIII, feria III Paschæ.

VI. Testis 104. Nicolaus Miklas a terribili et insanabili paroxismo oppressus, et post vota statim liberatus anno MDXXII.

VII. Testis 120. Catharina Praszolka Crocoviæ septenuio febricitaus sanatur.

57 VIII. Testis 121. Catharina Jaxiua mensatrix Cracoviæ duobus annis gravissimis paroxismis vexata, post vota statim convalescit. *vel diuturnis*

F

IX. Testis 126. Elizabeth Szliotkowa tribus annis paroxismo laborans et vertigine, fusis ad Sanctum votis liberatur.

X. Testis 163. Elizabeth de Clepardia vidua, cum filio suo Valentino (illa per annum cum dimidio, et ille per VII hebdomadas passi) liberantur.

XI. Testis 184. Albertus lotor vestium regalium paroxismum totius anni passus sanatur.

XII. Testis 186. Hedvigis Thomkowa gravi paroxismo laborans sanatur.

XIII. Testis 202. Puer filius Barbaræ de Crupniki laboraus paroxismo sanatur.

XIV. Testis 232. Petrus Cresa centurio acutissima febre vexatus sanatur.

XV. Testis 274. Barbara Blasii fabri de platea Castrensi Cracoviensis acutissima febri, et alia vice morbo lethali sublevatur.

58 XVI. Testis 334. Puella filia Petri civis Cracoviensis septennio febricitans sanatur. *febribus laborantes.*

XVII. Testis 352. Filia Barbaræ Casprowa paroxismo gravi laborans liberatur. Factum anno MDXXIII.

XVIII. Testis 358. Jacobus fossarius de Cleparz bina vice a febribus liberatur.

XIX Testis

EX IMPRESSIS. xix. Testis 362. Szliodek civis Cracoviensis, vovente pro se uxore, a febribus liberatur.

xx. Testis 391. Joannes Kokoska Ludmar de Cracovia cum ipse, et uxor ejus, et liberi ejus gravissima et acuta febri quassareutur, postquam votiva Missa promissa celebrata fuit, sanitati sunt restituti.

xxi. Testis 393. Anna de platea Slacoviensi per medium annum acutissima febri et mortali divexata, post vota sanatur.

xxii. Tabula 67. Stanislaus de Curow gravissime febricitans devotatus ad Sanctum, feria sexta post festum S. Gregorii convalescit anno MDXXIII.

nonnulli colicis doloribus, 59 i. Testis 28. Barbara uxor Nicolai Nadarzinski apothecarii Cracoviæ.

ii. Testis 78. Audreas Bilenszki iu platea Castrensi Cracoviæ manens.

iii. Testis 83. Catharina Kinarowa Cracoviæ per unum annum infirmitate colica pressa, cum ab omnibus medicis destitueretur, matre sua Elizabeth pro ipsa vovente, sanatur in mense Augusto auno MDXXI.

iv. Testis 117. Joannes Barila sutor Cracoviæ ab hoc morbo, apparente Sancto, liberatur anno MDXXIII.

v. Testis 211. Nicolaus Cretek sutor Cracoviæ per longum tempus cruciatus sanatur.

vi. Testis 293. Zophia de Stradomie lotrix vestium B regalium septem annis passa infirmitatem colicam, invocato Sancto, liberatur.

vii. Testis 357. Stauislaus puer Stanislai Maszno post vota liberatur.

viii. Tabula. 31. Dominus Adam Zdowski tribunus Sanocensis *a*, Cracoviæ oppressus colica passione, ad Sanctum confugiens, liberatur anno MDXIX.

epilepsia, 60. i. Testis 18. Auna filia Nicolai carpentarii eodem morbo per decem horas quassata, Auua matre pro se vovente, liberatur anno MDXV.

ii. Testis 109. Filius Annæ de Skarmirz, a caduco morbo toto anno passus, per vota liberatur MDXXIII.

iii. Testis 191. Hieronymus filius Elizabethæ de Levartow sanatur.

iv. Testis 254. Filia Bartholomæi pellificis morbum eumdem passa sanatur.

C v. Testis 286. Filius Agnetis Bernardka de platea S. Nicolai Cracoviæ.

vi. Testis 303. Filius annorum quatuor Laurentii portulani de Clepardia.

vii. Testis 320. Puer anuorum sex Hedvigis Nicolai sartoris de Biskupye.

viii. Testis 326. Puer Helenæ Joannis fabri ferrarii uxoris Cracoviensis.

ix. Testis 352. Puer annorum quatuor filius Barbaræ Casprowa Clepardiensis.

x Testis 386. Anna Bogoszowa de platea S. Spiritus quinque annis passa hunc morbum, per gratiam Dei et patrocinium Sancti liberatur.

xi. Testis 391. Calixtus puer, filius Hedvigis de Biskupie Bartholomæi sartoris uxoris, morbum epilepticum passus post vota liberatur.

xii. Tabula 27. Puer quidam duorum annorum eodem morbo correptus, voventibus pro ipso parentibus suis, sanatur auno MDXXII.

xiii. Tabula 50. Puer cujusdam dominæ nobilis eodem morbo laborans, apparente S. Hyacintho matri suæ, perfecte sanatur anno MDXXII.

xiv. Tabula 61. Alius puer vexatus graviter morbo epileptico sanatur.

61 i. Testis 37. Margareta Szimonowa institrix, de Cracovia, per sex aunos contiuuos passa morbum gallicum *b*, ita quod videbatur facies putrefieri, D post emissum et factum votum sanatur perfecte. *et morbo Gallico afflicti* Testis est maritus ejus, cum ipsa sub juramento testificans. Tabula 77 anno MDXXI.

b

ii. Testis 66, Nobilis Joannes Dobrostainski a morbo eodem sanatur MDXX.

iii. Testis 68. Mathias Krotki aurifex in mense Septembri infirmitate quadam, a morbo gallico divexatus, apparente sibi S. Hyacintho, ab hac lue liberatur. Et mater sua cum eodem hoc sub juramento confirmavit coram Commissariis, testis 64 anno MDXXI.

iv. Testis 68. Nicolaus filius Annæ de Andrzeiow morbo gallico per duos annos vexatus sanatur, voto ad Sanctum completo.

v. Testis 72. Jacobus Wodziczka a morbo gallico in inguine sanatur anno MDXXI.

vi. Testis 85. Nobilis D. Meczinski in Castro Dobczicze, morbo gallico et purulentis pustulis infectus, invocato S. Hyacintho et sibi in somnis apparente, ab hac lue statim sanatur anno MDXV.

vii. Testis 96. Stanislaus de Rosvadow nobilis E diœcesis Cracoviensis morbo gallico per totam Quadragesimam divexatus anno MDXXII.

viii. Testis 103. Catharina Noskowa morbo gallico gutture irremediabiliter obsidente etc, patrocinio Sancti invocato, sanatur anno MDXXI.

62 ix. Testis 119. Agnes Znioskowa morbum gallicum irremediabilem passa sanatur anno MDXVIII. *post invocationem S. Hyacinthi*

x. Testis 121. Cathariua Jazina morbo eodem divexata post vota sanatur anno MDXXII.

xi. Testis 127. Catharina Barsczikowa, de quo et tabula testatur 65 anno MDXXI.

xii. Testis 146. Stanislaus de Grodzisko a morbo gallico insanabili sanatur auno MDXX.

xiii. Testis 156. Nobilis Joannes Zebridowski eodem morbo liberatur MDXXII.

xiv. Testis 197. Barbara Koskowa per multos annos vexata sauatur MDXX.

xv. Testis 238. Anna uxor Joannis sartoris de platea S. Floriani similiter.

xvi. Testis 209. Ursula Piotrkowa de Casimiria eodem morbo infecta sanatur.

xvii. Testis 247. Catharina Murarka Hanusowa, F morbo eodem sic infecta, ut etiam vix facies hominis videretur : quæ postea votis expletis sanatur, et vulnera obducta coram reverendis Commissariis a Sede Apostolica ostendit.

xviii Testis 255. Dorothea de Szamotuli, sedecim annis eumdem morbum passa sanatur.

xix. Testis 275. Margareta in hospitali S. Valentini ab eodem morbo sanatur anno MDXX.

63 xx. Testis 298. Fælicia Sliosarka de platea S. Nicolai, ab eodem morbo liberatur. *mirabiliter sanantur.*

xxi. Testis 305. Anna puella servilis apud Srodmistrz manens similiter.

xxii. Testis 308. Dorothea Mazurkowa de Cleparz, sedecim annis eumdem morbum passa, sanatur.

xxiii. Testis 339. Nobilis Nicolaus Buchcziczki de Stradomie cum filio suo masculo unius anni, gravi morbo gallico oppressi laborabant, et sanati sunt.

xiv. Testis 353. Nobilis Balthazar Wirzbowski de terra Syradiensi certo tempore corrosionem intestinorum ex morbo gallico habens, sanatur MDXIX.

xxv. Testis 378. Joseph de Casimiria piscator eadem lue perfecte sanatur anno MDXX.

xxvi. Tabula 25. Generosus D. Nicolaus Piaszeczki

A zeczki de Podoliæ *c* terra, morbo gallico vehementer excruciatus patrocinio Sancti sanatur anno MDXXII.

XXVII. Tabula 48. Generosi Domini Joannes et Stanislaus Piaszeczczy, morbo gallico admodum gravati, Dei et Sancti opitulamine liberantur anno MDXXII.

XXVIII. Tabula 56. Virgo Deo dicata morbo gallico oppressa sanatur.

XXIX. Tabula 58. Quædam domina Agnes Petri mensatoris uxor cum filia sua gallico morbo vexata, et ad Sancti patrocinium confugiens perfecte sanatur teste CCXLVIII.

Alii autem paralysi,

64 I. Testis 56. Stanislaus Sulowski famulus generosæ dominæ Annæ Pyenionskova Capitaneæ Sealensis propter vulnus acceptum in capite tactus erat in manu et lingua, qui a prædicta domina ad ecclesiam Dei adductus et Missam apud tumbam Sancti audiens, utroque morbo privatur, et loquelæ et manuum usum et beneficium recepit. Hujus testes, domina testis, famulus iste, Commissarii, et procurator Regiæ Majestatis.

B II. Testis 235. Barbara Jurkowa Crupniczka Cracoviæ tacta paralysi pedis manusque, et ab omnibus destituta, ad Sanctum confugit, et sanatur.

III. Testis 300. Stanislaus de Crupniki ex alto ædificio cadens in terram, tactus paralysi corporis totius, facto voto, sanatur.

hydropisi

65 I. Testis 26. Honesta Anna uxor Felicis sutoris Cracoviæ hydropica sanatur MDXXIII.

II. Testis 31. Honesta Hedvigis uxor Martini Szlodownik Cracoviæ in mense Aprili una cum pueris suis hydropisi correpta, votis datis et completis, una cum filiis cito convalescit anno MDXXIII.

III Testis 102. Sebastianus filius Catharinæ Perstowa in hydropisim devenit, a qua, matre pro se offerente vota, subito sanatur MDXX.

IV. Testis 118. Stanislaus de Lencza faber Regiæ Majestatis, oriundus diœcesis Cracoviensis prope Lublinum, hydropisi gravissima circumfusus, post vota sanatur anno MDII.

V. Testis 143. Barbara Pasternakowa de suburbio Cracoviensi de platea cerdonum, ob gravem partum hydropisi insanabili ad mortem deducta, post vota C sanatur. Contestatur Catharina filia, testis 144 anno MDXX.

aut aqua intercute oppressi,

66 VI. Testis 237. Anna Joraslai cantrifusoris Cracoviæ uxor ab hydropisi per vota liberatur.

VII. Testis 330. Laurentius currifex de Clepardia oppidanus magna hydropisi toto corpore occupatus, post vota sanatur.

VIII. Testis 343. Helena Carvatowa Cracoviensis hydropisim multo tempore passa, Sancti invocato præsidio, salvificatur anno MDXXII.

IX. Testis 382. Anna Bernardka de Stradomye per quinque hebdomadas hydropisim passa, Dei et Sancti ope sanatur.

X. Tabula 21. Nobilis Joannes filius generosi domini Jacubowski, hydropico morbo fere confectus, per cognatos et consanguineos ad S. Viri sepulchrum devotatus, sanatur MDXXII.

XI. Tabula 45. Quædam domina N. de Stradomye hydropisim passa per novem menses, invocato Sancti patrocinio, perfectæ sanitati redditur MCCXXI.

et peste vel vulneribus affecti

67 I. Testis 80. Lucas de Usczie juvenis de alto cadens, lethaliter vulneratus in capite et in latere habens ossa confracta, ad S. Hyacinthum devovetur qui post vota convaluit. Hujus testes Joannes Pudelko, Lucas de Uzczie, Magdalena uxor Joannis prædicti, qui corporali juramento præmisso deposuerunt, Dominica prima post conductum Paschæ hæc facta fuisse anno MDXX. EX IMPRESSIS.

II. Testis 150. Puer decem annorum in domo Dorotheæ Niclowa, filius cujusdam peratricis *d* de cerdonia Cracoviæ, gravissimo morbo pestilentiæ laborans, apparente sibi S. Hyacintho, sanatur anno MDXX.

III. Testis 154. Stanislaus Zebrzidowski, et famulus suus a cane rabido morsi, et in infirmitate deducti post vota sanantur. Contestatur Tabula 38. Factum anno MDXIX.

IV. Testis 165. Catharina Rudniczka peste correpta, post vota sanatur MDVIII.

V. Testis 166. Jacobus filius Agnetis Gabrielowa peste correptus liberatur.

VI. Testis 170. Filius honestæ Catharinæ Degowa peste correptus liberatur.

VII. Testis 186. Thomas de Ogrodniki ob nimiam minutionem sanguinis deficiens, ipsa Hedvige uxore ejus apud Sanctum sollicita, sanatur.

VII. Testis 255. Joannes Slawienski, filius Dorotheæ de Samotuli civis Cracoviæ, in defensione E graviter vulneratus, a morte ad vitam reducitur.

IX. Testis 259. Filius Margaretæ de Stradomie acriter vulneratus cito sanatur.

X. Testis 328. Galias Mantuanus chirurgus episcopi Posnaniensis acriter in manu vulneratus, post vota facta, præsidio Sancti sanatur anno MDXXII.

XI. Testis 342. Paulus de Lywo diœcesis Plocensis laicus ferrifaber a sodali suæ artis graviter vulneratus, post vota convalescit anno MDXXIII.

XII. Testis 365. Stanislaus Reska gladiator bis a gravi infirmitate consurgit. Contestatur Tabula 12.

per intercessionem ejusdem Sancti curantur.

68 XIII. Tabula 63. Dominus Joannes Prusz civis Cracoviensis morbo lethargico correptus, per S. Hyacinthum apparentem, sanatur anno MDXX.

XIV. Tabula 32. Virgo quædam collisa graviter cum crate ferrea ex alto cadens, feria 2 Paschæ et corpore et facie conquassata, et jam pene moritura, ab amicis ad tumbam Sancti devovetur, statimque a vulnere consurgit MDXIX.

XV. Tabula 31. Quædam honesta domina morbo pestilentiæ correpta sanatur.

F XVI. Tabula 35. Puer quidam infirmitate detentus graviori, cum omnium eluderet spem, ad tumbam tamen Sancti devotatus convalescit anno MDXX.

XVII. Tabula 90. Puer Paulus de Casimiria valde infirmus post vota sanatur.

XVIII. Tabula 2. Nobilis Adam Turski gravi languore vexatus, et humano præsidio destitutus, post vota ad Sanctum facta liberatur.

XIX. Tabula 6. Stanislaus sartor civis Cracoviæ in maxima ac desperata infirmitate constitutus, apparente sibi S. Hyacintho, et spem longioris vitæ præbente, sanatur anno MDXIX.

XX. Tabula 15. Agnes vidua, olim conjunx Gregorii pictoris, post mortem viri sui ex magna tristitia et dolore in gravem infirmitatem deposita, implorato Sancti patrocinio, sanatur.

XXI. Tabula 17. Quædam domina gravissima laborans ægritudine, humana rejiciens, divina quærit et invenit præsidia anno MDXXI.

ANNOTATA.

a Sanocum *est oppidum Poloniæ in Russia rubra non procul a fluvio Sano situm in Palatinatu* *Leopoliensi*

EX IMPRESSIS. *Leopoliensi. Puto, hunc virum cognominari Sanocensem, eo quod hanc urbem haberet patriam vel in ea tribunus esset.*

b Morbus Gallicus *sæpe pro strumis et specie scabiei accipitur, ut in Actis S. Bennonis tomo* III *Junii pag.* 194 *expticatum est.*

c *Podolia est provincia regni Poloniæ et pars Russiæ Rubræ, terminaturque Volhinia ad Septemtrionem, et Walachia ad Meridiem.*

d *Nescio, quid nomen* peratricis *significet, nisi forsan auctor hac voce designare voluerit mulierem, quæ peras seu sacculos conficit aut vendit.*

SECTIO VII.

Mulieres in periculoso partu adjutæ et alii in diversis totius corporis doloribus, variisque casibus et infortuniis opem ejusdem sancti thaumaturgi experti. B

Mulieres prægnantes, I. Testis 38. Honesta Auna uxor Socha Martini pellificis Cracoviensis gravissime in partu laborans, nec parere valens, post vota liberatur.

II. Testis 43. Honesta Zophia Sliodkowa uxor Nicolai Sliodek lanionis in platea Swinska dicta abortum patiens ad S.Hyacinthum confugit petens, ut illam ab isto abortu liberaret. Et ecce statim puer egrediens de ventre matris, iterum se in ventrem recepit, ut tempore congruo nascetur. Hoc idem miraculum contestatur Regina Naymanowa Cracoviæ testis CVII.

III. Testis 44. Nobilis Barbara Casprowa inquilina apud quemdam civem, cognomine Russek, in platea S. Stephani manens, ab abortu et a dolore partus post vota levatur anno MDXXIII in Aprili.

IV. Testis 46. Honesta Anna Martini Pograczarz Cracoviæ a dolore et periculo partus patrocinio Sancti liberatur. C

V. Testis 48. Cathariua Wochowa vidua, Cracoviæ inquilina apud Andreiowski, tempore puerperii ab accidentibus in tali actu, meritis Sancti, ad quem confugerat, sublevatur anno MDIII.

invocato S. Hyacintho, 70 VI. Testis 55. Hedvigis Nicolai Czeczotka uxor de platea S. Floriani in pariendo graviter periclitans post vota liberatur.

VII. Testis 61. Honesta Anna Nicolai cerdonis uxor in platea cerdonum Cracoviæ in partu laborans, et de periculo timens, ad Sanctum recurrit, et liberatur.

VIII. Testis 69. Honesta Dorothea, uxor Joannis Ladarz, morata apud Gregorium Sczirba pistorem in platea S. Floriani feria secunda post REMINISCERE iu partu laborans, et quasi semiviva manens, per virum suum devovetur, et liberatur anno MDXXIII.

IX. Testis 79. Catharina filia Joannis Niedbalka sartoris de Cracovia Feria tertia carnisprivii laborans in partu liberatur anno MDXXII.

X. Testis Auna filia Petronillæ Niedbalczina Cracoviensis in puerperio cum puero periclitata, meritis Sancti convalescit. Coutestatur tabula 75 anno MDXXI.

XI. Testis 103. Catharina uxor Nicolai Nosek, cum duos pueros aborsa fuerit, post votum ab aborsibus liberatur anno MDXXIII. D

XII. Testis 145. Catharina Herbultowska de terra Leopoliensi fluxum muliebrem per os satis turpiter ejiciens, derelicta a medicis, ad Sancti præsidium confugiens, ab hac turpitudine sublevatur anno MDXXIII.

71 XIII. Testis 155. Nobilis Jacobowa Wienczlawska de armis Lelivorum in partu periclitans, viro pro se offerente, liberatur. *in difficili partu*

XIV. Testis 192. Honesta Elizabeth Joannis Rosemberski sartoris uxor Cracoviæ circa partum maxime periclitata sanatur.

XV. Testis 203. Honesta uxor Hieronymi Braczieiowski civis et mercatoris Cracoviensis prius abortum passa, ad Virum Dei pro auxilio confugiens, amplius abortum non est experta.

XVI. Testis 254. Uxor Bartholomæi pellificis de platea S. Floriani civis Cracoviensis, ex alto cadens timens sibi abortum, ad præsidium Sancti confugit, et est a periculo liberata.

XVII. Testis 257. Uxor Bernardi Kleparczik de platea Slakoviensi Cracoviensis in partu periclitans post vota liberatur. E

XVIII. Testis 270. Hedvigis Jacobi gladiatoris civis Cracoviensis de platea Castrensi Cracoviensis uxor in partu laborans, per merita Viri sancti cui se devoverat, a periculo educitur.

XIX. Testis 279. Anna Bartholomæi carpentarii Castrensis uxor, Cracoviæ manens, et in partu magno periculo laborans, liberatur.

72 XX. Testis 292. Anna Martini aromatarii quamdam infirmitatem muliebrem passa naturalem, votis ad Sanctum expletis, sanatur. *vel abortus periculo*

XXI. Testis 310. Catharina Jurkowa de Casimiria laborans in partu, nec parere valens, commendans se Sancto, enixa est prolem.

XXII. Testis 316. Dorothea Mathiæ sutoris de Cleparz uxor, triduo in partu laborans, invocato Sancti patrocinio, peperit.

XXIII. Testis 341. Catharina Walenczina in partu laborans, a periculo liberatur.

XXIV. Testis 360. Uxor Stanislai vitreatoris Cracoviensis periclitans in partu, post vota ad Sanctum per meritum suum facta, eripitur.

XXV. Testis 361. Barbara Paszniczka de Cracovia circa partum graviter ægrotans, et vehementer laborans, post vota facta sanatur. F

XXVI. Testis 385. Anna uxor Christophori Rimarz in platea Castrensi plurimum dolore pariendi affecta, sana peperit.

XXVII. Testis 389. Uxor Mathiæ muratoris sub Castro Cracoviensi in partu graviter periclitata, a dolore et periculo sublevatur.

XXVIII. Testis 407. Uxor generosi domini Joannis Pyenionzek quatriduo in pariendo laborans, nec parere valens, ad conditorem omnium Deum per merita Sancti confugiens, est enixa filium.

73 XXIX. Tabula 57. Quædam domina civis Cracoviensis per multos annos sterilis existens, facto voto ad Sanctum, brevi tempore sensit se imprægnatam, et postea peperit puerum: cujus postea puer, cum graviter infirmatus esset, post vota sanatur. *opem ejus experiuntur,*

XXX. Tabula 9. Nobilis quædam puerpera in partu periclitans post vota liberatur anno MDXX.

XXXI Tabula 10. Quædam civis Cracoviensis domina cruciata, dolore post vota liberatur anno MDXX.

XXXII. Tabula 75. Quædam domina timens mortem ob partum, Sancto se commisit, etc. Anno Domini MDXXI.

74 I. Testis

A *sicut etiam quædam personæ,* 74 I. Testis 9. Honesta Barbara Nicolai levigatoris uxor per duos annos scabiem, et pruriginem totius corporis passa, post vota sanatur MDXXIII.

II. Testis 10. Martha Thomaszowa Cracoviæ toto triennio habuit totius corporis intrinsecus corrosiones ossium, et medullarum, ita quod ambulare nequibat; statim post vota sanatur.

III. Testis 16. Honesta Catharina de Lublin Cracoviæ manens, triennio morbis, et scabie toto corpore sparsa, post vota sanatur.

IV. Testis 36. Honesta Margaretha Albuszowa de Biskupye testatur, se vidisse tres pueros in villa Trzebinia cujusdam kmetonis *a*; ita toto corpore incurvatos per unam septimanam, quod nullo membro poterat se quisque illorum movere: ut autem ad sepulchrum S. Hyacinthi sunt oblati, statim recti effecti sunt in toto MDX.

a

V. Testis 125. Puer honestæ Hedvigis Mathisowa collisus toto corpore, et quassatus, post vota ad Sanctum facta sanatur.

VI. Testis 187. Stanislaus de Brzozow dolorem pustularum totius corporis multo tempore passus, post vota reddita sanatur.

B VII. Testis 206. Stanislaus Sosna faber ferrarius de Clepardia pruritum cutis multo tempore passus irremediabilem, sanatur.

variis totius corporis morbis vexatæ, 75 VIII. Testis 277. Fælix Naibergier aurifaber, et scabinus, etc. scabiem in toto corpore pessimam habens, nec possibilem curari per medicos artis, ad divinum confugiens remedium sanatus est. Contestatur tabula 85.

IX. Testis 279. Filius Bartholomæi carpentarii Castrensis gravi infirmitate deductus ad summam maciem, a quo morbo postea, invocato divino auxilio, sanatus est.

X. Testis 284. Barbara de Ferrak, provisoris lignorum Regiæ majestatis uxor, corpus totum pustulis mirabilibus non parvæ quantitatis cum intensissimo dolore capitis habens, humanoque præsidio carens, ad Sanctum Dei confugiens, liberatur.

XI. Testis 299. Margareta filia Moti sub Castro Cracoviensi manens turpi contagione pruritus laborans, perfecte sanatur.

XII. Testis 337. Filius Annæ Stanislawowa de Cracovia, totus non mediocribus pustulis infectus, post vota sanatur.

C XIII. Testis 371. Catharina Vyborna de Cracovia gravem totius corporis infirmitatem, et præsertim pectoris habens, apparente sibi S. Hyacintho, convaluit.

XIV. Testis 396. Hedvigis de Stradomie in gravi infirmitate in tumorem totius corporis corruens, omni humano præsidio carens, ad Sanctum Dei se devovit, et sana surrexit.

ut patet ex multis tabellis votivis, 76 XV. Tabula 18. Generosus D. Petrus Potowski gravi quadam totius corporis pressus ægritudine (bis namque quinque diebus, et totidem noctibus sanguis ex ore ejus promanabat uberrime) medicorum cura delusus, opem sibi divinam præsidiari petiit, totoque corde se Sancto committens, perfecte sanatur anno MDXXI.

XVI. Tabula 19. Quidam homo N. gravi totius corporis pressus ægritudine, a medicis destitutus, a Sancto post vota juvatur anno MDXXI.

XVII. Tabula 23. Quidam Nobilis N. diuturna pressus infirmitate sanatur anno MDXXII.

XVIII. Tabula 28. Domina quædam N. de gravi ac desperata infirmitate, etiam amicis jam de salute diffidentibus, post vota sanatur.

XIX. Tabula 30. Joannes civis Cracoviensis bis a gravi infirmitate et desperata, per Sancti intercessionem liberatur anno MDXIX. *ex impressis*

XX. Tabula 39. Quædam domina toto corpore in gravi infirmitate conquassata, invocato divino auxilio, sublevatur anno MDXXI.

XXI. Tabula 40. Famosa Domina Dorothea civis Cracoviensis toto corpore gravi pressa ægritudine, cum marito suo votis insistens, et ea complens cito, perfecte sublevatur anno MDXXI.

77 XXII. Tabula 41. Quædam domina ingenti oppressa ægritudine, XXIV mensis Junii ad Sanctum Dei patrocinium implorando convalescit anno MDXXI. *quas grati animi ergo*

XXIII. Tabula 46. Nobilis N. oppressus ægritudine sanatur MDXXI.

XXIV. Tabula 47. Mathias lanio civis Cracoviensis morbo detentus liberatur MDXXI.

XXV. Tabula 49. Mathias quidam gravi ægritudine pressus convalescit MDXXIII.

XXVI. Tabula 52. Honesta Agnes Olenczka graviter infirmata convalescit.

XXVII. Tabula 55. Stanislaus filius cujusdam civis Cracoviæ N. graviter infirmatus, cum medicorum deessent consilia, ad Sanctum votis expletis, sanitati restituitur. Postea vero secundo, pater, et filius similiter ægrotant, et post vota convalescunt anno MDXXII. E

XXVIII. Tabula 59. Frater Mangolth, Ordinis Minorum sancti Francisci, Cracoviensis magna gravatus totius corporis infirmitate, cum a medicis frustra speraret salutem, ad Dominum per Sanctos Dei viros quærit salutem, et non frustratus spe, convalescit.

XXIX. Tabula 60. Filia XXX septimanarum cujusdam civis Cracoviensis mercatoris incidit in desperatam infirmitatem, et cum a medicis destitueretur, sanctæ Mariæ Virgini, et sancto Stanislao, et S. Hyacintho devovetur, et cito sanatur.

78 XXX. Tabula 72. Quidam civis Cracoviæ, cum in ægritudine sua Sancti quæreret patrocinium, sanatur; sed quia votum non implet, iterum in camdem infirmitatem reincidit, et post vota sanatur anno MDXXI. *ad tumulum ejusdem Sancti appenderunt.*

XXXI. Tabula 76. Puer quidam valde infirmus post vota sanatur MDXXI.

XXXII. Tabula 79. Generosa quædam domina gravi totius corporis quassata ægritudine, ad sancti Hyacinti auxilia confugiens, sanatur anno MDXXIII. F

XXXIII. Tabula 80. Famata quædam domina N. valde ægrota sanatur MDXXIII.

XXXIV. Tabula 81. Honesta Zophia civis Cracoviæ infirma convalescit MDXXIII.

XXXV. Tabula 82. Nobilis quidam grandi malo corporis oppressus sanatur.

XXXVI. Tabula 83. Quædam domina gravi laborans infirmitate sanatur.

XXXVII. Tabula 85. Quidam Mathias lanifex de Cracovia magna oppressus infirmitate, invocato apud Dominum Beati auxilio, sanatur anno MDXXIII.

XXXVIII. Tabula 87. Nicolaus de Ylza artium baccalaureus, in gravi totius corporis conquassatione XIV hebdomadibus decumbens, et cibum nullatenus sustinere potens, omni humana ope destitutus, divinam implorans sanatur MDXVIII.

XXXIX. Tabula 93. Nobilis Elizabeth Szczigniowska passa est totius corporis et præsertim brachii unius immensum dolorem per longum tempus; post vota vero ad Sanctum facta sanatur.

XL. Tabula 96. Puer quidam valde infirmus, parentibus pro eo voventibus, sanatur an. MDXXIV.

XLI. Tabula

D

ex impressis. xli. Tabula 97. Hedvigis Trembaczka, uxor tubicinatoris Cracoviensis, gravi totius corporis infirmitate pressa, post vota sanatur. Anno Domini mdxxiv, die Lunæ, 18 mensis Aprilis.

Alii denique, 79 i. Testis 115. Maximum miraculum contigit apud Kioviam, et est depictum ab antiquo in pariete ecclesiæ Cracoviæ S. Trinitatis prope majus altare. Sancto Hyacintho præsente, Scythæ invaserunt Kioviam ad depopulandum eam; cumque compleret Sanctus mysteria divina apud altare, et Fratres acclamarent, S. Hyacinthus, accepto venerabili Sacramento fugere cœpit, quem alloquuta est imago B. Mariæ Virginis, jussitque se ab illa portari. Accepta igitur illa imagine alabastrina, pondere duorum talentorum vel trium, ut videre est Cracoviæ, Borysthenem fluvium accessit, et facta benedictione per aquam, tamquam per firmam terram, cum Fratribus ambulans, et se et Fratres suos a periculo Tartarorum liberavit. Et in testimonium hujus miraculi adhuc per fluvium vestigium pedum S. Hyacinthi manet, et videtur semper ab omnibus, ut testatur etiam ista nobilis Dorothea Pilawina, quæ existens Kioviæ Woliniæ metropoli hanc semitam per aquam propriis oculis vidit, et hic testatur. Contestantur autem huic miraculo plures testes, vel ex fama, vel ex visu. Testis 2, testis 153 et testis 407, qui in processu authentico videntur *b*.

B

b

ii. Testis 1. Reverendissimus P. F. Andreas de Parzow diœcesis Gnesnensis sacræ Theologiæ baccalaureus, provincialis Poloniæ Ordinis Prædicatorum testatur, dæmoniacum, qui liberatus est apud tumbam S. Hyacinthi, cum multis clamoribus protestatum, S. Hyacinthum esse Virum Dei sanctum, et locum, ubi corpus ejus sacrum requiescit, vehementer ardere, cumque cogi a Sancto, ut recedat.

qui in diversos casus 80 iii. Testis 6. F. Jacobus de Cracovia Ordinis Prædicatorum testatur, se per merita S. Hyacinthi, cui se commendaverat, magnum periculum rusticorum, qui in ipsum irruerant, ut interimerent, evasisse, atque incolumem, apparente sibi Beato, rediisse.

iv. Testis 19. Domina Zophia uxor Sebaldi pictoris Cracoviæ in subitam infirmitatem, ita quod mori jam videbatur, incidit, et factis pro ea votis, mox a subitanea morte liberatur anno mdxxi carnisprivii.

C

v. Testis 31. Honesta Hedvigis Slodowniczka Cracoviensis ab infamia objecti sibi furti patrocinio S. Hyacinthi liberatur anno mdxxiii.

vi. Testis 32. Agnes Czieslina Cracoviæ ad maritalem concordiam, a qua per mariti crimen adulterii sequestrata erat, per merita Sancti, cui se commendaverat, et cui voverat, redit.

vii. Testis 35. Catharina de Rzeczicze in flumine Rudawka cadens submergi cœpit, et invocato Sancti patrocinio, liberatur anno mdxxiii.

viii. Testis 39. Laurentius de Radzieiow Cracoviæ cantrifusor, erat affectus veneno, et cum nullo remedio posset venenum educere, Sancto servo domini se devovens, in melius mutatus est anno mdxxiii.

ix. Testis 40. Mathias Clericus de Cracovia, in quodam litigio gravi cum adversario suo, in quo in causa sua coram Commissariis succumbere debuit, quamprimum ad Sanctum votum fecit, in concordiam ultro venit.

ac infortunia inciderant, 81 x. Testis 55. Puer annorum trium honestæ Hedvigis Nicolai Czeczotka denarium devoravit, et eodem suffocatus est, et cum nullatenus extrahi posset, post vota facta, liberatur ab eo anno mdxxii.

xi. Testis 58. Stanislao de Curow Clerico Cracoviensi necessarius quidam liber furto sublatus post vota restituitur anno mdxxiii.

xii. Testis 63. Honesta Barbara Giblowa de suburbio Cracoviensi recognovit, se plura beneficia meritis Sancti recepisse:

xiii. Testis 72. Jacobus Wodziczka reformando bombardam globo, qui in ipsa erat, vulneratus, post vota sanatur anno mdxxii.

xiv. Testis 81. Joannes Monczynski viii Julii existens in montibus Ungaricis Tatri *c* nuncupatis, veniens Cracoviam gravissima febri percussus et delirans volebat se ipsum interficere suasu diaboli: ac postea, apparente sibi S. Hyacintho, a tam lethali casu est liberatus. Adhuc videtur tabula Cracoviæ in hujus rei memoriam anno mdxviii.

c

xv. Testis 94. Religiosa virgo Emerentiana tertiæ regulæ sancti Franscisci, precibus sancti Hyacintbi obtinuit ingressum sui Ordinis anno mdxxi.

81 xvi. Testis 117. Joanni Barila sutori Cracoviæ quædam furto sublata restituuntur. *periculum evaserunt*

E

xvii. Testis 125. Hedvigis Mathislowa apud dominos consules Cracovienses furti accusata per quemdam adolescentem facti, factis votis ad sanctum Hyacinthum, ejus ope liberatur.

xviii. Testis 134. Mulier quædam ab acervo lapidum gravi obruta, collisa, et concussa, cum pene jam moreretur, post vota sanatur.

xix. Testis 133. Generosus dominus Stanislaus Gorski vicecapitaneus Cracoviæ ob crimen homicidii, carceris et capitis per Regem adjudicatus, dum se et vitam suam Deo et S. Hyacintho commendasset, audita Missa, gratis a Rege liberatur anno mdxiv.

xxi. Testis 158. Nobilis Corzenczki cum suo adversario causam agens, cum deberet omnibus suis bonis privari, post vota causam lucratur, et in omnium bonorum possessione totus perseverat anno mdx.

xx. Testis 160. Bartholomæus de Sondecz furti accusatus, et ad carcerem condemnatus ac mortem, visibiliter per S. Hyacinthum visitatus, ex carceribus et periculo mortis educitur anno mdxxi, iv Septembris.

F

xxii. Testis 208. Stanislaus Sosna faberferrarius de Cleparz ab incendio suæ domus ab hostibus inferendo S. Hyacintbi ope liberatur.

63 xxiii. Testis 237. Anna Jaroslai cantrifusoris uxor in furti damno juvatur. *intercessione S. Hyacinthi,*

xxiv. Testis 239. Zophia uxor Gregorii fabri Cracoviæ furti rea et accusata evadit.

xxv. Testis 241. Gener Petronillæ nobilis matronæ ex vinculis et carceribus, catenis astrictus ab uno tyranno, pro eo votis datis, liberatur.

xxvi. Testis 244. Fælicia de Crupniki furto sibi sublata, votis peractis, reaccipit.

xxvii. Testis 260. Fælicia uxor Joachim post adulterium commissum, cum adulter capite plexus esset, hæc evasit, et postea multis diebus commendans se patrocinio sancti Hyacinthi, et pœnitentiam agens ex delicto suo in gratiam viri sui rediit.

xxviii. Testis 267. Anna de platea Slacoviensi diris carceribus adjudicata, et pœnæ capitis, patrocinio Sancti illæsa evadit.

xxix. Testis 295. Puer Catharinæ Benedictowa apud moniales sancti Andreæ manentis aqua ferventi se perfundens in desperatam infirmitatem incidit,

A incidit, qui post vota facta cito sanatur.

senseruntque beneficam ejus manum, 84 xxx. Testis 315. Simon famulus domini thesaurarii regni, Cracoviæ manens media nocte, insciis omnibus, in profundissimum puteum cadens submergebatur : quod resciens uxor sua subsidium petiit et invocans Sanctum, ejus patrocinio e profundo puteo emergit.

xxxi. Testis 315. Uxor ejusdem ex altissimo proruens ædificio sanatur.

xxxii. Testis 346. Anna Bogussowa de platea hospitali furti falso accusata, recurrens ad patrocinium Sancti liberatur. Contestatur tab. 32.

xxxiii. Testis 347. Hedvigis de Casimiria puella ex alto ædificio cadens collisa vehementer, et quasi mortua habita (in caput enim impegerat) post vota ad Sanctum emissa statim sanatur anno MDXXIII.

xxxiv. Testis 354. Catharina de Biecz Cracoviæ manens peste correpta liberatur. Contestatur tabula I anno MDXIX.

xxxv. Testis 369. Soror Anna de tertio habitu S. Dominici peste correpta, meritis S. Hyacinthi liberatur. Contestatur soror Agues, medio juramento.

B xxxvi. Testis 373. Barbara Caletniczka ob quoddam certum crimen homicidii reclusa in carcere, et per sex menses captiva fuit; quia enim prægnans erat expectabatur puerperium. Illa vero vota faciens ad S. Hyacinthum, ex illo carcere modo quodam mirabili evadit.

et ab eodem impetrarunt 85. xxxvii. Testis 377. Reverendus dominus Stephanus Gelbrikowski magister artium a tentatione diaboli continua, ut se propriis manibus jugularet, suadente, cum ad S. se Hyacinthi convertit patrocinium, liberatur.

xxxviii. Testis 393. Mater honestæ Annæ de platea Slacoviensi apud Caliethnik inquilinam manentis captivata, et capitali pœna punienda, post votum filiæ pro ea factum, mirabiliter evadit.

xxxix. Testis 407. Generosus Dominus Andreas Pyeuyonzek Referendarius sacræ Regiæ Majestatis testatur, quemdam centurionem sibi 100 florenos sustulisse furto; sed quando ad S. Hyacinthum factum fuisset votum, pecuniæ illæsæ mirabiliter restituuntur absque infamia furtum committentis.

C xl. Testis 29. Laurentii de Grodno equus cum ex improviso in fluvium Rudava iucidisset, et præ altis littoribus exire non posset, mergebatur : patrono ejus ad Sanctum vota emittente, exilit sauus anno MDXXIII.

xli. Testis 179. Mathias Papirek de Ogrodniki equum deperditum cum dolore et mœrore, votum ad Sanctum faciens, rehabet anno MCDXC.

xlii. Testis 181. Nicolaus Hyelonek equum valde infirmum, cui aliter subvenire non poterat, ad Sanctum devovens, sanum accipit.

xliii. Testis 280. Zophia Hanusowa mulier paupercula, et simplex et devota duos pullos habens in aqua submersos, tandem cum devotione ad Sanctum pro patrocinio recurrens, sanos atque vivos iterum reaccipit.

86 xliv. Tabula 7. Geuerosus Dominus Czernii de Zabno existens iu bello Prutenico, ex improviso in quemdam lacum cadens, et in illo profundo cœno equo se volvens, cœpit mergi, et in illo casu devote ad S. Hyacinthum proclamans, et se devovens, ejusdem auxilio, ut credit, adjutus, liberatur anno MDXX. *ex impressis, plurima beneficia,*

xlv. Tabula 10. Joannes Pycrni cognomento de Cracovia civis multis tribulationibus et anxietatibus divexatus, post vota ad Sanctum facta liberatur anno MDXXI Februario.

xlvi. Tabula 62. Nobilis Stanislaus Gromiszki semel, et iterum magnis periculis et diversis, ope sibi a Sancto præstita, liberatur MDXVIII.

xlvii. Tabula 92. Agnes de Blonye passa tentationem diaboli per decem annos, ut se laqueo enecaret, aut aquis submergeret, et in hac angustia ad Sanctum confugit, et a tentatione liberatur.

EPILOGUS.

87 Hæc sunt, candide ac devote lector, quæ in gratiam sanctæ devotæque contemplationis, et ad sanctum Dei virum Hyacinthum cujuslibet piæ affectionis ad astruendam fidem, et excitandam devotionem ex Processu authentico originali, quam brevissime inserenda duximus, ne longa series miraculorum fastidium legentibus pareret, nec etiam eo modo ab enumerandis miraculis per virum Dei Hyacinthum factis destitimus, ut in aliquo tanto ac tam celeberrimo Viro, vel in sanctitate vitæ commendanda, vel in virtutibus Dei ope ab eo factis, non solum ipsius, verum etiam Dei gloriæ deesse videamur. Intermisimus autem ob brevitatis amorem præsertim visiones, et apparitiones, quas diversis temporibus, et personis variis morbis laborantibus, Deo permittente, idem Sanctus facere dignatus est, quarum numerum usque ad xxxvi ex suo originali computabimus. Visum est autem rei consentaneum, generalem vitæ, et sanctitatis S. Hyacinthi commendationem, et testificationem (quæ ad tricesimum numerum exundat) ex professo præterire, cum gravissimi viri et Patres Ordinis in Processu descripti plurimas et innumerabiles ad consolationem fidelium populorum per Virum Dei virtutes factas, præter eas, quæ scripturis continentur, et a testibus super positis, medio corporali juramento, ab omnibus et singulis roboratæ ac firmatæ sunt, factas juridice et formaliter testificantur, nihil omittentes aut prætereuntes eorum, quæ veritatem rei concernere videntur. *quibus auctor epilogum suum subjungit.* E F

ANNOTATA.

a Kmeto *sive* cmeto *apud Polonos significat rusticum aut servilis conditionis hominem, ut in Annotatis ad miracula B. Simonis de Lipnica tomo* IV *Julii pag.* 538 *et alibi iterum observavimus.*

b *Hoc miraculum supra in Commentario prævio num.* 39 *et sequentibus fuse retulimus.*

c *Hoc nomine vocatur pars montis Carpathi in Hungaria, ut apud geographos passim notatur.*



DE

DE SANCTO ROCHO CONFESSORE

APUD MONTEM PESSULANUM IN GALLIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Natales; nomen; fabula Sancto afficta; an Tertium Ordinem S. Francisci fuerit amplexus.

Sec. xiv. Locus natalis Sancti;

Mons Pessulanus, *vulgo Montpellier, nolissima Galliæ in Occitania inferiore urbs, per* S. Rochi *confessoris natales ac mortem, nec non mira quædam, quæ post eam ibidem accidisse memorantur, si Actis ejus credimus, celeberrimum sibi nomen obtinuit. De ista urbe tractat Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum; et inter alia circa eam observat sequentia* : In ea urbe jam ante annos DXXX studia litterarum, ac in primis medicinæ floruisse, docet epistola CCCVII Bernardi Claravallensis abbatis. *Etenim in illa de archiepiscopo Lugdunensi hæc lego :* Sicque strata * publica cum turba promiscua peregrinorum, tamquam unus ex illis, pervenit ad S. Ægidium : cumque infirmaretur pertransiit usque ad Montem Pessulanum : ibi aliquamdiu commoratus, cum medicis expendit et quod habebat, et quod non habebat. *Sed felicius, certius ac commodius postmodum eamdem urbem nobilitavit cœlestis ac omnipotens medicus, quando divina sua bonitate ibidem in lucem produxit hunc sanctum Confessorem, qui gravissimos atque insanabiles afflictorum hominum morbos potentissimo suo apud Deum patrocinio curaturus aliquando esset, magnusque quaquaversum per Europam futurus pestiferæ præsertim luis sospitator, et continuum, ut ita dicam, in hujusmodi malo tollendo miraculum. Et vero in hac urbe Virum sanctum hausisse natales, communis auctorum est consensio; quibus nos facilius suffragamur in ista re, quam in iis, quæ de ejus nobilitate passim circumferuntur, quæque inobservata præterire non possumus, correctionis, quantum saltem nobis videtur, indiga. Rem audi.*

* i. e. via, lapidibus vel silice strata

nobilitas ejus,

2 *Acta Belfortiana, quæ daturi sumus infra, num.* 1 *de Monte Pessulano locuta, sic de Sancti patre pergunt :* Cujus dominium quondam habuit nobilissimus eques, nomine Joannes, illustrissimo Francorum regum sanguine natus. *Breviarium ecclesiæ et diœcesis Slesvicensis, de quo postea, lectione prima de* S. Rocho, *regios ipsi natales non attribuit; sed dominium seu imperium, ibidem sic expressum :* Patriam habuit Montem Pessulanum. . Narbonensis Galliæ oppidum non ignobile : cui aliisque nonnullis pater *ejus* non tyrannorum more; sed justitia, integritate, prudentia, divino timore, suorumque omnium benevolentia et gratia imperavit. *Consentit Vita Diedi apud nos postea primo loco proferenda, cap,* I *num.* 4. *Joannes Pinus in Vita, quæ a nobis deinde pluribus indicabatur, hæc ad rem nostram scribit :* Ibidem loci *(egerat proxime de Monte Pessulano)* quondam homo dives et opulentus, claraque et illustri familia genitus, terra marique simul imperium exercuit. *Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1327, *num.* 26, *parentibus* urbis *Montis pessulanæ* dominis natum *significat; quod etiam facit Spondanus in Continuatione Annalium Cardinalis Baronii, ad annum eumdem* 1327 *num.* 10. *His, quæ de Sancti nobilitate e variis modo retulimus, nonnullas visum est subjungere observationes.*

prout a variis asseritur,

3 *Expendamus itaque hæc tria; primo, sanguinem regium; deinde dominium prædictum; ac tertio, dicamus aliquid breviter de nobilitate, duobus hisce titulis seclusis; quisnam nimirum ex his tribus titulis verosimilius Sancto tribui possit, inde deducturi. Ex Actis, quæ citavimus, sola Belfortiana regio Sanctum sanguine natum asserunt. Verum eum eorum auctor sit anonymus, incerti temporis, incertæ auctoritatis, liceat nobis desiderare ulteriorem hujus assertionis probationem, antequam nostro calculo huic placito subscribamus, præsertim quia Acta tum hæc tum alia non sunt tanti valoris, quanti pro Sancto tam memorabili ea esse vellemus. Maneat itaque res illa indecisa, quam aliunde probare vel improbare, non est nobis in promptu. Ita nobis videtur dicendum ad punctum primum. Secundum vero non melioris, immo deterioris est notæ, secundum ea, quæ adversus illud proferemus; quod utique nec cum serie, nec cum nominibus, nec cum tempore dominorum seu dynastarum Montis Pessulani cohæret.*

nobis

4 *Nam Guilielmus Catellus in Monumentis historiæ Occitaniæ, anno* 1633 *Gallice editis Tolosæ, postquam lib.* 4, *pag.* 654 *tractasset de dominis istius loci; deinde a pag.* 660 *eorumdem seriem ita texit in rem nostram, ac nomina recenset. Guilielmos signat quatuor; dein Mariam ac Petrum Aragoniæ regem; Jacobum ejus filium, quem pag,* 676 *affirmat, dum esset in Monte Pessulano, die* XXV *Novembris anno* 1272 *condidisse testamentum, vi cujus in filium suum secundo genitum Jacobum transtulerit civitatem illam cum dominiis suis omnibus ac castris, vita functus secundum historicos, uti addit idem Catellus, Hispanos anno* 1311. *Huic autem Jacobo secundo tradit successisse Sanctium Majoricæ regem; illi vero Jacobum tertium, ab eoque dynastiam Montis Pessulani anno* 1349 *venditam fuisse Philippo Valesio, Galliarum regi, atque illam venditionem anno* 1350 *a Petro Aragonum rege, qui in Majoricæ regnum, posteris ejusdem heredibus deficientibus, successerat, confirmatam anno* 1350. *Baudrandus tamen in sua Geographia ad vocem* Mons Pessulanus *refert, hanc urbem* venditam fuisse Philippo Valesio.. a Sanctio rege Majoricæ, cui suberat antea.

non satis

5 *Sed illud tanti hic non est, ut nos vel morari debeat, nedum novam nobis inquisitionem injicere : sufficit enim in rem nostram, ditionem seu*

AUCTORE J. P.

A *seu dominium Montis Pessulani, Joanni,* S. Rochi *parenti, superius attributum, nec eum nominibus, nec eum tempore, nec eum serie dominorum istius loci convenire, cum nullus tunc inter illos ejusmodi nominis dynasta notetur, secundum ea, quæ e Catello protulimus. Odoricus Raynaldus Annalium ecclesiasticorum tom.* 15 *ad annum Christi* 1327 *num.* 56 *tituli hujus falsitatem affatim perspexit, quando hæc monuit:* Silentio autem dissimulandum non est, nonnulla in ejus gestis apud Surium *(adde, etiam apud alios)* fictitia reperiri, veluti cum dicitur, illius parentem Montipessulano imperasse, et Rochum principatu se abdicasse, ut peregrinationem susciperet: constat enim tunc Baleares reges eum principatum beneficiarium Gallicæ coronæ obtinuisse, et Francorum regibus clientelari sponsione acceptum retulisse: quamvis de insigni aliquo magistratu sive præfectura possit intelligi. *De puncto tertio, seu Sancti nobilitate, dicendum superest.*

probatur. 6 *Catellus idem qui supra lib.* 2, *cap.* 6, *pag.* 294 *in compendio, quod habet de* S. Rocho, *e parentibus nobilibus oriundum illum affirmat;* B *filius etiam cujusdam nobilis Occitani fuisse indicatur in Vitis Sanctorum anno* 1704 *Lutetiæ Parisiorum excusis. Sed apud Petrum de Natalibus in supplemento seu, appendice post ejus Catalogum Sanctorum cap.* 15 *ab omni quidem nobilitatis titulo abstinetur, et ista dumtaxat memorantur:* Rochus confessor, genere Narbonensis, apud Montem Pessulanum ex patre Joanne, matre Libera progenitus; *sed illico dicitur* a principatu se abdicans *etc. Fuit ergo non tantum nobilis, sed etiam princeps, secundum dictam appendicem. At qualis? Si velis, principem seu dynastam eum fuisse apud Montem Pessulanum, idque extundas ex* oppidis paternis patruo commendatis, *quod mox ibidem sequitur; hoc jam satis paullo ante refutatum. Sin alium; valde enimvero is nobis obscurus est, et ita incognitus, ut ne vel palpando quidem ad ejusdem notitiam perveniri posse videatur. Ex dictis itaque conficitur, incerta admodum esse, quæ de* S. Rochi *genere apud citatos hactenus auctores circumferuntur, non secus ac plura alia, quæ ad ejus res gestas pertinent, ut postea patebit. Sed quan-* C *doquidem Sanctus in tam longa jam possessione est nobilitatis, ipsum in eadem relinquendum esse censemus.*

Nomen, 7 *Nec vero ipsum* S. Rochi *nomen adeo est perspicuum, ut nullam difficultatem patiatur. In Vita Belfortiana sic dicitur:* Rochus in Baptismate appellatus est. *Suffragatur Pinus in Vita. Habemus Dissertationem Gallicam Ms. Petri Louveti, de* S. Rocho *compositam, cui epistolam subjungit ad Henschenium nostrum datam Lugduni die* v *Septembris anno* 1664: *in dicta vero Dissertatione plures memorat Montis Pessulani olim Rochos seculo* XIII; *ut Stephanum Roq ibidem consulem anno* 1258; *Raimundum Roq consulem anno* 1296; *synonymum eumdem vel alium* 1317; *Bartholomæum Roq* 1322. *Hunc esse posse patruum* S. Rochi *cogitat; si accipiatur nomen consulis pro gubernatore ac administratore urbis. Ad hæc, Baluzius in notis ad Vitas Paparum Avenionensium tom.* 1, *col.* 1029, *cum reperisset in epistola Gregorii PP. XI inter legatos Monspeliensium Imbertum Roch habitatorem dicti loci; addit se hoc notare, ut major fides iis adhibeatur, qui* S. Rochum *aiunt ex ea urbe natum fuisse. At quidnam inde conficias vel pro ipsius familia, vel pro ejus nativitate in dicta urbe? Nomina quippe* Roq *vel* Roch, *superius allegata cuinam non videantur potius esse cognomina; cum hæc illis postponantur? Sancti autem nostri nomen* Rochus *inditum ei fuisse in baptismo e Vitis supra diximus, atque adeo non potest ipsi esse cognatum seu cognomen familiæ a majoribus acceptum, si Vitæ vera prædicent.* Porro hujusce S. Rochi familia, A cruce cognominata, perantiqua atque nobilissima, *ut dicetur infra num.* 26. *Consequens igitur est, ut vel ipsum Sancti nomen sua quoque incommoda habeat.*

8 *En tibi nunc, lector, nonnulla de anno ipsius natali. Hunc nec in Ms. Belfortiano, nec apud Pinum reperio. Vita vero Diedana num.* 7 *his illum chronologicis characteribus signat:* Erat autem annus hic ab Incarnato Verbo millesimus ducentesimus nonagesimus quintus, quo Rochus.. in lucem emersit. *In Vitis Sanctorum Parisinis, quas nuper citabam, nativitas ipsius aptatur anno jam dicto* 1295 *vel* 1280. *Et vero si e vita excesserit anno Christi* 1327, *anno autem ætatis* 32, *sicut postea referemus; concordent necesse est annus emortualis ille, nec non annus nativitatis* 1295, *et ætatis, quos dicebam. Sed exactam de* E *Sancto chronologiam quis spondeat? Vide quæ dicentur inferius* § 8. *De sancti Confessoris nostri pueritia et educatione scribit Vita Diedi cap.* 1 *apud nos; de parentibus per mortem ei ereptis, ibidem; de peregrinatione Romana, variisque per Italiam locis pestifera lue ab ipso exstincta, nec non de aliis rebus, quas ibidem gessit, per ejusdem Vitæ decursum, quæ cum Belfortiana potest conferri.* *annus nativitatis etc.*

9 *Porro indiget examine factum illud prorsus mirabile, quo a dicta lue sospitatus per* S. Rochum *fertur* Romæ Cardinalis quidam titulo Angleriæ, quæ provinciæ Longobardorum est, *ex Vita Belfortiana num.* 5 *et* 6. *Sed rem hanc tamquam apocrypham hisce verbis castigat Raynaldus superius designatus:* Narratur etiam B. Rochum egisse triennio Romæ apud Cardinalem natione Britonem, atque ab hoc perductum ad Pontificem; quæ fabulosa sunt, ut patet, Romana Curia Avenione defixa: neque antea venire potuerat, cum anno MCCXCV natus referatur. *Accedit eo, quod hujus fabulæ fabricatoribus vel descriptoribus hæserit aqua, ut ita loquar, in exprimendo nomine* F *gentilitio istius personati Cardinalis, aliis aliud obtrudentibus. Quippe qui in Ms. Belfortiano nominatur cum* titulo Angleriæ; *cum Diedus biographus num.* 15, *ubi commentum illud etiam refert,* Britannicum *vocat* Cardinalem; *Breviarium Slesvicense* Cardinalem Britonicum; *Vita Germanica* Cardinalem Portiensem; *Pinus* Cardinalem quemdam Gallum, e gente Britonum, hominem clarissimi et illustrissimi nominis. *Fabula itaque hæc cum mirabilibus eidem attextis circumstantiis e Vitis* S. Rochi *expungenda est, et ad aniles nænias releganda.* *Fabula quædam e Vitis Sancti expungenda.*

10 S. Rochum *peregrini habitu vestitum Romam petiisse, asserit Vita Belfortiana num.* 14 *his verbis:* Habitu itaque peregrino induitur, caput pileo tegitur, de humeris bulga pendet, baculus peregrinalis dextram subit, et intentus pœnitentiæ Rochus.. Romam versus contendit. *Pinus in Vita ita rem exprimit:* Itaque viatorium atque pedestrem habitum induens, pileolo, baculo et folliculis sumptis Romam iter instituit. *Diedus vero hæc habet:* Brevi quadam coccinea veste indutus, vilique pallio supraposito, pileo, pera ac baculo sumptis, pedibusque coopertis calceamentis, Romam versus iter dirigit. *An autem ex vestitu isto, an* *Perperam etiam adscribitur*

AUCTORE J.P.

an aliunde ansam sumpserint nonnulli, Sanctum abscribendi Tertio S. Francisci instituto, non disputo, quando id factum constat ab Arturo a Monasterio in notis ad Martyrologium Franciscanum hac die XVI *Augusti; pro qua re alios ibi etiam nominat. Inter hos etiam nomen suum profitetur P. F. Benignus Fremaut in sua Legenda generali Sanctorum etc. Ordinis Seraphici lib.* 8 *ad diem* XVI *Augusti indicans, Tertiam S. Francisci Regulam ab eo assumptam fuisse, antequam proficisceretur in Italiam. Sed quo fundamento? Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1327, *num.* 10, Eum, *inquit,* Tertio S. Francisci instituto adscribunt aliqui, *quos citat,* sed recentioris ætatis scriptores. Antiquiores desideraverim coassertores; neque tamen hi contradicunt, neque nostri respuunt, quem alii sponte offerunt, imo avide amplexantur. Utcumque sit, ne meis invideam, quem alii tribuunt, et reverenter suspiciunt, sub compendio vitam exhibeo. *Quibus verbis abunde insinuat, quidnam de ista re sentiat. Nec vero in Actis, quæ daturi sumus,* B *hoc legitur; neque in aliis utcumque antiquis, etiam compendiariis ullam novi fieri mentionem instituti cujuscumque Franciscani, quod professus aliquando* Rochus *fuerit.*

Tertio Ordini S. Francisci.

11 *Scio equidem, apud Reverendissimum P. M. Antonium de Sillis Monumentorum tertii Ordinis tomo* 2 *pag.* 81, *in litteris a Paulo PP. III Romæ datis anno Christi* 1547, *quibus* interdictum et cessationem a divinis certis diebus, et in festis Sanctorum et Sanctarum Tertii Ordinis (quæ ibi enumerantur) tolli et suspendi posse in ecclesiis prædicti Tertii Ordinis concedit, *uti præmittitur in summario istarum litterarum; scio, inquam, inter Cœlites prædicti Ordinis, qui ibidem memorantur, haberi* S. Rochum; *sed respondeo primo, a Waddingo laudato citari Sillenum in Monumentis Tertii Ordinis; et tamen* Antiquiores desideraverim, *ait,* coassertores. *Secundo litteræ illæ inter alios Tertii Ordinis Sanctos nominant* sanctum Ludovicum Francorum Regem. *Sed Spondanus, Annalium ecclesiasticorum Eminentissimi Cæsaris Baronii continuator, ad annum* 1254 *num.* 11 *de vestitu istius Sancti regis lo-* C *quens,* Fuisse hunc, *ait,* Tertii Ordinis Minorum, cui se post reditum ex Syria addixerit, nonnulli volunt *(Adisis Waddingum tomo* 2 *ad annum* 1254 *a num.* 28*)* quod tamen vix credibile; cum nullus antiquiorum singularis hujus rei meminerit. *Res itaque ista Spondano prorsus incerta ac pene incredibilis; a nobis vero expendenda ad diem* XXV *hujus mensis, quo ejusdem decisionem mittimus, ne quid interea de ea præpropere statuamus. Tertio, in hisce ac hujusmodi litteris Apostolicis solet dari gratia, quæ ab oratoribus petitur, et sicut petitur. Porrectis itaque Sedi Apostolicæ precibus super festis prædictorum Sanctorum, Paulus PP. III benigne quidem annuit, sed nullo modo intendit inquirere nedum determinare, utrum Sancti isti omnes vere Tertium S. Francisci Ordinem amplexi fuerint, uti satis liquet.*

D

§ II. Memoria in sacris Fastis; initia publici cultus seculo XIV; an a concilio Constantiensi is ipsi decretus ob depulsam pestem seculo XV; corpus tum pro sancto habitum, et Arelatem translatum.

Annuam Sancti memoriam

Celeberrimi hujus Sancti cultum per varias Europæ provincias longe lateque diffusum fuisse, persuadent monumenta bene multa, quæ proferemus, incipiendo a Fastis sacris, qui de eo meminere. In auctariis ad Martyrologium Usuardi a nobis editum, hac die XVI *Augusti hæc dantur e Greveno:* Lugduni Galliæ, beati Rochi, peregrini et confessoris. Hic claris ex Aquitania natalibus ortus, et a puero optimæ conversationis, singularem a Domino gratiam curandi homines a E morbo epidemiæ accepit. Tandem post multa bona opera, tamquam explorator in carcere quinque annos detentus, ibi in Domino quievit. *Hæc ibi. Florarium nostrum Ms. ita eum annuntiat et laudat eadem die:* Apud Angleriam Lombardiæ civitatem, depositio sancti Rochi confessoris, viri præclarissimi genere et sanctitate. Hic inter cetera infirmitatum genera, morbum, quem homines vulgariter pestilentiam nominant, solitus est curare. Et ideo hujusmodi homines, tali morbo gravati, hunc sanctum Rochum cum devotione invocare deberent. *Habetur etiam memoria ejus cum elogio in Martyrologio Germanico, quod sub nomine Canisii solet citari.*

referunt varii hagiologi cum Martyrologio Romano.

13 *Molanus in additionibus ad suum Usuardum anno* 1568 *editum brevissime illum memorat:* Lugduni Galliæ beati Rochi confessoris, contra pestilentiam adjutoris. *In editione autem anni* 1573 *annuntiat eum* In Galliis. *Porro Maurolycum Felicium, Galesinium hic pro insertis habeto. Arturus a Monasterio sic ipsum refert:* In Gallia Narbonensi apud Montem Pessulanum, depositio F sancti Rochi confessoris, qui nobili genere ortus, sed pro Christo pauper et humilis effectus, Tertii Ordinis Minorum insignia detulit; tandem patientia, castitate et miraculis conspicuus, ad cælestem patriam transiit; cujus virtus contra morbum epidemiæ maxime elucet. *Saussayus eum etiam intexit suo Martyrologio Gallicano cum magno elogio, ex ipsius Actis deprompto. In novo Martyrologio Parisiensi ita signatur:* In Gallia Narbonensi apud Montem Pessulanum, beati Rochi. *Hisce annuntiationibus coronidem imponat Martyrologium Romanum, in quo hæc memorantur:* In Gallia Narbonensi apud Montem Pessulanum depositio beati Rochi confessoris, qui multas Italiæ urbes a morbo epidemiæ signo crucis liberavit: cujus corpus Venetias postea translatum, et in ecclesia ejus nomine consecrata honorificentissime conditum fuit. *Hæc sunt in editionibus anni* 1678 *et* 1701. *Aliæ, quas vidi nonnihil ab istis differunt. Sacri itaque Fasti celebritatem cultus* S. Rochi *per varias Europæ provincias inclaruisse, abunde manifestant. Verum de primæva ejusdem origine seu antiquitate dicendum etiam videtur.*

14 *Vita Diedana num.* 34 *Sancti exsequiis ista*

AUCTORE J. P.

A *ista subdit:* Princeps *(ejus videlicet patruus, uti præmiscrat)* magno impendio ei templum erexit, diem solemnem, quo D. Rochus obiit, imperat, sexto decimo scilicet Calendas Septembris anno Christi MCCCXXVII.. quod solemne statumque sacrum ad hæc usque tempora ab incolis celebratur. *Compendium Vitæ apud Petrum de Natalibus de Sancti patruo hæc scribit:* Peractis longo tractu exequiis, sanctum corpus tradidit sepulturæ, eidem templum magni sumptus erigens. *Quæ si vera sint, ex iis conficitur; publicam Sancti venerationem una cum felici ipsius obitu incepisse. Vita Belfortiana annum, quo publice coli cœpit, non determinat; sic enim scribit:* Solemniter et religiose beatum Virum sepeliunt: qui postea in Apostolatu *(id est sub Romano Pontifice, quantum ego quidem intelligo)* Sanctus gloriose dedicatus est, atque ejus glorioso nomini amplam et celeberrimam ecclesiam construxerunt. *Non admodum etiam diu post obitum a Romano Pontifice, cujus tamen nomen non exprimit, Hominis sanctitate comperta, ritu solenni inter Cælites relatum fuisse, ac tum demum ipsi templum amplum et opulentum fuisse constructum, affirmat Pinus, sed annum idem auctor* B *nullum eo usque designat. Sic enim narrat:* Elatum postbac summa funeris pompa magnifice tumularunt: quem paulo post quoque Romanus Pontifex, Hominis sanctitate comperta, ritu solenni in Superos retulit: demumque eo loco, ubi sepultus fuerat, templum amplum et opulentum extructum est.

Initia cultus proxime post mortem ex biographis.

Sunt, qui in concilio Constantiensi

15 *Ad annum Christi* 1414, *et concilium Constantiense confugit Castellinus in Tractatu de Certitudine gloriæ Sanctorum canonizatorum pag.* 443, *quasi S. Rocho honores exhibeantur Sanctorum ex istius concilii decreto. Ita enim ibidem memorat:* S. Rochus confessor, quem Franciscus Diedus Venetus, et P. * Pinus Tholosanus, in Sanctorum numerum statis solemnibus, ceremoniis adscriptum esse affirmant. Pace tamen illorum, nihil compertum de hoc babetur, ut testantur Cardinalis Baronius, et Petrus Galesinius in notis ad Martyrologium Romanum XVII Cal. Septembris, hoc est die XVI Augusti. Eidem tamen sancto Rocho honores Sanctorum exhibentur ex decreto concilii Constantiensis ab anno C MCDXIV. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die XVI Augusti. Joannes Pinus in Vita ipsius Beati, et alii. *At Baronii textum proferamus:* Scribit.. Diedus, eum.. anno.. MCDXIV innotuisse Patribus concilii Constantiensis, quorum decreto ad propulsandam ingruentem luem eidem honores Sanctis debiti sunt impensi: uam et solemni pompa ejus imaginem, omni comitante populo, per urbem detulerunt: quo facto, illa pestis mox evanuit. Inde vero exemplum sumptum est, ut ubique locorum ejus venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint.

* l. 1., id est, Joannes ut mox inferius hic.

Sanctum ob depulsam pestem canonizatum volunt:

16 *Verum tum hujus decreti, tum pestis, quæ tempore istius concilii grassata fuerit, cupimus discere vel unicum, modo satis idoneum ad faciendam fidem, vel ex actis hujus concilii, vel ex ejusdem temporis auctoribus testimonium. Proferant illud certe, qui præsens factum credi volunt, magnam utique et de nobis, et de eruditis lectoribus inituri gratiam, nec non de* S. Rochi *honore et gloria apud homines optime merituri, stabiliendo publicum illud et solenne miraculum, quod patrocinio ipsius in patentissimo, ut ita dicam, Catholici orbis theatro fertur patratum, et e quo a nonnullis, ut vidimus, tamquam e primigenio vel præcipuo fonte publica hujus Sospitatoris veneratio quaquaversum diffusa dicitur. Narratur tamen illud factum in Vita, quam primo loco daturi sumus infra, auctore Diedo, apud nos cap.* 4, *num.* 35 *et sequentibus. Porro Constantiam non convenere Patres, ut* Græcorum hæresim tollerent, *sicut scribit idem biographus apud nos eodem num.* 35; *sed præcipua hujus concilii celebrandi causa fuit schisma, quod jam per annos pene quadraginta dividebat Ecclesiam. Damnati etiam in eo fuere errores Joannis Wicleffi, et Joannis Huss, item Hieronymi de Praga. Prædictam historiam etiam refert Joannes Pinus; ac conventum istum sacrum eidem quidem anno* 1414 *affigit, non autem eidem diei, quo Diedus, sed* nono Kalen. Augustas; *item rectius indicat, id factum,* quo nefariæ nonnullorum hæreses tollerentur.

quæ res hic

17 *Albertus Krantzius in sua Metropoli cap.* 25 *rem gestam Constantiæ compendio referens, hæc scribit:* Venit deinde in oblivionem Rochi nomen; sed anno Christi post MCDXV, cum concilium Constantiæ ageretur, ibique pestis desæviret, ex Germanis cœpit Italis nomen ejus insigne E fieri. *Præcesserat Joannes Philippus, Bergomensis in Supplemento Chronicarum, anno Christi* 1485 *Brixiæ edito, hæc ad annum* 1327 *de* S. Rocho *scribens:* Cujus sanctissimi Viri merita atque opera diu apud Italos nostros cum latuissent, tandem anno Domini MCDXV ad ipsos ex Germania ipsius Rochi nomen delatum fuit, eo quod Constantiam, Germaniæ urbem, ubi concilium generale Christianorum celebrabatur, a peste maxima liberaverit: ubi nunc basilicæ, sacella et templa in ejus nomine non modo per urbes, sed per castella, per vicos, et quasi per privatas domos extruuntur; ad quæ confugientes ejus sanctissimi Viri merita experiuntur. Hujus itaque festum XVI Kalendas Septembris celebratur. *Huic auctori adde, quæ sunt apud Petrum de Natalibus in Supplemento cap* 15: Hujus vero nomen redeuntes e concilio Constantiæ, ab eo recenter a furenti pestilentia liberatæ anno salutis MCDXV detulerunt in Italiam.

examinatur.

18 *Videmus itaque tot auctores in illa peste concordes, quam, patrocinante* B. Rocho, *Constantiæ sublatam volunt. Ceterum de hac re nihil* F *legimus in Vita Belfortiana; in lectionibus item propriis Breviarii Slesvicensis de eadem nihil; narratur tamen factum in Appendice, quæ Belfortianæ isti Vitæ in nostro Ms. subnectitur, notaturque desumpta e Ms. Patrum Cœlestinorum Parisiensium. Quidnam itaque de hoc famoso facto dicendum est? Vellem equidem firmioribus testimoniis videre stabilitum publicum illud venerationis decretum ob depulsam a Sancto pestilentiam Constantiæ. Cum tamen nostræ sint partes favere Sanctis, quoad possumus, salva semper veritate, profero, quod de ista re cogito. Quid si morbus aliquis gravis et periculosus in dicta urbe tunc grassatus fuerit, et* S. Rochi *invocatione ac patrocinio sublatus: unde occasio data sit, exornatam et phaleratam illam historiam componendi, qualis apud Diedum et alibi legitur. Interim si cui hæc nostra conjectura non arridet, aliam indaget, ut sese hisce ex difficultatibus expediat, ac rem decidat, si plus fortasse lucis ipsi affulserit. Miramur autem hæc scribi a Spondano ad annum* 1327 *num.* 10, *ubi postquam Confessorem nostrum recte laudasset tamquam* tutissimum divina misericordia refugium peste et epidemia

AUCTORE J. P.

epidemia laborantibus, *mox subdit* : Quod et Patres concilii Constantiensis anno millesimo quadringentesimo decimo quarto publicis sub ejus invocatione initis supplicationibus, ejusque imagine solemni pompa per urbem delata senserunt. Ex quo satis visus ab Ecclesia approbatus, et, ut loquuntur, canonizatus *etc. Miramur, ut iterum dicamus, hæc ita narrari a dicto auctore, cum nullum tuis pestiferæ tempore concilii Constantiensis apud ipsum anno* 1414 *et sequentibus vestigium inveniamus. Ex hactenus dictis concludimus, originem venerationis publicæ ac solennis, qua Cœlitum numero, ut volunt, Confessor noster adscriptus sit, primigeniam ac genuinam non videri nobis recte peti ex facto synodi Constantiensis, prout saltem illud ab auctoribus supra recitatis exponitur. Nec vero invenimus, hoc ipsum ritu umquam inter Sanctos relatum fuisse.*

Corpus ante illud tempus honoratur et Arelatem transfertur.

19 *Dubitari interim non potest, quin diu ante publicus ejus cultus floruerit, sicut ad hunc diem* XVI *Augusti perhibet Arturus in notis ad suum Martyrologium Franciscanum* § 5 : Sciendum, *inquit*, Joannem Meingrum Boucicaldum, Franciæ B Marescallum, virum illustrissimum ac strenuissimum, Religiosos Ordinis S. Trinitatis, Redemptionis captivorum (quos Mathurinos in Gallia vulgo vocamus) multum adamasse, eisque, maxime Arelatensibus, bona ac redditus contulisse. Insuper, *uti addit*, authoritate Apostolica sibi facta, inter alia Sanctorum pignora, Arelatem transtulit ex urbe Mon-Pessulana corpus S. Rochi anno MCCCLXXII Kalend. Aprilis, atque pro sua pietate dono dedit ipsis Religiosis præfati conventus Arelatensis : ubi maxima cum veneratione asservatum est, tantaque populi frequentia colitur, ut haud mirum est *, si quæque nationes et regna etiam remotissima hujus sacratissimi corporis particulas certatim summe exoptarint. *Deinde enumerat laudatus Arturus* § 6 *et seqq. reliquias aliquot, inde postea decerptas : de quibus* § *proxime sequenti.*

* *l. lit*

C

§ III. Publica veneratio ex reliquiis sacris in Hispania, Gallia, Taurini; item in Italia, Germania, ac Belgio; patrocinium tempore pestis.

Reliquiæ

Sacra lipsana S. Rochi, *temporibus variis per diversos Europæ tractus transmissa, publicum ipsius cultum, ejusdemque extensionem ac continuationem solide comprobant.* Imprimis, *uti testatur Arturus citatus* § 6, Alexander VI suo diplomate, sub datum Romæ pridie Nonas Februarii anno MDI, ipsis jubet Religiosis (*de Mathurinis Arelatensibus proxime egerat*) nonnullas harum reliquiarum particulas impertiri, ad regnum Granatense transmittendas pro tuitione ac corroboratione fidei Catholicæ, inibi nuper introductæ; ut per Conventus ac monasteria in regno recenter extructa distribuerentur. Hæc autem bulla Apostolica reverenter excepta et perlecta est a præfatis Religiosis, et vicario generali archiepiscopi Arelatensis, præsentibus ejusdem urbis consulibus, Viguerio aliisque præcipuis civibus, nominatim annotatis in processu verbali, tunc temporis confecto. Pro cujus bullæ executione, et juxta summi Pontificis beneplacitum, datum est os S. Rochi, quod nuncupatur nuca dorsi. In cujus rei autographo subsignati D cernuntur Petrus Borbery, et Petrus Bruny, notarii regii ac secretarii supradicti archiepiscopatus.

Arelate

21 *Idem auctor* § 8 *in rem nostram ita pergit* : An. MDXXXIII sub Pontificatu Clementis VII, regnante in Gallia Francisco I, Guilielmus le Vasseur, ejusdem regis chirurgus, obtinuit a præfato Summo Pontifice diploma Apostolicum, sub datum Marsiliæ Nonis Novembris, pontificatus anno X, quo sibi facultas dabatur, aliquid reliquiarum S. Rochi assumendi apud Arelatem. Quod cum ab eodem rege Christianissimo instanter postulasset hujusmodi Brevis seu indulti Pontificii confirmativam executionem, piis ejus votis annuit regia munificentia die X ejusdem mensis et anni; dummodo id fieret de consensu Generalis Ministri hujusce Ordinis, et ipsæ S. reliquiæ extra regnum minime asportarentur. His munitus litteris Arelatem venit, illicque a R. P. F Gentiano ab Andiuo, Conventus Ministro, seu Superiore, præsentibus aliis Religiosis, et magistratu, nec non compluribus civibus ejusdem urbis, dono reverenter accepit os colli S. Rochi, E vulgo nuncupatum spondylum. Id autem munus transtulit ipse Guilielmus ad oppidum Villæ-Judææ (vulgo Ville-Iuifve) non longe a Lutetia : cujus translationis festum quotannis agitur prima Dominica Maii : illicque complures indulgentiæ concessæ habentur, tum ab episcopis Parisiensibus et Cardinalibus; tum etiam a Sede Apostolica, teste Brulio lib. 4 Antiquitatum Parisiensium pag. 1221 et 1222; *sed Guilielmus iste ibi vocatur* le Vavasseur.

in varios Europæ tractus

22 *His adde, quæ Arturus habet* § 9, *his verbis expressa* : Item anno MDLVII die XXII Maii, pars capitis S. Rochi Marsiliam delata est, et in conventu ejusdem Ordinis condigno honore reposita (cujus ecclesia ipsi Rocho dicata est) servatis omnibus debitis circumstantiis; uti apparet ex verbali processu, per M. Saxi, Arelatensem notarium. Exindeque officiales archiepiscopatus Arelatensis ea de re litteras testimoniales dederunt ad Marsiliensem præsulem : quibus perlectis, fidelibus cunctis Christianis præfatam ædem (ubi S. Rochi reliquiæ asservantur Marsiliæ) visitantibus quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxavit ipse antistes, sub datum Marsiliæ die penultima Aprilis anni F MDLXX.

Similiter anno MDLXXV *(ita pergit Arturus* § 10*)* die XVI Aprilis, Romam allatum est quoddam os S. Rochi per R. D. Alexandrum Barvich, abbatem, et perpetuum commendatarium monasterii S. Mariæ. Quæ quidem sancta reliquia extracta est, et illi consignata expresse coram D. vicario Metropolitanæ Arelatensis, cum litteris authenticis ejusdem D. vicarii, et D. Francisci Biol, justitiarii ejusdem urbis, ac consulum civitatis.

translata.

23 *Deinde* § 11 *idem Arturus*, Anno itaque, *inquit*, MDCXVI, die I Augusti reverendissimus Generalis istius Ordinis, cernens hujusmodi reliquias S. Rochi sic ubique terrarum dispergi, periculumque imminere huic conventui Arelatensi, brevi in sacris exuviis spoliatum iri; præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ, omnibus provincialibus, visitatoribus, ministris conventualibus, aliisque Religiosis sui Ordinis, ne eas in posterum asportari, dispergi, aut capi sinant, vel permittant, sub pœnis expressis. Datum Arelate anno et die sup.

Jam

A *Jam vero ad* § 12 *perveniamus, ubi exstant sequentia :* Interim anno MDCXVII idem reverendissimus Generalis portionem capitis S. Rochi Arelate Duacum misit ad conventum sui Ordinis, ubi crebris honoratur miraculis thecaque argentea deaurata conclusa, publica professione defertur solemniter in festo S. Rochi summa totius populi devotione. Quod constat tum ex litteris ipsis reverendissimi Generalis, sub datum Parisiis apud sanctum Mathurinum IV Septembris anno MDCXVII, tum ex consensu illustrissimi Atrebatensis episcopi, scriptis exarato die XVII Augusti anno MDCXVIII.

earumdem possessoribus

24 Adde, quod Priores confraternitatis S. Rochi urbi Taurinensis (*ut pergamus cum Arturo* § 13) summe exoptantes ejusdem S Rochi reliquias penes se habere, in Phocensem * ablegarunt D. Joannem Ludovicum Lamberti, presbyterum, juris canonici doctorem, priorem ecclesiæ B. Virginis loci Escarnafici, diœcesis Taurinensis : qui Arelatem perveniens, Religiosisque conventus sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis captivorum, B suam humiliter exhibens petitionem, ab ipsis repulsam passus est ex eo, quod lege cautum esset, hujusmodi sanctas reliquias extra regnum deferre. Instat ille nomine sui principis sereuissimi Sabaudiæ Ducis : tum archiepiscopi Taurinensis; quorum litteras exhibet, sub datum XX Novembris anni MDCXIX : quibus addit etiam litteras eminentissimi Cardinalis Bandini, sacri Cardinalium collegii Decani, eadem continentes; sub datum Romæ XXV Septembris anni MDCXIX. Sed cum nihil proficeret, obtulit patentes litteras Christianissimæ majestatis, sub datum apud sanctum Germanum in Laya XXVIII Aprilis an. MDCXIX directas archiepiscopo Arelatensi, necnon consulibus civitatis ejusdem; quibus notificabatur, dedisse consensum, velleque, ut præfato Sabaudiæ legato, pro voto suo, fieret satis super hujusmodi reliquiis sancti Rochi.

* *Subintellige provinciam*

valde aliquando invitis ;

25 Verum Religiosi iis se minime obtemperaturos inclamarunt : quamdoquidem lege lata sub præfatis pœnis reverendissimi patris sui Generalis retardabantur ab horum executione. Quare [per] consules, adunato urbis consilio, reque maturius discussa, conclusum est, ad evitandum scandalum, C fugiendamque facti violentiam; quod præfatus legatus Sabaudus Lutetiam adiret, ipsumque R. P. Generalem conveniret, alloqueretur ve, si forte assensum dare vellet. Quod et factum est; nam is ultro annuens, consensum præstitit Parisiis XVIII Martii anno MDCXX, pro hac vice dumtaxat, absque futura consequentia. Tunc Arelatensis metropolites, consules, notabilioresque ex clero ac populo una cum medicis et chirurgis, in conventum perrexerunt, Superiorem vocant cum Religiosis: qui jussa complentes, capsam aperiunt, capiuntque superiorem partem ossis femoris sinistri, longitudinis palmæ unius; ponderis autem unciarum quinque amplius, ad pondus aurificis : quod legatus reverenter accipiens serico albo involvit, ac diligenter ligavit servavitque. Tum nomine Priorum confraternitatis Taurinensis, votum adimplens, capsam argenteam inauratam, ac serico rubeo interius adornatam pia devotione obtulit, ut in posterum apud Arelatem ossa sancti Rochi honorificentius recondita essent in hujusmodi theca pretiosa : quorum inventarium factum est, ac litteris consignatum apud registrum pontificum Arelatensium, et archivum conventus præfati, libro Reliquiarum notato N. fol. 146, et 147; quas SS. reliquias ego pro pietate Arelate veneratus sum anno MDCXX.

AUCTORE J. P. ut testatur Arturus.

26 *Denique ut fidei robur addat superiori collectioni Arturus, indicat* § 15 *unde acceperit, quæ in eadem retulit.* Hæc autem omnia, *inquit, (uti et alia, quæ dabuntur illico num.* 29) excerpta sunt ex archivis conventus urbis Arelatensis, et ad me transmissa sub sigillo et signaturis authenticis, anno MDCXVII, die IV Decembris per D. Gerardum, regis consiliarium, ejusque advocatum in civitate Arelatensi Phocensis provinciæ. Porro hujusce S. Rochi familia, A cruce cognominata, perantiqua atque nobilissima, nunc usque gloriose viget tum Mon-Pessulani, tum Lutetiæ, apud quam remansit baculus ipsius S. Rochi hexapodus *, reverenter asservatus per D. Isabellam A cruce, dominam de Lunello veteri, de Montuilla etc., quorum omnium mentio habetur in instrumento publico, super his confecto, signis et sigillis munito, sub datum Mon-Pessulani XIV Martii an. MDCXXXVI. *Morerius tamen in suo Dictionario historico ad nomen* Montpellier, *baculum Sancti nostri assignat Monti Pessulano in monasterio S. Pauli. Ex his itaque, quæ hactenus e testimonio Arturi allata sunt, luculentissime* E *patet, Beati cultum per varios Europæ tractus egregie promotum fuisse magno cum pietatis erga eumdem ac tenerrimæ affectionis incremento. Quæ ut magis lucescant, collectioni Arturianæ plura in hoc genere subjicienda in promptu habemus de sacris lipsanis, confraternitatibus, ut vocant, ac locis piis in ejusdem Confessoris honorem erectis.*

* *i. e. sex pedibus longus*

Variæ aliæ reliquiæ enumerantur.

27 *Tomo* 1 *nostri mensis Aprilis, die* 2, *pag.* 72 *actum est de reliquiis S. Mariæ Ægyptiacæ apud Antverpienses, quarum unæ cum illustrium aliorum* XXXIV *Sanctorum pignoribus anno* 1632 *civitati Antverpiensi obtigisse ibidem narrantur hac, quæ pluribus ibi deinde exponitur, occasione. Nimirum Antonius Ludovici principis Lusitani nothus, populari favore rex ejusdem Lusitaniæ proclamatus, sed a Philippo II Hispaniarum rege prælio victus et regno exclusus, ac in Galliam profectus, Parisios detulit divitem sacris reliquiis capsam, quam anno* 1594 *tradens filio suo Emmanueli, expedivit litteras, suæ donationis testes, quæ ibidem proferuntur. Emmanuel vero anno* 1633 *dono dedit Antverpiæ sacrum* F *istum thesaurum Prælato monasterii S. Salvatoris, sicut videre datur pag.* 73. *Inter alia vero sacra ista pignora ponitur sub* num. XXIV pars spinæ dorsi, et mentum S. Rochi confessoris, XVI Augusti. *Consuli etiam potest tomus* IV *Maii pag.* 609. *Verum de reliquiis Antverpiensibus agam post Sancti Vitas. Alibi aliæ notantur. Sic Hemerologii sacri parte* 2 *hoc die assignat Piazza in ecclesia* S. Rochi *Romana brachium ejus; cujus pars habeatur ad S. Sebastiani extra muros; et scutella ejusdem ad S. Marcelli; digitus ad S. Mariæ novæ, aliæque reliquiæ ad S. Annæ de Funariis, et ad Victoriam. Sic Parisiis, ait Baitletus, plus quam in decem ecclesiis vel ostendi reliquias ejus, vel suppliciter circumferri in ipsius festo : tametsi earum insuper, quæ sunt in ejus ecclesia parochiali, celebratur translatio postrema post Pentecosten Dominica. In schedis austem nostris Mss. notantur esse Bruxellis in ecclesia S. Gaugerici. Pragensibus in Bohemia, de quibus loquebar, adde Marcodurenses in Ubiis. Nam in fragmento epistolæ P. Jacobi Kritzradt signatæ* V *Decembris anno* 1651 *sunt ista :* Nuper legeram de copiosa peregrinatione ad S. Rochi reliquias in Bethania Marcodur. cœnobio per annos

AUCTORE J. P.

nos aliquot instituta, et numero peregrinantium descripto. *Alias notat Rayssius in Hierogazophylacio Belgico apud Luxemburgenses pag.* 366, *ac prope Teneræ-Mondam apud virgines Cistercienses Swivecanas pag.* 500; *alias Pragæ in Bohemia Thomas Joannes Pessina in Phosphoro pag.* 516; *alias in Aurelianensi ecclesia Carolus Saussayus in Annalibus pag.* 553. *Apud Bernardinum Manzonium in Cæsenæ chronologia pag.* 63 *in curata ecclesia S. Jacobi Portus Cæsenatici inter alia sacra lipsana dicitur asservari dens molaris* S. Rochi. *Ex iis vero, quæ e Lipsanologio seu Inventario Ms. regii monasterii S. Laurentii Scorialensi in Hispania apud nos descripta exstant, habemus, ibidem etiam* Rochi *confessoris reliquias asservari. His suppleri possunt, quæ de reliquiis collegerat Arturus.*

Sanctus

28 *De piissimo autem juxta ac efficacissimo ad eum perfugio adversus pestiferæ contagionis luem, memorat Ægidius Gonsalvus Davila in suo Theatro ecclesiastico tomo* 2, *qui continet ecclesias Hispalensem, Palentinam etc., narrans pag.* 177, *anno* 1519, *dum magna Palentiæ esset pestis*, B *utrumque, ut vocat, capitulum ecclesiasticum ac seculare, implorasse opem divinæ misericordiæ, votoque se obstrinxisse solenni observandi festum* S. Rochi *usque ad mundi finem, nec non die* XVI *Augusti cum supplicatione procedendi ad ecclesiam S. Marinæ, ubi Sanctus, inquit, habet suum altare; ac cessasse beati Confessoris patrocinio pestiferum malum. Sed illud factum est singulare, quod commemorat Fremautus sine nota temporis, quodque ego huc transcribo in ipsius fide. Dum in parthenone S. Claræ in loco, qui vulgo dicitur* Villa de Conde, *in Lusitania arderet pestis, peregrinus quidam ignotus eo detulit imaginem* S. Rochi, *dicens, ut Religiosæ illam venerarentur firma cum spe, fore, ut, quæ ex eisdem erant malo isto tactæ, convalescerent, nullæque, quæ tunc ab illo erant immunes, posthac tangerentur. Dicto respondit eventus, lue pestifera cito etiam depulsa e memorata Lisutaniæ civitate vel pago. Addit idem auctor, hanc imaginem in choro istius monasterii honorifice etiamnum asservari. Magna quoque apud Gallos de* S. Rochi *patrocinio concepta fiducia adversus* C *morbum contagiosum.* Anno videlicet MDXXII, die prima Martii senatus, populusque Arelatensis votum emisit ad S. Rochum de exstruendo illi sacello, ut sua intercesssione apud Deum liberaretur civitas a peste et contagione epidemiæ, quæ tunc dire grassabatur. Ex instrumento publico per M. Joannem de Camoeret, notarium et secretarium ejusdem urbis; *sicut* § 7 *narrat Arturus superius designatus.*

in peste patronus

29 *Adde, quæ idem Martyrologus habet* § 14 *de publica veneratione: nam postquam dixisset, anno* 1620 *Sancti reliquias Arelate veneratum se esse, ut paulo ante expositum est, illam variis argumentis ita probat:* Exinde, ob pestiferam cladem, qua Arelatenses misere vexabantur, archiepiscopus erexit in præfato conventu confraternitatem in honorem sancti Rochi, dans XL dies indulgentiarum, anno MDCXXVIII, die X Octobris: quod sodalitium a Sede Apostolica approbatum est, et confirmatum diplomate Urbani PP. VIII cum multis indulgentiis, sub datum Romæ apud S. Petrum, Idibus Martiis anno MDCXXIX. Aucto postea numero confratrum, ac pietate fervescente statuam sancti Rochi argenteam, et inauratam dono dederunt, et in ejus honorem ecclesiam pulcherrimam erexerunt. Aliæ etiam urbes et oppida, ut Salonium in Provincia anno MDCXXXI D et MDCXXXII; Vermanton in diœcesi Altissiodorensi anno MDCXXXIII; Montisargium diœcesis Senonensis anno etc. MDCXXXV, diverso tempore eadem lue cum cruciarentur, votis emissis ad B. Rochum, salubriter sunt cælitus exauditæ eorum preces. In cujus rei gratiam, processiones actæ, festa indita, altaria, oratoria, sacella, et templa constructa, ac oblationes opulentissimæ et frequentissimæ factæ.

30 *Si vero ad anteriora tempora retrocedere* plane *lectori est animus, Pinus in Vita* S. Rochi *hæc scribit:* Nec est, quod innumeris ejus enarrandis miraculis verbosius occupari velim: neque si id libeat, pro dignitate satis assequi valeam: incredibile enim, nec facile dictu est, quot quantaque pene quotidie mortales omnes expertos memorent: quorum singula quæque proprium sibi volumen poscerent. Nostra vero memoria Parisiis cœnobitas sacritissimæ Virginis (qui vulgo Carmeli montis appellantur) truculenta pestis invaserat. Quo periculo fratres pavidi trepidabant. Nec tum satis consilio mentis locum reliquerat: cum eorum unus vir inter multos egregius divi Rochi E imaginem protulit, sacratoque illi sacello solenne quoque festum instituit, singulis quibusque diebus Dominicis celebrandum.... Neque posthac quemquam illic peste periisse, auditem est. Per ea quoque tempora hæc teterrima lues Ambianos, Bellovacos, Atrebates, Nervios, Morinos, innumerasque alias Galliæ Celticæ ac Belgicæ urbes invaserat: ad quas simul ac divi Rochi nomen allatum est, colique illic et venerari cœptum est, repente totus furor ille morbi deferbuit.

31 *Ex adjectis ad apographum Vitæ* S. Rochi singularis, *a Diedo conscriptæ et a Gamansio huc transmissæ, pestis prædicta Parisiense cœnobium Fratrum beatissimæ Virginis de Monte Carmelo invasit* anno Domini MCDXC; extinctique sunt hoc morbo pestifero Fratres decem et octo. *Item eorum unus etc., qui non nominabatur a Pino, ibi dicitur* Frater Johannes Philippi, alias Atrebatensis, sacræ Theologiæ lector. *Ibidem etiam ab ipso in honorem Sancti facta sic narrantur:* Imaginem beatissimi Rochi in eodem cœnobio Fratrum Carmelitarum erexit, atque instituit, ut de sanctissimo Rocho omnibus diebus Dominicis F specialis commemoratio haberetur: Dominica vero prima post festum Assumptionis, cujus * festum celebratur cum Missa et sermone solemnibus. *In eodem Ms. agitur etiam de peste apud Ambianenses, Tornacenses, Cameracenses etc.* eodem in tempore. *Denique, ut etiam discimus ex isto apographo.* Anno Domini MCDXCV Parisiis fuerunt multi peste gravati, *humanoque remedio destituti*, ad imaginem B. Rochi peregre venerunt, atque vota sua ibidem reliquerunt: qui se aiunt *ejusdem* meritis liberatos. Quapropter ejus nomen ad astra usque colunt. Nos vero Carmelitæ hunc virum sanctissimum Rochum hoc cœnobium scilicet Fratrum Carmelitarum specialiter elegisse ad operanda miracula credimus, ideoque excitasse turbæ devotionem, ut perpetue nomen ejus ibidem laudetur. *Verum ne sola antiqua venerationis exempla proferamus ob fatale virus, sancto sospitante, depulsum; subdo hisce duo recentissima. Alterum, quod Serenissimus Venetiarum Dux cum excellentissimo comitatu, cum Nuntio item Pontificio, ac legato Cæsareo, die* XVI *hujus labentis anni* 1736 *inviserit ecclesiam* S. Rochi, *ad gratias agendas omnipotenti Deo, quod*

* l. hujus vel ejus

A *quod anno* 1576 *urbem istam per intercessionem hujus Sancti tam miseranter dignatus fuerit liberare pestilentia, sicut memorant nova publica Antverpiensia; adduntque, eodem die non vulgarem fuisse confluxum piorum hominum, ut venerarentur ejusdem Sancti corpus, quod quiescit et asservatur in dicta ecclesia. Nova publica Coloniensia pro anno* 1576 *signant* 1492. *Alterum est, quod Augustissimus Romanorum Imperator Carolus VI Austriacam suam erga* S. Rochum *pietatem eodem anno ac die paulo ante notatis testatam esse voluerit, quando consuetis cum solennitatibus ejusdem Sancti festum celebravit Viennæ in ecclesia RR. PP. Augustinianorum in suburbio* **De Landt straet** *ex citatis documentis Antverpiensibus.*

B

§ IV. Præsentissimum Sancti in morbo contagioso patrocinium aliunde confirmatum; erectæ in ejus honorem confraternitates; gloria ipsius a poëtis celebrata.

In territorio Romano apparet mirifice Sancti imago;

F*actum prorsus admirandum de Beati nostri præsentissimo contra morbum pestiferum patrocinio jam pridem memoriæ proditum legitur apud nos tom.* III *mensis Junii in Prætermissis ad diem* XVIII *ejusdem mensis a pag.* 550. *Cum autem ejusdem facti historia potissimum huc spectet; etiamsi ibi describatur, non gravabimur tamen illam denuo hic repetere. Sic itaque rem gestam ibidem retulerat P. Conradus Janningus noster :* SS. Rochi et Sebastiani apparitio celebratur hoc die Tusculi, vulgo Frascati, loco, principum Romanorum palatiis, villis, rusticatione nobilissimo, in ecclesia S. Mariæ de Vivario, quæ olim cathedralis ibi fuit; nunc fere S. Rochi appellatur. Initium celebritas habuit anno MDCLVI, quando grassante Neapoli pestifera lue, quæ dimidiam incolarum partem frequentissimæ civitatis absumpsisse creditur; atque inde per Campaniam C Romanam late serpente, multosque etiam Tusculi inficiente, die XVIII Junii apparuit in pariete laterali, qui templum ingredienti a sinistra est, non procul a frontispicio, primum vultus imaginis S. Rochi, et paulo post etiam vultus S. Sebastiani prope illum depicti, decidente sine ullius opera, nec opinato, muri tectorio, sub quo latebant, et latuerant tam diu, ut nulla talium illic imaginum apud cives maxime senes memoria superesset.

tempore contagiosi morbi is invocatur summo cum fructu.

33 Rata continuo civitas, Sanctos, tali tempore ac loco tam mirabiliter apparentes, patrocinium sui velle suscipere contra violentæ contagionis incursum; ipsos sibi precibus votisque magis ac magis conciliarunt. Nec vero opinione sua falsi, nec spe frustrati fuere. Nescitur quippe ullum pestilenti lue Tusculi tunc exstinctum fuisse Afflati quidem illa fuerunt aliqui; sed illiti oleo lampadis, quæ ante imagines Sanctorum lucet, curati et servati sunt. Imo idem oleum etiam ab exteris pluribus, tum Religiosis, tum secularibus, præsertim Romæ, petitum, et cum fiducia infirmis adhibitum, non dissimiles curationes operatum est. Certe tot oblationes et anathemata illam ob causam undique fuerunt allata, ut inde marmoreum altare ad ipsas imagines excitatum sit. Hæc ipsemet nuper [MDCXIX] Tusculi versatus, a personis fide dignis accepi; et altare imaginesque Sanctorum, amoto velo, per vitreas, quibus concinne teguntur, fenestras coram in pariete inspexi, justam hominis staturam, et nescio quid venerandæ antiquitatis ac majestatis habentes. Civitas, beneficii memor, quotannis hoc die publicam supplicationem, comitantibus omnibus piorum civium sodalitiis, in gratiarum actionem instituit.

AUCTORE J. P.

Confraternitas Romana

34 *Ad sodalitia seu confraternitates in* S. Rochi *honorem erectas quod attinet, celebris seculo* XVI *fuit Romana, prout liquet e litteris Apostolicis Pii Papæ IV, quæ exstant apud Laërtium Cherubinum in Bullario tom.* 2, *pag.* 25 *et sequentibus, hoc titulo prænotatis :* Confirmatio confraternitatis S. Rochi, a morbo epidemiæ liberatoris, in Urbe hactenus institutæ, et ab Alexandro VI, et Leone X nonnullis privilegiis decoratæ, cum aliarum indulgentiarum et gratiarum concessione *etc. E quibus litteris hæc delibo :* Sane alias fe. rec. Alexandro Papæ VI prædecessori nostro, pro parte dilectorum filiorum con- E fratrum confraternitatis S. Rocchi confessoris de dicta Urbe exposito, quod nonnulli Christifideles in eadem Urbe commorantes, pie considerantes, quod quam plures Christiani nominis professores intercessione ejusdem S. Rocchi a morbo epidemiæ non solum præservabantur; sed etiam dicto morbo infecti liberabantur; quodque in dicta Urbe nulla ecclesia sub invocatione S. Rocchi hujusmodi constructa existebat, quamdam confraternitatem inter se sub invocatione ejusdem S. Rocchi fecerant, et ordinaverant; et, ut haberent locum, in quo pro divinis celebrandis, et iis, quæ ad directionem et gubernationem dictæ confraternitatis pertinebant, et pertinerent in futurum, convenire possent, et quamdam petiam * terræ montis Augustæ de dicta Urbe prope viam publicam, qua itur ad ecclesiam S. Mariæ de Populo etiam de ipsa Urbe, consistentem, sub annua responsione decem ducatorum, certis modo et forma tunc expressis conduxerunt, et quod ipsi confratres intendebant inibi unam ecclesiam sub dicta invocatione construi et ædificari, ac in ea Missas et alia divina officia per capellanum seu capellanos F alias idoneos celebrari facere, et illam ornamentis ecclesiasticis munire et fulcire, præfatus Prædecessor, ut Christifideles illam visitare, et divina officia audire; ac ut intercessione ejusdem S. Rocchi apud Altissimum hujusmodi morbo epidemiæ conservari et liberari possent, eorumdem confratrum supplicationibus inclinatus confraternitatem præfatam per quasdam Apostolica auctoritate approbavit, et confirmavit, *dando facultatem statuta condendi, officiales deputandi, ecclesiam* S. Rochi *Romæ condendi, pias oblationes recipiendi etc., quæ diffuse ibidem exponuntur, quæque Leo PP. X deinde confirmavit, sicut ibidem licet videre.*

* *i. e. modum seu partem*

sub tribus Pontificibus erecta, et privilegiis ditata

35 *His itaque præmissis Pius PP. IV dictas concessiones sua etiam auctoritate ita confirmat :* Cum autem, sicut confratres confraternitatis S. Rocchi hujusmodi nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa ad Dei laudem ex piis tam dictorum confratrum, quam aliorum Christifidelium eleemosynis constructa et ædificata fuerit, et in ea divina Officia celebrentur, ac diversa charitatis opera exerceantur, ipsaque ecclesia per eosdem confratres landabiliter regatur et gubernetur ipsique cupiant eorum confraternitatem, ac omnia

AUCTORE J. P.

nia privilegia, indulgentias, exemptiones, et indulta eis concessa præfata, pro illorum subsistentia firmiori, et ut ipsi in hujusmodi piis operibus exercendis de bono in melius perseverare valeant, etiam per Nos approbari, et confirmari ac ampliari, Nos.. eorumdem confratrum supplicationibus in hac parte inclinati, confraternitatem S. Rocchi de Urbe hujusmodi, ac illius privilegia, indulgentias etiam plenarias, exemptiones et indulta, eorumque confirmationem, approbationem, ac desuper confectas Alexandri et Leonis prædecessorum litteras hujusmodi, ac prout illa concernunt omnia et singula in eis contenta, et inde secuta quæcumque Apostolica auctoritate prædicta tenore præsentium approbamus,.. illisque perpetuæ firmitatis robur adjicimus *etc.*

ac gratiis; quæ postea sunt restrictæ,

36 *Gratias deinde, indulgentias, et indulta aliorum locorum piorum Urbis, quæ enuntiantur in dictis litteris; item publicandi indulgentias, ac statuta condendi facultatem impertitur: ad hæc, privilegii fori, ad omnes personas ac ministros extensionem, bonorum etiam feudalium et ecclesiasticorum fruitionem; aliam denique* B *indulgentiam plenariam pro visitantibus dictam ecclesiam etiam alia die, quam festivitatis ejusdem Sancti, per confratres eligenda; plenariam denique indulgentiam singulis confratribus etc. in mortis articulo constitutis idem Christi Vicarius benignissime concedit, prout latius continetur in sæpe dictis litteris.* Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII Octobris MDLX Pontificatus *ejus* anno primo. *Etiamsi autem ante dictas litteras ista præfigatur admonitio*: Has indulgentias moderatus est, et alias concessit S. D. N. Paulus V in ejus constitutione adhuc non edita, quamvis firmata die III Octobris MDCVI, et normam aggregandi alias confraternitates tradidit Clemens VIII in constitutione 115 QUÆCUMQUE *(consule insuper notas marginales ad dictas litteras) ex præmissis tamen perspicuum est,* S. Rochi *confraternitatem in urbe Romana erectam Apostolica auctoritate, ac tot privilegiis ditatam, maxime ibidem claruisse sub tribus Pontificibus, videlicet Alexandro VI, Leone X, ac Pio IV. Porro obiter hic observamus, prodiisse decretum die* XIV *Martii anno* 1714, *quo a sacra Congrega-* C *tione Eminentissimorum et reverendissimorum DD. Cardinalium, Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, tria summaria assertarum Indulgentiarum confraternitatibus* S. Rochi *concessarum proscribuntur, ac declaratur,* confraternitates *illas* in quibusvis locis existentes, et archiconfraternitati de Urbe aggregatas, nullis aliis Indulgentiis, concessionibus, et privilegiis uti et frui posse, nisi illis, quæ in supradicto Brevi sa. me. Pauli V continentur, et quæ in aggregationibus ab eadem archiconfraternite, expediri solitis, de verbo ad verbum referuntur. *Decretum illud habetur in Magno Bullario Romano, seu ejusdem continuatione, anno* 1727 *edita Luxemburgi, parte* 2, *pag.* 443.

Aliæ quædam de dicta confraternitate notitiæ.

37 *Jam vero nonnulla alia occurrunt de laudata archiconfraternitate Romana. Apud Pancirolium in Thesauris absconditis almæ urbis Romanæ, Regione* 5, *num.* 19 *scribitur,* S. Rochi *sodales in loco, quem coëmerant de gli scavioni, id est, a mancipiis* (*Vide ibidem num.* 30) *anno* 1499 *ibidem fabricasse ecclesiam sancti Confessoris magnam admodum ac pulcram; ex archivo hujus ecclesiæ. Prope illam significat esse hospitale pro viris infirmis variæ professionis et artis*; *nec non aliud erectam pro feminis, atque a Cardinale Antonio Maria Salviato proven-* D *tibus instructum; item solenni cum apparatu, et musica ab ista archiconfraternitate celebrari diem* S. Rochi XVI *Augusti liberando etiam captivum a perpetuo carcere, et maritando puellas sacra Deiparæ in cælos assumptæ luce. Postea autem pag.* 460 *laudatæ archiconfraternitatis* S. Rochi *habitum dicit esse viridem, cum imagine ejus, ac duobus fratribus, qui ante eum flectunt genua. Hæc Romæ.*

Confraternitates Bononiæ et alibi.

38 *De sodalitiis Bononiensibus quid referam? Masinius in Bononia perlustrata ad diem* XVI *Augusti affirmat,* S. Rochi *festum celebrari pluribus in locis, ubi exstant altaria atque imagines ejus, et apud Confraternitatem* S. Rochi *in* Pratello, *ut vocat; nec non distribui panem benedictum: anno autem* 1509, *die* VI *Augusti institutum fuisse Sancti ejusdem sodalitium indicat, ubi et de vestitu ipsius: denique ab hac confraternitate anno* 1605 *solenni ritu Venetiis visitatum corpus* S. Rochi *fuisse, et ibidem loci oblatum vexillum etc. Archiconfraternitatem SS. Sebastiani et* Rochi *etiam memorat, cui senatus anno* 1522 *curam commisit infectorum peste: peculiare autem ve-* E *stimenti genus ibidem etiam exprimitur. Postremo apud archiconfraternitatem S. Mariæ de Morte festum haberi maxime solenne, ac reliquias ibidem existere, memorat Masinius allegatus. Hoc autem singulare, ab ista videlicet archiconfraternitate liberari e carcere unum condemnatum, per Breve Gregorii XIII, die primo Junii anno* 1576. *Ad Galliam quod attinet; de confraternitate Arelatensi in honorem* S. Rochi *instituta, a nobis est facta mentio alia opportunitate superius num.* 29; *de Taurinensi num.* 24; *de Veneta num.* 42; *de Antverpiensi autem agetur inferius post Sancti nostri Vitas in gloria ejus posthuma.*

Sancti gloria

39 *Præter sodalitia, quæ externo cultu et opere testatum voluere singularem pietatis affectum erga hunc Sanctum, ars poëtica metro insuper illigare voluit ejusdem gloriam, ac litteris posteritati eamdem commendare. Exemplo sit carmen elegiacum, quod habetur post Vitam* S. Rochi, *antiquis formis excusam sub nomine Petri Ludovici Maldoræ, sed perperam. In fine itaque ejusdem Vitæ notatur sequens titulus*: Theoderici Gresemundi junioris Moguntini carmen ele- F giacum ad hujus libri lectorem in laudem sancti Rochi. *Gesnerus in Bibliotheca nominat duos* Theodericos; *alterum* Gresemundum Spirensem; *alterum* Gresmund de Mechschede. *Primo loco memoratum indicat poëtam fuisse: ejusque* carmen de historia violatæ crucis. . . impressum *dicit* anno D. MDXIV. *Hujus Spirensis filius forte exstitit synonymus Moguntinus junior, qui dictum carmen panxit.*

poetarum versibus

40 *Sic sonat, nec infelicis omnino venæ œstrum præ se fert.*

Hunc quicumque legis devota mente libellum,
  Tu cole mirandi numina sancta Viri.
Fumidus æther alit spiramina pestis iniqua,
  Nebula letiferam dat male fausta lucem.
En juvenisque senexque ruit, perimente veneno,
  Mergitur en stygiis non rediturus aquis.
[Tempestasque] furit maris instar fluctibus acti,
  Corripit eu multos heu rabiosa viros.
Rochum ergo nunc, quisquis ades, venerare beatum,
  Ad Rochumque pias accumulato preces.
Roche pater, miserum spes, anchora, perfugiumque,
  Præbe aurem famulis, Roche, pater miserum.

Munere

A Munere te digno donavit rector Olympi,
Tabificam ut valeas pellere ab orbe luem.
* Deposcunt gentes tua numina fausta misellæ :
Morbus hic e nostris finibus exul eat.
Angelica atque hominum manus exaturata ruinis
Nostrum neu pergat dilaniare genus.
At Deus omnipotens conceptum corde furorem
Evomat in Teucros, improbulosque viros :
Utque lupis sua non committat ovilia, sed nos
Funesta tegat ab orbificaque luc.
Hæc te, Roche pater, lacrymis rogitamus obortis,
Pro nobis Dominum posce benignus opem.
Namque potes : modo nunc deditos tueare clientes,
Corpore conservans ingeniumque simul.
Præsertim medicum doctum defende Joannem
Nel; tua laus cujus munere in orbe viget.
Is voluit tua gesta premi reddique libellis,
Is tibi commissus præmia digna ferat.

E clausula hujus elegiæ videtur colligi, istius Joannis annisu et cura Vitam S. Rochi, *quæ in eo-*
B *dem exemplari, in quo carmen istud exstat, excusam fuisse.*

decantata. 41 *His adde carmen epicum, e quo* Joannes Bachotus, *inquit Arturus,* in Fastis Christianis ad XVI Augusti... ex Joanne Morello in suis Poëmatibus hæc affert ex oratione ad DD. Sebastianum et Rochum, pro furore pestilentiæ comprimendo. *Hæc canit* :

Tu quoque, Roche pater, miseris succurrere quondam
Qui didicisti ægris, quando contagia morbi
Horrendi, crudumque tulisti corpore vulnus;
Eia animis junctis, precibusque avertite regno
Francorum, in nostris bacchantem cædibus orcum :
Corporis atque animi gemina date peste carere.
Solemnem vobis memores statuemus ad aram
Ardentes faculas *etc.*

Quid, quod Vitam S. Rochi *elegiaco carmine conscripsit R. D. Balduinus Coune Leodiensis, sacellanus SS. Stephani et Dionysii, Leodii excusam anno* 1636, *ac reverendo admodum in Christo patri ac domino Gerardo a Salino, ascetici cœno-*
C *bii Benedictini S. Laurentii prope Leodium abbati, dedicatam.*

§ V. Officia divina, Missæ, singularis observatio festi, ecclesiæ in Ordine Seraphico dicatæ etc.

In Breviario Slesvicensi *Singulare admodum ac notatu dignum censemus, eo usque publicum* B. Rochi *cultum fuisse propagatum, ut ad remotam longe plagam aquilonarem pervenerit, et peculiari ritu ibidem celebratus fuerit, prout probatur e Breviario ecclesiæ ac diœcesis Slesvicensis, quod supra a nobis citatum fuit. In laudato itaque Breviario* in secundis Vesperis *de S. Bartholomæo* post BENEDICAMUS, historia de sancto Rocho *legenda præscribitur cum antiphonis, hymnis etc. propriis in hunc modum* : ANTIPHONA. Ave prudens medice pestisque profligator, in membris epidemiæ sis nobis sublevator, et apud regem gloriæ, o Roche, suffragator. ℣. Amavit. COLLECTA. Deus, qui gloriosus in gloria Sanctorum, et cunctis ad eorum patrocinia confidentibus suæ petitionis salutarem præstas effectum; concede plebi tuæ, ut, intercedente beato Rocho confessore tuo, quæ in ejus celebritate se devota exhibet, languore epidemiæ, quam in suo corpore pro tui nominis gloria passus est, sit liberata *etc.* Per. *AUCTORE J. P.*

honoratur S. Rochus 43 AD MATUTINUM INVITATORIUM. Adoremus Dominum, qui stupenda fecit, novum mundo medicum Rochum quando dedit. PSALMUS. Venite. HYMNUS.

Rochi conjubilent omnia laudibus,
Axis stelliferi regia gaudeat,
Et mundi teretis concrepet orbita,
Sit vox una canentium.
Felix illa suo gaudeat hospite,
Hæc patrocinio floreat inclyto :
Rochum nam medicum nunc habet optimum
Qui pestem fugat horridam.
Hic qui cuncta simul pauperibus bona,
Et sese miseris subsidium dedit,
Ægros mirifico sublevat omine
Non herba, cruce sed sacra.
Hæc illi merito gratia reddita,
Summo qui studio, cordeque fervido E
Res et delicias, stemmaque gloriæ
Sprevit, nil retinens sibi.
Hujus præsidium rebus in arduis
Poscamus pavido pectore singuli.
Si perfecta fides, mensque sit integra,
Nobis mox aderit pius.
Te simplex Deitas, trinaque poscimus,
Ut Rochi meritis noxia subtrahas :
Des pacem famulis, nos quoque gloriam
Per cuncta tibi secula. Amen.

Officio 44 IN I NOCTURNO ANTIPHONA. Fuit lignum quod plantatur locis in humentibus, Rochus sacer, dum ornatur plurimis virtutibus. PSALMUS. Beatus vir. ANTIPH. Intellexit et servivit cum tremore Domino, spretisque rebus Romam ivit solo fultus baculo. PSALMUS. Quare fremuerunt. ANTIPH. Orans demum fert ad Deum, Tu es mea gloria, tu exaltas caput meum, tu mea victoria. PSALM. Domine, quid. ℣. Amavit. LECTIO I. *Verum eum hanc, tum sequentes non producimus, quia continent Beati gesta, aliunde nota.* RESP. Nobilis, et multo præfulgens Rochus honore, inclyta quæ dederat series rerumque facultas. ℣. Omnia contempsit virtutis amore calescens. Inclyta quæ. LECTIO II. RESP. F Extera jam sitiens loca viscre tendit ad Urbem. Interea Italiam pestis premit atque Cesenam ℣. Rochus adest miseris, signo crucis elevat omnes. Interea. LECTIO III. RESP. O pater, et vivax ægrorum cura, medere ulceribus nostris, quæ spiritus et caro suffert. ℣. Et fer opem famulis, qui te venerantur, amantque. Ulceribus.

proprio. 45 IN II NOCTURNO ANTIPH. Hic, quæ stulto placet mundo, vanitatem respuit, et se fructu perfœcundo servum cunctis obtulit. PSALM. Cum invocarem. ANTIPH. A mane dieque toto Christo Rochus astitit, et precatu cor devoto in superna dirigit. PSALM. Verba. ANTIPH. Nomen tuum, Rex mirande, tum in Rocho claruit, cum jam mundi mel nefandum illi totum aruit. PSALM. Domine, Dominus. ℣. Justum de. LECTIO IV. RESP. Tandem Romuleas post multa pericula in arces venit, et hic tota pestis grassatur habena. ℣. Vita presbyteri frontem cruce signat, abitque. Venit. LECTIO V. RESP. Inde Placentinam contendens Sanctus in urbem, hanc simul et reliquas servavit peste gravatas. ℣. Nec mora letifero Rochus quoque aduritur igne. Hanc. LECTIO VI. RESP. O qui vivificæ signo crucis eri gis ægros,

AUCTORE J. P.

ægros, nos quoque salvifica sævo dum lædimur igne. ℣. Qui non Pæonia confidimus arte levari, Nos quoque.

quod

46 In III nocturno antiph. Non hic dolum neque fraudem lingua perpetraverat, quare Deo cantat laudem, cui jam cohabitat. Psalm. Domine, quis habitabit. Antiph. Ejus verbis Christus replet cordis desiderium, et quod triste fuit, delet, omne donans gaudium. Psalm. Domine, in virtute. Antiph. Salutati suo junctus purget nos a crimine, impetret, ut sit compunctus, qui se colit iutime. Psalm. Domini est terra. ℣. Justus germinabit. Homilia. Vigilate, *quæ, qualis sit, ibidem designatur.* Resp. Fit Rocho afflicto fons, nudam dum canis escam attulit, et Sancto non defuit alma potestas. ℣. Qui sese miseris et res impenderat omnes. Attulit. Resp. Tum patriam repetens capitur, jactatur in umbram carceris; at vitæ finem ut sibi cernit adesse. ℣. Ecce sacerdotem vocat, et Domini capit escam. Carceris. Resp. O qui luminibus vectaris in æthera sacris, et quid apud Dominum possis, signante tabella. ℣. Nos a B pestifero conserva, Roche, veneno. Et quid. Gloria. Et quid.

hic datur.

47 Ad laudes antiph. Dies adest nunc celebris, Rochus sacer, quo latius de mundi transiit tenebris, cæli civis eximius. Antiph. Afflictis peste profuit, en, Rochi invocatio Constantiæ, quando affuit mira liberatio. Antiph. Res Venetis notissima, quanti sit Rochus meriti, et secula novissima voto loquentur perpeti. Antiph. Adstipulatur eadem hæc nostra domus firmiter, ex qua tum pestis rabiem Rochus fugavit fortiter. Antiph. Sic plurima Picardiæ loca, nec non Parrhisium a morbis epidemiæ, Rochi servavit meritum. Capitulum. Collaudabunt multi. Hymnus. Hic est verus Christicola. ℣. Justus ut palma. Ad benedictus antiph. Sancti Rochi pia solemnia noster chorus promat cum gaudio: cujus miro medendi gratias totus orbis effulget radio. Nunc æterna Sanctorum gloria gaudet felix junctus collegio. Collecta ut supra *Alia ibidem designantur.* Ad magnificat antiph. Rochus migrat lætabundus ad regnum post miserias, Christi mensus vestigia; quam beatus, C quam jucundus intrat ad regni nuptias, mira pandunt prodigia. Ergo totus illum mundus petat fundendo lacrymas, ne furat epidemia. Collecta ut supra.

Multis aliis locis

48 *Hæc e dicto Breviario Slesvicensi huc transcribere visum est: e quo sicut mirari subit, cultum* B. Rochi *ad tam longe dissitum septemtrionis tractum permeasse; sic omnino illud etiam singulare ei accidit, ut in Orientem quoque penetrarit non sine nominis splendore: nam in Kalendario festorum propriorum ecclesiæ Hierosolymitanæ, quod edidit Waddingus in Annalibus Minorum tom. 3, pag. 199, etiamsi non multi Sancti mensibus anni singulis eidem inscribantur; hoc tamen die inter illos* XVI *Augusti signatur nomen et festum* Rochi confessoris, duplex. *Quo etiam ritu in Ordine recitandi divinum Officium pro ecclesia ac diœcesi Venetiarum anni* 1657 *notatur eodem die* XVI *Augusti. Et inter festa palatii Patriarchalis Venetiarum, quæ habentur in fine Ordinis citati, prædicto die habetur nomen* Rochi confessoris. *In Officiis propriis ecclesiæ metropolitanæ Mechliniensis in Belgio nostro signatur etiam eodem die* Rochi confess. duplex ad libit. *cum hac oratione propria:* Deus, qui beatum Rochum, confessorem tuum, tam admiranda gratia curationum decorare dignatus est, ut epidemiæ D lue correptos solius Crucis Christi signaculo incolumitati restitueret: concede nobis famulis tuis, ad ejus merita et patrocinia confugientibus, ab hujus contagionis periculo, et omni subitanea ac improvisa morte, tua pietate misericorditer liberari. Per Dominum. *Ruræmundensi in diœcesi quid fiat in honorem* S. Rochi, *ostendunt* Horæ canonicæ dicendæ in propriis diœcesis Ruræmundensis festivitatibus, una cum litaniis ejusdem ecclesiæ *etc. quæ Lovanii anno* 1609 *excusa sunt. Ibidem enim festum ejus die* XVI *Augusti ritu duplici celebratur. Oratio est:* Deus, qui beatum Rochum confessorem tuum, tam admiranda curationum gratia decorare dignatus es, *ut supra. In dictis autem Litaniis ecclesiæ Ruræmundensis, quæ post Officia ejusdem propria habentur, inter alios Sanctos, qui in eisdem invocantur, suum quoque locum obtinet* S. Rochus; *unde satis liquet, non mediocrem in ista diœcesi conceptam fuisse fiduciam de patrocinio ejusdem Sancti, ac meritis apud Deum, nec non de benefica miseris succurrendi voluntate.* E

memoria ejus clara

49 *Habeo in manibus Missam de ipso satis antiquæ impressionis (sed nec hujus annum, nec illius locum additum exemplari invenio) in quo notantur* commemorationes, quæ fiunt post Missam, et post Euangelium S. Joannis In principio erat verbum: Quiescat ira tua, Domine, et esto placabilis super nequitia populi tui, sicut jurasti per temetipsum. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Oratio: Omnipotens et misericors Deus, respice propitius super populum majestati tuæ subjectum, et ne nos furor sæviens inveniat, dextera tuæ propitiationis custodiat. Per. Alia: Omnipotens sempiterne Deus, qui precibus et meritis beatissimi Rochi confessoris tui quamdam pestem hominum generalem revocasti; præsta supplicibus tuis, ut qui pro simili peste revocanda sub tua confugiunt fiducia; ipsius gloriosi Confessoris precamine, ab ipsa, et ab omni perturbatione liberentur. Per. Sancto Rocho interveniente Domine servitus nostra complaceat, et obsequia muneris nostri fiant præmia devotorum. Per. Alia. Sacro munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, intercedente beato Rocho, confessore tuo, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per. *In Missali Romano, quod anno* 1511 *editum est, præscribitur recitanda hæc de Sancto* Præfatio: Qui imminentem Ninivitis interitum sola misericordia revocasti: quibus propitiator cum existeres, orationis pœnitentiam præstitisti; etiam huic populo tuo ante conspectum gloriæ tuæ prostrato et oranti tribue sanitatem, et, quem desiderat, præsta liberationis effectum, ut quos Unigeniti tui pretioso sanguine redemisti, non patiaris mina, mortalitatis interire. Communio: O quam magnificum est nomen tuum, beate Roche; qui tuis intercessionibus multitudinem languentium nosti sanare, et nomen tuum gloriosum commemorantibus omnibus te propitium exhibere, veni et salva nos a morbo ac epidemiæ peste, et aëris temperiem concede. F

* f. ruina

ac Missis honorata.

50 *Verum, ne hujusmodi venerationis publicæ* S. Rochi *documentis inquirendis ac colligendis tempus insumens lectoris patientia abuti, ac in silvam, quod aiunt, ferre ligna videar, duo hisce superaddo. Ac primum quidem, quod illa vehementer sit aucta in dies pluribus in locis. Nam Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi*

A *Christi* 1327, *de hoc Viro sancto agens, num.* 13, Nuper, *inquit*, a Purpuratis Patribus sacrorum Rituum, Urbano VIII approbante, concessum, ut in omnibus ecclesiis et sacellis eidem sacris Officium recitetur et Missa. *Deinde Haroldas in Epitome ad eumdem annum num.* 4 *habet* : Mirum autem est, quod hodie sint in ipsius honorem erecta templa, altaria, sacella, et quot in pictatis opera conscriptæ Christiani populi sodalitates : quarum princeps est hic in urbe Roma, ubi Rocchi dies natalis toti populo festivus est, et singulari solemnitate et fidelium concursu colitur. *Denique, Huebero teste, in Menologio Franciscano ad hunc diem* XVI *Augusti num.* 8, Innocentius XII anno MDCXCIV, die XXVII Martii sub ritu duplicis majoris celebrari ejus festum in Ordine Minorum de Observantia concessit.

Parisiis observatur festum ejus tamquam unum de præcepto.

51 *Aliud, quod hisce superaddo, quodque mirabile apparet supra modum, legitur in Vita* S. Rochi *apud Bailletum, videlicet festi ipsius observationem, non secus atque illorum festorum, quæ sunt de præcepto, sensim sine sensu introdu-* B *ctam esse in plares ecclesias, sed non tam ex alicujus synodi decreto, vel ex alicujus antistitis statuto, quam ex populorum devotione peculiari, qui patrocinium ipsius contra pestem implorant. Accedit eo, quod tametsi festum hoc una cum aliis pluribus anno* 1666 *abrogare illustrissimus Harduinus Perefixus, archiepiscopus Parisiensis, in illa urbe voluerit, et abrogatio vim suam habuerit in plerisque aliis festis; nec ille tamen, nec ejus successor Franciscus Harlæus festum* S. Rochi *in populo supprimere potuerint. Ipsius porro Officium ibidem dumtaxat adhibetur in locis, ubi reliquiæ ejas asservantur, vel confraternitates in ipsius honorem sunt erectæ; alibi ubique ecclesia Parisiensi dumtaxat faciente Commemorationem simplicem in Officio Octavæ Assumptionis: et altera Cleri secularis ac regularis parte, quæ sequitur ritum Romanum in magna ista urbe, recitante Officium S. Hyacinthi; ita tamen ut pergat ibidem populus officinas occludere in honorem* S. Rochi, *sicut citatus auctor affirmat.*

Cur et quo modo colatur ab Ordine Seraphico.

52 *Ordo Seraphicus magno pietatis affectu prosequitur eumdem Sanctum, occasione tam peculiaris cultus inde orta, quod habeatur tamquam unus ex dicto Ordine, cujus Tertium institutum* C *sea regulam professus fuerit : quæ sententia non satis utique probabilis nobis videtur, et superius* § I *a num.* 10 *idcirco refutata est; illo interim bono ex eadem consecuto, quod honor singularis isti Sancto deferatur ab alumnis S. Francisci. Arturus quippe a Monasterio in Martyrologio Franciscano in notis ad hunc diem* XVI *Augusti, postquam ex iis, quos citat,* S. Rochum *dixisset fuisse Tertii Ordinis sancti Francisci, ita pergit* : Quapropter uti patrono nostri Ordinis præcipuo, complures ecclesiæ Conventuum Seraphicæ Religionis ei dedicatæ sunt. Qua de re Gonzaga part. 2 Origin. Seraphic. Relig. in Conventu 29 provinciæ Romanæ; in Convent. 28 provinc. Bonon., in Conventu 29 provinc. S. Antonii, in Conventu 12 provinc. Candiæ, in Conventu I provinc. Brixiæ etc. Hinc decretum est in nostræ provinciæ sancti Dionysii Recollectorum capitulo provinciali, anno MDCXXV apud Montem Argivum diœcesis Senonensis delebrato, Officium S. Rochi deinceps recitandum fore a nobis sub ritu semiduplici : quod confirmatum extitit in alio sequenti Capitulo provinciali, Lutetiæ Parisiorum an MDCXXIX; ut constat ex iisdem statutis provincial. præfatæ provinciæ cap. 2 art. I, a R. P. Carolo Rapinæo in lucem edictis; nunc autem duplex sit. *Deinde vero ritus ille ad majorem solennitatem evectus fuit, sicut paullo ante ex Huebero dictum est. Hoc Fremaulus ita extendit* : Innocentius PP. XII anno MDCXCIV indulsit, ut omnes S. Francisci Ordines festum S. Rochi tamquam confessoris ex suo Tertio Ordine, celebrare possint divino Officio ac Missa sub ritu duplicis majoris.

§ VI. Corpus Sancti Venetias translatum; difficultates, quæ translationi huic incommodant; magnificentissimum ibidem templum; confraternitas etc.

In corpore Sancti Venetias translato

E

53 *Translatio ista plurimorum scriptoram testimoniis consignata legitur, adque adeo certius de ea nobis constat, quam de modo, quo peracta est, aliis aliter illam referentibus. Primo itaque stabiliamus factum. Jacobus Philippus Bergomensis in Supplemento Chronicarum ad annum Christi* 1327 *hæc in rem nostram memoriæ prodidit* : Ejus autem *(Rochi)* sanctum corpus hoc anno, qui est MDLXXXV, Venetias a quibusdam furtim delatum, a Senatu et cuncto populo tanta cum devotione et gloria exceptum est, quantam quis scriptor enarrare posset : eidem enim statim templum celeberrimum ingenti impensa construere cœperunt. *Rem vero hanc refert ille chronographus eodem anno, quo Brixiæ Opus ejus typis excusum notatur, videlicet* 1485, *ita ut testimonium majoris antiquitatis desiderari non possit. Alibi tamen aliter apud ipsum notatur, ut videsis infra num.* 60. *In editione autem ejusdem Operis Parisiensi, anno* 1535 *vulgata, dicitur*, Venetias a quibusdam ex Dertonensi diœcesi furtim sublatum, perlatum fuisse *etc.*

satis quidem consentiunt scriptores;

54 *Pinus in Vita hæc narrat* : In hac antiqua, nobili et opulentâ Veneta urbe hoc sanctissimum corpus miro et incredibili quodam civium omnium studio atque favore colitur, nec est, quod innumeris F ejus enarrandis miraculis verbosius occupari velim *etc. Ubi vides. non tam poni translationem, quam sapponi. A Jacobo autem Bergomensi quam parum vel nihil lucis dabatur per* τὸ furtim? *Nec plus alii : non supplementum apud Petrum de Natalibus, anno* 1493 *Vicentiæ editum, ubi hæc sunt* MCDLXXXV corpus ejus furtim Venetias delatum, a Senatu devotissime susceptum est, et ejus nomini templum celeberrimum fabricatum; *non Legenda Claudii de Rota, anno* 1531 *excusa: non Martyrologium Romanum anni* 1586, *rem quidem sic signans, non rei modum,* Corpus postea Venetias translatum fuit, ibique honorifice tumulatum; *non Krantzius in Metropoli lib.* 9, *cap.* 25; *non Spondanus, qui magis timide, quam alii,* Corpus Venetias, *inquit,* UT VOLUNT, furtim translatum *etc.*; *non Raynaldas ad annum* 1327 *in fine,* Translatum ejus corpus AIUNT Venetias. *Ceterum in anno* 1485, *quo translatio ista narratur accidisse, satis inter auctores convenit. Sed totus rei, qua de hic agimus, cardo in eo vertitur, ut pluscula alia ejusdem adjuncta, utcumque saltem historice probabilia eruantur.*

53 55 *Franciscus*

AUCTORE J. P. *sed dissentiunt in modo.*

55 *Franciscus Sansovinus in Veneta urbe a se descripta, et ibidem anno* 1581 *prælo data, fol.* 71 *verso, Sancti corpus illuc allatum memorat e Germania a quibusdam mercatoribus Germanis. Dominicus Martinelli in libro, quem inscribit* Il Ritratto di Venezia, *qui vocari potest Latine* Urbs Veneta graphice adumbrata; *quique liber vulgatus est ibidem anno* 1684, *etiam indicat pag.* 354. S. Rochi *corpus e Germania illuc delatum fuisse; sed a quibus, non addit. Arturus autem supra allegatus aliter quidem hoc refert* § 3, *alios citans, videlicet* corpus *ejus* honorifice conditum esse in ecclesia ab avunculo extructa; ubi tamdiu apud Montem Pessulanum quievit, donec a quibusdam ex Dertonensi diœcesi furto Venetias translatum est MCDLXXXV. *Sed* § 4 *sententiam istam corrigens,* Non corpus, *ait,* sed aliqualem corporis portionem Venetias fuisse deportatam. Nam quomodo Monte Pessulano Venetias corpus S. Rochi potuit efferri anno MCDLXXV: cujus major et potior pars ac fere tota jam apud Arelatem ab anno MCCCLXXII asservabatur? *Vide, quæ de hac re ex eodem Arturo præmisimus supra in hoc Commentario* § 2, *num.* 19; *quibus adde dicta* § 3 *de harum Arelatensium reliquiarum partibus, quæ variis seculi* XVI *annis distributæ ibidem memorabantur. Hinc itaque fit, ut famosa illa corporis* S. Rochi *ad Venetos translatio, si modum consideres et adjuncta alia, sit omnino obscura, nec probabili aliquo fulciatur narrationis fundamento, vi cujus lectori apte et commode veritas ejus persuaderi possit. An igitur nihil explicatius aliunde sperari potest?*

B

Exponitur

56 *Franciscus Ciapetti in libro Italico, quem vocat* la sacra magnificenza *etc.; vocemus eum nos* Augustæ S. Rochi Societatis Venetæ monumenta, *quæ simul cum Vita et translatione ejusdem Sancti anno* 1678 *Venetiis recusa sunt, visus est, dicamus potius videri voluit, rei hujus gesta historicam narrationem reperisse, dum sub finem sui operis, translationem illam exponere satagens, varias quidem ejusdem circumstantias congerit, sed nulla profert idonea documenta, quibus res suas debito modo stabiliat; quas in compendium hic contrahi suffecerit. Ait itaque Sanctum ignoto pridem casu translatum Monte Pessulano, quievisse diu Viguerii (vulgo Voghera, quod lego esse oppidum Ducatus Mediolanensis, in agro Ticinensi, et olim Iriæ nomine appellatum.) Et initio quidem Sancti cultus ibidem satis erat frequens, uti habet citatus auctor pag.* 105; *sed lapsu temporis omnino is ita deferbuerat, ut ædes sacra ex sacerdotis custodis incuria non jam referret sanctuarium, ubi populus Sanctum antea venerabatur, sed ergastulum, in quo captivus et a suis,, dum viveret, vilipensus fuerat. Vivebat porro ejus apud exteros memoria, sed apud tam paucos, qui ad sacrum illud depositum peregrinabantur, ut paucis obtingeret felicitas videndi corpus illud miraculosum. Mirifice autem, uti indicat pag.* 116, *reliquias Sancti istas obtinendi desiderium accenderat Thomam de Albertis, mercatorem Venetum, tum temporis ministrum, ac deinde præfectum dignissimum sodalitii ejus Venetiis.*

C

historia

57 *Omnem ille curam eo convertebat. Hujus ergo ampla benignitas ad hoc furtum impulit primo Joannem quemdam Patavinum et Nicolaum Teutonicum anno Christi* 1483, *uno circiter anno ac dimidio, antequam sacrum corpus Venetias delatum est; deinde alios; sed sine magno operæ pretio (pag.* 117*) donec incidit in fratrem Maurum de sancto Francisco Camaldulensem, qui anno* 1484, *mense Augusto Venetiis obscuro carcere claudebatur propter calumnias: sed implorata ope* S. Rochi, *deinde ex illo liberatus eodem mense est. Cæterum commode accidit, ut Frater ille Viguerium cogitaret, acturus, quas voverat,* S. Rocho *gratias: nam iisdem ab ipso ibidem mense Octobri proximo persolutis, rem ei suam Thomas impense commendavit. Ille autem voto solutus, sed furto ne quidem tunc tentato propter rei difficultates, discessit, nihilo certe tum quidem, quam cæteri, ditior. Verum ejusdem mensis die* XII *itineri se dedit, at die* XX *Viguerienses attigit muros, non tamen tunc intravit locum, sed postera luce, ut omnia diligentius rimaretur. Deinde nihil intentatum reliquit, ut voti compos fieret; sed, re infecta, Venetias regressus Thomæ de Albertis retulit, potuisse se nihil, propterea quod, tametsi esset sine custodia ulla, clavibus tamen omnino quatuor sacrum hoc depositum esset occlusum (pag.* 118 *et sequentibus.)* D

qua fertur E

58 *Post menses vero quatuor, communicatis denuo cum Thoma consiliis, iter idem aggressus rem confecit omnem, et furtum attulit Venetias salvus anno* 1585, *die* III *Martii (pag.* 122 *et sequentibus.) Minutissimas autem rei gestæ circumstantias tam distincte ac affirmate Ciapettus depingit, ut diceres, eum ibidem præsentem, et omnia observantem ac rimantem retulisse omnia et singula in pugillares. Verum ut cordatus lector eadem facilitate, qua ibidem refertur istam historiam admittat, desiderabit sine dubio documenta aliunde probe instructa. Vult autem dictus scriptor, in sacro isto thesauro subducto fuisse caput Sancti, ossa item brachiorum ac tibiarum et aliorum membrorum omnium sacri corporis præter duo ossicula (pag.* 124*) de quibus paullo post. Interea temporis Thomas de Albertis, sodalitatis* S. Rochi *præfectus, a Fratre Mauro Venetias reverso rem gestam edoctus, omnem movet lapidem, ut ita loquar, ut, severo et authentico præmisso examine, constaret, corpus eo translatum esse revera ipsum corpus ejusdem Sancti. Factum communicat cum illustrissimo Patriarcha Veneto, S. R. E. Cardinale: a quo jubetur inchoari processus verificatorius, ut vocant: instruitur causa et exhibetur a dicto Thoma die* XXIX *Aprilis anno* 1485: *comparet item Frater Maurus die ultima Aprilis: rem a se gestam exponit Patriarchæ, et juramento corroborat: nec desunt alia testimonia, prout videri potest, teste Ciapetto in processu juridice formato. His porro non contentus Patriarcha illustrissimus sacra ossa recognosci curat, adhibito ad hoc præsertim Joanne Georgio, qui Viguerii inspexerat sacrum corpus: operam etiam contulit Antonius de Lupia Venetiis habitans, qui annis quinque ante ablatum corpus distincte illud observarat. Accedunt itaque ad corpus, conspiciuntque indicia ejusdem characteristica relationi esse conformia. Quamobrem, facti etiam veritate multorum aliorum testificationibus confirmata, visum est, publicæ illud venerationi exponere (pag.* 126 *et sequentibus.)* F

S. Rochi corpus Viguerio Venetias translatum

59 *Hisce itaque certis notitiis instructus Patriarcha illustrissimus censuit, corpus* S. Rochi *collocandum in ecclesia sub ejus nomine consecrata, ut debita cum pietate a fidelibus honoraretur. Sed quia ecclesia, quæ tunc exstabat, judicabatur non satis decenter magnitudini tam celebris*

Tutelaris

A *Tutelaris esse coveniens, idem illustrissimus dominus Gerardus, authentica excellentissimo Decemvirum concilio de translato Venetias corpore sacro facta relatione, eodem tempore datis die* XVIII *Maii ejusdem anni litteris facultatem ab eo obtinuit, ut novam ac magnificentiorem Sancti ecclesiam, destructa antiqua, sodalitatis præfecto liceret ædificare, in qua depositum sacrum collocari posset: id quod ab ipso benigne impetratum fuit. Aliquot igitur post mensibus cum solennis pompæ comitatu reponitur in parva quadam ecclesia, donec assurgeret ea moles ædificii, in quo honorificentissime quiescit, quodque tanta nunc, inquit Ciapettus, in veneratione habetur, ut quotannis, præter concursum continuum frequentis populi, qui eo se confert sacrum illud pignus veneraturus, Princeps serenissimus Reip. Venetæ, comitante nobilium multitudine copiosa, festa Sancti luce intersit sacrosancto Missæ Sacrificio. Verum de magnifico isto templo dicam infra. Nunc ex præmissa sacri corporis translatione ad urbem Venetam nonnulla fluunt consectaria, quæ in medium proferre præsenti certe instituto plane convenit.*

B *Hinc fluunt* 60 *Etenim si vera sint omnia, quæ de illa ejusdemque adjunctis omnibus ac singulis tam enucleate referebat Ciapettus, quæque e diffusa apud ipsum narratione a me sunt desumpta, qua præsertim asserit, omnia corporis* S. Rochi *membra, exceptis ossiculis duobus, Viguerio ad Venetos translata fuisse anno* 1485*: falsum est primo, idem corpus auctoritate Apostolica Monte Pessulano Arelatem translatum fuisse anno Christi* 1372*, de qua re actum est supra* § 2 *in fine. Falsum est secundo, sacras istas reliquias bene multas temporibus diversis a diversis personis Arelate petitas ac impetratas: in quarum comparatione, quantulum et fere nihil est fragmentum ossis, quod rex Galliæ Ludovicus per oratorem suum Venetiis obtinuerit, ex Ciapetto, pag.* 137 *? Tertio, Venetæ translationi valde incommodat, quod nec annus* 1485*, nec superiora historiæ adjuncta, quæ Ciapettus memorabat, conveniant apte satis cum Jacobo Philippo Bergomensi, qui ad annum Christi* 1478, Robertus, *ait,* Sanseverinus, universalis copiarum Venetorum imperator.... corpus seu C reliquias S. Rochi maxima cum celebritate excepit, et apud monasterium sancti Iob collocavit. *Hæc habentur in editione Brixiensi istius synchroni chronologi, anno* 1485 *excusa: quod eo addo, quia in Parisiensi, quæ prodiit anno* 1553, *ista non invenio inter facta Roberti Sanseverini; expuncta fortasse vel omissa, quia viderit is, qui alteram illam impressionem accuravit, ibi hærere aquam, quod aiunt. Quarto, falsa sunt instrumenta, de quibus egimus* § 3. *Quinto, id unum superest, ut in media jam lite versemur Venetos inter ac Arelatenses de vera prædicti corporis possessione.*

consectaria quæ isti translationi incommodant. 61 *Decidi utique illa ac componi facile posset, si pars utraque acquiesceret notabili ejusdem sacri thesauri portione. Et quamvis hactenus mihi non certo constet, an plus velint Arelatenses, quando corpus primo ad illos translatum memoratur; plus tamen vult Ciapettus pag.* 124 *indicans, ex arca apud Viguerienses asservata extraxisse Fratrem Maurum caput, ossa brachiorum ac tibiarum, et omnium aliorum membrorum, quæ ibidem invenit, exceptis duabus ossis particulis, quas ibi reliquisse illum addit. Nihil itaque, si hæc subsistant, habent Arelatenses; nihil alii, qui Arelate sacra lipsana obtinuisse dicuntur. Hinc exsurgit quæstio, quorum sit possessio melior, Venetorumne an Arelatensium? Arturus designat sua instrumenta, Ciapettus sua: sed neuter sic illa profert, ut conferri utraque inter se atque examinari a me possint. Ecquis vero æquus rerum arbiter uni e duabus partibus litigantibus causam adjudicet, non inspectis et expensis utriusque partis documentis? Superest itaque, ut illorum sit potior causa, quorum potiora proferentur instrumenta: e quibus causam hanc, si possint, componant vel ipsimet, vel aliis componendam committant. Notare interim juvat, incerta prorsus et oblivionis tenebris involuta esse ea, quæ a pag.* 113 *habet Ciapettus de Sancti corpore translato Viguerium Monte Pessulano, idque fatetur ipsemet. Arturus autem distincte notat a quo, ad quos, cujus facultate, quo anno ac die corpus* S. Rochi *Monte Pessulano Arelatem translatum sit, quantaque populi frequentia ibidem colatur. Sed de his et aliis videant sacri istius depositi competitores; excutiant tabulas, inspiciant arcam, recognoscant reliquiarum partes, et edoceant eruditos, quid et quantum ex his possideant. Totum enim, vel quasi totum Sancti corpus singulis tribui non potest.* E

62 *Celeberrimum porro apud Venetos esse Sancti nostri Confessoris nomen, patet e magnificis pietatis monumentis, ibidem ex singulari erga magnum hunc Sospitatorem pietate erectis. De templo, sacello ac urna, populorumque ad sacrum illius corpus undequaque concurrentium studio fuse tractat Ciapettus pag.* 130 *et sequentibus, fusissime autem de sodalitio seu confraternitate sub ejusdem Sancti nomine florentissima, deque operibus misericordiæ, ornamentis loci etc. ab initio sui opusculi a pag.* 7 *usque ad paginam* 44 *varia super hoc argumento elogia congerens, quæ nec vacat, nec convenit stylo oratorio ab ipso descripta huc transcribere. Brevior est in templi descriptione Martinellus pag.* 352 *et sequentibus: de ejusdem vero templi consecratione hanc producit epigraphen:* Reparatam a fundamentis ædem cum turri proxima, divoque Rocho dicatam Dominicus Alerius episcopus Chisimensis consecravit, quod collegio, quodque templum viseutibus felix faustumque perpetuo sit, anno Christianæ salutis MDVIII. Kal. Januarii, de Dominico primo. *Quo autem anno in nobile illud sepulcrum illatum dicatur corpus Sancti, indicat sequens inscriptio apud Ciapettum pag.* 136: F *Celeberrimum Sancti apud Venetos nomen*

D. ROCHO SERVAT. AB
OMNI LUE CIVIB.
ILLATA. HOC CONDIT
RELIQUIIS D.
MDXX.

63 *Laudatus Martinellus a pag.* 354 *tractat de confraternitate* S. Rochi, *ac ornatu magnifico loci ejusdem: ad cujus gradus legi asserit hanc epigraphen in marmorea tabula, quæ cum ad declarandam potentissimi apud Deum contra contagia pestifera Patroni sanctissimi intercessionem, et ad laudem confraternitatis conducat, non abs re hic dabitur. Sic itaque sonat:* MDLXXVI Aloysio Mocenigo principe Veneto, sæviebat pestifera lues; qua nulla unquam vel diuturnior vel perniciosior extitit, nostrorum criminum ultrix; passim urbe tota cadavera jacere prostrata, carbunculis, maculis, bubonibus horrentibus obsessa; iisdem ædibus, eadem hora funera funeribus continuari. Ubique lacrymæ, suspiria, singultus: ubique totius civitatis miserabilis adspectus, civibus repente vel obeuntibus, vel metu perterritis *ex variis ibidem monumentis.*

AUCTORE J. P.

tis dulcem patriam deserentibus. Demum aliquando Deipara Virgine ac beatissimo Rocho deprecatoribus, visa est hæc Erynnis adeo tristis ac dira, extremo mense Decembris, cum Martio cœpisset grassari ac furere, vim fere omnem amisisse. Quo quidem temporis intervallo cum societatis nostræ c○ plus minus fratres intercidissent, iisdem ipsis fratribus, eorumque familiis præstantissimi viri Dominici Ferro, magni societatis magistri studium, diligentia, benignitas, charitas unmquam sane defuit. Qui quidem tantam cladem hoc ipso monumento testatam voluit, utque legens posteritas admiretur, ingentemque Venetorum multitudinem pestis crudelitate absumptam pientissimis lacrymis prosequatur. *Quia autem pestiferum virus, quod hic tam tragice refertur, et Sancti patrocinio ad perpetuam rei memoriam publica inscriptione sublatum asseritur, valde famosum fuit, tali utpote lue tunc sæviente,* qua nulla umquam vel diuturnior vel perniciosior extitit; *ut loco mox indicato præmissum est; constat, illud malum esse idem, de quo mentio facta est supra* § 3 B *in fine, recteque ibidem notari annum* 1576, *posteris memorabilem, secundum jam præmissa; grata interim immortalis hujusce beneficentiæ recordatione post adeo longum annorum intervallum hodiedum etiam superstite apud Venetos, et cum solenni quidem agnitione, quantum debeant optimo suo Sospitatori. Nec placet annus* 1492 *aliunde in eodem paragrapho signatus, quia, si tunc pestilentia Venetiis fuerit, tam luctuose non sævierit; atque adeo post se non reliquerit tantam pietatis causam, quantam anterior illa, de qua dixi.*

§ VII. Varia vitæ exemplaria recensita.

Vita, quam Diedus

Quandoquidem plura apud nos asservantur Vitæ S. Rochi *exemplaria, partium nostrarum esse duximus, lectorem de illis instruere. Ac primo quidem dicemus de ea, quam Ms habemus, et hoc titulo prænotatam :* Sancti Rochi confessoris Prologus Vitæ ex bibliotheca S. Galli. C *Vitam præcedit auctoris epistola; hanc vero ipsius nomen etc. hoc modo :* Franciscus Diedus philosophus, juridicus, Brixiæ præfectus, reipublicæ et civitati Brixiæ salutem. *Jacobus Philippus Bergomensis antea citatus hunc meritis ornat laudibus ad annum Christi* 1471 : Franciscus Diedus, nobilissimus Venetorum patricius, philosophiæ et juris Pontificii et civilis consultissimus, et Reip. Venetæ impræterınisse deditus, hisdem etiam temporibus ob doctrinam et dicendi eloquentiam non modo a senatu Veneto; sed apud Pontificem Maximum, atque alios Christianos potentatus, ad quos sæpius orator missus est, maximo in pretio et honore habitus. Quia licet leges et poëmata et historias egregie calluerit, et philosophiam et res divinas spicacissimo * ingenio subtilissime intellexerit, hic historiam divi Rochi confessoris ob pestis periculum, dum Brixiæ præfectus esset, eleganti stilo in lucem produxit, atque alia devotionis opuscula composuit. Demum cum capitaniatus officio Veronæ in anno Domini MCDLXXXIII fungeretur, ibidem vita excessit.

* l. perspicacissimo

ex voto edidit,

65 *Animum vero ad conscribenda Sancti gesta appulit ex voto;* Dignum duximus, *uti ait in epistola citata,* clarissimi cives.. Deo.. vovere, primum quidem, nos nullo jure ejus majestatem offensuros; templum, id est, basilicam... erigere; D postremo nos ejus historiam ac vitæ seriem contexere. *Unde autem ea contexuerit, ibidem præmiserat in ipso suæ præfationis seu epistolæ principio his verbis:* Etsi de Rocho... certi nihil ex veteribus, sacrisque codicibus compertum habemus: ne tamen hujus Viri sanctissimi genus, peregrinatio, vita atque obitus in obscuro sint, tum ex barbaris quibusdam fragmentis, tum ex Latinis, vernali tamen lingua, crassaque Minerva conscriptis, nonnulla collegimus, ex quibus Dei servum fuisse, divinitusque parentibus donatum comperimus: cujus amœnitate, sanctitate, gloriaque pellecti, hunc nobis præ cæteris imitandum, prosequendum, ornandumque censuimus. *Nec vero vota, quæ modo ex ipso auctore memorabamus, optatissimo frustrata sunt eventu. Etenim postquam ea retulisset, mox subdit;* Non physicorum *, aut cæterorum hominum præsidio; verum Rochi precibus ac Dei clementia ita civitas omnis epidemia prorsus vacua rediit, ac si numquam antea hujuscemodi ægrotatione correpta fuisset. E

* i. e. medicorum

quando conscripta

66 *Quandonam autem suam de vita* S. Rochi *lucubrationem evulgarit, prælo utique, cum ars typographica isto jam seculo inventa esset, accommodanda, eruo ex clausula epistolæ ejus in nostro exemplari e bibliotheca S. Galli transcripto, videlicet* Pridie Kalendas Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo. *Quem vero finem sibi præfixerit auctor suæ scriptionis, indicat in eadem epistola:* Non prius, *ait,* linguam calamumve compescuimus, quam votum nostrum persolvissemus. Neve tantarum rerum memoria nostris futurisque [seculis literis mandanda] prorsus delitesceret; voluimus parum id otii, quod nobis a publicis privatisque negotiis relictum est, ad hæc vertenda conferre, partim ut immortali Deo et Rocho placeremus, partim ut civitati huic nostræ, quam apprime diligemus, jocunditatem, eruditis quoque viris oblectationem afferremus... Neminem itaque adeo iniquum in me judicem futurum arbitror, qui opusculum hoc nostrum damnet, quo votum persolvimus nostrum: quod... hoc saltem doctis emolumentum afferet, ut, castigatis nostris erroribus, illi eloquentius copiosiusve clarissimi Rochi Vitam possint exornare, F

Ex epistola Maldura

67 *Nec vero a prælo arcendam censemus epistolam Petri Ludovici Malduræ ad Diedum, sed hic dandam, non eo dumtaxat, quod nec in editione antiqua, quam habemus, Vitæ* S, Rochi, *nec in Valeriana, nec in Suriana habeatur; sed propter alias etiam rationes, sicut planum fiet ex iis, quæ inferius de ista epistola dicturi sumus. En tibi illam ex Ms. nostro bibliothecæ S. Galli, in quo exstat post Vitam* S. Rochi *hoc titulo, et in hanc sententiam scripta :* Magnifico et clarissimo Francisco Diedo, senatorii Ordinis columnario, philosophiæ alumno, Cæsarei Pontificiique juris consultissimo et Brixiæ præfecto bene merito, salutem dicit plurimam Petrus Ludovicus Malditra *(immo* Maldura.) Quamquam bonorum operum est proprium, ut externo commendatore non egeant, sed gratiam suam ipsa testentur; plusque sit, quod probatur aspectu, quam quod sermone laudatur: suo enim utitur testimonio, non alieno suffragio: opusque a te viro excellentissimo ad divi Rochi laudem superiori stylo conditum, id ipsum propter appositam eruditi sermonis elegantiam, et maximarum rerum copiam atque gravitatem, totius Brixiæ, cui dum imperares,

A res, hoc egisti, locupletissima fide attestetur, adeo ut nullius vel acutissimi malevoli censura opprimi, vel doctissimi commendatione extolli possit: mearum tamen ipse partium arbitratus sum pro flagrantissimo meo in Rochum amore ac reverentia, tibi pro tanto Christianis viris munere donato et gratulari, et gratias simul immortales agere, quod tanti Viri laudes et præconia, quæ longa sibi vigilia et manu prævia paraverat, diutius in obscuro jacere non tulisti,

ad Diedum super Vita S. Rochi,

68 Tam enim acute, tam presse, tam graviter omnia complexus; mores, acta, vitam, universa, ut compendioso hoc tuo opusculo nihil uberius, nihil lautius, nihil denique elimatius dici aut cogitari possit, aut queat. Etenim rem antea penitus incognitam ita cunctis ante oculos posuisti, loca tam antiqua quam vetera * denominatione designando, miracula non subticendo, ut in posteris Rochi vita, quæ jam diu vel incuria scriptorum, vel exigua in Deum religione in tenebris obruta jacuerit, tua opera, tuo studio, tua sanctimonia testatissima facta sit. Quamobrem non dubito tam laudabile compen-B dium omnibus longe probatum iri: plerosque etiam crediderim affuturos, qui tuo exemplo adducti, abs te paratum sibi existimantes argumentum, Rochi merita longiori orationis ambitu extollere conabuntur. Verum ego illos operam et oleum frustra sumpturos prævideo; acta enim agent, et præreptam sibi animo * in ea re opportunitatem agnoscent.

* f. recenti, vel recentia

* f. omnem

conficitur,

69 Qua re desinant, quoscumque moneo, tuas pro Rocho lucubratiunculas calamistris inurere: ne, unde sibi laudem sperant, totius populi irrisionem, et Rochi fortasse indignationem subeant: cujus ego nutu et voluntate factum existimo, ut tibi viro doctissimo, æqui ac veri observantissimo, et omnium nostræ memoriæ laudatissimo, tam laudandi Viri laudes præservarentur, quo plus gratiæ ponderis et fidei apud mortales habituræ forent. Vale senatorii Ordinis decus, ac bonarum artium hospes ac columen etc. *Quam vero consentaneum præsenti nostro instituto sit, hanc produxisse epistolam, perspicuum fiet e nostris in eamdem observationibus, quas lectori expendendas proponimus.*

hunc, non illum esse

C 70 *Primo ecquis ex dicta epistola non colligat, ac certissime concludat, a Maldura, ejusdem auctore, non laudari tantum, quæ de S. Rocho scripsit Diedus; sed eumdem Malduram ne vel ausum quidem esse umquam postea hujusmodi opus suscipere, aut suscipiendum alteri suadere? Ut consequens omnino sit, nihil de ista Vita umquam edidisse Malduram. Jacobus Philippus Bergomensis supra citatus illum laudat ad annum* 1471: Petrus *inquit*, de la Maldura Bergomensis, sacri Ordinis Prædicatorum, sacræ theologiæ acutissimus doctor *etc. Deinde præter Opus ejus in S. Thomam, de quo ibi agit idem auctor,* alia, *uti addit,* nonnulla edidisse tradunt, quæ videre, *ait,* non merui *(Ubi vides, nihil haberi de Actis S. Rochi)* Obiit tandem vir optimus Placentiæ, cum magno sanctitatis præconio, anno a natali Christi MCDLXXXII. *Pluribus eum illustrat Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum recensitis tomo I a pag.* 763, *ubi vocatur* Fr. Petrus Bergomensis; *sed inter scripta ejus de quibus ibi sermo est, nihil etiam invenio de* S. Rocho. *Ibidem quoque signatur obiisse Placentiæ anno* 1482. *Laudatus Echardus* Lusitanum emendandum *monet*, eum... in duos dividit unum de la Maldura, alterum Bergomensem dictum.

AUCTORE J.P.

ejusdem Vitæ auctorem:

71 *Secundo, ex his præmissis conficitur, Vitam, quæ authore* Petro Ludovico Maldura *exstat apud Surium, non esse Malduræ, sed Diedi: ejusdem enim argumenti est, quamquam sine epistola prævia ad Brixienses, ac sine epistola Malduræ ad Diedum sit ibidem excusa: hæc si affuisset in exemplari Suriano, Diedum sine dubio, non vero Malduram notasset auctorem istius Vitæ editor. Quem fortasse in errorem induxit aliud exemplar, antiquioribus typis impressum, quod ante me habeo; sed nec locum, nec typographum, nec annum, quo editum fuerit, in eodem invenio. Hunc porro præfert titulum:* Petrus Ludovicus Maldura in Vitam S. Rochi contra pestem epidemiæ apud Dominum dignissimi intercessoris, una cum ejusdem Officio. *Exemplar itaque hoc ejusdem est argumenti cum Suriano, eumdem auctorem præfert, eumdem modum tenet narrandi Vitam sine utraque, de qua dicebam, epistola. Unde suspicio nobis incidit, vel ex hoc ipso impresso, vel ex simili Ms. exemplari Acta* S. Rochi *in editionem Surianam immigrasse. In edito autem alio, quod apud nos est, Diedi nomen prænotatur.* E

unde biographus quidam neotericus corrigitur.

72 *Tertio, ex supra dictis liquet, cæcorum more palpasse in tenebris Bailletum, dum in tabula sua critica auctorum et Actorum mensis Augusti, quæ apud ipsum exstat ante eumdem mensem, pag.* XV *de biographis* S. Rochi *tractans, tam misero utitur criterio, ut quantum illud est, pene totum expungi mereatur, ex conglomerata utique falsitatum congerie compositum. Audi ineptias. Vita ejus, ut ibidem refert, per Petrum Ludovicum Malduram scripta invenitur in collectione Suriana. Non scripsit nisi post corpus* S. Rochi *Venetias translatum, quod accidit anno* 1485: *unde judicat, ab ipso transcriptum Franciscum Diedum, nobilem Venetum, qui primam historiam, quæ ad hoc usque tempus de* S. Rocho *habebatur, brevi ante tempore, quando præerat Brixiæ, composuit. Addit, probabile admodum illud esse, si iste Maldura sit idem cum Petro Maldura Ordinis Prædicatorum Bergomensi, qui eodem isto tempore theologiam docebat Bononiæ: ad hæc, dici Diedum illum ex devotione composuisse istud opus, ut se a peste servaret in-* F *columem; sed locum esse dubitandi, an alios habuerit titulos, quam id, quod de eventibus ac miraculis Sancti nostri publicabatur apud vulgus; Malduram videri dissimulare, quod Italus fuerit, dum dicit, Italos fuisse, et quibus nominis* S. Rochi *notitiam acceperat. Hæc sunt, quæ ex isto hypercritico excerpsimus; quam autem liberali spongia opus sit ad abstergendas omnes illas sordes, ex ante dictis non obscure liquet, et indidem abstergi poterunt. Cujusmodi porro sint notæ Diedana Acta, indicabimus postea. Nunc interim alia quædam exemplaria in medium proferamus.*

Alia exemplaria

73 *Alia apud nos est* historia ex Italica reddita Teutonice in urbe Viennensi in Austria, anno post Christi nativitatem MCDLXXXIV Norimbergæ impressa ad honorandum S. Rochum, ejusque vitam, et apud Deum merita, necdum tunc in istis terris admodum nota. *Refert Sancti gesta in substantia prout circumferuntur vulgo. Nihil tamen ibidem lego de facto concilii Constantiensis. Consule, quæ de illa re sunt præmissa superius §* 2. *Deinde Acta nostri Confessoris vulgata fuere Latine hoc titulo:* Ad illustrissimum Dominum D. Antonium Pratum, magnum utriusque Galliæ cancellarium dignissimum, divi Rochi Narbonensis

AUCTORE J. P.

sis Vita per Joannem Pinum Tolosanum edita. *Post ejusdem finem ponitur sequens clausula :* Divi Rochi Narbonensis Vita per Joannem Pinum Tolosanum, senatorem et oratorem regium edita finit : impressa primum Venetiis per Alexandrum de Bindonis anno Domini millesimo quingentesimo decimo sexto, nono Kalen. Novembris : et rursum Parrhisiis eodem anno per Jodocum Badium ad Idus Martias. *Describit autem Sancti gesta, quæ passim narrantur.*

tum excusa

74 *Apud Petrum de Natalibus, episcopum Equilinum, in Catalogo Sanctorum, anno* 1493 *Vicentiæ impresso, post finem in ejusdem Supplemento seu appendice cap.* 15 *exstat compendium Vitæ* S. Rochi. *Quæ autem ibi sunt in fine,* Anno.. MCDLXXXV corpus ejus furtim Venetias delatum, a Senatu devotissime susceptum est, et ejus nomini templum celeberrimum fabricatum, *hæc, inquam, ab alio adjecta sint oportet, secundum ea, quæ codici nostro adscripsit Henschenius noster :* Petrus de Natalibus inchoavit Catalogum Sanctorum anno MCCCLXIX die S. Barnabæ adhuc Plebanus SS. Apostolorum Venetiis; absolvit an. MCCCLXXI
B xvi Maii creatus episcopus Equilinus. Ita traditur in Codice Ms. D. Joannis Angeli Ducis ab Altæmps, apud Thaddæum Donnolam in Tract. de loco martyrii S. Felicis episcopi Spellatensis, edito Venetiis. MDCXX. *Quinimmo Supplementum illud seu appendicem non convenire cum ætate, qua floruit laudatus Petrus, dicetur postea. Compendio autem mox designato consonat illud, quod exstat apud Claudium de Rota in sua Legenda* 1531 *excusa : ubi tamen signatur alius mortis annus, ut dicam infra. Recentiores biographos missos facimus, perrecturi ad Mss. exemplaria.*

tum Mss.

75 *Præter Ms. e bibliotheca S. Galli, quod antea memoravimus, nonnulla apud nos sunt alia, inter quæ est illud, quod e codice Ms. huc misit Chiffletius, et sic incipit :* Rochum patre Joanne, matre vero Libera nomine genitum constat. Is patriam habuit Montem Pessulanum, quæ olim Agatha seu Agathopolis appellabatur, Narbonensis Galliæ oppidum non ignobile. *Quæ verba sunt huic codici anonymo communia cum exordio Vitæ Diedanæ. Sed hæc multo est prolixior,*
C *quam ista hujus anonymi; quæ abstinet a chronologicis annorum Christi characteribus historiæ* S. Rochi *accommodandis, e quibus Vitæ ac mortis tempus determinari queat : nec refert agnitionem ejus post mortem, nec quidquam aliud quod post eamdem contigisse scribunt alii, his pauculis narrationem suam concludens :* Tandem Rochus moritur : cujus anima ab angelis in cælos defertur. *Ceterum tametsi contracta admodum est, communes tamen historiæ Rochianæ notas prodit.*

§ VIII. Ms. Belfortianum singulare in reditu Sancti atque adeo in loco mortis; nostrum de Actis S. Rochi judicium; annus ac dies obitus; Vitæ quænam, et cur præ aliis a nobis dentur.

Apographis jamjam recensitis addendum est aliud, quod apud nos exstat, ac notatur *desumptum* ex Ms. Belfortii, *qui scribit,* se hæc habere ex Ms. Bethlehemitarum prope Lovanium, et D
contulisse cum Ms. Cælestinorum Parisiensium et Ambianensium. *Ecgraphum vero illud brevius narrat facta nostri Sancti, quam Diedus. Ea tamen ad calculos chronologicos non revocat; e quibus vitæ ejus exordium aut finis colligatur. Quod affirmat de* S. Rochi *patre, habes superius* § 1 *num.* 2. *Nihil habet de peste apud Patres concilii Constantiensis exstincta ejusdem invocatione ac patrocinio. Post historiam autem Sancti in isto Ms. exemplari subditur appendix* ex Ms. Patrum Cælestinorum Parisiis, *et in ea factum illud apud Constantienses etiam narratur. Porro apographum Belfortianum, quamquam alioqui vulgaribus historiæ Rochianæ characteribus satis sit accommodatum; unum tamen punctum habet singulare contra torrentem scriptorum, dum videlicet Peregrinum sanctum, rebus in Italia expeditis,* sese ad Angleriam provinciam Longobardiæ ad Almaniam versus contulisse, *et ibidem vitam cum morte eum commutasse affirmat. Textus ejus consuli potest infra apud nos cap.* 2 *num.* E
14; *quem si cum Diedano conferre volueris, observabis primo, anonymum istius auctorem contractius referre, quæ fusius deduxit Diedus.*

Vitam texit brevius exemplar Belfortianum, quam Diedus :

77 *An vero anonymus ille suam Vitam breviorem acceperit ex isto biographo, an ex schedis seu documentis, quæ eidem præluxere, nobis non constat. Si vero utriusque textum expenderis, videbis in rerum substantia fere convenire. Indicat anonymi fragmentum secundo, sicut supra significatum est, quando* Angleriam provinciam Longobardiæ ad Almaniam versus *ponit, quo Sanctus noster ex Italia in patriam rediturus se receperit: de quo loco vide Annotata nostra ad cap.* 2 *Vitæ Diedanæ lit.* d. *Hinc consequens esset ex ipsius systemate, nostri sancti Peregrini captivitatem, mortem, agnitionem etc. extra Galliam Narbonensem accidisse; quod a liis passim scriptoribus adversatur. Horum autem sententiæ tam communiter traditæ nos refragari non audemus, et particularis biographi placito subscribere, præsertim quia incerti est temporis ac nominis, incertæ auctoritatis : et quamquam, ut candide fatear, exiguæ sunt auctoritatis alii etiam biographi, quos ego quidem viderim, maluimus tamen hic* F
loqui cum pluribus, quam anonymum istum sequi. Alii itaque auctores aliter de re præsenti statuunt, de Sancti ex Italia in Galliam Narbonensem reditu, et mortis loco ita loquentes :

in quo exemplari dicitur Sanctus non in Galliam Narbonensem rediisse, sed Angleriam :

78 *Diedus in Vita apud nos cap.* 4, In Galliam, *inquit,* delatus est... In patriam itaque iter dirigens, ad oppidum quoddam pervenit, quod Rochus patruo ... donaverat *etc. Pinus :* Illinc redire cœpit in patriam... illicque quinquennio miserabiliter habitus in vinculis. *Apud Petrum de Natalibus in Supplemento :* In Galliam remeavit, et in paterno captus oppido... carceri... detruditur, in quo exacto quinquennio... in pace obdormivit. *Jacobus Philippus Bergomensis ad annum Christi* 1327 *:* Indeque digressus, Deo comite, in Galliam... delatus est... In primo denique castro perveniens, tamquam explorator comprehensus, in vincula et in carceribus detruditur, et quinquennii tempus ibi consumpsit. *Accedit eo, quod Martyrologium Romanum ita eum annuntiet :* In Gallia Narbonensi apud Montem Pessulanum *etc. Spondanus antea designatus,* Mompelerium, *ait,* revertens, cum omnibus incognitus pro exploratore comprehensus fuisset *etc. Ex his non suffragamur Vitæ ex Italico redditæ Teutonice*

id quod aliis passim Vitæ scriptoribus repugnat.

A *Teutonice, de qua superius num. 73 : nam tametsi illa non nominet loca, quæ supra exprimebat anonymus, indicat tamen,* S. Rochum *ex Italia digressum petiisse urbem quamdam ad Alemannicos tractus, et ibidem captivitati mancipatum etc.*

Acta celebritati ac ætati Sancti hujus

79 *Merito requiret et expectabit lector, quid de ejusdem Sancti historia, satis quidem mirabili, sed non magno auctoritatis legitimæ, prout modo indicabam, pondere comprobata, censeri debeat. Papebrochius noster jam pridem in quadam scheda posthuma hæc de illa reliquit scripto commendata :* Ex omnibus, quæ de hoc Sancto scripta leguntur, nulla certa fide omnia, unum videtur constare, venisse eum ex Gallia Narbonensi in Italiam, tempore alicujus magnæ mortalitatis (qualis fuit anno MCCCXLVIII et sequentibus) ac primum Aquapendente, tum etiam Romæ; ac denique post varias Italiæ urbes adjutas, Placentiam accessisse, multos ubique liberando mediante crucis signo. Correptus tamen lue ipsemet, ne gravis aliis esset, ad tugurium quoddam Sarmati trans Trebiam recepit se; ubi cujusdam B nobilis Gothardi venaticus canis, ablatis et domini mensa panibus, eum aluit, quoad divinitus sanatus rediit ad Montem Pessulanum patriam suam. Ibi pro exploratore captus in carcere obiit. Sed nomen sanctitatemque Viri prodentibus energumenis, honorifice sepultus, cœpit patronus contra pestem haberi. Id cum anno MCDXIV Constantiæ innotuisset collectis ibidem ad concilium Patribus, et instituta supplicatione pestis cessasset; illi postea revertentes ad propria, Rochi venerationem ubique propagarunt. Veneti corpus se habere dicunt in nominis ejus parthenone ab anno MCDLXXXV : sed potiorem partem constat Arelatem delatam anno MCCCLXXII, indeque pluribus communicatas reliquias. *Sic ille, re tamen tunc temporis etiamnum præmatura. Consuli itaque possunt, quæ de concilio Constantiensi a nobis expensa sunt superius* § 2; *de translato autem corpore ibidem, et* § 6.

non satis convenientia.

80 *Mirum interea videbitur, Sanctum tam illustrem non habere melioris notæ Acta. Sed consideremus, varias divinæ providentiæ et investigabiles vias esse, quibus glorificantes se glorificat:* C *hos quidem tum in vita tum in morte; alios autem post mortem potissimum, ut videtur accidisse* S. Rocho : *cujus gesta non pauca, dum viveret, ad hominum notitiam, ut ea ad posteros transmitterent, obscuro modo pervenere; sed quanti apud Deum is esset meriti, quamque pretiosa in conspectu Domini mors ejus, declarare manifestissimis publicæ venerationis signis idem Dominus voluit per præsentissimum adversus luem pestiferam patrocinium, per erectas confraternitates, ædes sacras, supplicationes, peregrinationes, vota; quibus ubique terrarum nomen ejus illustravit, ac propagavit adeo, ut omne hominum genus innata quadam pietate magnum hunc Sospitatorem sibi apud Deum propitium reddere satagat, certantibus veluti studiis eum invocando, æstimando ac diligendo; quod tum præcipue contingit, quando divina justitia, humanorum peccatorum ultrix, ferale in eos tragicæ luis flagellum intorquet.*

Annus ac dies mortis,

81 *Præter ea vero, quæ per decursum hujus Commentarii castiganda notavimus in historia Rochiana, meminisse etiam juvat, annum mortis ejus quem signant scriptores, molestiam facessere. Communis est sententia, Sanctum ex hac vita emigrasse anno Christi* 1327. *Ita Diedus, ita Compendium vitæ apud Petrum de Natalibus, ita Jacobus Philippus Bergomensis, Spondanus, Bzovius, Catellus. Apud Claudium de Rota signatur annus* 1322; *sed vitio, uti suspicor, amanuensis vel typothetæ. Fertur etiam obiisse mortem anno ætatis trigesimo secundo. Quod si verum sit natalis ejus spectat ad annum Christi* 1295. *Laudatus Jacobus Philippus diem ipsius emortualem ponit decimum sextum Kal. Septembris, uti etiam faciunt Compendium citatum, ac Catellus; nec non Diedus in nostro saltem Ms.; nam in editis duobus exemplaribus notatur decimo septimo Kal. Septembris. Pinus autem* decimo sexto Kal. Augustas *obiisse eum signat, si ipsius, ac genuina sit illa positio, et non corrupta ab alio, Sed de anno, ut eo redeam,* 1327, *quo mortem ejus consignant, quædam supersunt observanda.*

nec non gestorum in Italia

82 *Si vera de Sancto referantur, anno ætatis vigesimo vel circiter profectus fuerit in Italiam.* Superatisque Alpium jugis et anfractibus Italiam ingressus, ad oppidum appulit, quod incolæ Aquampendentem nominant : id enim sævissima peste vexabatur, *ut videre datur in Vita Diedana apud nos cap. 2 sub initium. Quam miras vero ibidem,* E *et in aliis per Italiam locis sanationes confecerit in tollenda pestifera lue, pluribus deinde iidem biographi commemorant. Quæ ut vera sint, necesse est, ut inveniatur anno circiter Christi* 1315, *ætatis* S. Rochi *circiter vigesimo, si subsistant, quæ ex vulgari opinione de illa dixi, pestis quæ per Italiam tunc sit grassata, et pestis hujusmodi, ut mirabilibus ibidem ab eo patratis accommodari posse videatur, de quibus auctores. Quærenti mihi illam occurrit apud Spondanum ad annum Christi prædictum* 1315, *num.* 6 pestilentia ita universam pene Europam depasta, ut tertia pars hominum ab ea absumpta putetur. *Verum objiciet aliquis: Etiamsi annus ad rem nostram sit accommodatus, non videtur tamen illa esse pestilentia, quam investigamus; Diedus enim, et alii, qui res a Sancto gestas memoriæ prodidere, indicare dumtaxat videntur contagionem pestilentem, quæ per Italiam, non vero, quæ per universam pene Europam sit grassata, cum varias utique Italiæ civitates ab eo sospitatas recenseant. Sed responderi potest, scriptores loqui de sola Italia (quidquid sit de aliis* F *Europæ regionibus) quia de solo* Rocho *potissimum apud ipsos est sermo, qui in sola Italia admirabiles illas magni sospitatoris partes egit, reliquis Europæ plagis ad eorum propositum non spectantibus.*

tempore pestis.

83 *At paullo ulterius progrediamur. Jacobus Philippus Bergomensis ad annum Christi* 1348, Pestis, *ait*, lugubris et miseranda hoc anno incepit, et per tres annos per totum pene orbem debacchata est, quæ passim per provincias irrepens ... adeo desæviit, ut vix decimus quisque ex millesimo homine superfuerit. *Tragicam illius scenam pluribus repræsentant Spondanus ac Raynaldus Baronii continuatores, ad istum annum. Ad hanc si cum Papebrochio superius allegato respicere lector velit; tunc secundum ea, quæ ex scriptoribus retuli paullo ante; Sancti natalis innecti poterit anno Christi* 1328, *peregrinatio in Italiam anno* 1348, *obitus autem* 1360, *si, ut fertur, anno ætatis* 32 *e vita excesserit. Dixi,* secundum ea, quæ ex scriptoribus retuli. *Quoniam vero ea tam obscura et incerta sunt, nec certo constat, utrum e duobus contagiis sit in rem præsentem magis accommodatum; placuit mihi potius in initio hujus Commentarii emortualem*

AUCTORE J. P.

lem Sancti annum affigere seculo XIV, quam anno ejusdem seculi determinato.

Observationes quædam

84 *Postremum est, ut de duobus Vitæ exemplaribus Latinis, quorum alterum typis antea fuit editum alterum est Ms., a nobis proxime excudendis, lectorem præmoneam. Acta Latina Diedi antiquiora sunt, quam Pini: hujus tamen quam illius lucubratio videtur nobis melioris notæ, quia minus amplificata et verbosa, ita tamen, ut, si utriusque argumentum spectes, eadem utriusque fere substantia sit: quam an idem Pinus ex Diedo contraxerit, non habemus exploratum. Sed quoniam hujus Acta, quam istius longe majorem habent ætatem, Diedana typis committere visum est. Antiquitate quidem antecessit Petrus de Natalibus; sed præterquam quod apud ipsum non exstet nisi compendium in Supplemento seu appendice ad Catalogum Sanctorum, quem conscripsit; illud etiam ipsum compendium, uti et dictam appendicem seu supplementum non esse istius auctoris, multa persuadent. Nam primo, præfatiuncula eidem præmissa id non obscure indicat, dum hæc dicit:*
B Postquam ad libri calcem (*Catalogi nempe Sanctorum...*) pervenimus, nobis visum est, fore haud inutile, quorumdam Sanctorum gesta subnectere, quæ ex eorum historiis... AUCTOREM HUJUS (*nimirum historiæ vel Catalogi*) imitati decerpsimus. *Secundo, idem persuadet notatio annorum, qui cum Petri ætate, de qua dictum est supra § 7 num. 74, neutiquam conveniunt. Etenim cap. 4 S. Vincentii Ferrerii canonizatio ponitur anno* 1455; *cap. 7 S. Catharinæ Senensis translatio* 1430; *canonizatio* 1460; *cap. 9 S. Monicæ translatio* 1417; *cap. 11 S, Bernardini Senensis obitus* 1443, *canonizatio* 1450, *translatio* 1472. *Plura in hoc genere videri ibidem possunt cap.* 12, 15 (*quod est de S.* Rocho) *item cap.* 22.

de duabus

85 *Præter illa vero, quæ de ejus ætate præmisi, lego in Bibliotheca chronologica nostri Labbei, Catalogum Sanctorum ab illo ad exitum fuisse perductum* XXVI *Maii anno* MCCCLXXXII. *In nova editione Italiæ sacræ tomo* 10 *seu Appendice, in qua inter anecdota Ughelliana de episcopatibus Italiæ antiquatis ponitur Equilinus, col.* 87 *dicitur:* Petrus de Natalibus... Equilinam sedem jam
C illustrabat anno MCCCLXXII, die XXVI Maii, ex plebano parochialis ecclesiæ SS. Apostolorum creatus episcopus post diem saltem nudecimum Junii MDCLXIX *, quo præfatam adhuc SS. Apostolorum administrabat ecclesiam. Frequens deinde ejus mentio fit in antiquis chartis, quas viderim, ad annum MCD. *Hæc si ita sint, aberravit Vossius in Historicis Latinis lib.* 3 *cap.* 8, circa annum MCDLXX quasdam Sanctorum historias *eum edidisse referens. Aberravit Oudinus, dum in Commentario de Scriptoribus ecclesiasticis tom.* 3, *col.* 2647 *sic scribit:* Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, quem in primo hujus Operis molimine male ad annum MCCCLXXX collocaveram, unica ferme centuria aberrans, anno hoc circiter MCDLX et sequentibus floruisse legitur. *Sed in errorem induxit ipsum erroris fuga.* Legitur, *inquit; sed illud* legitur, *nihil est, si cum oculato Ughelli testimonio comparetur, qui vidit antiquas chartas in contrarium. Qui ab anno Christi* 876 *usque ad annum saltem* 1463, *quo agit de Andrea Bono, ultimo cathedræ Equilinæ episcopo, seriem istorum præsulum contexuit. Qui de dictis antiquis chartis ad annum* 1400 *postquam meminisset*, quo, *inquit*, ex tabulario prætorio Torcellano Christophorus de Gibiginis
D beneficiatus in ecclesia S. Pauli de Venetiis, procurator Petri Natalis episcopi Equilini, instat apud prætorem Torcellanum pro executione sententiæ a patriarcha Gradensi contra quemdam Rodulphum de Prato latæ. *Quid vis amplius? Corrigendus itaque etiam Miræus in Auctario de scriptoribus ecclesiasticis cap.* 511, *dum* sub annum millesimum quadringentesimum septuagesimum quasdam Sanctorum historias breviter concinnasse *eum memorat; et Natalis Alexander tomo* 8 *Historiæ ecclesiasticæ, anno* 1714 *Parisiis editæ, pag.* 180, *eodem parachronismo laborans. Hæc occasione Petri de Natalibus, nimis quidem multis in rem nostram; sed non sine fructu in rem communem, ut ipsius ætas e tam crasso tamque communi errore ad veram temporis rationem reducatur. At nos jam revertamur ad Diedum, quo non novimus antiquiorem, qui Actis* S. Rochi *suum nomen præfixerit.*

Vitis

86 *Hæc ergo cum ita se habeant, Vitam Diedanam recudere est animus, etiamsi probe norim liberali spongia illam indigere, et parergis, amplificationibus, atque id genus reculis, quæ auctor idem in schedis, quibus usus est, vel invenit, vel ipsemet attexuit, abunde refertam esse.* E
Novi præterea agnitionem illam, qua S. Rochus *post mortem innotuit hominibus, antea in captivitate ignotus, valde miram esse; quæ emunctioris naris criticis forte videbitur, aliquid habere de catastrophis, quibus scenæ exornari solent. Sed nos, qui, quoad possumus salva veritate, Actis Sanctorum favere debemus, falsitatis censuram huic agnitioni inurere non audemus. Sunt tamen alia quædam in illis castiganda: de quibus consule, quæ superius in Commentario diximus, et porro in nostris ad hanc Vitam Annotatis dicemus. Et vero, quodnam est exemplar emendationis non indigum, cum una fere omnium sit substantia, adeo in præcipuis factis (quidquid sit de eorum accidentibus) consentientium, ut, qui unam Vitam norit, omnes norit, ex fonte, uti videtur, non satis illimi et nitido haustas. Plura de Diedo et ejus lucubratione præmissa sunt supra. Porro proferemus illam ex nostro apographo, quod e bibliotheca S. Galli (celeberrimum est apud Helvetos in diœcesi Constantiensi monasterium Ordinis S. Benedicti; de quo Mabillonius* F
in Annalibus ejusdem Ordinis) transcriptum notatur. Quia vero mendosum est, illud contulimus cum Vita edita apud illustrissimum Augustinum Valerium in Sanctis episcopis Veronensibus etc., quæ ibi exstat a fol. 58 *verso, nec non cum alia antiqua ejusdem Vitæ impressione, ut sic prodiret apud nos emendatius. Atque hæc quidem hactenus de Vita* S. Rochi *excusa.*

quas prælo committimus.

87 *Nec vero exemplar Ms. Belfortianum, de quo superius injecta est mentio, a prælo arcendum videtur. Prima quia Ms. est, nec, quantum scimus, hactenus editum. Secundo, quia tametsi auctor sit incerti nominis ac temporis; non tamen certo nobis constat, an is ante Diedum non seripserit Vitam* S. Rochi *extra Italiam, et forte in Gallia, cum ex collatione apographi Belfortiani cum aliis duobus exemplaribus, perspicue constet, illud in Gallia fuisse asservatum. Tertio quia satis breve ac nitidum. Quarto, quia tametsi in narrationis substantia fere conveniat cum Diedano, multum tamen differt in narrationis modo, ita ut hoc, critica istius censeri posse videatur. Quinto, quia videtur auctor rectius ac sincerius, dicamus etiam felicius, non signasse temporis characteres, et quibus chronotaxis rerum*

* l. MCCCLXIX

A *rum a Sancto gestarum formari possit. Et vero maluerit forlasse anonymus ille nullos hujusmodi characteres signare, quam ita incerlos atque obscuros, ut nec principium nec exitum in eisdem solide invenire posset? Hisce itaque de causis simul junctis Acta hujus anonymi tuis, lector, oculis subjiciemus post hanc qualemcumque Vitam a Diedo compositam; utramque in numeros et capita dispertitam more nostro.*

VITA

Auctore Francisco Diedo, civitatis Brixiensis præfecto,

ex bibliotheca S. Galli, cum duabus editionibus collata.

B PRÆFATIO AUCTORIS

Scribit auctor Vitam hanc ex incertis documentis,

Franciscus Diedus, philosophus, juridicus, Brixiæ præfectus, Reipublicæ et civitati Brixiæ salutem. Etsi de Rocho, cujus vitam scripturi sumus, certi nihil ex veteribus sacrisque codicibus compertum habemus; ne tamen hujus Viri sanctissimi genus, peregrinatio, vita atque obitus in obscuro sint; tum ex barbaris quibusdam fragmentis, tum ex Latinis, vernali tamen lingua, crassaque Minerva conscriptis, nonnulla collegimus, ex quibus Dei servum fuisse, divinitusque parentibus donatum comperimus: cujus amœnitate, sanctitate, gloriaque pellecti, hunc uobis præ cæteris imitandum, prosequendum, ornandumque censuimus. Nam etsi multa litterarum studia sunt, quæ hominibus decus afferre possunt; illud tamen in primis optandum arbitror, quod ad rectam vivendi rationem pertinet. Quam quidem institutionem nemo umquam [digne] satis laudare, extollere, complective potuit. Si enim C clarissimorum Græcorum et Romanorum recordatio, [eorumque gesta] quæ vana sunt, et gentilibus propria, mortalium animos ad gloriæ studium vehementer accendunt: quanto magis Sanctorum [hominum] gesta, et eorum vitam atque mores imitari debemus, qui corpus animamque simul salvant, nosque suis optimis institutis divino munere dignos efficiunt?

et ex voto, ob civitatem Brixiensem,

2 Qua ex re nobis hos imitandos proponamus, hos intueamur contemplemurque. Plerumque [enim] in hominibus instruendis pictores imitamur (qui non solum verbis; verum etiam quibusdam propositis imaginibus discipulos erudiunt) quo facilius illorum animos ad optimarum artium cultum accendamus. Quod cum ita sit, cogitantibus nobis, quonam pacto Deum uostra culpa iratum, benignum nobis redderemus, urbemque hanc Brixiam præclarissimam, truculentissima peste pene obrutam *a*, liberare possemus; urbem (inquam) Venetæ Reipublicæ præsidium atque propugnaculum, quod belli tempestate, cum in eo res esset, ut omnia ferro flammisque ab hostibus vastarentur, stabat, quidquid acerbius est morte, pati potius, quam a Venetorum fide deficere: dignum duximus, clarissimi cives, ut vos non fugit, [tria] hæc Deo optimo maximo vovere. Primum quidem, ut [sit] Rochi precibus vestros animos ad veram sui cognitionem disposuisset, quantum humana fragilitas pateretur, nos nullo jure * ejus majestatem offensuros; templum, id est, basilicam Veneta * civitate et Rocho gloriosissimo dignam erigere; postremo, nos, ejus historiam ac vitæ seriem contexere, ut Sancti hujus exemplo cæteros ad bene, beate, recteque vivendum alliceremus. [Quibus peractis,] jactis quoque templi fundamentis, non physicorum * aut cæterorum hominum præsidio; verum Rochi precibus ac Dei clementia ita civitas omnis epidemia prorsus vacua rediit *, acsi numquam antea hujuscemodi ægrotatione correpta fuisset.

A. Francisco Diedo. *al. nullo in re* *al. non habetur Veneta* *i. e. medicorum* *Valer redditur.*

Sancto patrocinante, a truculentissima peste liberatam.

3 Qua de re quamvis sanctissimus hic Vir apud Germanos et Gallos satis claruerit, et mira sanctitatis documenta præstiterit, hoc [tamen] recenti munere nostraque tempestate maximo tantæ rei exemplo ducti, non prius linguam calamumve compescuimus, quam votum nostrum persolvissemus. Neve tantarum rerum memoria nostris futurisque [seculis literis mandanda] prorsus delitesceret; voluimus parum id otii, quod nobis a publicis privatisque negotiis relictum est, ad hæc vertenda conferre; partim ut immortali Deo E et Rocho placeremus; partim ut civitati huic nostræ, quam apprime diligimus, jocunditatem, eruditis quoque viris oblectationem afferremus. Nostræ itaque lucubrationi, cives optimi, mentem accommodate, et Rochi instituta, quæ [cæteris] vitæ austeritate, gloriæ magnitudine certare possint, perlegite: quæ, cum sempiterna memoria digna sint, non admirari non possumus, aliquot ætatis nostræ viros doctissimos hoc scribendi sive interpretandi munus non sumpsisse, [tam diuque] apud barbaros et in obscuro delituisse, passos fuisse. Neminem itaque adeo iniquum in me judicem futurum arbitror, qui opusculum hoc nostrum damnet, quo votum persolvimus nostrum. Quod etsi dignitati ac sancti Viri meritis non respondet, hoc saltem doctis emolumentum afferet, ut, castigatis uostris erroribus, illi eloquentius, copiosiusve clarissimi Rochi vitam possint exornare. Si tantum pusilla hæc scripta nostra accuratius legere non dedignabuntur, hanc fortasse non injocunde inutilitervе impensam a uobis operam judicabunt. Valete *b*. Pridie Kalendas Junii anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo. F

ANNOTATA.

a *Non dubito, quin hæc fuerit pestis eadem, de qua Jacobus Philippus Bergomensis, pluries supra allegatus, hæc scribit ad annum Christi* 1477: Pestis sævissima hoc ipso anno per totam quasi Italiam debacchata est: adeo ut in Brixiana urbe supra viginti hominum millia, et Venetiis triginta similiter millia urbanæ multitudinis extinxerit. Eam... calamitatem solis eclypsis indicavit, qui eo anno Julio mense fuit, atque locustarum multitudo. *Hæc itaque lues, de qua hic agit Diedus, uli conficitur ex tempore, quo suam ad Brixienses epistolam dedit, anno nempe proxime sequente* 1478.

b *Sequens clausula chronologica non est in editione apud Valerium, nec in antiqua, quam habemus.*

A. Francisco Diedo.

CAPITULA ANTIQUA E MS. BIBLIOTHECÆ S. GALLI.

S. Rochi confessoris Prologus Vitæ.

Capitulum i. De ejus ortu.

Cap. ii. De ejus disciplina et doctrina.

Cap. iii. De ejus parentibus, morte, et orbatu.

Cap. iv. Qualiter principatum præfecto tradidit.

Cap. v. Qualiter Romæ confessus est Cardinali, et ipsum per signum Crucis a peste liberavit.

Cap. vi. Qualiter Rochus post mortem Cardinalis Romam dimisit, et in via vocem audierit, etc.

Cap. vii. Qualiter canis divitis Rocho quotidie panem afferebat, tandem divitem convertit etc.

Cap. viii. Qualiter Rochus divitem tandem jussit mendicatum ire.

Cap ix. Qualiter Rochus per angelum sanatus est.

B Cap. x. Qualiter Rochus a suo præfecto incarceretur, etc.

Cap. xi. Qualiter mortuus est, et post mortem quid actum est per præfectum et uxorem.

Cap. xii. Qualiter civitas Constantia in concilio ejusdem a peste per sancti Rochi intercessionem liberata est.

CAPUT I.

Sancti ortus; educatio; contemptus mundi; mors parentum; bona in pauperes distributa.

Capitulum i. Parentes quales habuerit Sanctus: a

Rochum patre Joanne, matre vero Libera nomine genitum constat. Is patriam habuit Montem Pessulanum, quæ olim Agatha sive Agathopolis *a* appellabatur, Narbonensis Galliæ oppidum non ignobile : [cui, aliisque] nonnullis pater ipse, uon tyrannorum more, sed justitia, C integritate, prudentia, divino timore, suorumque omnium benevolentia et gratia imperavit *b*. Qui [tametsi] militarem disciplinam per omnem fere ætatem exercuit, et in ea versatus est; seculi tamen hujus mollitiem, illecebrasque veluti caduca, parvique momenti aspernatus, omni fide et charitate Deum coluit; non ignarus homini [Deum timenti] nihil uspiam deesse, fortunasque omnes ad eum undique confluere, omniaque pro votis illi cedere. Quapropter Deum immortalem in rebus omnibus agendis [auspicem] sibi proposuit.

Precibus ad Deum, ac Deiparam fusis

5 Is uxorem infœcundam et sterilem ad senectam usque perductam, ignarus, quo pacto prolem ex ea compararet [quam mirum in modum optabat : quod omnibus a natura est [insitum] posteritatem ex nobis, quibus perpetuari censemus, appetere) adhortatur, ut immortalem Deum ac Virginem Salvatoris Genitricem supplex adeat, oretque sibi filium dari, omnibus utilem ac fructuosum, Deo gratum, cujus gloriam non tueatur modo, verum augere ac illustrare contendat. Conjunx viro obsequentissima, luminibus iu cælum erectis, Dei ac Virginis opem his verbis implorat :

6 Te, rerum omnium parens, teque mundi regina, Virgo mortalium spes unica, afflictorum omnium jocundum ac dulce refrigerium *, cujus ope cuncti mortales utimur, servos tibi debitos *, in te ac tua erga omnes pietate et miseratione sperantes, ne deseras, obsecro, votisque nostris (si modo Christianæ Reipublicæ conducat) annuito. Optamus enim filium, non ut patrimonium augeat, fortunas conquirat, res humanas pro libidine misceat; sed ut illas pauperibus eroget, tibi deserviat, laudem et gloriam tuæ majestatis prædicet, pro te et nominis [tui] amplitudine cruciatus omnes, mortem denique subire non dubitet. His dictis, mulieri visum est, Deum ac Virginem ejus annuisse votis. Domum itaque reversa, virum couvenit, remque omnem aperit, honestum consortium divinumque conjugium ineunt, ac filium gignunt. D

mater ipsum petit et impetrat.

* al. refugium

* al. deditos

8 Erat autem annus hic ab incarnato Verbo millesimus ducentesimus nonagesimus quintus, [Olympiadis vero quingentesimæ undecimæ annus secundus,] quo Rochus ille felix, et divinarum rerum peritissimus iu lucem emersit : cujus nominis interpretationes cæteris relinquimus : E cum multæ variæque ab eruditis viris describantur. Hoc unum tamen fateri audeo, virum fuisse omuibus sceleribus exutum, virtutibusque refertum. Nec mirum cuipiam videatur, Deo aspirante, hunc genitum : nam quis neget mulieri divini spiritus auram ingeri posse, et ab ipso Deo quædam sobolis principia infundi, ac Deum cum homine charitatis communionem habere? Ex qua quidem gratiæ consequuntur, quarum auxiliis hominem hoc pacto generari, non absurdum videtur. Nec tamen hoc ejuscemodi existimes, ut quæ fabulis prodita sunt apud Phrygas de Athii; apud Bithynidas de Herodoto; de Endymione apud Arcadas, et apud Romanbs de Numa : quos omues cum immortalibus consortium habuisse fabulantur, divinitatemque inquiunt sapientum cougressus minime aspernari *c*.

a. peculiari Dei favore

8 Vana hæc et gentilibus propria. Ea enim tempestate dæmones, divina tamen permissione, pro arbitrio agebant. Nos vero, qui sacrosanctam Ecclesiam imitamur, sic Rochum genitum arbitramur, ut Joanuem Baptistam ex Elizabeth et Zacharia, senio jam confectis, divino afflatu F eorum bonitate et erga Deum fide, genitum fuisse credimus. Mater itaque miræ pulchritudinis puerum et rubra cruce in pectore signatum conspicata obstupuit, summaque voluptate affecta est, existimans eum Deo fore gratissimum, illumque propriis uberibus educare decrevit : qui sicut miraculo conceptus ac genitus, sic bonitatis ac sanctimoniæ signa præsagiaque sanctissimus infans præ se tulit. Nam cum mater in beatæ Virginis memoriam Mercurii et Veneris diebus semel tantum vesceretur; puer quoque, ut et ipse honorem Deo redderet, et inediæ corpus tenella ætate disponeret, iisdem diebus semel tantum lac ex uberibus hausit. Cumque ad quintum ætatis annum pervenisset, ab Apostolo Paulo edoctus, ut corpus castigaret, et in servitutem redigeret, cibo potuque parcissime utebatur.

c sibi donatum:

9 Duodecimum vero agens annum, delitias omnes et magnificos apparatus, impensas, ampliores que sumptus perosus, in pauperes et egenos liberalitatem complecti maluit. Exteros præterea et peregrinos æque ut proprios cives dilexit, hilari facie, sermone [fere] divino, humanitate, morum dignitate, animique splendore cæteris omnibus id ætatis prælatus, eumdem se

qui ab ineunte ætate mundum contemnit, ac virtutibus dat operam

A se mortalibus præstitit. Pauperes vero præ cæteris observare, solari, juvareque pro suo posse proposuit. Si quid vero temporis illi supererat, non ad voluptates ac delicias animum declinabat; sed ad summi Dei cultum, ejusque vires et amplitudinem inquirendo, quantum ætate poterat, summo perfectus ingenio tantum profecisse cunctis visus est, ut magnum et singulare nomen atque gloriam adeptus sit.

III. Moritur ejus pater * *al. mortem subveritus*

10 Joannes interim pater ætate morboque gravatus, mortem appropinquans *, Rochum accersiri jubet; quem in hunc modum allocutus est: Tempus adest, mi fili, quo seculi hujus tempestates, procellas, fluctuationesque deseram, et meorum operum præmia consequar; cum Deo quoque immortali, si me hoc munere dignabitur, locum habeam. Verum cum te præ cæteris omnibus diligam, et in te uno exornando curas omnes cogitationesque defixerim, quædam tibi commemoranda existimavi, quæ ad bene, beate, recteque vivendum conducere visa sunt. Te itaque per Superos oro ac obtestor, ut mea hæc præcepta non despicias. Deum igitur B imprimis colito, et Salvatoris nostri tormenta cruciatusque sæpissime reminiscitor, quibus nos salvos esse voluit, humanumque genus omnium scelerum ac vitiorum labe depravatum perditumque insonti cruore ab imis Acherontis penetralibus, æternisque noctibus in lucem revocavit. Pupillis item, viduis, idque genus, omnibus substantiis, alieno suorumque præsidio destitutis, opem ferto. Avaritiæ præterea tenacitatem, flagitiorum omnium perniciosissimam, quam nemo sapiens umquam secutus est, caveto.

paterne illum hortatur ad virtutem magno cum fructu.

11 Nam si fortunas, quibus abundaveris, pauperibus erogaveris; si virgines parentibus atque opibus destitutas, viro locaveris; si mulieres obscœne prostitutas, ab errore subtractas, conjugio devinxeris; si denique clementiam observaris, scito te hominibus atque ipsi Deo gratum fore: si hospitalitatem celebraveris, morbo gravatos adire, et manibus tractare non indignum putaveris, cuncti mortales Dei consortio te dignum judicabunt. Rochus obtemperaturum se patri promittit, qui paulo post e vita migravit. Justis itaque, patrio more, solenni pompa peractis, dum sanctus hic Adolescens in lacrymis adhuc esset, patrisque fune- C ribus angeretur, priusquam vigesimum exegisset annum, matrem squalore mœroreque confectam amisit. Eorum igitur, quæ pater monuerat, non oblitus, nec inertiæ aut socordiæ, non luxui aut vitiis deditus, non lasciviis aut nequitiis pessumdari passus est; sed veræ lucis doctrinam imitatus, quæ, inquit, Vendite quæ possidetis, eleemosynam date, sacculosque vobis facite, qui non veterascunt, [thesaurum] indeficientem in cælis disponite, quem fur non appropiat, neque tinea corrumpit; hereditarias opes egenis clam impartitur, Christi dogmata imitatus, qui vetuit hujuscemodi distributiones in propatulo fieri, ne suam quisque distributor in hoc seculo ex ea gloria mercedem caperet: sauxitque dexteram sinistræ manus negotia in pauperum clargitionibus ignorare.

ANNOTATA.

a *De hoc loco in Gallia ac nomine ejus, ista memorat Baudrandus, et ipse Gallus:* Agatha seu Agathopolis, et melius Agathe, insula et urbs Volcarum in Gallia Narbonensi, teste Brietio, postea dicta Magalone, Massiliensium opus. Maguelone hunc intra stagna Volcarum in Occitania, destructa fuit a Carolo Martello metu Saracenorum; sed postea utcumque reparata ab Arnaldo ejus episcopo anno MLXXV, eratque episcopalis urbs sub archiepiscopo Narbonensi: tandem periit urbs, et episcopatus Montem Pessulanum translatus fuit. Insula autem nomen etiam retinet Maguelone, uti stagnum adjacens: 16 leucis ruinæ illius distant a Narbone in ortum Nemausum versus 9, et una cum dimidia a Monte Pessulano in meridiem.

A. Francisco Diedo.

b *Imperium seu principatum hunc non admittimus. Vide Commentarium prævium* § 1.

c *De anno natali nonnulla ibidem dicta sunt num.* 8.

d *His nec lubet tempus impendere, nec notationes augere. Vide itaque mythologos.*

e *Hæc tam longa, quæ præmisit Diedus, parerga exhibent potius verbosam amplificationem, quam sinceram Vitæ historiam: quæ res alibi ac nimis frequenter in eo locum habet.*

E

CAPUT II.

Peregrinatio Italica; sanationes pestiferorum; iter Romanum; Cardinalis mire a lue liberatus; colloquium cum Pontifice; acta Placentiæ in morbo contagioso: Sanctus ipse eodem correptus, ac divinitus adjutus.

IV. Abdicato principatu in Italiam peregrinatur,

Exhausto igitur ad Dei laudem et Virginis honorem peculio, paternisque monitis, quantum ei per ætatem licuit, studiose peractis, patriæ parum se prodesse ratus, principatu se abdicavit, patruoque oppidis, quæ a patre susceperat, præfecto, et summa reipublicæ tradita, ipse in Italiam proficisci statuit, brevi quadam coccinea veste indutus, viliqne palliolo superposito, pileo, pera ac F baculo sumptis, pedibusque coopertis calceamentis *, nullo comitante, Romam versus iter dirigit; superatisque Alpium jugis et anfractibus, Italiam ingressus, ad oppidum appulit, quod incolæ Aquam pendentem *a* nominant: id enim sævissima peste vexabatur. Qua re intellecta Rochus ad hospitale confestim se contulit, ut pauperibus ægrotantibus inserviret: evocatoque Vincentio hospitalis magistro, cum sic alloquitur: Sentio hunc locum peste laborantibus refertum, teque unum esse, qui a cæteris destitutus, solus his inservias. Quod cum ita sit, ut me tibi socium adjungas, oro, quo facilius eos curemus: juvabo te donec vita supererit. Cui Vincentius: Etsi, mi hospes, non vulgaris tua est erga proximum charitas, et in Deum fides, tua tamen ætas adeo tenella et formæ tuæ præstantia laborem hunc assiduum immensumque fœtorem minime patietur.

* *al. perone munitis*

et ibidem

13 Ad hæc Rochus: Nonne in sacris codicibus legitur, divino fretis præsidio nihil esse difficile, si modo actiones nostras ad ejus cultum illa immortali spe pellecti, perfecti * tendimus, cujus amore huc accessimus? Scriptum est [etiam] Quodcumque uni ex minimis meis feceritis, mihi fecisse

* *al. nulla mortali spe pellecti*

A FRANCISCO DIEDO.

fecisse existimetis. Negat Vincentius Rochum id sine maximo vitæ discrimine experiri posse, gravatos omnes esse peste, plurimosque dietim extingui: neminem autem evadere, Deum ipsum testatur. Cur igitur, inquit, huic tanto periculo te objicias, mortique exponas? Quot hic sint lacrymæ, quot clamores, quot ululatus, difficile dicitur: contra nihil voluptatis, nihil otii, nihil cuiquc quietis est. At Rochus: Nonne scriptum est, ubi majus periculum, ibi et præmium longe majus esse, necesse est? Non enim unicuique civitates vallanti murali obsidionalive corona donabatur, sed qui civem Romanum ab hoste servasset, aut vallum transiliisset, murum primus ascendisset, seu civitatem obsidione liberasset: quæ omnia ut magna et ardua, ita et immortali gloria, et merito prisca illa ætas decorare consuevit. Si igitur hac vana et mortali gloria pellecti non opes modo ac vires; verum vitam animamque effundere non dubitarunt; cur nos, qui Christum imitamur, vitæ pareamus, præsertim cum in sacris Literis habeamus, non coronari, nec supernos lares ingredi, locumve in cælo definitum habere; ubi perpetuo ævo fruantur; nisi eos, qui legitime certaverint, et animam suam odio habuerint. Fac igitur, obsecro, ut ægrotos adeam.

B

ad juvandos peste infectos admittitur, ac eos sanat.

14 Tunc Vincentius hunc hominem quasi a Deo missum existimans, veritus, ne, si eum repelleret, Deum ipsum ad iracundiam excitaret, suisque ægrotis boni aliquid adimeret (censebat enim hunc divinum hominem illis auxilium salutis fore) quapropter eum ad valetudinarios ducit, quorum omnium dextras tangit, signoque crucis communitos peste liberat, ac, dum civitatem lustrat, idem sedulus agit. Qua ex re stupor omnes invadit, ac peste soluti, Deum ac ejus nomen ad astra tollunt. Hunc vero e cælo missum, divinitusque in tanta mortalium clade donatum arbitrantur. Civibus itaque et incolis, quos in pristinam valetudinem reduxerat, Rochus jubet, ne ejus nomen prodant; oppidoque illo relicto confestim Cæsenam *b*, Togatæ Galliæ *c* urbem, eodem modo correptam profectus, eam incolumem reddit. Quibus confectis Romam longis itineribus contendit, quam supra cæteras Italiæ urbes infectam contaminatamque persenserat.

C

V.

Romam profectus, ad Cardinalem divertit, *d*

* al. gratissimum

15 Quo delatus, ad Britannicum quemdam Cardinalem *d*, bonitate et moribus parem divertit: qui apud Pontificem Maximum summæ authoritatis et erat et habebatur. Cuncti eum Deo dignissimum *, et sanctimoniæ specimen esse prædicabant. Cui Rochus errata sua confiteri voluit, Eucharistiamque ex ipsius optimi viri manibus sumpsit. Qui cum Rochi faciem intueretur, et [ex ea] divinum quoddam lumen emicare conspexisset, obstupuit, maximaque illum veneratione prosequebatur, oravitque, ut Urbem peste pene obrutam liberaret: Urbem, inquam, Christi sedem, quondam orbis terrarum caput, sanctorum hominum domicilium, bonarum artium ac liberalium disciplinarum olim nutricem, ac divi Petri tempestate innocentium virorum hospitium, nec immerito mundi caput appellatam. At Rochus: Mortalium, inquit, reverende pater, salus morsque a divino opifice pendet. Ille enim voluptatibus, nequitiis, cæterisque sceleribus implicitos, et ad peccandum proclives damnat. Ille virtutibus morumque integritati ac justitiæ deditos protegere ac fovere non desistit. Ille ægrotos liberat, mortuosque ad vitam reducit. Eum itaque orato, qui neminem ad ipsum confugientem repellit, crucisque patibulo suffixis manibus omnes evocat, illos amplexurus, qui ad eum cogitationes converterint. Erectis tamen in cælum [oculis] Deum sic orat: Etsi, clementissime parens, Cardinalis hujus sanctissimi preces multo plus ponderis apud te quam nostra oratio habeant; tamen ut gloriæ tuæ splendor, nominisque amplitudo clarius eluceat, preces meas ad te effundere non dubitavi: patiare urbem hanc, sacrosanctæ Ecclesiæ sedem, pietate atque clementia tua ab hac sævissima contagione liberari, virumque hunc sanctissimum in crucis tuæ signo ab omni periculo servari.

D

qui impresso fronti signo crucis

16 Qua oratione habita, Rochus cruce Cardinalis frontem signat, ita ut ejus impressio cutem penetrarit, ac si cauterio crux fuisset inusta. Domum itaque Cardinalis egressus a compluribus postulatur, quid sibi crux illa significet. Quibus ille: Vir quidam divinus me, ut a peste servaret, cruce hac munivit. Laudabant nonnulli: alii complures Cardinalem, ut crucem depoueret, quæ faciem dehonestabat, hortabantur. Pudore ductus Cardinalis, domum reversus, Rochum orat, ut crucem ei demat, ne omnibus ludibrio sit. Ad quem Rochus: Nemo servorum est, reverende pater, qui domini militis aut imperatoris insignia ferre non glorietur. Quapropter Andreas et Petrus Apostoli [crucifigi] non modo non turpe, sed etiam gloriosum putavere, et illam tam acerbam mortem pati voluere, ut Christum præceptorem imitari viderentur. Franciscus item paulo supra ætatem nostram *e*, vir sanctissimus, stigmata suscipere in victoriæ et gloriæ signum, non est veritus. Cur tu igitur hoc contemnas, in quo Dei Filius, ut te cæterosque salvaret, summo decore * [clavis] affixus hastaque confossus est? Ferto igitur vitæ salutisque vexillum, quo gratiam consequaris. Legitur enim: Qui ad vitam vult ingredi, crucem tollat, eumque sequatur, qui sibimet non pepercit.

E

* l. dedecore

a morbo contagioso liberatus, eum ducit ad Pontificem.

* al. crucemque gestare statuit,

17 Quibus dictis Cardinalis confestim acquievit, crucemque gestare consuevit et statuit *, et Rochum ad Pontificem deduxit, illumque esse edocuit, qui ei crucem inussisset. Rochus autem in terram prostratus, et ad Pontificis Pedes provolutus, lacrymis eos rigat, suorum peccatorum veniam deposcit. Pontifex hominem conspicatus, venia non indigere, inquit, divinumque esse hominem affirmat. Tum Cardinalis, unde hanc in eo præstantiam cognoverit, rogat. Cum primum, inquit, hunc conspeximus, ex ejus oculis radii quidam profundi videbantur, qui nobis admirationem ac stuporem deduxere: ad Rochumque conversus, qua patria, quibusque parentibus ortus esset, interrogat. Rochus vero [sive] ut Pontificem contemplaretur, cui cælestis regni claves potestasque [ligandi atque] solvendi concessa erat, super qua petra omnis ecclesia constructa est; aut forte veritus, ne si patriam parentesve diceret, omnibus cognitus ab instituto detraheretur, subticuit, impetrataque a summo Pontifice venia, Cardinalem secutus est, cujus contubernio triennio usus.

F

VI.

Romam relinquens Placentiæ peste infectos sanat, qua et ipse corripitur,

18 Cum e vita Cardinalis decessisset, Rochus Romæ amplius morari noluit, urbemque egressus, loca et oppida quæque finitima circuit, peste interceptos divinæ crucis impressione salvat, adeo ut omnes, ad quos pervenerat, Rochi virtute summum Deum colebant laudabantque, quod scilicet tantum homini tribuisset, ut mortuos ab inferis pene revocaret. Qui cum omnem fere Togatam Galliam morbo correptam peragrasset, sanassetque,

A. Francisco Diedo

A nascetque, Placentiam *f* Transpadanam urbem *f* truci pestilentia vexatam, se contulit, et ad hospitale quoddam divertit, in quo uti benigne susceptus, ita ægrotantes pro more ad unum videt, signat, salvat. Labore igitur somnoque gravatus lectulo se prosternit, ac, dum quiesceret, amœnissimam vocem in somnis audit: Roche mi, qui itinera, algorem, inediam, ingentesque labores perpessus es, dolorem quoque ac tormenta et corporis cruciatus [meo] intuitu te pati necesse est. Cujus vocis dulcedine expergefactus, acuta febri tamquam gladio coxa transfixa se gravatum sensit, ita [ut] cum ardore doloreque nullam quietem compararet, nec vocem quidem temperare posset, oculis ad cælum directis, inquit: Etsi antea, dulcissime Jesu, me servum tuum esse existimaverim, nunc vero cum me tormentorum tuorum parte donaveris, et illis dignum feceris, charum me tibi ac jocundum esse compertum habeo: cujus amore dulcia hæc mihi videntur: pro quo mortem quoque non subterfugio.

ac male tractatur;

19 His dictis, rursum clamare cœpit. Infirmi vero qui affatim eo ducebantur, omnes in Rochum conclamant, orantque ut sileat, ac dolores, qui clamore non tolluntur, patienter, ut B cæteri, ferat. At Sanctus ille charitate ardens, ne cæteris impedimento esset, [hospitale] exiit, seque ante fores humi prostravit. Pertranseuntes autem hospitem objurgare, jubereque illum introduci, existimantes, id hospitis incuria factum. Negat hospes eum cum cæteris morari velle, ne illorum quietem perturbaret. Qua de re insanus ab omnibus habitus, ab urbe propellitur. Tum Rochus, Deo comite, baculo innixus, ut potuit, ad nemus urbi vicinum prorepsit. Cum vero gravissimo dolore premeretur, ad arborem [cornum] quamdam constitit, ibique aliquantisper quievit: mox in proximum quoddam tugurium se recepit: rursus in hunc modum precatur:

sed divinitus miro modo juvatur.

20 Quantum majestati tuæ debeam, mitissime Jesu, qui servum tuum experiri voluisti, eumque meritis excruciare tormentis, non ignoro. Quoniam ægrotis fortasse non ea charitate, ut in me amor tuus expostulat, opem tulerim, imbecillitati nostræ tua clementia ignoscat obsecro. Nam quis mortalium est, qui pro meritis tibi valeat inservire? Itaque ne me destituas, benignissime C Jesu, neve solum hic inter ferarum sævitiam omnium destitutum præsidio, cedere patiaris. Deus autem admirabilis, qui servos suos numquam deserit, nubeculam confestim e cælo dimittit, quæ ad tugurii ostium delapsa, aquæ fontem *g* sub ipsis Rochi pedibus profudit, qua *g* scaturigine mirum in modum oblectatus, abluto corpore et aliquantulum refrigerato, dolorem illum acerbissimum aliqua ex parte lenisse visus est: quem quidem fontem ad hæc nostra tempora servatum intuemur: verum ne potum modo, quin et cibum ei tribuisse videretur, ne inedia periret, et gratum sibi esse illum ostenderet, cæteris quoque tolerandi exemplum præberet; mirum quoddam et antea inauditum potentiæ suæ testimonium tulit.

ANNOTATA.

a Aquam pendentem. *Leander Albertus in Descriptione Italiæ in Phaliscis Tusciæ aliquando post initium,* Deinceps in via, *inquit,* quæ Sena Romam ducit, citra Paliam flumen Aqua pendens occurrit *etc.*

b Cæsenam *Ughellus Italiæ sacræ tomo 2, a col. 451, occasione episcoporum istius civitatis, ita describit:* Media omnino Æmiliæ via ad collis radices prope fluvium Scpin Cæsena civitas sita est, inter Faventiam et Ariminum collocata, quam in Galliam Togatam rejicit Ptolemæus; Plinius vero inter octavæ regionis numerat civitates: recentiorum vero plerique Romandiolæ provinciæ attribuunt. Dicta Cæsena [ut] existimant aliqui, vel quod exiguo amne cæsa, id est, divisa sit, ut Darius Tibertus civis et poëta Cæsenas:

Urbs Cæsena mihi patria est, quam dividit unda
Cæsis, et a patrio flumine nomen habet;

Vel quod ejusdem ager duobus fluminibus dividatur. *Plura ibidem.*

c Gallia Togata, *ait Baudrandus hanc breviter describens,* pars *est* Galliæ Cisalpinæ Cæsari et Plinio, a Placentia Anconam usque protensa (licet alii alios terminos faciunt) in qua, Æmilia et pars Umbriæ, in ora Senonum, Adriatico mari exposita, inter Apenninum montem ad meridiem, et Padum fluvium ad septemtrionem perstricta. *Vide Leandrum Albertum in Romanula, Italiæ regione decima quarta, post initium: ubi de nominis etymo sic statuit:* Galliæ Togatæ nomen unde fluxerit, breviter indicabimus. Galli E Senones itemque Boii cum in Italiam venissent, et, ut supra dictum est, Thuscis possessione depulsis, in illorum sedibus domicilia constituissent sua, paulatim moribus institutisque Romanorum uti cœpere tam in vivendi ratione, quam etiam in vestiendi. Quapropter cum et togam peculiarem Romanorum amictum suscepissent, Cenomanis, Insubribus, aliisque Gallis idem minime facientibus, inde Galli Togati dicti, regioque ipsa Gallia Togata: quam, *ut de ejusdem finibus ex eodem auctore et hoc breviter addam,* inter Anconam et Ariminum Cato atque Sempronius concludunt; inter Rubiconem et Placentiam Ptolemæus: cumque nos potius sequendum putavimus, quod cum Livio Galliam tantum inter Rubiconem et Alpes constituente melius conveniat.

d *Historiam sequentem castigavimus in nostro Commentario prævio* § 1 *num.* 9 *tamquam apocrypham. Hinc etiam ruit* Rochi *accessus ad Pontificem infra num.* 17. *Cardinalis iste hic dicitur* F Britannicus. *Sed ad titulum* Angleriæ, *quo eum alibi vocari diximus ibidem in Commentario, quod spectat, dicentibus Actis, infra dandis ex Ms. Belfortiano,* quæ provincia Longobardorum est; *apud Leandrum Albertum anno* 1566 *Coloniæ Agrippinæ excusum pag.* 693, *in Lombardia Transpadana notatur* antiqua civitas Angleria; *de qua idem auctor plura alia ibidem observat. Breve est illud Baudrandi de ejusdem situ:* Angleria (Anghiera) oppidum Italiæ in ducatu Mediolanensi in ora lacus Verbani... Angleriæ *vero* Comitatus... *est* tractus *ibidem* ad radices Alpium *etc.*

e *Obiisse scribitur anno* 1226. *Tractandum de isto Sancto erit ad diem* 4 *Octobris cum Martyrologio Romano.*

f Placentia, *notissima urbs est Italiæ in Longobardia ad Padum fluvium, et Placentini Ducatus caput. Vide Ughellum tomo* 2 *Italiæ sacræ a col.* 244, *ac Historiam ecclesiasticam Petri Mariæ Campi lib.* 21, *ad annum Christi* 1322, *pag.* 59 *et sequentibus; ubi ait, Sanctum non urbem dumtaxat illam, sed pagos etiam in ejusdem territorio multos visitasse, atque imprimis Caorsum; ibique varios curasse infirmos a contagiosa*

A. Francisco Diedo.

giosa lue; indeque in civitatem profectum, salutem populi in antiqua æde S. Mariæ Bethlehemi, quæ hodie S. Annæ nomen habet, commendasse Christo, ejusque sanctissimæ Matri, hæc respondenti : Roche, serve Dei, erit exaudita oratio tua ; *et dicto successisse eventum, civitate non tantum a lue pestilente, sed etiam a tyrannide Galeatii, de qua pluribus egerat ante, aliisque multis malis. Hæc ille, citans Bartholomæum Bagarolum in Vita* S. Rochi *excusa Placentiæ anno* 1525, *et monumenta antiqua , ut vocat, apud Fratres S. Annæ Placentiæ. Sed eorum fides sit penes asserentes, uti pariter sequentium in notationenostra proxima.*

g *Campius modo citatus narrat pag.* 68, *Placentinos non fuisse ultimo loco inter eos, qui Sanctum veneratione publica coluere, præcipue in territorio locorum, quæ is visitavit, quæque præ aliis favore singulari dignatus est, Caorsum videlicet, Corvaram, et Sarmatum; sanata in primo loco personarum notabilium multitudine a morbo pestifero; et in secundo, fonte scaturiente miraculose excitato, qui in hodiernum usque* B *diem dictus sit* S. Rochi, *non longe a templo S. Mariæ de Corvara : ac in Sarmato (locum hunc alibi lego ego esse pagum versus Pedemontium) præter tugurium Sancti in sylva, quod in ædem sacram fuit conversum, duo alia peculiaria miracula contigisse memorat idem auctor, alterius nempe fontis, quem in dicto loco excitavit; et baculi, ibidem ab ipso in terra plantati, qui fructiferam in pyrum excreverit, ac produxerit exquisiti saporis pyra, sed sola illa nocte, quæ festum* S. Rochi *præcedebat, magno a fidelibus in pretio habita. Hoc vero prodigium continuatum fuisse affirmat quotannis usque ad tempus majorum; sed deinde propter homicidium ibidem commissum, ac virginem violatam occasione vigiliarum, quæ in Sancti honorem ac propter festum ejus nocturno tempore ibidem fiebant, prodigiosam arborem exsiccatam fuisse, nec umquam amplius protulisse fructus, prout tradunt populares. Hanc vero traditionem confirmari ait in sacra quadam Ode Frederici Scotti lib.* 5 *carminum pag.* 281, *in laudem* S. Rochi *ab eo composita; cujus verba ibidem recitat. Sed res tam miras* C *et magis idoneis testificationibus non confirmatas relegare nobis liceat ad traditiones mere populares, donec fortius stabiliantur, quam ex isto poëta, et ex Bartholomæo Bagaroto, de quo in nota proxime prægressa dictum.*

CAPUT III.

Divinitus cibatur ; innotescit ejus sanctitas : Gothardi patientiam exercet , et ad vitam solitariam eum inducit ; ab angelo sanatur; curat bruta; vox ad eum cælestis.

VII. *Miro modo canis ei panes offert : a*

Rus enim quodpiam huic nemori vicinum, frequentibus ædificiis maximo sumptu erectis, erat, quo primores illius civitatis profugerant : quos inter Gothardus *a* familia non ignobili vir opulentissimus erat. Hic servos complures habuit, canesque ad venandum aptos, ex quibus unus ad mensam heri audacius progressus, cum Gothardus D discubuisset, panem, præter consuetudinem, ex ejus manu rapuit, indeque profugiens ad Rochum defert. Herus hoc parvi fecit, familiaritati necessitative tribuens : verum cum sequenti die in prandio et cœna idem fecisset, ira concitus Gothardus, servos quasi cibum cani non præbentes convitiis prosequitur. At illi; Cibum huic cæterisque canibus, o here (vivit Deus) præstamus, inquiunt; et quid sibi hoc velit, ignoramus. Quæ cum Gothardus audivisset, si denuo canis id moliretur, illum sequi statuit. Venit paulo post, panemque, uti cœperat, rapuit. Gothardus vero confestim, cibo relicto, illum aufugientem secutus est : qui panem ad Rochi tugurium detulit, eique reclinato capite panem porrexit : quem Rochus accipiens, canem benedixit. At Gothardus, qui illum continenter observaverat, stupore compressus inquit : Inscrutabiles sunt viæ tuæ, Jesu admirabilis, infinita potestas tua, singularis bonitas, et in homines tibi deservientes immensa pietas, quos esurientes bonis imples , divites vero, qui epulis magis, quam tibi, inserviunt, egenos reddis : quique Eliæ, corvo ministrante, E cibum præbuisti.

cujus dominus Gothardus Sanctum convenit,

22 Accensus igitur divino ardore Gothardus protinus ad Rochi tugurium pervenit; illumque humi prostratum interrogat, quisnam esset aut quid mali pateretur? Tum Rochus eum obsecrare, ut procul absistat : se enim peste vexari nuntiat. Gothardus domum revertens, secum sic animo volutat : Heu me miserum et infelicem divinoque lumine orbatum! Canis hic meus, cui ingenium natura negavit, et brutis annumeravit : cujus vitam et mortem idem existimare licet, miselli hujus ægrotantis commiserescens, tanta industria tantoque artificio ei cibum quæsivit, invenit, attulit. Ast ego, qui divitiis abundo, cui a natura ingenium tributum est, et miserescendi jus, non ignarus, bonum nullum apud Deum immortalem absque præmio dimitti, operumque meorum mercedem expecto, patiarne sanctum hunc hominem solum inter feras et vepres ab omnibus derelictum interire ? Avertat Deus tantam crudelitatem aut sævitiem in me contineri.

ejusque sanctitatem cognoscit.

23 Ad Rochum itaque extemplo reversus, his verbis eum allocutus est : Sentio me, beatissime Vir, Deum teque simul injuria affecisse, crudelitatem in te exercuisse. Reversus itaque in tugurio tecum hoc mansurus sum, nec domum rediturus, priusquam bonam valetudinem adeptus fueris. F Tuus hic adventus, Rochus inquit, eo mihi gratior est, quo divina providentia potius quam humano consilio factum existimo, quæ hominum corda rore sui spiritus perfundit, quæ omnia futura ab æterno providit, quæ bonum nullum sine amplissimo munere prætermittit; malum autem nullum, quod non puniat , et justitiam clementiæ immixtam , omni severitatis rigore omisso , complexa est. Neque adeo in bonos pietatis suæ oculos defixit, ut malos deseruisse videatur. Eis autem, quos elegit, vitam rectam ostendit, quemadmodum in te fecisse conjicio. Qua ex re mihi perspicuum est, posteaquam, rubore et timore omisso, illi inservire desideras, te gratum illi esse. Perge itaque, ut cœpisti, quo felicitatem consequaris, quam Deum tibi promisisse, videre mihi videor.

VIII. *Inducitur hic ab illo, dum panis non adesset,*

24 Hæc et complura alia dum divini homines fabulantur, tantum hujuscemodi sermones protraxere, ut fame premi inciperent : admiratique sunt mirum in modum, canem, ut consueverat, panem

A panem non attulisse. [Gothardus itaque Rochum alloquitur.] Quo pacto, mi pater, cibum tibi comparabo? Cui Rochus: Futura nequaquam quærenda sunt, modo spem nostram in eum locaverimus, qui recto judicio omnia regit, qui necessariis in rebus numquam defuit, in superfluis vero numquam abundasse visus est; tamen primi parentis errore mortalibus injunctum est, ut labore sudoreque sibi victum acquirerent. Tu itaque baculum, peram, pileum, palliumque sumito, et circumvicina loca perlustrato, et panem ostiatim mendicato. Nullum equidem, pater, Gothardus inquit, laborem subterfugio, modo Deo immortali tibique complaceam. Verum omnes, qui hæc loca incolunt, me norunt, nec sibi umquam persuadebunt, me aut tantæ sanctitatis esse, aut in tantam incidisse miseriam, ut mendicare debeam. Sequere Christum et Apostolos, Rochus inquit, qui, quamvis Dei Filius esset, cujus verbo cuncta ex nihilo creata sunt, tamen a mortalibus victum quærere Deus et homo non erubuit. Qui vero cum sequebantur, relictis omnibus, mendicare sibi gloriosum existi-

B marunt. His motus Gothardus, lætus Placentiam profectus est. Hic dum quasdam domos percurrit, et panem orat, cum illum ditissimum esse, cuncti non ignorarent, ab omnibus ludibrio est habitus.

hunc mendicatum eat.

25 Ad amici tandem cujusdam ostium declinat, quo familiarissime utebatur. Cum vero ab eo cognitus fuisset, ira concitus amicus, Gothardum, quibus potuit conviciis et contumeliis impetit, acsi patrimonium optimus vir ille, quod erat amplissimum, profusissime contrivisset: Cur, inquiens, panem canibus parcius non exhibuisti: quem si moderate illis tribuisses, hac miseria careres, ac domi te sine familiæ tuæ dedecore contineres. Si vero tantillum prudentiæ aut sapientiæ in te fuisset, domi potius inedia mori, quam tuorum injuria mendicare debueras. Verum postquam ad hanc inopiam egestatemque tua culpa, tuis erroribus, prolapsus es, vive miser: abi hinc, scelerate: abi familiæ tuæ dedecus, malleo securique dignus. Recessit igitur Gothardus, injuriæ contumeliæque impatiens. Querebatur enim, amicum, cui plurimum fidebat, nullum erga eum

C benevolentiæ signum ostendisse. Tota dehinc urbe perlustrata, cum duobus vix panibus ad Rochum regreditur, et illi rem omnem aperit. Tum Rochus: Amicus ille tuus, qui Dei servum despexit, peste saucius, dolore ingenti vexatur, e vitaque hac luce migrabit. Illius tamen * ignorantiæ commiserescendum est. Quapropter civitatem visere, ægrotosque in Dei virtute sanare statui. Tu interim hospiciolum tuguriumque hoc nostrum observabis.

** hæc, usque ad observabis, non sunt in antiqua editione, quam habemus*

IX. Sanatur Sanctus ab angelo, curat bruta, audit vocem cœlestem;

26 Sequenti autem luce Rochus nondum liber, sumpto baculo, illique innixus Placentiam ut potuit, proficiscitur, hospitale pro more visitat, ægrotos hilari facie, amœnissimis verbis consolatur, tangit, et signo crucis liberat. Per urbem [autem] progressus, eo morbo laborantes in Deoque sperantes ad pristinam valetudinem reduxit. Sole autem ad occasum declinato, tugurium repetere constituit. Solus itaque per sylvam incidit: bruta quæque, adversa valetudine vexata, ad Rochi pedes provoluta sanitatem poscebant. Complures propterea cum extra urbem, rerum magnitudine moti, prosecuti sunt, vocemque de cælo missam ad se [audivere] clamantem: Roche, Roche, orationem tuam exaudivimus, sanitatemque tibi donavimus. In patriam itaque Deo aspirante, revertere, pœnitentiam acturus, ut Sanctorum numero ascribaris. Obstupuere cunctorum animi, quod novum et inauditum nomen audivissent.

A. Francisco Diedo.

qua innotescit, tamen invitus.

27 Ex his unus Deo acceptus, arbitratus Rochum illum esse, qui infirmos sanabat, certior tamen fieri cupiens, sylvam ingressus, ad Rochi tugurium se contulit, ibique eo invento, Salve, inquit, Roche sanctissime. Cum perspectum habeam, Deum tui misertum, sanitatem bonamque valetudinem tibi reddidisse, et te in patriam revocasse; priusquam hinc discederes, te visitare volui: et quia Deo te gratissimum esse percipimus, urbem hanc nostram, et nos omnes, ac fortunas nostras tibi commendamus, et tuo auxilio fovendas tradimus. Rochus, qui adhuc nemini nomen suum prodiderat, Quis te, inquit, nomen hoc meum edocuit? Ille rem, ut acta est, enarrat. Rochus primo autumans, neminem, præter se, vocem illam audivisse, hunc quoque intellexisse didicit, genibus ad terram flexis hunc orat, ne mortalium cuipiam aperiat, eum Rochum esse, ut ignotus libere et sine animi molestia in patriam redeat. Ille se facturum promittit. E

Monitis salutaribus

28 Gothardus autem Rochum paulo ante peste saucium vix ambulare potuisse, mox liberum et incolumem evasisse conspicatus, divino munere id factum existimans, majori veneratione illum est prosecutus. Ad quem Rochus conversus, quibus potest rationibus, hortatur, ut in sylvis vitam eligeret, et Deo inserviret, qui docet in doctrina; qui exhortatur in exhortando; qui præest in solicitudine: sacculum item contexat, qui tineas non formidet, talemque se Superis præbeat, ut eum cælesti consortio dignum illi existiment. Cum vero ad mortem ambo pervenerint, uti in hac fluctuosa rerum ambigine * ærumnarum laborumque socii extitissent, ita in cælo una divino lumine fruerentur. Quo, inquit, viso, mi Gotharde, nihil ulterius quæritur, nihil appetitur: cum in eo sint omnia, quæ ad perfectam divinitatis majestatem concurrunt: ita ut nullam satietatem reddat. Verum enixius aliquanto spectantes, quo magis illud intuentur, eo magis videre cupiunt, juxta sacrum illud: Spiritus meus super mel dulcis etc., et, Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.

** al. ambage*

29 Eia igitur, mi Gotharde, illum sequere, F qui ex nihilo creavit omnia; qui nos omnes non solum amat, sed et fovet, et amplectitur, qui non fortunas nostras, non uxores, non liberos, non denique mortalium rerum quidquam; verum cordis ardorem, ejus amore et charitate accensum, non suo, sed nostro commodo optimi parentis more requirit. Cui Gothardus, Dive pater mi, inquit, scito me omnia facturum, si modo tecum peregrinari passus fueris, itinerisque comitem me adjunxeris, aut saltem una mecum hic aliquantisper commoratus fueris, disciplinaque tua imbutus, facilius eremi incommoda sufferam. Quod cum Rochus intellexisset, non parum huic viro ad bene, beate, recteque vivendum inclinato se profuturum ratus, mutato consilio, moram dierum aliquot sub [vetere] solitoque tugurio cum Gothardo traxit: quo tempore Rochus divinarum rerum peritissimus, Pauli eremitæ dogmata, Hieronymi, Antonii, cæterorumque, qui in eremo vitam contrivere, instituta Gothardum edocet.

Gothardum hortatur ad vitam solitariam.

ANNOTATIO.

A. Francisco Diedo.

ANNOTATIO.

a Gothardus, cujus tam multa in Vita S Rochi fit mentio, ex nobili Palastrella familia fuit; cujus imago in æde S. Annæ Placentiæ (quæ ecclesia Fratrum Ordinis Servorum est) una cum vita ejusdem S. Rochi in pariete ab eodem Gothardo (ut ferunt) depicta cernitur. Is passim sanctus nominatur. Sed qua die decesserit, nec * ubi corpus illius conditum fuerit, hactenus mihi incompertum, *inquit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem 16 Augusti in annotatione. Apud Castellanum in Martyrologio universali ad diem* XXV *Februarii signatur* Prope Mediolanum S. Gothardus confessor; *qui an ipsum sit, non habeo, unde definiam. Sed apud nos ad istum diem in Prætermissis occurrit* S. Gothardus episcopus et confessor Mediolani; *ubi dictum est,* nobis de eo antistite nil constare.

* l. et

CAPUT IV.

B

Patientia per annos quinque in carcere probata; defensa ejus innocentia, apparitio angeli; impetratum patrocinium contra pestem, mors; agnitio; miracula, templa.

Tamquam explorator capitur,

Quibus peractis, relicto in sylva Gothardo, Rochus, Deo comite, longis itineribus in Galliam delatus est, quæ armorum strepitu bellorumque turbine vexabatur. In patriam itaque dirigens iter, ad oppidum quoddam pervenit, quod Rochus patruo, uti jam diximus, donaverat, præfectumque ejus loci suffecerat. Is in templum pro more concessit: qui a lictoribus comprehensus, (exploratorem enim illum arbitrabantur) in vincula conjectus, ad principem deducitur; a C quo, quisnam esset, interrogatus, Jesu Christi servum et peregrinum esse, inquit; oravitque, ut vota sua prosequi eum sineret. Princeps Rochum ob habitum et squalorem haudquaquam agnoscebat *a*, illumque in carcerem, cæterorum omnium maxime tenebrosum, belli suspicione formidineque compressus detrudi jussit, et custodibus imperavit, ut illum diligenter observarent. Qua ex re Deum immortalem, id genus ærumnarum, quod gravissimum esse videbatur, ut illum salvaret, elegisse arbitratus est; illi gratias babuit, quod omni cruciatus genere eum dignum fecerit.

x.

a

et in carcerem conjectus, et per annos quinque patientia ejus probata ad mortem se parat:

31 Carcerem itaque ingressus, tenebrarum, fœtoris et scorpionum socius, ad terram reclinato genu Deum ac Virginem Mariam orat, ne illum deserant, virtutem præstent, quo facilius cætera incommoda patiatur. Hic igitur maximis laboribus, maxima vitæ austeritate, vigiliis, verberibus corpus cædendo, tanta abstinentia, ut coctum aliquid sumere luxuriam putaret, (Tantum denique corpus contriverat, ut vix squallida membra humi colligeret) quinquennium ibi consumpsit. Quo exacto, se ad extremum vitæ devenisse ratus, carceris custodes, ut sacerdotem quempiam ad eum introducant, exorat. Deductus igitur sacerdos carcerem, lumen nec unde acceptum tem, splendore perspicuum, in- D greditur: qua de re mirum in modum obstupuit. Rochum deinde intuens, et faciem ipsius divinum quidpiam spirare, fulgoremque oculorum admiratus, semianimis factus, verbum vix eloqui ausus est, et, quid vellet, Rochum postulavit.

ostenditur ejus innocentia; concurritur ad carcerem, apparet ei angelus:

32 Tunc ille ad sacerdotis pedes provolutus, delictorum veniam implorat, rogatque Eucharistiam sibi dari. Sacerdos lacrymans ad principem se confert, ac monet quam modestissime, gravi injuria Deum affectum esse, quod sanctissimum hominem, omni prorsus scelere alienum, quinquennio jam in carcere tenuerit. Vitæ austeritatem, hominis patientiam, luminа præterea in carcere visa narravit: quæ omnia sanctitatis indicia sunt. Hac re passim per oppidum divulgata, pietate ducti oppidani, videndi hominis desiderio tenebantur, et se ad carcerem catervatim conferunt: ac Rochus morbo correptus, cum aliquantisper quieti se dedisset, Dei nuntius ei in somnis visus est, sic inquiens: Tem- E pus est, mi Roche, ut tuam hanc sanctissimam animam in Patris sinu collocem. Quamobrem si quid pro te aut mortalibus quippiam optandum proposuisti, antequam e vita migraris, a Deo optimo maximoque petito: fiet enim quodcumque optaveris.

petit a Deo patrocinium contra pestem,

33 Tunc Rochus: Parens, inquit, mitissime, qui populum tuum ab Ægyptiorum manibus, sinus Arabici pelago penetrato, liberasti: qui Loth in te sperantem ex urbibus nequissimis, [et de flamma ignis eripuisti: qui Jonam servasti;] * cataclysmo eripuisti: qui nullum in te sperantem rejicis, neminem frustraris, omnes in te confidentes et auxilium tuum implorantes, qui verbo aut opere patrocinium nostrum invocaverint, a sævissima peste servare, protegere et tueri non dedigneris; nec id nostris meritis, sed miserationis et clementiæ tuæ magnitudo orationi meæ concedat. Hanc præterea miseram et sontem animam tua pietate majestatis tuæ conspectui [præsentari] dignabere, quamvis nihil umquam in hac vita egerim, ut tanto munere dignum me fuisse existimem: pietatis tamen [et] clementiæ tuæ vim erga me, benignissime Jesu, ostendito.

* deest, Noë

idque obtinet, ac moritur,

34 Qua oratione habita, Deum optimum maximum, clementissimum suis esse, objectumque illud XI. beatificum, vivens adhuc in cælum raptus, conspicatus, optatis suis annuisse cognovit. Quæ F munera etsi rerum omnium opifex sua potentia mortalibus elargiri potest, majestatis tamen suæ munificentiam clementiamque, Sanctorum [suorum] meritis ita exposcentibus, illis veluti instrumentis quibusdam in nobis exercet. Voluit enim Deus suo nomine [eos] dæmonia ejicere, serpentes tollere, [et] super ægros manus imponentes ad pristinam valetudinem reducere. Exorata igitur divinæ amplitudinis charitate, Rochus humi dejectus, oculis ad cælum revolutis, artubusque modestissime compositis, animam Deo reddidit. Tum vero qui ad carcerem convenerant, lucernas ingentes intus per quasdam rimulas lucescere conspiciunt; id ad carceris custodem deferunt: qui, confestim reclusis foribus, beatissimum corpus solo postratum, ad caput et pedes lucernas ardere comperit. [Ad latus vero tabella his literis inscripta] peste laborantes, ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam truculentissimam evasuros. Quod ubi ad principem delatum est, magnitudine rei commotus, sanctissimum corpus summa pompa ad templum deferri jubet: quam et ipse præsentia sua exornavit.

35 Principis

A *Cognoscitur a patruo, qui ei templum curat erigi.* 34 Principis vero mater cum Rochi nomen in tabella compertum legeret, filium his verbis alloquitur: Hic nepos tuus est ex fratre genitus; quo defuncto, hic benigne tibi imperium concessit, et [in] Italiam externasque regiones profectus est. Ut vero certiores reddamur, corpus adeamus, in cujus pectore si crucem comperiamus, hunc [illum] esse scito. Qua cruce inventa, mater principem objurgare cœpit, ejus crudelitatem detestata, cujus causa vir sanctissimus immerita morte et familiæ suæ dedecore extinctus est. Ex quo plangor et ululatus fit, Oppidani olim principis sui cadaver, sanctissimumque corpus lacrymis hunectant, osculaque defigunt. Justisque rite peractis, princeps magno impendio ei templum erexit, diem solennem, quo divus Rochus obiit, imperat sexto decimo * scilicet Kalendas Septembris, anno Christi MCCCXXVII, Olympiadis vero quingentesimæ decimæ nonæ anno secundo: quod solenne statumque sacrum ad hæc usque tempora ab incolis celebratur. Cujus sanctissimi Viri merita atque opera supra septimum atque octuagesimum annum Italos latuere.

* al. decimo septimo

B XII. *Pestem sævissimam* 35 Anno vero millesimo quadringentesimo quarto decimo, [Kalendas vero Julias quinto decimo *] Christi fideles, et Romanæ Ecclesiæ prælati *b*, quo Græcorum *c* hæresim tollerent, omnes in urbem Constantiam *d* Germaniæ celeberrimam in unum convenere. Urbem illam pestis sævissima intravit, ita ut omnes de fuga consulerent: arbitrati enim sunt id dæmonum opera factum, quo Dei Ecclesiam Petrique naviculam, si naufragare non possent, illam saltem agitare, ac turbare conarentur. At Deus clementissimus cum nollet Rempublicam Christianam perdere, dum prælati mortem formidantes, ad unum omnes urbem relinquere statuissent; adolescens quidam Germanus Christianam religionem labefactari timens, divino numine afflatus, supra ætatem audacius Patres sic alloquitur. Etsi Deus omnium conditor sacrosanctam Romanam Ecclesiam Christianamque Rempublicam et urbem hanc salvare potest, voluit tamen Sanctis suis præcipua quædam elargiri, quibus intercessoribus mortales vota et optata consequantur. Audio enim Rochum [quemdam] a Gallis summa in veneratione habitum: cujus meritis omnes ad eum confugientes peste liberantur.

* al. decimo *tantum* b c d

C *apud Constantienses invocatus extinguit.* 36 Vobis itaque consilium do, Patres optimi, ut ad illum confugiamus omnes, corpusque nostrum inedia castigemus: et sub Rochi vexillo signoque supplicationes per urbem facite, ac illum orate, ut apud Deum, cujus rem agimus, precibus instet, ut urbi sua miseratione salutem præstare non dedignetur. Adolescentis consilium Patres omnes approbavere, et solenni pompa Rochi imaginem, omni comitante populo, per urbem deferunt, supplicationes pro more agunt, corpusque jejuniis et verberibus castigant. Quibus peractis, difficile dictu est, quam brevi pestis illa evanuerit. Quapropter cives et incolæ, omnisque conventus luctum et mœrorem in gaudium convertunt, et sanctum virum maximo honore Germani quoque prosecuti sunt.

Nomen ejus in Italiam defertur: templa, ut vacula. 37 Feliciter itaque Christianis rebus expositis, soluto conventu, Itali ad nos Rochi nomen detulere, ad quos tandem longo postliminio reversum, basilicas, sacella, templave in ejus nomine construendi, materiam præbuit. ad quæ confugientes, imagines, statuas, votorum argumenta, et sanctissimi viri opera intuentur: quæ si scriptis mandare velimus, difficilius nobis profecto esset principium quam exitum reperire. Quapropter consulto missa faciemus illa, ne, si incuria nostra tantorum operum merita minus laudaverimus, illi gloriæ partem subtraxisse videamur. Hunc itaque omnes imitemur; hunc piis orationibus prosequamur, ut Deo simul et illi servientes, ejus supplicationibus divinæ clementiæ munera consequamur *e*.

A. Francisco Diedo.

ANNOTATA.

a *Miram hujus domini in non agnoscendo fratris filio, qui non erat senex, sed in virili ætate quique non ita pridem admodum ei fuerat tam beneficus, secundum Sancti Acta, stupiditatem ac duritiem!*

b *Factum sequens patitur difficultates; de quibus noster Commentarius prævius* § 2 *a num.* 15; *eaque fortasse de causa auctor Vitæ Ms. anonymus, quæ secundo loco excudetur, nihil de illo habet.*

c *Imo vero ut aliorum hæresim tollerent, secundum ibidem dicta num.* 16.

E d *Urbs hæc sita est in finibus Sueviæ atque Helvetiæ, satis nota, ac concilio œcumenico decimo sexto ibidem celebrato memorabilis.*

e *In Ms. hoc sequitur proxime epistola Petri Ludovici Maldura ad Diedum, hujus Vitæ auctorem, data: sed eam præmisimus in Commentario nostro prævio* § 7.

ACTA BREVIORA

Auctore anonymo,

Ex Ms. Belfortii, qui illud acquisivit e cœnobio Bethlehemitarum prope Lovanium, et contulit cum duobus aliis Mss. PP. Cælestinorum Parisiensium et Ambianensium.

F

CAPUT I.

Mira Sancti nativitas, ejusque post patris ac matris obitum peregrinatio in Italiam salutifera.

Sanctus nascitur in Monte-Pessulano

Plurimas et insignes Francorum imperium provincias habet; quas inter tum agri fertilitate, tum urbium et oppidorum situ ac celebritate, linguæ Occitanæ Provincia, quæ cum Aquitania jungitur, florere solet. In ea quidem singulare et magni nominis oppidum est quod Mons Pessulanus appellatur. Hujus dominium quondam habuit nobilissimus eques, nomine Joannes, illustrissimo Francorum regum sanguine natus. Hunc non magis generis nobilitas exornabat, quam omnium humanarum et divinarum virtutum studia commendabant. Erat ei uxor nomine Libera, genere pariter et specie clarissima: sicque omnipotentis Dei Filio uterque mancipabatur, ut sanctis

EX MSS.

ctis operibus et divinis semper tenaci amore intenderent. Sed eum vir devotissimus ex devotissima conjuge nullum heredem suscepisset, vota Deo pro herede suscipiendo, qui etiam Christi servus esset, fecerunt. Et quodam die, eum præcipue devota uxor Christum et Matrem gloriosissimam Virginem Mariam in templo ea de re precaretur, angeli vocem hanc audivit : O Libera, exaudivit Deus orationem tuam; gratiam autem a Domino accipies

insignis crucicula : * *al.* miræ pulchritudinis *additur :* * *Ms. Paris.* quæ rubea erat,

2 Filium igitur mulier concepit *, qui Rochus in Baptismate appellatus est. Is in cute crucem * impressam super sinistro latere ortus e matre attulit; quo prefecto sanctissimum stigma eum Christo charissimum ostenderet. Cujus rei causa parentes magnopere demirati, Domino bene dixerunt; et ideo infantem beatum Rochum mater, licet nobilis et delicata, lactavit atque aluit, cæterosque nutricis labores non invita subivit. Et cum devotissima mater duos in septimana singula dies jejuniis ageret, beatus infans Rochus, matre jejunante, a lacte continebat, nec ultra semel matrem * tunc lactabat : quodque omnibus mirum erat, eo die habilior, hilarior atque recentior erat infans beatus. Dum quintum ætatis ageret annum, suis parentibus sedulo obtemperans, claris jam virtutibus exerescebat, et defixum lateri signum crucis etiam cum tempore augebatur. Scholas *a* quoque adiens miro modo omnes scientia præcellebat, jejuniis, orationibus, et piis aliis vacans operibus : sicque ad duodecimum annum pervenit, in quo cœpit districtius corpus suum abstinentia castigare *.

* *f.* mater eum

B

* *al.* soli sibi austerus, aliis blandus *anno ætatis* 12 *patrem,* 15 *matrem amittit.*

3 His temporibus, pater B. Rochi, vir omni divino amore confirmatus, maximo morbo invaditur : et se jam sentiens extremis fatis proximum, Rochum filium ad se vocat. O, inquit, Roche, unice heres, vides, me brevi vitam finiturum : quatuor tibi in testamento meo, simul cum imperio et mea hereditate mandata relinquo : primum, ut, sicut instituisti, Jesu Christo jugiter servias : secundum, ut pauperum viduarum et orphanorum sis memor : tertium; thesaurorum meorum rectorem te constituo, ut eos pariter in pios usus conferas : quartum, ut egenorum atque pauperum hospitalia frequentes. Hæc suapte quidem sponte facturum se, Rochus promisit, et devotissimi domini Joannis anima immortalis mortale corpus deseruit. Anno etiam suæ nativitatis decimo quinto devotissimam matrem Rochus sepelivit. Et ita paucos post dies patris testamentum impiger exsequitur, religiosa loca, et pauperum domos visitat, miseros, oppressos et ægrotos opibus et consilio curat : viduas, pupillos et orphanos consolatur, inopes virgines nuptui collocat : hisque piis officiis rem patris sui omnem non invitus dispensavit.

C

Deinde Romam peregrinaturus adit Aquam Pendentem peste afflatam, * *al.* veste coccinea vilique pallio circumamictus, et nullo comitante

4 Postquam patris sui mandata explesset, decrevit secum patriam deserere, et varias per christianitatem peregrinationes agere. Habitu * itaque peregrino induitur, caput pileo tegitur, de humeris bulga pendet, baculus peregrinalis dextram subit; et inteutus pœnitentiæ Rochus, post multa deserta, Romam versus contendit. Sed prius in oppidum Aquam Pendentem nominatum se appulit : ubi dirissimam pestem vigere, cum e multis in via scivisset, percupide in hospitale ejus accurrit. Hujus hospitalis tutelam quidam, nomine Vincentius, habebat; a quo Rochus beatus non sine multis precibus et labore impetrat, ut ipse ægrotis diu noctuque inserviret : timebat enim ille, ne Rochus florens et juvenis statim tetestifero cæderetur. Sed posteaquam ad ægrotos venit, eis omnibus in Jesu Christi nomine benedixit, et uniuscujusque membra impavide contrectavit : ita ut statim virum sanctum ad se intromissum faterentur : quia jam tantorum dolorum incendia per totum hospitale extinxerat. Inde per Aquam Pendentem Rochus incedens, uniuscujusque domum peste vexatam adire festinat : et cum signo crucis ac memoria passionis Jesu Christi quemcumque tetigisset, eumdem sævissima pestis deserebat. D

qua, et Cæsena liberata, Romæ

5 Liberata pestis contagio Aqua Pendente, versus Cæsenam civitatem Italiæ magnificam tendit, quam non minor pestis diu vexabat, eamque brevi spatio liberat. Inde tandem Romam venit : in qua tota urbe locus peste vacuus reperiri vix poterat. Erat autem iis temporibus Romæ Cardinalis quidam titulo Angleriæ *b*, quæ provincia Longobardorum est. Jam hujus Cardinalis ædem beatus Rochus accessit, et eum in conspectu Cardinalis paulisper stetisset, subito mira consolatio et spes in animum Cardinalis peste infecti dilabitur : intellexit enim juvenem beatum Rochum Deo esse charissimum : hoc vultus, hoc mores, E hoc Rochi modestia protendebat. Quare se Rocho beato commendavit, ut eum a peste tanta liberet et conservet. Et, ecce, Rochus ei Cardinali in fronte crucem digito signat : statimque apparentissima et manifestissima crux in fronte Cardinalis impressa cernitur, et sic Cardinalis a peste protegitur.

Cardinalem sanat, aliosque multos ; aditque Papam :

6 Cumque sanctum Rochum precaretur, ut crucis stigma e fronte tolleretur, ne populo spectaculum foret; Rochus hortatur eum, ut Redemptoris signum in memoriam passionis ejus perpetuo in fronte gerat et reverenter colat, quo a dira peste liberatus exstiterat. Cardinalis ergo ad Papam beatum Rochum adducit *c*, qui statim radium lucentissimum et cælestem e fronte Rochi micare ac resplendere vidit; ipseque beatus Rochus plenariam indulgentiam a Papa obtinuit. Cum autem Cardinalis de Rochi gente et patria ab eodem quæreret, ille nullam mortalem gloriam affectans, patriam et gentem suam celavit. Postremo accepta iterum benedictione a Papa, secessit, et cum Cardinali per triennium Romæ exstitit, continuas pauperibus et peste vexatis operas et labores F indulgens.

post triennium adit Ariminum Novariam et sanat.

7 Post tres vero annos Cardinalis senio confectus moritur; et Rochus Romam linquens, Ariminum *d* urbem Italiæ florentissimam venit : quam similiter liberavit. Arimino peste liberato, ad civitatem Navarensem *e* in Longobardia venit, plurima etiam peste oppressam; et illic totos duos menses ægrotis peste toto corde totoque Dei auxilio inservivit. Inde post amotam pestem, versus Placentiam gressus direxit, quoniam et in ea ultra modum pestem regnare intellexerat Erat nempe ejus semper studii, ut in Jesu Christi nomine et ejus sanctissima passione, homines a peste tutos faceret; primumque in pauperum domos et hospitalia se recipiebat, eo quod ea loca magis egerent auxilii.

Placentiæ peste infectus ejicitur.

8 Cum in hospitali Placentiæ diu fuisset, et fere omnes illic ægrotos a peste curasset, quadam media nocte audivit in somnis hanc vocem angeli : Roche Christo devotissime, expergiscere, et pestem, quæ nunc in te est, cognoscere et curare studeas. Ille continuo se percussum telo mortifero in altera coxarum persentiens, egit Deo gratias. Cumque gravi dolore cruciaretur, ejusque languore ac gemitu omnes somni quiete privarentur,

A varentur, ille beatus propere se e cubili recepit, et ad exterius hospitalis limen advenientis diei lucem exspectans cubabat. Prætereuntes orto jam sole cives Placentini Rochum videntes, hospitalis magistrum impietatis accusabant; sed ipse se coram civibus purgans, Certe (inquit) nobis invitis foras huc secessit. Ergo cives properanter beatum Rochum e civitate depulerunt, ne per eum civitas majore peste inficeretur.

ANNOTATA.

a *Hic paucula incsse ex Ms. Patrum Cœlestinorum Ambianensium, notatur ad marginem Ms. Belfortiani.*

b Cardinalis Angleriæ, audita Viri Dei fama per nuncium ad se illum evocat. *Ita in Ambianensi scriptum legi, signatur ad nostrum quod hic damus, exemplar. Vide Annotata ad antecedentem Vitam cap. 2, lit.* d. *Falsa autem sunt, quæ de isto Cardinale, nec non de Pontifice acta hic narrantur Romæ, ex ibidem præmissis.*

d Ariminum, *urbs Æmiliæ in Italia, nunc vulgo Rimini in Romandiola provincia, ad oram* B *maris Adriatici, inter Pisaurum et Cæsenam. Consuli potest Ughellus tomo 2 Italiæ sacræ a col.* 406.

e *Immo* Novarieusem, *quam inter Insubres in Lombardia Transpadana pag.* 688 *laudat Leander Albertus antea designatus : sita est in Ducatu Mediolanensi, estque caput Novariensis tractus ab ea dicti.*

CAPUT II.

Gesta Placentiæ, reditus in patriam, obitus ibidem, et mirabilis agnitio.

Prope Placentiam degens excitat fontem

Tam multo tamque ferventi dolore oppressus, patienter tamen se ejectum sustinet; semperque omnipotenti Deo benedicens, in quamdam desertæ vallis silvam non longe a Placentia profectus est; ibique, ut voluit, sibi parvulum tectum ex frondi- C bus composuit. Mox nominis gloriosi Jesu memor, ad preces mentem erexit et dixit : Magnas tibi gratias ago, Salvator Jesu, quod me, ut ceteros tuos peste afflictos, in hunc (te precor) desertum locum gratiæ tuæ refrigerium mihi mittere digneris. Finita oratione, statim e cælo nebula elapsa est, et juxta cellulam ejus in pulcherrimum et nitidissimum fontem, qui etiam illic hodie est, convertitur, cujus aqua æstuanti Rocho refrigerium ferret *a*.

a

et cibatur a cane venatico,

b

10 Erat prope eamdem silvam villa ruralis, quam nonnulli nobiles inhabitabant : quos inter quidam Deo charus, Gothardus *b* nomine, magna rura et magnam familiam possidebat. Is e multis venaticis canibus unum familariter educaverat, qui ex mensa domini intrepide panem tractare solebat; et, cum panis Rocho deesset, panem ad eum afferebat. Quod cum sæpius adverteret Gothardus, et, ad quem ferret, ignoraret, ejus etiam familia ignorante, in proximum prandium delicatum in mensa panem apponi jussit : quem statim suo more canis tollit, et ad Rochum accelerat : canem ergo ille insequitur, et ad cellulam beati Rochi conveniunt. Cernens, vero, quam familiariter panem Beato porrigeret, reverenter Rochum salutat, et sancto Viro assidet : qui timens, ne pestis contagio ille caperetur, Abi, inquit, amice, in pace bona; quia me violentissima pestis tenet. Gothardus igitur domum suam reversus est : ubi secum tacitus hæc loquitur : Hic pauper, quem in deserto nunc reliqui, vir Dei certe est, cum canis, irrationale animal, languido et derelicto panem solus portet : ideo qui hoc vidi, idem potius facere debeo, qui et homo et Christianus sum. In hac sancta meditatione ad eum reversus, dixit : Facere tibi, sancte Peregrine, misericordiam cupio, et jam te numquam relicturus reviso. *ex Ms.*

et Gothardo, quem docet vitam eremiticam.

11 Rochus Deo gratias egit, et Gothardum in Christi lege jugiter erudiit. Postquam simul paulisper fuere, nec ultra canis panem afferret, Gothardus consilium pro pane habendo quærit; et, cum magis magisque fame urgeretur, remedium a Beato rogat. Qui juxta id Dominicum : In sudore vultus tui vesceris pane tuo, hortatur, ut redeat ad villam, atque omnibus bonis suis renuntians, sequatur viam Christi, et in nomine Jesu panem petat. Ast Gothardus præ pudore (quia illic et notus et dives erat) id se vereri, ait. Sed E tandem beati Rochi crebra admonitione instructus, Placentiam, ubi etiam notissimus erat, venit, mendicat, atque illic ad cujusdam sui compatris ostium eleemosynam postulat. Ille Gothardo aspere convitiatur, quod amicos suos hac dedecentissima homini prudenti et diviti mendicitate macularet, expulitque eum irridens et iratus ab ostio : et sic Gothardus aliorum domos mendicando sollicitare cogitur. Eodem die compatrem istum pestis invasit, reliquosque multos, qui Gothardo eleemosynam negaverant. Reversus tandem ad silvam Gothardus, quæ dicta sunt, Rocho beato exposuit; sed beatus Rochus ipsius compatris mortem brevi futuram prædixit quod ita factum est.

Necdum sanatus, sanat Placentiam :

12 Verumenimvero motus pietate et misericordia Rochus, licet ipse peste affligeretur, plenam peste Placentiam accessit; et, Gothardo in silva relicto, Placentinis omnibus magno suo labore opem attulit, et in nomine Jesu tangendo et benedicendo civitatem omni peste absolvit. Et ipse adhuc suo malo et languidus et fere claudus ad silvam revertitur : ubi multos, qui audierant, et ideo in desertam vallem venerant, cum Gothardo re- F perit; quibus coram omnibus Vir Dei miracula faciebat.

tum sanus factus, mittitur in patriam ;

13 Post modicum tempus Gothardus et socii sui propter certa negotia Placentiam reversi, beatum Rochum ad tempus in valle reliquerunt. Beatus quidem Rochus Deo orationem fecerat, ut a peste liberaretur, unde raptum somnus eum occupat. Interim Gothardus a civitate rediit, et cum jam esset junctus Rocho dormienti, audivit hanc vocem angeli : Roche, amice Dei, audivit Dominus preces tuas, et, ecce, a peste sanatus es. Jubet ergo Dominus, ut versus patriam tuam gradum intendas. Hac subita voce obstupuit Gothardus, qui semper ante hæc Rochi nomen ignoraverat, atque confestim expergefacto et divinitus sanato a peste Rocho vocem, quam audierat, enarravit. Qui ideo rogavit, ut nomen suum celaret, utpote nullius mortalis gloriam affectans : et postquam aliquot dies cum ipso Gothardo et reliquis sociis in eremo commoratus esset, eos omnes instruens, et in sanctis operibus confirmans, valefecit : et peregrinus, ac pœnitentiæ divinique semper amoris studiosus, versus patriam tendit.

14 Dum

ex ms. ubi instar insidiatoris captus continuo,

14 Dum patriam suam repeteret, sese ad Angleriam provinciam Longobardiæ ad Almaniam versus contulit *c*; ubi ejus provinciæ dominus bellum cum hoste gerebat· cujus milites beatum Rochum comprehenderunt, et eum tamquam exploratorem et insidiatorem domino tradiderunt : et is sine mora beatum Rochum, semper Jesum profitentem, atro carceri deputavit. Vir autem Domini parcens omnibus patienter carcerem subivit, et nominis Jesu diu noctuque memor humiliter se Deo commendabat : adeo ut nullum ei incommodum carcer ageret, qui pro eremo et pro pœnitentia carcerem recipiebat. Postquam illic per quinque annos vixit, in fine anni quinti, cum jam Dei voluntas esset ut sancti Viri anima Sanctorum consortio jungeretur, ille qui cibum eidem beato Rocho in carcere ferre solebat, singulis tunc diebus et horis mirabilem splendorem per atrium et carcerem ubique cernit, et Rochum genibus ad terram pronum orantem videt : quæ omnia domino suo retulit. Atque hujus rei fama statim totam civitatem replevit adeo, ut cives complures ad carcerem tantæ novitatis causa concurreret : et B idem viderunt, et conspicati sunt omnes, Deumque laudabant, et dominum istum sævitiei et impietatis incusabant.

post annos 5 sancte moritur,

15 Cum se tandem voluntate Dei hanc vitam mortalem finiturum cognosceret, custodem carceris ad se vocat, rogatque, ut dominum suum in nomine Dei et gloriosæ Virginis oret, quatenus ad carcerem mittat sacerdotem, cui Rochus moriens confiteatur. Quod cum impetrasset, et devotissime confessus esset *, rogat ut per tres insequentes dies totos se solum in carcere cælestia contemplari sinat, quo melius et propius e vita decedens possit de sanctissima passione Christi meditari. Senserat enim Vir Dei quomodo cives civitatis dominum pro ipso e carcere liberando supplicitur precarentur. Quæ omnia sacerdos domino retulit *, et sic beato Rocho triduana illa solitudo concessa est. In fine diei tertii angelus Domini cum hac voce ad illum venit : Roche, ecce, mittit me pro tua anima Deus : a quo si quid optas in hac ultima tuæ vitæ parte, nunc id petere debes. Rochus ergo omnipotentem Deum prece devotissima rogavit, ut omnes Christiani, qui C pie et reverenter in nomine Jesu memoriam sui fecerint, a peste liberarentur : et oratione facta exspiravit.

* *Cod. Parisien. addit,* rogatque Eucharistiam sibi dari

* *Ib. hic additur :* Et cum lacrymis principem adit, ut Virum tam sanctum liberet.

ac tum primum agnoscitur, sepelitur, et colitur.

* *f.* functum

16 Post diem tertium, dominus civitatis ad carcerem mittit, ut beatum Rochum de carcere liberaret. Sed qui venerunt, jam vita finitum * invenere, et per totum carcerem admirabilis luminis radios viderunt, ut indubie eum Dei amicum D intelligerent. Erat et ab illius capite cereus magnus, et alter quoque tantus a pedibus : quibus cereis totum sanctum corpus illustrabatur. Invenerunt præterea sub ejus capite tabulam aureis literis divinitus perscriptam, in qua scriptum erat, Deum ejus orationi concessisse, quod pro laborantibus petierat. Ex ipsa insuper cognoverunt beati Rochi nomen et auctoritatem; quo nomine cognito, illius civitatis domini mater, jam multo senio confecta, intellexit, Rochum fuisse filium domini Joannis de Monte pessulano, qui frater germanus fuit hujus, de quo jam diximus, domini; quæ omnia propter incognitum nomen antea ignoraverant. Agnoverunt præterea, beatum Rochum eis nepotem esse, per signum illius sanctissimæ crucis, quam, ut diximus, ab utero matris natus contraxerat. Sic igitur ipsi pœnitentes, et sese dolore ac planctu afficientes, tandem cum tota populi civitatis frequentia, solenniter et religiose beatum Virum sepeliunt. Qui postea in Apostolatu *d* Sanctus gloriose dedicatus est; atque ejus glorioso nomini amplam et celeberrimam ecclesiam construxerunt. E

Apostrophe metrica ad Sanctum.

* *In eodem Ms*

17 Non * te prætereo, cecini, sanctissime Roche,
Carmina, nec versum mira beata petunt.
Libera nec ideo præsens hæc pagina promit,
Quam tibi sit magni gratia larga Dei.
Quam tu pluris ades Chirone et Apolline contra
Quod bene sis pestes unica certa salus.
Jam vos mortalem medicum contemnite, quorum
Corpora [febrilis] tabida pestis habet;
Ad Sancti properate gradus, Rochoque vovete,
Angelicam novit munere solus opem.
Extremum hoc moriens donum munusque poposcit,
Posset ut ægrotos solvere peste pios.
Concessit meritum stabili sub fœdere Christus :
Ergo preces Rocho femina virque date.

ANNOTATA.

a *Videsis Annotata ad præcedentem Vitam cap. 2 lit. g.*

b *De eo ibidem in Annotatione ad cap. 3.*

c *Locum hunc expendimus in Commentario prævio* § 8 F

d *Hoc Pinus biographus, sæpenumero in Commentario nostro prævio citatus, aliis verbis explicat. Sed tam idem Pinus, quam hic noster anonymus in eo hallucinantur, ex dicto Commentario* § 2.

GLORIA POSTHUMA

APUD ANTVERPIENSES.

§ I. Reliquiæ, piæ fundationes, sodalitium, privilegium.

Documenta benigne hic nobis subministrata

Postquam per decursum mei Commentarii Vitæ S. Rochi *prævii plurima collegeram de publica ejusdem Sancti veneratione per Europam propagata ex Confraternitatibus in ipsius honorem erectis, item ex reliquiis ac ædibus sacris ejus nomine nuncupatis; conquirenda etiam illa esse censui, quæ hic Antverpiæ fiunt, quæque ad sanctissimi Confessoris gloriam posthumam illustrandam conductura arbitrabar. Qua in re nactus hic sum strenuum ac officiosum adjutorem R. A. ac consultissimum D. Joannem Engelgrave, juris utriusque licentiatum, nec non insignis ecclesiæ parochialis et collegiatæ S. Jacobi Canonicum, et capituli Actuarium; cujus cura*

A *cura, præter instrumenta authentica a laudato Viro mecum communicata de iis, quæ fiunt in prædicta ecclesia, nonnullas insuper alias notitias ipsius manu scriptas accepi, ad finem a me intentum accommodatas; quas infra ea de causa, brevi notione Antverpienses vocabo. Ad hæc, aliunde quædam alia documenta obtinui, quæ ad alia hujus urbis loca spectant. Atque ab hisce quidem locis primo incipiam singularem erga* S. Rochum *Antverpiensium pietatem. De lipsano itaque sacro, in sacello* S. Rochi *asservato, hoc produco testimonium ex authentico transcriptum nuperrime in museo nostro* :

agunt de reliquiis,

2 Ambrosius Capello, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Antverpiensis, omnibus et singulis has visuris salutem in Domino. Quoniam Sanctorum cum Christo in cælis regnantium, relicta in terris corpora, aliasque exuvias ecclesiarum esse ornamenta, urbium contra hostes visibiles et invisibiles præsidia, publica pietatis incitamenta, et recta ratione, et innumeris experimentis et omnium seculorum usu comprobatum est. Cumque ex parte R. D. Gasparis vander Herstraten presbyteri, Nobis esset exhibita pars quædam spinæ dorsi S. Rochi, quam ven. adm. D. Franciscus Dierickx, Ordinis Cisterciensis, abbas S. Salvatoris hujus civitatis (prout litteris authenticis, et alias nobis luculenter probatum fuit) desumpserat ex illo SS. Reliquiarum sacelli regii regni Portugalliæ thesauro qui a reverendissimo domino Joanne Miræo Antverpiensium episcopo piæ mem. prædecessore nostro, et a nobis recognitus et approbatus est; ac idem R. D. Herstraten Nobis humiliter supplicasset, quatenus dictam S. Rochi Reliquiam de novo inspicere, recognoscere, et sigillo nostro episcopali munire dignaremur, ratamque habere gratam illam donationem, qua ipse candido liberalitatis animo, et peculiari erga S. Rochum devotione, præfatam ejusdem ossis partem dono dedit (prout illam a ven. adm. D. abbate præfato dono acceperat) sacello S. Rochi in platea vulgo **De Rochus-stract** in hac civitate :

quæ donatæ sunt

3 Nos præmissorum intuitu, ac dicti Sancti cultui amplificando quam maxime intenti, sanctam reliquiam præfatam denuo revidimus, recognovimus, sigillo nostro episcopali in cera Hispanica impresso munivimus, ac pro vera et genuina dicti S. Rochi reliquia anthoritate nostra ordinaria approbavimus, ac in præfato S. Rochi sacello (in cujus favorem donationem antedictam acceptavimus, ratamque habuimus) publicæ Christi fidelium venerationi exponi permisimus. In quorum omnium fidem hasce manu propria signatas, sigillo nostro majori, et secretarii nostri signatura communiri jussimus Antverpiæ in palatio nostro episcopali die xx Maii anno Domini MDCLXXII. F. Ambrosius Episcopus Antverp. qui supra etc. De mandato reverendissimi domini episcopi præfati. P. de Bisthoven secr. *Præter hoc instrumentum vidi etiam actam scabinalem, ut vocant, de donatione hujus sacri lipsani a laudato D. Francisco Dierickx abbate facta D. Gaspari vander Herstraten; et hujus cessione; qua pignus istud sacrum sacello* S. Rochi, *quod existit in platea vulgo* **De Rochus-stract**, *in perpetuum dedisse se testatur. Quæ consules, scabini, et senatus civitatis Antverpiensis suo testimonio confirmant die* v *Decembris anno* 1671.

sacello S. Rochi,

4 *Porro sacellum illud spectat domum expositorum, seu inventitiorum infantium* (vulgo **het Vindelingen huys**) *et ad domum fatuam. De hac Carolus Scribanius noster in Originibus Antverpiensium scribit ista pag.* 112 : Fatua domus (**in S. Rochus-stract**) aberrantibus ab homine suo, quales in magna Republica, ingenti vicinia, numquam deesse possunt. Locus hic ab eleemosynariis datus, et respondet operi fructus. *De ista vero paullo pluribus* : Pupillaris domus expositiis dicata : quorum in magno populo et frequenti vicinia magnus numerus, et jam cxxc numerant. Auctores habet eleemosynarios urbis anno MDXXXII: nobile opus, et quod nomen in principe mereatur. Educantur, et, ut primum per ætatem licet, edocentur, prout cujusque ingenium tulerit; additurque lectio et scriptio, ne quidquam ad honestam educationem vitæque reliquum desit. *Hæc Scribanius. Ne autem Christianæ ipsorum institutioni quidquam etiam desit, ab uno e patribus Societatis exponitur illis doctrina Christiana Dominicis diebus (sacerdos loci eos instruit ad rite peragendam primam communionem) a duobus vero, statis anni temporibus excipitur eorumdem confessio de peccatis. In dicto sacello singulis feriis tertiis Sacrum dicitur in honorem* S. Rochi. *Ibidem publicæ venerationi exponitur ejusdem lipsanum : item die* XVI *Augusti annua* E *Sancti memoria celebratur festivo ritu, et dicitur ad populum.*

et in hospitali S. Juliani.

5 *Exstat etiam hic Antverpiæ in* **De Hooghstract**, *ut vocant, id est, in platea alta, hospitale S. Juliani : de quo laudatus Scribanius pag.* 110, Falluntur, *inquit*, qui ante annos mille stetisse volunt. Exstructum reperio anno MCCCIII. Peregrinis quaqua venientibus in biduum hic domus est, et benigne habentur : ac ne divina desint, adjunctum sacellum, et in eo diurnum Sacrum. *Habeo in manibus impressum exemplar indulgentiæ plenariæ, ut nuncupant, festo S. Juliani confessoris, ac singularis peregrinorum patroni, in sacello hujus Sancti lucrandæ, quod in dicta platea situm est : et in eodem exemplari notatur, in isto sacello diebus Mercurii in æstate hora septima, ac in hieme ad medium octavæ cantari Missam in honorem* S. Rochi, *cujus sacræ reliquiæ ibidem etiam quiescunt, cum indulgentia quadraginta dierum, ab illustrissimo episcopo Antverpiensi iis concessa, qui devote eidem interfuerint.* F

nec non in ecclesia S. Jacobi, cum fundationibus in favorem sacelli S. Rochi.

6 *Pignus etiam sacrum venerationi publicæ exponitur in ecclesia S. Jacobi, de qua dicebam supra, hierothecæ argenteæ inclusum. Vidi illud ac veneratus sum, ac observavi ejusdem hierothecam probe clausam, et sigillis illustrissimi Ambrosii Capello munitam esse. Consule, quæ dicentur inferius* § 3 *in fine. Sed plura alia singularis erga* S. Rochum *pietatis monumenta ibidem ad memoriam posteritatis sunt relicta. Et vero cultus ejusdem Confessoris jam inde ab annis ducentis ac quatuor supra viginti in ejus sacello ecclesiæ prædictæ inchoatus vel continuatus fuit, ex notitiis Antverpiensibus antea designatis in quibus perhibetur, censum, qui exstingui non possit, florenorum quatuor annuorum sub hypotheca cujusdam domus in platea vulgo* **De Lange-nieuw-stract**, *in favorem dicti sacelli, ab anno* 1512, *per quemdam dominum sacellanum esse fundatum : cujus pensio, quæ, ut intelligo, ad hoc usque tempus persolvitur, confirmationis loco est, cum fundationis instrumentum non habeam. In iisdem notitiis dicitur alia esse fundatio, ibidem ad altare* S. Rochi *Missas quinque persolvendi hebdomadibus singulis. Item alia, ut sæpe dictæ notitiæ memorant, ibidem faciendi Sacra duo singulis*

AUCTORE J. P.

lis hebdomadibus. Tempus atque alia harum duarum fundationum adjuncta non pervenere ad meas manus : hic tamen ambas attexui occasione superioris, quam primo loco nominabam. Pergamus ad alia tempora.

ac privilegio regio ejusdem aræ dato,

7 *Anno Christi* 1563 *a Philippe II, Hispaniarum rege, diploma datum est in favorem altaris* S. Rochi : *litterarum exemplar authenticum, Flandrico idiomate scriptum, ante me habeo, e quo delibo sequentia. Confratres altaris* S. Rochi *anno mox designato in dicto diplomate referunter obtulisse libellum supplicem, quo significant, se intellexisse, aliquot personas e sodalitio ejusdem altaris velle eidem altari prospicere per fundationes aliquas, ac censibus illas augere; sed difficultatem eis creari propterea, quod, si hæ fundationes el administrationes admittantur a præfectis ecclesiæ S. Jacobi, converti possent in res alias, atque adeo pia personarum benevolarum ac sodalium ejusdem confraternitatis intentio infringi vel extingui. Quæ ratio in dicto diplomate indicatur, præfatos, sodales, aliasque* B *benevolas personas absterrere, quo minus altare illud ac divinum cultum condecorent, augeantque ejusdem fundationem ; atque ideireo a supra dictis confratribus libellum supplicem esse oblatum, quo petunt, ut administris prædicti sodalitii vel confraternitatis supra memorati altaris concedatur facultas, ut penes se sint in perpetuum administratio, pecunia accepta, ac regimen fundationum, nec non tam ea bona, quæ vel tunc pertinebant ad idem altare, quam ea, quæ imposterum eidem altari accreverint; ita ut nec præfecti ecclesiæ, nec præfecti S. Spiritus, ut vocant, nec ulli alii Superiores tam spirituales quam seculares, ullo modo possint eisdem se immiscere, aut de eisdem disponere, vel quidquam in illis mutare. Cui supplicationi supra memoratus Philippus Hispaniarum rex benigne annuit in suo concilio, uti latius patet e litteris, sigillo regio in cera rubra munitis, ac Bruxellæ datis die* IV *Maii, anno Domini* 1563. *Erant itaque tunc temporis Antverpiæ, qui erga cultum* S. Rochi *non mediocriter erant affecti. Erant, qui cordi habebant ejusdem cultus conservationem. Erat denique confraternitas; verum quamdiu ante ea fuerit inchoata, nescitur : hoc scitur, Sancti so-* C *dalitium postea evectum fuisse ad majorem splendorem, ut modo dicam.*

§ II. Confraternitas canonice erecta; ab Alexandro PP. VII confirmata ejus statuta ; gratiæ spirituales eidem concessæ.

Anno 1658 illustrissimus Antverpiensis

A*nno Christi* 1658, *die* XII *Augusti illustrissimus Ambrosius Capello canonice instituit ac erigit confraternitatem* S. Rochi *confessoris in ecclesia S. Jacobi Antverpiæ sæpenumero jam memorata, pro omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, sub titulo et invocatione ejusdem Sancti, in sacello el ad altare in ipsius honorem in dicta ecclesia erectum, ac sub certis statutis et ordinationibus. Quia vero laudatæ institutionis et erectionis exemplar Flandrico nostro idiomate conscriptum est, ideo illud latine reddimus in hanc sententiam* : Fr. Ambrosius Capello, Dei et postolicæ Sedis gratia episcopus Antverpiensis, D omnibus has visuris salutem in Domino. Cum incomprehensibilis bonitas Dei, qui in sua etiam punitione misericors est, multiplicibus hominum peccatis ad justam iram excitatus, illos etiam, quos amat, variis sæpe flagellis castiget, ut eos reducat ad emendationem, et in gratiam recipiat : cumque ea de causa Christi Fideles ab omni tempore, necessitate pressi, ad misericordiam ejus confugerint, et ad Sanctorum ejus intercessionem; qui tametsi generatim apud Deum omnipotentem præter modum honorati, æstimati, et exauditi sint in sua intercessione; reipsa tamen compertum est visibili cum consolatione et fructu, quæ homines plurimi sunt experti, Deum in hoc misero mundo designare aliquos e Sanctis amicis suis, tamquam peculiares patronos ac defensores adversus varia morborum ac miseriarum genera, quæ hominibus maxime horrenda et noxia sunt : cujusmodi præsertim est morbus subitaneus : contra quem inter cæteros tamquam singularis patronus colitur et invocatur sanctus Rochus confessor, qui, etiamnum hic in terris vivens, magno zelo servivit ac subvenit iis, qui morbo subitaneo erant correpti, quique etiam eodem infectus fuit; ita ut patrocinium idem apud Deum peculiariter meritus esse videatur. E

9 Quæ omnia considerantes, illudque præterea, quod Deo placuerit propter nostra peccata prædicto subitaneo morbo hanc civitatem, uti insuper loca circumjecta, tum anno præterito tum præsenti, aliisque temporibus graviter visitare, sicut in præsentia etiamnum sentimus; Nobis visum est secundum demissas preces, et pium aliquorum devotorum Christi Fidelium desiderium, ad majorem Dei honorem, Christianarum animarum consolationem, et istarum punitionum depulsionem, hisce instituere et erigere confraternitatem in collegiata ecclesia S. Jacobi in hac civitate, pro omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, sub titulo et invocatione S. Rochi confessoris, in sacello et ad altare, in ejus honorem in eadem ecclesia erectum, sub sequentibus statutis et ordinationibus...

confraternitatem S. Rochi instituit,

I. Hujus confraternitatis directionem semper habebit ejusdem ecclesiæ collegiatæ canonicus, a Nobis ad hoc nominandus : sicut nunc nominamus D. Franciscum de Wolff, ejusdem ecclesiæ F canonicum.

II. Quicumque in hanc confraternitatem ingredi volunt, a præno minato directore, vel ab aliquo sibi substituendo inscribentur, nec tenebuntur quidquam propterea dare : unicuique tamen liberum erit dare, quod sibi placet.

III. Die inscriptionis suæ confessi de peccatis sument sanctum altaris Sacramentum, et tunc poterunt lucrari indulgentiam quadraginta dierum, ibidem recitantes quinies orationem Dominicam et salutationem Angelicam.

et regulas eidem præscribit.

10 IV. Similiter poterunt lucrari indulgentiam dierum quadraginta festo S. Rochi, et per totam continenter octavam, quando tunc intererunt alicui e divinis officiis Missæ, concionis vel laudum, quæ tum temporis fiunt in eodem sacello, recitantes, ut supra, quinies orationem Dominicam et salutationem Angelicam ad obtinendam pacem, infidelium conversionem, morbi subitanei ac longe lateque grassantis mortis depulsionem. Item omnes sacerdotes iisdem diebus Sacrum dicentes in eodem sacello S. Rochi similiter lucrabuntur indulgentiam dierum XL.

V. Unusquisque huic confraternitati inscriptus quotidie

A quotidie recitabit orationem Dominicam, et salutationem Angelicam, ut per intercessionem S. Rochi placeat Deo consolari eos, qui tum temporis morbo subitaneo fuerint infecti, omnesque alios ab eodem morbo liberare ac conservare.

vi. Singulis feriis tertiis fiet Sacrum de S. Rocho. Unusquisque etiam pro opportuinitate istis diebus vel aliis, quibus aliqua Sacra vel officia pietatis fient in honorem S. Rochi, ibidem comparebit, ut officiis istis attendat, si fieri possit; et orans, ut supra, lucrabitur indulgentiam dierum xl.

vii. Nemo ad aliqua e prædictis exercitiis ac devotione obligatur sub peccato veniali; sed eadem omittens sive ex oblivione vel ex negligentia, pro illo dumtaxat tempore perdit mercedem, quam Deus largitur pro hujusmodi operibus piis. Ita actum in nostro palatio episcopali die xii Augusti anno mdclviii. *Et subditur in apographo hujus instrumenti :* Concordantiam hujus extracti cum regestis episcopatus Antverpiensis attestor P. de Bisthoven secret.

B 11 *Eodem anno 1658, die* xxviii *Septembris sanctissimus Dominus noster Alexander PP. VII laudatæ confraternitatis statuta confirmat litteris Apostolicis, quæ ex ipso earumdem originali authentico a me huc transcriptæ sic sonat.* Alexander PP. VII. Ad futuram rei memoriam. Pietatis et Christianæ charitatis opera ubique cum divini cultus incremento exerceri cupientes, his, quæ propterea provide facta noscuntur, libenter, cum a Nobis petitur, Apostolici muniminis adjicimus firmitatem, Christique fideles, ut in eorumdem piorum operum exercitio magis confoveantur, favoribus et gratiis prosequimur opportunis. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis sub invocatione S. Rocchi in sæculari ac collegiata ac patrochiali ecclesia S. Jacobi civitatis Antverpiensis canonice erecta, quod alias pro felici prosperaque ejusdem confraternitatis directione et gubernio nonnulla statuta edita fuerunt.

cujus canonicam institutionem

eodem anno

12 Cum autem, sicut eadem expetitio subjungebat, firmiora sint ea, quæ Sedis Apostolicæ auctoritate muniuntur, cupiantque propterea officiales et confratres præfati statuta hujusmodi, quo exa-C ctius observentur, firmiusque subsistant, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio roborari, aliasque sibi per Nos, ut infra, indulgeri; Nos eorumdem officialium et confratrum votis in præmissis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta præfata, dummodo tamen illa sint in usu, ac ab Ordinario approbata, nec sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, ac concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis non adversentur, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, et approbamus, aliisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris quam facti defectus, siquidem ii quomodolibet intervenerint, supplemus:

13 Decernentes, statuta hujusmodi, nec non præsentes litteras semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris, die xxviii Septembris mdclviii, Pontificatus nostri anno quarto. Gualterius. *Et infra hasce litteras notatur :* Statuta præfatæ confraternitatis a Nobis edita, adhuc sunt in usu, nec revocata, quæ etiam volumus observari. Actum Bruxellis die xxv Octobris anno Domini mdclviii. De mandato perillustris et reverendissimi Domini Episcopi Antverpiensis. I. de Wese secret.

auctore J. P. confirmat Alexander PP. septimus,

E 14 *Nec satis fuit præfato Christi in terris Vicario hanc confraternitatem ejusque statuta tam expressis atque efficacibus litteris in perpetuum confirmare; verum etiam peculiaribus favoribus, e sacro Ecclesiæ thesauro depromptis, eamdem benigne prosequi, ac paterne fovere voluit, sicut liquet e litteris ipsius Apostolicis, eodem die et anno datis :* Alexander VII. Ad perpetuam rei memoriam : Cum, sicut accepimus, in seculari ac collegiata et parochiali ecclesia S. Jacobi civitatis Antverpiensis, una pia et devota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas sub invocatione S. Rocchi, non tamen pro hominibus unitis specialis artis, canonice instituta existat, cujus confratres et consorores quam plurima pietatis et charitatis opera exercere consueverunt; Nos, ut confraternitas præfata majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere pœnitentes et confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam :

ac favoribus

15 Nec non tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus F et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo; si vere etiam pœnitentes et confessi ac sacra communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem, corde devote invocaverint, etiam plenariam : ac eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus et consororibus etiam vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui præfatæ confraternitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium die festo S. Rocchi a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

spiritualibus

16 Insuper dictis confratribus et consororibus etiam vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione refectis, dictam ecclesiam seu capellam, vel oratorium in Navitatis D. N. Jesu Christi, ac sanctissimæ Trinitatis, nec non in Assumptionis B. M. Virginis immaculatæ, ac omnium

paterne

AUCTORE J. P.

omnium Sanctorum festis diebus, ut præfertur, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas: Quoties vero Missis et aliis divinis Officiis in dicta ecclesia seu capella vel oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, aut congregationibus publicis vel privatis ejusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum dictæ confraternitatis, quam aliorum ad sepulturam ecclesiasticam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alios ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, campanæ ad id signo dato, semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum præfatorum recitaverint, aut peccatorem aliquem ad viam B salutis reduxerint, et ignorantes præcepta Dei, et ea, quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesia cousueta relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

fovet.

17 Volumus autem, ut si alias dictis confratribus et consororibus præmissa peragentibus aliqua illa indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum clapsum duratura per Nos concessa fuerit, præsentes nullæ sint: utque, si etiam dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregata jam sit, aut in posterum aggregetur, aut alia quavis ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, priores, et quævis aliæ litteræ Apostolicæ illis nullæ sint. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die XXVIII Septembris MDCLVIII, Pontificatus nostri anno quarto. Gualterius. *Et inferius subscribitur*: Publicetur. C Actum Bruxellis die XXV Octobris anno Domini MDCLVIII. De mandato perillustris et reverendissimi Domini Episcopi Antverpiensis, I. de Wese secret.

§ III. Confraternitatis præfectus ac patronus, præterita ac moderna solennitas festo S. Rochi, etc.; personæ ejusdem sodalitio inscriptæ.

Patronus ac præfectus confraternitatis civili consensu electus,

Quemadmodum vero ad stabilitatem et perpetuitatem sæpe nominati sacelli ac prædictæ confraternitatis summopere conducebat, eligi personam aliquam, in quam incumberet summa cum hujus tum illius præfectura, ita etiam huic rei prudenter postea prospectum fuit, eligendo aliquem utriusque summum præfectum (superintendentem vocant) ac patronum: cujus electio ac denominatio primum civili, deinde autem ecclesiastica etiam auctoritate confirmata est, prout conficitur e sequenti instrumento, quod ex authentico exemplari repræsento: Fr. Ambrosius D Capello, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Antverpiensis, omnibus has visuris salutem in Domino. Postulat officii nostri ratio, ut eos, qui ad domus Dei decorem, Sanctorumque cultum amplificandum, zelum suum intendunt, curamque et opem pie et liberaliter impendunt, peculiari benevolentia, ac eximio præ cæteris favore prosequamur. Pro parte igitur reverendi admodum, nobilis ac consultissimi domini Alexandri Roelans, presbyteri, J. U. L., Protonotarii Apostolici, domini temporalis de Mol, Bilcu, Desschel etc. exhibita nobis acta quadam, a DD. consulibus et senatoribus hujus civitatis, in quantum in ipsis erat die XXVIII Septembris anno MDCLVII laudata et approbata, quæ æditui ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi in hac civitate cum assistentia et consensu nobilis domini Henrici van Halmale equitis etc., ejusdem ecclesiæ æditui primarii, ob singularem dicti D. Roelans erga S. Rochum devotionem (cujus sacellum in dicta ecclesia novo altari aliisque piis operibus ornare et amplificare decreverat) in quantum etiam in ipsis fuit, ipsum et succes- E sores ejus sibi delegerint et cognoverint superintendentem et patronum sacelli S. Rochi præfati, cum privilegiis eidem actæ insertis: cumque pro parte ejus nobis esset humiliter supplicatum (attento, quod jam juxta antedictum pium propositum, sacellum præfatum insigni altari marmoreo in eo exstructo, sacris ejusdem S. Rochi reliquiis, aliisque splendidis et pretiosis ornamentis, sumptibus suis ditasset, et condecorasset) quatenus dictam sui et successorum suorum in patronum dicti sacelli S. Rochi electionem et cognitionem authoritate nostra Ordinaria approbare et confirmare dignaremur;

ecclesiastica deinde auctoritate confirmatur:

19 Nos de piis operibus præfatis, utpote notoriis, plene instructi et informati, hujusmodi supplicationi favorabiliter inclinati, dictam actam scabinalem cum privilegiis et conditionibus eidem insertis, approbandam duximus, prout illam authoritate nostra Ordinaria approbamus et confirmamus, ac præfatum D. Alexandrum Roelans, ejusque successores, sacelli S. Rochi, ejusque confraternitatis in ecclesia collegiata S. Jacobi in hac civitate, superintendentem et patronum electum, de novo nominamus et confirmamus, requirentes omnes et singulos, ad quos id spectat, ut eum, eosque pro F tali recipiant, habeant, et cognoscant; quo magis, tam conspicuo ejus munificentiæ et pietatis exemplo prælucente, dictæ confraternitatis sodales, cæterique Christi fideles ad majorem erga S. Rochum devotionem et cultum excitentur et inflammentur, jure nostro et cujuslibet in omnibus salvo. In cujus rei fidem hasce manu propria signatas sigillo nostro majori, et secretarii signatura communiri jussimus. Antverpiæ, die XIX Maii MDCLXXIII. Fr. Ambrosius episcopus Antverpiensis. De mandato reverendissimi Domini Episcopi præfati P. de Bisthoven secret.

cui succedit alius anno 1728.

20 *Anno denique hujus seculi* 1728, *die* X *Maii reverendus admodum, prænobilis ac consultissimus Dominus PhilippusJacobus de Cano, utriusque juris licentiatus, nec non canonicus et cantor Capituli insignis ecclesiæ S. Jacobi prædictæ, cum sit filius dominæ Catharinæ Carenna, quæ fuit filia Dominæ Isabellæ Roelans, sororis laudati Domini Alexandri Roelans, atque adeo unus e successoribus, eumdem dominum Alexandrum repræsentantibus, declaratur superintendens, ac patronus sæpe nominati sacelli et confraternitatis; prout pluribus asseritur in notariali*

AUCTORE J. P.

A *li instrumento, hac super re tunc confecto, e quo hæc extraxi; et nunc talis esse pergit idem Dominus, anno videlicet Christi* 1736, *quo ista scribo. His ita expositis, illud etiam superesse videtur, ut de præterita ac moderna solennitate, qua* S. Rochus *et colebatur olim, et qua hodiedum ibidem colitur, lectorem instruam.*

Testimonio Capituli S. Jacobi

21 *Percommode accidit, ut, dum supra laudatus reverendus admodum ac consullissimus dominus Joannes Engelgrave me conveniret, et ageremus inter nos de rebus ad* S. Rochi *venerationem spectantibus, gratiose mihi addixerit, curaturum se, ut publicum instrumentum Capituli S. Jacobi super his conficeretur: quod etiam postea officiosissime ad me detulit. Præcipue vero illud conducit ad notitiam festivitatis prædictæ, atque his terminis conscriptum est:* Nos decanus et Capitulum Insignis ecclesiæ collegiatæ et parochialis S. Jacobi Antverpiæ, ad requisitionem RR. PP. Hagiographorum e Societate Jesu, notum facimus, et declaramus, quod, ut meritis et patrocinio divi Rochi confessoris contagiosa lues averteretur ab urbe, Illustrissimus ac Reverendissimus B Dominus episcopus Ambrosius Capello in præfata ecclesia collegiata in sacello, Sancto illi dedicato, ejusdem Confraternitatem instituit XII Augusti anno MDCLVIII cum adjunctis quibusdam regulis, quarum prima est, ut unus e canonicis prædicti Capituli directionem hujus Confraternitatis semper habiturus sit: quæ erectio et regularum ordinatio mense subsequenti a S. Domino Alexandro piæ memoriæ Papa VII approbata fuere, et confirmata. Festum igitur istud solemniter cum Octava colitur singulis annis die XVI mensis Augusti. In initio autem institutionis præfatæ per rev. Patrem e dicta Societate (vespertinis laudibus ad honorem dicti Sancti concentu musico solemniter celebratis) concio haberi solebat: verum tractu temporis (mediocri confluente populo) concionem non nisi prima die haberi, ordinatum fuit; quod usque in hodiedum ita observatur.

cultus præsens ac præteritus declaratur.

22 Post quæ Officia subsequitur prima vespera honorabilis per magnum parochiæ circulum processio, quam ingens tædiferorum numerus spectabilem reddit ob incredibilem populi concursum. C Hac in processione defertur Deiparæ Virginis imago pretiosissime adornata, quam sequuntur divi Rochi reliquiæ, in argentea capsa majori tumbæ deargentatæ superimpositæ: utrumque præcedit hujus Sancti imago lignea artificiose exsculpta: Sanctum autem Sanctorum in venerabili Sacramento dein per R. Dominum Canonicum Directorem (concomitante toto Clero et Capitulo) defertur, qui et per totam Octavam Sacrum solemne, et Litanias vesperi cum dicto Venerabili persolvit, finiendo ultimam Octavæ diem cum processione per ambitum ecclesiæ, quam Capitulum cum suo Clero denuo comitatur cum lumine. Commemoratio in honorem S. Rochi singulis olim celebrabatur trimestribus: verum frigescente charitate, et consequenter eleemosynarum defectu, interrupta fuit et cessavit, eo usque, ut solummodo in annuo principali festo hæc devotio exerceatur, nisi singulariter quandoque, necessitate urgente, ut anno MDCCXX peste apud Massilienses grassante, devotio erga prædictum Sanctum exhibeatur. In quorum omnium fidem ac robur præsentes has per R. D. Canonicum Actuarium expediri, et solito Capituli sigillo communiri jussimus hac XI Augusti MDCCXXXVI. De mandato Venerabilium Dominorum meorum decani et Capituli præfatorum J. Engelgrave, E Presbyter Can. et Actuarius Capituli S. Jacobi.

De hierotheca, ac de sodalibus Confraternitati ab initio adscriptis.

23 *His addi possunt sequentia, quæ prænobilis ac consultissimus Dominus Canonicus ac confraternitatis director hodiernus scripto mecum communicavit, nimirum* S. Rochi *reliquiarum hierothecam argenteam signari a tergo armis gentilitiis D. Roelans, et hac subscriptione:* Sum Alexandri Roelans equitis, D. de Moll, Balen, Deschel etc., sodalitatis S. Rochi patroni perpetui MDCLVIII. *Item* Dominos confratres ab erectione confraternitatis semper nobilioris notæ hujus urbis viros *fuisse*: cui Comes de la Tour et Tassis primus propria manu adscripsit; ipsius et quam plurimorum insignibus in libro confraternitatis depictis: inter quæ etiam illa Illustrissimorum ac reverendissimorum hujus civitatis quondam antistitum Ambrosii Capello, et Ferdinandi van Beughem emicant. De Præfato Comite de la Tour fertur, quod propter pestem tunc temporis grassantem huc fugerit, ut se patrocinio prædicti Sancti, in hac insigni ecclesia a ducentis et ultra annis celebris, commendaret. F *Hic finis sit.*

DIES DECIMA SEPTIMA AUGUSTI

SANCTI QUI XVI KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Mammes, S. Diseus — MM. Alexandriæ.
S. Straton, S. Philippus, S. Eutychianus et socii — MM. Nicomediæ.
S. Myron presb. Mart. Cyzici in Mysia minore.
S. Mamas M. Cæsareæ in Cappadocia.
S. Paulus, S. Juliana, S. Stratonicus, S. Quadratus, S. Acacius — MM. Ptolemaïde.
S. Liberatus

A S. Liberatus abbas
S. Bonifacius Diac.
S. Servus
S. Rusticus.
S. Rogatus
S. Septimus
S. Maximus puer
} MM. Carthagine in Africa.

S. Anastasius ep. conf. Interamnæ in Italia.
S. Amor abbas Amorbacensis in Franconia.

S. Jeron presb. M. in Hollandia. D
S. Elias junior monachus in Calabria.
S. Benedicta
S. Cæcilia
S. Relindis
} Sustereni in agro Juliacensi.

S. Joannes ep. conf. Montis Marani in Principatu ulteriore regni Neapolitani.
B. Nicolaus eremita in Sicilia,

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

B Sancti Antonii, capitis monachorum et eremitarum *meminit Calendarium nostrum Syriacum seu Chaldaïcum. Vide* xvii Januarii.

Sanctorum martyrum Thyrsi, Leucu et Coronati, ac Sociorum memoria *exhibetur in Menæis magnis impressis. In Martyrologio Romano, et apud nos die* xxviii *Januarii pro* Coronato *ponitur* Callinicus : *quæ nomina iterum signantur in dictis Menæis ad diem* xiv *Decembris. Vide itaque quæ jam pridem dicta sunt ad diem* xxviii Januarii.

S. Agathæ *translationem hoc die signat Ferrarius. Tu vide* v Februarii.

Translatio divi Davidis archiepiscopi in Wallia. *Est additio Ms. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Vide quæ de eo Sancto dicta sunt* i Mart.

De Octava S. Laurentii *locuti sumus in Observationibus ad Usuardum. Vide quæ ibi dicta sunt et* x Augusti.

S. Hyacinthum *conf. invenerunt hoc die Majores nostri in officio Tridentino. Nota est ejus festivitas die præcedenti* xvi Augusti.

S. Serena uxor Diocletiani *in Viola Sanctorum* C *huc etiam dilata est. Vide quæ de ea dicta sint* xvi Augusti.

Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, hac die ex Kalendariis et monumentis ecclesiæ Collensis in Etruria memoriam S. Alberti presbyteri *annuntiat. Ughellus occasione episcoporum Collensium in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 3 *col.* 204 *novam illam ecclesiam cathedralem describens, etiam de hoc venerabili viro sic meminit* : Præter plures sacras reliquias, *inquit*, D. Alberti ipsius archipresbyteri corpus religiosissime asservat, qui anno mccii meritis decorus in cœlum evolavit xvii Augusti. Sacrum ipsius corpus anno mdcxxii iuventum, solemnique pompa a Cosmo Gherardesco secundo episcopo, honorificentiore loco collocatum est. Hic B. Albertus in Clativensi oppido Aretini episcopatus anno mcxxxix natus, ob eximias virtutes, quarum splendorem vibrabat, istius collegialis ecclesiæ, quæ ad id tempus Sedis Apostolicæ tantum obnoxia erat, creatus archipresbyter, populis virtutum egregium exemplum explicuit, ac post mortem multis miraculis effulsit, cujus Vitam Sylvanus Razzius ex antiquo auctore deprompsit, et in lucem emisit. *Consuluimus hanc Vitam, quæ inter Sanctos Tusciæ edita est, et quam Razzius ex longiore Latina Italice contraxit. In ea quidem Razzius refert varias hujus piissimi* E *Viri virtutes, et quædam miracula post obitum ipsius patrata; sed non satis clare legitimum ejus cultum demonstrat. Si tamen Etrusci de immemorabili ac perseverante hujus Popularis sui veneratione nos certiores reddere, et nobis Latina ejusdem Acta, aliaque ad ipsum spectantia, mittere non graventur, in universali Operis nostri supplemento, aut alibi locum habere poterit.*

Joannes et socii martyres *prope Goam.*
Bonizus confessor *Bononiæ*
Didacus, Blasius, Joannes } confess. *Safræ*
Maria Pimentes virgo *in territorio. Abulen.*
Paula virgo *Gebennæ in Gallia*
} *Beati vocantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima in Gynæceo.*

Inter venerabiles reponuntur ab Huebero in Menol.
Jacobus Gaudinus *Bergomi.* F
Franciscus de S. Maria
Bartholomæus Laurvelius
Antonius a S. Francisco
} *MM. in Japonia*
Thomas a S. Francisco *Pennerandæ.*
Angelus a Calatagirone *Ennæ in Sicilia* :
Anna Palatina *Treviris.*
Elisabetha Enschia *ibidem.*
Marina de Villa sera *in Hispania.*

S. Justinæ virg. et mart. *translatio indicatur hoc die a Ferrario. Vellem, nos una docuisset, quænam illa Justina sit, quid egerit, quo die passa sit aut colatur.*

Eudo *conversus in Hemmerode Ordinis Cisterciensis, inter Sanctos laudatur hoc die ab Henriquez et Chalemoto. Utrum vere ut* beatus *ibidem colatur; ex ipsis nequaquam colligo.*

Donatum *monachum Petinensem, Ord. Montis Virginis, refert, hac die Ferrarius in utroque suo Catalogo, in priori monens, a Wione quidem asseri, quod Sanctis adscriptus sit, sibi vero id* incertum esse quod modum illum monachi Montis Virginis Officio ecclesiastico colant. *Si cultus subinde Romæ indultus fuerit, cupimus moneri, ut alio loco eum referamus.*

In Bethulia beatæ Judith viduæ : *est annuntiatio solius*

A solius Greveni, ex quo in Germanicum Canisii transiit, satis apposite quidem; verum non solemus, ejus unius auctoritate hujusmodi Sanctos Operi nostro inserere.

Non minus ignotus est Regiualdus *Vicentinus episcopus, quem ultimo loco refert, vage citans scriptores qui de eo meminerint; melius eos retulisset, qui de immemoriali ejus cultu nos certiores redderent.*

Alveum *abbatem Carnotensem pro hoc die inter Acta Sanctorum sui Ordinis seculo* v *pag.* 279 *refert Mabillonius, et solo* Venerabilis *titulo ipsum ornat.*

Beatis annumerat Bucelinus hoc die CXVI monachos *S. Mauri discipulos, qui in monasterio Glanofoliensi pestifera lue absumpti sunt.*

Michaël *monachus in monasterio Cluniacensi* sanctus *pronuntiatur ab eodem Bucelino : vellem, id aliunde confirmaretur.*

Sic Fradiuus *abbas Novalitiensis eodem titulo donatur.*

Item Benedicta *virgo sanctimonialis.*

In Anglia Edelhunus *monachus.*

B *In Italia* Rorandus *monachus.*

In Gallia Andovera *regina et martyr.*

Jacobus S. Paulini archiep. Eboracensis diaconus *hoc die inter Angliæ Sanctos aut saltem* Beatos *refertur a Mathevio in Trophæis suis Benedictinis, ubi ex Beda potissimum laudes ejus colligit, satis candide indicans, cultus ei umquam exhibiti ea argumenta suppetere, ut* Sanctum *appellare audeat; at mihi ea non occurrunt, quæ ipsum inter* Beatos *collocent : quasi vero apud Anglos Sanctorum discipuli, socii aut diaconi magistrorum suorum titulis decorandi sint, ut non semel alibi observatum est, et porro iterum die sequenti dicendum recurret in Salustio aliquo discipulo sancti Disibodi.*

Solennitas sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ in Armatii *(tractu Constantinopoli; de quo Cangius CP. Christianæ lib.* 2 *pag.* 168, *et lib.* 4 *pag.* 165) *notatur in Menæis magnis typo excusis.*

Guda *comitissa, ut fundatrix monasterii alicujus Ordinis Præmonstratensis, cum titulo* Beatæ *in ipsius Ordinis Natalibus refertur hoc die a*

C *Chrysostomo vander Sterre. Mirum est, ea neglexisse, quæ de tenuibus saltem sacri cultus vestigiis nos certiores redderent.*

Vincentius Ferrerius, *non jam celeberrimus ille sanctus apostolus, sed synonymus, ejusdem patriæ et familiæ, inter venerabiles hoc die laudatur a Marchesio in Diario Dominicano.*

Item duæ virgines Japonenses Magdalena *et* Mariua *inter martyres referuntur in Anno sancto Dominicano.*

Thomam a S. Victore *refert Castellanus in suis ad Martyrologium Rom. additionibus; sed solum ut venerabilem laudat. De hoc plura vide inter Prætermissos ad diem* XX *hujus mensis.*

Thomas de Hereford archidiac. Northumbriæ *hoc die inter Sanctos refertur a Wilsono in suo Martyrologio Anglicano, citante Matth. Westmonasteriensem, utpote qui ausus fuit scribere ad annum* 1253 : Obiit Thomas de........ fine sancto et beato..... Hunc sanctum archidiaconum Thomam, similiter et episcopum Cicestriæ Richardum, licet non Romæ canonizentur, S. Edmundi contubernio credimus indubitanter sociari. *Credat ipse, credant et alii, per me licet : verum alia opus est auctoritate, ut in hoc Opere locum obtineat.*

D Beatissimi P. N. Alympii iconici, id est, custodis iconum *meminit Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum cum hoc elogio :* Sanctæ habitationis Kiovo-crypticæ monachus fuit sub Nicone hegumeno : multum in virtutibus laboravit, et leprosum sanavit ungens ulcera facici ejus colore, quo imagines pingebat : mortuus et sepultus est in cryptis S. Antonii. *Hæc ibi. At de legitimo ejus cultu cupimus aliunde fieri certiores, antequam alium in Opere nostro ipsi locum demus.*

Inter sacra nostra cimelia exstat imago grandis sculpta in folio, ornataque variis sanctitatis indiciis, referens Angelum de Augustinis *Ordinis Carmelitarum, cujus obitus hoc die signatur, ut mortui anno* 1348, *cum tamen in Annalibus Lezanæ et in Paradiso Carmelitico Alegrii expressissime signetur annus* 1438. *Plura quærere supersedeo. Sed quidquid sit de illo errore ; velim aliunde probata solide ea videre, quæ de ipso tum in imagine, tum apud laudatos scriptores, quantumvis paucis prædicantur; ut proinde paulo solidioribus veri cul-* E *tus et venerationis in Ecclesia argumentis opus sit, priusquam isti Angelo in hoc opere locus detur.*

Carolomannum *ex rege, seu mavis duce Francorum celeberrimum monachum Casinensem laudant Molanus, Miræus et ceteri Martyrologi Belgæ, verum omni* Beati *aut* Sancti *titulo abstinentes, quem liberalius ei adscribunt monastici passim omnes, et quidem Mabillonius* Carolomannum sanctum *rotunde pronuntiat seculo suo tertio Sanctorum Ordinis parte* 2 *a pag.* 123 *elogium ei texens, ad cujus calcem epitaphium Cafarelli abbatis tempore, anno* 1628, *compositum annectit, quo disertissime* sanctus Carolomannus *appellatur. Cupio equidem Virum inclytum, tot præclaris virtutibus ornatissimum, iisdem prorsus encomiis in hoc Opere prædicare, si modo probetur, aut Viennæ in Delphinatu, ubi mortuus, aut in monte Casino, ubi depositus est, aut alibi, veris Sanctorum honoribus umquam donatum fuisse, vel simplici in Officiis ecclesiasticis Commemoratione: ut omnino cogar hactenus censere solam* Venerabilis *appellationem recte a Castellano ei hoc* F *die tributam.*

Venerabilis D. Isabella de Castro, *uxor nobilissimi D. Joannis Soares da Alarcam, obiit anno* 1647, *die* 17 *Augusti. Habemus ejus Vitam manuscriptam Lusitanice, in qua eximiis virtutibus et cœlestibus apparitionibus claruisse dicitur. Verum hæc omnia tantum utilia esse possunt, ut Processus ad beatificationem illius instituatur.*

Ferrarius hodie in Catalogo generali B. Raynaldum *archiepiscopum Ravennatem, ni fallor, annuntiat his verbis :* Vicentiæ B. Reginaldi confessoris, ejusdem urbis episcopi. *Forsan ipsum* Vicentiæ *collocat, quia olim rexit ecclesiam Vicentinam, ex qua ad archiepiscopatum Ravennatem evectus est, ut dicetur die, quo obiit,* XVIII Augusti.

S. Julius Senator Romæ *signatur hoc die in Usuardo Bruxellensi; sed pridem monuimus de ipso agendum cum Romano* XIX Augusti.

De S. Euphemia *non una, neque uno die in hoc Opere agendum fuit, inter quas expresse etiam notata est illa, de qua hoc die loquuntur codices Hieronymiani, et ex iis Grevenus. Ne vero inutili*

A *utili opera repetere cogar, quæ videri possunt ad* XIII *Aprilis et etiam alibi, hoc solum moneo, nos de* Euphemia Chalcedonensi *ex aliis Martyrologiis cum Romano acturos* XVI Septembris.

S. Tryphoniæ *translatio signata est in Florario* D *Sanctorum Ms. De ipsa agetur* XVIII Octobris.
S. Livini inventio *memoratur in Florario Sanctorum Ms. Acta illustrabuntur* XII Novemb.

DE SS. MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

MAMMETE DISCO SEU DISEO

ET FORTE DISCA AC MAMMITA CUM SOCIIS SUIS

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XVI Aug.

De textuum hesterni et hodierni in Hieronymianis confusione jam pridie cum Florentinio egimus, dum Orionem *et* Æmilium *qui etiam hoc die signantur ibi cum* Agnato *aliquo retulimus, ut proinde hic excludendi sint, satis* B *istis enumeratis, qui in titulo præfiguntur.* S. Mammetis *seu* Mammantis, *celebris in Cæsarea Cappadociæ martyris, Acta hoc die illustrantur, præter quem et alii synonymi aut ferme synonymi occurrunt in codicibus Hieronymianis et hoc die et jam pridem prægressis classibus* VI *Maii, ac* XVI *et* XVII *Julii, quorum occasione multa observasse Florentinium, jam non semel repetiimus. Quis porro sit Mammes qui in dictis Hieronymianis cum* Disco *vel* Diseo, Disca Mammita et sociis *Alexandriæ tribuitur incertum est, neque satis distinguo, utrum hic alius* Orion *nominetur diversus ab hesterno, vel etiam ab alio synonymo martyre item Alexandrino, quo de actum est* X *Februarii. Sitne vero pro* Disco *scribendum* Di- E seo, *et addenda* Disca *cum* Mammita, *non habeo unde definiam; unum hoc cavendum putavi, ne quis Martyr ex Hieronymianis innominatus præteriretur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

STRATONE, PHILIPPO

ET EUTYCHIANO CUM SOCIIS

NICOMEDIÆ

SYLLOGE

J. P.

Cultus, socii, elogium, Acta.

C

F

XVII Aug. *Notantur in Fastis Græcis*

Fasti sacri Græci ac Latini annuam horum Martyrum memoriam hac die colunt. Ms. nostrum Græcum Taurinense illos ita annuntiat : Ἄθλησις τῶν ἀγ. μμ. Στράτωνος, Φιλίππου καὶ Εὐτυχιανοῦ. *Id est :* Certamen sanctorum martyrum Stratonis, Philippi et Eutichiani. *Menæum Chiffletii :* Στρατονίκου, Φιλίππου καὶ Εὐτυχιανοῦ. Stratonici, Philippi et Eutychiani. *Menæa magna typis vulgata* Stratoni, Philippo et Eutychiano *addunt* Cyprianum ; *qui ponitur hoc item die in Ms. nostro apographo Chiffletiano, quod citabam, sed separatim a tribus aliis,* Κυπριανὸς πυρὶ, Cyprianus igne. *Eadem magna Menæa breviter eorum martyrium referunt, ac singula singulis sequentia accinunt carmina, atque hæc quidem de* S. Stratone :

Ἔθεντό με βδέλυγμα, φησιν ὁ Σράτων,
Ἄνδρες βδελυκτοὶ, καὶ πυρὶ κτείνουσί με.
Ponunt me abominationem, ait Straton,
Abominandi ac igne me occidunt viri.

ac versiculis 2 *Mox subjiciuntur ista de* S. Philippo :

Φιλῶν Θεὸν, Φίλιππε, καὶ ψυχῆς πλέον,
Κατακριθεὶς πῦρ οὐ φιλόψυχος γίνῃ.
Amaus Deum, Philippe, supra animam tuam,
Adjudicatus ignibus vitam haud amas.

De S. Eutychiano *habentur sequentia :*

Εὐτυχιανὸς εἰς κάμινον ἡμένην
Ὡς ἵππος εἰς πεδίον ἦν, τὸ τοῦ λόγου.
Eutychiane, lubens dum structos pergis ad ignes,
Curris adiustar equi in campum, ut proverbia dicunt.

Denique S. Cypriano *aptantur ista* :

Πῦρ Κυπριανὸς καρτερήσας καμίνου
Ἐξώτερον πῦρ, ὃ Γραφὴ λέγει, φεύγει.
Dum Cyprianus tolerat accensum rogum,
Incendia fugit, de quibus textus sacer.

Qualescumque hi versus, exigui utpote vel nullius teporis poëtici salem continentes, modica honorantur *tamen alicubi indigent explicatione, ut melius saltem intelligantur.* Εἰς πεδίον τὸν ἵππον, *proverbium est (de quo inter Adagia apud Manutium) id est,* In planitiem equum : quoties quis ad id provocatur, in quo plurimum valet, quoque vel maxime gaudet. Equus in campo, tamquam in sua est arena. Apud Lucianum in Captivo, cum ipse judices postularet, Plato respondet, Τοῦτο ἐκεῖνο εἰς πεδίον τὸν ἵππον, *id est,* Hoc ipsum, quod dici solet, equum in planitiem, videlicet hominem

A nem rhetoricum significans, et in agendis causis exercitatum. *Hæc apud Manutium, quæ, quo sensu applicentur nostro Sancto, abunde liquet. Illud vero* ἐξώτερον πῦρ, *quod in metro verti* incendia, *proprie significat* exteriorem ignem, *quem sacræ Litteræ reprobis minantur. Sic illæ dicunt* tenebras exteriores. *Græci itaque, ut ad priora revertamur, annua nostrorum Pugilum memoria publicam eorum venerationem contestatam esse voluere. Quid Latini?*

Alibi annuntiantur 15 hujus; in Mart. Rom. hoc die. Elogium e Galesinio.

4 *Rabanus et Notkerus signant eos die* XV *hujus mensis cum sociis, quos non nominant, uti nec* Cyprianum. *Idem fit tunc inter Auctaria ad Usuardum a nobis editum, ex editione ejusdem Martyrologi Lubeco-Coloniensi ac Molano. Gregorius autem tantum meminit* Sanctorum Stratonis, Philippi et sociorum eorum Martyrum: *prout ibidem datur videre. Galesinius contra quatuor Martyres nominatim refert hac die* XVII *absque sociis, cum elogio sequente:* Nicomediæ, sanctorum martyrum Stratonis, Philippi, Eutichiani et Cypriani. Ii in theatrum ingressi, ut populum ab spectaculis, idolorumque sacris, ad Christianæ fidei cultum perducerent, divina ope perfecerunt, ut magnam inde multitudinem avocarent. Præses autem, cum ab spectatoribus theatrum vacuum cerneret, causam quæsivit, cur id factum esset; comperitque Fidelium opera plebem inde ad Christi doctrinæ studium esse avocatam. Itaque illos ad se produci jubet, qui, institutis de religione quæstionibus, se et Christi fidem colore, et alios ad eam erudire, constanter libereque responderunt. In theatrum igitur producti, bestiisque truculentis objectati, earum feritate non læduntur: post varie excruciati tormentis, demum in ignem conjiciuntur: sicque pro Christo in stadio luctati, demum victores coronam acceperunt. *Ecclesia Romana hodiernos Martyres publico condecorans cultu, hæc de iis, omisso tamen* Cypriano, *quotannis in suo Martyrologio legenda præscribit eodem die* XVII *Augusti:* Nicomediæ, sanctorum martyrum Stratonis, Philippi, et Eutychiani, qui damnati ad bestias, et nihil læsi, per ignem martyrium consummarunt.

Eorum socii, numerus

5 *Perspicuum est e præmissis, sanctos Athletas nec eodem numero nec die in Fastis Græcis ac Latinis annuntiari; super qua diversitate proponimus hæc observanda. Florentinius postquam eos ex apographis. Hieronymianis die* XV *Augusti posuisset hisce vocibus,* In Nicomedia natalis sanctorum Strationis, Philippi, Euticiani cum sociis (eorum, *quod addendum textui monet in correctionibus Martyrologio suo præmissis*) *ita de iis disserit in suis ad istam annuntiationem notis:* Tres sanctos hos Nicomedienses Martyres in sacris Fastis producunt etiam Beda (*suppositium Plantinianum intelligo*) Rabanus et Notkerus, qui supra, M. vetustissimum anonymos etiam socios addunt cum libris nostris, quos silet M. Corbeiense, et inverso tantum ab illis ordine ita loquitur: " VIII (*imo* XVIII) Kal. Sept. In " Nicomedia natalis SS. Stratonis, Philippi, et " Euticiani. Et Assumptio S. Mariæ Matris Do" mini nostri. " Alterum etiam Ms. Reginæ Sueciæ socios ita præterit XVIII Kal. " Nicomediæ na" talis SS. Strationis, Philippi, Eutychiani. " Alterum omnino consonat, addens etiam Thyrsum in Perside, qui ad diem sequentem pertinet. " Nicomediæ natal. SS. Stratonis, Philip" pi, Eutychiani cum sociis eorum. Et in Per" side passio S. Tyrsi. " De tribus Nicomediensibus Martyribus agit Rom. M. ad diem XVII Augusti, qua die Baronius de iisdem Græcos in Menologio agere testatur. At nisi alio Menologio usus sit magnus Cardinalis, quam Sirleti aut Canisii, non nisi ad diem XIX de Eutychiano milite et Strategio per ignem coronatis in eo agitur.

AUCTORE J. P.

ac dies cultus:

6 *Castellanus in suo Martyrologio universali, inter adjectos ad diem* XV *Augusti ponit* Stratonem ac socios ejus. *Die vero* XVII *ad textum Martyrologii Romani indicat in notula marginali, sanctos Martyres in eodem nominatos pertinere ad diem* XV. *Sed nos haud satis videmus, cur eo pertinere debeant. Nam tametsi tunc referantur in variis, sicut dictum est, Latinis exemplaribus; in Græcis tamen memorantur hac die* XVII, *quæ num.* I *supra allegavimus, et quæ, uti suspicamur, saltem omnia Castellanus non viderit. At quidquid sit, non censemus, eos rectius hac die signari in Martyrologio Romano cum Græcis (cum a Græcis illorum cultus transierit ad Latinos) quam die* XV *cum Fastis Latinis, quos antea designavimus. Quod attinet ad ipsorum numerum; de tribus satis convenit apud Græcos et Latinos, qui eos nominant. An vero ipsis sit adjungendus* S. Cyprianus, *non adeo constat ex dictis, sicuti nec de eorum societate a Græcis quidem non indicata, sed a Latinis posita, quorum exemplum secuti reliquimus ipsos in sua antiqua possessione, tribusque Martyribus superius in titulo huic Syllogæ prævio nominatos adjunximus. Reliquum est, ut nonnulla notemus de Martyrum Actis.*

Martyrium seu Acta assignantur,

7 *Lambecius lib.* 8 *Commentariorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi ea indicat:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ. Μαρτύριον τοῦ ἁγίου Στράτωνος, Φιλίππου καὶ Εὐτυχιανοῦ. Οὗτοι οἱ Ἅγιοι ἐν Νικομηδίᾳ ὑπῆρχον, καὶ τοῦ λαοῦ ἐπὶ τὰ θεώρια ἀπιόντος, etc. *Quæ Latine sic sonant:* Eadem die (Nempe d. XVIII Augusti, *ut notatur ad marginem textus hujus Græci*) Martyrium SS. Stratonis, Philippi et Eutychiani. Sancti hi erant Nicomediæ, et populo ad spectacula abeunte *etc. Martyrium illud quæsivi inter alia plurima ad Augustum spectantia, et ex eodem codice, e quo superiora extraxit Lambecius, pro nobis descripta, et de quo jam toties mentionem fecimus per decursum hujus mensis, et porro faciemus. Nec prætermissa diligentia, an alibi illud apud nos reperire possemus (nomina enim illorum Martyrum invenimus in nostro Ms. indice Vitarum Græcarum) at frustra. Cum itaque documentum illud non sit in promptu, dabimus ejus loco quæ de Sanctis nostris memorant Menæa magna typis edita. Illa igitur sic Latine interpretamur, verbatim fere convenientia cum iis, quæ supra dedimus e Galesinio. Post annuntiationem itaque ac versus, de quibus egimus, sequuntur ista:*

et eorum loco recensetur compendium ex Menæis.

8 Dum hi *sancti Martyres* versarentur Nicomediæ, et de industria theatrum ascenderent, ut populum in eodem comparentem instruerent, et ab idololatria abducerent atque ad Christi fidem perducerent; præses quodam tempore theatrum conspicatus hominibus vacuum, causamque edoctus, quod turbæ a sanctis Martyribus docerentur ac spectaculorum voluptatibus nuntium remitterent, novamque vitam quamdam agerent, morum paternorum contemptores; sanctos sine mora sibi sisti præcepit. Qui ubi comparent, habere se Christi fidem confitentur, aliosque a se eam doceri non inficiantur; in theatrum producti traduntur feris: a quibus non læsi, ac variis suppliciorum modis probati, tandem injecti in ignem, pro Christo in stadio luctati, coronam obtinuere.

9 *Nullus*

AUCTORE J. P. *Quando fuerint passi, non satis est certum.*

9 *Nullus in hac nostra Sylloge, nullus in notationibus Baronii ad nostros Martyres, relucet character vi cujus satis apte dignosci ac satis commode statui possit, quo determinate anno suum pro Christo certamen consummarint. Castellanus tamen anno* 303 *illos innectit : quo autem nixus fuerit fundamento, ipse viderit. Nos interim ingenue fatemur, nihil nobis in hac re satis esse explorati.* D

DE S. MYRONE PRESB. ET MART.

CYZICI IN MYSIA MINORE,

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Annua Sancti veneratio, Acta, tempus ac palæstra martyrii.

Sub Decio. *Annua Sancti memoria apud Latinos :*

Martyrologium Romanum hoc die sic habet : In Achaia sancti Myronis presbyteri et martyris, qui sub Decio imperatore et Antipatre præside, post multa tormenta Cyzici capite truncatus est. B *Galesinius hac annuntiatione paullo longiore eum refert :* In Achaia sancti Myronis presbyteri et martyris, qui, Decio imperatore, Antipatri præsidis mandato, gravibus pro Christi gloria suppliciis affectus, denique capitis damnatus, cervices constanti libentique animo præbuit. *Brevissime autem Molanus* : Sancti martyris Myronis. *At sanctissimi hujus Athletæ memoria est celebrior apud Græcos, uti conficitur e Fastis eorum sacris. Neque enim dumtaxat notatur ejus nomen in Typico, quod vocatur S. Sabbæ, Kalendario Ruthenorum apud Possevinum, Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, et alibi; sed debito etiam elogio honoratur in Menæis magnis excusis, Menologio Sirleti, ac Basilii imperatoris. Hujus autem, quod ultimo loco nominabam, textus ad calcem tomi* I *Augusti nostri Græce productus, Latine sic sonat :*

apud Græcos item cum elogio :

2 Hic, Decio imperatore ac Antipatre præside, ecclesiæ Achaiæ presbyter exstitit. Dum autem per diem Christi natalem Antipater ad ecclesiam se contulisset, ut Christianos comprehenderet ; C ipse sacro fervore plenus ei insultavit. Idcirco suspensus raditur : deinde in fornacem injectus est : fornax vero Sanctum quidem illæsum servavit, eorum autem, qui prope illam aderant, combussit viros centum et quinquaginta. Dum itaque Sanctus iterum cogeretur idolis sacrificare, nec adigi eo posset, ab humeris usque ad pedes pellis ejus dissecatur in lora : e quibus unum accipiens lorum, in faciem proconsulis illud detorsit. Deinde circum excoriatas carnes raditur : atque Antipater eum conspicatus, nec non pudore repletus, propriis sese manibus e medio sustulit. Martyri vero inde in Cyzicum ducto, accepta a proconsule sententia ut gladium subiret, collum amputatum est. *Ceterum Sancti hujus characteres, quos et modo retulimus, ac infra pluribus referemus, nimis sunt diversi a* S. Myrone *Thaumaturgo, episcopo et conf., cujus Acta illustravimus die* VIII *hujus mensis, quam ut alter cum altero confundi possit; quod tamen videtur facere Ferrarius in Nova Topographia ad Martyrologium Romanum fol.* 45 *verso, ubi ponitur* XVII *Augusti* Myro presbyter M. sub Decio Thaumaturgus cognom.

tempus martyrii,

3 *Verum quid de tempore martyrii? Dictum modo est, illud accidisse sub Decio imperatore, ac dicetur paullo post in Actis, quæ daturi sumus. Cum autem imperator ille non diu sederit, ab anno videlicet æræ vulgaris* 249 *usque ad* 251, *sicut videre datur apud Pagium pluribus in Critica Baronii ; non potest hic moveri magna controversia de tempore, quod tam arctis spatiis includitur :* E *ultra quorum limites imperite evagatur Menologium Slavo-Russicum modo allegatum in cujus exemplari nostro Latino dicitur* S. Myron *anno* 282 *passus. Nec secundum præmissa verum martyrii tempus presse assignat Castellanus in suo Martyrologio universali, quando illud statuit versus annum* 253. *Nunc paucis monitum velimus lectorem de Actis Sancti, priusquam ea proferamus.*

Acta,

4 *Inter apographa nostra e codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi descripta, de quibus jam toties et recurrit ac porro recurret mentio, habentur ista :* Μηνὶ Αὐγούστῳ ιζ' μαρτύριον ἐν συντόμῳ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μύρωνος. *Id est :* Mense Augusto XVII, martyrii compendium sancti martyris Myronis. *Exordium est :* Ὁ ἅγιος μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Μύρων ἦν ἐπὶ τοῦ βασιλέως καὶ Ἀντιπάτρου ἄρχοντος τῆς Ἀχαΐας πρεσβύτερος τῆς ἐκκλησίας. *Hoc est* S. Martyr Christi Myron, imperatore Decio et Antipatre præside, ecclesiæ Achaiæ presbyter erat. *Compendium illud alicubi nobis erit usui in Annotatis ad Acta, quæ Latine reddita statim proferemus. Præferunt hunc titulum :* Μαρτύριον τοῦ μ. Μύρωνος τοῦ ἐν Κυζίκῳ. Martyrium Myronis martyris Cyzici. F *Ad marginem apponuntur voces non tamen omnes integræ, quas ego sic restituo integras, et sic lego :* Μηνὶ τῷ αὐτῷ κα. Eodem mense (*Augusto, die*) XXI. *Dicto Martyrio noster Papebrochius præmittit hos characteres :* Ex cod. Ambros. f. N. n. 152. Vide Maximi *Acta. Sanctum istum habes die* XIII *hujus mensis : quæ vero in Commentario ad illa prævio notata sunt num.* 80, *manifeste indicant, quod Acta S. Maximi, de quibus ibidem egimus, et hoc, quo de jam agimus, Martyrium, sint fœtus ejusdem auctoris, et ex eodem codice accepta. De tempore ac nomine auctoris, nec non de monasterio ejus, mentio ibidem facta est. Eo itaque, ne actum agamus, lectorem mittimus. Nos interim, secundum ea, quæ ibi dicta sunt, ante Martyrium* S. Myronis *notavimus auctorem ac monasterium, in quo auctor habitavit. Præter illa documenta, quæ de eodem Sancto indicavi, videtur non abs re etiam agendum de loco palæstræ ejus.*

palæstra

5 *Ferrarius in Nova topographia ad Martyrologium Romanum fol.* 45 *verso illam his verbis describit :* Cyzicus (Chizico et Spiga) civitas episcopalis antiquissima Mysiæ minoris ad Hellespontum

AUCTORE J. P.

A spontum et Propontidem, inter ostia Rhyndaci et Esapi (*imo Æsepi*) fluminum, instar insulæ continenti ponte conjuncta, olim, clara, marmoreque candido nobilis, a monte Ida ad XLIV M. P. distans, media inter Apameam, urbem Bythiniæ, et Lampsacum, ejusdem oræ. *Quibus addi possent plura ex Cettario Notitiæ orbis antiqui tom. 2, lib. 3 cap. 3, pag. 22. Hanc itaque ad urbem missus fuit* S. Myron, *ut suum certamen, quod exantlarat antea in Achaia martyrio coronaret, secundum ea, quæ superius notata sunt.*

certaminis.

16 *De Achaia autem superest quædam difficultas ex eo, quod locus plus unus isto nomine appellctur, neque satis perspicuum sit, quisnam hic intelligendus sit. Apud geographos itaque notatur Achaia late sumpta, et Achaia propria seu stricte sumpta : quarum hæc sit* provincia Peloponnesi ad Boream, quæ terminatur ad septemtrionem sinu Corinthiaco, ad Occidentem mari Jonio, ad meridiem Elide et Arcadia, ab Oriente autem Sicyonia etc. Achaia autem late sumpta quæ Græcia propria, et Hellas Straboni et Plinio, regio præclara Europæ nunc Livadia dicta, teste Castaldo.. Ejus termini sunt ad arctos Thessalia, ad occasum Epirus, ad ortum mare Ægæum etc. *uti notat Baudrandus, cujus verba citavi. Apud Ferrarium modo memoratum fol.* 1 *verso unica tantum signatur* Achaia (Livadia) Helladis seu Græciæ regio, *cujus situm et extensionem ibidem tradit. Quænam vero Achaia sit, in qua* S. Myron *pro Christo certasse dicitur, non est mihi promptum definire.*

MARTYRIUM

B

Auctore Laurentio monacho Rutiensi in Calabria,

E

e codice Ambrosiano f. N. n. 152. *Interprete J P.*

Τῆς ἐπιφανείας τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς κατὰ σάρκα γεγεννημένης ἐκ τοῦ πανάγνου Παρθένου καὶ Θεομήτορος, ἥντινα καὶ Χριστοῦ γέννησιν ὀνομάζομεν, θεοφιλῶς ἐν τῇ καθολικῇ τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησίᾳ τελουμένης καὶ πάνυ λαμπρῶς, ὁ ἐναγὴς καὶ βέβηλος Ἀντίπατρος, τῆς Ἀχαΐας τότε τὴν ἀρχὴν ἐγκεχειρισμένος, Δεκίου τοῦ δυσσεβοῦς βασιλεύοντος, θὴρ ὥσπερ ἀτίθασσος σὺν πλήθει στρατιωτῶν εἰσιὼν τὸν ναὸν τὴν τοῦ Χριστοῦ ποίμνην διασκορπίζει, καὶ πολλοὺς συλλαμβάνεται τῶν πιστῶν. Μύρων οὖν ὁ θαυμάσιος, ἱερεὺς ὢν τηνικαῦτα τῆσδε τῆς ἐκκλησίας, τῷ γένει λαμπρὸς, τοῖς τρόποις χρηστὸς, τὸν βίον σεμνὸς, πάντα φόβον ἔξω βαλὼν τῇ πρὸς Χριστὸν ἀγάπῃ, πρόσεισι τῷ ἀνθυπάτῳ γενναίᾳ ψυχῇ, καὶ στηλιτεύει τούτου τὴν ἀπόνοιαν, καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀνήμερον, παὶ κῦνα τοῦτον ἀποκαλεῖ καὶ πολέμιον καὶ θῆρα.

2 Εἶτα καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἐπιστραφεὶς, Ἄνδρες, λέγει, φιλόχριστοι, στῆτε γενναίως ὑπὲρ τῆς ἀμωμήτου πίστεως · μηδεὶς ὑμῶν πρὸς τὰς ἀπειλὰς τοῦ C τυράννου, μηδεὶς πρὸς τὰς ὑποσχέσεις ὅλως ὑποχαυνούσθω; παρίσταται γὰρ ἡμῖν Θεὸς βοηθῶν, καὶ γέρα προτεινόμενος ἀείμονα καὶ ἀθάναθα. Τούτοις αὐτοῦ τοῖς λόγοις τὸ πλῆθος ὑποστηρίξαντος, ὁ δεινὸς ἐκεῖνος Ἀντίπατρος θυμοῦ γεμισθεὶς συσχεθῆναι καὶ τοῦτον κελεύει πάλαι φίλον αὐτοῦ τυγχάνοντα καὶ συνήθη, καὶ ἅμα πλησίον τοῦ ναοῦ τοῦ Διονύσου κατὰ τὸν φόρον λεγόμενον γενόμενος, παρίστησι τοῦτον τῷ βήματι; καὶ τὴν τοσαύτην παῤῥησίαν αἰτιασάμενος, Θῦσον, λέγει, Μύρων, τοῖς ἀθανάτοις θεοῖς, ἵνα μὴ κακῶς ὡς εἷς ἀπολῇ τῶν κακούργων.

3 Θύσω, εἶπεν ὁ Μύρων, ἀλλὰ τῷ Θεῷ μου θυσίαν αἰνέσεως · δαίμοσι γὰρ καὶ κωφοῖς ξοάνοις ἀνθρώπων χερσὶ κατασκευασθεῖσιν οὔ ποτε Μύρων θυσίαν προσοίσει. Αὐτίκα τοίνυν ἀναρτᾶται τῷ ξύλῳ καὶ ξέεται τὰς σάρκας πικρῶς, ὥστε τὴν ὑποκειμένην γῆν ἐμβαφῆναι τοῦ αἵματος τούτου. Μηδένα οὖν οἶκτον αὐτοῦ λαβὼν ὁ κατάρατος, κάμινον ἀναφθῆναι κελεύει, πίσσῃ τε καὶ ἐλαίῳ καὶ κληματίδι ταύτην ἐκτραφῆναι φρικτῶς · καὶ τοῦ ξύλου τοῦτον καταγαγὼν, Ταύτῃ σε, Μύρων, εἶπεν, ἐμβαλὼν κατακαύσω, εἰ μήγε τοῖς θεοῖς ἀπονέμοις τὸ σέβας. Οὐ θύσω τούτοις, ὁ Μάρτυς ἔφη, παράνομε, Χριστιανὸς ὢν ἐκ πρώτης τριχὸς, καὶ Χριστοῦ δοῦλος καὶ μύστης.

4 Τότε κελεύει τῷ πυρὶ τοῦτον ἀκοντισθῆναι. Ἀπ-

Martyr Antipatrem præsidem increpans a

In Apparitione *a* magni Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ secundum carnem e purissima Virgine ac Matre Dei facta est (quam etiam appellamus Christi natalem, et quæ in Catholica Christianorum Ecclesia pie et splendide omnino peragitur) detestandus ac impurus Antipater, qui Achaiæ *b* tunc præerat, imperante impio Decio, sicut intractabilis fera cum militum multitudine templum ingressus, Christi gregem dispergit, multosque Fidelium comprehendit. Mirabilis itaque Myron, qui tunc temporis erat sacerdos istius ecclesiæ, genere illustris, moribus benignus, vita venerandus, omnem ex amore erga Christum foras mittens timorem, generoso animo proconsulem adit, in ejusque amentiam ac immite ingenium invehitur, canem illum vocans, hostemque ac feram.

b

et Christianos adhortans, ab eo comprehenditur,

2 Deinde ad cœtum conversus, Viri, inquit, Christi amantes state generose pro fide intaminata. Nemo vestrum ad minas tyranni, ad promissa nemo vel leviter molliatur : Deus enim nobis adest adjutor, ac præmia proponit, quæ semper manent F et immortalia sunt, Postquam his dictis cœtum confirmasset, horribilis ille Antipater ira plenus jubet etiam illum comprehendi, olim sibi amicum ac familiarem, simulque prope templum Bacchi in foro, quod dicitur, existens, adstare eum jubet ad suum tribunal, atque hanc loqueudi libertatem accusans, Sacrifica, ait, Myron, immortalibus deis, ut tamquam unus e maleficis male non pereas.

et ad tormenta

3 Sacrificabo, inquit Myron, sed Deo meo hostiam laudis : dæmonibus enim ac surdis simulacris, quæ manibus hominum sunt confecta, Myrou numquam sacrificium offeret. Statim itaque suspenditur in ligno, et raditur carnes adeo acerbe, ut subjecta terra sanguine ejus perfunderetur. Execrandus vero ille nulla erga eum misericordia tactus, fornacem accendi jubet, piceque et oleo ac sarmentis eam horrifice instrui : et ubi e ligno deduxisset illum, In hanc, ait, Myron, te injectum comburam, si deis non tribuas venerationem. Hisce non sacrificabo, inquit Martyr, o scelerate, qui Christianus sum a prima ætate, et Christi servus ac sacerdos.

4 Tunc eum jubet projici iu ignem : quo dum se

A. [illegible] *atque ignem damnatur, in quo triumphat.*

se conferret, oravit, dicens : Domine, respice ad orationem servorum tuorum, et libera nos propter nomen tuum, ne dicat inimicus : Euge, euge viderunt oculi mei. Hæc fatus, sine mora igni est traditus. Et videre tunc dabatur rem mirabilem, Sanctum nempe in roscida veluti herba ambulare in fornace, et canere triumphalem hymnum; eos vero, qui prope eam aderant, comburi, adeo ut multi ex illis vitam abrumperent *c*. Quod ipse proconsul videns, miraculo perculsus et timore plenus recessit, Sanctum efferri inde jubens ac carceri tradi. Postera ergo die eum statim ad tribunal arcessit, et vocat iterum, ut sacrificet : sed quia illum inducere eo non poterat, excoriari eum præcepit. Nec mora, carnificum manus illum tenuere, ac scalpellis (vah !) immisericorditer pellem ejus concidunt, lora ab humeris ipsius usque ad pedes avellentes. Ille autem (o animum masculum ac generosam prudentiam !) Exspectans, canebat, exspectavi Dominum, et intendit mihi, et exaudivit preces meas.

ac tyranno generosissime insultat.

5 Ita canens, non modo quidquam minus generosi præ se tulit sed etiam lorum unum carnium suarum abstrahens ad præfectum projecit, dicens : B Accipe illud, canis carnivore, et comede, qui humanas appetis carnes. His accenditur ira maleficus, earuesque quæ sub Martyris unguibus remanserant, abscindi jubet. Illis itaque humi delapsis, ossa quidem ac corporis compactio per excarnificationem sunt nudata : viscera vero ac intestinorum compositio apparebant; et erat spectaculum prorsus miserabile oculis etiam mansuetudine carentibus. Ipsa quoque natura inanimata indoluit rei gestæ. Sed Martyr, Qui regnas, inquit, in secula, exaudi : qui ab omni angelica potestate glorificaris, Christe universorum rex, ades mihi famulo tuo, et fac me tuorum bonorum participem. Venit ergo vox de cælo, dicens : Paratus est tibi, Myron, locus pacis ac lætitiæ : jam enim cursum consummasti, fidem servasti.

Leæna non modo ei non nocet, sed blanditur, ac vinculis ipsum liberat.

6 Hanc ubi vocem etiam audisset malorum machinator, incantationem vocat quod acciderat, dicitque : Diis sacrifica, malum caput. Vide ergo, quid agas : at bestiis subjicieris, et nihil prorsus tibi proderunt tales præstigiæ. Cui Martyr : Non sacrifico : Christianus enim sum. Hæc fatum accipit carcer, parantur feræ, ac postero die Martyr iterum ducitur ad stadium : quem dum videret tyrannus corpore sanum, vultuque hilari ac venusto C decorum, iterum dicit : Multæ sunt, Myron, incantationes tuæ : ut igitur feris pabulum non fias, Baccho sacrifica, atque illas mitte. Postquam itaque Martyr verbis ejus, ipsis etiam feris crudelioris, non flecteretur, leæna *d* in ipsum immittitur. Illa autem cursu ad eum perveniens circumlambebat et quodammodo osculabatur. Deinde vero vincula ipsius, quod mirabile, dentibus dissecuit.

Cyzicum missus plectitur capite.

7 Tunc populi multitudo potentiam Christi intelligens exclamavit : Magnus est Deus, quem Myron prædicat. Dimitte, proconsul, insontem, quod vel ipsæ fecerunt feræ eum reveritæ. Ille itaque metuens ne quid contra se tentaretur novi, Sanctum mittit ad Cyzici *e* præsidem, ut gladio sub eo interficiatur. Quem dum ille accepisset una cum actis *f*, quoniam eum non habebat obsequentem, tulit adversus eum sententiam. Dicitur Antipater a dæmone infestatus violentam sibi mortem intulisse. Tibi igitur, victor egregie ac sacer martyr Myron, honoratissimum ac venerandum caput amputatur, et sepeliris splendide a Dei amantibus, ad gloriam Patris et Filii et Spiritus sancti, consubstantialis, vivificantis et individuæ Trinitatis : quam decet honor et adoratio nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

αγόμενος οὖν προσηύχετο, Κύριε, λέγων, ἔπιδε ἐπὶ D τὴν προσευχὴν τῶν δούλων σου, καὶ λύτρωσαι ἡμᾶς ἕνεκα τοῦ ὀνόματός σου, μὴ εἴποι ὁ ἐχθρός · Εὖγε, εὖγ' εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου. Ταῦτα ἔφη, καὶ ἅμα τῷ πυρὶ παρεδόθη · καὶ ἦν ἰδεῖν τὸ παράδοξον τότε, τὸν μὲν ὡς ἐν δροσώδει πόᾳ ἐμπεριπατοῦντα τῇ καμίνῳ, καὶ ᾄδοντα τὸν ἐπινίκιον ὕμνον · τοὺς δὲ περὶ ταύτην φλογιζομένους, ὡς καὶ πολλοὺς αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἀποῤῥῆξαι. Ὅπερ θεασάμενος καὶ αὐτὸς ὁ ἀνθύπατος, ἐξεπλάγει τῷ θαύματι, καὶ δέους πλησθεὶς ἀνεχώρησε κελεύσας ἐξενεχθῆναι τὸν Ἅγιον, καὶ τῇ φυλακῇ δοθῆναι. Τῇ ἑξῆς οὖν παρίστησι τοῦτον αὖθις τῷ βήματι, καὶ πάλιν πρὸς θυσίαν καλεῖ · καὶ ἐπεὶ μὴ πειθόμενον εἶχεν, ἀποδαρῆναι τὸν δέρμα προσέταξε · καὶ ἅμα δημίων χεῖρες εἶχον αὐτόν, καὶ μαχαιρίσι φεῦ ἀνιλεῶς τὸ ἐκείνου δέρμα κατέτεμνον, λώρους ἀπὸ τῶν ὤμων αὐτοῦ καὶ μεχρὶ ποδῶν ἀποσπῶντες. Ὁ δὲ (ὢ ψυχῆς ἀνδρείας καὶ γενναίου φρονήματος) ὑπομένων ὑπέμεινα τὸν Κύριον, ἔψαλλε, καὶ προσέσχε μοι, καὶ εἰσήκουσε τῆς δεήσεώς μου.

5 Οὕτω ψάλλων οὐ μόνον οὐδὲν ὑπέμεινεν ἀγεννές, ἀλλὰ καὶ λῶρον ἕνα τῶν οἰκείων σαρκῶν ἀποσπάσας ἐπιῤῥίπτει τῷ ἡγεμόνι, Δέξαι τοῦτο, εἰπών, αἱμοβόρε κύων, καὶ φάγε ἀνθρωπείων σαρκῶν ὀρεγόμενος. Ἐκκαίεται τούτοις τὸν θυμὸν κακοῦργος, καὶ τὰς ὑπο- E λειφθείσας σάρκας τῷ Μάρτυρι τοῖς ὄνυξιν ἐγκελεύεται τέμνεσθαι. Πιπτουσῶν οὖν αὐτῶν ἐν τῇ γῇ, τῷ ξέεσθαι ὀστᾶ μὲν καὶ ἁρμονίαι διεγυμνοῦντο, σπλάγχνα δὲ καὶ τῶν κρυφίων ἡ σύνθεσις διεφαίνετο, καὶ ἦν ὅλως θέαμα οἰκτρὸν καὶ ὀφθαλμοῖς ἀνημέροις. Ἤλγησεν ἂν ἰδοῦσα καὶ φύσις ἄψυχος τὸ γινόμενον. Ἀλλ' ὁ Μάρτυς, Ὁ βασιλεύων εἰς τοὺς αἰῶνας, ἔλεγεν, εἰσεπάκουσον, ὁ δοξαζόμενος ὑπὸ πάσης ἀγγελικῆς δυνάμεως, Χριστὲ βασιλεῦ τοῦ παντός, πρόστηθί μου τοῦ δούλου σου, καὶ τῶν σῶν ἀγαθῶν ἐν μετοχῇ με γενέσθαι ποίησον. Ἦλθεν οὖν οὐρανόθεν φωνή · Ἡτοίμασταί σοι, Μύρων, τόπος εἰρήνης καὶ εὐφροσύνης, λέγουσα, ἤδη γὰρ τὸν δρόμον τετέλεκας, τὴν πίστιν τετήρηκας.

6 Ταύτης τῆς φωνῆς καὶ ὁ κακομήχανος ὑπακούσας, γοητείαν ἐκάλει τὸ πρᾶγμα, καὶ Θῦσον τοῖς θεοῖς, ὦ κακὴ κεφαλή, λέγων · εἰδ' οὖν, ἀλλὰ θηρίοις ὑποβληθήσῃ, καὶ οὐδέν σοι παράπαν αἱ τοιαῦται τερατείαι προσωφελήσουσιν. Οὐ θύω, φησὶν ὁ Μάρτυς · Χριστιανὸς γάρ εἰμι. Ταῦτα εἰπόντα δέχεται τοῦτον ἡ φυλακή, τὰ θηρία ἑτοιμάζονται, καὶ τῇ ἑξῆς ἄγεται πάλιν ὁ Μάρτυς ἐπὶ τὸ στάδιον · ὃν ἰδὼν ὁ τύραννος ὑγιῆ μὲν τῷ σώματι, φαιδρῷ δὲ τῷ προσώπῳ, καὶ κάλλει διαπρεπῆ, Πολλαί σου, λέγει πάλιν, Μύρων, F αἱ γοητεῖαι · ἵν' οὖν μὴ τοῖς θηρίοις γένῃ βορή, θῦσον Διονύσῳ καὶ ἀπαλλάγηθι τούτων. Μὴ πειθομένου τοίνυν τοῦ Μάρτυρος τοῖς λόγοις τοῦ καὶ θηρίων αὐτῶν ὠμοτέρου, λέαινα κατ' αὐτοῦ ἐπαφίεται. Ἧδε δρόμῳ τοῦτον καταλαβοῦσα περιέλειχέ τε, καὶ ὡς ἂν εἰ κατεσπάζετο. Εἶτα δὲ καὶ τὰ δεσμὰ τούτου, τὸν παράδοξον, τοῖς ὀδοῦσι διέκοψε.

7 Τότε πλῆθος συνιέντες τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ, Μέγας ὁ Θεός, ἐβόησαν, ὃν ὁ Μύρων κηρύττει · ἀπόλυσον, ἀνθύπατε, τὸν ἀναίτιόν, ὃν καὶ θῆρες ποιοῦντες ᾐδέσθησαν. Φοβηθεὶς οὖν ἐκεῖνος μή τι νεωτερισθείη κατ' αὐτοῦ, πέμπει τὸν Ἅγιον ἐν Κυζίκῳ πρὸς τὸν τὴν ἀρχὴν ταύτης διέποντα, ὡς ἂν ὑπ' αὐτοῦ τῷ ξίφει τελειωθῇ. Ὃν ἐκεῖνος δεξάμενος μετὰ τῶν ὑπομνημάτων, ἐπεὶ μὴ πειθόμενον εἶχε, δίδωσι κατ' αὐτοῦ τὴν ἀπόφασιν. Φασὶ δὲ τὸν Ἀντίπατρον ἑαυτὸν ὑπὸ δαίμονος ὀχλούμενον ἀνελεῖν. Τέμνῃ τοιγαροῦν, καλλίνικε ἱερομάρτυς Μύρων, τὴν πάντιμον καὶ σεπτὴν κεφαλήν, καὶ θάπτῃ φιλοτίμως ὑπὸ τῶν φιλοθέων, εἰς δόξαν τοῦ Πατρός, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τῆς ὁμοουσίου καὶ ζωαρχικῆς καὶ ἀδιαιρέτου Τριάδος · ᾗ πρέπει ἡ τιμὴ καὶ ἡ προσκύνησις νῦν καὶ ἀεί, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

A. Laurentio.

A

ANNOTATA.

a *In Hierolexico Macrorum ad nomen* Epiphania *observantur ista :* Ab Orientalibus utraque festa *adorationis videlicet Magorum et Natalis Christi,* Epiphania appellata erat. Hinc D. Gregorius Nazian. quamdam ejus orationem de Christi nativitate denominavit, quæ in codicibus antiquis reperitur, de Epiphaniis, sive de Natali Domini. Itaque difficultas hæc ad quæstionem de puro nomine reducitur : nam recte Nativitas Domini Epiphania dicitur, id est manifestatio pastoribus, qui in illa regione erant vigilantes ; secunda vero festivitas quæ lumen ad revelationem Magorum et gentium fuit, De luminibus et De secundis Epiphaniis festum ab antiquis appellata fuit, quod Gregor. Nazian. Festum luminum *appellat.*

b *Duplicem designavimus Achaiam in Commentario prævio, neutra hic determinatur.*

c *Ms. Cæsareum Vindobonense hæc narrat :* Ἡ δὲ φλὸξ ἐκχυθεῖσα τῆς καμίνου ἀνεῖλεν ὡσεὶ ἄνδρας ἑκατὸν πεντήκοντα. Τότε ὁρᾷ ὁ Ἀντίπατρος ἄνδρας ἑστῶτας ἐν τῇ καμίνῳ συν τῷ Μάρτυρι, ὧν τὰ πρόσωπα ἦν φαιδρότερα τοῦ ἡλίου. Ἐξελθὼν οὖν ἐκ τῆς καμίνου *etc.* Flamma autem effusa e fornace sustulit quasi viros centum et quinquaginta. Tunc videt Antipater viros stantes in fornace una cum Martyre, quorum vultus sole splendidiores erant. Egressus itaque e fornace *etc.*

d *Ms. nostrum Cæsareum Vindobonense refert sequentia :* Καὶ ἦλθεν αὐτῷ φωνὴ οὐρανόθεν ἐνισχύουσα αὐτόν. Μετὰ τοῦτο βληθέντος αὐτου εἰς τὸ θέατρον, ἀπελύθησαν αὐτῷ θηρία ἄρκτος καὶ λέαινα, καὶ ἡ μὲν ἄρκτος ἵστατο σιωπῶσα μὴ ἁπτομένη αὐτοῦ· ἡ δὲ λέαινα στραφεῖσα πρὸς τὸ πλῆθος ἐξηγριοῦτο ὠρυομένη τὴν ἄνοιαν αὐτῶν στηλιτεύουσα. Πάροδον δὲ δόντος αὐτῇ τοῦ πλήθους, ὑποστρέψασα εἰσῆλθεν εἰς τὸν γαλεάγραν αὐτῆς, ἣν οὐκ ἴσχυσαν ἔτι αὐτὸν ἐκεῖθεν ἐκβαλεῖν. Ὁ δὲ Ἀντίπατρος κελεύσει τοῦ βασιλέως ἀποστέλλει τὸν ἅγιον Μάρτυρα εἰς Κύζικον. E

B Et venit de cælo ad eum vox confortans eum, Deinde dum in theatrum projectus esset, demissæ sunt contra eum feræ, ursa ac leæna; et ursa quidem tacebat non tangens illum : leæna vero ad populum conversa efferabatur ac rugiebat, dementiæ eorum notam infamiæ inurens. Populo autem transitum dante reversa, introivit in carcerem suum, e quo illam non potuerunt etiam emittere. Antipater autem jussu imperatoris dimittit sanctum Martyrem Cyzicum.

e Cyzici *situs descriptus est in Commentario prævio.*

f *In Græco est* μετὰ τῶν ὑπομνημάτων, *quasi dicat martyriographus noster, sicut ego quidem illius sensum interpretor,* cum commentariis seu scriptis ad memoriæ subsidium confectis, *e quibus certior redderetur Cyzici præses de rebus Sancti apud Antipatrem in Achaia gestis.*

DE SANCTO MAMANTE VEL MAMMETE

MARTYRE

CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Illustrissimi Martyris gesta prorsus obscura et incerta.

C

Sub Aureliano. Celeberrimi hujus Martyris gesta

Quæ duo in sanctis Martyribus non raro obtinent, ut nimirum cultu sint celeberrimi, rebus autem gestis obscuri, ea etiam ambo locum habent in S. Mamante : *cujus si nominis celebritatem spectes, eo certe titulo apud Græcos longe est illustrissimus ; sin vero gesta ipsius indagaveris, vix aliquis inter magni nominis Sanctos, apud eosdem obscurior reperitur. Utrumque ex dicendis per decursum hujus nostri Commentarii fiet exploratum. Multa sane sunt, quæ fama circumfert de nostro Martyre. Acta sub nomine Metaphrastis edita apud Surium hac die scribunt ista :* Erat autem clarus et pietate et genere. Nam erat ei quidem pater Theodotus ; mater vero Ruffina... genere.. insignes, ut qui orti essent ex patriciis. et qui non solum in filiis, sed etiam in omnibus, qui erant sui generis, conservarent nobilitatem. *Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum die 2 Septembris, quo Sanctus noster colitur apud Græcos, sicut alio loco infra dicemus, tribuit ei titulum* Romani senatoris. *Alia item Acta parentes ipsius nobilitate illustres faciunt. Sed refragantur duo sancti Patres, Gregorius videlicet Nazianzenus, et Basilius, qui genere ipsum humili, rustico utique seu pastoritio ortum memorant. Audiatur itaque S. Gregorius Nazianzenus oratione 43, quæ inscribitur* In novam dominicam, *sub finem :* Quo e numero unus quoque est meus ille laureatus (meus enim, etsi non apud me, facessat invidia, scientibus loquor) Mamas ille insignis et pastor et martyr, qui prius quidem cervas mulgebat, ad sanctum Virum novo et inusitato lacte alendum certatim properantes. Nunc autem metropolis plebem pascit, hodieque multis hominum millibus undecumque accurrentibus ver innovat, tum ob virtutis pulchritudines varium et pastoribus dignum, tum ob sermones triumphales. *Pascebat nempe Cæsaream in Cappadocia tum temporis, ubi erat ejus corpus, ac nutriebat populi pietatem cœlestibus favoribus, quos in eum effundebat. Pastor itaque vere fuit in vita, post mortem vero in sensu allegorico. Nicetas, S. Gregorii commentator, de quo postea pluribus, productum textum exponit tomo 2 Operum istius sancti Patris, quæ Lutetiæ Parisiorum anno* 1611 *impressus est, col.* 1223 *et* 1224.

F

2 *Eadem fere habet, tametsi verbis discrepet,* summa in obscuritate *S. Basilius tom. 2 homilia 23 editionis novissimæ anno 1722 Lutetiæ Parisiorum excusæ, pag.* 185, quæ

AUCTORE J. P.

quæ est, In sanctum martyrem Mamantem *quem prædicat in hanc sententiam*: Martyr ille splendorem non aliunde mutuatus est; sed ipse per vitæ rationem bonæ famæ faculam accendit. A Mamante reliqui, non ab aliis Mamas nobilitatur.. Admiremur Virum non alieno ornatu cohonestatum, sed illustratum suo.. Martyris memoria et omnis regio commota est, et civitas tota transtulit se ad celebritatem. Vides, quemadmodum virtus honoretur, non divitiæ.. Quare si quis pastoris meminit, divitias ne admiretur. Convenimus enim, non ut divitem laudemus, cave abieris admirans divitem; sed potius paupertatem cum pietate conjunctam. Pastor nil magnum, neque exquisitum vitæ genus præ se fert. *Hæc itaque duo isti sancti Patres; quibus magis credendum, quam Actis, exiguam commendationis laudem promeritis, prout postea dicetur. Duorum interim istorum testimoniorum juvabit etiam sedulo meminisse pro rebus sequentibus, quas hic subjungimus.*

delitescunt,

3 *Nec minus obscura sunt alia, quæ in Sancti* B *Actis circumferuntur de ejus parentibus.* Hi *enim, sicut legitur apud Surium*, accusantur apud Alexandrum, qui tunc erat legatus civitatis Gangræ... Alexander ergo divinum Theodotum.. cogebat sacrificare simulacris: sed ille ne aurem quidem præbebat iis, quæ dicebantur. Legatus autem cum esset paratus eum punire, prohibebatur a dignitate parentum. Non enim ei permittebatur contumelia afficere filios patriciorum, nisi imperator permitteret. Eum itaque mittit in Cappadociæ Cæsaream ad Faustum præsidem. Ille autem.. cum accepisset Theodotum, eum statim conjicit in carcerem. Ejus vero conjunx, etsi esset gravida, maritum tamen est secuta, *et* cum *eo* una quoque *illuc* est ingressa. *Qui deinde ambo in eodem carcere dicuntur mortui. Hinc, si Actis esset habenda fides, conficeretur eos pro confessione fidei vitam dedisse, atque adeo martyres exstitisse. Inscripti quidem sunt Martyrologio Romano ad diem* XXXI *Augusti, sed absque titulo martyrum his verbis*: Cæsareæ in Cappadocia sanctorum Theodoti, Rufinæ, et Ammiæ: quorum duo primi sancti Mamantis martyris parentes fuerunt, quem Rufina in carcere peperit, et Ammia educavit. *Fundamentum cultus assignatur in notatio-* C *nibus*: Agunt de iisdem Græci, quorum Acta juncta simul cum illis sancti Mamantis recitat Metaphrastes: extant apud Surium tom. 4, die XVII Augusti. *Apud Græcos die 2 Septembris in Menæis magnis excusis parentes ejus referuntur pro fide in Christum comprehensi, custodiæ traditi; nataque ibidem proles dicitur, quæ post eorum obitum a muliere Christiana, nomine Ammia, sit suscepta et educata, indito eidem nomine* Mamantis, *quod istam Ammiam assidue* mamam *compellaret.*

ac rebus apocryphis

4 *Menologium Slavo-Russicum, quod supra citabam, adjungit prodigium, nescio unde acceptum*: A tempore nativitatis suæ mutus fuit annis quinque: postea locutus, Romano ore dixit mama: unde quoque Mamantus dictus. *Acta Suriana hoc dumtaxat referunt*: Jam secundum annum Infans attingebat, et lingua tenera Ammiam vocat mamam. Hoc autem lingua Romanorum significat matrem. Itaque prima Infantis balbuties proprium nomen ei tribuit, et Mamas vocabatur ab omnibus, et de cætero agnoscebatur. *Miraculum, quo Sanctus enuntiasse fertur suum nomen, amplificatur in Bibliotheca Floriacensi, quam edidit Joannes a Bosco, ubi xysto dextro, uti appellat, exstat* Anonymi veteris sacerdotis D liber... de Translationibus reliquiarum S. Mamantis in Gallias: *in ejusdem quippe libri præfatione cap.* I *pag.* 227 *hæc narrantur*: Cum faceret eum *(Amia)* deferri ad ecclesiam, ut baptismi susciperet sacramentum; multis adstantibus, sacerdos, qui eum regenerare venerat, quæsivit in publico: Quo nomine censebitur Puer iste? Respondit Puer, qui necdum usum linguæ noverat, Mamas est nomen meum. Cunctis autem stupentibus, et sacerdote iterum hoc idem iterrogante, secundo et tertio aperta voce dixit Puer: Mamas est nomen meum.

5 *Hæc, quæ modo e variis collegimus documentis, maxime conducerent ad honorem* S. Mamantis, *si tam essent vera, quam speciosa, ne dicamus, merito suspecta* 1°. *Quia S. Basilius ac S. Gregorius Nazianzenus de rebus adeo Martyri illustribus, et eloquentiæ suæ adeo accommodatis, ne vel verbo quidem meminerunt: quæ si alicunde accepissent, an est verosimile, silentio illa prætergressuros fuisse?* 2°. *Acta apud Mombritium, Boscum citatum pag.* 240, *nec non ea, quæ sunt apud nos manuscripta, longe diverso* E *modo narrare incipiunt historiam vitæ ac martyrii* S. Mamantis, *et satis convenienter ad mentem SS. Gregorii Nazianzeni ac Basilii. Audiature pluribus exemplaribus unicum Mombritianum tom.* 2 *fol.* 69: Erat in Cæsaria Cappadociæ Puer annorum duodecim nomine Mammes. Hujus parentes justi colentes Deum, docuerunt ab initio filium suum Domini legem. Post quorum mortem valde custodiens vitam suam beatissimus Puer ambulabat in præceptis et justitiis Domini Jesu Christi sine querela: amabatur ab hominibus, a quibus videbatur, propter verecundiam suam. Hic cum in ea civitate imperatoris Aureliani videret impleri præcepta, et templis victimas fieri, ferre non potuit: derelictis enim bonis suis cum pecoribus tantum secessit in montem, cujus silva erat densissima: et vivebat illic orationibus et lectionibus vacans, pascebaturque tantum lacte gregis sui. *Vides nihil hic eorum vel verbulo unico attingi, quæ superius aliunde produximus. Sed quod spectat ad parentes* S. Mamantis, *tractari poterit illud argumentum die* XXXI *hujus mensis, quo habentur in Martyrologio Romano, uti et de Mammia, quæ fertur Sanctum* F *nostrum adoptasse in filium.*

inserta sunt.

Incerta sunt etiam alia, quæ de mirabili ejus jejunio,

6 *Iterum valde obscura sunt atque exiguam merentur fidem, quæ de* S. Mamantis *jejunio per dies omnino quadraginta extracto scribuntur in Actis Surianis*: Angelus.. jubet.. Martyrem venire in montem, qui est Cæsareæ, et illic degere. Cum fuisset ergo in monte, et totos quadraginta dies mansisset jejunus, fit hic alius Moses. Ei in manus novum traditur Testamentum, quod non tunc quidem primum esse cœperat, sed jam fuerat datum Patribus. Et quod tunc deerat Mosi, hoc nunc adimpletur in Martyre. Nam Moses quidem solummodo e cælo accepit tabulas; ad hunc autem et vox et virga ab alto descendit. Cum autem virgam accepisset, et, ut vox significabat, ea terram dissecuisset, quomodo prius mare Moses, accipit Evangelium editum e terræ visceribus. *Hæc ibi quidem commemorantur; sed Acta quæ sunt in editione Mombritii, et quæ habemus Mss., rem istam aliter narrant. Audiatur iterum exemplar Mombritianum*: Cum hæc ejus esset vita, audita est vox dicentis sibi: Mammes, descende ad campum. Et statim descendit in campum: et invenit illic virgam positam et Euangelium.

A angelium. Quod cum legisset, dixit: Domine, cui me jubes annuntiare Evangelium tuum? Et vox ad illum: Ædifica tibi domum in monte, et ostendam tibi, quibus annunties *etc. Multa referuntur alia cum in impressis tum in manuscriptis Actis* S. Mamantis *vel* Mammetis, *quæ, ut verbo dicam, copiosam repræsentant rerum mirabilium, vellem ut possem dicere, credibilium congeriem, post SS. Basilii et Gregorii Nazianzeni tam altum de hujusmodi factis, qui eum laudavere, silentium; sed ea percurrere atque expendere, non est hujus loci; erit autem postea, quando de Actorum exemplaribus disseremus, et nostram de eisdem sententiam proferemus, nonnulla interea temporis singularia de nostro Martyre puncta discussuri.*

ætate, 7 *Quam vitæ ætatem attigerit sanctus Pugil noster, id est, an puer, an natu grandior vel senex obierit, non est perspicuum: in eo enim haud consentiunt testimonia. Martyrium a Mombritio vulgatum, uti alia etiam exemplaria eidem conformia, coram præside illum comparuisse, dum esset puerulus, significant. Apud Mombritium* B *quippe præses ita ipsum alloquens inducitur:* O Puerule vane, contristor propter ætatem tuam, videns pulchritudinem et infantiam tuam: propter hoc doleo super te. *In Anonymi sacerdotis libro de translationibus reliquiarum* S. Mamantis *in Gallias, de quo superius, refertur Martyris apparitio Gnaloni* facta; ubi inter alia narrantur ista cap.* 6 *de Gualone:* Lectum ascendit.. et subito cecidit in eum horror quidam, et factus est quasi in ecstasi semivigilans, et vidit ante se juvenem pulcherrimum in veste splendida, tenentem in manibus caput, quod habebat. *At SS. Basilius ac Gregorius Nazianzenus, ut paullo ante vidimus,* virum *appellant; Passio autem, quæ apud Surium legitur,* puerum *et* adolescentem; *Martyrologium contra Romanum vult senem fuisse,* qui *utpote* a pueritia ad senectutem usque longum martyrium duxit, *prout asserit hodierna ibidem Sancti annuntiatio. Ex his unicum hoc deduco consequens, longe nimirum mihi videri probabilius propter auctoritatem SS. Gregorii et Basilii, quod Athleta noster pervenerit ad ætatem virilem: si enim in puerili confecisse martyrium suum isti SS. Patres eum didicissent vel ex scri-* C *ptis vel ex fama publica, sine dubio id non tacuissent, nacti videlicet convenientem eloquentiæ suæ materiem, ut heroicam in patiendo martyrio constantiam ex immatura ac tantilla ætate Pugilis patientis, dimicantis ac triumphantis, magna cum emphasi apud suos auditores meritis laudibus celebrarent.*

* al. vocatur Gualo

genere martyrii, 8 *At quo martyrii genere cursum consummavit? Si Acta audiamus, quæ exstant in Surio, postquam gravissime esset vulneratus adacto in viscera ferreo tridente, supremum confecit vitæ diem. Apud Mombritium vero prorsus alia memorantur:* Collectis lapidibus lapidaverunt beatissimum Martyrem... et nec sic quoque læserunt eum. *Et nonnullis interjectis additur:* His dictis beatissimus Martyr deposuit spiritum. *Actis Surianis in consummatione martyrii adstipulantur Menologium Basilii imperatoris apud Ughellum tomo* 6 *Italiæ sacræ col.* 1057, *Menologium Sirleti ac Menæa magna impressa ad diem* 2 *Septembris. Duo Patres superius allegati, quibus adde Martyrologium Romanum, martyrio Sanctum fuisse perfunctum indicant; at de martyrii genere nihil dicunt. In apparitione, quæ Gualoni exhibita fuisse narratur, testatur ipsemet Martyr, se capite truncatum, dicens:* Respice et absque dubio firmiter teneas, quia hoc ipsum est caput meum, quod pro Christi nomine mihi abcisum fuit. *Apparitio vero ista satis videtur authentica ac fide digna, secundum dicenda inferius post Acta; atque adeo si in tanta hujus argumenti, quo de agimus, varietate quidquam sit statuendum, videtur nobis proprius accedere ad verum, quod* S. Mamas *capite plexus sit, quamdiu illa apparitio non convincitur falsitatis. Nunc dicendum de anno ac die, quibus istam laureolam consecutus fuisse fertur.*

9 *Quamquam Menæa magna excusa, et Menologium Sirleti inter Sancti gesta, quæ narrant, nomen imperatoris, e quo colligi possit tempus martyrii, non exprimant; alibi tamen satis communi cum concensione signatur ab hagiologis Aurelianus, ut videre licet in Menologio Basilii imperatoris, Adone, Usuardo, Rabano, Notkero, quibus accedit Martyrologium Romanum. In Actis quoque Metaphrastæ adscriptis, et a Surio editis, nec non in Mombritianis intexitur ejusdem imperatoris nomen; sed in eorumdem Actorum fine, ubi agunt de Martyris morte, non exprimitur illud quidem diserte, cum tamen antea* E *positum in illis fuerit, et ibi illud subintelligamus. Ruinartius in Actis primorum Martyrum sinceris et selectis Luteliæ Parisiorum prælo datis pag.* 278 *sic ait:* Sancti Mamantis mortem ad annum circiter CCLXXIV cum vulgatis auctoribus referimus, donec ab aliquo certiora proferantur monumenta, quæ aliud nobis persuadeant. Consentiunt antiqua Martyrologia Adonis, Usuardi, Rabani et Notkeri etc., in quibus sancti Mamantis aut, prout loquuntur, Mammetis sive Mametis, ut jam monuimus, martyrium sub imperatore Aureliano contigisse refertur ad diem XVII mensis Augusti. *Ruinartio et nos suffragamur, et cum pluribus aliis loquentes, Martyrem sub Aureliano antea signaximus. Consuli interim possunt quæ notavimus hac die de Aureliano in Commentario prævio ad Acta SS. Pauli, Julianæ etc. a num.* 7.

ac de anno ejusdem

10 *Jam vero dies martyrii suam quoque habet difficultatem. Accidit hoc secundum Acta apud Surium* secundo mensis Septembris. *Favent eidem diei Græcorum Fasti, in quibus tunc annuus Sancti cultus intexitur. Differt ab illis exemplar Mombritianum, quando scribit ista:* Passus est F beatissimus Mammes in civitate Cæsarea Cappadociæ die decimo sexto Calendas Septembris. *Chronicon Alexandrinum ad Olympiadem* 311, *id est, ad annum* 465 *æræ vulgaris, dicit, quod* 2 Septembris... celebraretur memoria S. Mamantis. *At S. Gregorius Nazianzenus in loco superius num.* 1 *a nobis laudato innuere videtur, hujus Athletæ solennitatem in Cappadocia celebratam fuisse verno tempore. Verum nihil inde certe concludi posse pro die Martyris emortuali, illud indicio est; quod dies hujusmodi solennes variis pro varietate locorum diebus agitarentur vel ob translationes vel ob alias similes occasiones. Nobis itaque potior apparet dies secunda Septembris propter potiorem consensum Græcorum, qui Martyrem tunc colunt; adde Acta qualiscumque fidei Metaphrastica apud Surium, quæ eum tunc e vita excessisse scribunt. Latini quidem, uti et exemplar Mombritianum, hac die* XVII *illum signant, sed quo fundamento, non est nobis cognitum. Accedit eo, quod in cultu Sancti Græci, nisi quid obstet, potissimum sit standum Fastis Græcis, e quibus ad Latinos Martyrologos*

et die.

dericatus

AUCTORE J. P.

derivatus est. Dicebamus supra, quod dies 2 Septembris nobis appareret potior : *quia eam definire quasi certam, plus esset asserere, quam probari possit. Potuit enim Sanctus alio die colendus proponi, alio die mori, sicuti etiam fit in aliis Sanctis apud Latinos. Diem itaque illum in tanta rerum ad Martyris nostri vitam ac mortem spectantium obscuritate et ignorantia proponimus et talem haberi volumus, donec melior aliunde doceatur.*

§ II. An duo Mamantes in unum confusi; Actorum cum Græcorum tum Latinorum exemplaria, auctores, valor.

An rationes, quas proponimus,

Quæri hic potest, an ea quæ paragrapho superiore de S. Mamante *collegimus, unico conveniant martyri, an duobus synonymis in unum conflatis. Ratio dubitandi est, quia adeo multum discrepant, quæ ibi a nobis proposita sunt, et adeo alia ab aliis diversa, ut non uni eidemque,* Mamanti, *sed distinctis tribuenda, et quæ duobus sint propria, unico applicata esse videantur. Censemus itaque operæ pretium, quæstionem hanc, quoad in nobis situm erit, expendere et explanare : quibus subservient dicenda inferius magis extense de Actis. Imprimis non est sufficiens ratio* S. Mamantem *vel* Mammetem *martyrem duplicandi, quod synonymi notentur aliis diebus. In apographis Hieronymianis a Florentinio vulgatis hæc leguntur ad diem* XVI *Julii:* In Cesarea natalis S. Pauli... et sancti Mammetis: *de qua annuntiatione dictus auctor in notis pag.* 667 *sic observat :* De S. Mama sive Mamante, illustri in Cæsarea Cappadociæ martyre, extat homilia S. Basilii.. An idem sit cum S. Mamante sive Mammete, qui die sequenti, et rursus die XVII Augusti, tam in Latinorum scriptis quam nostro memoratur, fluctuo. *In Appendice ad Adonis Martyrologium a nostro Rosweydo editum, pag.* 209 *sine loco palæstræ hæc habentur eodem die* XVI *Julii :* Item alibi, sancti Mammæ. *Eadem occurrunt in citatis apographis, sed die* XVII *prædicti mensis :* Et alibi, natalis S. Mammæ. *Florentinius in notis pag.* 668 *hic iterum hærens,* An S. Mamma idem sit cum Cæsariensi Cappadoce, cujus hesterna die memoriam fecimus, non, *ait,* decerno. De celeberrimo Martyre plures pluribus in locis celebritates peragi potuisse, idque variis diebus, non difficile est credere.

evincunt, duos Martyres synonymos in unum conflatos ;

12 *Notkerus die* XVII *Julii* S. Mammetis *Cæsareæ in Cappadocia memoriam ponit cum longa gestorum ejus narratione, quam die* XVII *Augusti magis contracte repetit. Hoc eodem die in apographis pluries memoratis ita dicitur*: Natalis S. Mammetis monachi. In Calcidonia Cappadociæ, natalis S. Euphemiæ. *Florentinius in notis pag.* 757 *monet, suum exemplar ex* aliorum codicum fide... restituendum initio ante natalem S. Mammetis, Cappadociæ nomen, insulse post Chalcedonem appositum. *Sed observa singularem in recitata annuntiatione characterismum* monachi: *de quo laudatus auctor, postquam egisset de Actis ex Metaphraste apud Surium, ista observat :* Cum ... de monachatu ejus nihil in Actis illis diffusioribus indicetur, et ex adductis codicibus aliqui cum libris nostris S. Mammetem vel Mamantem monachum affirment, alium a puero Mama licuisset suspicari, nisi et hic monachus dici mereretur, quod adultus jam et confessor illustris in monte Cæsare degens, et templum ibi construens, ad se feras, lac emulgens, evocatas cicuraverit, et ex lacte, majori tamen parte efformato caseo et pauperibus distributo, adviveret, ita solitariam et anachoreticam vitam ducens, donec ab Alexandro præside ac tyranno Cæsaream iterum tractus, post miranda certamina coronatus triumphaverit.

quod, quamquam non certo constet,

13 *Ad propositam ergo quæstionem de uno* Mamante *vel duobus in unum confusis, respondemus primo : Quandoquidem adeo sunt obscura et incerta, quæ de gestis unius vel duorum circumferuntur, fateamur necesse est, præsentem controversiam decidi neutiquam posse certis ac convincentibus argumentis. Non* 1°. *ex Actis superius assignatis, quæ exiguæ prorsus sunt fidei, sicut alia pleraque Græcorum, quibus nimis quam solenne est, non tam res gestas Sanctorum sincere ponere, quam dramatice componere. Non item* 2°. *ex diversis diebus, quibus Sanctus annuntiatur. Quid enim obstat, quo minus unus idemque Sanctus (Fac tantisper, eumdem et hodiernum in antea allatis Fastis consignari) locis aliis, aliis recolatur atque adeo annuntietur diebus? Non* 3°. *ex alia atque alia efformatione nominis : ecquis enim ignorat, nomina eorumdem Sanctorum sæpissime exprimi modis diversis? Non* 4°. *ac postremo ex characterismo* monachi : *cur enim Martyr hodiernus dici talis non possit propter rationem a Florentinio supra allatam ?*

suspicamur tamen

14 *Verumenimvero tametsi illa non videantur satis habere momenti, ut nobis persuadeatur certo confusio hic controversa, suspicamur tamen duos exstitisse Martyres, quorum unus fuerit puer, alter vir, (qualem SS. Gregorius Nazianzenus ac Basilius suum vocabant* Mamantem *supra num.* 1 *et* 2) *unus in mare projectus, alter tridente transfixus ; unus Gangrensis, alter Cæsariensis; unus denique Ægis passus, alter Cæsareæ. Nam cum Acta sint duo diversi generis, ita tamen ut in multis conspirent, numquid sat præbetur rationis ad suspicandum, Acta eadem duorum Martyrum synonymorum ita commixta fuisse, ut res gestæ, quæ duobus erant propriæ, sint uni attributæ ? Metaphrastica* S. Mamantem *referunt Gangris in Paphlagonia oriundum fuisse, S. Theodosii ac S. Rufinæ filium ; quibus in carcere mortuis, infans* Mamas *educatus deinde ab Amia sit. Anno autem ætatis* 15 *fidem profitetur coram Democrito Cappadociæ præfecto : mittitur ab eo ad Aurelianum imperatorem tunc Ægis degentem : varia ibidem tormenta suffert, ac miracula patrat ; denique Aureliani jussu in mare projicitur ; sed ab angelo extractus mittitur Cappadociam; ubi solitariam aliquamdiu in monte vitam agitet etc.*

esse factum

15 *Mombritiana autem de* S. Mammete *suo non habent illa, sed memorant, eum a parentibus Cæsareæ Cappadociæ educatum in lege Domini : post eorum obitum annos natum duodecim declinasse Aureliani præcepta, se secessisse in montem, in quo lacte gregis sui pascebatur. Textum præmisimus num.* 5. *In quibus relucet character pastoritius, quem suo* Mamanti *tribuebant duo sancti Patres, quorum textum protulimus dicto num.* 1 *et* 2. *De aliis porro, quæ de utroque Martyre narrantur diversa, et communia, videri possunt Acta Metaphrastica ac Mombritiana, uti etiam ea, quæ modo in hoc Commentario in antecessum diximus, ac deinde dicemus. Atque hæc quidem sunt, quæ ex probabili utcumque conjectura*

A jectura movent nobis suspicionem, Martyrum duorum Acta simul commixta fuisse: de quibus plura jam notanda supersunt.

Exemplaria Actorum Græca

16 *Duo eorum habemus exemplaria Græca; alterum quidem* e Ms. Medicco regis Franciæ *transcriptum notatur, alterum vero* bibliothecæ Vaticanæ ex codice 797 pag. 16 *nomen præfert. Hoc ita incipit:* Κατὰ τοὺς καιροὺς ἐκείνους ἦν τις ἀνὴρ ἐν τῇ Παφλαγόνων χώρᾳ ὀνόματι Θεόδοτος. εἶχεν δὲ καὶ γυναῖκα ὀνόματι Ῥουφίναν· ᾤκουν δὲ εὐσεβῶς καὶ φιλοθέως ἐν τοῖς προαστείοις τῶν πόλεως Γάγγρας *Quæ sic reddo Latine:* In illo tempore erat vir quidam in regione Paphlagonum nomine Theodotus: cui erat uxor nomine Rufina. Degebant autem pie ac religiose in suburbiis civitatis Gangensis. *Illud autem ita suam exorditur narrationem:* Μάμας ὁ μέγας οὗτος τοῦ Χριστοῦ μάρτυς καὶ περιβόητος πατρίδα μὲν ἔσχε Παφλαγονίαν, ἐπιφανὴς δὲ ἦν αὐτήν τε τὴν εὐσέβειαν καὶ τὸ γένος. Πατὴρ μὲν γὰρ αὐτῷ Θεόδοτος, Ῥουφίνα δὲ μήτηρ. *Id est:* Mamas, magnus ille ac famosus Christi martyr, patriam quidem habuit Paphlagoniam; erat autem clarus cum ipsa pietate tum genere. Nam pa-B ter quidem ei erat Theodotus, mater vero Rufina.

et nostrum de iis judicium.

17 *Allatius in Diatriba de Simeonum scriptis pag. 127 recitat exordium hujus exemplaris, quod secundo loco protuli, inter Vitas, quæ vere ac proprie Metaphrasten habeant auctorem. Aliud vero apographum Vaticanum, quod cursim cum Mediceo contuli, cujuscumque sit auctoris, nimis multa habet Metaphrastico consimilia, quam ut credi utrumque possit haustum e diverso fonte, utinam magis defæcato ac limpido, nec non celeberrimi hujus Martyris gloria magis digno. Quid enim? Tormentorum ac rerum mirabilium plena sunt ista Acta Martyris: scribunt de eo Græci Patres antiqui duo, uti indicavimus* § I, *sed ita scribunt, ut nihil horum ad suam notitiam pervenisse, quasi tacite videantur indicare, quando tam parce, et, ut ita dicam, nihil quodammodo de rebus ejus gestis memoriæ proditum reliquere. Quamnam ergo fidem in hisce merentur scriptores tot seculis posteriores; qui dum quæsito apparatu student Sanctum exhibere mirabilem, parum se reddunt credibiles* C *ac sinceros? Merito itaque Actis istis Ruinartius in sua collectione locum non dedit, pag. 276 dicens:* Cum antiquiora monumenta de sanctis Martyribus quæramus, quam ea quæ a Simeone Metaphraste aliisque mediæ ætatis auctoribus ex proprio matre referuntur, sæpius contingit, ut de celeberrimis Martyribus pauca quandoque supersint, quæ a nobis proferantur. Id de Mamante martyre dici potest *etc.*

Acta apud Surium: alia item quorum Latinus interpres

18 *Ex dictis collige, quid sit statuendum de Actis quæ exstant cum nomine Metaphrastis apud Surium, et quæ nos, aliorum scriptorum auctorum exemplo, etiam vocamus Metaphrastica: quid item de editis a Joanne a Bosco, Cœlestino Gallo, sub nomine Reynaldi Lingonensis episcopi, ac dedicatis Cardinali Baronio in Bibliotheca Floriacensi, anno* 1605 *Lugduni vulgatæ pag.* 210 *xysti dextri, ut vocat. Verum quod episcopus iste Acta illa e Græco non acceperit fonte, sed alius, discimus e nostri Petri Francisci Chiffletii annotatione, quam propria manu adscripsit post finem alterius eorumdem Actorum ecgraphi, quod apud nos est, hoc titulo prænotatum:* Passio sancti Mamantis martyris, auctore Godefrido Lingonensi episcopo, ex codice Ms. Cartusiæ Divionensis. *Ad eorum igitur calcem ita scribit in rem nostram laudatus Pater:* Hæc ipsa versio Latina Actorum Mamantis martyris, dempta præfatione, habetur in Bibliotheca Floriacensi Joannis a Bosco: sed falso inscripta Raynaldo Lingonensi episcopo; cum sit Godefridi, sexaginta fere post Raynaldum annis ejusdem civitatis episcopi: ut fidem facit Præfatio, quam ex codice Cartusiæ Divionensis edidimus. Ex quo etiam codice Acta ipsa non uno loco vitiata restituimus. Colligitur vero ex eadem Præfatione, nullam umquam Actorum S. Mamantis a Reynaldo elaboratam fuisse traductionem; cum Godefridus trium dumtaxat, nempe Antiochenæ, Hierosolymitanæ, et Calabricæ, ante suam editarum meminerit. Quod autem in Bibliotheca Floriacensi sequitur opusculum de Translationibus reliquiarum S. Mamantis in Gallias *(de quo opusculo erit inferius dicendi locus)* auctoris est anonymi Lingonensis, qui scripsit circa annum Christi MCCXIV, cum scilicet Guillelmus esset Lingonensis electus, decimus post Reynaldum, ut capitis tertii initio notatur. At de Godefridi, qui Claravallensis Bernardi æqualis fuit, eruditione et rebus gestis videnda Gallia Chistiana in episcopis Lingo- E nensibus.

non est Rainaldus, sed Godefridus,

19 Auctor libelli de Translationibus reliquiarum S. Mamantis in Gallias cap. 3. " Ipse idem " (Reinaldus episcopus Lingonensis) Vitam beati Martyris traustulit de Græco in Latinum: " quam etiam postmodum versibus heroicis dici- " tur exarasse ". Hic mihi Joannis de Bosco suspecta est fides, et velim consuli codicem Cælestinorum Ternensium, e quo hæc se hausisse profitetur. Sed ut sic senserit, sic scripserit auctor ille ante annos quadringentos, convincitur certe ex Godefridi præfatione, quem Rayualdi decessoris sui Latina horum Actorum si qua fuisset versio, latere minime potuisset. De B. Godefrido Lingonensi episcopo Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis lib. 2 dist. 10 cap. 16, et dist. 41 cap. 4. Idem in Menologio Cisterciensi VIII Novembris. Angelus Manrique tom. 2 Annal. Cisterc. ad annos MCXLV, MCXLVII, MCLIII, MCLXI, MCLV. Idem tomo I et 2 dicit fundatam a S. Brunone domum in Calabria MXCVII. Eam domum sub quinque Prioribus de Ordine Cartusiensi per annos LX stetisse usque ad annum MCLVII, cum Cisterciensibus ces- F sit, ipsis ejus domus Cartusianis regulam Cisterciensem amplexis. Quo in statu eum per annos CCCLVII perseverasset, tandem anno MDXIV per Leonem PP. X Cartusianis restituta est. Verisimile est Acta S. Mamantis translata a Godefrido anno Christi MCXLVII, quo regem Ludovicum secutus est in Orientem. Tum autem adhuc erant instituti Cartusiensis fratres illi, qui S. Brunonis Calabricam eremum incolebant. De hac ipsa expeditione scripsisse videtur Odo de Diogilo ad Sugerium abbatem.

Lingonensis episcopus.

20 *In nova editione Galliæ Christianæ tom.* 4 *col.* 575 *ponitur* LIX Godefridus seu Gotefridus *ecclesiæ Lingonensis episcopus, sed sine titulo Beati; ejusdemque dein gesta describuntur, calculis chronologicis innexa; quo lectorem mitto. De Rainardo (ita ibi nomen exprimitur) consuli potest dicta modo editio a col* 560. *Huc spectat, quod ibidem de illo dicitur:* Vir erat... non Latinarum modo, sed et Græcarum litterarum minime rudis. *Col.* 562 *notantur ista:* Martyris *(Mammetis)* Passionem prosa et heroico carmine ex Græcis commentariis Latine descripsit. *Sed non ipsius, at Godefridi hoc esse opus, persuadent dicta*

AUCTORE J. P.

cta paullo ante ex notatione Chiffletii. In Præfatione enim, quam nominabat, el quam propria ejus manu e codice Ms. Cartusiæ Divionensis editam seu exaratam habeo ante me, ipsemet Godefridus, commemoratis anterioribus Passionis S. Mamantis e Græco in Latinum translationibus, expressissimis terminis hoc testatur: Quod ego, *inquit,* Godefridus, indignus licet episcopus Lingonensis, idcirco totiens feci, quia quædam dissona, multoque plura quam in Latinis Galliarum exemplaribus audieram, ibi legebam: voluique ut de diversis regionibus diversi et famæ laudabilis interpretes fidem mihi certiorem facerent veritatis. *Quid clarius?*

Alia recensentur exemplaria:

21 *Inter schedas nostras Mss. de* S. Mamante, *exstat exemplum in membrana exaratum titulo hoc*: Incipit Passio sanctissimi martyris Christi Mamæ de Cæsarea Cappadociæ: qui fuit translatus per venerabilem dominum patriarcham Aquileæ anno Domini... Iu comitatu Aretii in loco [ubi*] dicitur sancto Mama. *Prænotatur ei manu Papebrochii nomen* D. Ughelli. *Incipit*: Cum primitus ab Aureliano persecutore per universum orbis missum B esset, si essent qui contemnerent deorum culturam, variis tormentorum generibus agerentur; erat in Cæsarea Cappadociæ puer numero annorum duodecim nomine Mamas. Hujus parentes *etc. Vide quæ produximus* § I *num.* 5 *ex Passione impressa apud Mombritium. Similia sunt in nostro Ms. Fuldensi, quod notatur* collatum cum Ms. Amandino vetustissimo, *nec non* cum Ms. S. Maximini Treveris. *Ad calcem vero nominati apographi subdit ista Henschenius de Passione illa*: Eadem habetur in Ms. pergameno reginæ Sueciæ in quarto, variante hinc inde phrasi, et sic concluditur: « Et his dictis posuit spiritum. Passus est autem « S. Mammes sub Aureliano imperatore et Alexan- « dro præside in civitate Cappadocia XVI Kal. « Septembris ». *E quibus intelligitur, eamdem ad originem esse referenda exemplaria illa, e qua prodiit Mombritianum, præsertim si non tantum eorum exordia, verum etiam quæ sub eorum finem narrantur, conferas inter se. Eodem etiam referimus Acta, a Walafrido Stabone vel Strabo, qui floruit seculo nono, carminibus heroicis* C *contexta, et tomo* 6 *Antiquarum lectionum apud Canisium impressa a pag.* 548 *prioris editionis, novissimæ autem tomo* 2 *parte* 2, *pag.* 186. *Acta contracta, quæ habentur in Catalogo Sanctorum Petri de Natalibus lib.* 7 *cap.* 72, *ad eamdem, de qua dicebamus modo, originem revocamus.*

** f. qui*

sed cum hac tum alia nullius vel parvi sunt valoris.

22 *Ex his quæ hactenus de variis Actorum exemplaribus observata sunt sequitur, ut duo eorum genera exslent diversa, videlicet Metaphrastica, quæ sunt in editione Surii; in Mombritiana vero anonymi auctoris, utraque similis, id esl, nullius vel exigui certe meriti et auctoritalis, sive quia diu post Sancti martyrium sint fabricata, sive quia in ipso primigenio fonte, si quis tunc etiam superfuit, corrupta; utraque conditionis hujusmodi, ut nescias ubi firmum pedem figas. Tametsi vero in multis inter se dissentianl, in multis lamen etiam consentiunt, si rerum substantiam spectes. Repræsentant tot et tam mirabiles eventus, ut merito habenda sint in eorum numero, quibus inest plus quæsitæ fabricæ, quam oblatæ veritatis. Quoniam autem parum oberit vel proderil, quodnam demus typo exemplar, visum esl illud exhibere inferius, quod Godefridus Lingonensis antistes e Græco in Latinum translulit, et de quo jam plurima notavimus ex observationibus Chiffletianis præsertim cum ex interpretis Prologo aliqua discamus, quæ aliunde nobis ignota erant.* D

§ III. Celeberrimus cum apud Græcos tum apud Latinos S. Mamantis cultus; ejusdem apud utrosque invocatio.

Cultus e Fastis Græcis,

S. *Basilius in homilia de sancto nostro Martyre, quam supra num.* 2 *citavi, satis perspicue indicat pag.* 189, *festum ejus diem fuisse celebratum ineunte anno, et ipso quidem primo ejusdem die, id est, uti apparet, Kalendis Septembribus, quibus incipiebat Indictio.* Qui vero, *ait,* hanc nostram celebritatem reduxit, et præteriti anni votis finem dedit, et succedenti tempori initium largitus est (eadem enim dies præteritum circulum nobis terminat, et rursus insequentis fit initium) qui igitur congregavit nos *etc. In Græcis autem Fastis annua* S. Mamantis *memoria signatur die postera seu secunda dicti mensis. Tunc* E *enim habetur in Typico, quod vocalur S. Sabbæ, Menologio Basilii imperaloris apud Ughellum tomo* 6 *Italiæ sacræ col.* 1056 *editionis antiquæ, novæ autem tomo* 10 *col.* 246, *Menologio Sirleti, ac Menæis magnis impressis, quæ hisce illum versibus honorant:*

Ἀκμαῖος ὢν Τριάδος εἰς πίστιν Μάμας,
Ἀκμαῖος τριαίνης καρτερεῖ τετρωμένος.
Δευτερίῃ χολάδες Μάμαντος χύντο τριαίνῃ.
Maturus ut erat Triadis ad fidem Mamas,
Maturus hanc tridente perfossus tenet.
Furca Mamantis atrox fundit luce exta secunda.

Alluditur ad juvenilem ac præmaturam morti ætatem Martyris, nec non ad tridentem quo confossus fertur.

et aliis

24 *Festum Sancti diem præcedebat vigilia, el quidem, uti mox videbitur, salis solennis: nam in Vita S. Danielis Stylitæ, quæ habetur in Surio ad diem* XI *Decembris, pag.* 225, § 27 *leguntur ista:* Jam pridem quidem principium habebat anni ambitus, et mensis instabat, quem Romani vocant Septembrem, in quo magni marty- F ris Mamantis festum pii celebrant. Vespere ergo quando festum a piis præparatur, et tota nocte agitur vigilia, finem accipit magni Danielis prophetia *etc. Celerum ecclesia* S. Mamantis, *præter festum ejus præcipuum, erat admodum frequentatum Cæsareæ Dominica, quæ incidebat in Octavam Paschæ: Nicetas quippe in Commentariis ad orationes S. Gregorii Nazianzeni, Operum istius sancti Patris tomo* 2, *qui anno* 1611 *typis Parisinis in lucem prodiit, pag.* 1224 *exponens orationem* 43, *cujus fragmentum præmisimus sub initium hujus nostri Commentarii prævii, et quæ inscribitur*, In novam Dominicam, *sic memorat:* In hoc igitur templo (uno enim circiter ab urbe *Cæsariensi* stadio, *sicut paulo ante præmiserat*, templum Martyri *nostro* constructum est) encæniorum festum totius civitatis concursu commode celebrabatur. *In argumento autem, quod est prævium commentario laudatæ orationis pag.* 1202 *hæc præcesseranl:* Nova porro Dominica dies hæc vocatur, vel quia resurrectionis nostræ encænia in ea peraguntur, vel etiam quia octavi illius diei figuram gerit, in quo nova omnia futura sunt. Hanc autem orationem in urbe quidem Nazianzena scripsit Gregorius; verum in

A in sancti martyris Mamantis templo urbi vicino pronuntiavit. Quod et tunc, et in hunc usque diem, in Dominica Paschati proxima, mira incolarum frequentia celebratur. *Plura de hac Dominica videri possunt apud Allatium in Dissertatione de Dominicis et hebdomadibus Græcorum, quæ habetur post addenda ad opus ejusdem auctoris de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione, col.* 1457. Nicetas *vero*, Serion cognomento dictus, magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus et magister, postea Heracleensis archiepiscopus... claruit anno MLXXVII, *sicut scribit Caveus heterodoxus in sua Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria : de quo Niceta postea dicetur pluribus.*

documentis.

25 *Videtur noster Martyr eadem Dominica nova honoratus etiam fuisse Nazianzi, idque in ecclesia sui nominis. Nam in oratione* 43, *quam S. Gregorius habuit in illa Dominica, et loquitur de* S. Mamante, *et simul dicit, quod hic Martyr pasceret (spiritualibus utique favoribus) metropolim (Cæsaream intellige) satis indicans, sese in illa metropoli non recitare suam orationem.* B *Et vero hæc nostra de honore Sancti apud Nazianzenos in sæpe dicta Dominica, ac ejus ecclesia observatio conformis est verbis argumenti quod præfigitur Commentario Nicetæ loco proxime citato, eo præsertim quod Martyris templum urbi Nazianzenæ vicinum* et tunc et in hunc usque diem, *prout ibidem dicebatur*, in Dominica Paschæ proxima, mira incolarum frequentia celebratur. *Verum quæ obiter hic attigimus de Sancti templis occasione cultus diversis locis ac diebus, illustrabuntur postea pluribus, ubi prius egerimus de anniversaria ejus memoria in Martyrologiis Latinis hac die* XVII *Augusti.*

Latinis Martyrologiis inscribitur die 17 Augusti.

26 *Celeberrimum enimvero in Ecclesia Latina fuisse hujus nostri Athletæ cultum, abunde conficitur e sacris ejusdem Fastis præcipuis. De apographis Hieronymianis a Florentinio vulgatis jam actum est* § 2. *Martyrologium Romanum vetus seu parvum sic habet* : Cæsareæ, Mammetis martyris. *Ado* : Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis sancti Mammetis martyris, qui passus est imperante Aureliano, sub Alexandro præside *Usuardus* : In Cæsarea Cappadociæ ; *reliqua Adoni consona sunt. Wandelbertus ita eum canit* :

C Martyre sedecima effulget Mammete beato.

Id est decima sexta Kalendas Septembris, quæ est XVII *Augusti. His adde Rabanum ac Notkerum. Martyrologium Romanum his verbis eum annuntiat* : Cæsareæ in Cappadocia natalis sancti Mamantis martyris, qui a pueritia ad senectutem usque longum martyrium duxit, et tandem imperante Aureliano, sub Alexandro præside illud feliciter consummavit : quem sancti Patres Basilius et Gregorius Nazianzenus summis laudibus celebrarunt.

Publica Sancti veneratio

27 *Quid, quod adeo apud Latinos venerabilis fuerit memoria sancti hujus Pugilis ut Walafridus Strabo seu Strabus hymnum non inelegantem panxerit in natalem* S. Mammetis, *qui exstat apud Canisium tomo sexto Antiquarum lectionum, et sic de eo canit* :

Laudem beati Martyris
Ad Trinitatis gloriam
Sanctæ canamus supplices
Quæ dat coronam testibus.
Adversa mundi pertulit
Calcavit ejus prospera.
Mammes Tonanti reddidit
Quod pro reis hic passus est.
Virtute, vita, moribus,
Sermone jucundissimus
In charitatis gratia
Semper manens ditissimus.
Spernens opes cum casibus
Mundi, supernis institit,
Liber caducis exiit,
Nil ambiens ex infimis.
Mitis domans immitia,
Illisque promens mystica,
Vivebat inter bestias
Quo cive gaudent angeli.
Adjutus armis spiritus
Vicit furores principum,
Sævi draconis conterens
Sacris caput conatibus.
Magni favor præconii
Debetur isti Martyri,
Cui Christus esset vivere,
Lucrum resolvi maximum,

auctore J. P.

28 Mansit fides in pectore,
Spes mente felix, integra
His major illum charitas
Intus foris possederat. E
Exultet omnis supplicum
Cœtus sereno gaudio
Hujus Patris suffragia
Pronis rogando cordibus.
Te, Martyr, ergo quæsumus
Mammes fave poscentibus,
Sacro precatu protege,
Quos instruis certamine.
Impende curam dapsilis,
Aufer malum placabilis,
Confer boni solatia
Vitæ parando præmia.
Sit Trinitati gloria
Virtus, honor per secula,
Quæ nos beatis Martyrum
Semper juvet suffragiis. Amen.

per varios

29 *In Italiam transeamus. Missale Mediolanense, anno* 1522 *typis excusum, folio* 202 *verso ponit quædam ad celebrandam Missam sanctorum martyrum* Mametis *et Agapiti; quæ legi ibidem possunt. Tomo* II *Maii nostri ad diem* X *actum est de B. Miro eremita Surici ad lacum Comensem in Insubria ; in cujus Beati Commentario prævio pag.* 604 *inter carmina, quibus celebratur ob patrocinium tempore siccitatis pro pluvia, canuntur ista de nostro Sancto* : F

..... vestro qui lactifero Mameti
Munera sæpe datis, quibus annuit ille vocatus
Matribus ut vestris, arent si forte papillæ.
Lactifer est Mames, sic et sitientibus agris
Imbrifer Æmilius.

Occidentis

In dicta itaque regione suam quoque habet celebritatem apud ruricolas, Ideo, *sicut ibidem observatur*, verosimiliter solitus a puerperis rusticis pro lacte obtinendo invocati, quod matre propter fidem cum marito captiva, absque materni lactis usu fuerit educatus, ut, quo caruit ipse Dei causa, id aliis conferat.

tractus

30 *At quid de Gallia dicemus ? Quamquam urbs Lingonensis præcipuam in religiosissimo erga Martyrem cultu partem habeat ob sacra ejusdem pignora illuc translata, de quibus postea erit sermo; alibi tamen in isto regno publica ei etiam veneratio defertur, uti conficitur ex Historia S.* Mammetis, *auctore canonico quodam et archidiacono ecclesiæ Lingonensis Gallice impressa Lutetiæ Parisiorum anno* 1650 ; *e qua delibamus ista. Libro* 1 *a pag.* 141 *urbem illam laudat a pietate*

AUCTORE J. P.

tate erga Sanctum, plures in eadem parœcias videre se asserens, quæ peculiari ipsum honore prosequantur, eam potissimum, quæ dicitur S. Severini; ubi antiquissimam ac celeberrimam esse addit confraternitatem sub nomine S. Mammetis, una cum reliquiarum ejus osse; rem probari dicit e sola sacelli inspectione, cujus vitra more antiquo picta Martyris historiam repræsentent. Deinde mentionem facit de libris manuscriptis Officii divini ac registris, de plurimorum seculorum antiquitate fidem facientibus.

propagata.

31 Accedunt eo gratiæ spirituales a summis Pontificibus concessæ, nimirum indulgentiæ plenariæ, ut vocant, quotannis in festo Sancti, altare pro defunctis privilegiatum diebus anni singulis Lunæ ac Veneris. Indicat etiam, magna ibidem cum solennitate ac concursu populi celebrari Officium in ejusdem festa luce; singulis diebus Lunæ cantari Missam; die autem XIX mensis Decembris haberi laudes valde solennes.. Hæc ille, Libro 2 pag. 154 indicat, plurima alibi exstare sacella, et confraternitates antiquas, magni Martyris memoriæ consecratas. Eodem libro 2
B pag. 155 testatur, in ecclesia collegiata dominæ nostræ, cognomento magnæ, Pictaviensi festum ejus ac Officium ritu admodum solenni peragi die XXVI Aprilis; quo obtentum fortasse fuerit pignus sacrum, de quo disseremus infra § 5. Præter ista, quæ ex illo auctore excerpsimus, meminisse juvat, fuisse etiam per Martyris caput, quod est in Gallia apud Lingonenses, patrata miracula, ut videre datur in Historia translationum, inferius recusa post Sancti Passionem; quæ ibidem narranda, hic pro insertis haberi possunt. De iis quoque agit laudatus archidiaconus lib. 2 cap. 6: qui lib. 1 cap. 18 pag. 139 præmiserat, Michaëlem Boudet episcopum Lingonensem, die XII Augusti anno 1515 renovasse tam pro clero quam pro populo jejunium, quod a majoribus, uti vult, fuerat promissum in prima translatione reliquiarum ejus, concessis etiam quadraginta dierum indulgentiis. Dixi, uti vult, quia primæ translationis historia valde vacillat. Vide dicenda post Passionem in observationibus præviis ad translationes num. 4. De voto prædicto meminit etiam Gualtherotius, qui alibi a nobis citatur, pag. 425
C et 426; ast indicatur res gesta XXII Augusti anno 1516.

Magna in Oriente excelluit erga miseros beneficentia.

32 Sed longe plura nobis subministrat S. Mamantis, in Oriente sepulti apud Cæsarienses Cappadociæ, erga afflictos beneficentia, quæ adeo frequens et insignis fuit, ut ob præstantissimas gratias in miseros mortales cumulatas jam inde ab antiquissimis temporibus dulci patris nomine compellari meruerit, teste B. Basilio in homilia superius citata pag. 186. Filii, *ait*, qui ab eo pietatem edocti sunt, in ipso glorientur. *Et mox*: Ne divitum quidem cognati excurrunt ad majorum suorum sepulcra: sed omnes ad pietatis locum accedunt. Patrem hunc... appellant. *Nec vero inane ac sine re nomen gessit: nam pag. 185 ista præmiserat idem sanctus Doctor*: Memineritis velim Martyris, quotquot eo in somnis fruiti estis. Meminerint omnes, qui hoc in loco constituti, ipsum adjutorem ad precandum habuere: quibus cum operarentur præsto fuit, simul ut nomine vocatus est, quos ex peregrinatione reduxit, quos ex infirmitate erexit, quibus liberos jam vita functos restituit, quibus prorogavit præfinitum vitæ tempus. Collectis omnibus, ex communi symbolo præconium componite. Communitate inter vos, quæ quisque novit impertiat ignoranti, quæ ignorat, ab edocto accipiat. Atque D
ubi sic ex mutuo symbolo alius alium paveritis, imbecillitati nostræ ignoscite. *Hæc S. Basilius. At nunc proferamus alia monumenta, quæ eodem, quo florebat ille sanctus Pater, seculo Christi 4 contigere, et quibus claritudo nominis ac propagatio publicæ venerationis* S. Mamantis *mirifice eluxere.*

§ IV. Ecclesiæ, corpus apud Cæsarienses in Cappadocia.

In construendo prope Cæsaream

Medio circiter seculo Christi quarto evenit res omnino mirabilis atque ad celebritatem sanctissimi nostri Pugilis propagandam valde accommodata. Julianus, deinde Apostata, ac Gallus ejus frater, educati erant in Cappadocia salis prope Cæsaream: cumque tunc temporis exiguas admodum vel nullas haberent partes in negotiis publici regiminis, ornandis Martyrum sepulcris se occupabant: qua occasione accidit famum illud, quod S. Mamanti *magnam nominis famam attulerit. Audiatur itaque Sozomenus,* E
qui Ecclesiasticæ historiæ a Valesio editæ lib. 5 cap. 2, a pag. 593 rem narrat in hanc sententiam: In Cappadocia degere jussi sunt in Marcello. Villa hæc est publica, ad Argæum montem sita, haud procul ab urbe Cæsarea, quæ et magnificum habet palatium. Illic ambo regali cultu educati sunt atque instituti. Ibi disciplinis et exercitationibus, ipsorum ætati convenientibus imbuti... Moribus quoque et factis pietatem præ se ferebant: quippe qui tum sacerdotes, tum reliquos viros bonos... plurimi facerent, ecclesias crebro adirent, et Martyrum sepulcra competenti honore venerarentur. Eo igitur tempore aiunt illos sepulcrum Mamæ martyris amplissima basilica circumdare studentes, opus inter se partitos esse,

Sancti ecclesia, res mira accidit.

34 Dumque alter alterum magnificentia et cultu superare contenderet, rem admirabilem prorsusque incredibilem accidisse, nisi multi nostra adhuc ætate superessent, qui rem ipsam ab illis, qui eam viderant, acceperunt. Nam pars quidem operis, quæ Gallo obvenerat, attollebatur, et ex animi procedebat sententia. Ex operibus autem Juliani, alia corruebant; alia ex fundamentis sursum propellebantur; alia ne solo quidem F
cohærere ab initio sustinebant, non secus ac si contraria quadam vi deorsum obsistente retruderentur. Et omnibus quidem ea res prodigio similis visa est. Multi vero, quid portenderet, ex eventu judicaverunt. Sed nonnulli ex eo conjecturam ceperunt, illum haudquaquam sincero animo erga religionem esse: verum præ metu principis, qui tum temporis Christianus esset, pietatem fingere. *Res gesta confirmatur e S. Gregorio Nazianzeno, qui oratione 3 adversus Julianum pag. 60 et sequente, post ea quæ de isto prodigio retulerat, hæc subdit*: Quod si quis mihi minus fidei habendum putat, eos ipsos, qui spectaculo interfuere (*Sanctum enim ipsum tunc temporis Athenis fuisse legimus*) testes producam: nam multos habeo, qui et ad nos hoc miraculum transmiserunt, et ad posteros transmittent. *Celerum ecclesia, in qua miraculum illud contigit, fuit illa eadem, in qua S. Basilius, Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopus, suam de* S. Mamante *orationem enuntiavit. Nicetas in Commentario suo ad orationem 43 S. Gregorii Nazianzeni,* Uno *ait*, circiter ab urbe (*Cæsariensi*) stadio templum

A plum Martyri constructum est, quod illa ipsa Ammia, quæ eum aluerat singulari magnificentia eo loco ædificasse fertur, quo post martyricam illam et postremam lanceam, e theatro, præcordia jam erumpentia retinens, vix tandem præ ardenti desiderio pervenire atque animam efflare potuit. *Sed secundum Acta Metaphrastica, quibus tamen alibi satis se accommodat Nicetas, Mammia ante* Mamantem *obierat, qui ejus utpote factus est* successor et heres ejus facultatum, *uti videre est apud Surium in istis Actis cap.* 6. *Suspicor itaque, ad Nicetæ tempora a falsa, uti fit, fama hæc fuisse delata, et eamdem esse ecclesiam, in qua Julianus et Gallus operam posuere, sicut modo narratum est. Templum etiam prope Nazianzum fuit. Vide dicta num.* 25

Templum Constantinopoli

35 *Codinus de Originibus Constantinopolitanis pag.* 57 *aliam ædem nostro Martyri sacram consignat :* Templum S. Mammantis Leo Macelas *(is est imperator hujus nominis primus)* ædificavit, cum urbs *(Constantinopolitanam intelligo)* sex integros menses continuo incendio flagrasset. *De ista æde sacra pluribus agit Cangius* B *lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 185. *Laudatus Codinus pag.* 60 *commemorat :* Templum S. Mamantis condidit soror Mauricii imperatoris. Illa enim, Mauricio et liberis ejus a Phoca tyranno interfectis, corpora eorum collegit atque ibi deposuit. *Sed illa ecclesia verosimiliter non est diversa ab ea, quam dicit Nicephorus lib.* 18 *cap.* 41 *pag.* 863 *et* 864 *post Zonaram a Cangio vulgatum tom.* 2 *lib.* 14 *pag.* 79, *conditam esse ab eunucho, cui nomen Pharasmani :* Fertur, *inquit Zonaras*, etiam filius *(Mauricii imperatoris)* dum ad Chosroëm iret, interceptus atque ad Phocam perductus, occisus esse, nec non Constantina imperatrix cum tribus filiabus, qui in æde divi Mamantis vicina mœnibus sepulti sunt, a Pharasmane eunucho, Justiniani cubiculario, condita. *De conditore, situque etc. istius ædis consuli potest laudatus Cangius loco paullo ante citato, de quo nonnulla aliunde notabimus, uti et de monasterio, sub nomine* S. Mamantis *Constantinopoli constructo. Post Cangium Bandurus in suo Imperio Orientali tom.* 2 *pag.* 719 *hoc argumentum tractat.*

ac monasterium, de quibus

C 36 *Ibi igitur commentans in tertiam partem auctoris anonymi de Antiquitatibus Constantinopolitanis, cujus textum Græcum retulerat tomo* 1 *pag.* 54, *et qui Latine sic habet,* Monasterium S. Mamantis quod Xylocercus dicitur, ædificavit Mauritii soror *etc.*, *hæc observabat :* Quod vero hic ait anonymus noster et ex eo Codinus ac cæteri originum CP. scriptores, monasterium hoc S. Mamantis exstructum fuisse a Mauricii imperatoris sorore, et deinde infra num. 126 scribit, S. Mamantem et quæ ibidem visuntur palatia, Leonem M exstruxisse, facile quidem hæc inter se conciliari possunt, si dicatur ecclesiam S. Mamantis una cum palatiis, quæ ibi visuntur, a Leone M. imperatore conditam fuisse; quibus adstipulari videtur auctor Chronici Alexandrini anno XII ejusdem Leonis, qui quidem scriptor narrat, Leonem imperatorem, dum incendium in urbe grassaretur, se contulisse ad S. Mamantem, ac ibi portum et porticum exstruxisse... „ Territus ergo Leo imperator contulit se versus „ fretum ad S. Mamantem, fecitque ibi portum „ et porticum, qui quidem locus vocatur Nova „ porticus. „ Quod vero hæc spectent ad eumdem S. Mamantem, aperte ex sequentibus constat : nam monasterium S. Mamantis Anonymus noster τὰ Νέα appellatum scribit, et Codinus ἐν τῇ Νέᾳ καλουμένῃ μονῇ Mauricii uxorem ac filias inclusas fuisse ait : quam quidem loci appellationem ἀπὸ τοῦ νέου ἐμβόλου *(a nova porticu)* derivatam esse censeo. Et hæc quoad ecclesiam S. Mamantis. *De monasterio autem subdit ista :*

auctore J.P.

nonnulla observantur.

37 Nil vetat quin a Mauricii sorore postremo dum ædificatum fuisse dicatur, licet subsequenti tempore monasterium S. Mamantis non monialium sed virorum dicatur Cantacuzeno lib. 4 cap. 16, qui Philotheum Heracleensem episcopum in monasterium S. Mamantis se abdere voluisse scribit *(Immo vero ipse Cantacuzenus se hoc facere sub isto episcopo voluisse, diserte indicat)* ubi etiam situm ejusdem monasterii, ut vitæ monasticæ peropportunum, et ut in urbe maxime solitarium describit.... Sæpe autem accidit, ut monasteria, quæ prius monialium erant, virorum postmodum evadant et e contrario. Vel duo forsan ibidem monasteria exstitisse dicendum est, alterum monialium, alterum vero virorum..... Cæterum quod ait Zonaras pag. 79 templum S. Mamantis a Pharasmane eunucho, Justiniani imperatoris cubiculario, exstructum esse, id intel- E ligi potest, ab eo renovatum fuisse idem templum seu ampliatum: quippe sæpe alias ἔκτισε pro ἀνέκτισε uti scriptores recentiores observavimus. *Hinc itaque sequitur, ut verisimile videatur, unum idemque* S. Mamantis *templum designari, quod supra insinuabam, tametsi ob duo diversa conditorum nomina appareat esse duplex ac diversum. Nec vero satis videmus, cur hoc idem dici non possit de monasterio ejusdem Sancti, cujus meminit Anonymus in libro de Translationibus reliquiarum* S. Mamantis *in Gallias, dicens :* Misit legatus quemdam presbyterum, et quemdam Clericum suum cum Gualone ad monasterium, quod de novo fabricatum erat sumptibus Hysachii imperatoris Constantinopolitani in honore beati Mamantis : cujus abbas et monachi *etc. De qua re inferius agetur.* S. Mamantis *in tractu Peræ* πέραν ἐν τῷ Σίγματι *meminit Cangius pag.* 186 *ex Menæis ad* XII *Julii. Videri possunt quæ diximus ad istum diem tom.* III *ejusdem mensis pag.* 303. *Suidas in Lexico littera M. agit etiam de loco in* S. Mamante, *quo intelligo ejusdem ecclesiam.* F

De templis

38 *His quæ de ædibus sacris* Mamantis *nomine insignitis præmissa sunt, et ad Orientem spectant, subjungendæ sunt notitiæ nonnullæ de iis, quas dicitur habuisse in Occidente. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum hac die* XVII *Augusti.* Erat, *ait*, olim Romæ celebris hujus Martyris memoria : in ejus basilica S. Gregorius Papa habuit homiliam trigesimam quintam in Evangelium die natali ipsius. *Sed Fronto in suo Kalendario observat pag.* 147 *occasione S. Mennæ, qui ibidem signatur :* Is est, in cujus ecclesia homilia Gregorii M. 35 dicitur pronuntiata : sic enim habent tres Mss., non quos vidi; autem S. Mammæ, ut habent editi libri. *Et vero in editione Operum S. Gregorii Parisina anni* 1705 *tomo* 1 *col.* 1613 *dictæ homiliæ præfigitur nomen Mennæ. Quod itaque circumferri solebat de ecclesia ista, male fundatum fuit. Ecclesia parœcialis sub nomine S. Mamoli martyris (quiscumque is fuerit) ponitur in Bononia perlustrata Masinii ad diem* XVII *Augusti; de qua ecclesia addit memoriam exstare ab anno* 1294. *At longe inter Occidentales ecclesias celeberrima et antiquissima est ea, quæ exstat Lingonibus in Gallia. In novissima quippe editione Galliæ Christia-* 58 *næ*

AUCTORE J. P.

næ tomo 4 col. 565 *sic dicitur :* Cathedralis Lingonensium ecclesia olim sub nomine S. Joannis Euangelistæ Deo consecrata, jam a multis retro seculis S. Mamantis seu Mammetis nomen habet. Id porro qua ratione? Non alia certe quam quia sacrarum ejus exuviarum partem accepit. Et certe se non modicam habere gloriatur, caput scilicet, brachium, cruris et colli magnum os.

in occidente.

39 *Recte autem ibidem asseritur,* Mammetis *nomen templo principi non fuisse impositum a reliquiis a Rainaldo, nedum a Gualone, allatis (de quibus erit infra tractandi locus) quia jam tam plus quam tribus ante seculis illud nomen habebat, sicut ibidem datur videre ex instrumentis ecclesiæ Lingonensis,quæ integra habentur ad calcem laudati tomi; eorum vero fragmenta loco supra allegato ita inseruntur prout hic a nobis dantur :* Sic anno DCCCLXXXV Carolus Crassus abbatiam S. Johannis Geiloni restituit " ob amorem Dei " et sancti Mammetis, in cujus honore hæc eadem " ecclesia celeberrime dicata habetur " ex charta nona col. 133. Sic in diplomate, quo Rotharius II Austrasiæ rex Umbiliacum villam Isaaco Lin-
B gonensi episcopo anno DCCCLIX concedit; id se facere testatur " ob reverentiam ecclesiæ beati " Mammetis " ex charta VII col. CXXXI. Sic præceptum Ludovici Pii anni DCCCXIV scriptum est pro Bettone episcopo Lingonicæ civitatis " ubi " habetur ecclesia sancti Mammetis eximii martyris, anno imperii primo " id est Christi DCCCXIV aut DCCCXV ; *quod præceptum producitur col.* 129.. *Quæ cum ita sint, sequitur ut seculo saltem octavo titulum ac reliquias* S. Mammetis *adepta fuerit ecclesia ista.* Saltem *tunc, inquam : quia an dudum antea aliquid apud Lingonenses nominis obtinuerit iste Sanctus, certo determinari non potest, tametsi aliquæ pro illa re non desint conjecturæ, quæ proponentur infra occasione reliquiarum, de quibus jam incipiemus agere ex professo, ut ita loquamur.*

Corpus S. Mamantis

40 *Corpus* S. Mamantis *apud Cæsarienses in Cappadocia pluribus post ejus obitum seculis asservatum fuisse, tempore videlicet Nicetæ, probatur e Commentario ipsius in orationem 43 S. Gregorii Nazianzeni tomo 2 Operum ejusdem sancti Patris col.* 1223, *ubi ait :* Divi enim
C Mamantis corpus Cæsareæ situm est. *At quisnam ille Nicetas? An Nicetas David seu Paphlago? Si is foret, illud ibidem permansisset saltem usque ad seculi noni finem : nam vivebat hic Nicetas tempore S. Ignatii Constantinopolitani. Combefisius in Opusculo, quod inscripsit* Illustrium Christi Martyrum lecti triumphi, *quodque Parisiis anno* 1660 *est editum, post Nicetæ Paphlagonis Laudationem de sanctis Martyribus Eustathio, Agapio etc.,* Quem produco, *inquit pag.* 83 *et* 84, Nicetam Paphlagonem, Ignatio Constantinopolitano æqualem, illique affectissimum, ac Vitæ ejus a Radero editæ auctorem *etc. Habetur etiam illa apud Labbeum tomo* 8 *Conciliorum a col.* 1180. *In Historia chronologica Patriarcharum Constantinopolitanorum, tomo primo nostri mensis Augusti præfixa, obitus istius sancti Patriarchæ col.* 112 * *innectitur anno Christi* 877. *Atque hæc quidem de corpore* S. Mamantis *existente Cæsareæ seculo nono vera essent, si Nicetas orationum S. Gregorii Nazianzeni commentator fuisset Nicetas David seu Paphlago, qualem esse censuit Tillemontius tomo* 4 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 360; *at nos inter opera istius Nicetæ apud bibliographos, quos consuluimus, non invenimus eidem adscribi Commentarium in dictas orationes. Verum an fuerit Nicetas ille, an synonymus alius, ulterius videtur inquirendum.* D

Cæsareæ Cappadociæ

41 *Leo Allatius in Diatriba de Psellis et eorum scriptis pag.* 16 *de Niceta Davide Paphlagone dicit :* Nicetam hunc eumdem cum Niceta Serrone faciunt plerique codices Vaticani; *sed inepte : satis enim constat, alterum ab altero distingui non solum cognomento, sed etiam ætate, officio ac scriptis. Ac Ætate quidem, quia Paphlago ad seculum nonum, ut vidimus; Serron vero ad seculum* XI *refertur. Officio; quia prior, si recte arguit vel conjecturam ponit Leo Allatius ad calcem tomi* 1 *Græciæ orthodoxæ inter alia quibus lectorem alloquitur, Dadybrorum in Paphlagonia sub metropolita Gangrensi episcopus; posterior autem Heracleensis archiepiscopus. Scriptis; quia inter alia, quibus duos illos auctores discerni legimus in bibliographis sacris emunctæ naris in illa materia, ponitur Commentarius in Nazianzeni orationes, qui non Nicetæ Paphlagoni, sed Serroni seu Serronio tribuitur. Oudinus in Commentario de scriptoribus Ecclesiæ antiquis tomo* 2 *col.* 714 *refert,* exstare in bibliotheca regis Catholici Scorialensi semel atque iterum " Orationes S. Gregorii E " Theologi cum scholiis Nicetæ Serronii " . . . In Ms. Bavarico 97 inscribitur " Nicetæ metropolitæ " Heracleæ Explicationes et Commentarii in Gregorium Theologum. "

etiamnum requievit seculo undecimo.

42 *Enumeratis deinde variis ejusdem Commentarii exemplaribus Mss., assignatur* Constantinopoli apud Jacobum Marmoretam principem " Niceti metropolitani Heracleæ explicatio in " Gregorium Nazianzenum Theologum, dubtia- " tiones et solutiones " in charta bombycina. In bibliotheca monasterii quod in insula Pathmos maris Ægæi est " Nicetæ Serrorum Expositio in sermones Gregorii in Ecclesia habitos. *Hæc e pluribus, quæ dictus bibliographus collegit, delibasse sufficiat. Quæ itaque protulimus cum tamquam apocrypha non sint rejicienda sine sufficienti ratione, superest* 1°., *ut laudati Commentarii auctor fuerit non Nicetas David seu Paphlago, sed Nicetas Serronius, ætate, officio ac scriptis distinctus ab isto synonymo.* 2°. *Ut corpus* S. Mamantis *seculo* XI *etiamnum quieverit Cæsareæ Cappadociæ, uti e supra allegatis Nicetæ verbis liquet.*

F

§ V. An nostri S. Mamantis corpus Hierosolymis fuerit seculo VI ; an delatum Mediolanum ; an in Cyprum ; reliquiæ Lucenses, Elwangenses, Lingonenses ac Lorbanenses etc.

S. Radegundis seculo 6 accepit in Gallia

In *libro secundo Vitæ S. Radegundis reginæ ac postea monialis: apud nos die* XIII *Augusti cap.* 3 *num.* 21 *in nova nostra capitum divisione in antiqua autem cap.* XIV *ista referuntur de dicta Sancta :* Transmisit virum venerabilem Reovalem presbyterum, qui tunc secularis erat, et adhuc superest corpore, ad Patriarcham Hierosolymitanum, poscens de beati Mammetis pignore. Quod vir Dei suscipiens benignissime, rogationes populo indixit, voluntatem Dei inquirens. Tertio die, Missa celebrata, beati Martyris sepulchrum cum omni populo adiit, alta voce, plena fide hujusmodi

A jusmodi protestatur dicens: Peto te, confessor et Martyr Christi *etc.* Oratione completa.. venit ad sanctum sepulchrum.. tangebat membra.. tetigit in manu dextra singulos digitos; ubi ad minorem venit digitum, se suavi tactu de propria manu tulit, ut beatæ Reginæ desiderio satisfaceret.. Quem digitum vir apostolicus B. Radegundi cum digno honore direxit: de Hierosolymis usque Pictavis in ejus honore semper laus Dei personuit.

reliquias S. Mammetis; an hodierni,

44 *Ex his perspicuum est, istius sancti Martyris corpus, vel magnam saltem ejusdem corporis partem asservatam fuisse Hierosolymis seculo sexto, quo claruit sanctissima illa Regina. Istius, ut iterum dicamus, sancti martyris Mammetis. Sed an nostri, an alterius? En tibi argumenta in utramque partem. Quod sit alterius, dici potest* 1°. *Quia* corpus *nostri Martyris seculo undecimo* Cæsareæ situm *erat, quemadmodum a num.* 40 *e Niceta Serronio retulimus.* 2°. *Etiamsi non raro accipiatur pars magna corporis pro toto corpore; id tamen non videtur dicendum in casu hoc, quamdiu non affertur documentum fide* B *dignum, quo constet, partem hujusmodi ex urbe Cæsariensi ad Hierosolymitanam esse translatam. Quod vero nostri* Mamantis *corpus seu notabilis ejusdem pars Hierosolymis exstiterit, his utcumque conjici potest.* 1°. *Quia S. Mammes, cujus digitum S Radegundis obtinuit, debuit fuisse valde celebris: nam loco citato memorantur ista*: Pervenit tandem ad eam de domno Mammete martyre, quod Hierosolymis sua sancta quiescerent membra Hæc audiens, avida ac sitibunda potabat, veluti hydrops, qui quantum fontem trahit, tantum sitis addita crescit; ista vero de rore Dei plus madefacta calet.. Quid putas quam ardenti animo, quam fideli devotione tanti pignoris præmium exspectans se abstinentiæ mancipavit. At ubi se beata regina hoc munus cæleste accepisse cum omni alacritate gauderet, tota hebdomada cum omni congregatione se psallentio, vigiliis et jejuniis aptavit, Dominum benedicens, se tale munus accipere meruisse.

an alterius?

45 *Tale itaque munus, tanto videlicet a Sancta petitum ambitu, tanto acceptum, videtur intelligendum de hodierno* S. Mamante *vel* Mammete C *longe celeberrimo. Alius certe tantæ celebritatis hactenus mihi non occurrit.* 2°. *Nicetas cum hoc facto conciliari potest, si dicatur magna pars corporis remansisse apud Cæsarienses, ita tamen, ut multis ante seculis pars magna vel notabilis ejusdem corporis portio ad Hierosolymitanos translata fuerit. Quod vero de tempore ac modo hujus translationis non sint nobis in promptu documenta, non ideo falsam esse constat: cum illud argumentum sit mere negativum, ut vocant. His utrimque consideratis, non auderem temeritatis eum arguere, qui propenderet in illam sententiam, quod celebratissimi nostri Martyris pars apud Hierosolymitanos, æque ac apud Cæsarienses exstiterit; imo vero hactenus non videmus, cur illud idem nobis suspicari non liceat. Si erramus, errantes corrigat tector eruditus, si cui plus lucis affulserit.*

An corpus hodierni apud Mediolanenses?

46 *Bosca in Martyrologio Mediolanensi ad diem* XVII *Augusti* S. Mamantem *Cæsariensem in Cappadocia martyrem annuntiat, et hæc addit*: Ejus autem corpus Mediolanum translatum est, atque in basilica Protomartyris custoditum pio cultu celebratur. *In notis vero observat ista*: Porro divum Mammetem jacere Mediolani in basilica S. Stephani, auctores sunt Morigius in Sanctuario, et in Historia lib 2 cap. 8; Villa de septem basilicis stationalibus, Joannes Franciscus a Basilica Petri de ecclesiis Mediolani; novissime vero typis edidit Vitam S. Mamantis Joseph Valvassorius Pœnitentiarius major in metropolitana, et quidem enucleate, atque in ea agit de sepulcro S. Mammetis. *Verum Boscæ, qui celeberrimi hodierni Martyris corpus vult asservari apud Mediolanenses, aliisque, quos citabat, non audeo statim suffragari; sed desidero, ut eruditi Mediolanenses suggerant documenta antiquiora, quibus constet primo, quando, a quo, quo e loco, et qua occasione illud corpus Mediolanum fuerit translatum. Secundo, ut probabilem rationem dent, vi cujus ostendatur, idem corpus esse Martyris hodierni nostri, et non alterius. Certe apud Morigium in Sanctuario urbis ac diœcesis Mediolanensis (quem primo loco citabat Bosca) pag.* 15, *ubi agit de Sanctorum corporibus in ecclesia S. Stephani majoris quiescentibus, invenio quidem notatum* corpus S. Mametis; *item in Historia ejus Mediolanensi loco citato, in catalogo corporum, quæ nominat, quæque dicit magna Mediolani in veneratione haberi, lego nomen* Mameti; *sed hoc* E *valde confusum et æquivocum est. Alios a Bosca nominatos scriptores consulendos aliis relinquo. Observa interim hujus qualiscumque S. Mamantis seu Mammetis festum in ecclesia Mediolanensi celebrari die* XVIII *Augusti, ut videre datur apud Boscam in notis ad diem* XVII *et* XVIII *ejusdem mensis.*

AUCTORE J. P.

S. Mametem, qui fertur mirabili modo in Cyprum advectus,

47 *Apud Echardum in Scriptoribus Prædicatorum recensitis tomo 2 pag.* 300 *notatur F. Stephanus de Lusignan, qui Gallice composuit Historiam generalem regnorum Hierosolymitani, Cyprii, Armeni, ac locorum circumvicinorum etc., a diluvio universali usque ad annum* 1572, *Parisiis vulgatam anno* 1579, *ac deinde ibidem recusam. Hujus historici caput* 14, *cujus fragmentum Ms. ante me habeo, ista memorat, quæ Latine interpretamur in hanc sententiam*: Sanctus Mames vel Mamolus *, sicut Itali Bononienses cum appellaut, martyrio affectus fuit in Asia minore: deinde marmoreo impositus tumulo, ac in mare projectus. Qui loculus vel tumulus, obsecundante divina bonitate, supernatans aquis, usque ad insulam Cyprum fuit delatus, ibique permansit F remotus a terra versus occidentem uno circiter milliari. Sanctus itaque noctu apparuit homini cuidam probo Cyprio, qui erat e pago Morphon dicto: cui imperavit, ut una cum suis liberis et bobus se conferret ad littus, ac cistam illam ad oram appelleret. Quod cum ille nec prima nec secunda vice crederet, tertia tandem vice fidem rei adhibuit, et quidquid Sanctus ei præceperat, præstitit. Itaque cum suis liberis ac jumentis incessit sieco vestigio super undas non aliter quam si super continentem fixissent gressum. Postquam vero cistam illam avexisset Morphonem usque, sine mora fit immobilis, stetitque in eo ipso loco, in quo existit usque ad hodiernum diem, neque umquam inde in alium transferri locum potuit. Et continuo dulcissimus ac pretiosissimus liquor e sepulcro ejus prodire visus est, qualis videtur in sepulcro S. Nicolai, S. Andreæ et aliorum. Liquor autem mirabilia operatur cum contra maris tempestatem, tum contra omnia morborum genera. Quod si quis eum ponat in cubiculo, vel penes se gestet, et peccatum carnis sit commissum, statim dissipatur et evanescit, neque scitur quid de eo fiat, separante se ab illis et a loco, in quo existunt, vel in quo actus ille commissus est. Celebratur ejus festum

* *In Gallico est Mamé ou Mamol*

AUCTORE J. P. festum die secunda mensis Septembris, quibus die ac loco nundinæ admodum celebres habentur.

non satis cognoscimus. 48 *Superius in hoc Commentario* § 2 *disputavimus de uno* S. Mamante *vel duobus in unum confusis; hic vero Cyprius ubi et quando sit passus, et quo spectet, ex vagis illis terminis* in Asia minore *extundere non possumus. Sed quandoquidem dies* 2 *Septembris, qua illum apud Cyprios coli asserebat Lusinianus, eadem est, qua colitur apud Græcos Martyr noster, sicut supra dictum est; mirum non esset, si Cyprii sibi persuasissent, ad suam insulam advectum fuisse celebrem* Mamantem *Cæsariensem. Sed utcumque illa res se habeat, censemus corpus* Mamantis *seu* Mammetis *hodierni illuc non fuisse advectum, ob ea quæ de ejus corpore apud Cæsarienses et Hierosolymitanos superius præmisimus. Secundo, non gravate admittimus, aliquem Mammetem martyrem in Cypro honoratum fuisse publico cultu, ita tamen ut pro mirabili isto ad eam adventu, qui sine tabulis ac testibus narratur a Lusiniano, antiquiora testimonia desideremus.*

B 49 *In apographis Hieronymianis a Florentinio* *Idem esto de capite apud Lucenses.* *editis signatur die* XVII *Julii* : Alibi natalis sancti Mammæ : *in quam annuntiationem scribens idem Florentinius in notis ad diem eumdem* XVII *Julii*, Nuper, *ait*, caput sanctæ *(imo eum hic tum inferius scribe* sancti) Mamæ argentea theca inclusum vidi in urbe Luca apud sacras sanctæ Justinæ virgines, et integre servatum cum vetustissima in membrana inscriptione, in qua præter sanctæ Mamæ nomen nihil aliud præ vetustate legere licuit. Caro adhuc super ossa exsiccata conspicitur : Capilli barbæque cirri rufi adhuc cuti hærent. Parthenopæum illud antiquissimum est, et de ejus vetustate, ac imperialibus regiisque indultibus plura diximus ad Vitam S. Silaï, typis Lucensibus editam. *Facile admisero, ibidem loci asservari caput, nomine S. Mamæ insignitum, ac testi oculato id asserenti fidem habuero, uti debeo, plenam. At quis mihi edisserat, quisnam fuerit Martyr ille : item unde et quando ad moniales illas pervenerit ejus caput. Enimvero e textu Florentinii citato nihil hujusmodi elici potest, nec sciri, utrum inscriptionis nomen, etiamsi antiquum, sit verum ac genuinum istius sacri*

C *pignoris nomen, an adoptatum ac supposititium. Melioribus sane instrumentis probatur possessio capitis* S. Mammetis *apud Lingonenses, sicut alio loco postea perspicuum fiet.*

De reliquiis Elwangensibus, 50 *An pignus aliquod sacrum* S. Mammetis *translatum aliquando fuerit in Germaniam, res omnino incerta est, quia meris nixa conjecturis. In novissima Galliæ Christianæ editione tomo* 4 *col.* 565 *et sequente proferuntur istæ* : Lego, *inquit auctor*, in Vita S. Annonis, Coloniæ præsulis, apud Surium IV Decembris lib. I cap. 48 *(imo 38)* fundatorem cellæ sancti Viti seu Elevangensis cœnobii in Suevia, Alamannorum atque Burgundionum ducem Divione redeuntem, sancti Benigni, Tergeminorum fratrum, ac SANCTI MAMERTI CIVITATIS ILLIUS *(id est Lingonensis)* EPISCOPI corpora secum asportasse, quæ suæ ecclesiæ consignavit. Nullus suppetit episcopus Lingonensis Mammertus nomine. Quidni ergo dicamus cum Tergeminorum reliquiis in Cappadocia, ut probabilissimum videtur, natorum et martyrio coronatorum, simul aliquid corporis B. Mammetis allatum, quod synecdochice corpus nuncupatum fuerit; et successu temporis Mammes mar. in Mamertum episcopum ab imperitis commutatus fuerit. Quidni et translationem ossis cruris primo factam admittamus. Quamquam enim D illius circumstantiæ fabulam spirare videantur, non inde tamen sequitur, nec illius substantiam admittendam esse. Frequenti enim experientia compertum est, facta plurima [per] sese verissima, ejusmodi fabulis obscurata fuisse, quæ criterio quidem indigent, sed non ideo omnino neganda sunt. *Martyres illi Tergemini sunt Speusippus, Eleusippus ac Meleusippus, de quibus actum est in nostro Opere ad diem* XVII *Januarii a pag.* 73 *: ubi pagina sequente sermo est de eorum reliquiis Elwangam translatis, afferturque locus, e quo paulo ante in Gallia Christiana desumebatur modo allata conjectura : quæ mihi videtur aliquantulum longe quæsita. De tempore autem translationis Elwangensis videri possunt, quæ in Commentario Actis Tergeminorum istorum prævio* § 1 *num.* 3, *et* § 2 *num.* 9 *dicta sunt.*

51 *Longe omnium celebratissima sunt sacra pignora, quæ in Gallia apud Lingonenses summa cum veneratione honorantur. Eorum solennem ac annuum cultum Martyrologio suo Gallicano Saussayus inscribit ad diem* X *Octobris hisce verbis* : Lingonis ipso die susceptio brachii sancti E *Lingonensibus,* Mamantis martyris [quod est] allatum ex Constantinopoli per Raynardum episcopum Lingonensem, dum rediret a Hierosolymitana peregrinatione. A quo sancti Martyris pignore aliisque jam antea huc translatis reliquiis, ipsoque sacratissimo illius capite (quod in ejus monasterio inventum a Latinis, quando Constantinopolis ab ipsis capta est, Gualo de Domnipetra episcopus Damascenus, origine Lingonensis, concedente id ejus votis Petro Capuensi Cardinale, Apostolico legato, tempore Roberti præsulis Lingonensis, religioso munere Lingonas advexit, ac matrici ecclesiæ obtulit) ipsa cathedralis ecclesia, quæ prius in honorem S. Joannis Euangelistæ consecrata erat, nomen accepit gloriosi hujus Martyris *(immo vero jam inde a seculo saltem 8 acceperat illud nomen, ut videsis supra* § 4 *num.* 39*)* cujus felicem adventum hac die magna solemnitate recolit et celebrat, Octavisque etiam ad majorem venerationem prosequitur. *Ex his perspicuum est, quam egregie pia et insigni religione Lingonenses prosequantur hunc suum thesaurum : qui, uti et ejusdem historia, examinabitur inferius post Sancti Passionem, quam* F *repræsentamus.*

ac Lorbanensibus. 52 *Quæ Frater Bernardus de Brito refert in opere suo Lusitano, quod inscribitur* Pars prima Chronici Cisterciensis, *lib.* 6 *cap.* 29 *fol.* 447, *et ex eo Cardosus in Hagiologii Lusitani Commentario ad diem* XXIX *Maii, de magna antiquitate monasterii Lorbanensis, quod est Ordinis Benedictini in Lusitania, videlicet conditum illud esse tempore S. Benedicti, reliquias sanctorum* Mametis *et Pelagii illuc delatas, et ea de causa illos fuisse assumptos in patronos; vel levissime hic attigisse sufficiat, tum quia nescitur quisnam sit iste Mames, et unde eo pervenerit, tum quia tanta illius cœnobii antiquitas vacillat. Nam Mabillonius tomo* 1 *Annalium Ordinis S. Benedicti ad annum Christi* 534 *num.* 31 *postquam inter alia monasteria nominasset Lorbanense illud, nec non S. Petri de Arlança, ac de hoc ultimo* persuasum *sibi esse affirmasset,* non ante seculum decimum conditum fuisse, *mox subdit ista* : Nec fere certiora sunt de aliorum, quæ mox commemoravi, origine argumenta, utpote pseudo-Maximi, aliorumque ejusmodi farinæ mendaci auctoritate subnixa. *Cardosus loco citato memorat, reliquias istas*

A *istas semper patrasse multa miracula, eo præcipu tempore, quo Saraceni dominabantur in Hispania et Lusitania. Hoc item sacrum depositum, quatenus ad S. Mamantem pertinet, est, si eidem Cardoso credimus, hodierni Martyris Cappadocis. Nec plura sunt, de quibus in hoc meo Commentario præmonere lectorem sit necesse. Reliquum ergo est, ut sancti Athletæ nostri qualiacumque Acta repræsentem.*

PASSIO

Auctore Godefrido Lingonensi episcopo.

Ex codice Ms. Cartusiæ Divionensis.

PROLOGUS.

Cur auctor novam post tot alias confecerit Passionis versionem.

B Passio beati Mamantis martyris de Græco in Latinum translata est Antiochiæ primum a viro religioso civitatis ejusdem, Græcorum ac Syrorum archidiacono. Secundo Jerosolymis, a Subpriore sancti sepulcri, qui postea episcopus sancti Georgii factus est. Tertio citra mare, in quodam religiosorum fratrum monasterio, quod olim vir spectabilis, magister Bruno *a* in Calabria ædificavit. Quod ego Godefridus *b*, indignus licet, episcopus Lingonensis, idcirco totiens feci, quia quædam dissona, multoque plura, quam in Latinis Galliarum exemplaribus audieram, ibi legebam: voluique ut de diversis religionibus, diversi et famæ laudabilis interpretes fidem mihi certiorem facerent veritatis. Cæterum cum idem Mamas beatissimus quarto Nonas Septembris *c*, martyrii coronam receperit, cur alia, et non hæc dies apud Latinos celebris habeatur ignoro; nisi forte, sicut multa alia *d* de ipso, sic et diem passionis ejus inter cætera nescierunt.

ANNOTATA.

C a *Anno videlicet Christi* 1097, *secundum ea quæ sunt dicta in nostro Commentario prævio* § 2 *num.* 19.

b *Non* Rainaldus. *Vide ibidem num.* 18.

c *Tunc enim colitur apud Græcos; hac vero die* XVII *Augusti apud Latinos, sicut ibidem habes* § 3 *num.* 23 *et* 26.

d *Immo vero omnia vel saltem pleraque Sancti gesta versantur in summa ignoratione: sicut docet idem Commentarius* § 1, *num.* 1.

CAPUT I.

Sanctus, parentibus in carcere mortuis, ab alia matrona adoptatur; ejus in fide constantia blanditiis ac tormentis frustra tentata.

Sancti pater in carcere moritur

Igitur sanctus Mamas, magnus martyr (hoc enim a Syris, et Græcis specialiter vocatur cognomine: sive quia in parvo corpore magnum martyrii certamen sustinuit; sive quia magni nominis generaliter apud ipsos habetur *a*) patriam habens Paphlagoniam, præclarus quidem secundum generis nobilitatem, sed secundum fidei pietatem præclarior fuit. Pater ejus Theodotus *b*, mater autem Rufina vocabatur, fideles ambo et excelsi nobilitate generis, utpote patriciis progeniti, totius genealogiæ suæ nobilitatem moribus et vitæ probitate exornabant. Hi itaque amore Dei succensi, desiderium suum nullo modo abscondere valentes, audaciter quæ pietatis erant, in publico exercebant, et quoscumque poterant ad fidem Christi exhortando convertentes, de lacu impietatis extrahebant. Unde et apud Alexandrum, qui tunc civitati Gangræ *c* præerat, accusati sunt. Hic namque mandatum ab imperatore acceperat, culturam deorum omni studio exaltare et ampliare: quoscumque autem Christianos inveniret, duris cruciatibus subigeret; et quos a fide Christi per tormenta evertere non posset, crudelissima morte mulctaret. Qui Theodotum suo jubens assistere tribunali, idolis sacrificare cogebat. E Cui nec aurem Theodotus adhibuit. Verum ille tormentare Theodotum conatus, sed parentum dignitate prohibitus (non enim licebat alicui nisi jussu imperatoris, patriciorum filios injuriare) a tormentis quidem destitit, sed Cæsaream Cappadociæ *d* Fausto duci illum transmisit. Qui et ipse quanto impietate ferventior, tanto crudelitate vehementior erat. Hic divinum suscipiens Theodotum, mox in carcerem retrudi jussit.

uti et mater postquam cum ibidem in lucem edidisset; utriusque precibus

3 At conjux Theodoti, uteri licet onere gravida, virum tamen incunctanter sequunta, cum ipso carcerem intravit. Quibus retrusis, Theodotus suæ carnis infirmitatem considerans, et tyranni crudelitatem non ignorans, mori magis cum uxore optavit, quam gravioribus tormentis non valendo resistere, indignum quid suæ nobilitatis contra Dei voluntatem agere. Unde sursum cor cum manibus elevans, oravit sic: Domine Deus virtutum, dilecti Filii tui Pater, benedico te et glorifico, quia pro nomine tuo in carcerem recludi adjudicatus sum. Verumtamen te carcerem recludi adjudicatus sum. Verumtamen te deprecor, Domine, qui omnia, et meam inter omnia fragilitatem nosti, suscipe in his vinculis animam meam, ne prævalens adversum me gaudeat inimicus. Sic oravit: et qui fingit sigillatim corda hominum, F et cogitationes eorum intelligit, voluntatem pro operibus suscipiens, continuo ad effectum orationem perduxit. Mox namque illa sancta anima a corpore egressa, Domino ei ejusmodi transitum providente, migrans ad cælum, corpus reliquit in carceris cœno.

Deo vivendi finem concedente.

4 Rufina interim carceris angustias non sustinens, præ multitudine miseriarum, inmature et ante tempus, quod natura præfixerat, expulit filium. Contristabatur namque miserabiliter dilecti mariti decessu, et cura Infantuli miserabilius angebatur: intolerabilis nihilominus horror carceris, et crudelitas Ducis, de perseverentia, quæ sola remunerationem meretur, cum tremore magno, et timore cor ejus concutiebatur *. Nullo horum tamen devicta; Infantulo Deo commendato, cunctaque corpori defuncto, quantum potuit, exhibita, a viro se derelictam indesinenter deflens, sed nec a mortuo separari volens, cum lacrymis et gemitibus dicebat ad Dominum: Tu Deus, qui plasmasti hominem, et mulierem de latere ejus formasti, placeat tibi, Domine, et me de corruptilibus hujus seculi creptam, ad tua tabernacula,

ex Ms. — * *l.* concutiebat.

Ex MS. cula, quæ sola sine fine manent, cum viro meo transire. Hæc Rufina: et confestim quod oravit, Deo largiente consecuta est. Completa denique oratione, beatam illam animam, emisit, felicem ad Deum viam et ipsa pergens, solo inter glebas utriusque parentis, Infantulo in carcere relicto.

Eorum proles mirifice a quadam vidua adoptatur

5 Divina interim visio cuidam mulieri Amyæ nomine, genere satis nobili; et divitiis præditæ, nec minus in his, quæ ad Deum spectant, abundanti, in forma cujusdam adolescentis apparuit; præcipiens ei, et dicens; Vade, et pete a duce Fausto corpora Sanctorum *e*, qui in carcere dormierunt: tollensque Infantulum, quem in medio eorum vagientem reperies, adopta tibi in filium, curamque illius tamquam uterini permaximam gere. Vidua siquidem erat, nec sobolem propriam habebat. Amya ergo visionem ad se divinitus factam intelligens, continuo Ducem aggreditur, et facile, quod petebat, est adepta, divina gratia utrique cooperante, et Duci, ut concederet, et Amyæ, ut quod sibi præceptum fuerat, sine dilatione adimpleret. Eapropter carcerem festinanter ingreditur: Et inde corpora Sanctorum ac Infantulum tollens, corpora quidem splendide et cum magno honore in horto proprio sepelivit; Infantulum vero in filium sibi adoptans, velut proprium quem peperisset, sic enutrivit, sic erudivit, sic amplexata est: magisque quam mater aliqua super filium uterinum, circa illum curiosa extitit. Etenim quanto magis Puer crescebat, tanto et amor in eum augmentabatur; quippe quem, fructum omnium laborum suorum, et suæ senectutis optimum sustentatorem se habituram gratulabatur.

et educatur, ac bonorum ejus fit heres. *f*

6 Jam itaque ad secundum Puer pervenerat annum, et lingua tenera, mama, quod Latine mater significat, Amyam vocare balbutiendo cœpit: unde et Mamas proprium nomen *f* accepit, et de cætero hoc nomine vocatus et ab omnibus cognitus est. Quinto itaque completo anno, cum jam ab Amya magistris litterarum commendatus fuisset, tanta aviditas doctrinæ, tanta capacitas memoriæ, tantum maxime in eo acumen ingenii apparuit, ut in brevi coætaneos suos omnes in eruditione devinceret. Anima siquidem ejus tota aut circa lectionem, aut circa doctorum sermones assidue versabatur. Aurelianus ergo Romani imperii apicem adeptus, dæmonibus omnes immolare præceperat, non solum viros ac mulieres, sed et pueros maxime; quoniam propter tenerrimæ ætatis naturam, facilius eos suo errore fidem Christi negare, et velocius ad impietatem suam traducere æstimabat. Et revera alii pueri voluntati imperatoris obediebant. Quicumque autem condiscipuli Mamantis fuerunt, sanum Pueri intellectum imitantes, verbis et exemplis ejus informati, præcepto imperatoris nec auditum saltem præbebant. Docebantur denique quotidie a desiderabili Pueri prudentia, Jesum Christum verum Deum esse, qui omnia creavit ex nihilo, et creata suo gubernat imperio, et in fine mundi pœnas et præmia cunctis reddet pro merito, et ipsi soli rationabilem hostiam intus et foris offerri debere. Illos autem qui ab impiis et honorantur, et dii dicuntur, inania simulacra esse, turpitudinis et rediculi plena.

Anno ætatis decimo quinto sistitur tribunali Democriti;

7 Dum hæc itaque sic se haberent, Mamas quintum decimum ætatis suæ annum complens, post mortem bonæ Matronæ (hoc enim Amyæ cognomen erat) super qua non modico dolore confectus est, totius substantiæ heres ab Amya constitutus relinquitur. Interea Democritus quidam, vir culturam idolorum vehementer spirans, et ad hanc zelo ardenti succensus, officium supradicti Fausti adeptus, dum Cæsaream secudisset, audito de beato Mamante, quod non solum deos ipse non coleret, sed et coætaneos et condiscipulos suos ab eorum cultu dehortando revocaret, crudelissime in Puerum iratus, suo illum tribunali assistere jubet. Et primum quidem si Christianus esset interrogat. Dehinc, si hic est, qui nec sacrificare diis vellet, nec sodales suos imperatori obedire permitteret. At Mamas imperterritus, nec in aliquo omnino turbatus, prudentiori, quam ætas illa soleat, usus constantia; Ego, inquit, o Dux, vestras optime novi versutias, qui tam densa deceptionis caligine obvoluti estis, ut nec ad lucem quidem veritatis respicere valeatis. Deum namque vivum et verum reliquistis, et idolis surdis et inanimatis immolatis. Absit autem a me, ut vestris fraudulentiis deceptus, vel ad punctum a meo Christo recedam, vel quoscumque ad ipsum convertere potero, vestris territus minis desistam.

qui constantia ejus attonitus, ad Aurelianum demittit illum; sed frustra.

8 Expavit Democritus Pueri constantiam, et cum recedere eum a rectæ fidei regula blanditiis posse desperaret, minis aggreditur; et ut ad templum Serapidis ductus, idolo sacrificare compelleretur præcepit. Mamas nihil femineum aut ignobile ex minarum terrore concipiens; Non licet, inquit, tormentare te, vel minis afficere, quem tam magna et præclara matre nutritum, tam ditissimis copiis, et amplissima hereditate constat esse præditum, nomen ei Amyæ præponens. Quæ Democritus audiens a circumstantibus de prædicta Matrona et Mamante puero, an ita se haberent, diligenter inquisitis, ad Aurelianum qui in Ægas * *g* morabatur, ligatum catenis Mamantem transmisit; quæ de ipso erant litteris imperatori significans. Qui perspectis litteris, statim Puerum suo præsentari conspectui jubet. Quem multis modis circumvenire satagens, nunc quidem pulchra et deliciosa promittendo munera, et honores plurimos offerendo; nunc vero dura et terribilia minando verbera, et tormenta proponendo, Si, inquit, o bone Mama, magno Serapidi sacrificaveris, eris nobiscum primus in palatio, delitiis frueris imperialibus, et in tantum glorificaberis, ut et boni te mirentur, et laudent; et mali te æmulentur, et tibi invideant. Si autem piis non acquieveris consiliis, multis cruciatibus afflictum, ungulis hominum et dentibus bestiarum discerptum, flammis te consumi præcipiam.

* Ms. Eges *g*

Post generosa responsa

9 Verum Puer nec blauditiis illectus, nec terroribus victus, immo magis ardore fidei succensus, cum magna fiducia respondit: Numquam mihi, imperator, contingat in tantum desipere, quod hæc, quæ a vobis coluntur simulacra surda et muta, et omni sensu carentia, rationis alicujus vel honoris existimem digna. Quin potius vestri intellectus crassitudo et hebetatio pernimia vehementer est arguenda, qui talia coli vel quoquo modo honorari permittitis. Desine ergo talia vel læta mihi promittere, vel terribilia minari. Si beneficiis, quæ promittis, assensum præbuero, gaudia sempiterna amitto: si tormenta, quæ minaris, inferes, magna mihi præmia conferes. Et ne te diutius traham, pretiosior est mihi mors pro Christo, quam totius mundi honor aut divitiarum possessio. Ad hæc Aurelianus vehementius spirans in Puerum, fustibus corpus ejus tundi præcepit. Dilaniabatur interim corpus tenerum, et quasi in primo flore Pueri mente cani, qui quasi dulci somno requiescens, sic hilari vultu, læto corde, immobilis

A immobilis subsistebat.

irrito conatu torquetur, 10 Imperator autem, utpote astutus et dolo plenus, simulans se Puero velle misereri, et quasi ab atrocioribus tormentis, quæ illum expectabant, volens eruere, revera ita ad sacrificandum inducere tentans; Dic, ait, solummodo verbo, te velle sacrificare, et ab his tormentis liber eris. Respondit Mamas : Non ego, imperator, etiamsi multo numerosiora et graviora, quam impræsentiarum cerno, paraveris supplicia, Christum solum verum regem corde vel ore negabo. Sed et tibi magnas refero grates, per quem mihi desideratum appropinquare cognosco bravium. Tortorum quidem manus non solum non lassari (utpote quæ tantorum mihi sunt causa bonorum,) sed magis ac magis valere et confortari exopto. Porro Aurelianus Puerum plagas ei illatas nihil curare prospiciens, corpus ejus nudum lampadibus præcepit incendi; quatenus in brevi carnibus incendio perforatis, diutius acutioribus torqueretur doloribus. Nec mora, adhibentur lampades corpori Sancti; sed ignis Athletam Christi reveritus in milites potius vehementer desæviit.

B *ac divinitus a morte liberatur.* 11 Corpus igitur Martyris exterius flamma absque dolore lambebat, animam vero tyranni interius cum magno cruciatu cremabat. Quanto enim minus Martyri propinquabat, tanto majoris insaniæ flamma persecutorem urgebat. Deinde jubet lapidibus Martyrem tundi; quos ille spe futurorum, ut rosarum flores suscipiebat. Perpendens itaque tyrannus nullo genere tormentorum mentem Mamantis se flectere posse, plumbeam collo ejus ligari et ad medium maris in profundum demergi præcepit. Sed nec hic, o Mama, tui Deus oblitus, angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. Extemplo quippe angelus Domini in humana forma apparens, tantum militibus pavorem incussit, ut in fugam omnes converteret. Martyrem vero de manibus eorum eripiens, ad montem quemdam juxta Cæsaream transire præcepit, ibique morari.

ANNOTATA.

a *Parenthesis ista non habetur in Surio. Verum hoc, quod damus exemplar, cum illius exemplari operose conferre, non est operæ pretium, nec Actorum meritum.*

C b *De* S. Mamantis *parentibus, qui hic nominantur, agit Commentarius prævius* § 1.

c Gaugra civitas episcopalis Paphlagoniæ.. quondam clara, nunc vero parvi nominis, et veluti pagus effecta, *teste Ferrario in Nova topographia ad Martyrologium Romanum. Plura de ista urbe diximus tomo* VII *Julii, die* 29, *pag.* 39.

d Cæsarea Cappadociæ *patria obtigit S. Basilio magno, quam et episcopus illustravit. De illa urbe consuli possunt, quæ jam pridem sunt dicta apud nos tomo* II *Junii pag.* 815 *in Vita laudati præsulis.*

e *Habentur in Martyrologio Romano ad diem* 31 *Augusti, uti et* Ammia, *sicut indicavimus in Commentario prævio* § 1; *ubi consuli possunt alia, quæ ibidem de illorum historia sunt expensa.*

f *De Sancti nomine mira vide ibidem, sed suspectæ fidei.*

g Ægæ, civitas olim Ciliciæ litoralis haud procul a Pyrami amnis ostiis, inter Mallum et Issum urbes ejusdem oræ : cujus hoc tempore nulla extant vestigia, *ex Ferrario paulo ante citato. Cellarius in Notitia orbis antiqui tomo* 2 *in initio Ægam exhibet in mappa topographica; sed pag.* 148 *plures alibi synonymas notat. Verum quandoquidem supra occurrebat Cæsarea Cappadociæ, verosimiliter hic agitur de Gangra Ciliciæ.*

EX MS.

CAPUT II.

Mira operatur inter bestias, captivitas, superati ignes, mitigatæ feræ, martyrium.

In montem secedens, 40 diebus jejunat, et accipit Testamentum novum : Quo cum pervenisset, quadraginta continuis diebus absque cibo potuque manens *a*, alter quodammodo Moyses effectus, Testamentum novum, ut ab Apostolis jam pridem per orbem prædicatum fuerat, suscepit : Et, ut audacter loquar, quod minus datum fuerat Moysi, huic concessum est Martyri. Moyses namque tabulas tantum veteris Testamenti de cælo suscepit; huic vero virga, et cum virga vox supervenit, E dicens; Virgam suscipe, Mama, et terram virga percute. Quo sine mora completo, protulit de occultis suis terra dehiscens Evangelium Christi O mira circa Puerum gratia Redemptoris! Adhuc Puerulus, præter cursum naturæ, non solum Moysi, sed et Apostolo Paulo comparatur. Ille virga mare, iste terram scidit. Et ne quid ei gratiæ deesset Apostolicæ, Evangelium non ab homine, neque per hominem, sed per revelationem Jesu Christi accepit. Dehinc oratorium sibi propriis manibus fabricatus est : qui et de cætero vivere de labore manuum studens, et doctus sapientia, (fortis mulieris exemplo, quæ panem otiosa non comedit) silvestria animalia, quibus uti licitum est, divina ad se deducta virtute mulgens, faciebat caseos : nec ignorans, beatius esse dare quam accipere, paucis ad usum sibi retentis, reliquos Cæsaream descendens pauperibus distribuebat.

alia ibidem inter bestias vivens 12 Interim Alexander quidam, non ille, cujus supra mentionem fecimus, Dux Cappadociæ constitutus, vir nemini crudelitate volens esse inferior, immo in impietate omnes superare contendens, magnitudinem sapientiæ et religionis Mamantis, quam fama divulgante didicerat, F non ferens, omnibus de ipso diligenter inquisitis, milites suos, qui illum ad se deducerent, ad inquirendum transmittit. Quod Sanctum minime latuit, sed ocyus eis obviam occurrit. Cui milites obviantes, et quis esset penitus ignorantes; locum, in quo Mamas maneret, ab ipso sciscitabantur. Quibus ille, Paululum vos, inquit, primum quiescere, et de equis descendere, et ad cœnam recumbere convenit : ac post hæc, Mamantem, quem quæritis, ostendam. Quo concesso, diligentius præparat cœnam, aquam manibus infundit, panem et caseum conviva dapsilis sufficienter apponit. Talibus delectabiliter refectis, ecce, feræ more solito ad Manantem conveniunt, cui sic mansuete et convenienter ad emulgendum se exhibent, ac si ab illo nutritæ, et ad hoc instructæ diutius fuissent. Quo viso, milites timore et stupore magno correpti, relinquentes cœnam, confugiunt ad Martyrem : et quem, ut occiderent, tenere venerant, timent ne moriantur. Quos ipse leniter consolans; ne timerent, immo confortarentur, et viriliter se haberent, exhortatus est.

13 Deinde

EX MS. mirabilia operatur,

13 Deinde volens eos a cura liberare, qua pro se quærendo angebantur, Ego sum inquit, Mamas, quem quæritis, et amplius nolite in quærendo vexari; sed præcedite; ego vos e vestigio sequar. Cui illi firmissime credentes, nec in eo leve quid fallaciæ suspicati, via, qua venerant, regressi sunt. Sanctus vero Martyr, unum de leonibus, qui secum in monte morabantur, nutu vocans, ait; Veni mecum, ac dum agonem aggrediar ego, tu gentilium et Judæorum pueros, quotquot maligna et blasphema lingua nomen unigeniti Filii Dei detrahendo maledicent, cursu velocissimo arripe, et crudeliter discerpe. Hæc præcipiens bestiæ, discessit a monte: qui milites secus portam civitatis expectantes consecutus, ad Alexandrum cum illis ingreditur. Quem intuitus Alexander, Tu ne es, inquit, Mamas, qui de arte magica infamaris? Ad quem Mamas cum magna modestia, Ego, inquit, sum Mamas servus Christi, qui salvat quidem sperantes in se, et facientes ejus voluntatem: magos autem, et incantatores sacrilegos et idololatras igni inextinguibili condemnat.

B

habens eas sibi obedientes ac familiares.

14 Sed quamobrem me vocaveris, modo expone. Quoniam, inquit Dux, talibus maleficiis, quibus tu uteris, communicare nolo; quibus invincibilem, et indomabilem bestiarum crudelitatem sic tibi allicis, ut cum ipsis tamquam cum hominibus converseris: et ipsæ plusquam homo quis rationabilis tuis pareant jussis. Cui respondens Martyr, Qui meo, inquit, servit Deo, non solum cum idololatris et incantatoribus non conversatur, sed nec brevi quidem cum eis aliqua cohabitatione communicat. Quapropter cum feris et bestiis magis quam vobiscum conversari elegi. Hæ quidem non nostris, ut suspicaris, incantantur maleficiis, ut quasi domesticæ mihi famulentur: non enim quid sibi velit nomen maleficii vel incantationis scio, nec tale quid umquam didici; sed licet sint feræ sensus rationalis incapaces, Deum tamen meum noruut revereri, et illi servientibus honorem exhibere. Vos autem multo per omnia illis estis irrationabiliores, qui et ipsas in hoc habetis exemplar, quod honorem communi omnium Domino deferunt, et nec sic Creatorem vestrum cognoscitis.

C

Ab Alexandro increpatur, et inter tormenta cœlitus roboratur:

15 Dux igitur quoniam ad hæc nihil contradicere habebat, aperte cœpit sancto convitiari Martyri. Quomodo, inquit, in tantam stultitiam et audaciam prorupisti, ut nec præceptis imperialibus contraire metuas, nec injuriari nobis verearis? Sed tormenta, quid te oporteat facere, docebunt. Et confestim præcepit eum suspendi ac dilaniari. Suspensus vero ac dilaniatus, inter tot supplicia in nullo molliter egit: nil infirmum, nil ignobile dixit; sed in omnibus viriliter agens, hilari vultu tortores aspiciebat, ac si nihil doloris sentire videretur. Quippe cælo totus intentus, paradisum lætus præstolabatur. Duce igitur acriores dolores prætendente, et ut vehementius Martyris corpus discerperetur, instantius instigante, divina quædam vox cælitus delapsa ita sanctum Martyrem confortavit, quatenus nimietatem dolorum penitus non sentiret, et ex hinc tormentorum omnium victor existeret. Quam vocem multi fidelium audientes, plurimum in fide Christi confirmati sunt. Videns Alexander nobilissimum Puerum sævissimas illas ungulas nihili pendere, in insaniam versus, illum quidem dimitti de equuleo jubet, fornacem autem ignis ad Athletam Christi cremandum succendi præcepit.

16 Interim aliis detentus, opportunum valde ac commodum suæ malitiæ existimavit, Martyrem Christi ad tempus in carcerem retrudi: spe enim falsa deceptus pensabat, quod si tempus exiguum requiei concederetur; pro semetipso forsitam Martyr diligentior existens, tum præteritorum dolorum experientia, tum timore futuræ sibi fornacis accensæ, ad secundam interrogationem mollior occurrens, prioris rigoris non modicum deponeret. Recluditur ergo Puer generosus in carcerem, ubi quadraginta Christianos catenis adstrictos inveniens a vinculis solvit, vectes carceris et omnia claustra orando amovit, januas aperuit. Illos quidem foras exire jubet; ipse vero ad futuros agones angelica præsentia confortatus, solus in carcere remansit. Interea Dux aliorum negotiorum causas seponens, camino vehementer accenso, Martyrem suo tribunali adstantem sic alloquitur: Negotiis, quæ multa et magna nobis imminent, attendentes, aliquantulum requiei indulsimus, ut tibi consulens, utilitati tuæ provideas: quod si volueris, tu ipse conspicis, in quantam accensa fornax altitudinem flammas extollat. Nec amodo ego te verbis aggrediar, donec ipsa tua irrationabilis duritia, post profunda suspiria ad pœnitudinem licet seram conteratur.

D

in carcere conclusus liberat captivos: novæ tyranni minæ.

E

In caminum projectus divinas laudes cantat.

17 Ad hæc Martyr constantissime respondit: Jam pridem, o Dux, meam aperte tibi exposui voluntatem, et quid in eodem rursum versaris? Incipe, impone finem, et ne amplius in minis moreris. Quo dicto, in caminum illico projicitur; sed Deus, qui quondam in Assyria tribus pueris in fornace, cælesti eos rore perfundens, ignes non sentire donavit, ipse et huic suo non defuit Puero: nam Christi Martyr, in medio horto florenti, rore cælesti perfusus, in medio flammæ deambulans, nec odorem quidem ignis sentiebat; immo toto triduo, quo caminus eum tenuit, hymnos canere, et gratias Deo agere non cessabat. Post triduum vero flamma deficiente, et carbonibus in cinerem dissolutis; carnifex nec mortuo parcere sciens, quidquid de ossibus Martyris supererat, de camino extrahi, sibique præsentari jubet. Missi tortores ad fornacem, protinus sanctum Martyrem audiunt voce clara intus magnalia Dei glorificare: unde et attoniti et vehementer territi, propere revertentes, quæ audierant, et viderant præter naturam accidisse, exactori cinerum renuntiant. At ille, Per magnum inquit, Serapidem, et omnes alios deos, manifesta incantatio est. Hæc et alia multa contra veritatem loquendo, Martyri fureus derogabat. In tantum siquidem ira Dei et indignatio cor ejus excæcaverat, ut quod cæteris luce clarius erat, hoc iste mente cæcus, meridie quasi in tenebris palpans, nec videre nec sentire ullo modo posset. De turba autem, quæ ad spectaculum convenerat; quotquot ad veritatem vel per modicum spirare poterant, in Athleta Christi nec vestigium ignis, nec exustionis signum aliquod reperientes, Jesum Christum glorificabant, ipsi soli miraculum ascribentes.

F

De feris triumphat, quæ ei mira præstant obsequia; at gentiles leo discerpit,

18 Interim Alexander videns sanctum Martyrem suo rursus tribunali astantem sic sanum et incolumem, ut nec minima in pilis vel capillis ejus ustio inspici potuisset, iterato convitiis et derisionibus, aliisque blasphemiis illum aggreditur, magum, et incantatorem, et dæmoniacum insano clamore vociferans. Cui Martyr nec respondere dignabatur. Interim ad locum, quo populus ad spectaculum venire consueverat, escam illum ferarum se facturum existimans, duci præcepit. Quo et Martyr subridens lætus subsequitur. Leopardus itaque et ursus, qui jam multos interfecerant,

A fecerant, ad discerpendum Martyrem dimittuntur. Ursus quidem cum magna modestia inclinans caput, martyris Mamantis pedibus provolutus, vestigia ejus diligenter deosculari videbatur: Leopardus vero quasi quoddam domesticum animal in pedes se erigens, sudorem, quem ob laborem Sanctus emiserat, totum corpus lambendo leniter detergebat. et quasi de injuriis, quas sustinuerat, graviter condolens, quibus datum est modis consolabatur. Et feræ quidem, quas impius ad devorandum Martyrem emiserat, talia nostro inferebant coronato. Sed non sic ille leo, qui ab ipso mandatum acceperat, et quem (ut supra) contra impios armaverat: nam frendens dentibus, et furore spirans, ocyus de monte descendens, turbam, quæ ad spectaculum convenerat, terrendo disperdens, alios dentibus, alios ungulis discerpebat. Unde non minima infidelium multitudo, divinam circa Martyrem potentiam sentientes, Deus ipsius magnificaverunt.

Martyr tridente transfixus, ad gloriam vocatur, et cursum consummat miro modo.

B 19 Sed hæc, quæ pectora etiam saxea mollire valerent, tyrannum potius crudeliorem reddebant: nam induratum cor habens, leonem iterum ad devorandum Martyrem dimitti præcepit. Sed quanto prædictus leo contra impios acrius sævierat, tanto hic modestius ad Martyrem mansuetus accessit: quasi ad consolationem potius quam ad supplicium videretur adductus. Demens igitur Alexander, et penitus desperans, quod jam nullo genere tormentorum Mamantem vincere posset, quodam de astantibus fortissimo, et ad impietatem promptissimo ad se vocato, tridentem ferreum, quem forte manu tenebat, in viscera Martyris ambabus manibus infigere fecit *b*. Quod cernens quædam religiosa mulier, et circa Martyris venerationem devotissima, cucurrit ad Martyrem, et guttas sanguinis de visceribus ejus defluentes in cratera suscipiens, honorifice sibi recondidit. Porro Christi Martyr gloriosus, defluentia viscera propriis manibus stringens, cum magna confidentia, quam illi diu expectatus, sed jam proximus finis præstabat, pertransiens theatrum; gratiosus, et suo onere decoratus, improperium Christi portans, civitatem egreditur.

C Lætissime quippe interiorem naturæ suæ plasmationem in manibus ferens, Plasmatori suo extra castra seipsum obtulit sacrificium. Ad duo denique stadia declinans in quoddam spelæum, ecce, corona in cælo sibi parata conspicitur, voxque cælitus demissa est ad eum, dicens; Ascende, Mamas, athleta Christi, ascende cælum, quo Christus, quia legitime certas, te coronaturus expectat. Moxque illa sancta anima vinculis corporeis absoluta, in æterna tabernacula, ad illas ineffabiles delicias et claritatem supernorum civium, inter choros angelorum assumpta est, Christum cum ipsis sine fine laudatura, cui devote servierat. Ascendit autem die secunda, (id est, quarta Nonas) Septembris, eum quo et nos ascendere possimus, cooperante gratia Redemptoris nostri; cum quo est Patri et Spiritui sancto gloria, honor et imperium, nunc et semper et in secula sæculorum. Amen *c*.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio* § I *num.* 6 *aliqua observavimus de hoc jejunio, quod est exiguæ fidei.*

b *Alibi dicitur Martyr capite plexus, prout ibidem num.* 8 *licet videre.*

c *Habes hic qualiacumque Acta; sed cum ea, quæ circumferuntur, duplicis sint, ut ita dicam, generis, quæ utpote partim conveniunt, partim non item; consuli possunt præmissa in Commentario* § 2 *num.* 14. EX MS.

DE RELIQUIIS

In Galliam ad Lingonenses translatis.

Observationes præviæ.

Quis earum auctor;

Harum translationum scriptor est anonymus quidam sacerdos: nam in earumdem præfatione de se ipse sic memorat:* Ego autem minimus sacerdos *etc. In editione dictarum translationum, quæ exstat apud Surium die* XVII *Augusti, tribuitur ei titulus* Canonici Lingoniensis *: qui etiam notatur in Bibliotheca Floriacensi, a Joanne a Bosco in lucem data, pag.* 239 *post textum laudati anonymi; quam autem vere, quo tempore,* E *quove auctore ibidem adscriptus fuerit, prorsus ignoro. Quod vero auctor ille si non canonicus, saltem sacerdos Lingonensis exstiterit, eruitur e characteribus, hic et illic historiæ ejus num.* 12 *et* 13 *apud nos insertis. Nam de Godefrido Lingonensi episcopo,* Multi, *ait,* adhuc extant e VOBIS, qui ciderunt eum. *Et mox subdit:* Quod vero ad gloriam NOSTRI Martyris attinet, non silebo. *Deinde habet ista de sanguine, qui prodigiose e brachio ejus manavit:* Omnes qui aderant de tanto miraculo stupefacti, receptum sanguinem in vase alabastrino, quod adhuc penes NOS est, devotissime posuerunt. *Denique* Hujus, *uti adjungit,* facti testis est ipse sanguis, qui apud NOS... monstratur usque in hodiernum diem. *Dixerat cap.* 2 *de Guilielmo episcopo Lingonensi,* qui nunc est electus noster.

quando

2 *Anonymum hunc scripsisse anno circiter Christi* 1214, *notatum reliquit Petrus Franciscus Chiffletius, sicut superius præmisimus in Com-* F *mentario prævio* § 5 *num.* 18. *Apud Surium narrationi ejus apponitur annus* 1205. *Sed cum ipsemet Anonymus variis hoc argumentum notis chronologicis circumscripserit in sua historia, proponere eas juvat et expendere. In illa itaque num.* 12 *antea citato sermo ei est de* Ludovico tunc rege, patre hujus illustris Philippi, qui nunc, *ait,* regnat in Francia. *Scripsit ergo tempore Philippi II, seu Augusti, Francorum regis, qui Ludovico patri vita functo successit anno* 1180, *postquam anno* 1179 *ab eodem fuisset inauguratus: regnumque tenuit usque ad annum* 1223. *Sed laudatus Anonymus magis presse determinat suum tempus, quando infra apud nos cap.* 2 *commemorat* venerabilem Guillelmum, *et addit,* qui nunc est electus noster, *sicut modo diximus. Floruit igitur sub initia episcopi hujus Lingonensis.*

scripserit.

3 *In nova Galliæ Christianæ editione tomo* 4 *agitur de illo a col.* 596 *in hæc verba:* Guillelmus de Ioinvilla, seu, ut in variis instrumentis legitur, de Iovis-villa, de Junci-villa *etc.* oppido ad Matronam fluvium, quod ad Lotharingos principes transiit, et in eorum gratiam principatus nomine fuit insignitum, nobilissima Campaniæ prosapia ortus *etc.* Quamvis *autem* vulgo cum Chronico Lingonensi dicatur pedum assumpsisse MCCIX secundum veterem anni inchoandi modum; MCCX secundum præsentem. *Deinde* res

AUCTORE J. P.

res ejus gestæ annis variis innectuntur, prout ibidem licet videre, usque ad annum MCCXVIII. *Operam itaque navarit, vel, si vis, ultimam imposuerit manum historiæ suæ Anonymus noster non anno* 1205, *sicut habetur apud Surium; sed vel anno circiter* 1214, *uti placebat Chifletio; vel anno circiter* 1209; *hic enim non tantum videtur indicari ab illo scriptore potius quam iste, quia laudatum Guilielmum vocat electum, quo videtur denotare primordia episcopatus illius; sed etiam quia in fine suæ narrationis diserte dicit:* Anno Incarnationis millesimo ducentesimo nono facta sunt hæc; *quæ propter rationem datam non videntur diu post scripta. Non abs re nunc observanda quædam subjicimus de ipsis sacris pignoribus ad Lingonenses translatis.*

Non eadem omnium istarum reliquiarum

4 *Imprimis non eadem omnium certitudo est: nam Anonymus ipse dubitat de osse tibiæ vel femoris, quando sub finem suæ historia hæc refert:* Tertio *missum est ad Lingonenses* os longum, quod de tibia vel de femore esse videtur: de quo qualiter venit ad nos, sub silentio pertransivi, quia non est
B multum authenticum, licet sub multorum nobilium et bonorum virorum testimonio fuerit allatum. *Pars ossis colli, quæ primo missa ad Lingonenses dicitur, non satis certo probatur, tum quia nititur traditione, de cujus veritate non constat ob mira quædam, quæ rei gestæ immixta sunt, præmittente ejusdem narrationi Anonymo:* Quod factum fuisse DICUNT hoc modo, *ut exstat apud nos infra cap.* 1; *tum quia non exprimitur nomen illius, qui reliquias istas in Galliam detulit, nec episcopi Lingonensis, qui eas excepit, nec tempus, quo res accidit. Valeat tamen quantum potest rei gestæ substantia. Videsis dicta superius in Commentario* § 3 *num.* 31.

est auctoritas; falsa cujusdam

5 *Anonymus ubi narrasset num.* 5 *pignus illud sacrum nullo modo potuisse moveri a loco prope civitatem Lingonensem, ut in eamdem deferretur, seniorem quemdam inducit, qui episcopo hæc dixerit:* Pater, evidentibus patet indiciis, quod Sanctus iste maximi meriti est apud Deum: unum superest, ut promittamus... quod scilicet ecclesia Lingonensis hujus Sancti nomine tituletur. Nec timeas, quia non indignabitur sanctus Euangelista Joannes *etc. Dionysius Gaultherot in suis Lingonibus paganis ac Christianis*
C *anno* 1649 *Gallice vulgatis, pag* 370 *asserit, ecclesiam cathedralem Lingonensem a Garnerio II dedicatam fuisse die* XX *Julii anno* 1196 *sub invocatione* S. Mammetis, *præsentibus, sicut addit, pluribus abbatibus, Duce Burgundiæ etc. Idque ab illo actum fuisse vult ad mandandum exsecutioni votum, quod fecerat Rainaldus episcopus, quando accepit os colli Martyris hujus ab aliquo nobili delatum, qui illud obtinuerat ab Isaacio Comneno anno* 1059, *ac promiserat, curaturum se, ut nominaretur patronus ecclesiæ cathedralis. Tum citat Gaultherotius quoddam registrum, ut vocat, etc. Sed farrago hic est falsitatum.*

narratio refellitur.

6 *Nam* 1°, *ecclesiam Lingonensem jam inde a seculo saltem octavo* S. Mammetis *gessisse nomen manifeste liquet e nostro Commentario Prævio* § 4 *supra.* 2°, *Si Garnerius anno* 1196 *istam dedicationem peregerit, idque ad complendum Rainaldi votum jam expositum; quomodo potuit Anonymus noster num.* 5 *citato dicere de episcopo, sub quo promissionem illam factam fuisse, ut paullo ante vidimus, referebat,* cujus nomen novit Dominus, *cum optime calleret nomen Rainaldi, uti perspicuum est e capite* 2, *in quo narratur episco-* D
pus ille Lingonensis brachium S. Mamantis *(non vero os colli) Constantinopoli impetrasse ab imperatore, nescio cujus nominis, quia quo anno illuc sit profectus, non constat. Etenim tametsi* Constantinopolim et Orientales plagas devotionis causa, *sicut refertur in Gallia Christiana citata col.* 562. illum adiisse constat; at quo anno *tamen id acciderit,* incompertum; MLXXVI inquit Chronicon Lingonense. *Quod si verum est, pignus illud sacrum accepit a Michaële Duca, qui imperavit ab anno* 1071 *ad* 1078. *Translatio autem istius brachii videtur plane authentica, ac præsertim capitis, de quo nonnulla etiam notanda sunt.*

Quæ memorantur de Sancti capite, satis sunt authentica.

7 *Ut breves simus, notas aliquot, ejusdem capitis authenticæ veritatis testes, indicasse ac tamquam digito monstrasse sufficerit, misso lectore ad historiam Anonymi, in qua plura huc spectantia inveniuntur apud nos cap.* 3. *Observentur ergo quæ ibidem exstant de sacri istius lipsani inventione ac inscriptione; item de traditione thesauri hujus; deinde de sancti Martyris apparitione. Narrationem porro Anonymi in nova more nostro dispescuimus capita, et a mendis expurgavimus, intacta tamen semper rerum substantia; cui etiam addimus nostra annotata.* E

HISTORIA

TRANSLATIONUM

Ab Anonymo quodam sacerdote Lingonensi *a* conscripta, a

Et in Bibliotheca Floriacensi Joannis a Bosco typis edita b pag. 226 *et sequentibus xysti dextri,* b

PRÆFATIO AUCTORIS

F

CAPUT I. *Auctor suam tenuitatem excusat per obedientiam,*

Quoniam fragilitas conditionis humanæ præteritorum memoriam diu vivere non permittit, a Domino datus est in remedium literarum usus, per quas et præterita vivant, et posteriorum oculis quasi præsentialiter facta, fideliter præsententur. Antiquorum enim exempla sunt illi carbones desolatorii, per quos et vitiorum rubigo consumitur in mentibus auditorum, et fidelis devotio ad agendum vel patiendum similia, si opus fuerit, ferventius inflammatur. Quis enim tam saxeum pectus habet, quod non faciat aliquantulum emolliri, cum subit in mentem fides Patriarcharum, Prophetarum audacia, admiranda Petri et Apostolorum potentia, constantia Martyrum, patientia Confessorum, tenera Virginum fortitudo; sicut dicit Apostolus: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Ego autem minimus sacerdotum, qui nec dignus sum vocari sacerdos, quia sæpius et in multis offendi, et extra legis semitam frequentius ambulavi, pandere proposueram caritati vestræ, qualiter beati Mamantis martyris caput Lingonas *c* est allatum; sed vereor ne imputetur mihi c

A mihi ad præsumptionem, si opus aggredior, quod ultra me esse non dubito. Novit tamen Dominus, quia ad hoc adstrictus sum quasi ex majoris imperio. Unde et confido in Domino, quod vires, quas imperitia denegat, obedientiæ virtus et caritas ministrabit.

et præmittit miraculum Sancti. 2 Veniam autem postulo, si aliquantulum altius exordiar. Quædam enim in Legenda beati Martyris omissa sunt, forte per negligentiam prædecessorum, quæ et Martyri cedent ad gloriam, et utilitati proderunt auditorum scita. Nam cum nobilis illa mulier Amia nomine, ad suggestionem angeli, infantulum de carcere sustulisset, ubi ambo parentes ejus pro fide Christi catenati decesserant; et cum faceret eum deferri ad ecclesiam, ut baptismi susciperet sacramentum, multis adstantibus, sacerdos, qui eum regenerare venerat, quæsivit in publico : Quo nomine censebitur puer iste? Respondit puer qui necdum usum linguæ noverat, Mamas est nomen meum. Cunctis autem stupentibus, et sacerdote iterum hoc idem interrogante secundo et tertio, aperta voce dixit puer : Mamas est nomen meum. Intelligenter itaque factum esse a Domino, quod erat mirabile B in oculis omnium, non præsumpserunt mutare nomen, sed gratias in communi referebant Domino, quia nec ante nec post, in tota gratia inventus d est aliquis, qui hoc nomine censeretur *d*. A miraculo redeamus ad propositum : sed ut sequentia facilius elucescant, prius dicendum est breviter, quomodo hujus beati Martyris notitia, Domino procurante, in Burgundiam venit.

ANNOTATA.

a *Quare eum non sacerdotem dumtaxat, sed etiam Lingonensem esse censuerimus, invenies in observationibus paullo ante præmissis num.* I. *Alibi vocatur canonicus Lingonensis, sicut ibidem invenies.*

b *Eam dedicavit auctor Joannes a Boseo Parisiensis, Cœlestinus Lugdunensis, Henrico IV Galliarum regi ac Mariæ Mediceæ reginæ : edita autem est Lugduni anno* 1605.

c Lingones, *vulgo Langres, urbs Galliæ in Campania provincia, aliquot leucis distans a confinio* C *Burgundiæ.*

d *Consule, quæ de hoc miraculo diximus in Commentario nostro prævio* § I, *num.* 4.

CAPITUM DIVISIO IN EDITIONE ANTEA IMPRESSA.

Caput I. Auctor præfatur de Sanctorum gloria.

II. Quomodo Lingonensis princeps ecclesia nomine S. Mamantis fuerit insignita.

III. Reynaldus episcopus brachium S. Mamantis ecclesiæ Lingonensi acquirit.

IV. Sanguis e brachio S. Mamantis manat, et fortiter monachæ suæ periculo castitatis obviat.

V. Inventio capitis beati Mamantis.

VI. Caput S. Mamantis verum esse divina asseritur visione; illudque evasis periculis Gualo in Gallias adfert.

VII. Caput S, Mamantis quam mirifice a Lingonensibus suscipitur.

CAPUT I.

Mira ossis S. Mamantis translatio ad ecclesiam Lingonensem.

Fidelis enim narrat antiquitas, quod ecclesia Lyngonensis, a principio sui in honore beati Joannis Euangelistæ fundata fuit : sed Dominus, qui Apostolum suum per Euangelicæ prædicationis gratiam ita videbat sublimatum, quod in omnem terram sonus ejus exiverat, et in fines orbis terræ verba ejus cognita fuerant, non derogavit quidem Apostolo, sed Martyris sui gloriam sic voluit revelare, ut non tantum in Græcia notus esset, immo etiam in Burgundia celeberrimus habetur *. Quod factum fuisse dicunt hoc modo. Nobilis quidam de Galliæ partibus, cujus nomen invidia vetustatis de medio sustulit, a Hierosolymitanis partibus rediens, Constantinopolim venit. Ubi moram faciens, audivit de beato Martyre, quomodo in ore totius populi frequentius resonabat, et quomodo præ cæteris Martyribus venerabatur a cunctis : ita ut etiam ΜΕΓΑ martyr *a*, id est magnus martyr, antonomastice diceretur. Quippe cum in toto Sanctorum catalogo non inveniatur aliquis, qui in ætate tam tenera, pro Christi nomine tot et tanta sustinuerit genera tormentorum.

3. *Lingonensis ecclesia sancti Martyris nomine insignita*

* *f.* haberetur

E

a

4 Cœpit ergo vir ille anxius in animo volvere, si quomodo de reliquiis ejus Martyris aliquid habere posset, quod secum quasi pro viatico deferret in via, contra omnia pericula tutamentum. Nec fraudatus est a desiderio suo, quia per Dei gratiam obtinere meruit partem ossis ejus, qui * vulgo oschia colli *b* dicitur, quæ caput humeris continuare solet. Quem thesaurum diligens super aurum et topazion, reposuit diligenter in pera serica, et collo suo propter reverentiam suspendit, et sic exultans et gaudens, repatriandi iter arripuit. Tandemque post multa terrarum spatia, transvolatis etiam Alpibus, ad fines Lingonicos applicuit. Et cum jam esset prope civitatem, F in loco, qui dicitur Magnum pratum, necesse habuit ire ad requisita naturæ, et secedens paululum a comitatu suo, sicut semper consueverat, sustulit a collo suo reliquias dependentes, ne injuria fieret sacris pignoribus, si in turpitudinis loco ea secum haberet : et ramusculo cujusdam arboris suspendit, statimque, cum vellet resumere depositum, iturus viam suam, nullo modo potuit rehabere. Quid faceret? Quo se verteret? Suspirans et gemens revocavit socios abeuntes; qui reversi totis viribus nitebantur filum sericum manibus aut ferro disrumpere, sed in vanum laborabant. Quælibet enim juga boum apposita non possent illud avellere. Quoniam nihil potest mortalis infirmitas contra Dei potentiam et virtutem.

per translationem ossis ejus

* *f.* quod

b

valde mirabilem 5 Stupentes igitur et dolentes, ascenderunt in civitatem, et episcopo loci, cujus nomen novit Deus, rei gestæ seriem ex ordine narraverunt. Episcopus vero exultans in Domino, et gratias agens, convocatis senioribus et universo populo civitatis, exposuit diligenter quod audierat : et indicto jejunio, cum cereis, crucibus et thuribulis, comitante clero et innumerabili utrinsque sexus multitudine, perrexit ad locum, Psalmos Davidicos humiliter decantando. Videns autem reliquias,

A. ANONYMO. reliquias, præcepit omnes unanimiter secum flexis genibus in oratione prosterni, ut Dominus, sicut arcam fœderis non permisit remanere in templo Dagon, sed de terra Philistiim reduci fecit eam in terram Israël, et sicut crucem filii sui tulit de fano Cosroë, et per manum servi sui Heraclii reportavit in Hierusalem *c*, ita faceret hæc sancta in civitatem portari. Et statim surgens ab oratione, voluit tollere vasculum, in quo erant; sed nec ipse nec alii omnes, qui aderant, clerici simul et laici, tentantes pariter ac successive, si forte alius alio potentior esset, modicum, quo dependebat, filum aliquo modo rumpere et avellere potuerunt. Unde mirantes et tundentes pectora sua, rursus ad orationis suffragium humiliter prosternuntur, vota voventes Domino, quod hujus Sancti thesaurum mirabilem, auro et lapidibus pretiosis honorifice decorarent, quodque natale ejus singulis annis devotissime celebrarent, et quod diem natalis ejus vigiliis et orationibus solenniter prævenirent. Sed nec sic aliquatenus habere potuerunt. Quid facerent? flebant omnes et Dei misericordiam precabantur.

B 6 Et cum sic jam fere totum diem duxissent in vesperam, confusi ac de impetratione diffidentes, recedere disponebant. Licet enim difficile sit, ut multorum orationes non impetrent, tamen non judicabant se exauditione dignos, nec propter hoc murmurabant contra Dominum sed totum sibi ac sceleribus suis potius imputabant. Tandem Dominus, qui licet aliquando desiderantibus tardare videatur, numquam tamen obliviscitur misereri, suscitavit spiritum cujusdam senioris, qui jocundus aspectu et gratiosa canitie venerandus, prosiluit in medium, dicens episcopo: Pater, evidentibus patet indiciis, quod Sanctus iste maximi meriti est apud Deum: unum superest ut promittamus (et petitio nostra debito gaudebit effectu) quod scilicet ecclesia Lingonensis hujus Sancti nomine tituletur. Nec timeas, quia non indignabitur sanctus Euangelista Joannes, si filius ejus, quem verbo prædicationis suæ Domino genuit, pro eo honoretur. [*quæ pluribus*]

7 Hac voce tamquam de cælo missa omnes pariter confortati, iterum prosternuntur oraturi cum lachrymis. Episcopus etiam prostratus ante reliquias, titulum suæ ecclesiæ *d* devotus sancto [*ab auctore*]
C Martyri obtulit, statimque, oratione vix completa, sponte ceciderunt inter manus ejus reliquiæ. Quanta fuerit exultatio tunc cleri et populi, quantæ jubilationis voces ab utroque sexu in cælum sonuerint, non est meum evolvere, etiamsi linguis hominum loquar et angelorum. Hoc solum dixisse sufficiat, quod in hymnis et confessionibus revertentes, benedicebant Dominum, qui tanta coram eis mirabilia fecit. O quam pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus! Puerulus iste, qui elegit abjectus esse cum feris in monte Domini, magis quam deliciari in tabernaculis peccatorum; qui solus in abditis latuit, ne levi saltem famine inter impios vitam macularet, tandem a ministris scelerum tentus, dum ludibriis et verberibus afflictus, carnem, ut putabatur, miserabiliter exuit, nunc principibus imperat, colla ducum et magnatum suæ habet subdita potestati. Quæ ergo regum purpura, quæ nobilitas sanguinis, quæ copia auri vel argenti potuit cum tanta gloria sublimare?

8 Sed hæc est merces Domini, quam dilectis suis tribuit post somnum mortis. Si enim Martyrum suorum ossibus, quæ nihil sentiunt, nihil intelligunt, tantam in terra voluit reverentiam [*hic recensetur.*] exhiberi; quid tribuet animabus eorum, quæ in cælo exultant cum angelis, et stolis albis amictæ, sequuntur Agnum quocumque ierit? Quid etiam tribuet eis in die judicii, cum resumptis corporibus utraque stola gaudebunt, Deum facie ad faciem videbunt, cognoscent sicut et cogniti sunt, cognitum diligent, dilectum laudabunt, ut in ipsa laude et dilectione sine fastidio delectentur? Hæc sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, etc. Hæc intelligens in spiritu David, exclamans ait: Quid enim mihi est in cælo? Quasi diceret: Quam gloriosum, quam inappreciabile! Et a te quid volui super terram? Quasi, quam vile et despectabile, nullius pretii nullius momenti! Qui sic credit, qui sic sperat, non est de vita sollicitus, sed mortis articulum securus expectat *e*. D

ANNOTATA.

a *Dixisset potius Anonymus* μεγαλομάρτυρ *Addit,* Quippe cum *etc.; sed plus ait, quam queat probare.*

b Oschia colli. *Gaultherotius paullo ante citatus, Gallice illud effert* l'os de la nucque du col. *Dictionarium Gallico-Latinum anno* 1704 *Trivortii impressum tomo* 2 *ad vocem* nuque, *significari ea affirmat cavitatem, quæ est inter primam et secundam vertebram in summitate posterioris partis colli, et quæ* fossa *a Latinis dicta sit. Etymologiam vocis desumit a nucula, id est, parva nuce, ex Menagio: sunt tamen, qui ab Arabico* nacba *vocem hanc derivatam velint, sicut ibidem potest videri. At quid de voce* oschia? *Quoniam addit anonymus* vulgo oschia colli dicitur, *suspicor eum respexisse ad vocem Gallicam* osche, *quæ significat crenam seu incisuram (de qua voce agunt Dictionarium Trivortianum modo citatum tomo* 3. *ac Menagianum etymologicum, anno* 1694 *Parisiis recusum pag.* 539*) ita ut sua vulgari lingua voluisse dicere videatur per* τὸ oschia *unam e septem colli vertebris, quæ quodammodo intercisa* caput humeris continuare solet, *ut ipse se exprimit.* E

c *Notissima hæc res est, quæ narratur a Baronio ad annum Christi* 628.

d *Si hoc verum est, oportet ut acciderit ante seculum* 8, *secundum dicta in observationibus præviis num.* 6; *ubi etiam num.* 5 *invenies hallucinationes Gualtherotii.* F

e *Fidem hujus historiæ, quæ supra narrabatur de sacro pignore S. Martyris, non esse satis authenticam, indicatum est in observationibus a num* 4.

CAPUT II.

Brachium S. Mamantis ecclesiæ Lingonensi impetratum; sanguis ex eodem manans.

Procedente tempore, assumptus est ad regimen urbis Lingonicæ Reinaldus *a* episcopus piæ recordationis, qui decimus sedit ante venerabilem Guillelmum, qui nunc est electus noster *b*. Vir ille spectabilis quidem genere fuit, sed nobilitatem generis honestas morum et multiplex literarum scientia illustrabat. Non solum enim liberalibus studiis eruditus fuit; sed utriusque Testamenti paginis sufficienter instructus. Ipsa enim ejus opera testimonium perbibent veritati. Nam cum ipse teneret comitatum Tornodorensem *c*, et [III. *Rainaldus episc. Lingonensis*]

A et comitatum Barri super Sequanam *d* pro suis nepotibus, qui adhuc erant parvuli, propter quasdam discordias *e* sicut dicitur, rex Francorum *f* qui tunc erat, ipsum tenuit in Noviomensi *g* civitate in turre juxta portam : ubi non fractus adversitate, sed gaudens, quia intelligebat., quod filium, quem diligit, flagellat Deus, fecit hymnum et modulatis vocibus decantavit cum pueris in Ramis palmarum, scilicet: Gloria, laus. Ipse idem Vitam beati Martyris transtulit de Græco in Latinum *h*, quam etiam postmodum versibus Heroicis dicitur exarasse. De eodem Antiphonas et Responsoria mirabili modulatione composuit. In quibus componendis, quantum habuit devotionis ardorem, ipsa modulationis suavitas manifeste declarat. Cumque videret Patroni sui vitam et merita in partibus istis penitus ignorari; non passus inerti hoc tolerare animo, cœpit anxius secum volvere, et Dominum lachrymis et gemitibus exorare, ut viam et actus ejus dirigeret.

Constantinopoli ab imperatore impetrat brachium Martyris,

10 Tandemque nacta occasione, ut eum adoraret in loco ubi steterunt pedes ejus, annuente Spiritu sancto, iter peregrinationis devotus arripuit, et, ut brevius transeam, veniens Constantinopolim, animæ suæ invenit desiderium: per B fideles enim et diversos edoctus interpretes, nunc verbum ex verbo, nunc sensum ex sensu diligenter explicuit. Interim autem cum multos haberet secum milites in armis, et vernaculos expeditos, in negotiis imperii strenuus et fidelis inventus, ab imperatore *i* et satrapis ejus plurimum amabatur. Unde et cum imperator vellet eum honorare muneribus, super omnes divitias petiit brachium beati Martyris, quod in capella imperatoris honorifice servabatur. Quod tandem, ad instantiam et interventum omnium curialium, qui eum diligebant, vix potuit impetrare. Laudans ergo Dominum, qui prosperum iter ei fecerat, ad ecclesiam suam festine rediit : ubi cum quanta exultatione a majoribus et minoribus totius provinciæ receptus fuerit, quia dicere non sufficerem potius silere decrevi.

et Lingones defert, et laudatur ob suas ibidem virtutes.

11 Primum enim et maximum erat omnibus gaudium de thesauro incomparabili quasi cælitus sibi misso. Secundum vero nec minimum, de pastore sibi reddito, quem divina gratia ita faciebat cunctis amabilem, ut quilibet de populo suo, C eum tamquam patrem proprium affectuose diligeret. Erat enim mitis aspectu, humilis habitu, blandus alloquio, egenis misericors, afflictis compatiens, mœstorum consolator, pigros exhortans, superbis resistens. Ipsum nec scientia tumidum, nec generositas faciebat elatum. Erubescant nobiles nostri temporis, qui cum ex se quidem vacui sint, gloriantur in sanguine alieno : qui magistri fieri appetunt, antequam discipuli fuerint, tardi ad audiendum, veloces ad loquendum, prompti ad contumelias, pigri ad studium, proni ad iram. Erubescant ergo qui tales sunt, et confundantur in se ipsis : inclinentur ad humilitatem studii, informentur ad mores, obediant senioribus; ne subito præoccupati, cum tempus advenerit, tamquam indigni ab honoribus repellantur; sed potius tamquam vere humiles, tamquam bene meriti, mereantur assumi.

IV. Tempore Godefridi ep. Lingon.

12 Quintus ab illo sedit Lingonis bonæ memoriæ Godefredus *k* episcopus, de cujus commendatione taceo *l*, quia multi adhuc extant ex vobis, qui viderunt eum, et mores ejus et religionem et vitam plenius cognoverunt. Quod vero ad gloriam nostri Martyris attinet, non silebo. Cum capta esset a Gentilibus Edissa * *m* civitas, quæ vulgo Rhoaïs *n* dicitur, idem episcopus cum Ludovico tunc rege patre hujus illustris Philippi *o* qui nunc regnat in Francia, transmarinandi assumpsit propositum. Ad quod perficiendum ut sufficientes haberet expensas, multa vasa aurea et argentea de ecclesia Lingonensi tulit, sub certa promissione restitutionis. Inter cætera, dum aurum ac lapides pretiosos, quibus brachium beati Mamantis decoratum erat, tolli faceret, contigit, procurante Domino, quod instrumentum aurifabri, os nudum brachii aliquantulum vulneravit : statimque sanguis largissimus cœpit effluere, omnesque qui aderant, de tanto miraculo stupefacti, receptum sanguinem, in vase alabastrino, quod adhuc penes nos est, devotissime posuerunt, trementes et veniam postulantes, ne forte sanctum Martyrem super hoc offendissent.

* l. Edessa

manat sanguine dictum brachium. His addit auctor parergon.

13 Hujus facti testis est ipse sanguis, qui apud nos quasi fere recens monstratur usque in hodiernum diem. Cur hoc fecerit Deus, vel ad gloriam Martyris ampliandam, vel quia displiceret ei quod sanctæ reliquiæ sic dehonestari videbantur, non volui discutere somniando. Melius est enim in talibus pie dubitare, quam temere definire. E Transire vero decreveram sub silentio, sed non potui, quoddam mirabile, quod in illa civitate Edissa contigit, cum a gentibus capta esset. Erant in ea sanctimoniales viventes sub regula, devotæ virgines, Domino consecratæ, quæ cum audissent quia capta erat civitas, timuerunt valde, ne virginitatis suæ propositum perderent, ne impiorum libidine fœdarentur. Habito ergo inter se forti consilio, singulæ sibi singulos oculos eruentes, nasos etiam cum superiori labro sibi viriliter absciderunt; ut sic detruncatæ magis judicarentur abominabiles, quam ad libidinem appetendæ. Audiant virgines nostræ, et non appetant videri ab hominibus, sed abscondant facies suas propter angelos Domini. Intelligant veli sui mysterium : quia posuit Dominus signum in facies earum, ut nullum præter ipsum amatorem admittant.

ANNOTATA.

a *Consule quæ de Rainaldo præmissa sunt cum in Commentario prævio* § 2 *a num.* 18; *tum in observationibus paullo ante datis de translationibus reliquiarum, de quibus hic agimus, num.* 6. *Cathedram adiisse sub finem anni* 1065 *notatur in Gallia Christiana novissime edita tomo* 4 *col.* 560. F

b *Hinc conati sumus num.* 2 *in dictis observationibus eruere tempus, quo noster Anonymus scripserit.*

c Tornodorum... nunc Tonnerre, oppidum Galliæ in Campania provincia, ad Hermoutionem fluvium et in Senonensi tractu, in ipso limite Burgundiæ, unde aliquando ei tribuitur ab indoctis, estque comitatus antiqui titulo insignis, in diœcesi Lingonensi, septem leucis ab Altissiodoro distans in ortum Castellionem ad Sequanam versus. *Ita locum illum describit Baudrandus.*

d Barrum ad Sequanam in Lingonibus non ignobile est oppidum (Bar sur Seine) ita cognominatum ut distinguatur a Barro ad Albam (Bar sur Aube) et a Barro Ducis (Bar le Duc) *ex Hadriano Valesio in Notitia Galliarum.*

e *Laudes ac maculæ hujus præsulis referuntur in Gallia Christiana, quam modo citabam, col.* 560 *et* 561.

f *Philippus videlicet I, Francorum rex : cui postmodum*

A. ANONYMO. *postmodum reconciliatus Rainaldus dicitur loco mox citato col. 562.*

g Noviomagus Veromanduorum, *quæ et* Noviomum *appellatur, urbs Galliæ est notissima. Diligenter situs ejus a Radbodo, ejusdem urbis episcopo, describitur in Vita S. Medardi, apud nos edita tomo* 11 *Junii, die* VII, *pag.* 90 *: ubi hæc sunt* : Ipse quoque inter geminos rivules constitutus est. Noviomus, ab Oriente Galliola, ab Occidente Margareta circumfluitur, quos ambos tertius quidam suscipit, qui Versa nominatur : et sic pariter confluentes non longe a mœnibus illis in Isaram, qui magni est nominis, dilabuntur. Circumquaque ibi virent pomaria... Est etiam locus ipse ab Oriente et Occidente adeo rupibus vallatus et rivulis, montibus quoque et vallium cuniculis, quod contra plurimam hostium incursionem a paucissimis comniodissime possit defendi. *Inspici præterea de hac urbe potest Valesius paullo ante assignatus.*

h *Nos illam versionem tribuendam censemus Godefrido Lingonensi episcopo propter rationes superius in nostro Commentario prævio* § 2 *e* B *Chiffletio allatas.*

i *Fuit is Michaël Ducas, si Rainaldus Constantinopolim sit profectus anno* 1076, *sicut e Chronico Lingonensi paullo ante in observationibus ad hasce translationes sub finem notavimus.*

k *In Gallia Christiana superius designata dicuntur col.* 576 *et* 577 *de eo sequentia* . Habita sunt comitia, et in his electus anno MCXXXVIII Godefridus Prior Clarævallensis... Ejus electio plenum effectum non nisi anno MCXXXIX sortita est, quando ejus annus secundus cum anno MCXL componitur.

l *Viri laudes ibidem proferuntur col.* 577 *et sequentibus ; ubi et vocatur S. Bernardi propinquus.*

m Edessa, *urbs archiepiscopalis Mesopotamiæ nobilissima et notissima ad Euphratem fluvium ac Taurum montem. Plura geographi.*

n Rhoaïs *seu* Rhasi *Edessa vocatur a Ferrario in Nova topographia ad Martyrologium Romanum. fol.* 49. *Unde autem sic dicta? An a voce* ῥοὰ *Dorice* ῥοὴ *quæ fluentum significat ? certe* Callirrhoë *a fonte dicitur apud Baudrandum :* C *qui* Rhoam *ab Arabibus, testibus Nigro, Gollio et Masio, eam appellari affirmat.*

o *De regibus Ludovico et Philippo dictum est superius in observationibus præviis num.* 2.

CAPUT III.

Inventio capitis S. Mamantis ; ejus veritas visione confirmata ; translatio ad Lingonenses ; miracula.

V. *S. Mamantis caput invenitur Constantinopoli, a*

Si nimis evagatus sum, ignoscite, quæso, sustinete modicum quid insipientiæ meæ : festinus cuius accedo ad rem propter quam incepi. Cum capta *a* esset Constantinopolis, exultabant victores Latini capta præda, sicut qui invenerant spolia multa. Sed cæca cupiditas, quæ facile persuadet, ita manus eorum victrices victas tenuit, ut non solum ecclesias violarent, immo etiam vascula, in quibus Sanctorum reliquiæ quiescebant, impudenter effringerent. Aurum inde et argentum et gemmas turpiter evellentes; ipsas vero reliquias pro nihilo reputabant. Quo audito, seniores exercitus doluerunt valde, timentes, ne talis victoria eis in exitium verteretur. Habito igitur consilio, Legatus *b*, qui vicem Apostolici gerebat, cum archiepiscopis et episcopis, sub districti anathematis interminatione præcepit, ne quis sibi retineret reliquias; sed omnes in manu bonæ memoriæ Guarneri *c*, tunc Trecensis episcopi, libere resignarent. Inter quas inventum est caput gloriosi Martyris, nudum quidem, nisi quod circulus argenteus ipsi capiti circumductus erat, et supra in modum crucis extensus, totum comprehendebat, in quo erat scriptum antiquis literis Græcis, quæ adhuc ibi apparent : ΑΓΙΟΣ ΜΑΜΑΣ : quod interpretatur sanctus Mames *. D *b* *c*

15 Quod cum per Dei gratiam cognovisset Gualo * de Domua Petra, vir honestæ vitæ et boni testimonii, dilectus Deo et hominibus, in exercitu Latinorum non minimus, ut postmodum claruit, quia in episcopum Dimicensem * unanimiter est assumptus; tamquam devotus filius et utile membrum *d* ecclesiæ Lingonensis, ut matrem suam tantis posset honorare pignoribus, cœpit laborare modis omnibus, ut reliquias illas haberet : sed, vivente dicto episcopo, nullatenus obtinere potuit : quia idem, ut dicitur, episcopus ad hoc aspirabat, ut in propria persona rediens, thesaurum illum ecclesiæ nostræ præsentaret ; quia tenerrime diligebat illum, qui tunc sedebat Lingonis *, Hilduinum *e* episcopum, cujus animæ propitietur Deus. Illo Trecensi episcopo viam universæ carnis ingresso, sperans, quod desiderabat effectui facilius mancipari, venit ad V. P. magistrum Petrum Capuensem tituli Marci *f* presbyterum cardinalem, qui in partibus illis tunc temporis legationis officio fungebatur: cujus genibus provolutus, supplicans cum lachrymis, animæ suæ desiderium humiliter explicavit.

* Mamas ubi aliquo tempore asservatur, * al. Gualo * f. Damascensem. *d* E * f. Lingonibus *e* *f*

16 Ad hanc vocem exultavit Legatus in Domino, quia venerat opportunitas, quod dicti Gualonis, quem propter honestatem suam tenere diligebat, poterat exaudire petitionem. Statimque moram non sustinens, ne distraheretur, quod quærebat, accessit ad hospitium defuncti episcopi, et caput reverenter absconditum inveniens, ad domum suam cum honore debito reportavit, et ut omnem super hoc dubitationis scrupulum amputaret, multos clericos Græcos et monachos evocavit, qui legentes literas in argento, asserebant caput esse Martyris gloriosi. Ad cujus rei majorem certitudinem, misit idem Legatus quemdam presbyterum, et quemdam clericum suum cum dicto Gualone, ad monasterium quod de novo fabricatum erat sumptibus Hysachii *g* imperatoris Constantinopolitani in honore beati Mamantis. Cujus abbas et monachi eum caput prolatum vidissent, lachrymantes ceciderunt in facies suas, et cum gemitu clamaverunt : Ecce caput Patroni nostri, quod quidam calogerus *h*, id est bonus senex monachus, cum multis aliis Sanctorum reliquiis, de terra, in qua beatus Martyr passus est *i*, Constantinopolim detulit : et dum cogitaret secum, ubi posset eas honorifice collocare; responsum est ei in somnis : In ecclesia, quam de novo fabricat Hysachius imperator beato Martyri, repone, ne te oporteat ulterius laborare. Hoc ejulantes dicebant abbas et monachi, et rogabant dictum Gualonem, ut innumeram super hoc acciperet pecuniam, vel alterius rei commutationem; vel, si mallet, toto tempore vitæ suæ totius monasterii haberet dominatum, dummodo

sed deinde a Gualone ibidem obtentum fuit. F *g* *h* *i*

A dummodo restitueret eis, quod peccatis suis exigentibus amisisse dolebant. Quod hæc ita vera sint, testatur authenticum ipsius Legati transmissum ad nos, cum privilegiis nostris honeste repositum.

VI. Ejusdem capitis veritas visione confirmatur:

17 Interim venerabilis Gualo, thesaurum sibi creditum diligenter custodiens, locum, in quo servabatur, non solum lampade, sed etiam cereo singulis noctibus honorabat, suspiriis et gemitibus incessanter exorans, ut ei beatissimus Martyr certius aperiret, utrum esset vere caput ejus quod habebat, nec ne. Hoc enim agebat vis amoris ejus in eo, ut jam habitum se non habere timeret. Sicut beata Maria Magdalena Dominum videns, adhuc sublatum plorabat. Unde frequenter cum lachrymis audebat dicere : Nisi signum mihi ostenderis, numquam te in patriam meam portare curabo. Hoc frequenter iterans, cum quadam nocte aliis occupatus, tardius solito ante reliquias ad orationem venisset, et cereum non invenirct accensum, turbatus in seipso, supplicabat attentius, ne sibi imputaretur ad culpam, quod per negligentiam acciderat servulorum. Non multum post, B lectum ascendit. Necdum ab ore ejus orationis verba discesserant, et subito cecidit in eum horror quidam, et factus est quasi in ecstasi semivigilans, et vidit ante se juvenem pulcherrimum in veste splendida, tenentem in manibus caput quod habebat. Qui ait illi : Quid dubitas modicæ fidei? Qui incredulus est, non prosperabitur via ejus. Respice, et absque dubio firmiter teneas, quia hoc ipsum est caput meum, quod pro Christi nomine mihi abscissum fuit. His dictis, evanuit ab oculis ejus. Ille autem exultans in Domino, et gratias agens, his et aliis evidentibus argumentis certioratus de voto suo, cum multiplici gratiarum actione a Legato recedens, cœpit disponere de rebus et reditibus suis, quos Constantinopoli ampliores habebat, ut cum thesauro desiderabili repatriare posset.

Tempestas per illud sedata,

18 Sed Dominus qui eum super pauca fidelem invenerat, super majora volens constituere, ad Dimicensis ecclesiæ regimen interim assumi fecit : propter quod et via ejus fere per triennium elongata est. Non tamen propositum recessit ab animo, sed quamcitius potuit, sumpta occasione quod Dominum Papam et Apostolorum limina visitaret, C navem ascendit. Et prosperante vento, elevatis velis duxit in altum. Et cum multis jam diebus navigasset, ingravatum est mare, et surrexit tempestas qualis ante visa non fuerat, et navi pene dissoluta, cum omnes, qui ibi erant, etiam nautæ desperarent, nec in viribus suis nec in arte confiderent, sed solitus Dei misericordiam precarentur, insurrexit venerabilis episcopus Gualo, clamans cum lachrymis : O beate Mames, ubi est virtus tua? Pateris ne caput tuum submergi in fluctibus, ut de cætero non videatur ab hominibus, nec ullatenus honoretur? Exurge, quare obdormis, domine? Exurge et precare pro nobis Dominum, ut per merita tua ab his periculis eruamur. Vix orationem compleverat, et statim aura datur grata, et tranquillitas magna facta est, ita ut mirarentur omnes, et laudarent Dominum, qui Martyri suo tantam gloriam dedit. Et sic exultantes, optatum portum cum gaudio tenuerunt.

extinctus ignis,

19 Quid pluribus immoror? Per multos labores, per multa pericula, et cum multis tribulationibus, tandem dictus episcopus ad castrum, quod Domna Petra *h* dicitur, venit : ubi deposito capite, cum quadam die fortuito absens esset, per antiqui hostis invidiam, eadem villa gravi cœpit incendio devastari. Tunc omnes ejusdem castri, a minimo usque ad maximum, jam non in viribus suis, nec in hominum auxilio confidentes, cum impetu venerunt ad quemdam presbyterum nomine Guillelmum, una voce clamantes : Domne, quare cito non profers caput beati Martyris quod apud te depositum audivimus a domno episcopo? Credimus enim, quod per ipsum liberabimur ab hac peste, sicut olim Cathanensis civitas per velum beatæ Agathæ *l* fuit ab incendio liberata. Mira dicturus sum, sed tota regio hoc clamat, et ipse episcopus constanter asserit, quod statim, monstrato capite, vim virtutis suæ oblitus est ignis, ut mirabiliter videres flammam cum vento confligere, qui utique contrarius erat : ita quod præter spem omnium, in domo lignea per seipsum cessavit ignis, ut omnibus manifeste claresceret, quod Dominus eis per Martyrem suum tanta beneficia contulisset.

VII. pœna apud Lingonenses ob irreverentiam sacerdoti illata,

20 Deinde idem episcopus venit Lingonas; ubi cum quanto honore, cum quanta reverentia, cum quantis muneribus receperit eum et reliquias amplexatus fuerit, bonæ memoriæ, qui nuper in fata concessit, Robertus episcopus, transeundum censui : quia quilibet vestrum hoc vidit, et E memoriter tenere potest. Sed illud non taceo, quod cum multi de diœcesi, ad honorandum caput Patroni sui devotius convenirent, constituti sunt duo boni testimonii sacerdotes, ad servandas et ostendendas reliquias, et beneficia fidelium colligenda. Contigit autem quadam die, quod illi duo absentes erant, et peregrinorum instante turba, quidam alius sacerdos invitatus, ut caput gloriosi Martyris peregrinis ostenderet, impudenter accessit.

qua deinde liberatur pœnitens, Martyre patrocinante.

21 Et sicut legitur in libro Regum de Osan, cujus manus aruit, quia arcam Domini indebito modo tetigerat; ita manus sacerdotis dextra sic arida facta est, quod nec ex ea quippiam operis facere poterat, nec ad os suum sine violentia sublevare, et sic doluit per aliquot dies. Tandem in se reversus cognovit quod injuriam fecerat Martyri; quia in eadem nocte miseris amplexibus concubinæ suæ fuerat maculatus. Et accedens humiliter ad confessorem suum, culpam suam nude et aperte detexit. Postmodum vero, peracta parte pœnitentiæ, cum lachrymis et debita reverentia accessit ad caput, et eodem manum suam tangi et signari fecit; quæ statim per Dei gratiam sana- F ta est, et debito officio restituta. Deus novit, quia non mentior : nam qui vidit, testimonium perhibet veritati, et scimus quia verum est testimonium ejus.

Auctoris epilogus.

22 Attendat diligens lector quia quater ad nos missæ sunt ejusdem Martyris reliquiæ, et ex ipsa missione intelligat, qualiter instruit nos Dominus, et quid agere debeamus ostendit. Primo missa est oschia colli, juxta quod, mediantibus arteriis, transit quod cogitatum est in corde, ut modulante lingua in vocem prorumpat. Secundo brachium, per quod operatio intelligitur. Tertio os longum, quod de tibia vel de femore esse videtur : de quo qualiter venit ad nos, sub silentio pertransivi, quia non est multum authenticum, licet sub multorum nobilium et bonorum virorum testimonio fuerit allatum. Quarto et ultimo, venit caput. Quasi diceret, si cogitatione, locutione et opere, quæ per oschiam et brachium significantur, rectas facitis semitas Dei nostri, quod ad tibiam pertinet, pervenire poteritis ad caput vestrum, Jesum Christum Dominum nostrum, cujus anno Incarnationis millesimo ducentesimo nono facta sunt hæc *m*, eodem præstante, qui vivit

A. ANONYMO. vivit et regnat per omnia secula. Amen.

ANNOTATA.

a *Expugnata a Latinis Constantinopolis anno Christi* 1204. *Res gesta legi potest apud Goffridum Villaharduinum in Historiæ imperii Constantinopolitani sub imperatoribus Gallis parte* I, *Parisiis impressa anno* 1657.

b *Sedis Apostolicæ in imperio Constantinopolitano Latinis subdito legati nominatim assignantur parte* 2 *Historiæ mox dictæ pag.* 327.

c *Apud Sammarthanos tomo* 3 *Galliæ Christianæ pag.* 1082 *habentur de eo ista* : Garnerius de Trainel vetusta ac nobili prosapia baronum Campaniæ, dynastarum Trainellorum oriundus, suscepit Trecensem ecclesiam anno MCXCIII.. Crucem sacræ militiæ tessaram sumpsit, et electioni Balduini Comitis Flandriæ in Orientis imperatorem, capta Constantinopoli, adfuit; apud Goffridum de Villaharduino Campaniæ seneschallum lib. I. Extrema clausit apud Constantinopolim anno MCCV, XIV Aprilis, ut prodit liber obituariorum ecclesiæ. B

d *Canonicus ecclesiæ Lingonensis dicitur in Historia* S. Mammetis *lib.* 2, *cap.* 6, *pag.* 178; *quam Historiam indicavimus supra in Commentario prævio* § 3 *num.* 30.

e *In Gallia Christiana recenter edita tomo* 4 *col.* 596 *electus Lingonensis episcopus signatur anno* 1200 : *ex iis vero quæ col,* 595 *habentur, videri dicitur patere, quod vacarit sedes anno* 1203; *sed an morte an abdicatione Hilduini, in medio relinquitur tamquam incompertum.*

f *Immo* S. Marcelli, *ex Historia Romanorum Pontificum et Cardinalium apud Ciaconium tomo* I *col.* 1162; *ubi plura de eo legi possunt.* D

g *Isaac Comnenus imperavit ab anno* 1057; *imperium cum monachatu commutavit anno* 1059. *Isaacius cognomento Angelus sedit ab anno* 1185 *ad* 1195; *obiit* 1204, *ex Compendio Chronologico Labbeano. Uter hoc de novo condiderat vel restauraverat monasterium? Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4 *cap.* 185 *Isaacio Angelo id tribui a nostro Anonymo refert, citans ejus verba, quæ hic illustramus. Sed mihi non videtur, ex illis hoc satis constare.*

h *De hac voce agit Cangius in utroque suo Glossario.*

i *De passionis loco superius actum in Commentario prævio num.* 26.

k *In Alphabeto Galliæ, quod a B. du Val geographo ordinario regio vulgatum est Parisiis, inter alia loca, quæ Gallico nomine appellantur pag.* 100 Dompierre, *notatur unus in provincia Borbonensi prope Burgundiam. Coquillius in Historia Nivernensi pag.* 185 *locum synonymum ponit ad Besbriam (sur Besbre) in provincia Nivernensi, Sed sive huic sive isti tractui attribuatur; nihil videtur ulterius quærendum, quando hic habemus* Dompierre, Domnam-Petram, *qua Gualo venit Lingonas, ex proximo numero hujus Historiæ.* E

l *S. Agathæ V. et M. Acta apud nos illustrata sunt tomo* I *Februarii, die* 5; *ubi de igne montis Ætnæ per velum urnæ ejus represso agitur pag.* 618, 623 *et* 630.

m *An etiam tunc, an alias conscripta; vide observationes prævias num.* 3.

DE SS. PAULO, JULIANA

ITEM STRATONICO, QUADRATO, ACACIO MM.

PTOLEMAIDE

C J. P. **COMMENTARIUS PRÆVIUS** F

Cultus, palæstra, Acta.

SUB AURELIANO. *De cultu*

Q*uam horum trium priorum Martyrum cultus antiquus est apud Græcos, tam postea ex eorum Fastis manavit annua eorum memoria ad Latinos, qui in Martyrologio Romano hac die illos legunt. Menæa magna duos priores dumtaxat annuntiant* : Memoria sanctorum martyrum Pauli et Julianæ sororis ejus. *Idem fit in Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, Menæo Chiffletii, et alibi in nostris apographis. Tres vero in illis ita notantur* : Ἄθλησις τῶν ἁγίων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων Παύλου καὶ Ἰουλιανῆς, τῆς ἀδελφῆς αὐτου, καὶ Στρατονίκου ἐν Πτολεμαΐδι. Certamen sanctorum Christi martyrum Pauli et Julianæ sororis ejus, ac Stratonici in Ptolemaïde. *Menologium Sirleti habet ista* : Eodem die *(XVII Augusti)* certamen sanctorum martyrum Pauli et Julianæ *sororis*, et Stratonici in Ptolemaïde, qui sub Aureliano imp. apud Ptolemaïdem, propter Christianæ fidei confessionem (Erant enim non fide minus quam carnis conjunctione fratres) carcere verberibus, igne, veneno, et aliis multis et variis tormentis superatis. pro Christiana confessione, mortem cum vita commutarunt. *Alibi aliter ponuntur. Nam Martyrologium nostrum Arabico-Ægyptium signat* Certamen S. Pauli et Julianæ sororis ejus, et sociorum. *Menologium Basilii imperatoris socios etiam eisdem adjungit, quorum nomina exprimuntur in elogio, quod annuntiationi subditur, et quod e Græco a me redditum sic sonat secundum textum, quem excudimus ad calcem tomi* I *hujus mensis* :

2 Hi degebant, imperante Aureliano, in civitate Ptolemaïdis. Erant autem fratres secundum carnem. Paulus vero in Scripturis divinitus inspiratis se exercens, Judæos ac gentiles loquentes repressit. Imperatore autem ad civitatem profecto, *Martyrum*

A eto, dum latuisset, adest ipsi, Christumque confessus, postquam suspensus esset [raditur.] Quem Soror conspicata et contra tyrannum vociferata, capitur etiam ipsa, et suspensa raditur, nec non ambo in lebetem pice ferventem injiciuntur. Deinde illæsi dum essent, in lecto ferreo ignito explicantur, et ad lumbos superne verberantur. Postea in carcerem injecti, et angelico refecti nutrimento convaluere. Deinde ejecti cæduntur. Stratonicus autem, et Quadratus et Acacius lictores, qui Sanctis perceperant, una cum ipsis capite truncati sunt. *Quia vero nomina* Quadrati *et* Acacii *cum hic potissimum, tum infra etiam in Actis, quæ recudemus, exprimuntur, ideo tribus aliis eos superius adjungendos censuimus.*

apud Græcos.

3 *At vero illud* SS. Paulus *ac* Juliana *habent singulare, quod dicta Menæa magna iterum illos annuntient die* IV *Martii hisce cum versibus, quorum sensum sic reddo Latine :*

Ὁ κείμενος μὲν Παῦλος, ἥδε κειμένη
Ἰουλιανὴ σύγγονοι τετμημένοι.
Παῦλον Ἰουλιανήντε τετάρτῃ ἔκτανεν ἄορ.
Dum Juliana cecidit, ac Paulus cadit,
B Frater sororque capite truncati jacent.
Quarta necat Paulum ferro, sociamque Sororem.

Adde quod, ut notat Cangius Constantinopoleos Christianæ lib. 4 *pag.* 149. S. Julianæ martyris πλησίον τοῦ Στροβύλου *(id est,* in Strobyli tractu) memoriam agant Græci XVIII Augusti. Menæa : *in quibus hanc invenio isto die : unde conficitur hujus nostræ Sanctæ nec non Fratris ejus nomen apud Græcos præcipua quadam in veneratione fuisse, cum diversis diebus signentur. Habes de Martyrum cultu in ecclesia Græca eis exhibito : nunc accipe Fastos Latinos, quibus leguntur inscripti.*

SS. Paulus et Juliana etiam honoranturapud Latinos.

4 *Martyrologium Romanum hac die ita habet :* Ptolemaïde in Palæstina sanctorum martyrum Pauli et Julianæ sororis ejus, qui sub Valeriano passi sunt. *Molanus ambos etiam annuntiat in additionibus. Galesinius eos etiam non præteriit, dicens :* Ptolemaïde, sanctorum martyrum Pauli et Julianæ sororis. Ii, Valeriano imperatore, post multa cruciamenta, quæ tortores graviter inflixerant, demum capitis supplicium conjunctissi- C mis animis pro Christo subierunt. *His de publica nostrorum Martyrum veneratione præmissis, proponimus puncta quædam de loco palæstræ, tempore mortis, et eorum Actis.*

Ubi fuerint passi

5 *Locus palæstræ dicitur superius fuisse* Ptolemaïs : *addebat Baronius in* Palæstina. *Acta vero sub initium significant urbem* Ptolemaïdem *in* Isauria. *Sed nullam hujus nominis urbem invenio in Isauria. In nostris Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum* I *Maii pag.* XVIII, *occasione mortis* SS. Pauli *ac* Sororis *ejus, quæ ibidem refertur die* IV *Martii, notantur a nobis* Ptolemaïde in Phœniciapassi. *Urbem etiam illam synonymam in Palæstina eis attribuit Ferrarius in Nova topographia ad Martyrologium Romanum, et eam ita describit :* Ptolemaïs.. civitas episcopalis Palæstinæ antiquissima, in Phœniciæ confinio, litoralis, media inter Joppen et Tripolim, utrimque 60 M. P. dissidens, quot fere ab Hierosolymis in septemtrionem recedit; Tyro, Cæsareæ Philippi, Nazareth et Doræ finitima ad 20 M., ab eis plus minus distans. Urbs post Tripolim magis integra, omniumque totius oræ habitatissima. *Synonymam præterea civitatem invenio in Ægypto ad fluvium Nilum; in Cyrenaïca item Ptolemaïs, quæ ante Barce dicta fuerit, ponitur apud Cellarium in Notitia orbis antiqui parte* I, *lib.* 4, *cap.* 2, *pag.* 72; *uti et lib.* 3 *cap.* 6 *pag.* 133 *alia in Pamphylia. Consuli etiam de illis potest Ortelius.*

AUCTORE J. P.

non satis constat ;

6 *Quænam itaque e tot synonymis Ptolemaïs danda est Martyribus nostris? Græca Menæa magna ad diem* IV *Martii, et ad diem hodiernum in eorum elogio seu narratione certaminis ponunt simpliciter Ptolemaïdem, prout superius etiam factum vidimus in Martyrologio Sirleti, et alibi. Quid causæ fuerit Baronio, ut locum istum determinaret in* Palæstina, *nos fugit. Certe in notationibus ad Martyrologium Romanum citat Græcos in Menologio (Sirleti, uti suspicor) et Acta apud Lipomanum ac Surium, quæ Ptolemaïdem obtrudunt non existentem in rerum natura. Laudatus Baronius in Annalibus ad annum Christi* 275 SS. Paulo ac Julianæ *(quibus ibidem ex eorum Actis addit* Stratonicum) *assignat persecutionem in Palæstina ac Ptolemaïdem, mutato imperatore Valeriano, sub quo in Martyrologio suo illos retulit, in Aurelianum; sed de hac re statim agetur. Quæ cum ita sint, problema esto, quænam Ptolemaïs palæstra obtigerit sanctis Martyribus.* E

nec sub eodem imperatore Græci ac latini illos ponunt.

7 *Temporis, quo eorum contigit martyrium, ratio ac determinatio pendet ab imperatore; sub quo illud ponitur. Verum hic iterum hæret aqua, quod dicitur. Nam Fasti Græci superius allegati, ac Menæa magna utroque die mox dicto scribunt Aurelianum, prout etiam scribunt Acta; Baronius vero nunc eumdem imperatorem, nunc Valerianum scribit, sicuti modo notavimus. Et de Aureliano quidem hæc memorat ad annum Christi* 275 : Grassata in Palæstinam quoque est eadem *(Aureliani)* persecutio : nam inter alias constat Ptolemaïde passos esse Paulum ejusque sororem Julianam.. Ex his igitur, quos recensuimus, Martyres diversis temporibus, Aureliani persecutione urgente, passos conjecturam facere licet de ceteris in provinciis aliis supplicio affectis : ut plane appareat, non (ut multi putant) tentasse tantum Aurelianum Christianos persequi, sed divinitus revocatum, vel (ut alii addunt) novissimo ejus imperii tempore aggressum persequi Christianos, et continuo ulciscente Numine ex hac vita sublatum : nam eam persecutionem diutius perdurasse, ex his quæ sunt dicta, satis apparet. *Hæc ibi. Si quis itaque Græcos sequi voluerit,* F *ponet Martyrum nostrorum certamen sub Aureliano; sin Martyrologium Romanum, sub Valeriano. Nos interim quamquam non satis ausi fidere eorum Actis, quæ exigui sunt valoris, quia tamen alibi etiam apud Græcos signantur passi sub isto imperatore, licitum nobis esse censuimus, illos sub eodem ponere, et loqui cum Græcis non unis, quam sub Valeriano, et sapere cum Martyrologio Romano et Galesinio, præsertim cum Athletæ nostri ad Græcos pertineant, neque satis sit nobis perspectum, quid moverit Latinos, ut a Græcis hic deflecterent. Consequens est ex dictis, ut nequaquam sit suffragandum Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano, in quo* S. Paulus *ac* Juliana *dicuntur sub Juliano passi. Superioribus itaque rationibus ducti posuimus nostros Pugiles in initio hujus Commentarii sub Aureliano, qui secundum exactos chronologos imperare cœpit anno æræ vulgaris* 270, *desiit autem anno* 275. *De die martyrii dicetur aliquid inferius in Annotatis ad cap.* 3 *lit.* b.

Dantur quædam observationes

8 *Superest, ut de Actis eorum nonnulla observemus. Exstant illa apud Surium hoc titulo :* Martyrium SS. Pauli et Julianæ, qui apud ur- 60 bem

AUCTORE J. P.

bem Ptolemaïdem illud susceperunt, auctore Simeone Metaphraste. *Inter Vitas, quas Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis a pag.* 124 *adjudicat Metaphrastæ tamquam proprias, non invenimus dictum Martyrium. At sive ab ipso fuerit compositum sive ei suppositum ab alio, non habemus enimvero unde ejusdem auctorem, quisquis sit, merito laudemus, cum propositum ipsi fuerit non tam vera et sincera narrare, quam mira et quæsita coacervare, ita ut mereatur eamdem censuram, quam tot Actis Græcis ac toties in Opere nostro inussimus, ex eadem videlicet, e qua hoc nostrum Martyrium, vel e similis ingenii fabrica in lucem productis.*

de Martyrum Actis,

9 *Et vero Aureliani imperatoris scena, quæ ab initio Martyrii usque ad finem identidem repræsentatur, quomodo recte cum Lactantio cohæreat, non satis perspicimus. Nam auctor ille in libro suo de Mortibus persecutorum hæc scribit in Aureliano* : Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit; sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, B et jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ *(inter Byzantium et Heracleam, ex Eutropio lib.* 9) cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus. *Quomodo itaque cum his consentiunt ista Martyriographi nostri,* Aurelianus imperator per totum orbem terrarum contra Christianos edictum proposuit, ut omnes idolis sacrificarent : qui vero id facere noluissent, vita pessime privarentur. Ille igitur cum in Isauriam venisset *etc.? Quomodo cum Eusebio, qui Ecclesiasticæ historiæ lib.* 7 *cap.* 30 *editionis Valesianæ pag.* 283 *de meditata Aureliani adversos Christianos persecutione sic memorat?* Processu vero temporis aliter de nobis sentiens, quorumdam consiliis cœpit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret.. Sed eum paratum jam, et compositis contra nos edictis, ut ita dixerim, subscribentem, ulta est divina justitia, quasi stricto cubito conatum ejus reprimens. *Quomodo denique cum Severo Sulpicio? Is lib.* 2 *Historiæ sacræ cap.* 28 *et sequentibus persecutiones quidem imperatorum contra Christianos enumerat; sed nullam inter eas sub Aureliano designatam ibidem invenio.*

eorumque exemplaribus, ac Menæis.

C 10 *Quod habemus Græcum exemplar in nostro codice* † *Ms.* 194, *consentit dicto Latino Martyrio in principio et in fine : alibi item eam notavimus utriusque exemplaris conformitatem, ut ex una eademque officina illud prodiisse censeamus. Quia igitur non est in promptu Martyrium notæ melioris, ne nullum demus, dabimus illud quod latinitate donatum exstat apud Lipomanum tom.* 7, *ac Surium hac die* XVII *Augusti. Breviter observa hac occasione,* S. Paulum *non modo exercitatum fuisse in Scripturis divinis, prout superius referebatur num.* 2 *ex Menologio Basilii imperatoris; sed etiam, si Menæis magnis credimus, lictoris officio functum. Nam habemus hac die ex illorum de Sanctis nostris narratione, quod Aurelianus, postquam Ptolemaïdem pervenisset,* arcessiverit *eum,* tunc temporis prælegentem *(ita interpretamur Græcum* ἐπαναγινώσκοντα) populo Scripturas a Deo inspiratas. *En tibi nunc, lector, qualiacumque damus Athletarum nostrorum Acta, paucas hic et illic notas eisdem adjecisse contenti; pluribus enim nec digna sunt, nec bonæ frugis fieri possunt.*

D

MARTYRIUM

Ex editis apud Surium ad diem XVII Augusti.

CAPUT I.

SS. Paulus et Juliana variis pro fide cruciatibus torquentur.

Aurelianus, lato contra Christianos edicto

Aurelianus imperator per totum orbem terrarum contra Christianos edictum *a* proposuit, ut omnes idolis sacrificarent; qui vero id facere noluissent, vita pessime privarentur. Ille igitur cum in Isauriam venisset, in urbem Ptolemaïdem *b* se contulit, ut omnes Christianos cogeret idolis sacra facere. Cum vero beatissimus E Paulus una cum sorore sua Juliana imperatorem in urbem ingredientem vidisset, Christi signo frontem notavit, et ad sororem conversus, Esto, inquit, bono animo, soror mea, neque timeas : dico enim tibi, magnam quamdam tentationem Christianis imminere.

Paulum signo crucis se notantem increpat

2 Vidit Aurelianus, cum Paulus Christi signo frontem notavit, et misit qui illum corriperent. Quem cum in media turba stare jussisset, Miserrime, inquit, homo, quidnam tibi proposuisti, ut, me in urbem ingrediente, frontem signare auderes! An ignoras edictum contra Christianos propositum? Respondit Paulus : Audivi equidem edictum tuum, sed nemo umquam poterit tantum timorem nobis injicere, ut Christum verum Deum abnegemus : tua enim tormenta brevia sunt, neque eos lædere possunt, qui Deum metuunt. At Dei tormenta, sempiterna illa sunt. Eodem modo voluptas et gloria, quam Deus Christianorum generi largitur, æterna est. Quis igitur tam amens est, ut viventem Deum derelinquat, et surda atque muta ista vestra idola colere velit; cum ipse author nostræ salutis Jesus Christus F dixerit : Quicumque negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in cælis est?

et acriter torqueri jubet,

3 Cernis, inquit Aurelianus, quamdiu te nugautem passus sum ac sustinui? Accede jam et diis sacrifica, ne pessimo mortis genere consumaris. At Paulus : Ego nullum alium Deum cognovi, nisi Dominum Jesum Christum, quem colui semper inde usque a patribus meis, puro corde atque animo. Tum Aurelianus dixit : Suspendite hominem istum, et acriter torquete, donec venerit Dominus ipsius, et eum liberet. Suspenderunt igitur illum carnifices, et cruciatibus affligere cœperunt. Cumque affligeretur, voce magna Deum invocans, dicebat : Domine Jesu Christe, vera Dei veri et Patris progenies, cujus ortum nemo comprehendere potest, non angeli, non archangeli, non Throni, non Dominationes, non Principatus, non Potestates, non Virtutes, non Cherubini aut Seraphini, nisi Pater solus; tu, inquam, afferas opem mihi humili et abjecto servo tuo, et ex manibus Aureliani me liberes. Deus autem protinus ita cruciatus illos leves effecit, ut beatus Paulus nihil sentiret.

4 Sancta vero Christi sponsa Juliana, cum fratrem

nec non Julianam percuti :

A trem suum ita cruciari vidisset, encurrit ad tribunal, et voce magna clamans, Aureliane, inquit, tyranne, cur ita crudeliter fratrem meum innocentem crucias? Tum Aurelianus : Detegite mox istius mulieris caput, et ejus genas vehementer percutite, ne sic temere loquatur : istum vero nefarium hominem constanter cruciate, eo quod Christi, quem dicit, patrocinium et adjumentum se habere ait. Risit Juliana, et, Miror, inquit, quomodo imperator cum sis, deliras, neque potentiam Christi cognoscis, quemadmodum scilicet tormenta his hominibus, qui eum invocant, leviora efficit. Aurelianus ad suos conversus, dixit : Muliercula ista ex mea clementia majorem in modum elata est. Itaque illam torve intuens, Accede, inquit, et diis immola : non enim manus meas te evasuram confidere debes. Ad hæc Juliana : Ego neque tua tormenta extimesco, neque minas tuas ad me pertinere arbitror : est enim Deus in cælis, qui poterit eripere nos de iniquis manibus tuis. Quæcumque igitur habes torquendi instrumenta, mihi admoveas, ut ex his ipsis Dei et Salvatoris Jesu Christi spem mihi præsentem esse cognoscas.

quæ ridet blanditias ejus ac suspensa cruciatur

B 5 Hæc dixit Juliana. Cui Aurelianus : Video, inquit, pulchritudinem tuam talem esse, ut illius rationem habens, te perdere nolim. Te igitur adhortor, ut diis sacrifices, quo legitimam mihi uxorem te deligere possim, et mecum una regnes, imperio meo omni tempore fruens. Quin etiam fratri tuo injuriam compensabo, et faciam, ut amplissimum dignitatis gradum apud me habeat. Erexit Juliana oculos suos in cælum, et crucis signo cum frontem notasset, risit. Cui Aurelianus : Cur, inquit, Juliana, multam benignitatem meam contemnens, risisti? Non, inquit illa, contempsi benignitatem tuam; sed rideo, gaudeus, quod sponsus meus cælestis, qui vult omnes homines salvos fieri, sedet in solio sancto suo, ejusque divinitatis pulchritudinem contemplor : qui etiam me hortatur, ut certamina ipsa libenter sustineam, te vero nugacem et futilem hominem contemnam : quippe qui, cum te imperatorem appellari facias, et ligna et lapides adoras. Audiens hæc Aurelianus, bili percitus, Suspendite, inquit, mulierem istam, eamque
C constanter cruciate, ut intelligat se ante imperatoris tribunal consistere.

sed tormenta generose contemnit.

6 Cœperant jam carnifices illam cruciare, cum Paulus ejus frater eam intuens, Ne timeas, inquit, soror, tyranni cruciatus, neque ipsius minas formides. Sustineamus paulisper, ut perpetuo requiescere possimus. Infligite huic, inquit Aureliano, cruciatus assiduos, eique inculcate, ne superba et stulta verba effutiat. Audiens hæc Juliana, iterum risit, et ait : Aureliane tyranne atque inique, Dominus Jesus Christus facit, ut neque labores, neque tormenta hæc sentiam. Tunc Aurelianus : Quamvis, inquit, multas nugas effundas, et simules te cruciatus non sentire, faciam tamen, ut diutius crucieris, et doloribus succumbas. Non sinet, inquit illa, Christus ipse, me umquam a te superari. Ille est, qui mihi opem affert, et nunc, et semper ad finem usque opitulabitur, quo ipsius potentiam, et nostram Christianorum patientiam cognoscere possis. Te vero ipse Deus mens æterno igni puniet : exiget enim a te animas, quas perdidisti.

7 His verbis magis exarsit Aurelianus, et jussit lebetem afferri, ac picem in cum conjici, atque ignem multum infra lebetem accendi, ita ut nemo propius accedere posset. Jussit autem in illum conjici Paulum et Julianam. Qui cum fuissent conjecti, oculos in cælum erigentes, ac tamquam uno eodemque ore precantes, hæc dicebant : Domine Deus patrum nostrorum, Abraham, Isaac et Jacob, qui descendisti in fornacem ignis ad Sidrach, Misach et Abdenago in Babylonis regione, neque illos igne lædi permisisti; tu, Domine Jesu Christe, lux illa immensa, Patris mysterium et gloria, Deique altissimi dextera, qui homo factus propter peccata nostra, inter homines versatus es; da salutem animabus, quas inimicus diabolus miserrime deceptas et corruptas, usque ad infimam tartareæ sedis voraginem detrudere conatur : quemadmodum Aurelianus iste, ipsius diaboli discipulus, nunc facit. Hæc cum illi precantes dixissent, pix effervescens, in gelidam aquam conversa est, ita ut, qui præsentes erant, Dei potentiam admirarentur.

Ex græc. apud Surium. Mittuntur ambo in ferventem picem, quæ in gelidam aquam mutatur,

Auleriano Dei virtutem magicis artibus adscribente.

8 Nihilominus tamen Aurelianus proprio furore oppressus, Deo gloriam non reddebat, sed magicis artibus ea fieri existimabat. Jussit postea e lebete illos extrahi, in quibus nec picis odor aliquis inerat : quin etiam neque in lebete ipso picis aliquid inventum est, sed tantum frigida aqua. Tunc Aurelianus, Existimatisne, inquit, E
eos, qui præsentes sunt, a vobis circumveniri et adduci, ut putent auxilium a Deo vestro vobis allatum, et non magicis potius artibus hæc facta esse? Non ita, per deos ipsos, res se habebit : faciam enim, ut cruciatibus affecti, igne consumamini, nisi diis ipsis victimas obtuleritis. Ad hæc Paulus respondit : Minime nos possumus viventem Dominum Deum relinquere, cæli et terræ creatorem, qui nos e tenebris eripuit, et a manibus tuis eosdem liberavit. Numquam igitur, Aureliane imperator, nobis persuadere poteris, ut lapidibus et statuis vestris, voce, auditu et anima carentibus, cultum præbeamus. Itaque de cætero tormenta, quæcumque vis, nobis admoveas, ut Dei nostri vim cognoscas.

Deinde ignitis sedibus imponuntur :

9 Jussit Aurelianus duas ferreas sedes illuc afferri, et e balneis publicis carbones congeri, et sedes illas vehementer succendi : suum vero abdomine illitos Martyres ipsos supra candentes sedes imponi. Quod cum mox factum esset, Jam, inquit Aurelianus, artibus vestris omnibus supe- F
ratis, potestis discere, quisnam sit Aurelianus imperator. Veniat nunc Christus vester, si potest, et vobis laborantibus opem afferat. Respondit statim Aureliano Juliana : Nobiscum hoc in loco Christus est, nobis opem affert, neque sinit ab igne nos tangi. Tu vero illum non vides, cum ejus visione indignus sis. Moneo te, Aureliane, ut insaniam istam omittas, et ad Christum accedas : nam si ei credere volueris, te resipiscentem amplectetur, cum benignus sit ac misericors, et humana peccata condonet. Quod si non credideris, æterno igne punieris.

ANNOTATA.

a *De his, quæ hic et inferius de Aureliano dicuntur, consule Commentarium prævium num.* 9.

b Ptolemaïdem *hanc castigat idem Commentarius num.* 6.



CAPUT

Ex edit. apud Surium.

CAPUT II.

Eorum lictores martyrio affecti; alia amborum tormenta; cibus illis cœlitus subministratus; conservata S. Julianæ pudicitia.

lictores puniuntur et ad Christum convertuntur. Magis iratus est Aurelianus, et jussit carnifices capite truncari, quasi pecunias a Christianis accepissent, ut illis parcerent. Cum vero ad mortem ducerentur carnifices, hortabatur eos Paulus his verbis: Nolite timere: neque enim in æternum moriemini, sed Sanctorum participes futuri estis, et cælestis regni heredes. Hæc cum audissent carnifices, constiterunt, ita Deum orantes: Domine Jesu Christe, quem Paulus et B Juliana prædicant, adesto nobis, et in confessione tua fac nos perfectos esse: quoniam nihil mali fecimus, et morimur. Hæc cum dixissent, obtruncati sunt. Eorum alter, Quadratus: alter, Acacius dicebatur.

Martyres iterum cruciantur 11 Ilis igitur martyrio consummatis, jussit Aurelianus alios carnifices ignem afferre, et supra carbones sal adspergere, ut ignis ipse vehementer accenderetur. Tum Juliana, Aureliane, inquit, tyranne et nefarie, cur teipsum affligis? Video enim te cruciari, et omnibus modis furore detentum affligi, deuique ut serpeutem aliquem exsibilantem, venenum contra uos effundere: sed nihil tamen proficies, cum Deus ipse nos corroboret, ut pravas tuas cogitationes sustinere possimus. Itaque cum adversus nos nihil efficere potueris, magis erubesces, et a nobis ipsis abstinebis. Aurelianus jussit illos exsolvi, et in carcerem detrudi, atque ligna quædam maximi ponderis in eorum cervices imponi, pedes etiam compedibus ligari, catenis manus devinciri, et ferreos clavos sterni, ut illis configerentur, neque Christianorum aliquem permitti ad eos ingre- C di, ne cibus afferretur. Illos igitur carnifices in carcerem duxerunt, quæque ab Aureliano jussi fuerant, cis fecerunt. Cum vero media nocte Martyres Deum precarentur, lux quædam magna effulsit iu carcere, et angelus coram illis stetit, eisque dixit: Paule et Juliana servi Dei altissimi, surgite et Deum orate.

et cibi illis divinitus apponuntur. 12 Hæc dixit angelus, et ad eos accessit: ac statim iustrumenta, quibus eorum colla coustricta erant, tetigit, statimque tam illa, quam reliqua ferrea et lignea viucula confracta, de justorum Martyrum corporibus exciderunt: duæ autem sedes pannis stratæ, et mensa coram ipsis illico apposita est, omnigenis ferculis plena: eisque angelus dixit: Venite, requiescite, et cibum sumite, queu misit vobis Jesus Christus. Paulus et Juliana ea re lætati, discubuerunt. Cumque pauem ipsum iu manus sumpsissent, et oculos in cælum crexisseut, Deo ipsi gratias egerunt, et cibi participes facti sunt. Viderunt carceris custodes lucem illam magnam: cumque ad eos repente introivissent, quod factum fuerat didiceruut, ipsos insupor comedeutes, et hilares factos viderunt. Itaque cum illis recumbentes et ipsi comederunt, Deoque laudem et gloriam dederuut, qui talem gratiam filiis homiuum contulisset, ita ut plerique ex ipsis Deo crediderint, et Christiani D evaserint.

Nova tormenta, 13 Tertio post die Aurelianus, cum in tribunali sedisset, jussit sanctos martyres Paulum et Julianam illuc duci, quibus ait: An nondum tormenta ipsa vos docuerunt, ut ab ista insania vestra discedatis, et deos adeuntes, illis victimas offeratis? Hæc, inquit Paulus, stultitia mihi sit, et omnibus, qui Deum ipsum diligunt. Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus: et sapientia hominum, stultitia est apud Deum. Desipiens profecto et insanus essem, si a Deo ipso deficiens, dæmones vestros colerem. Denuo Aurelianus bili percitus, jussit illos in ligno suspendi, et cruciari. At illi Deum orantes, hæc dicebant: Domine Jesu Christe, fili Dei viventis, lux Christiauorum, et fides, quæ neque coucuti, neque ab adversariis expugnari, aut dissolvi potest; ostende faciem tuam, et nobis opem feras, neque nos destituas propter sanctum nomen tuum. Cum igitur carnifices diutius illos cruciarent, et Christus eorum cruciatus sublevaret, nihil omnino Martyres tormeuta illa sentiebaut. E

conversio Stratonici carnificis 14 Unus vero e carnificibus, nomine Stratonicus, cum staret ad sinistrum Julianæ latus, et tormenta in eam inferret, ejus pulchritudiue captus, manus ab ea coutinebat. Cujus sensum atque auimum cum beata et sancta Juliaua cognosceret, sinistrum pedem extendit, et calce illum verberans, Stratonice, inquit, fac quod jussus es a tyranno Aureliano, neque manus a me contineas mihi parcens: ego enim habeo regem meum Dominum Jesum Christum, Deum æternum, et animæ meæ curatorem, qui corporeis laboribus me sublevat, atque ita præsentes cruciatus non sentio. Hæc cum Stratonicus audivisset, statim ensem, quem manu tenebat, abjecit: cumque ad tribunal Aureliani cucurrisset, clamans, Aureliane, inquit, tyranne et temerarie, curnam hæc faciuora contra Christianos patrare audes? Quidnam homines Deo servientes commiserunt, ut ita crudeliter et immaniter eos crucies? An quia Christum omnium dominatorem venerantur? Hæc cum audiret Aurelianus, ita obstupuit, ut hora uua mutus remanserit.

qui capite plectitur. 15 Tandem respouens, Tuue etiam, iuquit, Stratonice, istorum stultitiæ atque insaniæ particeps factus es? An Julianæ pulchritudo te F decepit et ejus jucundis sermonibus allectus es? Stratonicus cum in cælum oculos erexisset, dein Paulum ac Julianam in ligno suspensos circumspexisset, crucis signo munitus, illorum adspectus tales vidit, quales angelorum Dei facies esse solent. Mox accurrit, et deorum aram calcibus conculcavit, eamque everteus, ait: En et ego Christianus sum: facias licet, quidquid libet. Furore accensus Aurelianus, jussit ejus caput abscindi Cumque sententiam imperator tulisset, venit ad eum locum, in quo martyrium obiturus erat. ubi cum genua inclinasset, ita oravit: Domine Jesu Christe, quem Paulus et Juliana confitentes, invicti permanent, a divinitate tua servati, et Aureliani tyrannidem confundentes: tu, quæso, et animam meam accipe in cæleste regnum tuum; meam, inquam, animam, qui brevissimæ horæ spatio nomen tuum confessus sum, præsente Aureliano tyranno. His dictis, ille caput extendit, et a carnifice obtruncatus est. Venerunt autem Christiani, et ejus reliquias collegerunt.

16 Paulus vero et Juliana cruciatus fortiter sustiuebant

SS. Juliana et Paulus condemnantur ad feras.

A sustinebant. Tunc Aurelianus Julianam affatus, O scelesta, inquit, et impia muliercula, quomodo in tormentis existens, carnificem decipere potuisti, eique mortis causam afferre! Non ego, inquit Juliana, illum decepti, vel mortis causam attuli; sed qui me assumpsit Jesus Christus, ille ipse et hunc dignum fecit, ac vocavit: nisi enim dignus fuisset, numquam ad martyrii palmam pervenire potuisset. Illum igitur in regno cælorum requiescentem adspicies: te vero in gehennæ flamma puniri senties. Tunc quidem pectus tuum infelix percuties, cum inferiorem hominem te ipso apud Christum præstantiorem videbis, et dolore affectus, clamabis, Dei misericordiam implorans, quam tamen impetrare non poteris. Post hæc jussit Aurelianus illos e ligno detractos, in carcerem interiorem concludi, et omnes veneficos ac præstigiatores vocari, qui feras omnes, quascumque haberent, acerbissimas, hoc est, viperas, aspides, cerastes *a* ac dracones afferrent, ut una cum Paulo et Juliana in carcere concluderentur. Cum igitur feras attulissent, quemadmodum a tyranno jussi fuerant, simul cum B Paulo et Juliana eas concluserunt. Serpebant autem feræ illæ, et ad pedes beatorum Martyrum assidebant, intentis quidem oculis eorum facies adspicientes, sed nihil tamen nocentes. Paulus autem et Juliana sedebant psallentes et Deum collaudentes.

sed non læduntur.

17 Manserunt autem serpentes illæ tres dies et tres noctes cum Martyribus clausæ. Tertio autem die misit Aurelianus sub noctis tempus, ut disceret, an a serpentibus consumpti essent. Venerunt, qui missi fuerant, ad eum locum: cumque ad januam accessissent, eos, psalmos canentes et Deum laudantes, audiverunt. Cum vero accuratius scire vellent, quo pacto res se haberet, ascenderunt in locum quemdam superiorem. Unde per fenestram speculati, viderunt Paulum sedentem simul cum sorore sua Juliana, et angelum Dei stantem in conspectu ferarum, neque permittentem feras accedere. Cucurrerunt igitur illi, et Aureliano omnia, quæ viderant, nuuciarunt. Surrexit Aurelianus diluculo, et sedit pro tribunali, et jussit veneficos feras suas illinc evocare, et Martyres duci C ad tribunal. Accesseruut venefici ad januam, et feras eo modo, quo solebant, vocare cœperunt. Cum vero feræ ipsæ illis non obedirent, januam patefecerunt, et feræ uno impetu omnes exierunt, et quoscumque infideles homiues prope januam invenerunt, statim interfecere, et ad deserta loca aufugerunt.

tyranno illud feris attribuente.

18 Carceris autem custodes Paulum et Julianam ad Aureliani tribunal duxeruut. Tyrannus igitur eos intuens, ac ridens, Beatum, inquit, me hodie existimo, quod vestra consuetudine fruor: fortasse enim magnum aliquid a vobis lucrifaciam, et per deos ipsos, si quidem mihi verum dixeritis, multa et magna dona a me percipietis, et regni mei potestas penes vos erit. Numquid vos deum Apollinem præsentem, et vobis opitulantem, ut audivi a quibusdam speculatoribus, vidistis? Nos, inquit Paulus, nullum Apollinem cognovimus: nam sumus ex eorum numero, quibus Deus salutem dedit. Tua vero anima ad mortem usque perdita est: non enim sapis, neque resipiscere vis: quinimmo multus tyrannidis tuæ furor ad blasphemiam te convertit; quippe qui angelum, quem misit Dominus Jesus Christus ad obturanda ora serpentum, quæ tua est arrogantia et temeritas, Apollinem fuisse dicis. Tunc iratus Aurelianus, jussit plumbeis globis Pauli maxillas contundi, atque illi dici: Ne ita insipienter et arroganter loquaris cum scias te imperatori assistere.

Ex edit. apud Surium.

Hujus blanditiæ ac dolus.

19 Jussit postea e tribunali Paulum abduci, et Julianam ejus sororem coram sisti, quam his verbis aggressus est: Quæso, animæ meæ domina Juliana, quæso, inquam, et te hortor, ne fratris tui insaniam imiteris. Video te puellam prudentissimam, multa sapientia refertam. Obtempera consiliis meis, et columnas aureas per totum terrarum orbem, tuo nomine inscriptas, erigam. Tunc illi Juliana: Minime, inquit, me decipies, Aureliane tyranne et impie. Non circumvenies Dei altissimi servam. Ne mihi æternam mortem suggeras. Visne me privare Dei gloria et cælesti regno, quo tu indiguus es et alienus? Jussit Aurelianus Julianam semoveri, et Paulum reduci: cui dixit: En, Paule, soror tua promisit mihi se diis sacrificaturam: quæ idcirco mihi uxor erit, totiusque regni mei domina. Fac igitur et tu quod dico, et sinas tibi persuaderi, ut diis sacrifices. Ad hæc Paulus: Vere inquit, mentitus es, idque tuo malo: sed nihil alienum fecisti a patris tui diaboli disciplina, cum id facias, quod ille solet: neque enim aliquem E subripere potestis, nisi mendacia confingendo. Sed frustra laboras: namque nos non decipies, ne si totius quidem orbis terrarum imperium nobis pollicereris; minime, inquam, nos circumvenire poteris.

Alia Pauli tormenta; Julianæ pudicitia

20 Quousque tandem, inquit Aurelianus, injuriam nobis facis? An non erubescis, nugator et insipiens? Per deos ipsos! ego vos omnium generum tormentis affligam, et nemo e manibus meis vos auferre poterit. Jussit igitur ignem afferri, et quatuordecim virgas ferreas, easque in ignem conjici, et valde accendi: tum Pauli manus et pedes ligari, ferreumque vectem inter manus et pedes injici, et in terram defigi, ac sic virgis ignitis binis per vices Paulum percuti: Julianam vero jussit in lupanari constitui. Itaque multi e turba illa, quæ circumstabat, scelesti et nefarii homines, certatim contendebaut, quis ad eam primus ingrederetur. Erant enim velut equi hinnientes, ejus puellæ forma incitati. Cum vero in eo loco, in quo Aurelianus jusserat, constituta esset, statim angelus Domini descendit de F cælo, et dixit: Ne timeas, Juliana: Dominus enim Jesus Christus, quem tu colis, misit me, ut te protegam, et sanctum nomen ejus notum faciam omnibus timentibus eum. Cum vero multi ad virginem accederent, et ejus pulchritudine frui vellent, angelus excussit e pedibus suis pulverem, et in eorum oculos injecit, ita ut eos excæcarit. Quapropter neque amplius cernebant, ubi essent, aut quo irent, neque ad illam accedere poterant.

a Domino conservata, ac cæci illuminati,

21 Id cum turbæ vidissent, quod admirabiliter factum fuerat, uno animo clamabant: Magnus est Deus Pauli et Julianæ, qui ubique eos servat et protegit, qui illum timent. Qui autem excæcati fuerant, flexis genibus supplices ejus opem implorabant, dicentes: Juliana, serva Dei altissimi, peccavimus quidem contra te, cum stulte atque insipienter nos gesserimus: sed tu da, quæsumus, nobis veniam, ut Dei serva: et precare Christum tuum, ut nobis visum restituat. Eorum misericordia commota Juliana, paululum aquæ accepit: et cum oculos in cælum extulisset, Deum invocavit, ita dicens: Domine Jesu Christe, author omnium salutis, exaudi me, et nunc etiam ostende miracula et prodigia, quæ facis propter

Ex edit. apud Surium.

propter nos filios hominum Restitue his viris facultatem videndi, ut sanctum et gloriosum nomen tuum celebretur. Hæc cum dixisset, aquam supra turbas illas infudit, et omnes, qui excæcati fuerant, visum receperunt. Tum illi ad terram prostrati, gratias Deo reddebant, pœnitentiam agentes. Cumque peccata sua confessi essent, Christiani facti sunt.

Paulus absens novit Julianæ castitatem ab impudicis non violatam.

22 Paulus vero, de quo dicebamus, cum a carnificibus cruciaretur, virgis illis ferreis diutius percussus vociferabatur, hæc dicens : Aureliane tyranne et nefarie, quidnam mali commisi, ut sic crudeliter et impie me crucies? Verum me quidem a tormentis Dominus meus Jesus Christus sublevat : te vero manet hereditas æterni illius ignis, qui paratus est tibi, et diabolo hæc adversus nos suggerenti. Et ubinam, inquit Aurelianus, Paule, est Juliana soror tua, quam ais esse temperantem et virginem? En illa ad lupanar ducta est. Num putas adhuc esse virginem? Ad hæc Paulus: Scio, inquit, illum ipsum Deum qui semper a tuis pravis cogitationibus me liberavit, sororis etiam meæ propugnatorem fuisse,
B et intactam ab omni labe conservasse. Misit enim angelum suum e cælo, ut eam custodiret. En ut sine macula, et virginitatem puram habens, revertitur, ut videat vincula mea. Miserat enim Aurelianus, ut Juliana duceretur. Quæ cum venisset ad tribunal, et Paulus eam vidisset, multo gaudio plenus risit. Aurelianus vero Num, inquit, Juliana, amatores tui pulchritudine tua satiati sunt? At illa dixit : Mea pulchritudo, meum ornamentum et decus Christus est, qui misit angelum suum, et me abjectam atque humilem servam protexit : quoniam fidem et spem meam in illo fixam habeo. Quapropter gratias illi ago, et sanctum ejus nomen collaudo, quod ipse est, qui facit mirabilia solus, et non est alius Deus præter ipsum.

ANNOTATIO.

a Cerastes, κεραστής, à κέρας, id est, cornu. Caussam indicat hic locus Plinii lib. 3 cap. 32 : " Cerastis corpore eminere cornicula sæpe quadrigemina : quorum motu, reliquo corpore " occultato, sollicitet ad se aves. " Plenius de
C eodem Isidorus lib. 12 cap. 4 : " Cerastes serpens dictus eo quod in capite cornua habeat similia arietum : κέρατα enim Græci cornua vocant : sunt autem illi quadrigemina cornicula, quorum ostentatione, veluti esca illiciens sollicitata animalia perimit. Totum enim corpus arenis tegit, nec ullum indicium sui præbet, nisi ex ea parte, qua invitatas aves vel animalia capit. Est enim flexuosus plus quam alii serpentes, ita ut spinam non habere videatur. " *Hæc et plura notat Vossius in Etymologico linguæ latinæ.*

CAPUT III.

Martyrum constantia aliis pœnis exercita ; obitus ac sepultura.

Ambo mittuntur in foveam ardentem : convertantur gentiles :

Jussit deinceps Aurelianus Paulum exsolvi, et foveam quamdam effodi, tam longam, quanta est trium hominum statura : tum ligna et ignem afferri, atque in fovea illa succendi. Fecerunt carnifices, quod jussum fuerat, admodum studiose : nam et foveam statim effoderunt, et ignem D
vehementer accenderunt. Itaque Aurelianus jussit Paulum et Julianam in ignem illum conjici. Sancti vero Martyres Deum collaudantes, Salvatorem ac Dominum Jesum Christum invocabant ad opem sibi ferendam. Cum autem ad eum locum venissent, sua membra crucis Christi signo munierunt, et sponte se in ignem conjecerunt. Erant autem in igne illo Deum laudantes, et ejus gloriam prædicantes. Ecce autem angelus Domini descendit de cælo, et fumum una cum igne foras excussit, neque permisit sanctos Martyres vel paululum ab igne perturbari. Stabant itaque in fovea illa rectis corporibus, divinas laudes proferentes in hanc sententiam : Benedictus es Domine Deus Rex seculorum, qui memor fuisti humilitatis nostræ, et præsentia tua ignis flammam extinxisti propter bonitatem tuam, quæ facit, ut peccata nostra non recorderis. Tu nos indignos, salvos atque incolumes eripuisti a cogitationibus tyranni Aureliani, qui suo imperio ita intumescit, quasi futurus sit immortalis. Hæc cum Martyres precarentur, multi ex Græcis *a*, Dei potentiam contemplantes, animo compuncti, ab idolorum superstitione defecerunt, et Christi E
fidem secuti sunt : multi etiam carnifices, qui eos verberaverant, cum Dei tanta in illos beneficia collata vidissent, mutato consilio, Christi fidem amplexi sunt.

minæ cælestes ad Aurelianum, Martyrum constantia ;

24 Perlata vero sunt hæc omnia ad Aurelianum, qui jussit illos, ita ut erant, in fovea lapidibus obrui. Sed, ecce, repente tonitrui sonitus cum multis fulguribus, et nubes huc atque illuc agitatæ, et ignis plenæ, usque ad Aureliani conspectum devenerunt, et ignem illum in terram effuderunt, voxque hæc e cælo ad eum demissa est : Aureliane, ingredere in abyssum gehennæ ignis, paratam tibi et patri tuo diabolo. Hæc cum facta essent, misit Aurelianus, et jussit Athletas et Christi martyres ex fovea illa extrahi, et in carcerem conjici Itaque sancti Martyres Dei gloriam laudabant in omnibus his, quæ Deus ipse mirabiliter illorum causa fecerat. Septimo die postea diluculo Aurelianus sedit in tribunali, et jussit sacerdotes afferre quotcumque idola habebant argento et auro confecta, ac pretiosis lapidibus ornata. Quæ sacerdotes ipsi mox in conspectu Aureliani constituerunt, cum stravissent sub ejus pedibus purpuram regalem. Tum Aurelianus, Vocate, inquit, Paulum et Julianam. Quos cum F
vidisset ante tribunal consistentes, animo et vultu valde irato illis minatus, dixit : Ite nunc, et diis sacrificate : nolim enim existimetis, manus meas vos evasuros. Subrisit Paulus, et ait : Numquam, tyranne, Deum nostrum derelinquemus, qui cælum et terram effecit. Ne putes amplius, idolis tuis cultum nos allaturos. Tum Aurelianus : Violenta, inquit, morte dignus es. Idolane tibi hæc videntur : neque intelligis, quæ vis in illis sit?

S. Paulus spurcitiam deorum exponit,

25 Ad hæc Paulus : Jupiter iste, quem tu deum esse dicis, homo quidam fuit fugitivorum filius, qui artem magicam bene edoctus fuerat : cumque præter cæteros homines esset incontinentissimus, et libidini maxime deditus, ac quorumdam pulcherrimas uxores atque filias adamasset, se continere non potuit, quin cum illis commisceretur. Qui modo in taurum mutatus, modo avi similis, aquilæ scilicet ac cygno, mulieres nonnullas ex jam dictis circumvenit ; et a mente alienatas in eam miseriam impulit, ut ipsum tamquam deum, colerent. Ad hæc et alias mulieres

A lieres per formæ mutationem et præstigias decepit, in aurum commutatus. Et ne alia ejus libidinosa facinora hoc loco narrem, (Scio te ad iracundiam concitari : sed licet irascaris, dicam tamen nihil veritus) iste, qui prope Jovem positus est, et Apollo dicitur, an non ex adulterio genitus est e muliere quadam, quæ Latona dicebatur quæque illum peperit inter duas arbores, qui et ipse opera nefaria commisit, patrem Jovem imitatus? Eodem modo et Dionysius vester ille Deus, an non et ipse ex adulterio genitus est ex Semele Cadmi filia? Nugator, inquit Aurelianus, et scelestе, an non ex Junone deorum matre Bacchus genitus est? Risit Paulus, et ait : Estne Deus, qui ex muliere genitus incipiat esse Deus, aut qui uxorem habeat? Tunc Aurelianus, Quousque, inquit, multas nugas effundens diis maledices? An non et vester Christus, quem vos Christiani Deum cælestem esse dicitis, ex muliere genitus est? Respondit Paulus : Non es tu dignus, qui Dei mysterium audias. Verum ne oratione tua multos eorum, qui præsentes sunt, circumvenias, necesse est aperire id, quod quæris.

uti et mysterium

B 26 Initio Deus ipse cum cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt, effecisset, hominem effinxit ad imaginem et similitudinem suam : purum enim a malitia, innocentem, justum, pietate præditum creavit illum Deus, et in paradiso deliciarum pleno eum collocavit. Pater autem vester diabolus non ferens tantam hominis felicitatem, Evam seduxit, et per illam, Adam ad divini præcepti transgressionem impulit. Quo factum est, ut et Adam ipse tamquam transgressor e paradiso expulsus sit, et genus omne humanum morti et peccati pœnæ obnoxium evaserit. Quamobrem cælestis Pater et omnipotens Deus misericordia motus, humano generi subvenire volens, misit Filium suum, ut humanam carnem susciperet, et Adam solveret, eosque qui ab injusto detinebantur. Ipse igitur Deus, Verbum Dei, ac Patris Filius, ante secula omnia est sapientia ipsius, et potentia et dextera : qui per archangelum Gabrielem annuntiatus fuit sanctæ illi Virgini, puræ atque honestissimæ, ex prophetico et regio genere originem ducenti : in cujus utero Deus ipse, hoc est, cæleste Verbum, quod oculis corporeis non cernitur, habitans, C suscepit corpus cum Gabriel ita Mariam ipsam affatus esset : Ave gratia plena, Dominus tecum : et paulo post; Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Genitus igitur fuit Deus et cæleste Verbum per Virginem, omni labe purissimam, corpore, tamquam veste quadam indutus propter humanæ salutis dispensationem.

Incarnationis,

27 Nemo enim poterat Deum verum, ita ut est, præsentem videre, cum Deus ipse sit ignis consumens, neque homo aliquis vivens Dei faciem videre possit. Hujus igitur dispensationis causa Deus noster, quod ad carnem pertinet, genitus fuit, et ut infans lacte nutritus est, cum esset tamen divinitate perfectus. Insuper factus est puer, et juvenis, cumque hominibus, ut homo, conversatus est annos triginta tres, urbes, regiones et castella orbis terrarum pertransiens, et benefaciens omnibus, ac liberans eos, qui a diabolo vexabantur. Postea in ligno crucis suffixus est, ut salutem daret mundo, qui perierat diaboli violentia et fallacia. Idem corpore mortuus est. Cumque ad inferos descendisset una cum sancta anima illa sua, contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit, atque in caliginosa inferorum penetralia ingressus, eripuit eos, qui vinculis detinebantur, et ex carcere diaboli illos in superiorem regionem eduxit. Quod totum ipsius benignitati acceptum refertur. Cum vero ita post tres dies a mortuis resurrexisset, apparuit suis discipulis atque Apostolis, et aliis multis, qui vere in eum crediderant : et cum aliquoties comedisset et bibisset cum Apostolis per dies quadraginta, sic postea in cælum assumptus est, et sedet ad dexteram Patris cum corpore illo, quod ipse Deus Verbum sibi copulavit. Nunc igitur diabolus dolore affligitur : illum enim Christus ipse Christianorum pedibus conculcari fecit, qui per sanctum ipsius nomen ingrediuntur in regnum cælorum : a quo regno tu alienus es : habes enim sortem et partem, æternam ignis gehennam, hereditatem diaboli patris tui percipiens.

Ex edit. apud Surium.

28 His auditis, Aurelianus præ furore vultu mutatus est, et dentibus stridere cœpit, exardescens in illum, cui et respondens, Multas, inquit, nugas te modo effundentem passus sum, patientiam in te, nugax et scelestе, audiendo retinens. Tu vero quamdiu perges me contemnere, et diis male- E dicere? Nunc igitur nisi diis immolaveritis, pessimis modis vos perdam, ita ut nemo possit e manibus meis vos eripere. Tum Paulus et Juliana concordi animo et magna voce clamantes, Nos, inquiunt, Christiani sumus, et in Christo ipso spes nostras collocatas habemus : dæmones non adoramus, idolis tuis non servimus, tormenta tua non timemus. Excogita igitur quoscumque vis cruciatus : fidem enim in Deo habemus, fore ut a nobis supereris, quemadmodum pater tuus diabolus a Christo superatus fuit, qui nos etiam robustos facit, et pravas artes tuas expugnat. Hæc cum audisset Aurelianus, jussit lignum quoddam magnum afferri : quod cum allatum fuisset, fecit Paulum in eo alligari. Carnifices vero ejus manus colligarunt. Tunc Aurelianus præcepit accensas lampades afferri, et in ejus faciem injici, præcone ita vociferante : Ne in orbis terrarum dominos contumeliosus sis, neve in deos ipsos maledicta conjicias.

tyranno furente

29 Juliana cum fratrem suum igne comburi spectaret, summa voce clamavit : O tyranne et scelestе, quid mali frater meus commisit, ut ita crudeliter eum crucies? Jussit Aurelianus et Julianam in ligno alligari, et accensas faces in os F ejus, et in totum corpus adhiberi : cui et dixit : Impudentissima mulier, erubesce, quemadmodum mulieres decet. Tum Juliana ridens, Vere, inquit, Aureliane, te admonentem acceptum habeo, eo quod dixisti, Cum sis mulier, erubesce : revereor enim, et erubesco Christum Dei viventis Filium, qui est ante faciem meam, neque illum possum derelinquere, et dæmones colere. Furore accensus est Aurelianus, cum se ab illis irrisum videret. Itaque jussit carnifices ignem per totum corpus illorum circumferre. Quod cum illi mox fecissent, tota civitas, quæ sanctorum Martyrum spectaculo intererat, voce magna clamabat : Imperator Aureliane, injuste judicas, injuste illos crucias. Si nolunt diis sacrificare, sententiam contra illos feras. Tum Aurelianus, cum metueret, ne populus seditionem adversus ipsum concitaret, sententiam tulit, ut eorum capita truncarentur, et corpora canibus ac feris et volucribus cæli projicerentur.

et ad alia supplicia Martyres condemnantur.

30 Itaque decimo septimo die mensis Augusti *b* exierunt simul lætantes, atque versum hunc psalmi concinentes : Salvasti nos, Domine, ab affligentibus

Eorum mors

Ex edit. apud Surium. affligentibus nos, et odientes nos confudisti. Cum vero ad locum martyrii venissent extra urbem, Paulus rogavit carnificem, ut Julianam prius, quam ipsum, securi percuteret. Juliana vero, cum faciem suam Christi signo munisset, admodum læta collum extendit, eamque spiculator securi percussit. Paulus igitur cum sororem Christi martyrio perfunctam vidisset, oculos in cælum erexit, et Deo gratias egit, ac crucis signo se itidem muniens, collum suum extendit: quem et spiculator mox obtruncavit.

ac sepultura. 31 Erant illorum corpora extra urbem jacentia, cum e loco illo ea tollere Christiani prohiberentur. Milites enim, ita ut jusserat Aurelianus, observabant, ne quis reliquias illas auferret. Veniebant autem in eum locum lupi, canes et volucres, et circa sanctorum Martyrum corpora sedentes, illa custodiebant: cumque muscas et ejusmodi animalia supra corpora illa sedentia viderent, aves ipsæ alis eo expellebant, non permittentes, ut in sanctis illis corporibus insiderent. Itaque septem dies et septem noctes feræ ac volucres cæli circa Martyrum reli-
B quias consederunt. Cæterum nuntiata sunt omnia hæc a militibus Aureliano. Qui cum ea audivisset, D
O furorem, inquit, pessimum Christianorum istorum, quos ne mortuos quidem superare potuimus! Misit igitur, et milites ipsos noctu illinc abduxit: neque enim volebat de die eos illinc removere, ne a Christianis irrideretur. Cum vero dies illuxisset, exierunt Christiani, et Martyrum corpora curantes, sumptuose in pace condiderunt, regnante Domino nostro Jesu Christo: cum quo Patri simul et sancto Spiritui sit gloria, honor et imperium nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Græco est* τῶν ἐλλήνων *quæ vox alibi et* Græcos *significat et* gentiles; *hic autem gentiles.*

b *Alibi Martyrum mors refertur ad diem* 4 *Martii. Vide dicta in Commentario prævio num.* 3. *Utra igitur die suum agonem consummarunt? At quidquid sit, major pro hodierna die videtur esse auctoritas ex numero majore Fastorum, tunc illos referentium, siquidem die eos sua referant, seu qua martyrio sunt coronati.* E

DE SANCTIS MARTYRIBUS MONACHIS

LIBERATO ABBATE,
BONIFACIO DIACONO, SERVO ET RUSTICO SUBDIACONIS

ROGATO ET SEPTIMO MONACHIS, ET MAXIMO PUERO

CARTHAGINE IN AFRICA

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Scriptor Passionis, ejusque tempus et locus, Sanctorum vero cultus in Ecclesia celebris.

Anno CDLXXXIII. Victor Vitensis eam scripsit. *Quam certa est et passim admissa illustrium horum Martyrum probatissima Passio, tam de vero ejus scriptore inter eruditos elapso proxime seculo disputatum est, aliis cum Surio*
C *eam Victori episcopo Uticensi, aliis passim et recte Victori Vitensi adscribentibus, sic tamen, ut non ita pridem dissertatio prodierit, qua duo Victores Vitenses asseruntur, quorum posteriori historia tribuenda dicitur, ut vide in Ephemeridibus Trivortianis mense Aprili* 1709. *Nobis satis est, verum Passionis historicum Victorem Vitensem omnino appellari; de quo videnda Cl. Theoderici Ruinartii in sua Persecutionis Wandalicæ historia, admonitio a pag.* 94, *ubi fusius eadem Passio ex variis codicibus Mss. ita vindicata est, ut de ejus germanitate dubium modo nullum superesse videatur, quod hic merito moveri possit.*

Passi sunt an. 483; 2 *De tempore, quo fortissimi Pugiles coronati fuerint, loquitur ibidem laudatus Ruinartius, censetque illud satis indicari ab ipso Passionis scriptore, dum eos anno Hunerici regis septimo martyrii palmam adeptos fuisse refert.* Cum enim, *inquit,* Hunericus anno CDLXXXIV excesserit e vita, completo fere octavo regni sui anno, mors eorum anno præcedenti, scilicet anno CDLXXXIII consignanda est. *Victoris verba non otiose expendit etiam Chiffletius, expendere alii. Poterit unusquisque idem ipsum ex Passionis principio colligere, ut prorsus non videam, quid demum sibi velit Tillemontius tomo* 16 *pag.* 798, *dum martyrium, de* F
quo agimus, ad annum 488 *referendum contendit, quasi eodem ferme anno contigerit, quo se historiam scripsisse testatur Victor, nempe sexagesimo post Wandalorum in Africam irruptionem, quo cœpisse perperam certat Hunerici in Catholicos persecutionem.*

non 448, ut vult Tillemontius. 3 *Observare enimvero potuit Vir alias non indiligens, sævissimam Hunerici carnificinam, ipso vivente et urgente, dire exercitam, ut ex laudata hic historia clarissime patet, nostrosque adeo sanctos Monachos passos ipso superstite et spectatore*: qui tamen Dei judicio, post non multos dies turpissima morte præventus, scatens vermibus exspiravit; *dum agebatur annus septimus regni ejus, ab anno* 476 *vel* 477 *inchoati. Frustra igitur laboravit, seque torsit Tillemontius, ut admissam passim ab eruditis, et vero certissimam epocham everteret, a Majoribus nostris etiam confirmatam, dum de synonymo sancto Liberato medico, aliisque in eadem persecutione Martyribus egerunt ad* XXIII *diem Martii, cui proinde et nos hic acquiescendum censuimus.*

4 *Pergit Ruinartius*: Quonam tandem in loco aut apprehensi fuerint, aut mortem subierint, non

Locus in quo capti et in quo passi.

A non est opus ut hic fusius inquiramus, cum ex ipsa eorum Passione constet, eos a monasterio territorii Capsensis in Byzacena, ubi vitam monasticam ducebant, Carthaginem adductos fuisse, ibique martyrio coronatos. *Quam hæc clara et certa sunt, tam dubium est, quod ibidem sequitur, sumptum ex occasione nominatæ hic* Capsensis *civitatis, in cujus vicinia sancti Martyres commorati dicuntur, utrum nempe confundendi non sint cum* Capitanis Martyribus, *qui in Kalendario Carthaginensi celebrantur Idibus Novembris. Non ausim equidem id asserere, tametsi mirum videatur, tam inclytos athletas in dicto Kalendario fuisse omnino prætermissos. At facile respondebitur, innumeros alios in ipsa illa persecutione passos, ibi etiam præteritos esse, ut inde pro confusione* Capsensium *et Capitanorum, argumentum non videatur posse deduci.*

Celebres in classicis Martyrologiis,

5 *Reliquum est, ut ostendamus tam illustrem Passionem classicis nostris Martyrologis ignotam non fuisse, nec ignorasse ipsos, Victorem Vitensem eam pro merito celebrasse. Prævivit haud dubie ceteris is, quem Ado ductorem habuit, auctor*
B *Romani parvi, jam non semel post Rosweydum editi, qui nescio quo errore ductus, eos hoc die consignavit, ubi vel ex ipso Passionis titulo constat* VI *Nonas seu* II *Julii martyrium subiisse. Et id quidem brevis istius Martyrologii auctori condonari posse videtur, quod fortasse Passionem non viderit; magis miror, Adonem, qui Acta ipsa præ oculis habuit, errorem non correxisse; nisi forte et ipse et alii animum attenderint ad celebrem aliquam reliquiarum translationem, modo nobis incognitam, cujus occasione ipsos hoc die retulerint. Ceterum Adonem secuti sunt reliqui, Usuardus cum tota sua progenie, Notkerus, Beda Plantinianus, Maurolycus et recentiores passim cum Martyrologio Romano.*

quorum elogia

6 *Ne textibus multis hic describendis immorer, sufficiet exhibere Adonis elogium seu Actorum compendium hujusmodi* : Apud Africam, natale sanctorum martyrum Liberati abbatis, Bonifacii Diaconi, Servi et Rustici subdiaconorum, Rogati et Septimi monachorum, et Maximi pueri: qui persecutione Wandalica jussu crudelissimi atque impiissimi regis Hunnerici, de territorio
C Capsensis civitatis ex habitaculo monasterii abstracti, atque ad urbem Carthaginensem perducti sunt: ubi pro confessione Catholicæ fidei et unici baptismatis defensione, primo carcerali custodiæ mancipati, et crudelibus ferri ponderibus arctati, tenebrosis deputati sunt locis; ubi cum die ac nocte Christianum populum in fidei constantia roborassent, jussit tyrannus furore succensus, navem lignorum manipulis adimpleri atque omnes pariter alligatos, in pelago, igne supposito adcremari.

admitti possunt;

7 Cum autem pro voluntate infandi regis, vel crudelium ministrorum, extensis eorum manibus et pedibus elevatis, lignis ignis fuisset injectus, statim imperio divino, videntibus cunctis, exstinctus est: et dum sæpius renovaretur, iterum atque iterum exstinguebantur globi flammarum. Unde magis tyrannus, furore simul et pudore repletus, jussit eos remorum vectibus enecari, et ita singulos in modum canum, cerebris comminutis, perimi: sicque speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt. Corpora eorum in mare jactata, sub eadem hora, illæsa littoribus reddita, a Christiano populo reverenter sublata, præeunte clero, cum hymnis solennibus condita sunt in monasterio contiguo basilicæ, quæ dicitur Celerinæ. Scribit beatus Victor Africanus episcopus in historia ejusdem Wandalicæ persecutionis, quam et ipse cum ceteris sustinuit, et fideli atque illustri stylo digessit.

AUCTORE J. B. S.

non ea quæ ab Herrera traduntur.

8 *Ita ferme et Notkerus locutus est ex eodem fonte, aliis rem totam multo brevius complectentibus; at veteres istos omnes longe superavit Herrera in suo Alphabeto Augustiniano, quod nempe Martyribus illis monachis et Africanis crescere voluit, atque adeo in varios articulos importune divisit, nescio sane quo operæ pretio, cum neminem hactenus invenerim, qui de ipsis S. Augustini sequacibus, nedum Ordini Eremitarum aggregandis vel remotissime cogitaverit. Quod hic satis sit verbo indicasse. Id superest obiter observandum, alio quam hic a nobis ordine Victorem Sanctorum nomina in Passione enumerasse, secutus nimirum ordinem gradus ecclesiastici, quo S. Liberatum, tametsi abbatem, caruisse, recte, ni fallor, existimat laudatus Ruinartius pag. 209, ad quem lectorem remittimus, daturi modo Passionem ipsam ex ejusdem editione ad codices manuscriptos, ac veteres editiones accurate collatam.* E

PASSIO

Auctore Victore Vitensi episcopo.

Pium exordium.

Prædicaturus triumphos Martyrum beatorum, ad enarranda, quæ gesta sunt, auxilium exposco divinum, ut qui illis præstitit superandi victoriam, mihi indigno et immerito quantulacumque verborum porrigat ornamenta. Tunc enim valebo, quæ desiderata sunt, indicare, si ipsi dignentur pro me misero, Domino supplicare.

Gravis in Africa

2 Septimus namque agebatur annus crudelissimi atque impiissimi regis Hunerici, et, ecce, antiquus hostis, veternosus utique anguis, trisulcæ linguæ venena vibrans, Cyrila quodam Ariomanitarum episcopo ministro usus est; subvertens et obtinens animum regis cruenti, ut ita suaderet non posse eum pacatum, atque longævum obtinere regnum, nisi nomen perderet innocentum. Qui tamen Dei judicio post non multos dies turpissima morte præventus, scatens vermibus exspiravit. F

Catholicorum persecutio,

3 Infectari cœpit ore cruento omnem Catholicorum multitudinem, quæ per totam provinciam Africanam, in modum (sicut prædictum est Abrahæ patriarchæ) arenæ maris fuerat multiplicata, ut eam rebaptizationis sauciaret machæra, atque stolam illam singularis et puri baptismatis, quam Christus vino carnis suæ purificans, prelo exprimens crucis fecerat dealbatam, tetræ nigredinis turparet illuvie sordulenta. Accipiens quoque tyrannus, ut erat ducibilis *a* et ferus, serpentinam suggestionem, feralibus edictis uno tempore *b* totam cœpit commovere.

non solum sacerdotum,

4 Primo sacerdotum et ministrorum copiosissimam et maximam turbam, in longinquas et extremas regiones exsilio crudeli detrusit. Quibus bis acutum *c* genus frumenti, quod jumentis solis edere concessum est, nequaquam industria molari contritum, sed manente furfuris cortice loricatum, pro miseratione dari præcepit. Post vero, crescente impietatis insania, etiam hoc auferri crudelissimus imperavit. Post modicum quoque temporis, universas simul ecclesias, præjudicatis

A. VICTORE VITENSI.

dicatis venerabilibus portis, cæmentis ingentibus claudi mandavit. Universa namque monasteria virorum vel puellarum sanctarum gentilibus, id est, Mauris, cum habitatoribus donari præcepit.

sed omnis sexus et ordinis.

5 Unus fuit omnibus ejulatus, unus pro Christo moriendi integer et plenus affectus. Paria currebant flumina lacrymarum; quia permiserat Dominus cibari eos pane lacrymarum, et potari eos in lacrymis in mensura, aut forsitan sine mensura. Et si reperta est exicus de arca, inhians cadaveribus mortuis pars aliqua pereuntium corvorum, major est tamen in honore Trinitatis numerus felicium columbarum. Quanti nobiles et
d optimi viri, ampli et lati cespitis dominici *d* terram cum cælo commutaveruut, et simul corpus eum substantia tradiderunt; atque delicatæ et nobilissimæ feminæ, contra verecundiam naturæ, spectante vulgo virgis cæsæ, variisque tormentis cruciatæ, victoriæ tropæa portarunt? Quanti infantuli irridentes edicta feralia ante mundum contempseruut, quam in illecebrosam ejus semitam introirent?

B 6 Tunc apprehensi sunt et septem fratres, quantum pertinet ad concordiam dominicæ servitutis, in monasterio habitantes in unum: quia bonum est et jocundum habitare fratres in unum:
e id est Bonifacius diaconus, Servus *e* subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Liberatus abba, Rogatus monachus, Septimus monachus, et Maximus monachus, in numero scilicet Macchabæorum germanorum, quos una mater Ecclesia Catholica genuerat, et per viscera fontis æterni salubriter pepe-
f rerat, de territorio Capsensis *f* civitatis, cui præfuit sanctus Vindemialis sacerdos egregius, et Christi fidelis antistes.

Hos inter VII monachi

Carthaginem attracti

7 Quibus attractis ad urbem Carthaginensem, primo eis illecebrosis blandimentis serpens voluit sibilare, promittens honores caducos et divitias ingentium voluptatum: necnon et regis amicitiam, vel alia multa, quæ solent insipientium animas, aucupante diabolo, visco mundiali captare. Sed hæc omnia Christi milites acsi contagia, respueruut, clamantes uno ore: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Nec poterit in nobis, adjuvante Domino, iterari, quod in sancto Euangelio semel præceptum est dari: quia qui semel lo-
C tus est, non habet necesse iterum lavari, quia mundus est totus. Facite quod vultis inferte pœnas corporibus uostris. Melius est temporalia ad modicum sufferre supplicia, quam æterna pendere * et subire tormenta. Habete quæ promittitis, cum ipsis divitiis post paullulum perituri. Nobis vero nullus de postibus frontium valebit evellere, quod * in uno baptismate artifex Trinitas dignata est titulare.

* al. pati.

* al. quo

blanditiis non moventur.

8 Quid multa? Dum tali constantia divinitus munirentur, jussi sunt carcerali custodiæ mancipari, et ita crudelius onerati ferri ponderibus, tenebrosis deputati sunt locis, ubi nulla miseratio arrideret lenitatis. Sed populus memoratæ urbis, in Domino semper fidelis, dato munere carcerariis, die ac nocte Christi Martyres frequentabat, et ita ab eis doctrina et virtute fidei roborabatur, ut talia etiam ipsi pro Christi nomine plena delectatione perferre cuperent, et capulo persequentis facilia supponerent colla.

Unde in carcerem trusi

9 Hoc autem tyrannicas pervenit ad aures, qui ebrietate furoris accensus, jubet eos adhuc inauditis suppliciis adigi, et majoribus vinculis onerari, navimque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus allegatis, in medio pelago igne supposito concrema- D
ri. Eductisque illis de custodia, multitudo populi Dei, bellatores Trinitatis quasi agnos innocuos ad victimam deducebat, et rigentium pondera catenarum, quasi quædam monilia pervidebat quia non fuerunt illa vincula, sed ornamenta.

variis suppliciis affecti sunt.

10 Incedebant itaque cum fiducia ad supplicium, quasi ad epulas concurrentes, una voce per ambitus platearum Domino decantantes: Gloria in excelsis Deo, et en in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiva nobis hæc dies est, et omni solennitate festivior. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis, quando pro fide Domini Dei nostri perferimus præparatum supplicium, ne amittamus acquisitæ fidei indumentum. Sed et populis publica voce clamabant: Ne timeatis, o populi Dei! neque formidetis minas, atque terrores præsentium tribulationem: sed potius moriamur pro Christo, quomodo et ipse mortuus est pro nobis, redimens nos pretio sui sanguinis salutaris.

Frustra allicitur puer

11 Unum tamen vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, E
cupiebant auctores malorum a Sanctorum consortio separare, dicentes: Infantule, quid festinas ad mortem? dimitte eos, insaniunt, et audi consilium nostrum, ut possis invenire vitæ remedium, et tanti regis adire palatium. Tunc ille, ætate quidem puerili, senili tamen maturitate, clamabat: Nemo me separat * a sancto patre meo Liberato abbate, et fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt. Cum ipsis sum in timore Dei conversatus, cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me et futuram gloriam invenire.

* al. separet

ad martyrium fortiter properans,

12 Nolite putare, quia possitis seducere pueritiam meam: simul nos Dominus septem voluit congregare, simul dignabitur omnes uno martyrio coronare. Quomodo nemo perire potuit de septenario illo numero felicium Macchabæorum, ita etiam septenus nostræ congregationis numerus nullum inveniet detrimentum. Nam si negavero eum, et ipse negabit me; quoniam ab ipso dictum est: Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui est in cælis: et Qui me confessus fuerit coram hominibus; confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in cælis. F

quod omnes patiuntur in mari,

13 Perducti itaque cum festinatione ad navale supplicium, pro voluntate infandi regis, vel crudelium ministrorum, extensis manibus et pedibus, elevati *g* potius feruntur quam ligati. Quo dum g
ignis fuisset lignis injectus, statim imperio divino videntibus cunctis extinctus est: et dum sæpius renovaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extinguebatur *h* rogus globo flamma- h
rum. Et cum exinde magis tyrannus furore simul esset et rubore repletus, jussit eos remorum vectibus enecari, et ita singulos in modum canum cerebris comminutis extingui. Qui tali genere mortis debitum spiritum feliciter Domino reddiderunt: nec expaveruut lignis quatientibus mortificari, quibus semper fuit omnis spes in ligno.

unde mire ejecta corpora sepeliuntur.

14 Sed cum in mari venerabilia corpora jactarentur, illico, quod contra naturam est æquoris, eadem hora illæsa corpora pelagus littori reddere maturavit: nec ausum fuit, ut moris est, triduana dilatione in profundo retinere, ne præcepto Dominico minime paruisset. Ad quod miraculi genus et ipse tyrannus, licet impœnitens, ut fertur, expavit. Gaudens autem, quæ aderat, multitudo, corpora sanctorum Martyrum diligenti tradidit sepulturæ, præeunte clero venerabili

A bili Carthaginensis ecclesiæ. Ubi etiam et prædicandi diacones, tertio jam Confessores effecti, Salutaris et Muritta geruli reliquiarum adfuerunt. Humatæ sunt igitur cum hymnis solemnibus lipsauæ beatæ Sanctorum in monasterio Biguæ *i*, contiguo basilicæ, quæ dicitur Celerinæ. Et sic in confessione Trinitatis beatissimi Martyres passi sunt, et speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt: cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Ducibilis *alii, inquit Ruinartius*, docibilis; *idem erit si eum aliis scribas* docilis.

b Uno tempore *alii legunt* pro tempore.

c Bisacutum, *sive* bisactim *scribas, ex sensu intelligitur. Paulo inferius pro* solis *legunt alii* solum. A. Victore Vitensi.

d *Pro* Dominici, *melius, ni fallor, alii* Domini.

e *In nominibus non laboro, pro* Servus *legatur* Servius, *et pro* Septimus, Septimius, *et si mavis* Septiminus.

f *De hac urbe et de S. Vindemiati vide Ruinartium hic.*

g Elevati *potius legerim, quam cum aliis* clavati.

h *Alii legunt*, exstinguebantur rogi flammarum.

i *In* Biguæ *variant aliqui, videatur Ruinartius.*

DE S. ANASTASIO EPISC. CONFESS.

INTERAMNÆ IN UMBRIA ITALIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. B. S.

Sancti a synonymo distinctio, gesta, inventio et miracula.

Sec. VI aut VII. Umbriæ Sanctos multum implexos

B De cultu hic disquirendum non est, satis sit, ipsum hoc die in Martyrologio Romano annuntiari. Ceterum cum umbris, imo et densis tenebris ad distinguendos, geminandos aut confundendos Umbriæ non semel descriptæ Sanctos, totis quinque prioribus anni nostri sacri mensibus colluctati Majores nostri, Janningum tandem impulerunt, ut laboriosa dissertatione tomo I Julii præfixa, difficultates sæpe discussas, sæpius etiam recursuras ita explanaret, ut ingratam cramben identidem recoquere opus non esset. Habes istic veros seu prætensos Syros, dictos Umbriæ apostolos, ad suas classes reductos, hunc vero* S. Anastasium *ita ab alio synonymo, ceterorum ductore, et patria et ætate distinctum, ut verba ipsius huc adferre sufficiat ad aliqualem hujus* S. Anastasii episcopi confessoris *notitiam.*

illustravit Janningus

C *Ita habet cap.* I, *num.* 7, *pag.* 20:

2 Confunditur quoque Anastasius ille dux Sociorum XII Syrorum cum S. Anastasio episcopo Interamnensi, de quo Ughellus scribit, quod natione Syrus fuit; atque Interamnensis ex instinctu divino acclamatus est circa annum DCVI: alii electum fuisse contendunt anno DXLIII, obiisse vero anno DLIII. Angelonus in Historia sua Interamnensi, Italice scripta, ait, diversos scriptores citans, ipsum descendisse e Syria in Italiam circiter annum DXVI. Eumdem Jacobillus pariter Syrum facit et cum imaginario suo trecentorum sociorum numero venisse dicit in Italiam, episcopum fuisse et in pace mortuum, coli XVII Augusti. Hinc patet manifeste, Anastasium hunc non esse illum, qui dicitur in turba duodecim tantum sociorum venisse seculo primo aut tertio, et martyr obiisse ad Aquas Salvias: et episcopus non fuit, et colitur, uti supra Jacobillus dicebat, quinta Decembris die. Omitto plures distinctionis notas.

singulari dissertatione.

3 Minus quoque idem sunt ipsi in sententia aliorum, qui negant, Anastasium episcopum Interamnensem e Syria advenisse aiuntque, patria quoque Interamneusem fuisse: atque hodiedum florere ibidem nobiles familias, quæ originem suam a Sancto illo deducunt; quod tamen idoneis successionum tabulis probari, facilius persuadebitur aliis, quam mihi. Habemus quædam ejus Acta, cum instrumento publico de inventione corporis ejusque translatione et miraculis exinde factis. Quod instrumentum quam est fide dignum, tam obscura et incerta sunt Acta vitæ. Interea nullis antiquorum Martyrologiis reperitur inscriptus. Abest quoque a prima editione Romani sub Gregorio XIII correcti; additus in secutis editionibus, saltem ab anno MDCVIII, die XVII Augusti, ultimo loco nudis hisce verbis: Interamnæ S. Anastasii episcopi et confessoris. Sed hæc illustranda eruut suo tempore ad diem XVII Augusti. Hic satis est monstrasse, hunc Anastasium episcopum Interamnensem neutiquam esse Anastasium XII sociorum ducem.

F ex qua, quis hic fuerit, intelligitur.

4 *Ex ibi disputatis recte evertitur magna scriptorum Umbrorum confusio, non minus quam affectata Castellorum aut aliorum cum hoc aliisque Sanctis cognatio, præter ea, quæ huc illustranda remittuntur, de Sancti gestis, ætate et sacri corporis miranda prorsus inventione, secutis miraculis, cultuque adeo sic statim accrescente; ut in urbis ipsius patronum, votis omnium conspirantibus, electus fuerit. Porro quod ad Acta seu vitam attinet, jam supra Janningus et ante ipsum Majores nostri alii merito fassi sunt, de hoc* S. Anastasio *vix quidquam superesse præter ea, quæ singulis ferme sanctis Episcopis, mutato solum nomine, applicari commode possint, ut ea ex variis, quæ habemus manuscriptis describere supervacaneum sit: ex Ferrarii de sanctis Italiæ hodierno elogio lotam rei qualem qualem substantiam, sed parachronismis implicitam intelliges.*

Ferrarii elogium non multa explicat

5 Anastasius, *inquit*, ex nobili Castellorum familia Interamnæ ortus circa salutis annum DL, doctrina et sanctimonia vitæ floruit. Abstinentia erat incredibili, maximaque humilitate; sed et in pauperes beneficentia excelluit, omnibus facultatibus in sublevandis eorum miseriis pene consumptis.

AUCTORE J.B.S.

sumptis. Quapropter mortuo Episcopo, summo omnium consensu illi subrogatur. Munus pastorale aggressus reliquias pestis Arianæ sustulit: Ecclesiam sanctissimis institutis reformavit, multa per diœcesim crexit templa collapsaque instauravit: in urbe templum Assumptionis B. M. V., in quo sedem episcopalem constituit, ædificandam curavit. His et aliis operibus clarus ex hac vita ad perennem patriam migravit XVI Kal. Septembris. Cujus corpus in ecclesia a se ædificata conditum, cum diu jacuisset ignotum, Leone VII Pont. Max. circa annum sal. MXXXIX repertum fuit, cum is rustico cuidam apud Carsulam in somnis locum, in quo corpus latebat, indicasset. Terra enim defossa, arca marmorea, in qua corpus jacebat, et ex qua suavissimus odor efflabatur, reperta est; et in ea corpus S. Episcopi integrum, sacris adhuc vestibus indutum: quod intra aram sibi magnificentissime exstructam, accito Lintargo episcopo Spoletino reconditum est.

præsertim quæ ad tempora spectant;

6 *Sequuntur tria miracula, post inventionem patrata, de quibus infra paulo fusius. Hic observes velim, Ferrarium annum obitus determinare non fuisse ausum, satis prudenter, cum de* B *Sancti ætate divinare magis quam certi quidquam statuere integrum sit, ut mox ex Ughelto perspicies. Id miror maxime non observasse Ferrarium quantum distet Leo VII, mortuus anno* CMXXXIX *ab anno* MXXXIX, *quemadmodum et* Liutargus *seu* Luitardus *episc. Spoletinus spectans ad medium seculum nonum. Neque felicius rem expedivit Ughettus, dum* Syrum *facit* S. Anastasium, *vultque præterea et simul Narniensem fuisse episcopum, ut ea ratione, illum concilio Romano sub Martino Papa interfuisse suadeat anno* DCLII *(pro* DCXLIX*) dum interim episcopum Interamnensem eum acclamatum innuit anno* DCVI, *præter alia certis annis affixa, quæ quo demum modo concilientur, equidem ultro fateor me non intelligere, Audi ipsum:*

quæ nec Ughellus, distinguere potuit.
* et Narniensis

7 Anastasius, natione Syrus, Interamnensis episcopus * ex instinctu divino acclamatus est circa annum DCVI. Alii electum fuisse contendunt anno DXLII, obiisse vero anno DLIII. Interfuit certe concilio sub Martino Pontifice anno DCLII. Sancte pieque Interamnensem rexit ecclesiam per multos annos; Arianorum reliquias fugavit, fu- C ditque, salubrioribus legibus gregem suum continuit, labentes per diœcesim magnificentissime reparavit ecclesias, inque civitate cathedrale templum crexit Deiparæ Virgini Assumptæ consecratum. Hujus Episcopi temporibus Sigismundus Attiliusque, ejus provinciæ principes, Interamnam excisam reædificare instituerunt, quæ deinde S. Pastoris exemplis vitæque sanctimonia sensim crevit in urbem. Interea Anastasius in pace decessit anno DCLIII, die XVII mensis Augusti, sepultusque est in cathedrali a se constructa. Ejus sacrum corpus primum repertum est ex divina revelatione integrum anno CMXXXIX, inque magnifico sepulcro sub sacello ejus nominis dicato reconditum, cujus inventionem incredibilia patrata miracula illustrarunt. Secundo, temporibus XIII Gregorii lucem aspexit anno MDLXXV, die XV mensis Junii, illatumque est in sacellum ejus nomini munificentissime consecratum.

Admitti possunt quæ de inventione et miraculis narrantur.

8 *Præmissis hisce gestorum compendiis utcumque ordinatis, superest instrumentum publicum, de quo aiebat supra num. 3 Janningus, fide dignum esse in ordine ad inventionem corporis ejusque translationem et miracula, sed incerta esse quæ de vita, quantumvis pauca narrantur. Constat instrumentum paginis 32 in folio, quarum* D *pars tertia insumitur formulis de transcriptionis veritate fidem facientibus, Verum et his, et vitæ synopsi, æque ac subjunctis verbosis exhortationibus, prætermissis, ea solummodo hic decerpemus, quæ ad laudata capita pertinent, divisa in Lectiones, quæ nobis erunt totidem numeri. De sermonis elegantia nihil observandum, patet ad oculum verbosa phrasis Italica, nonnumquam satis obscura et contorta, ita tamen, ut quid scriptor velit, sic intelligatur, ut grammaticis annotationibus parcendum censuerimus. Ab anachronismo sumitur initium, dum Lotharius connectitur cum citato ibidem Leone Papa VII. De iis satis dictum superius, ad rem progredimur.*

DE INVENTIONE,

TRANSLATIONE ET MIRACULIS,

Ex Ms. Interamnensi.

E

LECTIO I. Tempore namque Lotharii magnifici, regis, regnante jam Christo per undam baptismatis, et redemptionem sui pretiosi sanguinis, noluit omnipotens Deus Interamnem urbem a sui Pastoris pignore vacuam relinquere, sed et desiderabilem, et salutiferum thesaurum, qui per multa annorum curricula jacebat incognitus, ad salutem omnium fidelium, et defensionem animarum mirabilis ipse Deus prodere, atque manifestare dignatus est. Scriptum est enim; Quia secretum regis occultare bonum est, opera autem Dei manifestare gloriosum, et honorificum est; non enim amplius oportuerat, ut sub modio jaceret lucerna abscondita, sed posita super candelabrum, omnibus, qui in domo devenerant, lucem perspicuam ministraret. Thesaurus itaque pretiosior est, opera virtutum, et corpora Deo placentia, quia scriptum est: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vere in corde et in ore nostri patris, et pontificis Anastasii requievit, quia sequendo Christum ad ejus regnum pervenit, amando ejus doctrinam æterna adeptus est præmia. Gaudeamus et epulemur ergo in Christo, quia ad defensionem suæ, et nostræ urbis patronus, et defensor inæstimabilis divina pietate detectus, et declaratus est. F

Diu incognitum sacrum corpus

2 LECT. II. Jam quia tempus est, qualiter eum manifestavit omnipotens Deus, intentis auribus, apertis sensibus, percipere cohortor. Quidam ruris cultor de Castro sancti Gemin; quod in comitatu Narniæ situm est, cum dormiret, apparuit ei in somnis vir magnæ potentiæ et decorus, dicens: Diluculo, cum surrexeris, defer tecum ligonem, atque ventilabrum, et perge festinanter ad urbem Interamnem, et perquire domum sanctæ Genitricis Jesu Christi, et respice diligenter ad lævam partem introitus Ecclesiæ, ubi requiescit corpus meum, et dic omnibus civibus, ut te adjuvent, et manifesta me super terram, quia omnipotens Deus multa signa, et prodigia per me facturus erit in populo ad laudem sui nominis, et potestatis.

ex Sancti ipsius apparitione

3 LECT. III. Cumque pius homo, providus ac trepidus verbis incogniti, et tanti viri responderet, dixit ei: Quis enim es tu, domine qui tantillo pauperi, et peccatori talia præcipis? Dixitque

rustico alicui tertio repetita

A xitque ei: Noli timere, quia ego sum Anastasius, qui quondam Interamnis episcopatum tenui; noli ergo prætermittere præceptum hujus rei, si vis habere consortium Sanctorum; et statim recessit. Et expergefactus illico dormiens retulit hæc suæ conjugi, sed quia erat paupertati deditus, distulit hæc, quæ audivit, facere, atque ire neglexit. Cum enim sequenti nocte ita dormiret, apparuit ei ipse Sanctus, et iterum similia cum magna asperitate præcipiens; quod et ipse, usque ad tertium in contemptione perdurans, assensum præbuit, et surrexit velociter, quem locum petiit, et ut ei jussum fuerat, fodere cœpit. Sed quia non valuit reperire, cum præ lassitudine [non posset] perficere opus, recessit, et reversus est. Post modicum vero temporis causa extitit, ut hoc ordine sanctum corpus, Christo concedente, reveletur.

invenitur mire fragrans et ab episc. Spoletino elevatur.

4 Lect. iv. Quidam prædictæ urbis non modicum locuples, nomen simile Anastasii gerens, ad extrema perveniens expiravit, et quia visum fuerat vicinis, et proximis, ut in aula Genitricis Christi ad sepeliendum aptum locum invenirent, B laborare cœperunt, qui dum studiose foderent, invenerunt cantilabrum nitidi marmoris miræ pulchritudinis sculptum, unde nimium gaudentes, subito nuntiaverunt civibus urbis hoc, quo illico innumerabilis ibi congregatus est populus. Circumdatum igitur sepulchrum detectum est a multitudine clericorum. Quo detecto, tanta fragrantia odoris atque suavitatis inde erupit, ut non solum circumadstantes, sed etiam cuncta ædificia dictæ civitatis occuparet, qui cum nimio odore essent satiati, tulerunt sanctum corpus, integris vestibus, etiam auro et adjacentibus vestitum, atque compositum jacere, sicut moris fuerat ei viventi divina tractare ministeria: qui illico sollicite perquirentes plurimam partem ejus carnis, et cum capillis, et calceamentis invenerunt. Moxque gaudio inenarrabili Deum Patrem æternum excelsis vocibus decantantes laudaverunt. Statimque ordinatis ministris clericorum honorifice coopertum custodire studuerunt, divinum assidue ministerium peragentes: quo peracto magna cum velocitate nuntiare Lintargo episcopo Spoletanæ civitatis decreverunt. Quo audito, comitante turba C clericorum cum sacris ordinibus, locum sanctum frequentaverunt, atque ut dignum et congruum fuerat, altare venerandum magna cum exultatione dedicaverunt. Sed quia longum est, quanta et qualia ibi signa, et prodigia ab illo die facta sunt, enarrare, pauca de illius miraculis, pro ut mihi a clericis et civibus prædictæ urbis relatum est, ad utilitatem fidelium Christianorum caritatis amore studeam pernotare. Nam et si cuncta, quæ per eum omnipotens Deus fecerit, enarrare conabor, dies mihi, temporaque deficient, quod firmiter credi potest, quia Hieronymi, Augustini, Ambrosii, Gregoriique scribendi sufficerent studio.

Paralytici multi curantur,

5 Lect. v. Quidam vir igitur cunctis debilitatus et destitutus membris, nullo modo incedere valens, sed super carruga impositus, quem brutum animal ineptum trahebat, revertebat Romam, cumque, multis indicantibus, prope civitatem, ubi Sanctus erat, in carruga jacens veniret, relicto calle, quo gradiebatur animal; acsi humano sensu vigeret, recto itinere absque comite ante sepulchrum ejus pervenit; depositus vero a circumstantibus, de structura lignorum ante ejus altare totus contortus, atque glomeratus projectus est. Mox autem ut ejus limina tetigit, sanus et incolumis, Christo juvante, surrexit, qui ut indicium tantæ virtutis fieret omnibus, per plurimos annos sibi serviens habitavit. Neque prætermittendum est, qualiter innumerabiles contracti, atque paralytici per merita sancti Viri prædicti sanati sunt, fideliter enarrare. Unus vero de montaneis partibus erat, qui numquam ab utero suæ matris sursum respicere, nec ornamenta cæli videre poterat, sed solis genibus terratenus pergens, placitis confixus clunibus, vespertino tempore ante tumulum veniens sancti corporis, prostratus ad modicum jacuit: qui cum cœpisset intimis suspiriis deposcere sanitatem, repente horribilibus stridoribus occupatus, consistens in pedibus, adhuc clericis cantantibus, incolumis apparuit.

EX MS.

specialiter unus apparente Deipara:

6 Lect. vi. Tunc omnes una voce Sanctorum omnium creatorem laudantes, cum ipso, qui sanus est, foras egressi sunt: qui dum interrogatur, qualiter sanatus esset, dicebat cum lacrymis: Vidi, inquiens, super altare quamdam speciosissimam in habitu feminco candidis vestibus indutam honorabiliter quasi reginam consedere, quæ duobus sibi adstantibus juvenibus præcipiens, ut me extenderent, E moxque ad ejus præceptum me arripientes, virtute, qua poterant, traxerunt, et ita quando stridor me arripuit, sanatus sum. Qui studiose circumspicientes, acsi ferro secatum cum sanguinolentum invenerunt: sanitas ipsius ita reparata, et restituta videbatur, acsi multo jam tempore talia præcepisset; et hoc mihi multi, qui interfuerunt, retulerunt, qui tanta exultatione gavisus sum, ut me ad studium vestræ caritatis magis ac magis excitarent, et hoc referre operæ pretium est, ut, qui plus sitit, magis ac magis bibat, et repletus exultet.

item misellus puer totus contractus.

7 Lect. vii. Quædam nobilis conjugata a finibus Campaniæ deferens nutricium paralyticum, quem pro suæ animæ remedio refovebat ut filium, quæ dum famam tantæ virtutis audivisset, omnipotentem Dominum et auxilium S. Anastasii intima devotione deposcens; Succurre Deus, et adjuva me miseram peccatricem per interventum et merita tui sanctissimi confessoris Anastasii, et da sanitatem tuæ miserationis huic miserabili, et destituto nutricio, quem pro tui amoris desiderio et meæ salutis auxilio, ut proprii uteri filium diligo: F quod si ei subvenire tua dignabitur pietas, per manus mei nutricii aliquid de meo proprio ad ejus sepulcrum destinare non negligam. In silentio autem futuræ suæ venturæ noctis apparuit ei vir sanctus Anastasius ita dicens: Quia in fide Jesu Christi Domini nostri me rogasti, noli prætermittere, quod tibi præcipio. Mane cum surrexeris vade ad beati Joannis ecclesiam, et defer hospitem tuum cum luminaribus, et odore fumantis, et accenso igne eum de adipe ungere, et extendere festina, et videbis potentiam gloriæ Christi. Quæ cum instanter tanti viri nomen inquireret, ait: Ego sum Anastasius Interamnis civitatis episcopus, quem die hesterno pro salute tui nutricii invocasti. Cum surrexisset vero mane devotissima femina cuncta ei, ut jussum fuerat, perficere studuit, et statim juvenis ita sanus exiliens, acsi numquam talia passus fuisset, moxque nobilis matrona multis cum Christianis ad ejus limina quamvis longe posita suos famulos summa cum exultatione direxit, quod etiam plurimos, hæc recordantes et videntes, sicut supra scriptum est, audivimus, et perspeximus. Neque hoc pigritia negligentiæ prætermittendum.

8 Lect. viii. Paupercula quædam in sancti viri Anastasii festivitate ire sciens operari, ac manibus

EX MS. Mulier in Sancti festivitate laborans fit arida, sed curatur: item cæcus de longinquis

manibus satagere, subito apparuit arida, ita ut amens effecta, manum ad os ducere non valens: quæ illico a proximis urgebatur, ita ad ejus memoriam veniens sanissima repedavit ad propria. Cæcus etiam jam de longinquis regionibus circumquaque peragens [cum] ejus potentiam virtutis audisset, auxilium sancti Viri suspirando deposcens ait: Sancte Anastasi confessor Dei, quia non sum dignus invocare te in auxilium cæcitatis meæ, præsta mihi solatium et ductorem, ac tuum venerabile sepulchrum contingere valeam, cui mox leniter quidam respondit dicens: Cum surrexeris mane, et viam arripere conatus fueris, aderit tibi Altissimus Judex, qui recto itinere ad hoc, quod desideras, te perducere festinabit. Mane autem facto cœpit homo ire, promissionem, quam audierat exspectans; cum autem aliquantulum pergeret, et ductorem non inveniret, suspirans perstitit, atque in solis ortum diligenter intendens, subito quasi scintilla ignis in uno oculo ipsius apparuit, qui mox aperto oculo paululum videre cœpit, et orabat intimo corde, ut ei Dominus promissum adhiberet ductorem, moxque vocem, quam antea senserat, audivit dicentem: Ductores habes, si vis pergere, perge, qui mox trepidus erubescens, quandoque interrogando, ejus memoriam veniens frequentavit, statimque ut auxilium sancti corporis quæsivit, subito apertis oculis perfecte intuens ait: Tibi sit laus et gloria, altissime Deus, qui per merita S. Anastasii me illuminare dignatus es: ab ipso enim, quæ suprascripta sunt, audita esse credendum est. De occupatis, sive obsessis ab immundis spiritibus, vel unum de mille, qualiter erectus et liberatus est, tacere non debeo.

cum furiosus dæmoniacus.

9 Lect. ix. Quidam, cum esset viro dæmoniaco subito præpeditus, quidquid poterat laniare, aut dissipare non cessabat iratus, qui etiam quandocumque humanum corpus attingere valebat, morsibus et ictibus vulnerare non desistebat: consilio vero inito, a vicinis et proximis constrictum, atque ligatum ad ejus sepulcrum conduxerunt, moxque ut ejus limina tetigit, magnis cum clamoribus liberatus et absolutus sanctissimi Viri meritis, lætus et incolumis est egressus. De debilibus, et febricitantibus nullius valet ingenium memoriæ per ordinem pandere: quisquis præsumpserit unus tantæ edictionis assumere, magis fastidium audientibus submistraret, quam capacitatis intelligentiam præferet: de sapore enim fructus, ut ait Dominus, unaquæque cognoscitur arbor: cum enim videmus resplendere mundum, terram producere pabula in carne viventibus, quid aliud est, nisi opera Dei laudare, et magnificare, qui solem suum ad nostram utilitatem oriri facit, et pluviam super justos, et injustos, et omnes quotidie ad hereditatem æternæ vitæ invitat dicens: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

DE S. AMORE VEL AMATORE

PRIMO ABBATE AMORBACENSI

IN FRANCONIA

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

§ I. Notitia hujus Sancti nobis humaniter communicata; situs et etymologia monasterii, cui præfuit.

Anno DCCLXVII sive DCCLXXXIII. Hic Sanctus,

Reverendissimus perillustris, amplissimus, ac perquam gratiosus dominus Engelbertus, hodiernus abbas Amorbacensis, non ita pridem liberaliter ad nos misit elegantem monasterii sui historiam, quæ anno 1736 *Francofurti edita est. Hanc diligenter ex domesticis documentis aliisque probatis auctoribus contexuit R.D. Ignatius Gropp Benedictinus monasterii Herbipolensis, eamque dignissimo abbati Amorbacensi dedicavit occasione jubilei mille annorum, qui a fundatione cœnobii Amorbacensis effluxerunt, et quod anno Christi* 1734 *solenniter celebratum est. Laudatus abbas Engelbertus huic gratissimo muneri addidit humanissimam epistolam, qua enixe rogat, ut* S. Amorem *Operi nostro inseramus ad diem* XVII *Augusti, quo annua istius Sancti memoria celebratur.*

de cujus legitimo cultu

2 *Ingenue fatemur, nos de legitimo hujus primi abbatis Amorbacensis cultu hactenus dubitasse, quamvis in Menologio Bucelini ad hunc diem* XVII *Augusti legissemus sequentia:* In monasterio Amorbacensi beati Amoris ejusdem loci primi abbatis, qui charitate ferventissimus, digne nomine suo, subditorum fervorem nimiopere accendens, ea cœnobii sui fundamenta jecit, tantamque ædificii molem superinstruxit, ut universo terrarum orbi admirationi esset, ex quo nimirum velut singulari divinæ bonitatis promptuario, tota dein ceps Apostolorum fidei Christianæ propugnatorum cohors prodierit; quorum plurimi, ut plurimum in agri Dominici cultura desudarunt, sic plerique proprio etiam sanguine eumdem rigarunt et fœcundarunt. *Bucelinus Cratepolium et Crantzium testes hujus elogii allegat. Sed hæc recentiorum testimonia nobis non sufficiebant ad eum Operi nostro inserendum, nisi aliunde de immemorabili ac publico ejusdem sancti Abbatis cultu edocti fuissemus. Quapropter jure merito laudanda est solicitudo reverendissimi abbatis Engelberti, qui nos per historicum suum de legitima* S. Amoris *veneratione tempestive instruxit, et cui hanc notitiam libentissime acceptam referimus. Utinam hoc vigilantissimi abbatis exemplum imitarentur illi, qui subinde sine causa conqueruntur, Sanctos suæ patriæ aut Religionis a nobis prætermitti vel non satis illustrari.*

3 *Præterea verebamur, ne* S. Amor *abbas forte confusus esset cum alio ejusdem nominis Sancto, qui die* VIII *Octobris in Belgio colitur, et de quo Fisenus noster in Floribus ecclesiæ Leodiensis pag.* 448

A 448 *sic scribit* : Sanctus Amor confessor, gente Aquitanus, diaconus gradu fuit, Hasbaniam multis laboribus excoluit, magnaque ex parte vindicavit ab impietate et vitiorum senticetis. Ad sancti Servatii sepulchrum multis annis egit, rerum divinarum contemplationi deditus. Belisiam (*nunc est cœnobium Canonicarum in diœcesi Leodiensi vulgo* Munster-Bilsen *dictum)* denique migravit, ubi vitam duxit insigni integritate, editisque multis miraculis spectabilem, ac beato fine clausit; incertum qua ætate, nisi quod beatam Landradam præcessisse videatur, quæ circiter annum sexcentesimum nonagesimum tertium mortalitatem hanc descruit. Nobilium enim Canonicarum collegium, quod hac auctore gloriatur, tutelarem veneratur sanctum Amorem. Sacrum ejus corpus in lucem e sepulcro editum præcipuis colitur honoribus.

et distinctione ab alio ejusdem nominis Sancto primum dubitavimus,

4 *Ferrarius in catalogo generali Sanctorum die* VIII *Octobris utrumque* S. Amorem *annuntiat his verbis* : Belisiæ apud Tungros sancti Amoris B abbatis. *Etsi Ferrarius hac duplici annuntiatione videatur duos istos Sanctos distinguere, tamen ambos in unum conflat, dum in notis ad* S. Amorem *abbatem ibidem ita monet* : Sed hic idem est cum superiore; nam fuit primus abbas Amorbacensis, et Belisiæ obiit. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii die* VIII *Octobris probabilius utrumque illum Sanctum distinxit, quando post elogium S. Amoris Belisiensis, ibidem in notis lectorem monuit hac brevi observatione* : Fuit et alius ejus nominis Sanctus, primus abbas Amarbachii, discipulus sancti Pirminii, quem Alemannia celebrat. *Hæc distinctio utriusque* S. Amoris *infra fusius ex historico Amorbacensi probabitur. Interim de situ et etymologia monasterii Amorbacensis quædam referemus.*

fuit primus abbas Amorbacensis

5 *Joannes Latomus in Catalogo archiepiscoporum Moguntinensium, quem Menckenius inter scriptores Rerum Germanicarum non ita pridem edidit, ibidem tomo* 3 *col.* 445 *eum aliis passim consentientibus asserit, institutum fuisse anno Christi* 734 *monasterium Amorbacense*, *quod Ignatius Groppius in Historia Amorbacensi part.* I *cap.* I § I *sic describit* : Situm est C monasterium Amorbacense ad Sylvam Odonicam (vulgo **Odenwald**) interNicrum et Mœnum fluvios, in confinibus utriusque diœceseos Moguntinæ et Wirceburgensis, quarum primæ hodie subest. Wirceburgo milliaribus septem, Aschaffenburgo quinque, Moguntia duodecim distat. Proximum illi est haud ignobile et Mœno adjacens oppidum Miltenberga, ditionis itidem Moguntinæ, uno ab Amorbaco milliari dissitum. Ipsi præterea monasterio alterum adhæret oppidum, non equidem magnum, quod sicuti suam ab illo originem hausit, ita et nomen accepit. Locum ipsum duo rivi, unus a meridie, ab incolis Muda (**die Mud**) alter ab oriente, vulgo **Billbach** dictus, præterfluunt, qui proxime Amorbaco confluentes, apud Miltenbergam in Mœnum se effundunt. Circumcirca montibus septum est. Ab Aquilone mons illi perquam editus imminet, hodie **sant-Gothards-berg**/ olim **der Francken-berg** nuncupatus. Monti incubat exusta alterius quondam monasterii ecclesia. Ruthardus Comes monasterii fundator eo in monte olim arcem suam et habitationem constitutam habuit. Occidentem versus inter duos montes, vix spatio dimidiæ horæ ab Amorbaco, ædicula distat, beatissimæ Virgini Mariæ et S. Amori sacra; a salutifero fonte, jugiter ibi scaturiente, **Zu sant-Amors-brunn** vocata. Ex adversa parte orientis alia eidem beatissimæ Dei Genitrici sacra ecclesia cum pago visitur, cui nomen Montis ad nives, vulgo **Schneeberg** inditum est. Sed de his suo loco plura. Ad partem australem per excelsos montes sylva Odonica occurrit, a qua hanc omnem regionem uno vocabulo Odinsylvaniam dicimus. *Hæc est descriptio monasterii Amorbacensis, cujus etiam notitia nos et alios exteros hactenus latuit.*

cujus monasterii situs describitur,

auctore G.C.

6 *Laudatus Groppius paragrapho quinto capitis proxime citati de etymologia ejusdem monasterii ita disserit* : Loci nomen a variis varie scribitur, legitur, et deducitur. Utrumque monasterium, primum æque ac secundum, cum ecclesia in honorem Deiparæ Virginis consecratum fuisse supra diximus; unde et monasterium B. M. V., vulgo **Mariae Munster in Odenwald** / in antiquis documentis frequentissime legitur. Nomen suum hodiernum a sancto Amore primo abbate hausisse, constans semper et antiquissima traditio et communis omnium sensus fuit, eumque ceu verum et indubitatum habemus. Megenfridus chronographus et monachus Fuldensis, qui anno MCXC floruit, sanctum Amorem E primum abbatem fuisse, et loco nomen indidisse scribit. Variam exhinc appellationem sortitum est, quæ varie scribitur ac pronuntiatur : amarbaricum, amarbaracum, amarbacum, amerbacum, amerbachium, ammerbacum, amenbachium, etc. Communissime et certe amorbacum, cujusmodi appellationis originem ab antiquissimis temporibus per traditionem continuam edocti sumus. Unum id a nobis nesciri fatemur; utrum vivente adhuc sancto Amatore, an vero ipso jam ad Superos translato, monasterium nostrum appellationem ejusmodi acceperit. A Suiberto sancti Amoris in abbatia successore, id nominis in memoriam et honorem sui Magistri, monasterio inditum esse, a quibusdam existimatur. Sanctus Amor magna vitæ sanctimonia et miraculis adhuc vivus claruit, quorum causa vulgus monasterium illius frequentans, id fortasse a sancti Abbatis nomine nuncupavit.

et hodierni nominis origo

7 *Attamen Joannes Georgius ab Eckhart in Commentariis de Rebus Franciæ Orientalis et Episcopatus Wirceburgensis lib.* 21 *cap* 34, *sive* F *tomo* I *pag.* 361, *de veritate hujus traditionis dubitat, et aliam Amorbacensis cœnobii etymologiam proponit hoc modo* : Trithemius in Compendio Annalium libro primo meminit, sanctum Perminium præterea originem dedisse cœnobio Amorbacensi, in sylva Odonica et diœcesi quidem Wirceburgensi inter Achaffenburgum et Heilbronnam adhuc florenti, et discipulum ibi suum Amatorem sive Amorem primum abbatem reliquisse. Sed dubia est admodum hæc traditio; nec mihi Amorbacum ab hoc Amore, sed ab amne præterfluente nomen accepisse videtur, qui nunc mutata appellatione **Mudl** dicitur : **bach** enim rivum denotat, et **amer** vel **ammer** speciem cerasorum quamdam, ut inde **Amerbach** cerasorum rivum designet. Vetustissimum interim est hoc cœnobium, et Scotos primos incolas habuit, qui regionem, circa Verdam Saxonicam sitam, sub Carolo Magno ad fidem Christi converterunt, atque episcopatus ibi fundamenta jecerunt, ut postea distinctius exponemus.

contra sententiam Eckharti

8 *At, salva eruditissimi Eckharti pace, dicimus, Trithemium non fuisse primum, qui illam opinionem tradiderit; sed hanc invenisse in Chronico Megenfridi, qui exeunte seculo decimo floruit,*

ex vetustis testimoniis

AUCTORE G. C.

floruit, ut bibliographi passim testantur : Trithemius enim apud Ignatium Groppium in Probationibus Historiæ Amorbacensis pag. 189 *ad quæsita Petri abbatis Amorbacensis inter alia sic respondet :* Ad quartum, ex quibus id habeam annalibus, quod de fundatione monasterii tui Amorbach et Sluehtera, id est solitaria, et quibusdam aliis per divum Pirminium, quæ in ejus Vita non habentur, pridem ad te scripsi; similiter et de sancto Amore primo abbate, respondeo, quod ex Megenfrido chronographo Fuldensi monacho, qui fundationes et abbates pene omnium cœnobiorum nostri Ordinis in Germania, quæ ipsum præeesserunt, satis diffuse conscripsit. Is dicit, beatum Amorem, sancti Pirminii discipulum, ab ipso primum abbatem in tuo cœnobio institutum, annis præfuisse tribus et quadraginta, multisque coruscasse miraculis, et nomen indidisse loco *etc.*

probabilius defenditur.

9 *Huic Megenfridi testimonio consonant duo antiqua instrumenta, quæ Groppius in Probationibus Historiæ suæ pag.* 188 *exhibet, et in quorum primo circa finem legimus sequentia :* Præfuit monasterio prædicto sanctus Amor abbas primus, jam nominati Pirminii discipulus, annis XLIII, locoque vocabulum indidit. *In altero autem habentur similia hac phrasi :* Primus vero dicti monasterii abbas fuit sanctus Amor, dicti Pirminii discipulus, a quo locus nomen accepit, præfuitque monasterio annis XLIII. *Hæc argumenta prævalent conjecturæ Eckharti, adeoque probabilius existimamus, Amorbacum nomen suum ab hoc* S. Amore *traxisse. Jam progrediemur ad aliam majoris momenti quæstionem, quæ de distinctione hujus* S. Amoris *ab alio ejusdem nominis Sancto agitatur. In hac controversia amplector opinionem R. D. Ignatii Groppii, et paragrapho sequente transcribam ejus argumenta, cum mihi meliora non occurrant.*

§ II. Historicus Amorbacensis probat, hunc sanctum Amorem ab alio ejusdem nominis Sancto distingui.

Ignatius Groppius

Laudatus sæpiusque deinceps laudandus *Groppius in Historia sua Amorbacensi pag* 32 *et sequentibus illam utriusque Sancti distinctionem demonstrare conatur hoc modo :* Quam notum nobis, *inquit,* omniumque ore decantatum sancti Amoris nomen est, tam obscura illius vita et gesta sunt. Tempus edax rerum, flammæ et bella gestorum ejus ac vitæ monumenta nobis adeo eripuerunt, ut vix pauca eorum hodie superent. Res ejus maxime perplexas reddidit Legenda seu Vita cujusdam sancti Amoris apud Trajectenses primum sepulti, et exinde Belisiam translati. Ea circa annum MCDXLVI per aliquem Joannem Keck presbyterum secularem ex Belisia ad nos allata est, et hactenus in codicibus manuscriptis asservata. Pura ad nos non pervenit, sed prolixa panegyri, multis explicationibus, interpretationibus et digressionibus moralibus ab ipso Keckio interpolata. In ejus auctorem multo, et frustraneo forsan labore, inquirere non vacat. Superioribus annis quidam Amorbacensium purum illius textum, additamentis omnibus refectis, enucleavit, ac sic tandem emundata, luce clarius ostendit, quam longissime omnes illos a vero deflexisse, quotquot demum illam de primo Abbate Amorbacensi interpretati sunt, aut interpretandam voluerunt. Enimvero Belisianam hanc Legendam S. Amori nostro nullatenus convenire, nec ei cum ulla veritatis specie adaptari posse, argumentis ex ipsamet desumptis ostendimus.

ex ipsa Legenda S. Amoris Belisiensis ostendit,

11 Dicitur in ea primo, qualiter sanctus ille Amor Belisiensis (quisquis demum sit) cum in juventute precibus, carnis mortificationi et vigiliis sine cessatione vacaret, populi rumorem metuens, alio commigrare secum constituerit : et cum, quo sibi eundum, anceps hæreret, nocturnis visionibus instructum fuisse, ut Romam ad limina Apostolorum pergeret; ibi se intellecturum, quomodo sibi pergendum sit. Secundo. Paruit juvenis visioni, Romamque petiit. Cum aliquando noctu ad obseratas, S. Petri templi fores ferventius oraret, et a somno occuparetur, sibi sub apertis januis S. Petrum Apostolorum principem adstare vidit, a quo, ceu certo cæli nuntio, jussus est, emensis Alpium jugis, Trajectum petere, ibique sub S. Servatii meritis et patrocinio reliquum vitæ suæ ævum exigere. Tertio. Ad ignotas regiones agressus est; in itinere per territorium Mediolanense transiens Hugbaldum Comitem febre sanavit. Quarto. Institutum iter persecutus, superatis locorum et perfidorum hospitum diversis periculis, tandem Trajectum pervenit, et reliquum vitæ tempus ibi sancte explevit. Quinto. narratur, quomodo, cum Trajecti ecclesiam S. Servatii nocturno tempore visitare soleret, ei aliquando per lumen de cælo affusum, ostensum sit, quod Romæ in somno viderat, eoque in suo ad hunc locum adventu confirmatum esse. Sexto denique præter hujusmodi signa et miracula quædam ibi perpetrata, continuum ejus orationis studium in templo sancti Servatii enarratur, ibique octavo Idus Octobris obiisse fertur, anno obitus non memorato. Quo item anno et die translatio, quæ postremo describitur, Trajecto Belisiam facta sit, non magis exprimitur. Ex hac Belisiensi sancti Amoris Legenda libellus Germanico idiomate conscriptus est, primum anno 1683; secundo 1698, et tertio 1712 pro nutrienda populi pietate typis editus. Dicitur in eo præter alia (quæ conficta videntur) sanctum Amorem anno DCXC die III Octobris obiisse. Hactenus ex Legenda sancti Amoris Belisiensis : quæ si fidem aliquam apud Trajectenses, Belisienses, aliosque habet, habeat nostra pace. Apud nos nullam meretur.

hunc ab abbate Amorbacensi ejusdem nominis diversum esse,

12 *Intellige, quod hæc legenda Belisiensis apud Amorbacenses nullam mereatur fidem, quatenus primo ipsorum Abbati perperam aptatur, ut colligitur ex eodem scriptore, qui sic argumentari pergit :* Sanctus ille Amor, quem depingit, ex accepto cælitus jussu Roma discedens Trajectum petiit, et omnem posthac reliquam vitam Trajecti executus est. Ne divina jussione hæsitaret, novo cæli lumine ibidem de illius certitudine edoctus fuit. Trajecti in frequentanda sancti Servatii ecclesia erat assiduus. Trajecti diem supremum clausit, et (siquidem libello vulgari fides) anno DCXC sancte in Domino obiit. Hæc autem omnia et singula quomodo S. Amori nostro et primo abbati Amorbacensi aptabis? Si hic vitæ suæ partem potissimam Trajecti confecit, quomodo tandem Amorbaci annos quadraginta et plures abbatem egit? Si vero monasterio Amorbacensi primus Abbas tot annos impendit, quomodo eosdem Trajecti consumpsit? Unum ex duobus necessario consequens sit oportet, vel sanctum

auctore G. C.

A etum Amorem Belisiensem a nostro distinguendum, vel mendacem esse Legendam, si de nostro sancto Amore et abbate intelligendam esse contendas. Concedimus ei fidem, si quam apud alios meretur. Ea vero ex fide nostrum S. Amorem nostrique cœnobii primum abbatem ab altero sancto Amore confessore Belisiensi distinguimus, cujus recensita Legendæ capita convenire Amori nostro nullatenus possunt.

Deinde ex chronologia refellit 13 Ex Belisiensi Legenda libellus vulgaris consarcinatus est, et aliquoties, ut jam diximus, typis datus. Addita tamen huic quædam sunt, quæ in illa haud reperies. Ait iste, sanctum Amorem, cum juxta sancti Petri apostoli præceptum ad Trajectenses pergeret, Odinsylvaniam nostram pertransiisse, ibique ad ædiculam B. M. V. (quam nos fontem sancti Amoris hodie dicimus) divertisse, suisque precibus fonti in eadem sacra æde scaturienti virtutem salutiferam impetrasse. Horum nec verbulo meminit Legenda Latina sancti Amoris a Belisiensibus ad nos missa. Unde hæc mere arbitraria dicta, ne dicam conficta esse, quis non videt? B Si sanctus Amor Trajecti anno DCXC ex hac vita decessit, minimum ante annos viginti, hoc est circa annum DCLXX per regionem hanc nostram Trajectum iter suum instituit, cum S. Chilianus in Franconiam nostram needum venisset. Quis vero ante hujus Sancti adventum publicam Christianorum ecclesiam sub duce adhuc idolis dedito, in hac inculta eremo erectam fuisse, sibi persuadeat? Veriora sunt, quæ constans et antiquissima traditio, communis omnium nostrorum sensus, aliaque monumenta a nobis alias allata, de origine ejusdem sacræ ædis ad fontem sancti Amoris erectæ nos docent. Patet itaque sanctum Amorem Belisiensem et a nostro distinguendum esse, nec in has partes umquam venisse, nec consequenter nostro fonti sancti Amoris virtutem ægros sanandi impetrare potuisse.

objectionem adversariorum 14 Dicitur præterea in præfatione ejusdem libelli, eum partim ex Breviario PP. Benedictinorum Amorbacensium collectum esse. In his iterum nec tenuissima veritatis species depreheuditur. Antiqui Patres nostri et antecessores, cum Lectiones de sancto abbate suo Amore proprias non haberent, C communes adhibebant. Postquam anno MCDXLVI supradictus Joannes presbyter (qui falso in eodem libello Amorbacensis parochus vocatur) Legendam sancti Amoris Belisiensis attulisset, ea tam parvæ fidei et æstimationis apud nostros Amorbacenses habita est, ut pro genuina sancti Amoris sui Legenda minime agnosceretur. Si quis illorum pietati magis deditus, quam historiæ peritus, pro privata sua pietate ex hac Legenda Lectiones sibi composuit, hæ ejusdem cum Legenda fariuæ sunt; et æque parum fidei, atque ipsa Legenda merentur, nec Amorbacensium Breviario umquam insertæ sunt: quod propterea pro dicto libello (qui de sancto Amore, primo abbate nostro intelligi nec potest, nec debet) frustra in subsidium vocabis.

eamque eos retorquet. 15 Lubet jam etiam ex ipsis Keckii notis, quibus allatam Belisiensis Amoris Legendam illustrare se putavit, eumdem vel ei faventes edocere, quam a vero longe deflexerit, dum sancto abbati nostro Amori alterum Belisiensem substituere laboravit. Notat ad festum sancti Amoris octavo Idus Octobris id ex hujusmodi causis, facto insuper voto, ab Amorbacensibus celebrari: primo, quod patronus sit omnium, tam eorum qui in claustro, quam qui in civitate et tota marchia Amorbacensi existunt. Secundo, quia tam claustrum, quam civitas et tota marchia acceptum ab eo nomen gerit. Hæc ea mente notavit Keckius, ut sanctum Amorem, quem Amorbacenses hactenus coluere, illum Belisiensem esse ostenderet. Verum reapse plane aliud vel inscius vel invitus inde concludat oportet. Quod festum sancti Amoris octavo Idus Octobris, quo item Belisiensis colitur, ab Amorbacensibus adhuc celebratum sit, non probat, sanctum illum Amorem Belisiensem nos spectare, uti paulo inferius demonstrabimus.

16 Ut festum sancti Amoris tam in claustro quam in oppido celebretur, a monasterii abbatibus quondam constitutum est. Eos vero sancta hujusmodi constitutione non ad Belisiensem illum, de quo nihil sciebant, sed ad primum atque ipsum abbatem suum S. Amorem respexisse, nemo prudens dubitabit. *et ex patrono Sancti,* Hæc etenim omnium sententia ab antiquissimis temporibus per traditionem continuam ad ipsos derivata, tunc etiam fuit, postquam nova Belisiensis Legenda advenisset, numquam ab ipsis pro legitima agnita, numquam recepta, per ducentos hactenus annos reprobata. Non sciebant tunc quidquam patres Amorbacenses et abbates de aliquo alio sancto E Amore, qui monasterii patronus esset, atque de illo, qui primus ejusdem abbas fuit. Hunc suum jam a multis retro seculis Patronum colebant, quem ante illa Patrem et in hoc ipso suo cœnobio monastices plantatorem venerati sunt. Ab eo ipso sancto Amore suum monasterio nomen accessit, qui primus curam illius habuit.

17 Unus idemque Patronus claustri et oppidi, *nomine fontis.* unus quoque idemque nominis auctor est utrique inditi. Suo se igitur gladio jugulat Keckius, dum sanctum Amorem, qui in sacello **Zu sanct-Amors-brunn** / et in oppido et in claustro Amorbacensi colitur, Belisiensem esse dicit, aut probare contendit. Quem antiquitus nostri coluere, quem Amorbacenses oppidani usque hodie Patronum colunt, a quo monasterium nomen accepit, sanctus Amor primus abbas illius fuit. Igitur cum oppidum Amorbacense illum ipsum sanctum Amorem colat, quem colit monasterium; cum oppidum totaque marchia Amorbacensis nomen suum ab eo ipso sancto Amore acceperit, a quo illud monasterium hausit, recte ac necessario sequitur, sanctum illum Amorem, qui in sacello **Zu sanct-Amors-** F **brunn** colitur, cujusque ad patrocinium tot tamque mira a fidelibus sanitatum beneficia impetrantur, alium non esse, quam sanctum Amorem nostrum, monasteriique Amorbacensis primum abbatem.

apud quem multa beneficia ægris conferuntur, 18 Accedit, eodem Keckio teste, quod tam ex fonte, quam ex sacello sancti Amoris varia et stupenda plane sanitatum beneficia ad ejusdem Sancti invocationem fideles sint consecuti, antequam Legendam suam Belisiensem afferret et Amorbacensibus proponeret. Nihil vero ante id tempus, hoc est ante annum MCDXLVI nos aut quispiam Amorbacensium de S. Amore Belisiensi vel scivit, vel suis in precibus votisve cogitavit. Omnes unanimi voce ac sensu sanctum Amorem illum, quem olim fidei Christianæ magistrum habuere, suis in necessitatibus in auxilium vocarunt, et ad ejus invocationem ejusmodi beneficia consecuti sunt, qualia etiam postea et hodiedum consequuntur. Eccui vero credibile sit, sanctum Amorem hunc nostrum jam hic precantibus, et invocantibus se, succurrere desiisse; alterum econtra Belisiensem ei in hujusmodi beneficentiæ officio successisse, ac ejus interim partes suscepisse, postquam illius Legenda cum quibusdam sacrarum ejus reliquiarum particulis

AUCTORE G. C.

particulis ad nos pervenit? Signa igitur, quæ apud nos dudum facta sunt, et quotidie fiunt, pro nostro sancto Amore faciunt, et eumdem adhuc hodie esse ostendunt, qui ante trecentos et plures annos cultus a nobis est, Belisiensi sancto Amore ea ætate apud nos nondum noto.

...a tale alterius S. Amoris,

19 Et vero ut distinctionem utriusque sancti Amoris statuamus, argumenta (præter jam allata) non levis, ut existimamus, ponderis nos convincunt. Citatus supra libellus vulgaris sanctum Amorem Belisiensem anno DCXC defunctum esse dicit. Venerabilis Beda in Martyrologio suo ad VIII Idus Octobris S. AMORIS CONFESSORIS memoriam celebrat. Obiit Beda (Mabillonio teste) anno DCCXXXV. Ergo ante hunc annum etiam S. Amorem confessorem obiisse oportet, quem alias suo Martyrologio Beda inscribere non potuisset. Sanctus Amor noster anno DCCXXXIV novi erecti monasterii modo curam suscepit, eamque per annos adhuc trigiuta tres gessit, ut ad annum supra DCCLX vixerit. Alius proinde sanctus Amor fuerit oportet, qui ante venerabilem Bedam, hoc est ante annum DCCXXXV, vel
B anno DCXC obiisse dicitur, et ab illo Sanctorum fastis inscriptus est. *Groppius hic recte argumentatur ad hominem, ut vulgo aiunt; sed argumentum, quod ex obitu venerabilis Bedæ desumit, validius adversarios ejus constringeret, si constaret de puro Bedæ textu, ac certo sciremus, Martyrologia sub nomine venerabilis Bedæ edita, ab aliis posterioribus hagiographis non fuisse aucta vel interpolata.*

diversitate Officii et Missæ

20 *Interea audiamus reliqua Groppii argumenta, quæ sic pergit proponere:* Id ipsum innuit differentia cultus et Officii, quo sanctus Amor ille Belisiensis, ac noster in utroque loco celebratur. Belisiæ colitur Officio et Missa de communi confessoris non pontificis cum Evangelio SINT LUMBI VESTRI. Festum sancti Amoris nostri, antequam Legenda Belisiensis ad nos pervenisset, ab antiquissimis temporibus semper ab Amorbacensibus cum Officio et Missa de Abbatibus celebratum est. Post annos supra ducentos ab accepta sæpe dicta Legenda, subinde ab uno, sua pro privata pietate ceteris propositum fuit, ut Belisiensibus se conformarent. Verum cum rectius alii animadverterent, ejusmodi
C Officii Belisiensis ritum sancto Amori nostro ceu abbati non convenire, eo neglecto, antiquissimum morem et ritum retinuerunt, qui usque hodie ab Amorbacensibus servatur cum celebratione Officii de Abbatibus et Missa cum Evangelio: ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA.

...sol de pro...ta,

21 Quod uno eodemque die apud Amorbacenses festum S. Amoris hactenus celebratum sit, quo suum Belisienses S. Amorem colunt, octavo videlicet Octobris, unum esse sanctum Amorem non probat. Perfrequens est in Martyrologiis uno et eodem die duorum vel plurium subinde Sanctorum cognominum memoria, quos male ob nomen idem confunderes, aut unum diceres. *Certe non sequitur, Sanctos ejusdem nominis et eodem die in Martyrologiis memoratos, in unum confundi posse: nam die XIV Februarii Majores nostri sex aut septem Sanctos homonymos, nomine Valentini appellatos, inter se distinxerunt. Sic etiam die XV Martii exibuerunt Acta trium diversarum feminarum, quæ proprio nomine Matronæ appellabantur. Sic denique ad diem XIX Augusti, favente Deo, illustrabimus tres Sanctos, nomine ac re Magnos, quos ab invicem discrepare existimamus. Curiosus lector plures hujusmodi Sanctorum homonymorum distinctiones in Opere nostro facile inveniet.*

22 *Nobis hoc loco sufficit confirmasse paucis hisce exemplis sententiam eruditissimi Groppii, qui tandem Disquisitioni suæ præviæ ita finem imponit:* Cum per injurias temporum, *ait*, antiquissima primorum Amorbacensium abbatum gesta et monimenta interiissent, illorum etiam obitus memoria tandem intercidit. Fama tamen sanctitatis eorum perennavit, quam aliorum scriptorum libri conservarunt. Postquam vero constitutum a nostris fuit, sanctum Amorem, primum abbatem suum, publico cultu et Officio venerari, eaque occasione in scriptoribus Martyrologis aliisque ad diem VIII Octobris sanctum Amorem quemdam legisseut, cum (de Belisiensi nihil penitus scientes) suum esse crediderunt, illique prædictum diem festum esse voluerunt. Denique Keckius ex sancti Amoris nostri cognomine eam in opinionem inductus est, ut S. Amorem Belisiensem apud nos coli crederet. Legerat forte, sanctum Amorem nostrum PEREGRINUM fuisse, et inde ex uno Amore duos fecit, unum abbatem, et alterum peregrinum, qualis etiam ille Belisiensis ob susceptas peregrinationes dictus fuit. Verum vir bonus non legerat Widegerni episcopi privilegium sancto Pirminio E concessum, in quo ejusdem S. Pirminii socii ac discipuli (e quorum numero sanctum Amorem nostrum non excludet) MONACHI PEREGRINI vocati sunt, ut jam alibi diximus. Sanctus igitur Amor noster, et abbas et peregrinus, atque unus idemque fuit; neque alium propterea longe hue advocare necesse est, qui ejusmodi nomen PEREGRINI sustineat. *Omnibus his Groppii ratiociniis mature expensis, verosimillime judicamus, sanctum Amorem abbatem Amorbacensem ab altero confessore Belisiensi distinguendum esse, ut etiam ex paragrapho sequente confirmabitur.*

Sanctum Amorbacensem ab olio Belisiensi prorsus differre.

§ III. Laudatus scriptor exponit hodiernam S. Amoris venerationem, et ostendit, semper a prudentioribus eam primo cœnobii Amorbacensis abbati exhibitam fuisse. F

Historicus Amorbacensis explicat.

Hic iterum liberaliter transcribo eruditissimum Groppium, qui propter discussa Amorbacensium documenta locique vicinitatem magna fide dignus est, et utramque rem in titulo propositam pag. 47 et sequentibus Historiæ suæ exsequitur his verbis: Cum sanctus Amor in hac mortali adhuc vita degens, ea jam sanctimonia clareret, ut plurimi ab eo suis pro necessitatibus opem rogarent et impetrarent, etiam post mortem ab iisdem tanto majori cum fiducia et devotione in auxilium vocatus est, quanto jam certiores de eximiis ejusdem meritis et gloria fuerant. Inde ab obitu suo sanctus Abbas coli a populo cœpit. Jam ante annos trecentos consuetudinem immemorialem fuisse, ad fontem S. Amoris peregrinandi, ibique Deo parvulos offerendi, litterarum Amorbacensium monimenta docent. Hujusmodi devotio in hodiernum usque diem magna cum religione observatur. Non vicini modo, sed et longius dissiti, a quatuordecim et pluribus milliaribus ad hunc sancti Amoris fontem et sacellum voti

A voti causa peregrinationes instituunt. Omni anni parte ejusmodi peregrinantes adveniunt: in æstate frequentissimi sunt, qui proles suas secum adferunt, ut iis vel sanitatem per sancti Abbatis merita impetrent, vel eidem pro jam accepta gratias referant, sua vota exsolventes.

quo ritu

24 Miram inter cetera devotionis consuetudinem et ritum in hoc sancti Amoris sacello vulgus observat. Qui caput vel collum, pectus, manum vel pedem dolent ut sanitatem consequantur, vel ut eam consecuti, gratos se sistant, hujusmodi membra funibus campanarum, in medio sacelli ante presbyterium defluis, immittunt. Alii pedem, alii brachia, collum alii, alii denique pectus funibus implicant, et his membris, manu opitulante, campanas attrahunt, ut aliquoties sonum edant. Proles, quæ trahendis campanis impares sunt, a parentibus aliisve suis juvantur: qualis pulsatio æstatis tempore, ubi populus frequentior advenit, diebus festivis et dominicis toto pene die auditur. Oblationes, quæ a fidelibus Deo et sancto Amori fiunt, variæ et copiosæ sunt. Missæ votivæ tam ab indigenis, B quam advenis, per annum plurimæ curantur. Inter reliquos dies oppidani et viciniores feriam sextam plerumque observant, quo sacellum invisere, ac suæ ibidem devotioni vacare solent. Alternis septimanis etiam Conventus Amorbacensis ad dictum sacellum, qua placet die, accedit; ubi, uno ad aram faciente, ceteri horas minores, Sextam videlicet et Nonam recitant. Ut festum sancti Amoris tam in oppido, quam in monasterio celebretur, antiquitus ab abbatibus constitutum est. Utrum hactenus recte die VIII Octobris, quo alius sanctus Amor Belisiensis colitur, celebratum sit, ex iis definias velim, quæ supra num. 9 de distinctione utriusque sancti Amoris dixi.

et quo tempore S. Amor in Franconia colatur,

25 Jam vero ex ordinatione reverendissimi archiepiscopalis Vicariatus Moguntini constitutum est, et in celebratione jubilæi Amorbacensis promulgatum, ut festum sancti Amoris primi abbatis Amorbacensis quotannis die XVII Augusti posthac celebretur. In monasterio quidem sub ritu duplici secundæ classis celebrabitur. In sacello Amorsbrunnensi usque huc sacrum a parocho oppidi, incolis et accolis magno numero affluentiC bus, celebratum fuit. Cum id festum in dominicam inciderit, insuper ibidem concio habetur. In eodem item sacello publicus et festivus cultus divinus die secunda Paschatis et Pentecostes (antequam hoc ultimo die Processiones vicinorum locorum in ecclesiam monasterii adveniant) a prædicto parocho mane peragitur, consueta alias re divina in parochiali ecclesia iis diebus prætermissa. Quod item fit in festo Visitationis B. M. V., ubi magnus semper confitentium et communicantium numerus est. In feria secunda Pentecostes hactenus ibidem Indulgentiæ plenariæ sunt; quas quivis, tunc impeditus, alio quocumque die, cum primo illud sacellum inviserit, lucrari potest. Colitur S. Amor, et patronus in variis necessitatibus et afflictionibus invocatur, ut ex recitatis supra beneficiis per ipsum impetratis patet: videlicet in febribus, in capitis, dentium, oculorum etc. doloribus, in contracturis aliisque infirmitatibus. Invocatur etiam a mulieribus prægnantibus, partui appropinquantibus, et in ipso partu laborantibus; ab infœcundis, quarum permultæ ex sancti Amoris fonte bibentes, fœcunditatem et prolem a Deo impetrarunt.

auctore G. C. et denique causam, ob quam hic sanctus Abbas

26 *Porro hæc omnia publicæ venerationis indicia, quæ hactenus relata sunt, non alteri Sancto, quam primo Abbati monasterii Amorbacensis, ibidem ab eruditis exhiberi, memoratus Groppius evincere conatur sequenti ratiocinio:* Distinctionem utriusque sancti Amoris, Amorbacensis et Belisiensis in Disquisitione prævia satis efficaciter probavimus. Dubium aliud restat, non nobis, sed indoctis, quisnam eorum in sacello Amorsbrunnensi hodie colatur, et colendus porro sit. Sanctum Amorem nostrum et Abbatem reipsa ibidem coli, hactenus diximus. Sed si indoctum rerumque imperitum vulgus de hoc sancto Amore requiras, eorum non pauci Belisiensem nominabunt. Æquanimiter hæc inscitia vulgi perferenda esset, nisi etiam, qui saniores videri volunt, in falsissimam eam opinionem abirent, vel abire se simularent. Quam erronee vero hujusmodi sentiant, et quam longe falso rumore a veritate abduci se sinant, hic ex professo (ut dicitur) demonstrandum duximus; quod item in præfatione ad Vitam sancti Amoris Armobacensis vulgi idiomate editam fusius alias præstitimus. E

ab imperita plebe cum alio ejusdem nominis Sancto confundatur,

27 Erroris occasio hujusmodi fuit. Cum sanctus Amor vitam sancte transegisset, etiam post obitum a populo veneratione et cultu Sanctis debito honoratus est; et quem secum in terris agentem, piissimum Patrem sunt experti, postea regnantem in cælis etiam in auxilium vocarunt. Hæc populi in sanctum Amorem devotio, pro temporum et rerum varietate, per secula septem propagata est. Vitæ illius Legenda, quam Amorbacenses conscripserant, interim per varios casus et temporum injuriam deperdita. Videbatur ad augendam populi devotionem conducere, si quæ sancti Amoris Vitæ descriptio vel Legenda haberetur, populo offerenda. Moratus circa annum MDXLVI in monasterio Clericus quidam, Joannes Keck, dum populi devotionem erga sanctum Amorem in sacello Amorsbrunnensi, in oppido et claustro oculis suis usurpabat, de Sancti hujus vita indagare cœpit. Cum Amorbaci nullam reperisset, apud exteros inquirere non destitit, donec tandem apud Belisienses sanctum aliquem Amorem et illius Legendam reperit. Eam mox secum Amorbacum attulit, ut inde plura et nova Amorbacensibus de sancto Amore dicenda haberet. Sanctum vero Amorem, hactenus Morbaci F cultum, iis encomiorum coloribus depinxit, ut plane alium Sanctum efformaverit, atque re ipsa fuit. Narravit etenim incolis et accolis, sanctum illorum Amorem, quem hactenus nescivisset, Belisiæ requiescere, ibique coli. Cum præterea sacras aliquot ipsius reliquias cum Legenda attulisset, populo (qui potius simpliciter credere, quam examinare hujusmodi dicta solet) facile persuasit, Sanctum suum, quem coleret, Amorem, Belisiæ conditum esse.

eamque imputat bono cuidam clerico,

28 Sed utinam vir devotus Legendam tam accurate ad veritatis lancem examinasset, quam pias ex illa pro populo exhortationes deprompsit. Næ ille omisisset, quod inconsiderate fecit. Enimvero sancti illius Amoris Belisiensis Legenda, attento oculo et mente sæpius perlustrata, nec ad apicem sancto Amori Amorbacensi quadrat, prout supra num. 1 et 2 ostendimus. Si autem tanta a Keckio discrepantia cognita est, nescio, qua demum fronte, qua audacia, eam de sancto Amore nostro interpretari, atque hujus venerationem in alterum hactenus ignotum transferre ausus fuerit. Ad ipsam Belisiensem Legendam hic cum erudito lectore provoco, si quondam illa luci publicæ danda sit. *Consuluimus plura manuscripta*

AUCTORE G. C.

scripta Legendæ Belisiensis exemplaria, quæ ad diem VIII *Octobris in scriniis nostris reposita habemus: Sed revera sanctus ille Amor Belisiensis numquam vocatur abbas, et nusquam dicitur in Franconia fuisse, vel ibidem fonti miram salubritatem precibus suis impetrasse, quæ omnia de* S. Amore *Amorbacensi abbate traduntur.*

qui Acta unius Sancti applicuit alteri (ut sæpe fit)

29 *Hinc facile nobis persuademus, Keckium Acta sancti Amoris Belisiensis sancto* Amori *Amorbacensi perperam applicasse, et alios postmodum Acta utriusque Sancti homonymi commiscuisse, ut non raro fit, dum unius aut alterius Sancti gesta ignorantur: nam Acta S. Tatianæ martyris Actis S. Martinæ similia circumferuntur, et Acta S. Ephysii cum Actis S. Procopii confusa sunt, quemadmodum Bollandus ad diem* XII *et* XV *Januarii pag.* 720 *et* 997 *monuit. Sic etiam die* XVIII *ejusdem mensis Acta S. Priscæ cum Actis SS. Tatianæ et Martinæ confunduntur, ut tomo* 2 *pag.* 183 *dictum est. In Opere nostro tomo* 2 *Februarii pag.* 712, *tomo* 4 *Maii pag.* 114 *et* 304, *ac alibi similes Actorum con-* B *fusiones annotantur. Nihil hic dicimus de S. Eugenio, cujus Acta ad diem* XXIX *Julii discussimus: cum enim duæ abbatiæ in Germania corpus alicujus S. Eugenii ignoti martyris e cryptis Romanis ab annis aliquot obtinuissent, cœnobitæ istorum monasteriorum Acta S. Eugenii vel Eugegii noti martyris ignotis suis Sanctis attribuerunt, ut nos ipsi tomo* 7 *Julii pag.* 31 *et sequente observavimus.*

et cujus errorem exemplo quodam excusamus.

30 *Non tamen propterea Keckium de mala fide arguimus, qui videtur innocue Legendam S. Amoris Belisiensis sancto* Amori *Amorbacensi applicuisse, ut alterutrius Sancti venerationem augeret, et satisfaceret vulgo, quod cupit nosse gesta Sanctorum, quos colit. Forsan ille Keckius non admodum dissimilis erat alteri bono viro, cujus miram hac in re simplicitatem jam breviter indicabo. Cum pius sanctissimi Ordinis Religiosus ab aliquot annis corpus cujusdam Sanctæ ignotæ ex cryptis Romanis accepisset, hagiographos Antverpienses rogandos putavit, ut sibi elegantem istius Sanctæ Legendam concinnarent. Adeo autem erat liberalis, ut ipsis optionem daret, utrum eam sub titulo virginis vel martyris aut vi-* C *duæ repræsentare mallent, dummodo rem totam pulchris episodiis exornarent. Hagiographi illi suspicabantur, sese ab ignoto quodam sub ficto Religiosi nomine irrideri. Quapropter consulunt amicum habitantem in eadem urbe, ex qua simplex iste homo litteras suas miserat, et prudenter inquirunt, an ibidem revera talis Religiosus ex illo Ordine commoretur. Veritate rei comperta, amicus ille ipsum hominem adit, et imprudentiam ejus redarguit, eo quod fabulosam Legendam fieri postulasset ab iis, qui fabulas in Actis Sanctorum occurrentes improbare consuevissent. At vir minime malus ingenue respondet, sese id eo fine dumtaxat fecisse, ut cultum hujus incognitæ Sanctæ illustriorem redderet ac longius propagaret.*

Deinde scriptor ille ratiunculas, quas item, .

31 *His obiter observatis, pergimus cum erudito Groppio, qui deinde objectiones quasdam opinioni suæ forsan opponendas ita diluit :* Interim levissimas viri ratiunculas discutimus, *inquit*, ex quibus se et alios in falsissimam opinionem seduxit. Primo ita secum ratiocinatus videtur, quod ipsum adhuc hodie aliqui faciunt : « Amorbacenses nihil sciunt de sancto Amore suo, quem coluut, nihil sciunt de illius gestis vita et sepultura. Belisiæ sanctus Amor requiescit, cujus Legenda habetur. Igitur hic ille est, quem Amor- D bacenses coluut ». Mira profecto conclusio scilicet, qualem vix in Dialecticis tyro condiderit. Concedimus, exactam notitiam de sancto Amore, vita ejus et morte, Keckii tempore, Amorbacenses haud possedisse, quam fortunæ ac temporum iniquitate deperditam dolemus. At sciverunt tamen, suum fuisse Apostolum, fidei Magistrum, monasterii Abbatem, in vita miraculis claruisse, eam sancte transegisse, ac propterea se in patronum illum vocasse, hactenus tam impense ac religiose coluisse, plurima per eum beneficia impetrasse etc. quæ sane singula nescio, quis sanus sancto Amori Belisiensi assignaturus sit. Esto neque hæc scivissent Amorbacenses; an propterea sanctus Amor Belisiensis ab iis coli censendus est, quod sciatur, Belisiæ sanctum aliquem Amorem requiescere? Quid prohibet, duos vel plures sanctos Amores reapse distinctos in diversis locis coli?

quæ opinioni suæ opponi possunt,

32 Attamen in probationem ejusmodi falsæ opinionis infertur secundo : « Uno eodemque die festum sancti Amoris Belisiæ et Amorbaci celebratur; itaque unus et idem utrobique Sanctus est ». E Sanctorum historiæ plane inscius est, quisquis ita argumentatur. Inspiciatur vel obiter Martyrologium, ni pluribus in locis uno eodemque die, duo vel plures Sancti cognomines legantur, quorum unus in hoc, alter in alio loco colitur; quos confundere vel unum et eumdem dicere profecto audebit nemo, nisi qui historias Sanctorum malitiose pervertere voluerit. Unde evenerit, quod Amorbacenses hactenus festum sancti sui patroni Amoris eo die celebraverint, quo alius sanctus Amor Belisiæ colitur; item an id hactenus bene factum sit, supra diximus Tertio dicitur : « Sanctus Amor, qui in sacello Amorsbrunnensi colitur, peregrinus audit, qualis fuit ille Belisiensis; ergo hic in dicto sacello colitur ». Iterum falsissimum illatum. Belisiensis sanctus Amor PEREGRINUS, hoc est vulgo ein pilgrim, a Romana sua peregrinatione dictus est. Sanctus Amor et abbas etiam PEREGRINUS vocatus est, non quidem talis ac eo sensu, qualis Belisiensis fuit; sed a suis in longinquas has terras itineribus, pro Christi amore et ejus prædicandi Euangelii gratia susceptis, sic dictus. Neque F solus Amor noster, sed et magister ejus sanctus Pirminius, omnesque hujus socii PEREGRINI dicti sunt. Videantur, quæ de hac re alibi supra num. 10, item part. I num. 10 diximus. Ex his vero omnibus nihil pro Belisiensi sancto Amore eruitur.

erudite dissolvit,

33 Argumentum ad speciem efficacius alius excogitavit, quod vulgari libello de sancti Amoris Vita insertum est. Ait ille, sanctum Amorem (Belisiensem putat) cum Roma Trajectum, quod jussus fuerat, pergeret, per Germaniam et sylvam Odonicam iter suum instituisse, hicque in valle, quam hodie Amorsbrunnensem dicimus, sacellum B. M. V. invisisse, et devotione sua perfunctum, fonti in eodem sacello scaturienti data benedictione, a Deo virtutem salutiferam impetrasse. Hac falsissima narratiuncula plurimi decepti sunt, quotquot hactenus sanctum Amorem Belisiensem in dicto Amorsbrunnensi sacello coli crediderunt. Falsissimum etenim est, sanctum Amorem Belisiensem sacellum eo loci invisisse, aut fonti ibidem scaturienti eam virtutem impetrasse. Qua enim ratione, qua via sacellum invisere potuit, quod ea ætate nullum ibi fuit? Ante tempora sancti Chiliani (historiæ Franconiæ peritis

A peritis loquor (nullam ecclesiam publicam Christiani, quorum vix aliqui atque paucissimi in Franconia fuere, habebant. Iter vero sancti Amoris Belisiensis per has terras institutum annis fere viginti adventum sancti Chiliani antevertit. Sed nec ipsa sancti Amoris hujus Legenda quidquam de hoc ejus per Germaniam et Olinsylvaniam itinere, nihil de sacelli hujus visitatione, nihil de impetrata fonti virtute refert, cum tamen cetera illius gesta diligenter recenseat; ut merito illiusmodi narratiunculæ auctor fictionis et falsitatis coarguendus sit. Ex quo sane patet, quam enormiter decepti sint, qui supernam illam fontis virtutem a Belisiensi sancto Amore impetratam crediderunt.

et hunc cultum primo Abbati cœnobii Amorbacensis exhiberi demonstrat.

34 Fonti illic scaturienti virtutem sanatricem esse non negamus, quam reportatæ ex eo tot sanitates testantur. Sed eam nemo alius, quam sanctus Amor abbas suis precibus et meritis cidem a Deo impetravit, ob id aliaque a se perpetrata miracula ab Amorbacensi et circumfuso per Odinsylvaniam populo, constanti devotione cultus, et in opem vocatus, uti supra narratum est. Hunc B sanctum amorem Amorbacenses ceu Apostolum suum et fidei doctorem, in monasterii, oppidi, et totius marchiæ patronum elegerunt, ejusque nomine insigniri voluerunt. Ad hunc fideles omni tempore suas preces et vota direxerunt, de alio sancto Amore Belisiensi nihil umquam cogitantes, nihil scientes. Per hunc suum Amorem, quem primis et antiquissimis abhinc temporibus coluere, tot sanitatum beneficia, aliasque gratias consecuti sunt, nullo alio sancto Amore pro iisdem implorato. Persistendum igitur in prima et antiquissima veneratione est, eaque sanctus Amor abbas monasterii Amorbacensis in sacello Amorsbrunnensi, in monasterio et oppido perpetim colendus. Veuerentur Amorbacences sanctum Amorem Apostolum, fidei doctorem et patronum suum constanti devotione; nec invidebit sanctus Amor Belisiensis, qui sibi eam non deberi optime novit. Haud dubium est, quin Belisienses, omni devotione eum prosequantur; et sic uterque sanctus Amor ea, qua pro suis quisque apud Deum meritis dignus est, veneratione apud suos gaudebit. *Nobis videtur hæc æqua conditio, qua Belisienses* C *contentos fore confidimus. Nunc porro de rebus nonnullis incertis aut controversis, ad hunc sanctum Abbatem Amorbacensem spectantibus, sine ullo partium studio disseremus.*

§ IV. Incerta Sancti patria, verosimile vitæ institutum, et dubius mortis annus.

Quidam putant, S. Pirminium et S. Amorem

Joannes *Georgius ab Eckhart verbis* § I *num.* 7 *relatis innuit, S. Pirminium monasterii Amorbacensis fundatorem, et* S. Amorem *primum ejusdem abbatem natione Scotos fuisse. Quinimo postea lib.* 27 *Historiæ suæ Franconicæ cap.* 10, *sive tom.* 2 *pag.* 23 *eamdem opinionem seu traditionem clarius repetit his verbis* : Ferunt, ut supra jam diximus, id a sancto Pirminio Scoto fundatum, ejusque primum abbatem Amatorem Scotum fuisse. Ergo et hoc tempore Scotos ibi adhuc degisse verosimile est. *Nemo miretur, Scotos ad terras a patria sua tanto intervallo dissitas peregrinatos fuisse, cum Bollandus noster die* IX *Februarii in Commentario prævio ad Acta B. Mariani Scoti tomo* 2 *istius mensis pag.* 361 *ostenderit, jam a decem seculis multos Scotos in variis Galliæ ac Germaniæ monasteriis habitasse. Certe Wolfgangus Lazius in Opere suo de Migratione gentium lib* 7 *quosdam Boiorum Apostolos commemorans indicat, S. Pirminium natione Anglum sive Scotum fuisse, dum ibidem apud nos pag.* 231 *sic scribit* : Itaque miseratus hunc ruentis reipublicæ Christianæ casum Wigbrodus, quispiam Anglus sive Scotus, ad Boiarios iterum ad ovile Christi reducendos profectus est. At is cum parum efficeret apud Hugobertum Ducem, Odilionis patrem, conterrancos suos, qui majore pollerent dicendi persuadendique auctoritate, vitæque continentia illustriori, Pirminium, Corbinianum, et Emmerannum, ut ad Boiarios Christo reducendos profecti, operam suam in vinea Domini locarent, induxit.

natione Scotos fuisse;

36 *Lazius eodem libro* 7 *apud nos pag.* 233 *hunc Pirminium titulo* beati *donat, et esse eumdem variorum in Germania monasteriorum conditorem, prodit his verbis* : De ecclesia Boiorum hæc propterea prolixius adduximus, ut quantæ molis fuerit (ut ille inquit) illam condere, lector æquus intelligat; ad quam rem operam studiumque suum contulisse beatum Pirminium, qui E Altahense cœnobium construxit, circa annos salutis DCCXLII, et Rassonem quemdam Comitem Andacensem, quem **saut Gaffral** Teutonici nominabant, gentilitii annales ostendunt. *Hine Thomas Dempsterus S. Pirminium inter populares suos recenset, eumque ad diem tertiam Novembris in Menologio suo Scotico ita annuntiat* : In Boiis et Avaribus Pirminii primi gentis Apostoli. Hic Augiæ divitis abbas primus, infidelium conversioni plurimum adlaboravit, ab Augia iusula serpentes fugavit; alius a Meldensi præsule. *Utrum S. Pirminius ille fuerit præsul Meldensis, ad diem tertiam Novembris inquiri poterit cum Mabillonio, qui seculo* III *Benedictino part.* 2 *pag.* 136 *Vitam ipsius observationibus præviis illustravit.*

sed Groppius existimat, eos Aquitanos esse,

37 *Interea disserentem audiamus Groppium, qui parte* I *Historiæ Amorbacensis cap.* I § 6 *negat, S. Pirminium vel* S. Amorem *natione Scotos fuisse, et memoratam Eckharti opinionem rejicit hoc modo* : Primos loci *(nimirum monasterii* F *Amorbacensis, de quo ibi agitur)* incolas per sanctum Priminium, invitante Ruthardo Franchenbergio Comite, ad sylvestrem et montosam hanc solitudinem adductos esse, ex jam dictis patet. Qua demum e patria singuli fuerint, quis divinabit? Scotos aliquos fuisse, Eckarto non negamus. Omnes ex Scotia ortos esse, non credimus. Ipsum sanctum perminium natione Francum fuisse, Mabillonio certum est. Sanctum hunc ex eadem sua patria sibi socios, aliquos saltem, adlegisse, pronissimum est credere. Sanctum Amatorem Priminii discipulum ac primum loci abbatem, non ex Scotia, sed Aquitania ortum traxisse, vel solum Amoris sive Amatoris nomen indicat, sicut Amandus, Amatus, et alia hujusmodi nomina Aquitanica sunt. Alios insuper ex eodem regno adfuisse non dubitamus. Postquam vero (si vera Frisus loquitur) ex sociis S. Burchardi ad cellas Odouicas directi aliqui sunt, Scotos inter illos fuisse, perquam credibile est. Sed et postea sub Caroli Magni et Ludovici tempora Scoticæ nationis plures Amorbacense monasterium inhabitasse, indeque ad Saxonum conversionem evocatos fuisse constat. Sancti Patto, Tanco, Nortylas, Harruchus aliique Amorbacen-

ses

AUCTORE G. C.

ses abbates et primi Verdenses episcopi, ex Scotia omnes, ejusdem ecclesiæ chronico et Mabillonio assentiente, fuerunt. *Huc usque Groppius, cujus ratiocinium nunc breviter examinandum est.*

quæ sententia Rabano Mauro contraria videtur,

38 *Imprimis non intelligimus, quomodo Mabillonio certum esse possit, S. Pirminium natione Francum fuisse, cum ipse Mabillonius Seculo* III *Benedictino part.* 2 *pag.* 137 *in Observationibus præviis ad Acta S. Pirmini num.* 3 *notet sequentia* : Perminii patriam reticet Vitæ scriptor; nec satis indicat Hrabanus Maurus, qui Pirminium PATRIAM, GENTEM ET PROPINQUOS DESERUISSE ET GENTEM FRANCORUM QUÆSIVISSE affirmat. Nobis ariolari non vacat. *Neque nobis divinare lubet. Sed si conjecturam facere liceret, ex proxime relatis Rabani Mauri verbis non prorsus improbabiliter inferremus, S. Pirminium non fuisse Francum natione : si enim Sanctus ille patriam ac propinquos deseruerit, et gentem Francorum quæsiverit, ut Rabanus Maurus testatur, quomodo natione Francus dici potest, et vocari* peregrinus *apud eos, inter quos natus fuerat? Quomodo S. Pirminius, relicta patria, Francos quæsivit,* B *si in regno Francorum ortum habuerit? Hæc et similia die tertio Novembris, quo Acta S. Pirminii illustranda occurrent, fusius disculi et ad incudem revocari poterunt.*

et hæc lis neque ex Annalibus Mabillonii,

39 *Forsan aliquis cum Groppio adversus hæc dicta mea assignabit Annales Benedictinos, in quibus Mabillonius ad annum Christi* 724 *lib.* 20 *num.* 65, *sive tomo* 2 *pag.* 74 *postmodum de S. Pirminio hæc scripsit* :Tantum Francum fuisse, mihi constat. *At primo quærimus, unde Mabillio constet, S. Pirminium natione Francum fuisse. Cur istam ipsius originem ex vetustis monumentis non probavit? Cur Mabillonius hoc ipso Annalium loco dicit, quod sit* incerta Pirminii patria et dignitas? *Imo circa dignitatem ejus eruditus ille scriptor dubitat, an et ubi episcopus fuerit, quamvis ab auctore Vitæ parum accurato sedem episcopatus* in castello Meltis *habuisse dicatur. Deinde propter auctoritatem Hermanni Contracti admittit, S. Pirminium probabilius chorepiscopum fuisse; sed quo in loco gesserit officium chorepiscopi, divinare non ausus,* C *tandem hæc immediate subjungit* : Tantum Francum fuisse, mihi constat; et si solum chorepiscopus fuit, certe cum episcopali charactere. *Nobis ita explicandus videtur Mabillonius, acsi significare vellet, chorepiscopatum S. Pirminii certe Francum vel in Francia situm fuisse. Hæc ita interpretamur, ut Mabillonium cum se ipso conciliemus. Si vero quis contendat, id de patria S. Pirminii intelligendum esse, solidis argumentis hanc assertionem ejus confirmare oportebit.*

neque ex nomine S. Amoris decidi potest.

40 *Præterea supra laudatus Groppius ex nomine* S. Amoris *vel* Amatoris *infert, eum gente Aquitanum fuisse. Verum hæc ratiuncula nihil aut parum nos movet : nam in Menologio Scotico Dempsteri et Camerarii inveniuntur plurima sanctorum Scotorum nomina, quæ Latinis et Aquitanicis admodum similia sunt. Quapropter ingenue fatemur, patriam* S. Amoris *abbatis nobis ignotam esse. Si tamen hic Sanctus alicunde solida ratione Scotus, Anglus aut Hibernus probari posset, haberemus novum argumentum, quo eum distingueremus ab Amore Belisiensi, qui in variis Actorum exemplaribus etiam ex Aquitania originem traxisse memoratur. Denique in illa hypothesi* S. Amori *nostro ejusque sociis optime conveniet nomen* peregrini, *de quo Groppius ibidem sic ratiocinatur* : Communi vocabulo omnes PEREGRINI MONACHI vocabantur, quod videlicet amore Christi, relicto natali solo peregre in alienas regiones profecti Christianam legem prædicandam suscepissent. Exemplum appellationis hujusmodi in Vita sancti Chiliani *(erat hic gente Scotus ut tomo* 2 *Julii pag.* 600 *diximus)* occurrit, ubi Geilana post illatam sancto viro et sociis necem, de absentia eorum a marito Duce requisita respondit, sanctos viros juxta INSTITUTUM PEREGRINATIONIS SUÆ denuo excessisse. Widegernus episcopus Argentoratensis in privilegio, quod sancto Pirminio ejusque Murbacensi cœnobio concessit, omnes S. Pirminii socios et monachos, in quocumque monasterio degentes, constanter nec alio, nisi PEREGRINORUM MONACHORUM titulo appellat. Missionarios etiam jure meritissimo dixeris, qui hujuscemodi missionis apostolicæ officio reipsa solertissime perfungentes, non modo in tam aspera sylvis et montibus horrida regione verbum Dei disseminarunt, eamque eum incolis mansuetiorem effecerunt, sed et Verdensem apud Saxones ecclesiam profuso sanguine plantaverunt. D

Refertur verosimile Sancti institutum,

E

41 *Jam paucis agemus de verosimili vitæ instituto, quod* S. Amor *professus est, et quod sæpe citatus Groppius pag.* 36 *Historiæ suæ Amorbacensis explicat his verbis* : Sanctum Amorem ex Aquitania ortum fuisse, ipsum nomen indicat. AMATOR, AMATUS, AMANDUS, AMANTIA (quæ sancti Amandi mater fuit) nomina Aquitanica sunt. Ubi institutum monasticum sit amplexus, in comperto necdum habemus. In Fossatensi monasterio (quod postea ob translatas illuc S. Mauri reliquias inde nomen accepit) cum magistro suo sancto Pirminio monachum fuisse, verosimile est. Ab eodem sancto Pirminio apud Odinsylvaniam Christi fidem prædicante eum nonnullis aliis monachis adscitus, vel sua sponte ad illum profectus est, ut suam illi operam in eo apostolico munere impenderet. Inde nomen PEREGRINI, sicut et reliqui laborum socii, traxit. Sacerdotem fuisse, ejusdem officii functiones probant : neque enim prædicare solum satis erat, ut Christi fides iis in partibus plantaretur, populi Ecclesiæ Romanæ aggregarentur, et fideles pascerentur; insuper Sacramenta conficere et administrare, pœnitentibus aures præbere, Missas dicere, sacram Eucharistiam distribuere, moribundos sacro oleo inungere necesse fuit. Hæc vero sacerdotum munia sunt. F

quod antiquioribus instrumentis probatum desideratur,

42 Quam sedulo sanctus Amor in promovenda Christiana fide laboraverit, Chronica Wirceburgensia manuscripta testantur. Constat ex iis, sanctum Amorem cum suis, eo tempore convertendis Odinsylvanis insudasse, quo sanctus Burchardus Wirceburgensibus suam suorumque operam impendit; magnam etiam inter ambos amicitiam et consuetudinem intercessisse, et unitis viribus rem Christianam mirifice per Franconiam propagasse. Amorem eximia vitæ sanctitate claruisse, eamque miraculis insuper, eo adhuc vivente, a Deo confirmatam esse, Meginfredus Fuldensis Chronographus testatur : quæ vero hujusmodi miracula fuerint, non expressit, nec alicubi illorum notitia hactenus prodita est. Præcipuum illud fuisse credimus, quod fonti in sacra ædicula B. M. V. Zu sanct-Amors-brunn scaturienti vim ægris salutem afferendi a Deo impetraverit. Eum præterea in variis languoribus, ac infirmis præcipue pueris, frequenter opem tulisse, inde conjicimus, quod usque hodie contra varias infirmi-

AUCTORE G. C.

A infirmitates patronus invocetur. Quæ primis ab ejus obitu annis et seculis per eum fideles beneficia sunt consecuti, omnia interciderunt. Ex posterioribus aliqua suo loco referemus. *Non negamus, pleraque, hæc verosimilia esse; sed ea veteribus testimoniis confirmata videre optaremus. Utinam saltem eruditissimus Groppius Chronica Mss. Herbipolensia, quæ hic citat, inter Probationes Historiæ suæ cum aliis instrumentis edidisset, et eorum antiquitatem præterpropter indicasset!*

et circa incertum obitus tempus,

43 *Nunc referenda est disputatio chronologica de anno, quo* S. Amor *abbas obiisse creditur, quam Groppius pag.* 37 *instituit in hunc modum:* Quo anno sanctus Amor noster ex mortali hac vita ad æternam transierit, hactenus nullibi deprehendimus. Bucelinus in Menologio, Benedictus Cherle in Martyrologio Benedictino memoriam sancti Amoris die XVII Augusti celebrant, quo juxta hos scriptores obiisse videtur. Sanctus Amor, quem venerabilis Beda suo Martyrologio ad VIII Idus Octobris inscripsit, Belisiensis sit, necesse est. Ut B annum, quo sanctus Amor noster verosimiliter obiit, deprehendamus, vestigia alia perquirenda sunt. Inscriptiones, quas alibi de fundatione Amorbacensi exhibuimus, sanctum Amorem monasterio eidem annos quadraginta tres præfuisse dicunt. Id ipsum etiam alibi legimus. Si hos annos à fundatione hodierni monasterii (quod etiam inscriptiones innuere videntur) numerare velis, ab anno videlicet DCCXXXIV, quo sanctum Amorem ei præfectum fuisse à sancto Pirminio diximus, usque ad annum DCCLXXVII ejus vitam deduces, in quo anni quadraginta tres ejus regiminis expleti sunt, et sanctum Abbatem obiisse oportet.

de quo Groppius disputat,

44 Verùm hic annorum calculus non placet, quod sanctum Abbatem ad eam senectam provehat, quam illum inter tot tantosque labores et sudores attigisse, nemo facile credet. Ex omnibus circumstantiis et indiciis colligo, sanctum Amorem, cum jam novi et fecundi in Odinsylvania erecti cœnobii abbas anno DCCXXXIV constituebatur, annorum minimum quadraginta fuisse. Cum jam olim ante annum DCCXXIV sanctus Pirminius Augiam indeque Romam pergeret, ejus vices tam in monasterio, quam in apostolica Missione in his C partibus Amorem gessisse, alibi diximus; ut jam tunc, anno videlicet DCCXXIV aut citius, trigesimus ætatis annum attigisse credendus sit: minor enim ætas ad hujusmodi functiones, inter viros jam apostolicis laboribus maturos obeundas, a sancto Pirminio admissa non videtur. Adde triginta his annis decem alios sequentes usque ad annum DCCXXXIV, quo novi cœnobii abbas factus est, et jam ætatis illius annos quadraginta numerabis. His iterum reliquos regiminis annos quadraginta tres adjice, et omnem illius ætatem ad annos octoginta tres perduces. Quis vero credat, Virum variis laboribus, itineribus, prædicationibus, innumerisque euris fatigatum ad tot annos pervenisse? Pervenire ad illos potuisse, non refragamur; sed ætatem illi concedendam putamus, quæ non facile hominum fidem, neque nostram de illius regimine traditionem excedat. Utrumque præstare nos hoc modo putamus.

et quem anno Christi 767 affigit,

45 Dictum est sæpius, sanctum Amorem non unius hodierni Amorbacensis cœnobii a sua fundatione, sed etiam primi illius, jam ab anno DCCXXIV sancto Pirminio ad Augiam discedente, curam et regimen ceu utriusque abbatem gessisse. Inscriptiones supra citatæ et auctores, qui sancto Amori quadraginta tres annos in abbatiali regimine tribuunt, inter utriusque cœnobii præfecturam non distinguunt, uti distinguere oportuisset. Concedimus etiam nos juxta inscriptionum sententiam sancto Amori annos quadraginta tres; sed quorum primos decem in regimine primi et antiqui monasterioli ab anno DCCXXIV, reliquos vero triginta tres ab anno DCCXXXIV in novi cœnobii regimine consumpsit, quod denique anno DCCLXVII cum vita absolvit, cum ipse annum ætatis septuagesimum tertium ageret. Judicamus itaque, quantum ex adductis hactenus rationibus et indiciis judicare licet, sanctum Amorem circa annum DCCLXVII die XVII Augusti obiisse, anno ætatis suæ septuagesimo tertio, cum utrique monasterio Amorbacensi per annos quadraginta tres sancte præfuisset. Juxta hæc autem revocata et emendata volo, quæ in præfatione ad Vitam S. Billhildis anno MDCCXXVII editam pag. 16 de obitu hujus sancti Abbatis; item de ejus successore sancto Pattone, et istius ad cathedram Verdensem evectione in notis ibidem dixi: neque enim tunc facultatem et occasionem habui, sicuti modo, documenta Amorbacensium penitius inspiciendi. E

nihil certi statuitur:

46 *Quandoquidem senectus octoginta trium annorum etiam in homine laboriosissimo non est adeo prodigiosa, ut ex hac aliquid certi circa emortualem* S. Amoris *annum statui possit, non audemus negare, hunc sanctum Abbatem usque ad annum Christi 777 vixisse. Accedit, quod antiquæ Amorbacensium inscriptiones innuant,* S. Amorem *uni eidemque monasterio, quod anno 734 constructum est, quadraginta tres annos præfuisse. Certe apud Groppium pag.* 10 *Historiæ Amorbacensis in perantiqua inscriptione leguntur hæc verba:* Anno Nativitatis Domini DCCXXXIV, Indictione Romanorum secunda, regnantibus Leone III et Constantino V imperatoribus, ac Romanæ Ecclesiæ Præside Gregorio III, fundatum est monasterium Amorbach per S. Pirminium... Præfuit monasterio prædicto sanctus Amor abbas I, jam nominati Pirminii discipulus, annis XLIII, locoque vocabulum indidit. *Cum hic diserte dicatur* S. Amor *quadraginta tres annos præfuisse monasterio* prædicto, *videtur agi de uno eodemque cœnobio, quod anno Christi 734 fundatum est. Sed quia contrariæ Groppii rationes non carent* F *probabilitate, nihil certi statuimus de tempore mortis ejus, et initio hujus Commentarii in margine eam anno* DCCLXVII *vel* DCCLXXVII *affiximus.*

§ V. Præcipua Sancti gesta ex traditione et documentis Amorbacensibus.

Sancti hujus patria et professio.

Cum nobis aliunde non suppetant instrumenta, ex quibus Acta hujus S. Amoris *eruere possimus, hic iterum sequimur sæpe laudatum Groppium, qui pag.* 38 *et sequente Historiæ Amorbacensis ex domesticis monumentis aliisque scriptoribus ea sic narrat:* Sanctus Amor monasterii B. M. V. in sylva Odonica primus abbas, sancti Pirminii discipulus et natione Aquitanus fuit. In Fossatensi cœnobio (ut verosimile videtur) monachum juvenis induit, in quo antea sanctus Pirminius regulare institutum etiam amplexus fuerat. Ad hunc, in sylva Odonica Christi fidem prædicantem, cum nonnullis aliis monachis profectus, strenuam in eo apostolico munere operam

AUCTORE G. C.

ram eidem navavit. Ex eo prædicationis officio, quod, relicta patria, in longinquam hanc regionem peregre profectus amore Christi susceperat, nomen PEREGRINI cum reliquis sancti Pirminii sociis acquisivit. Sanctus vero Amor hujusmodi officii partes ita strenue ac sancte adimplevit, ut post magistrum suum sanctum Pirminium, cum hic alibi ageret, primus atque præcipuus apostolicæ Missionis illius promotor ac præses extiterit. In observantia regulari ac sanctioris vitæ studio ita etiam excelluit, ut ceteris præferri mereretur.

apostolicus zelus,

48 Cum sanctus Pirminius ante annum DCCXXIV Augiam pergeret; cum ex Augia pulsus anno DCCXXVII rediens in Alsatiam discederet, sancto Amori discipulo suo susceptæ prædicationis munus, per se suosque strenue promovendum, ac curam insuper monasterii in eremo Odinsylvaniæ mandavit, et abbatem illius esse voluit. Interim Comes Ruthardus et Carolus Dux ad repetitas sancti Pirminii monachorumque preces novum illis monasterium condunt, cujus exsurgentem fabricam sanctus Amor maxime curavit. Opere B tandem consummato, etiam novi hujus cœnobii abbas sanctus Amor constitutus et confirmatus est. Quo vero felicius sanctus Amor commissam sibi provinciam exequeretur, ac religionem Christianam in Odinsylvania longius proferret, jam maxime studiosus fuit. Cum S. Burchardo, qui apud Wirceburgenses Christianam rem maximopere promovebat, sanctum Amorem nostrum arctam amicitiam coluisse, manuscripta Wirceburgensium Chronica testantur. Sanctos hosce viros de tanto negotio, quale uterque agebat, consilia sæpius contulisse, nullum dubium est.

industria ad stabiliendam fidem Christianam,

49 Sanctus Amor ad roborandam apud Odinsylvanos suos Christianam religionem, indeque latius propagandam, medio huic rei aptissimo usus est, cum puerorum institutionem in primis curavit, atque eum in finem scholas in suo cœnobio aperuit. Noverat Vir sanctus, quod cerea sit puerorum ætas, et ad recipiendas quaslibet formas aptissima. Igitur ut in tenella adhuc ætate præceptis et Christianis sacris imbuerentur, curam et diligentiam omnem adhibuit. Ipse pueros et puellas advocare ad se, ipsis blandiri, animosC que eorum lucrari primum satagebat. Tum prima Christianæ fidei elementa, preces, altiora denique præcepta edocere, et ad omnem honestatem conformare. Grandiores factos et aptiores litteris instruere, applicare ad studia, sanctioribus scientiis erudire. Tantus in pueros Amoris amor parentes etiam in sancti Abbatis amorem provocavit. Ipsi filios suos sancto Abbati certatim offerre, curæ illius ac institutioni relinquere, ac tandem Christianis moribus et scientiis probe excultos ab eodem recipere.

misericordia erga ægrotos,

50 Alii corporum etiam sanitatem pro filiis, cum ægrotarent, a sancto Viro expetiverunt. Cum infantes recens nati vita periclitari videbantur, sancto Abbati ad baptizandum oblati sunt, ut cum sacro baptismate sanitatem insuper (quod frequentissime contigit) iisdem conferret. Interim sancti Amoris fama latius diffunditur, augetur populi concursus undique ad eum confluentis, opemque præstolantis. Sanctus itaque Vir, cum magnis esset apud Deum meritis, variis in infirmitatibus, præcipue vero febre laborantibus opitulatus est. Ut vero perpetuum ac præsens semper remedium adversus varios languores, aliquando defunctus, post se relinqueret, fonti ad primævi monasterii ecclesiam, beatæ Mariæ virginis sacram, scaturienti, suis precibus ac meritis a Deo D miram virtutem impetravit. Solebat Vir Dei cum suis, postquam novum monasterium recepissent, frequenter ecclesiam, ubi initio habitaverant, accedere, ibique Dei Genitricem maximopere venerari, ut merito sacra illa ædicula ob sancti Amoris, frequentiam et impetratam salutiferam fonti virtutem a posteris AD FONTEM SANCTI AMORIS appellata sit. In multis postea ac variis languoribus sanctus Abbas, inter cælites jam assumptus, opem suam in hac sacra æde se invocantibus exhibuit, exhibetque adhuc, quod ex recensendis infra ejusdem miraculis vel beneficiis hujusmodi patebit.

cura pro monasterio suo,

51 Quam solicitus et studiosus sanctus Abbas cum suis fidem ac rem Christianam in Odinsylvania promovit, tam beneficus ac liberalis in sublevandis incolarum aliorumque indigentium necessitatibus fuit. Erectum recens monasterium amplis multisque prædiis, sed plurimam partem adhuc sylvestribus et incultis, fundatores dotaverant. Monachis, qui potissimam operam instituendis animis et animabus lucrandis collocabant, ad excolendos agros multum temporis non suppetebat. E Interim non deerant, qui continuo a monachis opem peterent. Ut eorum precibus et indigentiæ facerent satis, ex monasterii prædiis, quæ pro sustentatione sua excolerent, sub annuis censibus monasterio solvendis, tradiderunt. Qui in propinquo monasterii ejusmodi dona acceperant, domos insuper in eadem vicinia, ut iis excolendis viciniores essent, constituebant. Hos imitati sunt alii, qui vel ex quotidianis eleemosynis a monasterio acceptis, vel ex alia eidem monasterio collocata opera suum inde victum capiebant. Ea denique ratione factum est, ut sequentibus seculis, excisis hinc inde vepribus, regio in agros exculta mansuesceret, ac populus eam frequentior incoleret. Sed de hoc ex instituto alibi.

aliaque gesta referuntur ex documentis recentioribus,

52 Ceterum cum sanctus Abbas tot tantosque labores in efferenda re Christiana, in adjuvandis proximis, eorumque necessitatibus tam corporis quam animæ succurrendo obiret, ut hujusmodi negotiis solum et unice totus incubuisse videatur; suos nihilominus in claustro monachos verbo et exemplo, iis sanctioris vitæ præceptis, eaque F doctrina insuper instituit, quam posterus orbis et universa Ecclesia in iisdem cum æterna laude suspexit. Adeo ut sancti Amoris monasterium doctrina et sanctitatis promptuarium haberetur, ex quo ad gentium conversionem doctores, ad instituendas ecclesias rectores et episcopi evocati sint, qui adepti hujusmodi dignitates, gloria sanctitatis et martyrii palma easdem condecorarunt. In hoc uno sanctorum adeo Patrum successores et filii infelices sumus, quod tantarum virtutum et præclare gestorum cognitio ad nos integra non pervenit, temporum ac bellorum injuriis plurimum oblitterata. Cetera, quæ postremis ad nos usque seculis per sanctum Amorem fideles beneficia impetrarunt, ex plurimis pauca annotata sunt, quæ paulo infra referemus. Denique sanctus Vir plenus dierum et meritorum circa annum Christi DCCLXVII, cum a mane usque ad vesperum vitæ in excolenda vinea Domini sabbaoth, portans pondus diei et æstus, indefesse laborasset, vocatus est per beatam mortem in cælum, ut a divino Patre familias æternæ beatitudinis denarium reciperet.

53 *Ex Meginfredo Fuldensi apud Trithemium generaliter novimus*, S. Amorem *primum*

monasterii

cum vetera ejus Acta bellis incendiisque perierint.

A *monasterii Amorbacensis abbatem eximia vitæ sanctitate ac multis miraculis coruscasse. Utinam singularia ejus gesta, quæ hic transcripsimus, simili testimonio confirmarentur. At frustra id optamus, cum antiqua monasterii Amorbacensis monumenta bellis ac incendiis perierint, ut Groppius pag.* 19 *testatur hac narratione :* Amorbacum annos vixdum ducentos suis ab incunabulis steterat, cum ab Hunnis sive Hungaris, totam fere Germaniam ferro et igne depopulantibus, succensum et in cineres redactum fuit. Anno 910 barbari diœcesim Wirceburgensem misere vastarunt. Anno 915 iterum irrumpentes usque ad Fuldense cœnobium penetrant, illudque, Trithemio teste, succendunt. Denique anno 923 iidem Franciam Orientalem, Alsatiam, Sueviam, Saxoniamque cæde et igne vexarunt. Una harum tempestas Amorbacum nostrum invasit, quæ id, monachis aliquot trucidatis, ceteris in fugam actis, bonis omnibus excussit ac tandem igne consumpsit. Jactura sane gravissima, quam chartarum ac primorum privilegiorum simul incensorum amissio acerbiorem reddit. *Deinde historicus Amorbacensis ibidem fuse pergit narrare, quomodo sequentibus seculis idem monasterium sæpius omnino devastatum fuerit. Si quid denique tunc ex litteraria supellectile manus hostium evaserit, aut postea scriptum fuerit, id in seditione rebellium rusticorum, et in Brandenburgico Succicoque bello magna ex parte periisse suspicamur, ut apud Groppium pagina superius citata et sequentibus videre est. Itaque fidem peculiarium gestorum* S. Amoris, *quæ supra ex traditione et domesticis documentis Amorbacensium retulimus, penes narratorem relinquimus.*

B

§ VI. Posthuma Sancti gloria ex fonte, cui miram salubritatem precibus suis impetrasse traditur.

In sacello Deiparæ,

Sæpe memoratus auctor Historiæ Amorbacensis certius testimonium reddere potest de posthuma S. Amoris *gloria, quæ hactenus perseverat, et quam pag.* 40 *et sequentibus ita describit :* Sanctum Amorem, cum inter mortales ageret, miraculis claruisse, Meginfredus Fuldensis aliique testantur. Diximus supra, eumdem permultis infirmis sanitatem, ac fonti præterea in sacello B. M. V. **zu sanct-Amors-brunn** dicto, virtutem sanatricem suis precibus et meritis a Deo impetrasse. Cum sanctitatis atque operum ejus fama longe lateque percrebuisset, tum fons ille, tum monasterium, in quo Vir sanctus degebat, voce populi ab eo **Amors-brunn** et **Amorbach** in hodiernum usque diem cognominari consuevit. Post mortem Deus Servi sui sanctitatem et merita, plurimis eo loci ad invocationem ejus præstitis beneficiis, declaravit, ubi magno populi concursu et religione colitur. De utroque hic pro tanti Patris nostri gloria disseremus; de sacello B. M. V. ad fontem Amoris, vulgo **Zu sanct-Amors-brunn.**

C

quod media hora ab Amorbacensi monasterio distat,

55 Sacra hæc ædicula primitus beatissimæ Dei Genitrici, postea sancto Amori, consecrata est. Dimidio horæ ab Amorbaco versus Occidentem distat, circumsurgentium montium sinu recepta. Originem suam per monachos nostros Amorbacenses accepisse, plus quam certum est. Eo loci sanctum Pirminium, cum sociis ad hanc eremum advocatum, primas suas cellulas seu monasteriolum constituisse eamque ecclesiam erexisse, alibi diximus. Illam aliquoties a tanto tempore restitutam et ab antiquitate vindicatam esse, extra dubium est. Denique a monasterio parochiæ Amorbacensi addita fuit. Postquam novum sub sancto Amore, eo, quo hodie consistit, loco monasterium surrexit, sanctus Abbas cum monachis suis sacellum illud frequenter divinæ Matris amore invisit. Horum exemplum secutum etiam vulgus, sanctissimum peregrinationis hujusmodi morem magna cum religione ad hæc usque tempora conservat.

AUCTORE G. C.

ægroti pie adeunt fontem.

56 Sequentibus seculis iterum ex sodalibus nostris aliquot ad eam sacram ædem subinde habitasse, antiqua litterarum monimenta docent. Sub abbate Ludovico charta occurrit, in qua cœnobita quidam e nostris nobilis Henricus de Rosenberg ad præfatam ecclesiam sancti Amoris anno MCCLXXIII vixisse legitur. Denique sancti Amoris ejusque fontis rumor adeo per omnem fere regionem diffusus est, ut etiam ex dissitis longe plagis magna huc vi veniant, qui per merita sancti Abbatis E ex ejus fonte levamen pro suo quisque infirmitate quærunt referuntque. Fons iste in ipsa æde sacra ad latus Septemtrionis limpidissima ac divite vena scaturit. Lapis, quo pavimentum sternitur, fontem ita claudit, ut nemini impedimento vel offendiculo sit. Rotundo tamen ac unius fere pedis foramine excavatus est, cui in catenula scyphus, quo aqua hauritur, adhæret. Aqua per subterraneum meatum in paratam ante fores sacræ ædis cisternam effluit, ubi se infirmi lavant, aquis intingunt, ac frequenter accepto levamine gaudentes ad sua redeunt. Lavantes aut intingentes sanctissimæ Trinitatis invocationem adhibent, dicentes : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

hic carmine,

57 *Deinde Groppius ibidem testatur, Amorbaci in antiquo Ms. codice conservari metricam hujus fontis descriptionem, quæ sic sonat :*

Non te suspensum per longa exorsa tenebo,
Lector, nec labyrinthæis ambagibus utar,
Hoc quid spectet epos. Jacet extra mœnia nostræ
Urbis Amorbachæ, millenis passibus æqua F
Ante supinatos colles et amœna vireta
Vernans arbustumque, velut prunumque pyrumque
Parva quidem structura ædes, adeoque vetusta ;
Condita Amori olim, magnis sed magna miraclis.
Huic, adverte, subest media testudine templi
Ebullitque magis vitro pellucidus amnis,
Fons sacer, alluitans medius per humentia saxa
Ad loca delubro contermina murmure dulci,
Mox facilis partes ubi se vis findit in ambas,
Dextrorsum versus Weilnbacum, ubi vinea largo
Pubescit fœtu, quadrilaterum undique muro
Quadris sepitur saxis : nam læva fraternas
Ædes indigitat residis, qui arcana visuro
Mente serenata pandit, fontanaque servat *
Portitor hanc verecundus aquam. Mirabile dictu !
Inditus est olli vigor et cælestis origo,
Numen divinum plane, divinaque virtus
Artus restituens hebetes, moribundaque membra

* *forte servans*

AUCTORE G. C.

Fluctuet haud quidquam tua mens, probat impia turba
Factum, oculique probant, res ipsæ credere cogunt.
Nam cum morbus adest malesanus, et ossa medullis
Mollibus exsiccat, lactentibus ubera matrum,
Ubera nilque juvant, medicæ nil herba salubris.
Cumque locum querulis implent cruciatibus omnem,
Sanguinis auctores metuunt, cupiuntque, dolentque
Attoniti, tandem majores inde levatos
Expendunt memores (cunctis visuque stupendum)
Vincit iter durum pietas, et inhospita cœua;
Vincitque pluviasque, nivesque, albasque pruinas,
Nec titubata solo duraut vestigia duro,
Pectore anhelato ad templum pia dona frequenter
Ceteraque impressis manibus sua lumina habentes
B
Pergunt; utque choro sacrum pæana dedere,
Membra liquore rigaut infantum, et corpora tingunt
Ægra superfusis undis, bis terque vocando
Auxilium sanctæ Triados ante omnia. Et ecce
Protinus ipsa fugit macies, fugit oreque pallor,
Exhaustæque simul redeunt in pristina vires.
Inscius haud causam sataget scrutarier ultro.
Id præstat Deus Amoris virtutis amore.
Nunc nunc ingeminet naso crispante cachinnos
Hoc super, intendat saunandi * fortiter arcum
Impius ore: procul tales absunto profani.
Tu geminas huc flecte acies, huuc respice fontem,
Hic fons, hic est, sanare quem sæpius audis.
I decus ergo arvis nostris Amor atque patronus
Glorius i fontis, nostratum gloria gentis,
Gentis Amorbacæ, fac qui se fluminis alveus
Ostenditnobis, fac udis faucibus udus
Perstet, et arescat stillans non messibus illis:
Quin magis atque magis longævo tramite currens
Nectar, in Eoam Hesperiamque salutifer oram
Ambrosium diffundat. Id (auxiliare) precamur.

* pro subsannandi id est irridendi

et anagrammate celebratum,

58 *Suspicor ab eodem poëta compositum esse anagramma, quod ibidem dirigitur ad parvulos hoc modo.* Fons sancti Amoris peregrini salutifer et dos. *Tum per litterarum transpositionem mutatur in hanc sententiam:* Morsus infautis ægri sano; certe prodest, fili. *Denique poëta ad istud anagramma suum alludit sequentibus versiculis:*

Infantis ægri morbus dum pectora mordet,
Mordet et exilem, quæ tegit ossa, cutem.
Dos ego magna adsum, morsus sacroque repente
Hos (certe prodest) sano liquore meo.
Ergo veni dilecte, veni formosule fili,
Sanautem succum si sitis, inde bibe.

cujus vim salutiferam Groppius

59 *Postquam eruditus Historicus Amorbacensis hæc carmina retulit, ad filum narrationis suæ revertitur in hunc modum:* Ab antiquissimis longe temporibus fideles variis in languoribus ac infirmitatibus ex sancti Amoris fonte opem hausisse ac ejus ex sacello retulisse jam ante annos ferme trecentos notum omnibus ac perspicuum exstitit, omnium ore ac sensu comprobatum fuit. Cum post annum MCDXL supradictus presbyter Joannes D Keck in monasterio Amorbacensi moratus, magnam populorum adventantium frequentiam et cultum erga sanctum Amorem, et quæ ad ejus invocationem a Deo consequebantur, auxilia conspiceret, cumque præterea festum sancti Amoris tam in claustro quam in oppido celebrari videret, hujusmodi pietati fomentum ministrare cupiens, de Sancti illius Vita et reliquiis (quarum nullam Amorbaceuses notitiam aut portionem possidebant) indagare cœpit. Tandem de sancto aliquo Amore in Belisiensi virginum cœnobio requiescenti certior factus, eo profectus est, et ab abbatissa Legendam sacrasque aliquot reliquias impetravit, quas Amorbacum attulit. Vir alioquin bonus in eo deceptus equidem est, quod Belisiensi illi sancto Amori tribuenda putaverit, quæ primo Amorbacensium abbati deberi, argumenta a nobis superius allata probant.

precibus S. Amoris abbatis attribuit.

60 Hoc unum vero ex istis hic eruimus et notamus, jam tunc temporis, circa annum videlicet MCDXL atque ante, magnum ad sancti Amoris nostri sacellum et fontem populi accursum, plurimaque E ab eo beneficia impetrata fuisse, antequam sanctus ille Belisiensis Amor apud nos innotesceret, aut sacræ quædam ipsius reliquiæ eum Vitæ Legenda ad nos adferrentur. Cum vero beneficia ejusmodi per sanctum Amorem cælitus concessa a nostris notata uou fuissent, aut certe alias adnotata dudum intercidissent, citatus sæpe Keckius, qui sancti Amoris cultum egregie promovit, ea chartis commendare cœpit, quæ sui apud Amorbaceusis hospitii tempore varii consequebantur. Post ipsum a nostris alia, sed admodum pauca, litteris consignata sunt; plurimis, qui ea consecuti fuerant, indicare negligentibus. Aliorum testes sunt tot votivæ tabulæ aliaque anathemata, in sancti Amoris sacello suspensa, quorum tamen et ipsorum permulta frequenter dilacerata, a blattis et vermibus corrosa, ab ipso pulvere et antiquitate consumpta sunt. Ex reliquis hujusmodi signis et beneficiis pauca pro gloria sancti Patris nostri Amoris hic attulisse satis sit.

§ VII. Miracula, quæ ad fontem sancti Abbatis ab anno 1446 usque ad annum 1712 contigerunt. F

Jam a trecentis fere annis

Diligentissimus Groppius pag. 42 et sequentibus Historiæ suæ Amorbacensis exhibet miracula quædam sive beneficia, per intercessionem S. Amoris *abbatis collata, quemadmodum supra promiserat. Quamvis ea non satis exacte disponantur ordine annorum, quibus patrata sunt, tamen haud dubie historicus iste secutus est ordinem chronologicum, quo illa litteris consignata invenit. Quare nos eamdem seriem sequimur, et ea damus his ipsis relatoris verbis:* Anno MCDXLVII narravit Joannes Losse ex pago Rüdenau oriundus, matrem suam olim magno fervore sanctum Amorem coluisse; atque in singulos annos una minimum vice ad ejus sacellum et fontem peregrinari solitam esse. Cum aliquando fratri ejus Conrado adhuc quinquenni quinque in gutture ulcera excrevissent admodum urentia, et magno cum dolore in totidem foramina aperta fuissent, quæ continua sanie manabant, nulloque medicamine curari poterant; mater filium in instituta a se peregrinatione

A regrinatione ad sancti Amoris fontem adduxit, ac ex fonte vulnera lavit. Mox puer convaluit, cicatricibus nihilominus relictis, quas deinde plurimis in reliqua vita ostendit, receptæ per sanctum Amorem sanitatis indubitata testimonia.

Anno MCDXLVI mulier in oppido Amorbach vehementem oculorum dolorem perpetiens, sancto Amori vivam quotannis oblationem, hoc est gallum vel gallinam, offerre promisit. Facto voto, brevi post convaluit.

mulieres in partu periclitantes,

62 Cum anno MCDXLVI Petri Lützel civis Amorbacensis uxor, Anna nomine, uterum ferret, fœtum ultra annum gestavit, nec edere valuit. Mulier hinc plurimum consternata, ad sacellum sancti Amoris pergit, eumque in auxilium vocat. Precibus votum addit, se, si puerum paritura feliciter sit, sancti Amoris nomen ei indituram, eumque præterea, finito puerperii tempore, ad aram cum cerea icone delaturam. Post paucos dies idem sacellum mulier revisit, et promissam secum ceram affert. Nec cessat a quotidiana ejusmodi frequentatione sacelli, gravi utero nil retardata, mirantibus omnibus. Tandem B partus dolores sentit. Quæ forte mulieres aderant, cum ei hoc in periculo opitulari debuissent, aufugiunt, una sola penes ipsam remanente: timor enim cunctas invaserat, parturientem aut interituram, aut nescio quid monstri edituram. His in angustiis mulier denuo in genua procidens, Dei opem per sancti Amoris merita et intercessionem implorat. Exaudiuntur dolentis preces. Parit mulier; puerum edit formosum et sanum; et post spatium unius horæ alterum, stupentibus et gratulantibus omnibus. Primus Amor, Nicolaus alter vocatur, et uterque ex voto Deo et sancto Amori in ejus sacello per matrem offertur. Anno eodem mulier in vico Schneidtberg diu noctuque partu laborabat, adeo ut de illius ac prolis vita conclamatum videretur. Periclitans mulier in hujusmodi doloribus sanctum Amorem una cum præsentibus pie invocat, is sua a Deo intercessione impetret, ut partus feliciter editus ad baptismum perveniat. Preces voto firmantur. Solvitur partus, et in lucem feliciter prodit. Simile beneficium tres aliæ mulieres in eadem necessitate anno MCDXLVI et MCDXLVIII per merita sancti Amoris consecutæ sunt.

aliique ægri variis morbis oppressi,

C 63 Anno MCDXLVII in pago Rüdenau operarius fuit Petrus Losse dictus. Is cum aliquando de sancto Amore ac beneficiis per ejus merita impetratis audivisset, ægrotus ejusdem implorat opem, et ad Sancti sacellum peregrinationem promittit. Convaluit æger; sed promissam peregrinationem exsolvere negligit. Corripitur nova et graviori infirmitate. Eadem vota repetuntur, et sanitas secundo restituitur. Homo iterato ictu necdum sapiens, cum quotidiana opera sibi suisque victum quæreret, promissa reddere denuo neglexit. Rediens morbus cum tertio tamque vehementer corripuit, ut jam de vita periclitans sacro oleo sit inunctus. Demum vehementia morbi mentem alienare, vociferari æger, in maledicta prorumpere, torquere oculos, e lecto se proripere, uxori et liberis insidiari, omnem cibum et potum recusare, subinde in hujus verba linguam solvere: **ich muss gen Amors-brunn; ick muss gen Amors-brunn,** *Hæc verba Germanica ita intelligo, ut significent:* DEBEO ADIRE FONTEM S. AMORIS; DEBEO ADIRE FONTEM S. AMORIS. Interea a fratre visitatus, et ut Deum pro auxilio precetur, admonitus; non posse se Deum invocare, aiebat, priusquam ad fontem sancti Amoris adfuisset. Uxor voti prioris neglecti conscia, ultionem divinam advertit. Itaque in hortum secedens, Deum et sanctum Amorem deprecata, novum peregrinationis votum pro viro exsolvendum addidit Ad decumbentem maritum regressa, melius habentem reperit. Denique ubi is sanitatem pristinam a Deo per sancti Amoris merita recuperavit, peregrinationis suæ votum ambo reddidere, Deo et sancto Amori gratias agentes.

AUCTORE G. C.

aut infortuniis afflicti,

64 Anno eodem Joannis Kœntleins civis Amorbacensis uxor, Agnes nomine, circa natalem B. M V., malo conscensa, ut poma carperet, fracto, cui insistebat, ramo, decidit, crure dextro ita colliso, ut particulæ osseæ carnem cutemque penetrantes prominerent. Domum deportata sibique reddita, extemplo sanctum Amorem precibus continuis flagitavit, vovitque, se, ubi denuo pedibus incedere potuerit, ad ejus fontem accessuram cum crure cereo tantæ fere magnitudinis ponderisque, quanti proprium esset, offerendo. Advenit interim sacelli ejusdem dedicatio, in diem sancti Remigii eo anno incidens. Mulier decumbens vehementius dolebat, quod festo pro E sua devotione interesse non posset. Exhinc instantius sancti Amoris auxilium flagitare, nova vota addere, et quotannis candelam cum duobus nummis sancto Amori offerendam promittere. Sentit quantocius lenimen doloris, pedem movere tentat, movet, huc atque illuc absque ope aliena locat, recollocatque. Tandem post paucos dies pedi insistit, nulloque baculo nixa incedit. Læta de redintegrato pede, Deo et sancto Amori gratias cum voti solutione reddidit.

Anno eodem Conradus ex oppido Amorbach annorum fere quatuordecim equo delapsus, brachium adeo confregit, ut particula quædam ossis extra cutem extaret. Mater condolens filio, eum ad implorandam Dei opem per sancti Amoris intercessionem una secum invitavit, addito voto, cereum brachium in sacelli visitatione offerendi. Convaluit brevi post adolescens, et ad omnem usum adhibere brachium potuit. Mater cum filio emissum votum exsolvit, Deo et sancto Amori gratias redhibentes.

opem S. Amoris implorarunt ac senserunt.

65 Cum anno MCDXLVIII Conradus, de quo num. 1 diximus, annorum octodecim factus esset, maximopere ægrotans, omni sensu et ratione privatus, trunci adinstar immobilis, distortis late oculis, F decubuit. Omni ope humana desperata, frater ejus nomine Petrus, se una cum fratre, ubi convaluerit, ad sacellum sancti Amoris accessurum vovet, et oblationem secum vivam allaturum. Voto facto, ægro mens et sanitas redditur, qui jam semetipsum ad sanctum Amorem despondet. Plantis interim consolidatis, una cum fratre peregrinationem exsolvit, Deo et sancto Amori debitas gratias agentes.

Conrado restituto, fratris uxor eodem anno adeo laborare ex gutture cœpit, ut per quatuor septimanas nullo solidiori cibo vesci potuerit Promissa ad sanctum Amorem cum oblatione candelæ peregrinatione, eaque peracta, duos infra dies sanata est.

Anno eodem Conradus Nunnenmacher, civis Amorbacensis, per dies duodecim graviter cholera cruciabatur. De continuis doloribus apud uxorem conquestus, ejusdem hortatu (quæ et ipsa ad sancti Amoris invocationem alias capitis doloribus liberata fuerat) sancto Amori candelam per semet in ejus sacello offerendam promittit. Sacellum invisit, candelam offert, preces fundit, et domum reversus sanum se gratulatur.

Anno

AUCTORE G. C.

Anno MCDXLIX Amorbaci et in circumjacentibus locis dysenteria invaluit, et permultos pueros puellasque corripuit. Ejusmodi malo gemini fratres, de quibus num. 3, Amor et Nicolaus ad mortem etiam decubuerunt. Parentes pro pueris sanctum Amorem invocant, illique ex periculosissima infirmitate convaluerunt.

Hanc veterum pietatem imitantur recentiores,

66 *Editor Amorbacensis historiæ hoc loco monet, sese, antiquiora beneficia litteris consignata non reperisse, et illis recentiora quædam subjungit hac temporis serie* : Anno MDCXLII Joannes Hertz, civis et scriniarius Amorbacensis per medium annum magnis tergi doloribus affectus decubuit, remediis omnibus frustra adhibitis. Tandem a vicinis persuasus, ad fontem sancti Amoris votum fecit, et, remittentibus continuo doloribus, convaluit, votum exsolvit, et singulis posthac septimanis sacellum sancti Amoris devotus invisit.

inter quos Religiosus Amorbacensis odontalgia liberatus

67 *Huic miraculo vel beneficio subnectitur alterum, quod Religiosus Amorbacensis in se ipso expertus est, et quod authentico suo testimonio ita confirmat* : Anno MDCLII, post professionem B meam primo, ego Pater Columbanus a capite Quadragesimæ usque ad feriam secundam Paschatis tam vehementem dentium dolorem perpessus sum, ut frequenter bruti adinstar super terram reperem, omnibus confratribus ad patientis commiserationem commotis. Cum prædicta feria secunda Paschatis Patres Conventus sacellum sancti Amoris inviserent, comitatus eosdem sum. Cumque sæpe de sancti Amoris ac fontis ejusdem mira virtute audivissem, Sanctum eumdem pro doloris lenimine invocavi, lavi ex fonte dentes, et extemplo dolore remisso, numquam amplius usque adhuc, omnibus admirantibus, dentibus dolui. Jussus a domino abbate meo, præstitum hoc mihi beneficium ipsiusque fontis virtutem paucis versibus comprehendi, eosque sacelli parietibus inscripsi. Ita testor F. Columbanus monasterii Amorbacensis Ordinis S. Benedicti Professus, parochus in oppido Mudau XXX Maii MDCLXXXIII.

ex grato animo carmen panxit,

68 *Carmina, quæ P. Columbanus ex grato erga sanctum suum Benefactorem animo composuit, alternatim Latina et Germanica sunt, ut* C *forsan idiomate vernaculo rudiores etiam ad patrocinium* S. Amoris *implorandum excitarentur. Sed cum nos viris linguæ Latinæ peritis scribamus, et versus Germanici ibi idem significent, quod Latini, illis omissis, damus hos solos, qui sic sonant ;*

Cum corpus languet, jacet et sine viribus ægrum,
Dum vehemens turbat discruciatque dolor;
Cum medico toties largissima munera mittis,
Audes et summi linquere dona Dei?
Ecce peregrini peramœnus rivus AMORIS
Transfluit, e morbis languida membra levans.
Atrophiæ fœdus languor si striuxerit artus,
Hoc tua fontano membra liquore laves.
Cum creat indomitos odontalgia dolores,
Diluito dentes hujus AMORIS aquis.
Nam cito compereis mira virtute repulsos
Morbos, quos divus flumine sanat AMOR.

et alii multi, voto facto,

69 *Demum reliqua breviter ita referuntur* : Anno MDCLXX Joannes Kron civis Miltenbergensis per annum integrum febre laboravit. Remediis contra morbum nihil proficientibus, peregrinationem ad fontem sancti Amoris cum oblatione promittit, solvit votum; ex salutifero fonte cum devotione bibit, et ex illa hora reliquit eum febris.

Anno MDCLXXVI Thomæ Berberig, civis Amorbacensis, trium annorum proles infirmis adeo artu- D bus fuit, ut pedibus insistere nequaquam posset. Remedia quævis frustra adhibebantur. Parentes ad Deum et sanctum Amorem confugientes, prolem ad fontem sancti Amoris adferunt, lavant ex eo statimque in prole vires augeri sentiunt; ut jam pedibus insistere, incedere, et cum parentibus domum redire valuerit.

Anno MDCLXXVIII Michaël Grosman, civis in Erlenbach, filiolo suo per multum temporis, viribus omnibus amissis, infirmo, et ad fontem sancti Amoris allato, precibus et voto persolutis, sanitatem impetrat.

Anno MDCLXXIX Joannes Michaël Marck Amorbacensis prolem usque adeo infirmam habuit, ut de illius vita omnes desperaverint. Parentes Deum ejusque Matrem ter benedictam, et sanctum Amorem in auxilium vocant, prolem ex voto ad sacellum ejus deferunt, eique sanitatem reportant.

pristinam sanitatem recuperant,

70 Anno MDCCI Chilianus Jacob et Maria Magdalena in Obernburg conjuges filiolam a secundo usque ad quintum ætatis suæ annum toto corpore contractam doluerunt. Cum nulla remedia profi- E cerent, tandem per sancti Amoris merita, precibus et voto in ejusdem sacello pro filia persolutis, sanata est.

Anno MDCCXII Joannes Valentinus Krumming Miltenbergensis puer octennis, multo tempore contractus fuit, neque ambulare, neque consistere valens. A parentibus cum oblatione ad sacellum sancti Amoris delatus, impetrata ibidem sanitate, lætus cum parentibus domum rediit.

Anno MDCCVIII Christianus Rütger Röllfeldensis gravi morbo ita decubuit, ut ejus salutem speraret nemo. Instinctu altiori tactus, hoc in extremo vitæ periculo Deo votum fecit, se, ubi pristinæ sanitati redditus fuerit, ad sacellum sancti Amoris peregrinaturum, ibique pro perenni accepti beneficii memoria tabulam appensurum. Votum vix emissum fuerat, et jam meliorem se sentit, brevique ex integro convaluit.

Permulta adhuc alia hujusmodi beneficia sunt, quæ per sancti Amoris merita fideles a Deo impetrarunt, non in chartis, sed gratis cordibus inscripta. Alia testantur appensæ in ejus sacello variæ imagines, figuræ cereæ, fulcra subalaria, F aliaque hujusmodi anathemata, quæ singulis annis afferri et appendi ibidem solent in perennem recuperatæ sanitatis alteriusve beneficii testem et memoriam.

ex quibus immemorabilem ac publicum sancti Abbatis cultum colligimus.

71 *Ex his liquet,* S. Amorem *ab immemorabili tempore ante notissimum Urbani VIII decretum publico cultu in Franconia honoratum fuisse adeoque confidenter Operi nostro inseri posse. Præterea ex testimonio Meginfredi veteris scriptoris apud Trithemium constat, quemdam sancti Pirminii discipulum, nomine* Amorem, *multis miraculis in Odinsylvania coruscasse, per quadraginta tres annos fuisse primum abbatem monasterii Amorbacensis, et hunc locum ab illo appellationem accepisse. Cum autem nulla verisimilitudinis specie hæc singula tribui possint S. Amori, qui in Belgio quiescit et colitur, probabilissime judicavimus, unum ab altero homonymo Sancto diversum esse. Si tamen in hoc judicio erraverimus, corrigi non recusamus, et opinionem nostram censuræ eruditorum subjicimus, ut ea rursus examinetur ad diem* VIII *Octobris, quo annua S. Amoris Belisiensis memoria celebratur. Atque hæc sunt omnia, quæ de* S. Amore *abbate Amorbacensi colligere potuimus, et quæ vigilantissimo*

A *tissimo monasterii istius abbati, ac seduto ejusdem historiographo nos debere, libenter et grato animo agnoscimus. Faxit Deus, ut multos similes Operis nostri adjutores nanciscamur.*

DE S. JERONE PRESB. MARTYRE

IN HOLLANDIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Legitimus Sancti cultus e Fastis sacris, et aliunde.

Anno DCCCLVI. Cultus ejus antiquus

Tam *antiquus fuit* S. Jeronis, *vel, ut scribunt atiqui,* S. Hieronis M., *etiam in Martyrologiis, Katendariisque cultus, ut mirum omnino sit in reformato Romano non fuisse annotatum. Publica ipsius veneratio colligitur ex Usuardi nostri Auctariis, ex Ms. Florario Sanctorum, ex* B *Breviario Ms. et membraneo Harlemiensi, Ultrajectino, aliisque; ex Galesinio, Wione, Bucelino, et ceteris, inter quos excelluit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, in quibus ad hunc diem* ex Historia, quæ fuit Egmondæ manuscripta, *sic illum annuntiat :* Egmondæ natalis sancti Jeronis, presbyteri et martyris; qui genere Scotus, ac nobilitate insignis, cum esset parentibus suis unicus, nequaquam mundi illecebris detineri potuit; sed Dei famulis se jungens, uniuscujusque sectabatur virtutes.

apud Hollandos;

2 Cumque ad presbyterii gradum suo merito conscendisset, multos in Frisiæ partibus a diversis erroribus avertit ac liberavit. Demum prout optaverat, calicem passionis bibit, Sub persecutione enim Danorum et Nordmannorum ad tribunal protractus, post flagella et carcerem reliquasque injurias, ense martyrium consummavit. Caput ejus est in **Nordwyck**, loco martyrii : corpus paulo post per diœcesanum episcopum, et Theodoricum secundum Comitem Hollandiæ, accedentibus miraculis, translatum est Egmondam in S. Adalberti monaste- C rium, præmisso ex more triduano jejunio. Loca autem sunt diœcesis Harlemensis in Hollandia. In historia annumerantur Frisiæ; cum enim ea scriberetur, Hollandiæ nomen nondum innotuerat. Festum valde notum est Hollandis : multi enim ejus beneficio res suas deperditas recuperarunt. Unde versus exstat :

Rebus in amissis Jeron sæpissime fulget.

Litterati autem aliqui in suis carminibus eum Hieronem appellare malunt. *Sic ille.*

et celeberrimus post aliquam Vitæ,

3 *Sed qualis quantusque fuerit apud Hollandos ille cultus, nemo docet certius aut nitidius, quam Suederus episcopus Ultrajectensis in decreto, quod hic diu manuscriptum servamus, et nunc est editum sumptu non exiguo Jansenianorum in Batavia sacra pag. 216 in hæc omnino verba, quæ tamen ex Ms. nostro describimus :* Suederus Dei gratia episcopus Trajectensis, ad perpetuam rei memoriam. Dignum arbitramur et cougruum, ut honore debito perpetuo frequententur in terris, quos arcana Dei clementia innumeris decoratos miraculis, virtutum meritis suffragantibus, æternæ beatitudinis gloria sublimavit. Sanc præclarus sacerdos sanctus Jeron, Christi martyr, prout fide dignorum rescripturæ sacræ testimonio didicimus, a nobilibus progenitoribus in hoc seculo procedens nobilis, indomitæ voluntatis motus agiles et effrænes non propriæ voluntati reliuqueus; sed eos rationis imperio provide subjiciens, ab adolescentia per totius vitæ curriculum de virtute crevit in virtutem, ardenti desiderio satagens studiis litteralibus erudiri, seque per martyrii palmam immarcescibili præmio, ad quod prædestinatus fuit, nec non infideles Danos et Noirtmannos ac alios homines, præcipue Noirthollandiæ, West- E frisiæ, et circumjacentium locorum Trajectensis diœcesis, per documenta salubria humilitatis, sanctitatis, et religionis exempla acceptos reddere suo creatori.

martyrii, translationis,

4 Expleto siquidem agone certaminis dicti sancti Martyris, et per crudelium Danorum tyrannidem amputato capite pro fide Christi, eo minime renitente, sed cervicem spiculatoris gladio sponte præbente, discipuli ejus sanctum corpus in loco secreto tradiderunt sepulturæ, ubi multis annis latuit occultatum. Anno autem a Nativitate Domini nongentesimo, nobili ac pio Comite Theodorico secundo terram Hollandiæ gubernante, ipsum corpus sanctum cuidam Nochbodoni, viro justo Deum timenti, per visionem sibi trina vice factam divinitus exstitit revelatum : quo ad Odilbaldi duodecimi episcopi Trajectensis dictique Comitis deducto notitiam, ipsi statim ad sepulchrum properantes, et ipsum aperientes, invenerunt sancti Martyris reliquias divinitus et miraculose revelatas; quas, excepto capite sancto, quod in villa Noirtich, ubi præfatus sanctus martyr Jeron patronus exstitit, protulerunt ad Egmoudam dictæ diœcesis, cum ea, qua decuit, reverentia novis gaudiis transfereutes, cum reliquiis saucti Adelberti confessoris illuc quiescentibus solemniter col- F locarunt.

et miraculorum memoriam, statuitur

5 O igitur felicem Christi Martyrem, ad cujus reliquias ægri veniunt et sannatur, cujus patrocinio deperdita seu male quæsita bona justis restituuntur possessoribus, periculorum remedia poscentibus conferuntur, ac delictorum vincula relexantur. Gaude, felix Hollandia, tanto Patrouo prædita, tantoque ditata thesauro. Nos igitur præmissa, ac alia uon modica, quibus sanctus martyr Jeron claruit, miracula, hominumque locorum prædictorum sinceræ devotionis affectum, quem erga dictum sanctum Martyrem Patrouum suum genere comprobantur, provide attendentes; ut hominis supradicti quasi aliquali meritorum dicti sancti Martyris participes, ac cum suo Patrono sumiui Regis cohæredes et commeusales in reguo, ad quod superbis uon patet aditus, effici mereantur, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ Matris suæ, nec non ad honorem sancti martyris Jeronis auctoritate nostra ordiuaria, et consilio prælatorum nostrorum statuimus, et tenore præseutium ordinamus iu virtute sanctæ obedientiæ, et

AUCTORE J. P.

et sub excommunicationis pœna, quam contradictores et rebelles incurrere volumus, stricte præcipiendo mandantes, quatenus ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus dies dicti sancti martyris JERONIS ad instar dici sancti Laurentii martyris, singulis annis in octava sancti Laurentii in singulis parochiis dictarum terrarum Noirt-Hollandiæ, West-Frisiæ, et circumjacentium locorum tam in choro quam in foro solemniter celebretur.

ab episcopo Ultrajectensi anno 1429,

6 Ceterum desiderantes populum Christianum reddere divinæ gratiæ aptiorem, omnibus et singulis utriusque sexus hominibus, qui in dicti sancti martyris JERONIS festo, aut alio quocumque die celebri præfatam parochialem ecclesiam in Noirtich devote visitaverint processionem illic sequendo, aut Missam in ea celebrando, vel celebrari videndo aut audiendo, seu etiam ad fabricam, ornamenta, vel luminaria ejusdem ecclesiæ manus adjutrices porrigendo, totiens quotiens præmissa, vel eorum aliquod fecerint, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et B Pauli Apostolorum ejus, ac sancti Martini patroni nostri auctoritate confisi, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis pœnitentiis de uberioris dono gratiæ in Domino relaxamus harum nostrarum testimonio litterarum. Datum anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo nono, mensis Novembris die quinta decima. *Additum erat:* Collationata est præsens copia cum suo originali, et concordat cum eodem, per me Arnoldum Joannis Bays notarium per curiam Hollandiæ admissum.

Contulit Lappius cum supradicta copia authentica. *Ita Ms. nostrum.*

Translatio quando sit facta.

7 *Adverte tamen num.* 4 *revelationem sancti* Jeronis *referri* Odilbaldo duodecimo episcopo Trajectensi, *et* Comiti Theodorico secundo Hollandiæ, anno a Nativitate Domini nongentesimo; *quod cum vulgari nunc Theodorici secundi chronographia non convenit. Ergo alii id credere malunt multo serius relatum fuisse Balderico episcopo decimo quinto, eidemque Comiti;* anno *scilicet* Domini nongentesimo quinquagesimo quinto; *ut infra videbitur; et hæc mihi quidem sententia videtur* C *priori non paulo probabilior, et hoc tempore receptior. Sed hæc amplissimi cultus hic stabiliti certitudinem non attingunt.*

Acta unde hic dentur.

8 Vita sancti Jeronis martyris, triplici stylo scripta, edita est a Petro Opmero inter Martyres Hollandiæ anno MDCXXV cum recuso Chronico ipsius Opmeri. Habetur ibi Guilielmi Hermanni Goudani Erasmi, aliquot annos apud Steinenses sodalis Vita S. Jeronis versu heroico expressa. *Sic adscriptum reperio ad calcem decreti jam dati. Et censeo quidem, eam ipsam nos habere manuscriptam inter schedas a Rosweydo nostro collectas; sed eum vir ille non annotaret, unde eas acceperit, nec opus jam dictum Opmeri viderim, satius duxi, his prætermissis, omnia describere, quæ de Sancto nostro scripsit Joannes Gerbrandus a Leydis Carmelita, Conventus Harlemensis anno* 1495 *Prior, vir valde studiosus et eruditus, teste Trithemio in Catalogo scriptorum. Et pridem edita sunt hæc typis in Chronico Belgico lib.* 5 *cap.* 24, *et* 33, *et lib.* 7 *capp.* 20, 21, 22, 23 *et* 24, *quæ mihi Actis ejus, quæ vidi, omnibus nequaquam inferiora videntur. Fatemur interim, de hoc Sancto plurima nos ignorare, ut, quo evaserint ejus reliquiæ; quæ causa sit, cur olim pingi consueverit ut sacerdos, altera manu gladium, altera falconem sustinens: nam gladius martyrium designare videtur; at quid falco? Forte restitutus fuerit do-* D *mino per Sanctum invocatum; alia certe causa nescitur: ideo, opinor, omittitur in effigie data in Batavia sacra.*

ACTA

Auctore Joanne a Leydis in Chronico Belgico ad annum DCCCXLVII etc.

CAPUT I.

Jeronis patria, baptismus, sacerdotium, et passio.

E

Sanctus natus et baptizatus in Anglia,

Circa hæc tempora floruit in Hollandia beatus Jeron, sacerdos Domini *a*. Hic in Anglia *b* juxta seculi dignitatem parentibus nobilibus progenitus, divinis sine mora regenerandus fontibus, reverendis sanctæ matris Ecclesiæ sinibus adducitur, ut in novam regeneratus infantiam, quam diverso sexu et ætate in unum Catholicæ fidei dogma divina parturit gratia, abnegaret impietatem et secularia desideria, sobrie et juste inciperet vivere secundum perpetuum salutiferæ regenerationis suæ auctorem; scilicet ut peccatis consepultus per Baptismum, viveret justitiæ in acquisitione æternæ beatitudinis. Suggerente divina Spiritus sancti gratia, in Baptismate sacro est Jeron vocatus, ut in ipso sui nominis vocabulo futuræ ejus sanctissimæ vitæ proderetur meritum: dicitur enim Hieron, quasi sanctus totus *c*. Cum autem maxima in Anglia nutritus parentum diligentia, annos fere transiret pueritiæ; non, ut solet illa ætas, infantilibus operam dedit lusibus; sed jam tunc totum se divinis gestiens mancipare obsequiis, cum sancti corporis incremento interiorem hominem perficere elaboravit sanctarum copia virtutum. Crevit autem ætate, sapientia nihilominus et sancti- F tate *d*.

dein sacerdos ad Christum convertit Hollandos et Frisios,

2 Quid in tantis morabor? Omni virtute proficiens per gradus ecclesiastici ordinis ascendit, et ad sacerdotalis officii pervenit benedictionem. Quo rite peracto, sibi statum deligavit in animo, cujusque particeps fieri eorum remunerationis, qui pro Domino omnia dereliquerunt, more patriarchæ nostri Abrahæ, qui patriam et quosque affinitate conjunctos dereliquit; et quo cum vellet Dominus dirigere, secum deliberavit ire. Sicque divina comitatus gratia de Anglia egressus est, et Hollandiam ac Frisiam ingressus, alios quidem illam habitantium paganicis invenit ritibus nefandis deservire idolorum cultibus, alios post veritatis agnitionem varios, prout instruebantur a pseudodoctoribus, errores; et secum reputans, ne forte cum Dominus pro salute eorum illud destinaret, et ideo ut quondam cives suos, ita omni vigilantia illos, ut a laqueis diaboli, quibus ad voluptatem ipsius tenebantur captivi, resipiscerent, et suave Creatoris sui jugum susciperent, salubriter admonuit. Quid plura? Christum Deum prædicando jugiter, ferocitatem gentis illius perdomuit, et populum acceptabilem Domino in brevi tempore acquisivit.

3 Eadem tempestate (anno Domini octingentesimo

A tesimo quinquagesimo sexto *c*) cum Dani (et Norwegi) deprædarentur omnem locupletationem Hollandiæ, alios utriusque sexus gladio necarent, alios captivos ducerent, sanctum virum sacerdotem Dei Jeronem, juxta Noortwyck *f* populum regentem, ac in fide Christiana episcopos *g* instruentem, repererunt. Qui comprehensus ab eis judicio reservatur examinandus. Dum autem traheretur, gaudens quoniam dignus esset pro nomine Jesu contumeliam pati, orabat, dicens : Domine, deduc me in justitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu [tuo] viam meam. Et cum perductus esset ad capitanei Danorum tribunal, confuse perstrepens vulgus clamabat. Alii dicebant : Tolle hujusmodi de terra; ne patiaris diutius vivere inimicum sacrorum nostrorum deorum; alii diu tortum exquisitis tormentis cruciari persuadebant, ut et episcopi ipsius sacrarentur pœna, et populus Hollandensis, qui ejus pendebat amore, tali terrerentur exemplo.

apud quos anno 856 — e — f — g

4 Interea post multas afflictiones obscuro clauditur carcere; ut in crastino aut thura idolo offerret, aut, si nollet, pro contemptu interiret. Ipse B autem psallebat :. Domine, in lumine vultus tui ambulabo, et in nomine tuo exultabo tota die. Mane vero educentes beatum Jeronem, filium lucis de tenebrarum locis, statuerunt eum in consilio suo ante capitaneum. Cui ille : Numquid illæ hesternæ plagæ aliquem dolorem incusseruut? At beatus Jeron hilariter respondit : Non solum dolorem non incusserunt, sed etiam fortiorem me reddiderunt. Scriptum est enim : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Et interrogavit præses, cujus conditionis esset, quam sectam coleret. Ille vero respondit : Non solum ingenuus, sed et exspectabilis genere, Christum verum Deum confessus ab infantia colo, et idolis vanis cervicem numquam inclinabo, quia Dominus Deus meus in Evangelio dicit : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Ait autem præses : audi me, et sacrifica diis, ut id, quod superest, vitæ tuæ usque ad senectam cum gaudio ducas, et nostra fruaris amicitia. Tunc sanctus Jeron respondit : Stulta persuades, et dubia promittis; Dere-C linque, dicis, Deum factorem velis nolis, nostram consuetudinem, imo omnium seculorum; et dæmonibus, immola, ut et vitæ meæ usque ad senectam possit esse consultum : cum omnia ipse condidit, et, quæ sunt futura, a longe cognoscit. Dixit autem præses : Volo, ut mihi dicas, quis sit ille Deus, quem solum omnis creaturæ laude dignum prædicas.

sub Danis et Norvegis

5 Respondit Vir Dei : Scriptum est : Nolite sanctum dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos; quapropter numquam tu a me pollutis auribus hauries hujus veritatis notitiam. Quoniam autem ex circumstantibus quosdam prædestinatos ad vitam cognosco, his prædico scire, quæ sit nostræ summa religionis. Credimus Patrem, ex quo omnis paternitas, secundum Apostolum, in cælis et in terra nominatur; Filium ejus, et Spiritum sanctum, de quibus Psalmista : Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Horum indivisibilem trinitatem, in personis divisibilem * veneramur unitatem substantiæ : et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales, et omnis qui extra hunc unum trinumque Deum aliquid credit aut colit quasi Deum æternum, et in eo spem suæ salutis posuerit, periet *. Ad hæc veræ fidei documenta, lætantibus cunctis Christianis, in eis virtutum resonabat fides, et inaliorum mentibus falsorum monumenta pollebant deornm, et aliorum sensibus omnium renovantibus passionum terrores *h*.

fidem professus,

** i. e. personis communicabilem*

A. Joanne a Leydis.

** i. e. periit*

h capite mulctatus est 17 Augusti.

6 At vero præses iniquus, sicut aspis incantantis ad vocem obturans aures suas, ne injurias deorum et suas loqui audiret illum, jubet eum celerius puniri. Cumque ab apparitoribus ipsius duceretur, psallebat, dicens : Non abscondi in corde meo misericordiam tuam et veritatem tuam a consilio multo. Quapropter quæso, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me; sed misericordia tua et veritas tua semper suscipiant me. Dum hæc beatus Jeron perorasset, a carnificibus diversis cruciatus tormentorum generibus, afflictus *i*, postremo cum confessione fidei Christianæ decollatus est Martyr Domini præclarus, in æternum victurus; ad patriam cæli susceptus est sexto decimo Kalendas Septembris. Tunc pauci qui ibidem aderant, timorati, compuncti de injusta tanti Viri nece, clam, propter gentilium timorem, rapuerunt ejus sacrosanctum corpus, et posuerunt E illud cum lacrymis et orationibus in monumento novo.

i

ANNOTATA.

a Sacerdos Domini *ab omnibus appellatur; sed* regularis *a Wione, Menardo, Bucelino Martyrologis Benedictinis; quod legere mallem apud vetustiores.*

b Anglum *etiam faciunt Lectiones novem, quas habemus,* Ex schedis, *ut adnotatum est,* D. Lindani episcopi *Ruremundani; Molanus tamen ex Ms. Egmondano* Scotum *facit; ut et Opmerus in libro Martyrum Belgico, Antverpiæ vernacule dato, anno* 1700, *parte prima pag.* 95; *Guilielmus item Goudanus in Carmine, et alii; qui sic effecerunt, ut suis eum accensuerint tam Scoti quam Angli Martyrologi recentiores; sed utri verius, non decido : nam sunt antiqui, qui de Sancti patria conticescant; ut Lectiones in Breviario Ultrajectensi Gaudæ impresso anno* 1508 *pag.* 328, *ut ceteros omittam ætatis non dubiæ.* F

c *Sic etiam explicatur in Vita nostra Ms.; sed non est apta probatio, nec satis ostenditur nomen esse ex radice Græca, antiquitus scriptum sine aspiratione.*

d *Victis, qui seculum primum suadebant parentibus. Vita Ms.*

e *Sunt qui id citius factum velint, aut serius : sed auctores ego audire malim ac sequi, quam inermes criticos.*

f Noortwyck, *id est,* Vicus septemtrionalis *in littore septemtrionali non procul Lugduno Batavorum.*

g *Quos hic* episcopos *velit, equidem non satis intelligo; nisi accipiantur impropriе pro quibuslibet præfectis ecclesiarum quarumlibet Catholicarum.*

h *In Ms. nostro Joannis Chronico sic legimus :* Ad hæc veræ fidei documenta, lætantibus cunctis Christianis, in aliis veritatum refovebatur fides, et in aliorum mentibus falsorum monumenta pellebantur deorum, et aliorum sensibus omnium renovantibus passionum terrores. *Pro quo malim legere sic ex Vita nostra Ms.* Ad hæc vero fidei dogmata lætantibus cunctis Christicolis, in aliis infirma refovebatur fides, ex aliorum mentibus falsorum monumenta pellebantur deorum, ex aliorum

A. Joanne a Leydis. ruiu sensibus omnium removebantur passionum terrores. *Quæ clariora sunt, et sequentibus recte opposita.*

i *Videtur abundare. Deest in Vita Ms.*

CAPUT II.

Translatio corporis et miracula.

Anno 955 Nothbodo a Anno Domini nongentesimo quinquagesimo quinto *a* erat in Hollaudia fidelis iu laïcali habitu constitutus, nomine Notbbodo, illic vicine commanens, ubi corpus sanctissimi Jeronis martyris tumulatum erat; qui ruris culturæ quotidie operam dans, propriam vitam sine fraude studuit ducere, et necessitatibus sanctorum * *i. e. pauperum* communicare petivit: namque in corde a Domino nobis esse noverat præceptum, ut faciamus nobis amicos de mammoua iuiquitatis, ut, cum defecerimus, recipiaut nos in æterna tabernacula. B Ideoque labores suos manibus pauperum in cælestibus thesauris laborabat incondere, ubi nec ærugine nec tinea certus erat eas umquam exterminari, nec in noctis tetra caligine furibus effodi. Hic Notbbodo, dum quadam nocte semivigilans iu stratu suo quiesceret, vidit assistentem sibi virum, ætate senem, statura procerum, vultu decorum; cujus dum mirabilem miraretur pulcritudinem, et quasi elinguis prorsus præ pavore effectus, non audebat interrogare, quis esset, hujusmodi sermonis initium * *f. initio* is, qui videbatur, eum allocutus est:

monetur a Sancto apparente 8 Ne paveas, neque pertimescas, frater charissime, quia labores manuum tuarum beatum te fecerunt, et eleemosyna, quam facis, tuam ab omni sorde vitiorum purificaverunt conscientiam, ut conservorum tuorum jam cum Deo regnantium possis videre vultum, et eorum frui colloquio. Quapropter et mihi, uui ex his, gratia Deo, effecto, tuis apparere visionibus concessum esse, cognosce, ut meas negligentia * *i. e. negligenter* positas reliquias leves; et per boc cunctis innotescat, quanti apud Deum habear meriti. Qui Notbbodo cum dulcedine familiaris eloquii confortatus, humili responsione interrogaret, quis esset, et sæpius C salutifero nostræ redemptionis vexillo frontem animaret, ne forte phantasmatici sathanæ illuderetur fraude; Optime, inquit, congaudeo fidei, qui omnia diabolica figmenta veraciter credis effugari per sanctæ crucis venerabile signum. Ego autem non, ut tu putas, phantasma sum, sed in delictis conceptus, in vulva matris meæ communem suscepi aërem, ut primo propter protoplasti iniquam prævaricationem bujus prævaricationis passus ærumnas; nunc gratia Dei justificatus, paradisiaca possideo gaudia. Et cum cum plenissime, sicut prælibavimus, instrueret, qualiter in cursu semitarum justitiæ, fide servata, per palmam martyrii ad reposita in cælis pervenit præmia; Nunc vade, inquit, in vico, Noortwyck coguominato; ibique meum invenies sepulcrum minutis compositum lapillulis, quod, dum egesta [terra] repereris, mea tollens membra, proferes ea ad locum, Egmonda jure vocatum, quia ab spurcitiæ idololatriæ est purgata per præclara *b* sanctissimi Athalberti *b* merita. Nec cuncteris ea in venerabili ipsius collocare sacrario; quoniam qui concesserit vincere terrena, ipse etiam annuit tanti collegii frui tabernaculo. His prædictis, ab oculis ipsius se subtraxit. D

9 Vir autem Domini reminiscens, quod auctor falsitatis sæpe tranformatus in angelum lucis, incautos solet decipere, nequaquam huic primæ visione fidem ullo modo adhibuit; sed a Deo intelligens, quomodo se baberet, tantæ rei veritatem perquirendam in spiritu humilitatis et animo contrito, assiduis precibus supernos divinæ clementiæ pulsavit auditus; ut, si ab eo facta esset hæc visio, denuo, ac tertio sibi manifestaretur. Eo itaque in jejuniis et orationibus constituto, apparuit iterum idem, qui supra, et monuit, ne contumaciter sibi a Deo injunctam sperneret obedientiam; ne, dum quæ ante secularia tempora divina bouitas decrevit per eum fieri, perficere contemneret, inexcusabilis cum contemptoribus digne puniretur in die iræ et revelationis justi judicii Dei. *sæpius propter metum delusionis,*

10 Cumque continua afflictione parcimoniæ et vigiliarum pro hoc ipso negotio inquirendo seipsum sine intermissione Domino mactaret placabile holocaustum, contigit, equos, dum forte essent in pastu, pastore dormiente, a furibus subtrahi, et in abE sconditis fugitivorum locis abscondi; quos, collectis amicorum et servorum manipulis, per devia quæque requirens, vesperaute jam *c*, devenit secus locum bis sibi a Domino ostensum, nulli tamen circum meantium illud secretum pandens, ibidem hortabatur socios ex discursione varia quieti dare membra: cujus consilium coucordi affectu ob difficultatem laboris implentes, post refectionem carnalem, ut erant sub dumo, se dormire collocaverunt. Et cum omnem illam collectam altus sopor corripuisset, ecce, sanctus Jeron martyr casto uni innocenti et simplici viro de contribulibus præfatis, ibidem secum quiescentibus, apparuit per visum, dicens: Surge et dic Nothbodoni, ne ultra præsumat divina parvi pendere jussa, et in parte orientalis plagæ in dextrorsum loci, quo bac nocte ipse pausaverat, meum noverit esse tumulum. Quoniam autem infideles signa petunt; ut diluculum erit, ad hanc proximam concurrite silvam, et equos, quos perdidistis, siuc dubio invenietis. *donec equis ejus furto ablatis, iterum apparet olleri,*

F 11 Tunc ille expergefactus, experimentum in boc capere visionis cupiens, propere socios monet, ut surgant et caballos sine difficultate jam inveniendos, Deo monstrante, annuntiat. Moxque ut silvam ingressi sunt, eos eminus in proximo a via publica diverticulo conspiciunt, stipitibus a furibus resticulis alligatos. Et jam evidentibus indiciis certus de visione factus, secrete omnia, quæ audierat, cui jussus fuerat, narrat. Ille vero ut audivit hoc, non minimo replebatur gaudio, quia inventus esset et alius testis in olim sibi visione demonstrata. Et dimissa cetera multitudine, cum ipsi tantum duo arreptis sarculis in designato sibi loculo fodere cœpissent, mox cælestis thesauri conspiciunt thecam, indeque certissimi effecti, nequaquam seductores videri, sicut jussi fuerant, fideles legatos sancto Baldrico *d* Trajectensi episcopo dirigunt, et Tbeodrico secundo Comiti Hollandiæ, ut quantocyus venirent, et sanctas reliquias condigno cum honore ad destinatum locum deferrent. Hi autem, videlicet sanctus Baldricus episcopus, et Comes Theodricus, admodum piæ vitæ dediti, non mediocriter lætificati sunt; at prudenti nsi consilio; triduano tam se quam omnes provinciales purificaverunt jejunio. Et tunc, quasi cælitus jussi, moram pati in occurrendo nolentes velocius affuerunt, et odoris suavissimi, qui de gloriosissimi marty- *qui equis inventis, Nothbodoni visum indicat, et corpus cum illo effodit, monito episcopo etc.*

A martyris Jeronis membris manavit, fragrantia refecti, intellexerunt, et hunc esse unum de his, de quibus Apostolus ait : Christi bonus odor sumus omni loco. Exaltantes itaque Dominum Deum nostrum in voce exultationis exclamant : Quoniam magnificanda sunt opera tua, Domine; nimis profundæ sunt sanctæ cogitationes tuæ!

Mare transferentibus offert feretrum, quo defertur Egmondam.

12 Tunc pretiosa pignora mundissima obvolventes sindone humeris imposuerunt, et cum Psalmorum jubilo canore, hymnorumque dulci melodia, secus mare iter, quod ad locum superius dictum mittit, ingrediuntur. Cumque saltum, qui Rynmeera dicitur, transirent, ecce, hinc inde popularis ala diversi sexus et ætatis circumfluit, pia devotione certans, qui eorum tam salubris bajulus mereretur fieri operis. Interea his cis ad vota ita succedentibus, dum approximarent loco, quo ibant, cœperunt secum quasi irascendo stomachari, quod, cum in sylva essent, dum possibile erat, lecticam in modum humanæ consuetudinis non fecerint, quam nunc in exustis solis ardore arvis constitutis nulla suppeteret facultas perficiendi. Et dum huc illucque, ut est humanæ B solertiæ; sedulo oculorum volverent orbes, si forte ad hujusmodi fabricam divina adminicularetur providentia, vident subito in primis tumescentis maris fluctibus feretrum ferri, quod in aridam mox ejectum arripiunt, atque cuncto seculo veneranda in eo collocant membra. Sicque alternatim concrepando, Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in uuum, quos diversos in tempore ejusdem fidei æquale meritum consodales fecerat, in eodem loculo insimul honorifice collocarunt.

Dudum postea inventum caput sonantibus ultro campanis

13 Postea multis annis transactis, cum divinæ placuit pietati renovare miracula, et in supradicto vico, qui Noortwyck dicitur, fuisset aliquando ecclesia fundata, operatores volentes construere altare in eo loco, ubi tam sancta membra prius fuerunt reperta, terram effoderuut, et caput sancti martyris Jeronis, quod prius in inventione corporis occultatum manserat, invenerunt. Moxque campanæ ejusdem ecclesiæ absque omni humano adminiculo pulsabantur. Itaque quod nulli dubium, tali pulsationi spiritus angelicos adfuisse, populus mirabatur, et quisque pulsationis maxime hora inconsueta nitebatur scire C mysterium. Fuit autem in domo quadam ecclesiæ satis propinqua quidam phreneticus ligatus catenis ac compedibus, qui, nescio quo spiritu docente, ibidem talis pulsationis causam sciscitautibus enarravit, quod eadem hora caput beati Jeronis esset inventum; et propterea angeli Dei laudantes Deum (qui in sanctis semper mirabilis et gloriosus est) hic pulsarent. Quod dum ita per omnia veraciter invenissent, gaudio repleti omnes immensas gratias Deo reddiderunt et laudes, dictum venerandum caput in sacrario honesto devote collocantes, ubi quasi innumeri peregrini de circumquaque regionibus devote conveniunt, subsidia humiliter petituri.

A. Joanne a Leydis.

Castigatur blasphemus, et emendatur

14 Quidam vir morabatur in Eychenduren, qui a quodam vicino suo in æstivo calore solis lasso, redeunte a peregrinatione sancti Jeronis, derisorie requisivit, qua dementia deceptus esset, quod sic visitaret talem sanctum, qui nec sibi ipsi nec ei posset subvenire, nec sive fatigatione servare eum, atque similibus verbis aliis subsannando. At ille eum de tantæ temeritate blasphemiæ increpans respondit, se non dubitare de sanctitate beati Jeronis, nec de ejus mercede pro peregrinatione facta. Sequenti igitur die, dum mane surgeret et quatuor bonas equas intentione arandi cum canis * et capistris ad aratrum debito modo applicasset, E volens eas minari, flagello percussit et stimulavit : quæ steterunt immobiles omnino et fixæ, et nullo modo ducere aut movere de loco potuit. Qui nimia admiratione et turbatione perplexus, consuluit vicinos suos. Tandem venit ille, qui, ut præmittitur, præcedenti die ab eo derisus fuit, dicens, sibi forte ob culpam suam hoc accidisse, eo quod temerarie de beato Jerone blasphemiam loquebatur. Consuluit ergo, ut voveret dictum sanctum Jeronem in loco suo singulis annis cum oblationibus devote visitare, ne sibi deterius contingat, et ut ab eo remedium consequi posset. Quod cum fecisset, statim dictæ equæ iverunt ad opus suum. Hoc videns, beatissimum Jeronem de cetero in magna reverentia habuit, et votum suum fideliter implevit, omnibusque volentibus audire miraculum enarravit.

* f. camis

ANNOTATA.

a *Sic modo plerique; vide tamen in Commentario num.* 7.

b *De S. hoc* Alberto *egimus die* 25 *Junii.*

c Vesperante jam, *id est, ingruente jam vespera. In Ms. nostro habetur* : Vesperante jam die, venit F secus locum *etc.*

d Baldricum *hunc prætermissis inseruimus die* 6 *Aprilis propter ignorantiam cultus.*

DE S. ELIA JUNIORE MONACHO

IN AULINIS SEU SALINIS IN CALABRIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Cur Sanctus Thessalonicæ non annuntiatus; ejusdem patria, parentes, nomen, duplex captivitas.

An. CMIII. Etsi Thessalonicæ mortuus; alibi tamen annuntiatu.

Quamquam Thessalonica, celeberrima et florentissima Macedoniæ urbs, illud cum Sancto nostro habeat singulare, quod a Leone imperatore Constantinopolim arcessitus, dum dictam urbem esset transiturus, in eodem migrarit ad meliorem vitam, et ad immortalem meritorum suorum in aula cœlesti sibi præparatam gloriam; illo tamen titulo Thessalonicæ eum annuntiare nobis visum non est : quia casu accidit, ut ibidem loci obierit; sed in Aulinis *seu* Salinis, *loco Calabriæ, ubi vitam asceticam exercuit,*

AUCTORE J. P.

cuit, monasterium habuit, Fratresque ejusdem rexit, translato ad istum locum, postquam vivere desierat, sacro ejus corpore. Ceterum de dicto loco plura dicentur inferius § 2 *num.* 15. *Lectore itaque de his præmonito, illustrare nunc aggredimur Viri gesta, incipiendo a natali ejus solo.*

Natus est Ennæ

2 *Vitæ scriptor, pluribus postea laudandus, cap.* 1 *num.* 3 Sanctissimus, *ait*, pater Elias... fuit genere Siculus, in urbe, quæ Enna appellatur, natus. *Stephanus de urbibus, quem Thomas de Pinedo Lusitanus lingua Latina donavit ac observationibus illustravit, pag.* 263 *et* 264 *editionis Amstelodamensis anni* 1678 *hæc scribit:* Enna, urbs Siciliæ, a Syracusanis condita post conditas Syracusas annis LXX. *In observationibus autem de istius urbis celebritate, antiquitate ac situ notantur sequentia:* Celeberrimo templo ac simulacro Cereris omnium antiquissimo *claruit.* Ob illud Cereris templum famam habuisse hanc urbem inter omnes Siciliæ urbes præcipuam, auctor est B Mela lib. 2 cap. 7. Urbs fuit sita loco præcelso atque prærupto, auctore Livio lib. 24 « Enna in « excelso loco ac prærupto undique sita cum loco « inexpugnabilis erat, tum præsidium in arce « validum habebat. » Ennensis vero Cereris, quæ in hac urbe maxima religione colebatur, tanta fuit inter ethnicos veneratio, ut Gracchanis temporibus, cum aditum esset ad libros Sybillinos, ac in eis inventum, Cererem antiquissimam placari oportere ex amplissimo collegio decemvirali sacerdotes populi Romani, cum esset in urbe Cereris pulcherrimum magnificentissimum templum; tamen usque Ennam profecti sint, referente Cicerone in Oratione 9 in Verrem, et ex eo Lactantio Firmiano de Origine erroris lib. 2. Ejus simulacrum sustulit Verres auctore eodem Cicerone in Verrem Orat. 5, quod ipse Oratione citata depingit *fuisse* « tale, « ut homines cum viderent, aut ipsam videre se « Cererem, aut effigiem Cereris non humana « manu factam, sed cælo delapsam arbitrarentur. »

in Sicilia,

3 Ennæ vicinum erat nemus, quod Siciliæ umbilicus vocabatur, Erat enim in medio insulæ, omni florum genere abundans, ut præ nimia fraC grantia canes odoratu feras investigare non possent; unde Plutonem rapuisse Proserpinam fabulabantur, auctore Diodoro Siculo lib. 5. *Hæc ibi. Cellarius in Notitia orbis antiqui nomen hoc etiam scribi cum aspiratione observat lib.* 2 *cap.* 12 *pag.* 645 : *situm vero istius urbis exhibuerat in mappa Siciliæ antiquæ ad pag.* 619. *Baudrandus* nunc, *inquit*, oppidulum *est*, Castro-Joanni dictum, in valle Netina, prope Chrysam amnem; sed paucis constat incolis, et extat etiamnum arx integra, in qua diu hæsit Fridericus secundus. *Octavius Caietanus noster in Animadversionibus (quas sub ipsius nomine, ut hoc semel hic dicamus, imposterum citabimus, sive sint ipsius sive alterius illæ, quæ in rem nostram proferentur, cum operi ejus de Sanctis Siculis sint attextæ) Caietanus, inquam, in Animadversionibus ad Vitam sancti nostri* Eliæ *tomo* 2 *de Sanctis Siculis pag.* 23 *refert, locum hunc* Castrum Johannis *a Gaufredo etiam monacho dictum : qui consuli potest in Historia Sicula, inter Rerum Italicarum scriptores novissime edita tomo* 5, *ubi in ejusdem Historiæ lib.* 2 *cap.* 32 *pag.* 567 *et* 568 Castrum-Joannis *plus semel occurrit.* Hodie vero corrupta per vulgus voce ad veterem accedente Castrumianni dicitur. *Verba sunt* D *Fratris Thomæ Phaselli, Ordinis Prædicatorum de Rebus Siculis lib.* 10 *prioris decadis cap.* 2; *ubi hæc et plurima alia de isto loco notata reliquit a pag.* 203 *editionis Francofurtensis anni* 1579.

non vero Rhegii.

4 *At cur ergo in loci nomine tam diu hæreo, et ornamenta e superstitiosis gentilium somniis quæsita tum studiose consector? Quando* S. Elias, *qui ab eadem urbe lucis usuram accepit, magno eum fœnore præ inanibus hujusmodi ornamentis veræ lucis ac gloriæ splendorem eidem reddidit, dum in toto vitæ curriculo eum se exhibuit morum sanctimonia, vaticiniis ac miraculis, ut merito gloriari in Domino possit Enna tanto et tam mirabili, quem edidit, alumno. Interim* ex hoc scriptore *anonymo, qui Vitam Sancti concinnavit,* satis fido, erroris plane omnino convincitur Bernardinus Rheginus, qui S. Eliam ejusque discipulum Danielem, cujus in hac Vita mentio, Rheghinos fuisse tradit, *sicut recte observat Caietanus loco citato;* cum Elias Ennensis : Daniel vero Tauromenitanus ex Sicilia extiterunt, ut hic scriptor prodit. Erroris causam extremis notis memorabo, *inde* E *videlicet ortam, quod* Elias *Ennensis cum Rhegino synonymo confusus sit, uti inferius alia occasione perspicuum fiet.*

Parentes; ejus primum nomen a quo

5 Natus *porro fuit noster, uti testatur biographus num.* 3 parentibus illustribus ac piis, qui etiam nobilissima Rachetarum familia genus ducebant. *Sed quia nihil hactenus nobis occurrit, quo illustres istius familiæ majores altius repetamus, et quia Sanctus sua virtute, quæ sola utique et unica est nobilitas, ac gestis mirabilibus plus eidem conciliavit splendoris, quam ulla fluxa et caduca nobilitatis decora; ideo ad alia pergemus. Infanti recentissime in lucem edito nomen Joannis impositum fuit a matre; sicut videre datur apud biographum loco citato: sed deinde* Elias *fuit vocatus a Patriarcha Hierosolymitano synonymo. Res ita narratur in Vita num.* 19 : Hierosolymitanam eclesiam tenebat Elias Patriarcha ... Huic illius adventus cælitus est indicatus : qui Virum adiens, perspecta, quæ in eo inerat, Spiritus sancti gratia.... video, inquit, in seculari isto habitu institutum sensusque monasticos. Ille vero ubi consilia animi sui omnia viro sanctissimo aperuit, confestim Patriarchæ precibus in S. Calvario effusis, sacro illum habitu induit, suoque F de nomine Eliam appellavit. *Sed unde* Elias junior *nuncupatus ?* Comparatione magni prophetæ Eliæ, tum in prophetico spiritu, tum in zelo, rerumque admirabilium affectione, *prout notat Caietanus in Animadversionibus. Et mox addit* : Paulo post hic scriptor Eliam nostratem ait iisdem passibus quibus Elias, ingressum, eadem a Deo gratia donatum fuisse. Sed quia, ut in fine dicam, alius etiam S. Elias fuit ipso posterior, et in plerisque similis, noster illius comparatione senior appellatur, et ille junior. *Sed nos eum Caietano alibi de hac re tractabimus.*

et quo tempore

6 *At quo tempore, qua Sancti nostri ætate mutatio ista nominis accidit? Laudatus Caietanus in Animadversionibus pag.* 24 *nodum hunc non satis commode potuit dissolvere : ita namque ibidem loquitur :* Obscurus temporum character; ex quo haud facile rationem ineas annorum Eliæ Siculi. Neque enim rescire possumus, quo anno sive Christi, sive ætatis suæ Hierosolymitanam peregrinationem obivit. Sed enim Hierosolymis anno Christi DCXXXVI occupatis a Sarracenis, factum est, ut patriarcharum ejus urbis successio (nam continuare eos Græci conati sunt) incognita

A gnita nobis fuerit : quam ob causam Nicephori catalogus episcoporum Hierosolymitanorum definit in Sophronio, sub quo Hierosolyma a Sarracenis capta. Observat Genebrardus Hierosolymis patriarcham fuisse Theodorum anno DCCLIX, Eliam anno DCCLXXXVII ; Joannem anno DCCXCV ; Thomam DCCCII. Longe post Thomam præsedit Elias, cujus mentio est in hac Vita. *Nos itaque dispiciamus, an quidquam rectius et exploratius ad hanc difficultatem explanandam afferre possimus.*

fuerit mutatum : 7 *Ante tomum* III *Maii exstat apud nos Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, ubi pag.* XLII *signatur inter eos Elias III. qui anno Christi* 881 *epistolam scripserit in Galliam, prout ibidem pluribus legi potest. Tunc temporis igitur Elias iste patriarcha moderabatur cathedram Hierosolymitanam; sed quo anno moderari illam cœperit, non est nobis exploratum. Nec vero certius aliquid elici potest ex eo, quod Biographus noster num.* 17 *præmiserat de Sancti in istam urbem adventu :* Mense Aprili tandem in Sanctam civitatem pervenit. *Nam quid e mente*
B *se isto in rem præsentem extundas, quando annus non additur? Nec meliora in rem nostram elicias ex Pagio, qui ad annum* 785 *num.* 6 *scribit de Eliæ patriarchæ Hierosolymitani exsilio, uti et ad annum* 787 *num.* 4; *de ipsius autem ad patriarchatum reditu, ac morte, ad annum* 795 *num.* 7 : *quæ incomperta esse dicit. Adde, quod e laudati Patriarchæ decessore annus,qui hic quæritur, determinari neutiquam possit. Etenim in dicta Historia pag.* XLI *Etiam patriarcham præcedit Theodosius (apud Pagium ad annum* 787 *num.* 4 *invenio Eusebium, qui Theodoro dicitur successisse apud eumdem Pagium ad annum* 766 *num.* 7 *) Theodosius, inquam, ille dicitur quidem in ista Historia chronologica præfuisse anno* 870; *sed quamdiu sederit, non dicitur. Cum igitur nulla ex his thesis poni queat, ponatur hypothesis, et in hac statuatur, istum præsulem supervixisse usque ad annum circiter* 875, *quo eum exceperit Elias patriarcha, et quo circiter tempore peragi potuerint, quæ superius retulimus e biographo. Quia vero* S. Elias *monachus natus est anno Christi* 823, *uti postea dicetur, consequens est, ut anno ætatis præterpropter* 52
C Eliæ *nomen ab Elia patriarcha una cum habitu monastico acceperit, secundum jam dicta. Atque ex his aliquid saltem lucis accedit huic facto, quod Caietanus prorsus indeterminatum atque obscurum reliquit. Verum ad anteriora Sancti tempora, a quibus tantisper hac occasione sumus digressi, redeamus, ad annum nimirum ætatis ejus octavum.*

pueriliis ætas ubi, 8 *Biographus cap.* I *num.* 3 *et sequentibus nonnulla de Sancto memorat, quæ brevi explanatione possunt elucidari.* Eam urbem *(Ennam videlicet)* cum essent Carthaginenses depopulaturi; parentes Filium ac pauca de suis opibus accipientes, in S. Mariæ castrum sese recipiunt. Eo loci cum versarenter, magnam capiebant lætitiam, quod Puerum, octavum jam annum attingentem, viderent et sibi morigerum, et in virtutis via progressus facientem. *In locum hunc observat ista Caietanus in Animadversionibus pag.* 23 : In Vita Græca CARTHAGINENSES paullo post SARRACENI iidem. Nam Sarraceni ex Africa atque Carthagine in Siciliam sese effuderant. At quonam illi anno Ennam depopulati? Censuerim anno Christi DCCCXXXI : quod ex hoc scriptore ita conficio. Sarraceni Ennam deprædati sunt, cum Elias octavum annum ageret. Is vero natus est anno Christi DCCCXXIII *(ut modo obiter dictum fuit, ac pluribus alibi probabimus.)* Igitur Eliæ octavus annus est Christi DCCCXXXI. *De loco autem, qui mox nominabatur* S. Mariæ castrum, *monet ibidem sequentia :* Græce S. Mariæ castrum, paullo post urbem scriptor appellat. Incerta ejus positio. Certe quidem in Mediterraneis fuisse videtur. AUCTORE J. P.

9 Ex hoc loco erroris plane arguas eos, qui scripsere Sarracenos anno Christi DCCCXXVIII tota Sicilia potitos fuisse : id enim omnino falsum. Illi nimirum paulatim progressi in urbibus occupandis. Panormum cepisse anno Christi DCCCXX, tradit Leo Ostiensis, sed alii anno DCCCXXVI. Agrum Ennensem depopulatos anno DCCCXXXI; Castrum vero S. Mariæ DCCCXXXV, ex hoc scriptore satis constat; et rursum prædabundos excurrisse in agros earumdem urbium anno DCCCXXXVIII : quo tamen anno urbes Enna et S. Maria nondum a Sarracenis captæ fuerant, ut hic idem scriptor significat. Syracusæ captæ excisæque, ut superius diximus, anno DCCCLXXX. Joannes Curopalates (in Nicephoro) auctor est, captis Syracusis ab Africæ E Sarracenis, etiam totam insulam occupatam fuisse. Sed id etiam nutat. Nam Tauromenium anno CMIII expugnatum est. *At de hujus expugnationis anno agemus inferius. Nunc Sanctum nostrum revisamus.* *quando,*

10 *Vitæ scriptor postquam num.* 4 *retulisset, eum certiorem fuisse factum in somnis de sua apud Afros captivitate, ac diligentissima parentum custodia, ne hoc accideret* ; Verum, *inquit*, ad duodecimum annum cum adolevisset, ac multo majore gratia cumularetur, sacræ precationi diutius vacare cœpit *etc. Ad hanc ejus quoque ætatem num.* 5 *revocat Biographus prænuntiatam ab ipso cladem, quæ dicto castro vel urbi S. Mariæ post triduum esset eventura; item prædicationem ibidem, in qua supra ætatem se suam gessit; num.* 6 *captivitatem, quam antea prædixerat, adimpletam; ac denique num,* 8 *miro modo redonatam ei pristinam apud parentes degendi libertatem.* Verum cum tres annos, *prout ibidem subjungitur*, cum suis parentibus versatus esset... pater naturæ concessit : mater a coujuge viduata, in Filio post Deum spes omnes suas collocaverat. *Hæc itaque spectant ad annum ætatis ejus decimum quintum,* F *Christi autem* 838, *quo etiam videntur reducenda ea, quæ sequuntur num.* 9 *et* 10, *et agunt de voce ad aures Adolescentis nostri divinitus allata :* Egredere de terra tua, et de cognatione tua.. et transmisso mari periculosissimo in Africam trajice.. Non multo post, ecce tibi Agarenorum irruptio priore longe crudelior. Cumque ab iis, quæ supra memoravi, oppidis longe abesset Adolescens.., ab illis comprehenditur, rursusque a quodam homine Christiano emptus, in Africam abducitur : *ubi quænam Juveni sancto acciderint, deinde exponit biographus, et nos, illo præeunte, aliqua etiam paragrapho proximo observaturi sumus.* *et quam pie transacta usque ad an. ætatis 15.*

§ II.

AUCTORE J. P.

§ II. Alia captivitas; mutatum nomen et vitæ institutum; monasterium divinitus præsignatum; peregrinationes; prædictiones, discipulus etc.

Insigne edit in captivitate specimen castitatis:

Sanctissimum Adolescentem abductum in Africam fuisse a Saracenis, ibidemque venditum homini cuidam Christiano coriario, narrat Vitæ auctor cap. 1 *num.* 10; *deinde cap.* 2 *illustrem ejus describit victoriam, quam retulit de muliere impudica, quæ nihil reliquit intentatum ut, expugnata castissimi herois integritate, ad libidinem illum perduceret, et purissimam animam venereis sordibus contaminaret. Sed irritamenta ejus omnia, technasque et machinas omnes egregius bellator superavit, falsis criminationibus, quæ ea de causa in illum sunt impactæ, in*
B *innocentiæ testificationem ac laudem conversis. Ibidem num.* 14, Is vero, *referente Biographo,* cum se pretio redemisset, factus jam libertatis compos, ex ea familia discessit. Tum sacra oratoria frequentare, noctes psalmis hymnisque canendis transigere: ac vehementer desiderabat in Palæstinam proficisci, ut. . Servatorem veneraretur *in quibus fuerat passus locis,* ibique sanctum monachorum habitum indueret. *Varia interim ab eo præclare gesta memorantur num.* 15 *et sequentibus. Num.* 17 In Sanctam inde civitatem proficiscitur.. Mense *autem* Aprili tandem in Sanctam civitatem pervenit.

Hierosolymam proficiscitur (ubi mutatur ei nomen ac vita)

12 *At quo anno? Hic Rhodus, hic saltus, uti est in proverbio. Sed secundum præmissa* § 1 *num.* 5 *et seqq. de Elia Patriarcha Hierosolymitano, qui sacrum ei dedit habitum, ac pro Joannis nomine, quo antea vocabatur, Eliæ nomen ipsi imposuit, differendus videtur ingressus in Civitatem sanctam usque ad annum Christi circiter* 875, *ætatis circiter* 52; *a captivitate vero ejus secunda circiter* 43, *ex* § 1 *num.* 10. *Tanta, fateor, annorum intercapedo etiamsi mi-*
C *hi non omnino arrideat, non tamen idcirco falsitatis eam convincere possum. Sed observari velim, in Historia chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum superius indicata signariante laudatum Theodosium consequenter e Latinis Catalogis Sergium ac Salomonem sine ullo temporis characterismo, ac solo dumtaxat nomine notos. Quid si ergo alius quidam Theodosius præcesserit istum synonymum, qui in dictis catalogis fuerit prætermissus? Id si constaret, præsenti difficultati iretur obviam, ac decurtaretur longum illud temporis spatium, de quo dictum est. Sed nihil in promptu habeo præter meram conjecturam. Nunc itaque hinc ad alia.*

more aliis Siculis usitato:

13 *Profectio in terram Sanctam nec est nova apud Siculos, nec uni* S. Eliæ *nostro singularis ac propria. Nam, uti in Animadversionibus pag.* 24 *habet Caietanus,* Antiqua hæc penes Siculos religio, peregre eundi Hierosolymam ad loca, Domini vestigiis et sanguine consecrata, et Romam ad sepulchra sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. Sed enim Hierosolymitanam peregrinationem e Sicilia suscepere S. Gregorius episcopus Agrigentinus, S. Elias Ennensis, S. Simeon Syracusanus monachus S. Benedicti, S. Marina virgo Sicula ex oppido Scauio, S. Conon Nesitanus, e familia magni Basilii. Romam adivere, D
ut sanctos Apostolos venerarentur, S. Gregorius episcopus Agrigentinus imp. Decio, S. Mamilianus episcopus Panormitanus, S. Nympha virgo et S. Golbodeus, martyres Panormitani sub tempora Maxentii tyranni; S. Elias Ennensis, S. Vitalis abbas ex oppido Castronovo, S. Leo Lucas Corilionensis Sarracenis Siciliam tenentibus, S. Silvester Trainensis, monachus S. Basilii, aliique. *Jam vero nos* S. Eliam *alio peregrinantem subsequamur. Et sane, tametsi qui multum peregrinantur, raro sanctificantur, variis itineribus, quæ suscepit, diceres veluti totidem gradibus iter sibi affectasse ad patriam cœlestem: tantam sibi et aliis e crebra illa terrarum lustratione utilitatem hauriebat.*

vidit loca sancta, Alexandriam ac Antiochiam;

14 *Audiatur Biographus num.* 18 *et seq. Non tantum Viator noster ostendit, locorum Terræ sanctæ inspectionem sibi fuisse in amoribus;* sed iis etiam in quibus Elias versatus fuisset, summopere *se* delectari. Huc igitur eum advenisset, ibique tres annos commoratus fuisset, singulorum Patrum instituta ac studia sedulo observabat, *aliasque ex aliis virtutes* addiscebat, *ac in suum convertebat studiose in dies profectum; sicut plu-* E
ribus narrat Biographus. Verum, *inquit,* post triennium illinc discedens Alexandriam venit: sed priusquam in urbem intraret, quidam ei occurrit, qui a dæmone oppressus e civitate ventitabat, *quem signo crucis liberavit. Complures item morbos ab eo depulsos, ac obita pietatis exercitia, ibidem licet videre. Deinde in Persidem se contulit, ea loca venerandi causa, de quibus ibidem est sermo cap.* 3; *sed eo proficisci prohibitus ob tumultum barbarorum, Antiochiam petit metropolim.* Ea in urbe cum versaretur, *teste Biographo,* qui identidem apparuerat, ei nunc demum apparet, monens patriam repeteret, seque ad exercitationum certamina accingere, tum montem ostendens, ubi asceticam palæstram poneret. Ille dicto se audientem præbens, se dat in viam.

ubi præmonstratur ei locus asceticus.

15 *Quærenti, quisnam sit mons ille asceticis* S. Eliæ *exercitationibus divinitus præsignatus, respondemus ex Caietano, qui in Animadversionibus nuperrime citatis pag.* 24 *hæc observat:* Inferius locum, ad quem S. Elias navigavit in Calabriam, quique ei demonstratus fuerat, ut asceticam palæstram institueret, SALINAS is scriptor *Vitæ* appellat; alias AULINAS. In ea Calabriæ parte videtur fuisse, quæ mari occiduo alluitur, adversum insulas Æolias, supra vetus oppidum Taurianum; quod idem scriptor extrema Vita demonstrat, cum iter describit, quo S. Eliæ corpus in Salinas aut Aulinas deportatum est: cui ex- F
cipiendo monachos ait ad Taurianum obviam processisse. Existimaverim locum hunc, asceticam S. Eliæ palæstram, Salinas dictum aut Aulinas, montem esse Parmæ oppido Calabriæ imminentem. Exstat adhuc in eo spelunca, quæ hodie S. Eliæ sacra. Sed enim hallucinantur, qui hoc loco S. Eliam Rheginum vitam egisse, eidemque cryptam dicatam putant: is enim in montibus supra Seminaram vixit, vitaque excessit. *His obiter de isto loco notatis, pergamus cum Sancto in Africam.*

Alia itineru: prædictio

16 *Eo dum iter faceret, Saracenos duodecim edocet orthodoxorum vivendi modum simul ac fidem eorem, hæresesque ac Judaïcam superstitionem nec non Mahometicæ sectæ libidinem redarguit, adeo forti orationis energia rem agens, ut præter illos duodecim aggregarit veræ fidei alios infideles octo, salutari baptismatis fonte ablutos quæ*

A *quæ pluribus a Biographo referuntur prædicto cap. 3. Ibidem num.* 23, Ut vero, *ait Vitæ auctor,* Africam prætervectus in Siciliam appulit.. Panormi matrem reperit.. quam care amplexatus cum esset, eique omnia narrasset, quæ Deus per illum in peregrinatione gesserat, cum ea multos dies mansit. *At quies hæc Sancti irrequieta exstitit, uti planum fiet ex nova, postquam nonnulla ibidem præclare gesserat, peregrinatione. Rem intellige e laudato scriptore :* Per id tempus cum Agarenorum princeps classem aciemque instrueret adversus Rhegiuos, noster Christianissimus imperator (Erat is Leo clementissimus) Basilium quemdam, cognomento Nasar, ducem constituit, ac Rhegium cum quadraginta quinque navibus, ad obsistendum hosti, mittit. Tum Elias... omnibus liquido prædicabat et Græcorum victoriam et cladem Agarenorum ; *prout re ipsa evenisse, narratur ibidem num.* 24.

rei eventu comprobata.

17 *Caietanus locum hunc exponens in Animadversionibus pag. paulo ante designata, hæc dicit:* Erat is imperator Orientis Leo VI cognomento Philosophus, qui cepit imperium anno Christi B DCCCLXXXVIII *(immo vero* 886.*) Tunc enim Basilio Macedoni patri successit, et collega imperii factus imperator. De Basilio autem duce, cognomento Nasar, observat ista :* Ejus res præclare gestas, partasque et Sarracenis victorias memorat Joannes Curopalates sub imperatore Basilio : sed hic scriptor sub imperatore Leone, Basilii filio. Ille igitur sub utriusque imperio Sarracenicis trophæis claruit. *Constantinus Porphyrogennetus in Historia Basilii Macedonis pag.* 187 *editionis Parisinæ paulo post designandæ, de illustri Nasaris victoria a Saracenis relata tractat, de rebus autem in Sicilia bene gestis pag.* 188. *Quod vero ad rationem temporis attinet, præclaræ istius victoriæ, de qua Biographus, vaticinium non edidit* S. Elias *ante annum circiter ætatis suæ* 63, *Christi autem* 886 ; *secundum ea, quæ auctor ille refert, Leonis imperatoris regno rem innectens, et secundum calculos chronologicos superius a nobis de Sancti ætate prænotatos. Videtur autem hac in re standum sententia nostri Biographi, tum quia huic facto satis vicinus fuerit, tum quia id, unde alia accepit, quæ de* S. Elia *re-* C *fert, verosimiliter hauserit e synchronorum documentis vel narratione, sicut colligi poterit ex dicendis inferius, ubi ejus in scribendo merita commendabimus.*

Cum adjuncto sibi discipulo peregrinatur :

18 *Postquam ergo Viri prædictionem ipse rei eventus comprobasset,* Panormo digressus, Tauromenium venit *:* cumque ibi per aliquot dies substitisset, quidam adolescens admiratione sane dignus, et honesto loco natus, ad illum adit, rogans ut sacro se habitu donaret. *Dictum factum.* Igitur eo loci parvo temporis intervallo commoratus, Concedamus hinc, inquit, discipulo : jam enim maximas calamitates ac mala huic civitati imminere ab Agarenis prævideo, et dux Barsamius a barbaris vincetur : ac continuo una cum discipulo in Peloponnesum navigat. *Symeon magister et logotheta in Annalibus, inter historiæ Byzantinæ scriptores post Theophanem, anno* 1685 *Lutetiæ Parisiorum typis regiis editos, pag.* 463 *agens de* imperii Leonis anno tertio decimo, *qui concurrit cum anno æræ vulgaris* 899, Per id tempus, *ait,* Tauromenium traditum Saracenis, *vel, uti est in Græco,* Agarenis. *Sed pro illa temporis ratione nos infra aliam assignabimus. In Spartæ autem fines delatus, morbos ac dæmones pellit, et Danielem discipulum ab illis postratum erigit. Hinc migrat in Epirum, deinde Corcyram, denique in Calabriam; ubique singularibus a Deo favoribus donatus ; de quibus consuli potest Biographus num.* 26 *et sequentibus. Hinc etiam conficitur, illum ob creberrima miracula, quæ patrasse refertur num.* 31, *et alibi per Vitæ decursum, jure meritissimo nuncupari posse magnum Thaumaturgum. His adde ex Biographo morum suavitatem, jejuniorum rigorem, rerum secutarium despicientiam; ut videsis apud eumdem cap.* 4 *num.* 32 *et* 33. *Romam vero profectus,* eo cum pervenisset.. non vulgari honore cohonestatus est ab eo, qui ejus cathedram obtinebat. Erat vero is Stephanus, vir plane admirabilis, qui per id temporis Romanæ Ecclesiæ clavum tenens, dignissimam eo pontificatu vitam ducebat.

Romam profectus

19 *Stephanus PP. hujus nominis* VI *(alibi ponitur* VI *vel* VII*) sedit ab anno Christi* 696 *usque ad annum* 697. *Caietano autem in Animadversionibus pag.* 24 *est* Stephanus Papa VII, qui cum Romanam Ecclesiam annos sex administrasset, vita functus est anno Christi DCCCXCI, XII Kal. Julii. *Designatur itaque hic a Caietano Stephanus* E *PP. V alias VI, qui Petri sedem obtinuit ab anno Christi* 885 *usque ad* 891 ; sed de diebus, quibus supra annos sedit, nihil certi definiri potest, *sicut videre licet apud Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum tomo* 2 *pag.* 168, *ubi insuper, eum dictum ac dicendum Stephanum V, non VI, invenies, ac* e vita migrasse circa finem mensis Septembris. *Quod hic autem Stephanus sit, a quo* non vulgari honore cohonestatus *fuit Sanctus noster, dum Romam esset profectus, suadet nobis breve illud quidem ejus, sed honorificum elogium :* Vir plane admirabilis, qui.. dignissimam eo pontificatu vitam ducebat, *uti loquebatur noster Biographus. Nam hæc consentanea sunt laudationi, quæ habetur apud memoratum Pagium pag.* 164, *et sic sonat :*

a Stephano PP. honorifice excipitur :

20 Castitate, doctrina, caritate in pauperes, omnique genere virtutum summam promeritus est dignitatem. Eo ipso, quo electus est die, et priusquam ad palatium Lateranense perveniret, pluvia diu optata post longam siccitatem et annonæ penuriam, tanta cælitus concessa est „ ut aperto „ judicio Deus ostenderet, tanti almigeri viri me„ ritis ac precibus, omnibus se velle propitiare F „ populis „ inquit idem Guillelmus *Bibliothecarius in ejus Vita :* qui postea subdit, eum Lateranense patriarchium cum expilatum invenisset, insolita jam pessima consuetudine, ut post obitum Pontificis, universa palatii Apostolici supellex diriperetur, paterna bona pauperibus erogasse : ministros probitatis et sapientiæ opinione claros elegisse : orphanos quotidie aluisse : nobiles ad paupertatem redactos vocasse ad convivium, et verbo Dei simul refecisse : Missæ sacrificium singulis diebus celebrasse, nisi caritatis officiis vacandum esset : tandemque locustas, quæ sata et vineas longe lateque depascebantur, post longam orationem juxta ecclesiam sanctorum Apostolorum, aqua benedicta exstinxisse. *Quæ hic contracta referuntur, pluribus deducta invenies apud Anastasium Bibliothecarium de Vitis Romanorum Pontificum non ita pridem Romæ editum tomo* I *pag.* 439, 440 *et* 441. *Ex dictis autem perspicuum est, ad quæ circiter tempora spectet prophetia, qua* S. Elias *Romæ degens prædixit discipulo Danieli mortem sui patris num.* 54.

Cladem a Saracenis inferendam

21 Interim cum spiritu præsentiret teterrimam cladem ab Agarenis Rhegio inferendam, relicto monasterio, quod erat in Salinis,.. Patras una cum

AUCTORE J. P.

cum discipulo petit, *sicut perhibet Vita num.* 35, *Caietanus tomo supra citato pag.* 60 *et sequentibus vulgavit* martyrium S. Procopii episcopi Tauromenii, ejusque sociorum, scriptore Joanne diacono Neapolitano; *In quo clades illa describitur. Idem Caietanus in Animadversionibus ad illud martyrium pag.* 22 *de Tauromenii expugnatore ac temporis ratione observat,* Abraymum eodem anno periisse, quo Tauromenium expugnavit, qui fuit annus Christi CMIII, ut recte ait Petrus diaconus, certumque est ex Joanne diacono Neapolitano, qui Tauromenium captum ait anno XXIV imp. Leonis ab ejus coronatione, qui annus est Christi CMIII. *Porro expugnator ille* Brachimi *nomine nuncupatur in Vita* S. Eliæ; *in Animadversionibus autem ad illam pag.* 24, *de eo hæc monet Caietanus :* Abrachen dicitur iu Menæis Græcis, qui tum in tota Africa rerum potiebatur; Africanorum rex a Joanne diacono Neapolitano. *Menæa, quæ citabam, consuli possunt ad diem* XXIII *Septembris, et Animadversiones Caietani ad Martyrium S. Procopii jam dicti pag.* 21. *Ratio autem* B *temporis, paullo ante signata, examinabitur postea. Hæc interim quæ in antecessum hic præmissa sunt, meminisse juvabit, quando de interitu istius tyranni postea tractabimus in Annotatis ad caput* 5 *Vitæ, quam illustramus, litt.* m *et* n, *quo lectorem mittimus.*

præsentit.

22 *Qua autem occasione contigerit expugnatio Tauromenitana, tradit Joannes Curopalates fol.* 48 *Historiarum compendii typis Venetis anno* 1570 *Latine editi, quando de Leone imperatore ista memorat :* Honore autem prosequens pristinam suam conjugem imperator Theophanem *(alibi vocatur* Theophano) in ejus nomine templum pulcherrimum, proximum sanctis Apostolis, condidit, templumque aliud construxit ad loca * S. Lazaro dedicatum, in quo Sancti allatum corpus reposuit atque sororis ipsius Mariæ Magdalenæ. Cumque classis iu hujuscemodi ædificiis occuparetur, Agarenorum classis Taurominium in Sicilia expugnavit, multa facta Romanorum cæde. *Consuli interim potest Pagius in Critica Baroniana ad annum* 901 *num.* 2, *ubi de emortuali Theophanonis anno, miraculis, virtutibus, cultu apud* C *Græcos ad diem* XVI *Decembris, ac panegyri meminit.*

* f. locum

Hactenus quasi pedetentim secuti sumus nostri Biographi narrationem; sed quandoquidem pervenimus ad tempus, quo diem Sanctus clausit extremum; vaticinia, virtutes, monita salutaria, sanationes, ac miracula, quibus mirifice eum excelluisse in reliqua Vitæ auctoris historia ostenditur, legi apud ipsum possunt, uti et nostra Annotata, quibus res ab eo relatas illustrare conabimur. Nunc itaque de quibusdam punctis, obitum ejus sanctissimum proxime antegressis ac subsecutis instituetur sermo.

§ III. Mortis adjuncta; quo anno ea acciderit, confici non videtur e notis characteristicis apud Caietanum, sed aliunde.

J*amque adeo longe lateque mirabilis vivendi ratio ac miracula S.* Eliæ *percrebuerant, ut Leo Græcorum imperator Virum tot cœlestibus prærogativis spectatissimum evocarit ad se Constantinopolim, prout Sanctus prædixerat Danieli discipulo suo, teste Biographo cap.* 6 *num.* 61. *Cum autem voluntati imperatoris morem gerens,* Græciam peragrabat, ac delatus in quemdam locum ab Illyrico non longe distantem, morbo tentatus est non sane gravi ac molesto : nam cælitus a Deo didicit, daret Columbo commendationis epistolam, cumque mitteret ad imperatorem, *ex Biographo cap.* 7 *(ea nempe de causa,* ut Columbus *ille* capitalis criminis reus absolveretur, *sicut præmiserat idem Biographus num.* 61) Eum igitur ut ablegavit, ipse Thessalonicam conteudit.. Igitur eo loco cum esset Elias, morbo jam ingravescente, scamnum sibi afferri postulat; quo delato ibi decubuit. Cum vero locus minime esset idoneus ad quietem capiendam, ad Caminos (locus quidam est) migravit. Hic Danielem discipulum.. ad se vocans, Ego, inquit, Daniel, fili suavissime, sicut scriptum est, viam patrum meorum ingredior : adest jam tempus nostræ resolutionis, cum octogenarius sim. D

Obiit Sanctus Thessalonicæ, præsente Daniele discipulo,

24 *Hic tantisper sistamus, et audiamus Caietanum in Animadversionibus pag,* 25 *hæc notantem :* Cum S. Elias octoginta annos natus obiisse ab hoc scriptore dicatur, obierit autem anno Christi CMIII. necesse est, illum anno DCCCXXIII natum fuisse. *Sed annus iste natalis ac emortualis etsi videtur tunc accidisse, non tamen secundum notas chronologicas Caietani, sicut conabimur ostendere continuo. Tria interim tamquam certa et Biographi verbis habemus, nimirum* 1° *locum mortis Thessalonicam,* 2° *ætatem Sancti, qua vivere desiit, octogenariam;* 3°. *Danielis discipuli ejus præsentiam. Hinc merito castigari debet Bernardinus Rheginus, quia Sanctum nostrum Rhegii in Calabria obiisse, præsente alio Elia juniore, litteris proditum reliquit, uti videre licet in Annotatis ad caput* 7 *nostri Biographi lit. g. Dies mortis diserte determinatur ab eodem Biographo* XVII *Augusti. Unde Castellanus Sanctum nostrum signans die* XIX *Julii, signat eum die non suo, sicut postea dicetur. Certum est item e Biographo,* S. Eliam *ad meliorem vitam transiisse sub imperio Leonis Philosophi. Nam inter alia, quibus* S. Elias *ante mortem affatus est discipulum suum Danielem num.* 64, Neque corpus, *inquit,* nostrum hic conditum derelinquas, neque Constantinopolim ad cæsarem deferri, ullo modo patiare : petet enim sat scio, perquiretque imperator. Quod ego cum a divina providentia accepissem, tibi epistolium ad cæsarem multo ante dedi, uti post obitum nostrum sineret corpus ad suum monasterium afferri.. Porro, si recte memini, apud te est ea epistola : servato diligenter; et cum ea evenerint (eveuient autem quam primum) mitte illam ad cæsarem : quæ perscribuntur, effecturum scio... His dictis,.. iugenti eum lætitia atque hilari vultu defecit, et positus est cum patribus suis XVI Kal. Augusti.

octogenarius. E F

25 *Laudatus sæpe Caietanus annum mortis, quem tacitum hoc loco indictumque reliquit noster Biographus, his verbis pag.* 25 *paullo ante assignata affigit* Anno Christi, ut modo, *ait,* diximus, CMIII, Eo enim anno Tauromenium a Sarracenis expugnatum est, ut Notis ad Martyrium S. Procopii, Tauromeniorum episcopi, probatum a me est *(Consule dicta superius* § 2 *num.* 21) eodemque anno contigit expeditio Himerii adversum Sarracenos, et clades Thessalouicensis, quo sanctus Elias extremum diem clausit, ut ex hac Historia satis constat. Porro Baronius expeditionem

Disseritur

A expeditionem Himerii, primi a secretis imperatoris Leonis, anno CMII locat; haud recte. Nam Joannes Curopalates simul cum Thessalonicensi clade memorat, Sarracenosque, post excisum Tauromenium, Thessalonicam expugnasse. Igitur uno eodemque anno, id est, Christi CMIII hæc omnia evenere, Tauromenii excidium, Himerii expeditio, clades Thessalonicæ, et mors sancti Eliæ. *Ita Caietanus has res cum morte combinat, non ita tamen certo ac perspicue, quin ulteriore inquisitione discutiendæ videantur, et singulæ quidem, cur et an satis recte anno Christi 903 illas innectat.*

quo anno 26 *Joannes Curopalates res illas gestas ita memorat, ut chronologicis annorum characteribus eas non distinguat. Postquam vero retulisset Tauromenium ab Agarenis expugnatum (verba et locum assignavimus superius § 2 num. 22) mox narrare pergit, caput imperatoris, qui in supplicationem publicam prodierat, ita graviter crassa ac forti virga percussum fuisse a quodam viro, parum ut abfuerit, quin ex violento percussionis impetu occideretur, nisi ejusdem vis* B *illisa fuisset, uti pluribus memorat Joannes Curopalates fol. 48 verso. Ibidem etiam inducitur monachus Marcus ita inter alia imperatorem affatus :* Oportet igitur te, o domine, ab hoc tempore ad alios annos decem imperium obtinere. Quod quidem accidit : eadem enim die post annos decem vita functus est, qua percussus fuerat. *Jam vero cum Leo imperator, de quo hic agitur, obierit anno* 911, *deberet illa percussio secundum dicta accidisse anno* 901. *Atqui, sicut asserebat Caietanus, Tauromenium excisum est anno Christi* 903, *quo, teste Joanne diacono apud Caietanum loco superius a nobis citato, fuit expugnatum : consequens ergo est, ut argumentum, quod Caietanus promebat supra ex conjunctione prætensa Curopalatæ istarum trium rerum, de quibus agimus, respectu excidii Tauromenitani, vel ex ipsis Curopalatæ verbis sit telum imbelle et sine ictu.*

S. Elias 27 *Nec fortius apparet, quod pro eodem anno* 903 *desumit ab expeditione Himerii, simul, uti dicebat, cum excidio Tauromenitano a Curopalate conjuncta. Nam interjectis pauculis post* C *narrationem ictus Leoni imperatori inflicti, auctor quidem ille sic pergit :* Himerio igitur primo secretario navalibus copiis commissis, eum contra Tripolitem misit... Verumtamen *hostes* conspicatus et numero et animi alacritate superiores, ne ausus quidem est ad eos accedere : sed Tripolita retro se recipiens ad Thessalonicam se contulit, ipsamque expugnavit, capto etiam Leone ipsius prætore, cui Tharsilacius erat cognomen ; multumque sanguinis effusum est, ac plures capti. *Verum nec Himerii expeditio, nec clades Thessalonicæ favent anno* 903, *quem Caietanus ex Joanne Curopalata signabat. Non Himerii expeditio ; de qua Pagius in Critica Baroniana ad annum* 902 *num.* 3, Varias, *inquit,* Himerius, Leone Sapiente imperante, expeditiones suscepit adversus Saracenos. Sed ea quam hic memorat Baronius ex Metaphraste, ipsomet Metaphraste teste in Annalibus eidem attributis, et nomine Simeonis magistri et logothetæ a Combefisio editis *(suspicatur tamen Pagius, Annales illos ab eo scriptos non fuisse)* anno CMIV suscepta est. Idem enim logotheta scribit : « Anno decimo octavo » (nempe Leonis imp.) ascendit navalis Agarenorum exercitus cum Tripolita adversus Byzantium *etc.* Capta direptaque Thessalonica ; multaque civium strage data, plures etiam captivos » abducunt » *etc.*

28 *Deinde sic concludit Pagius :* Quare cum Annalistæ Byzantini annos imperatorum a Kalendis Septembr. cum anno civili exordiantur, Leo annum imperii XVIII Kalendis Septembris sequentis Christi anni *(videlicet* 903) inchoavit ; anno CMIV aperiente se vere Himerium cum classe adversus Agarenos misit ; hique die XXIX mensis Julii illius anni, ut tunc demonstrabimus, Thessalonicam diripuerunt, et, nisi Simeon logotheta imperatoris pecunia bene usus impedisset, eam evertissent ; *sicut cum ibidem apud Pagium, tum apud Curopalatem fol.* 48 *verso licet videre. Leo autem Sapiens seu Philosophus successit patri suo Basilio Macedoni anno* 886 *a Kalendis Martii secundum Labbeum in Compendio chronologico, et Pagium in Critica Baroniana ad annum istum. Itaque currebat quidem a dictis Kalendis annus Christi* 903 *cum anno imperii Leonis decimo octavo, ut calculos supputanti est manifestum ; sed cum excidium Thessalonicense non inciderit in annum* 903, *sed in* 904, *sicut jamjam* E *probabitur, annus* 18 *Leonis, e Simeone logotheta supra signatus, inchoari debes more Græcorum a Kalendis Septembris anni æræ vulgaris* 903, *secundum præmissa e Pagio, ita rationem chronologicam ordinando, ut navium barbaricarum accessus ad tragicam illam expeditionem, cum die* XXIX *Augusti, quo vere accidit anno Christi* 904, *nec non cum anno* 18 *imperii Leonis, qui sic computatus etiamnum fluebat dicto die, combinentur.*

vita excesserit, J.P.

29 *Verum ne quis ea a nobis gratis dici existimet, probanda nunc sunt. Joannes Cameniata scripsit Narrationem de excidio Thessalonicensi, inter historiæ Byzantinæ scriptores post Theophanem, e Combefisio vulgatam, et una cum aliis anno* 1685 *Parisiis impressam, et non summa dumtaxat cum fide scripsit, qui utpote funestissimæ illius tragœdiæ spectator, testis et pars fuit ;* sed ita *etiam* omnia exequitur, *teste Attatio in Diatriba de Symeonum scriptis pag.* 149, ut non scribere, sed pingere, ponereque ante oculos videatur. *Laudatus itaque hujus excidii auctor pag.* 336 *classis barbaricæ appulsum memorans,* Interim, *inquit,* dum hæc a nobis frustra geruntur, venit quidam, qui barbaricas naves jam proxime F Ecboli (cujus superius mentio facta est) cervici accessisse nuntiet. Dominica tunc illucescebat IV Kalendas Augusti, anno ab orbe condito VICDCCCCXII. Fama igitur per totam urbem divulgata, turbari omnes *etc. Anni autem illi orbis conditi* 6412 *secundum Græcos computati respondent anno æræ vulgaris* 904, *quemadmodum eos exhibet Cangius in Glossario Latino-barbaro ad vocem* annus, *ut videsis tom* I *in tabellæ chronologicæ parte altera col.* 483 *novissimæ editionis. Quæ cum ita sint, concludimus contra placitum Caietani, nec Tauromenii excidium, nec Himerii expeditionem, nec catastrophen Thessalonicensem uni eodemque anno Christi* 903 *accidisse, ac proin ruinoso isti fundamento emortualem* S. Eliæ *annum superædificari neutiquam posse. Aliunde igitur eruendus ac construendus est.*

propositis

atque expensis

30 *Constat e nostro Biographo,* S. Eliam *e vita excessisse Thessalonicæ die* XVII *Augusti. Constat præterea e Joanne Cameniata, urbem illam horribili, quam dicebamus, scena non fuisse funestatam ante diem* XXIX *Julii anni* 904. *Constat tertio, urbem eodem die, quo classis hostilis appulit, non fuisse interceptam ; vide Cameniatam pag.* 340 *et* 364. *Constat quarto, barbaros ibidem,*

AUCTORE J. P.

dem, dum esset intercepta, per dies decem traxisse moram. Nam idem auctor pag. 365 referens, vitam a captivis Thessalonicensibus fuisse redimendam pecunia, iisque, quibus hæc deerat, auferendam, mox subdit : Protracta hæc per totos decem dies noctesque, cum pecuniarum multitudo continue ex urbe exportaretur *etc. Et pag.* 370 *de urbis incendio itidem pecunia redempto ubi scripsisset, de suo et barbarorum ex eodem discessu acturus,* decimo, *ait,* excidii die e portu enavigantes, atque ad Romanam portam devecti, reliquum diei ibi peregimus *etc. Ceterum deploratissimæ huic Thessalonicensium tragœdiæ plane non conveniunt, quæ sub idem tempus mensis Augusti* S. Eliæ *ejusque discipulo Danieli contigisse narrat noster Biographus a num.* 63, *atque adeo dubium esse non potest, quin Viri sanctissimi mors ejusque circumstantiæ, quæ ibidem loci contigere, ad alium annum referenda sint, sicut pluribus ostendetur paulo post.*

Variis characteribus

31 *Nec annum mortis presse ac concise possumus determinare ex urbis Tauromenitanæ excidio : præterquam enim quod alibi illud anno* B *Christi* 902, *alibi* 903 *affigatur, hujus etiam rei gestæ epocha non tam ostendit, Sanctum isto tempore obiisse, quam tunc adhuc supervixisse. Etenim, referente nostro Biographo cap.* 5, *non tantum cladem istam diserte prænuntiavit futuram; sed eidem etiam vixit superstes, cum ista ex urbe Amalphim sit profectus cum suo discipulo Daniele : ubi* dum versarentur, paucis post diebus ad eos de Tauromenii excidio perfertur, *sicut ibidem habes num.* 18. *Excidium porro illud Caietanus de Sanctis Siculis tomo* 2, *uti et S. Procopii, episcopi Tauromenitani, martyrium illigat anno Christi* 903; *nam ad hunc Joannis Diaconi Neapolitani, quo illud incipit scribere, characterismum pag.* 60 Anno imperii Leonis et Alexandri 24 *etc., observat ista in Animadversionibus pag.* 21 *:* Ut explicatam habeas rectam chronologiam, annumque cædis S. Procopii et Sociorum, scias, mi lector, bifariam posse nos numerare annos imperii Leonis VI, cognomento Philosophi ac Sapientis, de quo hic sermo est. Alter modus est a morte imperatoris Basilii patris, quæ contigit anno Chri- C sti DCCCLXXXVI; alter a coronatione Leonis. Sed enim imperator Basilius Macedo Leonem filium ab Ignatio P. C. *(id est, Patriarcha Constantinopolitano)* coronatum voluit Theophaniorum solemni die, anno DCCCLXX. Testatur qui interfuit, Anastasius Bibliothecarius (notis, *uti ad marginem additur,* ad. 8 synodum. *Vide Baronium ad istum annum sub finem.*

Chronologicis.

32 Joannes igitur Diaconus numerat annos, imperii Leonis et Alexandri, a die coronationis, ex quo Leo cum patre Basilio regnavit. Id certissimum ex charactere expugnationis Tauromenitanæ, quæ accidit anno CMIII, ut probavimus notis ad Vitam S. Eliæ Ennensis *(Nobis tamen aliter visum supra num.* 26) Recte autem convenit annus 24 Leonis ab ejus coronatione cum anno Christi CMIII, quo, Tauromenio expugnato, S. Procopius martyrio coronatus est. *Hæc Caietanus; sed manifestum est, cum in textu Joannis Diaconi Neapolitani, tum in Caietani ad illum notis, semper pro anno* 24 *scribendum esse annum* 34, *ut computatio chronologica cohæreat. Et vero facillime operi posthumo Caietani ex oscitantia typothetæ vel editoris irrepere potuit illud mendum, quod in numeris præsertim arithmeticis est proclivius, ut* 24 *pro* 34 *perperam poneretur. Pagius in Critica Baroniana ad annum* 902 *num.* 16 *e Continuatore Anonymo Theophanis, qui habetur inter Historiæ Byzantinæ scriptores post Theophanem, pag.* 225 *editionis regiæ Parisiensis, in Vita Leonis Sapientis hæc recitat:* D Tauromenium in Sicilia ab Afris capitur, ingensque Romanorum clades agitur. Lemno quoque potiti Agareni, magnam captivorum multitudinem abducunt. *Et illico addit e Symeone Logotheta (pag.* 462 *editionis ejusdem regiæ Parisiensis) Lemnum insulam anno* 15 *Leonis Sapientis captam; ideoque utramque cladem a Mutatido, calipha Babyloniensi, de cujus obitu paulo ante egerat, Christianis illatam. Sed Symeon Logotheta loco citato præmiserat proxime, de Leonis imperii anno tertio decimo agens,* Per idem tempus Tauromenium traditum Saracenis. *Annus autem* 13 *Leonis concurrit cum anno* 899 *æræ vulgaris. Non conveniunt itaque testimonia.*

Ex nostris conjecturis

33 *Verum nobis non lubet pluribus disputare, utro ex hisce dictis duobus annis Tauromenitana tragœdia acciderit; alterutro acciderit, per nos licet; videmur autem cum ex hoc facto, tum ex iis quæ narrat Biographus de* S. Elia *proxime* E *ante mortem ejus Thessalonicæ, aliquid lucis eruere, ut obitum illius innectamus anno Christi* 903, *non quidem argumentando ex principiis Caietani, quæ jam refutavimus, sed hoc modo. In vivis adhuc erat Sanctus post desolationem Tauromenitanam, atque adeo anno* 902, *vel proxime sequente, ex præmissis. Videtur autem Thessalonicam adventasse ante feralem ejus calamitatem, atque adeo uno anno præmortuus eidem fuisse. Nam si post illam eo venisset, videtur auctor noster verbulo saltem unico, quando loquitur de ista urbe, mentionem facturus fuisse de tam famosa ac lamentabili ejusdem catastrophe peracta, cum loquatur de peragenda ex prædictione Sancti, uti habes cap.* 6 *in fine. Ad hæc, ita loquitur postea de dicta urbe, acsi nihil eidem evenisset mali. Nam num.* 63 *de* S. Elia *hæc refert* : Thessalonicam contendit, in quam urbem ingredi noluit, sed ante vestibulum mansit in quodam templo sanctis Apostolis dicato : ac die insequenti ad meridiem, quando ecclesiæ vacant a frequentia populi, monachum, qui templo illi præerat, rogat, vellet in sancti martyris Demetrii se traducere. *An hæc* F *conveniunt urbi adeo recenter et tam horrendo modo populatæ, an populosæ ac florenti, præsertim si illa addas, quæ sequantur num* 65*?* Ejus obitu divulgato, coactus est ingens monachorum ac populi numerus, atque adeo ipse dux cum suo exercitu. *An hæc, inquam, tragico isti theatro conveniunt? An testis oculati Cameniatæ narrationi pag.* 350? Per omnia urbis loca dispersi sunt barbari, omnis ætas, omneque hominum genus ab eis confestim trucidatur. *Et pag.* 351 : Factum est, ut brevi temporis momento, urbs, quæ paullo ante vix non angusta habitatoribus erat, ac plebe constipata, deserta vilesceret. *Quibus adde captivorum constipationem et abductionem pag.* 371.

obiit Sanctus anno 903.

34. *Quid, quod verba Sancti, quæ recitat Biographus num.* 63, *videantur indicare aliquam de clade urbi imminente præsagitionem, in aliis eventibus prænuntiandis adeo ei frequentem :* Cum sanctus Pater urbem intueretur, suspirium petiit *, et ex animo mœrenti similis martyrem appellans, Ubi, inquit, gentium es, Demetri, martyr Christi gloriosissime, quibus tandem in locis morare? Quonam cælestium orbium tractu vagaris? Hæc cum audiret monachus, qui Eliam ductabat, non mediocriter offensus, illi secum

* f. edidit

A eum ipse maledicebat. Sed Elias, absoluta precatione, ad monachum conversus, Quid offenderis, frater carissime, quasi vero male sentiam, maleque loquar. Verumtamen ubi vel mediocris est pœnitentia, et abundat probitas, ibi Dei misericordia multis partibus major reperitur. *Atque hæ quidem nostræ sunt conjecturæ, propter quas Monachi nostri obitum affigere visum est anno æræ vulgaris 903, et secundum illas accipi volumus notationem ejusdem anni, quem in principio hujus Commentarii signavimus, nec plus eidem inesse ponderis, quam rationes modo allatæ mereantur, non ignari, iis rem præsentem plane non evinci. Observa obiter, nimis vagum a Ferrario determinari tempus vitæ, quando in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad* XVII *Augusti in notis scribit, eum* vixisse circa annum salutis DCCCLX.

§ IV. Sepultura, translatio corporis, S. Elias cum synonymo confusus; publica veneratio.

B

Corpus Thessalonicæ sepultum,

S. Elias *noster, qui Thessalonicæ placitam Deo animam efflaverat, ibidem loci etiam sepultus est. Audiatur Biographus, qui postquam narrasset ejus mortem die* XVI Kal. Augusti *obitam,* Postera, *inquit*, luce in sancti martyris Gregorii *(forte* Georgii, *uti habet noster textus Græcus)* templo pie religioseque illud deposuerunt. *Templum illud non fuisse inter præcipua tria, quæ recenset Joannes Cameniata in sua Narratione de excidio Thessalonicensi pag.* 326, *ex eo colligo, quod illud ibidem mansit ad decimum saltem mensem. Nam* Daniel, *Sancti discipulus*, cum nullo modo posset sancti Viri reliquias in suum monasterium deferre, ibidem ad decimum mensem substitit, *ex Biographo num* 65; *qui addit num.* 66 : Cæsar... jubet beati Viri corpus, quasi opimas gazas ac thesaurum opulentissimum ad se deportari, *uti Sanctus prædixerat; sed imperator, lecta ejus epistola, a proposito desistit, ac*
C *permittit, ut sacrum illud depositum Thessalonica transferatur in Calabriam.* Porro ejus monasterii fratres, junioris Eliæ pallio, sacro nimirum corpore, donati, duplicis spiritus facti sunt participes, *ait Biographus num.* 67.

deinde in Calabriam defertur: Sanctus hodiernus

36 *Caietanus in Animadversionibus pag.* 26 *occasione hujus translationis observat, duos Elias synonymos imperite in unum esse confusos a nonnullis, quos hisce ibidem, refutat verbis* ; Satis ex hoc loco constat, S. Eliæ corpus ex Græcia in Calabriam deportatum, in monasterio suo in Salinis (an Aulinis?) fuisse depositum. Quid eo factum sit, incompertum mihi est. Philippus Ferrarius *in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XI *Septembris* tradit, hoc ævo in oppido Galatri in Calabria servari in ecclesia S. Eliæ; caput vero inclusum argento alii memorant coli in æde monasterii S. Philareti juxta Seminaram. Sed ii Eliam Ennensem eum Rhegino confunduut, et quæ alterius propria sunt, alteri tribuunt. Igitur ut e multis te tricis, mi lector, expediam; scias velim, duos fuisse Elias sanctitate præstantes, alterum Siculum, in urbe Enna; alterum Rhegii in Calabria natum : quos perperam plerique confundunt. *Unde autem hallucinatio ista originem traxerit, ita recenset laudatus auctor* :

[illegible] S. P. cum alio

37 Caussæ autem erroris multæ : quod eodem ferme tempore vixerint clari fama sanctitatis et miraculorum : quod uterque monachus fuerit ex Ordine S. Basilii : quod Elias Rheginus in Sicilia aliquamdiu fuerit; Elias Ennensis diutius in Calabria sit versatus : quod uterque, seorsim tamen, diversisque temporibus, Romam adiverit ad visendas sanctorum Apostolorum reliquias : quod uterque Rhegii moratus ejus cladem prædixerit. Diversos tamen fuisse, certissimum est : nam alter Elias senior, Ennæ in Sicilia natus; alter Elias junior, Rhegii, sive, ut alii, Boeiæ in Calabria. Ille obiit Thessalonicæ in Macedonia anno Christi CMIII, XVI Kal. Augusti; hic in monasterio suo in montibus supra Seminaram in Calabria anno Christi 1050 *(immo 960, si proxime hic sequens numerus* 57 *subsistat)* III Idus Septembris. Igitur superstes Eliæ seniori fuit annos 57. Porro S. Eliæ Rhegini est corpus, quod in oppido Galatro esse traditur; et caput, quod in monasterio S. Philareti juxta Seminaram colitur. Quamquam alii corpus ejus esse dicant in specu prope ecclesiam, eidem S. Eliæ dicatam, non longe oppi- E do Melicucca. Ceterum ut ex comparatis utriusque Eliæ vitis sit vero fides, breviarium vitæ divi Eliæ Rhegini.. damus excerptum ex ea, quam Bernardinus Rheginus ex Ordine Cappucinorum composuit. *Compendium illud proxime subjungitur isti notationi eadem pag.* 26.

a variis

38 *Ex his vero, quæ de loco mortis ac translationis S. Eliæ nostri jam allegata sunt, erroris convincitur idem Bernardinus Rheginus, quando significat, eum Rhegini in Calabria obiisse, præsente altero Elia juniore. Verba, quibus hoc declarat, e dicto compendio huc transcribimus* : Ea tempestate erant in regione Rheginorum magnaque vitæ fama et sanctitatis celebrabantur viri Siculi Elias senior ejusque discipulus Daniel, monachi de familia S. Basilii, asceticam vitam agentes in quadam spelunca prope ecclesiam S. Donati martyris, multaque inibi miracula patrantes. Porro Elias junior ad seniorem hunc Eliam accessit, qui prophetiæ spiritu clarus, multarum urbium excidia prædixit, obitumque etiam suum Eliæ juniori, cui discipulos commendavit suos. Exinde Elias Rheginus missus est a S. Arsenio ad Castellum Cappense, F quod erat in territorio Rhegino.. ut ei morienti adesset. *Quæ immane quantum discrepent a loco mortis ac translationis* S. Eliæ *nostri, nemo non videt.*

confusus :

39 *In Prætermissis apud nos tomo* IV *Julii ad diem* XIX *ejusdem mensis pag.* 580 *signatur a Martyrologio universali Castellani* Elias monachus Ordinis S. Basilii apud Salinas Calabriæ; *sed hi characteres cum nostro hodierno Eliæ sint proprii, non autem synonymo, de quo agit Ferrarius supra citatus ad diem* XI *Septembris* ; *non erat differendus ad istum diem Septembris, prout ibidem in dictis mensis Julii Prætermissis, re etiam num tunc nimis prætermatura, factum est; sed ad hunc, quo proprie pertinet,* XVII *Augusti. Castellanum postea conveniemus. Pergamus modo ad publicam Sancti venerationem, quæ beatissimum ejus obitum subsecuta est.*

concursus ad corpus, integritas, favores in alios collati :

40 *Quemadmodum Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, Eliam vaticiniis, miraculis, intima animorum perspicientia, nec non magna vitæ integritate ac sanctissimis moribus illustrem reddidit quamdiu degeret inter mortales, ita etiam eum mortali corpore exutum singularibus condecoravit ornamentis, quibus contestatam esse voluit,*

AUCTORE J. P.

luit, quam pretiosa esset in conspectu Domini mors hujus Sancti. Ejus enim obitu divulgato, inquit Biographus num. 65, coactus est ingens monachorum ac populi numerus, atque adeo ipse Dux cum suo exercitu, ac toto eo die ac nocte insequente multis luminibus hymnisque functoribus decantandis, incensisque suavissimis odoramentis sacrosanctum ac venerabile sanctissimi Patris domicilium cohonestavere. *Deinde reserato post sepulturam sepulcro*, Repertum est corpus prorsus integrum.. neque quidquam detrimenti passum. *Ad hæc*, eam difflavit odoris suavitatem, ut omnis locus affatim repleretur. *Quod iterum contigit, quando e Græcia est translatum ad Aulinas vel Salinas, idque decimo ut minus post mortem mense, secundum ea, quæ habet Biographus num.* 65. *Sed enim cœnobitæ Salinenses* omnes.. in Taurianam honorificentissime, ut decebat, illi obviam processere. Porro qui fuerit eo die populi concursus, non facile quis explicaret. Mox reserata capsula reperiunt sanctissimum corpus intactum integrumque, odorum omnium odore suavissimo spirans, *teste eodem Vitæ scriptore*
B *num.* 67 : *ubi etiam invenies, ad castrum Besianum a dæmonio liberatum esse adolescentem quemdam; cujus rei gestæ narrationi subditur mentio aliorum cœlestium favorum, quibus hominum miseriæ subventum est, Sancti hujus gratia apud Deum patrocinante. Ex his abunde constat de antiquo cultu, quem habuit* S. Elias.

annuntiationes

41 *Jam vero quod attinet ad Menologia Græca; in nullo hactenus inscriptum hoc die nomen ejus invenimus, eaque de causa ad Latinos recentiores recurrendum nobis est. Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, eum ita annuntiat hac die* : Ennæ in Sicilia S. Heliæ monachi Ordinis S. Basilii; *additque in notis* ex Martyrologio siculo, et monumentis ecclesiæ Ennensis. *Vides hic Sanctum annuntiari* Ennæ, *ubi natus fuit. In Martyrologio Siculo, quod habetur apud Caietanum in Idea operis de vitis Siculorum Sanctorum, eodem die notantur ista* : Ennæ, S. Eliæ monachi, Ordinis S. Basilii. *Annuntiationem Castellani, de quo supra num.* 39, *hic integram dabimus* : Apud Salinas in Calabria, S. Elias monachus S. Basilii : cujus nomen iuditum
C est cryptæ montis, Palmæ. *Ita ille in suo Martyrologio universali ad diem* XIX *Julii : quo die ubi Sanctum signatum invenerit, nescimus; hoc constat, die eum signari non suo. Nec melioris sunt notæ quæ addit de indito Sancti nomine : Nam sive hauserit ea ex Ferrario, sive ex alio, perspicuum est, Monachum nostrum hodiernum ab eo fuisse confusum cum Rhegino, vel si vis, Taurianensi synonymo, de quo superius plura diximus.*

recentiorum hagiologorum.

42 *Etenim in Breviario seu compendio Vitæ ejus ibidem allegato hæc habentur* : In montes supra Seminaram se contulit, ut Deo quietius vacaret. Ad quorum radices, monasterium in spelunca quadam construxit; ubi multis miraculis et spiritu prophetico clarus vixit. *Ferrarius autem in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XI *Septembris ita de eo memorat* : Vitam primum apud Taurianum, urbem in Calabria excisam, in monte prope Parmam oppidum solitariam egit : ubi adhuc crypta S. Michaëlis archangeli (iu qua is degebat, quæ postea S. Heliæ dicta fuit) adhuc monstratur. *Franciscus Carrera noster in suo Pantheo Siculo pag.* 210 *ponit eum hoc titulo* : S. Elias junior monachus, Ennensis XVII Augusti, *ac insigni deinde elogio illum prosequitur* : *sed nihil* D
ex eo hic est notandum, cum illud deprompserit ex Ms. Græco codice monasterii S. Salvatoris, e cujus etiam exemplari desumpta est Sancti Vita, quam typis recusam exhibebimus, postquam nonnullis observationibus eam illustraverimus.

§ V. Scriptor Vitæ, interpres, exemplaria.

Respondetur

Quæri potest 1°. *Quodnam vivendi institutum professus fuerit auctor, qui* S. Eliæ *gesta ad posteros transmisit. Tametsi autem nullibi in eorum decursu nomen suum ac vitæ genus expresserit, Caietano tamen in Animadversionibus pag.* 23 monachus videtur fuisse in Salinis aut Aulinis in Calabria : cum, *uti animadvertit idem auctor*, tantopere monasterium illud extollat : ipsaque scriptione satis aperte monachum se arguit. *Adisis Vitam num.* 67 *et* 68. *Quæri potest* 2°. *Quandonam vixerit*. Fuisse, *sicut loco citato notat Caietanus*, non multo post tempora E
ejusdem S. Eliæ, aut iisdem fere temporibus, illud ostendit, quod sub initium auditores alloquatur, qui sanctissimum Virum probe novissent ac vidissent. *Ita quippe loquitur ibidem num* 2 : Vos autem Dei populus, gens sancta, regale sacerdotium, quotquot adestis cives, quotquot indigenæ, quotquot vestris oculis hominem vidistis, quotquot ejus famam auribus accepistis, oro vos atque obtestor, ita verba mea exaudiatis, ut nemo ex vobis sit, qui ea in dubium vocare audeat, aut nolit illis fidem habere. Jam enim vos, qui illum cognovistis, certiores reddimini *etc.*

ad varia

44 *Quæri potest* 3°. *Cujusmodi sit scriptionis character, et quanta scriptoris fides.* Vitæ stylus, *Caietano judice*, neglectus ac satis simplex; sed historiam, *ait*, existimo magna cum fide conscriptam; quod mentiendi locus non esset, recenti hominum memoria, atque apud eos qui S. Eliam ejusque res gestas si non omnes, at aliqua ex parte et cognovissent et audivissent. Quin crediderim bonam rerum partem ex Daniele, S. Eliæ discipulo, ut scriptor innuit, acceptam fuisse. *Et vero Biographus ab ornandi atque expoliendi artificio nimis affectato quam longissime remotum se fuisse, candide profitetur, quando in* F
præfatione de tenuitate sua ita loquitur : Ad hæc, supervacaneum existimabam, quæ vos nuper recensuistis, eadem nunc in medium afferre, quæ ob humile incultumque nostrum dicendi genus, paucis probatum iri optime scio. *Adde, quod cap.* 6 *num.* 62 *agens de spiritu prophetico, quo Sanctus mirifice excelluit, hæc memoret* : Multo plura his narrare solebat beatus Daniel post sancti Viri dormitionem. *Quid, quod* præterea, *prout notat Caietanus*, is plurimum nomina personarum locorumque, ac tempora satis candide, ut videtur, recenset. Id quod permagni refert ad fidem faciendam.

de Vitæ scriptore quæsita.

45 *Quæri potest* 4°. *Quo scripserit rerum delectu. Audiatur ipsemet, sub finem Vitæ ista proferens* : Atque hæc sunt, quæ ex multis collecta conscripsimus : quamquam, ut verum fatear, multa etiam sunt, quæ prætermittenda sumus arbitrati, ne propter rerum multitudinem auditoribus odiosi ac molesti essemus, aut multa congerendo nimis excresceret oratio. Quare medium tenentes, ac regia, quo aiunt, ingredientes, potiora ac notiora selegimus, ut neque auditores prolixæ orationis tædio afficerentur, nec tenuitate

A tate rerum magnum Virum despicatui haberent. *Suam itaque historiam concinnavit cum delectu rerum ac judicii discerniculo. Hæc, ut verbis Caietani dicta concludam,* adnotasse placuit, quia tam admirauda prodigia hic scriptor passim memorat, ut nonnihil quis de eorum veritate possit ambigere. Sed meminerimus, mirabilem esse Deum in Sanctis suis.

Ejusdem exemplar. 46 *De suo autem exemplari monet ibidem sequentia* : Ceterum Vitam Græce habuimus ex Mss. membranis monasterii S. Salvatoris, e familia sancti Basilii Magni, juxta Messanam: quam latinitati reddidit pater Augustinus Floritus e nostra Societate. *Apographum Græcum Vitæ apud nos etiam est; sed mendose transcriptum, quod unde sit desumptum, distincte indicatur hisce verbis, quæ eidem apponuntur* : Ex bibliotheca S. Salvatoris prope Messanam cod. 41 pag. ρ'ϙ' sive 190 ad 205. Est Latine apud Caietanum in SS. Siculis tom. 2 pag. 63. *Porro hoc titulo prænotatur:* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρος ἡμῶν Ἠλίου τοῦ νέου. *Id est* : Vita et res gestæ sancti Patris nostri Eliæ junioris. *Erunt fortasse. qui non gravate hic legant* B *Vitæ Græcæ istius exordium. Sic ergo habet:* Τῶν τῆς ἀρετῆς ἀθλητῶν καὶ τῶν τῆς εὐσεβείας ἀγωνιστῶν τοὺς ἀγῶνας καὶ τα κατορθώματα ἀγαθὸν καὶ δίκαιον καὶ πρέπον, καὶ ταῖς διὰ λόγων γεραίρειν καὶ δημοσιεύειν τιμαῖς, καὶ θεοπρεπέσι καὶ πανδήμοις πανηγύρισι μακαρίζειν. *Hæc habui, de quibus lectorem præmonerem: plura dabunt Annotata ad singula Vitæ capita. Hanc itaque nunc exhibeo in titulos ac numeros sequentes de more a nobis divisam.*

VITA

Auctore anonymo, monacho, ut videtur, synchrono vel suppare,

e Ms. codice Græco monasterii S. Salvatoris prope Messanam.

C

PROLOGUS.

Auctor de egregiis Sancti virtutibus scripturus

Operæ pretium est, qui pro virtute ac pietate strenue decertarunt, eorum pugnas ac præclara faciuora non modo verbis exornare laudibusque extollere, sed frequentissimis etiam, ac religiosissimis celebritatibus cohonestare, ac venerari. Quid enim hoc præclarius, vel sola memoria repetendo, conari aliquis potest? Quid utilius, quid ad sanctimoniam comparandam, animique cogitationes ad disciplinæ præcepta dirigendas aptius? Quid ad impellendos auditorum animos ad virtutem acrius? Neque enim æquum est, hominem a pietate abhorrentium vitas literis commendari; eos vero, qui in sanctis piisque exercitationibus totum vitæ suæ cursum confecerunt, silentio occultare, illorumque faciuora sempiterna memoria et admiratione digna, omniumque utilitati maxime accommodata, ea vero contemni, ac per summam socordiam sine ullo honore prætermitti. Quæ cum ita sint, vestra auctoritate compulsus ad præclarissima celeberrimi patris nostri Eliæ Junioris *a* facta componenda, primum equidem verebar, ne illotis, quod aiunt, manibus, ea nimis audacter tractare viderer, quæ nulla sunt ratione contrectanda, priusquam mecum expendere didicissem, quo pacto ad ea aggredi, et de admirabilibus Dei Optimi Maximi prodigiis verba facere oporteret; Dei enim vere sunt; quamquam ejus famuli, pro suo quisque virtutis modo, patrare videantur. *A. ANONYM.* *a*

Tenuitatem suam fatetur. 2 Ad hæc, supervacaneum existimabam, quæ vos nuper recensuistis, eadem nunc in medium afferre, quæ ob humile, incultumque nostrum dicendi genus, paucis probatum iri optime scio. Verumenimvero cum videam grave periculum impendere servo, qui acceptum a Domino talentum in humum defoderit, atque occultarit, nulloque auctum fœnore neglexerit; prætermissis omnibus, ad ipsam rem aggredior, rerum præclare gestarum fructus vobis afferens uberrimos ab agricola illo, omni admiratione dignissimo, qui ab ipso cælestium orbium tractu nos intuetur, et bonorum omnium auctorem, atque largitorem pro nobis deprecatur, ab eo, inquam, colono, animorumque parente, quem laudandum, ornandumque hac oratione proposuimus. E Vos *b* autem Dei populus, gens sancta, regale sacerdotium, quotquot adestis cives, quotquot indigenæ, quotquot vestris oculis hominem vidistis, quotquot ejus famam auribus accepistis, oro vos, atque obtestor, ita verba mea exaudiatis, ut nemo ex vobis sit, qui ea in dubium vocare audeat, aut nolit illis fidem habere. Jam enim vos, qui illam cognovistis, certiores reddimini; qui vero ignoratis sanctissimi Viri insignem virtutem, admirabimini. Ac certo scio, ab admiratione in ejus imitationem vos esse traducendos. Etenim ut, quod res est, dicam; præclarissimi hujus Ascetæ vita iis, qui illius studio efferuntur, certissimam ac tutissimam in cælum viam sternit, atque communit, cujus ego precationibus maxime confisus jam nunc narrationem exordior. *b*

ANNOTATA.

a Junior *cur appelletur, dictum est in Commentario huic Vitæ prævio* § 1 *num.* 5.

b *Ex hoc loco ibidem* § 5 *num.* 43 *visus nobis est auctor Vitæ vixisse* S. Eliæ *par ætate vel suppar.* F

CAPUT I.

Natales, sancta pueritia, captivitas, vaticinia.

Parentes, patria, pueritia sanctitate illustris.

Sanctissimus pater Elias, cæli incola beatissimus, qui universo terrarum orbi miraculorum splendore enituit, ac rebus præclare gestis nobis ad Deum contendentibus facem præluxit, optimum monachorum exemplum, ac regula antiquissimis illis patribus, qui virtute et miraculis maxime claruerunt, longe simillimus, terrenus sane angelus, homo profecto cælestis, fuit genere Siculus, in urbe, quæ Enna *a* appellatur, natus parentibus illustribus, ac piis, qui etiam a nobilissima Rachetarum familia genus ducebant. Quem simul in hanc lucis usuram mater edidit, Joanni nomen indidit, ut vel hinc agnoscas, quemadmodum idem, quod Christi Præcursor, nomen est sortitus, ita maxima fuisse *a* gratia

A ANONYMO. gratia ab ipsis incunabulis a præpotente Deo impertitum, et iisdem, quibus Elias, passibus ingressurum, eadem gratia donatum. Eam urbem cum essent Cathaginenses *b* depopulaturi, parentes filium, ac pauca de suis opibus accipientes, in sanctæ Mariæ castrum *c* sese recipiunt. Eo loci cum versarentur, magnam capiebant lætitiam, quod Puerum, octavum jam annum attingentem, viderent et sibi morigerum, et in virtutis via progressus facientem. Dederat enim illi Deus ut futurorum exitus longe provideret, eum sicuti olim Samuelem e matris utero diligens, et jam inde a puero, ut Jeremiam, Sanctorum numero adscribens.

Barbara servitus ei prædicitur:

4 Hic, cum in nocte dormiret, visus est in somnis audire, qui diceret: Oportet, Joannes, te captivum in Africam abduci, ac barbaris servitutem servire, uti multos inibi, qui non satis sunt in religione firmi, in virtutis viam dirigas, atque confirmes. Id simul parentibus aperuit, tanta diligentia servabatur, ut extra urbem ne latum quidem unguem excedere ei per parentem liceret. Verum ad duodecimum annum cum adolevisset, ac multo majore B gratia cumularetur, sacræ precationi diutius vacare cœpit, ut qui ex Apostolo audivisset: Sine intermissione orate. Porro non modo ante, sed post somnum etiam orare consueverat. Divinis Literis sedulam operam navabat, quæque ex his excerpserat, animo assidue volutabat, studens se pro dignitate illius respondere, qui ipsum ad se vocaverat. Cum vero memoria repeteret, quæ de servitute in somnis vidisset, impendio magis precabatur: Domine Jesu Christe, qui voluntatem timentium te facis, ac preces eorum exaudis; quando tuæ ita visum est bonitati, fac in probum herum incidam.

d cladem futuram prænuntiat:

5 Sancto igitur Spiritu afflatus, quæ oppido *d* eventura essent, cœpit ante prædicare, quem admodum hostes in urbem impetum post tres dies facturi essent, multorumque hominum stragem edituri, eos nominatim appellans, qui ea clade mortem essent oppetituri. Igitur populus ad eum coactus rem melius ex eodem audire prægestiebat. Tum ille divinum os adaperiens, eos ad pœnitentiam adhortabatur, [a] sceleribus ac flagitiis se continerent, vitam degerent virtutibus præclaram, studerent caritati non fictæ, ut ait Apostolus, et C sanctificationi, sine qua nemo umquam Deum videre potest: simul adverterent illud Evangelii: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Hæc cum ille prædicaret, boni omnes gaudebant, in tenera ætate maturam quamdam senilemque prudentiam agnoscentes. Ac nonnulli quidem veluti divino cuidam vati, alii tamquam homini, sacris mysteriis per cælestes illas mentes initiato attentas aures præbebant. At vero stulti, quique de plebis fæce, nihilominus habitantem in Adolescente Spiritus sancti gratiam attendentes, divinare illum, ac vaticinari, malaque ominari dictitabant.

capitur

6 At cum Saracenorum adventus jam propius immineret, re divinitus cognita, mandat populo, sibi caverent, rebusque suis invigilarent, non dissimulanter nuntians ceptam omnino barbarorum incursionem. Verum cum parentes in vicum nescio quem, necessitate compulsi, profecti essent; ipse solus domi substitit. Interim quodam die ab æqualibus cogitur, aliquantisper cum his extra urbem exire. Igitur non multo longe progressi cum essent, continuo in eos Saraceni invadentes, omnes capiunt: in quibus cum se captivum videret Puer Deo acceptissimus, continuo se fletu conficiebat, memoria repetens, quæ Deus sibi per quietem dixisset; D se nimirum in Africam aliquando abducendum. Sed Dei providentia, qui omnia facili negotio conficit, factum est, ut a quodam Christiano, qui ex illa esset regione, emeretur.

a Saracenis; sed, visione præcedente,

7 Igitur cum illinc solverent, et se alto committerent, sane quam acerbe querebatur, divelli ac sejungi a complexu carissimorum parentum; adeo ut præ nimio animi mœrore somno occuparetur. Ibi in somnis sibi adesse visus est *e*, qui diceret: Quid ita, fili, te lacrymis et angoribus afflictas? Et Puer, Quid ni, inquit, fleam, cum in hac ætatula meis me orbatum parentibus videam? Atque ille, Ne ita te excrucies: Deus enim te genitoribus tuis hodie reddet, ac simul qui tecum sunt omnes, qui erant ad viginti supra duccutos. Is autem ad hominem, quem videbat, Quis tu, inquit, es, Domine, qui mihi tam prospera ac secunda nuntias? Ego sum, inquit, Christi discipulus et apostolus Ananias. Sed profecto quidem rectius intelligemus, eum non tam Ananiam fuisse, quam cælestem gratiam a Deo collatam, quæ Adolescen- E tem vel ab ipsa ineunte ætate mirum in modum ornavit, atque cohonestavit: quod enim sibi velit Ananias, quam gratiæ donatio, vel Dei gratia, sive etiam gloria *f*?

f parentibus restituitur.

8 Hæc etiam visio iis, qui primas in navi tenebant, est oblata, qui audire visi sunt: Agite, jam cursum convertite, ac Puerum hunc missum facite; utpote qui Dei mancipium sit; sin minus, pro certo sciatis, in manus Græcorum militum *g* vos hodie deventuros. Ii vero, quæ per visum cognoverant, ridentes, ac nihili facientes (impuris enim mentibus nihil boni potest offerri, cui fidem habendam esse cognoscant) cursum sequebantur. Jam octava hora præterierat, cum navigium apparet, quasi Syracusis solvisset, maximum, ac longe velocissimum, instructum hominibus robustissimis ac bellicosissimis, ac jaculandi peritissimis: qui simul hostes prævertere, facili negotio opportuneque prædones flagitiosissimos subito aggressi, eos capiunt. Captivi in libertatem asseruntur, ac Puer sanctissimus carissimis parentibus restituitur: quoniam Dominus non despicit sperantes in se, ut est in Psalmis: et Prope est Dominus omni- F bus invocantibus eum; omnibus, qui invocant eum in veritate. Verum cum tres annos cum suis parentibus versatus est, iisque se dicto audientem omnimodis præstitisset, pater naturæ concessit; mater a conjuge viduata, in Filio post Deum spes omnes suas collocaverat, utpote quæ neminem alium haberet, cujus ope ac subsidio se misera sustentaret.

In Africam, antea divinitus ea de re præmonitus,

9 Quæ cum ita essent, ad sancti Adolescentis aures vox divinitus affertur: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, sicut insignis ille patriarcha Abraham: age, jam ad nos concede, et, transmisso mari periculosissimo, in Africam trajice; quemadmodum olim a principio tibi est demonstratum. Tum is Dei Opt. Max. jussa libenti sane animo capessens, magnoque peregrinandi desiderio inflammatus, eidem supplicabat, quam primum rem conficeret, seque salvum in tanto rerum discrimine tueretur. Secum inde reputabat, undequaque præstare, hominem Christi gratia minutum peregre esse, quam domi cum propinquis ac necessariis vitam jucundissimam, omnibus voluptatibus cumulatum, transigere.

10 Non multo post, ecce tibi Agarenorum irruptio priore longe crudelior atque immanior. Cumque

a Saracenis abducitur ac venditur.

A Cumque ab iis, quæ supra memoravimus, oppidis longe abesset Adolescens, (jam enim ad præclara certamina vocabatur) ab illis comprehenditur, rursusque a quodam homine Christiano emptus, in Africam abducitur. Is alteri etiam Christiano coriario multis opibus affluenti vendidit; qui liberalem Adolescentis aspectum, morumque suavitatem ac disciplinam perspiciens, tum assiduum precationis studium, in obsequendo sedulitatem, animum simplicem ac sine omni dolo ac fastu, morigerum ac lenem, cœpit illum vehementer diligere, ac veluti Ægypto Josephum Pharao, ita hunc domui suæ præfecit, resque omnes ejus curæ ac fidelitati credidit, atque commisit. Eo loci eam vivendi rationem tenuit, quæ Deo esset acceptissima, carnem spiritus imperio premens ac domans, adeo ut non modo Christianis, qui inibi versabantur; sed ab ipsis Ismaëlitis et suspiceretur et commendaretur.

ANNOTATA.

a Enna *pluribus exponitur in Commentario*
B *prævio num. 2: quibus addi potest ejusdem nominis etymon. Thomas Fazellus de Rebus Siculis prioris decadis lib.* 10 *pag.* 203, Condita fuit, *inquit*, hæc urbs a Syracusanis, duce Enno, a quo et nomen sortita, ut plerique traduut... Quamquam res ipsa, natura loci, et culturæ frequentia, nominis etymologiam e Græco producere videantur: ennæiu (*imo* ἐνναίειν) namque Græcis inhabitare, sive intus habitare significat.

b Carthaginenses *sive Saraceni. Vide Commentarium prævium* § 1 *num.* 8.

c S. Mariæ castrum *ubi ponendum sit, incertum; videri tamen in Mediterraneis fuisse, prænotavimus ibidem.*

d Oppido, *id est*, illi *nempe* castro; *ex Græco textu nostri apographi, ubi dicitur* κἀκείνῳ τῷ κάστρῳ.

e *Ibidem dicitur* τινὰ λευκοφόρον ἱππότην, *id est*, equitem quemdam candidatum, *vel* qui ferebat candidam vel albam vestem.

f Ananias, *nomen viri Hebraïcum, q. d. Latine* Dominus est propitius, *sicut invenio in expositione nominum propriorum novi Testamenti*
C *ad calcem Manualis Georgii Pasoris. In vocum autem Hebraïcarum etc. interpretatione, quæ habetur ad finem Bibliorum sacrorum vulgatæ editionis, cur* anania *redditur* nubes Domini?

g *Videlicet eorum*, qui in Siciliæ præsidio erant adversum Saracenos, *sicut observat Caietanus in suis ad hanc Vitam Animadversionibus pluries supra citatis.*

CAPUT II.

Castitas Sancti frustra impugnata; sanatio moribundi ac infirmorum; ipsius a morte liberatio; visitatio Terræ sanctæ; vitæ ac nominis mutatio: gesta Alexandriæ.

Verumenimvero bonorum omnium hostis infestissimus, qui fidelibus semper invidere eosque odisse consuevit, tantam videns in Adolescente virtutem, iniquo sane animo ferebat; sed amentia ac furore elatus, omnes undique illi insidiarum machinationes locat ac struit. Nunc miseræ hominem perturbat ac divexat, nunc pravas animo cogitationes subjicit: post paullo dulcissimæ parentis, necessariorum discidium in memoriam redigens diræ Puerum affligebat. Hic vero oratione ac magna in Deum fiducia fretus, omnes illius conatus ac dolos præclare elusit, penitusque evertit. Porro cum sanctissimum Adolescentem hisce technis capere se minime posse adverteret, sed contentionibus suis multo esse præstantiorem, aliter hominem aggredi tentat: mirum enim, quam facilia sint ejus in pravum studia. Qua vero id ratione præstiterit, auditote. Heri sui conjugem, quæ carissimum Adolescentem perdite deperibat, infinitis propemodum dolis aggreditur, eosque stimulos injicit, ut amoris æstum misera ferre non posset. Itaque vultum sibi instar pictoris adeo præclare nitideque medicatur, ac fuco et cerussa depingit, ut lacteum illius candorem diceres, nitentesque rosas genis esse adnatas, oculis totoque vultu lasciviam ac petulantiam spirare: comam calamistro vibratam E eleganter componere, vestes omnemque ornatum perbelle concinneque sibi aptare, eaque demum efficere, quæ pessima quæque amentissima femina effecisset, his ut artibus illum ad se pelliceret, tantam pulchritudinis elegantiæque vim suspicientem atque obstupescentem.

A Adolescentulo. Dæmone multa in Sanctum machinante, mulier salax

castitatem ejus impugnat, sed frustra.

12 Sed novus Josephus, ut qui ardentissimo continentiæ amore teneretur, firmissimus quasi murus ac munitissimum propugnaculum se opponeus telis omnibus, quæ nova etiam Ægyptia conjiceret, egregie obsistebat. Corpus per vigilias, ac temperantiam domans, duriterque carnem macerans, ac conficiens humi cubationibus, ac remotis mollioris lecti, balneique deliciis. Ceterum multis post diebus ad mercaturam herus peregre profectus cum esset, servo domi relicto, multo acrioribus libidinis stimulis impudentissima diaboli ministra concitata, magis magisque cœpit insanire, et non modo in omnibus, quæ gereret, intemperantiæ œstrum præ se ferre; sed Adolescentem etiam omnibus libidinis illecebris petulanter adoriri: qui veluti ab igne longissime resiliens, a contumelia ac maledicto se continebat, dominii jura reveritus. Atque eadem, quæ F Josephus usurpabat: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in dominum meum? Addebatque, An non, si hoc flagitii ausim, tellus dehiscens me absorbeat et in profunda infernorum deturbet? An non in me fulmina cælum contorqueat? Quare alium ex impuris sordidisque hisce hominibus pro tua libidine diligas licebit, mulier; me autem non est, ut ejus verborum lenociniis atque illecebris in fraudem inducere ac irretire speres.

Hinc admissi sceleris accusatur, ac pessime tractatur:

13 Illa vero, ut suo se voto frustratam videt, apud virum, qui in præsentia de mercatura reverterat, Adolescentem hac impostura criminatur. Quid, inquit, puerum hunc Siculum adduxisti? nempe ut me ludos faceret. Ad nefarium enim scelus suscipiendum me inducere confidentissimus atque impudentissimus cogitabat. Ego vero flagitium summopere aversata, ut pudicas honestasque matronas decet, aures vultumque alio converti. Jamque ab audaciæ impudentiæque magnitudine

A. ANONYMO. gnitudine perterrefacta, verberibus in illum animadvertere cogitabam : sed metuens nequissimi servi fugam, compulsa sum contumeliæ infamiam linguæ silentio occultare. Jam igitur rem tenes; tu quid factum oporteat, vide. Hæc simul vir audivit, pristinum amorem in odium, ut par erat, convertit, et ob admissum scelus fortissimum Athletam diris exemplis cœpit habere; nunc flagris cædere, nunc in capillos involare, sæpe etiam catenis ac fuste multare. Tum videre erat sanctissimum Adolescentem quotidie malis undique circumventum, magnumque cruciatum, ac dolorem certamen sustinentem : lætum tamen, hilaremque spe præmii ac coronæ, et cum D. Paulo canentem; Quis nos separabit a caritate Christi? neque tribulatio, neque angustia, neque fames, neque persecutio, neque periculum. Hujusmodi verbis animam suam appellans, fortiter adversa tolerabat, illud memoria probe tenens : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

B *sed detecta deinde innocentia cogitat Palæstinam :* 14 Igitur cum in hisce ærumnis ac calamitatibus versaretur, divinam sibi opem adesse sensit. Illi enim nocturnis precibus vacanti adstitit, qui diceret : Bono animo sis, Adolescens : mox enim quibus malis cingeris, eripiere : nam impura illa ac scelesta meretricula, quæ in hæc te mala conjecit, cadet in foveam, quam fecit, et in operibus manuum suarum comprehendetur? Vix biduum præterivit, cum vir ejus feminam turpissimam cum adultero deprehendit, ac statim domo ejecit. Post vero ubi ex famulis cognovit, Adolescentem potius a muliere agitatum; cui facinori assentire cum noluisset, hanc imposturam ab illa fuisse excogitatam; jam tum magno illum in honore habere cœpit. Is vero cum se pretio redemisset, factus jam libertatis compos, ex ea familia discessit. Tum sacra oratoria frequentare, noctes psalmis hymnisque canendis transigere ac vehementer desiderabat in Palæstinam proficisci, ut quibus in locis pro nostra salute acerbissimos cruciatus Dominus noster tulit, in iisdem Deum ac Servatorem veneraretur, ibique sanctum monachorum habitum indueret.

moribundum sanat. C 15 Hæc secum reputanti rerum suarum moderator apparens; Quam, inquit, sana, Deoque accepta sunt consilia tua! Prospere igitur inceptum iter sequere, et jam nunc facultatem accipies malis morbisque omnibus medendi atque sanandi. Hanc visionem rei confirmavit eventus : cum enim Christianus quidam ac Ismaëlita inter se contenderent, Christianus districto fuste Ismaëlitæ caput contudit atque confregit. Is a propinquis sublimis rapitur, et in lecto agens animam collocatur : mox ambos ad amceram *a* sistunt, qui improbum facinus admiratus, jubet Saracenum domum deportari, qui mox spiritum exhalaturus videbatur; Christianum vero obtruncari. Hæc ubi rescivit Homo admirabilis, præpropere ad moribundum accurrit, caput amplectitur et, signo crucis clam impresso, pristinæ sanitati restituit; adeo ut continuo exsurgens ad præfectum adiverit, populoque miraculum promulgarit. Hoc ut audivit ille, ira in admirationem conversa (virtus enim vel immanissimos durissimosque homines frangere atque emollire consuevit) et cædis reum absolvit, et sancto Adolescenti hæc libere patrare permisit.

16 Tanto sed enim prodigio passim divulgato, omnes de gente Ismaëlitica, quotquot morbis conflictarentur, ad eum confugientes rite sanabantur, ac proinde illum habebant perinde ac hominem cælitus demissum ad se curandos atque servandos, dignumque omnes existimabant, qui tamquam Dei Homo in eorum domos intromitteretur, ac benedictione impertiret : ac nonnullis Ismaëlitis persuasit, ut a vana, qua tenebantur, religione discederent, ac sacro Baptismate lavarentur : idque noctu accersitis sacerdotibus præstabat : neque enim ibi deerant ea tempestate sacerdotes digni, qui præpotenti Deo sacrum Missæ sacrificium offerrent; in quibus eminebat beatissimus episcopus Pantaleon, pietate ceterisque virtutibus præclarissime exornatus; qui et verbis docebat, et moribus verba confirmabat. Hic aliquando cum sacris operaretur, Homo Dei candidissimam columbam supra illius caput circumvolantem vidit. D *aliosque Saracenos a variis morbis curat.*

17 Igitur cum hæc mira, ut dictum est, a sanctissimo Viro ederentur, ac ejus doctrina per universam regionem passim promanaret, principes viri gentis Ismaëlitæ apud Ameramnem *b* in jus vocant, ut qui novam religionem in urbem inferret, ac Mariæ Filium Spiritui nescio cui, ac Patri coæternum, ac consubstantialem prædicaret, ac Prophetam *c* per summum dedecus contemneret, ejusque vaticinia pro nihilo haberet. Tum fidelissimus ille satanæ satelles in carcerem trudi Virum innocentissimum jubet, in crastinum illi vitam erepturus. Quid interim generosus ac robustus Pancratiastes *d*? Non animum despondit, non rebus suis desperavit, non expavit tyranni minas, non horruit, animoque consternatus est ad latam in se de capite sententiam; sed perstitit constans, immotus, imperterritus; exspectans affuturum sibi a Deo subsidium, cujus factus est compos. Quippe cælitus vox ad Hominem venit : Salve, Athleta, cras ab hoc carcere incolumis egrediere : ac prima luce, qui ei provinciæ præerat, et in vincula illum conjecerat, potestatem facit libere abeundi. Sanctus vero Dei Vir, paulisper commoratus, ut Christi fideles confirmaret, in Sanctam *e* inde civitatem proficiscitur : manibusque continenter in cælum sublatis, Deum suæ imbecillitatis adjutorem implorabat, dicens : Dirige me, Domine, in semitis tuis, et ambulabo in via tua. Et rursus, Viam veritatis elegi, et judicia tua non sum oblitus. Et, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, et in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua : et alia id genus, quæ itineri esseut accommodata, crebro usurpans, mense Aprili *f* tandem in Sanctam civitatem pervenit. Ibi sacrosanctum venerandumque Domini nostri Jesu Christi sepulchrum veneratus est, unde resurrectionis gratia nobis effulsit. *Ob fidem orthodoxam ad mortem destinatur; sed cælitus liberatur, et Hierosolymam intrat.* b c E d e F f

18 Per id tempus Hierosolymitanam ecclesiam tenebat Elias *g* Patriarcha, vir admirabilis, cælestique prudentia ornatissimus, qui incomparabili sapientia et doctrina orthodoxa ecclesiam mirum in modum illustravit. Huic illius adventus cælitus est indicatus : qui Virum adiens, perspecta, quæ in eo inerat, Spiritus sancti gratia (animus enim eum a pravis est carnis libidinibus immunis, ac divino incomprehensoque splendore collustratus, alienas animi motiones facile potest perspicere) Video, inquit, in seculari isto habitu institutum sensusque monasticos. Ille vero ubi consilia animi sui omnia viro sanctissimo aperuit, confestim Patriarcha precibus in S. Calvario effusis, sacro illum habitu induit, suoque de nomine Eliam appellavit. Voti igitur compos factus novus Elias per aliquot dies in ea civitate substitit, ut sanctissima loca lustraret, atque veneraretur : *Ibidem induit habitum monasticum, vocatur Elias, visit loca sancta etc.*

A tur: inde ad alia viscenda egreditur, in quibus Dominus noster nostram est salutem operatus. Ac primum in Jordanem fluviorum omnium sanctissimum proficiscitur: inde ubi ex sacrosanctis illius aquis voluptatem hausit incredibilem, ad Genesaret viscendum contendit, ibi locum lustraturus, quo loco paucm ac piscem SS. Apostoli comederant, quem illis post suam resurrectionem Christi Dominus distribuerat. Hinc ad montem Thabor, et ad locum, quem Duodecim sedes vocant

h *h*: post ad Sina, ubi Deus Opt. Max. Moysi servo suo sacra mysteria aperte ostendebat. Sic velut per depictas tabulas veritatem assequebatur: non quod loco circumscribi divinum Numen existimaret, ea loca, quæ divinis apparitionibus fuissent illustrata, novus Elias salutaret; sed quia sciret eos, qui vehementi in Deum essent amore inflammati, non modo quæ idem loca pressisset ac lustrasset, sibi esse carissima atque jucundissima; sed iis etiam, in quibus Elias versatus fuisset, summopere delectari.

B 19 Huc igitur cum advenisset, ibique tres annos commoratus fuisset, singulorum patrum instituta ac studia sedulo observabat, atque hujus gratiam, illius ad principia contentionem contemplabatur. In alio lenem animum, et ab iracundia longe alienum; in isto mansuetudinem atque humanitatem, demum ab omnibus pietatem, religionem, mutuamque caritatem, arctissimam concordiam, clementiam, magnanimitatem, vigilias, humi cubationes, temperantiam addiscebat. Hæc omnia colligens, studebat in dies magnos in perfectæ cumulatæque virtutis via progressus facere. Verum post triennium illinc decedens Alexandriam venit: sed priusquam in urbem intraret, quidam illi occurrit, qui a dæmone oppressus e civitate ventitabat. Is divinum plane hominem intuitus, humi prorsus in faciem cecidit, ac spuma os fœdans, dire cruciabatur. Tum Vir sanctissimus ejus vicem commiseratus, signum crucis in homine cum efformasset, pristinæ valetudini restituit, eacodæmone procul inde exterminato. Complures etiam alios adversa valetudine utentes Deus per illum morbo liberavit. Porro sæpenumero ad vesperam egrediens ad sancta martyrum templa, totam noctem Deo supplicaturus adibat Marci

i Evangelistæ *i*, ac Petri episc. et martyris celeberri-

l mi *k*, Menæ *l*, Cyri, Joannis martyrum etiam præ-

C clarissimorum.

Alexandriam venit, dæmonem pellit, et multos ab ægrotis morbos.

ANNOTATA.

a *Græce* τῷ ἀμηρᾷ, *secundum exemplar nostrum. Caietanus in Animadversionibus*, Hic, *inquit*, AD AMERAM, paulo post AD PRÆFECTUM dicit. Dignitatis nomen fuit, quo princeps Mahometes appellari se jussit. Sigebertus de Mahomete: « In regno Sarracenorum quatuor prætores statuit, qui amerei vocabantur: ipse vero ameras dicebatur ». Postea vero nomen ad Saracenorum imperatores, regesque et præfectos traductum. *Consuli præterea potest Cangius in Glossario Latino-barbaro ad vocem* amir; *ubi invenies*, amiras *et* amiralios *apud Saracenos et Turcas, esse satrapas urbium vel præfectos provinciarum, atque adeo sultanos, qui caliphæ suberant; item varie efferri apud scriptores ejusmodi vocabula.*

b *Caietanus in Animadversionibus*, Græce, *ait*, AMERAMNI. Emendandum censerem AMERAS. APUD AMERAM paulo post dicitur QUI EI PROVINCIÆ PRÆERAT. Nomen igitur hoc loco est pro summa apud Saracenos in Africa potestate. Tradit vero Joannes Curopalates, imperatorem Saracenorum in Africa, AMERAM dictum; sed in Hispania AMERMUMNEM, itemque in Perside. Igitur nisi sit hoc loci AMERAMNES nomen viri proprium, vel legendum AMERAS vel AMERMUMNES. *Ita Caietanus, citans Curopalatem in Michaële Rangabe et in Basilio.* A. ABORTHO.

c *Mahometem intellige.*

d Pancratiaste, *q. d. pancratio victor.* Pancratium *autem* constabat pugilatu ac luctatione, ac ita dicebatur a πᾶν et κράτος, quod omnium nervorum viriumque contentione transigeretur. Nam non pugnis modo, sed et calcibus et cubitis utebantur, ut indicat Fabius lib. II cap. VIII. Falsus est Hermolaus Barbarus, cum putabat ita dici a πάντα et κρατεῖν, a vincendo omnia, ut pancratium sit certamen, quo quis quinque certandi generibus congreditur, hoc est, cursu, pugilatu, lucta, saltu et disco. Confudit enim Hermolaus πένταθλον et παγκράτιον. Vide quinquertiones. *Hæc observat Vossius in Etymologico linguæ Latinæ: e quibus abunde intelligitur, nomen superius sancto nostro metaphorice applicatum esse.* E

e *In nostro apographo Græco nonnulla, quæ hic præcedunt, non invenio: plurima item alia in eodem non lego, quæ interpres Latinus e suo Græco exemplari transtulit. Vide Annotata ad cap. 3 lit* c.

f *Quo anno? Vide Commentarium* § 2 *num.* 12.

g *De isto patriarcha disputatur ibidem* § 1.

h *Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ pag.* 143 *varia de amœnissimo hoc monte collecta reliquit posteris; sed de loco isto* Duodecim sedium, *nihil ibi reperio, nec apud Quaresmium in Elucidatione Terræ sanctæ tom.* 2 *lib.* 7, *peregrinatione* 4 *cap.* 2.

i *De S. Marci templo Alexandriæ mentio fit apud nos ad diem* 22 *Aprilis pag* 349.

k *Colitur a Latinis die* 26 *Novembris, quo agendum de eo erit. Consuli interim possunt quæ occasione S. Marci Evangelistæ habentur apud nos loco mox citato, et in Historia chronologica Patriarcharum Alexandrinorum ante tomum* V *Junii a pag.* 34*.

l Menam *martyrem cum Hermogene et Eugrapho Alexandriæ annuntiat Martyrologium Romanum die* 10 *Decembris: sed cum synonymo huic Martyri alios adjungat socios Biographus noster, puto eum ab isto esse diversum.* F

CAPUT III.

Aliæ peregrinationes, Saraceni aliquot ad Christum conversi, vaticinia, perspicientia animorum, vita ascetica, miracula.

Verum ubi vidit interpellari sua studia, ac maximo honore [se] affici, gloriæ contemptor egregius, quietisque studiosus, clam ex urbe evadens, ad Persidem contendit, magno videndi desiderio succensus ea loca, in quibus tres Pueri, ac Daniel *a* vates sanctissimus certamen inivisset, eorumque a

Persidem, inde Antiochiam et Africam petit, Saracenos instruit

A. ANONYMO. corumque reliquias rite venerandi. Verum seditione a barbaris ibi excitata, eo proficisci prohibitus est. Quare ad Antiochenorum metropolim se confert. Ea in urbe cum versaretur, qui identidem apparuerat, ei nunc demum apparet, monens patriam repeteret, seque ad exercitationum certamina accingeret: tum montem *b* ostendens, ubi asceticam palæstram poneret. Ille dicto se audientem præbens, se dat in viam: jam enim Homo purissimus optime noverat, cuinam parendum esset igitur in Africam iter faciens, in duodecim numero Saracenos incurrit, qui itineris longitudine languidi simul conquiescendum sibi putavere. Tum Saraceni a S. Elia rogare, quæ nostra esset religio, quidve de augustissimæ Trinitatis mysterio sentiremus. Qui illis respondens, Nostra, inquit, Christianorum fides purissima est, nullisque sordibus inquinata, quam sacrosancti vates, atque Apostoli suo testimonio comprobarunt, atque signis ac prodigiis viri sanctissimi stabiliverunt ac confirmarunt: idcirco puram et ab omni scelerum macula intactam vivendi rationem sequentes, et caducis B hujusce seculi rebus nuntium remittentes, ac paupertatem amplectentes, castimoniam atque adeo virginitatem, tolerantiam simul et frugalitatem commendamus.

de religione orthodoxa, et eorum superstitionem refutat,

21 Vestibus utimur ad tuendum corpus; et qui per ignaviam ac socordiam corporis cultum negligunt, eos hortamur ac, quoad possumus, impellimus, ut quod necessitas postulat, sibi curent. Credimus vero in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non tres deitates aut tres naturas, aut tres deos inter se majores aut minores opinamur: neque enim alium deum præter tres hasce Personas agnoscimus, quæ sunt Pater, Filius, et Spiritus sanctus, in quibus unum Deum confitemur unamque unius deitatis originem, unum imperium, unam potentiam, unam agendi vim, unum consilium, unam voluntatem, unam dominandi administrandique rationem unius naturæ ac substantiæ in tribus Personis. Ceterum vestra Ismaëlitarum superstitio, ex diversis sectis conflata, minime cohærere potest. Etenim cum Patri soli generationis experti divinitatem tribuatis, jam in Arii hæresim declinatis; Christumque purum putum hominem, ac C vatem esse cum affirmetis, rursus in ejusdem Arii dogma relabimini: item cum illum neutiquam vere, sed ficte simulateque ac veluti per phantasma, mortem, crucemque acerbissimam oppetivisse asseratis, cælestem regem oppugnatis. Jam vero cum vos circumciditis, Judæorum legem sectamini; pluresque uxores domum ducentes, Deo obsistitis. Unum enim adjutorium viro, non plura Deus tribuit: cumque discinctos dissolutosque lumbos habeatis, intemperantes estis in voluptatibus, nec longe a belluis dissimiles in libidinibus.

ac ad veram fidem convertit.

22 Atqui bruta ipsa impetus, quem natura injecit, modum aliquem novere; at vos quocumque nefariæ libidinis genere contaminati, nullum turpitudini finem facitis. Nec immerito quidem, cum propheta vester, cui vos divinos honores impenditis, ex sectis omnibus deteriora quæque decerpens, eaque tradens, quæ omnibus nimium carnis voluptatibus deditis grata essent, maximeque accommodata, vos misere decepit; atque hæc servantes, vitæ sanctimoniam vos assequi arbitramini. Et nos quidem in re nostra, siquid testibus opus sit, non unum plane testem, sed duos etiam ac tres, atque adeo plures producere, ac laudare possumus; vos vero cum unum solum testem habeatis vestræ superstitionis, ejus vos maximopere pudere debet. Hæc cum ille dixisset, D permoti sunt barbarorum animi, eumque enixe rogarunt, cælestis gratiæ lavacro sese tingeret. Quod cum præstitisset, eos ex servitutis filiis, in filios libertatis per sacrum Baptisma commutavit. Cum his duodecim simul octo alii ad regenerationis fontem accesserunt. Atque is erat noster Elias, ejusque oratio ita erat divino sale condita, plane ut infideles divinarumque rerum expertes ad fidem Deique cognitionem facile traduceret.

In Siciliam delatus

23 Ut *c* vero Africam prætervectus in Siciliam appulit, velut maxima oneraria multis variisque mercibus onusta, Panormi *d* matrem reperit, omni virtutum genere cumulatam: quam care amplexatus cum esset, eique omnia narrasset, quæ Deus per illum in peregrinatione gesserat; cum ea multos dies mansit. Per id tempus cum Agarenorum princeps classem aciemque instrueret adversus Rheginos *e*, noster Christianissimus imperator (erat is Leo *f* clementissimus) Basilium quemdam, cognomento Nasar *g*, ducem constituit, ac Rhegium cum quadraginta quinque navibus ad obsistendum hosti mittit. Tum Elias, utpote cujus E perspicacissimam mentis aciem divinus splendor illustrasset, omnibus liquido prædicabat et Græcorum victoriam ac cladem Agarenorum: proinde beato erectoque erat animo Dux; jam enim vaticinandi vim, vitæque sanctimoniam Viri integerrimi ubique fama divulgaverat.

victoriam prænuntiat: inde in Peloponnesum se confert.

24 Igitur Panormo *h* Rhegium proficiscente Agarenorum classe omnes incolæ, horribiles hostium impetus metuentes, decedere cogitabant: sed noster Elias, qui Mosaïcis etiam charismatis esset repletus; Ne timeatis, aiebat, viri; Dominus pugnabit pro vobis, quibus sane pace ac quiete frui licebit. Tum Basilius dux cum nonnullis delectis militibus hosti occurrens partem barbarorum fudit, partem in mare deturbavit, atque demersit, nonnullos superstites, dum cunctando sibi salutem quærunt, cepit, ut de his triumphatis victoriæ trophæum erigeret: sic vaticinationem divini patris nostri Eliæ minime vanam fuisse comprobavit eventus. Ceterum in Panormo digressus, Tauromenium *i* venit; cumque ibi per aliquot dies substitisset, quidam adolescens admiratione sane dignus, et honesto loco F natus, ad illum adit, rogans ut sacro se habitu donaret, Sanctus vero Dei Vir, quæ in pectore inerat sancti Spiritus gratia, cum provideret candidatum illum magna cum pietate in monastico instituto vitam ducturum, in monachorum numerum tonsis capillis adscribit, et quo fortius adversarii posset armis obsistere, antiquum in Danielis nomen commutavit. Igitur eo loci parvo temporis intervallo commoratus, Concedamus hinc, inquit discipulo, jam enim maximas calamitates ac mala huic civitati imminere *k* ab Agarenis provideo, et dux Barsamius *l* a barbaris vincetur. Ac continuo una cum discipulo in Peloponnesum *m* navigat.

Morbidos sanat: discipulum a dæmone prostratum erigit:

25 Cum autem in Spartæ *n* finibus esseut, (ea est Laconum urbs) cuidam templo Cosmæ et Damiano *o* martyribus gloriosissimis dicato succedunt, ibique commorantur: et quamquam Elias se occultare sedulo studeret, cælestis tamen splendor in eo coruscabat; plane ut incolæ omnes divinum profecto hominem esse conjectantes, ad eum æstu febrique jactatos adducerent; quos ille omnes crucis signo rite procurabat: inter quos erant puellæ duæ a pravis spiritibus malis modis divexatæ, pro quibus ut Deo supplicaret, qui perduxerant,

A duxerant, sanctissimum Virum rogabant. Eas vitalis crucis signo obsignatas confestim sanavit. Tum virgines, sanæ mentis jam compotes effectæ, Deo gratias agunt, quod eo munere sanctum Virum donasset. Porro ad vesperam, cum consuetas Deo preces persolvissent Elias et Daniel, quisque seorsum de more cubitum eunt. Erat e regione templi antrum profundum ac tenebricosum. Huc igitur penetrans Daniel, totam noctem insomnis precando transegit: quod dæmones, qui ea in specu latitabant, ferre cum minime possent, juvenem derepente, nihil tale suspicantem aggrediuntur, cumque dire vellicantes foras extraxerunt, plane exanimem derelinquentes. Verum divinus Elias mane illum perquirens, jacentem ac suspirantem ad antrum reperit. Cum vero ex discipulo rem omnem cognovisset: Non est, inquit, quod mireris fili, neque enim ipse solus talia perpessus es, verumetiam alius monachorum rector ac præceptor. Mox oratione Dominica super eum recitata, manum porrigens erexit e terra, ac statim convaluit ille, cui paulo ante humi prostrato se de solo B tollere non licebat: verumtamen humeri ejus, ut dicebat, veluti robustissimis nervis pulsati, lividi cernebantur.

cum eo petit Epirum; ubi injurias eis illatas p q r s

26 Interim Barsamio Tauromenitani exercitus duci evenit id, quod divinus Pater multo ante *p* prædixerat. Atque illinc enavigarunt in Botrotum *q*. Hæc veteris *r* Epiri civitas est. Per id tempus ibi aderat Epinius *s*, qui secundas a duce exercitus tenebat, homo impius, ventosus ac protervus. Is sanctos viros cum aspexisset, nihilominus divinam in illis sancti Spiritus gratiam inhærentem attendens (impius enim animus etiam ipsos coporis sensus inertes habet ad sua munera obeunda) asperioribus verbis in eos est invectus, Agarenos, perditosque urbis exploratores appellans: tamen illi ad hominis pedes provoluti supplicabant, ut de peregrinis monachis talia ne suspicaretur. At ille tametsi a præfecto etiam rogaretur (erat enim Elias præfecto notus) numquam adduci potuit, ut iram minueret; sed superbo elatoque supercilio jubet innocentes viros detrudi in carcerem, ac rite, magnaque diligentia servari, in eos tamquam atrocis sceleris reos postera luce animadversurus: jam enim tum erat vespe- C ra. Cum autem in custodiam ducerentur, divinus Elias discipuli vicem dolens, ægreque ferens; Mihi, inquit, vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus.

Deus ulciscitur. Corcyram appellunt. Sanatur amens mulier.

27 Porro ne quis miretur, quod audiat justos interdum cruciari; sciat is tyrannis tradi non ut plectantur, sed ut potius probentur; non ut arguantur, sed ut gloriosi enitescant, ac nobis, qui incogitate inertem vitam ducimus exemplaria sint atque incitamenta ad patientiam complectendam. Quid igitur? An servorum suorum injuriam moratus est ulcisci Deus? Minime quidem: sed die insequenti injustus ille judex, pectore a proprio equo calcibus male impetito, confestim animam efflavit: populus vero cognita divina ultione, Deo omnium servatori ac gubernatori gratias, laudesque cecinerunt. Igitur missi, Romam contendere statuunt, sed præpediti Corcyram *t* appellunt: ibi apud episcopum *u* diverteutes, in quodam cubiculo delitescebant: sed præclarissimum Eliæ lumen latere neutiquam poterat: nam a quibusdam illius ecclesiæ viris rogatur, uti pias pro quadam insana muliercula preces Deo effundat. Ea carissimo filio, ut dictitabat, orbata, nimio se luctu ac dolore conficiens, a mente atque a se discesserat. Abnuit sanctus Vir. Rursum illi instant mulierem ad se venire patiatur: quod profecto ille non tulit; sed fiat, inquit, prius ad Deum oratio, et Dei virtutem perspicietis; cujus ubique gentium misericordia longe, lateque diffunditur. Facta itaque precatione, eodem temporis articulo, presbyteri domum mulieris concedentes, eam mentis compotem sanamque reperiunt.

A. ABORTHO.

In Calabriam delati vitam asceticam exercent. x

28 Porro discedentes Corcyra in Calabriam prospere navigarunt, et in locum, qui sancto Eliæ demonstratus fuerat, venientes, cognomento Salina *x*, asceticam palæstram ibi instituerunt. Eo loci cum versarentur Elias et Daniel, agrumque divinis consitum virtutibus colerent, plerosque ad id vitæ institutum sectandum excitavere, seque multis viam ad æternam salutem præstitere; a malo pravoque in meliorem frugem revocantes. Probos enim viros semper consectari solet utile ac conducibile. Idcirco suos Dominus discipulos docebat: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Sæpe et in alia loca commigrantes hi Deo acceptissimi Patres duo, nequaquam animi quietem ac E tranquillitatem mutabant, sed semper iidem erant et cum sese in monasterio exercerent, et cum inter seculi rumores versarentur, variaque loca permutarent. Qui enim secundum Dei leges vitam instituunt, iis profecto locus omnis est porro tutus, ac periculo vacuus: neque enim virtus circumscribitur loco.

Præclara S. Eliæ ad virtutem monita:

29 Ceterum divinus Elias in animis curandis, siquis alius uspiam, egregie præcellebat, multis in scelerum via cursum adhortationibus suis interrumpens persuadensque ne carnem adversus spiritum stimularent, neque corpori indulgereut, quæ libido expeteret, sed quæ uecessitas postularet: oculos auresque contiuerent, cohiberent olfactum, linguæ parcerent, tactum coërcerent, iram prohiberent, modum quemdam desideriis præfigerent: totos se Deo dederent, arma orationem, firmissimum murum ducerent jejunium, a superbia ac fastu vehementer abhorrerent, demissioni studerent; quæ alii gererent, minime animum intenderent, quæ sursum sunt saperent, quæ sursum sunt quærerent, ut Apostolus præcipit: nihil cum virtute conjunctum ad ostentatio- F nem facerent, sed rectam in his intentionem haberent, animumque in alios lenem ac clementem. Hæc, et his plura præcipiebat illis, qui ad se ventitabant, louge alios, atque venerant, remittens, ex flagitiosis hominibus effectos probitatis cultores.

vaticinia, perspicientia animorum:

30 Vaticinandi dono, æque ac prisci illi divini Patres pollebat, futura providens atque prædicens. Nec mirum, cum Deum in se haberet, quæ longe remota essent aperientem atque demonstrantem. Quippe multis vel ante hebdomadam vitæ finem prædicebat, eos adhortando, uti se ad tam longinquam peregrinationem ornarent. Qui peccassent, clanculum ac seorsim monebat, ut a pravo se abstinerent. Verum cum nihil sibi obsequentes videret, sæpenumero ante omnes objurgabat. Agarenorum excursiones populis multo ante prædicabat, et cum aut victi, aut victores essent futuri. Quin Siciliæ oppida *y* ante barbarorum irruptionem misere devastanda præ oculis providens fratribus narrabat. Aliquando virgam vidit in Calabris regionibus extentam, ac sane illam portendere dicebat ultionem in eos, qui male flagitioseque viverent. Siqui ad eum venirent, qui turpibus corporis animique motibus quateren- y
tur,

A. ANONYMO. tur, mentis acie cognoscebat et qua se vinci libidine sinerent, et quam ipsi libidinem vincerent.

excellentia in omni genere miraculorum.

31 Jam vero miraculorum vis quanta in Elia fuerit, experti sunt omnes, qui variis morborum generibus affligebantur: quorum testes sunt non ipsa modo litterarum monumenta, se vivæ etiam omnium voces. Quot viri et feminæ a malis spiritibus divexati, ejus attactu, aut salutari ad eum precatione valetudini sunt restituti suæ! Quod ægroti corpore male affecto, vel sola sancti Viri præsentia sunt procurati! Quot capite dolentes sanati! Quot occultis calamitatibus pressi, ab Elia liberati! Quot maris ventorumque tempestate jactati, ad sancti Viri orationem confugientes periculo sunt exempti, cum ipsum remis incumbentem cernerent, ac eum fluctibus obluctantem, navigiumque in salutis portum ducentem! Quod e summis arboribus præcipites ruentes, membris male collisis atque confractis, ejus præsentia sanitatem sunt adepti! Verumtamen eum hæc præstaret, non sibi, sed uni Deo gratias esse agendas profitebatur. Non enim meum hoc est dicebat, ita ut mihi gratiam habeatis, sed præpotentis Dei, qui virtutes ac dona B hominibus, prout sibi collibitum fuerit, distribuere dignatur: quare non est, miraculorum vir admiremini, eosque felices ac fortunatos prædicetis, qui illa moliantur; sed eos, qui ad virtutem totis nervis incumbunt, hos laudetis, hos beatos existimetis velim, horum vitam imitari studeatis: neque enim extremo die, quis ad æterna flammarum incendia damnandus est, quod mira non patraverit, sed quod divinas leges violaverit.

ANNOTATA.

a S. Danielis *collecta sunt gesta tom.* v *Julii, die* 21 *a pag.* 117.

b *De hoc loco agit Commentarius prævius* § 2 *num.* 15. *Vide etiam inferius lit.* x.

c *Hic Ms. nostrum Græcum pergit cum hac versione. Consule quæ dixi superius in Annotatis ad cap.* 2 *lit.* e.

d Panormus, *vulgo Palermo, urbs Siciliæ notissima, et inter alias istius insulæ præcipua, archiepiscopalis ac regia. Plurima de illa collegit* C *Fazellus. Vide indicem ad ejus libros de Rebus Siculis.*

e Regium *(unde* Rheginus *ejusdem incola vel accola) urbs est Calabriæ ad oram freti Siculi et e regione Siciliæ insulæ; vulgo Regio ab incolis dicitur.*

f *Consule Commentarium prævium* § 2 *num.* 17.

g *De eo Commentarius ibidem.*

h *Tametsi enim Saraceni post eversas Syracusas anno Christi* 878, *sicut habet Pagius ad istum annum num.* 15. *etiam Siciliam et vicinas regiones anno* 879 *devastarint sub Basilio Macedone, prout tunc refert idem auctor num.* 14, *Panormum tamen solam pro munimento reliquerunt, teste Cedreno in Nicephoro Phoca imperatore, seu Historiarum compendio pag.* 650 *editionis regiæ Parisinæ; ubi hæc memorantur:* Cum Africani Sarraceni Syracusas cepissent, imperante Basilio Macedone, reliquas etiam urbes everterunt, tota insula potiti, solamque Panormum pro arce et receptaculo reliquerunt. *Hæc Cedrenus; sed videntur ista vel accommode accipienda, vel deserendus Cedrenus; cujus si auctoritatem spectes, non magnaadmodum est; sin ætatem, satis ab ista re scripsit remotus, cum sit auctor seculi* D 12; *atque adeo tribus post nostrum Biographum seculis. Non videntur itaque esse vera, quæ dicit de eversis tunc reliquis Siciliæ urbibus, Saracenis tota Siciliæ insula tunc potitis, ac relicta pro receptaculo sola Panormo, quia Biographo nostro sunt contraria; qui indicat, Tauromenium tempore dicti Leonis etiamnum superstes fuisse; ut videsis infra lit.* k; *Commentarium prævium* § 2 *num.* 18, *et Annotata ad cap.* 5, *lit.* c.

i Taurominium *vel* Tauromenium, *vulgo Taormina, urbs parva Siciliæ in ora orientali ad mare Siculum. Plura geographi.*

k *Civitas itaque illa tunc nondum erat eversa.*

l *Res ab eo gestas non didici hactenus, nec refert operosius illas indagare.*

m Peloponnesus, *id est,* Πέλοπος νῆσος Pelopis insula, *a quo rege legitur denominata; regio ampla, sed proprie tantum peninsula est, ab Austro Græciæ ceteræ adjecta; nunc vulgo ab Italis la Morea vocatur.*

n Sparta, quæ et Lacedæmon, urbs *olim* clara Peloponnesi, et Laconiæ caput Polybio, Straboni et aliis, ad Eurotam fluvium, a Sparto Inachi E nepote condita, *ait Baudrantius. Situm exhibet Cellarius Notitiæ orbis antiqui lib.* 2 *cap.* 13 *in mappa geographica Græciæ propriæ ad pag.* 704, *ac deinde pag.* 772 *varia de ista urbe colligit. Notum est proverbium* Ἔλαχες Σπάρταν κόσμει Spartam nactus es, hanc orna; *id est, quamcumque nactus fueris provinciam, officium, dignitatem, sortem etc. partes in eisdem strenue agendo tuas, cum decoro, quod obtigerit, tueare et administra. Consuli potest Manutius infra citandus, a pag.* 600.

o *De sanctis istis Martyribus agetur cum Martyrologio Romano ad diem* 27 *Septembris.*

p Multo ante; *sed quot ante annis vel mensibus, latet nos. De tempore autem istius eventus agit noster Commentarius* § 2 *et* 3.

q Buthrotum, *vulgo Botronto, in ora littorali maris Ionii et Buthroti sinus, ex adverso urbis et insulæ Corcyræ: oppidum non ignobile vocat Cellarius loco supra citato pag.* 697, *ubi de eo plura. Vide nostra Annotata inferius ad cap.* 7 *lit.* p.

r Veteris Epiri. *Cellarius ibidem pag.* 693 *de Græciæ regione Epiro agens, in veterem ac novam* F *dispescit illa: et veterem quidem definit;* novam *vero,* quæ multis, *ait,* post seculis ex Illyricanis Macedoniæ gentibus conscripta fuit, ad medii ævi geographiam reservamus. *Apud Labbeum tomo* 4 *Conciliorum inter epistolas Hormisdæ PP. col.* 1140 *una inscribitur titulo* synodi Epiri veteris *ad eumdem Papam, nec non alia hujus Papæ ad synodum eamdem col.* 1441.

s *Divina contra eum vindicta refertur inferius num.* 27.

t Corcyra, *vulgo Corfu, notissima maris Ionii insula et urbs in ejus ora Epiro obversa.* Insulæ, *inquit Plinius lib.* 4 *cap* 12, ex adverso Thesprotiæ Corcyra, a Buthroto duodecim mil. pass. eadem ab Acroceraunis quinquaginta mil. cum urbe ejusdem nominis Corcyra, liberæ civitatis, et oppido Cassiope, temploque Cassii Jovis, pass. nonaginta septem mil. in longitudinem patens: Homero dicta Scheria et Phæacia, Callimacho etiam Drepane ... Nec procul ab iis *(Paxis nempe duabus insulis)* ante Corcyram Ericusa, *de qua dicetur infra.* Corcyra *porro Græce vocatur* Κέρκυρα.

u *Antiquitas hujus episcopatus colligitur ex eo,*

A eo, quod apud Labbeum tomo 2 Conciliorum col. 53 inter provinciæ insularis episcopos, qui concilio Nicæno subscripsere, notetur Appolodorus Corcyræus. Carolus a S. Paulo in Geographia sacra pag. 198 editionis posterioris accenset Corcyram provinciæ Napolitanæ seu Epiri veteris. At quisnam est episcopus ille anonymus Corcyrensis, qui hic in Vita notatur? In collectione Conciliorum, quam noster Joannes Harduinus vulgavit, tomo 5 col, 928, anno 870 subscribit concilio Constantinopolitano 4 Michaël episcopus Cercyri. Præsul itaque iste Corcyrensis vixit quidem temporibus S. Eliæ; verum an tamdiu supervixerit, ut Sanctum exceperit hospitio Corcyræ, perspicuum non est : hoc quippe factum, saltem spectato ordine narrationis Biographi nostri, diu post annum 870 acciderit oportet. At forte fuerit Demetrius vel Pachomius, de quibus meminit Biographus postea cap. 4 num. 35.

x Caietanus in animadversionibus supra indicatis pag. 24, Sed inferius, ait, idem scriptor Aulinas nominat. Jam dixi, locum hunc in monte, qui Parmæ oppido ad mare Tyrrhenum incumbit, B extitisse. Vide quæ in antecessum dicta in Commentario nostro prævio § 2, num. 15. Sed in Geographia Blaviana volumine 8 in tabula Calabriæ Ultra, ut vocant, scribitur non Parma sed Palma, et ad maris Tyrrheni oram jacet non procul Seminara, et inter utrumque hunc locum ponitur mons cum nomine S. Eliæ.

y Ex hoc etiam loco cognoscimus, inquit Caietanus paullo ante citatus, imp. Leone Philosopho, pleraque Siciliæ oppida a Saracenis nondum occupata fuisse. Adisis quæ superius sunt præmissa.

CAPUT IV.

Morum suavitas, jejunia, secularium rerum contemptus, maris sedatio, vaticinia.

C Quam vero suavis erat in sermonibus, quam jucundus, quam comis! Via regia *a* incedens ueque excelsos spiritus sine demissione habebat, nec demissionem despicatam atque contemptam; sed accurate se gerebat, sicut amussis, ac rectissima regula monastici instituti; noc iracundus, non vafer; cultu * ita serenò, ut vel ex eo hilaritas tranquillitasque animi emicaret. Quæ causa erat, ut multos ad occultorum criminum confessionem traheret : neque enim aliquis uuus erat, qui errata sua illi detegere erubesceret; cum videret, ut erga se misericordia movebatur, ac bonum animum, spemque habere jubens, ac recipiens pœnæ partem se etiam daturum. Illud vero identidem dictitabat, peccata, quæ per confessionem non expiarentur, in pejus ruere, ac graviora nobis apud inferos incendia excitare solere. Quid enim illius ignis materia sit, nisi mortalium scelera? Nunc de jejunio quid dicam, quod ille perpetuo colebat? Ac panis sali adjunctus lautæ opiparæque ei dapes : potum purus fons, cespes cubile præbebat. Pro jucunda amicorum consuetudine, integras noctes pedibus insistere, pro balneis lacrymas ac suspiria mittere, ac perpetuo instantem mortem animo volutare : et in hac tamen vitæ duritie atque asperitate promptior ad A precandum, ac pulchrior lætiorque enitebat iis, qui abdomini suo nati, in curanda cute totum vitæ tempus conficiunt. Quod si ab iis, qui sibi necessitudinis vinculo juncti essent, aliquid obsonii apponeretur, comiter placideque sumebat. Atque ea erat sancti Viri ratio vivendi.

Morum suavitas, jejunia, *a*

* *l.* vultu

33 Sed jam oratio nos invitat, ut ad ea quoad fieri potest, explicanda aggrediamur, quæ suo ordine consequantur. Cum ei necesse esset ad Pentadactyli *b* agrum ire, ac stagnum, quod ibi esset, una cum Daniele transvaderet, discipulus accedens Psalterium pulchre a se elaboratum ac fabrefactum ostendebat; quod cum vidisset, I vero, inquit, atque illud in stagnum projice. Jam juvenis gnarus, quid esset, obedientiam violare, continuo jussa Præceptoris facessit. Et jam ad sex passium millia processerant, cum Elias ad Danielem, Revertere, inquit fili, ac Psalterium recipe. Is autem reversus illud reperit integrum, et ab aquis intactum, quod Præceptori ostendens, magna admiratione tenebatur, qua ratione nihil detrimenti ab aquis cepisset. Cui E respondens sanctus Vir; Tua, inquit, obedientia, fili, codicem servavit incolumen. Verumtamen operæ pretium est, paupertatem summo nos studio complecti; ne forte rideant nos cælestes illæ mentes, qui mundo scilicet remisisse, ac monasticum institutum sequi profiteantur. Sicuti enim quis valere minime dicendus est, qui vel uno corporis membro laboret, ita nec monachum vere inopem, et ab ægritudinibus animi immunem, qui aliquo uno caducarum rerum desiderio teneatur.

rerum secularium contemptus *b*

34 Sancti martyris Pautaleonis oratorium ingressus, duos viros præclara luce conspicuos sibi visus est in somnis videre sub specie atque habitu Petri et Pauli, Apostolorum principum, qui dicerent : Cras sine ulla mora cum discipulo Romam proficiscere. Ac narrabat ille, se suumque discipulum splendidis vestibus ab iis fuisse exornatos, thorace opinor justitiæ, ac scuto fidei ad dæmouis tela ictusque facile propulsandos. Tum ad gallicinium, comite discipulo, Romam iter tetendit. Eo cum pervenisset, effusis primum ad Deum precibus, non vulgari honore cohonestatus est ab eo, qui ejus cathedram obtinebat. Erat vero is Stephauus *c*, vir F plane admirabilis, qui per id temporis Romanæ Ecclesiæ clavum tenens, dignissimam eo pontificatu vitam ducebat. Hic complures dies commoratus, dixit aliquando discipulo : Hac eadem hora, fili carissime, Jonas pater tuus ex hac vita decessit : sed ne admodum tristeris, cum pie vitæ tempus ille transegerit. Atque distat Tauromeuium Roma, ubi tum Elias versabatur, viginti dierum itinere : Daniel vero horam diemque uotavit, qua patris obitum sanctissimus Præceptor sibi demonstravit : ac ubi Roma iu Calabriam revertere, compererit eodem ipso die, atque adeo hora, parentem suum mortem obivisse, quemadmodum sanctus Vir ante prædixerat. Et vero admirari licet illius animæ puritatem, qui tam longo intervallo cum abesset, confestim id cognoverit, ac discipulo indicaverit.

vaticinium Romæ edit : *c*

35 Illud etiam uou huic dissimile. Cum Rhegii aliquando essent, dum matutinæ preces persolverentur, ad quemdam nomine Demetrium, qui primas inter presbyteros tenebat, accedens, Scite nobis, inquit, benedic, episcope. Is ratus sanctum Virum animi falsum esse, ut qui alium pro alio benedictionem rogaret; Ignosce, inquit, Pater; neque enim ego sum episcopus. Tum

ac Rhegii; sedat iratum mare :

A. Anonymo.

Tum ille, Quid te episcopum esse inficiare, quem ego episcopi homophorio *d* indutum videam? Sane non me fugit ratio, quodque Deus semel statuit, id omnino perficiet. Demetrius autem, qui vaticinandi munere divinum Eliam pollere ante cognovisset, alta mente vaticinium sancti Viri reposuit ac servavit. Nec post multo Constantinopolim profectus, ejusque Patriarcham conveniens, sanctæ Corcyrensis ecclesiæ episcopus sufficitur, in locum Pachomii viri præclarissimi. Interim cum spiritu præsentiret teterrimam cladem *e* ab Agarenis Rhegio inferendam, relicto monasterio, quod erat in Salinis (jam enim Dominum dicentem audierat, Cum vos persequentur ex hac civitate, fugite in aliam) Patras *f* una cum discipulo petit. Quæ navigatio, sicuti et aliæ, prospere ei feliciterque obtigit; cum sancti Spiritus aura ubique illi aspiraret, nec parum opis maternæ preces afferrent. Inibi cum in maxima vitæ tranquillitate esset, a quatuor hominibus impuros spiritus exegit, precibus crucisque signo adhibitis. Mox Rhegio jam concessisse hostes, aliis procul indicavit : idcirco reditum maturabat.

B Dum igitur Jonium mare navigat; ecce tibi, repentina tempestas, ventus vehemens, imbres, nimbi, procellæ, turbines concitantur. Tum omnes, qui navi vehebantur, cum mortem pene oculis viderent, ad sanctum Virum confugiunt, ut suis precibus iis præsto esset, qui in alto jactati, tanto vitæ discrimine versarentur. Tum ille de more vectoribus obsequens, surgit, ac mari crucis signum imprimi : e vestigio ponunt venti, cadit undarum fragor, mare placidissime sternitur. Ex *g* eo secunda usi navigatione, Rhegium tenent : inde suum in Salinis monasterium revisunt.

matris obitum præscit :

36 Ubi autem a multis interpellari se videt, inanem populi auram fugiens, in Mesobiani montes *h* se abstrudit, nimirum pacatiorem vitam exacturus. Hic solertem sedulamque apem imitans veræ philosophiæ mellificium obibat, socio et adjutore discipulo. Ita plures dies in magna animi tranquillitate commoratus, barbarorum impetu cælitus indicato, in Salinas repedavit. Eo loci sedens aliquando, ut consueverat, quasi per mentis excessum, dum secum reputat; quibus præmiis boni in cælo perfruantur, quibusque pœnis C improbi in tartarorum barathro mactentur, in Siciliam se convertit, homo in altissimo contemplationis pelago immersus. Ac paullo post singultus ac lacrymas mittens, Affer, inquit discipulo, acerram, nosque in funebres precationes effundamus : jam enim mater mea Deo carissima mortalibus exuta spoliis ad cælestem Dominum evolavit, atque ego immortales illi gratias ago et habeo, quod illam non sine præmiis exceperit, sed uberrimos laborum fructus magno cum fœnore reddiderit. Quod Daniel rite notavit. Nec multo post, nonnulli Panormo illuc adventantes nuntiant, quo die sancti Viri mater naturæ concesserit. Ibi Daniel chirographum extrahens, reperit eumdem ipsum fuisse diem, quo die funebres Deo preces S. Elias obtulerat.

morbi arterici dolores sanat :

37 Quidam nomine Constantinus, Scylla *i* ortus (est vero Scylla inter Siculum ac Tyrrhenum mare sita) artericis, quod aiunt, doloribus dire cruciatus, ad sanctum Virum effertur orans; ut per sanctas ejus preces, sui Deum misereret : nam pro comperto omnes habebant, quidquid vellet, facile a Deo exoraturum, utpote qui divinis præceptis semper paruisset. Is itaque morbi atrocitatem perspiciens, atque ægrotum commiseratus; Fieri, inquit, non potest, ut ab eo morbo aliquando D emergas, nisi prius a flagitiorum, in quo volutaris, cœno emerseris. Quod si te facturum recipis, in spem venio fore, ut per nostras abjectissimi homuncionis precationes Deus optimus placatus pristinæ te reddat valetudini : eam enim morbi sævitiem per immoderatam commessationem luxuriem tibi conciliasti, teque plane perdidisti. Sane adversa quam prospera valetudo iis esse utilior solet, qui turpiter vivunt. Quid enim a Christiano homine tam expetit Deus, quam fidei sinceritatem, corporis munditiam, animique pulchritudinem? Tum Constantinus inviolatas Dei leges se libenter servaturum pollicetur. Accepta *k* igitur pollicitatione magnus Elias surgens una cum Daniele in preces pro ægroto sese effundunt. Vix septimus præterierat dies, cum quievit fera morbi vis, quique impendentem seu potius urgentem mortem expectabat, eum plane sospitem reliquit : ac hominem bene valentem demittens, I, frater, inquit, in pace, neque ejus quod nobis recepisti, ulla umquam te capiat oblivio : quod si in eamdem scelerum colluviem te conjeceris, graviore, mihi crede, morbo divexabere, et acerba morte E vitæ exitum concludes. Enimvero præstat (ut aperte tibi fabuler) mori, quorum vitam culpa fœdat ac dedecorat. Abiit homo, qui non eodem modo, sed multo etiam turpiora scelera suscepit, venerabilis Patris monita teruncii faciens : sed quæ ante sibi ab Elia sunt decantata, eadem omnia evenere.

cladem Rheginorum prænuntiat;

38 Porro ejus sermo satis efficax erat, ejusque zelus, sicuti olim de Elia Thesbite legimus, Deo acceptissimus. Huic aliquando oranti (majorem enim diei ac noctis partem; partem autem? immo ipsas noctes integras in orationis opere conterebat; quæ erat in expolienda anima sancti Viri cura ac studium; prorsus ut corporis necessitati satis obiter indulgeret) eidem, inquam, oranti Ismaëlitarum irruptio ac Rhegii direptio ac vastitas cælitus est ostensa : et quemadmodum Jonas propheta ad Ninivitas a Deo mittitur, ut imminentem illis divinam ultionem denuntiaret; sic ille ad Rheginos : sed Niniviæ quidem pœnitentiam agentes cælestem iram effugere; at vero Rhegini obturatis auribus a sancto Patre pœnitentiam prædicatam negligentes, ea mala sibi conciliaverunt. F Sic ex iis alii in servitutem abducti, alii ferro contrucidati. Ea itaque clade impendente, Elias ac Daniel, viri plane admiratione digni, Christique cultores egregii, in sanctæ Christianæ castrum *l* proficiscuntur. Ibi dum de pœnitentia, mutua caritate, continentia, in adhortationibus verba faciunt, auditores duo sibi commoda pariunt, et corruptos mores ad meliorem frugem corrigunt, et ab hostili clade servantur incolumes. Nam satis præsidii in pœnitentia posuit Deus iis, quorum vita misere periclitatur.

Michaëlique duci

39 His gestis, in monasterium revertuntur, ex quo minime excedere per aliquod tempus constituunt. Ibi dum versantur, ad eos it sub vesperam classis præfectus, nomine Michaël *m*, sancto Viro non ignotus : qui cum reverenter honorificeque illum salutasset, suam voluntatem aperit: nimirum ut, Superis indicantibus, liceret sibi cognoscere, num prospera usurus esset navigatione, deque hostibus victoriam reportaturus : illum enim omnes vatem, Deique familiarem habebant. Atque ille id responsi Præfecto reddidit : Si, carissime, habes in animo hostes profligare, et victoriæ trophæum adversus illos erigere, perpurga populum tuum, ex Dei ad Mosen præcepto : nam

A nam si tantam expiationem postulabat umbra, atque figura; quanta, putas, veritati debetur? Nihil, ita me Deus amet, tam ille detestatur atque aversatur, quam vitæ sordes ac fœditatem. An nonnumquam audisti fornicationem olim Dei populum leto tradidisse, ac fornicationem cum ebrietate conjunctam fortissimum ac robustissimum Sampsonem exteræ nationi ludibrium ac jocum prodidisse?

sub certa conditione victoriam.

40 Quæ cum ita sint, ne feras ullo pacto eos in commessationibus et vino, et inter scorta vitam fœde traducere, omnique flagitiorum genere contaminari. Tu vero oculos, animumque ad cælestem opem identidem erige, ac fractas hostium acies intuere. Fidem habuit homo Eliæ verbis, ac universis militibus mandavit, a pravis se consiliis ac facinoribus continerent; præficiens viros, qui ceteris pietate ac veneratione anteibant. Ac non multo post collatis cum hoste signis, prælium geritur; gratia Deo, qui impiorum consilia funditus evertit, ac pessumdat, victi fusique sunt hostes, plane ut multi captivi ex Rheginis in libertatem assererentur. Quod cum ita gestum esB set, numquam rem admirari desinebat præfectus, prædicans vere Dei esse servum Eliam, quod nisi in oculis Dei ferretur, numquam omnino ista prædicere ac docere potuisset.

ANNOTATA.

a *Id est* via media, μέσην ὁδὸν *quod dicitur in nostro apographo Græco.*

b Pentadactylum, *uti observat Caietanus*, castellum olim in agro Rhegino juxta promontorium Leucopetram, *vulgo* Pentidattilo, *sicut vocatur in tabula Blaviana, de qua supra in Annotatis ad cap. 3 lit.* x. *De Leucopetra vero agit Cellarius lib. 2 cap. 9 pag.* 586.

c *De quo noster Commentarius* § 2 *num.* 19.

d *De hoc episcoporum gestamine egi tomo* 2 *hujus mensis pag.* 442.

e Memorat hanc cladem Joannes, Diaconus Neapolitanus. Adi Vitam S. Procopii episcopi Tauromenitani et martyris, *inquiunt sæpe dictæ Animadversiones; quæ Vita exstat apud Caietanum tomo 2 de Sanctis Siculis pag.* 60.

f Patræ, *urbs est Achaiæ prope Rhium promon-*C *torium ad fauces sinus Corinthiaci.*

g *Quæ hinc sequuntur in Vita Latina usque ad locum infra assignandum non inveni in nostro Græco apographo.*

h Mesobiani montes, *locus tam mihi ignotus, quam Caietano in notis, cum nihil ibi de eo legam. At forte legendum* Misiani, *quod invenio circa tabulæ Blavianæ superius indicatæ meditullium, ac respicit concatenatam, ut ita loquar, montium congeriem.*

i Scilla *et* Charybdis, *loca sunt notissima ad fretum Siculum, quod fertur inter Scyllam et Charybdim, illam in Italico littore, hanc in mari propiorem insulæ littoribus. Breve est illud apud Cellarium lib. 2 cap. 12 pag.* 622 *ex Melæ lib. 2 cap. 7*: Scylla saxum est, Charybdis mare; utrumque noxium adpulsis. *Tritum auribus est proverbium*: Evitata Charybdi in Scyllam incidi.

k *Hic iterum pergit apographum nostrum Græcum cum Vita hac Latina.*

l S. Christinæ Castrum. *Barrius libro 2 de Antiquitate et situ Calabriæ hæc scribit col.* 1077 *editionis Francofurtensis anni* 1600, *in qua habentur varii scriptores Italiæ illustratæ*: Christina castellum humili loco situm in radicibus Apennini, quod ejusdem nominis fluvius præterfluit. In hoc agro silvæ glandiferæ sunt, ad porcos alendos opportunæ, nec non silvæ ad domorum tigna ac supellectilia *etc. Vide tabulam Blavianam antea assignatam. Situm est inter Melicuccam et Girace non procul Oppido, et aliquot milliaribus distat Palma, de qua supra, ac loco* S. Eliæ.

A. Auctore.

m *Curopalates in Leone imperatore fol. 50 verso meminit de* Michaële Ziritone; *an vero hic, an alius designetur, non scimus.*

CAPUT V.

Sui despicientia, monita salutaria aliis data, urbis Tauromenitanæ eversor punitus, captivus miro modo liberatus.

E

Despicit se infra alios omnes,

Illud vero magna est admiratione dignum, quod tametsi tot tantisque donis esset a Deo affatim cumulatus, neque tumebat tamen, nec cum audiri a Deo preces suas cognosceret, id insolenter gloriabatur; sed omnium abjectissimum ac despicatissimum se existimabat. Sic in monasterium se abstrusit ab omnium consuetudine secretissimus (jam enim erat ætate affecta) omnes tamen, qui ad se ventitarent, excipiebat, qui cum eo tamquam filii carissimi cum parente amantissimo, omnes ærumnas ac mala, quæ in servitute sub detestandis Ismaëlitis essent perpessi, communicabant. Sæpe enim dolor, cum foras per sermonem erumpit, lenitur ac demitur. Tum bonus Pater eos ad tolerantiam blande adhortans, dicebat: Ne animo, filii, concidatis in ærumnis: nam Tribulatio, ut est apud D. Paulum, patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio vero spem; spes vero non confundit. Perferte igitur, ac durate: potens enim est Deus, facere etiam cum tentatione proventum. Ego vero duas ob causas reor mala a Deo F nobis immitti; sive quod nostram tolerantiam periclitari velit, an fortiter æquoque animo feramus; seu quod nos ad meliorem frugem velit corrigere, ut quæ in summa rerum tranquillitate ac felicitate efficere noluimus, eadem in malorum atque ærumnarum æstu edocti, jam efficiamus. Igitur qui adversis fortunæ ictibus se premi cognoscit, causam investiget necesse est. Quod si nemini illatam a se injuriam aut fucum, quod aiunt, repererit, non se arroganter justum existimasse, alios autem temere damnasse; non insidias alieno toro locavisse; non scortis, non vino, non fœdis libidinibus datum, is vero mea quidem sententia bono animo sit, neque tristetur: sciatque ad periclitandam tentandamque ejus constantiam ea mala cælitus invehi, ut scilicet fortiter patientem patientiæ corona Deus gloriose cohonestet.

ad se accedentibus

42 Ejusmodi erat S. Job, qui dicebat, Expectabo, donec veniat immutatio mea, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei. Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, et medetur, percutit, et manus ejus sanabunt. In sex

A. Anonymo.

A sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum. Et David : Proba me, Domine, et tenta me. Videsne qui ad se tentationes accersat, ac provocet? Qua gratia? ut probatus illustrior ac clarior appareat. Nec ullius tamen culpæ conscientia tangebatur : clamabat enim : Domine, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis : si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Ejusmodi erat et Paulus, cum dicebat : Gaudeo in tribulationibus, in necessitatibus, in persecutionibus. Sed ut ad institutum revertamur, si multa in se admisisse peccata compererit, pro certo sciat, idcirco in eas ærumnas ac mala incidisse; uti per eas resipiscat, ac peccatum detestetur, tamquam eorum malorum causam, ac virtutem complectatur, pacis conciliatricem.

suggerit

43 Quid? quod non videtis, filii multos mortales propter flagitia non modo ab exteris, sed a suis etiam misere vexari ac cruciari? Huic a propria uxore bellum infertur fitque hostis viro, quæ socia adjutrixque illi a Deo est tributa. Illum filii inse- B ctantur sui. Alius a fratre violatur : sæpe enim usu venit, ut quibuscum diuturna necessitudine conjuncti fuimus, iidem amorem in odium convertentes alienato a nobis animo impensius nos oderint. A Deo est hujusmodi odium, ac proinde ne verbis quidem molliri potest. Audi psalmum de Ægyptiis dicentem : Convertit corda eorum, ut odirent populum suum : iis enim, qui non bene colunt amicitiæ jura, satius est odium : et quibus pax exitii malique est conciliabulum, his inimicitiæ virtutis sunt seges ac materia. Sed quid ego de malis domesticis dico? An non corpus ipsum, quo nihil nobis est magis domesticum, nihil proprium ac propius? Hoc, cum peccamus, hostem atque inimicum experimur, cum per febres atque alia morborum genera immedicabilia nobis vulnera infligat, cruciet, divexet. Nemo in vobis est, tametsi singulari sapientia præditus, qui valeat id vel recensere, vel cogitare. Quod si peccata minime seminavissemus, profecto neque spinæ, neque tribuli domi ederentur. Quod vero propinquis etiam pro satellitibus utatur Deus ad facinorosorum hominum plectenda flagitia, id ex sacris Li- C teris, si attentius perpendatur, conjiciamus licebit. Sane Josephum minime quidem propter ejus peccata venundari permisit Deus, sed propter fratrum in se odium, ut post argueretur, omnibusque fieret conspicua fraterni odii magnitudo. Non est igitur cur vos animi angatis, ac perturbetis : et, si quid peccastis, studete diligenter corrigere : sic enim hostes ipsos profligatos fractosque vestris oculis aspicietis.

monita salutaria, etiam episcopis:

44 Verumenimvero cum tot tantaque nos circumstent mala, tantam hostium ac ærumnarum vim intus forisque cognoscamus, plane ut cum nostro etiam, ut diximus, corpore conflictandum sit; neque tamen peccata peccatis, vitia vitiis cumulare desistimus; quinam, Deus immortalis, essemus, si quiete ac tranquillitate frueremur? Quæ cum ita sint, profecto expedit, anteactæ vitæ sordes pœnitentiæ lacrymis tergere, atque expiare, ne contempta Dei optimi longanimitate, præter hasce calamitates æternis suppliciis addicamur. Hæc cum D. *a* Elias diceret, mœsti ex animo tristitias exigere, non parum levaminis ac consolationis percipere, qui variis molestiarum fluctibus jactabantur; facile omnem iram ac simultatem deponere, qui vindictæ desiderio æstuabant; qui paupertatis onere erant prægravati, D Deo gratias agere, adolescentes ad continentiam informari; qui improbarum æstu cogitationum abripiebantur, in paratissimum quietis portum dirigi: utque uno me expediam verbo, tamquam a communi quodam inexhaustoque ærario, aut ex limpidissimo fonte, perenni aquarum scaturigine manante, omnes ad leniendas animi ægritudines consolationem haurire, omnes non vulgarem utilitatem percipere, omnes denique ingenti gaudio delibutos se redire fatebantur. Multi etiam episcopi ad ejus verba audienda confluebant, quos ipsos modeste excipiens, ut patres complectebatur, ut pastores reverebatur, contendens ut sibi Deum precibus conciliarent: nam tametsi in summo virtutis apice constitutus esset, numquam tamen modestiæ fines excessit.

magnifit a Leone imperatore; pœnitentiam commendat,

45 Ejus etiam fama ad cæsaris aures est delata; cujus Viri res gloriose gestas pientissimus, de quo supra meminimus, ac religiosissimus Leo cognoscens, adeo illum suspexit ut ab S. Viro peteret, ne pro imperio, rectaque reipublicæ administratione Deum continenter orare gravaretur. E Ceterum post aliquod tempus prægestiebant sancti *b* Patres Tauromenium trajicere, ad sacrosanctas D. Pancratii reliquias *c* pie venerandas: ibi cum essent, Elias divinitus cognovit Brachimi *d*, hostis infestissimi, exitialem ex Africa adventum, ac civitatis vastitatem et cladem. Itaque in hunc modum civibus cœpit prædicare : Profecto evenire potest, fratres, ut per pœnitentiam piasque orationes impendentia mala evitemus; in id studii minores majoresque natu totis nervis incumbamus. Ingentem enim flagitiorum cumulum in hac urbe video, nullumque esse sceleris ac vitii genus, quod hic impune non grassetur; quæ certe multa correctione indigent et emendatione. Quod si verba mea negligatis atque contemnatis, ego quidem de futuris malis dicere libenter supersedebo; vos vero vestris oculis ea misere cernetis. Pari etiam licentia ac libertate patricium Constantinum objurgans, Quin, dicebat, præfecte, populos tuæ curæ ac fidei creditos a turpissimis factis prohibes? Quin omni ope niteris, ut ab inferendis injuriis se contineant, ab adulteriis, a cædibus, a ganeis? Qui enim parat bellum inferre, hunc singularis decet continentia. Nam quid tam ignavum abjectumque est, quam peccatum? Quid tam forte ac generosum, quam temperantia? F Pudeat vos, Christiani, ethnicorum philosophiæ.

et ab exemplo ethnicorum hortatur ad virtutes, sumpta occasione

46 Epaminondas *e*, ille dux celeberrimus, ab immodico epularum usu, et feminarum consuetudine, ceterisque deliciarum illecebris procul se prohibuit. Ita etiam et Scipio *f*, Romanorum imp., eadem, qua Epaminondas, continentia valuit; ac proin ille de Lacedæmoniis, hic de Carthaginiensibus insignem victoriam reportantes præclarissima trophæa erexere. Si ergo et ethnici, qui pravis animi cupiditatibus tenebantur, tanti faciebant temperantiam, quanta nos animi contentione, qui Christiani nominamur, quibus Euangelii lumen illuxit, quos erudiit Apostolorum doctrina, quos sanctorum Patrum præcepta informant, ab omni turpitudine abhorrere debemus? Quanto studio injustitiam, avaritiam detestari, tanti præsertim malorum cohorte instante atque adeo urgente? Tu vero, præfecte, si hæc scelera a populo prohibueris, Deum optimum, quæ ejus est in homines benignitas ac misericordia, propitium ac pacatum tibi senties. Equidem quæ meæ sunt partes, quidquid mihi cælitus est ostensum, vobis aperte prædixi : vos vero si mihi fidem

A fidem habueritis, sciatis velim, sicut pœnitentiæ, ita etiam misericordiæ cum Ninivitis vos fore participes : sin autem nostra monita parvi pendatis, capti vinctique in acerbissimam servitutem abducemini.

imminentis cladis urbi Tauromeniensi,

47 Hæc divini Patris verba quasi nugæ ac fabulæ una a patricio Constantino, tum a civibus ducebantur. Cum vero, utpote senio confectus, in domo Chrysionis super lecto jaceret, ad hospitem conversus ; Videsne, inquit, Chrysion, cubile ubi nunc jaceo? In eodem cubabit Brachimus, humani sanguinis avidissimus, ac complures ex principibus viris hujus civitatis gladio contrucidatos hujus aulæ parietes videbunt. Tum irridens Chrysion, sancti Viri verba ne assis quidem faciebat. Porro bonus senex e strato surgens, se in Amalphetarum *g* urbem profecturum nuntiavit. Cum vero esset in media urbe, vestem ad genua usque suspendit. Ibi rei insolentia stupens Daniel, Quid, Pater, isthuc est rei? At ille : Jam exundantes video sanguinis rivos ; et hæc superba ac magnifica, quæ stare cernis ædificia, ab Agarenis funditus evertentur. Hæc B aperte pronunciabat sanctus Vir, exemplo Jeremiæ prophetæ, qui populum divinis legibus minime obsequentem magna cum libertate objurgabat, eorumque cervicibus imminens servitutis jugum, non modo oraculis, sed inusitatis etiam factis ob oculos ponebat : quippe lumbare lineum super lumbos suos ponere, et alibi modo catenas ferreas, modo ligneas collo gestare, a Domino jubetur, atque ita vaticinari, eo consilio, ut populum perterrefactum ad meliora studia, et ad Dei amicitiam oratione conciliandam provocaret.

quam prædicit, ac evenisse intelligit absens ;

48 Quæ cum ita sint, freno linguam cohibete, neque temere eam, quo velit, ferri sinite ; sed attente potius considerate, multa sanctis viris divinitus esse ostensa, ad desides ac vecordes excitandos. Nam quis non summopere commoveatur atque obstupescat, cum divinum hominem modo lignea modo ferrea vincula gestantem intuetur? Quis tandem ex numero eorum, qui sapientes censentur, non sciscitaretur, quid causæ esset, cur S. Elias usque ad genua vestem suspenderet? Quemadmodum igitur rerum omnium molitor Deus illud fieri jussit ad incitandos eos, C qui per summam vecordiam ac torporem vitam ducerent ; ita novum, atque inauditum id spectaculi proposuit, ut spectantes a turpibus factis avocaret. At vero illi non modo nullam fidem habuerunt, sed malis etiam exemplis acciperc sanctos Viros cogitabant. Tum illi ex Domini præcepto, Ecce, inquiunt, pulverem excutimus de civitate vestra ; verumtamen, quæ vobis prædicavimus, memoria teneatis. Ex urbe itaque solventes in Amalphem navigationem instituunt. Interim dum in quodam angusto sinu ad refocillandos parumper animos e navi egrediuntur, ecce tibi e vestigio cuidam ex vectoribus vipera pedem mordet. Vociferari misellus, totus intumescere, et instar fœdissimi cadaveris humi misere sterni : tamen * accedens sanctus Vir, ac prehenso ægroti pede, signum crucis imprimens, hominem recuperata valetudine erigit : mox incœptum cursum persequuntur. Ubi igitur Amalphem tenuerunt, ab episcopo *h* benigne excipiuntur. Hic dum versantur, paucis post diebus ad eos de Tauromenii excidio perfertur.

** f. tum vero*

sed cælestibus armis versorem ejus prosternit.

49 Afer enim multis navibus *i* instructus, magnaque vi Tauromenitanos adortus, facili negotio capit, urbem evertit, atque incendit, ac complures eorum gladio trucidat. Hæc sunt incredulorum tragœdiæ : hic honos eorum, qui divina patientia abutuntur. Urbe igitur eversa, incensisque vicinis pagis, tyrannus non tantum in Christianos, sed in Christum etiam insolentia *k* arrogantiaque debacchans Rhegium transmittit, atque illinc Consentiam *l*. Hæc ubi cognovit sanctus Pater, divino zelo, succensus, cælestique gratia communitus, adversus superbum hostem se obarmat. Erant vero ejus arma minime illa quidem corporea, non ferrum, non æs, non cassis, non clypeus corrio tectus, non hamata tunica, non gladius ; sed quæ, Deo bene juvante, facilia sunt ad parandam victoriam, spes, quæ fidei est indumentum, justitia ac gladius spiritalis, quod est verbum Dei, ex divi Pauli sententia. Ad hæc longum jejunium, jugis oratio, humi cubatio, lacrymæ, suspiria, pectoris tunsiones, crebræ adorationes, clamores ex intimis præcordiis editi, cælumque ipsum ferientes. Quid plura? qui ad Constantinopolim occupandam animum adjecerat, is Brachimus fortiter dimicans, oratione E justi Viri percussus *m*, Consentiæ in Italia misere moritur *n*.

Pellit febrem, captivum a barbaris

50 Sed ut Amalphem redeamus, ejus urbis præfectus, sorore gravi morbo laborante, Eliam rogabat, ut eam invisere dignaretur ; is autem præfecto morem gerens, in ægrotæ domum se confert ; ac simul ostium ingreditur, relinquit puellam febris, pulsus ad naturalem motum componitur, vires labefactæ ac ferme extinctæ eriguntur atque confirmantur ; somnus, quem morbi molestiæ vel interturbarant, vel procul exegerant, suavissime ac placidissime illam complectitur. Sic femella, sola sancti Viri præsentia fugato morbo, suæ incolumitati est restituta. Ceterum ubi venerandus Senex cum discipulo in monasterium est reversus, mulier quædam illi non ignota, monasterium satis odiosa importunaque frequentabat ; quam misere impellebat urgebatque generi absentia quem in Rhegina clade captum barbari in Africam avexerant. Postquam vero magna cum assiduitate a mitissimo Patre contendit, ut pro eo Deum deprecaretur, respondens ille, Revertere, inquit, mulier domum, et quia credidisti, fiat tibi, quod postulas. Abiit mulier nihil ambigens de Senis pellicitatione : ecce tibi, trigiuta post diebus e servitute gener domum revertitur. F

miro modo in pristinam libertatem ac patriam transtulit.

51 Rogatus vero, qua ratione factus esset libertatis compos, rem ita narrabat : Ego, dicebat, cum in carcere detinerer, quotidie gladium cervicibus imminentem expectans, ecce nocte intempesta videre videor quasi reseratum carceris ostium, ac quemdam affecta ætate monachum ingredi, luce conspicuum, totumque domicilium illustrantem, promissa barba canitieque maxime verendum, ac præ senio incurvum. Hic hilari ore adstans, ad hunc modum me appellat : Basili (hoc erat illi nomen) surge, et eo, unde abductus es, revertere. Ego vero cum adhuc hæsitarem, rursus, Mene, inquit, nosti? Et ego, Qui fieri unquam potest, ut te noverim, nisi tu prius mihi nomen tuum aperueris? At ille : Elias sum monachus, quem socrus tua jussit in Aulinis *o*, pro te ad Deum preces emittere. Tu interim deposito metu, sine ulla hæsitatione abscede jam in patriam tuam. Parui, abscessi, veni e servo factus liber. Atque hoc prodigium, mea quidem sententia, nihilo inferius est eo, quod Abacuc accidisse sacræ Literæ loquuntur ; ac jure optimo cum omnes animos, qui in præsentia aderant, incredibili admiratione percuIit, tum

A. ANONYMO. tum eorum, qui aberant, commovit ad laudes Deo rerum opifici decantandas. Atqui Abacuc ab Jerosolymis in Babylonem ab angelo per aërem est vectus, ut Danieli se ministrum præberet; sed noster Elias in Aulinis cum esset, per solam precationem, veluti quadam angelica ratione, in carcere se videndum captivo offerens, Rhegium in patriam reducem liberum facit: at quibus alis sublevatus, quo subvectus curru, sicut Eliæ olim evenisse memorant divinæ historiæ? Quid ad hoc prodigium Lydius
p q currus *p*, Quid Argivus Pegasus *q*? At hæc fortasse non fabulæ aut commenta poëtarum, quæ homines tantopere admirantur cum ea historiis Græci commendarint?

ANNOTATA.

a *In Ms. nostro est* θεσπέσιος, *id est*, magnus admirandus, divinus.

b Sancti *titulus qui* Eliæ *ac Danieli, ejus discipulo hic datur; non est huic ita proprius, ut sciamus, eum cum publica veneratione conjunctum fuisse. In Martyrologio Siculo Caietani*
B *die* 17 *Augusti subditur quidem annuntiationi* S. Eliæ *nostri ista Danielis:* Item B. * Danielis monachi Tauromenitani, S. Eliæ discipuli; *sed asteriscus ille denotat, eum distingui ab iis, qui publica veneratione honorantur, et inter pios dumtaxat recenseri.*

c Adhuc igitur D. Pancratii corpus Tauromenii colebatur, susceptisque piorum virorum peregrinatio ad sepulchrum S. Pancratii eodem anno obita est, quo Tauromenium a Saracenis excisum est, ut ex hac Historia plane constat. Tauromenium autem solo æquatum est anno Christi CMIII, ut diximus *in* notis ad Martyrium S. Procopii episcopi. *Ita Caietanus hic in Animadversionibus. Sed non satis assequimur, quomodo annus iste cohæreat cum argumento Caietani, de quo dictum est in nostro Commentario prævio, quem vide* § 3, *num.* 25 *et* 26. *Ibidem tamen invenies num.* 31 *et* 32 *annum istum excidii Tauromenitani e dicto Martyrio deductum.*

d *De eo Commentarius noster* § 2 *num.* 21; *mors narratur inferius.*

e Epaminondas. *Vitam ejus conscripsit Æmi-*
C *lius Probus, quæ habetur post Vitas illustrium virorum a Plutarcho compositas, et Basileæ anno* 1573 *editas pag.* 807, *ubi sic laudatur:* Erat.. modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum *etc*

f *Illustre apud Romanos fuit Scipionum nomen: de quibus consuli possunt scriptores. Breve est illud Ciceronis in Paradoxo* I: Quid duo propugnacula belli Punici Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Africanus major, quid minor? *Scipionum unus tributariam, Hannibale victo, Carthaginem fecit; alius vero Carthaginem et Numantiam evertit.*

g Amalphia Picentinorum Ducatusque Amalphitani metropolis, triginta a Neapoli milliaribus in veteris Lucaniæ provinciæ finibus, quam Principatum citeriorem vocant, sita est juxta Tyrrhenum mare ab occidentali plaga in valle Scalæ urbis montibusque attigua, *inquit Ughellus in metropoli Amalphitana tomo* 7 *Italiæ sacræ col.* 183 *editionis novæ. Plura deinde sequuntur.*

h Episcopus Amalphitanus, *qui his circiter* D
temporibus sederit, ponitur apud Ughellum loco mox indicato col. 192 Ursus, *qui* electus habetur in Indiculo, *ait*, apud me Ms. anno DCCCXCVII, eo scilicet tempore quo Amalphitani pro judicibus duces recepere, titulo imperialis patritii ac protospatharii decoratos a Constantinopolitano imperatore.

i *Quædam huc spectantia dat Commentarius* § 2 *num.* 22.

k *Caietanus in notis ad hanc Vitam pag.* 25 *hæc observat:* De Brachimi regis Africanorum elatione, expeditioneque Rhegium, et Consentiam in Calabriam post Tauromenii excidium, mire consentiunt Anonymus is scriptor, et Joannes Diaconus Neapolitanus, quem adi *tomo* 2 *de Sanctis Siculis a pag.* 60.

l In Ms. exemplari Græco, *sicut notat in Animadversionibus pag.* 25 *Caietanus,* perperam habetur CONSTANTIAM; sed enim Straboni et Ptolemæo, Melæ, Livio, Plinio, Antonino, CONSENTIA Brutiorum in Italia urbs; *quæ nunc vulgo* Cosenza *dicitur, estque Calabriæ primaria, teste Baudrantio, ac inter præcipuas regni Neapolitani, in* E
Calabria citeriore juxta fluvium Crathim, ubi Basentum recipit. Varia collegit de ista urbe Ughellus tom. 9 *Italiæ sacræ in Cusentina metropoli a col.* 249.

m *Mors ista alibi aliter narratur: nam Caietanus in Animadversionibus eadem pag.* 25 *ita scribit:* Impii tyranni necem fusius narrat Joannes Diaconus Neapolitanus. At quem scriptor Anonymus oratione sancti Eliæ percussum tradit, Joannes diaconus telo transverberatum a S. Petro Apostolo memorat. Utrumque fuit, ut S. Elias precibus a Deo obtinuerit, quod sanctissimus Apostolus egerit. *Textus apud Caietanum de S. Petro sic habet pag.* 63: Senex baculum, quem manu tenebat, in vesanum conjecit, eoque in femore percusso *etc. Et deinde ibidem* magna vi, *inquit ipse tyrannus*, telum contorquens, latera mea transfodit. *Et mox dicitur de illo:* Ingravescente in dies dolore, paucis diebus intestina omnia emittens stygia regna petiit. *Atque hoc aut simili modo exponi posse videtur locus, quem e Chronico Lupi Protospatæ affert Pagius ad annum.* 902 *num.* 17: Anno CMI descendit Abraham rex Sarracenorum in Calabriam, et ivit in F
Cosentiam civitatem, et percussus est ictu fulguris.

n *Quod vero ad annum mortis ejus attinet*, In antiquo *(inquit idem Pagius ad dictum mox annum* 902 *numero citato)* Chronico Ms. Ducis Andriæ, quod magnæ est auctoritatis, idemque ac Chronicon Lupi, sed paulo mutatum et interpolatum, id currenti anno assignatur .; cui interpolatori omnino standum. Ismaël enim Abulfeda Hamæ in Syria princeps testatur, Ebraïmum Africæ regem dysenteria die Veneris, mense Dhilcada anno Hegiræ CCLXXXIX in Sicilia demortuum, ideoque hoc anno Christi mense Octobri. *Sed Caietanus mortem ipsius affigit anno Christi* 903, *sicut dictum est in nostro Commentario prævio* § 2 *num.* 21, *ubi lectorem huc misimus. Porro Chronicon Lupi Protospatæ novissime editum est inter Rerum Italicarum scriptores tom* 5 *a pag.* 37, *una cum variis lectionibus ex Ms. codice Italico illustrissimi Ducis Andriæ.*

o In Aulinis, et paulo post, *prout observat Caietanus in Animadversionibus.* Elias in AULINIS cum esset. At superius hæc mulier dicitur Eliam in monasterio suo convenisse, quod is scriptor

A ptor initio tradiderat IN SALINIS fuisse, nunc vero IN AULINIS: et inferius, AULINAS tertium nominat. Certe quidem, nisi duplex loco nomen fuerit, in altero nominum error est. Aut igitur semper IN SALINIS legendum, aut IN AULINIS, quo inclinat animus. Nam scriptor Vitæ S. Philareti Panormitani monachi AULINAS nominat. An loco nomen ex aulis, id est, antris in eo monte incisis, atque ex iis AULINÆ dictæ? *Apud Caietanum tomo 2 in sermone, qui inscribitur* de S. Philareto juniore Nili monachi, *habentur ista pag.* 115: Qui postquam fretum transmisit, Rhegio, quod Calabro litori adjacet, una cum parentibus pertransiens, inde IN AULINAS (sic enim appellant) cum iisdem divinitus adventant. AULINAS inquam illas *etc. Et pag.* 117: Ubi ad monasterium, quod sancti Eliæ vocant, pervenit, gradus sistit: *ac* in ceterorum fratrum numerum cooptatur.

p *Λύδιον ἅρμα id est*, Lydius currus, *est in proverbio.* Hoc scommate notabantur, qui in certamine quopiam longe cæteris essent inferiores, et *παρὰ Λύδιον ἅρμα θέεις* id est, juxta *(vel*
B *præter)* Lydium currum curris... Quidam ad Pelopem Lydum referunt, qui suo curru vicerit Oenomaum socerum, in quibus est Gregorius Nazianzenus, sic usurpans, ut dicat, se tanto esse inferiorem eximiis Basilii virtutibus, quantum pedes abest a Lydio curru, *utique velocissimo. Hæc et plura habentur apud Paulum Manutium inter Adagia Ursellis anno* 1603 *edita, pag.* 514.

q *Πηγάσου ταχύτερος, id est*, Pegaso velocior, *ibidem ponitur pag.* 1031, *estque hyperbolica locutio de iis, qui celeritate excellunt. De Pegaso autem, equo alato, de fabulosis poëtarum figmentis celeberrimo agunt mythologi*

CAPUT VI.

Varia Sancti miracula, mansuetudo ac severitas, vaticinia.

C

E cælo per menses quinque clauso

Sed ad multo majora festinat oratio, ac fortasse multis, quæ dicentur, incredibilia videbuntur: plerique enim naturæ legibus, quæ dicuntur, metiri consuevere: quod si quid audiant, quod eas excedat, id vero vanum ac leve suspicantur: sed hominibus rerum divinarum imperitis id vitii solet adscribi, quos potius insanos appellamus. Ex vobis vero, auditores, qui hisce rebus profecto estis eruditi, Deique virtutem ex sacris Literis quotidie cognoscitis, nemo erit, sat scio, qui audeat ea in dubium vocare; sed silentio linguam premens vacuas aures præbebit: neque enim, quæ huc usque retulimus, tam admiranda sunt, quam quæ in posterum recensebimus. Olim maxima siccitate campi ita exaruerant prorsus, ut toto quinque mensium spatio ne una quidem nubecula cælo videretur: sed tellus sterilis atque inutilis ad culturam passim hiulca, fervidissimos solis radios in se penitissime admitteret: fontes etiam, qui perpetuo scaturiebant, defecerant, ac magni amnes exaruerant. Ea re permoti incolæ ad novum Eliam confugiunt, velit communem calamitatem ab ipsis deprecari, ac pluviam a Deo exorare. Negare Homo plane modestus; illi instare atque urgere.

A. Auctore. Tandem Elias, Vultis, inquit, causam hujusce temporum conversionis ac rerum perturbationis confusionisque edisseram? Sed ea, vel me tacente, est manifesta omnibusque conspicua: quia cum egenos videamus, nullo pacto eorum egestatem sublevare volumus, nec misereri eorum, qui miseriis premuntur. Jam fraternam a nobis benevolentiam exterminavimus, refrixit caritas: injustitia viget ac convalescit: idcirco clausum est cælum, pluvia tenetur.

pluviam precibus obtinet:

53 Verumenimvero quando Deus Opt. Max. numquam clementiam atque in mortales providentiam, in eorumdem odium solet convertere (cum natura immutabilis sit) ei supplicemus, ad ejus genua nos abjiciamus in spiritu humilitatis et in animo contrito, ac nostrum omnium voces noctu atque interdiu clamantium apertis auribus accipiet. His dictis, ad discipulum conversus, Concedamus, inquit, ad D. Mariæ, ut fratrum nostrorum postulationibus faciamus satis. Mox ad populum, Vos etiam precationibus vestris nobis paulisper opitulemini; faciet enim, scio, nobiscum Dominus misericordiam suam. Cum itaque profecti Elias et Daniel sine ullo arbitro in templum, integram ibi noctem Numen E precando contrivissent, audiit eos Deus, nostris calamitatibus ad miserationem commotus: voluntatem enim timentium se facit. Tum aër, qui serenus, nec ulla nube obductus perpetuo ad illum diem visus fuerat, continuo nubibus involvitur: januas cæli aperit Dominus, visitat terram, et inebriat; quæ exaruerant, concepto humore foventur, crescant, augentur, annique tempestates ad suam temperiem revocantur. Hæc profecto Eliæ sunt magnæ in Deo fiduciæ certissima argumenta.

in adversam fluvii ripam siccis pedibus transfertur.

54 Cum etiam fluvium, quem Secrum *a* appellant, una cum Daniele ac Sabba discipulis transire vellet: is vero tanto impetu ferebatur, ut neque scapha illum trajicere, neque tranare quis ullo modo posset; nam ad consuetas aquas, torrentes a etiam rapidissimi e vicinis montibus delabentes, per id tempus accedebant, et pons longe ab ipsis aberat, adeo ut ambo discipuli desperarent tam longum iter a Sene confici posse. Dum in ea cogitatione eorum animi versantur, ecce illum circa flumen in altera ripa conspiciunt: ubi vero fluvium ponte trajecerunt, magna cum admiratione procul F hominem vident, propiusque accedentes reperiunt, ne tantillum quidem pedes aqua madefactos. Id quod ne ulli umquam, quoad ipse hac lucis usura frueretur, ullo pacto aperirent, etiam atque etiam ab illis contendit; sed pii religiosique monachi ingenti admiratione perculsi, e metu ac reverentia ad S. Virum accedere pertimescebant: etenim existimabant id haud quaquam præstari posse ab ullo mortali, qui gravi corporis sarcina premeretur, sed ab uno Deo, cui parent creatæ res omnes: vel ab eo, cui ipse promiserit, sicut olim D. Philippo contigit, qui Eunucho per spiritum ereptus, inventus in Azoto perhibetur.

Sitienti discipulo fontem impetrat, ac divinitus illustratur.

55 Igitur cum ad loca vasta, desertaque et aquis carentia pervenissent (id enim sæpenumero facere consueverant ad vitandos hominum tumultus, ac precationi liberius vacandum) Daniel e multo labore atque æstu, siti cruciari cœpit, neque valens amplius stare, se humi projicit. Senex vero cum eo in periculo versari discipulum videret, ingenti miseratione commotus (vehementer enim illum diligebat, quem dicto audientem et in omnibus sibi morigerum sciret) non longe ab iis secedens, sese in preces

A. Anonymo.

preces effundit, ac confestim Dominus ostendit fontem limpidissimum, ac frigidissimis aquis manantem, accersens discipulum, Bibe, inquit, fili, viresque refocilla ad incommoda æquo animo ferenda, quorum eremus solet esse feracissima. Is autem ubi sitem aqua restinxit, lavit ac vires refecit, robustior atque alacrior, ut dicebat, est redditus et ad labores asceticæ disciplinæ, et ad vitæ duritiem atque asperitatem tolerandam. Contigit vero, ut Daniel cum sancto Viro Deo supplicans, eum videret totum instar ignis incensum atque inflammatum. Ibi discipulus ingenti lumine circumfusus, pronus in faciem humi concidit. At magnus Senex, ut qui probe nosset, quid causæ esset, cur ille pertimesceret, hominem e terra erigit, jubetque in ejusmodi rebus bono animo esse, nihilque timoris concipere.

paralytico jamjam morituro

56 Nec multo post, cum ad S. Cyriacæ castrum ventum esset, audit inibi presbyterum quemdam, nomine Malachiam, cum diuturno atrocique morbo conflictari; jam enim pedum usum amiserat, ceteraque corporis membra paralysi dissoluta torpebant. Ad hæc modo febri tenebatur, modo capitis B dolore cruciabatur. Sic ab omni salutis spe destitutus, cum frustra desudaret omnis ars, præsidiaque medicinæ, in lecto decumbebat, jamjam animam exhalaturus: et quoniam sanctus Dei Vir præter alia virtutum decora, mira erat in ægrotos clementia, adeo ut illos invisere soleret: continuo ad hominem magno studio se confert, et cubili propius accedens, blande rogare cœpit, ut sese haberet, morbique vim perferret. Tum miser intermortua voce, quæ vix posset audiri, incipit de morbi cruciamentis, ac laboribus minime ferendis ac perpessu asperis narrare.

gressum et salutem reddit.

57 At Senex scipione, quo innixus solebat gressus sustentare, in ægroti dextera collocato, In nomine, inquit, Jesu Christi, hoc bacillo innixus surge et ambula. Continuo paralyticus prehenso sancti Viri scipione surrexit atque obambulavit, ac paucis post diebus rite convaluit. Qua in re illud est magna admiratione dignum, quod ægrotus diuturno morbo vexatus, confestim de lecto, ubi tamdiu recubuerat, sanus exsiliret, quo clarior cælestis medici virtus appareret. Neque vero unus aliquis C admiretur, si talia ac tanta prodigia patraverit sanctissimus Vir: ea enim Servatoris nostri vox est: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: petite et accipietis. Numquam enim ille morbos curabat, nisi prius multa precatione Deum Opt. Max. implorasset. Quare non is auctor censendus est, sed bonorum omnium opifex Deus, qui suam benignitatem per Servum suum aliis declararet. Hic nihil afferre aliud poterat, quam orationem, animi puritatem, piam exercitationem, ac in Deum fidem.

Fuisse Sanctum

58 Porro erat, quemadmodum de Moyse audivimus, mortalium omnium mitissimus; idemque in eos, qui bonum, honestumque dicto aut facto oppugnarent, acerrimus, nulla umquam ullius habita ratione: neque enim ad suam cujusque libidinem sese effingebat, ut plerosque facere videmus, qui instar Camaleontis * b varios in colores commutantur: sed constans, suique propositi tenax, ac singulari prudentia præditus, nihil omnino ulli præter æquumque et fas gratificari. Sicui vero quidquam esset indulgendum, plane indulgere: cetera assentatoribus atque adulatoribus relinquebat. In ferendis vero sententiis ac judicando æquissimus; ut ex iis, quæ partim re- D censuimus, partim dicemus, planum fiet. Michaël ille, quem supra memoravimus, qui de Ismaëlitis, ut dictum est, vel consiliis vel precibus venerandi Patris, non vulgarem victoriam reportavit, Calabrorum provinciæ præficitur. Hic dum præfecturam gerit, Columbum nescio quem reperit, hominem vecordem, novis rebus studentem ac plane sibi adversarium. Hic Columbus arrogantia superbiaque nimium elatus, contractis copiis armatisque hominibus stipatus, per civitatem ac pagos grassabatur ac gliscente improbitate, complures, qui parere sibi recusarent, dire vexabat, direptisque bonis, eorum domos evertebat. Hunc Michaël præfectus per insidias captum, omnimodis suppliciis sine ulla clementia ultus est; idque per multos dies: postremo semivivum, in carcerem detrusum, crastino die obtruncare in animo habebat.

* l. Chamæleontis b

59 Hoc Dei Vir, qui suopte ingenio in omnes *mitem,* lenis ac clemens semper fuit, cum rescivisset, ad præfectum accurrens, hac oratione utitur: Præclare tecum, præfecte, actum existimo, cum omnia tibi ex sententia evenerint: etenim in factiosissimum ac profligatissimum hominem animadvertens, hoc E exemplo aliis terrorem incutis, ne in hujusmodi scelera ac flagitia in posterum sese audeant præcipitare. Verumtamen ego id a te etiam atque etiam rogo, ut illius vitam mihi condones, quod ut impetrem, genua tua complector. Sic ille dicens, in genua provolutus, nullum supplicandi modum faciebat: Ignosce ei, qui dignitatem tuam, per summam amentiam, violavit: iracundiam vincat humanitas. Quid, quod in cælo judicem non habes, qui eadem mensura; qua mensus fueris, remetietur tibi? An non illud audisti, Non judicabis bis in idipsum. Tum ille minime æquam sancti Viri petitionem ratus, gladium acuebat, tendebatque arcum ad necem: rem tamen ita proferebat, ut aliquis resipiscentiæ locus dari videretur. Tandem ubi Elias advertit, nullo modo suis illum precibus molliri ac flecti, sed in eadem sententia obstinatissime hærere, his iterum verbis præclarissimis præfectum aggreditur: Equidem, dux optime, quæ in rem tuam esse arbitratus sum, ea vero suadere tibi, atque a te exorare omni opere contendebam: at nunc tuo in proposito ita te pertinacem, obduratoque animo cum videam, sane pervicaciæ tuæ fructum feres F amplissimum. Sic hominem relinquens, opere maximo contristatus abscessit. Septem post diebus, præ immoderata animi iracundia gravem in morbum incidit, ac frustra per internuntios sanctum Virum accersens, nullum recuperandæ valetudini locum sibi relictum videt. Mox die insequenti, Deo ita ulciscente, periit. Columbus vero capitali sententia præter expectationem liberatus, in carcere vinctus tenebatur, in Deo, atque Elia spes collocans suas.

60 Non multo post, in Aulinas nescio quis *et, ubi res ferebat, acrem, exemplis ostenditur.* ex eorum numero, qui sibi sapientes esse videntur, ad S. Eliam venit. Is concionatoris personam induens, de pollicitatione seu, quod aiunt, voto, illum interrogabat. Hic vero Quando, inquit, * votum nuncupasti? Tum ille, antequam Rhegium ab hostibus caperetur, coram episcopo, Deo me devovi: sed cum plerisque aliis ego etiam a barbaris comprehensus, in Africam captivus sum deportatus. Hic Elias cetera ordine, quæ ille gessisset, subdidit: Tu, inquit, pollicitationis oblitus mulierem adamasti, episcopo, ac quod palmarium est, Deo ementitus: nam tametsi de hoc me celare voluisti, cor tamen meum intra

A intra te est, prout dictum est Jeze * ab Elisco vate sanctissimo, nec me latere ullo pacto potuisti : et vero miser, existimas, levem hanc esse culpam; idcirco illam attenuas ac minuis : sed, quæ mea est animi sententia, eo diabolus tendit, ut culpas imminuendo et atterendo, in multo graviora scelera ac flagitia sine ullo metu homines possit inducere. Nunc ego quid te moneam? An in surdas cadaveris aures voces effundam? Qui enim sapientem se existimat, neque se interim dignoscit tamen, in eo juvando omnis prorsus opera luditur: Quid, miser, quando alios monuisti ac docuisti, te ita indoctum negligis ac prætermittis? Hæc ut dixit, hominem a suo conspectu repellit, cum jam mentis acie perspicue videret, nullo umquam pacto fore, ut ad meliorem ille frugem corrigeretur. Is itaque erat in ejusmodi homines Elias, acer, invictus, imperterritus : ac jure optimo : qui enim se facile superari sinit, is scilicet omnibus despicatui est ; et qui vulgi sententiis minime assentitur, hunc nulla vis poterit expugnare.

* Giezi

B 61 Porro ingravescente jam senecta, domi se continere necesse habebat, ac paulo post ait discipulo; Jam instat, Daniel, dies, quo nos religiosissimus Cæsar accerset : id quod multo ante mihi cælitus est indicatum. Leo enim Græcorum imperator audiens ab omnibus prædicari, ac laudibus efferri admirabilem vivendi rationem, ac prodigia a S. Viro edita, ejus videndi desiderio tenebatur, ut nonnihil etiam lucis ex sanctis illius precibus ad imperium accederet. Erat enim monastici instituti studiosus, et ad honestas artes proxime proclivis. Igitur dum hisce de rebus secum cogitaut, ecce, quidam aulicus ad monasterium venit, qui Eliam ad Cæsarem magno, ut decebat, honore perduceret (erat huic nomen Mulouius.) Is ad sanctissimi Patris pedes advolutus, benedictione impertitus, dat ei literas a Cæsare, quas ille cum accepisset, legissetque, Quid, inquit, Cæsari mecum vili abjectoque sene? Prætermissis olympi fontibus limpidissimis ad cœnosum torrentem animum adjecit. Qua gratia tanto te vitæ discrimini objecit? Nempe ut monachum videres fama, quam rebus gestis majorem. Sed, quando ita Deo videtur, senectutis ac imbecillitatis incommoda nihili pendens, dabo me in C viam audacter : horum vero laborum ille mihi velim sit fructus, ut Columbus capitalis criminis reus absolvatur. Cui petitioni eum libenti sane animo ille annuisset, acceptis Columbo et Daniele sociis, una cum aulico ad Regiam * proficiscitur. Interibi secreto Danielem vocans, ei aperit, etsi iter inceptarent, numquam tamen fore, ut vel ille Cæsarem, vel Cæsar illum videat ; neque tamen frustra se eam peregrinationem suscipere, cum sibi præmium amplissimum sit salus ac vita hominis capite damnati.

Ad Leonem imperatorem se confert et per viam

* i. e. Constantinopolim

62 Igitur appulsi Æricusam (ea est insula in ipso Iönii maris aditu, ab Epiri sinibus non longe distans *c*) occurrunt obviam Chrysioni Tauromenitano, cui prædixerat sanctus Vir, cum Tauromenii versaretur, in eodem lecto, ubi ipse jacebat, Brachimum esse cubaturum. Is complectens verendum Senem; Tulimus, inquit, miseri, pater ac vates optime, quæ nobis multo ante denuntiasti, tuis consiliis ac monitionibus saluberrimis minime auscultantes *d*. Sed quid nobis in posterum fiet, mihi saltem, qui te parentis loco et habeo et veneror, aperire ne graveris. Ego, respondit Senex, hoc prædico tibi; non multis abhinc diebus e vita excedes. Id quod evenit, ut Vir sanctissimus fuerat prolocutus. Hinc solventes Naupactum *e* tenent; ibique comperiunt rumorem circumferri, Syriacam Agarenorum classem, quæ Constantinopolim cogitabat, omnia maria percurrere. Tum Homo Dei ac vates gloriosus, Non ita, inquit, eveniet, non ut homines vulgo opinantur; sed ut Deus optimus faciendum statuit : nec illi in Byzantium navigant, ejusque eversionem machinantur; sed in medio Hellesponti *f* cursu revertentur, et Illyricum sinum *g* percurrentes, Thessalonicam invadent ac depopulabuntur. His auditis, Musonius sane quam graviter obstupuit : Etenim, dicebat, si ita hæc evenient, portenti simile, ac supra omnem humanam vim existimo hanc futurorum cognitionem, atque id satis superque esse ad declarandam sancti Viri puritatem. Quid enim, Deus immortalis, aliud est, si hoc non est prodigium, quæ nondum evenerunt, eadem perinde ac evenissent jam, aut ab alio didicisset, mortalem multo ante libere audacterque prædicare. Multo plura his narrare solebat beatus Daniel post sancti Viri dormitionem *h*.

spiritu prophetico illustratur. c

d

A Abostino. e

f

g

h

E

ANNOTATA.

a *Suas Caictanus profert de hoc flumine conjecturas in Animadversionibus pag.* 25 *dicens* : In exemplari Græco Seerum *(in nostro item Σάκρον.)* An censuerimus fluvium, quem Strabo vocat Sagram lib. 6; Plinius lib. 3 cap. 10 Sagram, Locros inter et urbem Cauloniam; qui Gabrieli Barrio et Mazzellæ Alaro dicitur; Leandro autem Sagriano? *Cellarius agit de hoc argumento lib.* 2, *cap.* 9, *pag.* 587, *ac fluvium Sagram repræsentat in tabula ad pag.* 527, *in qua tabula vide Brutiorum agrum.*

b Χαμαιλέοντος εὐμεταβολώτερος, id est, Chamæleonte mutabilior. Chamæleon commemoratur inter animantia quæ colorem mutant. Hujus figuram diligenter describit Aristoteles lib. De naturis animantium 2. Quod ad coloris mutationem attinet hæc tradit *e Græco ibi sic reddita* : « Mutatur « autem illi color, cum inflatur ; fitque is nunc « niger, non absimilis crocodilorum; nunc pallidus, cujusmodi lacertarum; nunc rursum nigris « variegatus maculis, qualis est pardorum. Accidit « autem hujusmodi mutatio coloris per omne cor- F « pus : siquidem et oculi et cauda in eumdem cum « reliquo corpore abeunt colorem. Motus hujus ani- « mantis admodum segnis, qualis est ferme testu- « dinum. Pallescit moriens. Exanimato color idem « durat. » Hactenus Aristoteles. His ferme consentanea tradidit Plinius lib. 8 cap. 33, illud addens, hoc animal toto corpore reddere colorem, quemcumque proximum attigerit, præter rubrum et album. Competit igitur adagium in hominem versipellem sive inconstantem, ac pro tempore sese vertentem in omnem habitum. *Hæc sunt apud Manutium supra citatum, pag.* 849. *Aldrovandus de Quadrupedibus digitatis oviparis lib.* 1 *cap.* 14, *pag.* 668 *tractat de chamæleonte, apud quem varia de hoc animali prorsus mirabilia curiosus lector inveniet.*

c *Duplex est* Ericusa ; *quarum una distinguitur ab alia per voces a Biographo hic adjunctas. Intelligenda itaque hoc loco est* Ericusa, insula maris Iönii, in Epiro Plinio, quæ nunc Pachsu dicitur, seu Paxa major, ad meridiem Corcyræ insulæ, et vix 19 milliaribus ab ora littorali Epiri in occasum, sub dominio Reipublicæ Venetæ, a qua concessa fuit Pargensibus Epirotis, ut in iis

A. Anonymo. iis armenta sua nutrirent, *uti refert Baudrantius. Altera vero synonyma est* insula maris Tyrrheni, versus Siciliam Straboni, quæ Ericodes Ptolemæo, et Ericussa Stephano, una est Æoliarum, et nunc Alicur dicitur, teste Leandro; parva est, et habet tantum aliquot tuguria piscatorum, 15 mille passibus distans a Lipara in occasum, et 7 a Phœnicusa Usticam versus 25, *sicut idem auctor tradit.*

d *Vide hanc Vitam num.* 47.

e Naupactus, *urbs est Ætoliæ in Græcia, Italis Lepanto in ora sinus Corinthiaci, insigni victoria, quam Christiani anno* 1571 *a Turcis reportarunt non procul adiecta urbe, admodum memorabilis. Qua de causa S. Pius PP. V Litaniis Deiparæ Virginis, cujus potissimum auxilio tantam victoriam partam esse profitebatur, inseri voluit* Auxilium Christianorum ora pro nobis, *uti videre licet apud Spondanum in Annalium Baronii Continuatione ad annum* 1571 *num.* 21; *ubi etiam agitur de festis in rei memoriam institutis.*

f Hellespontus, *angustiæ maris sive fretum inter Asiam ad ortum, et Thraciam Europæ regionem ad occasum, indito, ut in fabulis est,* B *ei nomine ab Helle, filia Athamantis regis Thebarum, quæ ibi decidens submersa fuerit. Plinius lib.* 4 *cap.* XI Hellespontus, *inquit,* septem (ut dicimus) stadiis Europam ab Asia dividens, quatuor illic inter se contrarias urbes habet: in Europa Callipoli et Sestou, et in Asia Lampsacum et Abydon.

g *Per* Illyricum sinum *videtur hic commode intelligi posse sinus Thermaïcus sive Macedonicus maris Ægæi, in Macedoniam extensus, in cujus intimo recessu jacet Thessalonica, de qua proxime hic sermo est, quæque olim* Therma *fertur nuncupata, Cur autem Biographus sinum illum vocat Illyricum? Tractum illum terræ Illyrici orientalis nomine vocatum fuisse, indicio est illud imprimis, qued apud Carolum a S. Paulo in Geographia sacra, quam supra in Annotatis ad caput* 3 *lit.* u *citavi, in notitia antiqua episcopatuum Illyrici orientalis pag.* 196 *ponatur provincia Thessalonicensis etc. Ad hæc, in eisdem Annotatis lit.* r *occasione Epiri veteris ac novæ, dictum est,* novam multis post seculis ex Illyrica- C nis Macedoniæ gentibus conscriptum fuisse.

h *Hinc commendari meretur Actorum fides, ex antea dictis in Commentario prævio* § 5 *num.* 44.

CAPUT VII.

Morbus; obitus; corporis sepultura, integritas ac translatio: concursus ad illud; miracula; Leonis imperatoris munificentia.

In Græciam delatus morbo corripitur. Age vero, nunc de exitu dicamus, quo S. Pater vitam suam clausit: id quod et nobis ad memorandum, et vobis ad audiendum utile ac maxime jucundum existimo. Fuit vero ejus ex hac vita migratio illi non absimilis, quæ de Jacob *a* patriarcha antiquissimo memoratur: neque sancto Viro prorsus incognita, sed, sicuti Moysi *b.* multo ante demonstrata. Itaque Naupacto solvens, Græciam peragrabat, ac delatus in quemdam locum ab Illyrico non longe distantem, morbo ten- D tatus est non sane gravi ac molesto: nam cælitus illustratus a Deo didicit, daret Columbo commendationis epistolam, eumque mitteret ad imperatorem. Eum igitur ut ablegavit, ipse Thessalonicam contendit, in quam urbem ingredi noluit, sed ante vestibulum mansit, in quodam templo sanctis Apostolis dicato: ac die insequenti ad meridiem, quando ecclesiæ vacant a frequentia populi, monachum, qui templo illi præerat, rogat, vellet in sancti martyris Demetrii *c* se traducere: isque libenti animo annuit; et inter eundum cum S. Pater urbem intueretur, suspirium petiit, et ex animo mœrenti similis martyrem appellans, Ubi, inquit, gentium es, Demetri, martyr Christi gloriosissime, quibus tandem in locis morare? Quonam cælestium orbium tractu vagaris? Hæc, et alia id genus dictitabat, et in templo, et ad sancti martyris sepulchrum *d* propius accedens. Hæc cum audiret monachus, qui Eliam ductabat, non medioeriter offensus, illi secum ipse maledicebat. Sed Elias, absoluta precatione, ad monachum conversus, Quod offenderis, frater carissime, quasi vero male sentiam, maleque loquar? Verumtamen ubi vel mediocris est pœni- E tentia, et abundat probitas, ibi Dei misericordia multis partibus major reperitur. Tum monachus sentiens cogitationes suas hospitem minime latuisse, ad ejus pedes adjectus roget, hanc sibi culpam ignoscere pervelit: quam ille homini ut condonavit, magna admiratione perfusus, ac præpropere festinans, quotquot sibi occurrebant, rem ordine narrabat.

Quo Thessalonicæ ingravescente, mortem ante a se prædictam obit 17 Augusti: 64 Igitur eo loco cum esset Elias, morbo jam ingravescente, scamnum afferri postulat; quo delato ibi decubuit. Cum vero locus minime esset idoneus ad quietem capiendam, ad Caminos (locus quidam est) migravit, Ilic Danielem discipulum, ac fratrem carissimum ad se vocans, Ego, inquit, Daniel, fili suavissime, sicut scriptum est, viam patrum meorum ingredior: adest jam tempus nostræ resolutionis, cum octogenarius *e* sim. Tu vero assecutus es doctrinam meam, institutionem, propositum: in his fortiter constanterque persiste: neque te otio dederis, sed piis exercitationibus ac studiis te expolire contendas. Sic vero vive, ut quasi quotidie te moriturum existimes, quod etiam atque etiam reliquos F fratres monitos velim. Porro neque corpus nostrum hic conditum derelinquas, neque Constantinopolim ad Cæsarem deferri ullo modo patiare: petet enim, sat scio, perquiretque Imperator. Quod ego cum a divina providentia accepissem, tibi epistolium ad Cæsarem multo ante dedi, uti post obitum nostrum sineret corpus ad suum monasterium *f* afferri; Quod Imperatoriæ urbi nulli omnino usui esset futurum, neque Deus æquo animo laturus. Vos potius, quod vestrum est, vendicate; nostrique memoriam tamquam parentis amantissimi, ex animis vestris excidere minime patiamini. Porro, si recte memini, apud te est ea epistola: servato diligenter; et cum ea evenerint, (evenient autem quamprimum) mitte illam ad Cæsarem; quæ perscribuntur, effecturum scio. Ceterum vale ac salve, fili: jam enim decedit Elias, neque amplius hac lucis usura perfruetur. His dictis omnibusque sui studiosis salvere jussis blandeque amplexis, ingenti cum letitia atque hilari vultu defecit, et positus *g* est cum patribus suis XVI Kal. Augusti.

65 Ejus obitu divulgato, coactus est ingens monachorum ac populi numerus, atque adeo ipse Dux

sepultura, corporis integritas suavis odor: A Dux *i* cum suo exercitu, ac toto eo die ac nocte insequente, multis luminibus, hymnisque funebribus decantandis, incensisque suavissimis odoramentis sacrosanctum ac venerabile sanctissimi Patris domicilium *k* cohonestavere. Postera luce in sancti martyris Gregorii *l* templo pie religioseque illud deposuerunt. Verum Daniel cum nullo modo posset sancti Viri reliquias in suum monasterium deferre, ibidem ad decimum mensem substitit. Interim quidam patricii dignitate clarus; (is Bardas *m* est, cujus nomen per omnium ora circumfertur) audita Viri sanctimonia ac miraculis, ad Danielem adiens, etiam atque etiam illum rogat, velit B. Patris sepulchrum sibi adaperire; quod sacras ejus reliquias venerandi magno desiderio teneretur. Hoc ille cum præstitisset, repertum est corpus prorsus integrum atque incolume, neque quidquam detrimenti passum: qui * eam difflavit odoris suavitatem, ut omnis locus affatim repleretur. Hoc prodigium vir illustris cum vidisset, magna cum pietate ac religione corpus sanctissimum venerari, salutare, deosculari; ejusque exemplo omnes pariter, qui in præsentia aderant, idem præstare. Ibi continuo jubet fabricari ligneam thecam; atque in ea corpus purissimis vestibus involutum condi, ac in eodem templo reponi: simul de toto negotio Imperatorem, inscio Daniele, certiorem facit.

* quod

quod dum, jubente imperatore, transfertur ad Sancti monasterium, 66 Cæsar, re per patricium cognita, jubet beati Viri corpus, quasi opimas gazas ac thesaurum opulentissimum ad se deportari; ut vel hinc appareat, ejus vaticinia nequaquam fuisse vana, aut in irritum cecidisse. Tum Daniel epistolam Patricio dat ad Cæsarem, simul hominem docet de his, quæ Præceptor sibi antea vivus mandaverat. Patricius epistolam per tabellarium ad Cæsarem mittit: quam ille cum accepisset, ac fuisset deosculatus, legissetque quæ in ea scriberentur, continuo quæ jubetur, facit. Tum accersens Georgium Calabrum genere, hominem gnavum, et præclaris natalibus ortum, qui ea tempestate Constantinopoli versabatur, illi hanc provinciam demandat. Is simul in Caminorum, quod aiunt, locum est delatus, sacrosanctis reliquiis acceptis, omnes imperii provincias *n* ac Græciam ipsam peragrabat, Thesprotum *o* atque adeo usque Buthrotum *p*. Illinc conscendens, ac prospera utens navigatione, ad Rusianorum *q* oppidum appellitur, ac post equo vectus *r* in Besianum *s* castrum venit.

miraculis coruscat, uti et in loco depositionis. C 67 Ibi adolescens quidam a spiritu dire cruciabatur, adeo ut sæpe ad deserta vastaque loca ire compelleretur: interdum etiam se in mortuorum sepulchra penetrare; eoque dementiæ dæmon misellum adegerat, ut sua ipse excrementa ac sordes devoraret. Is ubi ad sancti Viri reliquias propius accessit, derepente pulso tyranno, sanus ac sui compos est effectus, ac Deo gratias agens ad Salinas *t* proficiscitur *u*, de sancti corporis translatione fratribus annuntiaturus. Qui simul rem cognovere, partim alacres ingenti gaudio cumulabantur de repertis beatissimi Patris reliquiis; partim non mediocriter dolebant, quod eo se Viro orbos intelligerent, quem parentis loco semper coluissent atque adamassent. Omnes tamen libenti alacrique animo in Tauriauam *x* honorificentissime, ut decebat, illi obviam processere. Porro qui fuerit eo die populi concursus, non facile quis explicaret. Mox reserata capsula repererunt sanctissimum corpus intactum integrumque, odorum omnium odore suavissimo spirans. Hic quid dicam energumenos sanctarum reliquiarum contactu sanatos? Quid variis morborum generibus tentatos suæ valetudini restitutos? Quid oculis capiteque laborantes rite procuratos? Nec vero stetit gratiarum, ac miraculorum fons; sed hodieque *y* iis abunde dimanat, qui ad illum cum fide accesserint. Porro ejus monasterii *z* fratres, junioris Eliæ pallio *aa*, sacro nimirum corpore, donati, duplicis spiritus facti sunt participes: nam ejus præceptis informati ad perfectam virtutem consequendam admonentur, et sanctissimis vestigiis inhærentes, in ejusdem virtutis via incredibiles progressus faciunt; se adhortantur, stimulant, impellunt.

Leo imp. ditat Sancti monasterium. Biographi ad illud apostrophe. 68 Sed Leo Imperator religiosissimus, qua fuit vel post mortem in Patrem sanctum observantia, census et prædia ejus monasterio liberalissime, attribuit, ut omnium, quæ in Italia sunt, monasteriorum clarissimum, ac celeberrimum existeret: id enim tametsi antiquitate illis concedit, gloria tamen longe præstat. Cum enim novi Eliæ sedes, et quasi novum Carmelum *bb* fuisset, redditum est veluti quidam deliciarum paradisus *cc*, et plantis spiritualibus consitus, quæ ferunt virtutum uberrimos fructus, ac folia nullo umquam ventorum turbine decussa, quæ est constans fidei confessio. E Tu vero, o beata olim sancti Viri domus (jam enim ad te mea se convertit oratio) neutiquam te existimes carissimo Parente orbatam, sed in ejus te esse tutela ac patrocinio non minus hac tempestate, qua est in cælum delatus, quam antea, cum esset vivus ac superstes. Quamquam enim minime ille oculis cernitur, adest tamen spiritu, filios suos servat, dirigit, suasque oves cognoscit, et a suis ipse cognoscitur; ipse ovile suum custodit, et a truculentissimorum luporum insidiis tuetur. Idque eo melius præstat, quo se Deo propiorem videt, nostræ mortalitatis vinculis jam exemptus, ac purissimam mentis aciem in lucem illam inaccessam, omnisque beatitudinis originem liberius defigit. Atque hæc sunt, quæ ex multis collecta conscripsimus: quamquam, ut verum fatear, multa etiam sunt, quæ prætermittenda sumus arbitrati, ne propter rerum multitudinem auditoribus odiosi ac molesti essemus, aut multa congerendo, nimis excresceret oratio. Quare medium tenentes, ac regia, quod aiunt, ingredientes, potiora ac notiora selegimus, ut neque auditores prolixæ orationis tædio afficerentur, nec tenuitate rerum magnum Virum despicatui haberent. F Ceterum hoc Deum immortalem precor, ut sancti Patris rerum gestarum non auditores tantum, sed imitatores perpetuo simus; ut ejusdem etiam præmiis donemur, quæ ille in cælo abundantissime est consecutus, in Christo Jesu Domino nostro, cui sit gloria, et imperium in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De ejus morte agitur in libro Geneseos cap. 49; ubi declarat sepulturæ suæ locum,* Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, et obiit; appositusque est ad populum suum.

b *Libri Deuteronomii cap.* 34 Hæc est terra, *ait Deus,* pro qua juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino.

c *Inscribitur Martyrologio Romano ad diem 8 Octobris. Consuli interim possunt Notationes Baronii*

A. Anonymo. *Baronii ad istum diem, ubi inter alia refertur* frequens concursus Christianorum ad sepulchrum S. Demetrii Thessalonicam, ex quo ungueutum medicum scaturire jugiter consuevit : *de qua re mox dicam.*

d *Joannes Cameniata supra laudatus* post Paulum *Thessalonicensium in fide magistrum, ponit pag.* 319 inter martyres magnum, interque victores coronatos digne admirandum Myroblitam *(unguentis scilicet manantem)* Demetrium, qui et ipse pro pietate plurimum desudavit *etc. Et pag.* 324 *laudat eum a suo erga Thessalonicenses patrocinio.*

e *De hoc puncto chronologico Commentarius prævius sub initium* § 3.

f *Vide quæ de hoc monasterio superius dicta sunt, ac porro recurrent paullo post.*

g Bernardinus Rheginus in Vita S. Eliæ *(de cujus Compendio dictum est antea)* Eliam nostratem, *sicut observat Caietanus in Animadversionibus pag.* 25, Rhegii in Calabria obiisse significat, animamque suam Deo reddidisse in manus
B alterius Eliæ junioris. Indubitato errat. Nam Elias Ennensis obiit Thessalonicæ, urbe Macedoniæ, animam Deo commendans in manibus discipuli Danielis, ut ex hac historia certum est. *Vide Commentarium prævium* § 4 *num.* 36 *et sequentibus.*

h *In nostro apographo Græco* Μηνὶ Λόῳ, ὅς ἐστι Αὔγουστος, ἑπτὰ καὶ δεκάτῃ. *Id est :* Mense Loo, qui est Augustus, decima septima. *Anno* 1712 *Hamburgi prodiit* Menologium sive libellus de mensibus, centum circiter populorum menses recensens atque inter se conferens, *auctore Fabricio : et ibidem pag.* 44 *assignantur menses* Syro-Græcorum, sive Syro-Macedonum, Antiocheuorum, Gazæorum, Smyrnæorum *etc., incipiendo a Novembri, qui ponitur primo loco; decimo autem, qui respondet Augusto, notatur* Λῶος *(Lous, qui alibi in dicto opusculo scribitur cum diphthongo* Λῷος*) et additur :* Hunc decimum mensem esse, testatur Julianus in Antiochico. *Ibidem pag.* 46 *dicitur apud Tyrios esse* September; *apud Lycios ac Sidonios* October *pag.* 47; *apud Macedones et Asianos etc.* Julius *pag.* 43. Augustus, *ut ad propositum nostrum redeamus,* Græcis Lous, *inquit Pagius in Critica Baroniana ad calcem tom.*
C I *pag.* 592.

i Ipse dux, *nempe* Leo prætor cognomento Tharsilacius, qui expugnata Thessalonica, a Saracenis captus est, Joanne Curopalate auctore; *sicut ad hunc locum observat Caietanus in Animadversionibus pag.* 25.

k *In nostro apographo est* σκῆνος *id est, habitaculum seu tabernaculum, animæ videlicet, quod est corpus. Sic* 2 *Petri* 1 ℣. 14 : Certus quod velox est depositio tabernaculi mei. *Et ibidem* ℣. 13 : Quamdiu sum in hoc tabernaculo. *Et* 2 *ad Corinthios* 5 V. 4 : Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus.

l *In qualicumque nostro Vitæ apographo* sancti martyris Georgii, *sicut in Comm. prævio monuimus initio* § 4.

m Ambiguus animi sum, *ait in Animadversionibus Caietanus,* quis fuerit is Bardas. Nam plures per hæc tempora eodem nomine, quorum meminit Joannes Curopalates.

n *Quid illi cum omnibus imperii provinciis? Quomodo peragratio ac deviatio tam vasta cohæret cum mandato Leonis imperatoris paullo ante exposito? Non equidem intelligo. Forte vel legendum* varias imperii provincias, *vel* τὸ omnes imperii provincias *ita accipiendum, ut denotet,* D
omnes IMPERIO vel jussu Cæsaris designatas provincias, *nimirum Macedoniam, Thessaliam, Epirum ac Thesprotiam peragrasse seu transivisse Buthrotum usque, unde mari se committens promoverit imperatum iter Calabriam versus. Et vero e nostro apographo Græco Vitæ eruo ista correctis mendis :* Διήρχετο τὰς ἐπαρχίας Ἄμυδον, Τεσσαλίαν, Ἑλλάδα καὶ Θεσπρότην μέχρι Βουθρωτοῦ. *Id est :* Pertransibat regiones Amydum, Thessaliam, Græciam et Thesproten usque ad Buthrotum. *Sed* 1°. *Nos modo transitum illum ordine meliore posuimus.* 2°. *Non assequimur, quid vetit sibi* Amydum *regio. Invenitur tamen* Amydon, quæ urbs fuit Macedoniæ in Pæoniæ tractu ad Axium fluvium, *uti videre datur apud Baudrantium, et de quo loco etiam agit Ortelius.*

o Thesprotum, Thesprotis et Thesprotia, Epiri regio : Plinius, Strabo, Ptolemæus, *uti habent sæpius citatæ Animadversiones pag.* 25.

p Usque Buthrotum. *Præter dicta in Annotatis ad cap.* 3 *lit.* q; *addi hæc possunt ex Animadversionibus ante designatis :* Straboni lib. 7 urbs in Epiro : coloniam vocat Plinius : Buthrotorum E
sinus, Epiri regionis, apud Ptolomæum. Est et Buthrotus in magna Græcia amnis non procul ab urbe Locris, Livius lib. 29 : sed hic de Buthroto Epiri sermo est.

q Thureuorum castellum. Antonino Roscianum; Procopio Ruscia; Leonardo Aretino Ruscianum. Procopius de Bello Goth. lib. 3 " Ruscia est promontorium Thurinorum. Juxta id, ad milliaria " passuum septem cum dimidio, præsidium validissimum coustruxere Romani ". Aretinus de Bell. Ital. l. 4 " Ruscia est Thurinorum castellum " (corrige promontorium) supraque illud, oppidum " remotius a mari arduo loco situm, quod Ruscianum vocant ". *Hæc animadversiones identidem indicatæ.*

r *In nostro Ms. Græco est* πεζοπορίσας, *id est,* pedibus gressus, *vel* pedestri itinere proficiscens.

s Stephano de Urbibus Bescia, Ausoniorum urbs. Apud Livium lib. 30 Besidiæ, Brutiorum oppidum. Idem etiam putat in sua Calabria Gabriel Barrius : sed enim certum est, occidentalem Calabriæ oram antiquitus Ausoniam dictam, ut Dionysius Alicarnasseus tradit. Strabo item lib. 2 ait, mare Ausonium esse, quod deinde Siculum. Prodit F
Licophron, Philoctetem Herculis comitem ab Ausonibus occisum, qui oram fluminis Crathis habitabant. Crathis autem Theocrito, seu Cratheis Plinio Brutiorum amnis prope Scyllam. Atque hæc Apollonio Rhodio de Argonautis lib. 4 Scyllæ Ausoniæ, *prout videre licet in Animadversionibus eisdem, de quibus ante.*

t *De efformatione hujus vocis, dictum est supra plus quam satis.*

u *Ibidem :* Ἐκεῖθεν Δανιὴλ προσλαβὼν παραγίνεται ἐν Σαλίναις μηνύσων τὴν ἀνακόμησιν τοῦ Ὁσίου τοῖς ἀδελφοῖς. Illinc Daniel, assumpto *corpore,* ad Salinas proficiscitur, Sancti translationem fratribus significaturus. *Quod itaque in hac Vita excusa tribuitur isti energumeno adolescenti, in nostro Ms. adscribitur Danieli.*

x Taurianum rectius dixerimus. Apud Melam lib. 2 cap. 4, Taurinum; apud Plinium lib. 3 cap. 5 Tauroëntum legebatur. Sed Taurianum utrobique legendum, ut Hermolaus Barbarus, et Nonius Pintianus castigant : quemadmodum apud Stephanum de Urbibus Taurania legitur pro Tauriana. Urbs est in agro Brutio Metaurum inter et Scyllam. *Animadversiones, de quibus supra.*

y *Hinc*

A y *Hinc colligitur, Biographum non statim post translationem hæc scripsisse.*

z *Corpus itaque* S. Eliæ *nostri e Græcia in Calabriam translatum ad monasterium, quod jam sæpissime nominavimus. Quæ autem hac occasione notata sunt, habentur in nostro Commentario prævio* § 4 *num.* 36.

aa *In Ms. nostro lego* ὡς ἄλλην μηλωτήν, tamquam alteram meloten. *De quo vestimenti genere consuli potest apud nos Commentarius historicus de S. Elia Propheta tomo* v *Julii, die* 20 § 8.

bb Novus Carmelus *dicerem : nam* Carmelus *Græce* Κάρμηλος, *est celeberrimus mons Palæstinæ :* Carmelum *vero promontorium esse lego ejusdem Palæstinæ prope montem cognominem. Plinius lib.* 5 *cap.* 19 *:* Promontorium Carmelum, et in monte oppidum eodem nomine, quondam Ecbatana dictum. S. ARONYMO.

cc Ἥντινα παροικήσας ὁ νέος Ἠλίας, ὡς ἄλλος ἐκ νεότητος Κάρμηλον, ἔδειξεν νέον παράδεισον. *Hæc e Ms. nostro deprompta sic interpretor :* Quam (*sedem*) novus Elias, sicut alter ab ineunte ætate Carmelum, incolens, novum reddidit paradisum.

DE SS. BENEDICTA ET CÆCILIA

VIRGINIBUS

ABBATISSIS SUSTERENENSIBUS, ET RELINDE RECLUSA E

B IN AGRO JULIACENSI

Sylloge de earum cultu.

J. B. S.

Sec. x. Coluntur cum S. parente Susteteni,

In Floribus *suis* ecclesiæ Leodensis *ad diem* XVII *Augusti hunc præfigit titulum noster Bartholomæus Fisen :* SS. Benedicta et Cæcilia abbatissæ Sustereni et Relindis clausa, *ita citans :* Brustemius et quæ Jacobus Kritzradt S. J. collegit e veteribus monumentis Susteren. et ad me misit. *Ex certis hujusmodi monumentis nos præcipue induxit idem Fisenus, ut harum trium sanctarum virginum parentem Zuentiboldum ad hujus mensis diem* XIII *Sanctorum numero adscriberemus, ut ibi paulo fusius explicatum est. Inter ea porro fidentius connumeravimus cultum immemorabilem, qui sacris ejus reliquiis Susteteni constanter exhibetur; quo eodem argumento sanctas ejus filias huc adducimus, quarum, saltem priorum duarum, Susteteni defunctarum reliquias in rerum sacrarum thesauro religiose asservatas, publicæ veneC rationi exponi testatur non semel alibi a nobis laudatus Arnoldus Hertzwormius in sua Susteteni historia Ms.* § 7 *ad dictum diem* XIII *citato, ubi post enumeratas sancti Parentis reliquias, ita expressissime subjungit :* Capita et ossa S. regis Zuentiboldi filiarum abbatissarum Sustereni, scilicet Benedictæ et Cæciliæ.

licet junior ibi deposita non sit.

2 *Atque hæc quidem de duabus istis celebribus abbatissis* Benedicta *et* Cæcilia *diserte asseruntur, non item de natu minima sorore* Relinde clausa, *quam aliis conjunxit Fisenus, tametsi satis manifeste insinuet, eam nec Sustereni obiisse, nec proinde depositas ibidem sacras ejus exuvias, quarum, cum ceteris ad eam spectantibus* obliteratam memoriam *satis indicare videtur laudatus scriptor, ut mox ex ejus elogio abunde patebit : unde, ni fallor, fateri cogimur, eo solo titulo sororibus conjungi posse, quod cum ipsis eodem loco et ipsa* Reliudis *annua memoria celebretur, et eodem ipso die, hoc nempe* XVII *Augusti, non vero* XVI *Novembris, quo ex Gelenio* Benedictam *et* Cæciliam *collocavit noster Theodorus Rhay inter* Animas illustres Juliæ Cliviæ *etc. Nos hic Fisenum sequimur, et laudatum Susterenensem historicum. En modo promissum breve ipsarum trium elogium :*

3 Sorores fuerunt, natæ Zuentiboldo Lotharingiæ rege et Arnulfi imperatoris filio : de quo nobis sermo fuit decimo tertio hujus mensis. Augustam suæ gentis majestatem sanctæ illæ virgines paribus omnes animis posuerunt, ut Christi humilitatem sectantes, religiosam vitam instituerent. Condiderat nuper rex pater, aut potius instaurarat, quod Sustereni fuerat inclytum multa virtute sacrisque aliquot Sanctorum exuviis cœnobium, sed in favillas et cineres Normannica rabie corruerat. Hoc regebat insigni sanctitate virgo nomine Amelberga, cujus XI Kalendas Decembris meminerimus. Ejus magistro se subjecerunt ternæ sorores, et dignam suo genere virtutem assecutæ sunt. *Simul religiosæ fuerunt,*

4 Ac Relindis quidem (quam natu minimam aiunt fuisse) cum solida sanctioris vitæ fundamenta posuisset, nullo sui contemptu satis contenta, cœnobio solitudinem prætulit, quo soli Deo nota, mortalium omnium oculis se subduceret. Flemaliam secessit ad Mosam supra Leodium, ubi rex pater religioso filiæ suæ desiderio (ut quidem opinor) obsecutus, Virgini Matri templum posuit. Hic se Relindis abdidit in tuguriolum, quod sacræ ædi adhærebat, eoque clausa totam vitam exegit eximia integritate spectabilem. Illam multis olim miraculis Deus ornavit; sed omnem ejus memoriam obliteravit temporum iniquitas. *sed Relindis vitam finivit reclusa.* F

5 Sustereni substiterunt ambæ sorores aliæ tanta morum puritate, ut cum naturæ concessisset antistita Amelberga, toti sacrarum virginum cœtui jussa sit præesse Benedicta. Susceptum munus obivit religiosæ disciplinæ magno splendore, ac tandem quæ terrenum regnum Christi causa contempserat, ab eodem evocata [illegible] ad cæleste. Successit Cæcilia, sorori nequaquam impar; præclarisque exemplis non minus quam consiliis postquam aliquamdiu parthenonem illustrasset, vita sancte defuncta est. Eumdem utrique diem Ecclesia consecravit. *duæ seniores successive abbatissæ.*

DE

A D

DE S. JOANNE EPISC. CONFESSORE

J. B. S.

CIVITATIS MONTIS MARANI

In principatu ulteriore regni Neapolitani.

Sec. XI Notus ex sola Vita ab Ughello edita

Hic S. Joannem *episcopum producimus, illustrem sane apud suos et celebri annuo cultu hoc die festivissime in dicta civitate recoli solitum, cujus in nostris cujusvis regionis aut ætatis Martyrologiis nulla usquam, saltem quam hactenus viderim, exstat memoria, quodque mirandum maxime, ab ipso Ferrario, Sanctorum Italiæ tam diligenti solertique collectore omnino præteritus est, quod idem de monasticis dicen-*
B *dum: ut Wioni, Menardo et quidem Bucelino ignotus fuerit, omnium primo et soli Mabillonio cognitus, qui tomo* VI *Sanctorum sui Ordinis parte* 2 *ad calcem eum ex accepta ab Ughello notitia retulit, ita de ipso in sua præmonitione observans.*

et a Mabillonio recusa,

2 Totam hujus beati Viri, quam habemus, notitiam debemus Ferdinando Ughello, qui in Catalogo episcoporum Montis-Marani S. Joannem ex Benedictino monacho ad hanc sedem jussu Gregorii VII Pontificis Maximi assumptum, primum ordine recenset, quamvis alios in hac sede præcessisse fateatur, sed quorum nomina sunt incomperta. Hujus beati Viri Vitam olim exstitisse integram observat idem auctor, quæ in codice hædino scripta cum aliis ecclesiæ Maranensis cimeliis in incendio periit, exceptis duobus foliis, quæ fragmentum infra a nobis exhibendum continebant, non sine miraculo servatis. Mirum est, Joannis nostri nomen in Martyrologiis, quæ quidem videre nobis licuit, desiderati, cum civitatis et diœcesis Maranensis præcipuus patronus habeatur, quo titulo ejus festum die XVII Augusti in ecclesia colitur: sacræ ejus reliquiæ in cathedrali ecclesia, præter quam nullus est in urbe pa-
C rochialis titulus, asservantur. Quo anno Joannes obierit incertum est. De ejus enim ætate nihil aliud rescire licuit, nisi quod, curante Gregorio VII, factus fuerit episcopus, cujus ideo mortem ad hujus seculi undecimi finem revocare visum est.

quæ ex altera editione illustratur.

3 *Non vidit nec videre potuit Cl. scriptor Mabillonius alteram Ughelli editionem, cura et studio Nicolai Coleti, ecclesiæ S. Moysis sacerdotis alumni, auctam ac emendatam, et apud Sebastianum fratrem Venetiis anno* 1721 *editam, in qua non pauca correcta sunt, quæ ab Ughello parce nimium et jejune explicata videbantur, ut Additionem quamtumvis paulo longiorem omittendam non putaverim. Neglectis igitur iis, quæ de civitate ejusque splendore non satis pro merito laudatus Ughellus retulerat, præmittam hic Vitam ipsam, ut ab eo vulgata est, subjuncturus Additionem Coletinam, qua non solum civitas, sed et* S. Joannis *cultus mirifice illustrantur, quæ certe alibi reperiri non potuere. Sic ad jam dictam Vitam qualemcumque præfatur Ughellus :*

Præfatio Ughelli.

4 S. Joannes Benedictini Ordinis monachus, Gregorio VII Pontifice Salerni existente, episcopus Montis-Marani, jussu ejusdem a Beneventano archiepiscopo consecratur. Præfuit sanctissime ac multis miraculis clarus obdormivit in Domino die XVII Augusti et in Cathedrali humatur, ubi veluti civitatis Patronus pie colitur. Acta ejusdem in hædino codice conscripta exstabant; sed casu concremato sacrario, una cum monumentis ejusdem ecclesiæ et ipsa concremata sunt: ex iis tamen duæ integræ hædinæ paginæ non sine miraculo remanserunt illæsæ, quæ in sacrario custodiuntur; continent enim partem S. Episcopi Vitæ rudi stylo ac simplici conscriptæ, ut sequitur :

ACTA E

ex editione Ughelli.

Multum reluctatus ne episcopus fieret,

Contigit autem, ut his temporibus Maranensis ecclesia proprio careret pastore, et cum fama tanti Viri crevisset, placuit Maranensi clero, populo et Domino, ut tantus, ac talis Vir ad eorum ecclesiam regendam pastor eis daretur: accepto autem consilio a Papa Gregorio, qui tunc Salerni aderat, ad talem sibi pastorem perquirendum, honorifice legatos miserunt, quos prædictus Papa benigne suscipiens, præcepit, ut ibidem manerent, donec de persona repetita inquireret, si ad tantum culmen conscendendum honesta esset; sed benignus monachus, columbina simplicitate, ut solitus erat: pedes apostolicos deosculans, ne tantum onus sibi imponeret, indesinenter deprecabatur *a*.

a Gregorio Papa VII coactus,

2 Qui apostolicus blande respondens ait: Oportet nos, fili, pro fratribus nostris multa pati, et sicut Dominus noster proprio filio suo non pe- F
percit, sed pro nobis præcepit et voluit immolari; ita et de hoc a nobis non est tibi parcendum, quia melius est ut lampadi assimileris, ut tibi amore divino ardeas, et aliis luceas; quam ut carboni assimileris, qui sibi ardet et aliis non lucet. Reminisci etiam debes, quid beato Petro Dominus ipse dixerit: Si diligis me, pasce oves meas. Hoc præceptum, frater, nostrum est, si Dominum diligimus, pascamus ejus oves: quod si non facimus, videmur Dominum non diligere. Unde ex parte Domini tibi præcipio, ut jugum ejus diligentissime suscipias.

per Archiep. Benevent. consecratur et a suis suscipitur.

3 Videns autem Joannes se humiliter conclusum, et tanto præcepto contradicere non posse, omni suæ charitati se commendavit. Tunc Papa lætus effectus, Beneventano archiepiscopo misit quemdam Cardinalium, ut præfatum Joannem pro Maranensi ecclesia episcopum consecraret, rogans, atque præcipiens, ut eum benigne coleret, et suis amicis epularet; quod archiepiscopus hilari animo adimplevit: prænominatum Joannem honorifice susceptum, et voluntate et requisitione totius populi Maranensis, eum elegit, et consecravit. Tunc Montis Marani episcopus factus sanctus Joannes venit catervis clericorum et

A et laïcorum stipatus; sed uterque populus virorum, ac mulierum catervatim fluunt, tantum Patrem ad suscipiendum.

Dedicata ab ipso ecclesia vermibus repletur

4 Eodem anno quamdam ecclesiam vocabulo S. Laurentii, quæ intus eamdem civitatem sita est, prædictus Vir Dei deprecatu dominorum, præfatæ civitatis dedicavit, in qua sacerdotem, quem ipsi expetierant, ejusdem ecclesiæ in obsequium constituit. Sed invidus bonorum diabolus, qui semper sanctæ Ecclesiæ obest, prædictum sacerdotem suo amore exarsit, in tantum, quod super ipsam ecclesiam, id est in gamera *b* ejusdem ecclesiæ quadam cum ganea concubuit. Mirum in modum, et ultra modum mirabile! confestim tota ecclesia illa vermibus ita plena erat, ut non valeret aliquis per eamdem ecclesiam incedere, nisi super vermes, quod incolæ loci illius domino episcopo Joanni studuerunt enarrare.

crimine sacerdotis, quem Sanctus merito punit.

5 Tandem dominus episcopus ibidem venit, et factum quod vidit, ingemuit; sed conversus ante crucem prolixius oravit; postquam orationem complevit, conversus ad clerum, et ad populum circumstantem dixit; B Omnes vos Domini misericordiam implorate una nobiscum, quatenus sua clementia, ad quod hoc signum mirabile factum est, nobis suis famulis ostendere dignetur de ejus misericordia, propter quod signum istud ostensum est: cujus prece divinitus exaudita, perpetratum crimen citius manifestatum est: et confestim devenit presbyter ille, et a sancto Præsule perquisitus, quod fecerat, nequivit celare crimen, sed coram omnibus confessus est quid, et qualiter evenerat; unde nimium Præsul mœstus de tanto crimine tam verecundanter *c* facto presbyteri, illum a sacerdotio suspendit, præcipiens ei jejunia cum injuncta eleemosyna.

Cum laborantibus operariis

6 Tempore, quo vir Dei præsul Joannes Maranensem gubernavit ecclesiam, non solum de cælestibus, verum etiam de terrenis ad ecclesiæ incrementum pertinentibus indesinenter ac studiose curam gerebat. Quadam die pro ejusdem ecclesiæ opere juxta flumen Caloris cum plurimos secum haberet viros, de quibus alios ad incidendum ligna, alios ad evellendum cespites constituit. C Erat autem nemoris densitas, ubi hæc agebantur, non longe a sancti Potiti, quam funditus extirpare cupiebat, ut ager ibi efficeretur, unde compendium habere posset, de quo pauperibus erogaret.

vinum deficeret

7 Contigit autem eo die, ut plurimi ex castello Baiani illuc advenirent, qui ad peragendum illud opus eum adjuvarent. Et cum plures ibidem devenirent, videntes Dei famulum propriis manibus laborem alacriter gerere, protinus injiciebant cum eo in opere viriliter agere, et condensa fruteta, ac scabiosas radigines *d* radicitus evellere. Et cum multi ad laborandum cum eo ibi adessent, accidit, ut eo die vinum ei deficeret. Erat autem tunc temporis in patria illa magna inopia vini: sed quoniam laborantium membra naturaliter oporteret refocillari, cum jam hora iterum sumendi appropinquaret, affuit minister ejus dicens: Domine omnino vino caremus.

nec reperiri alibi posset,

8 Tunc Sanctus quemdam suum ministrum, Eustachium nomine, accersiri fecit, quem Montem Maranum celeriter ire jussit, et casalia petere, ut si ad emendum, vel quo modo vinum invenire potuisset, quam citius veniret et secum deferret. Qui cum pergeret, et quod quæsierat minime inveniret, tandem sine vino minister ad Virum Dei reversus, qualiter quæsierat et invenire nequierat, coram omnibus ei denunciavit.

EX VITA APUD UGHELLUM

Tunc sanctus, gratia Dei ut erat repletus, ait ad eos, etsi viteus humor nobis non est, adsit nobis sancti Spiritus gratia, qui corda suorum famulantium suo semper amore irrigat et affluenter lætificat; potens est enim ipse suis famulis in ejus mandatis et opere consistentibus gratiam et lætitiam concedere.

aqua in vinum mutata omnes reficit,

9 Tunc juxta fluminis ripam præcipit homines discumbere, et mox hilari, ut erat aspectu, ac simplici corde, spem habens in Deum, cuidam suo ministro præcepit dicens: Affer nobis languellam *e* aquæ fluminis, ut operariis ecclesiæ ad potandum distribuamus. Confestim minister, cunctis videntibus, hausta aqua fluminis, duxit eam Viro Dei. Sed omnipotens Deus, qui ubique præsens est et suos semper exaudit, qui Moysen in eremo, cum populus perstreperet, non clamantem, sed silentem exaudivit, ipse vota sui famuli prænoscens, ac volens eum hominibus in mundo innotescere, quanti meriti sit potens apud Deum, ea, quæ non voce, sed corde et mente poscebat, non diu differre distulit, sed citius ei concessit: non enim verba, sed desideria puri cordis faciunt voces apud piissimas ac sacratissimas aures Dei. E

et ad agendas Deo gratias

10 Hinc est quod vir Dei præsul Joannes sperans in Domino, hoc, quod puro corde et humili mente, non loquendo, sed tacendo postulabat, meruit illico divinitus obtinere. Cum aqua ducta fuisset, mox ut eam Sanctus benedixit, et ad potandum discumbentibus tribuit, aqua ipsa mirifice in vinum mutata est. Continuo autem dum non aquæ, sed vini saporem gustare cœpissent, inter se hoc valde mirantes, ac de tanto miraculo nimis stupefacti, præ nimio gaudio surgentes a mensa, prostraverunt se ad pedes Sancti cum lacrymis dicentes; Sancte vir Dei ora pro nobis, videmus enim atque cognovimus magnum mirabile hodie, quod tuis sanctis meritis penitus factum esse credimus.

mirifice hortatur,

11 Quod cum Sanctus, cur hoc facerent, dicisset, ait ad eos: Viri fratres et filii, oportet nos Deum laudare, et nostris pro delictis digna satisfactione misericordiam et indulgentiam ab eo postulare, qui nobis hodie tanta beneficia dignatus est impendere: credo equidem in vobis ipsum manere, qui olim suis discipulis dixit: Ego sum vitis vera, et vos palmites, qui manet in me, et ego in eo. Ipse autem omnipotens videns charitatem vestram et opera, et fidem, et quomodo ad honorem sui, et matris Ecclesiæ commodum fideliter operati estis, noluit vos sui amoris gratia inanes effici, sed repleri.

vetatque rem cuiquam pandi,

12 Unde hoc, quod inter vos cernitis factum, non meis meritis, sed pro vobis ideo credite factum, ut amodo et semper in ejus mandatis firmiter, atque securius permaneatis. Rogo autem vos, atque præcipio, ut usque dum hac vita fruor, hoc, quod pro vestris beneficiis vobis Deus præstitit, ne cuiquam paudere curetis. Qui ejus monitis, ac precibus consentientes, donec vixit, nemini dixeruut. Prædictus autem vir Dei præsul Joannes vitæ hujus cursum feliciter decurrens, quemadmodum subsequens sermo declarabit, non multo post debitum carnis persolvens, a præsente seculo migravit ad Dominum.

ac non diu post sancte moritur.

13 Viri itaque illi, post ejus obitum, quod gestum est, fideliter enarrare studuerunt. Nos vero ad laudem æterni ac salvatoris nostri Dei, qui sancti hujus Præsulis meritis, ejus temporibus talia dignatus est operari, et ad roborandum fidelium mentes, hoc quod a fidelibus nobis relatum

Ex editis apud Ughellum. latum est, dignum scribere duximus. Nunc autem Sancti hujus imploremus clementiam, ut pro delictorum nostrorum remissione non differat nobis conferre subsidium apud eum, et cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Legebatur* deprecabat, *haud dubie amanuensis vitio.*

b *Per* gameram *aut* cameram *opinor indicari sacrarium.*

c *Intellige* inverecunde.

d Scabiosæ radigines *melius intelliguntur, quam explicari possit.*

e *Item* languellam *pro* lagenam. *Similia, quæ sequuntur, explicatione vix digna sunt.*

NICOLAI COLETI

Ad Ughellum additio in editione Veneta.

B

Notitiæ supra ex Ughello datæ

Inter episcopalium dignitatum sedes, antiquioribus infulis in principatus Ultra provincia (olim Samnium dicta, ut notat Jo. Vincentius Ciarlantes, alioqui apud novissimos Hirpinorum) fulgentes est, quæ appellitatur Montis Maranensis, in qua paulo brevius sistendum duximus, cum nullus inter scriptores rerum antiquarum inveniatur auctor, qui de ea mentionem etsi levissimam faciat. Hinc ultra ea, quæ ab Ughello cumulata sunt, addenda supersunt pauca ex pluribus mihi a cl. viro Baptista Petra ex patritiis civitatis Rossani jureconsulto eximio, ac omnium eruditionum genere referto transmissis; cui stimulos ad scribendum dedit, ac calcaria præbuit illustriss. ac reverendiss. D. Cælestinus Labonia prædictæ civitatis episcopus anno elapso * defunctus.

* 1720

hic additur uberior Marani descriptio,

2 Civitas igitur Montis Marani non minus quam reliquæ in dicta provincia Principatus Ultra antiquissima est; resonantque hujusmodi veritatem (C) aliqua monumenta ex ruinis ejus florentissimæ ætatis in tanta temporum, quæ omnium memoriam excludit, diuturnitate, adhuc intra nunc abbreviati districtus septum, per pauculas reliquias apparentia, quibus captivanda necessario est nostra credulitas, auctoribus rem tacentibus. Æque sunt, quæ civitatem in suis primordiis nimis augustam, ingenti populo refertam et præcelsis ornatam ædificiis prædicant; licet in præsentiarum nimis augusta dignoscatur, et vix 700 incolis frequentata, tenuioribusque casellis culta.

laudaturque a populi frequentia,

3 Hieronymus enim de Marra, olim capellanus major Catholicæ majestatis in regno Neapolitano, utilisve dominus hujus civitatis testatur in quodam libello, se invenisse in quinternionibus regiæ cameræ summariæ Neapolitanæ, quod seculis retro lapsis frequentissimus populus urbem nostram inhabitasset; imo quod 12 oppidulis, seu casalibus circumdata esset, quæ postea humi obruta fuerunt in communi lue, passa in regno an. 1500, ac in ejusdem ruinæ ultimo complemento an. 1656, quorum reliquiæ in veteribus quibusdam ædificiis vix elucentes nunc supersunt.

a nominis origine

4 Et hoc Hieronymi assertum comprobare videntur verba in Vita S. Joannis, quam hic retulit Ughellus, sequentia: Populi Maranenses confluebant catervatim ad talem et tantum Pastorem suscipiendum (D): reliquiæ item mœnium eam sequentium, prout eam multarum arcium, quas vulgo Fortini appellant, quibus circumdatur. Si quæras autem originem, causamque nominis scriptæ civitatis, ex antiquissima civium traditione dicitur Mons Maranus, seu Marianus a quodam Caio Mario, qui fundator urbis eam supra montem construi fecit. Alii rursus eam sic appellatam volunt ex eo quod ecclesia cathedralis, qua ornatur, Mariano intactæ Dei Matris in cælum assumptæ titulo sit dedicata.

et rerum abundantia.

5 Ceterum urbs peramœna est, omnique herbarum, ac fructuum abundantia pollet; cumque supra montem ad plagam Orientalem per milliaria 18 distans a metropoli Beneventana urbe sita sit, floridissima aurarum spiracula aëris salubritatem, ac ubertatem soli inibi constituunt, ita ut ex ea gens erumpat ter robusta, ac numquam jugo laboris deficiens, prout etiam ovium gregatim sua sola pascentium in omni genere abundantissima conspicitur; indeque lacticinia exquisitissimi saporis, et grata pinguedine referta, delicatæque carnes speciatim in ejus tenimentis (E) conspiciuntur.

Ignoti primi Episcopi.

6 Tempus autem, quo episcopatus præeminentia hæc urbs decorata fuerit, ignoratur. Constat equidem S. Joannem, a quo incipit hanc seriem Ughellus, non fuisse primum hujus sedis antistitem, cum in prænunciata S. Joannis Vita hæc legantur: Contigit autem, ut iis temporibus Maranensis ecclesia proprio careret pastore. Ideoque cum tempore Gregorii VII (floruit hic an. repar. salutis MLXXIII) in personam prædicti S. Joannis narretur facta electio ad hanc cathedram ob defectum proprii pastoris, sequitur multo antea fuisse episcopali dignitate insignitam hanc ecclesiam.

Laudes eccl. cathedralis,

7 Ejus cathedralis est speciosissima, ac æque amplissima, tribusque alis distinguitur, quarum una cum cruce emicat; duplici ex parte columnarum fulcro magnificentissime ornatur; amplo item nobilique presbyterio, choro, ac capellis, larga sed divite cavitate speciosis, subterraneo corporum receptaculo, binis lapideis hic illicque a latere perquam commodis ditato scalis (vocant catacumbam, vulgo subcorpo) non destituitur: campanis tribus amplis, ac resonantibus, congruaque ad eas turri fulget ex pia et larga reparatione Præsulis de Al- (F) bergone, cujus tempore inventa est arca plumbea, in qua ecclesiam Maranensem consecrationis insignia habuisse an. 1494 ab episcopo Juliano Ysopo compertum est.

in qua altare Indulgentiis ditatum:

8 Sed hujus templi pulchritudo specifice habetur ex ornatu cujusdam capellæ, quæ spatiosa, ac eleganti cavitate exculta non parvam spirat magnificentiam. Est autem a latere Euangelii aræ maximæ, ejusque altare licet olim soli angelorum cultui sacrum esset, in præsentiarum tamen arcam novi testamenti, cibum iuquam Eucharisticum servat, opera et munificentia præsulis de Labonia nuper extincti. Dictum altare quota die perenni, ac largo indulgentiarum thesauro ditatum est a Gregorio XIII. Prædicta autem capella olim erat de jure patronatus dominorum illustris familiæ de Marra, civitatis qui erant utiles domini.

item Capituli et episcopatus.

9 Capitulum hujus principis templi constat 12 canonicis, inter quos quatuor solummodo dignitates, nempe archidiaconus, archipresbyter et duo primicerii, qui omnes eidem ad majorem Dei gloriam, prout etiam illibatissimæ virginis Mariæ

A Mariæ omni, qua decet, assiduitate, pompa, ac Gregoriani cantus peritia concorditer serviunt. De proventibus mensæ episcopalis tacendum potius, cum in communi urbis excidio etiam hi notabilem passi fuerint diminutionem, adeo ut hodie tenues admodum sint, et ad præsulis sustentationem vix sufficientes : nec ceterum ampla stipatur diœcesi : nam collapsis dictis 18 casalibus, sedes episcopalis trino tantum, nec longiusculo locorum tenimento suffraganeorum authorata remansit, scilicet arcis veteris, Castri Franci, et Vulturariæ.

Notabiles Sanctorum reliquiæ,

10 Venerabilem sanctitatem spirat ecclesia ob insignes Sanctorum reliquias, quæ in ea asservantur; notabiles sunt pars brachii sancti Sebastiani M., ossea pars sancti Antonii abbatis, dens integer sancti Petri Apostolorum principis, alii duo dentes sanctæ Apolloniæ virginis et martyris, os sancti Marci Euangelistæ, sancti Paulini episcopi Nolani, sancti Viti mart., sancti Caroli Borromæi, aliæque iunumeræ, sed minutæ, quæ satis longum esset enumerare.

inter quas eminent sacra S. Joannis lipsana,

B 11 Inter reliquas autem summa veneratione habentur a civibus sacra lipsana sancti Joannis urbis episcopi, cujus caput in crate argentea, antiquo, sed pulchro delineamento sculpta, reliquum vero corpus in ara eidem speciali voto dicata intra prædictæ cathedralis catacumbam, ubi in arca plumbea an. MDCIV illud reposuerat episcopus Genuensis. Sed inde alius præsul successor, scilicet Albergonus construi pulcherrimum reliquiarium curavit ex materia lignonucea, auro opulenter interjecto, picturis, figuris, aliisque divitibus ornamentis excultum. In quo reliquiario postquam repositæ essent multæ Sanctorum reliquiæ, educta tandem e prædicta catacumba dicta arca plumbea,solenni translatione sacraJoannis ossa recondita sunt, postquam 18 annorum circulo humo fuissent sepulta.

Ex fonte apud Cajet. ... et os sanguine circumfusum.

12 Est autem speciali admiratione dignum, quod unum prædictorum ossium sanguine quasi de recenti circumfusum usque ad præsens aspiciatur. Cujus circumfusionis ex antiquissima urbis traditione hæc causa redditur : scilicet evenisse, ut cum impius quisquam cujusdam partis sacri ossis furtum tentaret, sanguis inde miraculose emanarit, atque in prodigii testimonium macula sanguinea deinde veluti in osse insculpta remanserit.

Brachium in necessitatibus præsens auxilium.

13 In dicta autem plumbea arca e catacumba infima noviter educta repertæ sunt inter ossa sancti Joannis, quatuor soleæ coriaceæ, gremiale pontificium, aliquot mappæ, lintea, ac vela, in quibus quædam anonymæ reliquiæ erant involutæ : quæ omnia non sine miraculo post tot secula ad hunc diem incorrupta cernuntur. Solent autem cives in crudelibus procellis, aliisque necessitatibus, quæ magis urbem premunt, brachium dicti sancti Præsulis e reliquiario educere, et a sacerdote stola induto, luminibusque accensis deferri ante portam ecclesiæ; de repente aëris feritas mansuescit, cessant grandines, et cives, quod postulant, assequuntur.

Mira sedis ligneæ constructio et conservatio.

E 14 Inter alia denique memorabilia prædicti sancti Joannis, ejus sedes, seu cathedra episcopalis asservatur, ex ligno, cujus materia non cognoscitur, extructa, sine clavis contexta, sed pulcherrimo magisterio antiquaque sculptura pulchre efformata. Hæc autem intacta et incorrupta adhuc manet, licet varie, mirumque in modum ob innumeras translationes, quas de loco ad locum passa est, fuerit dirupta. Novissime autem a prædicto episcopo Albergono in loco eminenti e regione altaris, sancto Præsuli speciali capella sacro, reposita fuit, ut sic communi cultu, ac obsequio, quo decet, possit ab omnibus civibus commodius venerari.

DE BEATO NICOLAO EREMITA

IN SICILIA,

C

COMMENTARIUS PRÆVIUS

F P. B.

Probatur cultus ejus legitimus.

Anno MCLXVII. Beati cultus

In *Martyrologio Siculo sic refertur hoc die ab Octavio nostro Caietano :* In Arcaria, Messanensis diœcesis, S. Nicolai eremitæ. *El in margine additur :* Colitur ex Julii PP. II concessu. *Secutus est Ferrarius in Catalogo Novo :* Arcariæ, in Sicilia pago, S. Nicolai eremitæ : *in Annolatis observat primum, Arcariæ locum esse Messanensis diœceseos apud Mylas et fanum S. Luciæ; secundo obiisse* Nicolaum *circa annum Salutis* 998, *Saracenis Siciliam tenentibus; quod falsum est ex Actis nostris : denique Nicolaum coli Julii PP. II concessione, et Hadriani, quem ultimum me alibi legere non memini. Tutius ergo in Notitiis Siciliensium ecclesiarum agit Rocchus Pirrus lom.* 2 *pag.* 115 : B. Nicolaus eremita Hadranensis est, qui sanctissimam duxit vitam sub monte Ætnæo, tempore regis Guillelmi II. Inde miraculis in, et post mortem illustris in Arcaria oppido diœcesis Messanensis die XVII Augusti obiit, ubi Julio II PP. indulgente, magna celebritate colitur.

concessus a Julio PP. II.

2 *Porro diploma Julii PP. II sic habet apud Caietanum in Animadversionibus tom.* 2 *pag.* 61 : JULIUS PAPA II. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecistis, quod alias defuncto quondam Nicolao del Polito, el beato Nicolao vulgariter nuncupato, in quadam spelunca prope istam vestram terram, vos, seu verius prædecessores vestri, habentes propter illius bonam vitam, et magnam erga ipsum devotionem, ejus corpus, animo in ecclesia majori istius terræ collocandi, accepistis, et demum mutato proposito in ecclesia deposuistis : verum cum, ne quis exinde furetur, dubitatis, juxta primum vestrum propositum, exinde amovere ad terram vestram, et ecclesiam ipsam deferre, et in ea collocare desideratis etiam cum anniversarii celebratione tam in ipsa ecclesia, quam in ecclesia, sancti Nicolai

AUCTORE P. B.

Nicolai de lo Cito, prope quam obiit : propterea nobis supplicari fecistis, ut huic desiderio vestro in hac parte de benignitate Apostolica annuere dignaremur. Nos igitur hujusmodi vestris supplicationibus inclinati, vobis, ut corpus prædictum, del Beato Nicolao vulgariter nuncupatum, ex dicta inhabitata ad vestram ecclesiam transportare, et tam in ea, quam ecclesia prædicta S. Nicolai, prope quam obiit, anniversarium diem XVII Augusti celebrare ad libitum vestrum, convenienter tamen, libere et licite possitis, absque alicujus præjudicio, auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia concedimus et indulgemus, inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus et singulis ordinariis locorum, ad quos spectat, ne vos in remotione, translatione, collocatione et celebratione prædictis directe, vel indirecte molestent vel inquietent, aut ab aliis molestari vel inquietari permittant; constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VII Junii, MDVII, Pontificatus nostri anno IV.

B

et nunc celebr.

3 *Concessit ergo sanctissimus Pater Julius II* B. Nicolai *nostri cultum in duabus saltem ecclesiis; et ubi tunc erat, et in ea, ad quam tunc destinabatur, ecclesia majore Arcariensium : nam ut addit paulo inferius noster Caietanus :* Servatur bodie divi Nicolai corpus in æde maxima. Patronus est Arcariæ. Proprio etiam Officio et Missa olim celebrabatur. Festus ejus dies agitur XVI Kal. Septembris; qui dies ejus e vita discessus fuit; et IV Non. Maii, quo primum die sedis Apostolicæ permissu coli cœptus (*quod non satis intelligo, nisi dilatum diu fuerit, vel male notatum diploma jam exhibitum.*) Augendæ celebritati pietatique Arcariensium in divum Nicolaum Joannes Andreas S. R. E. cardinalis et archiepiscopus Messanensis, indulgentiarum litteras concessit die IX Januarii, Ind. XV anno CIↃIↃLVII. *Nunc Acta videamus apud eumdem Caietanum tom. 2, pag. 180, paulo locupletiora, quam quæ nobis paulo ante missa fuerant, tamquam a Beati confessario ex Ordine S. Basilii; sed his absque dubio minoris meriti, et minus quidem aucta; sed minus accurata passim, adeoque prætermittenda.*

C

ACTA

Auctore ejus confessario : sed aucta posterius.

Beati nativitas et pia educatio, fuga matrimonii, a b

Qua tempestate regnabat illustris comes Rogerius, qui Siciliam armis vindicaverat e Saracenorum dominatu, B. Nicolaus in Adernione ex familia Politorum natus est *a*. Parentes haud infimos, sed inter ejus oppidi *b* primos habuit : quibus cum non esset, cui bona et fortunas relinquerent, Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque sanctissimam Matrem multis cum precibus, jejuniis et eleemosynis exorantes, Nicolaum, unicam prolem suscepere. Puer cum bona indole proficeret, magistris traditus est a quibus litteris instrueretur. Jam vero parentes vitæ exitum pertimescentes, de uxore a filio ducenda decernunt; cui cum alligatum Nicolaum vellent, ac pene etiam cogerent; is autem omnino abnueret, neque effugere eorum vim alia via posset, D clam omnibus arripere fugam statuit : sed enim interdiu noctuque animo versabat suo, quod in Euangelio scriptum est : Si quis vult venire post me, et non odit patrem suum et matrem suam, et uxorem et filios, et fratres et sorores, non potest meus esse discipulus.

et solitudinis amplexatio dura,

2 Nocte igitur, quam Dei providentia destinarat, cum omnes cubitum issent, somnusque arcte complexus esset, dum Nicolaus domum, patriam, parentes et universa, quæ habiturum se speraret, Dei amore nihili pendens, relinquere deliberat et fugam cogitat, vox ad eum de cælo hæc venit : Nicolaë, surge et sequere me. Statim ille exsurgit, et secutus est sibi dicentem : Veni mecum; et ostendam tibi salutarem pœnitentiæ locum, in quo, si volueris, servare animam tuam poteris. Itaque ad mediam Ætnæ montis regionem deductus, antrum vepribus obseptum nactus, in eum se abdit; ubi jejuniis et orationibus ac præcipue meditationi passionis Jesu Christi assidue vacans, corpusque verberibus aliisque macerationibus castigans, annos ferme tres permansit. E Quoniam vero is locus profectibus ejus minime aptus videbatur, patriæque vicinus erat, ac filium parentes perquirebant; cum ab eo divina providentia removere Nicolaum vellet, nuntium suum ad eum delegat his cum mandatis : Nicolaë, noli hic amplius commorari : nam qui te quærunt; quod si inveniant, in patriam abducent; itaque quod cœpisti, perdes. Sed perge in locum, quem tibi ostendero, versus Arcariam *c*, sub montem Calamuam *d*; ubi, donec vitam finieris, commoraberis.

deinde mutatio, infestante diabolo, sed victo,

3 Aurora appetente, Nicolaus ex Ætna profectus ad locum, quem revelaverat angelus, iter suum aggreditur. Cum vero in mediam silvam pervenisset, dæmon habitu mercatoris ei fit obviam, itaque locutus : Quo, miser, adeo solus pergis? Ille respondit : In montem Calamuam juxta Arcariam, quo missus sum. Excepit hostis hominum : Veni mecum : nam melius tibi eveniet. Ostendam tibi civitates meas et loca; eaque, si dictis meis obtemperaveris, tibi dabo; in quibus potioribus refertus voluptatibus vives multo jucundius, quam in monte Calamna. Quibus auditis, B. Nicolaus secum animo reputans, F dicebat : Quis est hic, qui ab itinere meo me retrahit, mihique divitias pollicetur suas, et panem suum, quem comedam, vestesque suas et voluptates, quibus in hoc seculo fruar, et tantam erga me caritatem præfert? Statimque passionem Christi in animum revocans, intendensque oculos in cælum; O Domine Jesu Christe, dixit; per tua quinque vulnera et per passionem tuam concede, ut hujusce tentationis laqueos evadam. Qua oratione finita, ab ea vexatione liber fuit, et dæmon ex ejus oculis evanuit.

ubi fontem excitat miraculo prodigiosum.

4 Igitur cœptum iter persecutus, ad locum, cui hodie Aqua Sancta nomen, devenit. Illic de via fessus, et solitis corporis sui castigationibus conflictatus, laborare siti cœpit : quam ob rem humi stratus, sublevatisque oculis in cælum, hac prece Deum oravit : Domine, qui fontes olim uberrimos de petra eduxisti, mihi, obsecro, concede, ut invenire aquam hic possim, qua refrigerem corpus meum. Quo dicto, vocem e cælo audivit : Exsurge, Nicolaë, et saxum, quod vides, baculo tuo percute in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; illud quod petis, tibi præstabit. Ut audivit, ita exsecutus est; statimque aqua e saxo promanavit; quam variis exinde vexati morbis

A bis aut doloribus epotantes, sani effecti sunt.

et austere vixit 30 et amplius annis.

5 Ceterum Nicolaus ubi ad demonstratum sibi montem pervenit, in maxima cibi abstinentia assiduisque ad Deum precationibus, et ubere lacrymarum profusione vitam transegit. Exstat in montis cacumine saxum, sub quo orationes suas ad Deum fundebat. Frequens erat in meditatione vulnerum Jesu Christi, in quorum dulcissima recordatione plerumque septies per diem amare collacrymabatur. Sed victum illi radices herbarum præbebant; interdum panis Angelicus; cibum semel in die, quamdiu vixit, capere solitus. Permansit in eo monte annos xxx et amplius, præter paucos Religiosos viros, cognitus omnino nemini. Ad vitæ finem cum propinquaret, feminis duabus occurrit, quæ cum pyra portarent, Jesu Christi nomine ab iis petiit illorum fructuum particulam, altera earum negante, liberalem alteram expertus, gratiis Deo actis, ei bene est precatus. Hæ mulieres a morte B. Nicolai atque ejus manifestatione testatæ sunt; ei, quæ benefica fuerat, multos ad dies poma supcrasse; avaræ vero omnia putruisse, ut ne usui quidem essent idonea.

B

Ibi mortuus invenitur, et ædificatur ecclesia.

6 Jam vii Kal. Septembris agricola quidam Leo, insigni vir probitate, cum quæsitum palabundos boves intra silvam ac solitudinem raperetur, eo devenit, ubi B. Nicolaus animam exhalarat, vitaque functus, flexis genibus, baculoque manibus innixus cælum suspiciebat. Quo viso, expavit homo, continuoque inclamavit: Quis vero es tu? Quisnam tu es? Sed cum nullum ei responsum redderetur, ad cadaver accedens, dextera manu tetigit, statimque exaruit brachium. Quo prodigio monitus, secum ipse meditabatur, aliquem hominem sanctum certo illum esse. Igitur propere ad Arcariam recurrit. Visa archipresbytero ac magistratibus vulgat, stupore omnium: præsertim quod ea tempestate æreæ templorum campanæ nulla vi humana pulsæ, sonitum edidissent. Ergo clerus magistratusque ac populus, agricola duce, nudis pedibus ad Nicolaum procedunt: quo simul atque perventum est, cum præmonstrare corpus exstinctum ductor vellet, et arefactum brachium extenderet, integrum repente sensit. Honori vero D. Nicolai datum, ut quo loco corpus inventum est, ecclesia ejus nomini dicaretur.

C

Aufertur ad Basilianos, ubi mansit incorruptus per annos 336:

7 Jam vero cum corpus in Arcariam deportaretur, de via per D. Hippolyti erat transeundum; sed cum præterirent, ita grave atque onerosum sensere, ut ne moveri quidem vestigio posset. Consilium inter se ineunt, quam potius ad ædem Sanctus deduci vellet: cum multas ejus oppidi nuncupassent, tentassentque si forte eo progrederetur, frustra tentarunt. Itaque magna inter vulgus admiratio, magnum in proceribus sententiæ discrimen; quod ab infante, inter brachia matris ei prodigio adstantis pendente, diremptum est; qui inclamavit, diferrent ad D. Virginis Mariæ, cui a Rogato nomen: eo secuturum sponte Nicolaum. Ad hanc ædem monasterium situm erat ab instituti Basiliani sectatoribus exultum, admodum religiosis piisque viris. Horum, ut fides est, unum sibi vivens Nicolaus delegerat in confessarium, qui scripto etiam nonnulla de ejus vita adnotaverat. Hoc veluti oraculo suscepto, sublatum statim sine ullo impedimento corpus eo detuleruut ubi cccxxxvi annos *e*, corruptionis omnino expers, vividum atque integrum duravit, nec sine miraculis in veneratione fuit.

Ex P. Octavii Caietani Isag. anno 1503 corpus exaltatur non sine miraculis

8 Sed cum anno salutis mdiii die Maii x maxima pluviarum penuria laboraret ea omnis vicinitas, supplices populi, de nomine Cælites invocando, ad illud templum mira religione perrexerunt. Statimque, ut eductum B. Nicolai corpus, ut mos jam pridem cum fructu cœperat, sublime in altari statuerunt *f*, ingens pluvia admirabili Dei beneficio ac D. Nicolai consecuta est: quo tempore, cum plurimi post pias preces, sacras reliquias reverenter studioseque exoscularentur, accidit, ut permixta turbæ famosa mulier id etiam auderet: enimvero ad ejus accessum retraxit se sanctum illud corpus, nec tangi se sivit magno omnium stupore. Facto autem sacrosanctæ sacrificio Missæ, cum post circumductas referrent in templum reliquias, in ipso ædis aditu, quoniam subire ulterius inusitato pressi pondere nequibant, qui pegmati humeros supposuerunt, coacti sunt subsistere et misericordiam ac pietatem ab immortali Deo invocare.

f

pluribus:

9 Prodigium hoc exceptum est lætis eventis: nam in promiscuo illo vulgo Joannes Hospitalis, qui hernia jam dudum vexabatur adeo portentose, ut nonnisi mantica sustentaretur, repente se eo morbo relevatum sensit; et ipse quidem passim misericordiam clamitare tantam, et sanitatem suam E divulgare: vulgo autem concursus ad eum videudi studio fieri. Inter hæc herniosus alter de multitudine sublatis vocibus iterat: Sum sanus. Et ecce tibi tertius eodem morbi genere laborans, Et ego, inquit, sum sanus, sum ego quoque. Quamobrem in tanto populi stupore ac sensu peropportune visum est cuidam de Franciscana familia religioso ac bono viro, concionatori non indocto, de sublimi loco verba facere: quorum exitus is fuit; ut Arcarienses cives solemni fide reciperent, impensuros se quidquid impendendum pecuniæ foret, quoad facultas a summo Pontifice fieret ejus Sancti viri reliquias venerandi.

quo tempore actum est Romæ, et obtentum de cultu a Julio PP. II.

10 Delecti ergo ad hanc rem viri prudentes duo, Antonius Tundus presbyter, et Joannes Cottonus: ii publicis sumptibus Romam adeunt; et per libellos supplices rem tractant. Sed delato in diem negotio ac infecto, pecunia consumpta, reditum meditabantur. Forte in hospitium diverterant: eo in loco tristes atque cogitabundos aggreditur paupere atque inculto habitu, nescio quis: Cujates essent, quo fine Romam venissent, quæque tanti causa mœroris? Cui cum perbenigne respondissent, consolatus eos est. Ne, inquit, tristemini, fratres: F ite securi: heri enim in Ostiis Tiberinis vestra est res peracta, et facultatis diploma apud talem (addebat nomen) invenietis. Quibus edictis, egressus ex hospitio pauper desiit apparere. Illi Ostia Tiberina adeuntes, quæ a peregrino acceperant, vera fuisse senseruut. Datum vero est diploma Pontificium de venerandis B. Nicolai reliquiis anno a partu Virginis mdvii, die vii Junii, Julio II Pontifice Maximo *g*.

g

Tum templum timentes Arcarienses

11 Inter hæc B. Nicolai fama miraculorum numero illustri late per ea loca divulgabatur; et plurimi pro sanitate supplicaturi ad eum concurrebant; nec frustra: valentes enim atque integri suam ad domum multa cum gratiarum actione revertebantur. Id vero Adernionenses, ejusdem oppidi cum B. Nicolao cives, vehementer inceudit, ut tam divitem apud se thesaurum potius domi haberent, quam alibi alii: sed conantes sæpenumero clanculum asportare detexit tintinnabulum ex æde B. Mariæ sua sponte sonitum ingeminans: quo signo exciti etiam Arcarienses, agmine facto, quod in eorum jure erat, defensuri concurrebant.

12 Quoniam autem locus ipse, qui longe ab oppido

EX P. OCTAVII CAIETANI IMPR. *corpus ad se sustulerunt,*

oppido atque in silvis erat, videbatur occasionem iis incursionibus præbere; decretum Arcariensibus est, transferri eas reliquias intra oppidum oportere, tutoque collocari. Mandatur id negotium octo de primoribus oppidi; Petro Rosatæ presbytero, Joanni Gemburdo, Joanni Sciarræ, Florino Marino, alteri Joanni item Sciarræ, tribusque aliis, quorum nomina intercidere: hi intempesta nocte ac densis occupata tenebris susceptum cum reverentia B. Nicolai corpus, intra oppidum, comitante eos divina luce, in S. Pantaleonis reposuerunt, nemine prorsus id cum fieret, odorante *h*. Erat ibi Brontensis quidam, qui annum quartumdecimum a dæmone obsidebatur; imo vero octo abhinc annos emortuum jam corpus atque anima destitutum, ipse (quod ab eo dicebatur) sustentabat. Ergo quicumque ille erat, ad B. Nicolaum ductus, a malo spiritu solutus est: effugatoque dæmone, consedit cadaver putridum.

ubi perrexerunt

13 Hæc, aliaque plura operatus est merito suo B. Nicolaus, hodieque operatur: quod ut nemini non est palam; ita universos incitare ad B gratias Deo agendas debet. Sed illud omnino non est prætereundum. Mulier in villam aliis cum mulieribus perrexerat, filium parvulum, cui Matthæo nomen fuit, cubantem in lecto relinquens: hunc deinde mortuum offenderat. Consternata mœrore ac luctu mater, B. Nicolai implorat auxilium: ab eo vitam demortuo filio quærit: quæsivit, et invenit. nam ab oratione matris, tamquam evigilasset e somno, filius loqui cœpit, gratesque Deo et Nicolao agere. Is deinde ad senectutem pervixit.

multa miracula.

14 Militelli baronissa tot tantorumque celebritate miraculorum accensa in Beatum hunc virum, ad ejus adorandas reliquias sese contulit, cum adhuc in prædicto cœnobio servarentur. Ergo cum id maximo comitatu perfecisset, puerulo etiam secum deducto filio; cupida secum de tanto thesauro, particulam domum referre, frustulum ex brachio cum accepisset; aëre sudo ac tersissimo revertebatur. Ecce autem aër repentino contristatus imbri maximo et grandine omnia verberabat: ipse filius ictu grandinis obcæcatur. Itaque C hoc prodigium restitutione expiandum omnes censuerunt, qui matrem comitabantur: quod antequam præstarent, ea brachii particula placuit exstinctum pueruli oculum contingi, si forte repararetur. Eventus felix fuit et mirabilis. Ejus facti memoriam servat hodie mons: ubi hæc evenere: collis Orbulus ex orbitate pueri dictus. Hæc ad gloriam Dei omnipotentis, beatæ Virginis Mariæ, et B. Nicolai scripta sunt.

ANNOTATA.

a *Non putat Caietanus hæc recte referri ad Rogerium primum, Guiscardi fratrem, vita defunctum anno* 1101; *sed ad hujus filium Rogerium, qui dominari cœpit ab anno circiter* 1102, *deinde rex ab anno* 1130 *usque ad* 1152 *vel* 1154; *quia* Nicolao *morienti ætatem adeo longam non audet asserere; uti qui nubilis in eremum progressus, ibi vix annos amplius triginta tres vixit.*

b Ejus oppidi, *nempe* Adernionis *sive* Adrani, *quod nomen est vetus: in Ætna monte situm est, et natale* B. Nicolao.

c Arcariam: *ait Caietanus, Fazello* Arcara, *recens oppidum prope veterem Calaetam in Siciliæ latere septemtrionali. Est in diœcesi Messanensi.*

d Calapuis *alias, et Calania.*

e CCCXXXVI annos *habet alterum exemplar Caietani; alterum ejusdem* DVII; *nostrum vero* CCC. D *Primum Caietano præplacet: eum enim obiisse Beatum putet anno Christi* MCLXVII, *si addantur his anni* CCCXXXVI, *venitur ad annum Christi* MDIII *quo statim eductum inde corpus fuisse dicitur ad pluviam postulandam a Deo per Cœlites.*

f *In ecclesia propria, ni fallor; ubi fuerit inventum primo corpus ejus mortuum; ut vide num.* 6.

g *Habes illud in Commentario prævio num.* 2.

h *Videtur hoc factum obtento jam diplomate Julii PP. II; sed nescio, qua ex causa deposito hoc suo tam facile decesserint Basiliani.*

HYMNUS

AD B. NICOLAUM *a*.

a

Baculo et benedictione lupos omnes ex ovili E depulit, perinde atque pater et populorum advocatus, curam eorum habet, qui pie illum colunt: nosque a quovis periculo ac morbo liberat.

Peccata, ut colubros, a puero fugiebat: dæmonesque abigebat, atque ut strenuus propugnator, in fugam vertebat: murus etiam fortissimus erat adversum inimicos. Intercede pro animabus nostris.

Vitam oppido quam asperam exegit, eximiamque animi submissionem ac pietatem prætulit. Ex ea magna sunt nostra in eum studia: non enim clientes suos deserit in eorum necessitatibus.

A teneris annis Religiosorum virorum institutum consectatus est; multosque a flagitiis ereptos ad meliorem frugem correxit.

Cum Deum precaretur, hæc erat ejus oratio: O Pater, O Fili, O Sancte Spiritus, in precationem meam intende, qui versor in hac solitudine. In te dumtaxat spes meas collocatas habeo: cum e vita discessero, obsecro, animam meam recipias.

Quemadmodum pastor ad nos venisti, et veluti collucens sol cæcos illuminasti, atque ad verum iter F nos direxisti.

Ut pie submisseque vixit; ita et mortem obiit: atque a probo viro Leone repertus est, eremitæ habitu indutus, et quemadmodum lux orbi terrarum apparuit.

Splendor huic oppido exortus es, qui numquam occidit; intercessor vero es apud Deum, et propitius clientibus tuis terra marique: exinde te laudamus, tibique gratias referimus.

Beatus Nicolaus, signo crucis cum baculo facto, oves sanavit, luposque expulit, et vicinos populos a morbis est tutatus.

Ego Cosmanus theologus ingens ejus pœnitentiæ studium pernovi, qua, dum viveret, se maceravit: ac per pœnitentiam, instar lucernæ ardentis ante Deum, ad quem profectus es, fuisti: nunc vero splendoribus gloriæ frueris.

Flagranter Deum precatus es, ut suam nobis gratiam largiretur; tuaque pœnitentia eam vim adeptus es, ut cæcis lumen, auditum surdis restitueres omnesque morbos procurares.

Specum, in qua habitavisti, serpentes et aspides insidebant, quos jussu tuo vitæque asperitate quam longe fugasti.

Invocato nomine tuo tempestatem maris sedasti.

A sti. navique cursum prosperum in tutum portum dedisti.

Ab infantia plane probatum est, illum Deo consecratum fuisse : nam ipsis adhuc in fasciis se a lacte abstinebat diebus Mercurii, Veneris et Sabbati non sine magna admiratione et omnium stupore.

Precationes tuæ gratæ Deo erant : sincero enim corde fundebantur.

O fortis apud Deum defensor adversum dæmones, et Christianorum advocatus, a malis omnibus nos libera.

Quemadmodum lingua ejus prompta ad Deum laudandum fuit; ita munificæ ad elemosynas manus.

Sint benedictæ mammæ, quas suxisti; et benedictus sit venter, qui te gestavit: nam virgo es et mente et corpore.

ANNOTATA.

Ex P. Octavii Caietani impr.

2 *Ad hunc Hymnum notat Caietanus* : Hunc Hymnum vel hymni fragmentum potius, ex schedis quibusdam Arcariensibus Italo sermone conscriptum accepi; sed prænotatum in iis erat : Ex Græco codice traductum, qui in ecclesia Sanctæ Mariæ de Rogato, energumena, nescio qua, detegente, repertus fuerat. Unde mihi suspicio, Cosmanum Hymni scriptorem, fuisse monachum ex ejus monasterii familia. Numne is fuit, qui divi Nicolai eremitæ, cui superstes fuit, confessiones excepit? Suspicor omnino eumdem : nam asceticum vitæ ejus institutum novisse se profitetur, ac pleraque mira, quæ nemo alius enarrat : quæ ab eodem sanctissimo ascete Nicolao Cosmanum accepisse credibile est. Attamen placitum mihi hymnum evulgare; quod eximias ille D. Nicolai laudes habet, multaque miracula, ab eo edita, quorum vitæ scriptor non meminit; dignumque fuit, perlecto hymno, rescivisse.

DIES DECIMA OCTAVA AUGUSTI.

B E

SANCTI QUI XV KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Florus, S. Laurus, S. Proculus, S. Maximus et alii — MM. in Illyrico.

S. Agapitus M. Præneste in Italia.

S. Projectitius M. Bergomi in Italia.

S. Joannes, S. Crispus — presbyteri Romani, forte et martyres.

S. Pontemus, C S. Pilentia, S. Tatiana, S. Marciana, S. Heliana, S. Laucia seu Lauciana — MM. Amaseæ in Ponto.

S. Leo, S. Juliana — MM. Myræ in Lycia.

S. Hermas, S. Serapion, S. Polyænus — MM. Romæ.

S. Helena vidua, imperatrix, ac magni Constantini mater, Romæ.

S. Firminus, episcopus conf. Metis in Gallia.

S. Joannes, S. Georgius — patriarchæ Constantinopolitani.

S. Dega Maccayrill episc. conf. in Hibernia.

S. Guenninus episc. Venetensis et conf. F

S. Inanus seu Evanus confess. in Scotia.

B. Clara de Cruce, virgo, prope Montem Falconis in Umbria.

B. Rainaldus archiepiscopus Ravennæ in Italia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

De S. Mauro, Maroto *vel* Marono *nonnulla olim commentus est Jacobillus, quæ a Bollando refutata sunt* XXVII *Januarii ; ubi de Mario Bodanensi egit. Ceterum* Maroti *seu* Maroni *caput a Fulginatibus hoc die honorari contendit; quem ego necdum satis novi distinguere ab illo* Maroue, *qui a majoribus nostris datus et illustratus est* XIV Februarii.

S. Arnulfus *textus codicis Hieronymiani Epternacensi adjectus, merum est antiquarii Gallici assumentum.*

A *assumentum. Die natali relatus est* XV Augusti.

S. Jeron *seu* Hieron, *martyr in Hollandia, male hoc die in Kalendario aliquo signatus, spectat ad diem præcedentem, quo de ipso actum est* XVII Augusti.

S. Lubetia Electa, et Helenæ Augustæ ancilla, *apud nos habetur die* VII *Februarii inter prætermissos; ubi diximus, referri eam isto die a Saussayo in Martyrologio Gallicano, Lahierio in Menologio virginum, quibus eadem adscribitur, et* Lubecia *vocatur. Quæritur a nobis ibidem, an ista sit, quæ aliis* Libania, *ac fertur in S. Crucis inventione ad vitam revocata? Denique remittuntur inquirenda certiora ad hunc diem* XVIII *Augusti occasione Vitæ S. Helenæ. Ego quidem inter Vitas ipsius Mss., quæ apud nos sunt,* viduam, *nomine* Libaniam *invenio* quæ prius fuerat Judæa, sed defuncto viro suo Issachar, relicta synagogæ perfidia, contulit se ad Ecclesiam Christi, *prout ibidem dicitur; sed nihil adjumenti sperandum ex hujusmodi Vitis: quarum vix ullam prælo dignam* B *censuimus in nostro Commentario prævio de S. Helena, quem damus hac die; rationes videri ibidem possunt* § 14.

S. Helda *in scheda quadam notatur a Bollando ex Alberico monacho Trium fontium Ms. apud Chiffletium, ad annum* 332, *ubi ista haberi, refert:* Obiit S. Helena mater Constantini. Hujus discipula fuit S. Helda, quæ requiescit in episcopatu Trecensi. *Auctorem hunc lego vixisse seculo decimo tertio; ac proin ejus testimonium non magnæ hic est auctoritatis, quia tot seculis a sanctæ Helenæ tempore remotum. Nec alia mihi ex ejusdem Sanctæ collectione historica, quam dabo hac die, efferenda occurrunt, quibus illam* S. Heldam *illustrem. Liceat ergo nobis exposcere ab eruditis Tracensibus aliisve Gallis plura ac certiora documenta, antequam eidem in hoc Opere locum demus.*

S. mart. Throlachoni *mentio fit in Ruthenorum Kalendario apud nostrum Possevinum tomo* 2 *Apparatus sacri ad scriptores etc. Verum omnino nos latet, quisnam is sit et qualis, qui ibi notatur, martyr, solo utpote nomine indidem nobis hactenus notus.*

C Asteriolus *alicubi inter Sanctos recensitus nescio quis aut quo pertineat, neque cum* S. Asterio, *qualis non unus recurrit, confundere ausim.*

Quis Agon *Pictavii hoc die a Castellano ut Sanctus coli dicatur, alterius sedis episcopus, vellem paulo clarius explicasset, cum in omnibus sacris Tabulis plane ignotus sit.*

Ernæum *aliquem Hibernum invenerunt Majores nostri in Dempstero* XV *Februarii, eumque remiserunt cum Camerario ad* XXVI *Aprilis, si forte* certiora occurrerent venerationis monumenta, *quæ tamdiu expectavimus, ut cum Colgano saltem hoc die referri posset, verum ex eo tempore nihil quidquam lucis accessit.*

Joannes Monachus Cisterciensis *inter Sanctos ponitur in Ordinis Kalendario, laudaturque ab Henriquez, Chalemoto et ipso quidem Bucelino; ast ea nondum adducuntur, quæ probent legitimo cultu celebrari.*

Quod idem dicendum de Adamo *ex Morinensi episcopo Claræ-vallensi etiam monacho.*

Fulcedem *præterea adducit Chalemotus monialem de Prato in Belgio.*

Salustium *ut S. Disibodi socium Menologio suo inscripsit Camerarius, quasi Sanctorum socii* D *et ipsi Sancti dicendi sint, ut de S. Columbani discipulis alibi notavimus. Ultro fatemur* Salustium *vel* Salustum *in Vita S. Disibodi apud Surium in Actis nostris* VIII *Julii memorari: at de ejus sanctitate aut cultu nec vestigium ibi occurrit.*

Sancta Agapes virgo et martyr ab ecclesia Tuscanensi colitur hac die: ibi enim corpus ejus in ecclesia majore asservatur, ut marmorea inscriptio indicat. Quæ an eadem sit cum ea, quæ Interamnæ XV Februarii colitur, an diversa, non ausim affirmare, cum hujus Acta minime viderim. *Hæc Ferrarii verba sunt in suo magno Sanctorum Italiæ Catalogo, ex quibus ingenuam ejus confessionem intelligis, quod Tuscanæ depositum corpus, et ipsa, ceteris omnibus Tabulis sacris incognita, colatur, quales Sancti plurimi toto orbe Catholico honorantur, ex cœmeteriis Romanis aut aliunde accepti. Doceant nos plura Tuscanenses, ultro et libentissime amplectemur.*

Leonardus *abbas Cavensis* XI *multis laudatur a* E *Wione, Menardo et Bucelino, quorum elogia, ut ut admittam, non ausim Sanctis adscribere, donec aliqua saltem cultus indicia afferantur.*

Additur Luitolphus monachus comes quondam Achalmensis, et in causa S. Petri contra schismaticorum proterviam propugnatoris acerrimi. *Sed cum solo* venerabilis *titulo.*

Sunt præterea apud Bucelinum Agibodus Bobiensis monachus.

Sergius *PP. IV.*

Jacobus Callipetus.

Martinus *monachus in Scotia.*

Quatuor Ascetæ in eremo consummati in pace *notantur in Menæis magnis impressis, et honorantur duobus versibus: quorum res gestæ utinam nobis essent notiores!*

S. Privatus *a solo Greveno hoc die relatus est, forte confundendus cum Privato* Tarsensi M., *de quo in Actis* X *Maii, vel cum Africano* V *Junii, aut eo, de quo post tres dies agetur.*

S. Pontinus, Pontimus, *seu* Potentinus, *qui hoc die in additionibus Usuardinis aliquoties recurrit, aut cum Martyris aut Confessoris titulo, absque ulla ulteriori notitia, non alius esse* F *videtur ab eo* Pontino *seu* Pontimo, *de quo mox loquemur in classe Martyrum Hieronymianorum.*

B. Jacobus Mutinensis, episcopus Sebastenus, in ecclesia monialium S. Geminiani sepultus *signatur in Monumentis Sanctorum Mutinensium, a Ludovico Vedriano Italice editis, pag.* III: *cujus deinde vitam subjungit ac virtutes. Inter alia vero, quæ apud ipsum legi possunt, dicitur recusasse episcopatum Foroliviensem, ab Eugenio PP. IV sibi oblatum; jussu autem Nicolai, qui Eugenio successit, admisisse Sebastenum in partibus infidelium. Floruit igitur seculo* 15: *obiit hac die* XVIII *Augusti, anno Christi* 1455, *ætatis* 85, *uti affirmat citatus auctor; agens etiam de felici ejus obitu, concursu ad funus, miraculis, atque inscriptione in dicta ecclesia marmoreo lapidi indita, eum titulo* Beati. *Quæ tametsi virum istum comprobent non mediocri in veneratione habitum fuisse; quia tamen ibidem nihil dicit auctor laudatus de cultu publico ac legitimo ipsi umquam exhibito, ideo inter Sanctos hodierna die in Opere nostro illustrandos locum ei hactenus non*

A non audemus dare, donec eruditi Mutinenses vel alii eumdem cultum nobis sufficienter probaverint; tuncque locus esse illi poterit in supplemento Operis nostri.

Esmalius Vinacrius M. *Montiniaci in Aquitania*	*Titulo beati donantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano.*
Petrus a Galliendo conf. *Tuderti in Umbria.*	
Franciscus a Soto conf. *In Mexico.*	
Antonius Alcantarensis conf. *Apud Brocas in Hisp.*	
Didacus de Abuseio conf. *Orapessæ in Hisp.*	
Claudia Meansæa virgo. *Gebennæ in Gallia.*	

Adduntur in Hueberi Menologio sed absque titulo

Elias de Mantua. *Mantuæ.*

Ludovicus de Luca. *In Canaria.*

Georgius de Calzada. *In Hispania.*

Marina de Villa sera cum pluribus aliis. *Cordubæ in Hisp.*

Innocentia Angeli. *Fulginii.*

Ursula Blatnerim. *Sefflingæ in Suevia.*

B Paula de Ferrara *Ord. S. Dominici refertur a Marchesio hoc die, uti et in Anno sancto Belgico, et in Viridario Germanico.*

Joanna de Ozorio *additur in eodem Viridario.*

Theodorus Cellensis auctor aut instaurator Ordinis Cruciferorum *a nostro Fiseno in Floribus ecclesiæ Leodiensis inter* venerabiles *collocatur, ab insignibus virtutibus mirifice laudatus, quibus tamen religiosus cultus necdum accessit.*

S. Donatus *male etiam hoc die notatus est. Spectat ad diem sequentem* XIX Augusti.

S. Auctorem II *episcopum Trevirensem huic dici innectit Browerus in Annalibus lib.* 5 *pag.* 281 : *at Majores nostri in Prætermissis die* IV *Aprilis, et hunc et istius nominis primum remiserunt ad diem, quo hic colitur* XX Augusti.

De Massa candida *in Hieronymianis hoc die signata pluribus agit Florentinius; at cum Romanum sequamur, de ea agendum erit die, quo et* Candidus *inde formatus excutietur,* XXIV Augusti.

S. Firminus *episcopus Ambianensis confessor refertur hoc die a Ferrario in Catalogo generali :*

C *melius ipsum reliquisset loco pristino, in quo ipsum collocant Saussayus, Majores nostri et Castellanus, nempe die* I Septembris.

S. Demetrius M. *a Greveno hoc die signatus, spectat ad* VIII Octobris.

S. Betharius *abbas martyr hoc die perperam signatur in Kalendario Benedictino, spectat enim cum sociis martyribus Casinensibus ad* XXII Octobris. D

Helena *celebris virgo sanctimonialis Hungara, Ordinis S. Dominici, multorum istius instituti scriptorum elogiis ornatur, et eo quidem non minimo, quod magistra regiæ virginis B. Margaritæ, cujus Vita data est* XXVIII *Januarii, in qua etiam merito laudata est. Stupenda de ea referuntur miracula, sic ut, teste Sigismundo Ferrario, de Hungaricæ provinciæ ejusdem Ordinis rebus agente, a Vesprimiensibus* beata Heleha *pridem nuncupata fuerit. Hoc mirum; nec annum ferme obitus, nec diem certe hactenus repertum esse, ut proinde a Silvano Razzio hoc die signetur, ut alteri S. Helenæ imperatrici subjungatur, a Marchesio* XVI *Martii, ab aliis* VIII *vel* IX *Novembris referatur. Atque hæc omnia laudatissima, fateor : quæro ubi, a quo tempore, et quo cultu celebretur : de quibus si recte docear, poterit de ipsa in hoc Opere agi, cum Ordinis Anno sancto Belgico et Viridario Germanico ad dictum diem* IX Novembris.

S. Martinus Papa *nescio unde hoc die a Greveno erui potuerit. Notissima est ejus festivitas, signata etiam in Martyrologio Romano* XII Nov. E

In Bronio, S. Eugenii episcopi et martyris translatio *memoratur a Molano, Ferrario et aliis. Colitur celeberrimus sanctus* XV Novembris.

Antonius de sancto Germano *ex Ordine S. Dominici in Actis, quæ Papebrochius noster olim Mediolani ex Collectione F. Ambrosii Taëgii transcripsit, die* XVIII *Augusti anno* 1459 *obiisse dicitur. Fuit hic vir venerabilis, et virtutibus miraculisque clarus, ut ultro fatemur. Sed de legitimo ac immemorabili ejus cultu dubitamus. Quare si RR. PP. Prædicatores hunc solide possint ostendere, de illo agi poterit die, qua in Viridario Germanico et Anno sancto Flandrico PP. Dominicanorum refertur nimirum* XXVIII Novembris.

S. Firminum Virodunensem episcopum, qui post S. Possessorem septimus ibidem resedit *hoc die memorat Ghinius in SS. canonicorum Natalibus, nescio quo duce : utrumque Majores nostri signatum repererunt cum Pulchronio ejusdem etiam urbis episcopo ad diem* IV *Maii occasione translationis. Verum de S. Pulchronio jam egerunt* XVII *Februarii.* Firminum *autem eum remiserunt, et nos cum ipsis remittimus ad* III Decembris F

Calatabellotæ in Sicilia commemoratio S. Peregrini confessoris. *Est annuntiatio Ferrarii in Catalogo generali, haud dubie ex Caietano : at Sanctus a Majoribus nostris pridem remissus est ad* XXX Decembris.



A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FLORO ET LAURO, PROCULO, MAXIMO ET ALIIS

IN ILLYRICO,

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, translatio, Acta, tempus ac locus martyrii.

Forte sec. II. Cultus apud Græcos,

Clara quidem est SS. Flori ae Lauri *memoria e sacris Eeelesiæ tam Latinæ quam Græcæ Fastis, non tamen e bonæ notæ Actis Græcis, de quibus alias toties ae meritissimo jure et eonquesti sumus, et conqueri identidem cogimur.* B *Probemus itaque* 1°. *horum duorum Martyrum, eultum, de aliis vero dicatur postea. Sanctos itaque* Florum *ac* Laurum *signat Typicum, quod vocatur S. Sabbæ, hae die, Menologium Sirletianum, Synaxarium Basilii imperatoris, Martyrologium nostrum Arabieum (in quo mendose pro* Flori *ponitur* Lepri) *Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum, Menæum Chiffletii, M. Taurinense, Synaxarium Sirmondi, quibus aceense Menæa magna exeusa, quæ tribus hisce versiculis illos honorant :*

Δίψει τελευτῆς τῆς ὑπὲρ Θεοῦ Λόγου
Χωροῦσι Φλῶρος καὶ Λαῦρος πρὸς τὸ φρέαρ.
Φλώρῳ ἅμ᾽ ὀγδοάτῃ δεκάτῃ φρέαρ εἰσέδυ Λαῦρος.
Florus simul Laurusque martyrii siti
Puteum petuut, caduntque pro Verbo Dei.
Cum Floro puteum Laurus simul ambo subintrant.

Nimirum octava decima, *sieut est in metro Græco, hujus mensis Augusti die. De modo consummati cursus martyrii dieetur postea. Menæa* C *eadem in Sanctorum istorum laudibus præcipuas hodiernæ diei Officii sacri partes impendunt, coneinnato etiam de eisdem Canone, cujus hæc est aerostichis :*

Τερπνὴν ἀνυμνῶ Μαρτύρων ξυνωρίδα.
Pari venusto Martyrum laudes cano.

reliquiæ Constantinopoli.

2 *Ceterum peculiari eultu eos Constantinopoli honoratos fuisse, tradit nostrum eegraphum inter alia nostra, quæ asservamus, quod prænotatur desumptum e Ms. Synaxario Sirmondi; unde transeribo ista :* Τελεῖται δὲ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτῶν μαρτυρείῳ τῷ ὄντι πλησίον τοῦ πανσέπτου ναοῦ τοῦ ἁγ. ἀπ. Φιλίππου, καὶ ἐν τῇ εὐαγεστάτῃ μονῇ τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ τοῦ Παντοκράτορος, δι᾽ αὐτὸ ἐκεῖσε μετατεθέντα τὰ ἅγια αὐτῶν λείψανα. *Quæ sic sonant :* Peragitur autem eorum solenuitas in sanctissimo eorum oratorio, quod est prope venerandum templum sancti apostoli Philippi, et in sanctissimo monasterio salvatoris Christi Pantocratoris *(id est* Omnipotentis) propterea quod translatæ illuc sunt sanctæ eorum reliquiæ. *De monasterio* Pantocratoris *varia eollegit Cangius in sua Constantinopoli Christiana lib.* 4 *pag.* 80; *inter ædes autem saeras sanctis Apostolis dicatas agens pag.* 116 *de S. Philippi monasterio,* Vicinum, *inquit, illud* Flori monasterio fuisse, tradit Gregorius diaconus in Vita Basilii junioris cap. 56. *Habuit itaque Constantinopolis etiam monasterium* Lauri *nomine nuneupatum, eujus frequens est mentio apud scriptores Byzantinos, prout observat Cangius pag.* 156. *De saeris autem lipsanis, quorum modo incidebat mentio, utriusque nostri sancti Martyris, affirmat, eorum* reliquias sub Constantino Magno retectas, et in urbem invectas *fuisse,* καὶ ἀπετελέσθησαν ἐν τόπῳ, ᾧ νῦν κατάκεινται, ut est in Synaxariis ad XVIII Augusti E *De qua re dicitur in eorum elogio, quod e Menologio Basilii imperatoris habetur Græce ad ealeem tomi I Augusti, Latine autem hic interpretamur de more :*

elogium :

Erant hi fratres gemini, arte lapicidæ. Postquam vero eorum magistri martyrio esseut perfuncti pro Christo, relicta commoratione Constautinopolitana, in Illyricum pervenerunt, ubi fodinas quasdam apud præsidem iudagantes exercebant artem suam. Deinde ab ipso ad Licinium dimittuutur; a quo pecuniam accipiebant, ut idolis templum erigerent. Verum pecuniam quidem dedere pauperibus; templum autem elaborarunt : quod dum absolutum esset, idolis confractis, in honorem Christi illud consecrarunt. Licinius, re comperta, eos injecit in profundum puteum : in quo animas suas Deo tradidere. Tempore autem Constantini magni manifestatæ eorum reliquiæ pretiosæ Constantinopolim sunt abductæ, et in loco, in quo F nunc requiescunt, depositæ.

honor publicus cum eorum tum aliorum apud Latinos : aliorum item apud Græcos.

3 *Publiea eorum veneratio apud Latinos etiam propagata : sic etenim hae die inseribuntur Martyrologio Romano :* In Illyrico sanctorum martyrum Flori et Lauri artis lapicidinæ, qui, consumptis martyrio eorum magistris Proculo et Maximo, sub Licione præside post multa tormenta in profundum puteum sunt demersi. *Galesinium prætereo, qui illos etiam signat. Socios vero eorum, qui nec in Martyrologio Romano, nee apud Galesinium notantur, Græci memorant Fasti, et illorum mentio fit in Actis SS.* Flori *ae* Lauri. *Menologium Sirleti ita eos annuntiat :* Eodem die sancta Pauperum multitudo, quæ, idolis confractis, igne consummata est. *De illis quoque meminit Menæum Chiffletii; adde Menæa magna prælo vulgata, quæ hoe eosdem disticho prosequuntur :*

Πένητες ἄνδρες πλοῦτον εὗρον ἀθρόον,
Τὸ σύντροφον · δὸς, εἰς τὸ πῦρ λελοιπότες.
Viri repcriunt pauperes magnas opes
Quando relinquunt corpus in rogo suum.

De his Martyribus consule Acta, de quibus nunc lectorem instruam.

4 *Exemplar eorum quintuplex ante me habeo.* Ac

Acta longiora

A *Ac unum quidem quod signatur esse* bibliothecæ Vaticanæ, *ac desumptum* ex *codice 1671, *hoc titulo :* Βίος καὶ μαρτύριον τῶν ἁγίων Λαύρου καὶ Φλώρου μαρτυρησάντων ἐν Οὐλπιανῇ τῇ πόλει ἐν χώρᾳ Δαρδανίᾳ. *Id est :* Vita et martyrium SS. Lauri ac Flori, qui martyrium subiere in Ulpiana urbe in regione Dardania. *Incipit :* Καλῶς διδάσκει ἡμᾶς ὁ ἁγιώτατος Παῦλος λέγων· Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. Recte nos docet sanctissimus Paulus dicens : Sine intermissione orate. *Narratio longa est, rerum argumentum auctoritatis omnino exiguæ, fides auctoris sublesta, qui utpote magnam conatu magno rebus suis auctoritatem adstruens, hujusmodi lectoribus obtrudit opellam, ut ad fabulosas Græculorum figlinas, jam toties in Opere nostro reprobatas, merito relegari debeat.*

dato specimine

5 *Postquam enim retulisset Sanctorum martyrium in puteo consummatum, Ego, inquit, Alexius peccator unus ex ordine, facta hæc diligenter annotavi in schedulis, ac deinde in unum transtuli volumen, ac tradidi custodienda cuidam mulieri Christianæ, cui nomen Sophronia ; quæ prope puteum illum habitans clam colebat Domi-* B *num usque ad diem mortis suæ. Ego autem humilis quodam tempore meridiano orans supra sepulcrum eorum pro remissione meorum peccatorum, et inde reversus in cellam meam parumper dormivi, et statim mihi apparuerunt gloriosi ac sanctissimi viri* Laurus *ac* Florus, *sicut eos videram etiamnum viventes. Et dicunt mihi : Audi, Alexi, sicut credidisti, fiat tibi. His subditur reliqua Sanctorum cum eodem confabulatio in qua prænuntiant, imperante Theodosio magno ecclesias orthodoxorum aperiendas, ac corpora sua a Domino manifestanda hominibus, postquam tu, inquiunt, hic abieris ac redieris, atque in ecclesiis deponenda. Evigilat Alexius, rem secum agitat, redit ad sepulcrum, orat, apparent ei denuo Sancti, ac præter alia, quæ in suo ad illum colloquio enuntiant, a Deo sibi ostensum memerant virum, qui habitabat in regione Africæ in urbe Carthagine, per quem servaret illam. Vaticinio respondit eventus : Deus quippe homini prædicto apparuit in Africa, Surge, inquiens, velociter et vade volucris adinstar in Illyricum, quod est in regione Dardaniæ, et adi civitatem nomine* C *Ulpianam. Ne autem hæreret dubius, quod et esset devexæ ætatis, et præmonstratore loci careret, proposito exemplo Habacuc, et Judæa Babylonem missi ad Danielem, dicit ei Dominus, se quoque missurum angelum suum ; si memorato isti Alexio nugatori credimus.*

discutiuntur

6 *Quid tum postea ? Vir ille facit imperata : sabbato egreditur e sua urbe, a terra aliquantulum sustollitur in aëra, et prodigiosa adeo velocitate agitur per mare ac viam omnem, ut die postera, quæ erat Dominica, inventus sit tam ipse, quam comes ejus vel servus, in ipso loco, ad quem direxerat eum Dominus. Credite posteri. Res enimvero adeo mirabiles, ut tamquam sinceras ac veras admittamus, majus requirunt testimonium, quam istius Græculi personati Alexii, seu, ut rectius dicamus, impudentis ac inepti impostoris. Quæ autem postea refert de inventione corporum* SS. Lauri *ac* Flori, *tam malæ nobis etiam videntur notæ, ut operæ pretium non sit, ea huc pluribus transcribere. Qua vero præterea de causa flocci faciamus hunc Actorum scriptorem, ac historiam ejus nigro calculo notemus, videbit lector e sequentibus observationibus, quibus ineptias ipsius castigaturi sumus, e longiore narratione ejus contractas.*

[illegible] J. P. ac reprobantur

7 *Refert itaque, Adriano imperante, missos quaquaversum fuisse, qui in Christianos inquirerent, a veri Dei cultu eosdem avocarent, et ad idola traducerent : nec diu post martyrii redimitos fuisse corona generosos Christi pugiles* Proclum *et* Maximum, SS. Lauri *ac* Flori *in arte tapicidinæ magistros, quorum martyrii tempore sese abscondisse duos illos discipulos indicat idem scriptor. Deinde per ambages et logos eorumdem discipulorum Acta et martyrium recenset. Adrianus imperator renuntiatus est anno æræ vulgaris 117, quem anno 138 excepit Antoninus : unde sequitur 1°. ut, si mox dicta e nostro scriptore consideres, martyrium* SS. Procli *et* Maximi *(atque adeo consequenter, ut videtur,* SS. Flori *ac* Lauri *) acciderit secundo ejusdem æræ seculo. Sequitur 2°. ut larvatus iste Alexius vixerit seculo 2, cum asserat, tales sibi apparuisse* SS. Laurum *ac* Florum, *quales eos viderat etiamnum viventes, ex supra præmissis num. 5. Vide jam quam parum cohærentia cum sua, quam mentitur, persona, et cum rebus ipsis, quas memorat, male connexa comminiscatur. In apparitio-* E *ne quippe Martyrum sibi facta, de qua dixi, ita eos secum loquentes inducit : Hominibus Christianis palam facito martyrium nostrum : quia postea, et non multos post annos,* incrementum capiet nomen Christi in universo terrarum orbe : αὔξει τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ, *uti est in textu Græco, et,* imperante Theodosio magno, aperientur orthodoxorum ecclesiæ.

tamquam apocrypha.

8 *Concinna enimvero temporis scilicet ac rerum combinatio ! Theodosius magnus imperare cœpit anno Christi 379 ; quem anno quidem 380 ecclesias Constantinopolitanas ac earum reditus ab Arianis ad orthodoxos transtulisse legimus (consuli possunt, quæ habentur apud auctorem Gallum in Historia imperatorum tom. 5 in imperatore Theodosio 1 art. 8 pag. 207, et apud nos ad diem* IX *Maii in Vita S. Gregorii Nazianzeni pag. 407.) Incrementum vero seu amplificatio vel propagatio Christiani nominis per totum, qua latissime patet, terrarum orbem, non videtur, alio posse reduci convenientius, quam ad illa tempora quibus post celeberrimam illam victoriam de Maxentio a magno Constantino imperatore anno 312 relatam, abolitus fuit idolorum cultus pro-* F *pagata quaquaversum Christi fides, orthodoxa Ecclesia illustrissimis decorata honoribus, et amplissimis aucta incrementis. Ad hæc vero tempora respexisse martyriographum istum, indicium aliquod mihi præbet apographum Cæsareum Vindobonense, quod et persecutionis finem ac Constantinum expresse ponit. Acta itaque istius pseudo-Alexii tamquam apocrypha reprobamus.*

Alia exemplaria recensentur.

9 *Aliud martyrii ac inventionis in promptu est apographum, ex* ejusdem bibliothecæ Vaticanæ codice 821, *prout eidem adscribitur, acceptum. Narratio brevior est quam exemplaris præcedentis, de quo dictum est, et ideo saltem minus mala. Sic incipit :* Ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐμπνευσθεὶς ὁ ὑμνῳδὸς ἐν προφήταις. A Spiritu sancto inspiratus hymnorum cantor inter prophetas. *Dicebam, narrationem hanc saltem esse minus malam, quam præcedentem ; bonam enim ac sinceram appellare non possum, cum in hac partes etiam suas agat Alexius idem, qui in priore prodibat in scenam, ne alia commemorem, quæ sunt hujusmodi, ut ex eadem vel simili Græculorum textrina prodiisse omnino ea censeam, atque adeo a typis arcenda. Præter duo ista ecgrapha habemus unum, quod signatur* Bibl. Magni Ducis plut.

AUCTORE J. P.

plut. 9 cod. 33, *hoc initio* : Ἰδοὺ καὶ ἄλλη δυὰς ἀδελφικὴ ἡμῖν εἰς λόγον τὴν σήμερον ὑπόθεσιν πρόκειται. Ecce, aliud item par fraternum nobis dicendum proponitur, hodiernæ diei argumentum. *Duobus jam designatis exemplaribus hoc melius est, propterea quod post narrationem mortis* SS. Flori *ac* Lauri *nullus ibi occurrat fabulator Alexius occasione inventionis eorum, quæ dicitur ibidem accidisse finita persecutione, imperii sceptro ad Constantinum magnum translato. Ecgraphum insuper habemus e codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quo sæpius in superioribus hujus mensis diebus facta fuit jam mentio, ac fiet, porro in sequentibus : breve admodum est, et sic incipit* : Οἱ ἅγιοι τοῦ Χριστοῦ Λαῦρος καὶ Φλῶρος ὑπῆρχον ἀδελφοὶ δίδυμοι, λιθοξόοι τὴν τέχνην. Sancti Christi Laurus et Florus fratres erant gemini, arte lapicidæ. *Non placet, cum ob inductionem Alexii, de quo antea memini : tum ob alia, quibus laborat. Nec vero sincerum ac bonæ notæ videtur exemplar Martyrii* ex cod. Ambros. N. f. n. 152. *Nam ecgrapha ista quinque, de quibus modo notitiam suggerebam, eos referunt inter se*
B *similitudinis characteres, ut non obscure prodant ex eadem sese traxisse originem officina. Ex iis tamen hoc ultimum latinitate donare placet, ac typis committere.*

Tempus martyrii,

10 *De tempore martyrii quidnam statues e talibus documentis ? Quæ si essent melioris notæ, posset illud innecti seculo secundo, cum nostrorum Martyrum magistri* Proclus *ac* Maximus *passi referantur sub Adriano imperatore. Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum iterum hic in tempore hallucinatur, quando affirmat ; Hi* fuere anno cccxv, fratres lapidum cæsores, abjecti in puteum profundum a Licinio persecutore, ubi mortui. *Nam vixit tunc quidem Licinius imperator ac Christianorum persecutor ; sed, præterquam quod Pagius in Critica ad annum* 316 *num.* 11 *observat, Licinium imperatorem non fuisse persecutum Ecclesiam ante annum* 319, *neque Martyres, qui in Martyrologiis aut Actis Sanctorum passi dicuntur in Liciniana persecutione, ante dictum annum morte affectos fuisse ; neutiquam nobis est exploratum, quisnam sit iste Licinius, qui exprimitur in nostrorum Pugilum*
C *Actis, ut dicemus in Annotatis. Nos secundum ea, quæ supra præmisimus de eorum magistris* Proclo *et* Maximo, *apposuimus initio Commentarii nostri prævii* forte seculo secundo : *forte, inquam, quia adeo parvæ vel nullius sunt auctoritatis, quæ de illis circumferuntur in qualibuscum Actis eorum.*

11 *Nonnulla quoque nobis supersunt notanda de loco martyrii.* *Martyrologium Romanum nostro Athletas annuntiat* in Illyrico, *ut vidimus. In Actis* in regionem Dardaniæ, quæ est in Illyrico pervenisse *referuntur*, et Ulpianorum urbem ingressi *etc. Deinde dicuntur missi ad Licinium, ut templum diis ædificarent : sed non invenio in apographo, quod prælo damus, ad quam urbem inde sint missi, nec ubi martyrium confecerint. Apographum nostrum e bibliotheca magni Ducis indicat eorum corpora sepulta fuisse in Dardania regione, quæ in Illyrico est, ut proin ex illis colligere liceat, ibidem coronam certaminis ab eis esse relatam. E duplici Ms. nostro Vaticano colligo illos pertinere ad Ulpianos. Verum quia Acta tam misere composita sunt, non possumus in hoc puncto illis acquiescere satis secure. Nihil tamen oberit ; si loca modo designata breviter illustremus.* D

locus : exemplar martyrii, quod hic datur.

12 *Cellarius Notitiæ orbis antiqui lib.* 2 *cap.* 8, *postquam* Ulpianum *in tabula ad pag.* 346 *exhibuisset, uti et* Illyricum *ac* Dardaniam, *hæc scribit pag.* 368 : In austrum recedunt æque circa limitem utriusque Mœsiæ Ulpianum et Scupi. *Procopius lib.* 4 *de Ædificiis Justiniani cap.* 1 *pag.* 67 *editionis regiæ Parisinæ habet ista* : Erat apud Dardanos Ulpiana, urbs antiqua ; cujus mœnia cum sic labascerent, ut nulli essent usui, eorum partem maximam demolitus, subinde restituit, multisque ornamentis collatis civitatem composuit, qualem hodie videre est, ac secundam Latino itidem vocabulo nuncupavit Justinianam. *Consuli etiam de hoc loco potest Thesaurus geographicus Ortelii.* Locus, *ait Cellarius pag.* 368, incertior est. Cum vulgo Baudrandus Prisren interpretantur, Brietius Pyroth : alii longius in ortum reducunt, *Porro* Ulpianum *illud non est confundendum cum altero synonymo in Dacia, de quo agit idem Cellarius loco citato pag.* 379, *quæque repræsentatur in tabula modo memorata.* E

En tibi nunc Acta e dicto codice Ambrosiano N. f. n. 152, *sicut signatur in nostro exemplari Græco, ubi etiam additur* : Vide S. Maximi *Vitam Actum est de codice, in quo habetur ista Vita, hoc tomo* III *hujus mensis, die* XIII, *in Commentario prævio S. Maximi* § 10, *num.* 80, *ubi etiam de codicis auctore dictum ; cujus nomen ac locum sequenti Martyrio hic etiam prænotamus, cum omnino putemus, eumdem esse codicem, qui ibidem fuit designatus, tametsi dumtaxat per notas* N. 152. *Consuli potest locus citatus.* F

MARTYRIUM

Auctore Laurentio monacho Rutiensi in Calabria

e codice Ambrosiano N. f. n. 152. *Interprete J. P.*

Natales, ars, magistri, iter ad Licinium.

Pulcræ hujus bigæ, Lauri, inquam, ac Flori germanorum fratrum invictorum pro Christo martyrium in medium proferre iis, qui diligunt Martyres, non tantum est laudabile, sed etiam valde utile. Habet enim una cum martyrii laurea multum venustatis. Itaque mirabiles hi nascuntur gemini parentibus : proinde virtutem præ rebus aliis unanimiter amplectabantur, et concordi animo delecta-

Καὶ τὸ τῆς καλῆς ξυνωρίδος ταύτης τῶν αὐταδέλφων διὰ Χριστὸν μαρτύριον Λαύρου, φημὶ, καὶ Φλώρου τῶν ἀηττήτων εἰς μέσον προθεῖναι τοῖς φιλομάρτυσιν, οὐκ ἐπαίνετον μόνον, ἀλλὰ καὶ λίαν ὠφέλιμον. Ἔχει γὰρ μετὰ τῆς μαρτυρίας πολὺ καὶ τὸ χάριεν. Οὗτοι τοιγαροῦν οἱ θαυμάσιοι δίδυμοι τοῖς γεννήτορσιν τίκτονται· τῷ τι καὶ ὁμοφρόνως τὴν ἀρετὴν μᾶλλον τῶν ἄλλων ἠσπάζοντο, καὶ ὁμογνώμως τοῖς

A αὐτῆς κάλλεσιν ἐνετρύφων · τὴν λιθοξόων δὲ ἐκπαιδεύονται τέχνην · Πρόκλος αὐτοῖς καὶ Μάξιμος οἱ διδάσκαλοι. Ἀλλ' οὗτοι μὲν τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ τελέσαντες καλῶς ἀγῶνα, καὶ τὸν τῆς νίκης στέφανον ἐκομίσαντο. Λαῦρος δὲ καὶ Φλῶρος οἱ γενναιότατοι τὰς ἐν Βυζαντίῳ καταλιπόντες διατριβὰς, τὴν τῆς Δαρδανίας χώραν ἐν τῷ Ἰλλυρικῷ κατέλαβον, καὶ τὴν πόλιν Οὐλπιανῶν εἰσιόντες, παρὰ Λυκῶνι τῷ ἡγεμόνι τὴν οἰκείαν τέχνην εἰργάζοντο. Ἀδριανὸς ἐβασίλευε τότε. Χρόνων οὖν οὐκ ὀλίγων παρεληλυθότων Λικίννιος, ὁ τῆς βασιλίσσης Ἐλπιδίας υἱὸς, γράμματα στέλλει πρὸς Λυκῶνα, Λαῦρον αἰτῶν καὶ Φλῶρον τοὺς ἀοιδίμους, (περίφημοι γὰρ οἱ ἄνδρες,) σταλῆναι πρὸς αὐτὸν, ἐφ' ᾧ, φησι, ναὸν οἰκοδομήσειεν τοῖς θεοῖς πρός τε κάλλος καὶ μέγεθος τοῖς ἁπάντων ἀξιοθέατον ὀφθαλμοῖς.

2 Στέλλει τοίνυν ἐκεῖνος αὐτίκα τούτους πρὸς αὐτὸν σὺν ἑτέροις οὐκ ὀλίγοις ἐργάταις, καὶ ὁ Λικίννιος ἀσμενέστατα τούτους ἀποδεξάμενος, τὴν οἰκοδομὴν αὐτίκα τοῦ ναοῦ διαγράφει, καὶ χρήματα τούτοις δίδωσι πλεῖστα καὶ φιλοτιμίας ἄλλας εἰς τὸ ταχέως ἅμα καὶ καλῶς τὸ ἔργον ἐκτελεσθῆναι, προσυποσχόμενος καὶ ἕτερα δώσειν, εἴγε κατὰ νοῦν αὐτῷ καὶ σκοπὸν τὸ ἔργον τελέσειαν. Ἄρχονται τοιγαροῦν τῆς οἰκοδομῆς οἱ γενναῖοι, B καὶ ἡμέρας μὲν εἴχοντο τοῦ ἔργου, νυκτὸς δὲ ταῖς εὐχαῖς ἐσχόλαζον καὶ δεήσεσι, καὶ τὰ χρήματα τοῖς ἐνδεέσιν οἱ κάλλιστοι παρεῖχον ἐργάται. Πλὴν ἐντεῦθεν ἄρχονται καὶ τῶν σημείων οἱ Μάρτυρες. Ἀναστασίου γάρ τινος τῶν βδελυκτῶν εἰδώλων ἱερέως υἱὸν, (Ἀλέξανδρος ἦν ἡ κλῆσις αὐτῷ,) ἐκεῖσε που παρεστηκότα, λίθου τις ψυφὶς ἐκπηδήσασα τὸν ἕνα τῶν ὀφθαλμῶν ἀπετύφλωσεν. Ἐφ' ᾧπερ ὁ πατὴρ, οἷα πατὴρ, ἀδημονῶν καὶ λυπούμενος, τῷ Λικιννίῳ κατὰ τῶν αὐταδέλφων γνωρίζει τὸ πρᾶγμα · καὶ ὃς ἀκούσιον εὑρηκὼς τὸ ἁμάρτημα, ἀφῆκεν αὐτοὺς τῆς εὐθύνης. Ἀλλ' οἱ Ἅγιοι τὸν Ἀλέξανδρον λόγοις πρότερον τὴν πίστιν καλῶς ὑποθέμενοι, ἐπειδὴ συγκατατιθέμενον εὗρον, ἀποδιδοῦσι τούτῳ τὸ φῶς ἐν Χριστῷ · καὶ θαῦμα γίνεται τῷ πατέρι, καὶ πιστεύει καὶ οὗτος, καὶ τῇ Χριστοῦ ποίμνῃ προστίθεται σὺν υἱῷ.

3 Ἀλλ' ἐπὶ τὸν προσκείμενον ἐπανέλθωμεν. Τῆς οἰκοδομῆς τοῦ ναοῦ τέλος ἤδη λαβούσης, καὶ τοῦ Λικιννίου βδελυγμάτων τοῦτον πληρώσαντος, οἱ Καλλίνικοι μιᾷ τῶν νυκτῶν τοὺς πένητας ἐκείνους, οἷς ἐδίδουν τὰ χρήματα, συναγαγόντες, καὶ κηροὺς ἀνάψαντες τὸν ναὸν τοῦτον κατέλαβον ψάλλοντες, προηγούμενον τὸ C ὅπλον ἔχοντες τοῦ σωτηρίου σταυροῦ. Εἶτα σχοίνους τῶν εἰδωλικῶν τραχήλων ἐκδήσαντες εἰς γῆν, (φεῦ τοὺς θεοὺς) κατέρραξαν, καὶ συντριβὴν αὐτῶν μεγίστην εἰργάσαντο. Καὶ ἦσαν οὕτω δι' ὅλης τῆς νυκτὸς αἰνοῦντες τὸν Κύριον · οὐκ ἔλαθε τὸν Λικίννιον τοῦτο (Πῶς γάρ;) καὶ συνεχθῆναι πάντας κελεύει, καὶ κάμινον ἀναφθῆναι μεγάλην, κἂν ταύτῃ τούτους ἅπαντας πλὴν τῶν αὐταδέλφων βληθῆναι. Γέγονε τοῦτο, καὶ Θεῷ τὰ πνεύματα παρέθεντο χαίροντες.

4 Ἄγει τοίνυν τοὺς Μάρτυρας ὁ Λικίννιος εἰς ἐξέτασιν, αἰτιᾶται τὰ πεπραγμένα, συγχωρεῖν αὐτὰ λέγει, εἰ μόνον θύσαιεν τοῖς θεοῖς. Οὐ πείθονται · καὶ ξέει τούτων ὠμοῖς νεύροις τὰς σάρκας ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς αἵματος ἅπαν ἐκεῖνο πληρωθῆναι τὸ ἔδαφος. Εἶτα στρατιώταις αὐτοὺς παραδοὺς πρὸς τὸν ἀνθύπατον ἀπαχθῆναι κελεύει. Ἀγόμενοι τοίνυν καὶ ἕτερον τελοῦσιν οὐκ ἔλαττον τοῦ πραχθέντος κατόρθωμα · τοὺς στρατιώτας αὐτοὺς, (δέκα δὲ ἦσαν τὸν ἀριθμὸν,) πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν μετάγουσι πίστιν, καὶ ψυχῶν οἰκοδομοὶ δειχθέντες, καὶ μᾶλλον οἱ Μάρτυρες ὁμῶς παραστάντες τῷ Λυκῶνι, τί ἄρα καὶ εἴη τὰ πεπραγμένα τούτοις ἠτάζοντο. Καὶ οἱ Ἅγιοι, τὸ ἔργον ἐτελέσαμεν, εἶπον, τὸν ναὸν ἡγιάσαμεν, τοὺς θεοὺς συνετρίψαμεν, τοὺς στρατιώτας, οὓς ὁρᾷς, τῷ Χριστῷ προσηγάγομεν, καὶ νῦν ἑστήκαμεν πρὸς τὴν σὴν ἐξουσίαν. Ποίει τοίνυν τὸ σοι παριστάμενον. Ἤκου-

bantur pulcritudine ejus. Artem vero lapidicinam edocentur: Proclus et Maximus *a* erant eorum magistri. Sed hi quidem suum pro Christo certamen recte consummarunt, et victoriæ coronam reportarunt: generosissimi autem Laurus ac Florus, relicta commoratione Byzantina, in regionem Dardaniæ, quæ est in Illyrico, pervenere, et Ulpianorum urbem *b* ingressi, artem suam exercebant apud Lyconem præsidem. Tunc temporis imperabat Adrianus *c*. Non multis autem elapsis temporibus, Licinius, imperatricis Elpidiæ filius *d*, litteras mittit ad Lyconem, quibus petebat Laurum ac Florum, celeberrimos utique viros, ad se mitti, ea, inquit, gratia, ut diis ædificent templum *e*, quod pulcritudine juxta ac magnitudine omnium oculos rapitat.

A Laurentio monacho Romano.

a

b

c

d

e

Constructio templi, eleemosynæ, oculi usus restitutus:

2 Illos igitur ad illum is mittit simul cum operis non paucis aliis: et Licinius postquam summa cum benevolentia eos excepisset, sine mora templi structuram delineat, ac plurimis opibus aliisque munificæ voluntatis donis eos impertit, ut celeriter juxta ac pulcre opus perficeretur, alia his sese adjecturum promittens, si e sua sententia ac præfixo sibi fine opus absolverent. Ædificationem ergo incipiunt Viri generosi, et interdiu quidem promovebant E opus; noctu autem vacabant precibus et petitionibus, ac pecunias in pauperes erogabant maxime egregii opifices. Verum deinde Martyres miracula edere incipiunt. Nam Anastasii cujusdam, abominandorum idolorum sacerdotis filium, nomine Alexandrum *f*, alicubi illic adstantem, quidam lapidis scrupulus desiliens uno oculo excæcavit. Quam ob causam pater mœrore ac tristitia afflictus, pater utique existens, rem agit apud Licinium adversus germanos Fratres: qui dum comperisset peccatum esse non voluntarium, e judicio eos dimisit. At Sancti Alexandro, ubi prius sermonibus in fide eum recte instruxissent, ac sibi consentientem invenissent, lumen in Christo reddunt. Miratur pater, qui et ipse credit, et Christi gregi aggregatur cum filio.

f

3 Verum redeamus ad præsens institutum. Ædificato jam templo, et Licinio idolis illud implente, Victores egregii nocte quadam pauperes, quibus pecunias dederant, congregarunt, et, accensis candelis, ad illud templum perveneruut cum cantu, salutaris crucis armis eos præcedentibus. Deinde suspensis e collo idolorum funibus (deos vah!) humi ea prosternunt et in frusta comminuunt; et sic per F totam noctem laudabant Dominum. Non latuit hoc Licinium (Quomodo enim possit?) Omnes colligari jubet, magnamque accendi fornacem, ac omnes illos, germanis Fratribus exceptis, in illam conjici. Factum id est, ac spiritus suos Deo tradidere lætantes *g*.

pauperes ob eversa idola in ignem injecti;

g

4 Licinius igitur Martyres ad examen arcessit, criminatur gesta, veniam se eisdem dare dicit, si modo diis sacrificarent. Non obtemperant: eorum vero corpora crudis nervis adeo excarnificat, ut totum illud pavimentum sanguine conspergeretur. Deinde militibus eos tradens, ad proconsulem abduci jubet. Dum ad illum ducerentur, aliud recte factum, nec illo minus, quod jam patraverant, exsequuntur: ipsos milites (erant hi decem numero) ad Christi fidem traducunt; et animarum magis ædificatores sese esse comprobantes, simul etiam Martyres, dum starent ante Lyconem, quænam egissent, interrogabantur. Et Sancti, Opus, inquiunt, absolvimus, templum sanctificavimus, deos contrivimus, milites, quos vides, ad Christum adduximus, et nunc in tua sumus potestate. Fac igitur quidquid tibi in mentem venerit. Audivit hæc proconsul

sancti vero Fratres ad examen vocantur.

A. Laurentio monacho Rutiensi

proconsul : et tunc carceri eos tradit. Mane autem acto, solos iterum Sanctos ad examen producit, et, Nisi, ait, hodie sacrificium diis obtuleritis, diversis vos tormentis ubi subjecero, acerbam mortem vobis inferam.

et in puteum deinde

5 Respondent Sancti : Fac quodcumque vis, proconsul : nobis enim non licet omnino obsequi voluntati tuæ. Noli itaque tempus terere nec movere sermones, qui adinstar volucrium a nobis abeunt. Tunc execrandus præses, dæmonis officina, in profundissimum quemdam puteum projici illos jubet. Ad locum igitur perducti Martyres et orationi se dantes, Domine, aiunt, Deus virtutum, Deus noster, Deus salvos faciendi, exaudi deprecationem nostram, qui mortis ac vitæ habes potestatem : fiatque aqua illa nobis lavacrum regenerationis per gratiam spiritus tui boni. Accipe autem animas etiam nostras in pace, et fac nos requiescere in regione viventium, in tabernaculis Sanctorum : et eorum, qui annuam nostræ confessionis peragunt memoriam, obsecunda petitionibus, quæ conducant ad salutem et ad vitam æternam.

B

projiciuntur. Inventio corporum ac fragrantia : illuminatio cæci.

6 His dictis, delapsa est vox e cælo, Venite, inquiens, ad me operarii vineæ meæ, et ego reficiam vos. Voce hac delata, Martyres fiducia repleti in puteum projiciuntur, multaque contecti terra sanctas animas suas Domino commiserunt. Post multos dehinc exactos annos, dum cessaret persecutio, o laureati Martyres, nonnulli e Christicolis ad locum pervenere, ubi erat puteus, et, refossa terra, vestra sacra corpora inde producunt *h* ; quæ emittebant fragrantiam hujusmodi ac gratiam, ut verbis dici nequeat. Quo item tempore Zoticus, præsidis e fratre vel sorore nepos, qui cæcos habebat oculos, visum recepit, et baptizatus credidit in Christum : quem decet gloria et imperium.

σε ὁ ἀνθυπατος, καὶ τότε μὲν φυλακῇ τούτους δίδωσι. Ηρωΐας δὲ γενομένης ἄγει πάλιν μόνους τοὺς Ἁγίους εἰς τὴν ἐξέτασιν, καὶ εἰ μὴ θυσίαν τοῖς θεοῖς, φησι, σήμερον προσενέγκοιτε, διαφόροις ὑμᾶς βασάνοις ὑποβαλὼν, οὕτω πικρὰν ὑμῖν τελευτὴν προσενέγκω. D

5 Καὶ οἱ Ἅγιοι · Πὰν εἴτε καὶ βούλει ποιεῖ, ἀνθύπατε · ἡμᾶς γὰρ οὐκ ἔξεστι τὸ σύνολον τῷ σῷ θελήματι καθυπηρετουμένους. Μὴ τοίνυν τρίβε τὸν χρόνον, μήδε λόγους κίνει πτηνῶν δίκην οἰχομένους ἀφ' ἡμῶν. Τότε κελεύει τοῦ δαίμονος ἐργαστήριον ὁ κατάρατος ἄρχων ἐν φτινι βαθυτάτῳ φρέατι τούτους ἀποῤῥιφῆναι. Ἤχθησαν οὖν κατὰ τὸν τόπον οἱ Μάρτυρες καὶ στάντες εἰς προσευχὴν, Κύριε, εἶπον, ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ Θεὸς τοῦ σώζειν, ἐπάκουσον τῆς δεήσεως ἡμῶν, ὁ ζωῆς ἔχων καὶ θανάτου τὴν ἐξουσίαν, καὶ γενέσθω τὸ ὕδωρ τοῦτο λοῦτρον ἡμῖν παλιγγενεσίας τῇ τοῦ ἀγαθοῦ σου πνεύματος χάριτι · πρόσδεξαι δὲ καὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐν εἰρηνη, καὶ ἀνάπαυσον ἡμᾶς ἐν χώρᾳ ζώντων ἐν σκηναῖς τῶν Ἁγίων σου · καὶ τοῖς ἐπιτελουσι δι' ἔτους τὴν τῆς μαρτυρίας ἡμῶν μνήμην, χάρισαι τὰ πρὸς σωτηρίαν αἰτήματα καὶ ζωὴν τὴν αἰώνιον.

6 Ταῦτα εἶπον, καὶ φωνὴ κατηνέχθη τῶν ουρανῶν, Δεῦτε. λέγουσα, πρός με οἱ ἐργάται τοῦ ἀμπελῶνος μου, κἀγὼ ἀναπαύσω υμας. Ταύτης τῆς φωνῆς ενεχθείσης, θάσσους οἱ Μάρτυρες ὑποπλησθέντες τῷ φρέατι εναποῤῥίπτονται, καὶ γῇ πολλῇ συγκαλυφθέντες τὰς ἁγίας αὐτῶν ψυχὰς ἀνέθεντο τῷ Κυρίῳ. Χρόνοι παρῆλθον ἔκτοτε πλεῖστοι, καὶ τοῦ διωγμοῦ παυσαμένου, καλλίνικοι Μάρτυρες, τινες τῶν φιλοχρίστων τὸν τόπον καταλαβόντες, ποῦ δὴ τὸ φρέαρ ἦν, καὶ ἀνορύξαντες ἀνάγουσιν ὑμῶν ἐκεῖθεν τὰ λείψανα, εὐωδία οὐκ ἐστιν εἰπεῖν ὅσην καὶ χάριν ἐκπέμποντα. Ὅτε δὴ καὶ Ζωτικός, ὁ τοῦ ἄρχοντος· ἀνελφιδοὺς, τυφλοὺς ἔχων τοὺς ὀφθαλμοὺς. ἀνέβλεψε, καὶ βαπτισθεὶς ἐπίστευσεν εἰς Χριστὸν · ᾧ πρέπει ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. E

ANNOTATA.

a *Noti quidem nobis sunt hi Martyres occasione* SS. Flori *ac* Lauri ; *sed eorum Acta seorsum exarata nondum vidimus, nec novimus hactenus, an et quo die separatim in Græcis Fastis notentur.*

b *De ea vide Commentarium prævium num.* 12.

c *De illo ibidem actum num.* 7.

d *Quem* Licinium, *quam* Elpidiam imperatricem, *et cujusnam imperatoris conjugem nobis hic obtrudat hæc narratio cum aliis nostris apographis, non perspicimus.* F

C e *Mira de hujus templi ædificatione referunt alia nostra exemplaria.*

f *In utroque apographo Vaticano hic vocatur* Anastasius ; *pater vero ejus* Merentinus.

g *Coluntur in Fastis Græcis, sicut diximus in Commentario num.* 3.

h *Vide de hac re Commentarium.*

DE SANCTO AGAPITO MARTYRE

PRÆNESTE IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Palæstra sancti Martyris, antiquus ipsius cultus, et diversa Actorum exemplaria.

Sub Aureliano imperatore. Describitur situs urbis Prænestinæ.

Illustrissimus *Josephus Maria Suaresius, episcopus Vasionensis, in sua Præneste antiqua, quam anno* 1655 *Romæ edidit, lib* I *cap.* 5 *situm Prænestinæ civitatis describit his verbis :* Sed ut incerta est urbis nominisque origo, ita certior ejus est situs, qui in Latio prima Italiæ provincia mediterraneus, et propinquus Æquis atque Hernicis, et intra montes, seu in montana regione haud longe ab urbe Roma, a qua distat iu Ortum æstivum XXI mille passibus, seu centum LXX stadiis,

AUCTORE G. C.

A diis, inter Tibur, a quo in Eurum XII millibus passuum abest sive centum stadiis, et Anagniam; in conspectu Romæ loco edito in montis meridionali latere. Olim equidem tum summo in jugo montis assurgebat, ubi hodieque arx incolitur, tum ad radices ipsius montis, qua cryptarum et parietinarum veterum supersunt plurima monumenta sub Æde Fortunæ, quæ montis in clivo constructa gradatim opere ambitiosissimo assurgebat. Nunc vero illius Ædis in ruinis palatium attollitur instar theatri, e quo subjectum in agrum et feraces in valles ad Algidum, et Tusculanos usque colles atque longius, jucundissimus et amœnissimus patet prospectus.

apud quam S. Agapitus martyrium subiit,

2 *Hæc fuit palæstra* S. Agapiti *martyris hodierni, quam Ferdinandus Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 1 *col.* 191 *et sequente etiam fusius describit, enumeratisque variis ejusdem urbis vicissitudinibus, ibidem col.* 193 *propius ad rem nostram hæc habet:* Ut autem Prænestinæ urbis originem auctoremque obliviosa funeravit vetustas, sic eadem temB poribus offundente caliginem, haud facile sciri potuit, quando lucem hauserit Euangelii. Constat tamen, jam inde a temporibus Aureliani imperatoris apud Prænestem Agapitum, XV annorum fortissimum puerum, illustrem tulisse palmam martyrii, cujus Romanum Martyrologium die XVIII mensis Augusti cum laude meminit; Prænestinique etiam nunc, ut præcipuum Divum tutelarem venerantur et colunt. Cathedralis ecclesiæ patronus idem est sanctus martyr Agapitus, in qua duodecim *(Nicolaus Coletus in Additione monet, eos jam* octodecim *numero esse)* Canonici cum archipresbytero aliique Clerici numerantur.

ut vetera Martyrologia testantur,

3 *Cultum fortissimi hujus Athletæ non operose probandum censeo, cum sit antiquissimus, et notetur hoc die non tantum in SacramentarioS. Gregorii, et alio, quod edidit Josephus Maria Thomasius, sed etiam in Martyrologio Hieronymiano,aliisque passim subsecutis Latinis omnibus usque ad Romanum, quo hodiedum utimur, et in quo ad diem* XVIII *Augusti legimus sequentia:* Præneste natalis sancti Agapiti martyris, qui cum esset annorum quindecim, et amore Christi ferC veret, jussu Aureliani imperatoris tentus est, ac primo nervis crudis diutissime cæsus, deinde sub Antiocho præfecto graviora supplicia passus; exinde cum ex præcepto imperatoris leonibus objiceretur, et minime læsus esset, gladio ministrorum coronandus percutitur. *Hæc annuntiatio evidenter excerpta est ex Usuardo, qui totidem fere verbis eumdem Martyrem hac die commemorat. Attamen in utroque illo Martyrologio discrimen istud notatu dignum occurrit, quod in Usuardino imperator* Aurelius *nominetur, et ibidem Antiochus* præses *et non* præfectus *vocetur. Rabanus autem hunc Antiochum appellat regem, haud dubie ex vitiosis Actis, de quibus infra agemus.*

et cujus gesta Ado breviter narrat

4 *Interim audiamus breve ejusdem sancti Martyris elogium sive potius Actorum compendium, quod Ado ad eamdem diem ita texuit:* Apud Prænestinam civitatem milliario ab Urbe trigesimo tertio *(alii vigesimum primum vel vigesimum tertium ab Urbe milliarium numerant)* natalis S. Agapiti martyris, sub Aureliano imperatore, præside Antiocho. Cum esset annorum quindecim et amore Christi martyrio ferveret, jussu imperatoris tentus, et primo nervis crudis diu cæsus est; deinde præsidi, ut impellerentur sacrificare, traditus; qui in durissimo atque obscurissimo carcere eum reclusit, et per quatuor dies cibum omnem negavit. Inde de carcere exhibitus est præsidi, qui prunas ardentes super caput ejus jussit imponi. Et cum gratias Deo Martyr ageret, flagellis est cæsus et nudus suspensus, capite deorsum verso, acri subter fumo facto. Et cum diceret præsidi: Sapientia tua et vanitas tua in fumo laborat, iterum flagellis cæditur a quatuor sibi invicem succedentibus. Deinde bullientem aquam super ventrem ejus ministri diaboli effuderunt, et maxillas ejus, confregerunt. Interea judex de tribunali suo cadens, collectus a ministris in lecto reclinatur, et sentiens Dei virtutem in Martyre, post modicum tristem animam emisit. De beato vero Agapito renuntiatum est imperatori, qui beatum Virum jussit leonibus subjici; sed mansuetæ factæ feræ pedibus Martyris ad lambendum se inclinaverunt. Hoc videntes sceleris ministri, tulerunt de medio sanctum Martyrem, et venerunt contra civitatem Prænestinam, ubi sunt duæ columnæ, et ibi eum gladio percusserunt sub die quintodecimo Kalendas Septembris. Corpus ejus noctu sublatum est a E Christianis, et positum miliario primo a civitate in agro, in sarcophago novo, nutu divino ibi invento. *Hanc synopsin Ado verosimiliter contraxit aut correxit ex antiquis et longioribus Actis* S. Agapiti, *quorum nunc diversa exemplaria assignabimus.*

Habemus diversa Actorum exemplaria,

5 *In variis Musei nostri Mss. codicibus aliisque apographis Acta* S. Agapiti *habent hoc exordium:* Sub rege Antiocho pagano erat quidam puer, nomine Agapitus, timens Deum *etc. Deinde ibi comparet præfectus vel præses, qui primo* Attalus *ac postea* Anastasius Cornicularius *appellatur. Eminentissimus Baronius hac die in notis ad Martyrologium Romanum monet, apud Mombritium exstare similia ejusdem Martyris Acta, quæ* admodum depravata *esse pronuntiat. Jam dudum Papebrochius noster occasione S. Venantii Camertis ad diem* XVIII *Maii, sive tomo* IV *istius mensis post pag.* 144 *etiam edidit ista* S. Agapiti *Acta, quæ cum Venantianis adeo concordant, ut hæc ex illis, vel illa ex his desumpta videantur, quemadmodum curiosus lector ea inter se conferre volens facile observabit.* F

quorum alia aliis

6 *Præterea ex Ms. codice Cassinensis bibliothecæ, litteris Longobardicis exarato, ut in margine apographi nostri notatur, habemus aliud Actorum exemplar, in quo martyrium* S. Agapiti *etiam sub rege Antiocho collocatur. Sed in his singularia quædam et ab aliis discrepantia occurrunt: cum enim in aliis Actis* S. Agapitus *primum deducatur ad urbem Prænestinam leonibus objiciendus; in his dicitur Præneste enutritus, et ibidem monasticam vitam duxisse. Hinc eruditus lector primo intuitu videt, quam inepte rex Antiochus et monasterium istis temporibus conveniat. Quapropter illustrissimus Suaresius æque de his ac præcedentibus Actis, ni fallor, in sua Præneste antiqua lib.* 2 *cap.* 3 *candide tulit sequens judicium:* Acta illa fuisse admodum depravata Cardinalis Baronius indicat; mutila etiam ne sint, vereor, cum in ipsis non comperiam martyrium Porphyrii, quod descriptum in illis Baronius suprascriptus asserit. Idcirco ea expolivi, quoad potui, et interpolavi: nec enim ferendum erat, ut monasterium pro ecclesia, præses pro præfecto, Antiochus rex pro Aureliano imperatore, aliaque id genus intexerentur. *Præterea in aliis Actis traditur Christiana* S. Agapiti *professio renuntiata*

AUCTORE G. C.

nuntiata esse tyranno, cum in his dicatur sanctus Martyr tyranno occurrens, ultro eumdem acriter reprehendisse. Denique variis episodiis exornata sunt hæc Acta Cassinensia, quæ primo loco post hunc Commentarium prævium typis edemus, ut curiosus lector possit facilius per se judicare, et ea conferre cum aliis brevioribus, quæ secundo loco ex Ms. Burgundico excudemus, et de quibus posterioribus nunc pauca præmonebimus.

sunt tolerabiliora, dum martyrium S. Agapiti collocant

7 *Saltem tolerabiliora sunt Acta ejusdem Martyris, quæ in aliis Mss. codicibus occurrunt, et quorum hoc est principium :* Tempore illo cum impiissimus imperator Aurelianus sævissimam persecutionem in toto Romano imperio contra Christianos exerceret, agebat Romæ præfectoriam potestatem præses quidam, nomine Antiochus, pejor per omnia domino suo. *Certe tempore Aureliani, qui ab anno Christi* 270 *usque ad annum* 275 *imperavit, persecutionem adversus Christianos excitatam fuisse, Lucius Cecilius sive Lactantius istis temporibus vicinus in Opere suo de Mortibus Persecutorum num.* 6 *testatur in hunc modum :* Aurelianus, qui esset natura væsanus et B præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset; tamen oblitus sceleris ejus et pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit; sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, et jam Cœnofurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus. *Quamvis crudelia istius imperatoris edicta ante mortem ejus ad ulteriores provincias non pervenerint, tamen ad urbem Prænestinam Romæ propinquam statim deferri potuerunt.*

in persecutione Aureliani imperatoris ;

8 *Porro Nicolaus le Nourry eruditissimus Benedictinus in Dissertatione ad memoratum Opus Lucii Cecilii cap.* 7 *art.* 3 *verba ejusdem auctoris illustrat hac explicatione :* Brevissima itaque fuit hæc ab Aureliano commota persecutio. Sed mirum tamen, cur aliqui haud dubitanter asseverent, nullos tunc factos esse martyres : cum enim Cecilius scripserit, Aureliani edicta ad ulteriores provincias non pervenisse, satis clare et aperte indicat, illa publicata fuisse in vicinioribus. At nullus sane du- C bitandi videtur locus, quin ethnici ac præcipue deorum antistites ac sacrificuli his, simul atque divulgata fuerunt, edictis abusi, plures Christianos solitis suppliciis excruciatos interemerint. Quin etiam ex Eusebio discimus, Aurelianum ad excitandam adversum Christianos persecutionem quorumdam consiliis impulsum, eoque adhuc vivente, sparsum ubique hac de re rumorem. Quis autem facile sibi non persuadebit, gentiles, data hac suum in Christianos odium saturandi occasione, illorum tum non pepercisse sanguini? *Nunc videndum, quo circiter tempore hæc Aureliani imperatoris persecutio cœperit.*

sed contra annum Christi 272.

9 *Illustrissimus Suaresius martyrium* S. Agapiti *affigit anno Christi* 272, *dum in Præneste sua antiqua lib.* 2 *cap.* 3 *sic scribit :* Latent præterea quæcumque a Christianis pie fortiterque Præneste gesta fuisse verisimile est, ex quo S. Petrus ibi pedem fixit, usque ad celeberrimum certamen, quod pro Christi fide generosissimus puer Agapitus intrepide subiit, Consulibus Antiochiano et Orfito, sive anno Urbis conditæ MXXIII, a Christo nato CCLXXII, Aureliano Augusto imperante, sub Antiocho præside seu Flavio ipso Antiochiano Præfecto Urbis : nam sæpe Præfecti Urbis præsides appellantur in Martyrologiis, eorumque ditio ad centesimum ab Ur- D be lapidem protendebatur, unde sacris in historiis leguntur ipsorum sententia condemnati martyres Interamnæ et alibi. *Verum contra hanc chronologiam mihi occurrunt nonnullæ difficultates, quas eruditis lectoribus nunc examinandas propono.*

cui aliqui auctores illud affigunt,

10 *Primo in omnibus fere Fastis consularibus, quos Petrus Relandus operose collectos anno* 1715 *Trajecti Batavorum edidit, ad annum Christi* 270 *consules invenio Antiochianum et Orfitum, quorum prior in Fastis Florentinis minoribus etiam vocatur* Antiochus, *ut in citato Relandi Opere ad hunc annum Christi* 270 *videre est. Secundo ibidem anno Christi* 272, *quem illustrissimus Suaresius assignavit, consules recensentur Quietus et Voldumianus, quibus Metius Falconius ac Nicomachus suffecti dicuntur. Tertio inter Præfectos Urbis Romanæ, quos Theodorus Jansonius ab Almeloveen anno* 1705 *Amstelodami post Fastos suos consulares vulgavit, ad annum Christi* 272 *collocatur* Flavius Antiochianus, *qui jam bis antea, nimirum anno* 269 *et* 270, *præfecturam ejusdem Urbis administraverat. Denique eruditus Ema-* E *nuel a Schelstrate, bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in Antiquitate Ecclesiæ similem consulum ac Præfectorum Urbis seriem ex antiquo codice exhibet, et tomo* 1 *istius Operis pag.* 528 *ad annum Christi* 272 *simul cum Consulibus illius anni Præfectorum Urbis ita recenset :* Quieto et Voldumiano, Flavius Antiochianus P. V. *Habemus igitur anno Christi* 272 *Aurelianum imperantem, et Antiochum vel Antiochianum Urbis præfectum, ut hæc tolerabiliora* S. Agapiti *Acta et Adonis compendium tueamur.*

intricata difficultas opponitur,

11 *Attamen superest intricatus nodus, cui dissolvendo me imparem fateor, et quem Pagius in Critica ad Annales Baronii hoc ipso anno Christi* 272 *num.* 4 *contra prædictam chronologiam proponit his verbis :* Baronius in notis ad Martyrologium Romanum persecutionem Aurelianeam brevem fuisse accurate scripserat : sed hanc sententiam ob ingentem eorum numerum, qui, Aureliano imperante, martyrium subiere, in Annalibus mutavit, ejusque initium præsenti Christi anno affixit. Baronium omnes deinde secuti sunt contra fidem antiquorum, qui eam brevissimam fuisse tradidere. Quod si præsenti anno ea F decreta fuisset, non solum per aliquot annos durasset; sed et Aurelianus eodem tempore Christianis favisset et in eosdem desævisset, quod nullus sibi persuaserit : imperiale enim edictum hoc anno adversus Paulum Samosatenum emisit, ut mox diximus. Imo Eusebius lib. 7 cap. 30, postquam de affectu imperatoris erga Christianos locutus est, ait : « Processu vero temporis aliter » de nobis sentiens, quorumdam consiliis cœpit » impelli, ut persecutionem adversus nostros » commoveret ». Imperatoris itaque judicium in favorem Pontificis Romani; et Pauli Samosateni dejectio persecutionem præcessit, eaque non nisi processu temporis post imperiale edictum excitata est, ut docet Eusebius citatus, qui ideo in Historia confirmat, quod jam in Chronico scripserat, Zenobiam nempe præsenti anno captam, et PROCESSU TEMPORIS, seu sub finem imperii Aureliani persecutionem ab eo decretam. *Si quis antecedentia ac subsequentia Pagii argumenta hoc loco expendere voluerit, haud dubie clarius videbit, anno Christi* 372 *cruentam illam Christianorum persecutionem ab Aureliano nondum decretam fuisse.*

12 *Equidem*

etsi Martyr sub Aureliano imperatore probabilius passus videatur.

A 12 *Equidem scio, in Opere nostro varia martyria sub prioribus Aureliani imperatoris annis collocari; sed tunc necdum prodierat Liber Lactantii vel Lucii Cœcilii de Mortibus Persecutorum, ex quo constat, universale illud edictum adversus Christianos ab Aureliano non nisi circa finem imperii vulgatum esse. Præterea fieri potuit, ut antea sub imperio Aureliani quidam impii et avari provinciarum præfecti sub alio prætextu Christianos interficerent, et eorum bona sibi usurparent. Quidquid sit de certo hujus gloriosi certaminis tempore, propter relatam Pagii difficultatem, in margine non expressi determinatum martyrii annum; sed secutus Adonem, qui verosimillime antiquiora Acta præ oculis habuit, martyrium* S. Agapiti *sub Aureliano imperatore collocavi, quamvis Usuardus ad hanc diem in suo Martyrologio scribat, sanctum hunc Martyrem* jussu Aurelii imperatoris *captum ac interemptum fuisse. His adde Breviarium Bisuntinum anni* 1590, *in quo festum* S. Agapiti *propter sacras reliquias hac die colitur, et quod Lectione secunda asserit, eum* sub Aurelio Alexandro *im*B *peratore passum esse; sed hoc non est verisimile, cum ille Aurelius Alexander erga Christianos semper optime affectus fuerit, ut apud Tillemontium tomo* 3 *Monument. Eccles. pag.* 250 *et sequentibus licet videre. Attamen ob illam Usuardi expressionem suspicari quispiam posset,* S. Agapitum *laurea martyrii coronatum esse sub aliis imperatoribus, quibus inter cetera nomen* Aurelii *commune fuit. Verum adhæreo opinioni Adonis, ut dixi, donec quis ex vetustioribus monumentis alium imperatorem assignaverit. Nunc ad posthumam sancti Martyris nostri gloriam illustrandam progredior.*

§ II. Templa in honorem hujus Martyris constructa aut restaurata, variæ ejusdem reliquiæ et quædam miracula,

Præneste duo templa in honorem S. Agapiti constructa sunt,

C *Nescitur, quo tempore in honorem* S. Agapiti *ecclesia primum Præneste ædificata fuerit; sed eam pervetustam esse, constat ex Libro Pontificali Anastasii Bibliothecarii, qui inter alia gesta S. Leonis III Romani Pontificis in editione Parisiensi anni* 1649 *pag.* 142 *illud memorat:* Prædictus vero venerabilis Pontifex sarta tecta basilicæ beati Agapiti martyris, quæ ponitur in urbe Prænestina, nec non et sarta tecta alterius basilicæ juxta eamdem basilicam sitæ, quæ jam præ nimia vetustate ruitura erant, omnia noviter in melius restauravit. *Si hoc templum jam præ nimia vetustate ruiturum erat ætate Leonis III Pontificis, qui anno Christi* 816 *ad Superos migravit, facile colligitur, istud ab immemorabili tempore ædificatum fuisse. Videtur ibi exstitisse duplex ecclesia, in qua altaria* S. Agapiti *anno Christi* 1116 *et* 1117 *consecrata sunt, ut patet ex duabus inscriptionibus, quas illustrissimus Suaresius in Prænestc Antiqua lib.* I *cap.* 12 *refert. Ecclesia autem* S. Apapiti, *quæ Romæ a Felice III Pontifice juxta basilicam S. Laurentii ædificata est, potius attribuenda videtur S. Agapito martyri, qui una cum S. Sixto Papa passus est, et cujus festum sexta die hujus mensis celebratur. Propter hanc synonymiam forte etiam orta est confusio inter sacras utriusque hujus Martyris reliquias, de quibus nunc agemus.*

AUCTORE G. C.

et alibi plures ecclesiæ corpus ipsius sibi vindicant,

14 *Diversæ ecclesiæ sibi vindicant corpus hodierni* S. Agapiti, *ut liquet ex Indice corporum Sanctorum diversis locis assignatorum, quem Philippus Ferrarius Catalogo suo Sanctorum Italiæ præfixit, et in quo refert, corpus* Agapiti martyris Præneste in propria ecclesia, Romæ in ecclesia S. Tryphonis, et Parmæ in ecclesia cathedrali, et Mediolani in ecclesia S. Stephani *collocari. His adde illustrissimum Suaresium, qui in Præneste antiqua lib.* 2 *cap.* 5 *ex Regio affirmante memorat,* corpus sancti Agapiti Romæ in præcipuo sanctæ Mariæ de Consolatione altari quiescere. *Verum Pancirolus in Thesauris Romæ absconditis Regione* 1, *ecclesia* 9, *Floravantes Martinellus in sua Roma sacra pag.* 100, *aliique Urbis descriptores testantur, reliquias SS. Felicissimi et Agapiti, qui cum S. Sixto Papa martyrium subierunt, ad hanc Deiparæ ecclesiam translatas esse. Suspicor, alios quosdam ejus sacri corporis competitores in eumdem aut similem errorem lapsos esse, aut totum pro parte nominasse. Unde Petrus Paulus Bosca in Martyrolo-* E *gio suo Mediolanensi ad diem* XVIII *Augusti post enumeratas aliquot ecclesias, quæ de corpore hodierni sancti Martyris inter se contendunt, hac de re sic recte judicat:* Unum igitur eumdemque Agapitum tot in urbibus jacere quis credat? Quamobrem plures fuisse Agapitos censeo; ita tamen, ut quicumque corpus alterius Agapiti possidet, illum esse Prænestinum Martyrem putet, quem hodie universalis colit Ecclesia, et cujus reliquias Præneste asservari tradit Baronius in Notis Martyrologii Romani hac die.

quæ opinio accomode intelligenda est,

15 *Celerum hac occasione transcribam utile monitum, cujus juverit sæpe alias meminisse, et quod Philippus Ferrarius memorato Indici corporum Sanctorum diversis locis assignatorum præmittit in hunc modum:* Fieri nulla ratione potest, ut idem corpus, quantalibet sanctitate præditum, in pluribus reperiatur locis: hoc enim, ut in pluribus, ac innumeris (si darentur) et quantumvis distantibus locis sit eodem temporis momento, soli Corpori Dominico in Sacramento Altaris convenit. Quod vero aliquot Sanctorum corpora in diversis locis quiescere passim af- F firmatur, vel aliquos ex iis, qui se illa habere gloriantur, decipi, vel totum pro parte in loquendo figura usitatissima usurpare oportet. Usus enim ex pia quadam extensione obtinuit, ut qui sancti alicujus corporis reliquias sive ossa sive cineres habent, corpus ipsum habere dicantur. Sæpe etiam corpora Sanctorum ex uno loco in alium transferri contingit, et dum alius prioris, alius posterioris loci meminit scribendo, plura videntur loca eidem corpori assignari. Illud quoque potissima deceptionis causa est, quod, clam furtimve sublatis Sanctorum corporibus et alio translatis, manentibus tabulis et inscriptionibus in priore loco, ibi esse creduntur, quoad furtum non detegitur. Accidit et titulum inscriptionemque cassam alicujus Sancti juxta corpus ignotum reperiri, quod idcirco Sancti illius esse putatur; quemadmodum et corpus Sancti alicujus a potentioribus peti, pro quo ii, qui aperte illud tamquam inferiores denegare non audent, nec tamen volunt privari suo thesauro, aliud supponunt; quo pacto idem corpus duo obtinet loca, unum re ipsa, alterum opinione. Hæc, quæ diximus, exemplis confirmare potuissemus; sed ab iis abstinendum duximus, ne quis id gravate ferat.

AUCTORE G. C.

rat. Cum itaque ejusdem Sancti corpus in duobus vel etiam pluribus esse locis audieris vel legeris, partem pro toto, vel et contra sumi, sive causam deceptionis aliquam ex dictis intercedere putabis.

vel ex errore provenit.

16 *Hisce adjungo aliam satis frequentem erroris causam, quam præbent e cœmeteriis Romanis extracta corpora ignotorum Martyrum, quos vulgo baptizatos appellamus : dum enim sacris hujusmodi corporibus imponuntur nomina, qualia celebres ac noti martyres habuerunt, sæpe possessores illorum corporum gloriantur, se conservare reliquias alicujus celebrioris martyris, cui tale nomen fuit, eique tribuunt Acta, quæ de altero noto ejusdem nominis martyre narrantur. Hujus rei exempla in Opere nostro passim occurrunt, ac nominatim die* XXIX *Julii in Appendice ad Acta SS. Lucillæ, Floræ, Eugenii et aliorum Martyrum; ubi tomo* VII *istius mensis pag.* 31 *et sequentibus ostendimus, variis locis inveniri corpora cujusdam sancti martyris Eugenii, e cryptis Romanis extracta, iisque aptari diem festum et Acta, quibus notus quidam* B *sanctus Martyr ejusdem nominis celebratur. Dubito, an non simile quid acciderit monialibus Bononiensibus S. Agnetis, quæ hac die* XVIII *Augusti venerantur corpus S. Agabiti vel Agapiti, quod ex Romano S. Cyriacæ cœmeterio ab Innocentio X Pontifice acceperunt, ut Masinius in Bononia perlustrata paginis* 423 *et* 463 *testatur. Ut ut est, jam enumerabimus aliquot sacras reliquias, quæ ad hodiernum* S. Agapitum *spectare dicuntur.*

Colonia Agrippina, brachium S. Agapiti :

17 *Imprimis Ægidius Gelenius in Opere de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib.* 4 *pag.* 714 *ad diem* XVIII *Augusti hæc habet* : Commemoratio S. Agapiti; nam ejus brachium cum sanctæ Helenæ brachio colitur in ecclesia S. Gereonis. *Porro lectorem ibi remittit ad paginam* 264, *ubi de S. Agapito nihil reperio præter sequentia:* Tertia hierotheca, etiam in brachii modum formata, donum est ejus Præpositi Arnoldi et Hermani Decani et continet reliquias SS. Syxti, Agapiti, et Felicissimi. *Ex his locis inter se collatis judicarem, ab Ægidio Gelenio hodiernum* S. Agapitum *confusum esse cum altero hononymo,* C *quia una cum S. Sixto Papa et S. Felicissimo palmam martyrii adeptus est. Sed ab hoc judicio affirmate ferendo me retinet Erhardus Winheim Cartusianus, qui in Sacrario Agrippinæ pag.* 41 *istud brachium S. Agapiti, quod Gelenius in ecclesia S. Gereonis coli dixerat, inter alias ecclesiæ Cathedralis Coloniensis reliquias recenset, et hodierno* S. Agapito *tribuit his verbis :* Insuper brachium S. Agapiti, qui cum esset annorum quindecim, et amore Christi ferveret, jussu Aureliani imperatoris tentus, primo nervis cæsus, deinde a præside Antiocho gravia perferens supplicia, exinde imperatoris præcepto leonibus subjectus, nec læsus, tandem gladio coronandus percutitur, cujus natalis apud Prænestinam triginta tribus milliaribus ab Urbe, XVIII Augusti occurrit. *Hæc non satis inter se concordant, ut certum judicium feramus. Quare ex eruditis Coloniensibus discere cupimus, quo die et loco reliquias hujus sancti Martyris venerentur.*

Benedictini Lætienses quædam ossa ejusdem Martyris,

18 *Benedictini Lætientes in Belgio etiam putant, apud se conservari reliquias hodierni* S. Agapiti, *de quibus R. D. Philippus Brasseur in Cimeliarchio Lætiensis ecclesiæ pag.* 120 *sic scribit* : Quadrigam finio de Lætiæ patronis, modo tamen iisdem S. Agapitum martyrem (velùt ad loci tutelam et miraculorum frequentiam adauctum) subjunxero. D Hujus porro sancti Martyris reliquias (hoc est tria ossa) Constantinopoli olim cum ceteris transmissa possident Lætienses, easque non tam propter quantitatem, quam curationum beneficia notabiles.......... Luculentam porro hujus sancti Martyris opem invocare solent pro avertendis aut curandis ventris doloribus, tortionibus, colica passione, et ejusmodi; atque potissimum pro his et aliis infantium morbis amovendis; proinde matres eos recens natos et baptizatos ob eamdem causam post puerperium huc mittunt, vel deferunt per se ad S. Agapitum cum oblationibus, estque et habetur infantium atque puerorum patronus; inde forsan, quod totus juvenis martyrium obierit : pingitur enim ut scholaris sinistra manu vas atramentarium cum palma et libro præferens, dexteram autem cordi admovens, ensemque pedibus conculcans. Talis ejusdem statua visitur Montibus in novo oratorio refugii Lætiensis, quod ei ac sancto Thomæ Cantuariensi recens dedicatum fuit, prout testatur inscriptio per exteriorem ambitum in sublimi murorum parte posita. Illa sic habet : THOMAS ABBAS E XXXVIII CONVENTUSQUE LÆTIEN. DD. CC. Q. SS. THOMÆ CANT. ET AGAPITO MM. ANNO MDCXXXIX.

Constantinopoli in Belgium translata.

19 Passus est Præneste sub imperatore Aureliano anno CCLXXV. Anno autem MCCVIII ejus reliquiæ Lætias allatæ fuerunt, variis hic miraculis ab eo tempore illustres, quæ tamen posterorum memoriæ tradita non fuerunt. Nec mirum quibusdam videri debet, tot et tanta a Deo per eum Sanctum hic fieri concedi miracula, attenta nimirum reliquiarum ejus exiguitate : quidam enim putarunt (et opinantur hodie vulgares) integrum corpus, aut certe notabilem corporis partem ab urbe Constantinopolitana translatam Lætiis haberi. Sed attendant illi a simili, quod cum asseritur corpus S. Sebastiani translatum esse Suessionem in Gallias, non integrum corpus intelligi debere, sed partem dumtaxat, ut testatur Baronius tomo nono Annalium suorum ad annum DCCCXXVI...... Ex quo a simili infero, Lætienses nec falli nec fallere, si dicant apud se habere S. Agapitum, licet sacri ejusdem corporis tres dumtaxat portiunculas asserveut · .... Audimus enim et scimus, non tantum Lætiæ, sed et aliis in locis, F quæ de Martyris hujus ossiculo aut etiam pulvisculo ex Lætia participarunt, maxima et frequentia evenire miracula, ita ut merito dicere possimus, eumdem Sanctum in qualibet corporis sui particula Lætiis integrum esse, sicut et Præneste, cum non sit in operatione virtutum diminutus ac dimidiatus. Fatendum nihilominus, quod nonnulli præcedentium seculorum abbates prætacti sancti Martyris reliquiarum partem diversis locis Lætiæ subjectis donarint, uti Sarto-Monachorum in patria Namurcensi, in Refugio Montensi et Athensi; videlicet ad majorem Sancti cultum et venerationem,

quod creditu difficile est,

20 *Facile credo, apud minimas cujusdam sacri corporis particulas miracula patrari; sed non satis intelligo, quomodo Benedictini Lætienses ex urbe Constantinopolitana has sacras* S. Agapiti *Prænestini reliquias acceperint. Quare non prorsus temere suspicor, hæc sacra ossa Lætiensia spectare ad quemdam S. Agapitum, qui in Oriente martyrium subiit. Jam inde enim in Opere nostro egimus de duobus sanctis Agapitis, quorum unus ad diem secundam Aprilis dicitur passus Thessalonicæ in Macedonia; de alterius autem*

AUCTORE G. C.

A *tem martyrio in Phrygia ad diem* XXIV *Martii disputatur. Forsan alii Orientales ejusdem nominis Sancti deinceps in Opere nostro illustrandi erunt, ad quorum aliquem hæ reliquiæ Lætienses Constantinopoli acceptæ probabilius pertinere videntur. Attamen Saussayus in suo Martyrologio Gallicano ad hanc diem de eisdem reliquiis Lætiensibus meminit, easque* S. Agapito *Prænestino sic adscribit :* Eodem die in Lætiensi cœnobio ad Helpiam fluvium haud procul ab Avenna, oppido Hanoniæ, veneratio reliquiarum sancti Agapiti martyris, anno ætatis quinto decimo Præneste pro fidei constantia jussu Aureliani imperatoris diris cruciatibus necati. *Mihi sufficit, hæc esse vera alicujus Sancti ossa, ut ex frequentibus miraculis ac beneficiis abunde demonstratur.*

et Cremifanenses in Austria

21 *Nescio quales aut quantas* S. Agapiti *Prænestini reliquias sibi vindicant Benedictini Cremifanenses in Austria superiore, inter quos Simon Rettenpacherus in Annalibus hujus monasterii lib.* I *cap.* 10 *tradet sequentia :* Copiosis vectigalibus beneficio principum affluebat monasterium, religiosa disciplina magis indies ac magis B efflorescebat, cum summus Pontifex Adrianus primus sacro etiam thesauro locum exornavit, missis sanctissimi martyris Agapiti mortalibus exuviis, ne quidquam splendori aut pietati de esset. Thassilonis id precibus dederit, an Caroli Magni amicitiæ, incompertum : antiqua enim monumenta silent. Crediderim tamen, eo munere Thassilonem ad similia liberalitatis officia provocatum. Corpus huc illatum esse, non tam prisca traditione, quam miraculis assertum; firmantibus insuper vetustissimis imperatoris Arnulphi tabulis ante septingentos octoginta quatuor annos scriptis, licet translationis historiam ob crebra incendia et monasterii ruinam dudum periisse conqueratur Bernardus Noricus. Res gestas sancti Martyris toto orbe celeberrimi paucis describere, ab instituto meo non alienum duxi. *Tum satis fuse narrat Acta* S. Agapiti, *qualia nos inferius huic Commentario prævio subjungemus.*

præcipuas corporis partes, Roma delatas,

22 *Deinde Rettenpacherus, narrato sancti Athletæ martyrio, hæc ad rem nostram subdit :* Sacrum ejus corpus a Christianis noctu sublatum ad primum ab urbe Prænestina lapidem, recenti sarcophago inclusum, debito honore conditum est. C Inde post quinque demum secula in Noricum evectum, Adriano volente, veluti beneficum quoddam sidus illuxit, et pluribus prodigiis in ecclesia nostra claruit; e quibus pauca fidelium devotioni et tanti Patroni venerationi augendæ subuecto. *Audis, hic ubique nominari corpus, quod ex Italia in Austriam avectum fuerit; sed usitata phrasi partem pro toto intellige secundum ea, quæ Gabriel Bucelinus in Sacrario Benedictino, quod Menologio suo addidit, die* XVIII *Augusti de reliquiis ejusdem sancti Martyris scribit in hunc modum :* Habentur insignes gloriorissimi hujus Triumphatoris reliquiæ Lætiis, corporis præcipuæ partes S. Agapiti in monasterio S. Agapiti Cremiphanensi. *Hinc vides, corpus pro partibus corporis accipiendum esse. Quænam vero sint hæ præcipuæ partes, hactenus ignoro. Quare Cremifanenses poterunt has distinctius explicare, et contendere cum aliis ecclesiis, quæ corpore ejusdem* S. Agapiti, *aut præcipuis illius partibus gloriantur. Præterea ex antiquis instrumentis ostendant, has insignes suas reliquias ad* S. Agapitum *Prænestinum certo pertinere.*

23 *Nos interim referemus promissa hujus sancti Martyris miracula, quæ Rettenpacherus ex veteri manuscripto ibidem ita subnectit :* Anno MCCLXX mulier quædam munus, quod in sacello ad aram divæ Virginis, sub qua lipsana gloriosi Martyris reposita erant, translata illuc ab Henrico abbate anno Domini MCCXXXII, cum novam fabricam moliretur, veteri ruinam minante offerre ex voto decreverat, mutata mente, sibi reservare statuerat. Sed cum domum itionem pararet, repente occulta vi gradum sistere coacta est. Nec prius abire licuit, quam facti pœnitens, munere ad altare relicto, se voto et culpa exsolvit.

et miraculis celebres venerantur.

Cæca mulier cum meritis et suffragiis sancti Agapiti sanitatem recuperasset, nec debitas gratias egisset, usum oculorum rursus amisit. Pœnitudine ducta, et ingratitudinis vitio expiato, reddito visu, iteratam opem sensit.

Circa annum millesimum trecentesimum monachus hujus loci, Leutoldus nomine, tabulam, scripta profana et carmina irreligiosa continentem, in ara divi Martyris reliquerat, et epistolam lecturus descenderat, cum cæcitate improvisa percussus est. Delicti memor, postquam tabulam removit, visum recepit.

Cæcus aliquis, cum plurima sanctorum Martyrum templa invisisset, ac suffragia frustra experiisset, ad lipsana patroni nostri Agapiti deductus, spectante et exultante plebe, clarissime omnia contuitus, et gratissimo oculorum usu donatus abivit. E

Presbyter de Walpurga omnium membrorum officio destitutus, cum audisset, crebra miracula patrari a sancto Agapito, se huc deferri jussit : et primo quidem adventu perfecte curatus non est; magnum tamen dolorum lenimen sensit. Visu an somno admonitus, ut rediret, præcepto impleto, integram sanitatem recuperavit.

Præmemoratus monachus Leutoldus ætate jam provectior, oculi defluvio ita laborare cœpit, ut metueret, ne penitus visu privaretur. Ad auxilium igitur cælorum Reginæ ac beati Agapiti confugit, eorumque patrocinium tamdiu exambiit, usque dum convalesceret.

Custos nostræ ecclesiæ noctu sacellum divæ Virginis ingressus, ante aram, ingentem puerorum turbam conspexit facibus prælucentium et candenti veste indutorum. Visu territus, monachum non procul inde cubantem accersivit : qui ubi advenit, lucem quaquaversum fusam oculis mirabundus usurpavit; cælestes vero genios intueri non potuit. F Sed lumen vidisse suffecit ad rei gestæ testimonium. *Hæc de quibusdam* S. Agapiti *reliquiis ac miraculis dicta sufficiant : nunc enim duplex sacri capitis translatio examinanda aut potius referenda est.*

§ III. Caput ejusdem sancti Martyris Vesontione in Burgundia et Corneti in Hetruria conservari dicitur.

Quomodo Corneti et Vesontione servetur caput S. Agapiti,

Jam *aliquoties laudatus illustrissimus Suaresius in Præneste sua antiqua lib.* 2 *cap.* 5 *utramque sacri hujus capitis translationem memorat his verbis :* Sacris ossibus sancti Agapiti delatum honorem in ipsis Ecclesiæ incunabulis neminem latere potest : illius etenim caput Præneste asportatum fuit, missumque Theodosio imperatore Bisuntium seu Vesontionem (ea in Gallia metropolis est Sequanorum, quos Burgundos nunc vocant)

AUCTORE G.C.

vocant) agente Galla Placidia Valentiniani Augusti tertii matri, sanctusque Celidonius archiepiscopus Bisuntinus XV in medio choro superioris ecclesiæ sancti Stephani (cœmeterium archiepiscoporum dicitur) erecto ibi altari et grandibus advolutis saxis lipsana seu pignora veneranda recondidit. Diu post inventum caput sancti Agapiti ab Hugone archiepiscopo die XX Aprilis, qua et colitur ibidem, atque a sancto Leone Papa intra majus altare, sancti Agapiti nomine insigne, fuit repositum. Waltherus profecto seu Galtherus XLVII archiepiscopus ope sancti Agapiti mirabiliter curatus legitur...... Joannem tamen de Vitellensibus Cornetanum, patriarcham Alexandrinum, eversa Præneste, caput sancti Agapiti trantulisse in patriam, douasseque ibi sodalitio seu Conventui Patrum Franciscanorum asseritur in epigraphe signi argentei seu thecæ anno MCDXXXV. Ipse Julius secundus Pontifex Maximus caput illud excuso ad vivam effigiem argento reclusit, et veniam largitus est anno MDIII.

Illustrissimus Suaresius explicat.

25 *Si ex hoc eruditissimo præsule quæras,* qui fieri possit, ut sancti Agapiti caput et Bisuntii apud Sequanos et Corneti apud Ethruscos exstet atque colatur, *proxime citato cap. 5 respondet,*
B synonymia multos fuisse deceptos; ad hæc variis in locis non integra corpora seu capita Sanctorum inveniri, sed partes eorumdem corporum atque capitum divisas atque distributas, et a parte totum denominari. *Responsionem suam inter alia declarat hoc exemplo:* Nonne caput sancti Joannis Baptistæ, *inquit,* Romæ in sancti Silvestri monasterium delatum e Constantinopoli; Angeliaci in Galliis Alexandria translatum, Augustæ Prætoriæ in finibus Subalpinorum, Lugduni, Ambianique anno MCCVI a Walone depositum esse dicitur, cum pars cranii missa ab imperatore Copronymo ad Pipinum regem Francorum Angeliaci, Romæ in sancti Silvestri pars altera cranii, Augustæ prætoriæ mentum seu maxilla, ejus pars Lugduni, alia itidem Sesti in Calabria; facies vero, excepto mento superiori, usque ad partem frontis Ambiani asserventur? Eodemque modo sancti Agapiti capitis seu reliquiarum pars Corneti, pars altera capitis Bisuntii, altera reliquiarum in Lætiensi cœnobio, altera Romæ in sanctæ Mariæ Consolatricis exstare jure definietur.
C Joannes de Vitellensibus Cornetum invexerat (diruta Præneste) pretiosa ista ceimelia; sed instaurata Præneste præstantissimus heros et eminentissimus S. R. E. Cardinalis et episcopus Prænestinus Marcus Antonius Columna cranii partem revexit. *Si Vesontionenses et Cornetani vel Prænestini non sint contenti parte sacri istius capitis, ipsi inter se prosequantur litem, quæ tantum ex accurata reliquiarum illarum inspectione vel fideli earumdem descriptione decidi potest.*

Nos ex auctore seculi XI referimus, LECT. I.

26 *Interea curioso lectori exhibebimus veterem Bisuntinæ translationis ac inventionis historiam ab auctore seculi undecimi conscriptam, quam Chifftetius noster olim ad nos officiose misit. Ea excerpta est ex Vesontionensi sanctorum Joannis et Stephani Legendario, ubi in novem Lectiones divisa sic sonat :* Postquam omnipotens Deus, Christiana religione crescente, glebam martyris sui Agapiti humili in loco jacentem, gloriosius voluit collocari, et his, qui in domo sua erant fideles, hujus sancti corporis pretiosum thesaurum voluit revelari; Prænestinus Clerus cum populo secundum præceptum Romani Papæ ad locum ab urbe milliario, ubi jacebat, devotissime pergentes, ejusque sarcophagum cum omni reverentia aperientes, ad urbem cum crucibus et D vexillis omnique decore laudes Deo canentes reportarunt, ibique veneranda ejus membra honorifice collocarunt.

LECT. II *sub imperio Theodosii Junioris Visionem*

27 Per idem vero tempus Theodosii Minoris imperio populus regebatur Romanus : cui, cum esset Christianæ religionis cultor perfectissimus, ostensum divina in visione fuerat, quod beati protomartyris Stephani brachium, quod Joannes Hierosolymitanus patriarcha, rogatus ab ejus antecessore imperatore Honorio, Romam transmiserat, et quod cum omni desiderio et honore idem Theodosius penes se retinebat, illud Chrysopolim civitatem, quæ nunc Bisuntica dicitur, transmittere habebat. Hæc vero civitas in partibus (LECT. III.) Galliæ regio cultu et sui situs pulchritudine, nativo quoque non manufacto munimine videbatur ceteris civitatibus præcellere; de laude cujus melius silere existimo, quam parum dicere; et tempus nos admonet ad alia festinare : in hac siquidem civitate in honore sancti Stephani ecclesia dedicata fuerat, quam piissimus rerum omnium Conditor, ut nunc patet, ample meritis Sanctorum suorum sublimari decreverat, quamque longe do- E nis et muneribus mater Constantini regina Helena ditaverat, excepto quod ipsius beatissimi Protomartyris reliquias de corpore non habebat. Im- (LECT. IV.) perator igitur divinæ visioni piissime annuens, et super sancti brachii munus alia pretiosissima munera addens, transmisit Chrysopolim domni Stephani brachium, et cum eo Domini et Salvatoris nostri cingulum, de vestimenti ejus etiam fimbriis, nec non pectinem beatissimæ Mariæ semper Virginis, ejusque aliquantulum de capillis; sanctorum quoque corpora martyrum integra Ysidori et Epiphanii : sed insuper caput, de quo nunc agimus, beatissimi Agapiti martyris. De ceteris itaque reliquiis, quo locorum sint conditæ, ad præsens dicere supersedemus : continet enim hoc de adventu reliquiarum atque miraculorum sancti Stephani liber editus. De capite vero sancti Agapiti agam.

LECT. V. *delatum esse caput ejusdem Martyris,*

28 Caput itaque a venerabili Celidonio archiepiscopo, qui tunc civitati præerat, in ecclesia præfata; in medio scilicet choro, fuit reconditum : super quod altare quatuor columnis argenteis sustentatum, decentissime fuerat ædificatum. Verum quia memoriæ litteris ita traditum non F fuerat, nisi quantum quorumdam relatio non satis firma suggerebat, pretiosissimum munus longo tempore latuerat : sed miraculis, quæ per ejus meritum Dominus faciebat, cunctis circumquaque manentibus virtus divina innotuerat : præstabatur namque ibi cæcis visus, surdis auditus, claudis gressus, loquela mutis, mundatio leprosis; salutem denique se petentibus Martyr tuebatur, vulneribus medebatur, morbi diversi generis ab ipso pellebantur. Sic cunctis repertis partibus medicinæ de toto non erat dubitandum in Martyre. Unde cum ejus miraculorum multitudo occurrat permaxima, quæ partim ab incolis civitatis sunt visa et audita, partim vero illustrium senum virorum relatione credita; unum, quod nostris factum constat, quodque ab ipsius ore venerandi Waltherii archiepiscopi sæpe audivimus, particulariter huic nostro opusculo inserere opportunum duximus.

LECT. VI. *qui diu post Walthero præsuli ægro apparens, ei sanitatem reddidit,*

29 Erat enim hic vir simplicitate admodum præditus, virtute patientiæ præmunitus, humilitate magnificus, caritate conspicuus; quem corporis natura infirma et imbecillis quodam tempore et accidentibus ita infecit, adeo omnibus modis

A dis febribus (ut ipse solitus erat referre) ægrotavit, quod cibi potusque usum omnino amiserat, vix lassescente spiritu anhelabat. Huic vero cum eum nulla medicorum ope subventum esset, cumque sibi deesse humanum auxilium præsentisset, statuit divinum quærere, et ad medicorum potissimum Christum coufugere: ad altare namque beati Agapiti se deferre præcepit, spe et fide roboratus accessit, Christi Martyri, quatenus sibi apud Dominum subveniret, corde et animo supplicavit. O mira Dei clementia, mira potentia, quæ numquam deest credentibus! Ipse namque Omnipotens, qui beato Petro, ut solveret eum de carcere, angelum suum misit, famulum suum et martyrem Agapitum, pro hoc ægroto orantem, copiose audivit, et eumdem Christus ad solvenda ejus infirmitatis vincula de supernis sedibus adesse constituit. Visus est enim beatus

LECT. VII.

Agapitus in similitudinem candentis pueri sancti adesse, et siguo Crucis manu propria sibi benedicere, ac eo modo salutare antidotum suggerere: Surge, iuquit, Waltheri, de sospitate securus, de sanitate certissimus, de visione lætissimus; nihil dubites, nihil hæsites, quia ecce sanus factus B es. Quæ vox certe ita præsulem nostrum sanum reddidit, acsi nullum infirmitatis dolorem umquam pertulerit. Ceteris transactis multorum annorum curriculis, cum jam ecclesia nimiæ existeret vetustatis, et cum fere solutis murorum compagibus patesceret ruinis, Waltherius scilicet beatæ memoriæ archiepiscopus, cujus supra memoriam habuimus, cœpit ædificare aliam amplioris magnitudinis, infra ambitum suum priorem ecclesiam muris inter se distantibus non uimio spatio continentis; qui, quod conceperat mente, non implevit: statim cuim naturæ coucedeus, in Domino quievit.

LECT. VIII. et cujus successor Hugo

30 Huic vero successit Hugo archiepiscopus, vir per omnia strenuissimus, qui cum genere existeret nobilissimus, nobilior studuit videri actu et moribus: nam civitas eo tempore pastorum tam negligeutia quam imbecillitate iu laicorum principum cousederat potestate. Clerus vero uullo cultu, nulla religioue enitebat. Tanta passim (at temere pro libitu quisque vivebat) clades ignaviaque eos invaserat. Sed vir egregius et civitatem e tyrannorum faucibus sua industria eripuit, C clerum cultu et habitu composuit, litteris diversa per loca erudiit, vivere religiose edocuit; plura autem, quæ, agente discordia iuter episcopos et principes, amiserat, civitati restituit. Telonium et monetam, quæ plurimum essent decori civitatibus, deleta restauravit, et restaurata iu usus uecessarios prudenter distribuit: monetam enim, quam brachii domiui proto-martyris Stephani iusigniverat, ita divisit, ut duæ partes usibus archipræsulis, tertia vero Canouicis deserviret beati Evangelistæ Joannis: telouii itidem duas ad usus archiepiscopi destinavit; tertiam proinde congregatioui beatæ Mariæ Dei Geuitricis Paulique Apostoli concessit, quam ipse funditus destructam restituit; quem locum ab integro ædificavit, quem ornamentis pro posse ecclesiasticis honoravit, quem adeo quidem in vita dilexit, ut sepulturæ suæ ibi domicilium elegerit.

LECT. IX. easdem reliquias absconditas invenit,

31 Civitatem denique tanta auctoritate præmunivit, tum a Papa privilegiis tum ab imperatore præceptis, ut uulla ulterius in ea domiuari præsumat persoua laicalis. Boua etiam ad victum archipræsulis pertinentia, bona item congregationum inibi degentium per se divisa, tam ea, quæ ipse contulit, quam ea, quæ reperit, et omnia præsidio confirmavit, quatenus eadem firmitate permaneant inconvulsa, quia sunt per manum Papæ seu imperatorum præceptis atque privilegiis roborata; ecclesiam vero domni proto-martyris Stephani, cujus est tota episcopatus possessio, cujusque vivit ac subsistit post Deum tota civitas patrociuio, quam ejus antecessor Waltherius, ut supra retulimus, inceperat, hanc non solum materiali opere informavit, sed et clericis bene moratis et litteris eruditis sublimavit; congregationem omnino, quæ deciderat, restituit; beneficiis suis et patrimoniis adauxit, ornamentis aureis et argenteis, capis dorsalibus, libris etiam libere et egregie decoravit: officinas denique, quas ad usum Fratrum necessarias recognoverat, curiose ædificavit. Hic autem cum inferiorem ecclesiam novæ ecclesiæ, ut supra dictum est, ambitu circumdatam juberet destrui, quæ jam præ nimia vetustate nutabat, et altare sancti Agapiti in medio choro situm, ut prælibavimus, quibusdam ruinis supervenientibus fractum vidit, solicite de thesauro ibi abscondito, ut sola ferebat opinio, requisivit. Lapis itaque sub altari positus, eo jubente, magua vi hominum (erat enim non mi- E nimæ quantitatis) erigitur sic, ut nondum caput sancti Martyris, quod quærebant, reperiretur. Unde uou medioeriter archiepiscopus ceterique ei assistentes coutristantur: putabat namque præsul, quod a senibus audierat, se frustra credidisse, frustra etiam martyris reliquias ibi coluisse. Secundus deuique lapis miræ magnitudinis elevatur; nondum tamen ulla reliquiarum vestigia couspicantur. Tertio nempe elevato, apud quos jam venerat desperatio, o qualis et quanta facta est exultatio! Inventum est enim diu desideratum, repertum est diu quæsitum, patefactum est occultatum, certum factum est dubitatum: gaudium quippe ac lætitiam nou minimam caput beatissimi Martyris Agapiti, dum cernebatur, ingerebat, quod tantum ante miraculis et virtutibus coruscabat. Dragma, quæ perdita fuerat, reperta, vicinia congaudebat. Sancto reperto capite, quod longe occultatum fuerat, omnis civitas triumphabat. Nec minus erat clero et populo super reperto capite gaudium, quam si totum in præsentia cernerent beatum Agapitum. Iuventum est autem caput beatissimi Agapiti martyris XII Kalendas Maii, et in capsa eburnea non parvi pretii a domino Hugone præfato F archiepiscopo recouditum, sicque in summa veneratione tam clero quam populo diu habitum, donec a domino Papa Leone in altare sancti Stephani cum brachio ejusdem proto-martyris die dedicationis ejusdem ecclesiæ fuit compositum. *Hæc prolixor narratio in Breviario Bisuntino anni* 1590 *ad diem* XX *Aprilis contracta est, et tribus Lectionibus propriis absolvitur. Porro ad illam nunc pauca obiter observabo.*

32 *Imprimis ex hac historia præterpropter colligi potest ætas auctoris, qui eam conscripsit: nam in fine Lectionis quintæ asserit, sese ex ore ipsius Waltheri præsulis accepisse prodigiosum beneficium, quod* S. Agapitus *ei apparens præstiterat. Hinc sequitur, scriptorem illum anonymum ante medium seculi undecimi floruisse, cum Waltherus vel Waltherius ille ante annum* 1032 *moriens cathedram Vesontionensem reliquerit, ut apud Joannem Jacobum Chiffletium in sua Vesontione part.* 2 *pag.* 194 *videre est. Quo autem tempore caput* S. Agapiti, *quod Hugo præsul Bisuntinus feliciter invenerat, ab ipso Leone IX Pontifice in altari S. Stephani collocatum fuerit, docet laudatus Chiffletius part.* 2 *suæ Vesontionis pag.* 205,

cujus translationis et inventionis tempora utcumque assignantur.

AUCTORE G. C.

pag. 205, ubi ex antiqua tabula refert diploma, cujus hoc est exordium : Anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo octavo, quinto Nonas Octobris, consecratum est altare sancti Stephani a domino Leone IX Papa, in honore Dominicæ Ascensionis, et sanctissimæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, et beati proto-martyris Stephani, et S. Joannis Evangelistæ, et beatorum Martyrum Vincentii, Agapiti (cujus caput cum majore osse brachii S. Stephani, et duobus nodis de spina sancti Vincentii ab ipso Papa infra idem altare est reconditum) coram episcopis et abbatibus, et casatis et populo, qui infinitus convenerat *etc. Quandonam vero sacrum istud caput primo Vesontionem delatum fuerit, utcumque erui potest ex episcopatu Celidonii præsulis Bisuntini et imperio Theodosii Junioris, de quibus proxime citatum Chiffletium part. 2 Vesontionis pag. 98 et sequentibus consule. Cum jam utraque* S. Agapiti *Acta Commentario prævio et Annotatis utcumque dilucidata essent, P. Ignatius Pinius, alibi in Opere nostro propter obsequia sæpe laudatus, Roma*
B *officiose ad nos misit aliud Actorum apographum quod ex codice Vaticano desumptum est. Sed postquam illud cum exemplari nostro Burgundico contulissemus, unum alteri fere prorsus simile invenimus : ita ut neque in Commentario neque in Annotatis propterea quidquam mutandum esse censuerimus. Nihil ergo jam superest, nisi ut duo diversa et superius promissa* S. Agapiti *Acta prælo subjiciamus, et consuetis explicationibus illustremus.*

ACTA

auctore ignoto

Ex tomo 147 Ms. bibliothecæ Casinensis, litteris Longobardicis exarato, ut in margine apographi nostri notabatur.
C

PROLOGUS.

Auctor anonymus post prologum narrat,

Gloriosas et laudabiles Sanctorum Martyrum victorias, quas pro Christi Domini et redemptoris nostri gesserunt amore, totius præconia mundi resultant, atque omnium gentium linguæ collaudant; et valde inutilis deprehenditur, qui aut eorum non cupiat imitari exempla, vel amore non accendatur cælesti, quando, etsi desit truculentus persecutoris gladius, non tamen deest incentor malorum diabolus, qui vitiorum tædas succendat; qui et servorum Dei, si non coinquinat vitam, palmam victoriæ ministrat invitus. Cum ergo Sanctorum Martyrum pugnæ contra antiqui humani generis inimicum ad memoriam adducuntur, inardescat animus ad amorem civium supernorum, ut saltem amando cælestis vitæ dulcedine saginemur; si nondum valemus experiri gustando. Non enim martyris, fluctus * deerit, si ad spiritalis agonem vitæ erectus animus elevetur; ait enim Apostolus : Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Sed cur ista prælibavimus sequentis lectionis stilus percurrat. D Igitur sicut præ omnibus provinciarum terminis ac regionibus ab historiographis Italiæ præfertur positio; ita præclaros et cœlibes viros constat in ea virtutum culmine præfulsisse, ex quo sanctorum Apostolorum doctrina usquequaque refulsit : ex quorum collegio venerabilis vir Agapitus, velut cælitus jubar emissus enituit.

* *forte* fructus

CAPUT I.

Sancti patria, educatio, intrepida fidei Christianæ professio, et inconcussa inter blanditias, tormenta ac minas constantia.

E

quomodo S. Agapitus Præneste vivens, a b c

Hic igitur in urbe Roma ex nobili genere ortus, in Prænestina urbe *a*, quæ Valeriæ interjacet provinciæ, sub religionis habitu monachicam *b* duxit vitam. Namque ex eo tempore, quo propriam patriam opesque reliquit paternas, in prædicta urbe adhæsit cuidam religioso viro nomine Porphyrio *c*, qui eum a puero nutriens elementis litterarum non mediocriter instruxit, ac spiritualibus documentis fecit eum plenissime esse capacem. Qui cum ætatis suæ quintum decimum perageret annum, cœpit totis viribus ad vitam anhelare perpetuam, ita ut desideraret magis mori pro Christo, quam præsentis vitæ favoribus extolli.

ac desiderio martyrii flagrans,

2 Sed præfatus Vir Dei, qui illum exceperat nutriendum, cum ejus cognovisset animum ultro se velle ad martyrii certamen accingere, compescebat eum, ne ad tam immensum opus importune se coarctur ingerere, ne fidei suæ stabilimentum jacturam aliquam pateretur.. Aiebat enim ad eum : Intra secreta tui pectoris satorem omnium bonorum Christum reconde, et, cum clamaverit, veni. Sed Dominus, qui eum inter adoptionis filios jam cohæredem destinaverat affuturum, non passus est eum diu infructuoso silen- F
tio tegi, neque lucernam, quæ hactenus sub modio latuerat, voluit occultari : sed supra candelabrum eam constituens, fecit lucere omnibus, qui in domo ejus sunt.

ultro tyrannum reprehenderit, d

3 Per idem denique tempus egressus Roma quidam nomine Antiochus *d*, qui tyrannico more nomen sibi regium usurpabat, et multos Christianorum diversis pro Christi nomine excruciaverat pœnis, venit in partes Valeriæ, cœpitque velut canis rabidus quemque fidelium morsibus attrectare. Cui occurrens beatissimus Christi martyr Agapitus hujuscemodi convicio increpabat eum dicens : Sceleratissime et flagitiosissime omnium, cur non desinis Sanctos Dei persequi, et duris eos vexare cruciatibus, qui pro salute et statu reipublicæ omniumque populorum non cessant assiduis Deum precibus exorare ? Ad hanc vocem commotus rex Antiochus jussit eum comprehendi, et ad suum perduci tribunal. Cui et dixit : Cujus auctoritatis esse probaris, ut majestatem principum non solum non verearis ; sed etiam ad publicam injuriam non pavescas contumeliosis nobis vocibus insultare ? Beatus Agapitus respondit : Auctoritas mea in Dei mei virtute consistit, qui mihi est murus inexpugnabilis et arma salutis. Antiochus

A tiochus dixit: Estne tibi alius Deus præter quos nos colimus, et omnis adorat dignitas maguatorum? S. Agapitus respondit: numquid Jovis *e* aut Saturnus, vel cetera nomina dæmonum tibi dii esse videntur, cum fuerint homines immanissimis sceleribus polluti, quorum effigies ex ære vel auro ornatis et eolitis ad injuriam Dei magni?

4 Videns Antiochus tantam in puero constantiam, admirans ait: Cujus conditionis sis, aut ex quo genere, vel unde hue adveneris, nosse desidero. Sanctus Dei martyr Agapitus respondit: Si patriam quæris, Romanus sum, ex præclaro genere ortus; nutritus vero sive eruditus a cunabulis in sancta Ecclesia, quæ est mater omnium Catholicorum. Antiochus dixit: Ut video Christiani te suis artibus imbuerunt, ut nec pincipes verearis, nec divinis numinibus sacras velis exhibere cerimonias. S. Agapitus respondit: Dic dæmonas, et non deos: nam ex eorum simulacris responsa vobis dantur ad decipiendas animas, ut, cum ab eis decepti fueritis, tamdiu vos deludant usque dum vos miseros perditosque secum ad inferna perducant. Antiochus dixit: Meas injurias usque nunc philosophando distuli; nam deorum meorum blasphemias patienter ferre non potero. Subridens B. Agapitus respondit: Quis inter te deosque tuos præstantior esse probatur? Nam eum tu eos defendere conaris, impotentes et effeminatos illos esse demonstras, qui, ut non lædantur, a vobis illi magis expetunt vindicari.

5 Dum hæc agerentur extitit quidam ex satellitibus regis, qui diceret: Domine rex, istum sacrilegum et contumacem verbis exsuperare non poteris, si sermonum ejus ambagibus tuæ clementiæ accommodaveris aures. Sed examina eum de præsumptionis suæ audacia, et opes patrimoniorum suorum, quas huc a Roma veniens attulit, magis exquire, ne, unde augmentari res publica debuit, minoretur. Audiens hæc rex Antiochus dixit ad B. Agapitum: Cujus rei causa huc advenisti? S. Agapitus respondit: Christus me misit prædicare et contestari omnes, qui vobis consentiunt, ut resipiscant a laqueo diaboli, et á doctrinis dæmoniorum, quibus eorum animas captivatis, et agant pœnitentiam super delictis suis confitendo Dominum Jesum Christum, ne eum ipso diabolo demergantur in profundum inferni. Antiochus dixit: Christus vester, cum ista superstitiosa et inania docere vellet, a gente sua comprehensus, patibulo crucis affixus interiit. Ad hæc B. Agapitus respondit: Obmutesce diabole, et noli hanc blasphemiam auribus meis inferre, quoniam mortem, quam ille pro uobis pertulit., vita nostra est, ac de ligno crucis exclusit mortem quam sibi homo deceptus a diabolo acquisivit: nam quod tu contumelias putas, redemptio fuit mundi, non pœna peccati. Antiochus dixit: Quæcumque blasphemo ore ingesserit, pœnæ acerrimæ ulciscentur. Dic tantum, antequam ad tormenta venias: Ubi sunt thesauri, quos distracto proprio patrimonio, huc attulisti? S. Agapitus respondit: Opes patrimonii mei, quas a me ardenti animo requiris, iu Christi mei thesauro repositæ servantur, ubi fures non appropiant, nec furantur.

6 Antiochus dixit: Video quidem annos tuos necdum ad maturam venisse ætatem, et ideo ista fabulosa et inutilia commenta argumentose astipularis; sed revoca animum tuum ad cousilium, et profutura tibi provide. S. Agapitus respondit: Tu provide tibi, miser, qui nescis aliam esse vitam, et tantum in præsenti et transitoria felicitate congaudes, quæ in tristitia inchoat, et in tristitia finitur, quam sequuntur æterna tormenta numquam finienda: nam cordis mei consilium in vera sapientia, quæ Christus est, a cunabulis fundatum consistit, ita ut nulla impugnatione malignorum spirituum concuti possit. Et ideo tortores vestros non timeo, quia quanto amplius contra me fuerint exagitati, eo magis Dei mei virtute exsuperati evanescunt. Antiochus dixit: Jam diu est, quod tuam insaniam blasphemantem patienter sustinui. Unde moneo te, ut eligas unum e duobus, quod tibi consultius esse perspexeris. Aut thesauros, quos absconditos apud te esse cognovimus, nobis ostende, et liber abscede; aut sacrifica diis immortalibus, ut quietæ vitæ cursu nobiscum perfrui possis, et inter amicos regios computari merearis. Exclamans ad hæc B. Agapitus, intrepido animo dixit: Insipiens et amens, thesauri, quos a me iniqua concupiscentia repetis, semel in thesauro Christi repositi sunt: cui semper intra pectoris mei immolo sacrificium laudis et vota digna redddere non desisto. Vos autem et dii vestri æternis eritis incendiis condemnandi. Sed audi me servum Dei, et ad consilium meum E revoca animum tuum, et age pœnitentiam de sanguine Sanctorum, quem effudisti, ut possis evadere æternam damnationem, qua omnes iniqui puniendi sunt.

7 Tum indignatus rex jussit ministris, ut cum plumbatis *f* et scorpionibus *g* cæderetur, ac super eum præconia voce clamarent: Sacrifica diis, quibus omnis humaua dignitas cervices suas inflectit. Sanctus vero Agapitus cum cæderetur, oravit ad Dominum et dixit: Gratias ago tibi, Domine pater Domini mei Jesu Christi, qui mihi intertorm enta præbes auxilium; peto, ut ope misericordiæ tuæ adjutus non deficiat fides mea, atque de his, qui mihi assistunt, mecum participare præmium martyrii mereantur. Eadem hora plus quam quingenti homines couversi ad Deum confitebantur Dominum Jesum Christum; qui statim in loco eodem capitalem sententiam susceperunt, atque cum palma martyrii ad syderea regna migrarunt. Jubet deinde rex Antiochus sanctum Dei Martyrem in horrifico carcere claudi, ac nullo eum consortio hominum confoveri, ut longo jejunio maceratus inedia corporis interiret. Sed cui lux fuerat terrena denegata, emissa super eum cælitus luce F gratissima, ergastulum carceris omne refulsit. Astansque ei juvenis quidam vultu decorus, quem flammeus illustrabat aspectus, confortavit eum et dixit: Viriliter age, Agapite: multas enim pro nomine meo sustinebis pressuras; sed uoli timere, quia divina adjutus virtute omnia superabis tormenta. Et his dictis, ab oculis ejus elapsus est. Tunc milites, qui custodiebant carcerem videntes tantum splendorem circa martyrem Christi; timore perculsi confitebantur Domiuum Jesum Christum dicentes; Vere magnus est Deus Christianorum, qui talia inter tormenta auxilia præstat famulis suis.

8 Audiens hæc Antiochus rex jussit adduci sanctum Dei Agapitum, cui et dixit: Quid tractasti circa salutem tuam, Agapite? S. Agapitus respoudit: Salus mea Christus est. Antiochus dixit: Depone pertinaciam tuam, et adora deos viventes, quos veros deos esse divinitas demonstravit: S. Agapitus dixit: Istos, quos tu dicis veros deos esse, idola sunt sine vita et sine sensu, qui nec loqui umquam potueruut nec sentire, nec de loco aliquo modo se movere: hos tu deos quo quo pacto asseras, nescio. Nam et litteræ vestræ homines

A. *κανονο.* — *e* — *et intrepide professus fuerit* — *fidem Christianam,* — *ad quam referendam invitatus,* — *tormenta,* *f* *g* — *blanditias,*

A. IGNOTO. homines illos fuisse astruunt, immanissimis sceleribus pollutos, atque homicidas et filiorum suorum comestores *h* eos fuisse commemorant. Tales tu si deos habere volueris, æternis et indeficientibus pœnis eris damnandus cum eis, ubi tibi nullus finis occurret.

et minas fortiter contemnit. 9 Tunc accessit quidam, qui præfecturam illo agebat in tempore, et dixit ad regem : Invictissime rex, cur istum contumacem et blasphematorem deorum non punis, qui vobis tormenta promisit æterna? Respiciens rex in B. Agapitum irato aspectu et ferinis obtutibus, dixit ad eum : Agapite, noli confidere in magicis artibus, quibus te Christiani imbuerunt, per quas tormenta vincere putas; sed nega Christum Deum esse, ut possis nobiscum non amittere gaudia vitæ. Nam, per deos, faciam te ad exemplum omnium viventium variis interfici tormentis. S. Agapitus respondit : Sicut potestas tua momentanea nihil habet perpetuum, ita et minæ tuæ ad nihilum rediguntur; fac, quod facturus es. Tunc jussit eum exspoliari et cathomis *i* cædi : deinde fecit eum in ligno fortiter tendi et cardis *k* ferreis totum corpus ejus dilacerari, clamantibus carnificibus : Immola diis. Beatus vero Agapitus cum esset in tormentis, orabat dicens : Adjutor meus esto, Domine, et ne derelinquas me in manibus inimicorum meorum, Deus meus. B

ANNOTATA.

a *Hic audis, sanctum Puerum in urbe Prænestina habitasse, cum interim alia Acta asserant, eum in fine martyrii sui dumtaxat ad eamdem urbem deductum fuisse, ut in Commentario prævio num.* 6 *monui.*

b *Si scriptor Actorum ex radice Græca per monasticam vel* monachiam *vitam intelligat solitariam, aliquo modo explicari potest; si autem velit, illam fuisse vitam monasticam stricte dictam, qualis postmodum exorta est, eruditi eum hallucinari judicabunt.*

c *Hic sanctus vir ad diem* 20 *Augusti in Martyrologio Romano memoratur his verbis :* Romæ beati Porphyrii hominis Dei, qui sanctum martyrem Agapitum erudivit in fide et doctrina Christi. *Suo loco dabuntur ea, quæ de illo sancti Martyris præceptore inveniri poterunt.* C

d *Oportet hunc scriptorem fuisse prorsus imperitum historiæ Romanæ, cum nemo Antiochus nominetur inter imperatores Romanos, qui nullum regem Romæ imperantem patiebantur. Forsan auctor hunc regem Antiochum commentus est ex Antiochiano, qui sub Aureliano imperatore consulatum vel præfecturam Urbis administravit, ut* § I *Commentarii prævii num.* 9 *et* 10 *dictum est.*

e Jovis *est antiquus nominativus pro* Jupiter.

f *Teste Antonio Gallonio in Opere de cruciatibus sanctorum Martyrum, quod Antverpiæ anno* 1668 *impressum est, cap.* 4 *pag.* 204 erant plumbatæ (ut sanctorum Martyrum res gestæ indicant et Prudentius, atque quædam picturæ, quæ hic Romæ invisuntur) quoddam flagelli genus ex funiculis aut loris factum, quorum summitatibus glandes plumbeæ alligabantur, quo postea terga ac collum damnati hominis verberabantur.

g Non solum lenibus virgis solebant antiqui suos delinquentes ac Christianos homines corripere, sed etiam nodosis atque aculeatis, quæ quidem proprio nomine SCORPIONES ab iisdem vocabantur, *ut laudatus Gallonius ibidem pag.* 200 *ex Isidoro probat.*

h *Hic alludit ad fabulam Saturni, qui filios suos devorasse dicitur.* D

i Cathomis, *id est, virgis cædi, ut Gallonius in proxime citato Opere pag.* 216 *et sequentibus fuse ostendit.*

k *Cardi sunt quasi ferrei pectines, quibus homines laniantur; ut in recuso Cangii Glossario ad vocem* cardo *et* cardus *etiam videre est.*

CAPUT II.

Diversa tyranni tentamina ad seducendum sanctum Martyrem, et variæ hujus responsiones.

Interea mandat Antiochus in foro civitatis tribunal sibi parari, et S. Agapitum ibidem præsentari. Cui et dixit : Sacrificas diis, an adhuc permanes in insania tua? S. Agapitus respondit : Ego semper sacrificium immaculatum offero Deo meo Domino Jesu Christo, qui mihi dedit corpus et animam : nam insania capitis tui non te permittit creatorem tuum agnoscere, qui colis idola surda et muta, et lapidi dicis; Tu me genuisti. Injuriatum se videns Antiochus, cum nimio furore præcepit sanctum Dei Martyrem duci ad templum Apollinis, et jussit, ut, si ei grata libamina non adoleret, acerrimis eum pœnis excruciarent. Cum autem duceretur beatissimus athleta Christi Agapitus, dicebat : Omnes dii gentium dæmonia, Deus autem cælos fecit. Et iterum : Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis. Audientes hæc, qui ducebant S. Agapitum, lapidibus tundebant arterias ejus, et totum corpus ejus cum cardis ferreis lacerantes reduxerunt eum ante tribunal regis Antiochi. *Tyrannus conatur S. Agapitum* E

11 Intuens autem rex B. Agapitum, dixit ad eum : Agapite, cur subvertis omnem populum, et seditiosis superstitionibus commovere eos non pertimescis, contra decreta principum agens? S. Agapitus respondit : Ex quo cœpisti loqui, non fuit sermo, qui non argueret in te stultum et mendacii reum inaniter oblatrantem. Religio etenim Christiana semper seditionem exhorruit, et concordiam pacis cunctis incorruptam prædicat custodire : seditio enim semper ab imperitis surrexit, et cum litigiosis et furiis deditis indesinenter ambulat. Antiochus dixit ad officium *a* : Amovete eum ad equuleum, et totum corpus ejus ungulis dissipate. Cumque hoc factum esset, introivit in regem sævissimus dæmon, et vexare eum cœpit diutissime, ita ut putaretur mori. Deinde resumpto spiritu recollegit se in palatium, mandans quæstionariis, ut Christi Dei martyrem ejus aspectibus præsentarent; quem cum esset intuitus rex, dixit ad eum : Vidisti, quomodo irati sunt mihi dii propter blasphemiam tuam? S. Agapitus respondit : Non est communicatio Christo ad Belial, luci ad tenebras, et ideo non potest nocere servis Dei aliqua læsio dæmonum, nisi fuerint vitiorum maculis implicati. In illis autem potestatem suam exercent, qui Deum nesciunt creatorem, et simulacris mutis et surdis suum exhibent famulatum. Et inde est; quod animas eorum lucris obtinent voluptuosis. Postquam *a professione fidei Christianæ absterrere,* F

A quam vero dæmones eorum animas lucrati fuerint, habent potestatem in eorum corporibus immittere varias infirmitates, sicut et in te hactenus dominati sunt, et dominabuntur in perpetuum. Sed cura, miser, pro te, dum tempus est pœnitendi, ne tunc incipias velle, cum non potueris. Tempus utique seminandi est modo; qui modo non fecerit congruos pœnitentiæ fructus, in illa vita, quæ huic vitæ succedit; metet luctus et gemitus cum dolore et tristitia, quæ numquam accipiet finem.

12 Antiochus dixit : Ex quo religio vestra vana *et ad cultum deorum cogere* et inutilis novam sectam disseminare exorta est, quæ sacras deorum cerimonias contemptui fecit haberi, ex eo Romanum imperium variis cladibus consumitur, et status reipublicæ minoratur. S. Agapitus respondit : Non est verum; nam si veterum historias recenscas, ibi invenies uno die, dum Jovi Olympio thura imponerentur, plusquam quingentas juvenum personas ad terras corruentes interiisse. Et, ut Trogi Pompeii *b* historia refert, Marti vana vota solventes trecenti viri ex flatu draconis una hora spiritum exhalaverunt. Ex quo B vero Christiana religio Deum verum cœpit colere, et ejus instituta venerari, totum per orbem terrarum pax Christi resultat, et hominum genus, quod per tot millia annorum a paradisi exulaverat sede, cælesti in patria reparatur. Sed si momentanea potestas vestra curat audire, quæ causa sit, quæ vos obstinato animo facit persequi Christianos, paucis exponam.

13 Antiochus dixit : Dic quid nosti. S. Agapitus respondit : *variis ratiunculis,* Ex quo divina miseratio Dei per ungenitum Filium suum perditum genus humanum de cælis visitare dignatus est; continuo diabolus per satellites suos movit seditionem in electos ejus, ne eos, quos reos tenebat diabolus per culpam, amittat per veniam, cum Christi nominis prædicationem acceperint. Quoniam sicut ventus vehemens movet mare, et fluctus ejus intumescunt, sic et diabolus excitat persecutionem per ministros suos adversus Sanctos Dei, ne credentes populi per eorum prædicationes aut per eorum exempla salvi fiant. Et ut ne hoc pertimescerent Sancti, per prophetas suos Dominus ante prædixit; unde et in psalmo canitur : Dominus regnavit, irascantur populi. Et alius vates canit : Misisti in mare equos tuos turbantes aquas multas, hoc est C cum Christus mittet prædicatores sanctos, qui vobis annuntient regnum Dei, irascimini et insanitis, nolentes recipere eorum doctrinam, ut habeat, unde vos diabolus reos ad tartara secum pertrahat semper arsuros.

14 Antiochus dixit : *quas Sanctus sapienter refellit.* Quocumque enim modo Christus vester ista prædixerit futura, vos tamen, et genus vestrum puniendi semper eritis, vel a propriis sedibus eliminandi, per quos omnis inolevit scandalorum conatus, quatenus principes et omnis populus perpetua et tranquilla pace quietis perfrui possint. Ad hæc S. Agapitus : Quod febrientes phrenetici fiunt, non est culpa medici; sed vitium est ægrotantis. Antiochus dixit : Ad cujus similitudinem hæc proposuisti contumax? S. Agapitus respondit : Ad vestram supervacuam et inanem gloriam hanc proposui rationem, qui nec Christi venerabile nomen recipitis, nec monitis Sanctorum ejus acquiescitis. Nam absurdum est Christo Domino culpam objicere, quod ægrotanti mundo subvenerit; sed magis vestro languori, ut ita dixerim, dolendum est, qui ne sanitatem recipiatis, ipsi medico injuriam irrogatis.

15 Erat itaque universus populus mirantes in doctrina B. Agapiti, videntes sapientiam Dei esse in illo. *A. uxorio. et quosdam ethnicos convertit,* Unde et confusus clamor populi personabat. Alii eum magum, et seductorem inclamabant; alii justum et sanctum profitebantur : factumque est, ut multi eorum Dominum Jesum Christum Deum verum confitentes baptizarentur. Dum hæc agerentur, expavit cor regis, et territus, ne dilaberetur populus ab eo (erat enim maxima pars credens in Jesum propter doctrinam B. Agapiti) tradidit eum præfecto cuidam, Amas *c* nomine. Ille vero simulans expeditionem, secessit ad tempus in partes Liguriæ, mandans ei, ut si idolis sacrificare nollet, mortuum eum sibi inter tormenta acerrima nuntiarent. Accepta autem hac potestate in Christi Martyrem præfectus (erat enim ex multo tempore sitiens necem ejus) sedens pro tribunali jubet eum sibi præsentari ac taliter eum affatus est : Dic pestifer, et insani capitis, usquequo perdurabis in tormentis et non sacrificas diis immortalibus, ut jussis principum obediens videaris? S. Agapitus respondit : Dic mihi, insipiens et morti destinate, quare non pertimescis iram æterni judicis incurrere, qui mihi contra legem Dei mei nefaria præcipis agere? Tunc E præfatus stimulis furoris sui exagitatus præcepit eum in carcere claudi, et jussit, ut nullus ad eum accedere auderet; sed famis penuria deficeret.

16 Post aliquot vero dies jussit educi de carcere fortissimum Athletam Christi præfectus Amas *minis tyranni spretis,* et dixit ei : Dic mihi, Agapite, cum needum ad perfectam ætatem hominum perveneris, unde in te est tam fortis sermo sapientiæ, ita ut miretur omnis populus, et obstupescat ad prudentiam responsionis tuæ? S. Agapitus respondit : Divino quidem oraculo prohibemur margaritas mittere ante porcos, et sanctum canibus dare; tamen quia tempus hoc flagitat, ut Christi operatio in suis discipulis fulgeat, tuis percunctationibus respondebo. Præfectus dixit : Dic. Sanctus Agapitus respondit : Christus Dominus Deus noster [mittens] discipulos suos, quos ante constitutionem mundi elegit, ad erudienda corda fidelium, qui credituri erant in nomine ejus, antequam ad Patrem suum in cælos sublevaretur; prædixit illis, quod multas passuri essent pressuras in mundo propter fidem nominis ejus, et ad reges et ad præsides deberent duci in testimonium propter F eum. Ait etiam illis : Cum stabitis ante reges et præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora divinitus, quid loqui debeatis. Et item : Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Post ascensionem vero suam ad Patrem in cælos, promissum Spiritum sanctum mittens super eos, replevit corda eorum inenarrabili sapientia, per quam docuerunt omnes gentes, credere in Deum Patrem ingenitum, et in Filium ejus unigenitum, et in Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio inseparabiliter, cujus sapientiæ doctrina effunditur usque hodie in his, qui meruerunt effici adoptionis filii. Ili autem cum pro nomine ejus persecutionem passi fuerint, dabitur eis divinitus, quid pro defensione loquantur. Præfectus dixit : Auditum est hoc apud nos; sed difficile credi potest; ideoque consultius feceris, si adquieveris monitis nostris, ut possis evadere tormenta horribilia, quæ te expectant. Nam ista omnia, quæ meditando longo circuitu ad nostra tribunalia attulisti, ut pœnas effugere valeas præparatas, nihil tibi proderunt, si sacrificia non libaveris potentissimis diis

A. IGNOTO. diis. S. Agapitus respondit : Deum meum colo, et illi soli servio, sicut divina sanxit auctoritas. Nam idola surda et muta et sine sensu, quæ mihi præcipis adorare, nec sibi, nec cultoribus suis aliquid utile possunt conferre.

et tormentis generose toleratis. 17 Audiens hæc impiissimus Amas, jussit prunas copiosas super caput ejus aspergi. Mox itaque virtute Spiritus sancti commotus est aër, et excitatus est ventus vehemens, qui arripuit ignem et incendit non paucos eorum, qui ignem ministrabant tam valide, ut pene usque ad favillam eorum consumpta corpora viderentur; Sanctum vero Dei in nullo penitus tetigit neque molestavit omnino. Videns autem præfectus, quod factum fuerat, ait ad suos : Quid est, quod video? S. Agapitus respondit : Si perpendas, iniquissime, ecce jam vindicor de apparitoribus tuis. Deinde nimiis accensus furiis Amas præfectus fecit eum exspoliari, et quinque ternionibus præcepit, ut fustibus cæsus versis pedibus supra densum fumum appenderetur.

ANNOTATA.

B

a Officium *hic sumitur pro ministris vel apparitoribus, ut in Glossario Cangii variis exemplis probatur.*

b *Hæc Trogi Pompeii historia non amplius invenitur ; sed Justinus historicus compendium illius nobis conservavit.*

c *Nullus hujus nominis inter præfectos urbis Romanæ reperitur.*

CAPUT III.

Mira Attali cornicularii conversio ad fidem Christianam, et ultimum S. Agapiti post varia irrita tormenta supplicium.

C

Quidam Attalus cornicularius, a b Exin evolutis aliquantis diebus, eum jam sanctus martyr putaretur esse defunctus, missus est Attalus *a* cornicularius *b*, ut videret, quid actum esset circa Virum Dei Agapitum. Qui veniens, invenit eum erectis ad cælum manibus stantem et psallentem sic : Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant a facie ejus, qui oderunt eum; sicut deficit fumus deficiant : sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei, et justi epulentur. Ego autem non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Angelus enim Domini descenderat ad eum, qui dirupit vincula pedum ejus, et confortans eum, abiit. Reversusque Attalus cornicularius renuntiavit præfecto, quæ gesta sunt. Tunc dixit ei præfectus : Et quid amplius super eo faciemus ? Attalus respondit : Permittant me amplitudo gloriæ vestræ, et suadam * ei, ut obediat jussionibus vestris. Dixit ei præfectus : si dicta factis adimpleas, magno te faciam censu remunerari, atque gloriosior efficieris in conspectu principum, quam fuisti. Itum itaque est ad S. Agapitum, sicut fuerat ordinatum, ac multis persuadere ei conabatur Attalus, ut, negato Christo, dæmoniis immolaret. Ille vero in fide Christi persistens immobilis, auditum non præbuit dictis; sed sprevit ac derisit eorum figmenta.

* id est suadebo

19 Persistens itaque Attalus, ut promissa compleret, talia ad eum monita proferebat : Quæ tibi erit remuneratio, quod tam obstinate sustines illata tibi tormenta, et contra natales tuos contumeliis dehonestaris indignis ? Cur amittis florem tuæ gratissimæ juventutis, et longo cruciatu vitam dulcissimam ponis? Fueram et ego quondam hac dementia captus, et accepi Christianæ fidei Sacramentum; sed elegi esse melius jocunditatem præsentis non amittere vitæ, quam intolerabilibus pœnis mergi in contumeliam mortis. Ad hæc S. Agapitus respondit : Recede a me, minister diaboli, mortiferæ persuasionis incentor, recede a me. Quid non audeas committere in servum Dei, qui in ipsum Dominum meum Jesum Christum non timuisti mittere manum. Vade retro satana cum patre tuo diabolo, qui confusus et perterritus a Domino meo, in profundum inferni demersus est. D *qui S. Agapitum a fide Christiana avertere tentaverat,*

ad eamdem convertitur, 20 Ad hanc responsionem confusus Attalus, reversus nuntiavit præfecto, quæ dicta sunt. Confitebatur interea Attalus dicens : Veraciter vidi mirabilia in servo Dei, quæ nulla hominum lingua sufficiat enarrare. Sunt enim angeli Dei cum eo, et protegunt eum inexpugnabilibus armis. Ideo maledicti sunt omnes a Domino, qui non credunt in Jesum Christum filium Dei, quem prædicat puer ejus Agapitus. Consternatus itaque animo præfectus dixit ad eum : Ut video, seductus es. Quid tibi deesse vidisti, ut famulatum invictissimorum deorum derelinqueres, et doctrinam morituri eligeres hominis, qui inter damnatitios puniendus est ? Intelligens post hæc Attalus accusationem de se mittere velle præfectum ad Antiochum regem, abiens recessit ab eo, et amplius non est eum secutus *c*. E

c et sanctus Martyr inter tormenta 21 Interea præfectus Amas fecit comprehendi S. Agapitum, et fecit ex aqua ferventi totum corpus ejus perfundi, clamantibus super eum ministris : Sacrifica diis. S. vero Dei Agapitus clamabat dicens : Deum verum adoro Dominum Jesum Christum, qui mihi de cælo auxilium præstat; per quem non sentio tormenta. Hoc tamen scire te convenit, miser, quia finis vitæ tuæ accceleravit, et cum diabolo ad inferna detraheris. Necdum sententia ex ore sancti Viri prodierat, et justo Dei judicio protinus ultio subsecuta est : nam subito semivivus de sella corruens, non post multum spiritum exhalavit vitæ. F

et leones illæsus persistens, 22 Quo audito, Antiochus rex præcepit S. Agapitum reduci Præneste ad templum Jovis, ut cogerent eum thura diis offerre. Qui dum noluisset jussis obtemperare, deduxerunt eum in amphitheatrum cum magno spectaculo populi, et dimiserunt super eum duos leones sævissimos, quorum erant oculi flammantes aspectusque terribiles. Qui dum ad medium ludi pervenissent, miserunt se ad pedes B. Agapiti, cum omni mansuetudine lingentes vestigia ejus, et tamdiu ante pedes ejus jacuerunt volutantes se, donec Vir sanctus eis præciperet, ut abirent ad caveas suas. Quod videntes populi acclamabant dicentes : Non est alius Deus in cælo et in terra, præter quem prædicat servus Dei Agapitus. Quibus S. Agapitus dixit : Credite in Dominum Jesum Christum, ut salventur animæ vestræ, et nolite consentire doctrinis dæmoniorum : præterit enim figura hujus mundi cum omnibus, quæ videntur in eo.

tandem capite plectitur. 23 Videns itaque Antiochus constantiam sancti Viri, quod facilius posset occidi, quam vinci, dictavit sententiam dicens : Agapitus blasphemus

A phemus deorum, et contra decreta principum agens, gladio capite puniatur. Tunc accedentes ministri, qui missi fuerant, tulerunt S. Agapitum de amphitheatro, et ducebant eum diversis suppliciis affligendum, et capite puniendum. Cum pervenissent autem carnifices ad locum, ubi Vir Dei erat decollandus, statuerunt eum inter duas columnas non longe a civitate Prænestina. Positis autem genibus, Martyr Christi orabat: Deus suscipe me. Finita oratione, occurrit ei spiculator, et uno ictu percussionis amputavit caput ejus. Venientes autem Christiani nocte cum hymnis et laudibus collegerunt corpus ejus, et cum debito honore posuerunt illud in sarcophago novo juxta civitatem milliario uno, ubi exuberant beneficia ejus usque in præsentem diem per virtutem Domini nostri Jesu Christi omnibus petentibus ea de corde puro, et fide non ficta. Passus est autem beatissimus Agapitus quintodecimo Kalendarum Septembrium, regnante Domino nostro Jesu Christo cum Deo Patre et Spiritu sancto per immensa secula seculorum. Amen.

B

ANNOTATA.

a *Ille in his Actis constanter* Attalus *vocatur; in aliis autem Actis, quæ omittimus, modo* Attalus, *modo* Anastasius *appellatur. Postea discutiendum erit, an sit iste idem cum eo, qui in Martyrologio Romano ad diem* 21 *Augusti sic refertur:* Salone, sancti Anastasii cornicularii, qui cum videret beatum Agapitum constanter tormenta perferentem, conversus est ad fidem, et pro confessione nominis Christi, jubente Aureliano imperatore, interemptus, martyr migravit ad Dominum.

b *Baronius ad præcedentem Martyrologii Romani annuntiationem notat, cornicularios fuisse nobiles ministros in castrensi et palatina militia, sic dictos a corniculo, quod gestabant. Cangius in Glossario suo ad vocem* cornicularius, *majorem hujus cognominis notitiam suppeditat.*

c *Cum hoc loco dicatur Attalus vel Anastasius iste alio discessisse, potuit postea Salone in Dalmatia martyrium subire, quod die* 21 *hujus mensis erit examinandum.*

C

ACTA ALIA

auctore anonymo

Ex Ms. Accincti monasterii in Burgundia, cujus apographum a Chifletio nostro accepimus.

Sub Aureliano imperatore

Tempore illo cum impiissimus imperator Aurelianus sævissimam persecutionem in toto Romano imperio *a* contra Christianos exerceret, agebat Romæ præfectoriam potestatem, præses quidam, nomine Antiochus *b*, pejor per omnia domino suo: erat autem in eadem *c* urbe puer venerabilis, nomine Agapitus, timens Deum: hic omnia renuntiavit, quæ ei de parentum suorum jure hæreditario venerant, et totum se Deo obtulit holocaustum. Qui cum esset quotidie in doctrina Christi, et non cessaret, ab ea, dixit ad hominem Dei, nomine Porphirium: Per coronam tuam, et per hæc, in quibus videmur esse, quod sumus, milites Christi, posco, ut non nos abscondamus a tyranni præsentia; sed magis ultroneos *d* offeramus nos, et dicamus: Præses pagane, quid quæris discipulos Christi; et quid tibi contrarios eos facere vis? Beatus quippe apostolus Paulus dixit: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, et si sitierit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Renuntiatum est vero a quodam pagano sacrilego præsidi verbum istud *e*. Tunc præses jussit Agapitum exhiberi, qui hoc loquutus fuerat; et dixit ad eum: Multum te video esse vesanum et verbosum, ut antequam interrogeris, ipse tibi videaris judicium dare. Agapitus respondit: Ego non sum vesanus, sed bene sanus, et in Deo omnipotente spem meam pono; quia ipse dicit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animæ autem nihil possunt facere. Ad hæc præses Antiochus dixit ad eum: Cujus filius es; aut ex quo genere descendisti; aut quem deum colis? Egregius puer respondit: Sum vere Christianus, et de genere nobili ortus, et in foro jus didici: deinde E parentes mei tradiderunt me in monasterio *f* et ibi eruditus sum veritate Christi: Deum unum colo, et illi soli servio, qui me creavit: ergo tu, qui inimicus Dei existis, si aliquid adversus nomen Christianæ legis desideras loqui, paratus sum respondere tibi.

quidam Antiochus præfectus Urbis

2 Præses dixit: Multum tibi jam non loquor, quia video te puerum inclytum esse, et doleo juventutem tuam: sed dico tibi, Agapite; Obedire te oportet, quæ moneo. Accede ergo, et sacrifica deo magno Jovi invictissimo, ne te quasi puerulum Christianum, et nobili familia generatum diversis pœnis faciam interire. Scio te dixisse: tormenta non timeo; ideo accede, et sacrifica; ne incidas in mortem. Miramur enim quare, cum sis infra quindecim annos positus; horribili Christianorum nece sis paratus mori. Agapitus respondit: Judex meus Christus est, qui omnium corda novit; ipse potens est me eripere a pœnis, quas promittis. Ergo, fili diaboli, exerce, quod promittis; quia me nullo modo divellere poteris a societate Christianæ plebis: Christum Deum colo, et ejus sacrificium esse F desidero. Antiochus dixit: Volo, ut dicas mihi, Agapite, unde tibi ista sapientia. Agapitus respondit: Christus sapientia Dei Patris mecum est, et ipse gubernat eloquia mea. Tunc jussit eum præses nervis crudis fortiter cædi. Venerabilis puer respondit ei: Insane tyranne, ut mihi videtur, non cædor, sed refrigeror: nam quomodo se pueri in aëre manibus ceduut; sic et ego deludor a ministris tuis. Tunc præses Antiochus tradidit eum cuidam tribuno, dicens: Nisi Agapitus hodie sacrificaverit, diversis pœnis eum interfice. Inter hæc minister diaboli, cœpit clamare coram militibus suis dicens: O Jovis, o Mercuri! quibus vacamus? Et quid faciemus, ut Agapitus quindecim annorum puer dicat, Non sentio, quod milites tui me cruciant? Et post hæc dixit suis: Tollite magum, et mittite in carcerem; nullusque ad eum accedat per quatuor dies; nou aqua aut aliquod edulium tribuatur ei, donec ibi deficiat.

S. Agapito juveni quindecim annorum,

3 Attalus autem cornicularius dixit ad præsidem: Quid tibi solicitudinem ingeris? Ego vadam ad eum, et faciam illi sacrificare. Tunc præses dixit ad eum: Per statum civitatis hujus et per virtutem magni Jovis, per virtutemque dominorum

A. Anonymo. minorum nostrorum, invictissimorum principum juro, quia si ei persuaseris, faciam te esse, quod sum. Ad hæc Attalus ivit ad Agapitum in carcerem, et dixit ei: Crede mihi, Agapite, et recede a stultitia tua, et sacrifica diis. Et ut quid tibi prodest in tormentis mori, et perdere florem gratissimæ juventutis tuæ? Ego autem, sicut tu es, ita eram Christianus; sed redii, et sacrificavi diis, et modo sum minister, et dominus, ut cernis. Gloriosus Agapitus ad hæc iratus, respondit: Tu mercatus es infernalia, et amisisti cælestia; et licet videas me positum infra ætatem puerilem, tamen numquam facies me ad tuam societatem venire. Recede a me, fili diaboli, apostata execrabilis: vade, adora idola surda, et muta, quæ sunt ab hominibus fabricata: ego autem sine intermissione adoro Deum verum et vivum, qui te, et patrem tuum sathanam projiciet in æternum incendium. Renuntia ergo præsidi, et scias, me pro certo a fide sanctæ et individuæ Trinitatis nullo modo minis, nec falsis promissionibus posse separari. Attalus cornicularius dixit: Licet tibi, Agapite, omnia mihi
B dicere; quia patienter sustineo te, cupiens animum tuum ad culturam deorum reducere. Et cum hæc diceret, misit præses, et jussit Agapitum de carcere exhiberi. Et dum adduceretur, missa est ante eum vox præconis, dicens: Agapitum, deos blasphemantem, novis et exquisitis tormentis cruciari oportet.

qui minas blanditiasque eius contemnens,

4 Cum itaque venissset Athleta Dei ante præsidem, dixit ad eum: Agapite, cogitasti esse amicus noster? Agonista fortissimus respondit: Noli tentare, tyranne, servum Jesu Christi, ne dum tentare volueris, tenteris a patre tuo diabolo, Ad hæc iratus præses, dixit ministris: Deferte prunas ardentes, et super caput ejus imponite. Qui jussa complentes, fecerunt, ut eis fuerat imperatum. Cum autem prunæ cœpissent super caput Sancti ardere, elevatis oculis in cælum dixit: Gloria tibi, Deus, qui regnas in secula seculorum, qui me fecisti probari, sicut aurum in fornace. Et statim post hæc psallere cœpit, ita dicens: Propter innocentiam meam suscepisti me, et confirmasti Servum in conspectu tuo in æternum. Iterum jussit præses flagellis
C cædi sanctum Martyrem. Sanctus vero Agapitus dixit Flammam vidi primum, et cruciatus sum; deinde flagellis cædor. Disce, miser, virtutem Christi, et paratum me invenies ad omnia tormenta toleranda: nam ministri sui potius refrigerium præstiterunt mihi, quam tormentum. Ad hæc insanus præses præcepit fieri fumum teterrimum, et nudum sanctum Martyrem capite deorsum suspendi: dixitque ad eum: Sapientia tua, et vanitas tua in fumo vincetur. Et cædentes eum quaterniones dicebant ei: Noli injuriam facere præsidi, et deos blasphemare. Ministri vero suspensum in patibulo dimiserunt. Tunc Antiochus jussit, ut nullus ad eum accederet, usque dum corpus ejus nuntiaretur a feris et avibus fuisse devoratum.

Christum constanter confessus fuerat,

5 Prædictus autem Attalus post quatuor dies ivit, ubi Sanctus suspensus fuerat, cupiens dicere præsidi, si adhuc viveret; et invenit eum super fumum deambulantem in veste candida, et psallentem ita: Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. Transivi per ignem et aquam, et eduxisti me, Deus, in refrigerium: angelus namque domini solverat eum, et ita sanum fecerat, quasi nullam plagam accepisset. Adhæc Attalus cornicularius stupefactus nuntiavit præsidi ea, quæ circa almum Martyrem completa viderat. Tunc præses nimio furore turbatus, dixit: D
Quid faciemus de eo? Attalus dixit: Ego credo, quia magnus est Deus Christianorum, et non est alius Deus, præter ipsum. Respondit præses: Sicut video, seductus es: dicam vero imperatori, te seductum esse. Attalus respondit: Libentissime cupio subire sententiam martyrii, qua sanctum et virum justum audio cruciari *g*. Audiens autem beatus Agapitus confessionem Attali g confestim manus et oculos in cælum levavit, oravitque Dominum Jesum Christum, dicens: Gratias tibi ago, omnipotens Deus, qui Attalum fraude diabolica deceptum et a societate Christianorum per meam passionem fecisti redire ad Dominum nostrum Jesum Christum. Præsta, mitissime Deus, ut per virtutem ipsius unici Filii tui valeam pœnas inimici vincere et ad æterna gaudia pervenire.

6 Audiens hæc præses, iratus est valde, et scidit vestimenta, sua, dicens: O dii immortales cur virtutes vestras non ostenditis adversus sacrilegum deos blasphemantem, imperatoria jussa spernentem? Ut quid non vindicatis injurias vestras de eo? Sanctus Agapitus dixit: Quid sic, præses, irasceris, pro injuria deorum tuorum? An E
nescis, quia sunt lapides, et sternuntur per plateas ad evadendum lutum? Tunc præses iracundia permotus dixit: o puerule, per ætatem talia non probasti. Unde tibi ista sapientia? Agapitus respondit: Deus meus, qui scit corda omnium, noscit quomodo credo ei corde puro, et ipsi totis viribus gratias ago, Deo vivo et vero, qui mihi istam sapientiam de divitiis suis præstare dignatus est. Antiochus dixit: Dic mihi quis est Deus tuus? Agapitus respondit: Magnus est Deus meus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, trinus in personis, et unus in essentia divinitatis. Ipse est admirabilis et virtute invictus, cui serviunt angeli et archangeli, qui fecit cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt; cui de terra in cælum suaviter psallitur; qui te cum omnibus tuis ad nihilum faciet devenire. Tunc iratus præses dixit militibus suis: Expoliate eum, et calidam aquam bullientem in ventrem ejus mittite. At illi jussa complentes, beato Martyri dixerunt: Noli quasi puer multum verbosus esse, et injurias præsidi facere. Ergo postquam talia fecissent F
milites, dixit ad eos homo Dei Agapitus: Quid est, fratres, quod calidam aquam misistis in ventrem meum? Ego namque non calidam aquam, sed frigidam sentio: quia Dominus meus, pro cujus amore tormenta ista patior, refrigerium mihi præstare dignatus est. Et post hæc præsidi inquit: o infelix! vel sic crede, quia tormenta tua nihil sunt.

varia tormenta inferri jubet,

7 Ad hæc minister dæmonum, jussit percutere maxillas ejus, dicens: Non scis ante quem stas, et indisciplinate loqueris? Respondit servus Dei Agapitus: Jam erubesco in faciem tuam sacrilegam respicere. Præses dixit: Verum dicis; quia adhuc te vivere permitto. Agapitus dixit: Audi, fili mortis, si cuncta tormenta, quæ sunt in terris, in me exercueris, habebo magnum patronum et advocatum Deum in cælis, qui me faciet vincere tormenta, quæ inferre conaris. Præses dixit ad eum: o Agapite, si credam, videbo Deum tuum? Venerabilis martyr respondit: Tace, profane, nominare Deum; quia pater tuus diabolus voluit tentare dominum nostrum Jesum Christum. Et dixit ad eum Dominus; Non tentabis Dominum Deum tuum; Vade retro sathana. Sic et tu, minister dæmonum, non tentabis

inter quæ sanctus Martyr illæsus perstitit,

A bis famulum Dei, ne et tu tenteris a patre tuo diabolo. Et cum hæc dixisset beatissimus Martyr, cecidit præses de tribunali suo. Tunc collegerunt eum ministri sui, et in lecto eum posuerunt. Postea præses dixit militibus suis: Currite; totus enim ardeo; subvenite mihi: nihil sunt enim dii nostri, quos sine causa colimus; sed Deus Agapiti magnus est et æternus: et quod injuste feci de puero ejus, illud juste recipio. Et cum hæc impius Antiochus dixisset, statim exspiravit.

eique frustra leonibus objecto

8 Videntes autem ministri ejus, quod factum est de suo præside, nunciaverunt imperatori. Tunc imperator Aurelianus præcepit sanctum Agapitum leonibus subjici. Statimque ministri ejus duxerunt sanctum Martyrem in civitatem Prænestinam *h*; et paraverunt amphitheatrum; et circumstante populo diversarum urbium, leonibus eum projecerunt. Qui cum venissent ad sanctum Martyrem, mox deposita feritate projecerunt se ante eum, lingentes pedes ejus. Videntes autem populi, admirati sunt, dicentes; Vere non est alius Deus, nisi quem Agapitus servus Dei confitetur.
B Et cum hæc populi dixissent, ait ad eos Vir Dei: Credite in Deum, carissimi fratres, ut salventur animæ vestræ; quia hæc omnia transitoria sunt, quæ cernitis in mundo. Vere itaque beati eritis, si credideritis in Deum vivum.

tandem jussu imperatoris caput amputatur.

9 Tunc ministri diaboli rapuerunt sanctum Agapitum de medio leonum; et duxerunt illum non longe a civitate, ut interficerent eum. Venientes autem contra civitatem, in loco, ubi sunt duæ columnæ, geuu posito in oratione, ibi eum gladio percusserunt sub die XV Kalend. Septembris. Tunc Christiani nocte venerunt, et tulerunt corpus ejus, et sepelierunt eum in agro, miliario a civitate uno, iu sarcophago novo, quod ibi invenerunt; dicentes, quia hunc Deus dignum sibi Martyrem elegit, ut per ipsum benediceretur in isto loco, ubi maxima superstitio paganorum erat. Videntes autem populi pagani mirabilia, quæ faciebat Dominus per famulum suum Agapitum, crediderunt in Dominum Jesum Christum, qui vivit, et regnat cum Deo Patre, et Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen *i*.

ANNOTATA.

a *Edictum generale adversus Christianos ante obitum Aureliani imperatoris ad ulteriores Romani imperii provincias non pervenit, ut* § I *Commentarii prævii num.* 7 *ex Lactantio vel Lucio Cecilio retulimus. Hinc eruditus lector statuat, qualem fidem mereatur hic scriptor Actorum asserens, quod ipse imperator Aurelianus sævissimam persecutionem* in toto Romano imperio *contra Christianos exercuerit.*

b *Antiochus in prioribus Actis rex, et in his præfectus urbis Romanæ appellatur. Sed post annum Christi* 272 *nullus Antiochus vel potius Antiochianus Urbi præfuit, quemadmodum in Commentario prævio* § I *num.* 10 *diximus, ita ut hæc persecutio ad ultimum annum Aureliani imperatoris differri non possit, si martyrium* S. Agapiti *sub Antiocho vel Antiochiano præfecto Urbis contigerit.*

c *Hæc referuntur ad Romam, de qua antea egerat; sed in Actis præcedentibus illa dicuntur contigisse in urbe Prænestina, ut num.* 6 *commentarii prævii observatum est.*

d *Si hæc ita facta sint, illustrissimus Suaresius* E *in Præneste sua antiqua part.* 2 *cap.* 3 *pag.* 120 *illam spontaneam oblationem ad martyrium peculiari sancti Spiritus instinctui recte adscribit.*

e *Hic dicitur intrepida illa fidei professio ad præsidem delata fuisse, cum in præcedentibus Actis narretur, quod* S. Agapitus *ultro tyrannum aggressus fuerit, ut alibi in Annotatis observavi.*

f *In præcedentibus Actis num.* 4 *pro* monasterio *legitur* sancta Ecclesia, *quæ prioris Vitæ expressio magis placet, nisi monasterium pro loco solitario tantum accipiatur*

g *Illa Attali cornicularii confessio hic ita describitur, acsi eodem tempore et loco martyrium subiisset, cum tamen in prioribus Actis dicatur alio discessisse, ut ibidem annotavimus.*

h *Vides,* S. Agapitum *hic primo in civitatem Prænestinam deduci, cum in aliis Actis memoretur ibi a pueritia habitasse.*

i *Hæc secunda* S. Agapiti *Acta sunt breviora prioribus; sed an his sint multo meliora, eruditus lector judicet.*

F

DE S. PROJECTITIO MARTYRE

BERGOMI IN ITALIA

SYLLOGE HISTORICA

J.P.

§ I. Natales, Diaconatus, tempus martyrii.

Seculo quarto ineunte. Exeutiuntur ea,

Etiamsi obscura vel incerta sint pleraque, quæ de hoc sancto Martyre scribunt auctores, nimis utique recentes, atque a rebus ejus gestis, quas memorant, tot seculorum intercapedine nimis remote distantes, quam ut easdem illustrare primæva luce, ac confirmare valeant testimoniis antiquis, et ad faciendam fidem historicam omnino accommodatis; visum tamen nobis est præcipua quædam capita ex ipsis depromere, ut syllogæ seu collectioni historicæ, quam exhibere meditamur, subservire possint. Marius Mutius in Sacra historia Bergomensi, et Bergomi anno 1621 *Italice edita, composuit Vitam prædicti Sancti pag.* 178 *et sequentibus, aitque pag.* 179 *eum* nobilissimum atque e præcipuis civitatis *Bergomensis exstitisse. Joannes Antonius Guarnerius in Commentariis de Vita et rebus gestis Sanctorum Bergomatum, (quos olim M. Antonius Benalius, immatura morte sublatus, imperfectos reliquerat) anno* 1584 *Bergomi excusis Latine,* apprime nobilem *vocat fol.* 75 *in Vita ipsius,* *quam dictis Commentariis intexuit. His adstipulatur F. Cœlestinus ex Ordine PP. Capucinorum in Historia quadripartita Bergomensi etc., anno* 1618 *Brixiæ vulgata idiomate Italico, parte* 2 *lib.* II, *qui est de* S. Projectitio, *dicens pag.* 2 ipsum

AUCTORE J. P.

ipsum natum fuisse Bergomi ex nobilibus progenitoribus. *Sed his repugnant lectiones propriæ, de quibus infra agetur pluribus : nam ibi* Projectitius Bergomi HONESTIS parentibus natus *dicitur ; et nec additur annus natalis, nec dies, nec cujus religionis fuerint parentes ejus, quamquam non obscure videantur indicare vocibus modo citatis, parentes illi obtigisse conditione mediocres, ac religione Christianos.*

quæ referunt neoterici de Sancti natalibus;

2 *At videamus, quænam de hisce punctis memoriæ prodita reliquerint auctores neoterici, quorum placita referimus, ut saltem ex iis norit lector, quidnam jam ab illis dictum sit, quando ex antiquioribus documentis in promptu nobis non est statuere, quidnam vere de memoratis punctis dici debeat. Cælestinus pag.* 2 *natales* S. Projectitii *innectit mensi Februario anni reparatæ salutis* 258, *addidque, ipsum parentibus gentilibus editum, atque in illa superstitione educatum; sed a S. Alexandro conversum fuisse, et citat Vineam Bergomensem ac Mutium. R. D. Bartholomæus de Peregrinis anno* 1553 *Latina lingua Brixiæ publicavit Sacram vineam Bergomensem, et parte prima cap.* 6 *hæc scribit* : Subsecutus est... alius vineæ custos, videlicet S. Lupus .. ex ipsius S. Alexandri miraculis ad Christi fidem conversus cum uxore sua Adleida... S. Grata cum socia sua Hæsteria; *quibus annumerat idem auctor sex cives Bergomenses, quos inter nominatur* Projectitius.

ac religione gentili an Christiana.

3 *S. Alexandri prædicationibus et miraculis sanctum Pugilem nostrum tanto cum animi ardore incubuisse in Christianam philosophiam indicat Mutius pag.* 179, *ut brevissimo tempore mirabilem inde ejusdem cognitionem acquisierit, ac lectioni peculiariter doctrinæque sanctorum Evangeliorum inventum, hausisse eum inde, tamquam et purissimis fontibus, regulas et præcepta ad bene beateque vivendum ac moriendum, pro seipso atque etiam pro aliis. Sed illa esse vera quid prohibet, etiamsi* S. Projectitius *numquam fuisset gentilis? Nec pro superstitione gentili, a qua Sanctus paullo ante dicebatur conversus, aliquid elicies e Guarnerio, sed contra non obscure is indicat, illum a puero Christianam religionem professum fuisse. Sic enim de eo scribit fol.* 75 : Egregia quadam, et præclara ingenii animique indole fuit. Quare exquisitis præceptoribus adhibitis, cum cæteris artibus, quæ libero dignæ sunt, exornatus est, tum maxime dicendi gloria præstitit. Ex Euangelii fonte, ad cujus studia se contulerat, hanc copiam creditur hausisse : idque hoc magis, quod sacrarum litterarum præsidio, religionis errore labentes, jam inde a puero ad veritatis lumen revocabat. *Ex dictis itaque magis propenderem in illam sententiam, quod* S. Projectitius *a gentilitatis superstitionibus ad Christianam fidem non accesserit, sed quod hanc hauserit a parentibus, et deinde apud alios propagarit.*

Fuisse legitur archidiaconus Bergomensis;

4 *Lectiones propriæ ita pergunt* : His initiis ad sacrarum litterarum studia se convertit, in quibus tantum profecit, ut brevi archidiaconus Bergomatis ecclesiæ ordinatus sit. *A. S. Materno Mediolanensium antistite diaconatu eum fuisse insignitum indicat Guarnerius fol.* 75 *verso, ac Mutius pag.* 180. *Diaconus itaque exstitisse fertur ecclesiæ Bergomensis, non vero episcopus : qualem vel hunc ipsum* Projectitium, *vel alium synonymum perperam facit Ughellus tomo* IV *Italiæ sacræ, Venetiis non ita pridem recusæ, col.* 412, *num.* VII; *ubi affirmat ista* : Projectitius, episcopus Bergomensis, interfuit synodo Mediolanensi celebratæ ab Eusebio archiepiscopo cum suis suffraganeis anno CDLI contra Eutychetem. *Sed Martinus Antonius Guerrinus vir Cl., cathedralis ecclesiæ Bergomensis canonicus, nec non sacræ theologiæ, et J. U. doctor, in Synopsi rerum et temporum laudatæ ecclesiæ, anno* 1734 *Bergomi secundis typis vulgata, et ab eo huc missa, Ughelli hallucinationem corrigit pag.* 17 *his verbis* : Iuseruit Ughellus mythologiam tom. IV num. VII, assignando successorem Stephano Projectitium episcopum, nobis et exteris inauditum, eumque narrat subscriptorem in Actis provincialis concilii Mediolanensis.

sed episcopus non fuit.

5 Quem errorem satis detegunt Acta ipsa sub S. Leone Pontifice, et Eusebio archiepiscopo, Labbei (*editionis*) Parisiensis tomo III, fol. 1320 *(immo columna* 1334 *et seqq.)* ubi suo se nomine signat Præstantius, præsul junior inter provinciales nostros Patres. Invenit forsan Ughellus in Peregrino part. I, cap. 7 et aliis, memorias S. Projectitii archidiaconi et martyris sæculi tertii, et ea appellatione abusus est inculpate, narrando eum successorem fuisse Stephani, cum fuerit vere celeberrimæ notæ Præstantius, aliquando dictus Præstius, subscriptor synodi Mediolanensis, obsequendo mandatis sanctissimi Leonis Papæ, et S. archipræsulis nostri Eusebii anno CDLI, et evincit epistola sanctissimi Pontificis apud Labbeum Parisiensis editionis fol. 1320 tom. III ad Marcianum augustum : juncta synodica archiepiscopi Eusebii ad divum Leonem ibi fol. 1334 contra Eutychetem hæresiarcham, ubi Bergomensis episcopus Præstantius subscripsit juxta convocationem, quæ legitur ibidem fol. 1486. *Hæc Guerrinus de lapsu Ughelli.*

Disseritur

6 *Nec porro satis sunt explorata et comperta, quæ auctores produnt de tempore, quo* S. Projectitius *martyrii palmam consecutus est. Guarnerius multis de dicto tempore ratiocinatur a fol.* 83 ; *e pluribus autem, quæ habet, delibo ista :* Anno a Christo nato CCCVII Diocletianus et Maximianus senecta jam invalidi, hic Mediolani, ille Nicomediæ deposito imperio, procul a rerum procuratione, et publicis negotiis vitam agere statuerunt. In eorum locum Constantius et Galerius eorum generi subrogati sunt. Hac re nuntiata, cum Ecclesia commodiorem in statum pervenisset, Christianisque quies data videretur, Projectitius in urbem reversus est, et a gratulantibus Bergomatibus exceptus eo majori cum gaudio, quo propius periculum rei fuerat. Is suscepto denuo pastorali munere, quæ violata erant expiare cœpit... contrahereque salutarem Eucharistiæ exercitationem, et statas preces, quæ res intermissa erat, restituere... Constantius mitis quidem erat... *Sed* quod per Maximianum summam imperii dignitatem se adeptum meminerat, et in maximi beneficii memoria se gratum præstare studebat, ejus arbitrio imperium gerere cœpit, et non modo Maximiani decretis adversari ausus non est; sed ipse statim in crudelitatem delabitur, eademque edicta, quæ a Maximiano promulgata fuerant contra Christianos, cum cæteris in locis, quæ ei obtigerant, tum Bergomi proponi jubet.

de tempore

7 Ministri... omnes suas cogitationes ad Constantii sensum et voluntatem accommodarunt, efferatique immanitate, ferme atrocius, quam imperatum erat, egerunt. Tum fœda in urbe trucidatio versata est : non senibus non mulieribus non pueris pepercerunt. Tandemque in S. Alexandri templum, ubi Projectitius ex superiori loco

AUCTORE J. P.

A co Christianorum cœtum præceptis euangelicis instituebat, impetum fecerunt. Ibi feroces, et animis tyrannicis inflati, summotis auditoribus, Projectitium minaciter appellant.. Satellitum manus in capillos involat : extra templum rapit.. jubetque sacrificare. Projectitius.. *idola* conspuitat, et manibus pedibusque prosternit atque obterit.. Is compluribus ictibus contusus.., et usque eo cæsus, ut inter verbera expiraverit, expetitamque martyrii palmam tulerit XVI Calen. Septemb. anno a Christo nato CCCVIII. *Hæc vero, quæ e longiore Guarnerii narratione sunt extracta, quot quantisque scatent erroribus! hoc autem sic probo.*

quo

8 *Nam primo : Diocletianus et Maximianus Herculius imperio se abdicarunt secundum exactiorem chronologiam, non anno Christi* 307, *sed anno* 305, *succedentibus eorum loco Constantio Chloro, et Galerio Maximiano, sicut pluribus hoc probatum videre licet apud Pagium in Critica Baroniana ad annum* 304 *num.* 2 *et* 6, *et ad annum* 305 *num.* 6 : *item apud auctorem Gallum neotericum in Historia imperatorum tomo* 4 *in* B *Diocletiano articulo* 22, *et in Constantino articulo* 5. *Secundo : Quomodo in Diocletiani et Maximiani locum subrogari potuere anno Christi* 307 *Constantius et Galerius, cum Constantius anno Christi* 306 *e vita excesserit? Consule laudatum Pagium ad hunc annum num.* 7, *et Historiam imperatorum, quam modo indicabam, in Constantino articulo* 7, *et in notatione* 9 *super eodem imperatore. Tertio : Quomodo proinde* S. Projectitius *sub Constantio martyrium conficere potuit anno Christi* 308? *Quarto : An in sani historici intelligentiam cadere possunt, quæ fabulatur Guarnerius de Constantii crudelitate? Imperator enim ille summa benevolentia Christianos complexus constanter fuit, prout conficitur ex iis, quæ occasione S. Helenæ, conjugis ejus, dicentur hac die XVIII Augusti, in Commentario prævio* § 5, *Teste Eusebio ibidem citando, ita ut unum verum Deum non coluerit dumtaxat, sed eorum etiam, qui plures deos colerent, impietatem condemnarit. En tibi pauca e pluribus, quæ postea ex Eusebio, quem Valesius edidit, proferentur :* Postquam *ait,* multa regiæ virtutis indicia diutissime præbuisset, unum quidem C omnium summum Deum agnoscens, eorum vero, qui plures deos colerent, impietatem condemnans, et sanctorum hominum precationibus domum suam undique munivisset, reliquum deinceps vitæ tempus expedite ac tranquille summa cum gloria exegisse dicitur.. Ad huuc igitur modum TOTO imperii sui tempore, quod æquabile perpetuo ac placidum fuit, universam familiam, conjugem scilicet ac liberos cum omnibus ministris, uni omnium regi Deo consecravit : adeo ut multitudo eorum, qui in ipsius palatio simul versabantur, nulla re ab Ecclesia Dei differret etc. *Numquid, lector, hæc belle cohærent cum systemate Guarnerii?*

S. Projectitius

9 *Præter hæc autem, quæ dedi ex Eusebio, in rem nostram multum conducunt, quæ idem historicus præmiserat lib.* 1, *cap.* 16 *de Vita Constantini, a pag* 415 : Soli Constantio sapiens quoddam consilium venit in mentem. Ac res quidem ipsa, quam gessit, mirabilis est auditu, factu tamen longe admirabilior. Palatinis omnibus, qui in ipsius aula militabant, ad ipsos usque judices in summis potestatibus constitutos, data eligendi, utrum mallent, facultate, hanc conditionem detulit, ut, siquidem dæmonibus sacrificassent, manere ipsis in palatio, et consuetis honoribus frui liceret : si vero id facere renuissent, ab ipsius aditu excluderentur, et ab ipsius notitia ac familiaritate remoti discederent. Cum ergo universi bifariam dirempti essent; aliusque in hanc, alius in illam partem discessisset; et uniuscujusque propositum ac sententia explorata fuisset : tunc eximius princeps consilium suum, quod hactenus latuerat, detegens, illorum quidem timiditatem ac nimium sui ipsorum amorem condemnavit : hos vero ob devotam divino numini conscientiam magnopere probavit. Ac deinde illos quidem tamquam Dei proditores, ne principis quidem obsequio dignos judicavit.

10 Nam quomodo, inquit, fidem erga principem suum servaturi sunt, qui erga Deum perfidi esse deprehenduntur? Itaque ejusmodi viros a regiis ædibus procul ablegandos esse censuit. Illos vero, quos Deo dignos esse veritatis ipsius testimonio constaret, eodem erga principem animo futuros esse affirmans, protectores atque imperii ipsius custodes constituit; ejusmodi homines inter præcipuos amicorum et maxime necessarios habendos esse dicens, multoque pluris æstimandos, quam maximarum opum thesauros. E *Sequitur itaque ex his præmissis, Guarnerium in pluribus hallucinatum esse in narratione martyrii* S. Projectitii. *Quid enim est in chronologia et historia cæcutire, si hoc non est?*

martyrium suum

11 *Hujusmodi quoque errorum commenta exhibet Mutius a pag.* 188. *Sacra Vinea Bergomensis parte* I *cap.* 7 *martyrium ejus etiam affigit* anno salutis CCCVIII; *hunc Cœlestinus etiam signat; sed illud sub Maxentio accidisse memorat, ut videre apud ipsum datur paginis* 13 *et et* 14 *Guerrinus in Synopsi ecclesiæ Bergomensis pag.*12 S. Projectitii *palmam alligat seculo tertio :* Huic, *ait,* tertio seculo non defuerunt plurimi ex ordine sacerdotali et clericali nostræ ecclesiæ martyres S. Projectitius archidiaconus mactatus furore edictorum superstitum cessioni imperii, vel rogo Maximiani Herculei. *Sed mactatio ista, hisce notis characteristicis vestita, pertinet ad secutum* IV, *Lectiones propriæ eam etiam ponunt post abdicatam a Diocletiano et Maximiano administrationem imperii; sed annum non determinant : qui cum adeo sit incertus nos superius alligavimus tempus martyrii seculo Christi quarto ineunti.* F

confecit.

§ II. Epitaphium, cultus publicus lectiones propriæ.

Inscriptio sepulcri,

Fideles *sanctum martyrem* apud corpus sanctæ Hesteriæ religiose sepelierunt, *prout perhibent lectiones propriæ. Consentiunt Guarnerius et Cœlestinus. Mutius pag.* 191 *eum in majore ecclesia S. Alexandri sepultum dicit. Eadem ecclesia sepulturæ illius assignatur in Sacra vinea Bergomensi parte* I *cap.* 7 : *sed neutro loco fit mentio de corpore vel sepulchro S. Hesteriæ, prope quod Martyr noster sepultus fuerit. Sepulchro autem ipsius incisa fuisse hæc verba, testatur Guarnerius :* HIC REQUIESCIT IN PACE B. M. PROJECTITIUS XVI. C. QUI VIXIT AN. I. M. VI. DP. SUB D. XX. KL. MAI IN D. XIV. VALERIO AUG. CON. *Epitaphium hoc auctor idem ita conatur explanare :* Nonnulla deesse suspicio est : ubi XVI. C. inscriptum est, vox SEP. desideratur : quo tempore martyrium subiit. Illud item VIXIT ANN. I. M.

AUCTORE J. P.

I. M. VI., vel tempus, quo archidiaconatum gessit, refert, vel si de ætate proditur, falsi aliquid subesse credendum est. Fortasse littera I., quæ quinquagenarium numerum significat, aut vetustate excsa, continenti hominum incessu attrita, formæ similitudine in litteram I immutata est. *Sic ille satagit reformare vel restituere qualecumque illud epitaphium.*

quæ vario modo

13 *Mutius in priore editione Bergomensi, quæ in lucem prodiit anno* 1610, *fol.* 152 *verso hanc inscriptionem etiam refert; sed in nonnullis a Guarneriana discrepantem. Etenim pro* B. M. *scribit* B. martir; *pro* qui vixit an. I, *signat,* qui vixit an. L; *pro* DP. *habet* D. P.; *pro* in D. XIIII *notat* in D. XIII. *Cœlestinus pag.* 16 *ex P. D. Joannis Chrysostomi Zanci libello quodam, ubi varia monumenta antiqua, inquit, collegit, epitaphium ab eo poni Guarneriano conforme asserit præterquam quod scribat* anuis; *item* L *cum Mutio, non autem* I, *et in ultimo numero tollat* X, *et relinquat* III, *et pro* con. *signet* constantio. *Verum laudatus Cœlestinus hisce non* B *acquiescens, diversam ab aliis viam init, hocque modo epitaphium illud exponi posse censet, et sic illud restituit:* HIC REQUIESCIT IN PACE BEATUS MARTYR PROJECTITIUS DECIMO SEXTO KALENDAS, QUI VIXIT ANNOS QUINQUAGINTA, MENSES SEX, DEPOSITUS SUB DIE DECIMA QUINTA KALENDAS MAIAS INDICTIONE QUARTA; secundum Zancum; DECIMA TERTIA, secundum Mutium: vel DECIMA QUARTA, secundum Guarnerium, VALERIO AUGUSTO CONSULIBUS, vel CONSTANTIO, secundum Zancum.

a scriptoribus exponitur,

14 *Deinde idem Cœlestinus hoc ratiocinio opinionem suam declarare conatur* : Si quasi in principio desit vox SEP., sicut dicit Guarnerius, ac præsupponit Mutius, et si Sanctus iste martyrio affectus fuerit (prout etiam ponit Vinea) die XVII Augusti, sepultusque fuerit die XVII Aprilis, sicut significant hæ voces, DEPOSITUS SUB DIE DECIMA QUINTA KALENDAS MAIAS, oportebit ineluctabiliter dicere cum per menses octo iusepultum fuisse. *Atque hinc porro comprobari asserit ecclesiarum uti et altarium, ac rerum sacrarum profanationem, nec non Fidelium carnificinam, a diabolicis ministris adversus Christianos exci-* C *tatam, ad quæ perpetranda mala apud Bergomenses unum diem plus quam suffecisse affirmat; atque ex his concludit pag.* 17, *in epitaphio non deesse vocem* Septembris, *sicut vellet Guarnerius; sed* XV Kalendas *referendum esse ad mensem supra memoratum* Maias, *atque adeo* S. Projectitium *die* XVI *Aprilis martyrii laurea coronatum, et die proxime sequenti* XVII *ejusdem mensis fuisse sepultum. Idem auctor hoc ratiocinio usus, mox sibi objicit, ab scriptoribus omnibus, qui agunt de hoc Martyre, utpote ab auctore Vineæ, Guarnerio ac Mutio, affigi ejus agonem diei* XVII *Augusti, et Officium de eo fieri in ecclesia Bergomensi isto die. Sed apposite respondet, ab Ecclesia non semper celebrari Sanctorum natalem eo die, quo e vita migrarunt; ast aliquando die consecrationis, si episcopi sint; aliquando die translationis vel apparitionis, vel dedicationis ecclesiæ, aut altaris honori eorum sacri. Ad hæc, scriptorum auctoritatem elevat ex eo, quod eodem fere tempore scripserint, unusque alium transcripserit. Argumentum etiam desumit pro se, quod Galesinius ab omnibus differat, Sancti hujus martyrium referens die* XXIII *Maii.*

15 *At quid de Indictione et consulibus?* Hæc, *inquit,* tunc non erat in usu; hi *vero* sunt falsi: *nam anno Christi* 308, *referente Cardinale Baronio inveniuntur in Fastis consules Diocletianus decimum, et Galerius Maximianus septimum : anno autem* 306 *occurrunt consules Constantius et Galerius Augusti; sed tunc martyrium hoc non accidisse addit. Deinde rediens ad Indictionem, recte ex eodem auctore observat, ejusdem initium non exstitisse ante annum* 312, *et tempus Constantini. Ex erronea itaque Indictione, et consulibus apocryphis, in epitaphio sæpe dicto inscriptis, sibi persuadet Cœlestinus pag.* 19, *illud tempore isto factum non fuisse, sed posteriore, et tunc fortasse, quando accidit translatio aliqua ; cum perspicuum sit, tam hujus, quam aliorum Sanctorum sepulturæ memoriam intercidisse. Hæc sunt, quæ ex Cœlestino huc transcribere visum nobis fuit : e quibus concludimus, epitaphium illud, adeo inter ejusdem interpretes vel defensores varium ac versatile, totque difficultatibus laborans, esse incerti temporis, certæ falsitatis, ac proin nullius auctoritatis, ut consequens sit, e tam vitioso instrumento nec annum martyrii confici posse, nec diem. Hunc* E *itaque nos cum Officio proprio Bergomensi, Ferrario, et Castellano relinquimus in sua possessione, quæ est pro die* XVIII *Augusti, etiamsi illum sufficienter probare non possimus. Prius vero quam hinc ad alia progrediamur, prætermittere nequimus, quin animadvertamus occasione consulum, quos paullo ante signabat anno* 308 *Cœlestinus e Baronio; alios tunc poni ab emunctæ naris chronologis, qui post Eminentissimum Baronium scripsere, videlicet* Maximianum Herculium X, et Maximianum Galerium VII. *Romæ autem* Maxentium Aug. et Romulum Cæsarem. *Adisis Pagium in Critica, Labbeum in Compendio chronologico, et Tillemontium tomo* 4 *Historiæ imperatorum in tabula chronologica, ad hunc omnes annum* 308.

tot laborat difficultatibus, ut nullius videatur esse auctoritatis.

Cultus publicus in recentioribus notatur:

16 *Reliquum est, ut, tractatis supra rebus S. Athletæ nostri incertis omnino et obscuris, ad certiora et clarioro procedamus. De publico imprimis ac legitimo ejus cultu certissime constat, etiamsi nomen ipsius non tantum non inveniamus inscriptum in vetustis et classicis martyrologiis ; sed etiam ne in Romano quidem, quo hodiedum utimur. Annuntiatur tamen annua Sancti* F *memoria apud Galesinium die* XXIII *Maii his verbis* : Bergomi sancti Projectii *(in notis ad eumdem diem scribitur* Projecti) diaconi, qui Diocletiani et Maximiani imperatorum jussu injuriosius a fidei adversariis tractatus, demum in exilium extruditur: *ubi nihil addi miror de ejusdem morte. Ad præsentem diem de illo agit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, vitam ac martyrium ejus summatim referens ex Officio ecclesiæ Bergomensis. Annua quoque sancti Martyris memoria hoc die signatur in Martyrologio universali, quod edidit Castellanus.*

qui confirmatur e Proprio Bergomensi:

17 *At publica Sancti veneratio maxime confirmatur ex Officiis propriis ecclesiæ Bergomensis, Romæ approbatis : in quorum exemplari, quod anno Christi* 1614 *Romæ ex typographia reverendæ Cameræ apostolicæ in lucem prodiit, die* XVIII *Augusti ponitur* In festo S. Projectitii mart. Officium duplex, *et sequens* ORATIO : Deus, qui tuorum es splendor Sanctorum, quique hunc diem beati Projectitii martyris memorabilem nobis fecisti, concede, ut ejus semper protegamur meritis, et instruamur exemplis. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Orationem hæ tres propriæ lectiones sequuntur :*

18 LECTIO

A 18 Lectio iv. Projectitius, Bergomi honestis parentibus natus, cum præclaram præ se ferret indolem, optimis præceptoribus traditus, liberalibus disciplinis est eruditus. His initiis ad sacrarum litterarum studia se convertit, in quibus tantum profecit, ut brevi archidiaconus Bergomatis ecclesiæ ordinatus sit. Quod munus ut strenue gereret, cum multi ad eum audiendum confluerent, suggestum marmoreum in ecclesia sancti Alexandri construxit, et domum adjacentem clericis, quibuscum viveret, ædificavit. Quare cum religio Christiana ejus prædicatione, ac numerus credentium in ea urbe indies magis augeretur; diaboli invidia factum est, ut missis imperatorum Diocletiani, et Maximiani adversus Christianos edictis, prædicationis cursus interrumpi, et fidei fervor tepescere videretur.

cujus lectiones propriæ de S. Projectitio hic dantur.

19 Lectio v. Cum autem magnus timor Bergomates invasisset, Projectitius privatim, et publice per domos, et vicos fideles confirmabat, et ad persecutiones perferendas incendebat. Cumque accepisset, Diocletianum, et Maximianum imperii administratione cessisse, Projectitius existimans B persecutionem quoque cessasse, ad pristinum suum prædicationis munus exercendum in urbem reversus est. Quod cum faceret e suggesto in ecclesia sancti Alexandri, repente gentilium in Christi cultores orta tempestate, injectis in capillos manibus Projectitium extra ecclesiam rapiunt, et ad sacrificandum idolis perducunt.

20 Lectio vi. At Projectitius impietate commotus in idola irruit, ea conspuit, ad terram dejicit, pedibus proterit, et omni contemptus genere execratur. Tum lictores, signo dato, fustibus eum, ac lapidibus obruunt; qui pluribus ictibus contusus velut mortuus prolapsus est; cum vero paulo post expergefactus se erexisset, et genibus nixus pro cædentium salute, et pro infidelibus persequentibus Dominum deprecaretur; rursus ab iis appetitur, et usque eo cæditur, donec spiritum in verberibus exhalarit decimoquinto Kalendas Septembris. Quem fideles apud corpus sanctæ Hesteriæ religiose sepelierunt. In tertio nocturno Homilia in Evangelium : Facta est contentio inter discipulos etc. De communi unius mart. *Sed in editione Bergomensi anno* 1707 *vulgata, rectius dicitur illa Homilia* haberi in festo S. Apol- C linaris xxiii Julii.

§ III. Mirabilis apparitio, inventio corporis, variæ ejusdem translationes; brevis quædam nonnullorum Sanctorum Bergomensium notitia; observationes de Vitis ac propriis lectionibus S. Projectitii.

Apparitio corporis,

B*artholomæus de Peregrinis in Vinea Bergomensi parte* i *cap.* 42 *inventionem ac translationem corporis* S. Projectitii *commemorat.* Robertus Bongus *(non* Longus, *uti perperam vocatur in editione Romana Ughelli tomo* 4 *col.* 678) *cathedræ Bergomensi præfuisse ab eo signatur* in.. anno salutis mccxc : quo in anno reperta, ac potius revelata fuere in æde cathdrali S. Alexandri, sacrata cadavera quatuor martyrum : videlicet Projectitii, et Jacobi, olim hujus ecclesiæ archidiaconorum, et Joannis, hujus nominis primi, episcopi, et Hesteriæ virginis : quæ ab ipso Roberto in præsentia totius cleri, et populi Bergomatis, in altari, noviter dicato, magna cum veneratione inclusa sunt die xxvi Aprilis. *In nostro tomo* iii *Julii, ad diem* xi *ejusdem mensis, pag.* 200 *et sequentibus dedi syllogen historicam de S. Joanne martyre et episcopo Bergomensi : in qua* § 3 *de hujus, atque aliorum Sanctorum, de quibus modo dicebam, inventione ac translatione actum est e codice Bergomensi.*

Auctore J. P.

et inventio,

22 *Juvat autem meminisse eorum, quæ de anno inventionis istius ac translationis ibidem tunc observabam : sunt vero ista :* Inventio,.. prædictorum corporum hic *(id est, in documento, ibidem a pag.* 204 *producto)* contigisse fertur anno mccxc; translatio vero anno sequenti : pro quo, tomo Maii, *quem ibi citavi,* scribitur mccxc : annum mccxci indicant notæ, hic sub finem translationis signatæ; *videlicet* dies Jovis, xxvi Aprilis, Pascha tum incidente in xxii *ejusdem mensis, prout tunc temporis indicabam. Notæ ergo omnes illæ chronologice cohærent. In fide itaque istius instrumenti vel dicendum est, inventionis annum non posse confundi cum anno translationis;* E *sed hanc esse illa posteriorem; vel dictum documentum de falsitate convinci debet : in cujus etiam contextu tempora ista expresse distinguuntur. Nam loco superius apud nos indicato pag.* 204 *leguntur ista :* Has reliquias omni cum diligentia, debitaque reverentia sublatas, in ejusdem sacræ ædis sacrario reposuerunt, quoad usque locus aptus construeretur, ubi honorabilius collocari possent. Delecto itaque loco, statutoque die transferendis Sanctorum corporibus, episcopus *etc. Mirabilis porro istorum Sanctorum apparitionis historia, nec non solennis corporum translatio eidem subjecta, legi potest apud nos pag.* 204 *allegata, quam hic proinde pro inserta habemus. Denique translationem hanc ita annuntiat Galesinius ad diem* xxvi *Aprilis :* Bergomi, translatio sanctorum martyrum Projecti et Jacobi.

ac translatio solennis non acciderunt eodem anno.

23 *Si vero hoc instrumentum viderint Bergomensium rerum scriptores, nescio, cur non exactius eidem se conformarint in notando distincte anno, quo sacræ hæ exuviæ sunt repertæ, in quo translatæ. Mutius in Historia Sanctorum Bergomensium, anno* 1610 *impressa, ad calcem Vitæ* S. Projectitii *fol.* 152 *verso, annum quidem ac diem mensis, quibus reperta sint corpora, notat; sed de translatione ibi nihil. In Vita autem* F *S. Joannis supra memorati fol.* 167 *refert, ea e loco apparitionis solenni ritu deposita fuisse ad latus dextrum altaris S. Alexandri, fabricato ibidem in illorum honorem sacello, idque accidisse anno* 1290, *die* xxvi *Aprilis; atque adeo annum apparitionis seu inventionis non secernit ab anno solennis translationis. Nec vero Cœlestinus pag.* 19 *hanc ab illa distinctis annorum characteribus discriminat : cui adde Guerrinum, qui pag.* 73 *confuse dicit, Roberti Bongi* tempore mirabiliter inventa.. sacra corpora, *de quibus hic agimus,* quæ celebri translatione fidelium venerationi exposuit idem Robertus

Corrigitur parachronismus in utraque Ughelli editione.

24 *Ex his itaque præmissis manifeste conficitur, corrigendam esse utramque Ughelli editionem in Italia sacra, quando in priore seu Romana tom.* 4 *col.* 707 *et* 708 *; in posteriore autem seu Veneta col.* 500, *occasione translationis alterius, de qua inferius erit sermo, scribuntur ista :* In ea *(ara, de qua ibi agitur)* divorum martyrum Projectitii, et Jacobi, ac Hesteriæ etiam martyris

AUCTORE J. P.

martyris et virginis, nec non Joannis episcopi reliquias anno Virginei partus 299 supra millesimum, a monumento, quod in medio templi fossum erat, fuisse religiose translatas, authenticis docetur scripturis. *Corrigenda, inquam, utraque Ughelli editio, quia translationem, a Roberto Bongo factam, scribit accidisse anno* 1299, *quando translator ille a septem jam annis obierat. In priore enim editione col.* 679, *in posteriore autem col.* 477, *signatur antistes ille Bergomensis anno* 1292 *e vita excessisse. Idem error occurril etiam in nostro Ms., quod de alia posteriore translatione asservamus, et quidem sine cyfris ita expressus,* auno Virgenci partus ducentesimo nonagesimo nono supra millesimum.

Translationes aliæ anno 1561,

25 *Posterior vero illa translatio accidit anno Christi* 1561, *Federico Cornelio Bergomensem cathedram tenente: cujus de hac re instrumentum exstat apud Ughellum Romanæ impressionis col.* 707 *et sequentibus; Venetæ autem a col.* 500, *quas modo citabam. Rei actæ synopsis habetur tomo* II *Augusti nostri pag.* 540 : *quam breviter item sic exhibet Guerrinus a pag.* 87 : Fredericus.. *pos-*
B *sessionem* adiit die I Julii ejusdem anni, *videlicet* 1561.. Statim initio insequentis Augusti deflere debuit una cum universis canonicorum et civium, ob pietatis devotionem, lacrymis dirutionem suæ cathedralis antiquæ S. Alexandri, quæ decreto Serenissimæ Reipublicæ, ob novam urbis munitionem, solo æquata fuit; ideoque ne cum lapidibus et cæmentis primarii venerandique templi memoria periret, cantata ibi ultima pontificali Missa, et instituta pro translatione corporis S. Alexandri, et aliorum Sanctorum, ad concathedralem S. Vincentii solemni supplicatione, instrumentum edidit. Ex hoc posteris plena et distincta status rerum, translationis sanctarum reliquiarum, et diruendi templi series, et imago provide servatur. Editum est hoc solemne documentum Kalend. Septembris anni MDLXI.. et opportune legitur impressum in Italia sacra Ughelli editionis Venetæ fol. 500, sublatis Romanæ impressionis palmaribus mendis. *Hæc clarissimus Guerrinus : qui utinam ibidem observasset et correxisset turpem illum et palmarem parachronismum, in Veneta editione relictum,*
C *et eum iis, quæ pag.* 73 *superius cilata auctor idem præmiserat, neutiquam cohærentem.*

et anno 1704; brevis quorumdam Sanctorum Bergom. notitia.

26 *Postrema denique translatio, quæ accidit anno Christi* 1704, *his verbis notatur in Officiis propriis Sanctorum Bergomensium, quæ excusa sunt anno* 1707, *pag.* 111 : Sacra Rituum Congregatio benigne indulsit, atque concessit, ut Officium translationis sanctorum corporum Alexandri, et sociorum Martyrum Bergomensium, hactenus die XIII Augusti de Communi sub ritu duplici recitatum, imposterum singulis annis die V Maii, qua translatio dictorum sanctorum Martyrum et sociorum anno proxime præterito MDCCIV in novam cathedralem completa fuit, eodem modo, et a quibus recitabatur, recitari possit et valeat. Die IV Aprilis MDCCV. G. Cardin. Carpineus etc. *Sanctus autem Alexander martyr, de quo toties jam mentio facta est, Bergomi colitur tamquam patronus principalis, ac ritu duplici primæ classis, die* XXVI *Augusti; de quo tunc no-*

bis erit agendum cum Martyrologio Romano. De D
S. Hesteria actum tomo II *Augusti, die* X *a pag.* 539 : *ubi pag.* 542 *in Annotatis ad ejusdem Sanctæ Acta, dicitur, tractatum iri de S. Grata, antea a nobis nominata, die* IV *Septembris. De SS. Lupo et Adleida consule diem* IX *Junii, pag.* 239 : *de S. Jacobo mart. die* IV *Maii pag.* 472. *Atque hæc quidem huic nostræ syllogæ addere visum est, ut, quando supra Sancti nonnulli Bergomenses ponuntur, habeat lector plus aliquid, quam sola eorum nomina. Nec vero quispiam hic exspectet Vitam* S. Projectitii : *antiquam enim et genuinam nec habemus, nec exstare novimus : eæ autem, quas suo marte et arbitratu composuere recentiores, debita auctoritate sunt destitutæ, sicut initio hujus sylloges indicatum est : ita ut earum loco subservituræ sint lectiones e Proprio Bergomensi, quæ et Actorum continent compendium, et superius a nobis in hunc finem recitatæ sunt.*

Observationes de Vitis S. Projectitii,

27 *Optandum vero prorsus esset, ut vel eruditis Bergomensibus, vel nobis præluxissel aliqua primorum ac genuinorum Actorum* S. Projectitii *notitia, vi cujus lectionum propriarum origo ac* E
pretium commendari a nobis ex voto posset. Sed non videmus, unde hoc sperari aut exspectari queat. Etenim nec Acta, nec lectiones propriæ circumferebantur apud Bergomenses diu ante seculum Christi decimum tertium pene absolutum. Atque hoc conficitur ex instrumento, superius indicato, de apparitione, inventione, ac translatione sanctorum quatuor Martyrum Bergomensium, quos inter est S. Projectitius : *in illo quippe ad rem nostram hæc narrantur :* Permanserunt autem præscriptorum Martyrum corpora in cathedrali ecclesia S. Alexandri Bergomi, per multos annos minus decenter latentia, ITA UT BERGOMEUS POPULUS SANCTOS ILLOS VIX SCIRET.. Cumque ibi LONGO TEMPORIS DECURSU SINE DEBITO CULTU aut reverentia stetissent *etc. Cum ergo Bergomensis civitas* Sanctos illos *tunc* vix sciret; *multo minus sciebat vel noverat, eorum Acta scripto vulgata apud se exstare : nam si hæc novisse, illos non novisse non poterat; proinde tunc apud Bergomenses etiam non exstabant lectiones propriæ, ex antiquis Actis depromptæ.*

ac lectionibus propriis.

28 *Si enim hæ exstitissent; neutiquam enimvero isti Martyres* ibi tam longo temporis decursu sine debito cultu aut reverentia stetissent *usque ad annum Christi* 1290, *quo revelati et cogniti* F
fuere. Itaque quia corpus S. Projectitii *diu ante hunc annum fuit sine cultu, immo pene sine notitia, et consequenter sine Officio ecclesiastico, sine Actis, Bergomensi populo tunc ignotis; quærere nobis liceat, an et quo e fonte antiquo biographi sua hauserint, quæ satis liberaliter de Vita ac martyrio ejusdem Sancti ad posteros transmisere seculo demum sexto decimo ac proxime sequente? Ad hæc, permittant nobis, eruditi Bergomenses sincere et aperte fateri, non esse nobis exploratum, unde lectiones propriæ desumptæ sint. Consuli possunt, quæ dicta sunt in fine Commentarii prævii Actis S. Hesteriæ pag.* 541. *Hæc sunt, quæ de* S. Projectitio *colligere atque huc transcribere nobis visum est.*

DE SS. JOANNE ET CRISPO

PRESBYTERIS ROMANIS

FORTE ET MARTYRIBUS

Ex Martyrologiis

J. B. S.

Sub Diocletiano. Martyres hi aliunde noti sunt,

De hisce duobus sanctis presbyteris frustra a me quæsita sunt, quæ dictis pridem in hodierna ad Usuardum observatione superadderem. Id verum est, non infrequentem in hoc Opere de iis mentionem accurrere, et porro occursuram, toties nempe, quoties de iis Martyribus actum est, aut porro agetur, quorum sepeliendis corporibus officiosissimam, ut est in Martyrologiis, operam contulisse leguntur. Sanctos varios ab ipsis sepultos, uti et cœmeteria, in quibus sepulti fuerint, enumerat Piazza in suo Diario sacro Romano hoc die, de quibus etiam, ut jam dixi, sermo est in Actis nostris. Neque iis modo diutius in pace quieverint, quemadmodum Martyrologia nostra satis indicare videntur. Neque vero aliunde, aut de aliis ipsorum gestis aut de martyrio edoceri potui hactenus, ut de solo cultu fere hic loquendum supersit.

et signantur in Martyrologiis.

2 *Primus, quod sciam, de ipsis meminit auctor Romani parvi hac simplicissima annuntiatione:* Romæ, Joannis et Cripsi presbyterorum. *Inde eos acceptos brevi hoc elogio ornavit Ado :* Eodem die Romæ in sexto Philippi *(vide citatum Usuardum)* natalis beatorum presbyterorum Joannis et Crispi, qui [in] persecutione Diocletiani et Maximiani multa Sanctorum corpora officiosissime sepelierunt. Quorum meritis et ipsi postmodum sociati gaudia vitæ meruerunt. *Hæc ab Usuardo descripta sunt, recte omisso* sexto Philippi *et* Maximiani *nomine, quo modo etiam commemorantur in antiquo Bellini, et hodierno Romano, addita sola voce* æternæ *vitæ. Clarius paulo, nescio an verius, loquitur Beda Plantinianus his verbis :* Romæ, beatorum Joannis et Crispi presbyterorum, qui multa corpora Sanctorum in persecutione officiosissime sepelierunt, et ipsi postmodum in pace quieverunt.

Quæritur, an fuerint

3 *Recentiores Maurolycum, Galesinium, Ghinium aut alios non enumero. Observanda hic postrema Bedæ verba, quæ sane martyrium satis aperte excludunt. Neque vero Vetus illud Romanum, neque Ado aut Usuardus illud asserunt : nam* meritis sociari, *nihil minus significat, quam eodem genere mortis occumbere; nec aliud innuere videntur, quam quod* Joannis *et* Crispus *Martyres sepeliendo meritorum ipsorum participes facti sint,* gaudia vitæ æternæ *ea ratione promerendo. Nec satis video, Baronium in iis, quæ in Annalibus ad annum* 302, *num.* 116 *scribit, ipsos etiam passos esse, perspicue indicare. Sic habet :* Ex eodem quoque Romano clero Joannes et Crispus ordine presbyteratus insignes, cum in eadem persecutione, multorum Martyrum corpora religiose sepulturæ mandassent, et ipsi quoque eorum sunt meritis sociati; quorum memoria consignata certa· ipsorum die natali in Ecclesia est insignis.

martyrii palmam consecuti :

4 *Hæc dicta sint, ut pateat cur in titulo addiderim particulam* forte, *nimirum quod de illorum martyrio non omnino constaret, quamvis de cetero magis incliner, ut eam palmam eos consecutos existimem, quam ipsis diserte tribuunt Petrus de Natalibus et Ferrarius, nescio tamen qua fulti auctoritate. Audiamus Equilinum episcopum lib.* 7 *cap.* 75 : Joannes et Crispus presbyteri Romæ passi sunt sub Diocletiano augusto. Qui cum inundante persecutione ipsius imperatoris, multa Sanctorum corpora officiosissime sepelissent, et ipsi ab imperatore tenti, gladioque in Christi confessione cæsi, eorumdem Martyrum meritis et ipsi sociati, gaudia vitæ meruerunt xv Kalend. Septembris, ut dicit Ado. *Non minus expresse Ferrarius :* Quapropter jussu Diocletiani comprehensi, cum fortes in Christi confessione permanerent, ad palmam martyrii pervenientes, consortes eorum, quos sepelierunt, facti sunt xv Kal. Septembris.

ubi item sepulta eorum corpora, ac publicæ venerationi exposita.

5 *Habes hic quæ de cultu et martyrio dici potuere : quæri modo potest, ubi Sancti sepulti fuerint, aut eorum reliquiæ venerationi expositæ. Ad primum, recte notat Ferrarius, id nec in Adone nec in Usuardo exprimi. Inter chartas nostras invenio imagines binas diversæ magnitudinis, a PP. nostris Pragensibus vulgatas, quibus repræsentatur* S. Crispus *alba et stola indutus inter varia Martyrum corpora, notaturque inferius, sacrum ejus corpus Roma Pragram delatum anno* 1637, *donatumque ecclesiæ Domus professæ ibidem, ubi religiose colitur. Sitne porro ejusdemmet* S. Crispi, *de quo hic loquimur, non habeo unde tuto queam statuere ; id certe expressum invenio, a celebri nostro P. Nicolao Lancicio acceptum Romæ ex cœmeterio Callisti, seu S. Sebastiani, in quo ambos Sanctos sepultos fuisse asserit laudatus supra a nobis Bartholomæus Piazza in sacro suo Diario Romano.*



DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

PONTEMO, PILENTIA, TATIANA ET MARCIANA

HELIANA ET LAUTIA SEU LAUCIANA

J. B. S.

Amaseæ in Ponto.

XVIII Aug.

Sintne hi omnes eodem die et loco pro Christo interfecti, haud satis compertum est: simul referuntur in codicibus Hieronymianis apud Florentinium; in cujus Martyrologii exemplaribus nonnulla occurrit diversitas in expressione loci et nominum. Vetustimissi Epternacensis verba sunt: In Ponto, Pontemi, Pilentiæ, Tatianæ et Martianæ virginum, Helianæ et Lautiæ, *vel, ut in Corbeiensi,* Laucianæ; *ubi et locus exprimitur:* In Ponto Amaciæ civitate, *in textu Florentinii,* Amisiæ, *de qua ibi pluribus, quæ certe rem non* B *expediunt, nisi substituatur* Amasea, *prout in titulo expressa est. Frustra ex aliis, quæ contracta dicimus, lucis quidpiam quæsieris, cum ipsa magis corrupta sint. De cetero, quid, quo tempore, et a quo tyranno passi sint, non est unde vel eminus conjicias. De* Massa Candida, *quæ hoc ipso die in Hieronymianis sequitur, agetur cum Romano ad diem hujus mensis* XXIV; *ubi etiam examinabitur, utrum ejusdem Massæ partem faciant alia, quæ ibi sequuntur, nomina* Disciæ vel Dissei, Amaciæ, Potomi, Martyrii, Agapiti, et Ziaci cum sociis eorum. E

DE SS. LEONE ET JULIANA MARTT.

J. P.

MYRÆ IN LYCIA

Die XVIII Augusti. *Habentur in Fastis Græcis, ac Martyrologio Romano.*

De publico horum Sanctorum cultu certiores quidem reddimur e Græcis Latinisque Fastis; sed non eodem ubique modo in iis annuntiantur. Menologium enim Sirteti his verbis eos refert: Eodem die (XVIII *Augusti)* certamen sanctorum martyrum Julianæ et Leonis: qui passus est apud mare prope Myram urbem Lyciæ. *In nostro apographo e Menæo Chiffletii lego ista:* Ἰουλιανῆς μ. καὶ Λέοντος ἀσκητοῦ. Julianæ martyris, et Leonis ascetæ. *Menæa magna hæc memorant:* Memoria sanctæ martyris Julianæ, ad Strobylum, (πλησίον τοῦ Στροβύλου) et sancti martyris Leonis, qui passus est ad mare (*Mediterraneum*) prope Myram Lyciæ. *Quibus adde Martyrologium Romanum:* Myræ in Lycia, sanctorum martyrum Leonis et Julianæ. *Qui sive ad hunc diem, sive ad alium spectent, quo martyres synonymi habeantur in sacris Fastis, proprius est hic eos signandi locus, quo notantur in Martyrologio Romano. Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 149 *meminit de hodierna* Juliana *ex Menæis ad hanc diem* XVIII *Augusti.*

C F

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

HERMA, SERAPIONE ET POLYÆNO

J. P.

Sylloge de cultu ac martyrio.

Die XVIII Augusti. *Annuntiantur*

Quandoquidem isti Martyres inscribuntur Fastis Græcis ac Latinis, annuntiationes ex utrisque depromptas bifariam dividemus, ac primo signabimus Græcos. Menæa magna excusa hoc die ita illos memorant: Μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἑρμοῦ, Σεραπίωνος καὶ Πολυαίνου. *Id est:* Memoria sanctorum martyrum Hermæ, Seraponis et Polyæni. *Binis deinde singulos versibus honorant. Qui* Hermæ *accinuntur, ita sonant:*

Ἑρμῷ βιαίως καὶ πετραις συρομένῳ.
Ὑπῆρξε πέτρα προσφυγὴ λαγῷ πόλος.
Raptatus Hermas per petras vi dum fuit;
Petra refugium herinaceo cælum exstitit.

Duo autem versus sequentes aptantur S. Serapioni:

Τὸν ἐκ πέτρας πάνδεινον ἑλκυσμὸν φέρει
Καὶ Σεραπίων, ὁ πλέον στερρὸς πέτρας.
E rupe tractus barbaram ubi subis necem,
Te fortiorem rupe, Serapion, probas.

Supersunt duo hi postremi in laudem S. Polyæni:

Ὁ Πολύαινος αἷμα χεῖ συρεὶς πέτρας
Ὑπὲρ Χριστοῦ χέαντος ἐκ πέτρας ὕδωρ.
Petra lacer, Polyæne, fundis sanguinem
Pro Christo, aquam qui de petra fudit, tuum.

2 *In primo disticho alludit poëta ad illud Psalmi* 103 ℣. 18 Petra refugium herinaceis. *Quod in Veteri Testamento Græco-Latino secundum Septuaginta interpretes ex auctoritate Sixti PP. V. edito, tomo* 2 *impressionis Parisinæ anni* 1628 *eodem modo Latine effertur; sed in textu Græco pag.* 130 Martyres

A *pag.* 130 *est* : Πέτρα καταφυγὴ τοῖς χοιρογρυλλίοις. *Et ad vocem* herinaccis, τοῖς χοιρογρυλλίοις, *notantur hæc pag.* 132 : Quomodo omnes interpretes transtulisse testatur ad Suniam sanctus Hieronymus, præter LXX, qui dixerint λαγωοῖς, LEPORIBUS ; quod etiam iu multis codicibus. S. Augustinus, et vetus, habent utrumque : Petra refugium hericiis et leporibus. *Distichon, quod secundo loco dedimus, non indiget explanatione. Quod vero dicitur in tertio disticho de Christo,* aquam qui de petra fudit, *vel intellige de Christo qua Deo, et secundum illud Psalmi* 77 ẏ. 16 : Et eduxit aquam de petra. ẏ. 20 *ibidem* : Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ : *vel intellige etiam de Christo qua homine : nam cum petra esset, secundum illud* I *ad Corinthios* 10 ẏ. 4 Petra autem erat Christus : *nec non* I *Petri* 2 ẏ. 8 : Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et PETRA scandali ; *aqua ex hac petra, id est, e sacratissimo Christi latere exivit, uti est apud Joannem cap.* 19 ẏ. 34 : Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

B 3 *Menologium Sirleti Martyres etiam nostros signat et laudat his verbis* : Eodem die (XVIII *Augusti)* commemoratio sanctorum martyrum Hermæ, Serapionis, et Polyæni, qui fuerunt ex urbe Roma, et delati quod Christum colerent, idola vero execrarentur, præsidi Romæ oblati, et Christum ipsum libere confessi, primum in tenebricoso et graveolenti carcere conclusi, atque illinc educti et idolis immolare non passi, per angustissima, difficilia et petrosa loca pertracti, interea Deo ipsi animas commendarunt. *Quibus suffragantur Menæa magna typis vulgata. Imperfectam annuntiationem invenio eadem die in nostro apographo Menæi Chiffletiani* : Σεραπίωνος καὶ... Serapionis et... *Exemplar nostrum Græcum e codice bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi transcriptum in hoc est singulare, quo die* XIX *hujus illos notet. Hæc enim habet* : Μηνὶ Αὐγούστῳ ιθʹ τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἑρμοῦ, Σεραπίωνος καὶ Πολυαίνου. *Elogium autem seu compendium, quod ibi subditur, martyrii fere coincidit cum Sirletiano ac Menæis impressis, et sic memorat* :

In Fastis Græcis.

C 4 Οὗτοι οἱ ἅγιοι Μάρτυρες γεγόνασιν ἐν Ῥώμῃ· διαβάλλονται δὲ ὑπὸ τῶν ἀπίστων ὡς Χριστιανοί. Συλληφθέντες οὖν ὑπὸ στρατιωτῶν, παρέστησαν τῷ ἐπάρχῳ τῆς Ῥώμης, καὶ ἐρωτηθέντες, ὡμολόγησαν ἑαυτοὺς Χριστιανοὺς καὶ δούλους Χριστοῦ. Διὸ προσάσσονται ὑπὸ τοῦ ἐπάρχου βληθῆναι ἐν φυλακῇ σκοτεινῇ καὶ δυσώδει. Καθειρχθέντων δὲ αὐτῶν, ὕμνουν τὸν Θεὸν καὶ εὐλόγουν, ἀγαλλιώμενοι ἐν τῇ αὐτῶν ὁμολογίᾳ. Μετὰ δὲ τοῦτο ἐκβληθέντες τῆς φυλακῆς παρέστησαν τῷ ἐπάρχῳ· ἀναγκασθέντες δὲ ὑπὸ αὐτοῦ θῦσαι τοῖς εἰδώλοις, οὐκ εἶξαν, οὐδὲ ἐκάμφθησαν τὸν νοῦν, τοῖς προσοχθίσμασι τῶν ἐθνῶν προσκυνῆσαι. Ἀλλὰ τρανέστατα τὴν πίστιν τὴν εἰς πατέρα, καὶ Υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα ἐκήρυξαν, καταρώμενοι τὰ εἴδωλα καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτά. Τότε ἐκέλευσεν ὁ ἔπαρχος συρῆναι αὐτοὺς ἐν τραχέσι καὶ πετρώδεσι τόποις· οἵτινες ἐν τῷ σύρεσθαι ἐτελειώθησαν, πληρώσαντες τὴν καλὴν αὐτῶν ὁμολογίαν. Τὰ δὲ λείψανα αὐτῶν ἄνδρες εὐλαβεῖς ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ ἐν τιμῇ πρεπούσῃ κατέθεντο· ὧν ταῖς εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις, Κύριε ὁ Θεός, σῶσον ἡμᾶς, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος. ὅτι εὐλογητὸς ὑπάρχεις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Martyrii compendium

5 Sancti Martyres hi Romæ sunt nati. Deferuntur autem ab infidelibus, quod Christiani sint. A militibus ergo comprehensi sistuntur præsidi Romæ, et interrogati, Christianos se ac Christi servos esse confessi sunt. Quamobrem in tenebrosum ac fœtentem carcerem detrudi jubentur a præside : in quo inclusi Deum laudabant ac benedicebant, in sua confessione exultantes. Deinde a custodia ejecti comparuere coram præside : quo dum cogerentur sacrificare idolis, non consenserunt, neque inflexus eorum est animus ad simulacra gentilium adoranda. Verum manifestissime fidem prædicarunt, quæ est in Patrem et Filium et Spiritum E sanctum, execrantes idola eorumque cultores. Tunc præses jussit illos raptari per aspera et petrosa loca. Qui inter raptandum mortui, egregiam suam complevere confessionem. Viri autem religiosi in loco insigni deposuere decenti cum honore illorum corpora : quorum orationibus ac intercessionibus Domine Deus salva nos, qui utique bonus ac benignus es ; quia benedictus es in secula seculorum. Amen. *Codex vero ille, e quo hæc sunt deprompta, pluribus indicatus a nobis est die* VIII *Augusti, tomo* II *ejusdem mensis, pag.* 344, *num.* 8 *et* 9. *Consuli etiam potest Lambecius lib.* 8 *Commentariorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi pag.* 201. *Hæc sunt, quæ notanda duximus ex hagiologis Græcis ; e Latinis vero ista.*

e Græco hic Latine redditum.

6 *Habet eos Galesinius hoc die, quo item Martyrologium Romanum publico per Ecclesiam universam cultu honorandos præscribit, annuam illorum memoriam ita annuntians* : Ibidem *(Romæ videlicet)* sanctorum martyrum Hermæ, Serapionis, et Polyæni, qui per augusta, saxosa et aspera loca raptati, animas Deo reddiderunt. F *Quo tempore, quove sub imperatore aut præside martyrium consummarint, incompertum nobis est. Ferrarius eodem etiam die illos intexuit Catalogo Sanctorum Italiæ, addens in annotatione*: Græcorum monumenta circa horum Martyrum passionem Henricus Canisius tomo 2 Antiquarum lectionum refert ; sed nulla in iis de tempore, neque de imperatore, sub quo passi sunt, habetur mentio.

Cultus in Martyrologio Romano etc.



DE

A D

DE SANCTA HELENA

VIDUA IMPERATRICE

MAGNI CONSTANTINI MATRE

ROMÆ

J P

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Nomen, annus ac locus natalis.

Anno circiter cccviii. Triplex Sanctæ nomen; natalis, et locus.

Magna hæc fortisque Mulier cum propriis tum Constantini Magni, filii sui, meritis ac virtutibus adeo claruit, ut nominis sui splendorem quaquaversum diffuderit per orbem terrarum, uti perspicuum fiet per decursum hujus nostri Commentarii. Et primo quidem ad nomen B Sanctæ nostræ quod attinet; non unum ipsi inditum fuisse, indicio sunt nummi, quos exhibet Cangius inter familias augustas Byzantinas pag. 41; pro eadem etiam re citatum invenio Thesaurum rei antiquariæ quem Goltzius in lucem dedit, pag. 125. Appellata igitur est* Flavia, Julia, Helena. *Quæ inferius § II afferentur de morte ejus, fundamentum præbent innectendi natales ejus anno Christi circiter 248. At de natalium loco major est controversia, auctorum judiciis in varias sententias distractis. Sunt enim qui eam Britannam velint; alii Trevirensem; Drepanensem in Bithynia alii fuisse prædicant; alii aliam. Hoc argumentum pluribus pertractat Usserius in Britannicarum ecclesiarum primordiis cap. 8; quæ omnia huc transcribere, tam est longum, quam minime necessarium.*

Angli

2 *Noster Alfordus librum edidit hoc titulo :* Britannia illustrata, sive Lucii, Helenæ, Constantini patria et fides : *ubi consuli possunt, quæ pro Britannia congerit. Cum autem post illud* C *opus Laudati auctoris, in lucem prodierint ejusdem Annales ecclesiastici Britannorum etc., ex his proponere visum est, ubi et cur* S. Helena *primam hausisse lucem dicatur apud Britannos.* Nascitur, *inquit ad annum Christi* 247, *num.* 2, Helena e patre Coëlo, quem supra dixi virum principem in Trinobantum, Regnorum et Icenorum provinciis. An apud Regnos vel potius apud Trinobantes nata sit, quæstio esse potest (de qua infra ad annum CCLXXV num. 61) quia utrobique parens principatum tenebat. Communior nostrorum opinio pro Trinobantibus est : ubi Essexiensis ager, et urbs Colcestria, illius agri primaria Helenam suam civem et principem asserit. Fuit certe hoc tempore urbs illa florentissima « ut infinita vis antiquorum nummorum quotidie eruta « plane docet » inquit Cambdenus in Colcestria, et addit : « In nullos tamen Gallieno antiquiores « incidimus. Erant Tetricorum, Victorinorum, « Posthumi, Cerausii, Constantini, et qui subse- « cuti sunt imperatorum». Hi sunt (de primis loquor) qui tyrannidem usurpantes sub Helena virgine aut parente, Britannias in factionem suam traxerunt.

3 Ceterum, quod Helena in supradicta urbe nata sit, probat idem author non contemnendo argumento. « Cives Colcestriæ, inquit, Flaviam « Juliam Helenam, Constantini Magni matrem, « suam alumnam fuisse asserunt, ex Coëllo rege « natam. Et in memoriam crucis ab ea repertæ, « crucem nodosam, inter quatuor coronas posi- « tam, publico in clypeo gerunt ». In eadem quoque urbe natum ex Helena Constantinum dicam infra, *videlicet ad* annum CCLXXV *num.* 61 *et* 62 : E *quem locum consulere lector potest. Auctores vero, qui Sanctam Britannicam fecere, compendiose assigno ex Usserio superius allegato.* Fœminam primariam Britanniæ *refert ex Chronico quod Flavio Lucio Dextro attribuitur; sed Chronicon illud tamquam apocryphum ab eruditis passim explodilur. Deinde ex Martini Poloni Chronico narrat,* filiam regis Britanniæ *exstitisse; ex Henrico autem Huntingdoniensi scribit ista :* Helena, Britanniæ nobilis alumna, Londiniam muro, quod * adhuc superest, cinxisse fertur, et Colecestriam mœnibus adornasse. *Ex Polydoro Vergilio :* Britannica matre genitus *Constantinus. Ex regis Angliæ Oratoribus, quin in concilio Constantiensi cum Gallicani, et in Basileensi cum Castellani regis legatis de πρωτείοις (id est primatu) concertarunt :* Domus regalis Angliæ... sanctam Helenam.. educere comperta est. *Ex Henrico Huntingdoinensi,* Filiam regis Britannici de Colecestre, cui nomen erat Coël. et Celecestriam mœnibus adornasse, *memorat etc. Quibus adde, si velis, Vitam* S. Helenæ, *cujus apographum habemus e Ms. Blaburensi Hirsaugiæ :* Helena, F *ait,* Clohelis Anglorum regis filia. *His ita hactenus propositis in favorem natalium sanctæ nostræ Imperatricis apud Britannos, liceat nobis desiderare testimonia alia, quæ sint hujusmodi, ut sua antiquitate, sinceritate ac fide accommodatum controversiæ adeo agitatæ ac incertæ pondus atque adeo assensum conciliare possint, antequam Anglorum sententiæ suffragemur.*

natalem ejus

* *l.* qui

sibi adscribunt;

4 *Difficultates porrò, quæ eidem incommodant, allegantur apud Morinum in Historia Ecclesiæ Christianæ per Constantinum liberatæ, Gallice edita, parte* 2 *cap.* 6 *pag.* 178 *et sequentibus. Et vero silentium Venerabilis Bedæ, qui tanta inter sui temporis scriptores eruditionis laude floruit seculo octavo, quique Historiam ecclesiasticam gentis Anglorum exacte admodum et prolixe conscripsit, a tempore, quo illa provincia cœpit innotescere Romanis, ad sua usque tempora contextam; Beda, inquam, laudatæ Historiæ lib.* I *cap.* 8 *sic memorat :* His temporibus *Constantinus,* qui vivente Diocletiano Galliam Hispaniamque regebat... in Britannia mortem obiit. Hic Constantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit. *Quæro jam*

A *jam a tectore partium studiis vacuo, an sit verosimile, Bedam silentio pressurum fuisse Sanctæ Britannos ex patre Coëlo natales, adeo Britannorum nationi illustres, si eos inter antiquiora Britanniæ monumenta alicubi comperisset? Ad hæc, nonne S. Gregorius Magnus optimam nactus erat opportunitatem agendi de natalibus istis, quando ad Bertham alias Adilbergam Anglorum reginam scribens, ei gratulatur Anglorum conversionem, hortaturque impense, ne regis animum ad perfectam fidei Christianæ dilectionem succendere diutius negligat. Ita tamen loquitur sanctissimus ille Pontifex epistola* 29 *(al* 59*) libro* II, *Indictione* 4, *col.* 1113, *tom.* 2 *Operum Parisiis editorum anno* 1705 : Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piissimi Constantini imperatoris, ad Christianam fidem corda Romanorum accendit *(Deus)* ita et per gloriæ vestræ studium in Anglorum gente ejus misericordiam confidimus operari

sed iis non assentimur.

5 *Jam vero si natale illud* S. Helenæ *solum apud antiquiores Angliæ scriptores cognitum fuisset, quomodo S. Gregorio fuit incognitum, qui in* B *conversionem Anglorum toto pectore incumbebat? Sin autem cognitum ipsi fuerit, quomodo fieri potuit, ut, ad reginam illam Angliæ scribens ac de* Helena *loquens, verbo vel unico non indicarit, primum illam ibidem spirare cœpisse, indidemque primam traxisse originem illustre illud sidus, quod virtutibus et exemplis longe lateque Orientem et Occidentem illustravit. Hæc enimvero vel similia magnus Pontifex opportune et apposite ad Bertham de* Helena *videtur scripturus fuisse, ut hujus exemplo illam magis incitasset ad propositum suum, si quidquam de dicta patria rescivisset. At quid de aliis, qui Imperatricem nostram volunt esse suam? Veniamus ad Trevirenses.*

Trevirenses

6 *Almannus, qui vixit seculo nono, quique inferius pluribus memorabitur, in Sancta Vita*, Beata, *ait*, Helena oriunda Trevirensis. *Gotfridus Viterbiensis Chronicorum parte* 15 *sub finem ita scribit :* Helenam quidam ex patria Treverorum oriundam asserunt. *Otto Frisingensis in Chronico libro* 3 *cap.* 45 : Helenam ex pago Treverorum oriundam dicunt : unde eamdem eccle- C siam plurimum eam decorasse tradunt. *Inter Usuardi a nobis editi auctoria, ex ejusdem editione auctoris Lubeco-Coloniensi notantur ista ad hanc diem* XVIII *Augusti :* Sanctæ Helenæ.. Treverorum indigenæ nobilissimæ. *In Annalibus Trevirensibus apud Browerum tom.* I *libro* 4 *ad Christi annum* 327 *num.* 14 *citatur* caput veteris scripturæ : HÆC HELENA TREVEREOS GALLIÆ INDIGENA. *Et ista notantur :* Res nova dicis; imo vetus, quod prœterire, * qui tanto ætate inferiorem Nicephorum, aut multo quoque recentiores Anglorum scriptores hic audiunt. At enimvero jam olim in hac ecclesia decantatum, et in usus publici Breviaria transfusum, augustam Helenam ortam in Treviris. Creditum ita passim ante aliquot secula, an ignorare poterant, qui publicæ fidei habuere testes Ottonem Frisingensem, Godefridum Viterbii et Bonnensis ecclesiæ in antiquis membranis haud spernenda documenta; quæ clarissimus jurisconsultus Jacobus Campius, Bonnensis ecclesiæ quondam decanus, et postea protonotarius Maguntinus exprompsit, et cum Jacobo archiepiscopo communicavit.

* f. præteriere,

7 Verbum hoc Trevirorum sidus tam fero demum exoriens discutit et offuscat publice jam passim, sat scio, diffusa historiæ lux, quam avide eruditi sequuntur, cum qui plures, Britannam genere regio, qui potiores, Drepanitidem aut Dardanam humili et obscuro genere natam prædicant. Pro his Ambrosius et Eutropius, cum stabulariam dicunt, et obscuri matrimonii; pro aliis faciunt Britannici scriptores, non quidem antiqui, sed quorum, ut elegantissimi vir ingenii dixit, mediæ aut novellæ ætatis assertio, cum Coëli, nescio cujus regis, filiam produnt. Atque ex hac varietate narrationis profectum, ut ex peritissimis harum rerum, qui Britannicam amplexus est *(Baronius videlicet tomo* 3 *Annalium ad annum* 306*)* Nicephori historiam repudiarit ceu mendacissimam; contra cui Græca placuit, verissima Nicephorum tradidisse scripserit. *Verum tum ista, quæ recitavi, tum alia, quæ apud laudatum auctorem sequuntur,* Helenæ *patriam parum compertam esse potius indicant, quam locum ullum certum ac determinatum e pluribus inter eruditos controversis vere ei natalem fuisse convincant, tametsi tamen Græcos ac Britannos ejusdem competitores rejiciat.* E

Auctore J. P. eam sibi vendicant

8 *P. Jacobus Masenius noster in notis et additamentis ad tomum primum Browerianum a pag,* 576 *telam hanc operosius retexere conatus est, et Sanctæ nostræ natales arctius adstringere Trevirensibus; sed an non majore cum molimine, quam operæ pretio? Nam variorum, qui pro solo ipsius natali certant, sententiis in medio positis. ex ipsa pugnantium inter se auctorum dissensione, non nisi conjecturis rem agi, dicit esse manifestum,* Jam vero, *uti pergit*, potissimum Britannorum ex Panegyri fundamentum cum Browerus atque ante ipsum Lipsius quoque elidat, nihil deinde et his præterquam in domesticis et seræ ætatis testibus jure suspectis adminiculi restat; ut proinde jactata hactenus veritas maximum apud Treviros præsidium repertura videatur *Proxime idem Masenius recitat nonnulla e Basilii Porphyrogeniti imperatoris libris Basilicῶν, constitutiones imperiales complexis, ubi Romanum filium admonet, non temere cum quavis gente nuptias esse conciliandas,* præterquam cum solis Francis. Hos enim solos magnus ille vir Constantinus sanctus excepit, quod et ipse habuit ex partibus illis ortum. *Sed* 1°. *Quidnam satis solide pro patria* F *Constantini Magni conficies e Constantino Porphyrogenito, qui vixit seculo decimo?* 2°. *Fac tamen aliquid pro eadem inde confici; quid tum? Nam sive Constantinus Magnus fuerit Francus, sive Britannus, sive alius (quam controversiam adeo inter eruditos agitatam resuscitare, non est hujus loci) quo pacto e patria illius, qualiscumque demum ea sit, extundes patriam* S. Helenæ *matris ejus :*

argumentis

9 *Infirmitatem hujus argumenti vel ipsemet satis animadvertit Masenius, dum, illo relicto, aliud assumit his verbis :* Sed cum nobis pro matre Constantini Helena potius, quam pro Constantini patria hæc suscepta lis sit, illustrius ex archivo nostro testimonium depromam, a Silvestro, ejusdem ætatis Pontifice, Trevirensi ecclesiæ, in Helenæ Augustæ gratiam, apostolico diplomate tributum, quod inter metropolitanæ et archiepiscopalis ecclesiæ diplomata collectum ante annos facile trecentos a Balduino Trevir archiepiscopo in libro pervetusto exhibetur, cujus cum partem aliquam Browerus, nec tamen ex integræ fidei apographo dederit, et P. Sirmondus inter posthuma scripta reliquit, ego totum verbotenus hoc loco reddam. Sic enim Silvester Papa Trebereusi scribit

et diplomate quodam.

AUCTORE J. P.

scribit Ecclesiæ : „ Sicut in gentilitate propria virtute, sortire et nunc, Trebir, primas, ac super Gallos „ et Germanos prioratum, quem tibi præ omnibus „ harum gentium episcopis in primitivis Christianæ „ religionis doctoribus scilicet Euchario, Valerio ac „ Materno, ac per baculum caput Ecclesiæ Petrus „ signavit habendum, suam quodammodo minnens „ dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego „ Silvester, ejus servus successioneque indignus, „ per patriarcham Antiochenum Agritium renovans „ confirmo ad honorem patriæ dominæ Helenæ augustæ, metropolis ejusdem indigenæ; quam ipsa „ felix per apostolum Matthiam a Judæa translatum „ cum tunica et clavo Domini, et dente S. Petri, „ et sandaliiis S. Andreæ, et capite Cornelii Papæ, ceterisque reliquiis magnifice ditavit specialiterque provexit. Hujus privilegii conscii no- „ civi æmuli communione dirimantur, quoniam anathemate maculantur. „

ad persuadendum non satis accommodatis.

10 *Si sincerum ac genuinum esset illud diploma, nemo inficias ierit, quin præsens controversia in favorem Trevirensium decidenda sit, tam claris utpote ac tam discrtis terminis* ad honorem B patriæ dominæ Helenæ augustæ, metropolis ejusdem indigenæ *in dicto diplomate declarata: si genuinum, inquam essel : quod an pro tali haberi debeat, proxime nunc expensuri sumus, eaque de causa totum, prout exstat apud Masenium, illud transcripsimus. Diploma hoc etiam habetur in Epitome gestorum Trevirorum, a Joanne Enen Teutonico sermone edita, et Latine reddita a Joanne Scheckmanno, cap. 5 fol. 16 verso, nec non in Gestis Trevirorum ab Urbe condita usque ad annum Christi 1132, quæ exstant inter Accessiones historicas Godefridi Guilielmi Leibnitii, cap. 30; quod nunc examinabimus.*

§ II. Examinatur diploma, quo Trevirenses sibi tribuunt Sanctæ natales; ad quos illi probabilius pertinere videantur; Helenæ genus.

C

Diploma illud

Inter alia, quæ diplomati isti officiunt, incommoda, merito videtur illud contra sinceritatem ejus objici posse, quod varia monumenta, quæ sub S. Silvestri PP. nomine circumferuntur, pro suspectis et apocryphis habeantur : cujusmodi sunt Acta ejus, prout videre datur apud Pagium in Critica Baroniana ad annum 315 *num.* 4*; indulgentiæ ibidem num.* 5*; item rescriptum ad synodum Nicænam apud Coustant in Appendice ad epistolas Romanorum Pontificum pag.*54*: quibus adde epistolam, quæ ibidem exstat pag.* 38*; Constitutum denique sub nomine prædicti Pontificis de quo ibidem agitur. Hæc cum ita sint; dic, amabo, an imprudentiæ accusandus esset is, qui Silvestrinum illud, uti volunt, diploma non statim admitteret tanquam legitimum, sincerum ac genuinum, sed formidinem conciperet, illud instrumentum sancto huic Pontifici essesupposilum, vel esse viliatum hac sallem parte, qua natales* S. Helenæ *Trevirensibus adscribit? Et vero suspicio ista maxime confirmatur ex ipso Browero Annalium Trevirensium lib.* 4 *num.* 2, *ubi sic scribit* : Cæterum diploma, a Silvestro traditum, etsi rerum et temporum tot D injuriis casibusque periit, sententia tamen vetustissimis asservata schedis mansit. *Et mox ita illud recitat.*

qua saltem asserit

12 „ Sicut in gentilitate propria virtute, sortire et nunc, Trevir, super Gallos et Germanos „ primatum, quem tibi præ omnibus harum gentium episcopis, in primitivis Christianæ religionis doctoribus, Euchario, Valerio, Materno, „ per baculum caput Ecclesiæ Petrus signavit „ habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Silvester ejus servus, succcessione indignus, per „ Agricium patriarcham renovans confirmo. „ *Hæc Browerus : ubi vides, nullum haberi vel minimæ syllabæ apicem de patria* S. Helenæ. *Ex hactenus circa utrumque diplomatis exemplar expositis varia poterunt formari argumenta, quibus hujusmodi rerum gnari impugnent illa ejusdem exemplaria in quibus patria jam dicta asseritur, quidquid sit de rebus aliis in eodem diplomate contentis, quæ proprie non spectant ad nostrum propositum.* E

natales S. Helenæ apud Trevirenses, rejicitur.

13 *Dicent itaque adversus illud primo : Browerus, oculatissimus ac sagacissimus monumentorum Trevirensium indagator et eruderator, asserit·* diploma, a Silvestro traditum, rerum et temporum tot injuriis casibusque periisse, *diploma, inquam, primigenium ac genuinum;* sententiam tamen *ejusdem* vetustissimis asservatam schedis mansisse; *quisnam ergo credat, genuinum esse exemplar, quod producit Masenius? Dicent secundo; Masenius accusat Browerum, quod* partem aliquam *diplomatis Silvestrini*, nec tamen ex integræ fidei apographo dederit. *Sed quomodo probabit Masenius, suum exemplar esse integrioris fidei, quam Browerianum? Dicent tertio : Masenianum exemplar deterioris esse notæ quam Browerianum deducitur ex eo, quod nimium probet, atque adeo nihil probet : probat enim litem de patria* S. Helenæ *finitam esse; quam tamen hactenus nec finitam, nec umquam clare, perspicue ac fide historice certa finiendam inter eruditos putamus. Dicent quarto : Videtur verosimile Masenianum diploma non latuisse Browerum, qui utpote in rebus Trevirensibus longe plura viderit, quam Masenius, sed ex suo potius, quod perierat,* sententiam vetustissimis asservatam F schedis *exhibere voluisse; quod censeret illam esse magis sinceram, quam diploma Masenianum. Dicent quinto : Ex omnibus hisce rationibus suspicamur omnino, voces illas,* Ad honorem patriæ dominæ Helenæ augustæ, metropolis ejusdem *(Trevirensis)* indigenæ, *a recentiore quodam philopatride suppositas atque intrusas fuisse. Atque hæc sunt, quæ contra Masenianum diploma objici possunt, quæque eruditis Trevirensibus tantisper consideranda proponimus, onus eis injicientes, ut istius instrumenti integritatem ac fidem solidis argumentis probent, si possint. Alia est quæstio, an Sancta apud Treviros habitarit, et quænam ibidem gesserit, de qua inferius tractari poterit. Ad Almannum supra num.* 6 *citatum, repone potest, non videri eum rebus Helenianis salis instructum fuisse, cum mox addat :* Tantæ fuit nobilitatis *(de qua re agam* § 3.*) Certe non satis antiquus est, ut ipsius auctoritate stari possit. Supcrest, ut dicamus de Drepanensibus in Bithynia, qui* S. Helenam *volunt esse suam.*

Præplacet opinio,

14 *Procopius Cæsariensis, qui floruit seculo sexto æræ vulgaris, lib.* 5 *cap.* 2 *De ædificiis Justiniani imperatoris, ita memorat :* In Bithynia

Auctore J.P.

A nia est urbs, de nomine dicta Helenæ, matris Constantini aug. Quippe natam ibi Helenam perhibent, cum esset vicus ignobilis : cui quidem Constantinus, in præmium nutricationis, nomen ac dignitatem urbis concesserat ; sed nullum imperatoriæ magnificentiæ monumentum reliquerat. Nam si ornatum et structuram spectes : statum pristinum locus retinebat, nudo urbis titulo insignis, Helenæque alumnæ suæ nomine gloriosus. *Ex his conficitur, tempore Procopii Cæsariensis famam fuisse in Oriente, quod* S. Helena *vitales auras primum hauserit in Bithynia. Si quæras, quo Bithyniæ loco ; in Chronica Eusebii Pamphili, quod S. Hieronymus Latine reddidit, et Josephus Scaliger edidit, ad annum* 328 *de loco isto Bithyniæ hæc attexuntur* : Drepanum Bithyniæ civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi Constantius * instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit. *Urbs itaque ista, de qua loquebatur modo Procopius, Drepanum est. Cellarius lib.* 3 *cap.* 8 *Notitiæ orbis antiqui pag.* 174 *situm loci istius describens,* Bosporum, *ait,* versus Drepane sive Drepanum. Stephanus : „ Est „ etiam Drepane in Bithynia ad sinum Astacenum „. Etymologico autem magno ita situs describitur : „ Drepanum est etiam locus Bithyniæ „ ad Bosporum situs „. Fuit ergo Bosporo proximum, seu inter Astacenum sinum et Bosporum, ut ab utroque denominari potuerit, atque remotior, quam Pronectus, a Nicomedia. Hanc Drepanem sive Drepanum eum locum esse Nicephorus Callistus tradit lib. 7 cap. 49, quem Constantinus Helenopolim in matris honorem adpellaverit. „ Oppidum, „ inquit, Drepanum, matrem honorans, Helenopolim adpellavit „.

* Constantinus

B (margin letter beside "sus Drepane sive Drepanum")

quæ asserit patriam ei fuisse Drepanum in Bithynia.

15 *Jam vero ex iis, quæ de tribus populis, Britannis utpote, Trevirensibus ac Bithyniensibus, in quibus præsentis controversiæ cardo potissimum vertitur, pluribus hactenus a nobis sunt proposita, duæ conclusiones deduci posse ac debere nobis videntur ; quarum altera sit, famosissimam hanc litem, quæ tot eruditorum ingenia in varias diu multumque distraxit sententias, nec decisam esse huc usque, nec porro hic decidendam fide historice certa : altera autem, videri nobis, potiorem esse causam Bithyniensium seu Drepanensium, quæ videlicet jam tum a seculo sexto fuerit in stabili possessione, ut ita loquar, cum publica tunc temporis istius rei fama circumferretur, uti ex Procopio eruimus. Auctores autem qui vel pro Britannis vel pro Trevirensibus superius allegabantur, si cum seculo Christi tertio, quo nata fuit* S. Helena, *conferantur, novitii debent censeri ; sin vero cum seculo sexto, quo vixit Procopius, nimium recentes, quam ut hujus antiquitati præponderare valeant. Quod Browerus dicebat supra num.* 6 e veteri, *uti vocabat,* scriptura, *non multum videtur habere ponderis, quamdiu non constat, ad quodnam seculum vel tempus præterpropter illa scriptura referri debeat, nec producuntur notitiæ, vi quarum possit examinari an respectu* S. Helenæ *veram et accommodatam vetustatem habeat. Atque hæc, quæ in favorem Drepanensium in Bithynia retulimus, admodum consentiunt cum dictis jam pridem a Papebrochio nostro tomo* v *Maii die* xxi *in Commentario historico S. Constantini Magni imperatoris, pag.* 20, *ubi hæc leguntur* : Acturi de S. Helena cum Latinis xviii Augusti, nihil necesse habemus de natalibus ejus nunc operosius disputare ; interim tenemus, non Britannam, sed Bithynam fuisse, ex eaque verosimiliter urbe, quam deinde filius

C (margin letter beside "sium, quæ videlicet jam tum a seculo sexto fuerit")

ejus in matris honore restauratam voluit Helenopolim dici.

Respondetur Baronio,

16 *Baronius tom.* 3 *ad annum Christi* 306 *a num.* 12 *de* Helenæ *patria ac genere agens,* Scimus, *ait,* Græcorum recentiores (Eusebius enim, licet rerum Græcarum amplificator egregius, hæc silentio prætermisit) Nicephorum lib. 7 cap. 18, et alios, qui commentitiæ historiæ fidem præstiterunt, eam fuisse Bithynam genere affirmare ; de qua et ejusmodi fabulam concinnarunt *etc.* ; *de hac re mox videbitur, quando de Sanctæ genere agitur. Deinde postquam asseruisset idem Baronius, natale solum Constantino obtigisse Britanniam, sic pergit num.* 16 : Qua pariter ratione æquius est dicere, Helenam fuisse Britannam, quam Bithynam. *Sed respondeo primo : Aliud omnino est, quærere de natalibus Constantini Magni ; aliud de natalibus matris ejus : neque hi ex illis recte deduci queunt, sicut supra num.* 8 *insinuabam. Secundo. Inter Græcos recentiores ac historiæ commentitiæ sectatores non est locandus Procopius Cæsariensis, de quo dixi. Tertio. Patriam Constantini alii aliam statuunt : nam Pagius in Critica Baroniana ad annum* 306 *num.* 9 *Eminentissimum Annalium ecclesiasticorum conditorem corrigens,* Constantini, *inquit,* Magni patriam fuisse Naissum, oppidum Daciæ mediterraneæ, nunc Serviæ dictæ, certum esse debet. *Et post hujus assertionis suæ probationem ita concludit* : Quare quod Constantinus Anglus sive Britannus fuit, inter fabulas computandum. *Tillemontius tomo* 4 *Historiæ imperatorum nota* 3 *in Constantinum pag,* 615 *Naissi natum illum fuisse, etiam tenet.*

E (margin letter beside "nentissimum Annalium ecclesiasticorum condito-")

ac refellitur

17 *Apocrypha est sententia Eutychii patriarchæ Alexandrini, qui in libro, cui titulus* Contextio gemmarum, *sive in Annalibus, interprete Edwardo Pocockio, tom.* i *pag.* 408 *de Constantio, Constantini patre, sic fabulatur* : Hic in partes Mesopotamiæ ac Rohæ profectus, dum in oppido quodam Rohæ Caphar Phacar [vico figuli] dicto subsisteret, vidit ibi mulierem pulchram, formosam, nomine Helenam, quæ a Barsica episcopo Rohensi ad fidem Christianam conversa fuerat, nec non legere didicerat : quam cum a patre petitam in uxorem sibi duxisset, ea ab ipso gravida facta est. Reverso deinde Constantio Byzantium peperit Helena filium pulchrum, mansuetum, intellectu præditum.. Constantinum, qui Rohæ educatus, Græcorum sapientiam addidicit. *Hæc ibi. Quæ dictus auctor nugatur de matrimonio Constantii cum Helena inito castigari possunt ex dicendis paragrapho proxime sequente ; patria vero Mesopotamiensis, quæ ibidem indicabatur, confutatur ex superioribus, quibus Sanctam putavimus in Bithynia natam apud Drepanenses. Apocrypha, inquam, est sententia Eutychii, qui seculo demum Christi decimo, quo vixit, tale commentum vel confinxit, vel ex fabulosis documentis adoptavit, unum utique ex aliis pluribus, quibus* Contextionem gemmarum, *quam citabam, infarsit.* In his *enim* occurrunt plura notatu *quidem* dignissima, quæ frustra alibi quæruntur : certe plurima anilibus fabulis simillima, quæ si non ex proprio cerebello finxerit, saltem ex futilibus ecclesiæ suæ monumentis hausit, *uti observat Caveus heterodoxus in scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria.*

F (margin letter beside "facta est. Reverso deinde Constantio Byzantium")

duorum aliorum sententia.

18 *Nec melioris notæ sunt, quæ in concilii Nicæni Præfatione, ex Arabicis Orientalium codicibus Latinitate donata ab Abrahamo Ecchelense, habentur apud Labbeum tomo* 2 *Conciliorum*

AUCTORE J. P.

rum col. 384 *his verbis :* Tot furores et irarum scintillæ, quas dudum in imperatorum incenderat animis diabolus adversus Christianos, per mulierem quamdam, nomine Helenam, quæ ab ineunte ætate Christiana fide et moribus ab Edessenæ urbis episcopo imbuta erat, sedatæ et extinctæ sunt. *Sed ibidem col.* 386 *(pro qua legendum col.* 388*) disertius dicit auctor ille, quisquis est,* Helenam *Edessæ natam, quando meminit* Constantini filii Helenæ mulieris EDESSENÆ. *Sed scriptor ille satis aperte indicat suam in rebus gestis* S. Helenæ *imperitiam, dum perperam asserit, eam* AB INEUNTE ÆTATE Christiana fide et moribus ab Edesseno episcopo imbutam *fuisse ; prout planum fiet mox ex* § 4 *et* 5 *; cum demum anno circiter ætatis sexagesimo quinto ad Christi fidem conversa fuerit. Imperitam quoque ejusdem auctoris hallucinationem proferam eodem* § 4 *in fine. Dispiciendum nunc est, e quo genere originem traxerit.*

Natales hausit Sancta

19 *S. Ambrosius in concione de obitu Theodosii senioris augusti ita in rem nostram memorat :* Stabulariam hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit a latronibus vulnerati. Bona stabularia, quæ maluit æstimari stercora, ut Christum lucrifaceret. Ideo illam Christus de stercore levavit ad regnum etc. *Morinus supra num.* 4 *citatus adjuncta tria in istis S. Ambrosii verbis expendit pag.* 182, *ut omne, quo elevari possit ejusdem auctoritas, dubium removeatur. Et unum quidem adjunctum desumit a tempore, quo Doctor ille sanctus scribebat, octo videlicet et quinquaginta annis post mortem Constantini; quique aliunde ob senectam grandævam adeo temporibus Constantii erat vicinus, ut mors ipsius præcesserit natales filii ejus annis quinque. Alterum adjunctum promit Morinus e persona S. Ambrosii, cujus pater exstiterit præfectus Galliæ Cisalpinæ, id est, plus quam tertiæ partis Italiæ. Tertium denique accipit e Constantini et* Helenæ *personis, quarum origo et consanguinitas seu parentela tunc temporis incognita esse non potuerint tam magno domino. Et quid dico, inquit, tam magno domino? imo vero quisnam adeo esse peregrinus tunc potuerit in Romano imperio, qui natales ignorarit hominum tam illustrium, quorum liberos viderant imperatoria dignitate insignitos? Ita ratiocinatur citatus auctor ad corroborandum testimonium S. Ambrosii, cujus tempore Sancta nostra e vili ista conditione ad imperii honores evecta asserebatur. Unde sequitur, ut tunc fama publica pro tali habita fuerit.*

ex humili genere.

20 *Eutropius in Romanæ historiæ Breviario, una cum Historiæ Romanæ scriptoribus minoribus Græcis anno* 1590 *Francofurti edito, sic loquitur lib.* 10 *pag.* 128 *et* 129 : Constantio mortuo, Constantinus EX OBSCURIORE MATRIMONIO EJUS FILIUS, in Britannia creatus est imperator. *Scriptor autem ille ob antiquitatem suam meretur magnum fidem : vixit enim cum Juliano Apostata. Audiatur libro* 10 *citato pag.* 133 : Julianus rerum potitus est ; ingentique apparatu Parthis intulit bellum : cui expeditioni ego quoque interfui. *Apud Georgium Codinum in Excerptis de Originibus Constantinopolitanis pag.* 9 *editionis regiæ Parisiensis anni* 1654, *occurrit* Eutropius Sophista, qui Juliano Apostatæ in Persia simul adfuit ; *et inter alios scriptores, qui ibidem nominantur ac laudantur tamquam de rebus Constantini in structura urbis Constantinopolitanæ conscribendis bene meriti, laudatur et ipse his verbis :* Hi omnes *(Inter quos proxime erat nominatus* Eutropius Sophista) quæ suis oculis tum viderunt, accurate scriptis mandarunt. *Hinc fit, ut Eutropius. accuratus istarum rerum Constantini magni imperatoris inspector ac testis, vix ignorare potuisse videatur plures alias ad ipsum spectantes, quibus videtur accenseri posse genus matris ejus. Duobus istis testimoniis, quæ ex S. Ambrosio et Eutropio protulimus, consona sunt auctoris ignoti Excerpta de Constantio Chloro, Constantino Magno, et aliis imperatoribus, quæ habentur ad calcem Ammiani Marcellini a Gronovio editi Lugduni Batavorum anno* 1693; *ubi pag.* 504 Constantinus natus Helena matre vilissima in oppido Naiso *refertur. Adde quod nec Eusebius, nec alii historici antiqui, qui summis quidem eam laudibus efferunt, numquam tamen loquuntur de ipsius natalibus, satis ad judicandum argumenti præbeant, in illis se non reperisse, unde eam laudarent; prout observat Tillemontius tom.* 7 *Monumentorum ecclesiasticorum nota* I *in* S. Helenam *pag.* 638. *Ex his igitur apparet nobis probabilius,* S. Helenam *ex ignobili genere ortam esse, etiamsi non desint alii, qui aliter statuant. Expendamus itaque illorum rationes.*

§ III. Argumenta, quæ opponuntur humili Sanctæ generi, discutiuntur ; fuit legitima Constantii Chlori conjux.

Quæ Baronius

Baronius ad annum Christi 306 *num.* 20 *Eutropium et S. Ambrosium antea a nobis allegatos explicare conatur, sic scribens :* Eutropius cum affirmet, eam *(S. Helenam)* fuisse conjugem Constantii, obscuro tamen loco natam testari videtur, dum ait : « Constantinus ex obscuriori matrimonio ejus filius in Britannia creatus est imperator ». Sed quis est qui neget, respectu clarissimarum nuptiarum, quas postea cum Theodora filia imperatoris contraxit, quibus et imperium consecutus est, obscurius dici debere prius conjugium Constantii cum Helena, ex quo natus est Constantinus? *De sancto autem Ambrosio subdit ista :* Scimus S. Ambrosii testimonio fuisse eamdem Helenam stabulariam nominatam,.. sed eo plane nomine vulgo dicta, quod hospitis, apud quem divertit Constantius in Britannia, filia fuisset. Sed qualis hospitis, qui ducem totius exercitus domi exciperet. Certe haud infimi ordinis inter Britannos, et mediocrium facultatum : sed par est credere (ut evenire solet in hospitalibus militaribus) qui in civitate nobiliores ac ditiores sunt, eos, qui digniores pariter militiæ ducunt ordines, hospitari solere.

opponit,

22 Quamobrem qui antiquas res Britannicas sunt prosecuti (quod compertum habuerunt ex antiquis Annalibus) Helenam filiam fuisse tradunt unius ex Britanniæ regulis Coël nomine, apud quem (ut dictum est) Constantius hospitatus, quam pulcherrimam novit, ejus filiam Helenam accepit in conjugem : obscurumque existimatum est ejusmodi conjugium, quod cum externa, barbara, et non Romana femina contractum esset a tanto viro, ab ipso scilicet nepote Claudii

A Claudii imperatoris, et Romani exercitus in Britannia duce; sed et obscurius sane redditum, cum creatus est imperator, et una cum imperio Theodoram accepit uxorem. Cum igitur, ut accidit iis, qui temporibus et felicioribus rebus inserviunt, in posteriorem conjugem, eamdemque augustam, omnes converterent oculos; vilis admodum et abjecta visa est illa prior, quæ jussu Herculii imperatoris repudiata fuisset, ac proinde contemptus gratia, stabularia nominata; sicut et Galerius Maximianus, qui eodem tempore imperavit ob humile genus vulgo Armentarius dicebatur. *Ita Baronius : cui priusquam respondeam, obiter indico, de genealogia Constantii Chlori,* S. Helenæ *conjugis, tractari apud Tillemontium Historiæ imperatorum tom.* 4 *pag.* 77.

nostram sententiam non evertunt; 23 *Nunc respondeo primo : Non satis mihi probatur, quod Eutropius Sanctam nostram* ex obscuriori matrimonio *peperisse Constantinum voluerit* respectu clarissimarum nuptiarum *etc. Etenim Eutropius loquitur absolute, non autem respective; cum nullam ibidem apud eum inveniam mentionem de secundis istis clarissimis nuptiis, postea cum Theodora contractis a Constantio.* B *Respondeo secundo : Vox* stabularia *pro* filia hospitis, *videtur nimis improprie, ne dicam violente, a significatione propria ad alienam detorta, quam ut ulla similitudine veri eam ita intellexerit S. Ambrosius. Respondeo tertio : Non satis equidem perspicio, quænam necessitas cogat ad explicationes hujusmodi confugere in gratiam natalium* S. Helenæ *in Anglia seu Britannia eum probabilius esse censeam, illos ibidem non accidisse, ut supra satis dictum est. Respondeo quarto : Quod aiebat Baronius de* antiquis Annalibus; *utinam eos indicasset distinctius, ut de eorum ætate, auctoritate ac valore judicium ferri posset! Enimvero Sanctam nostram in Bithynia natam fuisse, ex Procopio Cæsariensi, omnium, qui natale ejus solum expresserint, antiquissimo quantum scio, probabilius esse dixi; auctores vero, qui aliter sentiunt, si cum tempore, quo vivere cœpit* S. Helena, *comparentur, novitios esse censendos.*

nec ea, 24 *Alfordus in Annalibus suis ad annum Christi* 275 *num.* 44 *ad objecta adversus humile ejus genus respondens, viam init a Baronio plane diversam in explicanda voce* stabularia. *Etenim* C Judæorum, *inquit,* illa vox, non Ambrosii fuit. Nam quod illi in opprobrium, quia Christi stabulum ornaverat in Oriente, iste in laudem retulit. *Sed, amabo, quo pacto significatum illud e verbis Ambrosii extundas, præsertim illis,* Stabulariam hanc primo fuisse asserunt sic cognitam Constantio seniori? *Quo pacto ex illis item :* Ideo illam Christus de stercore levavit ad regnum? *Quam causalem particulam cum hisce vocibus illam sequentibus Alfordus loco dicto Ambrosium citans non produxit. Ex his, quæ supra dixi, satis responsum est ad ea, quæ habet Bandurus in Opere suo, quod inscribitur* Numismata imperatorum Romanorum *etc. tomo* 2, *Lutetiæ Parisiorum anno* 1718 *in lucem dato, pag.* 111. *Verum juvat etiam expendere, quæ pro nobilitate* S. Helenæ *affert laudatus Alfordus ad annum* 247 *num.* 3, *ubi ita disserit :*

quæ profert 25 Panegyrici oratores (*de iis infra num.* 28) qui Constantinum coram et publice laudaverunt, non aliud frequentius usurpant, quam de illius generis nobilitate sermonem; et sine dubio utriusque parentis originem exprimunt, cum dicunt : « Tanta est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi « addiderit honoris imperium ». Et iterum de eodem : « Qui ortus sui sublimitate verticem feli« citatis tenuit adeo, ut non posset esse nobilior », *Citatur ad marginem Eumenius Panegyrico* 9. *Itaque ex his ita argumentatur Alfordus :* Quod verum esse nullo modo potest, si revera altera parente vili, stabularia aut hospitis filia nascitur. *Ast hoc pari, qua ab Alfordo sine dubio, uti vult, asseritur facilitate, imo vero majore cum fundamento negatur. Cur enim orator ille non laudarit vere Constantinum a nobilitate Constantii patris sui, qualecumque demum fuerit genus filii ejusdem Constantini ex parte matris? Sequens argumentum, quod ibidem proponit, valde infirmum est.* Sed quia, *ait,* in laudem Constantini effusi, Helenæ nomen silentio tegunt; dicat religiosus abbas Berengosius lib. 2 De inventione crucis cap. 1; qui in magna Patrum Bibliotheca legitur seculo septimo, quænam fuerit Constantini mater Helena : « Helena, inquit, nobili fuit genere, « sed nobilior sanctitate. Etenim nobilitate morum « suorum, nobilitatem præcellit aliorum ». Et quoniam Helena non regi, non cæsari, sed tantum senatori Constantio nupsit, ut infra dicetur, ideo idem auctor affirmat Helenam marito nobiliorem fuisse : uam ita alibi loquitur (*citatur in margine* lib. 3 cap. 1) « Unde cum melior es« set Helena Galerio, et nobilior Chloro (ita Con« stantius a pallore dicebatur) mirum non est, « quod tam nobilis femina tam nobili sociata est « viro ». E

Alfordus. 26 *Valde, inquam, infirmum est hoc argumentum, quod a testimonio Berengosii seu, ut alii scribunt, Berengosi petitur; propterea quod auctor ille, quem lego fuisse Trevirensem abbatem ad S. Maximinum, vixerit anno circiter* 1110, *secundum Labbeum in Bibliotheca sanctorum Patrum etc. chronologica, ac Caveum heterodoxum in Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum. Confirmantur ista e Mabillonio tomo* 5 *Annalium Benedictinorum ad annum Christi* 1107 *pag.* 516 : Qui in prædicta, *inquit,* historia *(translationis videlicet reliquiarum S. Modoaldi)* laudatur Trevirensis sancti Maximini abbas Berengosus, is esse creditur, qui tres libros de inventione sanctæ crucis, in Bibliotheca Patrum editos, et quosdam sermones composuit. Certe in libri tertii capitibus primo et secundo se apud F Treviros vixisse satis declarat, maxime capite secundo, ubi ait, beatæ Helenæ nobilitatem testari apud Treviros relicta ejus ædificia, ubi « « pavimentum domus illius variis marmoribus et « pario quondam lapide stratum » etiam tunc cernebatur. Berengosus S. Maximini abbas laudatur in diplomate Heinrici V pro abbatia monasterii, et in Necrologio S. Arnulfi Mettensis IX Kal. Octobris. Hic est Berengosus abbas, cujus rogatu Heinricus V S. Arnulfi possessiones anno MCXV confirmavit. *Qua igitur auctoritate, quo fundamento Aubertus Miræus in Auctario de scriptoribus ecclesiasticis cap.* 199 *pag.* 219 *Berengosum abbatem ad S. Maximinum collocat inter auctores seculi* VII? *Quod autem Berengoso non sit in omnibus fidendum, intelliges ex iis, quæ de eo jam pridem sunt dicta apud nos ad diem* III *Maii pag.* 363. *At nunc* S. Helenæ *nuptiæ cum Constantio Chloro quales fuerint, inquiremus.*

Disseritur 27 *Multa sunt quæ conjugio isti adversantur, quo minus habeatur legitimum. Zosimus quippe Comes lib.* 2 *Historiarum pag.* 672 *inter Romanæ historiæ scriptores Græcos minores Francofurti anno Christi* 1590 *editarum, hæc memorat :* Κωνσταντῖνος

AUCTORE J. P. Κωνσταντῖνος, ἐξ ὁμιλίας γυναικὸς οὐ σεμνῆς, οὐ δὲ κατὰ νόμον συνελθούσης, Κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ γεγεννημένος *etc. Quæ interpres Latinus ita vertit*: Constantinus, natus ex consuetudine mulieris, quæ materfamilias non esset, nec in manum imperatori Constantio legitime convenisset *etc. Chronicon Alexandrinum, a nostro Radero vulgatum, pag.* 651, Constantius, *inquit*,.. decessit, cui Constantinus spurius ex Helena successit. *In Chronico Eusebii Pamphili, quod, interprete Hieronymo, publicavit Latine Josephus Scaliger*; *pag.* 180 *dicitur* Constantinus ex concubina Helena procreatus. *Idque confirmatur e textu Græco Eusebii, quem idem editor publici juris fecit, pag.* 211. *S. Prosper in Chronico, quod habetur inter ejus Opera anno* 1711 *Parisiis edita, col.* 724, *nec non Cassiodorus anno* 1679 *Rothomagi excusus, in Chronico tomo* I *pag.* 391 *in eadem sunt sententia (Etiamsi hic ultimus addat*, dicitur) *quam etiam sequitur S. Beda in sua Historia ecclesiastica lib.* 1 *cap.* 8. *Præcesserat S. Ambrosius, cujus dictum supra num.* 19, Stabulariam hanc primo fuisse asseruut sic cognitam Constan-
B tio seniori, *videtur etiam officere veris ejus ac legitimis nuptiis. Accedit eo, quod Nicephorus Callistus libro* 7 *cap.* 18 *Ecclesiasticæ historiæ narrationem satis longam, et variis adjunctis vestitam intexuerit de hac re. Habes, lector, quæ contra legitimum* S. Helenæ *connubium faciunt. Accipe jam quæ eidem favent.*

an conjugium Helenæ — 28 *Etenim contra producta modo testimonia est primo : Ecquis satis concipiat, qua fronte publicus orator panegyricus laudare publice vel voluerit vel potuerit continentiam Constantii Chlori, ac dicere ausus sit, Constantinum, inito ab ineunte ætate matrimonio, eamdem fuisse imitatum, si vel ipsa Constantini nativitas fuissset tacita exprobratio incontinentiæ sui patris? Joannes Livineius duodecim Panegyricos veteres recensuit ac notis illustravit, anno* 1599 *Antverpiæ excusos ; quos inter* Incerti *auctoris* panegyricus Maximiano et Constantino *inscribitur, ordine quintus. Ibidem pag.* 126 *amborum laudibus intexit hanc ad Constantinum apostrophen :* Neque enim forma tantum in te patris, Constantine, sed etiam continentia.. sese votis gentium repræsentat. Quo enim magis continentiam patris æquare
C potuisti, quam quod te ab ipso fine pueritiæ illico matrimonii legibus tradidisti, ut primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem *etc.*

tum Constantio Chloro — 29 *E quibus ita recte argumentatur Baronius ad annum* 306 *num.* 18 : Hæc ibi auctor pro concione, spectantibus magistratibus, dixit, cum Maximianus eidem Constantino Faustam copulavit fœdere nuptiarum : quæ a nobis non tam in commendationem continentiæ Constantini quam Constantii patris sunt recitata ; cujus ille imitator factus, nullam ante uxorem legitimam, feminam aliam prorsus noverit. At qua fronte, quæso, nobilis orator in publicis nuptiarum solemnitatibus, coram nobilissimo ac florentissimo auditorio cuncta sciente, hæc de patre Constantio prædicare adeo potuisset, si Helenam concubinam, ex qua etiam ipse Constantinus natus esset, antequam legitimam uxorem Theodoram duceret, habuisset? Ex iis igitur cum ceteri omnes, qui dicunt natum Constantinum ex concubina, tum Zosimus Comes mendacii redarguuntur, dum ait eum genitum ex consuetudine mulieris, quæ materfamilias minus esset: ethnicus enim homo addictissimus ethnicismo, et in Christianam religionem infensissimus, cum de Christianorum rebus D
agit, manifestus sæpe convincitur proditor veritatis, et in Constantinum pariter iniquissimus, quem ut desertorem deorum exagitat contumeliis ; ut intelligas, ipsum in Constantinum Philippicas potius quam Constantini historiam conscripsisse.

30 *Contra est secundo : Non minus mihi apparet credibile, Constantinum matri suæ datum fuisse titulum augustæ, si per verum ac legitimum matrimonium ex ea natus non fuisset.* — fuerit legitimum ; *Contra est tertio : Quando novi cæsares erant creandi anno* 305, *sine mora a Diocletiano ad hanc dignitatem propositum fuisse Constantinum, qui erat filius Constantii, nec quemquam dubitasse, quin honoris istius prærogativa merito esset ipsi debita, eruo ex Lactantio de mortibus persecutorum cap.* 18 *et* 19, *ubi hæc leguntur a pag.* 142 *impressionis Ultrajectinæ anni* 1693 *:* Supererat ut communi consilio omnium cæsares legerentur. Quid, *inquit, Galerius*, opus est consilio, cum sit necesse illis duobus *(nempe Maximiano Herculio et Constantio)* placere quidquid nos fecerimus. Ita plane *(Diocletiani responsio est. Vide notas hic)* Nam illorum filios nuncupari ne- E
cesse est. Erat autem Maximiano [filius] Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener.. Constantio quoque filius erat Constantinus.. illo fastigio dignissimus.. Cum hæc essent constituta procedi- tur Kalendis Maiis. Constantinum omnes intuebantur. Nulla dubitatio. Milites qui aderant, et priores militum electi et acciti ex legionibus in hunc unum intenti gaudebant, optabant, et vota faciebant. *Eumenii Panegyricus* Constantio A *(Augusto) inscriptus, qui est ordine nonus, apud memoratum Livineium pag.* 191 *breviter quidem, sed æque magnifice Constantinum compellat in hæc verba :* Non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris eventus te principem fecit. Imperium NASCENDO meruisti. *Et pag.* 192 *:* Aliud, ipsa ortus sui nobilitate fultum verticem tenere fortunæ, et quæ summa sunt non sperare, sed habere. Sacrum istud palatium non candidatus imperii, sed designatus intrasti, confestimque te illi paterni lares successorem videre legitimum *etc. Tali scilicet in honore filios spurios exstitisse apud Romanos, quis credat? Nec vero spurios Constantini natales prætexuit Galerius, de quo modo agebam, inter ra- F
tiones, quas habebat, ut impediret, ne tunc cæsar crearetur Constantinus; quam rem Tillemontius expendit tomo* 5 *Historiæ imperatorum nota* 1 *in eumdem Constantinum pag.* 613. *Adde, quod diu ante summo in honore habitus fuerit ab imperatoribus; cui etiam ad Diocletiani assistere dextram contigit, tamquam aulæ primati. Videatur Eusebius Vitæ Constantini lib.* 1 *cap.* 19 *pag.* 417 *a Valesio editæ, et Historia imperatorum in Constantino articulo* 4 *pag.* 83, *et nota prima citata.*

31 *Contra est quarto* : *Constantius fuit coactus* — quod autem *repudiare* uxorem, *quam habebat, ut Theodoram duceret; de qua re Eutropius in Breviario historiæ Romanæ lib.* 9 *pag.* 126 : Ambo *(Constantius videlicet et Maximianus Galerius)* uxores, quas habuerant, repudiare compulsi. *Aurelius Victor, inter Romanæ historiæ scriptores Francofurti editus anno* 1588, Diremptis, *ait pag*, 524, prioribus conjugiis. *Et ibidem in ejusdem Epitome dicitur pag.* 542, Abjecta uxore priori. *Consuli insuper potest Cangius in Familiis augustis Byzantinis pag.* 43. *Si itaque Constantii* conjux *ante Theodoram erat* S. Helena ; *si* uxor.

A uxor; *si Constantinus* ex obscuriore, *ut antea ex Eutropio dixi*, MATRIMONIO ejus filius; *consequens est, ut ex legitimo thoro, non vero ex concubinatu vel pellicatu natus sit. Id quod recte etiam observavit Josephus Scaliger in Animadversionibus ad Chronologica Eusebii pag. 226 impressionis Lugduno-Batavæ anni* 1606, *in has voces* ex concubina Helena *hæc notans*: Si ex matrimonio, ergo κατὰ νόμον συνελθούσης adversus sententiam Zosimi et Hieronymi. Ea ergo fuerit non concubina, sed prior uxor. *Hactenus bene, si ibi stetisset Scaliger, sed miseram commisit hallucinationem, dum hisce subjungit sequentia*: Atqui non potest, *inquit. At qua de causa?* Nam prior uxor erat Minervia *(vel Minervina)* mater Crispi cæsaris, quam dimittere coactus est, cum Theodoram privignam Herculii duxit uxorem sororem uterinam Maxentii matre Eutropia *etc. Sed advertere debuerat Scaliger, Crispum fuisse filium Constantini, non vero fratrem ejus. Ad magis declaranda, quæ mox attuli pro legitimo Sanctæ matrimonio, conducit locus S. Augustini lib.* 6 *Confessionum cap.* 15: Avulsa, *inquit*, a B latere meo tamquam impedimento conjugii, cum qua cubare solitus eram... At ego infelix... quia non amator CONJUGII, sed libidinis servus eram, procuravi aliam, non utique CONJUGEM. *Itaque secundum expressionem S. Augustini, si* Helena *conjux*, concubina *non est dicenda proprie. Id quod nunc dicam.*

legitimum exstiterit, 32 *Contra est quinto: Sancta quidem nostra vocatur supra num.* 27 concubina; *ast* hac voce non indicatur, Helenam Constantis Chlori minime fuisse uxorem: sed alias sic vocabatur uxor sive indotata, sive aliis insignibus carens, quæ matribus familias competebant. Licet ergo non ejus esset sortis Helena, quæ juxta leges viro e stirpe imperatoria Vespasiani oriundo, et Claudio II imperatori consanguineo jungeretur; patet tamen ex numismatibus antiquis, ipsam ex legitimo matrimonii vinculo Constantio Chloro adhæsisse: quidquid in contrarium protulerint quidam, filii Constantini gloriæ æmuli, aut etiam quidam e sanctis Patribus fama a maledicis dispersa decepti in contrarium sensisse videantur, *prout habetur in notis ad S. Prosperi Chronicon antea* C *citatum. Baronius autem id aliter explicat ad annum Christi* 306 *num.* 19: Romanorum legibus cautum erat (quod testatur Papinianus I. C) ut si præfectus cohortis, vel equitum, aut tribunus contra interdictum uxorem duceret in ea provincia, in qua officium gerebat, matrimonium non esset; cum ratio potentatus (ut ait) ejusmodi nuptias prohiberet. Quam ob causam sic acceptam Helenam a Constantino * putarint potius concubinam quam conjugem. Sed quid Paulus I. C. respondit? Si post depositum officium ejusmodi in eadem voluntate perseveret, justas nuptias effici. Quid huic simile scripsit Ulpianus, legem Papiam interpretatus; qua cum senatores vetiti essent in uxorem ducere libertinam, si tamen duxisset; quamvis (inquit) uxor ejus non sit; tamen ea conditione, si desierit esse senator, tunc uxor ejus esse incipiet. Talis namque fuisse videtur causa Helenæ cum Constantio, ut sic eam duxerit, ut, cum a provincia decessisset, ac magistratum deposuisset, vere conjux esset, ac matrimonium ratum: quod quidem declaravit eventus: nam quam semel accepisset, numquam dimisit usque ad nuptias Theodoræ, cum Maximianus imperator coëgit... dare Helenæ priori conjugi libellum repudii.

* l. Constantio

33 *Contra est sexto: legitimæ ipsius nuptiæ confirmantur ex hac inscriptione, quæ habetur apud Gruterum inter Inscriptiones antiquas pag.* 1086. 2. *auctoris J. P. variis rationibus*

PIISSIMÆ. ET. CLEMENTISSIMÆ
DOMINÆ. NOSTRÆ. AUGUSTÆ
HELENÆ. MATRI
DOMINI. NOSTRI. VICTORIS
SEMPER. AUG. CONSTAN
TINI. ET. AVIÆ
DOMINORUM. NOSTRORUM
CÆSARUM. BEATORUM
UXORI. DIVI. CONSTANTII
ORDO. NEAPOLITANORUM
ET. POPULUS.

Eamdem inscriptionem exhibet Bandurus in Opere; quod inscribitur Numismata imperatorum Romanorum *etc. tom* 2 *pag.* 113.

34 *Contra est septimo: Explodi potius quam attendi debent aniles næniæ, quæ de furtivo seu clandestino Constantii concubitu eum* Helena *alicubi circumferuntur. Juvat imprimis hic meminisse, quæ tomo* 2 *Augusti ad diem* V *ejusdem mensis, pag.* 71 *occasione S. Eusignii martyris* E *protuli a Commentariis Lambecii de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ubi dixi,* auctorem *hunc (lib.* 8) pag. 187 fabulosa S. Eusignii Acta castigare ex eo, quod illis inserta sit, et sub ipsa quidem S. Eusignii narrantis persona, mendacissima fabula de nativitate Constantini Magni imperatoris ex illegitimo concubitu Constantii Chlori, dum etiamnum esset tribunus militum, cum Helena in publico quodam diversorio, eamdemque impudentissimam fabulam etiam a Nicephori Callisti adoptari Historiæ ecclesiasticæ lib. 7 cap. 18; ideoque eam ab Eminentissimo Cardinale Baronio Annal. eccles. tom. 3, sub anno Christi CCCVI, prolixe ac solide refutari. Deinde Lambecium a pag. 108 subdere Græce ac Latine istius fabellæ drama, et concatenata falsitatum atque ineptiarum congerie conflatum; *quod huc non transcribo, Porro nugas Callisti, fabulatoris Græculi, qui vixit seculo decimo tertio vel proxime sequenti, castigant bibliographi; ut mirari debeam, quod Justus Lipsius lib.* 4. *De magnitudine Romana cap.* 11 *agens de patria Constantini Magni, ac commentitio Constantii cum Helena concubitu Drepani in Bithynia, tantum* F *hac in re, dicamus potius somnio, tribuerit prædicto auctori, quem citat loco paullo ante designato, ut rotunde profiteatur,* arbitrari *se,* verissima Nicephorum tradidisse. *His ita hactenus de præsenti controversia disputatis, concludo, connubium* S. Helenæ *verum ac legitimum fuisse vel in ipso suo principio, vel postea saltem tale evasisse ante nativitatem Constantini; prout retuli e Baronio, hoc alias accidisse; Sed panegyricus, castitatem Constantii laudans supra num.* 28, *mihi persuadet, illud ab initio verum ac legitimum exstitisse. Hallucinatus itaque etiam est Almannus, dum in Vita* S. Helenæ *affirmat ista de conjugio Constantii*: Hic Theodoram Maximiani privignam accepit uxorem: ex qua sex filios fratres Constantini ex Helena futuri sibi filii sustulit... Interim dum ille feliciter et fortiter administraret belli negotia, comperta incomparabili nobilitate, pulchritudine et potentia Helenæ, in oculis Domini tam beatæ, meditabatur ejus obtinere conjugium, desiderans, si forte posset, ex ea suscipere filium; multaque illam, licet in officio concubinali, tractavit reverentia et honestate. *At nunc de prole unica an pluribus* S. Helenæ. *confirmatur.*

§ IV.

AUCTORE J. P.

§ IV. An unica Helenæ proles Constantinus; quando et ubi ex ea natus; Sancta a marito repudiata quo se receperit; an Constantinum converterit ad Christi fidem, vel contra.

Unica, quantum scimus, Sanctæ proles Constantinus;

Menologium Sirleti ad diem XXI *Maii de patre Constantini sic loquitur :* Ille Constantinum unicum filium genuit, *nimirum ex* Helena, *de qua ante meminerat,* primum Christianorum imperatorem. *Aliam ipsis fuisse prolem præter Constantinum, lego, non esse memoriæ proditum ab antiquis. Hoc constat, Constantinum fuisse unicum* Helenæ *filium, quando illa excessit e vivis, teste Eusebio in Vita Constantini lib.* 3 *cap.* 46 *pag.* 506 *editionis Valesianæ :* In ipso, *inquit*, mortis confinio posita.. ultimam voluntatem declaravit, heredem relinquens unicum filium, solum imperatorem ac dominum orbis terrarum, cum filiis nobilissimis cæsaribus nepotibus suis. *Itaque sublestæ fidei censenda sunt, quamdiu ex antiquis scriptoribus non probantur, quæ apud Capgravium in qualicumque Vita* S. Helenæ *fol.* 174 *verso referuntur :* Cum igitur illam in thori societatem accepisset Constantius, generavit ex ea filium, quem appellavit constantinum, et alios sex filios, filiamque Constantiam. *Bouchelus vero Annalium Aquitaniæ, anno* 1644 *Pictavii excusorum, parte* 1 *cap.* 5 *pag* 17 *duos* Helenæ *e Constantio filios attribuit præter Constantinum, ex hymno de Lucionensis ecclesiæ fundatione composito, cujus initium :* Gaude Lucionum. *Eorum alterum Lucium, seniore fratre interfecto, patria expulsum, et ad monasticam vitam damnatam esse memorat, indeque a patre navigio cum multis presbyteris et viris religiosis impositum, ducentibus ventis, ad locum inter Pictavienses Aquitanico mari vicinum appulisse, atque ibidem abbatiam et ecclesiam Deiparæ Virgini sacram exstruxisse, et a nomine suo Lucionum appellasse. At quid hic de abbatia tempore Constantii somniatur? In novissima editione Galliæ Christianæ tomo* 2 *col.* 1404 *e Chronico Malleacensi narratur :* Anno MCCCLXXVII cœnobium S. Mariæ Lucionensis, quod Lucius quidam imperialis incœpit,.. destructum erat. *An Lucius ille imperialis superiori narrationi, quam ad fabulas relego, ansam dederit, exploratum non habeo.*

de anno natali satis convenit inter neotericos, non de loco.

36 *Quo anno Sancta nostra pepererit Constantinum, fere convenit inter neotericos. Usserius in suo indice chronologico pag.* 1801 *annum æræ Christianæ* 273; *Tillemontius tomo* 4 *Historiæ imperatorum pag.* 82 *annum circiter* 274, *ac diem* XXVII *Februarii assignat natalibus ejus ; quos Alfordus in indice chronologico post tomum* 8 *Annalium, pag.* 30 *differt in annum* 275. *Idem auctor Annalium tom.* 1 *ad annum Christi* 272, *num.* 1 *nonnullos allegat, sed non sequitur, qui illos innexunt anno dicto* 272. *Ad locum eorumdem natalium quod attinet ; jam indicavi superius, non tam ad* S. Helenam, *quam ad S. Constantinum spectare hoc argumentum, de cujus natali solo adeo multum, adeo diu et acriter a variis scriptoribus hactenus disputatum est, ac porro fortasse disputabitur. Interim ex jam præmissis habemus, magnum illum imperatorem, magnæ suæ matris immortale decus, verum ac legitimum* Helenæ *filium fuisse, quacumque demum parte terrarum primam lucem hauserit, ita ut agitatissimæ ac intricatissimæ huic controversiæ innovandæ laborem insumere nihil cogat, de qua tamen supra num.* 16 *nonnulla per transennam sunt dicta. Quamobrem maneat hic lis illa sub judice. Sicui autem desiderium incessit hanc quæstionem pluribus tractatam examinandi, assigno ei auctores, quos consulere possit, videlicet Baronium ad annum Christi* 306 *num.* 16, *Lipsium supra num.* 34 *designatum, Usserium cap.* 8, *et a pag.* 989; *Alfordum in Annalibus ad annum Christi* 275 *num.* 2 *et sequentibus, nec non in Britannia illustrata cap.* 1 *sectione* 2; *Morinum antea assignatum, cap.* 6; *Tillemontium tomo* 7 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 1, *et tomo* 4 *Imperatorum pag.* 82, *nec non nota* 3 *in Constantinum pag.* 615, *Pagium in Critica Baroniana ad annum* 305 *num.* 9.

Non constat,

37 *Constantius occasione dignitatis cæsareæ, quam anno* 292 *obtinuit, uxorem suam* Helenam *repudiare compulsus est, ut Maximiani Herculii privignam duceret. Quo autem interea se receperit* Helena, *quidve de ea factum sit, non scio ex antiquis scriptoribus esse exploratum. Si recentiores audire lubet ; Alfordus ad dictum annum num.* 3, Dico, *inquit,* postquam Theodoræ cesserat locum thorumque, Constantius nihilominus ejus, filiique curam imprimis habuit, et non ad Quantiam in Morinis, ubi nunc Hesdinum est (ut putavit Malbranque) sed Helenæ Treviris ædes elegantissimas constituit. *Antequam pergamus ulterius, audiamus Malbrancum De Morinis tom.* 1 *lib.* 2 *cap* 15 *:* Ad Quantiam Morinorum tranquillius dabatur perfugium. Illic castellum egregium editiore in ripa condidit Helena, accedente ad marginem utrumque vico, quæ ejus nomen Helenum induere, postmodum in Hedenum et Hesdinum tempora commutarunt. Scilicet Panegyris ad Constantinum habita, in ejus imperatoris honorem, Heleni oppidi meminit : unde a matre ipsius dictum collegerunt posteriores historici, atque ad Hedinum transtulerunt, cum constet, Helenam e Britannia pulsam trans mare habitasse, nec alibi peculiarem magis sedem tribui. Etiam traditur Chlogio in Morinos involans ad Helenæ vicum nuptias agitasse ; *de qua re agit libro citato cap.* 27 *pag.* 173. *Ita ille.*

quo diverterit S. Helena

38 *Alfordus contra,* Nec, *ait*, illam in Britanniam redire tumultibus et persecutionibus fœdatam, nec etiam tam procul abesse, passus est Constantinus cæsar. Ceterum quod illa Treviris habitaverit, Berengosius abbas affirmat, *quem citat ad marginem lib.* 3 *de inventione crucis cap.* 2 *in hæc verba :* Nobilitatem Helenæ apud Treviros, ædificiorum suorum adhuc antiqua testatur gentilitas : ubi pavimentum domus illius variis marmoribus et Pario quondam lapide stratum bene declarat, quantum ibi præ aliis videretur habere primatum. Præterea vero ipsæ planities parietum, fulvo auro, velut hyacinthino textu depictæ, bene testabantur insignia nobilitatis ejus invictæ. Insuper etiam prædiorum ejus copiæ ecclesiis Dei olim undique collatæ bene declarant, quam nobilissima generis polleret antiquitate. *Hæc ibi. Verum quam est infirma auctoritas tum pro nobilitate, tum pro habitatione* Helenæ *post suum a marito discessum, quæ sumitur ex Berengoso, qui traditur vixisse sæculo demum* 12, *ex dictis supra num.* 26! *Pergamus cum Alfordo :* Urbs

A Urbs *Trevirensis* Helenæ nomen æternum esse voluit, cuso numismate paulo posterius, cum Constantius esset imperator, aut potius cum filius regnaret. Numismatis inscriptio erat hujusmodi: FL. HELENA AUGUSTA. Et in aversa parte sic: SECURITAS REIPUBLICÆ. Inferne vero: S TR. Nimirum signatum Treviris.

a Constantio repudiata.

39 *Addi his potest domus Bonnensis ex Itinere Romano, ab Henschenio ac Papebrochio anno* 1660 *suscepto, quod apud nos signatur* † Ms. 146: Ad templum Collegiale.., *quod est Bonnæ,* divertimus.. Non longe a templo abest vetusta ex saxo quadrato domus, in qua Helena habitasse dicitur, atque ex ejus regione sacellum veteri forma rotundum ab eadem exstructum. *Sed ex his omnibus, etiam admissis tamquam veris, non satis pervideo sequi, ut Sancta ad tractus Trevirenses se contulerit tempore repudii sui. Cur enim hoc non acciderit alio tempore? Vide infra* § 10. *Nec magis certum mihi est, ubi Sancta nostra fuerit in principio famosæ persecutionis decimæ. Lux major videtur affulgere pro anno* 306; *quo quia Constantio patri suo imperatori subrogatus* B *est Constantinus magnus, admiranda reverentia ac tenerrimo affectu matrem suam, quoad vixit, prosecutus, sicut postea pluribus demonstrabitur; non videor a veritate deflexurus, si mihi persuasero, eam anno jam prædicto ab amantissimo sui filio ad aulam imperatoriam fuisse accersitam; quem quomodo antea educarit, restat etiam dicendum. Quare ad anteriora tempora tantisper redeamus.*

Ex Eusebio asserimus, Sanctam, veri Dei cognitione imbutam fuisse

40 *Theodoretus a Valesio vulgatus Ecclesiasticæ historiæ lib.* 1 *cap.* 18, *quod est de Helena matre imperatoris Constantini, eam laudat quod filium promoverit in pietate*: Imperatoris mater, *ait*,.. magnum illud lumen orbi peperit, et pietatis alimenta ei subministravit. *Sed nisi id intelligatur vel de pietate seu virtutibus moralibus, non vero de supernaturalibus seu meritoriis ad vitam æternam, vel de tempore post juventutem ac conversionem Constantini, (id quod videtur convenientius, quia sermo est de itinere Hierosolymitano* S. Helenæ, *quod* paullo, *ait*, ante mortem.. ingressa est: octogenaria vero decessit e vita) *Theodoreto repugnat Eusebius lib.* 3 *Vitæ ejusdem imperatoris cap.* 47, *pag.* 506 *dicens*: Quem C quidem ob ceteras res, maxime vero ob pietatem in matrem, beatum convenit prædicare. Quippe illam, cum antea Dei cultrix non esset (θεοσεβῆ . . οὐκ οὖσαν πρότερον) tam piam ac religiosam præstitit, ut a communi omnium Servatore instituta fuisse videretur. *Hæc disertissime Eusebius Constantino synchronus, ac rerum ab eo gestarum scientissimus. Unde sequitur, ut* Helenæ *ad veram fidem conversio acciderit post conversionem Constantini, quarum hæc quidem a Baronio refertur ad annum Christi* 312, *a collectore autem Historiæ imperatorum tomo* 4 *in Constantino articulo* 24, *ad proxime præcedentem; illa autem haud dubie hanc tum temporis subsecuta fuerit, quando* Helena *agebat annum circiter ætatis quintum supra sexagesimum.*

a Constantino filio (qua occasione

41 *Non itaque audiri meretur impius Zosimus, qui Historiarum lib.* 2 *pag.* 685 *editionis antea num.* 27 *citatæ indicat eum, qui imperatorem ad Christianam religionem amplectendam induxit, ante fuisse familiarem mulierculis aulæ ejus. Nam relata morte Crispi ac Faustæ, subdit ista:* Horum ipse sibi conscius *(Constantinus)* et præterea contemptæ sacramentorum religionis, ad flamines accedens, admissorum lustrationes poscebat. Illis respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui tam fœda eluere piacula posset; Ægyptius quidam, ex Hispania Romam delatus, palatinisque muliereulis familiaris factus; et ad Constantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum affirmavit, et id ipsum adeo polliceri; nimirum acceptantes eam homines impios mox omni delicto liberari. Eam orationem cum non gravate Constantinus accepisset, ac patritia missa faceret, perceptis iis, quæ hic Ægyptius offerebat, principium impietatis hoc dedit, ut divinationem suspectam haberet. Nam quod ei multæ res prosperæ per hanc prædictæ fuissent, quibus quidem reipsa respondit eventus, verebatur, ne itidem aliis adversis, ipsum hanc consulentibus, id quod futurum esset, prædiceretur. Atque hoc consilio impulsus, ad hujusmodi abolenda se convertit.

perstringuntur falsitates Zosimi.)

42 *Ita impudens ille ac infrunitus Christianorum osor fabulatur ineptissime, abolitam tum primum a Constantino divinationis superstitionem mentitus, quando Crispus interemptus est, id quod multis annis post Constantini ad religio-* E *nem Christianam conversionem evenit. At de ea re postea erit tractandum* § 5, *quando videbimus quomodo in illa se gesserit nostra Sancta. Interim præter ea, quibus supra num.* 29 *e Baronio impii hujus gentilis characteres depinxi, adjungo ista, quæ lego apud Caveum heterodoxum in Historia litteraria Scriptorum ecclesiasticorum pag.* 269, *ubi inter scriptores gentiles, fidem Christi seculo* V *damnantes, Historiarum ejus libris hanc inurit censuram*: In his libris quoties de rebus Christianorum agit, religionem eorum acriter perstringit; eoque nomine in omnes pene principes Christianos, præcipue in Constantinum Magnum et Theodosium seniorem strenue debacchabatur. Non sum nescius, Joannem Leunclavium, virum quidem eruditissimum, prolixam Apologiam in Zosimi gratiam edidisse, qua eum ab injuriis, fictisque in Christianos calumniis a livoris et malitiæ labe, qua flagrabat maxime, omni, quo potuit, ingenii acumine vindicat. Verum, dum hominem gentilem, et Christiani nominis hostem infensissimum purgat, laterem lavat, et Æthiopem dealbare conatur *etc. Nunc ad priora redeamus.*

F Argumenta

43 *Baronius ad annum* 315 *inter ea, quæ a num.* 10 *recitat e corruptis S. Silvestri Actis, ac deinde corrigit, hæc scribit ibidem num.* 12: At in iis quidem complura veritati manifeste adversantia inesse, perspicue demonstratur: nimirum quod Helena post Constantinum Christiana fuerit; cum ipsamet extiterit, quæ eumdem filium Constantinum ad pietatem a puero instituerit, ut auctor est S. Paulinus, qui hoc eodem seculo celebris in senatu fama claruit. Ipse enim ad Severum scribens, hæc ait: " Mansit hoc seculi prioris nefas " in tempora, nostris proxima, Constantini, qui " princeps esse principibus Christianis non magis " sua quam matris Helenæ fide meruit. " Hæc Paulinus claritudine generis doctrinaque insignis, et sanctitate præclarus, ob idque dignus cui magis credatur quam Eusebio asserenti Helenam ante pietate minime imbutam, piam redditam per Constantinum. *Epistola, e qua hæc sunt extracta, habetur inter S. Paulini Opera anno* 1685 *Parisiis impressa pag.* 193, *et notatur scripta anno* 403. *Sed illud S. Paulini* non magis sua quam matris Helenæ fide, *e quo Baronius suam promit sententiam*

AUCTORE J. P.

tentiam contra Eusebium, ita explico, et dico, nihil aliud significare quam quod Constantinus tam sua quam matris Helenæ fide etc.; *quod verum est, etiamsi hæc post illum conversa fuerit. Neque enim inde possum extundere, utrius conversio præcesserit. Cum autem verba Eusebii adeo sint clara et perspicua, eumque in rebus Constantinianis versatissimus fuerit loco, in quo vixit, ad hoc maxime accommodato, et scripserit ante S. Paulinum, omnino propendeo in sententiam Eusebii præ Baroniana.*

huic opinioni

44 *Alfordus ad annum Christi* 256 *num.* 3 *et sequentibus mihi contrarius, præter alia, quæ af..rt,* S. Ambrosium *recitat* affirmantem, Helenam plus Constantino dedisse, quam ab eo accepisse. Quod sive crucem, sive Christianam fidem significet, satis ostenditur, *ait*, matrem præeessisse. Nam ita Ambrosius in obitu Theodosii « Helena « multo amplius invenit, quod imperatori conferret, « quam quod ab imperatore acciperet. » Falsum enimvero id esset, si filio debebat Helena sperandarum rerum substantiam atque fundamentum. *Aliud argumentum accipit, et illustre quidem, ut vocat, laudatus Annalium scriptor ex S. Gregorii* B *ad Anglorum reginam epistola; de qua dixi alia occasione superius* § 1, *num.* 4, *et cujus verba hic repeto*: Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piissimi Constantini imperatoris, ad Christianam fidem corda Romanorum accendit *(Deus)* ita per gloriæ vestræ studium in Anglorum gentem ejus misericordiam confidimus operari. *Deinde e Græcis apud Sozomenum (sed ejus locum haud indicat) ista producit*. Apud Britannos, et reliquos illius orbis incolas liquido constat inter omnes Constantinum primum religione Christiana imbutum esse. *Adde Berengosum, si lubet, e quo duo recitat testimonia de pietate* S. Helenæ.

contraria

45 *Sed respondeo ad primum ex S. Ambrosio*: *Sic loquitur ille sanctus Doctor*: Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio divini muneris quæsivit auxilium *(crucis videlicet lignum, in quo pependerat Dominus; cujus* partem detulit filio, *ut dicit Rufinus* § 8 *hujus nostri Commentarii citandus)* quo inter prælia quoque tutus assisteret, et periculum non timeret. Magna femina, quæ multo, amplius invenit, quod imperatori conferret, quam quod ab imperatore acciperet. C *Alfordus* falsum enimvero, *ait*, id esset, si filio debebat Helena sperandarum rerum substantiam atque fundamentum, *seu conversionem ad veram fidem. Respondeo, inquam, ad primum*: *An quidquam suadet recurrere ad conversionem istam, ut vera dixerit S. Ambrosius? Affirmat Alfordus, ego nego. Quasi vero* S. Helena *filio suo Constantino plus non dederit, quando dedit ei incomparabilem vitalis ligni thesaurum seu ejusdem partem, etiamsi præscindamus a dicta conversione, quam a filio acceperit. Nam tametsi tot ac tanta, tamque magnifica et honorifica ab ipso accepisset ornamenta, de quibus agam postea*; multo *tamen* amplius, *sine ulla comparatione*, invenit, quod imperatori conferret, *ac reipsa contulit*, quam quod ab imperatore acciperet; *dum ipsi dedit pretiosissimum illud pignus nostræ salutis.*

refelluntur.

46 *Respondeo ad secundum e S. Gregorio*: *Nullus est apex in objectis ipsius verbis, qui faciat quidquam ad præsentem quæstionem. Ecquis enim ita argumentetur?* Per.. Helenam . ad Christianam fidem corda Romanorum accendit *Deus*: *ergo* Helena ad Christianam fidem *conversa est ante Constantinum. Enimvero non* illustre, *uti dicebat supra Alfordus, sed imbelle ac vitiosum esse illud argumentum, nemo non videt.* D

Respondeo ad tertium e Sozomeno: *Illud prorsus mihi non incommodat, Nam fac* constare.. Constantinum primum religione Christiana imbutum esse *apud Britannos etc. (An alibi et ubi id acciderit huc non spectat) an ex eo legitime extundes.* Helenam *fuisse imbutam illa religione ante Constantinum?*

Respondeo ad quartum e Berengoso: *Nimium ex eo probare intendit Alfordus, ac proin nihil probat. Profert quippe illius verba, quasi* ubique Helenam Christianam affirmet, priusquam Constantio jungeretur. *Sed hæc funditus corruunt ex præmissis. Denique parvi vel nullius potius momenti est auctoritas Berengosi in hac quæstione, ut ullum eidem pondus addat, quidquid ab Alfordo vocetur* antiquus auctor; *quem videlicet non ad seculum Christi septimum, sed ad duodecimum etiam invenies, non in omnibus ei fidendum esse.*

Ex dictis etiam convincuntur falsitatis, quæ narrantur tomo 2 *Conciliorum apud Labbeum* E *ex Arabica concilii Nicæni præfatione Latine reddita col.* 386 *et* 387 *(pro quibus debent legi col.* 388 *et col.* 389*) et sic habent*: Helena quamvis palam filio adolescenti Christi fidem reserare non audebat, ne res ab adolescente ardentiori promota animo tam sibi quam Christianis cæteris periculum crearet apud subditos ethnicos, jam dudum in Christi Ecclesiam furere assuctos. Quamobrem rem totam Deo optimo maximo committebat, spe maxime ducta, quod Ecclesiæ tandem aliquando provideret. Hinc juges ad Deum pro filio fundebat preces, jejunio assiduam navabat operam, eleemosynas clargiebatur, supplex viros sanctitate insignes adibat, ut Deum enixe precarentur tam pro filio, quam pro Ecclesiæ pace obtinenda. Et sane incassi non fuerunt tantæ mulieris labores, inanes non fuerunt preces ac vota: quandoquidem non solum ad fidem conversus est magnus Constantinus *etc.*

§ V. An Constantium ad orthodoxam fidem converterit; an priusquam ad Christum est conversa, fuerit Judæa; an a S. Silvestro PP. baptizata; studium propagandæ fidei; quomodo se gesserit in morte Crispi. F

Sequitur ex præmissis de S. Helenæ *conversione ad religionem Christianam anno æræ vulgaris* 311 *vel* 312, *ante quod tempus, teste Eusebio citato, necdum illustrata erat cultu veri Dei; sequitur, inquam, ut non converterit Constantium, anno* 306 *vita functum, prout videre licet tomo* 4 *Historiæ imperatorum nota nona in Constantinum pag.* 618, *et in Critica Pagii Baroniana ad eumdem annum num.* 7. *Quin imo etiamsi Christiani fuerint Constantio in amoribus, numquam tamen illum professum fuisse eorum religionem, invenies in allegata Historia imperatorum tomo* 4 *pag.* 80 *et* 81. *Hinc corruunt, non*

Ab Helena non fuit Constantius

A *non firmo videlicet satis nixa fundamento, quæ habet Alfordus ad annum* 306 *num.* 2, Christianæ, *inquiens*, religionis institutum Helenæ suasu amplexus, ad mortem se Christiano more composuit. *Cujus rei testem allegat Eusebium. Sed consideremus, an ex eo quidquam confici possit. Dictus itaque scriptor in Vita Constantini a Valesio editæ lib.* 1 *cap.* 17 *pag.* 416 *hæc memorat de Constantio* : Qualis autem exitus vitæ illi contigerit, cum se talem erga Deum præstitisset, quantumque discrimen inter illum et reliquos imperii consortes is, quem coluerat Deus esse voluerit, quisquis rem ipsam attentius expenderit, facile cognoscet. Postquam enim multa regiæ virtutis indicia diutissime præbuisset unum quidem summum omnium Deum agnoscens, eorum vero, qui plures deos colerent, impietatem condemnans, et sanctorum hominum precationibus domum suam undique munivisset, reliquum deinceps vitæ tempus expedite ac tranquille summa cum gloria exegisse dicitur, compos ejus felicitatis, quam vulgo perhibent in eo positam esse, ut neque ab aliis afficiamur, neque alios ipsi af-
B ficiamus molestia.

ad Christianam fidem conversus,

48 Ad hunc igitur modum toto imperii sui tempore, quod æquabile perpetuo ac placidum fuit, universam familiam, conjugem scilicet ac liberos cum omnibus ministris, uni omnium regi Deo consecravit. Adeo ut multitudo eorum qui in ipsius palatio simul versabantur, nulla re ab ecclesia Dei differret. Inter quos erant etiam ministri Dei, qui continuis precationibus pro salute principis Deum venerabantur; cum tamen vulgo apud alios ne ipsum quidem Dei cultorum nomen proferre fas esset. *Et cap.* 18 *ita pergit Eusebius* : Porro eas ob res non diu posthac mercedem a Deo est consecutus, in tantum, ut primum imperii locum obtineret.. Sed et numerosæ sobolis præstantia reliquos imperatores superavit.. Denique cum in extrema senectute positus, debitum communi naturæ persoluturus atque ex hac luce migraturus esset, ibi Deus admirabilem potentiam suam ei denuo exhibens, providit ut filiorum ipsius natu maximus Constantinus jamjam morituro ad capessendum imperium præsto esset. *Fac etiam verum*
C *esse id, quod legitur apud Zonaram lib.* 12 *Annalium pag.* 645 *editionis regiæ Parisinæ* : Fertur enim Constantio ægrotanti et ob ceterorum filiorum ineptam indolem mæsto, angelus adstitisse, qui juberet, ut Constantino relinqueret imperium. *Sed quid inde?*

qui utpote Christianus non videtur umquam exstitisse.

49 *Nunc itaque lectoris æqui judicium requiro, an ex his indicium vel minimum elici possit, quo suadeatur, Constantium Christianam religionem professum umquam fuisse. Gentilis neutiquam exstitit, teste Eusebio, non plurium sed unius veri Dei cultor : ad hæc, benignissimus Christianorum erat fautor; sed an ideo, Christianus ipsemet? Tacet Eusebius, non taciturus si quidquam de hac re comperisset, aptissima ei oblata ibidem occasione laudandi Constantinum a patris sui conversione ad orthodoxam Christianorum fidem. Quod dicit de Constantii mercede, quod de sobole, quod de potentia Dei, qui Constantinum in imperio ipsi suffecit; præmia sunt temporalia, non æterna; de illis loquitur Eusebius; de his vero non item. Idem applicari potest angelo ex Zonara relato; adeo ut hinc non possit formari argumentum in contrarium. Tacet, ut iterum hoc repetam, Eusebius, tacent scriptores alii, Constantium Christianorum fidem fuisse amplexum; nam nec Eusebius, nec alii expresse id dicunt, sicut observat pag.* 80 *auctor Historiæ imperatorum supra designatus. Numquam ergo S. Helenæ eam obtigisse felicitatem, ut maritum suum Christo lucraretur, mihi longe videtur probabilius.*

AUCTORE J. P.

Apocrypha sunt,

50 *Sanctam Judæis favisse antequam converteretur ad fidem Christi, nonnullorum opinio est. Baronius ad annum Christi* 315 *num.* 10 *et sequentibus*, Ex his, *inquit*, quæ hoc anno adversus Judæos Constantinum statuisse diximus, conjectura aliqua comprobari videtur pars Actorum illorum, quæ Silvestri dicuntur, in qua hoc ipso anno, iisdemque Coss. narratur habita Romæ coram Constantino imperatore et Helena matre celebris disputatio illa inter Judæos atque Silvestrum, delectis arbitris Cratone philosopho atque Zenophilo V. C. Quibus devictis ac penitus confutatis (ut ex iisdem apparet) Constantinus adversus eos, quæ sunt recensita, hoc eodem anno statuerit. Sed complura deinceps addita sunt, quæ eorumdem Actorum veritati adversantur penitus ac contradicunt. Præstat autem hic primum ipsorum describere exordium, quod est hujusmodi ex codicibus Vaticano, S. Mariæ Majoris, atque bibliothecæ nostræ descriptum : « Constan- E
« tino quater et Licinio tertio * Coss. die Iduum « Martiarum, facta est synodus in urbe Roma, « in qua diversarum provinciarum fuere episcopi numero septuagintaquinque, sacerdotes Judæorum centum novem, exceptis iis duodecim, « qui ab Isachar pontifice altercationis gratia fuerant destinati etc. »

* quater

quæ de S. Helenæ.

51 Convocandi autem Judæos ad conventum illum, hæc ibi causa prætexitur : Quod Helena cum esset in Oriente una cum duobus nepotibus Constantino atque Constante augustis, et gentilis adhuc a Judæis pene Judæa effecta, et commota in Constantinum filium, quod Christianam religionem sectaretur, ad eumdem infenso animo scripserit, multaque blasphemans in Christum, ipsum ad Judæorum tandem religionem invitarit. Ad quam ille rescribens statuit, ut utranam præstantior religio foret, Christianorum an Judæorum, in publico conventu Romæ celebrando, disputatione inter eos habita probaretur : sicque a Judæorum summo pontifice Isachar fuisse delectos præstantissimos quosque Judæorum, qui contra Silvestrum ceterosque Christianos episcopos F
coram ipsorum patrona Helena et Constantino augusto dissererent. *Fabulosissimum hoc commentum Eminentissimus auctor refutat primo ex eo, quod* Helena *fuerit Christiana ante Constantinum; pro qua re citat S. Paulinum contra Eusebium. Consule superius paragraphum* 4. *Sed quandoquidem contrarium nobis visum fuit magis probabile, secundum dicta in eodem paragrapho; ad alias Baronii rationes pergamus.* At quonam pacto, *inquit*, quis dixerit gentilem et Christo adversariam adhuc Helenam his fuisse temporibus, si filia ejus Constantio Licinio nupta (ut diximus) Christiana erat? Ut appareat tenellam virginem e secretis maternæ domus penetralibus progredientem Christianam, nonnisi ex materna institutione id consequi potuisse.

judaismo

52 Quam rursus deforme mendacium, dicere Helenam cum Constantio et Constante augustis hoc anno fuisse in Oriente : cum iidem (ut demonstratum nuper est) necdum cæsares hoc anno creati essent; sed Constantius post annos decem, post viginti vero Constans cæsarum dignitatem fuerint consecuti. Sed abhorret procul a veritate pariter quod dicitur de Isachar Judæorum sommo pontifice; cum exploratissimum sit, a tem-

pore

AUCTORE J. P.

pore excidii Hierosolymitani sub Tito desiisse penitus creari summos pontifices, prorsumque exolevisse apud eos pontificis nomen : qui autem apud eos tenebant principem locum, ab illis patriarchæ, reliqui vero magistratus archisynagogi, apostoli atque presbyteri appellabantur. Est de his in primis locuples testis Epiphanius agens adversus Ebionitas; nec non ejusdem Constantini atque aliorum principum sanctiones, *quas citat idem Baronius,* idem testantur. *Ad hæc,* Quis, *ait Pagius in Critica Baroniana ad annum* 315 *num.*4, sibi persuadeat in unum concilium convenisse Christianorum antistites et Judæorum sacerdotes ad disputationem de religione ineundam? *Hujusmodi enimvero falsitatum monstra retulisse, refutasse est. Breviter interim aliquid observa circa tempus, quo Baronius cæsares creatos signabat supra Constantium ac Constantem; nam hunc quidem apud exactiores duos chronologos lego anno* 333 *cæsarem esse factum ; illum autem anno* 323. *Jam rursus ad priora.*

antequam esset Christiana, circumferuntur :

53 *Hujusmodi reculas sordibus, de quibus modo agebam, non absimiles invenio apud Capgravium fol.* 174 *verso, ubi exstant ista :* Helena sanctissima mulier eum suis nepotibus Constantini filiis apud Byzantiam civitatem, quæ postea
B Constantinopolis appellabatur, aliquamdiu commorata est : ubi ab impiis Judæis circumventa, Christianam, quam prius vel modice induerat, fidem pene totam amiserat, et Judaicæ perfidiæ fortius adhærebat. *Alia plura habentur fol.* 175. *Infectam item fabularum sordibus cloacam olet illud Codicis Hagenoyensis, inter auctaria Usuardina ad diem* XVIII *Augusti apud nos recitatum :* Helena prius fuit pagana.. postmodum erat Judæa, et in ea lege perfecta. Ultimo fuit Christiana. *Quantum vero attinet ad disputationem Judæorum cum Christianis de qua paulto ante agebam, expungi merentur ista apud Marianum Scotum in Chronico ad annum Christi* 321 *tamquam apocrypha :* Tunc Constantino et Licinio IV Consulibus, die Idus Augusti congregati sunt cum Helena in Roma 120 sapientiores Judæorum. Quum autem quæstio oriretur a Sylvestro Papa, 24 episcopis consedentibus superati sunt Judæi in omni scriptura divina. *Item correctione sunt digna quæ ha-*
C *bent Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib.* 13 *cap.* 50 *et sequentibus, nec non S. Antoninus* 2 *parte Historiarum titulo* 9 § 3 *de Silvestri Pontificis ac Judæorum de Christo disputatione ; et ex Græcis Zonaras Annalium tom.* 2 *lib.* 13 *pag.* 4 ; *Glycas Annalium parte* 4 *pag.* 248; *Cedrenus in Compendio historiarum tom.* 1 *pag.* 273, *Citavi editiones regias Parisinas. Adde Nicephorum Ecclesiasticæ historiæ lib.* 7 *cap.* 36.

quæ videtur antea gentilis fuisse, nec dein a S. Silvestro PP. baptizata

54 *Ex his autem, quæ superius num.* 40 *dicebat Eusebius de Constantino Magno :* Quem quidem ob ceteras res maxime vero ob pietatem in matrem, beatum convenit prædicare. Quippe illam, CUM ANTEA DEI CULTRIX NON ESSET, tam piam ac religiosam præstitit *etc.; ex his, inquam eruo,* S. Helenam *ante filii sui conversionem exstitisse gentilem.* Quippe cum antea Dei cultrix non esset, *non erat ergo tunc Judæa; alioquin Dei cultrix fuisset. Secundum illa vero, quæ præmissa sunt a me de tempore, quo* S. Helenæ *conversio accidit ; in eam propendere mihi liceat opinionem, quod a S. Silvestro PP. non fuerit baptizata ; cum sanctus ille Pontifex Romanæ sedi admotus dumtaxat sit anno Christi* 314 ; *neque constet, Sanctæ baptismum eo usque dilatum fuisse, præsertim cum tam de-*

vexa in senectute annorum circiter 65 *ad Christum* D
accesserit? Non probo itaque narrationem sequentem apud Capgravium fol. 275. *Etenim postquam antea de Silvestro Papa actum esset, hæc referuntur loco citato :* Beatissima vero Helena imperatrix... a beato Silvestro baptismum humillime postulavit, et cum maxima cordis devotione ac reverentia ab ejus manibus accepit. *Atque hæc quidem sunt, quæ consideratis antecedentibus, de quibus dixi, circa Sanctæ nostræ baptismum memoranda censeo.*

Sancta Mulier serum suam conversionem virtute compensavit.

55 *Quamquam vero provecta admodum ætate in Christi scholam ingressa sit, tantos tamen in ejusdem doctrina progressus fecit, annitente Constantino,ut in ea ab ipso omnium Servatore Christo instituta esse videretur, secundum dicta Eusebii superius* § 4 *num.* 40, *atque adeo longam temporis jacturam, quam fecerat hactenus ad tuendam felicem æternitatem, egregie redemerit. Nam fides ejus ac promovendæ religionis orthodoxæ studium ita laudatur apud Rufinum lib.* 10 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 7 : Helena, Constantini mater, femina incomparibili fide, religione animi ac magnificentia singulari ; *adeo ut Constantinus* E
princeps esse principibus Christianis non magis sua quam matris Helenæ fide meruerit, *teste L. Paulino superius allegato* § 4 *num.* 43; *et Deus* per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piissimi Constantini imperatoris, ad Christianam fidem corda Romanorum accenderit, *uti invenies in hujus Commentarii paragrapho* 1 *num.* 4 *ex epistola S. Gregorii Magni PP. Facile itaque inducor ut eredam,* S. Helenæ *attribuendam esse plurimorum hominum, præsertim eorum, qui erant e familia imperatoris, e tenebris gentilis superstitionis ad unius veri Dei ac Christi Domini conversionem. Idque videtur præsumi posse de Crispo,* Helenæ *nepote e Constantino filio,in cujus Crispi funesta morte quomodo se illa gesserit, prætermittendum non est.*

In Crispi morte ita se gessit,

56 *Monumentorum ecclesiasticorum collector Gallus tomo* 7 *ejusdem operis pag.* 2 *agens de itinere Romano* S. Helenæ *versus anni* 326 *dimidium, meminit simul gravissimi doloris, quem illa e Crispi cæde hausit. Idem auctor tomo* 4 *Historiæ imperatorum nota* 54 *in Constantium, de emortuali ejusdem principis anno disserit, tenetque eam accidisse tempore mox indicato. Zosimus lib.* 2 *Historiarum pag.* 658 *in Constantino hæc memorat* F
in rem nostram : Crispum filium, cæsaris (ut ante dictum est) ornatum titulo, quod in suspicionem venisset, quasi cum Fausta noverca consuesceret, nulla ratione juris naturalis habita, sustulit. Quumque Constantini mater Helena tantam calamitatem ægro ferret animo, et intolerabilem ex cæde juvenis dolorem perciperet, quasi consolans eam Constantinus, malum malo majori sanavit. Nam quum balineum accendi supra modum jussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit. *In Sexti Aurelii Victoris Historiæ augustæ Epitome Francofurti anno* 1588 *vulgata tomo* 1 *pag.* 513 *exstant ista :* Constantinus Fausta conjuge, ut putant, suggerente, Crispum filium necari jubet. Dehinc uxorem suam Faustam, in balneas ardentes conjectam, interemit; cum eum mater Helena dolore nimio nepotis increparet.

ut nullam in ea partem habuerit.

57 *Codinus de originibus Constantinopolitanis anno* 1655 *regiis typis Parisiis excusus pag.* 34, *relata utriusque morte,* Helena, *inquit,* Constantini mater ægre ferebat injustam mortem illius juvenis, dignitatem cæsaris jam adepti, et assiduo

A duo nil aliud vel loquebatur vel meditabatur, quam præcipitem et injudicatam ejus condemnationem. Quare tandem quoque pater sera permotus pœnitentia, integros quadraginta dies ipsum luxit tanta animi ægritudine, ut numquam nec lavaret corpus, nec lecto recumberet. Præterea statuam ei posuit etc. Hac igitur ratione pœnitentiam ageus, Deum quoque multis et assiduis precibus illius peccati veniam exoravit. *E quibus tria deduco corollaria. Primum* : S. Helena *nullam habuit partem in morte Crispi. Secundum : Aliquam habuisse in pœnitentia Constantini suspicor. Tertium: Etiamsi solus e modo citatis auctoribus Zosimus dicat, quod* quasi consolans eam Constantinus *necem Faustæ intulerit, nullus tamen dubito quin, spectata tam eximia* Helenæ *virtute, remotissima ea fuerit a desiderando tam severo supplicio.*

§ VI. Inventio crucis elaborata hic secundis curis; iter Sanctæ in Palæstinam; an divina revelatio eidem prævia; quo animo, quo tempore, et quanta cum laude susceptum.

B

Quæ alibi apud nos dicta sunt de inventione crucis, plenius hic tractantur.

Dolorem Sanctæ, de quo loquebar proxime, levavit cito Deus, quando prodigioso prorsus modo illi manifestavit sacratissimum Crucis thesaurum. Tomo I *Maii nostri ad diem* III *ejusdem mensis, quo ab Ecclesia ritu solenni recolitur annua Inventionis pretiosissimi hujus pignoris memoria, a pag.* 361 *occasione istius festi relatum est, quomodo Macarius episcopus Hierosolymitanus a concilio Nicæno redux,* Heleuam *exceperit, defossæque crucis locum divinitus edoctus, inter refossas cruces tres, miraculo discreverit crucem Domini a duabus aliis; ejusdemque deinde partem miserit ea ad filium; aliam vero Macario episcopo tradiderit etc. Deinde Papebrochius quemdam causidicum convenit, qui S. Macario nihil in toto hoc negotio fabulabatur tribuendum, sed omnia Judæo indici abscribebat.* C *Cap. 2 agitur de fabulosis inventæ crucis Actis, et aliis quibusdam de eodem scriptis argumento. Denique cap. 3 tractatur, quibus diebus crux Hierosolymis ostendatur; quando festum Inventionis sit cœptum apud Latinos; qualis sit Alexandri monachi de cruce oratio. Hæc ibi jam pridem occasione prædicti festi; quorum ideam hic præmittere visum est. Sed quandoquidem nec nihil, nec omnia de præsenti argumento, qua ad res gestas* S. Helenæ *altinet, tum temporis dicta sunt, ideo illud hoc loco secundis curis resumendum ac plenius tractandum censeo. Ac primo quidem dicam de ratione itineris Hierosolymitani, a* S. Helena *suscepti.*

Cur S. Helena sit peregrinata in Terram sanctam :

59 *Eusebius in Vita Constantini lib. 3 cap. 42 indicat, Sanctam suscepisse illud iter, ut populos ac provincias Orientis viseret, eorumque necessitatibus prospiceret.* Nam, *inquit,* cum illa debitum piæ affectionis munus Deo omnium regi persolvere decrevisset, et pro filio suo, tanto scilicet imperatore, ac pro filiis ejus cæsaribus Deo carissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset, quamvis affecta jam ætate, tamen juvenili animo properavit; mulier singulari prudentia; ut terram veneratione dignam perlustraret, et Orientis provincias, urbesque ac populos cum regali quadam solicitudine ac providentia inviseret. *Sed præcipuus peregrinationis ejus finis videtur fuisse, ut perlustraret Palæstinam, tot prodigiis plenam, ac ut ibidem loci meritas Deo gratias persolveret de tot ac tantis favoribus, quibus tum in suo filio Constantino, tum in suis nepotibus ab ipso cumulabatur, ut habemus ex Eusebio; quem citabam modo. Audiamus S. Ambrosium in concione de obitu Theodosii senioris imperatoris, de qua antea memini, ita loquentem :* Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam, et scrutata est locum Dominicæ passionis. *Fertur etiam hoc iter esse susceptum ex præviis revelationibus.*

an a Deo præmonita :

60 *Nam Rufinus lib. 10 cap. 7 de sancta Matrona nostra,* Cujus, *ait*, Constantinus cum esset filius, et crederetur divinis admonita visionibus, Jerosolymam petit, atque ibi locum, in quo sacrosanctum corpus Christi patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit. *Rufino suffragatur Socrates Ecclesiasticæ historiæ lib.* I, *et affirmatius quidem rem edocet, quando sic incipit* E *ibi caput* 17 : Mater imperatoris Helena... a Deo in somnis admonita venit Hierosolyma. Et..... Christi monumentum, in quo ille sepultus resurrexit, studiose cœpit perquirere. *Theophanes in Chronographia Parisiis edita formis regiis anno* 1655, *sic narrat pag.* 18 *de Sancta nostra* : Ostentum autem vidit, jubens eam Hierosolymam proficisci, et divina loca sub terram ab impiis et profanis defossa in lucem educere. Tunc ipsa filium Constantinum rogat, ut divinitus sibi imposita munera adimpleret. Ille divino nutu concitatus matri morem gessit. *S. Paulinus supra* § 4 *num.* 43 *designatus indicat, hoc iter ab illa esse susceptum ex singulari Dei monitu, quamquam non addat, an cum, an absque Dei revelatione id factum sit. En tibi ejusdem Sancti verba* : Quæ, *videlicet Helena,* divino, ut exitus docuit, inspirata consilio, cum Hierosolymam agnosceret nomine, quæ augusta cum filio conregnabat, eum rogavit, ut sibi facultatem daret cuncta illic loca dominicis impressa vestigiis... purgare.

quanta cum animi fortitudine eo profecta.

61 *Quanta vero cum comparatione animi, quam cum tenaci ac fervido decretum exsequendi proposito ad iter illud Mulier sanctissima sese accinxerit, non obscure perspici potest e magnis* F *molestiis, quas ea occasione vel ante suum in Terram sanctam adventum, vel post illum, dicamus enimvero ante et post, generosa illa peregrina superavit. Etenim, Eusebio teste lib. 3 Vitæ Constantini cap. 42,* Quamvis affecta jam ætate, tamen juvenili animo properavit, ut terram veneratione dignam pelustraret, et Orientis provincias urbesque ac populos... inviseret. *Hæc ille. Et idem ibidem caput* 44 de magnitudine animi et beneficentia Helenæ *inscribit. Theodoretus lib.* I *Ecclesiasticæ historiæ postquam cap.* 15, 16 *et* 17 *protulisset tres Constantini imperatoris epistolas, quarum ea, quæ recitatur tertio loco, data est ad Macarium Hierosolymitanum episcopum de constructione ecclesiæ,* Has litteras, *ait idem historicus cap.* 18 *pag.* 47 *editionis Valesianæ,* non alius quispiam pertulit, sed ipsa imperatoris mater... ipsa itineris laborem subiens, et senectutis suæ incommoda pro nihilo reputans. Etenim paulo ante mortem hoc iter ingressa est : octogenaria vero discessit e vita. *Quæ nonne satis superque probant, nostram Imperatricem ingentes ac indefessos animos ad durum sibi in tam grandæva senectute iter præmisisse?*

AUCTORE J. P.

Non fuit eam comitatus S. Silvester PP.

sisse? Verum an in ipso itinere comitem habuit S. Silvestrum PP.?

62 *Affirmat Zonaras, tom. 2 Annalium lib. 13 pag. 5 editionis Cangianæ de ejus itinere sic scribens*: Ascito igitur D. Sylvestro comite, Hierosolyma proficiscitur. *Sed fabulosum istum comitem refutat Baronius ad annum Christi* 326 *num.* 42, Commentum, *inquiens*, jure dicendum est, quod nulla vel majorum traditione probatur, vel antiquorum scriptorum auctoritate fulcitur. Sed et alia complura minus solidæ veritatis itidem in historiam inventionis sanctissimæ crucis non nuper sed antiquitus irrepsere, quæ Gelasius Romanus Pontifex sic reliquit dubia atque incerta, ut iu arbitrium prudentis lectoris rejiciat, qui separare sciat pretiosum a vili, et verum a falso; ut æqua lance cunctis examinatis, recto libramento omnia judicet. *Et mox Baronius verba Gelasii reddit. De crucis inventione agemus paullo post. Nunc igitur, quoniam in Sanctæ itinere versamur hactenus, dispiciamus breviter, quando illud sit institutum.*

Eo se non contulit ante annum 325; ac 326 medio dicitur illuc pervenisse

B 63 *Hoc non accidit ante annum Christi* 325, *quo celeberrimum concilium Nicænum celebratum fuit. Theophanes enim in Chronographia pag.* 18 *ita memorat*: Macario prætcrea Hierosolymorum episcopo, qui concilio interfuit, mandavit imperator, ut reversus sanctæ Resurrectionis locum, et Calvarii Golgotham, et vivificum crucis lignum requireret. *Atqui ab eodem chronographo pag.* 20 *refertur* Helenæ, *Hierosolymam versus profectæ*, cum debito honore imperatrici factus obviam Macarium Hierosolymorum patriarcha: *ergo iter non instituit* Helena *ante dictum annum. Id quod præterea eruo ex antiquioribus. Nam Eusebius lib.* 3 *Vitæ Constantini eum scribendi ordinem servat, ut, narratis rebus, quas imperator gessit occasione ejusdem concilii, subnectat ista ibidem cap.* 25: His ita gestis, imperator Deo carus aliud quiddam imprimis memorabile aggressus est in Palæstina. Quidnam vero illud est? Beatissimum illum Dominicæ Resurrectionis locum, qui est Hierosolymis, illustrem ac venerabilem cunctis mortalibus efficere, officii sui esse existimavit. Confestim igitur oratorium ibidem exstrui mandavit non absque Dei nutu eo inductus; sed ipso Servatore ejus

C animum incitante. *Ad dictum etiam ordinem refer alia, quæ pluribus capitibus ibidem deducuntur. Rufinus lib.* 10 *cap.* 6 *de exemplo fidei synodi Nicænæ ac decretis locutus, cap.* 7 *ita prosequitur*: Per idem tempus Helena Hierosolymam petit. *Consilium autem illud verosimiliter inchoatum fuisse die* XIX *Junii, ac durasse usque ad* XXV *Augusti, observat Gallus auctor Historiæ imperatorum tomo* 4 *in tabula chronologica pag.* 712; Helenam *vero non pervenisse in Palæstinam verosimiliter censet, nisi post iter suum Romanum anno circiter* 326 *medio, secundum notam* 54 *in Constantinum ibidem pag*, 649, *quæ agit de Crispo tunc mortuo. Sed adventus ille in Palæstinam tunc temporis accidisse vix potest intelligi ob tam multa et præclara atque adeo moram requirentia, quæ Sancta ibidem peregit, si obitum illius cum Pagio affigas eidem anno* 326. *At de hac re inferius*

Iter illud perperam arroditur ab heterodoxis.

64 *Religiosissimam porro ac Deo gratissimam fuisse hanc piissimæ nostræ Imperatricis expeditionem, cum ex ipsius rei natura, tum ex ejusdem rei adjunctis, tum ex scriptorum elogiis, tum denique e fine sanctissimo, quem illa sibi præfigebat, nemo Catholicorum inficias ierit, quidquid ei obstrepant heterodoxi ac inimici crucis Christi. Verum ne, quod dicitur, falcem mittam in alienam messem, legi possunt quæ adversus sectarios scribit Gretserus, infra in fine* § 8 *citandus, tomo* 1 *lib.* 1 *cap.* 63; *nec non Alfordus ad annum Christi* 326, *vel quæ alii polemici memorant. Ab ordine autem rerum, quas laudatissima illa Femina Hierosolymam delata peregit, non apparet alienum esse, si primo loquar de inventione crucis, tum de locis sacris in Terra sancta constructis, ac denique de virtutibus ibidem exercitis.* D

§ VII. Historica sanctæ crucis ab Helena inventæ collectio.

Quænam præcesserint inventionem

C*rucis inventæ historiam Baronius ad annum* 326 *num*, 43 *recitat ex S. Ambrosio*, *consideratis circumstantiis, ut majus eidem accedat momentum auctoritatis.* Ambrosius, *ait*, rem gestam coram amplissimo magistratus consessu sic pro concione recensuit, cum laudes Theodosii imperatoris defuncti egregia prosecutus est oratione, *de qua superius dixi. Itaque dum Hierosolymam* Venit, *referente Ambrosio,* Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei spiritus, ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgotham, et ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in regnis, et crux Domini in pulvere? Ego in aulis, et in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, et palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum. Aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te, et mortuus subjugaret. Vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestavit; ego crucem ejus investigabo. Illa generatum docuit; ego resuscitatum. Illa fecit ut Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum. E F

66 *S. Paulinus in epistola, quam nuper citabam, ita rem exponit*: Regina illa venerabilis ut venit Hierosolymam, diligcuter et pie locis illic et circa omnibus, divinorum curiosa insignium, et oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus litterisque perceperat, crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cum index idoneus nemo inveniri posset, ubi memoriam et curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ, et antiquitas ævi et superstitionis impiæ diuturnitas aboIevisset? Verum ipso omnium et terris et animis opertorum conscio et teste Domino, fidelis Mulier sanctum Spiritum per affectum pium meruit; quo aspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligens requisisset, de loco tantum passionis certior fieri studuit. *Nec sine molestia magna locus ab ea repertus*; *nam* Idcirco, *uti ait Rufinus lib.* 10 *cap.* 7, ad inveniendum difficilis erat, quia ab antiquis persecutoribus simulacrum iu eo Veneris fuerat defixum, ut si quis Christianorum

A Christianorum in loco illo Christum adorare voluisset, Venerem videretur adorare: et ob hoc infrequens, et pene oblivioni datus fuerat.

sanctæ crucis;

67 *Sed hisce difficultatibus non absterrita ab incepto Mulier illa fortis*, non solum de Christianis (*Verba sunt laudati S. Paulini*) doctrina et sanctitate plenos viros, sed et de Judæis peritissimos, ut propriæ, qua miseri et gloriantur, et impietatis indices exquisivit, et accitos in Hierosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificationis * confirmata *etc. Dum ait Rufinus*, sed cum, ut supra diximus, religiosa femina properasset ad locum cælesti sibi indicio designatum, *indicat insuper, locum divinitus ab ipsa fuisse cognitum. Quid tum postea?* Jussit illico, *sicut pergit Paulinus*, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi; parataque mox civium pariter et militari manu, brevi laborem istius molitionis hausit: *videlicet* cuncta ex eo profana et polluta deturbans, in altum purgatis ruderibus, *uti est apud Rufinum citatum. Eusebius lib.* 3 *Vitæ Constantini cap.*

* Id est, martyrii seu passionis

B 26 *exponit quomodo impii sepulcrum Domini ruderibus et simulacris superpositis obtexerint; ejusque loci purgationem adscribens imperatori Constantino*, Continuo, *inquit*, opera illa ad fraudem comparata, e sublimi ad solum dejecta sunt, et ædificia ad decipiendos homines constructa, cum ipsis statuis ac dæmonibus diruta sunt ac dissipata. *Et mox cap.* 27 *ita pergit*: Neque tamen hic conquievit imperatoris alacritas; sed præterea tolli ruta cæsa *, et quam longissime extra fines regionum projici mandavit.. *Quin etiam* divino quodam æstu incitatus jussit, ut loco altissime effosso solum ipsum, utpote dæmonum piaculis contaminatum, simul cum egesta humo quam longissime exportaretur. *Sed tametsi hic loci purgatio tribuatur Constantino; superius autem S.* Helenæ, *adeo non pugnant ista, quin facile componi queant, dicendo, rem a Constantino quidem præceptam, ab* Helena *vero exsecutioni mandatam fuisse, cum prius fortasse de eadem scripsisset ad Constantinum, eumque de loci sanctissimi profanatione certiorem reddidisset.*

* i. e. materiam ac rudera

quænam in ipsa inventione

68 *Itaque* contra spem omnium (*verbis utor Paulini*) sed secundum ipsius tantum reginæ fidem,
C alta egestione reseratis terræ finibus, abdita crucis arcana patuerunt. *Hæc confirmantur ex Eusebio lib.* 3 *Vitæ Constantini cap.* 28: Nec mora, istud quoque, *(quod statim ex ipso dixi de solo et egesta humo)* ut jussum erat, impletum est. Postquam aliud solum, locus scilicet, qui in imo erat, apparuit, tunc vero ipsum augustum sanctissimumque Dominicæ Resurrectionis monumentum præter omnium spem refulsit, et spelunca illa, quæ sancta sanctorum vere dici potest, Resurrectionis Servatoris nostri quamdam expressit similitudinem; cum post situm ac tenebras, quibus obtecta fuerat, rursus in lucem prodiit, et miraculorum, quæ ibi quondam gesta fuerant, historiam iis, qui ad spectandum confluxerant, manifestissime videndam exhibuit, rebus ipsis, quæ omni voce clarius sonant, Servatoris nostri Resurrectionem testata. *Sed crux plus unica ibidem reperta. Nam Theodoretus antea allegatus lib.* 1 *cap.* 18 *pag.* 48 *hæc memorat*: Cum vero sepulcrum, quod hactenus latuerat, in lucem emersisset, cruces tres juxta Dominicum monumentum defossæ apparuerunt. *Theodoreto suffragatur Sozomenus lib* 2 *cap.* 1 *dicens*: Cum ex imperatoris mandato locus alte effossus ac repurgatus fuisset, in ejus parte spelunca Resurrectionis apparuit. Alibi vero juxta eumdem locum tres inventæ sunt cruces. *Rufinus lib.* 10 *cap.* 7 *hæc adjungit*: Tres confuso ordine (*Helena*) reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiam uniuscujusque crucis indiscreta proprietas. *Hæc vero obturbatio insigni prodigio deinde sublata est, ut mox patebit; cum indicia alia evidentia non essent. Aderat quidem salutiferæ crucis titulus, quo hæc ab aliis, in quibus duo latrones fuerant affixi, olim in Calvariæ monte fuerat distincta; sed hic non statim certum indicium præbebat.*

acciderint; et quam mirabili modo

69 *A Sozomeno mox designato scribitur, præter tres cruces inventa* alia separatim tabella, in cujus albo verbis ac litteris Hebraïcis, Græcis et Latinis hæc scripta erant: Jesus Nazarenus rex Judæorum. *Rufinus ubi supra*: Aderat quidem et titulus ille, qui Græcis et Latinis atque Hebraïcis litteris a Pilato fuerat conscriptus. Sed nec ipse satis evidenter Dominici prodebat signa patibuli. *Ambrosius in oratione de obitu Theodosii, præter titulum, quem refert* Helenam *invenisse, clavos etiam ab ea inventos significat in hæc verba*: Quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus et invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit *etc. Verum nec titulus nec clavi statim evidens præ-* E *buere indicium, ut Christi crucem a duabus aliis secerneret. Quid ergo agitur? Audiamus S. Paulinum*: Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino et latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, justo piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo violarent. *S. Ambrosius censet, sufficiens vel e solo titulo* Helenam *habuisse indicium, ut unam ab alia distingueret, quando ista memorat*: Tria patibula confusa reperit.. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto hæret mulier; sed certam indaginem sanctus Spiritus inspirat, eo quod duo latrones cum domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum: sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret et inverteret. Redit ad Evangelii lectionem, invenit quia in medio patibuli prælatus titulus erat: Jesus Nazarenus rex Judæorum. Hinc colecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris.. Invenit ergo titulum, F regem adoravit. *S. Ambrosio adde alium Ecclesiæ Doctorem S. Joannem Chrysostomum homilia in Joannem* 85 *al.* 84, *prout notatur in novissima Operum ejusdem sancti Patris editione Parisiensi tom.* 8; *ubi pag.* 505 *hæc sunt*: Cum enim crucis lignum defossum fuisset, nec illud quispiam eruere auderet instante metu: cum fideles aliis rebus urgentibus incumberent; et tamen futurum erat, ut insequenti tempore crux perquireretur, et tres cruces una jacerent, ne ignoraretur, quænam Domini fuisset, primo quod in medio esset, deinde ex titulo agnita fuit; latronum quippe cruces titulos non habebant. *Et vero cur vel e solo crucis titulo crux ipsa Domini sufficienter internosci ab* Helena *non potuerit, si, inspecto clavorum loco, quibus in cruce affixus pependerat titulus, hunc cum istis ac eorum loco in cruce, contulerit?*

vera Domini crux

70 *Fatemur quidem, Theodoretum movere aliquem hac in re difficultatem, dum sic scribit post ea, quæ de titulo crucis paullo ante ex ipso dedimus*: Adhuc tamen erat difficile, divinam crucem quamvis repertam a reliquis distinguere: quippe cum ejus inscriptio ab ipsa divulsa projectaque

AUCTORE J. P.

etaque esset; *sed sive sola inscriptio ad dictam distinctionem fuerit satis, sive* Helena *voluerit indicium certius, ac, Deo id ipsi inspirante ad manifestanda magnalia crucis, cœleste rogaverit signum, quo certissime de illa constaret; enimvero* Ilic jam humanæ ambiguitatis incertum, *ut verbis Rufini utar,* divinum flagitat testimonium.. Macharius per id tempus ecclesiæ illius episcopus erat, *et medium suggessit, sicut mox referam;* sapientissimus ille ac plane divinus Macarius, *prout vocatur a Theodoreto lib.* 1 *cap.* 18; *de quo idem auctor cap.* 16 *ejusdem libri præmiserat ista* : Erat hic Macarius ille, cujus supra mentionem fecimus; qui etiam maximæ synodo interfuerat, et una cum reliquis impietatem Arii prostravit. *Itaque, narrante Rufino*, accidit in eadem urbe *(Hierosolymitana)* primariam quamdam loci illius feminam, gravi ægritudine confectam seminecem jacere . . . Is *(nempe Macarius)* ubi cunctantem Reginam, atque omnes pariter, qui aderant, videt; Afferte huc, inquit, totas, quæ repertæ sunt, cruces, et quæ sit, quæ portaverit Dominum, nunc nobis aperiet Deus. Et ingressus B cum Regina pariter et populis ad eam, quæ decumbebat, defixis genibus hujusmodi precem fudit; *quæ habetur lib.* 10 *cap.* 8 *his verbis expressa :*

a duabus aliis

71 Tu, Domine, per unigenitum Filium tuum salutem generi humano per passionem crucis conferre dignatus es; et nunc in novissimis temporibus adspirasti in corde Ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit; ostende evidenter, ex his tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterint ad servile supplicium, ut hæc mulier, quæ semiviva decumbit, statim ut eam lignum salutare contigerit, a mortis januis revocetur ad vitam. Et cum hoc dixisset, adhibuit primo unam ex tribus, et nihil profecit. Adhibuit secundam; nec sic quidem aliquid actum est. Ut vero admovit tertiam, repente apertis oculis mulier consurrexit, et stabilitate virium recepta, alacrior multo, quam dum sana fuerat, tota domo discurrere et magnificare Domini potentiam cœpit. Sic evidenti indicio Regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat, regia ambitione construxit. C *Verum de ædificatione hujus ecclesiæ, quæ* S. Helenæ *hic adscribitur, consule quæ referam* § 8 *et* 9.

fuerit distincta.

72 *Prædictum miraculum de sanatione mulieris etiam refertur a Sozomeno lib.* 2 *Ecclesiasticæ historiæ cap.* 1, *et ei additur aliud his verbis :* Aiunt etiam mortuum eodem modo ad vitam esse revocatum. *Apud S. Paulinum in epistola memorata pag.* 197 *solum hoc miraculum invenio : ita quippe ibidem dicitur* : Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, et ipsi potissimum, quæ tam piæ solicitudinis princeps erat, hujus consilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri et inferri juberet. Nec mora : verbum factum : cadaver illatum est · deponitur ; jacenti una de crucibus admovetur, et altera; sed reorum ligna mors sprevit. Postremo Dominicam crucem prodit resurrectio, et ad salutaris ligni tactum morte profuga funus * excussum, et corpus erectum est; tremefactisque viventibus stetit mortuus, et funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus illico inter exspectatores * suos. *Nec aliud præter hoc miraculum narrat S. Sulpicius Severus lib.* 2 *Sacræ historiæ typis Plantinianis Antverpiæ editæ pag.* 153.

* Id est cadaver vel mortuus excitatus est

* al. spectatores

D

§ VIII. An Eusebius de crucis inventione non meminerit ; an a Judæo fuerit præmonstrata ; acta S. Helenæ post ejus inventionem ; publica veneratione ac miraculis crux illustratur.

Miratur Baronius, Eusebium de inventione sanctæ crucis

Eusebii silentium de inventione crucis miratur et ita declarat Baronius ad annum Christi 326 *num.* 42 : Sed magna plane tenet omnes admiratio, quid sit, quod Eusebius ædificationem omnium harum basilicarum (*de quibus proxime egerat Baronius*) relegens, et de Helena prolixiorem mentionem faciens, de cruce ab ea inventa ne verbum quidem : cum eam repertam esse sub Constantino, nulli sit dubium; sic scribente Cyrillo episcopo Hierosolymitano ad Constantium, E Constantini ipsius filium imperatorem : „ Tempore quidem (inquit) Deo dilectissimi et „ beatæ memoriæ Constantini patris tui salutare „ crucis lignum Hierosolymis repertum est etc. „ Scimus tamen eumdem Eusebium inventionis S. Crucis in Chronico meminisse ; sed alio (ut videtur) tempore, nempe anno decimo quinto imperii Constantini, ubi hæc ait : „ Helena Con„ stantini mater, divinis admonita visionibus, „ beatissimum crucis lignum, in quo salus mundi „ pependit, apud Hierosolymam reperit. „ Ceterum quod Eusebii Chronicon a librariis admodum esse depravatum, in fine anni superioris evidentissime demonstravimus; et in eodem Chronico appareat, etsi in numero annorum Constantini sit error; tamen constare ibi positam crucis inventionem anno sequenti post Nicænum concilium ; non immerito sane ab antiquis omnibus Græcis auctoribus hoc anno, nempe sequenti a Nicæno concilio, adventus Helenæ Hierosolymam, et crucis inventio poni videtur. *Sed eminentissimus auctor immerito miratur silentium Eusebii, qui utpote de inventa cruce per* S. Helenam *non tacuit, sed eam satis diserte expressit, quamquam nec* Helenæ, *nec crucis nomen tunc signat. Sed res ista e Chronico Eusebii conficienda non est.* F

non meminisse in Vita Constantini magni:

73 *In Chronico enim Eusebii, quod illustrissimus Pontacus edidit, ad annos Domini* 324, 325 *et* 326 *invenio locum, modo e Baronio citatum; sed diversis a textu characteribus notatum. In editione autem Scaligeri pag.* 181 *nullum ad dictos annos lego istius inventionis vestigium; ut hinc etiam appareat, parum vel nihil Chronico Eusebiano esse fidendum in præsenti materia, quasi vero quæ citabat supra tamquam Eusebiana Baronius, vere Eusebiana sint, et non adjecta fortassis aliunde. Quare Chronico illo secluso, quæritur, an Eusebius inventionem crucis silentio præterierit in Vita Constantini. Sed immerito cum de silentio accusari a Baronio, non obscure colligitur e Vita Constantini lib.* 3 *cap.* 30, *ubi profertur* Constantini ad Macarium epistola de ædificatione Martyrii Servatoris nostri, *seu basilica Resurrectionis vel sanctæ crucis; cujus inventio vel inventionis locus ansam dedit imperatori piissimo ædificandi ibidem magnificentissimam illam ecclesiam.*

75 *Tota*

AUCTORE J. P.

sed probabilius nobis videtur ibidem de illa egisse.

A 75 *Tota autem illa epistola jam pridem apud nos excusa est tomo* I *Maii, die* III, *pag.* 362; *quæ tametsi non sit longa, quia tamen ibi legi potest, vel apud ipsum Eusebium a Valesio vulgatum a pag.* 499; *ideo nonnulla dumtaxat, quæ in rem tamen nostram sufficiant, ex eadem delibamus:* Tauta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad PRÆSENTIS MIRACULI NARRATIONEM sufficere videatur. Nam SACRATISSIMÆ ILLIUS PASSIONIS MONUMENTUM, SUB TERRA JAM PRIDEM OCCULTATUM TOT ANNORUM SPATIA DELITUISSE, quoad ... famulis ejus in libertatem vindicatis affulgeret, omnem revera admirationem superat.. Illud tibi in primis persuasum velim, nihil mihi antiquius esse, quam ut sacrum illum locum, quem Dei jussu turpissima adjectione simulacri, velut gravi quodam pondere exoneravi; et qui ab initio quidem Dei judicio sanctus fuit, postea vero multo sanctior effectus est, ex quo DOMINICÆ PASSIONIS FIDEM in lucem protulit; eum, inquam, locum fabricarum pulchritudine exornemus. *Audin'* præsentis miraculi narrationem, passionis B monumentum sub terra jam pridem occultatum, Domiuicæ passionis fidem in lucem protulit? *Quæ quonam spectent, si ad Dominicæ crucis inventionem non spectent? Non itaque ad sepulcrum spectant; quod potius fuit insigne seu monumentum Resurrectionis, quam Passionis Jesu Christi. Enimvero Papebrochius loco citato totam illam epistolam dedit,* ut intelligeretur, *inquit,* clarius, quod omnia ista ordinata ab imperatore fuerint respectu crucis Dominicæ, refossæ, et miraculis illustratæ, quæ crux hic appellatur τὸ γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου πάθους, et τοῦ σωτηρίου πάθους πίστις, sanctissimæ et salutiferæ Passionis signum, et, fides seu testimonium. *Quisnam itaque inficias iverit, sanctissimam crucem Domini nostri, ejusdem inventionem in illa epistola Constantini antonomastice ab Eusebio indicari?* De hac expressius non esse locutum Eusebium *(loquitur enim dumtaxat in persona Constantini, cujus epistolam recitat)* neque miraculi ad ejus agnitionem patrati meminisse, miraremur; nisi videremus in solius Constantini laudibus ita occupatum, ut nec matris quidem Helenæ, ad hoc in Hierusalem missæ, fuerit recordatus, utique festinans ad fabricæ illius C augustissimæ descriptionem, cui mox integra decem capitula impendit: ac tum demum, veluti respiraus, descendit ad laudandam Helenæ pietatem, cuput 41 sic coucludens: " Atque hæc loca " (Bethleem scilicet et montis Olivarum) maguifico " cultu exornans (Constantinus) simul uomen, " cujus opera ac ministerio tantum bonum hu" mano generi procurabatur, ad æternam postero" rum memoriam consecravit ". Tunc distinctius enumerare incipiens loca, Helenæ solicitudine et Constantini impensis extructa, prosequitur Imperatricis laudes ac mortem, encomium potius ejus texendo, quam ordinatam et historicam rerum ab ea in Oriente gestarum narrationem. Quid ergo mirum, si non attigerit miraculum illud, quod magis propric spectabat ad fidem S. Macarii, ipsiusque crucis virtutem prædicandam? *Hæc cogitatio est Papebrochii de isto miraculo; cujus silentium apud Eusebium et alios neutiquam debet officere ejusdem veritati, cum aliunde ex antiquis auctoribus, ut videmus, comprobetur; neque enim auctores omnes omnia semper memorant. Sed, ut ad inventionem crucis revertamur, ob rationes datas videtur nobis probabilius, Eusebium hanc indicasse in epistola Constantini citata.*

Historiæ veritas præstaret,

76 *Dato autem, non concesso, Eusebium in hac re fuisse pisce, ut ita loquar, mutiorem; an propter silentium unius Eusebii, tot alii gravissimi auctores, qui adeo diserte eam asserunt, falsitatis accusandi sunt? Enimvero historia ista tam solidis et invictis stabilitur fundamentis, ut nullis omnino ratiunculis, qualescumque demum ex fuerint, negativis, ut vocant, everti possit, sicut nuperrime evidenter a me jam demonstratum est; quibus omnibus addenda est constans, stabilis ac pepetua Catholicæ Ecclesiæ traditio. Andreas itaque Rivetus heterodoxus ministellus commiseratione seu risu potius vel contemptu dignus est, quando in* Critici *sui* sacri, *ut vocat,* specimine *adversus inventionem crucis audacter, impudenter ac temere ista deblaterat lib.* 3 *cap.* 8:

etiamsi taceret Eusebius

77 Eusebius, qui Cæsareæ in Palæstina vixit Constantini temporibus, et qui diligentissimus talium observator fuit, inventionem illam crucis postea decantatam non reliquisset in Historia sua, vel in libro de Vita Constantini. Quod enim in Chronico dicitur, ne a Baronio quidem legitimum habetur. Qui autem secuti sunt fabulæ enarratores, ab aliis E delusi simplicitate quadam id scripserunt, quod quisque audierat; sed ita, ut variantibus sententiis rem ex se incertam, magis dubiam suis narrationibus efficiant. Qui nobis non credet, adeat Ambrosium oration in fun. Theodosium*; *cui addit Paulinum, Rufinum, Theodoretum et Sozomenum. Ita os illud impudens et infrunitum occasione Catecheseων S. Cyrilli Hierosolymitani, quas arrodit, et solidissima ejusdem fundamenta exedendo destruere conatur.*

* *l.* Theodosii

cum tam solide confirmata aliunde ostendatur

78 *Sed tametsi istius heterodoxi ministelli audacia abunde e superioribus retusa sit, juvat tamen hisce adjungere, quæ Natalis Alexander in Historiæ ecclesiasticæ, anno* 1714 *Parisiis recusæ, tomo* 4 *cap.* 6, *art.* 12 *pag.* 128 *ei respondet:* Nec Eusebii de crucis inventione silentium probat, hanc historiam inter fabulas rejiciendam, ut Rivetus, aliique inimici crucis Christi rejiciunt; cum sanctus Ambrosius, qui eodem seculo floruit, hanc ut certissimam historiam referat in Oratione de obitu Theodosii, eamdemque narret sanctus Paulinus epistola II ad Severum: quibus Socrates lib. I Historiæ ecclesiasticæ cap. 3, Sozomenus lib. 2 cap. I, Theodoretus lib. I cap. 3, et F ante hos Ruffinus lib. I cap. 7 suffragantur. Quorum omnium auctoritas et Ecclesiæ traditio Eusebio silenti anteponenda est. Quæ autem in eorum narrationibus occurrit varietas, circumstantias quasdam spectat, quas alii referunt, alii omittunt, non historiæ summam, ac (ut ita loquar) substantiam, de cujus veritate inter se consentiunt universi.

contra quemdam heterodoxum.

79 *Quandoquidem vero male feriatus ille heterodoxus, qui varia carpit loco citato tamquam assumenta S. Cyrillo aliunde adjecta, quique suum caput octavum absolvit hac inepta clausula,* ut qui Cyrilliana hæc leget, ad lapidem Lydium omnia revocet, nec thesaurum se putet possidere, qui carbones invenerit; *quandoquidem, inquam, ille S. Cyrilli deflorator inter locos, quos maligno dente impetit ac vult esse apocryphos et corruptos, inventionem sanctæ crucis ad fabulas relegandam censet; consequens est, ut tamquam falsam ac spuriam etiam rejiciant ejusdem S. Cyrilli epistolam ad Constantium imperatorem, Constantini magni filium, nec non alios Cyrilli textus, quibus indicat, veram crucem tum temporis fuisse in veneratione. In ista igitur epistola, quæ*

AUCTORE J. P. *quæ inter genuina ejusdem sancti Patris Opera (ei supposita ad calcem exhibentur) anno* 1720 *Parisiis in lucem data ac notis illustrata habentur ista pag.* 253 *num.* 3: Ac tempore quidem Deo amicissimi ac felicis recordationis Constantini patris tui salutare crucis lignum in Hierosolymis est repertum, divina gratia viro pietatem recte quærenti hoc largiente, ut absconditos sanctos locos inveniret. *Quid ad hæc criticum dicti heterodoxi supercilium? Hæc sunt, quæ pro vera inventæ crucis historia collegi; de falsa adjicio nonnulla dumtaxat, cum die* III *Maii apud nos a pag.* 362 *pluribus sit refutata.*

Rejicitur fabula de crucis inventore vel indice.

80 *Fabulosæ narrationi de Juda Cyriaco crucis inventore vel indice occasionem potuit præbuisse locus S. Paulini, quem supra protuli* § 7 *num.* 67, *de* S. Helena *referentis*: Non solum de Christianis doctrina et sanctitate plenos viros; sed et de Judæis peritissimos.. accitos in Hierosolymam congregavit *etc. Textus enimvero ille postea admodum ab aliis amplificatus fuerit. Alicujus Hebræi meminit quidem Sozomenus lib.* 2 *cap.* I, *agens de fraude gentilium, ne locus Resurrectio-* B *nis ac Calvariæ pateret Christianorum venerationi; sed istum Hebræum rejicit. Locum quippe dicit patefactum* sive indicio cujusdam Hebræi in Orientis partibus degentis, ut quidam aiunt, qui paterno quodam scripto edoctus rem indicavit: sive, ut verius opinari licet, Deo signis quibusdam ac somniis eum ostendente. Neque enim arbitror, res divinas indicio hominum egere, quoties Deus eas manifestare decrevit. *Verum sive Hebræus ille sit idem cum dicto Juda Cyriaco, sive ab eo diversus; nominatus ille idem notatur apud S. Gregorium Turonensem, a Ruinartio illustratum, Historiæ Francorum lib.* I *cap.* 34 *col.* 27, *ubi loquens de Constantino magno,* Hujus, *inquit,* tempore venerabile crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris ejus repertum est, prodente Juda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. *Unde liquet, hasce de Judæo isto crucis præmonstratore quisquilias valde esse antiquas. Quid nostra interim imperatrix egit post inventum pretiosissimum illum thesaurum?*

Acta

81 *Summo delibuta gaudio crucem, in qua salus mundi pependerat, et quam Agnus sine ma-* C *cula sacratissimo suo sanguine purpuraverat, fuit intimo venerata affectu. Ambrosius in Oratione de funere Theodosii sic rem affirmat*: Regem (*in illo ligno*) adoravit, non lignum utique, *quatenus lignum est*; quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum; sed adoravit illum, qui pependit in ligno.., illum, inquam, qui sicut scarabæus clamavit, ut persecutoribus suis peccata donaret. Avida Mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Læto corde et trepidanti vestigio, quid faceret, nesciebat. Pertendit tamen ad cubile, veritatis lignum refulsit, et gratia micuit. *Neque hic stetit piissimæ Feminæ religio; sed illius, quod invenerat, boni alios reddidit participes, teste Rufino lib.* 10 *cap.* 8; Ligni, *ait,* ipsius salutaris partem detulit filio; partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco: quæ etiam nunc (*seculo videlicet* IV, *quo vivebat Rufinus*) ad memoriam solicita veneratione servatur. *Codinus De originibus Constantinopolitanis pag.* 38 *addit ista:* Helena Constantini mater, sacram Christi crucem Hierosolymis afferens, ingressa est Constantinopolim per portam, quæ vocatur Littorea, et quæ supra crucem reperta erant, lilia, phylla, basilica, triacontaphylla, sampsucha, balsama, ca- D omnia, quo conservarentur, in vasis plantavit, atque ibi deposuit, et monasterium in eodem loco nomine Gastria extruxit. *Superiora confirmantur ex Theodoreto lib.* I *cap.* 18 *editionis supra designatæ:* Dominicæ autem crucis partem quidem palatio attribuit; reliquum argentea theca, quam fabricari jusserat, inclusum, civitatis episcopo (*Macario nempe Hierosolymitano; nam de illo paulo ante erat actum*) hortata, ut salutis nostræ monumentum ad posterorum memoriam diligenter custodiret. Collectis deinde artificibus, cum omnis generis materiam undique comparasset, amplissimas illas ac pulcherrimas construxit ecclesias *etc.*

post crucis inventionem; publica ejusdem veneratio et miracula.

82 *Plura nos docet S. Paulinus in allegata sæpenumero epistola, pag* 197: Inventa et probata crux Christi est; dignoque mox ambitu * consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam sacrario crucem servat; quam episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium pro- E mit. *An vero hac dumtaxat die fuit crux exposita venerationi fidelium, nisi interdum, uti dicit Paulinus,* religiosissimi postulent, qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur: quod solum episcopi beneficio obtineri ferunt? *Affirmat S. Paulinus, Papebrochius autem die* III *Maii pag.* 365 *ei in hoc non assentitur, prout ibidem legi potest. Sed tum instituti mei limites, tum dictionis modum excessero, si pluribus hic egero de publico vitalis ligni veneratione ac miraculis. Quare æqui bonique consulat lector, si in sui gratiam assignem sequentes scriptores, qui de hoc argumento tractarunt. Sunt itaque illi noster Jacobus Gretserus, cujus De sancta cruce Opera in uno volumine simul edita sunt Ingolstadii anno* 1616; *Baronius tom.* 3 *Annalium, cujus indicem consule; Papebrochius ad diem* III *nostri Maii a pag.* 364; *Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tom.* 7 *articulo* 4 *et* 6 *in* S. Helena. *Particularum crucis Christi per orbem Christianum dispersionem defendit Natalis Alexander loco supra citato contra Rivetum heterodoxum; de quo ante dixi.*

* Id est honore et pompa

F

§ IX. Passionis Dominicæ instrumenta a S. Helena inventa ædificatæ ecclesiæ Hierosolymis; virtutes ibidem et alibi exercitæ.

Quidnam Sancta de inventis Domini clavis

Sanctus *Ambrosius in Oratione de funere Theodosii,* Quæsivit, *ait*, clavos, quibus crucifixus est Dominus, et invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit; de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit... Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis divinæ gemma connecteret. Misit et frænum. Utroque usus est Constantinus, et fidem transmisit ad posteros reges. Principum itaque credentium imperatorum sanctum est, quod super frænum. Ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet.. Bonus itaque clavus Romani

A Romani imperii, qui totum regit orbem, ac vestit principum frontem, ut sint prædicatores, qui persecutores esse consuerunt. Recte in capite clavus, ut, ubi sensum est, ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena. *Rufinus lib.* 10 *cap.* 8 *paullo aliter de clavis loquitur* : Clavos, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum, et ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse. *Rufino in re adstipulantur Socrates lib.* I *cap* 17, *ac Theodoretus lib.* 2 *cap.* 18, *qui simul alludens ad effatum prophetæ,* Zacharias, *ait,* propheta diu ante prædixerat : Et quod in freno equi est, sanctum erit Domino omnipotenti, *convenienter ad S. Ambrosium in prædicta oratione; sed an ad sensum textus sacri tam congrue, quam pie? Dicit quidem S. Hieronymus, fieri a Constantino jussa esse frena e clavis crucis Domini; sed applicationem ad effatum Zachariæ non probat : nam tom.* 3 *Operum editionis Marlianæanæ in caput* 14 *istius Prophetæ col.* 1804 *scribit ista* : Audivi a quodam rem, sensu quidem pio dictam, sed ridiculam; clavos Domi-

B nicæ crucis, e quibus Constantinus augustus frenos equo suo fecerit, sanctum Domini appellari. Hoc utrum accipiendum sit, lectoris prudentiæ relinquo.

84 *S. Gregorius Turonensis De gloria Martyrum lib.* I *cap.* 6, *col.* 727, *quod inscribitur* De inventione clavorum, *eadem allusione utitur, et causam addens,* Eo enim tempore, *inquit,* Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam frequentia erant naufragia ac demersio hominum, ut vorago navigantium diceretur. Tunc provida regina *(Helena)* condolens excidia miserorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelago, confisa de Domini misericordia, quod sævas fluctuum commotiones facile posset opprimere. Quo facto, redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præstantur. Unde usque hodie nautæ sanctificatum mare venerantur, cum ingressi fuerint, jejuniis, orationibusque et psallentio vacant. *Ruinartius hic observat* 1°, Gretserum et alios existimare, clavum ab Helena in mare quidem demissum, sed illico etiam retractum ab ea fuisse. *Consule Gretse-*

fecerit; corum numerus; lancea.

C *rum in Operibus de sancta cruce tom.* I *lib.* I *cap.* 93. *Observat* 2°. De clavis Dominicis *(de quibus pergit S. Gregorius Turonensis scribere loco citato)* cum sancta cruce inventis plerique Patres, capite præced. laudati scripserunt : at nemo, quod sciam, ita diserte quatuor clavos fuisse pronuntiavit. *At de numero clavorum adiri potest Gretserus tom* I *Operum dictorum lib.* I *cap.* 20. Helena *invenit etiam titulum crucis, ex præmissis supra* § 7; *uti et sacram lanceam, si subsistant, quæ de ista re sunt scripta jam pridem apud nos tom.* II *Martii, ad diem* XV, *pag.* 379 *ex Bosio.*

85 *S. Paulinus in epistola ad Severum citata hæc narrat pag.* 196 : Prompto filii imperatoris assensu mater augusta, patefactis ad opera sancta thesauris, toto abusa fisco est : quantoque sumptu atque cultu regina poterat, et religio suadebat, ædificatis basilicis contexit omnes et excoluit locos, in quibus salutaria nobis mysteria pietatis suæ, Incarnationis et Passionis, et Resurrectionis atque Ascensionis sacramentis Dominus redemptor impleverat. *Rufinus lib.* 10 *cap.* 8 *unam ædem sacram ei attribuit, dicens* : Regina... templum mirificum in eo loco, in quo crucem

Profusissimam

reppererat, regia ambitione construxit. *Theodoretus lib.* I *cap.* 18 *ædem sacram plus unam memorat, sed non determinat numerum ac diserte nomen.* Collectis, *ait,* artificibus, cum omnis generis materiam undique comparasset, amplissimas illas ac pulcherrimas construxit ecclesias : quarum amplitudinem ac venustatem describere superfluum puto, cum omnes fere pii ac religiosi eo confluant, et operum magnitudinem contemplentur. *Eusebius autem in Vita Constantini lib.* 3 *cap.* 25 *pag.* 497 *ecclesiam Resurrectionis adscribit Constantino his verbis* : Beatissimum illum Dominicæ Resurrectionis locum, qui est Hierosolymis, illustrem ac venerabilem cunctis mortalibus efficere, officii sui esse existimavit. Confestim igitur oratorium ibidem extrui mandavit, non absque Dei nutu eo inductus; sed ipso Servatore ejus animum incitante.

AUCTORE J. P.

86 *Sed credibile est admodum, sanctam ipsius Matrem, quoad vixit, curas eo suas convertisse annisu quam poterat maximo, sed sumptibus Constantini. Quoad vixit, inquam : diu etenim ante obiit, quam ingens illud opus fuit absolutum. Dedicationem quippe ejusdem ecclesiæ accidisse anno* 335, *habemus ex Eusebio lib.* 4 *Vitæ Constantini cap.* 45 *pag.* 549, *cum ibidem dicat, illam solennitatem esse celebratam anno Constantini imperatoris trigesimo. Nam ibidem agens de sacerdotibus Dei, qui illam festivitatem ornabant, hæc de se scribit* : Ibi nos quoque... variis sermonibus publice habitis solemnitatem decoravimus; nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes *etc.* Hoc modo dedicationis solemnitas ipsis imperatoris tricennalibus summa cum hilaritate celebrata est. *De variis nominibus loco inditis tractat Tillemontius nota* 4 *in* S. Helenam; *ubi nonnullas etiam proponit difficultates. Magna itaque illa ecclesia, de qua modo est actum, nunc Martyrium vel locus passionis, Magnum Martyrium, Martyrium ac monumentum mortis et Resurrectionis Jesu Christi; nunc vero ecclesia sanctæ Crucis vocabatur etc.; prout videre licet in nota mox allegata.*

exhibuit munificentiam

E

87 *Eusebius lib.* 3 *Vitæ Constantini cap.* 43 *pag.* 504 *testatur, duas a nostra Sancta erectas fuisse ecclesias.* Deo, *ait,* duo statim templa dedicavit : alterum ad speluncam, in qua natus est Dominus : alterum in eo monte, ex quo in cælum ascenderat. Nam et Emmanuel, quod est nobiscum Deus, sub terra pro nobis nasci sustinuit; et locus nativitatis ipsius, Bethleem ab Hebræis est appellatus. Ideoque Dei amantissima Augusta, Deiparæ Virginis partum eximiis monumentis ornavit; sacram illam speluncam omni cultus genere illustrans. Nec multo post imperator eamdem Domini nativitatem regalibus donariis honoravit, variis ex auro et argento monimentis, velisque acu pictis, matris suæ cumulans magnificentiam. Præterea imperatoris quidem mater in memoriam Ascensionis Christi omnium servatoris, in monte Olivarum sublimia exstruxit ædificia, in ipso montis vertice sacram erigens ædem cum templo ... Atque hæc duo augusta ac pulcherrima monumenta, immortali memoria digna, in duabus sacris speluncis, Helena augusta, religiosi imperatoris mater religiosissima, piæ devotionis argumenta Deo servatori suo dedicavit, cum filius imperialis potentiæ subsidium ei conferret. *Amborum istorum monumentorum constructorum honorem religiosissimæ nostræ Imperatrici tribuunt Socrates lib.* I *cap.* 17, *ac Sozomenus lib.* 2 *cap.* 2. *Et*

in condendis Hierosolymæ ædibus sacris.

F

AUCTORE J. P.

Et sane divina providentia optimam tum temporis S. Helenæ dedit occasionem restaurandi et condecorandi sacratissimum hunc, quo æternum Dei verbum in carnis nostræ substantia in lucem prodiit, locum, cum diu ante ab Adriano imperatore, uti testatur S. Paulinus sæpe citatus, Adonidis fano profanatus esset. *In ædificanda autem ecclesia montis Oliveti illud mirabile accidit, ut hujus ecclesiæ meditullium numquam insterni marmore potuerit, locus videlicet, ex quo Christus ascendit in cœlum; nec claudi fornix, qua parte desuper hunc locum respiciebat. Miraculum hoc et auctorem pro eodem testimonia citat collector Gallus Monumentorum ecclesiasticorum tom.* I *in compendio historiæ Domini nostri Jesu Christi* § 24. *Vide S. Paulinum pag.* 196. *Verum an sanctissima Imperatrix aliis sacris ædibus construendis operam navavit?*

Nicephorus plures alias enumerat.

88 *Affirmat Nicephorus lib.* 8 *cap.* 30, *eas ita enumerans*: Excitavit quoque mirificum aliud templum in Gethsemani prædio Genitricis Dei, atque in sacrario ipso vivificum ejus sepulcrum firmiter inclusit. Quum vero declivis is sit locus, gradus
B marmoreos fieri curavit, viatores ex Sancta urbe orientalem plagam versus ferentes. Multorum quoque sermonibus circumfertur, decliviorem illum locum, Vallem fletus, et torrentem Cedron, atque etiam Vallem Josaphat dici. In propinquo etiam esse hortum illum, in quo proditus est Christus, et in quo orare solitus fuerat. Sanctis item Infantibus et ubi angelus pastoribus lætum attulit nuntium; in eis ipsis locis sacras extruxit ædes; Infantibus videlicet ipsis, et Verbi Puerperæ, nec non aliam quoque Sponso Josepho ædem. *Post hæc, per varia Palæstinæ loca Sanctam ducens, eamque deinde Hierosolymam reducens, varias alias ædes sacras ipsi attribuit. Sed antequam hisce fidem habeamus, probationibus opus est, antiquiore quam Nicephori, qui vixit seculo* XIV, *auctoritate firmatis.*

Variæ virtutes, quibus egregie excelluit.

89 *Nec vero insignes piissimæ Feminæ dotes enituere tantum in condendis egregiis templis; sed etiam virtutes omnino singulares regiæ suæ magnificentiæ ipsis adjunxit. Vin' Eusebium de hac re ita audire loquentem lib.* 3 *Vitæ Constantini cap.* 45? *En ejus testimonium*: Assidue, cunctis videntibus, in ecclesiam ventitabat, et sacras
C ædes eximiis ornamentis decorabat, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens. Itaque videre erat mulierem prorsus admirabilem, modesto ac decenti habitu una cum reliqua multitudine versantem, suamque erga Deum religionem omni piorum operum genere declarantem. *Socrates lib.* I *cap.* 17 *de templis locutus*, Porro, *inquit*, tam pie ac religiose erga hæc erat affecta, ut in ordine mulierum una cum ceteris Deum oraret. *Insignem* habuit animi demissionem *fastus omnis contemptricem ac* Christi imitatricem cum erga omnes; tum vero præcipue erga sacrum monachorum habitum; *ex Suidæ Lexico Coloniæ Allobrogum impresso anno* 1619, *tomo* I *ad nomen* Ἑλένη *pag.* 875. *Rufinus a demissione animi ac hospitali benignitate illam sic laudat. lib.* 10 *cap.* 7: Reliquit etiam hoc iudicium religiosi animi Regina venerabilis. Virgines quasi ibi (*Hierosolymis*) reperit Deo sacratas, invitasse ad prandium, et tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet, si famulorum uteretur officiis; sed ipsa manibus suis famulæ habitu succincta cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, et Regina orbis ac mater imperii, famularum Christi se famulam deputaret.

D Hæc quidem Jerosolymis gesta. *Laus ista roboratur ex Sozomeno lib.* 2 *cap.* 2, *ac Theodoreto lib.* I *cap.* 18. *Quin etiam, quod post inventionem crucis* collocarit *virgines* in oratoriissa cellis, ubi prius ipsarum virginum nomina scriptis mandasset, et victum ipsis e publico suppeditari jusserit, *traditur in mox designato Lexico ad vocem* Ἑστιάδες.

Enumerantur, cum observatione de monasteriis ab ea, ut nonnulli volunt, conditis.

90 *Sed amplissima Reginæ beneficentia tam arcto urbis Hierosolymitanæ spatio apud dictas virgines contineri non potuit; sed cum ad varia hominum genera ac calamitates, tum ad varia Orientis loca pervagata fuit. Quippe magnitudinem animi ejus ac beneficentiam ita extollit Eusebius lib.* 3 *Vitæ Constantini cap.* 44 *pag.* 505: Dum totum Orientem cum regali magnificentia peragrat, tum civitatibus, tum privatis, qui ipsam adibant, innumera beneficia acervatim contulit: innumera quoque militaribus numeris liberali manu distribuit. Pauperibus autem ac nudis, et omni ope ac solatio destitutis, quamplurima donavit, illis pecuniam, his vestem, ad tegendam corporis nuditatem, prolixe suppeditans. Alios item vinculis aut metallorum ærumnis afflictos exsolvit: quosdam violentia potentiorum oppressos liberavit: nonnul- E
los etiam ab exilio revocavit. *Consuli etiam potest Sozomenus lib.* 2 *cap.* 2. *Sed priusquam hinc abeamus; ad illa, quæ de ædibus sacris, ac ministerio sanctæ Imperatricis apud sacratas Deo virgines modo relata sunt, observari ista volumus apud Lezanam in Annalibus Carmelitarum tomo* 2 *ad annum Christi* 326, *ubi hæc scribit*: Hujus sanctæ Fæminæ auspiciis plura prophetici, et Eliani instituti cœnobia tum virorum, tum etiam feminarum, erecta vel restaurata fuerunt... Sepulchrum Domini, quod prius inveniri non poterat, revelatione duarum sanctimonialium... invenit. Ita enim tradunt historici nostri, Arnoldus Bostius lib. 5 Histor. cap. 22, et Joannes Palæonydorus lib. 2, c. 4, et alii post ipsos.

Has vero sanctimoniales Ordinis nostri fuisse, conceptis verbis exprimunt iidem Bostius, et Palæonydorus... Qualiter autem hoc in loco eadem pia Regina monialium juxta Carmeli ritum cœnobium exstruxerit, quamque illi præpositam dederit cum aliis circumstantiis, sic habet relatus Bostius cap. 23 libro jam citato... Addit Bostius, F
in hoc monasterio primo matrem fuisse præfatam Mariam; ea defuncta, Syncleticam; eique successisse sanctam. Matronam, et postea sanctam Saram subscribunt Palæonydorus et Coria, ulterius addentes, huic Saræ successisse quamdam nomine Romanam, et postea aliam, nomine Nonnam. *Hæc Lezana; qui deinde etiam agit de monasteriis virorum Ordinis Carmelitani a* S. Helena *constructis etc. Credite posteri. Enimvero ut hæc vel tantillam credibilitatis umbram haberent, vetustioris auctoris testimoniis erant roboranda, tacente de illis genuina scriptorum antiquitate, quam Bostii et Palæonydori; hic enim* anno MCDLVI... professus *scribitur in Speculo Carmelitano tomo* I, *lib.* II, *partis* 2, *pag.* 220; *illius vero* obitus adscribitur anno Christi MCDXCIX, *ibidem pag* 274, *ex Annalibus Ordinis ejusdem tom.* 4. *Quænam autem proportio est inter facta seculo quarto, et scripta seculo demum decimo quinto ad qualemqualem etiam faciendam fidem?*

§ X.

AUCTORE J. P.

A

§ X. An S. Luciani martyris templum ædificarit; SS. Trium Regum corpora impetrarit; varia egerit in Belgica; testamentum, ac piissimus obitus.

Opponitur templo S. Luciani, quod ab Helena fertur conditum,

Baronius ad annum Christi 326 *num.* 57 *sic memorat :* Reliquit in ea peregrinatione S. Helena et illud pietatis suæ nobile monumentum nempe egregiam memoriam Luciani martyris, Drepani in Bithynia regia munificentia excitatam. Recens quippe erat in mentibus hominum tanti martyris certaminis recordatio, et insigne, quod post martyrium fuerat de corpore ejus in mare demerso subsecutum miraculum, cum delphinorum dorso delatum esset ad littus, quando (ut ferebat iniqua temporis conditio) Drepani fuit humili sepultura donatum. Hæc igitur omnium ore vulB gata cum Helena percepisset, quæ erat sanctorum martyrum studiosissima, digno trophæo triumphum martyris ornare decrevit; atque illic, ubi Drepani est collocatum ejus corpus, sumptuosam desuper basilicam erigendam curavit. Testantur hæc ejusdem Luciani Acta martyrii antiquitus scripta, in quibus istæc iu fine leguntur : « Postea « autem quam nobis salutarem Domini restituit « crucem, quæ magnum inter claros imperatores « genuit Constantinum, veneranda Helena, quan« do revertebatur Hierosolymis, locum honorans « et in eo condidit civitatem, convocatis habita« toribus ex iis, quæ circumcirca erant, regioni« bus, et effectis operis participibus, et validis « eam cinxit mœnibus, et martyri templum ædi« ficavit maximum, quod nunc quoque insigne, et « pulchre extructum cernitur ab iis, qui et terra « et mari ingrediuntur ac navigant. » *De isto martyre, ejusque Actis, consuli possunt quæ dicta sunt apud nos ad diem* VII *Januarii pag.* 357 *et sequentibus.*

aliqua difficultas.

92 *Super hoc, quod ex Actis S. Luciani marC tyris modo dicebatur* Veneranda Helena... locum honorans, in eo condidit civitatem, *observa, instaurationem loci istius adscribi alibi Constantino. Nam in Chronico Hieronymi apud Scaligerum ad annum* 328 *pag.* 181 *hæc sunt :* Drepanum, Bithyniæ civitatem, in honorem martyris Lueani (*imo* Luciani) ibi conditi Constantius (*lege* Constantinus) instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nominavit. *In Chronico Alexandrino, quod a nostro Matthæo Radero vulgatum est Græco-Latine, et Monachii editum anno* 1615, *id confirmatur pag.* 663 : Constantinus, instaurata Drepani urbe in Bithynia ad cultum S. Luciani martyris, illam a matre sua Helenopolim nuncupavit *etc. Sic ibi ad annum Christi* 327. *Procopius Cæsariensis lib.* 5 *cap.* 2 *De ædificiis Justiniani, de loco isto agens, cui* quidem, *ait*, Constantinus in præmium nutricationis *Helenæ matris suæ*, nomen ac dignitatem urbis concesserat, sed nullum imperatoriæ magnificentiæ monumentum reliquerat. Nam si ornatum et structuram spectes, statum pristinum locus retinebat, nudo urbis titulo insignis, Helenæque alumnæ suæ nomine gloriosus. *Et mox addit idem auctor, quænam ibi Justinianus construxerit. An hæc, quæ protuli, testimonia cohærent cum civitate ibi condita a* S. Helena? *At quid de templo? Liberum de illo judicium lectori relinquo, quoniam e melioris notæ documento id probare vel improbare, in promptu mihi non est. Ex dictis etiam corrigi potest illud, quod habetur apud Philostorgium in Ecclesiastica historia a Gothofredo edita et Dissertationibus illustrata, lib.* 2 *num.* 14 *pag.* 19, *nimirum* Helenam imperatoris Constantini matrem, ad fauces sinus Nicomediæ urbem ædificasse, Helenopoli ea vocata. *Quod castigat dictus editor in Dissertationibus pag.* 80.

Dicitur Sancta ad provincias circa Indiam peragrata destruxisse idola, et corpora trium Regum asportasse.

93 *Sanctæ Imperatrici nostræ Hierosolyma profectæ iter aliud adscribitur apud Capgravium in Vita ejusdem Sanctæ fol.* 176, *ubi referuntur ista :* Sancta igitur, ut diximus, Imperatrix cum omnia, quæ Hierosolymis agere constituerat, consummasset ad votum, tandem infinitis et impretiabilibus ditata reliquiarum thesauris, ad filium suum Constantinopolim properavit. Profecta tamen, antequam Constantinopolim venerat, ad terras et provincias circa Indiam cum maximo ac nobili comitatu se transtulit, in quibus omnia templa et aras idolorum, prout potuit, destruxit, et pro his in laudem et honorem Dei ecclesias et monasteria sumptuosissime ac devotissime E fundavit, et cultum divinum in cunctis partibus illis per omnia reparavit et ampliavit; fidemque Christianam pene elapsam exaltavit et glorificavit. Insuper et trium SS. Regum corpora, Jaspar videlicet, Melchior et Balthasar a principibus et Prælatis terrarum illarum non tam studiose quam miraculose impetravit : quibus, et aliorum variis suffulta reliquiis, gaudens Constantinopolim rediit ad filium, paulo post ad cælestis regni transitura palatium. *Noster Michaël Inchofer in libro, qui inscribitur* Tres Magi Euangelici, *cap.* 37 *de translatione eorum primum Byzantium, deinde Mediolanum tractans*, Hanc, *ait*, translationem ab Helena religiosissima regina factam tradunt inter alios Jacobus Genuensis, Joannes Frasquetius, et alii apud Joannem Picardum. Equilinus et quidam alii Constantino magno Helenæ filio tribunt : plures etiam vetustiores, utrisque. Nec dubium cum religione matris, filii consensisse pietatem. Itaque accepta de Magorum sanctitate fama, quam in Persidis atque Æthiopiæ regnis cultus Christianorum dudum vulgarat, F nihil non sategit Helena, quo vel ex diversissimis orbis partibus, ubi gentium essent, studiosissime eorum corpora conquireret, ac tam pretioso thesauro novam urbem a nomine filii Constantini tunc primum appellatam locupletaret.... Facta vero voti compos, solenni pompa ea advehi jussit, atque in æde Sophiæ collocari *etc. Galesinius in notis ad diem* VI *Januarii*, Eorum corpora Constantinopolim e Persia jam pridem translata, et in basilica S. Sophiæ augustissimo apparatu collocata *memorat; sed a quo, et quo tempore non addit. Saussayus in Supplemento ad suum Martyrologium Gallicanum die* VI *Januarii :* Horum corpora sanctæ Helenæ augustæ studio Constantinopolim ex Oriente allata, ibidem in ecclesia S. Sophiæ *etc.*

sed desideramus testimonia, satis ad hoc suadendum accommodata.

94 *Alfordus ad annum Christi* 326 *a num.* 57 *narrationem, quam apud Capgravium paullo ante designabam, examinat ac tuetur tamquam veram, ita concludens :* Et satis hic probatum habes, quod supra dixit Capgravius, Helenam ultra Hierosolymam perrexisse, idola destruxisse, ecclesias ædificasse, ubique Dei cultum promovisse, trium Regum corpora avexisse. *Respondeo ad jam relata primo,* Helenam *ultra Hierosolymam*

AUCTORE J. P.

lymam perrexisse, satis est conforme Eusebio sub finem § 9 *a me citato* : Dum totum Orientem cum regali magnificentia peragrat etc. *Quomodo vero* τὸ totum, *et quam accomode, et quousque, et an ita accipi debeat, ut extendi possit* ad terras et provincias circa Indiam, *facilius quæritur, quam respondetur. Respondeo secundo, desiderare me prius antiquiora testimonia pro SS. Magorum corporibus ex Oriente Constantinopolim a* S. Helena *delatis, quam factum illud veritatis albo inscribam; dispici autem poterit a nostris successoribus, quando mensis Januarius secundis curis auctior recudetur, an melioris notæ documenta afferri queant, quibus translatio ista confirmetur.*

Idem statue

95 *Ab Oriente in Occidentem nos vocant quædam facta, ibidem a nonnullis Sanctæ nostræ attributa. Miræus in Fastis Belgicis ad diem* XXII *Julii pag* 438 *scribens de Hilario episcopo Bisontino, (de quo in prætermissis ad dictum diem mentio apud nos facta est)* Sumptibus, *ait*, S. Helenæ imperatricis (quæ id temporis Vesontionem venerat) in imo monte Cælio augustam basilicam B construxit, atque ad summitatem perduxit, quæ nunc S. Joannis dicitur. Aliam prætera in superiore montis parte, quæ sola S. Stephani protomartyris nomen retinuit, cœpit excitare. Idem a B. Helena dono accepit portionem sanguinis ejusdem S. Stephani, Hierosolymis allatam; obiitque circa annum Christi trecentesimum trigesimum. *Sammarthani tomo* 1 *Galliæ Christianæ pag.* 118 *meminere de unica tantum S. Stephani basilica constructa*, haud longe, *sicut addunt*, ab anno Christi CCCXXV. *Quæ mihi non satis certa sunt in tanta rei gestæ vetustate sine accommodatis eidem testificationibus. Ad illud interim,* Quæ id temporis Vesontionem venerat, *velim observari, quæ die* XXI *Maii in Commentario historico de S. Constantino magno pag.* 20 *a Papebrochio sunt intexta ad præsens propositum; videlicet laudati imperatoris matrem, quæ cum Hilario de fabricanda Vesontionensi ecclesia egisse dicitur, non nisi post annum* 312 *videre potuisse Gallias, contra Chiffletium, qui ante, sed nimis præmature, hoc accidisse censuerat, prout ibi pluribus refertur, et adduntur ista* : Quin illam deinde cum Cripso C filio in Galliam Belgiumque miserit *(Constantinus)* ut Vesontione ac Treveris aliquamdiu ipsa habitaverit (quod utriusque urbis scriptores contendunt) insignium utroque in loco ecclesiarum fundatrix atque dotatrix, nolim ire inficias; satis est, si persuasero, alieno nimium tempore referri quæ Vesontione dicitur tractasse cum ejus urbis episcopo Hilario, nec inde quidquam haberi posse, quo vel Vesontione transisse Constantinus, vel cum ejus episcopo ante Hilarium Eusebio egisse probetur.

de rebus

96 *Hinc sequitur primo, ut* S. Helenæ *cum Hilario congressus Vesontione, qui imperatrici nostræ tribuitur, si vere acciderit, non acciderit ante conversionem filii ejus Constantini, post hunc enim ipsa ad Christum conversa fuit, sicut supra conatus sum probare ex Eusebio. Vide ibi* § 4. *Sequitur* 2°, *ut, tametsi, præeunte Papebrochio, negare nolim dictum congressum, non abs re tamen sim facturus, si desiderem videre documentum, quo de ædificatione basilicæ prædictæ et lectori et mihi certius constet in re præsertim adeo antiqua. Idem esto judicium de fundatione Sanctensi in Clivia. Miræus antea laudatus hanc ita memorat ad diem* XVIII *Augusti a pag.* 480 : Sanctis in Clivia collegium Canonicorum in honorem S. Victoris et aliorum CCCXX martyrum D Thebææ legionis, eo loci pro Christo occisorum instituit; ut Stephanus Pighius, Canonicus Sanctensis, in Hercule Prodicio commemorat. *Occasione autem habitationis* S. Helenæ *apud Trevirenses, Sammarthani paulo ante citati in Agrœcio seu Agricio, istius sedis episcopo, hæc scribunt pag.* 715 : Concilio Arelatensi I susceptus legitur anno CCCXIV *(Vide Labbeum tom.* 1 *Conciliorum col.* 1430.*)* Traditur et domum beatæ Helenæ sub invocatione S. Petri dedicasse. *Vita istius sancti Præsulis data est a nobis die* XIII *Januarii, ubi pag.* 779 *dicitur* Domus beatæ imperatricis Helenæ, quæ rogatu ejusdem mulieris sanctissimæ a beato patriarcha Agricio in honore Principis Apostolorum Petri in sedem episcopalem metropolis dicata, et incomparabilis merito thesauro, clavo videlicet ac ceteris Dominii reliquiis est nobiliter ditata specialiterque honorata : *quæ dicta sint in fide auctoris.*

97 *Idem omnino statuo de fragmento sequenti,* quas volunt *quod vereor, ut mereatur majorem vim, sicut mihi quidem videtur, quam traditionis mere popularis, donec accedat antiquum testimonium. Gelenius itaque De Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib.*3 *syntagmate* 2, § 1 *agens de ecclesia* E *collegiata S. Gereonis*, Huic, *ait*, inter Colonienses ecclesias proxima est a metropolitana dignitas, origo vero etiam augusta et omnino regalis, utpote sub initio quarti seculi a Christo nato, ab augusta Fl. Helena Constantini magni augusti matre magno in divos Thebæos et Mauros milites affectu pietatis exstructa opere regio ac raro. Quippe præcelsæ in modum vastæ turris aut arcis, et octogonæ; quæ tanto cum res Coloniæ integræ manerent, auri fulgore emicabat, ut musiva foris et intus elegantia ad Aureos martyres dici meruerit, quod nomen ante annos mille testatum a Gregorio Turon. lib. 1 Mirac. cap. 62, usque ad nostra tempora, splendore illo plurimum imminuto, tamen adhæret apud eruditos. Neque vero solum beata illa templorum fundatrix Helena muros, limina et tecta hujus loci constituit, sed etiam clerum collectum, uti reor, ex Orientalis disciplinæ viris religione præstantibus : quorum munus erat a consuetudine hominum noctu et interdiu secretos ac claustro communi clausos, psalmis aliisque sacris modis Deum laudare, Scripturis sacris invigilare, et inte- F riori hominis statui reformando ad Christi similitudinem sese dedere. Id ut ita arbitrer, movet me cumprimis, quod constet, in hac ecclesia ante S. Benedicti ætatem abbates præfuisse, ex quorum successione est S. Maurinus : de quo in S. Pantaleonis basilicæ laudibus plura dicenda erunt. *Quæ omnia si ab eruditis credi velint Colonienses tamquam vera, non referri dumtaxat, sed probari debent.*

98 *Ulterius hic quæri potest de sacris reliquiis, quibus* S. Helena *Belgicam donasse fertur. Almannus in ejusdem Vita apud nos num.* 43 *hæc refert* : De diversis Martyrum reliquiis composuit thecam, in qua etiam cultellum recondidit, quo Dominus noster Jesus Christus usus est in sacratissimo cœnæ convivio; qua dignitate admirabili et optanda volebat munire et insignire suam regionem, ut quæ erat toto mundo columna restitutionis per inventionem sanctæ crucis, esset et decus speciale aliquatenus patriæ suæ, *Trevirensis videlicet secundum Almannum. Idem biographus apud nos num.* 52 *de Vesontionensi urbe sic loquitur* : In Duvio flumine navis, quæ arcam

in Belgica.

A aream ferebat *sacrorum pignorum ab Helena missorum,* naufragium passa, super quod flumen Vesontionum civitas est sita, facta est aqua multo tempore custos arcæ sanctissimæ; de quibus reliquiis pretiosissimis, post plurimum tempus cum magna difficultate ab aqua sublatis, meruit insigniri prædicta ex parte civitas. *Apud Martene in Veterum scriptorum amplissima collectione tomo 4 inter Gesta Trevirensium episcoporum col.* 168 *petitur* clavus Domini, qui ibi loci ex collatione dominæ Helenæ augustæ habetur; quique, si dæmonis testimonio credi debet, cum quidam a dæmone vexaretur, et clavus hic ad effugandum illum cum aliis Sanctorum reliquiis illo delatus esset; a maligno illo perhibitus est ipse esse, qui peudentis in cruce Domini pro salute humani generis fuisset in dextro pede confixus; cujus nimia virtute compelli se exire. *Quæ sacra pignora relinquimus in pia eorum, qui hæc sibi attribuunt, possessione. De* S. Helenæ *morte dicendum superest.*

Post vitam piissimam,

99 *Eusebius libro* 3 *Vitæ Constantini cap.* 43 *pag.* 505 *his verbis illam laudat:* Nec multo post *ædificata duo templa, de quibus dixi supra* § 9, B *num.* 87, grandæva mulier dignum laboribus suis præmium retulit. Nam cum totum vitæ suæ tempus usque ad prima senectutis limina in summa felicitate traduxisset, et divinorum mandatorum uberes fructus tum verbis tum operibus protulisset; ac propterea vitam doloris expertem cum summa mentis et corporis sanitate peregisset, tandem exitum pietati suæ convenientem, et mercedem bonorum operum in hac etiam vita a Deo consecuta est. *Obiit autem non diu post suum iter in Palæstinam, atque ad filium redux: nam* His et similibus aliis ibi gestis, *quæ narravi nuper,* rediit ad filium. Nec multo post ad meliorem vitam tanquillo animo migravit, *uti videre datur apud Theodoretum lib.* I *cap.* 18. *Nec prætermisit piissimo erga Constantinum fungi ante mortem officio. Quippe e vita excessit,* cum multa, *ut refert ibidem idem auctor,* de pia ac religiosa vivendi ratione mandasset filio, eumque extremis omnis generis, benedictionibus cumulasset. *Porro hæc vel similia ei inculcasse crediderim tunc temporis, quæ lego apud Suidam ante allegatum, pag.* 875: Suum filium perpetuo celebrandum instituit, ut animum virtute præditum, C *sed* expertem superbiæ haberet, et rempublicam accurate curaret, et Deo serviret eum timore et tremore.

condito prius testamento, ac præsente Constantino filio, moritur,

100 *Annum ætatis, ac ultimam Sanctæ voluntatem testamento declaratam describit Eusebius Vitæ Constantini lib.* 3 *cap.* 46 *pag.* 506: Jam vero cum satis longo vitæ spatio decurso ad feliciorem sortem vocaretur, annum ætatis agens circiter octogesimum, in ipso mortis confinio posita, testamento facto, ultimam voluntatem declaravit, heredem relinquens unicum filium, solum imperatorem ac dominum orbis terrarum, cum filiis nobilissimis cæsaribus nepotibus suis. Quorum singulis bona, quæ per universum orbem possidebat, divisit. *Verum sicut mater piissima filium suum in hoc temporis articulo prosecuta est tenerrimo officii affectu; sic ille summa eum observantia impendit suprema juxta ac demississima matri adeo sibi dilectæ obsequia. Id quod Eusebius ibidem ita testatur, etiam edocens, quam beato ipsa fine quieverit:* In hunc modum testamento facto diem ultimum clausit, præsente et adstante ipsi tali tantoque filio, et omni obsequiorum genere matrem fovente, manusque ejus amplectente: adeo ut nequaquam mori Mulier beatissima, sed potius caducam hanc vitam cum immortali vita commutare recte sentientibus videretur. Anima igitur illius in incorruptibilem et angelicam substantiam reformata, ad Deum servatorem suum assumpta est. *Theodoretus lib.* I *cap.* 18: Et illa quidem post mortem eum honorem consecuta est, quem par fuit consequi illam, quæ tam studiose tamque ardenti animo Deum coluerat. *Viventem hactenus aspeximus ac suspeximus* Helenam, *mortuam deinceps illustraturi sumus.*

AUCTORE J. P.

§ XI. Depositio corporis elogium; locus, annus ac dies mortis; an cum ea cohæreant ædes sacræ, quæ dicuntur a Sancta conditæ; ejusdem ætas.

Sacrum ejus corpus honorifice depositum, et ipsa laudatur:

Cadaver autem ipsius honore haudquaquam vulgari affectum fuit. Nam cum ingenti satellitum numero in regiam urbem pervectum, ibidem in regali monumento depositum est. Hoc modo imperatoris mater vivendi finem fecit, mulier sempiterna memoria dignissima tum ob religiosos actus, E quibus enituit, tum ob præstantissimum illum et admirabilem fœtum, qui ex illa ortus est. Quem quidem ob ceteras res, maxime vero ob pietatem in matrem, beatum convenit prædicare. Quippe illam, cum antea Dei cultrix non esset, tam piam ac religiosam præstitit, ut a communi omnium Servatore instituta fuisse videretur. Regalibus autem honoribus ita eamdem ornavit, ut in omnibus provinciis tum a paganis tum a militibus augusta et imperatrix nuncuparetur, et aurei nummi ejus imagine signarentur. Quin etiam thesaurorum regalium potestatem ei Constantinus concesserat, quibus pro arbitrio et ex animi sui sententia, prout libitum esset, uteretur. Nam et in hac parte matrem suam conspicuam et beatam omnium judicio reddidit. Quocirca ex iis, quæ ad memoriam illius illustrandam pertinent, non immerito hæc etiam assumpsimus, quæ imperator pro singulari sua pietate in honorem matris suæ gessit, dum divinis obtemperat legibus, quæ filiis debita in parentes officia injungunt. *Hæc Eusebius lib.* 3. *Vitæ toties assignatæ cap.* 47, *quæ variis dehinc elucidationibus materiam præbebunt.* F

ubi extremum diem obierit,

102 *Ac primo quidem explanetur illud* vivendi finem fecit, *quærendo ubi et quando vivendi finem fecerit. De loco mortis non convenit inter auctores. Eorum sententiam primo in medium proferre juvat, ac deinde, expensis rationum momentis, statuere, utra præ aliis prævalere videatur. Pagius in Critica Baroniana ad annum Christi* 326 *num.* 15 *multus est in enumerandis Constantini tunc temporis itineribus, ut matris ejus* Helenæ *mortem in urbe Romana probet accidisse.* Helena, *inquit,* Romæ obiit, ut Eusebius docet..; idque die XVIII Augusti. Constat enim ex chronologia Codicis Theodosiani, Constantinum M. hujus anni initio constitisse in Thracia vel in Macedonia Heracleæ, ubi III Nonas Februarii data lex 2 De custodia reorum; inde in Pannoniam profectum esse; ubi Sirmii Idibus Martiis dedit legem I De integri restitutione. E Pannonia in Italiam venit, et Aquileiæ mense Aprili legem emisit: Si quis eam, cujus tutor. Dein Mediolanum profectus, ubi mense Julio lex 3, De falsa moneta, emissa. Hinc Romam

AUCTORE J. P.

mam eodem mense Julio pervenit, ibique Vicennalia magnifice edidit, teste Hieronymo et Idacio in Chronicis, quæ in diem XXV Julii Constantini M. natalem incidebant. Data ibidem lex 3 De infirmandis his, quæ sub tyrannis, VIII Idus Jul. Hinc et recitata in palatio, Constantino scilicet præsente, mense Augusto, lex 3 De bonis vacantibus, eodemque mense Augusto Romæ Helena mortua et sepulta. Quæ omnia Gothofredo in eadem chronologia recte observata, qui addit, falli eos, qui alio quam currenti anno Helenam mortuam volunt. *Ita ratiocinatur Pagius.*

an Constantinopoli

103 *Sed ei opponi possunt ista : Si* docet Eusebius, *uti volebat modo Pagius*, Helenam Romæ obiisse; *decisa lis est, et nihil requirendum amplius. Sed, amabo, edisserat nobis Pagius, ubinam id doceat Eusebius. Quid si contrarium doceat Eusebius ponendo nempe fundamentum quoddam seu indicium, vi cujus deduci queat,* Helenam *Romæ mortuam non esse? Nam si Romæ mortua fuisset,* cadaver *ejus* in regiam urbem *jussu Constantini* perveetum *non esset, id est in*
B *urbem Romanam, uti mox dicemus; quod tamen indicabat supra Eusebius, fuisse factum. Nam etiamsi sit æquivocum* βασιλεύουσαν πόλιν, *id est, in regiam seu imperatoriam urbem, atque adeo vi terminorum non significetur, an antiqua Roma ac urbs regia, an nova potius Roma, urbs itidem regia seu Constantinopolis, hic sit intelligenda; aliunde tamen videtur erui, antiquam Romam ab Eusebio hic indicari. Socrates tamen lib.* I *cap.* 17 *Eusebium secutus quidem, sed ejus sensum non assecutus, uti apparet, quando sic habet :* Corpusque ejus novam Romam (εἰς βασιλεύουσαν, *id est,* ad urbem imperatoriam *vel* regiam, *exstat in Græco)* deportatum, in regalibus monumentis depositum est. *Nam apud Baronium ad annum* 326 *num.* 62 *corrigitur* Socrates, existimans Constantinopolim ab Eusebio verbis illis esse descriptam, Eusebii phrasin (ut apparet) minus exploratam habens : nam urbem Romam iisdem verbis eumdem intelligere consuevisse, quod alibi, dum agit de legatis ad Nicænum concilium missis, ait, aperte declarat, cum in significanda Roma utitur eadem nomenclatura,
C sic dicens Vitæ Constantini lib. 3 cap. 7 : « Et « quamquam illius urbis, penes quam imperium « est *(In textu Græco est* τῆς δὲ γε βασιλευούσης « πόλεως) episcopus etc. » intelligens de Romanæ urbis episcopo Silvestro. Cum autem agit de Constantinopoli, urbem ejus nomine appellatam nuncupare solitus est. *Consuli tamen de Socrate potest inferius Gloria posthuma* § I, *num.* I. *In Suidæ Lexico ad vocem* Ἑστιάδες *hæc sunt* : Ipsius vero filius *(Constantinus)* corpus ejus Romæ in regia sepelivit.

an alibi,

104 *Baronii sententiam approbat et sequitur Valesius in notatione ad illud Eusebii, in quo totus hujus controversiæ cardo vertitur, libri* 3 *citati cap.* 47, εἰς βασιλεύουσαν πόλιν, *his verbis usus pag.* 231 : Romam *(Eusebius)* intelligit. Eo enim delatum est cadaver Helenæ augustæ. *Ac præter argumentum Baronii, de quo ibi Valesius, contra Socratem,* Adde, *inquit*, quod nondum dedicata erat Constantinopolis, ac proinde urbs regia vocari non poterat, cum tunc temporis esset tantum vetus Byzantium. Socratem tamen secutus est Cedrenus. *Et vero Constantinopolis needum tunc, anno videlicet Christi* 327 *vel* 328, urbs regia *vocabatur* : *nam anno* 328 *tantum cœpta est construi, secundum Chronicon Alexandrinum pag.* 663 *(Quin immo forte versus anni dumtaxat proxime sequentis finem, prout observat Tillemontius tom* 4 *Historiæ imperatorum nota* 60 *in Constantinum.) In Chronico itaque Alexandrino hæc sunt* : Indictione I Const. XXIII Januario et Justo Coss.. Constantinus, laudatissimus imperator, Roma profectus et Nicomediæ Bithyniæ metropoli moratus, sæpeque Byzantium profectus, primum Byzantii murum instauravit, magnamque partem ad veterem murum adjecet, novumque cum eo conjunxit, urbemque ipsam Constantinopolim dixit. *Et ibidem ad annum* 330 : Indictione III, Const. XXV, Gallico et Symmacho Coss.. Constantinus.. urbem maxime illustrem et felicem condidit, senatu illustravit, et Constantinopolim nuncupavit V Idus Maias, die Lunæ, Indictione III, cum prius Byzantium vocaretur, nunc novam Romam vocari præcepit. *Sub eo itaque nomine non fuit solenni dedicatione seu celebratione vocata Constantinopolis ante annum* 330, *observante ad istum annum Pagio in Critica num.* 2 *ista in rem nostram :* D

disputant auctores.

105 Constantinum augustei imperii quinta quinquennalia edidisse demonstrat dedicatio urbis Constantinopoleos : urbes enim annis hujusmodi solemniis addictis dedicari, aut novis nominibus insigniri, aut reædificari, jam multoties insinuavi. E *Et num.* 4 : Quoad encœnia Constantinopoleos; ea recte hoc anno, *inquit*, a Baronio recitata. Idacius enim in Fastis ad hos Consules *(Gallicanum nempe et Symmachum)* ita scribit : « His conf. dedicata « est Constantinopolis die V Idus Maii » die videlicet undecima mensis Maii. *Anno igitur Christi* 328 *vel* 329 *secundum præmissa nondum exstabat* regale *illud* monumentum *Constantinopoli, de quo supra Eusebius, ac proin quando dicit, Sanctæ* cadaver in regiam urbem provectum, *et* ibidem depositum esse *honorifice, intelligi id non potest de nova Roma seu regia urbe Constantinopolitana, sed de antiqua imperii sede seu Roma. Atque hinc consequens est, a vero aberrasse Theophanem in Chronographia, dum pag.* 21, *relata* S. Helenæ *morte, statim subjungit ista* : Sepulta est Constantinopoli in æde sanctorum Apostolorum, quam filius ejus Constantinus, ut imperatores F Christiani ibi post obitum humarentur, construxerat. Prima vero beata Helena in hac sepulta fuit, solemnibus Ecclesiæ Officiis et nocturnis vigiliis honorata.

Romæ non obiit; ubi vero, non constat.

106 *Ex dictis præterea conficitur, illam non obiisse Romæ, cum cadaver ejus* in regiam urbem provectum *fuisse affirmet Eusebius. Perperam itaque Nicephorus lib.* 8 *cap.* 31 *pag.* 599 : Quum autem ei finis vitæ instaret, cum celeberrima memoria Romæ decessit. *Eumdem errorem committunt Acta illa, quorum fragmentum dat Aringhus lib.* 4 *Romæ subterraneæ cap.* 9, *num.* 4; *ubi lego sequentia* : Postquam beatissima Helena Romam ad filium rediit, ubi plena dierum, cælo reddidit spiritum. *Ubinam ergo obiit Sancta nostra? Cum Eusebius, id unicum ad posteros transmiserit,* Hoc modo imperatoris mater vivendi finem fecit, *et de loco mortis nihil ibidem addat, neque noverim quidquam de eodem tradi ab antiquissimis auctoribus, superest, ut fatear ingenue, illum mihi hactenus non esse compertum. Nec assentior neoterico legendistæ Gallo, qui e conjectura refert hac die* XVIII *Augusti in collectione sua historica de* S. Helena, *Nicomediæ eam vita functam, quando Constantinus, ut nomen ejus celebre redderet apud posteros, fundabat*

A *dabat (seu instaurabat; vide supra § secundum) reipsa urbem Helenopolim in eadem provincia loco vici Drepani. Quamquam vero ex præmissis Romæ non obierit; Romæ tamen eam annuntiavimus in titulo ante hunc nostrum Commentarium prævium, quia corpus ipsius fuit eo translatum, uti variis rationibus jam ostendimus. De anno emortuali sanctissimæ Imperatricis, sicut supra mihi erat propositum, nunc tractandum, circa quem observo sequentia.*

Quamquam in signando anno mortis

107 *Baronius ad annum Christi* 326 *num.* 59 *fatetur candide*, quoto potissimum anno Domini defuncta ipsa fuerit, incompertum penitus haberi, neque obitum ejus certis consignare consulibus concessum. *Pagius in Critica Baroniana mortem ejus affigit anno* 326, *prout videre ibi datur num* 15. *Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani pag.* XXVIII *ad eumdem annum*, Romæ, *ait*, Helena mortua est inter filii ac nepotum complexus. Augusti XVIII, ibidemque sepulta. Auctor Vitæ Constant lib. 3 cap. 46 et 17. Id quod ab aliis ad A. D. CCCXXVII prox. male refertur. *In loco mortis errat Gothofredus, uti*
B *modo ostensum est ex auctore Vitæ Constantini Eusebio: nec in anno mortis videtur ab errore immunis; de mortis die infra. Valesius in annotationibus ad librum* 3 *Eusebii de Vita Constantini pag* 231 *ex Cedreno refert*, Helenam duodecim annis ante Constantinum e vivis abiisse; *atque adeo* hac ratione Helenam mortuam esse oporteret anno Christi CCCXXV aut certe CCCXXVI. Quo tamen anno Hierosolymam profecta esse dicitur ab Eusebio et Rufino. Adde quod post Crispi cæsaris et Faustæ augustæ necem Helena aliquamdiu supervixit, ut testatur Zosimus in lib. 2. Porro Crispus occisus est Constantino augusto VII et Constantio cæsare Coss. anno Christi CCCXXVI, ut legitur in Fastis Idatii. Mors igitur Helenæ anno Domini CCCXXVII recte assignari potest, quemadmodum sentit Sigonius in libro 3 De imperio occidentali.

non multum discrepent auctores;

108 *Theophanes in Chronographia pag.* 21 *de S. Macarii Hierosolymorum patriarchæ locutus obitu, hæc subdit* : Sub idem tempus beata Helena annis vitæ octoginta numeratis, multisque Christianæ vitæ præceptis filio relictis, obdormivit in Domino. *Tempus vero illud incidisse*
C *in annum Christi* 326, *censet Pagius ad istum annum* 14 *ex Theophane. Sed tempora illa non satis combino, neque intelligo. Nam obitus S. Macarii laudati apud nos tom.* II *die Martii* X *ejusdem mensis pag.* 35 *affigitur anno circiter* 335; *in Historia autem chronologica episcoporum Hierosolymitanorum, quæ habetur ante tomum* III *Maii nostri, pag.* XVII *dicitur*, quod Macarius ultra annum Christi CCCXXXIII non superfuerit, nisi mensibus fortasse paucis. *Quomodo igitur tempus mortis* Helenæ *cum tempore, quo e vita excessit Macarius, et eum anno Christi* 326 *combinari potest?*

eumdem tamen

109 *Pagius tamen ibidem et istum annum ponit, et aliam pro eodem rationem addit his verbis :* Quod etiam ostendit consulatus Flavii Valerii Constantini, Constantini magni fratris, anno sequenti gestus. Cum enim Helena nepotes suos Constantini M. liberos summo amore prosequeretur, id ante omnia providit, ne quis ex Constantii liberis, Constantini fratribus, imperium eis subriperet. Quare illos velut exules, quoad vixit, semper detinuit, nunc Tolosæ in Gallia, ut scribit Ausonius, nunc Corinthi, quemadmodum prodit Julianus in epistola ad Corinthios, cujus fragmentum extat apud Libanium in Oratione pro Aristophane Corinthio pag. 217; ubi Libanius testatur, Helenæ consilio et novercalibus odiis Constantium Juliani patrem hac et illac traductum fuisse. Cum itaque Constantinus, Constantini magni frater, ut Zonaras prodit, anno sequenti consul processerit; non dubium quin post matris mortem, hunc in fratrem honorem Constantinus M. contulerit. *Hæc Pagius. De novercalibus odiis, quæ* S. Helenæ *imputantur apud Libanium, postea* § 12, *num.* 119 *et* 120 *dicam.*

AUCTORE J. P.

presse determinare,

110 *Argumentum interim illud, quod Pagius promebat e dicto consulatu, non videtur habere tantum firmitatis, quantum volebat ei inesse. Nam collector Gallus Historiæ imperatorum tomo* 4 *de Julio, uti eum vocat, Constantio, Constantini fratre, tractant locis variis (Vide indicem ad istum tomum) in Constantino imperatore articulo* 74 *pag* 258 *consulem fuisse illum ponit anno Christi* 335. *Et artic.* 63 *pag.* 227 *ad consules anni* 327 *monet, primum hujus anni consulem, Constantium ab aliis nominatum, ab aliis vero Constantinum, verosimiliter eumdem* E *esse Constantium tunc prætorii præfectum. In notatione autem* 56 *ad Constantinum imperatorem pag.* 651, *ubi de Constantino vel Constantio, qui consul fuerit anno* 327, *disserit; inter alia, credi etiam posset, inquit, hunc esse Julium Constantium, Constantini fratrem; sed notatus esset* secundum consul *anno* 335, *quo certissime consul fuit cum Albino. Deinde Pagium, a quo in Dissertatione De consulibus pag.* 251 *signatur consul anno* 327 Flavius Valerius Constantinus, *confusionis arguit. Sed hæc ex ipso retulisse, sit plus quam satis, quæ eo valent, ut pervideatur, quam sit difficile ex tali argumento presse definire emortualem Sanctæ annum.*

difficultatibus est obnoxium.

111 *Tillemontius tomo* 7 *Monumentorum pag.* 16 *obitum ejus differt in annum* 328 *hoc ratiocinio : Si, inquit, non fuerit in Palæstina, nisi ad finem anni* 326, *difficile est, mortem ejus signare citius quam anno* 328; *et vix potest differri serius; quia non diu post illud iter obiit secundum Eusebium in Vita Constantini lib* 3 *cap.* 43. *Deinde citat Rufinum, qui lib.* 10 *cap.* 11 *hæc scribit* : Mater Helena.. ex hac luce decessit. Constantia tunc Licinii derelicta fratris augusti F solatiis fruebatur. *Constantia itaque, Constantini soror, aliquamdiu* Helenæ *supervixit, Rufino teste; cujus mors si signari possit versus annum* 329 *aut* 330, *id quod facit dictus Monumentorum collector tom* 4 *Historiæ imperatorum in Constantino articulo* 69, *consequens est, ut* Helenæ *obitus vix ultra annum* 328 *differri possit. Valeant itaque hæc ac controversum annum mortis* S. Helenæ *præterpropter figendum; unde enim eum precise determinem, nihil in promptu habeo. Si itaque, inquit idem collector tom.* 7 *pag.* 16 *citatis, partem aliquam habuerit in fundatione ecclesiæ Apostolorum, ac nonnullarum aliarum Constantinopoli, sicut neoterici, ait, Græci dicunt; accidit hoc antequam Constantinus cogitarit de fundanda nova hac urbe; id quod parum ei apparet verosimile, ac mihi, nisi partem habuisse in iis intelligas, quia vel illas decreverit postea condere, vel condendas Constantino designarit; quod potuit quidem fieri, sed factum tamen non scio. Codinus in Originibus Constantinopolitanis de templo apostolorum pagina* 88 *hæc habet* : Templum SS. Apostolorum una cum ipso *(Constantino)* mater ejus exstrui curavit forma oblonga

AUCTORE J. P.

oblonga et tecto ligneo opertum. Item monumenta imperatorum, in quorum uno ipse cum matre conditus est. *Hoc ultimum nisi intelligas eo sensu, quem modo indicabam de ecclesiis, non subsistit, secundum ea, quæ superius præmisi. Et pag.* 49 *ac* 50 : Ecclesiam S. Romani B. Helena ædificavit, et prope eam deposuit capsam cum reliquiis prophetæ Danielis, et magni martyris Nicetæ, uti et aliorum Prophetarum reliquias, quas Hierosolyma secura attulit. *Et paucis interjectis.* Præterea etiam ædificavit S. Helena monasterium SS. Carpi et Babylæ ad imitationem sepulcri Christi, ex vario et admirando marmore, multisque possessionibus ditavit.

Dies obitus

112. *Dies quo ad meliorem Sancta migravit vitam, creditur fuisse Augusti* XVIII, *prout in Martyrologiis videtur indicari passim, quando memoriam ejus referunt. Attendi non merentur Acta apocrypha S. Judæ Quiriaci apud nos excusa tom* 1 *Maii, die* IV; *ubi pag.* 448 *narrantur ista :* Beata autem Helena dona multa derelinquens sancto episcopo Cyriaco ad ministerium pauperum, dormivit in pace septimo decimo Kalendas Maii. *Alibi etiam eodem die* XV *Aprilis nomen ejus notatur, ut dictum est jam pridem in Prætermissis apud nos ad istum diem tom.* II *ejusdem mensis pag.* 371 : S. Helenæ imperatricis transitus memoratur in Additionibus Greveni, et Martyrologio Canisii, et Adone Ms. S. Laurentii apud Leodienses, et in archidiœcesi Salisburgensi colitur Officio proprio cum tribus lectionibus de vita. *Apud Aringhum Romæ subterraneæ tom.* 2 *pag.* 33, Sexto Idus Februarii *dicitur mortua.*

annus ætatis

113 *Breviter hic observo ista de ætate, qua obiit sancta imperatrix. Hoc accidisse anno vitæ ejus octogesimo, tunc nondum integre quidem, sed fere tamen expleto, videtur erui ex Eusebio in Vita Constantini lib.* 3 *cap.* 46 : *nam ibi ad meliorem sortem vocata dicitur,* annum (*in Græco additur* σχεδὸν, *id est,* fere, pene,) ætatis agens circiter octogesimum. *Si ergo* σχεδὸν *et* ἀμφὶ *uti est in textu Græco, id est,* fere, circiter *numeraret illos annos, nondum eosdem compleverat secundum Eusebium : cui credendum est potius, quam qualicumque Actorum fragmento apud Aringhum paullo ante allegatum, ubi narratur* ultra octogesimum ætatis annum.. reddidisse spiritum. *Suidas ad vocem* Ἑστιάδες *eam scribit* octoginta circiter annos vixisse. *Theophanes vero in Chronographia pag.* 21 *numerum rotundum* ἔτης ογδοήκοντα *id est,* annorum octoginta *signat.*

§ XII. Loca Helenæ nomine insignita a Constantino, creata ab eo imperatrix, conditi in ipsius honorem nummi, illustres gratiæ ac naturæ dotes; castigatur Libanius sophista.

Drepanum in Bithynia vocatur Helenopolis etc..

Inter elogia, quæ initio paragraphi undecimi recitabam ex Eusebio, occurrebat memoria de honoribus publicis a Constantino magno redditis matri suæ. Verba, quibus rem e dicto auctore ibidem retuli, non est opus huc iterum transcribere, tametsi conveniens omnino sit, locum istum aliunde pluribus illustrare. Id quod jam facio. Baronius ad annum Christi 326, postquam num. 57 egisset de S. Luciani martyris basilica constructa (Vide quæ de ea retuli antea § 10) ita pergit num. 58 ad propositum nostrum :* Filius autem, qui ad omnia sumptus copiosissimos suppeditabat, Constantinus, voluit a matris nomine civitatem redditam ampliorem Helenopolim nominari, quod Sozomenus atque alii post eum affirmant. Sed et Pontum ipsum, Polemoniacum antea dictum, a matre sua Helenopontum voluit nominari. Testatur id Justinianus in Novella constitutione, cum ait : « Ab omnibus Helenopontus nuncupatur : quod illi nomen a pientissimo « principe Constantino impositum est occasione « honestissimæ suæ matris, Helenæ scilicet pientissimæ mulieris, quæ nobis etiam sacrum Christianorum lignum invenit. Vetus enim illud nomen Polemonis, quo plerique in Ponto tyranni usi fuerunt, dehinc quiescito : primum, « quia tyranni exstitit, secundo, quia de suo nomine urbem appellatam habet, scilicet Polemonium : tum etiam, quia pulchrius fuerit regiones Christianorum et regum nominibus designare, quam iis, quæ Polemi, hoc est, belli et tumultus, notionem præ se ferunt. » Hæc ibi. *Observat tamen Monumentorum ecclesiasticorum collector sæpe citatus, in* S. Helena *pag.* 18 *circa duo illa nomina, unum æque ac aliud substitisse, eorum singulis singularem provinciam denotantibus. Pergit Baronius :*

An duæ civitates Helenæ vocabulo nuncupatæ :

115 At non unam tantum, sed duas civitates a Constantino erectas Helenæ matris nomine, Sozomenus affirmat : alteram nempe, de qua actum est, in Bithynia ; alteram vero in Palæstina. Sed repugnat iis, quæ tradit Socrates his verbis : « Quod autem imperator in condendis urbibus multum studii posuerit, quod ex nonnullis « vicis civitates effecerit, ut Drepanum matris « nomine appellarit, ut Constantiam sororis Constantiæ nomine nuncupatam in Palæstina ædificarit, litteris in præsentia mandare, minime « opportunum arbitror. » In hunc modum Socrates : quod et verius esse probatur : cum civitas nulla reperiatur in Palæstina, quæ fuerit Helenopolis appellata. Fuit autem apud Antiochiam ad Daphnidis lucum celebris memoria Helenæ, dicta Augustale, ubi idem Constantinus imperator Helenæ suæ matris statuam collocavit. Hæc apud Suidam. *Porro citationes, quibus eorum, quæ dicta sunt, fidem liberat Baronius, notantur apud ipsum loco designato ad marginem.* Helenopolim in Palæstina *frustra quæsivi apud varios geographos : Ortelius tamen in suo Thesauro geographico* circa Bethaniam, *ait,* hanc fuisse scribit Freculphus, ubi Lucianus archiepiscopus sepultus. *Noster Jacobus Longueval tomo* 1 *lib.* 2 *Historiæ ecclesiæ Gallicanæ pag.* 206 *refert, Constantinum ædificari jussisse* Eluam *in montibus Pyrenæis super ruinas antiquæ Illiberis, et de nomine* S. Helenæ, *matris suæ nomen* Helenæ *ei indidisse.*

imperatoria ejus dignitas in nummis expressa,

116 *Insignem quoque Constantinus summæ, qua matrem prosequebatur, venerationis tesseram exhibuit, quando Regalibus, ut supra dicebam ex Eusebio,* honoribus ita eamdem ornavit, ut in omnibus provinciis tum a paganis tum a militibus augusta et imperatrix nuncuparetur, et aurei nummi ejus imagine signarentur. *Numisma unum repræsentat Baronius ad annum citatum num* 61 ; *plura Cangius in Familiis augustis pag.* 41 ; *videri etiam potest noster tomus* V *Maii die* XXI, *pag.* 23,

AUCTORE J. P.

A *pag. 23, ac præ aliis Bandurus in Opere, quod* Numismata imperatorum Romanorum *etc. inscripsit, tomo 2 a pag. 112. Inter alios nummos plures, datur pag. 113 sequens de uno notitia :* PROVIDENTIAE AUGG. Castra cum stella superne : in ima parte S AA. stella intermedia. *In nummum hunc, qui ibidem dicitur* regius, *nonnulla ibidem observantur, quæ describo :* Nummi Helenæ cum hac epigraphe et hoc typo rarissimi sunt. Helenam augustam a Constantino filio nuncupatam anno cccxxv fuisse, scriptores produnt; quo anno pacem publicam, et securitatem reipublicæ jactari potuisse constat; cæso enim Licinio, Constantini non laudis quidem, sed potentiæ æmulo, novi motus ab ambitione Ducum vix timendi erant; barbaros vero variis cladibus attritos apparebat saluti suæ deinceps magis consulturos, quam alienas opes invadere conaturos esse : quapropter utriusque inscriptionis ratio satis constat; sed hæc, ut verum fateor, negotium non leve exhibet : nam augustum quidem unum illo anno reperio, Constantinum Maximum, cui et pax publica, et securitas reipublicæ acceptæ referuntur; alterum B non reperio. Itaque illud tantum succurrit, nummos hujusmodi cusos fuisse anno cccxxvi in paucis illis mensibus, qui inter Faustæ cædem et mortem Helenæ effluxerunt, augustosque duos, quorum providentia commendatur, Helenam ipsam et Constantinum esse... Cæterum nummi inscripti PROVIDENTIÆ AUGG. licet in variis imperatoribus occurrunt, numquam tamen in augustis, præterquam in Helenis. *Si præter inscriptionem, quam supra de* Helena *dedi § 3 num. 33, alias desideret lector, consulat Bandurum citatum pag.* 113.

quando ei collata : 117 *Quantum ad tempus attinet, quo* Helena *a Constantino augustæ et imperatricis dignitate fuit insignita, quodque paullo ante dicebatur a scriptoribus proditum, accidisse anno* 325; *Pagius in Critica Baroniana ad annum 326 num.* 14 *Theophanem de hac re ita loquentem inducit;* Eodem quoque anno matrem Helenam, mulierem divino sensu præditam, coronavit Constantinus, et ut imperatrix monetam suo charactere cusam distribueret, donavit. *Hæc, uti addit Pagius,* inquit Theophanes de rebus anno præcedenti gestis loquens. Ut enim in Dissertatione hy-C patica dixi, matres, uxores et sorores imperatorum Augustæ in Vicennalibus, et id genus festis de more nuncupatæ.

a singularibus gratiæ ac naturæ dotibus, 118 *Nec vero beatissima hæc Imperatrix a solo Constantino tam excellentibus decorata fuit honorum insignibus; verum etiam cum viva tum mortua variis scriptorum præconiis laudata est. Elogia, quibus eam extollit Eusebius, dedimus supra. A S. Ambrosio in oratione de obitu Theodosii,* sanctæ memoriæ Helena *vocatur, et honorifice prædicatur.* Et illa quidem post mortem eum honorem consecuta est, quem par fuit consequi illam, quæ tam studiose tamque ardenti animo Deum coluerat, *inquit Theodoretus supra citatus Ecclesiasticæ historiæ lib.* I *cap,* 18. *Sancto Paulino, uti et aliis scriptoribus per decursum hujus nostri Commentarii allegatis, memoria ejus in benedictione est. Breve est illud Rufini lib.* 10 *cap.* 7 : Femina incomparabili fide, religione animi, ac magnificentia singulari. *Concilium Chalcedonense apud Labbeum tomo* 4 *Conciliorum col. 608 volens egregia laudum congerie celebrare Pulcheriam imperatricem, instituit comparationem inter hanc et* Helenam, *simul utramque extollens :* Pulcheria nova Helena... Zelum Helenæ tu (*Pulcheria*) sectaris. *S. Gregorius Turonensis lib.* 1 *De gloria Martyrum cap.* 5 *S. Radegundem in* Helena *laudat, dicens :* Et merito et fide Helenæ comparanda regina Radegundis. *De ea egimus hoc tomo* III *hujus mensis, die* XIII. *Addere his liceat Theophanem, qui, relato* S. Helenæ *obitu, in Chronographia pag.* 21 *editionis regiæ Parisinæ hæc fatur :* Sacræ autem Hierosolymitanæ virgines, quibus religiose de Deo sentiens Helena servarum more stans propriis manibus ministrabat, jugi piaque recordatione nomen ejus celebrantes, æternam ei beatitudinem precabantur.

et a prudentia præsertim laudatur. 119 *Liceat postremo hic repetere brevissimum quidem illud, quod antea num. 59 protuli, Eusebii in Vita Constantini lib. 3 cap. 42 de illa effatum, sed ad commendandas mentis ac naturæ ejus dotes accommodatissimum, dum* ὑπερβαλλούσῃ φρονήσει, *id est, mulierem* singulari *seu* excellenti prudentia *præditam fuisse, eam memorat. In quem locum ita commentatur Valesius in Annotationibus pag.* 230 : Helenam, Constantini matrem, mulierem fuisse singulari prudentia, præter Eusebii testimonium multa sunt quæ nobis E persuadent. Cum enim Constantinum imperatorem usque ad extremum vitæ diem sibi obsequentem habuerit, vel hoc unum singularis prudentiæ argumentum est. Fuit hoc etiam summæ prudentiæ indicium, quod filii sui opibus et Augustæ dignitatis fastigio non ad luxum et delicias abusa est; sed urbes ac provincias, et privatos homines liberalitate sua sublevavit. Cumque nepotes suos Constantini liberos summo amore diligeret, id ante omnia providit, ne quis ex Constantii liberis, Constantini fratribus, imperium eis subriperet *etc. Recole quæ dixi nuper* § 11, *num.* 109 *ex Pagio; ubi de epistola Juliani ad Corinthios; cujus epistolæ fragmentum extare apud Libanium in oratione pro Aristophane Corinthio pag.* 217, *ibi indicatum est. Ibidem etiam de* Helenæ consilio, ac novercalibus odiis, *quibus Libanius testabatur,* Constantium Juliani patrem hac et illac traductum fuisse. *Ad hæc,* Helenam πανοῦργον μητρυιάν *ibidem appellari, observat Valesius citatus, id est, quantum ego quidem interpretor,* callidam *vel* fraudulentam *seu* versipellem novercam : *nam tametsi vox* πανοῦργος *proprie significet eum, qui in omnibus rebus versatus est; plus tamen improperatum Sanctæ* F *Mulieri fuisse, ob rationes, quas continuo afferam ex odio utique in Constantinum et Christianos ortas, suspicor.*

Convenitur Libanius sophista. 120 *Tillemontius tomo 4 Imperatorum in Constantino articulo 85, pag. 287 ostendit, quomodo imperator ille se gesserit erga fratres suos; ubi curam illam, quæ haberi videbatur, Constantium amandandi nunc in hunc, nunc in alium locum, refundit in metum, ne res imperii perturbaret; id quod prudentia* Helenæ *non esse indignum, merito asserit. Facessant itaque hinc fraudulentia, ac novercalia odia, quæ cum tam sancta vita ejus non conveniunt, nec in una eademque morantur sede. Os comprimat Libanius, homo gentilis et religionis Christianæ oppugnator, dum sancti Patres, dum scriptores alii, dum antiquissima monumenta tam honorificis prædicant testimoniis spectatissimam nostræ sanctæ Mulieris morum probitatem et sanctimonium. Et quis tandem Libanius ille sophista, ut vel hiscere contra* Helenæ *virtutem audeat ?* Multa de se habet libro, quem de vita sua conscripsit, ubi de se reliquisque suis usque ad nauseam agit; in Christianos

AUCTORE J. P.

nos sæpius stylum stringit, præsertim tribus orationibus. Prima... Constantinum M. tecte carpit (ipsum enim intelligi notat scholiastes) quod gentilibus bellum vehemens et indesinens intulerat, ignem sacrum plane extinxerat, quod hostiarum suavitatem inhibuerat *etc.* Secunda.... admodum est proli..., qua non modo Constantium imperatorem perstringit, et religionem Christianam clam sugillat, sed et Juliani necem in Christianos... aperte rejicit, subditque eos hunc in finem jam dudum insidias parasse... Tertia denique, quæ edita habetur, oratio est de templis gentilium... in qua non modo religiouis paganæ solemnitatum, ædiumque sacrarum ex professo causam agit; sed et Christianos, præsertim episcopos et monachos in diruendis gentilium templis præcipue operam navantes levato velo... vehementius accusat, *inquit Caveus heterodoxus in Scriptorum ecclesiasticorum historia litteraria a pag.* 198. *Quid ergo mirum, si calamum quasi per transennam hic etiam atra bile tinctum strinxerit ille religionis Christianæ hostis contra* S. B Helenam, *tam illustrem ejusdem religionis cultricem, ac propagatricem, nec non religiosissimi Christianorum propugnatoris Constantini matrem? Nam, ut recte Alfordus ac breviter ad annum Christi* 326 *num.* 71, Helenæ debet Christianus orbis Constantinum et crucem : in utroque restitutam fidem.

§ XIII. Cultus e Fastis sacris Latinis; publica veneratio per varias Occidentis regiones diffusa; sacra lipsana; annua apud Græcos memoria.

Annua ejus memoria

Qui S. Helenæ *nomen Martyrologio inscripserit hac die* XVIII *Augusti ante Usuardum, e Latinis hagiologis genuinis et antiquis, novi neminem. Hic itaque tunc illam sic annuntiat :* Via Lavicana, sanctæ Helenæ matris Constantini imperatoris. *De illa autem annuntiatio*C *ne in Observationibus ad dictum Martyrologium a nobis editum ac illustratum, hæc sunt notata :* Helenam, in codicibus Adonianis repertam, asterisco notavit Mosander, tamquam adjectitiam, idemque censuit Rosweydus : dubium igitur manet, unde eam sumpserit Usuardus : sed ab eo signatam esse, ut in textu retulimus, videtur certissimum. *Et sane illam annuntiationem vere Usuardinam esse, fidem facit ejusdem hagiologi Martyrologium ad autographi, in San-Germanensi abbatia servati, exemplar vulgatum Parisiis anno* 1718, *in quo eadem prorsus annuntiatio habetur. Circa illud, quod modo dictum est de codicibus Adonianis, consuli potest Appendix ad Martyrologium Adonis, post illud a Rosweydo edita, ubi ad diem* VIII *Februarii signatur :* Item depositio sanctæ Helenæ reginæ. *Memoria ejusdem Sanctæ etiam die* XVIII *Augusti habetur in additionibus ad Martyrologium, quod sub nomine Bedæ a nobis est excusum ante tomum* II *Martii.*

notatur in variis Fastis sacris,

122 *Florarium nostrum Ms. eadem die ita illam refert :* Romæ, via Lavicana depositio sanctæ Helenæ reginæ, matris Constantini imperatoris, quæ lignum sanctæ crucis miraculose invenit. Obiit anno salutis CCCXXV. *Annum hunc corrige ex dictis* § XI, *qui videtur etiam inde* D *emendandus in Martyrologio novo Parisino, anno* 1727 *impresso, in quo annuntiationi* S. Helenæ *adjungitur ad marginem* 330. *Maurolycus et Galesinius illam etiam memorant, uti et Saussayus, qui sequens eidem elogium adaptat :* Ipso die (XVIII *Augusti)* Remis et Aureliis festivitas sanctæ Helenæ augustæ, quæ Constantini magni mater *etc.* Romæ crucis basilicam deinde condidit, quam salutiferæ crucis parte insignivit. In Galliæ decoramentum etiam religiose propensa, Aureliis principem ædem construxit in Christi crucifixi veneratione : cujus et tunicam inconsutilem Treviris pio cultu observandam misit cum plerisque aliis redemptionis humanæ monumentis *etc. Plura ibi dixit Saussayus, quam ego ex antiquis documentis solide possim probare.*

(quæ potissimum inclaruit in Gallia) ac Martyrologio Romano.

123 Deinde, *prout subdit Saussayus,* cum miraculis, quæ in vita etiam patraverat, *post mortem* coruscaret, a Theogiso monacho in Franciam corpus ejus sacratissimum advectum, atque in Altovillari cœnobio ingenti cum miraculorum fulgore collocatum fuit, ubi hactenus magna religione servatur, demptis aliquot particulis, quæ E hinc Aureliam missæ, ad principis ecclesiæ ornatum et clientelam digna etiam observatione habentur. *De translationibus postea tractabitur; Altivillariensis autem publicam sanctæ Imperatricis venerationem egregie auxit ac propagavit, sicut postea patebit. P. Philippus a Visitatione in* Acie bene ordinata plurium Sanctorum et Beatorum utriusque sexus Ordinis Carmelitarum *etc. typis edita, ad hanc diem* XVIII *Augusti ista annuntiat :* S. Helena imperat., pinzochera *(id est, soror tertii Ordinis)* Carmeli. *De voce* pinzochera *sub ista notione agit editio novissima Glossarii Cangiani tom.* 5, *col.* 494. *In Annotationibus vero ad citatam Aciem, quas Mss. habemus, idem P. Philippus positionem suam deducit et pluribus explicat :* S. Helena, Constantini imperatoris mater, Carmelitano Ordini saltem tertio ascribenda : quia cum lignum S. Crucis ope et opera S. Mariæ, Marthæ, aliarumque Carmeli sanctimonialium reperisset anno CCCXXVI, in cœnobio Hierosolymitano tunc reparato, illa S. Helena remansit omnibus sanctimonialibus inserviens et obediens. Tandem earum institutiones F Romam retulit, quas cum S. Constantia et aliis virginibus sedulo observavit usque ad mortem. Hæc damus, *uti addit,* ex Bostio cap. 22, ex Rinchenio in Vinca Carmeli, ex Thoma de Jesu lib. ant. et aliis. *Valde simplex et credulus sit oportet, qui hæc admittat. Res a* S. Helena *Hierosolymæ gestas ex antiquissimis scriptoribus collegimus antea* § 7 *et sequentibus : ubi inter alia consuli possunt, quæ habentur* § 9. *num.* 90, *et huc applicari. Alios hagiologos, Sanctæ nostræ in suis Fastis memores, omitto, ac transeo ad Martyrologium Romanum, in quo annua ejus memoria, toti Ecclesiæ Catholicæ venerabilis, ita hoc die* XVIII *Augusti recitanda præscribitur :* Romæ via Lavicana S. Helenæ matris Constantini Magni, piissimi imperatoris, qui primus Ecclesiæ tuendæ atque amplificandæ exemplum ceteris principibus præbuit. *His ita expositis, venio ad alia monumenta, quibus publica Sanctæ veneratio illustratur. Ac primo de Italia instituatur sermo.*

Cultus publicus Romæ,

124 *Baronius in Notationibus ad mox relatam annuntiationem Martyrologii Romani,* Viget, *inquit,* nobilis memoria S. Helenæ Romæ in Atrio Sessoriano in basilica dicta S. Crucis, quam

A quam constat olim appellatam esse basilicam Helenianam, ut apparet ex Actis Sixti Papæ tertii; quibus agitur de damnatione Bassi exconsulis. *Fronto in suo Kalendario Romano pag.* 49 *notat:* Dicta est hæc et basilica Hierusalem. *etc. Tomo* I *Conciliorum apud Labbeum col.* 1413 *ex libello de munificentia Constantini narrantur ista :* Constantinus augustus fecit basilicam via Lavicana inter duas Lauros, B. Petro et Marcellino martyribus : et mausoleum, ubi beatissimam augustam Matrem suam posuit in sarcophago porphyretico. *Aringhus tomo* 2 *Romæ subterraneæ lib.* 4 *cap.* 9. *pag.* 33 *et qualibuscumque Mss.* S. Helenæ *Actis refert ista :* Sepulta est honorifice cum aromatibus Via Lavicana, ubi dicitur inter duas Lauros, milliario tertio ab Urbe. Et in eodem loco fecit basilicam *(Constantinus)* sanctis martyribus Marcellino et Petro, et ibi in mausoleo porphyretico, undique pretiose sculpto, juxta regiam excellentiam, matrem suam sepelivit. *De mausoleo* Helenæ *imperatricis meminit Mabillonius in suo Itinere Italico pag.* 83. *Anastasius Bibliothecarius in Stepha-* B *no V, ita de eodem narrat :* In basilica beatæ Helenæ fecit vestem de fundato. *E quibus publicis honoribus eruo, uti sunt signa cultus, ita fuisse ejusdem incrementa.*

et variis quidem locis ; ac alibi in Italia,

125 *Piazza in suo Hemerologio sacro Romæ Christianæ ac gentilis ad diem* XVIII *Augusti scribit, festum hujus sanctæ Imperatricis solenniter celebrari in æde ejus sacra, quam* de' Credenzieri *vocant, cum indulgentia plenaria ; ad sanctam Crucem in Hierusalem in nobilissimo ipsius sacello (quo loco, uti quidem refert auctor ille, ea habitarit, et ubi reliquerit pretiosa pignora instrumentorum passionis nostri Servatoris, funem videlicet, quo Christus fuit ligatus ; spongiam, qua potatus fuit felle et aceto, partem vestis Domini) et alibi. Nonnulla etiam supersunt notanda de aliis Italiæ locis. Suspicor etiam Venitiis fuisse, vel etiamnum forte superesse egregia cultus indicia, cum corpus,* S. Helenæ *Constantinopoli eo translatum legam apud Ughellum Italiæ sacræ tom.* 5. *col.* 1326 *prioris editionis : de qua re plura dicam infra, quando agam de translationibus corporis. Festum porro* S. Helenæ, matris Constantini M., in ecclesia Veronensi *agi die* XVI *Aprilis, notatur in Prætermissis ad* C *istum diem tom.* II *ejusdem mensis pag.* 402. De ecclesia S. Helenæ apud Lavinum amnem in agro Bononiensi *mentio facta est tomo* I *Januarii pag.* 90.

item Treviris.

126 *In Lectionario, quod habemus, de Sanctis quibusdam Trevirensis Officii, Augustæ Trevirorum excuso anno* 1645, *ad diem* XVIII *Augusti,* Helenæ augustæ duplex *signatur, cum* 3 *Lectionibus propriis in* 2 *Nocturno. Concilium Trevirense anno* 1549 *indictum, et ab Harduino nostro editum tomo* 9 *Conciliorum col.* 2146, In civitate, *inquit,* nostra Treverensi hæc festa patronorum, Maximini, S. Simeonis, Visitationis, Helenæ *etc. Apud Browerum in Annalibus Trevirensibus tom.* I *ad annum* 1075 *num.* 45 *lego ista :* Hoc anno comperi apud Juræ montis pedem amœna planitie in veteri suburbano vico restitutam ecclesiam, in qua olim Numeriani antistis ossa cubarunt, nobili S. Helenæ excitato patrocinio, quod ad hanc quoque diem obtinet. Titulus dedicationis saxo inscriptus, ecce, iste legitur : ANNO DOMINICÆ INCARNAT. MLXXV INDICT. XIII. VI KALEND. SEPTEMBRIS DEDICATUM EST HOC ORATORIUM IN HONORE SANCTÆ HELENÆ A. V. TREV. ARCHIEPISCOPO UDONE, ORDINATIONIS SUÆ ANNO VIII, IN QUO EST PARS SEPUL. CHRISTI DOMINI ET SANCTORUM SIXTI, LAURENTII, FORTUNATI, MARTYRUM, REMIGII, MAXIMINI, NAZARII, PRÆDICTÆQUE MATRONÆ HELENÆ, ET S. MARGARETÆ, ET S. CHRISTINÆ VIRGINIS.

In Angliæ tractibus

127 *De Anglia vero sic loquitur Alfordus ad annum* 325 *num.* 69 : Verum, ut par erat, insula nostra longe sanctius reginæ suæ parentavit structis templis, et dictis ab Helena. Erant sine dubio Britannorum seculo plura hujusmodi. Sed obliteravit fere omnia rerum varia et inconstantissima vicissitudo, quæ toties insulam afflixit, et sacra pessumdedit. Saxones tamen, ubi Christum didicerunt, et coli posse Sanctos, hanc augustissimam Feminam cum primis coluerunt, nontantum in Trinobantibus et Essexiensi comitatu, natali ejus solo *(uti putat Alfordus)* ubi ad Merseum oppidum ecclesia est ab Helena nuncupata : sed alibi etiam in Atrebatiis, et Bercheriensi agro : ubi ab æde sacra, olim dicata Helenæ, dictum est oppidum Helenstoum. Est et aliud ejusdem nominis oppidum in Cattieuchlanis juxta Bethsfordiam ; ubi Juditha, illustrissima femina, monaste- E rium erexit sacris virginibus, et locum consecravit Helenæ.

ac Londini publicam habuit venerationem.

128 Londini quoque, quam urbem Regina, ut supra dictum, mœnibus cinxerat *(ita quidem vult Alfordus)* templum fuit Helenæ sacrum, quod Guilielmus Basingus fecisse memoratur. Et hæc quidem monumenta nominis ejus supersunt adhuc e tot ruinis, quas ætas hæc fecit inimica Sanctis. Denique meminit Alcuinus noster ecclesiæ, ubi cum cruce sancta Helena quoque colebatur ; quod ipse in hunc modum describit poëmate *(quod ad marginem citatur)* 248 :

Adspice tu, lector, nostræ pia signa salutis
Ecclesiæ in medio, nobis mirabile donum,
Pro mundi vita, mundi jam vita perpendit *etc.*
Hic quoque sit nobis sacræ spes magna salutis
Agmine Apostolico : quoniam hæc ara refulsit
Et simul Helenæ meritis vivacibus almæ,
Quæ invenisse crucis fertur mirabile lignum,
In quo Christus, honor mundi, laus, vita pependit.

Sacra ejus lipsana.

129 *En tibi, lector, nonnulla sacra lipsana, quæ quidem apud auctores* S. Helenæ *attributa* F *reperio, atque in eorumdem fide huc transcribo. Piazza paullo ante memoratus varia variis Romæ locis assignat. Rasponus in Opere de basilica et patriarchio Lateranensi lib.* I *cap.* 18, *pag.* 77 *mentionem facit de* cineribus divæ Helenæ augustæ. *Inter Sanctorum reliquias Metropolitanæ ecclesiæ Brundusinæ, quarum catalogus exstat post Officia Sanctorum patronorum ejusdem ecclesiæ, anno* 1583 *excusa, invenio* R., *id est,* reliquias S. Helenæ matris Constantini imperatoris. *In annalibus Trevirensibus apud Browerum tomo* I *ad annum Christi* 327 *num.* 23 *narrantur ista de ecclesia Trevirensi, ubi Sanctæ caput esse fertur :* Ejus item sacratum caput in thesauris habet, multis post seculis huc Caroli IV imperatoris, et Cunonis archiepiscopi beneficio tralatum. *Deinde tomo* 2 *ad annum Christi* 1378 *num.* 51 *de ornatu istius capitis ita narrat :* Hoc ipso anno Arnoldus de Saraponte, majoris ecclesiæ Trevirensis archidiaconus, decimo sexto Martii, corporis ergastulo solutus excessit... Is... inter alia beatæ Helenæ augustæ caput auro argentoque vestiendum curavit, et lapidibus gemmisque pretiosis ornata statua, monumentum suæ adversus Divam pietatis in gazophylacio reliquit.

Inter

AUCTORE J. P.

Inter reliquias Ulyssiponenses, de quibus mentio fit apud nos tom. II *Januarii, pag.* 612; *notantur ad* XVIII *Augusti* S. Helenæ augustæ *sacra lipsana. Franciscus le Maire in Historia ecclesiæ ac diœcesis Aurelianensis una cum Vitis episcoporum istius cathedræ anno* 1648 *Aureliani excusa, pag.* 37 *memorat* os colli S. Helenæ, matris Constantini imperatoris, allatum ex Altivillari diœcesis Remensis, ubi pars maxima corporis ejus gloriosi extat.

Honoratur apud Græcos memoria ejus 21 Maii,

130 *Græci in suis Fastis die* XXI *Maii annuam sancti Constantini magni imperatoris ac* S. Helenæ *memoriam colunt sub una annuntiatione. Typicum S. Sabbæ ambos tunc ita refert* : Sanctorum magnorum imperatorum, ac Apostolis consimilium, Constantini et Helenæ. *Menologium Sirleti :* Commemoratio religiosissimorum imperatorum Constantini et Helenæ. *Menæa magna excusa :* Memoria Sanctorum, gloriosiorum, a Deo coronatorum, et cum Apostolis comparaudorum, magnorum imperatorum Constantini et Helenæ. *Et mox duobus ambo his versiculis, quos modice correxi. laudantur :*

B Οἱ κοινὸν εἶχον γῆς βασιλεῖς τὸ στέφος,
Ἔχουσι κοινὸν καὶ τὸ τοῦ πόλου στέφος.
Corona quos communis in terra extulit,
Corona quoque communis in cælo beat.

Amborum quoque memoriam signant Menologium Basilii imperatoris, Martyrologium Arabico Ægyptium nostrum, Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum, ac apographa Græca, quæ apud nos asservantur. Adde Ephemerides Græco-Moscas, quæ habentur ante tomum I *Maii nostri pag.* XXVIII, *ac Maium Græcorum metricum ibid. pag.* XXVI. *Apud Waddingum in Kalendario festorum propriorum ecclesiæ Hierosolymitanæ, tomo* 3 *Annalium Minorum pag.* 499 *occurrit* Helena *sola ad diem* XVIII *Augusti his terminis relata :* S. Helenæ reginæ nec virg. nec mar. duplex.

quorum profertur publicæ venerationis documentum ; ædes sacra Constantinop.

131 *Peculiare autem est illud venerationis publicæ apud Græcos documentum, quod die dicto* XXI *Maii in honorem* SS. Helenæ *ac Constantini imperatoris, auctoritate regia jubeantur vacare tribunalia, sicut videre datur apud Balsamonem typis editum Parisiis anno* 1620 : *nam in Photii Nomocanonis titulum* 7, *a pag.* 79 *sic scribit* : Si vis autem plane scire, quibusnam diebus ferientur ac quiescant judicia, lege imperatoriam C novellam, quæ mense Martio, XIV Indictionis, anno VI. M.DCLXXIV emissa est a Deo coronato optimo et sanctissimo nostro imperatore domino Emanuele Comneno, quæ hæc tractat post principium : Decernimus ergo, ut illi dies sint ab omnibus negotiis et actionibus immunes, quos in præsenti Coustitutione expresse enumeravimus ; et in aliquibus quidem illorum ab omni actione cessetur, ut toto eorum spatio judicium minime exerceatur, nisi imperatoris forte dispensatio, aliqua forte ratione vel necessitate, ut sæpe negotia facile emergunt ac erumpunt, in his quoque voluerit judicium sedere. In aliquibus vero ex parte judicia agitentur... Ac primum quidem tractandum est de iis, qui sunt ab omni actione immunes.. *Inter quos pag.* 81 *notatur dies* XXI *Maii* propter sanctorum Apostolisque æqualium imperatorum Constantini et Helenæ memoriam. *Huc accedit ædes* S. Helenæ *sacra Constantinopoli. Baronius ad annum Christi* 326 *num.* 62, Constat, *inquit*, fuisse Constantinopoli sacram ædem S. Helenæ, quæ, ut testatur Justinianus imperator, *ibidem citatus*, sanctissimæ majori ecclesiæ copulata erat. *Cangius lib.* 4 D *Constantinopolis Christianæ pag.* 147 *meminit quidem de monasterio* S. Helenæ; *sed de dicta æde sacra non item.*

§ XIV. Varia Vitæ exemplaria designantur et castigantur ; quodnam a nobis hic typis excudatur.

Bodecense unum

Inter plurima Actorum seu Vitæ S. Helenæ *exemplaria, quæ apud nos exstant, primo loco profero Ms. ex* Bodecensis cœnobii Ord. Regular. S. Augustini diœcesis Paderbornensis Passionali pergameno Ms. insigni mensis Augusti fol. CXXXVIII pag. 4. Accepimus a P. Joanne Gamans Societatis Jesu. *Ita incipit* : Cum rex regum et Dominus dominantium Ecclesiæ suæ, quam per infirma mundi plantaverat *etc. Post finem notatur* eadem legenda esse in Mss. Lectionariis chori ecclesiæ metropolitanæ Trevirensis; item S Paulini, *prout fidem facit idem Joannes Gamans. In illa Vita narrantur sequentia de nostra Sancta :* Comperta filii credulitate, missa E epistola, ut eam in legalibus observantiis sequeretur, voluit, quem ipsa sequi in sua religione contempsit. Ille vero rescripta epistola petiit; ut effectus matris Judæi et Christiani convenirent. . Regina vero petitioni imperatoris assensum præbuit, et, convocata multitudine Judæorum, Romam perrexit. Sed summus pontifex Yzachar, quia in conflictu disputationis succumbere timuit, simulata infirmitate, ab ista se profectione subtraxit. Attamen duodecim cum Augusta misit, qui inter cæteros honore magisterii præfulserunt, et non solum Hebræum, sed Græcum et Latinum sermonem noverunt.

exemplar

133 Quibus cum apponere vellent duodecim alios doctores Ecclesiæ, qui cum illis congrederentur in disputatione, Silvester in multitudine hominum confidere noluit, sed solus, in sola Dei confidens potentia, cum eis de verbo Dei disputare non trepidavit. *Sed hæc apocrypha sunt, secundum dicta in Commentario hoc* § 5. *Ad hæc, dicitur etiam :* Mater *Constantini* condidit Helenopolim, in qua admonita per visionem Hierosolymam petiit; *quæ non consentiunt dicto Commentario* § 10, *Nec dissimulavero, indicare nugas alias in dicto Vitæ apographo contentas* : *nam* cum *ibidem loci* multos Judæorum F conveniret, et doctores ex illis de turba segregaret, quid Regina actura esset, mirabatur... Fluctuantibus autem illis... Judas unus ex illis sacramentum, quod de ligno sanctæ crucis solus novit, plurimis revelavit... Moræ impatiens illos vocavit, et, ubi lignum Dominicum reconditum esset, requisivit. Qui conveniens ei responsum non dederunt; donec omnes incendio flammaque interire timuerunt; ideoque necessitate compulsi Judam hujus rei conscium tradiderunt ; quem Regina nec blandimentis nec minis frangere potuit, sed ipsum in puteum siccum jussit projici. *Reliqua piget referre. Verum quomodo crux sit inventa, præmisi in hoc meo Commentario* § 7 *et* 8.

ac alterum ;

134 *Loco secundo exhibeo aliud nostrum ecgraphum* ex Bodecensis cænobii Ord. Regular. S. Augustini diœcesis Paderbornensis Passionali pergameno Ms. insigni mensis Februarii fol. XC. p. A.

A p. A. Incipit prologus: Si juxta Apostoli dictum spiritalibus spiritalia comparanda esse non ignoramus. *post prologum hæc subduntur*: Incipit Vita S. Helenæ reginæ, cujus festivitas agitur sexto Idus Februarii. Beata igitur Helena Trevericæ urbis indigena. *De patria disserui supra* § 1 *et* 2; *unde probabilius nobis videtur fuisse Drepanensis in Bithynia. Paucula alia e pluribus ex ista Vita delibo*: Ergo fide facta Judæa, animo quoque et corpore illis fieri voluit socia. *Auctor item istius Vitæ citat gesta S. Silvestri; de quibus consule supra* § 5, *num.* 50; *sub finem vero lego ista*: Sepelivit eam *(de Constantino est sermo)* in via Lavicana inter duas lauros in vico Drepani; quem vicum princeps Constantinus cognomine matris dedicavit civitatem Helenopolim.. Congrue.. in vico quodam Drepani vocato habuit sepulturam. Enimvero cum Græce drepani falx interpretetur lætitiæ; idem locus de falcis significatione translatus est in lunam, quæ Græce dicitur Helenos. *Hæc pro specimine istius Vitæ sufficiant; quorum ineptias cognosce ex* § 10 *nostri hujus Commentarii. Pergo ad aliud exemplar.*

Blaburrensi,

B 135 *Desumptum illud notatur* ex Ms. Blaburensi Hirsaugiæ *Titulum præfert*: Incipit Historia de beata Helena, inventrice ligni vitæ, ac matre Constantini imperatoris Magni. Beatissima Helena stabularia fuerat *etc. Promo inde nonnulla, ob quæ nobis displicet illa historia* Hæc circumventa a Judæis cum esset in Bithynia in partibus Orientis, cum duobus nepotibus augustis Constante et Constantio pene fieri Judæa potuit, nisi vocatione Christi per filium a perfidorum esset consilio liberata. Denique hujusmodi ad eam scripta transmisit: Domino semper augusto filio Constantino mater Helena semper augusta *etc.* Ad hæc rescripta sunt hæc: Dominæ semper augustæ matri Helenæ *etc. Ego nec hujus scriptum, nec illius rescriptum transcribo; sed observo, Sanctæ a suo filio tributos tunc dumtaxat fuisse augustæ honores, quando illa vergebat ad tempus vitæ postremum, anno videlicet Christi* 325, *sicut invenies in Commentario* § 12, *num.* 117. *Nullius itaque illæ epistolæ sunt auctoritatis. Et in ea quidem, quæ Constantino tribuitur, ipse inducitur ita loquens*: Cesset ergo in hac definitione nostra præsumptio, C ita ut sacerdotes Judaïcæ sectæ et Christianæ religionis pontifices in unum conveniant, et nobis præsentibus mutua sensuum suorum altercatione agentes, ad veritatis faciant indaginem pervenire. *Et paulo post referuntur ista*: Tunc congregati sunt omnes Pharisæi, omnesque Judæorum principes et doctores ad augustam Helenam.. Constantino itaque augusto et Licinio quater consulibus, die Iduum Martiarum facta est congregatio Christianorum et Judæorum in urbe Roma, in qua diversarum provinciarum fuerunt episcopi numero LXXV; Judæorum vero sacerdotes CXX, exceptis his XII, qui ab Isachar pontifice altercationis gratia fuerant destinati: Adsunt etiam episcopi cum Papa Silvestro.

ex speciminibus ostenduntur exigui esse valoris:

136 *Consules ibi signati conveniunt anno Christi* 315, *quando videlicet Constantinus jam a triennio vel a quadriennio erat amplexus orthodoxam fidem.* Peracta itaque, *sicut subditur*, disputatione S. Silvestri Papæ, Helena admonita per somnium Hierosolymam properavit. *Verum Sancta eo peregrinata dumtaxat fuit circa ultima vitæ suæ tempora. Vide præmissa* § 6, *num.* 63. *Collector tamen historiæ, quam castigo, narrationi supra dictæ inventionem crucis subnectit, et observat ista*: Hæc tamen qualiter gesta sint, diversi diversa loquuntur *etc.*; *sed ego cum illa non prosequor, ne longior sim, tum alia plura, quæ in nostro apographo postea sequuntur apocrypha, eamdem utique cloacam referentia, e qua commentitia S. Judæ-Quiriaci Acta prodiere, quæ habentur apud nos tom.* 1 *Maii, die* IV, *a pag.* 445, *prout fiet perspicuum conferenti utramque narrationem. Præter hæc, in dicto ecgrapho Blaburensi hæc memorantur de Sancta*: Cum ætatis suæ ultra octogesimum ageret annum, Romæ obiit. *Utrumque reprobavi in Commentario prævio, quem consule* § XI. *Denique, sequitur in eodem apographo*: Corpus beatissimæ Reginæ modo Venetiis translatum est, et habetur in monasterio, quod ad S. Helenam nuncupatur, juxta Castella in quadam capella. *At clariora ac verisimiliora dabuntur infra de Sanctæ corporis translatione et asservatione.*

quæ nota

137 *Exemplar aliud Vitæ in manibus habeo* ex Ms. Rubeæ vallis, *cujus, uti exemplari nostro adscriptum lego*, auctor putatur Almantius *(sive Almannus)* monachus Altivillarensis; ita enim præferebat codex Resbacensis. *Prologus ita incipit*: Excellentissimi Romani imperii caput præsentaturi sanctæ Ecclesiæ, sancti Spiritus assurgimus præ- E sentiæ. *Narratio autem dividitur in capita duodecim. Capite tertio narrantur ista*: Treveris civitas est Galliæ.. In hac urbe erat puella nobilis, excellentia proavorum regum clara, superbo antiquorum Treverorum sanguine derivata. *De humili Sanctæ genere egi in Commentario* § 2; *ubi etiam de patria* § 1 *et* 2. *Capite* 5 *ejusdem exemplaris dicitur* circumventa a Judæis divertisse ad Judaïsmum, *ac scripsisse ad filium epistolam, cujus verba ibi proferuntur, de eodem amplectendo. Capit* 6 *datur responsoria Constantini. Cap.* 7 *occurrit disputatio S. Silvestri cum Judæis etc. Vide quæ paullo ante diximus. Ex his collige, cujus notæ sit illa Vita. Constat vero capitibus* 14. *Nobis autem non videtur improbabile, hujus Vitæ auctorem esse Almannum, etsi aliam is scripsit; neque enim pugnat, eumdem de una eademque Sancta duas diversas scripsisse Vitas.*

aliis nostris

138 *Exemplar denique aliud exstat apud nos, a Chiffletio huc missum. quod* ex Ms. S Benigni Divion.., et Vallis Lucentis, et Cartusiæ Divionensis *exceptum notatur. Hic eidem præfigitur* F *titulus*: Incipit epistola Almanni monachi de Vita sanctæ Helenæ. *Tum sequitur*: Agnoscens, o lector, seu quicumque auditor, debitas obedientiæ metas, ne reputes, quæso, audaciæ; quod materiam viris peritissimis solummodo dignam quasi temere tautillus aggressus sum. *Et, nonnullis interjectis, declarat auctor tempus et argumentum suæ lucubrationis, nec non vitæ suæ institutum his verbis*: Ergo, ut paucis absolvam imperante apostolico domno Hincmaro, Remensis urbis episcopo, exhortatione etiam Fratrum meorum in Christo, volui breviter colligere, quantum ad nostram notitiam potuit pervenire, sanctæ Helenæ ortum, progressum et excursum, et qualiter a Romana urbe ad nostram delata sit patriam, quibusque nostris temporibus claruerit virtutum miraculis.

apographis merito inseritur.

139 *Epistolæ subnectitur prologus; prologo autem capita: quæ quidem hoc loco statueram transcribere, imo jam transcripseram, quando animus mihi erat, dictum Almanni exemplar prælo non committere; ut ex capitum istorum conspectu fieret perspicuum, ab eo non tam Sanctæ Vitam historicam, quam piam de illa homiliam*

AUCTORE J. P.

liam fuisse conscriptam. Deinde vero postquam ad prælum præparaveram qualecumque hoc exemplar, more nobis usitato capita illa daturus sum post prologum auctoris. Nec vero suis Almannus nævis caret. Nam præter eos, § 1 et 2 superius obiter a nobis indicatos, habet etiam apud nos cap. 2, num. 24: Tandem circumventa a Judæis, ad Judaismum divertens, veritatem ibi arbitrata est se inveuire posse. Erga fide facta Judæa, animo quoque et corpore illis voluit fieri socia. *Et paulo post allegat gesta B. Silvestri vere apocrypha. Non recte item ab eodem Almanno postea dicitur cap. 6, num. 59:* Reversa est Romam ad filium, ibique explevit cursum vitæ suæ. *At vide dicta superius* § XI, *ac dicenda inferius in Annotatis ad partem tertiam miraculorum lit* h. *Deinde mox subdit idem auctor:* Ibidem est sepulta a filio.. in via Lavicana inter duas lauros in vico Drepani, quem vicum princeps Constantinus cognomine Matris dedicavit civitatem Helenopolim *etc. Sed quam illa sint inepte combinata, videre licet in Annotatis ad cap.* 6, *lit.* e *De Almanno autem illico redibit sermo, ubi prius alia quædam Actorum exemplaria recensuero.*

B *uti et Vitis apud Capgravium, et alibi excusis.*

140 *Vita etiam ejusdem Sanctæ exstat typis edita apud Capgravium in Legenda Sanctorum . Angliæ a fol.* 173 *verso: quanta vero emendatione indigeat, perspicuum fiet eam legenti, tum ex dictis circa alias vitas, tum ex sequentibus. Scriptor quippe adeo fuit ignorans et simplex, ut tempore* S. Helenæ *Ordinem Benedictinum exstitisse memoret:* Aliam, *inquit,* insuper et ejusdem pulchritudiuis *(ecclesiam fecit)* in monte Thabor, ubi et fortissimum monasterium fundavit.. cujus abbas Ordinis sancti Benedicti infula, anulo, baculo pastorali, ac bulla plumbea utebatur. *Ego enimvero spongiam non adhibebo, ut istius Vitæ maculas abstergam, nec emendabo eam, quæ habetur apud Petrum de Natalibus lib.* 7 *cap.* 73. *Parvæ etiam esse auctoritatis illam* S. Helenæ *historiam, quam citat Aringhus lib.* 4 *Romæ subterraneæ cap.* 9, *num.* 16, *vel ex hoc solo indicio suadetur, quod conscripta non fuerit nisi post tempus Anastasii PP. IV, id est, post annum Christi* 1154; *cum de sepultura ejusdem Pontificis ibidem fiat mentio.*

C *Quænam a nobis detur, et cujus sit.*

141 *Atque hæc quidem de variis Vitarum exemplaribus, tam illustris Sanctæ gestis ita parum accommodatis, ut statuerem, nullum ex his omnibus prælo committere, satius utique judicans, sola collectione historica ex antiquissimis historicis deprompta illustrare præclara ejus facta, atque ipsos sectari fontes, quam rivulos a sordibus non defæcatos. Ne tamen nullam Vitam demus, Almannianam damus. Accedit eo, quod non sciamus, illam typis fuisse vulgatam. Item conveniens est omnino, ut aliquod saltem e tot rejectis exemplaribus excudatur: habebit denique in Almanniano lector, præter qualemqualem historiam, unde etiam pium erga Sanctam pascat affectum. Historiam quoque ipsam emendare ac supplere poterit e nostro Commentario prævio. Vitæ scriptor fuit cœnobita monasterii Altivillarensis, Ordinis S. Benedicti. Claruit anno Domini* 890, *secundum dicenda inferius in Gloria Sanctæ nostræ posthuma* § 1 *num.* 9, *occasione translationis ejus ad prædictum monasterium, quam etiam scripto prodidit idem biographus. Vide ibi de eo plura. Quia vero hanc Vitam scripsit* imperante apostolico domno Hincmaro, Remensis urbis episcopo, *ut dicit in sua epistola eidem Vitæ prævia; sequitur, ut illam non scripserit ante annum Christi* 845, *quo præsul ille cœpit sedere; nec post annum* 882, *quo desiit vivere. Exemplar porro nostrum Ms. in nova capita de more distribuimus, prioribus tamen retentis, et ad marginem editionis nostræ appositis. Nec vero neglexímus illud castigare et illustrare notationibus. Debemus illud P. Chiffletio, sicut patet ex ipsius nomine, quod eidem adscriptum est. Quæ autem uncinis includentur, quæque notabuntur ad marginem, desumpta sunt ex alio apographo, quod apud nos est, et signatur acceptum* ex Ms. S. Martini Treviris, *additurque esse* collatum cum Ms. S. Maximini *ibidem. Reliquum est, ut hanc Vitam seu Homiliam potius lectoris oculis subjiciamus.* D

VITA

SEU POTIUS HOMILIA

Auctore Almanno, cœnobita Altivillarensi, E

Ex Mss. S. Benigni Divionensis, Vallis Lucentis, et Cartusiæ Divionensis, cum exemplari Trevirensi collata.

EPISTOLA AUCTORIS.

Auctor suæ tenuitatis conscius,

Agnoscens, o lector, seu quicumque auditor, debitas obedientiæ metas, ne reputes, quæso, quod materiam viris peritissimis solummodo dignam, quasi temere tantillus aggressus sum. Etenim cum deberem solo venturi judicii metu cohibere me ipsum, et amaritudinem doloris fletu temperare dulcedinis, habens peccata mea coram me semper; maximam tamen spem tantæ rei inde potui accipere, quod, docente Apostolo, novi, regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute. Virtutem autem obedientiæ didici permagnam, cujus formam Dominus noster in seipso, vel potius seipsum exhibuit, et ad hanc solam suos invitavit, eisque hanc solam vel maximam disciplinam tradidit, dicens: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, per mansuetudinem infundens charitatem, et per humilitatem [intimans] unicuique fidei animæ debitam cognoscentiam. Unde pauperes ac simplices, et piscatorio labore seu scenofactoria arte victitantes, suæ contulit magistros Ecclesiæ, non arte grammatica oratores, aut eloquentiæ fastu rigidos, vel divitiis seculi affluentes, magis requirens animi affectum, quam facundiam verborum. Ista siquidem tenui videns scintilla, minime hæsitavi, quod ille, qui primitias massæ corporum nostrorum levavit ad cælos, erigere possit mentem ad complendum ex parte nostræ devotionis munusculum, qui se et capabilem *a* gratis exhibuit, et cum neminem sui capacem invenerit, omnes sui capaces gratuito munere fecit. F

2 Ergo ut paucis absolvam, ductus timore divino

Hincmari tamen ep. Remensis, et aliorum adhortatione inductus,

A divino, imperante Apostolico Domno Hincmaro *b*, Remensis urbis episcopo, exhortatione etiam fratrum meorum in Christo, volui breviter colligere, quantum ad nostram notitiam potuit pervenire, sanctæ Helenæ ortum, progressum et excursum, et qualiter a Romana urbe ad nostram delata *c* sit patriam, quibusque nostris temporibus claruerit virtutum miraculis. Cujus rei si secundum condignam sibi expositionem vellet aliquis esse relator, necesse esset, ut aut Tullianam superaret eloquentiam, aut Augustiniano redoleret stylo. Etenim res est non parva tractanda, cum videris, o quicumque nostræ parvitatis causam fueris dignatus attingere, qualiter Helena sancta fuerit, immo sit pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Nam si laboraverunt Græci foliis verborum notare suam Helenam *d*, et gratia terrenæ generositatis, et corporeæ formositatis in laudem ejus confingere mille mendacia, texere epilogos, afferre declamationes, cujus Helenæ auguria ita erant apud Troianos ingrata, velut Cassandræ vaticinia incredita; quanto magis nos nostram Helenam
B prosequi debemus laudibus pietatis, quæ turris candoris effecta, etiam super petram Christum stabili radice fundata, una columba perfecta et proxima stat a dexteris Domini in vestibus deauratis, veritatis opera approbans, et veritatis dicta confirmans, cui in præsenti vita canens David: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.

animum appulit ad scribendum de S. Helena.

3 Efficaciter [namque] ista audivit, feliciter vidit. Inclinavit [enim] humiliter aurem suam, et mansuetudine multa oblita est populi sui, et domus patris sui. Ergo manet illi ingens præmium, quia concupivit Rex decorem ejus, dicens ei: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. His breviter prælibatis propter excitandam lectoris voluntatem (licet enim ex parvo sit, tamen res magna est) hoc præmonere curamus, ut, excepto jure colligendi, quod nostra non eget commendatione, si, quidquid addere potuit palæstra nostri ingenii, offenderit gravitatis aures, nostræ deputetur ignorantiæ, ad quam de tanta materia nihil amplius potuit
C pervenire vel rectius: si autem in aliquo placuerit viris cordatis, ad illum referatur, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum. Verum jam demus narrationi operam, illud præponentes, qualiter ab initio creati hominis præsignatum est salutare mysterium crucis, de cujus inventione beata Helena triumphavit in terris: unde et in æternum gaudet in cælis, habens proinde venerationem debitam, et in præsenti Ecclesia, quæ omnes hujus seculi tempestates et fluctus ejusdem sanctæ crucis vexillo superat, et in futura, quæ per ipsum sacratissimæ crucis lignum ad hoc jam pervenire meruit, ut felici contemplatione cernat Crucifixum.

ANNOTATA.

a Capabilis, *est is, qui facile capit, item qui capi et comprehendi potest. Galli voce* capable *utuntur, quando de viro docto verba faciunt, qui facile scientias capiat, et comprehendat. Exempla dat Cangius in Glossario. Nostri vero biographi phrasim* se capabilem gratis exhibuit, *ita expono*, fecit, ut capi et comprehendi possit, quantum homini divina gratia prævento licet.

b *Hinc in Commentario prævio* § 14 *fiximus tempus, quo auctor noster scripsit.*

c *De Sanctæ translatione ac miraculis agetur inferius.*

d *De ista Helena, et Cassandra, quæ mox hic sequitur, consulat lector historias poëticas vel mythologos.*

PROLOGUS EJUSDEM AUCTORIS.

De profana

Ingenium prudentiæ mortalis admodum pauci speculantes; acie mentis nequiverunt in ænigmate intueri lumen intelligentiæ, ideoque visibilibus inhærentes patiuntur ignorantiæ tenebras, frustra formidantes exteriores, cum libenter amplectantur interiores. Illi tamen, in quibus visa est vigere ratio Atheniensis, licet potuerint in hominis definitione contemplari certam et verissimam divisionem, tamen reverberati luce immortalitatis, et sola memoria eam æstimantes, fabulis dederunt spem, et sepulchris animæ suæ fi- E nem. Non enim tanti valuit Pythagoreus calamus, quem tantis efferunt laudibus, aut tantum viguit mundanæ philosophiæ inanis disputatio, ut his et similibus posset veraciter attingi esse nostrum, quo definitur mortale animal, et quod, sicut fuit hominis lapsus usque ad mortem, ita habeat regressum usque ad immortalem veritatis rationem, in qua ad imaginem Dei non solum creatus, verum etiam formatus est. Viderunt hoc illi, quibus Deus clementiæ suæ dono tales esse concessit, quibus ascenderet fons de terra irrigare paradisum, quique referti tetrasti *a* virtutum principalium, ac si donati ubertate quatuor fluminum in intelligibili forma, velut in Platonica idea numero immortali quadraverunt seipsos; et ut fonte de terra ascendente pervenirent ad fontem in cælis regnantem, purgatione intima et fide robustissima certaverunt. Et fons, inquit Scriptura, ascendebat de terra ad irrigandam faciem paradisi.

ac sacra

5 Viderunt itaque hoc sancti viri cordis intuitu, viderunt formatum mirabiliter hominem positum in paradiso, ut solem in cælo, et ut toti- F us corporalis machinæ solem, ita et animum totius corporis rectorem secundum vias sobrietatis et pacis, et animam in hoc positam, ut monadis *b* in se retineret effigiem, quæ esset potens libero arbitrio, et aliena vitare, et sua non relinquere, discernendi scilicet et connectendi potentissima, ut discerneret se a malis, et connecteret sibi bona. Ergo talis et tanta jure perdidit libertatem arbitrii, relicto opere justitiæ, et custodia judicii, ac per hoc subiit dolos serpentis, amissa rectitudine creatoris. Itaque Adam tunc specialis, generatione naturali factus generalis, totus est factus massa perditionis, mortis exilium in terra usque ad mortem, et post mortem usque ad inferos passus. Sed per Cherubin appositum, et flammeum [gladium] atque versatilem intelligi voluit Deus omnipotens, quod biformi dispositione sæcula disponeret, et ex eadem massa secundum suum propositum et gratiam redimeret, quos ab origine mundi consortes regni sui prædestinaret, et disceret homo humilitatem, qui [per] superbiam lapsum mortis incurrerat et quia, cum essent omnes natura filii iræ, inculpabilis esset divina justitia, si omnes relinqueret in

A. Almanno. in ea culpa, quam inveuerant per naturam.

philosophia 6 Sed Deus [omnipotens] qui dives est in misericordia, notavit tunc Adam [notavit lignum, et mortis laqueum, notavit serpentis astutiam atque diaboli invidiam. Adæ igitur generali opposuit Adam] specialem, et ligno prævaricationis et mortis, lignum vitæ sacratissimæ crucis, et mortis æternæ laqueo laqueum momentaneæ mortis, et astutiæ maligni serpentis astutiam simulati serpentis c, et invidiæ diaboli gratuitam suæ clementiæ bonitatem et misericordiam. Ista quidem [si] disceret homo, et minime superbiret positus in exilio mortis, in qua humilitatis religione viderunt, quibus Deus tribuit donum intelligentiæ, universalem contineri viam animæ liberandæ; quoniam nulla nisi hac liberari potest. Hæc est universalis quodammodo et vitalis via, quæ una ducit ad vitam, quæ est sola et verissima philosophia, non inventa ab aliqua inventione ventosa, quam nec mores Indorum attigere; aut inductio Chaldæorum valuit apprehendere, quæ non est humanitus, sed divinitus impertita, et universis gentibus divina miseratio-

B ne concessa. Unde [et] Psalmista; Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Quæ dicit : Ego [sum] via, veritas et vita : via videlicet sine errore; veritas sine mendacio; vita sine morte; via, per quam itur; veritas ad quam pervenitur; vita in qua requiescitur.

disserit auctor 7 Hujus viæ certitudinem quicumque inculpabiliter tenuerunt, usque ad Deum videndum, eique in æternum feliciter conjungendi pervenire meruerunt : quæ licet visiones multiplicaret, et corda fidelium suorum, quos Redemptor ab ipso seculi initio roboraret, figurisque diversis et revelationibus multimodis eos confortaret, suique spem donaret plurima certitudine; non tamen prius removit tenebras luce victrici, quam Verbum caro factum est in utero Virginis : ubi factus suæ Ecclesiæ sponsus fecit ei testamentum pendens in ligno crucis, in qua mactatus, factus est Deo Patri sacrificium unicum et holocaustum singulare. Hæc igitur, quæ breviter attigi causa commendandi lignum crucis Christi, si ex superfluo indigeat * lector; si ex debito devotionis, quæ [ex spiritalibus ædificiis] indeficiens, corde, ore, et

* al. indulgeat

C opere debet semper firma, fixa, et inconcussa manere in cordibus credentium, appendat, quantum potest, quod dicit Apostolus : Et utique magnum est, inquit, pietatis sacramentum, quod revelatum est in carne, manifestatum est in spiritu, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

occasione S. Helenæ, quæ Christi crucem invenit. 8 Quod magnum sacramentum pietatis, quamvis in fine seculi generaliter sit complendum, Ecclesia sancta [non] jam tunc peregrinante in mortis exilio, sed regnante feliciter et immortaliter cum Rege suo, in patria sua tamen specialiter; et nunc fit in unoquoque filio Ecclesiæ electo, qui bonum certamen certans usque in finem istius vitæ, deposito corporis onere assumitur in gloria, quam continet Abrahæ sinus per testamentum, quod Deus omnipotens Filius æterni Patris, et cooperatione Spiritus sancti, Filius Virginis Matris, pius redemptor et magnus fecit, ut dictum est, sponsæ, sorori et Filiæ suæ, pendens in crucis ligno; quod lignum sacratissimæ crucis pretiosissimum qualiter fuerit deprehensum * et occultatum ab inimicis crucis Christi, qualiterque fuerit longo post temporum spatio ipsa crux inventa a beata Helena, a conscriptis

* depressum

habemus. Verum de illa sancta Helena, cui cælitus est datum tanti muneris donum, et quæ peregit gratia Dei tam admirabile officium prudentissima solertia, virga imperiali, et regia censura; quantæ nobilitatis et reverentiæ, religionis et sapientiæ femina fuerit, expleta præsignatione creati hominis, et commendatione crucis Christi patientis, [partim] conemur deducere ad cognitionem nostram *. D

* al. memorabile

* al. vestram

ANNOTATA.

a *Rectius et clarius scripsisset auctor, vel apographum* tetrade, *a Græco* τετρὰς, ἀδος; *quod numerum quaternarium significat, et consonat sensui.*

b Monadis, *id est*, unitatis, *Græce* μονὰς, ἀδος,

c Simulati serpentis, *exaltati videlicet a Moyse in deserto, ut ego quidem intelligendum puto, et Christum crucifixum præfigurantis.*

ANTIQUA CAPITUM DIVISIO.

E

Incipit epistola Almanni monachi de Vita sanctæ Helenæ.

Incipit Prologus de Vita sanctæ Helenæ.

Incipit de ortu S. Helenæ, et quanta excellentia incomparabiliter major fulsit in hoc sæculo Helena Christianorum, quam Helena Græcorum fuerit quondam, caput I.

Unde acciderit, quod S. Helena nupsit Constantio augusto, cap. II.

Quare sit beata Helena vocata mater imperii; et de conferentia decem plagarum Ægyptiorum ad decem persecutiones Romanorum, cap. III.

De mutatione, qua Dei misericordia hæc omnia mala mutavit in bonum per Constantinum matris Helenæ filium, cap. IV.

De duplici negotio quod S. Helena per gratiam Dei contulit mundo, et de ejus progressu devotissimo, cap. V.

Qualiter mater Helena, et filius augustus fuerint admoniti ad ædificationem sanctæ ecclesiæ, et inventionem sanctæ crucis, cap. VI.

Qualiter a beata Helena fuerit inventum pretiosissimæ, sacratissimæ et vivificæ crucis lignum, cap. VII. F

De consimili dormitione Jacob et S. Helenæ in hoc, quod ille vidit in somnis scalam, et ista sanctam crucem, cap. VIII.

De providentia Dei satis bona et justa erga conditionem humanæ naturæ, cui se S. Helena fideliter reddidit conformem, cap. IX.

De convivio, quod exhibuit ancillis Dei, ubi se famulam fecit, cap. X.

De utriusque, et matris videlicet et filii piissima inventione *, cap. XI.

* al. intentione

De regina Saba, quod præfiguravit S. Helenam in omnibus, quæ apud regem Salomonem gessit, cap. XII.

Qualem puritatem et munditiam S. Helena possidebat, satagens esse juxta præceptum Apostoli, sancta et corpore et spiritu [cap. XIII.]

De prophetico præsagio, et duritia Judæorum, et dilectione gentilium, cap. XIV.

Apostrophe ad S. Helenam de tripartita ejus designatione, et de Helena Adiabenorum regina, cap. XV.

De sua ipsius cognoscentia, et trifario ejus eloquio cap. XVI.

De sanctis reliquiis, quas de Hierusalem accepit,

A cepit, et ad patriam suæ nativitatis dirigere voluit, cap. XVII.
De qualitate S. Helenæ, quam per gratiam Dei in isto seculo meruit habere, cap. XVIII.
De supremo S. Helenæ excursu, et de ejus obitu, cap. XIX.
De sepultura S. Helenæ, cap. XX.
Allocutio ad Constantinum et Romanos de morte et sepultura Helenæ, cap. XXI.

Quia numerus capitis XIII *suppletus a nobis est e Ms. S. Martini Treviris, ideo in hoc nostro exemplari caput* XIII *factum est* XIV, *et sic deinceps alia usque ad finem ordinata sunt.*

CAPUT I.

B *Ortus S. Helenæ; major hujus quam Græcæ synonymæ præstantia; conjugium cum Constantio augusto; vocata imperii mater; decem plagæ Ægyptiacæ cum totidem persecutionibus Romanorum comparatæ.*

Caput I. Helena Treviris orta a b

Beata igitur Helena, oriunda Trevirensis *a*, tantæ fuit nobilitatis *b* secundum honestatem et dignitatem præsentis vitæ, ut pene tota ingentis magnitudinis civitas computaretur in agrum sui prædii. Quod usque hodie demonstrat domus ejus facta ecclesiæ pars maxima in honore beati Petri Apostolorum Principis in sedem episcopalem metropolis dicata, adeo ut vocetur et sit prima sedes Galliæ Belgicæ, nec non et cubile regiæ ambitionis factum in eadem urbe opere mirabili: siquidem pavimentum variis marmoribus velut in regia Xerxis cognomento Assueri pario fuit lapide stratum, et parietes auro fulvo velut hyalino *c* textu perlucidi fuerunt facti, sicut tempore Salomonis aula ejus de lignis thynis * *d* composita, et laquearia in modum cryptæ pretiosis marmoribus celata, et anaglypba *e*, nec non et cubile aureis zetis *f* instructum atque insi- C gnitum fuit, omnibus bis portendentibus speciem veritatis futuræ, ut cum ea transirent in ornamenta Ecclesiæ, quæ omnia alti sanguinis excellentiam et ingentem atque præcipuam omni sæculo demonstraverunt nobilitatem, et magnorum regum successione regiam prolem, atque antiquæ prosapiæ magnitudinem.

* l. thyinis

comparatur cum Helena Græcorum;

10 Neque, nisi derogaret vetustas, incredibile nimium esset, traxisse illam antiquitatem suæ originis ab illa Græcorum Helena, quæ tantæ extitit nobilitatis, ut quæsita diu vix tandem fuerit nobilissimo regi Græcorum Menelao fratri Agamemnonis desponsata. Verum si quis binc averterit aurem, dicens, in unam genealogiam minime posse concurrere Græciam et Galliam, obsistente etiam multa antiquitate, noverit beatum Hieronymum, Paulam Scipionis filiam, quæ longe post beatam Helenam fuit, dixisse et scripsisse prædicti Agamemnonis inclytam prolem. Verum ut prædicta Græcorum Helenæ ab Alexandro *, filio Priami, regis Troianorum, fuit rapta, veriti præfati fratres, ne propter Helena consortium regnum Græcorum cederet, et manus daret Troianis; assumpserunt pro illa decennale contra illos prælium. Non sit itaque dubium, eadem nobilitate istam secundum sæculi quidem dignitatem fulgere; sed si nomine, et pulchritudine illam æquiparat; quis tamen verbis explicare sufficiat, quam incomparabiliter bæc major fuerit, quam illa, in omni prudentia et potentia, divitiis sæculi et sapientia.

* vocatur etiam Paris

A. Almanno. sed hæc illa præstantior est.

11 Etenim illa nupsit filio regis, qui habebat partem regni; ista Constantio piissimo augusto, qui cum Galerio pariter Augusto Romanum imperium determinavit in duas partes. Illa partem patriæ possedit; ista totius orbis imperium justissimis legibus et pia moderatione ut vere virago gubernavit. Pro illa peue infinita exhausta sunt bella; ista mirabili fide, incomparabili religione, pudicitia morum, atque animi sanctitate vivens et vigens meruit pervenire ad Christum, qui pacificat per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cælis sunt, sive quæ in terris. Quem secuta est animo fideli et mente devota, subjugatis illi omnibus divitiis suis, et cuncta potentia sua, atque omni imperio suo, quæ cuncta jam noverat sancta fide se percepisse a Christo: ac tanto processu verissimæ et devotissimæ fidei florens et vigens meruit invenire sacratissimæ crucis pretiosissimum E jugum *, in quo Deus homo appensus est pro salute omnium; sicque verbo, exemplo et opere contra omnia tela inimici sanctam armavit Ecclesiam. His igitur operibus claret perspicue, quam incomparabiliter longe sit præstantior sancta Helena Christianorum, quam Helena Græcorum. Verum ad proposita redeamus.

* al. lignum

II. Ejus cum Constantio conjugium.

12 Galerius et Constantius Augusti primum Romanum imperium, ut dictum est, in duas partes determinaverunt. Et Constantius vir tranquillissimus Gallia tantum Hispaniaque contentus fuit; Galerio partibus patriis cessis *g*. Hic Theodoram Maximiani privignam accepit uxorem; ex qua sex filios fratres Constantini ex Helena futuri sibi filii sustulit *h*. Qui multæ pietatis et mansuetudinis existens, et idola respuens, falsos Christianos mirabili arte conclusit *i*; cui gens Germanorum et Britonum facta rebellis, vix septennio *k* potuit domari. Interim dum ille feliciter et fortiter administraret belli negotia, comperta incomparabili nobilitate, pulchritudine et potentia Helenæ in oculis Domini tam * beatæ *l*, meditabatur ejus obtinere conjugium, desiderans, si forte posset, ex ea suscipere filium, multaque illam, F licet in officio concubinali *m*, tractavit reverentia et honestate, cor regis in hoc Domino præparante. Etenim cum esset tantæ nobilitatis et excellentiæ femina, in omni tamen via * sua delegit meditari patientiam, veritatem, mansuetudinem, mediocritatem atque justitiam. Prægestiebat namque licet adhuc ignorans, quantum humanæ naturæ possibile est, Deo esse vicina, utpote quam gravia divina præparabat, ut sibi pretiosum membrum, et vas electum, ita [esset et] ingens [in] omni sæculo emolumentum, cum postea in sua viduitate meritis erat æquiparatura Annam, cujus vita commendatur Euangelica authoritate, quam et æquavit spatio vitæ præsentis; et devotione erat libratura Paulam, quam sanctus commendat Hieronymus. Tandem igitur primo provehitur scaleno *n*, quod generat mater Helena filium Constantinum, qui magnanimitate inconvertibili hostibus prævaleret, et Romanum imperium sufficeret gubernare, et ad filiorum filius pium dirigeret imperium, acsi præsago auspicio mentis senariam perfectionem in creatione hominis revolveret: cui peccanti, sibique etiam contra

* al. jam

* al. vita

A. ALMANNO. contra præceptum obaudientiæ adhibenti sibilum serpentis meritoque in mortem deficienti, mira et ineffabili patientia parcens Deus, etiam proprio [suo] Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: in qua prætitulatione [etiam] pepercerat quondam Hebræis, in Ægypto durissima afflictione in luto et paleis servientibus, et facientibus Pharaoni civitates duas, Pyton et Ramessem *o*; quæ interpretantur os defectionis, et malitiam detinens.

Vocatur mater imperii. 13 Verum requiramus subtilius, quantopere sit jure vocata Helena [regina] mater imperii Romani, agens præfatum scalenum dispositione notanda: et hoc rite fiet, si proponentes animæ nostræ sextum diem creati hominis ad Dei imaginem, et sextam feriam mirabiliter [jam] reformati, ad primam, quam peccando amiserat, similitudinem; conferamus denas Ægyptiorum plagas decem Romanorum persecutionibus, in quibus multis angustiis et doloribus parturiebatur ecclesia gentium, quam ædificavit Dominus, cum pro ea moriens in cruce fudit sanguinem testamenti æterni. Quibus persecutionibus Constantinus, auxiliante gratia Dei, extitit limes, et terminus, et finis, matris Helenæ filius. Hoc autem, quod diximus, faciemus duce post Christum Paulo Orosio *p*. Per omnes igitur Romani imperii atque totius orbis fines, perturbationes subitæ percurrentes, multorum fragores concrepuere bellorum, ita [ut] totus mundus pene bello concuteretur. Hoc periculo territus Diocletianus impiissimus, qui tunc arcem Romani tenebat imperii, Maximianum cognomento Herculium ex cæsare fecit augustum. Constantium vero et Maximianum Galerium cæsares elegit. Qui Constantius cæsar gentes Galliarum aggressus Romanis subjicere, ab Alemannia usque ad fines Britanniæ Romanum nititur dilatare imperium. Dumque hoc agit in ipsa Gallia *q*, Constantinum filium ex Helena matre genuit: et cum esset summæ mansuetudinis et pietatis, in Britannia *r* morte obiit, et Constantinum filium, ex Helena procreatum, imperatorem Galliarum reliquit *s*; qui expugnato Maxentio, ut in sequentibus clarebit manifestius, ad arcem conscendit Romani imperii meritis Helenæ matris. Quique ab Augusto tricesimus quartus *t*, anno ab urbe condita millesimo sexagesimo nono *u* gubernacula suscepit imperii, qui fuit annus Dominicæ incarnationis trecentesimus quintus. Sicque facta est beata Helena mater et domina non solum Urbis, sed etiam totius orbis; et merito certe, quia per gratiam Dei erat mundo repertura lignum vitæ.

Plagæ decem Ægypti 14 Sed videamus jam collationem decem plagarum, quæ propter nefandas contradictiones adversum Moysem factas, Ægyptiis merito fuerunt illatæ, et decem ultionum, quæ juste inflictæ sunt populo Romano propter edicta totidem adversus Christum promulgata. Diversæ etenim fuerunt plagæ Ægyptiorum; diversæ et calamitates Romanorum. Ibi prima plaga Ægyptiorum habuit, sanguinem vulgo vel manasse de puteis, vel in fluminibus cucurrisse. Hic prima sub Nerone exegit plaga, ut ubique morientium sanguis esset vel morbis in urbe corruptus, vel bellis in orbe profusus. Qui Nero erga omnia vitia et scelera sectator imo transgressor, Caii Caligulæ avunculi sui petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem *x* nullo non scelere exercuit. Siquidem petulantia percitus, omnia pene Italiæ ac Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam dedecore varii vestitus, ceryces *y*, cytharistas, tragœdos, et aurigas sæpe sibi superasse visus est. Libidinibus porro tantis exagitatus est, ut ne a matre quidem vel sorore, ulla reverentia consanguinitatis abstinuisse referatur. Luxuriæ vero tam effrenatæ fuit, ut retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur, et numquam minus mille carrucis confecisse iter traditur.

15 Denique urbis Romæ incendium, voluptatis suæ spectaculum fecit. Nam per sex dies septemque noctes ardens civitas regios pavit aspectus, et illæ magnæ machinæ, quæ quondam ad extrema bella fuerant præparatæ, inflammatæ sunt; atque compulsa est illa flamma usque ad monumentorum et bustorum diversoria, quod ipse ex altissima illa Mecœnatiana turre prospectans, lætusque, ut ipse dicebat, flammæ pulchritudine, tragico habitu Iliadem decantabat. Avaritiæ autem tam præruptæ fuit, ut post incendium urbis, quam se *z* ex lateritia marmoream condidisse jactaverat, neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit: sed ipse cuncta, quæ flammæ quodammodo superfuerant, abstulit. Crudelitatis autem rabie ita efferatus est, ut plurimam senatus partem interfecerit, equestrem ordinem pene destituerit. Sed ne parricidiis quidem abstinuit: matrem, fratrem, sororem, uxorem, cæterosque omnes cognatos sine hæsitatione prostravit. Ac postquam per quinque scelerum sorores superius expositas ingenti facinore debacchatus est; et postquam omnia mala, quæ excogitare potuit, impiissimus Nero fecit, molem facinoris sui auxit temeritas impietatis ejus in Deum. Nam primus Romæ Christianos suppliciis et mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit. Ipsos quoque extirpare conatus beatissimos Christi Apostolos, gloriosissimos principes terræ, justissimos judices sæculi, verissima lumina mundi pretiosissimum Petrum cruce, sacratissimum Paulum gladio occidit.

16 Mox vero, ut prædictus historiographus exponit, miseram civitatem, quæ non regebatur, sed infeliciter opprimebatur, tali principe obortæ undique oppressere clades. Pestilentia siquidem multa incubuit, acciderunt que diversæ clades. At vero postquam cognovit Nero creatum ab exercitu Galbam imperatorem in Hispania, totus animo ac spe concidit, cumque incredibilia perturbandæ Reip. mala moliretur, hostis a Senatu pronuntiatur, et ignominiosissime fugiens, ad quartum ab Urbe lapidem sese interfecit ipse, atque in eo omnis Cæsarum familia consumpta est. His visis, facile poterit providere lector, quam congrue prima plaga Ægyptiorum, quæ fuit in emanatione sanguinis, conferatur Neroni, ut figura formæ, cur tanta exteterit omnifaria magnitudo scelerum, ut velut sanies totum corruperit Romanum imperium.

17 Sequens plaga Ægypti prodidit, perstrepentes et persultantes in penetralibus ranas habitatoribus fuisse propemodum causam inediæ ac exilii. Sequens in hunc modum sub Domitiano plaga, Romanorum similiter ostendit per effrenatos et improbos discursus militum ejus, exequentium jussa cruentissimi principis, ad inopiam pene adactos omnes cives Romanos exilio dispersos. Ibi tertia vexatio habuit cinifes; hic itidem tertia sub Traiano plaga, qui cum antea funditus quiescerent, repentino omnes calore permoti, in ipsos, inter quos erant, toto orbe sævierunt.

cum persecutionibus totidem Romanis

A runt. Ibi in quarta plaga, muscæ caninæ fuerunt, putredinis alumnæ et vermium matres. Hic itidem quarta sub Marco Antonino plaga, infusa lues plurimis provinciis, Italiam quoque universam cum Urbe Roma, et exercitum Romanum in morte dissolutum, putredini simul ac vermibus dedit. Ibi quinta correptio repentino interitu pecorum ac jumentorum expleta est; hic similiter quinta ultione sub Severo persecutore creberrimis civilibus bellis propria viscera et adjumenta Reip., hoc est plebes provinciarum, regiones militum comminutæ sunt. Ibi sexta vexatio intulit vesicas effervescentes, et ulcera manantia; hic æque sexta punitio, quæ per Maximini persecutionem facta fuit: qui omissa populari turba, specialiter episcopos et clericos, hoc est, ecclesiarum primates trucidari imperaverat, intumescens ira itaque invidia exhalata est.

comparatæ: 18 Ibi septima plaga numeratur coacto aëre grando perfusa, quæ hominibus, jumentis et satis exitio fuit; hic similiter septima sub Decio persecutore Christianorum; illoque interfecto sub Gallo et Volusiano, qui eidem successerunt, plaga extitit pestis ex corrupto aëre infusa; quæ per B omnia spatia Romani regni ab oriente in occidentem cum propemodum omne genus hominum et pecudum neci dedit, tum etiam corrupit, lacusque infecit, pabula tabo. Ibi octavam Ægypti contritionem fecere excitatæ undique locustæ, rodentes, terentes, tegentesque omnia; hic octavam æque subversionem Romani orbis excitatæ undique intulere gentes, quæ cædibus atque incendiis cunctas provincias deleverunt. Ibi tunc nona turbatio diuturnas, crassas ac penetrabiles tenebras habuit, plus omnino periculi comminata, quam fecit; hic itidem nona correptio fuit, cum Aureliano persecutionem decernenti diris turbiuibus terribile ac triste fulmen sub ipsius pedibus ruit, ostendeusque quantum ultio talis exigeret, tantum posset ultor. Ibi postremo decima plaga, quæ et novissima omnium fuit, et interfectio filiorum, quos quique primos genuerant; hic nihilominus decima, id est novissima, pœna est omnium perditio idolorum, quam primitus factam in primis amabant. Ibi rex potentiam Dei seusit, probavit et credidit, ac per hoc populum Dei liberum abire permisit; hic uumquam C postea populus Dei ad idololatriam coactus est. Ibi Ægyptiorum vasa pretiosa Hebræis tradita sunt; hic in Ecclesia Christianorum præcipua paganorum templa cesserunt. Igitur, mortuo, ut dixi, Constantio in Britanniis, Coustantinus imperator creatus est, primus imperatorum Christianus, *aa* excepto Philippo, qui Christianus *aa* anuis admodum paucissimis ad hoc tantum constitutus fuisse mihi visus est, ut millesimus Romæ annus Christo potius, quam idolis dedicaretur, cujus tertio imperii anno millesimus a conditione Romæ auuus impletus est.

ANNOTATA.

a *De patria Sanctæ disserit noster Commentarius* § 1 *et* 5.

b *Immo vero oriunda fuit genere humili, ex eodem Commentario* § 2 *et* 3.

c Hyalino, *id est*, vitreo, *a Græco* ὑάλινος

d De lignis, thyinis. *Meminit de his Scriptura sacra lib.* 3 *Regum, cap.* 10 ℣. 11. *Calmetus in suo Commentario litterali ad hunc locum scribens, intelligit ligna odorifera, rara ac pretiosa: varias porro de natura eorum esse opiniones observat etc.*

e *Id est* sculpta; *a Græco*

f Zeta *varias habet significationes, de quibus consuli potest Cangius in Glossario. Hic vero mihi illa arridet, qua significetur* locus capax unius lecti cum duabus sellis, qui velis obductis et reductis, modo adjiciebatur cubiculo, modo auferebatur, cujusmodi sunt alcoviæ nostræ hodiernæ, *sicut idem auctor e Plinio observat.*

g *Cujusmodi fuerit inter illos partitio, non convenit inter antiquos auctores; de quibus agit Tillemontius tomo* 4 *Historiæ imperatorum in notatione* 12 *ad Diocletianum.*

h *Immo vero Constantius, repudiata Helena uxore sua, Maximiani Herculii privignam postea ducere compulsus est, ex Commentario nostro prævio* § 3, *num.* 31. *Recte Eutropius in Romanæ historiæ Breviario lib.* 9: Constantius privignam Herculii Theodoram accepit; ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit.

i *Consule eumdem Commentarium* § 5.

k Vix septennio *etc. De Gallis ex Hollandia per Constantium ejectis tractat auctor Historiæ imperatorum tom.* 4 *in Diocletiano art.* 11, *ad annum* 293; *de Brittania autem seu Anglia ab* E *eodem Constantio recuperata, ibidem art.* 13, *ad annum* 296. *Cum vero Constantius creatus sit imperator anno* 292; *obierit* 296, *ego tempus illud ab Almanno supra assignatum non invenio. Huc conducit observatio Baluzii lib.* 2 *Miscellaneorum in notis ad Lactantium De mortibus persecutorum pag.* 366, *ubi in veteri inscriptione, quam profert, titulus* Germanici *datur Constantio: de quo animadvertit ista*: Posita est hæc inscriptio post victoriam, quam Constantius reportavit de Germanis sive Alamannis, postquam vocatus est Germanicus, anno Christi CCXCIV, quum ipse et Galerius Maximianus essent consules. De hac victoria sic loquitur Eutropius lib. 9: „ Per „ idem tempus a Constantio cæsare in Gallia pu„ gnatum est circa Lingones. Die una adversam „ et secundam fortuuam expertus est: uam cum „ repente barbaris ingruentibus intra civitatem „ esset coactus tam præcipiti necessitate, ut clau„ sis portis in murum funibus tolleretur, vix quin„ que horis mediis adventante exercitu, sexaginta „ fere millia Alamannorum cecidit. „ Quod si quis titulum Germanici additum Constantio velit post F devictos Francos, potest et ea quoque sententia bona esse.

l *Quomodo erat tunc* in oculis Domini beata *proprie loquendo, quæ anno demum æræ vulgaris* 311 *vel* 312 *ad Christi fidem conversa, post mortem vero sui conjugis Constantii anno sexto vel septimo? Adisis Commentarium nostrum prævium* § 4 *et* 5.

m *Legitimum ejus cum Constantio Chloro connubium defendimus ibidem* § 3.

n *Videtur hac voce significare auctor primum gradum scalæ.*

o *Exodi cap.* I ℣. II: Ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom et Ramesses. *Consuli possunt super hoc textu sacrarum Litterarum interpretes.*

p *Paulus Orosius adversus paganos Historiarum lib.* I, *cap.* 10 *scribit de populo Dei in Ægypto afflicto, et de decem plagis Ægyptiorum.*

q *De patria Constantini controversiam esse inter auctores, indicavi in meo Commentario prævio* § I, *num.* 8.

r *Eboraci videlicet anno æræ vulgaris* 306: *verum hæc, et plura alia ad mortem Constantii spectantia*

A. ALMANNO. *spectantia collegit auctor Historiæ imperatorum, paullo ante allegatus, in Constantino articulo* 7. *Vide Commentarium nostrum prævium* § 5.

s *Immo vero imperii regimen ei tradidit, teste Lactantio in libro De mortibus persecutorum cap.* 24, *ubi de Constantino ac patre ejus hæc memorat* : At ille incredibili celeritate usus, pervenit ad patrem (*Constantium*) jam deficientem, qui ei militibus commendato imperium per manus tradidit, atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit. Suscepto imperio Constantinus Augustus nihil egit prius quam Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restituta.

t *Ab Augusto usque ad Constantinum magnum plures invenio imperatores, quam quatuor supra triginta; quos lectori numerandos relinquo ex historicis.*

u *Anno Christi* 306 *imperare cœpit Constantinus, cui respondet annus ab Urbe condita* 1059.

x *Ipsius mores, res gestas, et crudelia facinora depingit Orosius lib.* 7 *cap.* 5, *et alii historici.*

B y *Est apud Græcos vox* κήρυξ, *quæ inter alia significat buccinatorem : hic autem per* ceryeas *denotari* buccinatores, *vel homines scenicos, vel simile quid, videtur etiam auctoris sensui congruum.*

z *Apud Orosium lib.* 7, *cap.* 7; *unde Almannus hanc suam Neronianam narrationem exscripsit, ita lego* : Quam se Augustus ex lateritia etc.

aa *Ita Almannus ex Orosio lib.* 7 *cap.* 28. *Accipe sequentem super hac re observationem. Celebris inter eruditos controversia est, an ille imperator fuerit Christianus. Argumenta in utramque partem collegit et expendit Tillemontius tomo* 3 *Historiæ imperatorum in notatione prima super isto imperatore. Pagius autem in Critica Baroniana tomo* I *postquam ad annum* 244 *num.* 4 *retulisset Eusebium, aliosque pro parte affirmativa, in ea etiam opinione fuisse se fatetur in prima dicti tomi editione : sed in altera priorem sententiam retractavit. Audiamus illum ad annum citatum num.* 5 : Re maturius examinata, nunc non dubito, quin Eusebius quod habet de Christiana professione Philippi, ex incerta audi-
C tione retulerit; cum Lactantius Eusebio coævus, et Crispi Constantini M. filii præceptor, in Procemio lib. I De institut. cap. I scribat : » Hoc « opus nunc nominis tui auspicio inchoamus, « Constantine imperator maxime, qui primus Romanorum principum repudiatis erroribus maje« statem Dei singularis ac veri et cognovisti et « honorasti. « Sulpicius Severus, qui anno quadringentesimo duos sacræ Historiæ libros publicavit, verba faciens de pace sub sub Constantino M. Ecclesiæ data, postquam narravit persecutionis finem (*lib.* 2, *pag.* 158 *editionis Lovaniensis, anni* 1680) ait : « Tum Constantinus rerum potiebatur, « qui primus omnium Romanorum principum Chri« stianus fuit. « Theodoretus episcopus Cyri lib. 5 cap. 39 : « Ante Constantini maximi principatum, « quotquot Romani imperatores fuerunt, adversus « pietatis cultores furere non destiterunt. « (*Hinc tamen excipiendum censeo Constantium Constantini patrem, ob dicta in Commentario prævio* § 4.) *Alia, quæ his subnectuntur apud Pagium, testimonia non transcribo; uti nec responsa ad objectiones num.* 5 *et* 6. *In Operibus Lactantii a Christophoro Cellario editis Lipsiæ anno* 1698, *pag.* 4 *in notis dicuntur ea, quæ supra prolata sunt, et alia usque ad numerum* 17 *dictæ editionis, de Constantino, abesse a pluribus codicibus; ac damnari a Josepho Isæo; verum illa* tueri Stephanum Baluzium ex styli æqualitate, *qui* tristibus quidem temporibus scriptas institutiones putat ; lætioribus autem emendatas, auctas, et Constantino dedicatas. D

CAPUT II.

Melior Romani imperii status per Constantinum et Helenam; monitio de condendis templis; inventio sanctæ Crucis mystice antea adumbrata.

His breviter ex historia Orosii supra libatis, IV.
videamus juxta veritatem authorum, quan- *quas Dei misericordia*
tæ reverentiæ Constantinus, uniens *a* Helenæ matris filius, extiterit, qui et Romanorum ex- E
pugnavit hostes, pacificavit cives, auxit remp., *a*
decemque persecutionibus opposuit decem justissimæ legis edicta, et credendo in Deum vivum et verum, idola destruxit, ecclesias erexit, a quo omnes semper Christiani imperatores usque ad hodiernum diem creati sunt, excepto Juliano Apostata *b*, quem machinantem impia exitiabilis *b*
vita deseruit. Sed Constantinus gratia Dei invictus, gaudens matre Helena, propter quam hæc omnia suscepimus, seipsum talem Ecclesiæ sanctæ exhibuit, ut perniciem malitiamque regum præcedentium verteret per misericordiam Dei in pacem et bonitatem, et eorum in Christianos persecutionem, transferret in defensionem. Siquidem Neronis sanguinem, quo ille fœdavit terram detentus petulantia, libidine, luxuria, avaritia, crudelitate, vertit in emundationem scelerum vivendo in gravitate, modestia, temperantia, largitate et mansuetudine.

20 Ipsam etiam impiam ejus theomachiam * *per Constantinum*
in devotissimam debitamque omni mundo vertit ** i. e. pugnam cum Deo.*
culturam, eousque, ut beatissimorum Apostolorum, quas ille interfecit impietatis gladio, iste F
meruerit ædificare templa, et ornare atque nobilitare sepulchra, Petri, dico, divinæ providentiæ clementia omnium Apostolorum probatissimi et maximi, fideique magnificentia et virtutis merito principis, qui adveniens ex partibus Orientis ut cælestis quidam negotiator, divini luminis mercimoniam nobis advexit, et verbo salutiferæ prædicationis, clavibus videlicet Evangelii sui, aperuit primus Romanis januam regni cælestis. Pauli denique, qui factus in manu Dei ignea sagitta, e mundo removit tenebras vitiorum et ignorantiæ, et instructor animorum, et mentium factus est, auxiliante gratia Dei, doctor gentium in fide et veritate. His beatissimis Apostolis, tenentibus sanctitatis et Christianæ religionis arcem, adhæsit mente devota Constantinus Augustus, promotus ad hoc pietate matris Helenæ : ac per hoc et cruentissimi facta Domitiani perstrepentis more ranarum, gravitatis et sobrietatis religione multavit; et Traiani ciniphes regia exhilaratione repressit, et Antonini vicem, putredine muscarum corruptam, rediviva pace in vera Christianorum fide purgavit, et interitu jumentorum Severum scatentem beneficio largitatis abegit, et Maximini persecutionem

A persecutionem, velut vesicas effervescentem, bonitatis et pacis tranquillitate demersit in barathrum abolitionis.

ac Helenam 21 Decii denique Galli et Volusiani pestem et grandinem Catholica fide et lenitate sedavit, et subversionem gentium, ut terrorem et tegimen locustarum, vehementer disrupit. Quippe qui quanto magis se religiosius et humilius Deo subjecerat, tanto amplius ei Deus universa subdebat. Itaque et densas tenebras Aureliani persecutionum lumine cælesti, quod meruerat orthodoxæ fidei zelo, æquanimiter rescidit, atque in decimo gradu idola contrivit, cum hæreses evertit. Cui divinitus concessum est, ut ejus temporibus sacratissimæ crucis fieret inventio. Ita nimirum mater Helena genuit Constantinum, qui tam ingentia et innumera mala, ordinante divina clementia, divinoque fultus præsidio, abstergeret, simulacra idolorum destrueret, construeret ecclesias, superaret ac dissiparet hæreses, sanctamque et orthodoxam roboraret fidem, atque Apostolicam sequeretur ferventissime doctrinam. Ipsa vero zelo pietatis accensa, et cælitus admonita per somnium *c*, pretiosissimum vivificæ crucis inveniret lignum, in B quo nostræ salutis pretium pependit, corpus Crucifixi, cujus odore reviviscunt mortui. Sicque videmus, quanti pendenda sit sancta Helena, quæ et talem genuit filium, et tantum nostræ saluti contulit negotium.

commutavit 22 Nam sicut ab initio sæculi incessabilibus cladibus nullus finis ac nulla requies fuit; nisi cum salvator [mundi] Christus illuxit, qui, sicut sol oriens diem luce perfundit, ita adveniens misericorditer extenta mundum pace vestivit; unde Psalmista : Orietur in diebus Domini abundantia pacis et dominabitur; ita a Nerone usque ad Constantinum (si parva licet componere magnis) vix parvissimum resedit otium ab infestatione Romanorum, et Christianorum persecutione. Quod ideo facile quis viderit accidisse, quia quærebant ipsi principes, omnibusque modis certabant infelices infeliciter non solum a se repellere, sed etiam in toto mundo extinguere veram pacem; neque [enim] erant ullius bonæ voluntatis homines, quibus, nato Domino, summæ pacis principe, angelorum cecinit exercitus, Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; C et idcirco, quantum ad se, interfecerunt illos, qui nobis attulerunt donum pacis, æterni scilicet Patris Filium incarnatum in quem tandem credens veraciter. Constantinus, forte meritis suæ sanctæ matris Helenæ *d*, ad hoc per misericordiam Dei vocatus, et sibi et suis meruit acquirere pacem.

v. in meliorem 23 O beatam feminam, cui contigit duplici negotio animæ videlicet et corporis succurrere mundo; cui genuit corpore Constantinum, Christianæ fidei et religionis primum *e* et magnum in imperiali sceptro cultorem, et maximum contra omnes hæreses, maximeque contra Arianæ versutiæ mortiferum virus, ex totis viribus expugnatorem et defensorem, ac deinde processu temporis religionis et fidei, animæque vigentis prudentia meruit invenire lignum sanctæ crucis : terque quaterque beatam : namque, ut a partibus Galliæ, in qua genuit Constantinum [sancta Helena] Romanam adiit dignitatem propter filii excellentiam; ea siquidem tempestate respublica sub novis quatuor principibus fuit Constantino [scilicet] et Maxentio, filiis Augustorum; Licinio autem et Maximino hominibus novis. Verum inter Constantinum et Maxentium civili bello exorto, Maxentius multis præliis fatigatus, novissime ad Pontem Molvium * ictus et interfectus est. *A. Albanno. * Pontem Milvium vel Molvium.* Pari modo dum Maximinus, incentor persecutionis Christianorum, civile bellum disponit contra Licinium, apud Tharsum interiit. Qui Licinius, victo Maximino, dum in Christianos repentina rabie suscitatur, inter ipsum et Constantinum bellum efferbuit : sed oppressus est a Constantino Licinius, et usque ad deditionem est coactus. Sicque divina dispositione Constantinus totius Romani imperii potitus monarchia, ad veram transiit *f* religionem, et ecclesiis pacem indulsit, adeo ut ejus temporibus canones generalium conciliorum esse cœpissent, et synodali sententia fides Catholica roborata *g* crevisset, et hoc tanto processu, ut ejus temporibus, etiam Indorum *h* gentes, atque Hibernorum *i*, Christiani dogmatis rudimenta susciperent. Sed et Armenios verax fama testatur, tunc primum *k* Christianos effectos.

24 Ergo, ut dictum est, propter tantam [excellentiam] *Romani imperii* filii mater Helena Romanam venit ad urbem : cumque esset multæ prudentiæ femina, et lenitate et mansuetudine gubernaret una cum filio Romanum imperium, illa quidem con- E silio *l*; filius vero virtute, cœpit explorare singularum gentium cultum, videns diversitatem morum et habitus. Quippe quæ legerat et legebat multa, quibus accommodare animum aut non audebat, timens falsitatem, aut dubitabat, ignorans veritatem, cum jam quæreret invenire notitiam certam de verbo Dei, de creaturis mundi, de origine animæ, ejusque immortalitate, de judicio venturo et corporum resurrectione, tandem circumventa a Judæis ad Judaïsmum *m* divertens, veritatem ibi arbitrata est se invenire posse. Ergo fide facta Judæa, animo quoque et corpore illis voluit fieri socia. Sed neque hoc factum est absque divina providentia. Etenim gratiam Dei, quæ ordinabat in illa sanctam charitatem, forsitan voluit seu permisit, ut cognosceret omnes Judaïcas observationes, figuras, umbram, cerimonias, neomenia et sabbatha : quatenus his cognitis facilius postea cerneret omnimodæ veritatis solidissimum, ut ita dixerim, corpus, Apostolo testante, quia in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter : quod intelligimus ac si diceret substantialiter. Deinde, ut ad F rem sibi cælitus ab initio sæculi destinatam ventum foret, facilius calcaret et destrueret litteram occidentem, firmissime tenens spiritum vivificantem. Quod et factùm est; quando, ut in gestis beati Silvestri *n* habemus, et filius Constantinus Augustus per baptismi gratiam, fidem consecutus est Christi, et beata Helena a Judaismo recedens, facta est in vera Christianorum fide et religione particeps Christi, initium substantiæ ejus. secundum Apostoli doctrinam, retinens per gratiam Dei usque in finem.

25 Ergo et Mater et filius consurgunt ædificare *vi. statum.* Ecclesiam Christi in omnibus gentibus, filius contra hostes Ecclesiæ bellum sumens, multa fortitudine, et ad vires hæreticorum proterendas accedens, fretus Catholicæ et Apostolicæ fidei veritate; et Mater ad Judæorum umbras repellendas procedens fortissima et virili constantia; uterque * in hoc somnio admoniti, ** al. utique* et Constantinus etiam (præmonitus) antequam baptismi percepisset gratiam, cum contra Maxentium suscepisset bellum. Qui maximus *, ut habemus ex ** al. Maxentius* Socratis sententia in Historia tripartita, Romæ velut tyrannus habebatur, adulteria impudenter exercens,

A. Almanno. exercens, et earum viros occidens. Quem volens Constantinus opprimere et Romanos a cladibus liberare, cogitabat quem in bello Deum haberet auxilio; sciens nihil prodesse deos, quos Diocletianus venerabatur, et quia pater ejus potius contempta paganorum religione feliciter advixisset. In his igitur sollicitudinibus constitutus, ut refert Sozomenus, in somno vidit crucis signum [cælo] splendide collocatum : mirantique visionem astiterunt angeli dicentes : O Constantine, in hoc vince, et reliqua de eadem revelatione; Mater vero et propter filii sollicitudinem, et propter amorem, quo ferventissime circa Deum erat accensa, sanctæ crucis lignum instanter desiderare, ut invenirent, cœperunt.

VII. Quo modo Sancta crucem Domini invenerit,

26 Sed occupato imperatore in præliis hostium, delegatum est sanctæ matris Helenæ hujusmodi pretiosum negotium, et merito; quippe quæ et sapientia et doctrina euangelica pollebat, et in Crucifixum miro amore fervebat. Itaque cum ingenti multitudine et regia ambitione Hierosolymam pergit, et ingreditur urbem non jam Judæa sed Christiana, et cœpit quærere animo virili et B ferventissimo zelo lignum sanctæ crucis. Quod ideo ad inveniendum valde difficile erat, quia, ut ecclesiastica narrat Historia, ab Helio Adriano ad suggestionem pontificum Judæorum in eo loco templum Veneri fuerat constructum. Qui pontifices ideo hoc fecerunt, ut æmulatione livida tollerent fidelibus locum, ne ibi possent Christo flectere genua, ubi prostibulæ mulieris erat simulachrum affixum. Sed Regina fidelissima, funditus everso templo pariter et idolo memorato, invenit tres cruces, Domini pariter et latronum, de quibus cum orta fuisset hæsitatio, cum, qualis esset crux Dominica, proprie nesciretur, juxta narrationem prædictæ Historiæ, vir venerabilis Hierosolymorum tunc temporis antistes Macharius solvit hanc dubitationem, quod qui plenius nosse desiderat, ejusdem Historiæ librum decimum legat. Sed non abs re judicavimus, si et breviter eamdem hic rationem prosequamur.

27 Eo tempore erat ibi vidua nomine Libania, quæ prius fuerat Judæa; sed, defuncto viro suo, Isachar, relicta synagogæ perfidia, contulit se ad C Ecclesiam Christi. Hæc illo tempore subitanea morte præventa, supremo flatu pectoris sui extremum trahebat spiritum : habebat autem mœrorem de istius obitu omnis ecclesia, et erat de hæsitatione crucis Dominicæ infinita tristitia. Inter utramque consternationem positus vir Dei Macharius, ejusdem civitatis antistes, cupiens et mœstitiam populi, et sollicitudinem Reginæ auferre, jussit portare grabatum, in quo Libania decumbebat. Cumque illuc fuisset corpus adductum, expandit episcopus Macharius manus suas ad cælum et dixit : Tu, omnipotens Deus, qui per unigenitum Filium tuum salutem generi humano per passionem crucis ejus conferre dignatus es; et nunc in novissimis temporibus aspirasti in corde ancillæ tuæ Helenæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit, ostende nunc evidenter ex his tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterint ad servile supplicium, ut hæc mulier, quæ semiviva decumbit, statim ut eam lignum salutare contigerit, a mortis janius revocetur ad vitam. Et cum hoc dixisset, adhibuit primo unam ex tribus, et nihil perfecit; adhibuit secundam, et nec sic quidem aliquid actum est. Ut vero admovit tertiam, repente apertis oculis mulier consurrexit, et, stabilitate virium recepta, alacrior multo, quam cum sana fuerat, tota domo discurrere, et magnificare Do- D mini potentiam cœpit. Sic evidenti indicio Regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat, regia ambitione construxit.

28 Clavos quoque, quibus corpus Domini fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frænos composuit, quibus uteretur ad bellum, et ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse. Ligni vero ipsius salutaris partem detulit filio; partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco, quæ etiam nunc ad memoriam sollicita veneratione servantur *. O * al. servatur feliciter beatam feminam, quæ tenens specialiter Ecclesiæ formam, sicut sancta Ecclesia meruit salutari fide invenire Crucifixum, et amplecti spe longanimi, et ordinata charitate amplecti in æternum; ita et beata Helena fidei zelo quæsivit, miro fervore invenire *o* meruit sanctæ crucis li- o gnum, tanta Crucifixum meditans devotione. Atque ita accidit, ut filius triumpharet de hostibus visibilibus, et de invisibilibus Mater. Siquidem filius arma terrena corripiens, dono gratiæ Dei, cujus solius est regnum et potentia, honor et E imperium, decus et potestas, superavit et prævaluit, quocumque se vertit, in barbaras nationes. Mater vero gratiam Christianitatis consecuta, non prius, ut dictum est, passa est habere quietem animæ et corpori suo, donec adipisceretur suum desiderium invenire, pretiosissimæ crucis sacratissimum lignum, in quo Jesus benignus, Deus verus et homo, certissima salus nostra pependit, pro Ecclesia sua. Quam mirabilis mater sancta Helena! cui contigit et imperare sæculo, et servire Deo, et triumphare de diabolo per inventionem sanctæ crucis : cujus meritis extollitur filius, adeo ut temporibus ejus fieret inventio ligni, quod fraus maligna instinctu diabolico occultaverat, et Apostolica fides contra omnes hæreses in Nicæno concilio, ipso præsente, profitente et confirmante, exposita esset. Quibus duabus causis roborata et victrix Catholica fulget Ecclesia, et procedit sicut sol, et ascendit semper ad Deum quasi aurora consurgens. Quod præsignaverat idem Constantinus, quando, ut narrat Historia tripartita ex Socratis capitulo octavo decimo libri secundi, celebrata festivitate publica vicennalium *p* suorum, p mox ad erigendas ecclesias festinus accessit; hoc- F que faciebat per singulas civitates, jam tenens fide turritam Ecclesiam, ecclesias videlicet erigebat et in urbe cognominis sui.

VIII. in scala Jacob

29 Quod multo ante præfiguraverat Jacob, qui egressus de Bersabee, ut pergeret Aram, cum venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum *q*, lapidibus ca- q put supponens, dormivit in eodem loco; viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ. Et post pauca : Surgens ergo mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper, appellavitque nomen urbis Bethel. Est igitur ecclesia Bethel, id est domus Dei, in qua stat scala, cujus latera novimus esse crucis lignum, et Apostolicæ fidei fundamentum, cujus cacumen pertingit ad cælum, Dominum quoque innixum scalæ, qui nos sua doctrina et exemplo vocat, ut eamus; et facit ire, suscipitque euntes de virtute in virtutem, quousque videamus Deum deorum in Sion. Angelos vero ascendentes et descendentes per eam, prædicatores sanctos accipimus, juxta

A juxta Paulum prædicatorem egregium, qui ascendens per illam scalam dicebat: Sive enim mente excedimus Deo; rursum descendens per eamdem aiebat: Sive temperantes sumus vobis: Dominumque innixum scalæ videbat, quia charitas Christi illum urgebat.

adumbratam. 30 Igitur beata Helena more Jacob dormivit, quando per somnium fuit admonita, ut properaret quærere, et persisteret invenire thesaurum occultatum, signum et lignum vitæ. Quod inventum velut Jacob lapidem erexit in titulum, quando illud signum de subterraneo recessu protulit ante faciem hominum. Eo enim titulo cum gratia religionis, tum causa muniminis titulata est frons nostra, et munita ac velut sigillo impressa anima corpusque nostrum. O [beatam] feminam igne divini amoris accensam, fide robustissimam, spe patientissimam, charitate nectaream! quæ zelo pietatis inserviens, et desiderio veritatis felleum diaboli poculum, quo nobis propinavit amaritudinem mortis, frustravit; quando sacrosanctam crucem restituit, quæ nobis dulce lignum vitæ contra lignum amaritudinis mortis nostræ, dulB cem clavum contra præsumptionem manuum nostrarum, dulce pondus corporis Christi contra pondus peccati nostri portavit, atque sustinuit. Ita [namque] fortis mulier invidiæ diaboli, quatenus per gratiam Dei potuit, suæ dulcissimæ benevolentiæ et benignitatis studium opposuit, ut fraudes illius detegeret, et humano generi opis egeno auxilium ferret. O quam pluris [pretii] pendit illam coram Deo cum omnibus ordininibus angelorum sancta Ecclesia in patria cælesti, cui tantum contulit auxilium in sua peregrinatione in terris. Namque tanto pignore eam sibi debitricem fecit, ut quæque fidelis anima Crucifixum amplecteus, illam diligat; in illum credens, istam laudet; in illo sperans, imo admiretur; illum ante omnia et super omnia, imo illum solum cum Patre et sancto Spiritu toto corde, tota anima, iotaque virtute diligens, colens, adorans, timens et tremens, hanc in illo diligat, istique in illo vicem dilectionis rependat; nimirum quæ respersit in sancta Ecclesia odorem suavitatis suæ, quando per ligni vitæ inventionem repræsentavit nobis odorem vitæ nostræ.

C

ANNOTATA.

a *Consule Commentarium prævium § 4 in principio.*

b *Loquitur Almannus in persona, vel verbis saltem Orosii lib. 7 cap. 28, ubi is hæc scribit occasione Constantini magni. Verum, si Julianum Apostatam pessimum Christianum quidem, e numero Christianorum imperatorum excludit, qui tamen in religione Christiana educatus, atque inter clericos ad officium lectoris promotus est, prout observatur in Historia imperatorum citata tomo 4, articulo 2 in dicto Juliano; cur Orosius a Christianis etiam non secludit Constantium, Constantini magni filium, qui morti proximus, postquam non Christiane vixerat in hæresi Ariana verosimilius perstitit, et ab Euzoio episcopo Ariano tunc baptizatus est, ex allegato tomo 4, art. 61 de Constantio imperatore? Cur non secludit a Christianis Valentem?*

c *An Sancta ante iter Hierosolymitanum divinitus præmonita, discussimus in Comm. prævio § 6.*

d *Probabilius* S. Helena *fidem Christi amplexa post Constantinum, ex ibidem dictis § 4.*

e *Superius num. 18 Almannus ex Orosio dixerat* excepto Philippo; *hic vero loquitur absolute. Consule Annotata nostra in cap. 1 litt. aa.* A. ALMANNO.

f *De tempore ejus transitus ad religionem veram meminit Commentarius prævius § 4 num. 40.*

g *Interfuit Constantinus primo concilio œcumenico Nicæno, magnamque rerum in eo gestarum partem habuit.*

h *Eusebius De vita Constantini lib. 4 cap. 50, pag. 551 editionis Valesianæ testatur legationem et munera ab Indis ad eum missa; sed de Christiani dogmatis rudimentis ab illa gente tunc susceptis, ibidem nihil habet:* Eodem, *inquit,* tempore Indorum, qui orientem solem incolunt, legati advenere, dona afferentes... Quæ omnia imperatori offerentes, testabantur ad ipsum usque Oceanum imperium extendi, gentisque Indorum principes ac regulos pictis tabulis et statuis in honorem ejus erectis, imperatorem ac regem se illum agnoscere profiteri. *Quia vero Indi, teste ibidem Eusebio, se illius ditioni subjecere, ut in nota proxime sequente dicam, non videtur incredibile, fide Christianæ rudimenta ad eosdem ista occasione fuisse invecta, ut aliqua illorum pars imbuta esse potuerit doctrina Christiana. Hæc* E *quidem dicta sint e loco citato Eusebii. Quod vero saltem aliqui Indi ad Christum tunc reipsa sint conversi, ex Rufino diserte affirmat Socrates Historiæ ecclesiasticæ lib 1 cap. 19, ubi pag. 50 editionis Valesianæ narrantur ista:* Jam vero qualiter Christiana religio hujus imperatoris temporibus latius propagata sit, a nobis commemorandum est. Interiorum enim Indorum gentes et Iberi, Christianam fidem tunc primum susceperunt. Cur vero interiores dixerim, breviter explicabo *etc.* Porro quæ causa eos impulerit, ut Christianam religionem amplecterentur, jam dicere aggrediar *etc. Sed consule Pagium ad annum 327, qui num. 7 refert, Indiam citeriorem cum India Orientali a Baronio confundi; Indiam citeriorem et Æthiopiam solo nomine differre, num. 8 et sequentibus; in ea S. Frumentium Evangelium prædicasse, num 13 et sequentibus; non contra chronologiam, sed contra geographiam peccase Rufinum, num. 16, qui supra dictam conversionem narrat lib. 10 cap. 9 Historiæ suæ ecclesiasticæ. Sed non est hujus loci, in istas nos ingerere controversias. Sufficit ad locum Almanni* F *observasse, quod Constantini tempore Indi, qualescumque demum hi fuerint, ad fidem Christi conversi sint.*

i *In apographo nostro e Ms. S. Martini Treviris, quod collatum notatur cum Ms. S. Maximini Treviris, scribitur* Iberorum; *et sic legendum prorsus censeo, et patet ex textu Socratis superiore; qui cap. 20 exponit, quomodo ad Christum conversi sint, ex Rufino paullo ante designato cap. 10, qui populi hujus locum indicans,* Per idem tempus, *ait,* etiam Hiberorum gens, quæ sub axe Pontico jacet, verbi Dei fœdera, et fidem futuri suscepit regni. *In indice chronologico tomi 4 Historiæ imperatorum innectitur res gesta anno 330.*

k *Eusebius lib. 9 Ecclesiasticæ historiæ cap. 8, pag. 355 in Maximino, de Armenis hæc memorat:* Bellum insuper a tyranno commotum est adversus Armenios, jam inde a priscis temporibus amicos ac socios populi Romani. Qui cum Christiani ipsi quoque essent, et divinæ religionis studiosissimi *etc. Bellum illud anno Christi 312 innexum lego; quod proin contigit sub exordia temporis, quo Constantinus orthodoxam fidem amplexus*

A. ALMANNO. *amplexus est. Hic autem agi de populis Armeniæ majoris, observat auctor Historiæ imperatorum, in Constantino articulo* 30; *populis Armeniæ minoris subditis imperio non confœderatis. E verbis vero Eusebii videtur esse probabilius, Armenos non tunc primum, sed antea ad Christi fidem accessisse, cum sub Maximino tam in ea essent confirmati, sicut tacite videtur innuere Eusebius.*

l *Constantinum singularis semper erga matrem suam Helenam fuisse observantiæ, patet e Commentario prævio.*

m *Judaïsmum ei perperam adscribi probatur ibidem* § 5.

n *Acta illius apocrypha sunt. Vide ibidem a num.* 50.

o *Quæ spectant ad inventionem crucis, ac instrumentorum dominicæ passionis etc., fuse ibidem a nobis sunt collecta atque expensa* § 6 *et sequentibus.*

p *Id est, annum imperii sui vigesimum, qui incepit anno Christi* 325. *Varia spectantia collegerunt Pagius ad eumdem annum, et auctor Historiæ imperatorum, in Constantino art.* 59.

B d *Geneseos* 28, ỷ. 11 Tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo *etc.*

CAPUT III.

Sancta divinæ providentiæ conformis; profunda animi modestia : comparatur cum regina Saba : vitæ ejus integritas.

IX. *Sancta Helena imitatur Dei justitiam et misericordiam,*

Novimus etenim divinam providentiam ut bonam, ita esse et justam, et quod illa agatur mundus et homo : hominem autem convertibilitate naturæ ac libertate licentiæ et infirmum esse et contumacem, et necessario pietate gubernari opis egenos, et justitia corripi libertatis immoderationem : ideoque ab initio creati hominis exerceri hunc mundum per alternantia bona et mala : cujus divinæ providentiæ formam beata C Helena assumpsit, quando prudentia mirabili, quæ procedebat ex eo, quod eam zelus domus Dei comedebat, et superborum colla calcavit, dissimulare volentium, quæ forte sciebant. Unde et illis vigore cælesti minata est, adhibere ignem, atque ut contumaces libertate licentiæ jussit eos igne cremari, et expleta ineffabilis dulcedinis ligni inventione celeberrima, et omni mundo desideratissima; omnes regia excellentia fovit, et imperiali largitione donavit.

X. *et Virginis Matris humilitatem, ministrans ancillis Dei.*

32 Nec non seipsam exhibuit famulam ancillis Dei, perpetuæ Virginis Mariæ notans exemplum : quæ cum ab angelo tantum Ave sortiretur in salutandi officio, quo pelleretur sive absorberetur Væ mortis nostræ, et tam singulari munere esset donata, ut ad illam Pater legaret angelum, qui ei nuntiaret, quod illius coæterni Filii, cujus ille erat coæternus Pater in cælo fieret ipsa, perennis virgo, temporalis mater, in terra per hoc, quod Verbum, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat, in utero ejus virgineo assumptione carnis caro fieret obumbratione Spiritus sancti, et charitatis igne, quem per fidem imbiberat, ita ut ea charitate accensa, de qua scriptum est, Deus charitas est, et illo igne succensa, de quo scriptum est, Deus noster ignis consumens est, pro calore seminis, calore fidei, et fervore conciperet charitatis : ideoque enixa est Regem cælestem, æternumque Pontificem, consecrata in æternum sua sacratissima virginitate. D

Tam singulari igitur donata privilegio, respondit tamen angelo : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et beata itaque Helena, si parva licet componere magnis, sive quod tutius et verius fatendum est, ad comparationem panagiæ * Mariæ, nulla; tamen quia et in famulatu devotissimo illi placere contendebat, cujus illa pretiosissima Virgo Mater esse meruerat, dicendum est, secutam pro se fuisse illius suæ, vel potius totius mundi Dominæ exemplum. Oblita namque, quod esset imperii mater, et flocci pendens, quod esset non solum Urbis, sed etiam orbis domina, ancillis Dei facto convivio, ipsa astans suscepit serviendi officium *a*, illis recumbentibus illa ministrans, in illis Christo servire cupiens, pia devotione agens Domino Deo gratias pro adimpleto desiderii sui negotio. Ideoque inter humiles Christi computari desiderabat, imitans Moysem, de quo dicit Apostolus, quod E majores divitias æstimabat thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Ergo obliviscens terreni imperii jucunditatem, totam se transtulit ad Domini servitutem, fideli intentione præparans se ecclesiasticæ utilitati : cujus factum miratur Asia, stupet Africa, gaudet Europa. Jure enim illi triquadrum *b* orbem obnoxium asserimus, quæ meruit aperire crucis lignum, in quo Salvator appendens seipsum, relevavit eum de faucibus inferorum.

* *i. e. sanctissimæ*

XI. *Quid Constantinus?*

33 In hunc igitur modum et mater et filius parantes scalam, qua Ecclesia scandat ad cælum; Mater quidem in Judæa crucem Domini nostri exaltans; filius vero in gentibus subjectos fovens, et rebellantes comprimens ad utilitatem præsentis Ecclesiæ Romano imperio dilatandam, et synodalibus sententiis atque edictis Apostolicam fidem confirmans, et hæreticæ pravitatis vires destruens ad fructum sanctæ Ecclesiæ, quæ ædificatur in cælis. Romæ idem Constantinus Augustus post peractas victorias exultat, et ad illum Mater peracto de inventione sanctæ crucis triumpho, rediens tripudiat. Omittimus siquidem qualiter et beata Helena de Judaïsmo, et Constantinus invictus de paganismo ad religionem et fidem Christianæ religionis F sunt translati per revelationem Apostolorum, et prædicationem beati Papæ Silvestri *c*. Habemus etenim ea a conscriptis, et ideo superfluum est, quæ ab aliis dicta sunt, ea iterare. Sed ad nobis proposita redeamus.

XII. *Quæ regina Saba*

34 Tenens itaque, ut dictum est, sancta Helena speciem præsentis Ecclesiæ, in cujus typo regina Saba venerat a finibus terræ, scilicet ab Æthiopia, audire sapientiam Salomonis, deposita nigredine gentilitatis, fidei puritate et integritate mentis ad verum accessit Salomonem, jam minime dubitans, nec quæstiones afferens, quæ illi insolubiles videbantur; sed jam edocta de illo, per Apostolorum doctrinam de agnitione Verbi Dei, de creaturis mundi, de animæ immortalitate et impassibilitate, ac futuro judicio certa fuerat [facta] de quibus regina Saba dubitaverat, et absolvenda regis Salomoni proposuerat. Venit itaque regina Saba in Hierusalem ad regem Salomonem cum multitudine et virtute multa. Venit deferens regi Salomoni aromata multa, et aurum, et omnem pretiosum lapidem, et locuta est omnia, quæ erant in corde suo. Deinde mirata prudentiam

A. Almanno.

A dentiam regis, vidit domum, quam ædificavit, vidi cibos Salomonis, vidit sedem puerorum, vidit et ordines ministrorum, vidit vestes et vini fusores, atque holocausta ejus: et postquam hæc omnia vidit, præ nimia admiratione obstupuit.

gessit apud Salomonem, * *al.* gerens

35 Venit et in hunc modum sancta Helena, Ecclesiæ speciem ferens *, in Hierusalem ad visionem scilicet pacis, multitudine militum Romanorum, et multa virtute gentium, vero Salomoni Christo deferens munera digna, [id est] odoramentorum suavitates, quæ sunt orationes mundæ, et opera bona Sanctorum, [quibus B. Helena tota flagrabat] et per hæc, odoremque ejusmodi suavitatis ad Deum pervenire et ascendere cupiebat. Venit et auro repleta sincero, et Catholico sine dubio sensu et intellectu ac rationalibus disciplinis, quæ scholari eruditione, utpote nobilissima didicerat: et sic processu fidei et religionis Christianæ, Apostolica institutione collegerat. Detulit etiam lapides pretiosos, morum pudicitiam et probitatem, quorum ornamento pollebat multo virgore. Cum tali igitur apparatu B ingreditur ad pacificum regem Christum, et aperit illi cor suum, exuens nigredinem, et induens formositatem. Propter quod et Christus, qui est pax nostra, enuntiat ei omnia, sicut propinquante tempore passionis loquitur ad discipulos suos: Jam non dico vos servos, sed amicos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Ego autem nota vobis feci omnia: quæcumque audivi a Patre meo.

cum factis S. Helenæ comparantur;

36 Sic ergo pacificus Domini Filius Dei annuntiat omne verbum reginæ Saba, Ecclesiæ de gentibus congregatæ beatæ Helenæ veritatem, illius reginæ et specialiter in semetipsa gerenti personam Ecclesiæ. Vidit denique domum, quam ædificavit, sine dubio mysterium Incarnationis ejus: ipsa est enim domus, quam excisis columnis septem ædificavit sibi sapientia, quibus columnis regi atque fulciri saucta concupivit et desideravit Helena. Vidit et cibos; opus scilicet Patris, quod venit in carne perficere, unde et ipse loquitur: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus; et perfecit in crucis ligno moriens, et de sepulchro resurgens, cujus inveutricem fecit esse C Deus hanc, de qua loquimur, sacram Reginam; et ideo quanto clarius hæc oculis cordis et fidei vidit, tanto ad inveniendum sanctæ crucis lignum et sepulchrum Dominicum ferventior fuit. Vidit et sedem puerorum, episcoporum et presbyterorum, qui ideo pueri appellantur, quia et puritate cordis, et munditia manuum Deo placere contendunt: qui immolant Deo sacrificium laudis, in consecratione corporis et sanguinis Domini. De quibus Apostolus ex Prophetæ testimonio dicit: Ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit Deus. Quod exponens ipse cælestis secreti conscius addit. Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium.

XIII. *unde ad ejus virtutes*

37 Et quia de botro illo manducabat, et bibebat, qui torcular calcaverat solus, et ipsa in eo fuerat expressus, torcular magna aviditate quæsivit, et veraciter in persona Ecclesiæ dicere potuit: Botrus Cypri dilectus meus mihi: nam qui fuerat falciculus myrrhæ in passione, botrus Cypri factus est in resurrectione. Mortificans igitur beata Helena carnem suam, et crucifigens cum vitiis, et concupiscentiis dicit: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, atque exultans in spe resurrectionis jam in capite suo factæ, eumdem dilectum suum botrum sibi factum esse lætatur. Vidit denique et ordines ministrorum, levitarum videlicet, et omnium fideliter Deo ministrantium. Unde et seipsam fidelem ministram exhibuit Deo, quando deposita purpura regni, servivit et ministravit, ut fidelis famula, ancillis Dei. Erat siquidem ad plenum instructa doctrina Euangelica, in qua didicerat, quod quidquid fecisset minimis Christi, ipsi impenderet Christo, et ideo excellentius, salubrius atque potentius judicavit [servire] minimis * Christi, quam imperare potentibus sæculi, sicut et de Moyse dictum est, quod dignius judicavit opprobrium Hebræorum regno Ægyptiorum. Vidit et vestes, de quibus dicit Apostolus: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Et quoniam induerat eam Christus vestimento salutis, et indumento justitiæ circumdederat, vestes auro textas et gemmea monilia repudiavit.

* *al.* ministris

recensendas

38 Vidit et vini fusores ejus doctores videlicet, qui verbum Dei et doctrinam divinam propinant fidelibus populis, quasi vinum, quod lætificet corda auditorum: nimirum et hoc vi- E num a fusoribus Christi biberat beata Helena, quæ reginam Saba in sæculi divitiis aut æquans aut superans, sed in spiritualibus calcans, corde credidit ad justitiam, ore autem confessa est ad salutem. Vidit et holocausta ejus sine dubio orationum ac supplicationum mysteria; quod holocaustum obtulit semper Domino, postquam ad cognitionem veritatis meruit pervenire, filia, soror et mater Ecclesiæ beata Helena, orationibus, jejuniis et obsecrationibus serviens Domino die ac nocte: parata etiam seipsam holocaustum et sacrificium offerre Deo in odorem suavitatis, si persecutor non defuisset. Testor Jesum, spem communem et singularem, quod peregrinationis hujus molestias, labores, dolores atque sæculi ærumnas libenter solo martyrii amore octogenaria duplicaret, si Domini voluntas fuisset; neque inveniretur impar alicui sancto martyri; quin ad martyrii coronam exultans et ovans, velut invitata ad thalamum sponsi, et ad nuptialis convivii celebres epulas ultro curreret, impatienter properaret, corpus gratanter tormentis præberet attrectandum tanta gratulatione, ut et inter verbera solemnizaret, atque in craticulis F adusta et pene consumpta solemniter gauderet. Illum, qui ejus cordis vidit desiderium, et novit corda singulorum, credo, spero, confido habere testem: quia si ad martyrium inter multos vocaretur, prima nomen daret, manus tenderet, eculeum ascenderet, et dilectioni Crucifixi, quæ fortis, ut mors extitit, dura sicut infernus, æmulatione responderet.

auctor hujus homiliæ progreditur,

39 Ideoque licet desideraret Christum insatiabiliter, solo tamen martyrii amore pro eo fortiter sustineret diuturnitatem istius peregrinationis. Quod si religata ad stipitem, atque in crucis modum extenta, pabulum bestiis præpararetur, carior ei sua tota præsenti vita existeret talis triumphus, et vultu interrito in stipite pendens, læta domino canticum novum cantaret. Sed non defuit beatæ Helenæ corona martyrii, quam Dominus noster Jesus Christus variis floribus compositam intexens offert Patri, ut ab ipso, sicut fidelis militiæ castra, victores magni agonis, remunerationes æternorum recipiant præmiorum. Non defuit, inquam, non defuit beatæ Helenæ corona martyrii, quæ passioni Domini nostri Jesu

A. Almanno. Jesu Christi adeo se reddidit conformem, ut jam jamque vellet abrumpere præsentem vitam, nisi compos voti inveniret sacratissimæ crucis lignum, quo nobis factus est ducatus ad æternam vitam, per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum; qui pendens in eo tam ineffabilis patientiæ præbuit exempla, ut sic moriendo ex infirmis sanos, ex impiis justos, et ex inimicis dignaretur facere amicos, cum neminem inveniret sanum, nullum justum, nullum penitus amicum. Ideoque Martyres sancti voverunt se, et obtulerunt Deo sacrificium laudis in agone martyrii, quia tautus amor et spes certa valde potuit eorum mitigare supplicia, quantum ad suos animos bono Christi odore respersos. Isto itaque odore beata fuit Helena referta, in cujus specialem præfigurationem, salvo intellectu, de universali Ecclesia, quæ juncta est non jam typico, sed vere legislatori, ut Moysi Æthiopissa, et venit a finibus terræ in omnibus gentibus audire sapientiam Salomonis, qui est, ut ipse dicit, plusquam Salomon, quia major est veritas
B quam figura, et incomparabiliter major est Deus et homo, ex duabus et in duabus naturis una persona, quovis homine quamtumlibet potente, justo et sapiente. Facta sunt itaque [ista] in figuram Ecclesiæ. Facta sunt et in præsignatione sanctæ Helenæ, quæ venit a finibus terræ non solum audire sapientiam veri Salomonis Domini nostri Jesu Christi, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum; sed etiam quærere, et per gratiam Dei invenire lignum vitæ, in quo pro nobis pependit reconciliator et pacificus noster, salus et vita nostra.

ANNOTATA.

a *Hoc factum confirmatur in Commentario prævio* § 9, *num.* 89.

b *Scriberem* triquetrum; *quod hic accipiendum videtur pro tribus orbis partibus, quas modo enumerabat Almannus.*

c *Conversi sunt Constantinus et* Helena *ante pontificatum Silvestri PP. Vide Commentarium* § 5 *num.* 54.

C

CAPUT IV.

Sancta cum Jeremia comparata. et cum Helena Adiabenorum regina; reliquiæ Hierosolymis acceptæ; gratiæ dotes; excursus in terram Sanctam laudatus, ac Constantinus.

xiv. *Jeremiam in lacum missum,* a

Nec non et illud valde portendit signum beatæ Helenæ, quod in Hieremia scriptum est; quia principes populi Israël miserunt Hieremiam in lacum . . . *a*. Et quid plura? Abimelech Æthiops fuit, qui Hieremiam eduxit de lacu. Ecce in hoc [nonne] nunc manifesta similitudo cuicumque patet legenti, quod invidia Judæorum absconditum et occultatum fuit crucis lignum, et beatæ Helenæ studio ferventique pietatis zelo eductum est de foveæ lacu, et, sicut decebat, nobisque pernecessarium erat, exaltatum est super Ecclesiæ altaria?

xv. 41 O venerabilis et omni modo spectabilis femina! quod sis nigra gentilitate, sed formosa fidei conversione et puritate. Te Æthiopissa in lege notat: unde rex Hierusalem in epithalamio suo, te quasi specietenus intuens, et personam tuam assumens, atque in multiplici sapienta etiam prophetiam tenens, de te prælo- quitur: Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem. Quod autem sis odore virtutum referta, auro sane intelligentiæ ditata, et lapidibus pretiosis morum probitate ornata, regina Saba in rege Salomone prætitulat. Quod vero futura eras pretiosissimi ligni sanctissimæ crucis inventrix, quod fuerat tectum errore perfido Judæorum, Abimelech * in propheta figurat. Sed et cognominis tua Helena Adiabenorum *b* regina te præcinit in eo, quod tempore famis *c* sub Claudio, cujus famis facit mentionem etiam liber Actuum Apostolorum *d*, multis pecuniis comparatum frumentum de Ægypto, ad Hierosolymam allatum indigentibus, Hierosolymitis ministravit, præsignans hoc facto, quod tu mirabilis Femina, repertum ire habens lignum crucis, ministratura nobis fores pabulum vitæ. Quod si illa pro hoc opere meruit nobile sepulchrum *e* pro portis Hierosolymorum; quis dicere sufficiat, quanta reverentia et amore sis digna in sancta Ecclesia, quæ ab ea tulisti famem vitæ, et periclitationem mortis per inventionem sanctæ crucis. Hoc itaque modo, ut nomine, ita et opere, tua, o beata Helena, illa fuit figura.

D *et Helenam Adiabenorum reginam Sancta repræsentans*

* l. Abdemelech — b — c — d

E — e

xvi. *variis fulget virtutibus.* 42 Revera cognovisti te, o pulchra inter mulieres, et cognovisti causas pulchritudinis tuæ. Idcirco non hædos, sed oves pavisti, et contra duritiam Judæorum, o virilis animæ fortis Mulier, attulisti linguam, de qua scriptum est, Argentum ignitum lingua justi, in qua primo ad Deum sermonem tuæ fidei direxisti. Secundo de sponso Ecclesiæ verba conciliasti. Tertio ad adolescentulas, ad filias scilicet Hierusalem, inter quas et sponsum, media quædam quasi mesochorus *f* effecta, et [hæc] verba consolatoria legasti *, et vertisti faciem multæ humilitatis. Ita reverteris Sunamitis; ita reverteris: reverteris siquidem fidei puritate, reverteris operum perfectione ad agnitionem tui redemptoris, ad pacem fraternæ germanitatis, qua fidens et audens dicit Ecclesia: Pater noster, qui es in cælis. Ideoque videmus in te choros castrorum, pacis videlicet militiam, quibus et divinis laudibus incumbis, et velut manibus armatorum repellis atque perturbas omnes acies inimici, donec, finito agone, ingrediaris in requiem Domini tui.

f — * al. legisti

F

xvii. *Congerit reliquias:* 43 His ita beata Helena, quæ astitit regina a dextris Domini in vestitu deaurato, velut apes de diversis floribus nectareum mellis favum componit: sic et ista de diversis martyrum reliquiis composuit thecam: in qua etiam cultellum *g* recondidit, quo Dominus noster Jesus Christus usus est in sacratissimo cœnæ convivio. Qua dignitate admirabili et optanda volebat munire et insignire suam regionem, ut, quæ erat toto mundo columna restitutionis per inventionem sanctæ crucis, esset et decus speciale aliquatenus patriæ suæ. Anima namque sua Deo consecrata mortem ejus, quo se redemptam noverat, intenta mente, quanta valebat devotionis instantia, imitari satagebat, memor illius Apostolici sermonis: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Ergo in his erat, hæc meditabatur, videlicet aut lectionibus sacris, orationibus assiduis, jejuniis frequentibus, et vigiliis multis, participare

g

A. ALMANNO.

A pare passionibus Christi, aut debitam præcedentibus Sanctis exhibere venerationem, et maxime quos noverat pro Christo sanguinem fundere meruisse, et illam charitatem implesse, etiam carne, quam ex præcepto et magisterio cælesti imbiberant mente. Enimvero sciebat pretium sapientiæ non inveniri in terra sua, sed in terra viventium*, et quod Christus non nisi ad passiones venerat in mundum, ut omnibus, quibus merito peccati debebatur supplicium, Christus ipse sola pietatis suæ gratia, suo momentaneo supplicio nostrum terminaret æternum. Et tantæ, tamque ineffabili potestati patientia tanta est mixta, ut per mortem crucis subveniret sæculo, morti impia dominatione grassanti vehementer addicto. Hoc religiosa fide beata Helena prænoscens, studebat redamare illum, qui sine ullis meritis nostris tanti pendit pusillitatem nostram, ut etiam languores et dolores nostros, quibus deficiebamus in mortem perpetuam, tolleret*, et veterem hominem nostrum simul crucifigeret, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviaB mus peccato : de quo et sponsa atque in ipsa sancta Helena in Cantico canticorum dicit : Fratruelis *h* meus candidus et rubicundus : candidus plenitudine ac puritate virtutum; rubicundus in passione, quando, fugiente sole, æternam timuerunt sæcula noctem.

* al. non inveniri in terra suaviter viventium

* al. tolerarct

h

XVIII. vita ejus laudatur ;

44 Sed Helena nostra accepit ab eo pulchritudinem, ut non solum nomine dicta sit luna; verum etiam fide et opere facta sit pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata : pulchra namque facta est ut luna, quia illustrata sole justitiæ, noctem seculi hujus, juste et pie vivendo, piæ conversationis luce perfudit. Electa ut sol; quia sui conditoris imaginem ab ipso illuminata recipiens, et eam illibatam post veritatis cognitionem servans, processit in veritate, et mansuetudine, et justitia, illi serviens in sanctitate, et veraciter gratias agens, qui signavit super nos lumen vultus sui Dominus. Sive pulchra ut luna, quia imitata est formam Ecclesiæ sanctæ. quæ in nocte vitæ præsentis variante temporum statu aliquando clara est mundo, ut in doctrina Euangelica, et Apostolica prædicatione; aliquando despectant hæreticorum insidiis; aliquando oppressa, ut in Martyribus sanctis. Et Helena igitur Christianorum nunc clara facta est C mundo lignum crucis inveniendo; nunc despecta, præferens* in se Ecclesiæ molestias : nunc oppressa, quia Martyribus mentem suam et animum junxit. Electa vero ut sol erit in futura beatitudine, in qua, permanente statu æternitatis, perfruetur vera visione incommutabilis lucis. Terribilis denique extitit, ut castrorum acies ordinata, quæ tenens scutum fidei, in quo posset omnia tela nequissimi ignea extinguere, nullis adversitatibus, etiamsi accidissent, posset umquam cohiberi, quin et lunæ pulchritudinem in se demonstraret, et solis, luuæ videlicet actione sancta, et [æterni] solis contemplatione beata : atque hoc modo collocans in se ordinem virtutum, terribilis extitit aëriis potestatibus.

* al. perferens

XIX. uti et

45 Verum hactenus pro cognitione materiæ exortum et progressum sanctæ Helenæ notavimus, et prosperis navigavimus ventis; nunc ad excursum illius flectentes articulum, quasi in syrtes incurrit oratio. Refert Historia ecclesiastica, quod, postquam evidens iudicium crucis Christi de resurrectione mortuæ mulieris Regina accepit, voti compos effecta, templum mirificum *i* in eo loco, in quo crucem repererat, regia ambitione construxit. Clavos quoque, quibus corpus dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus frænos composuit, quibus uteretur [ad bellum] et ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse : ligni vero ipsius salutaris partem detulit filio; partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco, quæ etiam nunc ad memoriam sollicita veneratione servatur. Reliquit etiam hoc indicium religiosi animi Regina venerabilis : virgines [enim] quas ibi reperit, Deo sacratas invitasse ad prandium, et tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet, si famulorum uteretur indiciis*, sed ipsa manibus suis famulæ habitu succincta cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, et Regina orbis ac mater imperii famularum Christi se famulam deputaret. Et hæc quidem Hierosolymis sunt gesta. Consonat huic et Historia tripartita, narrans sic : Itaque Mater imperatoris, quod cupiebat agnoscens, de clavis quidem [quibus] manus Christi fuerant perforatæ, alios misit in galea imperatoris [filii capitis prudentiam gerens, ut bellica jacula submoveret, alios freno equino permiscuit, ut cautelam imperatoris] agens, et veterem prophetiam adimplens. Olim E enim Zacharias propheta clamaverat dicens : Et erit, quod in fræno est, sanctum Domino omnipotenti *k*. Salutaris vero crucis partem quidem aliquam regalibus distribuit, reliquam vero partem in argentea theca clausam, civitatis tradidit sacerdoti, et undique congregans artifices, maximas illic ornatasque ædificavit ecclesias *l*.

* al. ministeriis

k

l excursus

46 His ita gestis, convivio exhibito virginibus sacris, et ipsa ministerium ancillæ gerens, ultra *m* octogesimum annum ætatis agens, et his similia faciens, rediit ad filium, et cum lætitia transivit a sæculo, multa filio pietatis mandata committens novissimis benedictionibus adimpleto *n*. Pro manifestatione et rei certitudine posui continentiam historiæ, ut ejus authoritate fulciatur et roboretur oratio nostra, cujus authoritate nititur etiam Ecclesia præsens. Quod autem dicit utraque Historia, redisse eam ad filium, et sic obiisse; ne de tanta femina humano remedio divinitus præparata foret ulla cunctatio, utrum Constantinopolim an Romam redierit ad filium, solvit hanc dubitationem Eusebius. Hieronymus, qui, ut acerrimi ingenii Beda exponit in sua Chro- F nica, dicit, eam ad filium redisse Romam, qui insuperabili virtute armorum in solo proprio ad id temporis edomuerat Sarmatas *o* Gotthos *p*, aliasque barbaras nationes, donec illa Hierosolymis, ad quam* properaverat monita per somnium, confundens Judæos et Judaïsmum adnullans, omnesque spurcitias idolorum ex ea eliminans, repente templum illud scelestissimum dejici jussit, et palam facto Domini monumento, apparuerunt circa illud suffossæ tres cruces, et clavi simul, et titulus *q*. Et congrue : quia in loco, ubi Dominus crucifixus est, erat hortus, et in horto monumentum novum. Victrix itaque venerabilis Regina per gratiam Dei extitit, composque sui desiderii facta invenit lignum ter beatum, in quo Deus homo extensus est, et velut in statera in eo pretium nostrum seipsum appendens, debitum nostrum solvit, atque in ipso crucis ligno moriens, potum suum cum fletu temperavit, de diabolo perpetuo tripudio triumphavit, et mundum redemit : mortem quippe destruxit, et vitam donavit. Hisque peractis redit ad filium misericordiæ operibus insistens, ut historiographus dicit, his similia faciens, cujus erat in corde perpetuus ignis, qui numquam

m

n

o *p*

* videlicet urbem

q

A. ALMANNO. nunquam deficere dictus est de altari, cujusque animam Apostolicæ prædicationis adeo vomer impresserat, ut ex uno [zelus] domus Dei eam comederet; ex altero præ divino amore langueret. Quæ post desertum errorem gentilitatis fervens in Judaïsmo, ut quondam Apostolus Paulus, putans inibi solummodo notitiam veritatis haberi, meruerat beari facie et contemplatione veritatis, per doctrinam sancti Silvestri. Surgens igitur circuibat civitatem per vicos et plateas quærendo quem diligebat anima sua.

in terram 47 Iuvenerunt eam vigiles, qui custodiunt civitatem, invenit eam in carne adhuc vivens vigil beatus Papa Silvester. Quos omnes cum pertransisset, invenit, quem diligebat, qui Jesum, quem prædicabant verbo vel docebant scripto, exhibebant, et commendabant exemplo non solum verum hominem, in quo factus est sacerdos in æternum; sed etiam verum Deum esse, coæternum et consubstantialem Patri, regem sæculorum, de quo dicit Psalmista : Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Et fide credidit et spe intendit, et diffuse cælitus charitatis oculus vidit. B Denique fide imitata Apostolum Paulum, quia quanto durius a Judaïsmo recessit, tanto postea, cognita luce veritatis, Christo, qui est via, veritas et vita, tenacius hæsit; potenter confundebat Judæos, qui sequentes litteram occidentem non poterant speciali * intellectu pervidere spiritum vivificantem. (* al. spirituali) Facta siquidem fuerat mater, sed talis, cui condignus responderet partus : genuit namque Constantinum, [et] ut [hæc] anacephalæosi replicem; qui in ipso fonte sui baptismatis *r* Christum devotione suæ mentis intuens, extitit perinde destructor idolorum, edificator Ecclesiæ, hæreticorum impugnator acerrimus, et Catholicæ fidei defensor tutissimus, cujus fidem maxime poterit probare, qui legerit ejus epistolam ad Saporem *s* Persarum regem, de providentia populi Dei scriptam : namque virili mente monita pietatis a matre retinens accepta, eaque pietate decoratus, habuit curam non modo subjectorum, sed etiam eorum, qui regebantur gubernaculis alienis.

Sanctam : qua occasione 48 Prædicavit etenim in eadem epistola sacratissimam fidem, qua participari meruit luce veritatis : professus est habere se cultum venerabilem, religionem et doctrinam agnitionis sanctissimi Dei, cujus virtutem in auxilio habens, testatur firmissima spe salutis se obtinuisse omnem terrarum orbem, incipientem a finibus oceani, et talem tantumque Deum solum, vivum, æternum et verum profitetur se honorare memoria immortali, eumque super omnia esse, credere se pura summaque mente, et illum votis ingentibus inclinatis cervicibus flexisque genibus semper adorare, cui flectitur omne genu cælestium, terrestrium et infernorum, qui puram mentem et immaculatam animam exigit a nobis, virtutes et pietatis actus exquirit, mansuetudinis et clementiæ operibus delectatur, humiles colligit, superbos punit; quem sicut vita est confiteri, ita negare, est utique morte mori. C Certe hoc modo Constantinus Augustus docens Deum, non solum sibi subjectos habuit ubique devotos, potitus Europa universa ac Lybia, tenens etiam super has maximam Asiæ partem; sed etiam multi barbarorum illi sponte serviebant, et, si qui refugere vellent, aderat Constantinus fulminans, et de his virtitute cælitus data triumphans : sicque imperator cernebatur in omnibus victor. Hæc ideo posuimus, ut videantur, quam mira benevolentia Constantinus Augustus prospexit fautoribus D pietatis, habens in mente paternam modestiam, et velut naturaliter insitam suæ menti maternam pietatem.

49 Ideo enim hæc scripsit, quoniam agnoverat Christianos in Persarum regione constitutos ab impiis vehementer affligi, eorumque regem erroribus sævientem diversa et exquisita illis inferre tormenta, qui tanta rabie in Christianos debacchabatur, ut nec Ustazadi *t* * suo fidelissimo nutritori, et devoto suæ familiaritatis parceret, neque ejus senectuti misereretur; sed cum pro vera fide juberet interfici : nec non una die, quæ erat sexta feria septimanæ majoris, in qua ante diem Resurrectionis festum celebratur cum passibili canone annua salutaris passionis memoria, simul cum beato Simeone archiepiscopo Seleuciæ *u* juberet interfici prædictus rex Sapores numero centum, jam pridem pro vera fide constitutos in carcere. Adeo expers erat ipse rex et Dei, et humanitatis Domini nostri, qua pro nostra salute dignatus est indui. Quam credulitatis rabiem agnoscens Constantinus scripsit ei per legatos ipsius *, qui tunc aderant, monita pietatis, quæ a matre He- E lena acceperat, volens et regem de errore liberare, et rogans, ut cultores veri Dei potirentur apud eum digno honore, semetipsum in hoc proponens exemplum, qui Deum omnipotentem quanta poterat instantia prædicabat : cui collum fidei debito jure subdiderat, eumque terribilem peccatoribus et blandum justis asseverabat verissima professione : unde et illum maxime timens et diligens, qui est terribilis, placidus, præ cunctis solus amandus, qui est solus in Trinitate adorandus, colendus, tremendus, venerandus et glorificandus, unus et verus Deus, maximam Christianorum curam habebat; superstitiones vero paganorum aversabatur in tantum, ut simulacra illorum ornata quondam in urbe Constantinopolitana publice ad ludibrium exponeret et tripodas Delphicos *x* in theatro ad spectaculum daret *y*.

etiam Constantinus extollitur. *t* * *al.* Usthazani *u* * *al.* suos *x* *y*

ANNOTATA.

a *Locus hic in nostro apographo corruptus est, vel ab ipso auctore perperam scriptus. Eum itaque sic restituo ex vulgata Jeremiæ* 38, ỳ 6 *et sequentibus* : Tulerunt ergo Jeremiam, et projecerunt eum in lacum Melchiæ, filii Amelech, F qui erat in vestibulo carceris : et submiserunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua sed lutum : descendit itaque Jeremias in cœnum. Audivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Jeremiam in lacum. Porro rex sedebat in porta Benjamin. Et egressus est Abdemelech de domo regis et locutus est ad regem, dicens : Domine mi rex, malefecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Jeremiam prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame; non sunt enim panes ultra in civitate. Præcepit itaque rex Abdemelech Æthiopi, dicens : Tolle tecum hinc triginta viros, et leva Jeremiam prophetam de lacu antequam moriatur.

b *Regionem hanc Baudrandus in Assyria; Pagius autem in Critica ad annum Christi* 46 *in Assyriæ et Mesopotamiæ finibus signat. Plura de illa collegit Cellarius in Notitia orbis antiqui tomo* 2, *lib.* 3, *cap.* 17, *quod est de Assyria.*

c *Adisis Josephum Antiquitatum Judaïcarum lib.* 2, *cap.* 2 *et Pagium ad annum Christi* 42 *num.* 7,

d *Cap.*

A d *Cap.* II ỳ 28.

e *De eo consule Baronium ad annum* 44, *num.* 66.

f Mesochorus, *Græce* μεσόχορος : *q. d. in medio chori existens vel præsidens, tamquam ejusdem præcentrix, ut ita loquar, seu coryphæa.*

g *De reliquiis his et aliis, quibus Sancta Belgicam donasse fertur, agit Commentarius prævius* § 10, *num.* 98.

h *In Vulgata Canticorum cap.* 5 ỳ 10 *est* : Dilectus meus *etc.*

i *Vide, quæ præmisi in Commentario* § 9 *num.* 85 *et sequentibus.*

k *Hanc ad effatum Zachariæ applicationem non probari a S. Hieronymo, monui ibidem numero* 83.

l *De profusissima Sanctæ in condendis ædibus sacris munificentia, actum est eodem* § 9.

m *Immo vero octogesimum ætatis annum nondum videtur integre explevisse, dum obiit, ex Commentario* § 11, *num.* 113.

n *Quæ ad piissimam Sanctæ mortem, ac ejusdem circumstantias attinent, dedi ex Eusebio* B *ibidem* § 10, *num.* 100.

o *Magnam hanc victoriam anno Christi* 322 *illigat Jacobus Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani pag.* XXII : *de qua collegit varia auctor Historiæ imperatorum in Constantino articulo* 46.

p *De Gothis a Constantino devictis tractatur in eadem Historia ibidem articulo* 48, *inter ea, quæ gessit Constantinus anno* 323.

q *Titulum crucis vere inventum fuisse, confirmatur in Commentario prævio* § 7, *num.* 69.

r *Controversia de baptismo Constantini discussa jam pridem est apud nos tomo* V *Maii, die* 20, *a pag.* 14.

s *Istius epistolæ exemplar exstat apud Eusebium in Vita Constantini lib.* 4, *cap.* 9 *et sequentibus, a pag.* 530 *editionis Valesianæ.*

t *Actum apud nos de illo est tomo* II *Aprilis, die* 21, *pag.* 844; *sed martyrium ejus accidit post mortem Constantini, si anno videlicet, prout ibi signatur,* 349 *innecti debeat : de qua re disputat Tillemontius tomo* 7 *Monumentorum ecclesiasticorum articulo* 4 *de S. Simeone, et nota* 2 *super eodem Sancto, affirmans annum esse incertum,* C *quo is martyrium obierit ; ac proin, quo S. Usthazanes ; uno ante illum die passus, ut præmiserat eodem articulo* 4, *et apud nos dicitur loco citato.*

u *De hoc episcopo, ac centum aliis Martyribus Persis etc. consule tomum nostrum, quem proxime indicabam.*

x *Historia poëtica a Gautruchio nostro Gallice conscripta, ac deinde ab alio item nostro Latine reddita, in rem nostram sic scribit lib.* I *cap.* 5 : Quod autem ad loca attinet, ubi Apollo sua reddebat oracula, Delphus præcipue memoratur : ibi templum videbatur, operis elegautia maguificentissimum.. Sacris in templo illo fungebatur sacerdos Phœbas dicta vel Pythia, et Pythonissa, quæ parvæ mensæ tripedali insidens, divino enthcata numine enthusiasmum ab Apolline accipiebat. Hæc meusa tripus nominabatur, et cortina, quod Pythonis serpentis exuviis coutegeretur.

y *Factum confirmatur ex Socrate, quem in Annotatis infra ad caput* 5 *citabimus* : Certe *inquit,* deorum simulacra ad ornatum urbis Coustantinopolitanæ palam proposuit, et tripodas Delphicos in ejusdem civitatis circo publicavit.

CAPUT V.

Laudes Constantini propter duas ecclesias constructas ; Helenæ, ob inventam crucem ; reliquiæ sacræ alio ab ea missæ ; obitus ; divina ejus charismata.

Denique geminæ charitatis dulcedine pollens fecit in eadem urbe duas ecclesias, quarum unam vocari voluit Hyrenem *a*, recognoscens donum pacis, quam gratiam Dei tribuere dignata est peregrinanti Ecclesiæ temporibus ejus. Nam græce Hyrene, latine dicitur pax, quam Domino nato uobis allatam et datam annuntiaverunt angeli cantantes : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis : alteram vero dici * E jussit nomine Apostolorum *b*, qui uobis exposuerunt traditam sibi a cælesti magistro pacem, relictione temporali, et donatione æterna : quique misericordiam et judicium Dei, ut veri et sancti prædicatores mundo manifestaverunt, et portantes pacem illuminaverunt patrias. Fecit igitur, ut dictum est, duas ecclesias in præfata urbe, unam, quam vocavit Hyrenem, id est pacem. Excusserat enim collum de tumultu dæmonum et vitiorum, et credendo in veram pacem adeptus fuerat summæ pacis donum.

Ecclesiam Irenes, a

* *al.* dicari *b*

51 Alteram vero vocavit Apostolorum, qui nobis attulerunt munera sanctæ * pacis. Attendat itaque lector, quanto fidei fastigio fuerit ferventer insignis Constantinus Augustus, et per gratiam Dei constanter invictus, cujus matrem quia tanta vis amoris Christi imbiberat, quanta dudum Mariam Magdalenem accenderat, et [quia] præsentem illum videre non poterat, intentionem suam ad inquisitionem vertit ligni, in quo Dominus noster cursum suum victor implevit. Quæsivit igitur prius, et minime invenit : perseveravit, ut quæreret, sicut et Maria Crucifixum. Unde et contigit, ut inveniret ista lignum crucis, in quo Deus homo exaltatus traxit omnia F ad se, per quod omnes adversitates repelluntur omnes benedictiones sacrantur, omnia charismata donautur : et quo facta est, ut Augustinus dicit, virtus sanis ad permanendum, virtus infirmis ad convalescendum, virtus morituris ad non timendum, virtus mortuis ad resurgendum, virtus denique ad effugandam et protereudam omnem potestatem inimici, quia in eo pependit, qui in sua patientia factus horum omnium sacramentum et exemplum conciliat nos Deo Patri, et existeus advocatus noster et judex Spiritum sauctum infuudit iu cordibus nostris.

et Apostolorum condit Constantinus :
* *al.* salutiferæ

52 Ergo sancta Helena opera charitatis omnibus exhibens, viscera misericordiæ sibi indueus, et perficiens * de die in diem, rediit ad filium Romam, de qua mitteus patriæ suæ sacratissima sauctorum Martyrum pignora, quæ ipsa voluisset afferre, si filius permisisset, uon annuente Domino, forte quia Gallia tanta privilegio fuerat indigna, in hoc adimplere votum suum Regina uequivit ; sed in Duvio *c* flumiue uavis, quæ arcam ferebat, naufragium passa : super quod flumen Vesontionum civitas est sita, facta est aqua multo tempore custos arcæ sauctissimæ, de quibus reliquiis

reliquias Helena in Galliam mittit.
* *al.* proficiens

A. ALMANNO. quiis pretiosissimis post plurimum tempus cum magna difficultate ab aqua sublatis, meruit insigniri prædicta ex parte civitas. Sed qui diutius affectu humanitatis moramur, ejus obitum prolongantes, quasi differri possit spatio temporis, quod nos differimus mora locutionis: si tamen mora dicenda est, qua prope nihil dictum est ad tam fortis Mulieris dignam comparationem, nec quod forte congruat operibus pietatis ejus, deficiente materia per ignorantiam et oblivionem, quam infert omnibus rebus vetustas, nisi succurrat scriptorum peritissima industria, solersque sagacitas. Sed non erant tacenda pauca, quia non poterant sciri plura bonitatis illius insignia. Reddimus igitur ei pignus nostræ devotionis, quæ tantopere studuit nobis prodesse, et scientes quod minime pendeant ex ea amaritudinis lachrymæ, sed dulcedinis multæ, certe quam diligimus inspiratione Crucifixi Domini nostri, et in ipso veneramur illam, jam pangit stylus noster ejus obitum, neque cadunt manus præ dolore a tali scriptura, quia illam veraciter credimus stabilitam in vita æterna, quæ post obitum conditionis humanæ vivit in
B Christo, relicta morte, quæ jamjamque absorbebitur in sæculi fine. Non itaque quasi nervos ad verba moventes ordimur textum defunctionis ejus, quæ bona opinione bonoque odore referta transivit ad gaudia cælestis vitæ, et quæ extinxit per gratiam Dei, dum in corpore vixit, conditionis humanæ querimoniam, dum dicit homo rationi: Cupio in spe confortari, sed nequeo humana pietate relinqui; præ oculis habeo lachrymas mortalitatis nostræ, quæ me frangunt, dum cinerem post hominem recolo, et quasi cineres haustos ad pectora verso; sed ratio superat, cum veraciter approbat, illos tunc melius et verius, immo solummodo tunc vivere, qui vivunt in Christo, relicto et deposito carnis onere. O quam feliciter istam querelam calcavit sancta Helena! quæ transiens ad cælestem patriam reliquit sibi obnoxiam in omni pietatis et devotionis dilectione præsentem Ecclesiam.

Piissime decedit *d*

53 Igitur, prout possumus, decoremus solemniter quasi quodam pincillo *d*, etsi non verborum eloquentia, saltem devotionis atque debitæ charitatis pictura transitum sanctæ Helenæ, quo per-
C venire meruit ad solemnitatem angelicam et Sanctorum societatem. Non ergo de hoc, quod accidit de sanctis reliquiis, beata Helena mente extitit consternata; sed Domini voluntatem, bonumque ejus placitum corde perfecto et optimo semper sequi desiderans, et indesinenter atque ferventer cum amplecti beatissima contemplatione cupiens, ut tandem audivit Dominum se vocantem sibique dicentem, Surge, propera, amica mea, formosa mea, speciosa mea, columba mea, et veni; jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit, jamque advenit tempus putationis tuæ, ut vinculis carneis absoluta ad me pervenias; quem bonum certamen certando, cursum consummando, fidem servando quæsisti, atque impleatur tibi, quod promisi fidelibus meis, quia qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego, diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Ergo ut audivit hæc interioris hominis auribus, præ multo desiderio, quo optabat dissolvi et esse cum Christo *e*, gaudens læta respondit: Concede, piissime Deus, ut numeratam * me inter filias Sion, jam tandem egredi sinas de turbulenta hujus mundi conversatione, in qua diu absens a te et peregrina, fideli tamen devotione te quæsivi. Tempus est, Domine Deus, peregrinari me a corpore, ut præsens te regem pacis et gloriæ, Dominumque virtu- D
tum merear cernere in diademate tuo fulgentem, non illo, quo coronavit te mater tua, sed illo quo resurgens a mortuis, ascendens in cælum permanes coronatus, sedens in pacis * dextera.

e

* *al.* inte-meratam

* *al.* Patris

ex hac vita: *f*

54 Libentissime sequor, Domine, illius dramatis *f* dictum: Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem: permitte, quæso Domine, egredi me de medio Babylonis, quæ in cælesti Hierusalem partem habere desidero. Utinam flores tuos videam in regione vivorum! qui immarcescibiles permanentes, amœnitate jucunda cum luce æterna in ea vernant ad exultationem perennem, ut videam te in bonitate electorum tuorum: scilicet [in qua bonitate] vident te in æternum electi tui: et hoc manibus extensis et corde intento precor, Domine, quia jam advenit tempus sectionis meæ. Jam enim flores apparuerunt in terra, tempus putationis advenit. Jamque tempus est, ut, amputato, et deposito carnis onere, sicut in te credo, spero, confido, videam bona Domini in terra viventium, quem ex toto corde semper desideravi in terra mortuorum, quæ ad agendam meam proximorumque salutem, pro qua, ô Domine Deus, agnus Dei E
filius Patris incarnari et mori dignatus es, quantum valui laboravi. Atque inter illas benedictiones, quibus filium adimplens in timore et amore divino animabat, et illas, quibus Dominum benedicens, glorificabat, et gratias pro universis bonis, ab eo sibi misericorditer collatis agebat, deponens onus carneum * cælo reddidit spiritum, cum adhuc essent in ore ejus benedictiones et gratiæ, VIII Idus Februarii *g*. Sic igitur beata Helena, quæ fuerat imitata speciem mortis juxta Apostolum, qui dicit, Mihi mundus crucifixus est [et ego mundo] quæ mortem Jesu in corpore suo circumtulerat, ut et vita Jesu in corpore ejus manifestaretur: operata enim in ea mors [quidquid] fuerat, ut operaretur et vita, absoluto certamine et finito labore, expletoque opere per cursum præsentis vitæ, post victoriam ad bonam transivit vitam, ut jam non sit illi contentio cum corpore mortis, sed sit firma permanensque sibi victoria de corpore mortis.

* *Ms. S. Martini et S. Maximini carnis*

g

divina charismata

55 Pinxerat enim Dominus muros ejus virtu- F
tum coloribus, sicut ipse loquitur ad Hierusalem: Ecce ego in manibus meis pinxi muros tuos; quando gratiæ suæ dono concessit ei firmissimos muros, quibus supereminens oculorum intuitu videret se unam [illarum] fidelium animarum, de quibus scriptum est: Ego civitas munita, ego civitas obsessa: aurium quoque auditum haberet in intellectu, et in moribus disciplinam: manuum denique officio vindemiaret myrrham suam, id est, mortificaret carnem suam; est enim myrrha, sepultura mortuorum, unde et Magi obtulerunt inter alia Domino myrrham, quem videbant assumpsisse carnem mortalem. Ergo beata Helena bis murorum instrumentis fœcunda exposuit Domino animam suam virtutum floribus ornatam velut hortum, et quæ haberet in se germinantem paradisum, unde et sæcularia destruxit, et spiritualia ædificavit, ideoque non accepit in vano animam suam, quod utique faceret, si destrueret sæcularia, et ædificaret corporalia, quæ semper ad ruinam intendunt: non enim habent fundamentum talia Christum Jesum Dominum nostrum.

in eam cumulatissime collata.

56 Igitur quia tali tantoque munimine per gratiam [Dei] munita est anima sanctæ Helenæ, quam nec principatus et potestates [mundi] aëriæ,

A. ALMANNO

A riæ, et rectores tenebrarum harum possent, dum peregrinaretur in corpore, vel dehiscere de muro suæ soliditatis, vel impedire recta gradientem, sive ad altiora tendentem, nec valerent deponere atque ad terrena revocare, idcirco exuta corpore, libertate pura secuta est Dei Verbum, agnum Dei, Filium Patris, usque ad consortium perpetuæ lucis, qua cum reliquis Sanctis hanc habet ineffabilem remunerationem, ut videat faciem Dei, et lumen, quod illuminat omnem hominem [venientem] quod est vita æterna et gloria sempiterna : certavit enim, ut appropinquaret anima sua Deo, [appropinquaret oratio et adhæreret illi suum desiderium, dum viveret in hoc seculo : ubi posita agonizavit omnimoda intentione meditando, legendo, quærendo copulari Domino Deo.] Ergo manet illi pro hoc ingens præmium in æternum, cum consortio civium supernorum in paradiso jucunditatis non terreno, sed cælesti; ubi secundum beatum Ambrosium, Adam, qui incidit in latrones, nescit jam vulnera

B sua flere : ubi et latro ipse regni cælestis consortio gratulatur, ubi nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, uulla ventorum procella, neque tenebræ, neque vesper, neque æstas, neque hyems vices variabunt temporum, non frigus, non grando, non pluviæ, non solis istius erit usus aut lunæ, neque stellarum globi, sed sola fulget ibi claritas Dei *h*.

ANNOTATA.

a *Scribendum* Irenen, *a Græco* Εἰρήνη, *quod* pacem *significat. Verum an ea vox hoc loco sumenda pro nomine proprio alicujus sanctæ* Irenes *ædi isti sacræ indito; an pro titulo pacis, quem ædes illa gesserit? Socrates lib.* 1, *cap.* 16 *Historiæ ecclesiasticæ pag.* 45 *editionis Valesianæ, dicens* In eadem urbe *(Constantinopolitana)* duas ecclesias ædificavit : alteram Irenes; alteram Apostolorum vocabulo appellatam; *per suum illud* μίαν ἐπωνόμασεν εἰρήνην, *quod est, in textu Græco, quæstionem non decidit. Constantinus illud templum primus non fundavit, sed ex antiquiore et parvo ad majorem amplitudinem et ele-*

C *gantiam istud evexit, teste Socrate citato lib.* 2, *cap.* 16, *pag.* 94 *in Constantio, sic scribens :* Per idem tempus imperator majorem ecclesiam fabricabat, quæ nunc Sophia dicitur. Est autem, conjuncta ei basilicæ, quæ cognominatur Irene quam pater imperatoris, cum prius esset modica, pulchram simul amplamque reddiderat. *De laudata ecclesia crudite non pauca congerit Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4, *pag.* 147.

b *Hujus ecclesiæ magnificentiam describit Eusebius in Vita Constantini lib.* 4, *cap.* 58 *et* 59. *Quibus adde, quæ de illa ecclesia collegit Cangius mox allegatus, pag.* 105 *et* 106; *et auctor Historiæ imperatorum in Constanlino articulo* 66.

c *Consule præmissa in Commentario prævio* § 10, *num.* 98.

d *Sic etiam lego in nostro apographo Ms. S. Martini Treviris, quod forte barbare hic formatum est ex Gallico* pinceau : *dicitur enim Latine* penicillus *vel* penicillum.

e Gaudens, *et reliqua, quæ hinc sequuntur usque ad* claritas Dei, *non esse in Ms. S. Maximini, invenio notatum in nostro apographo e Ms. S. Martini. Excipe tamen illa, de quibus dicam mox tit.* h.

f Dramatis, *videlicet sacri, seu Canticorum cap.* 3, ỳ 11.

g VIII Idus Februarii *non habetur in nostro apographo sancti Martini. Consule autem quæ Commentario prævio inserta sunt de die obitus* § 11, *num.* 112.

h *Hic notantur in nostro apographo S. Martini sequentia ex Ms. S. Maximini :* Inter illas benedictiones, quibus filium suum adimplens, in timore et amore divino animabat *etc.* usque ad benedictiones et gratiæ *(quæ vide supra num.* 54) *sine die mortis.*

CAPUT VI.

Cœlestis gloria, sepultura, apostrophe auctoris ad Constantinum; et ad populum Romanum.

E

Meritis ejus

Ibi itaque beata Helena gaudens et regnans post corporis absolutionem, videt præmium, quod suspirat, et inexplebiliter desiderat concentus angelorum; Verbum videlicet, quod in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat. Fuit namque per gratiam Dei, et quod hic quæsivit fide, spe, et charitate, ibi invenit diffusa solummodo charitate, in speciem et rem versa fide et spe : invenit enim ibi viventem apud viventem [id est] filium apud Patrem, et Spiritum sanctum thesauro nectareo et arcano de utroque procedentem. Non igitur sollicita est, aut esse jam poterit a peccatis seculi, ab iniquitatibus mundi, et a fluctibus corporalium passionum, quia ibi Spiritu suo sancto et justo meretur illum contemplari, qui est remissio omnium peccatorum. Nec est de morte sollicita, quæ facie ad faciem videt eum, qui dicit : Ego sum vita, et ad quem quicumque venerit, mortem non videbit in æternum; quia ipse est plenitudo divinitatis, qui ideo dignatus est in via bibere de torrente mortis nostræ, ut nos participes faceret vitæ suæ. F

58 Facile igitur videre poterit quicumque intenderit, cum quanta lætitia et alacritate sancta Helena transierit a sæculo, quæ multa filio pietatis mandata moriens commendabat, Apostolicam doctrinam nec in morte relinquens, quæ eam docuerat pietatem ad omnia utilem esse. Quippe quæ est habens promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ, quæ est norma vivendi, et forma Deum colendi. Ergo Mater sancta per pietatis exercitia pergens ad vitam futuram, pariterque æternam, committere certabat filio pietatem, habentem promissionem vitæ, etiam quæ nunc est : et parva enim et magna vita a Domino Deo est, ut per illam posset pervenire ad illam vitam, quæ permanet in æternum, et quæ, nedum succumbat ullatenus morti, ipsa absorbet in perpetua victoria mortem. Gratias Domino Deo, qui nobis tantam dedit victoriam per Deum Christum Dominum nostrum. Ad illam siquidem vitam pervenire volebat sancta mater Helena filium suum, adimplens eum novissimis benedictionibus, imitans Jacob et Moysen, salvo in illis intellectu de mystico sacramento Israël, et de vocatione gentium. Ergo in hunc modum sancta Helena complens sui corporis [cursum] migravit a sæculo, et pervenit ad Dominum,

respondet gloria cœlestis,

A. Almanno. Dominum, atque in illo perpetua jucunditate, et beatissima delectatione, atque perfectissima statione quievit.

XX. De loco sepulturæ, ac digressionibus auctoris

59 Ut autem superius diximus, docente Beda, authore Hieronymo, absque ulla dubietate expletis omnibus, propter quæ perrexerat Hierosolymam, reversa est Romam ad filium, ibique *a* explevit cursum vitæ suæ, ut transiens in cælestem patriam, videat quæ bona sunt in Hierusalem omnibus diebus vitæ suæ, atque sicut Historia tripartita, præfatusque Beda in Chronica sua, et liber, qui inscribitur Gesta Pontificum Romanorum, testantur, ibidem est sepulta a filio, qui conditam aromatibus sepelivit eam in Via Lavicana inter Duas lauros *b*, in vico Drepani *c*, quem vicum princeps Constantinus cognomine Matris dedicavit civitatem Helenopolim *d*, ubi ei fecit mansoleum, sculpens in petra sepulchrum miræ magnitudinis et operosæ structuræ, excellentiæ regiæ et dignitatis multæ: et bene inter Duas lauros, certe quæ semper geminæ charitatis ardore viridis extiterat. Congrue quoque in vico quondam Drepani vocato habuit sepulturam. Enimvero cum Græce Drepanos, falx interpretatur Latine, idem locus, qui de vico in civitatem
B
nomine * (al. nominetur), de falce autem significatione translatus est in lunam, quæ Græce dicitur Helenos *e*, illi etiam aptissime est deputatus ad sepulturam, quæ geminam divini examinis [falcem] æquitatis libra, sicut est hominis justitiæ, censens, studuit in hoc sæculo tripartita falce cogitationum, verborum et operum superflua resecare, castigare corpus suum cum Apostolo, et servituti subjicere, illud præ oculis habens: Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Et sciens quia si nosmetipsos judicamus, utique a Domino judicamur, ut non cum hoc mundo damnemur, atque isto modo judicamur a Domino per suam misericordiam ad salutem, non judicamur per [istud] judicium ad damnationem. Ipse enim est, qui habet utramque falcem messoriam scilicet et vindemiatoriam.

60 Isto itaque ducta (ea occasione) beata Helena, et hæc debita veneratione prænoscens, atque in patientia sua juxta præceptum Dominicum possidens, animam suam de vico istius sæculi, in quo peregrinatur Ecclesia, sancta operum bonorum exhibitione certavit transire ad civitatem cælestem supernam
C
Hierusalem, patriam et habitationem suam * (al. sanctam). Nec non et merito ei aptatum est sepulchrum purpurei coloris *f*, certe quæ ferventissima devotione, atque ea fide, quæ per dilectionem operatur, illi adhæserat, qui stola purpurea indutus apparuit in carne, et moriens in cruce pro nobis precium redemptionis nostræ sanguinem suum fudit; cujus fortissimæ mortis dilectioni dura sicut infernus æmulatione responderet, nisi ei gladius persecutoris defuisset: sed non defuit ei, ut supra jam diximus, martyrii palma, quæ et merito fidei, et constantia virtutis ac patientiæ, et vellet esse martyr et posset. Certe cum duo sint genera martyrii, unum videlicet in mente, alterum in mente simul et actione, unum diligentissime servavit, alterum votis ingentibus optavit, et multopere quæsivit, imo quæreret, nisi, ut diximus, spiculatoris animadversio defuisset. Verum et illud, quod servavit, posteaquam cordi ejus illuxit veritas, quæ Christus est, forte libenter in cælibe omnino vita servaret, nisi per divinam providentiam talis Constantino deberetur Mater. Cum enim sint duæ integritates in perfectione hominis requirendæ, una per incorruptionem carnis in corpore, altera per sinceritatem inviolatæ veritatis in mente, sicut istud, quod amplius est, omni vigilantia custodivit, sic et illud forsitan summa castimonia custodiret, nisi divinitus imperii mater fuisset ejecta. D
Sed et illud voce turturis doluit in terra nostra, dicens cum Propheta: Anima mea desideravit te in nocte.

61 Ergo et turtureo gemitu clamavit (adjectis.) ad custodem, qui de nocte vigilans populum suum sempiterna custodia tuetur, et quasi in nocte illis dormientibus vigilat, ne hostis irrumpat, et columbino tractu atque gregatu per diem institit exemplo esse aliis Dominum orandi, et die noctuque in lege Domini meditando, in eo proficiendi, sicque bonorum laborum gloriosum consequi fructum. His ita omnimoda certitudine videndum est, quod talem [se omnibus] exhibuit Ecclesiæ Dei, ut quamvis careret in ferculo veri Salomonis ascensu purpureo, haberet tamen in ea verus Salomon columnam argenteam, Apostolica dicta, ut debet mulier fidelis, in subditione et silentio audiens, et discens; sed ut virilis animi femina pro imperialis excellentia dignitatis, et fidei charitatisque devotione etiam aliis intimans, haberet et E
reclinatorium aureum, quia intellectu mystico et sincero prædita, et duorum Testamentorum uberibus edocta, velut aurum refulsit in sancta Ecclesia. Certe et media ferculi constravit charitate verus Salomon propter filias Hierusalem, in quibus ista emicans caritate insignis, et fide præcipua apparuit Christi in Ecclesiæ corpore membrum esse. Tali igitur modo secuta doctrinam Apostolorum, in vita sua illis adhærere contendit, devotissime et feliciter promeruit etiam per locum sepulturæ.

XXI. Ejusdem apostrophe ad Constantinum,

62 Sepelis igitur, Constantine, Matrem tuam, cui mors, duce Christo, in cælum facta est iter; ubi cum angelis ducit ævum, quæ sic vixit in corpore, ut luctum afferret malis, gaudium bonis; quæ in sui corporis conformatione magnitudine atque loco reformationi operam dedit; continuationem magnæ spei cælesti vitæ junxit, locumque malitiæ fugiens, regionem vivorum locum suum esse cognovit, atque instrumento mortis pretiosæ tali, qualem docet Apostolus, beata Helena reformatione, et spei magnitudine locique consideratione ad ipsum Deum, lumen æternum, pervenire meruit. Tandem ergo Constantine, sepelis matrem in vico Drepani, quæ F
meruit per gratiam Dei obtundere atque reprimere torvam falcem Judæorum, quæ ut crucifigere posset Dominum, non dubitavit secum interficere segetem suorum nepotum, imprecans in Dominica passione, dicensque: Sanguis [ejus] super nos, et super filios nostros. Sepelis matrem, cujus meritis, auxiliante gratia Dei, consecutus es monarchiam Romani imperii, quæ te etiam moriens pietate accendere atque benedictionibus accumulare certabat, exhortans te monitis sanctæ pietatis certare quatenus satageres, ut cujus misericordia terrenum obtinebas imperium, ejus gratia pervenire posses ad regnum æternum. Quo illa te præcedebat, et quo ut intenderes ferventerque anhelares, totis visceribus et præcordiorum suorum gemitibus Dominum exorabat; et ad hoc materna te pietate monebat, cujus sepulturam lacrymæ doloris non implent; [quoniam quæ] moriens plena dierum, æternæ lucis penetraverat gaudia, eam dedecus erat presequi per funerea lamenta.

63 Verum istud referimus ad spem bonam; sed

A sed si mentis intuitum reflectimus ad conditionem humanam, occurrit nobis in sepultura sanctæ Helenæ omnis multitudo populi Romani cum Constantino Augusto. Itaque prosequebantur corpusculum beatæ Helenæ cantibus hymnorum. Sed quis potest, o Romani, nostras * siccare lachrymas, cum eam prosequamini ad sepulturam, quæ vos visceribus et sinu pietatis fovebat, et omnibus vobis et singulis in sancto proposito mater erat, et quæ vos apud idem super alias (omnes) gentes suis precibus et meritis exaltare cupiebat : cujus denique filium gavisi estis esse principem vestrum, qui per gratiam Dei, meritisque suæ matris Helenæ meruit persecutionum diversarumque vestrarum cladium ultor et terminus esse. Quo dolente, quis vestrum poterat non dolere? O Constantine, qui sceptro antiquitatis meruisti per gratiam Dei, et potuisti regere imperium Romanum, quomodo poterant Romani parcere lachrymis, et siccare oculos, te flente *g* pro conditione humana, et Matris piissimæ corpus ad sepulturam prosequente, debitasque exequias exhibente?

et ad populum Romanum

* *al.* vestros

g

de morte S. Helenæ.

64 Sed erige animum in spem bonam, et affectu pietatis atque constantia fidei imitare matrem, si B et hic vis regnare coram Deo, et in futuro apud Deum. Talis namque matrem tuam decoravit finis, ut et pietas sit, eam in sua morte flere, et pietas etiam cogat de ejus morte gaudere. Mortua etenim est delectabiliter, quæ post agnitionem Verbi divini multum vixerat patienter, et eo usque contendit virtus cum mœrore, ut et flentibus facilis indulgentia veniat, et gaudentibus perpetua congratulatio maneat. Quippe cujus anima paradisum possideat in æternum. Neque enim in hoc te (ita) prosequimur, Constantine, ut imitemur poëtas, qui hoc solum mali attulisse queruntur, quod lamentantes inducunt fortissimos viros : molliuntque nostros et legentium quorumcumque animos, et nervos totius virtutis elidunt, cum per disciplinam deliciosam accedunt ad vitam delicatam : si tamen disciplina dicenda est, cui deest constantiæ virtus. Neque ad hoc arcemus philosophos hujus vitæ, qui cum voluissent videri virtutis magistri, summum malum dolorem dixerunt. Verum, o imperator, virtute constantiæ pressisti dolo- C rem, nec attulit tibi mœror confusionem, quia certa et secura spe cordis tui sciebas transisse matrem tuam ad lucem perpetuam temporumque æternitatem. Ergo in hunc modum sancta Helena reversa Romam, obiit transeuntem diem, et migravit ad diem æternum, in quo felici contemplatione videtur Deus deorum, atque tali tenore sepulta corpus reddidit tumulo, animam intulit cælo. Haud dubium quin adepta sit consortium angelorum in vita cælesti apud Deum.

A. Almanno.

ANNOTATA.

a *De loco mortis disserit Commentarius prævius* § 11.

b *Hic sepulturæ locus alibi etiam indicatur; sicut ibidem invenies* § 13, *num.* 124.

c In vico Drepani *etc. Inepta enimvero connexio! quam nec ego intelligo, nec ipsemet Almannus satis intellexit.* Drepanum *quippe in Bithynia probabilius fuit locus natalis* S. Helenæ, *ex nostro Commentario prævio; quem adi* § 1 *et* 2. *Eidem loco nomen* Helenopolis *fuisse a Constantino inditum in memoriam* Helenæ, *dictum est* § 2, *num* 14 : *de situ autem ejusdem loci agitur ibidem. Quæ quis combinet cum Almanno? Unde* E *ineptæ sunt allusiones ejus, quæ proxime sequuntur.*

d *De Sanctæ mausoleo in agro Romano mentio facta in Commentario* § 13, *num.* 124. *Etymon est a* Mausolo, Cariæ rege, *cui,* mortuo Artemisia uxor sepulchrum tanta operis magnificentia extruxit, ut inter septem orbis miracula fuerit numeratum. Ab hujus autem operis similitudine sepulchra omnia sumptuosiora, mausolea sunt appellata; *uti Gautruchius supra citatus observat lib.* 3 *cap.* 2.

e Helenos, *immo* σελήνη.

f *Sive* porphyreticum, *ut dicitur in Commentario num.* 124 *mox citato; id est,* e lapide in modum purpuræ rubentis.

g *Obiit Sancta* præsente et adstante ipsi tali tantoque filio, et omni obsequiorum genere matrem fovente, manusque ejus amplectente, *ut ibidem habes* § 10 *num* 100 *ex Eusebio : ubi de Constantini lacrymis nihil dicitur : nihil item* § 11 *in initio; ubi ex eodem auctore actum de depositione corporis* S. Helenæ : *nihil denique de Constantino*, matris... corpus ad sepulturam F prosequente, *ut proxime hic sequitur.*

GLORIA POSTHUMA

E VARIIS CORPORIS TRANSLATIONIBUS

§ I. Inter plures translationes celeberrima est Altivillarensis in Gallia; rei gestæ annus, ac scriptor.

Post corporis depositionem Romæ

Prima corporis depositio, *et* S. Helenæ *ex hac mortali vita migrationi proxima, accidit Romæ, quo illud deportatum fuit jussu Constantini, secundum ea, quæ supra* § 11 *ex Eusebio retuli. Si Nicephoro Callisto credimus, idem corpus biennio post inde Constantinopolim translatum est : nam Ecclesiasticæ historiæ lib.* 8 *cap.* 31 *hæc memorat :* Extra urbem Romanam sepulta, in templo rotundo porphyretica urna deposita, atque biennio post una cum urna Constantinopolim deportata est, prima ipsa in imperialia monumenta ædis sanctorum Apostolorum illata, lætisque posthac atque etiam nocturnis memoriis, ut par erat, celebrata. *Si, inquam, Nicephoro Callisto credimus; nam translatio ista non exiguis obnoxia est difficultatibus, prout planum fiet ex sequentibus. Alii ante illum litteris prodidere, illam in dicta ecclesia sepultam fuisse : nam Theophanes in Chronographia pag.* 21 *ita memorat :* Sepulta est Constantinopoli in æde sanctorum

Ex variis documentis. ctorum Apostolorum, quam filius ejus Constantinus, ut imperatores Christiani ibi post obitum humarentur, construxerat. *Cedrenus autem in Historiarum compendio pag.* 295 *hæc scribit :* Sancta atque beata Helena ad Dominum commigravit... ac prima omnium est in templo Apostolorum sepulta. *Cangius lib.* 4 *Constantinopolis Christianæ pag.* 109 *e codice Ms. Originum Constantinopolitanarum, inter imperatores qui in Herois, uti ibi vocantur, tumulo mandati sunt, refert,* S. Helenæ *ac S. Constantini corpora in eodem tumulo deposita esse. Posset huic translationi suffragari error Socratis, de quo dixi* § 11 *num.* 103, *et ipse error inde excusari, si modo satis de eadem constaret.*

fertur Sancta Constantinopolim, et inde Venetias

2 *Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4 *pag.* 147 Chronicum Ms. Andreæ Danduli anno MCCXII *allegat, in quo notentur ista :* Octavo Ducis anno S. Helenæ de Venetiis Aicardus Regularis canonicus de Constantinopoli corpus ex monasterio, suo nomini dicato, subtiliter abstulit; quod Venetias translatum in suo recondidit monasterio. B *Addit Petrus de Natalibus lib.* 7 *cap.* 73 *monasterium, ad quod dicitur translatum Sanctæ corpus, nomine ejus fuisse appellatum. Sic enim apud eum lego :* In temporis... processu de ipsa urbe regia a Venetis translatum esse fertur Venetias ipsum corpus; et sepultum jacet in monasterio suo nomini ædificato. *Quod autem Veneti credant, se corpus illud asservare; illudque ibidem in veneratione esse, eruo e Baronio ad annum* 849 *in fine, ubi sic habet :* Veneti... illud ab Oriente delatum, possidere se gloriantur, quod et digno cultu prosequuntur. *Sed præterquam quod pro translatione corporis ad urbem Constantinopolitanam non sciam antiquiorem auctorem nominari, quam Theophanem, Eusebius etiam magnam præbet ansam credendi, Constantinum non condidisse mausoleum, in quo fuerit depositus, et ubi ante illum sepulta, ut vidimus, fertur* S. Helena, *nisi sub extrema tempora vitæ.*

translata; sed hæc non satis probantur.

3 *Audiatur itaque Eusebius Vitæ Constantini lib.* 4 *cap.* 60 *pag.* 556 *:* Sed et aliud quidpiam in mente habens, ædem illam construxit; quod initio quidem obscurum, tandem vero omnibus sub finem innotuit. Quippe hunc sibi locum post mortem designaverat, incredibili fidei alacritate C prospiciens, ut corpus suum commune cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur : quo scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas... erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit... His ille diu sagaci mente antea dispositis, ædem Apostolis consecravit... et in hujusmodi operibus perstantem usque ad exitum vitæ, Deus... opportune tandem cum ad meliorem sortem transferre dignatus est. *Non itaque apparet satis ad verum accedere, quod optimus imperator jusserit corpus suæ matris transferri in illud sepulcrum, vel duobus post ejus mortem annis, utpote anno circiter* 330 *aut* 331, *quando nimirum ecclesia Apostolorum necdum erat fortasse inchoata (Vide quæ dixi superius* § 11*) vel etiam postea. Enimvero altum silet de ista re Eusebius loco mox citato. Quod si Constantinus id non fecerit; quis alius post eum imperator id fecit? Fecisse id certe alium ex ejus decessoribus, hactenus saltem non vidi probatum. Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4 *pag.* 108 *controversiam hanc obiter tangit; nihil autem decidit.*

4 *Ad occidentales quod spectat; certum est, neutiquam eis omnibus persuasum fuisse, quod* S. Helenæ *corpus Constantinopoli exstiterit seculo* IX *; sicut perspicuum sit e celeberrima ejusdem translatione in Galliam ad abbatiam Altivillarensem (vulgo Hautvillers) Ordinis S. Benedicti, ad Matronam fluvium, quarto milliari ab urbe Remensi (quæ est metropolis Campaniæ in Gallia) sitam, prout videre licet apud Mabillonium Actorum Benedictinorum seculo* 2 *pag.* 831. *De istius cœnobii fundatione et abbatibus tractatur apud Sammarthanos tomo* 4 *Galliæ Christianæ a pag.* 32. *Locum laudat Almannus, ejusdem asceta, in historia miraculorum, quæ refert accidisse, quando* S. Helenæ *corpus Roma ad illud monasterium fuit translatum, cujus rei historiam pluribus ex ipso postea daturi sumus. Quam vero nomen insigne translatio Altivillarensis obtinuerit, conficitur e sacris Fastis, in quibus eadem annuntiatur.* D

Celeberrima est translatio

ad monasterium Altivillarense prope Remos :

5 *Etenim in nostro tomo* II *Februarii inter Prætermissos ad diem* VIII *ejusdem mensis pag.* 152 *jam pridem monuimus,* S. Helenæ augustæ translationem in Adonis appendice, vulgato *sub nomine* Bedæ Martyrologio, aliisque nonnullis consignatam hoc die, uti et VII Februarii. *Molanus in additionibus an Usuardum a se editum sic eam die isto* VII *memorat :* Eodem die, S. Helenæ corporis adventus ad Altovillare monasterium, quæ mater Constantini imperatoris existens *etc. Saussayus in suo Martyrologio Gallicano hanc translationem die* VII *Februarii refert his verbis :* In territorio Remensi, monasterio Altovillari, susceptio corporis S. Helenæ augustæ *etc. : quo etiam die Remis signat translationem illam e Molani additionibus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt. Bollandus autem noster inter ea, quæ de sæpe dicta translatione notata reliquit manu propria,* Solet, *inquit,* in ecclesia Mechliniensi, Antverpiensi, et aliis (ut ex veteribus earum Breviariis colligo) hæc de ea recitari collecta : « Deus, qui inter ceteraa potentiæ tuæ miracula etiam sexum fragilem virtute rectæ intentionis corroboras; præsta, quæsumus, ut exemplo S. Helenæ, Christianissimæ reginæ, cujus studio desideratum Regis nostri lignum detegere dignatus es, ea, quæ Christi sunt, jugiter indagare atque consequi, te favente, mereamur. Per etc. ». *Apud nos item ad diem* XXII *Maii tomo* V *ejusdem mensis pag.* 127 *invenies in Prætermissis Sanctæ elevationem Romæ, et translationem in Gallias, de qua hic agimus, indicari a martyrologis ibidem citatis,* et ritu Duplici coli Cracoviæ in Polonia. *Juvat nunc inquirere, quando translatio ista acciderit.* E F

quo anno

6 *Apud Sigebertum in Chronico ad annum* 849 *de illa sic scribitur :* Sancta Helena imperatrix a suo filio Constantino magno... Romæ in ecclesia SS. Marcellini et Petri martyrum, in mausoleo purpureo sepulta, ad Franciam a Thaogiso monacho transfertur, et in diœcesi Remensi magna Francorum veneratione excolitur. *Sigebertum sequitur Baronius, quem in fine istius anni citat, addens,* de ejus corpore inter Latinos et Græcos antiquam esse controversiam, ubi sepultum fuerit; *de qua re consuli potest noster Commentarius prævius supra* § II. *In Chronico item Turonensi, quod exstat apud Edmundum Marténe in Veterum scriptorum amplissima collectione tom.* 5 *col.* 966 *translatio ista innectitur anno Lotharii nono, qui anno* 840 *post obitum patris sui Ludovici augusti cœpit in Francia regnare.*

A *gnare. Verum huic temporis rationi repugnat Almannus, scriptor synchronus, dum in uno e nostris apographis, quæ eum ipsius nomine asservamus, in narratione translationis Altivillarensis, proxime hic a nobis excudenda, sic narrat :* Evoluto igitur plurimo tempore... usque ad annum Dominicæ Incarnationis DCCCXL *etc. Et inferius :* Ex edicto et consensu totius Remensis ecclesiæ, et vice-domini nomine Parduli auctoritate, qui fuit postea Laudunensi episcopus (Nam sine benedictione episcopali Remensis civitas tunc temporis erat) nec non ex consensu prædictæ congregationis mittuntur ad urbem Romam de eodem Altovillari monasterio, quod jam pollebat reliquiis pretiosi corporis, duo fratres, et monastica religione probati, et sacerdotali munere conspicui, et tertius tantum monachus, ut in ore duorum vel trium testium staret etiam hoc verbum *etc. Vacabat itaque sedes archiepiscopalis Remensis, ubi res illa accidit, atque adeo non accidit anno Christi* 849.

illa acciderit

7 *Parachronismum hunc jam pridem notavit ac reprobavit Marlotus tomo* I *Metropolis Re-* B *mensis lib. 3 cap. 25 ita scribens ad annum* 848 : Sacratissimis Helenæ magni Constantini matris Altumvillare cœnobium eo tempore contigit ditari pignoribus, quo Remis Hincmarus præstantissimum Francorum Apostolo parabat Mausoleum. Sigebertus scribit ea in Gallias advecta anno DCCCXLIX. At auctor synchronus, qui translationis seriem Hincmari jussu posteritate consignavit, refert id factum archiepiscopali sede vacante; profert *Frodoarbatas* vero reliquias aquæ judicio (ut Frodoardus loquitur) Hincmaro ad præsulatum assumpto : quo fit, ut in hunc locum totius rei narrationem consulto remiserim. *Bollandus paullo ante allegatus ita rem probat, ac pluribus deducit :* At non eo anno (*videlicet* 849) facta hæc translatio; sed DCCCXL... vel DCCCXLI. Nam qui DCCCXL Romam versus profectus est Theotgisus, attulit eas ad Altumvillare reliquias, cum vacaret sedes Remensis.

inquiritur :

8 Atqui anno DCCCXXXV in concilio apud Theodonis villam damnatus ejectus Ebbo, post Ludovici Pii mortem, quæ accidit anno DCCCXL, XX Junii, ad Lotharium ejus filium venit, qui sedem ei mox restituit edicto dato in Ingilenheim, C subscriptoque a viginti episcopis XXIV Julii eodem anno DCCCXL; tenuitque eam Ebbo anno fere integro; donec audiens Carolum Calvum antea a Lothario fratre pulsum, resumptis viribus in Belgicam adventare, iterum ad Lotharium fugit, anno scilicet DCCCXLI. Sicque autistite destituta est ecclesia Remensis; donec anno DCCCXLV electus est Hincmarus monachus S. Dionysii, qui obiit anno DCCCLXXXII. Hinc patet, anno DCCCXLIX non potuisse Remos episcopo carere. Deinde Pardulus, qui, cum facta est translatio, adhuc erat vicedominus Remensis, anno DCCCXLVIII interfuit concilio apud Carisiacum jam Laudensis episcopus. *Hæc Bollandus in Ms. Adi tamen quæ jam pridem ab ipso edita sunt apud nos tomo* III *Februarii, die* XXIII, *pag.* 374, *ubi observat,* si VII Februarii allatæ sunt cælestes illæ exuviæ Altvillare, uti in quamplurimis Martyrologiis ac vetustis Kalendariis annotatum; perspicuum esse non nisi anno DCCCXLII id contingere potuisse; cum alioqui mense Februario anni DCCCXLI non careret Remensis ecclesia pastore. *De Almanno, qui historiam translationis conscripsit, nonnulla etiam observare placet, præter ea, quæ de ipso habentur in nostro Commentario prævio* § 14.

9 *Trithemius lib. 2 De viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 50 ita Almannum laudat :* Almannus monachus Altvillarensis, in Scripturis sanctis admodum cruditus, et in secularibus doctrinis sufficienter instructus, ingenio clarus et comptus eloquio, rhetor et poëta insignis : scripsit... Vitam S. Helenæ reginæ lib. I... Claruit anno Domini DCCCXC. *De Almanni factis et scriptis agit Mabillonius tomo 3 Annalium Ordinis S. Benedicti ad annum 868 num. 89; in cujus tomi appendice pag. 677 epitaphium ejus profert. De eodem etiam videri potest laudatus Mabillonius Veterum analectorum tomo* 2 *pag. 95 : ubi ex Necrologio Altivillarensi, ad diem* XXII *Julii, quo die obitus ejus ibi dicitur consignari, ista de ipso scribuntur :* Commemoratio domni Almanni, nostræ congregationis monachi, qui Franciam suo tempore a Normannis devastatam, exemplo Hieremiæ quadruplici planxit alphabeto. Scripsit etiam Vitas sanctorum Nivardi archiepiscopi Remensis, Syndulfi presbyteri solitarii, beatæ Helenæ imperatricis, ejusdemque corporis ab urbe Roma ad monasterium Altivillarense translationem. et alia opera. *Historia vero hujus translationis* E *notatur in nostro apographo esse accepta* ex Ms. S. Benigni Divion., et Vallis Lucentis. *Titulus hic eidem prænotatur :* Qualiter corpus sanctæ Helenæ allatum sit ad patriam Galliæ. *Eadem historia in Ms. nostro S. Martini, de quo meminimus supra Commentario prævio* § 14 *in fine, habetur etiam cap. 22; et cum hoc exemplar, quod typis committimus, a nobis collatum est. Indico obiter, monasterium* S. Benigni divionensis *esse Ordinis S. Benedicti;* Vallis *autem* Lucentis *(vulgo* Vau-Luisant, *in diœcesi Senonensi Galliæ) Cisterciensis. De primo consuli possunt Annales Benedictini a Mabillonio editi; de altero autem Jongelinus in Notitia abbatiarum istius Ordinis lib.* I, *pag.* 43.

Ex variis documentis, ejusdem scriptor.

§ II. Historia Translationis ad cœnobium Altivillarense,

Auctore Almanno ejusdem cœnobii monacho, F

e Ms. cœnobii S. Benigni Divionensis, et Vallis Lucentis, cum apographo Trevirensi S. Martini collata.

Evoluto igitur plurimo tempore a die mortis suæ, quæ accidit inter vicennalia et tricennalia Augusti filii sui, usque ad annum Dominicæ Incarnationis octingentesimum quadragesimum; cum juxta bonum placitum divinæ dispositionis, placuisset Domino Deo, de reliquiis tam pretiosi corporis, nobilitare, insignire, et exaltare partes Belgicæ secundæ, illius scilicet corporis, quæ fuerat nata in partibus primæ; accidit, ut inspiratione divina, quidam sacerdos Remensis parochiæ, nomine Theogisus *, causa suæ salutis suum festinaret Domini reddere votum, Romam visere limina Apostolorum, ob remedium animæ, et incolumitatem corporis sui talique * instinctu cum cælitus fuisset accensus, eo usque

Theogisus Romam profectus

* al. Theutgisus

* al. tali namque

Ex variis documentis.

usque fuit animatus, ut lustrans Apostolorum limina, etiam sanctæ Helenæ sibi quæreret suffragia. Et licet prius per quinquennium continuum tantæ debilitatis laboraverit morbo, ut de vita desperaret, nedum Romam eundi ullam spem habere potuisset, arrepto tamen itinere, cœpit de sanitate pristina recuperare?

corpus S. Helenæ clam aufert,

11 Ivit igitur, tandemque pro voto suo pervenit ad Urbem meritis sanctæ Helenæ fidens, et nitens ingentibus votis, atque inter cæteras Sanctorum basilicas multa circumspectione cœpit sollicitus perlustrans indagare gratia orationis, et (ut erat) omnimodo ecclesiam, in qua sanctæ Helenæ [erat] permanens sepulchrum, corpus * ipsius erat tunc regia dignitate sepultum, si forte aditum inveniret, quo desiderium suum posset adimplere. Ergo agens se in hunc modum secreta cordis nemini pandens, sed Deo soli pro efficaciæ munere committens, secundum placitum bonitatis ejus, concedente divina clementia opportunitatem invenit, et velut cum Syrophœnissa furtum fidele peregit. Neque in hoc longa extitit temporis difficultas. Siquidem vespertino tempore ingressus orationis gratia, tribuitei Deus egregiæ dona rapinæ. Sicque per secreta noctis silentia festinavit remeare ad suum diversorium.

** f. corpusque*

B

et defert in Galliam, comitantibus signis.

12 Mane autem facto, aggressus est iter redeundi ad propria. Ut vero prolixitas itineris dedit spem securitatis, quanta valuit reverentia sanctarum reliquiarum thecam levavit, et populi debitam adeptus frequentiam, sanctæ Helenæ notum patefecit adventum, ipsa manifestante debitam magnificentiam operibus virtutum, quas per illius merita operabatur Dominus ad laudem et gloriam nominis sui. Nec mirum, sanctam Helenam clarere virtutibus almis, jam regnantem cum Christo in cælis; cui datum est per sanctæ crucis inventionem, de diabolo triumphare, cum adhuc viveret in terris. Ergo jure comitabantur signa et virtutes illud iter per merita beatæ Helenæ, factæ ad laudem, et gloriam Domini Dei nostri. Verum ut pervenit ad dispositos nostræ patriæ fines, utilitas dubietatis innascitur pectoribus plurimorum, quomodo posset fieri in femina tantæ sanctitatis in Deo, ut etiam lignum sanctæ crucis

C

meruerit invenire; et tam magnæ altitudinis et nobilitatis in sæculo, adeo ut fieret mater imperii, et domina orbis, tam exigui presbyterii manibus tractaretur.

Dum vero dubitaretur, an illud corpus esset S. Helenæ,

13 Ergo in hunc modum dubitantibus multis præ magnitudine rei, et dicentibus, non posse fieri, ut, quæ extiterat filia Ecclesiæ, conversione et fide, soror autem devotione et conversatione, mater vero propter inventionem sanctæ crucis, et hoc secundum Deum, a quo consecuta est regnum æternum; cæterum secundum dignitatem et honestatem præsentis vitæ, mater imperii et domina totius orbis; tam modici sacerdotis manibus posset aliquo modo contingi, et ad nostram patriam deferri. Ergo in hujusmodi dubitationis, altercationisque conflictu persistentibus multis, causa multæ necessitatis, ne populus hujus erroris nævo deluderetur, fit conventus Remensis ecclesiæ, revolvuntur historiæ, profertur in medium mappa Romanæ urbis, sciscitantur ad invicem, interrogant, quærunt, consulunt, et veritatis auxilio perducuntur ad certitudinem omnimodam, reversam eam fuisse Romam ad filium, et sic obisse, ibidemque in loco notissimo habuisse nobilissimum sepulchrum.

14 Et quoniam mirabili suorum meritorum virtute, quæ rexerat se ferentes * per tenebrosa pericula mortis, * [et] cum haberent utrimque paratum exitium, si deviarent paululum, jam erat deportata a Villa Falesia ad cœnobium Altumvillare dictum; nascebatur inde facilis invidentia, quod debebatur tantum pignus potius urbi excellentissimæ, quam monasterio, ut dicebant, parvulo. Ea de causa grassabatur infidelis contentio. Sed monachi Altovillarenses, freti pietate, Deum timentes, et veritati per omnia adhærentes, tam pro conflictu totius Ecclesiæ, quam pro adipiscenda rei veritate, confugerunt ad Dominum, qui eos dignatus est tanto suffragio honorare; et consensu religioso decreverunt fieri, et exegerunt a seipsis jejunium, letanias sibimet indixerunt, et Missas pro hoc ipso multa devotione Domino celebraverunt. Atque jejunio peracto quæritur judiciali examinatione veritas hujus rei: et per gratiam Dei panditur veritas, et omnifariam roborata triumphat veritas, atque a manifesta veritate destruitur omnis invidens, pariterque inficiens falsitas.

D

ac quo esset pignus illud sacrum deferendum, orta esset contentio;

** al. conferentes*

** al. noctis*

E

Deo Altivillarensibus favente, ad eorum cœnobium delatum est.

15 Nam Deus omnipotens, qui beato Nivardo contulit gratiæ suæ donum, ut prædictum monasterium angelica revelatione et manifestatione construeret, in quo juste et pie viventes in monastica religione viri probati expectarent beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi; contulit etiam ipsius monasterii fratribus incrementa salutis, dirigens illis venerabile pignus beatæ Helenæ, et defendens illos super hac re ab omni livida falsitate. Gaudeant igitur in Domino fratres prædicti monasterii, etiam pro tanto beneficio; serviantque illi in justitia et sanctitate, quoniam per multa charismatum dona dignatur Dominus se manifestare illis fore propitium in æternum, si contenderint illi placere exhibitione bonorum operum. Sed ad proposita redeamus.

Mittuntur Romam, qui veritatem corporis inquirant. Reduces vero eam confirmant,

16 Verum ne præfata examinatio minor esset, quam sufficere posset ad certitudinem totius populi, ex edicto et consensu totius Remensis ecclesiæ, et vice-domini, nomine Parduli, auctoritate, qui fuit postea Laudunensis episcopus, (Nam sine benedictione episcopali Remensis civitas tunc temporis erat) necnon ex consensu prædictæ congregationis, mittuntur ad urbem Romam de eodem Altovillari monasterio (quod jam pollebat reliquiis pretiosi corporis) duo fratres, et monastica religione probati, et sacerdotali munere conspicui, et tertius tantum monachus, ut in ore duorum vel trium testium staret etiam hoc verbum; qui hæc omnia, in quibus dubitatio fuerat de beata Helena, tum secreto tum diligenter inquirerent, et sibi quantocyus renuntiarent. Post non multos igitur dies prædicti fratres redeuntes ab Urbe, non solum veritatis indaginem, sed etiam geminatum gaudium retulerunt. Attulerunt etenim sacrum corpus beati Polycarpi presbyteri, qui in collegio beati Sebastiani, prædicatione, baptismate, et exemplo multis fuit ducatus ad fidem rectam, ac per hoc pariter ad vitam æternam. Itaque attulerunt illud cum reliquiis præfati beatissimi Sebastiani martyris, et Sancti Urbani, atque Quirini, qui uterque Papa gloriosus existens, martyrii palma mercati sunt gloriam sempiternam.

F

et Sanctæ corpus apud Altivillarenses depositum manet.

17 Sic Deo omnipotenti placuit misericorditer visitare, insignire, et exaltare Altumvillare monasterium, quod ipse quondam angelica (ut dictum est) revelatione, et manifestatione, quam vidit venerabilis abbas Bercharius, postea pretiosus

A tiosus martyr Domino effectus, a sancto Nivardo constructum, voluit deputare lucris animarum electorum suorum ad perennem gloriam, et vitam æternam: ubi est a devotis fratribus ecclesia constructa in honore, et veneratione, atque nomine beatæ Mariæ semper virginis, et beati Joannis Baptistæ, et hoc [ab] antiquo, primoque loci ipsius fundamento; in qua ecclesia habet sancta Helena pro loci possibilitate mausoleum: ubi pie petentibus, bonaque fide, et devotione quærentibus dantur salutis auxilia, et præstantur sanitatis beneficia, auxilante Domino nostro Jesu Christo pro nobis crucifixo: cui est cum Deo Patre et Spiritu sancto paracleto omnis salus, honor, et virtus, omnis gloria, potestas, et imperium; omne decus, claritas, et regnum; omnis gratiarum actio, laus et jubilatio, summa fortitudo, sublimitas, et benedictio per immortalia, æterna atque infinita secula seculorum. Amen.

Variæ in relatam historiam notationes.

18 *Sequebatur hic, et in apographo S. Martini, mira piscatio; sed eam dabimus postea ex alio Ms., quando agemus de gloria Sanctæ* B *posthuma ex miraculis; ubi referemus multas res mirabiles, quæ acciderunt in itinere superius obiter narrato, sed in alio isto Ms. egregie nobilitato favoribus et signis cœlestibus, uti planum ibi fiet. Interim in mox allata narratione occurrunt quædam, quibus proderunt sequentes observationes. Primo de patria* S. Helenæ, *annoque ac loco mortis consule superius nostrum Commentarium. Secundo; de* Theogiso *seu* Tetgiso *animadverte ista :* Hunc, *inquit Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo 4 parte 2 pag.* 154 *num.* 4, monachum Altivillarensem fuisse, tradit Notcherus abbas, *postea a nobis memorandus pluribus. Tertio, in* Syrophœnissa *alluserit auctor ad illud Marci capite* 7, *a* ℣. 24, *ubi hæc de Christo Domino ac muliere illa narrantur :* Et inde surgens, abiit in fines Tyri et Sidonis. Et ingressus domum, nemiuem voluit scire, et non potuit latere. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filia ejus. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est C enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa respondit, et dixit illi: Utique Domine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua *etc. Quarto,* S. Nivardus *occurrit apud Flodoardum in Historia Remensis ecclesiæ lib.* 7 *cap.* 7, *ac apud Mabillonium modo laudatum seculo* 2 *pag.* 332, 835 *et* 839. *Quinto,* S. Polycarpum *presbyterum dedimus die* XXIII *Februarii tomo* III *ejusdem mensis a pag.* 369; *ubi de translatione corporis ejus ad monasterium Altivillarense tractatur pag.* 374, *quæ forte ex ibidem dictis acciderit* XXIV *Februarii anno* 843 *vel prius. Sexto, de* S. Sebastiani *reliquiis, Suessionem, priusquam hæc scripserit Almannus, allatis, vide diem* XX *Januarii nostri tomo* II *pag.* 261, *nec non pag.* 278 *et sequentibus. Septimo, colitur* S. Urbanus PP. *die* XXV *Maii, quo inspici possunt ea, quæ de variis synonymis reliquiis tunc dicta sunt tomo* VI *istius mensis a pag.* 9; *nec non tomo* II *Augusti, die* XI, *pag.* 615. *Sexto,* Quirinus *Romanos inter Pontifices nullus mihi occurrit. Signatur autem Martyr synonymus Romæ die* XXV *Martii, sicut tomo* III *istius mensis a pag.* 543 *datur videre. Octavo, apud Flodoardum lib.* 2 *cap.* 8 *non lego dictos Sanctos translatos ad cœnobium Altivillarense, sed* corpus beati Polycarpi presbyteri, collegæ S. Sebastiani. *Nono,* S. Bercharius abbas et martyr *habetur in Martyrologio Romano ad diem* XVI *Octobris; Mabillonius autem in Actis citatis pag.* 831 *Vitam ejus vulgavit. Decimo, de eo, quod num.* 13 *Almannus de Sancta præmiserat,* reversam eam fuisse Romam ad filium, et sic obisse, *consule Commentarium nostrum prævium* § II, *ubi num.* 106 *de hac re dictum est.*

Ex variis documentis

§ III. Acta seculo IX et XI in confirmationem corporis, apud Altivillarenses; apertio capsæ seculo XII; inspectio ejusdem corporis et translatio in arcam aliam seculo XV; aperta iterum hierotheca seculo XVII; corporis partes, capsa; E sacellum etc.

Veritas corporis S. Helenæ

P*ostquam sacer hic tanti nominis thesaurus in cœnobium Altivillarense fuit invectus, per omnem longe lateque provinciam Remensem hujus rei fama percrebuit. Sed* quibusdam dubitantibus, *prout testatur Flodoardus antea allegatus,* an ipsa foret Helena Constantini Augusti genitrix, vitalisque ligni repertrix; id probabili Christus asseverare dignatus est aquæ judicio, triduano supplicatus jejunio. *Rem disertius exprimit Notcherus abbas in ecgrapho nostro, cui prænotatur hic titulus :* De translatione S. Helenæ imperatricis Nocherus abbas Altivillarensium universis Christi fidelibus. *Ex isto igitur ecgrapho nonnulla delibo :* Dignum duximus ea, quæ pro meritis sanctæ Helenæ, matris Constantini imperatoris, in loco nostro divinitus fiunt, conscribere, et Deus mihi testis est, quod nihil aliud quam veritatem; quam oculis nostris vidimus, dicemus. Postquam Deus corpore sanctæ Helenæ Altivillarensem illustravit F ecclesiam, summa eam gloria vestivit. Ut enim clarescerct, corpus ipsius Reginæ ibi haberi, de transmarinis et finitimis regionibus plurimi sanitatem recuperaverunt per S. Helenæ meritum, a quacumque detinebantur infirmitate. Carolus tertius * rex cum famam audisset, quod in Altovillari sancta Helena deportata jaceret, nullo modo credere volebat.

* Calvus

variis argumentis

20 Unde Hincmarum convocans Remensem archiepiscopum cum multis abbatibus, in ipso monasterio voluit judicium publicum fieri, utrum hoc esset, nec ne. Qui judicaverunt non aliter esse credendum, nisi monachus idem, qui eam ad nos transportavit, ad veritatis testimonium in calidam aquam toto corpore nudatus intraret. Quod et fecit; et Deus inter fervidas aquas in oculis omnium qui aderant, illæsum conservavit. Hoc viso testimonio fides regis et principum ad credulitatem invaluit, ipsumque locum deinceps maxima devotione percoluit, et omnis posteritas ejus dignam venerationem ipsi attribuit. *Adde ex Flodoardo, missos Romam etiam, ut dixi paullo ante num.* 16 *ex Almanno,* tres fratres ex eodem monasterio ad indagandam translationis hujus beatæ reginæ certitudinem : qui

EX VARIIS DOCUMENTIS.

qui redeuntes et veritatis hujus indaginem, et geminatum gaudium, corpus videlicet beati Polycarpi presbyteri, collegæ S. Sebastiani, huic attulere cœnobio.

comprobata. 21 *Sed redeamus ad Notcherum.* Procedente tempore, *inquit Mabillonius in Actis Ordinis sui Sanctorum seculo* IV *parte* 2 *pag.* 154, *ubi tractat de* S. Helenæ *translatione*, id est sub finem seculi XI, cum Notcherus abbas eamdem circa S. Helenæ reginæ veritatem reliquiarum dubitationem recrudescere animadverteret, rem judicio archiepiscopi Remensis ejusque suffraganeorum definiendam procuravit. Totius rei gestæ seriem idem Notcherus singulari libello in capitula novemdecim distincto complexus est; ex quo ea, quæ ad historiam potiora videntur, deflorare juvat, prout in Ms. codice Altivillarensi habentur. Exordium duco ab ejusdem libelli capite quarto, in quo hæc totidem verbis leguntur, *quæ mox inde incipit narrare. Eorum apographum etiam in manibus meis versatur, a Domno Ruperto Reginaldo, monasterii Altivallarensis asceta, postea pluribus* B *laudando, transcriptum, hoc titulo* : Incipit epistola Nocheri abbatis super translationem sanctissimæ imperatricis Helenæ, quæ facta est V Kalend. Novembris anno Dominicæ Incarnationis M nonagesimo [quinto.] *Sequitur deinde rei gestæ narratio, quam nos dabimus, inchoando etiam a capitulo quarto apographi nostri; sed una cum variis miraculis, quæ in eodem referuntur apographo, et a Mabillonio omissa sunt; antea tamen narraturi, quænam seculis subsequentibus circa sacrum corporis* S. Helenæ *depositum accidisse memorantur.*

Capsam aperiunt Hugo et Rodefridus abbates Altivillarenses; ille an. 1120, hic an. 1235. 22 *Ad seculum itaque duodecimum spectant ista, quæ exstant apud Sammarthanos tomo 4 Galliæ Christianæ pag. 35 in Hugone abbate Altivillarensi :* Hugo obtinuit a Pontifice Paschali litteras protectionis pro abbatia anno MCII. Capsam quoque D. Helenæ ornamentis decoratam aperuit, et ad rei memoriam pergameno inscribi voluit adstantium nomina, videlicet Hugonis abbatis, Valerii Prioris, Limari, Rofridi, Richardi, Heriberti, et Evrardi, anno MCXX, regnante Ludovico filio Philippi. *D. Rupertus Reginaldus in notitiis Mss. huc missis dicit*, in eam capsam, C aperiri jussam, schedulam suo et quadraginta trium monachorum adstantium nomine signatam immisisse. *Litteras Paschalis, quas memorabam, Papæ II ante me habeo; sed quia huc proprie non pertinent, illas non produco. Pergamus igitur ad seculum decimum tertium. Idem D. Rupertus Reginaldus in notitiis Mss. hæc notata reliquit :* Anno etiam MCCXXXV Rodefridus, qui et Radulphus dicebatur, hujus loci abbas, in capsam schedulam immisit hæc ferentem : " Ego Rodefridus " clementiam deprecor, o gloriosa imperatrix He- " lena, ut in die magni judicii mihi misero sub- " venias. " *Additur apud Sammarthanos citatos de isto abbate Altivillarensi :* Coopercuhun capsæ Helenæ fabricandum curavit. *Nunc dicamus de seculo* XV.

corpus in aliam capsam transfertur ab archiep. Remensi anno 1410, 23 *Sammarthani rem hanc obiter perstringunt pag.* 36 : Joannes I (*abbas Altivillarensis*) nominatur in Actis translationis S. Helenæ ex veteri capsa in novam argenteam, ab archiepiscopo Remensi Simone de Cramaudo, dudum patriarcha Alexandrino, præsente Vilelmo Filiastri decano, VII Maii MCDX. *De isto archiepiscopo agitur apud laudatos Sammarthanos tomo* I *pag.* 536. *Quemadmodum vero res peracta fuerit, discimus ex instrumenti sequentis apographo, quod* *ex ipso authographo transcripsit atque huc misit R. P. D. Rupertus Reginaldus cœnobita Altivillarensis, et a sacris reliquiis ejusdem monasterii; qui ob alia plura circa* S. Helenam *a se item exscripta ac communicata jam pridem, cum de eadem Sancta tum de Opere nostro egregie meritus est, ac laude dignus. Instrumentum vero prædictum ita sonat :* In nomine Domini. Amen. D Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo die VII mensis Maii, Indictione III, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini Alexandri, divina providentia Papæ quinti, anno primo. Nos Simon de Cramando *, Lemovicensis diœcesis, permissione divina archiepiscopus Remensis, et dudum patriarcha Alexandrinus, truncum corporis beatæ Helenæ reginæ, matris Constantini imperatoris, quæ crucem Domini invenit, dudum circa annum Domini octingentesimum quadragesimum quartum, de basilica beatorum Marcellini et Petri Roma ad diœcesim Remensem per Theugisum monachum translatum, prout ex litteris prædecessorum nostrorum, et antiquis historiis, aliisque documentis fidem accepimus, in ecclesia monasterii Altivillarensis dictæ nostræ diœcesis de veteri theca in aliam novam argenteam, quam ad hoc Joannes, venerabilis abbas dicti monasterii paraverat, reverenter transtulimus. E

* al. Cramaudo

indulgentia 40 dierum concessa. 24 Pro cujus reverentia speciali, et spirituali Fidelium profectu, singulis, qui in festivitatibus inventionis et exaltationis sanctæ crucis, nec non dictæ sanctæ Helenæ in Augusto et Februario, dictam ecclesiam devote et in statu gratiæ visitaverint, quadraginta dies indulgentiæ singulis ipsarum festivitatum diebus contulimus, perpetuis temporibus duraturæ. Acta vero fuerunt hæc super altare majus ipsius monasterii anno, die, Indictione et Pontificatu prædictis, præsentibus ad hæc dicto abbate et Conventu dicti monasterii, atque venerabilibus viris Guillermo Filiastri utriusque juris doctore decano, Poutio de Ulmonte et Simone de Ulmonte *, canonicis nostræ Remensis ecclesiæ, sacræ Paginæ professoribus, Joanne Raimundi canonico Suessionensi officiali nostro, ac religioso viro Falcone de Roëria * licentatis * in Decretis priore de Argenteyo * . . . . . diœcesis et populi multitudine copiosa; qui nominati, inferius propriis manibus se subscripserunt una cum nostro notario infra scripto. Simon archiepiscopus Remensis manu propria. G. Filiastri decanus. Pontius de Ulmonte. Simon de Ulmonte. Fulco de Roëria. Joannes Raimundi Officialis : et infra, Est a me Joanne Burgentino licentiato, ex auctoritate Apostolica notario publico, dictique domini archiepiscopi secretario. *In fidem vero apographi apponuntur ista* : Esse juxta authographum testor ego notarius regius Johannes Husson verbo tenus. F

* al. Simone et Guilelmo de Vilemonte
* al. Fulcone de Roya
* al. licentiato
* al. Petro d'Argenteiul,

Nonnullæ in rei gestæ instrumentum notationes. 25 *Observa* 1°. *Alexandri PP. V annus primus cœpit ad die* XXVI *Junii* 1409; *anno autem* 1410 *obiit is Bononiæ nocte inter diem* III *et* IV *Maii; ut licet videre apud Antonium Pagium in Breviario historico-chronologico-critico Pontificum Romanorum tomo 4 pag.* 359, *et* 368 *ac* 369. *Observa* 2°. Guillelmi Filiastri, *decani Remensis et Cardinalis, elogium contexit Marlotus tomo 2 Metropolis Remensis lib. 4 cap. 29; de quo etiam videri potest in Vitis Pontificum Romanorum et Cardinalium apud Ciaconium tomus 2 col. 807. De dicta autem translatione scribit idem Marlotus loco citato cap. 30 ; e quo accepi diversam illam nominum efformationem, ad marginem*

A *gincm instrumenti translationis ejusdem a me*
appositam, Observa 3°. Joannem Raymundi, ma-
joris ecclesiæ præpositum, vicarium generalem
in spiritualibus et temporalibus constituit *Reginal-*
dus de Carnoto III, archiepiscopus Remensis, ac
deinde Cardinalis. Vide Marlotum allegatum
cap. 32.

Capsa iterum aperta anno 1602, reliquiæ ex ea decerptæ pro ecclesia Aurelianensi,

26 Anno MDCII ad instantiam Henrici IV,
Galliarum regis, et precibus Cardinalis a Guisia
Remensis archiepiscopi, aperta est etiam capsa,
et aliquæ excisæ reliquiæ Aureliam mittendæ ad
celeberrimum illud sanctæ Crucis templum, quod
suis sumptibus prædictus rex Henricus magnifice
reparari curabat. Aperta est autem capsa præsen-
te Philippo du Bec, præfati archiepiscopi secre-
tario ad hoc specialiter misso; qui postea fuit
Namnetensis episcopus, et postmodum obtinuit
a Clemente VIII bullam tam pro Remensi archi-
episcopatu, quam pro abbatia S. Remigii. Anno
MCCLXXVIII, ut refert Symphorianus Guion, au-
ctor modernus, in Historia Aurelianensi, ex Alti-
villarensi cœnobio excerptæ R. Helenæ reliquiæ
Aureliam missæ sunt; verum ad quorum petitio-
B nem nescimus. Quæ reliquiæ cum aliis incendio
perierunt, cum ab hæreticis destructum est tem-
plum, duce quodam impio, nomine de la Noüe;
qui etiam ipse Altivillarense cœnobium incendit
anno MDLXII: sicque non ecclesia modo, verum
bibliotheca cum DD. virorum lucubrationibus,
et ecclesiæ ornamenta consumpta sunt: sacris ta-
men lipsanis monachorum studio Remos delatis
ante incendium, contumeliæ nihil illatum est;
teste D. Ruperto Reginaldo, cujus verba recita-
vi e notitiis ejus Mss. In alia autem ipsius sche-
da habetur Gallicum testimonium de capsa jussu
Cardinalis Guisii, archiepiscopi Remensis, anno
dicto MDCII *aperta, ac reliquiis nonnullis ejusdem*
Sanctæ Aureliam deferendis etc. In quo instru-
mento dicitur aperta fuisse capsa coram Reli-
giosis omnibus dicti loci *Altivillarensis*, et ma-
gno populi numero. In cujus rei fidem dictus se-
cretarius exaravit in charta membranea, quæ erat,
quamque reliquit in capsa, nomina Religiosorum,
qui tunc aderant, uti et suum, videlicet Joannis de
Maupoix Prioris Joannis Geoffroy, Joannis Mo-
reaux, Thomæ Michelet, Ægidii Fournier, Henrici
C Bourgeois, Joannis le Large, Caroli Deu; MDCII per
me secretarium Domini archiepiscopi P. de Beç.
Franciscus le Maire in Historia Aurelianensi
tomo 2 editionis secundæ pag. 37, inter reliquias
ecclesiæ sanctæ crucis memorat os colli S. Helenæ
nostræ ex Altivillari delatum.

Corporis, ac hierothecæ,

27 *Idem diligentissimus rerum Helenianarum*
apud Altivillarenses collector, de Sanctæ corpo-
re, capsa, sacello ista ibidem subjungit: B. He-
lenæ corpus integrum non est apud Altivillarense
cœnobium: desunt enim caput *(Vide de eo in-*
ferius § 5 num. 42) brachia et pedes, quæ forsan
Venetiis asservantur; (licet quidam asserant caput
Trevirenses possidere.) Crura inter corporis trun-
cum recondita sunt: corpus est incorruptum, ut-
pote aloë et balsamo delibutum, et holoserico
obtectum velamine. Capsam olim fuisse argenteam,
testantur aliqua manuscripta: verum quo pacto
perierit, et ad quem usum conversum fuerit argen-
tum, nescitur. Fidem faciunt Mss., combustum
fuisse monasterium cum ecclesia circa annum
MCDL. Quocirca Nicolaum hujus nominis V Roma-
num Pontificem indulgentias concessisse his, qui
ad ecclesiam et illius restaurationem manus adju-
trices porrexerint. Legimus, et anno MCDXCII in no-

Ex variis documentis.

ctu Pentecostes furto ablata fuisse aurea et argen-
tea capsarum ornamenta (quo die per oppidum pro-
cessionaliter solent circumferri) quibus circumqua-
que obvestiebantur; inter quæ alia B. Helenæ
capsæ decora, sanctissimæ Virginis Mariæ argen-
team imaginem pretio trecentorum aureorum. An
ex tunc ea, quæ nunc est, fabricata fuerit, penitus
ignoratur.

nec non sacelli notatur etc.

28 Ipsa, quæ nunc est, capsa longa est 5 pedes
paulo amplius; alta ferme tres, tota cupreis lami-
nis pulchre deauratis, effigiatis, et affabre ex ære
solido sculptis, B. Helenæ gesta referentibus cir-
cumdata. Eminet super altare majus, quo in tota
regione pulchrius non visitur: quatuor enim fulci-
tur Iäspideis columnis prægrandibus, totidemque
marmoreis decoratur, variisque ex Virdunensi lapi-
de imaginibus et aliis ornamentis. Est in ipsa eccle-
sia capella decenter ornata et perpulchra, B. Hele-
næ sacra, quæ tota est peregrinorum devotio: in
qua visuntur multæ subalariæ furculæ, quas mem-
brorum impotes, sani B. Helenæ intercessione
effecti, in signum dimiserunt. Visuntur et vota,
variæque tabellæ quorumdam miraculorum indies,
insuper et argentea lampas... Tabellas inter alias E
prægrandis habetur una B. Helenæ, ante cujus
pedes genuflexæ duæ visuntur nobiles matronæ,
scilicet domina Catharina Deltouffes, quondam viri
nobilis Claudii de Baudiers, domini de Capella Moo-
done et villa in Tardiniensi etc. Maceriarum, Ca-
rolopolis et Regiteste gubernatoris conjux; et
Maria horum conjugum filia, postmodum baroni
de Ternus matrimonio juncta; et infra tabellam
una cum variis sortibus, quas prædicta Maria evo-
muit, hi versus leguntur: *quorum ego argumen-*
tum e Gallico idiomate sic reddo Latine: Domi-
nabus hisce præstitisti, O Sancta, benefactum
immortale. Nam eas liberare non potuisti sine be-
neficio a maleficio. Hoc mortale, illud immor-
tale est. MDCXIX. *Ne lectorem moretur vox* Regi-
teste; *Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum*
Reiteste, *ait*, vulgo Retest primo, post Retel di-
ctum, ad flumen Axonam in finibus Remorum *etc.*
Quidam *vero* Regitesto mendose appellitant. *Plura*
dabo inferius in Annotatis ad classem I *Mira-*
culorum lit. a, *inter quæ miracula narrantur*
pluribus res illæ, quæ ad dictas matronas nobiles F
spectant.

§ IV. An Romana translatio evertat possessionem Altivillarensium, an item et quomodo competitores corporis inter se conciliari possunt; stabilitur possessio Altivillarensis.

Argumenta Aringhi

Q*uæ superius* § 1 *ac* 2 *Gloriæ posthumæ præ-*
misi de corpore S. Helenæ *Roma ad cœno-*
bium Altivillarense advecto æræ videlicet vulga-
ris anno 841 *vel proxime sequente, non adeo sunt*
perspicua et certa, quin difficultatem patiantur
ex eo, quod sacra ejusdem Sanctæ pignora Romæ
etiamnum asservari anno 1140, *fuerit creditum.*
Apud nos tomo I *Maii pag.* XXVII *hæc jam pri-*
dem notata sunt: Corpus ejus *(S. Helenæ vide-*
licet) adhuc Romæ haberi creditur in tomba por-
phyretica ad Aram cæli: econtra Gallia ipsum
habere prætendit in monasterio Altovillariensi.
Adde

Ex variis documentis.

Adde ista e Mabillonio Itineris Italici pag. 135, *inter alia, quæ memorat de basilica, quæ Aracœli vocatur*: Ad sinistram altaris partem saecllum et ara cum quatuor columnis, sub qua corpus S. Helenæ in urna porphyretica jacere creditur; tametsi ad Altivillarense Campaniæ nostræ monasterium translatum fuisse quidam veteres Galli scriptores tradunt. *Aringhus Romæ subterraneæ lib.* 4 *cap.* 9 *num.* 16 *de dicta ad Altivillarenses translatione sic statuit*: Porro ejusmodi recolenda translatio quoquo modo contigerit, non hanc quidem de ipsomet corpore sed de sacris ejusdem reliquiis, ut in more olim positum erat, subintelligendam esse arbitramur. Nam sub Innocentio PP. II veneranda ejusdem S. Helenæ ossa e via Lavicana in Urbem, ad ecclesiam S. Mariæ vulgo de Ara cæli nuncupatam, ubi hodie religiose asservantur, translata fuissé; et illud item nobilissimum mausoleum seu porphyreticam urnam, in qua ejusdem corpus conditum fuerat, ad Lateranas ædes ab Anastasio IV delatum, ut in eadem sacrosancta basilica ad perenne Christianæ religionis monimentum extaret, in supra recensitis Actis, his plane verbis legitur: B

pro possessione corporis apud Romanos seculo 12

30 " Sed cum temporibus Innocentii secundi " propter guerram *, ipse locus desertus esset; " quidam fures, fracto opercuio ipsius tumuli; " aurum et gemmas vestimentorum B. Helenæ " abstulerunt. Quod quidam Religiosi videntes, " caput et grossiora ossa inde levantes in Urbem " intulerunt: Mausoleum autem ipsum Anastasius IV in basilicam Constantinianam intulit: " ubi postmodum et ipse sepultus est. Tunc etiam " ossa minima B. Helenæ inde educta sunt et " per plurimas ecclesias distributa ". *His citatis, rem deinde suam ita confirmare conatur ibidem Aringhus*: Id ipsum a Joanne Diacono, qui sub Alexandro PP. III floruit, in lib. Ms. cod. Later. de memorabilibus basilicæ Lateranensis rebus comprobatur; ubi altaria ejusdem Lateranensis basilicæ describens, hæc ait: " Sinistro vero latere basilicæ " est altare S. Antonini martyris: ubi juxta jacet " Anastasius IV, qui fuit Sabinensis episcopus, in " mausoleo porphyretico, præclaro opere sculpto, " in quo olim jacuit Helena mater Constantini imperatoris: quod videlicet mausoleum de ecclesia, C " quam idem imperator ad honorem ipsius matris " extra urbem ædificaverat, idem Papa deportari " fecerat ".

* i. e. bellum

evertere possessionem Altivillarensium, nobis non suadetur.

31 Ex quibus jure quidem merito erroris Nicephorus redarguitur, dum Helenæ corpus una cum ipsamet urna Constantinopolim translatum fuisse, perperam nulloque veritatis adminiculo suffultus asserit. Porro insigne hoc mausoleum, Bosii, viri de sacra antiquitate optime meriti, opera typis impressum in recensito Romæ subterraneæ opere, quod Italico idiomate editum est, et nunc in nostris hisce paginis latinitate donatis continetur: est autem, ut infra videre est, hujus formæ, *quam deinde repræsentat, præmonens, illud* in basilica Lateranensi juxta portam communi nomine Sanctam appellatam olim extitisse: cum autem anno sexcentesimo supra millesimum Jubilei secularis sacro recurrente, inter aditum portæ ejusdem de more reserandum confringi ac labefactari ex parte contigisset; ejus basilicæ canonicos, Bosio servandæ antiquitatis studiosissimo adhortante atque adnitente, instaurandum curasse, et ad hodiernum usque diem pone Constantinianæ ejusdem basilicæ apsidem locatum aspici. Vetustissimum illud, et a Constantino augusto lectissimæ matris suæ corpori condendo adhibitum fuisse crediderim, *inquit idem Aringhus. Sed ego credenti Aringho in hac re adeo non adstipulor, ut potius propendeam in suspicionem contrariam, propterea quod in istius mausolei descriptione seu schemate nihil conspicor nisi profanum seu non sacrum. Verum id obiter dictum sit; cum non in hac re, sed in corpore* S. Helenæ *posita sit præsens controversia. Retuli autem superius, fuisse creditum, sacra ejus pignora Romæ asservari anno* 1140 *propter bellum Tiburtinum (Vide quæ de bello e quatibuscumque Actis referebat modo Aringhus) sub Innocentio PP. II; de quo bello Baronius ac Pagius ad annum* 1141. D

Conamur competitores corporis conciliare

32 *Ex his autem, quæ paragraphis prægressis in medium produxi circa varias translationes, videtur consequi, ut omnes et singulæ ita non cohæreant, quin una potius cum alia pugnet, imo vero altera alteram destruat. Hinc itaque lis moveri potest inter Venetos, Romanos et Altivillarenses, de veriore ac potiore* S. Helenæ *hodiernæ, viduæ, imperatricis, ac magni Constantini matris possessione. Venetis favere posset sepultura Constantinopolitana, si certius de ea constaret,* E *quam ex Theophane, qui floruit seculo* IX; *cui non apparet favere Eusebius, sicut datur videre supra* § I *Gloriæ posthumæ, quam deinceps intellectam volo, nisi indicavero aliter. Veneti vero Sanctæ corpus ad se demum seculo* XIII *inde delatum volunt non ex æde Apostolorum, in qua illam fuisse sepultam asserit Theophanes, sed e monasterio ejus nomini dicato, Petrus de Natalibus utitur verbo* fertur, *dum de illa translatione loquitur, ut ibidem licet videre. Ad hæc, probare incumbit eruditis Venetis, corpus ad se avectum hodiernæ esse* Helenæ *et non alterius.*

dando cuique ex illo partem.

33 *Romanis opponi possunt etiam difficultates, qui volunt illud a seculo* XII *extitisse Romæ, prout supra indicatum est. Altivillarenses autem verum hodiernæ* Helenæ *corpus possidere se censent jam inde a seculo* IX. *Ecquis itaque modus hanc controversiam componendi? Si hujus sacri depositi competitores sint contenti aliqua ejusdem parte, en, tibi, litem hanc compositam. Quid si ergo Romanis detur brachium; Venetis pedes, nec non utrisque pars fortasse capitis; pars, inquam, non totum caput; nam caput sibi attribuunt Treverenses (Vide dicta in nostro Commentario prævio* F *num.* 129) *quod si verum sit, poterit ipsis concedi capitis pars notabilis; alia vero membra, quæ antea* § 3 *num.* 27 *descripta sunt, concedantur Altivillarensibus. Atque hoc pacto quilibet ex tribus competitoribus supra dictis habebit corpus* S. Helenæ *hodiernæ, sumendo partem corporis pro toto per synecdochen, prout in hac materia alias non raro usuvenire consuevisse, notissimum est. Si plus velint Romani (et vero plus velle videntur)* caput *videlicet* et grossiora ossa, *sicut superius num.* 30 *indicatum est, examinandum illis hoc punctum relinquimus, ac historice probandum, a quo tempore antiquior ac solidior aliquis auctor, quam sit Actorum scriptor apud Aringhum, loquatur de corpore* S. Helenæ *ad Aram cœli.* Brachium *sibi tribuunt Escorialenses in Hispania; uti patet ex scripto, quod apud me est.*

Stabilitur depositum apud Altavill.

34 *Ego interim possessionem corporis apud Altivillarenses evertere non ausim ob sequentes rationes. Primo. Tetgisus seu Theogisus illud Romæ ad illos non tantum dicitur detulisse, ex* § 2; *sed tres deinde missi sunt Romam, qui rei veritatem illic inquirerent, ut ibidem narrantur. Secundo. Quia ejusdem probatio facta per aquam fervidam, sicut* § 3 *præmissum est. Tertio. Quia* contra

A contra recrudescentes dubitationes indicta est seculo XI publica ac solennis translatio. Rem gestam ex Notchero producam infra § 5. Quæ rationes simut junctæ tantum habent credibilitatis apud me pondus, ut Altivillarenses deturbari posse non videantur a sua possessione, qua a tot jam retro secutis ad hæc usque tempora constanter gavisi sunt. Quamobrem per me neutiquam stabit, quo minus eadem gaudere pergant. Favere illis etiam videtur Eminentissimus Baronius. Nam etiamsi § 1 num. 6 a me citatus non decidat controversiam inter Græcos et Latinos, ubi S. Helenæ corpus fuerit sepultum; idem tamen auctor Eminentissimus ad annum 326 num. 62 eamdem decidit in favorem Romanorum, et translationi Constantinopolitanæ, de qua, inquit, penes antiquos nulla mentio est, opponit Gallicanam ex Sigeberto, cui translationi unice videtur insistere, et adhærere in notationibus ad Martyrologium Romanum hac die XVIII Augusti, ubi de hac unica expresse scribens hæc pronuntiat: De reliquiarum ejus translatione agit Sigebertus in Chron. anno DCCCXLIX. Quæ cum ita sint, non videmus relictum B esse ullum dubitandi locum, quin Altivillarensium possessio sit probabilior ac potior quam aliorum competitorum. Ex his præmissis conjice, quid responderi possit ad ea, quæ illustrissimus Albertus Ernestus, episcopus Laodicensis coadministrator Ratisponensis (ita intelligo characteres haud satis graphice expressos) huc scripsit in litteris die XXXI Martii anno 1692 Ratispona datis; in quibus postquam meminisset suæ ecclesiæ Bonnensis, bellicis turbis devastatæ etc., obiter etiam mentionem facit de Helenæ translatione corporis, cujus, inquit, adhuc magnam partem habemus.

§ V. Solennis ac miraculis nobilitata translatio corporis seculo XI; qua illustrantur superius a nobis præmissa § 3 num. 21, auctore Notchero abbate Altivillarensi.

C

Monitio ad lectorem. Superius § 3 num. 21 de Notcheri abbatis libello nobis sermo fuit, et ibidem indicavimus, nos ex eodem daturos translationis narrationem, incipiendo a dicti libelli capitulo quarto. Tria quippe præcedentia omittimus tamquam minus necessaria. Primum enim hoc titulo prænotatur: Quod multis Sanctorum reliquiis et præcipue S. Helenæ Altumvillare insigniatur. De hac re, quantum quidem spectat ad Sanctam nostram, satis superque nuperrime dictum est, ac porro dicetur. Secundum inscribitur: Quod multis signis sancta Helena claruerit, et rex Karolus cum suis palatinis de hoc diffidens, viso probationis testimonio crediderit. De hac re tractavi ex ipso Notchero paragrapho eodem 3 num. 10. Capitulum autem tertium præfert hunc titulum: Quod iterum Francos dubietas accepit in tantum, ut fidem translationis sanctæ Helenæ exposcerent. Vide quæ ibidem ex Mabillonio num. 11 sunt indicata. Capituli quarti synopsis est ista: Quod Remis in præsentia episcoporum statutum est transferri corpus sanctæ Helenæ, et postea regali edicto confirmatum. Incipiamus itaque ab isto capitulo, aliorum, quæ deinde hoc sequuntur, titulis huc non transcriptis, sed per numeros tamen Romanos ad marginem designatis, additisque variis e Ms. nostro miraculis, quæ Mabillonius prætermittit.

Ex variis documentis.

IV. Translatio indicta in festum Simonis et Judæ Apostolorum:

36 Anno igitur humanati Verbi millesimo nonagesimo quinto, Indictione quarta *, anno autem trigesimo quinto a regis Francorum Philippi, filii Henrici regis, duodecimo vero anno Raginoldi b Remensis archiepiscopi, acta est Remis consecratio solemnis domni Philippi episcopi in Catalaunensi c sede, fratris Stephani Comitis palatini: ad quam canonice administrandam affuerunt Remensis diœceseos suffraganei, scilicet Hugo Suessionensis episcopus, et Gerardus Morinorum episcopus, et Gervinus Ambianensis episcopus: inter quos cum in præsentia archiepiscopi Raginoldi multa laude digna ecclesiastica Sanctione auctorizarentur, et quædam neglecta corrigerentur, ego Nocherus *, humilis Altivillarensium abbas, relationem feci, ut revelatio corporis sanctæ Helenæ digna translatione fieret, et dubitantibus Francigenis certæ fidei testimonium appareret. Diu itaque, ut in tali negotio solet, sacerdotali reverentia consultum est, et decretum Apostolica auctoritate, ut in superventuro festo Apostolorum Simonis et Judæ omnimodis E transferretur. Verum quoniam pro negotiis regni statuendis octavo die occursuri erant glorioso regi Philippo cum aliis Galliarum coëpiscopis in vico Suessionicæ sedi subjecto, qui vocatur Mons sanctæ Mariæ d, placuit, ut tantæ rei consensus in conspectu regis et procerum ejus referretur, et edicto ipsius, sive omnium aulicorum et episcoporum, qui venturi ibi erant, authentica confirmatione corroborarentur. Quod ita et factum est. Divina enim dispositione credimus contigisse, quod ibi totius Galliæ majores metropolitæ affuerunt, scilicet domnus noster Raginoldus Remensis archiepiscopus, et Rodulphus Turonensis archiepiscopus, et Richarius Senonensis archiepiscopus, singuli cum aliquantis suæ diæceseos suffraganeis et abbatibus. Et ut revera claresceret quod Job ait: Qui facit concordiam in sublimibus, omnes unanimi concordia consenserunt Rex cum optimatibus et palatinis et totius regiæ dignitatis fascibus; archiepiscopi cum suffraganeis et abbatibus, et reliquis ecclesiastici ordinis gradibus. Itaque auctorali edicto divulgaverunt, ut absque intermissionis excusatione illud corpus F sanctissimum gloriosæ Helenæ reginæ in supradicto festo Apostolorum Simonis et Judæ deberet transferri.

a *b* *c* * imo III

* Mabillonius Notcherus

d

cui non potuit interesse archiepiscopus Remensis.

37 Interea pro statu ecclesiarum Galliæ reformando domnus Apostolicus e urbe Roma advenerat. Inter eundum autem aliquamdiu commoratus, ut ecclesiasticam dignitatem, quæ ea tempestate satis miserabilis erat, recuperaret, legationem Apostolicam per omnes Galliæ provincias direxit, ut omnes metropolitæ cum suffraganeis, singuli cum abbatibus et cæteris ecclesiæ ordinibus, rex cum totius regni viribus convenirent ad decretalem synodum in urbe, quæ dicitur Clarus mons f, sita in pago Arvernensi. Hinc tantæ auctoritatis edicto obstrictus Raginoldus archiepiscopus iterum alio urgetur negotio, ut fieri solet in turbine hujus mundanæ reipublicæ, scilicet ut regi Philippo occurrat Cabillonis g in supradicto festo Apostolorum. Anceps itaque in harum rerum meditullio vices suas delegat magni testimonii viro domno Hugoni Suessionensi episcopo h, et Philippo Catalaunensi episcopo, ut ipsi scilicet fungerentur officio suæ auctorita-

e *f* *g* *h*

EX VARIIS DOCUMENTIS.

tis in hoc pio opere sanctæ translationis. Tali præventus occasione archiepiscopus nequivit adesse, quod (ut diximus) regi occurrit Cabillonis eodem die.

VI. *Locus translationis cælesti fulgore illuminatur:*

38 Igitur diu desiderata, et votis omnibus a nobis expetita celebritas Apostolorum illuxit in die Dominica. Non solum vero Francia ad obsequium tantæ reginæ suos fideles filios misit, sed etiam tota pene Lotharingia suos tamquam sanctæ pacis legatos et piæ devotionis obsides destinare gavisa est. Quomodo enim non ei tota religio Christiana applauderet, quæ tot beneficia meritorum ejus accepit; cui etiam muta elementa signorum acclamatione serviebant. Est enim quidam locus in prospectu totius Altivillaris, ab incolis Montiscola denominatus. Hic alto supercilio quasi umbilicus prominens satis accommoda planitie desuper dilatatur, et molli prolapsu ad crepidinem Matronæ *i* fluvii usque porrigitur. Hic divinæ dispensationis intuitu præelectus erat, in quo transferri oporteret tantæ venerationis membra. B In hoc erecta mole trabium tantæ capacitatis machina fabricata est, ut et totius cleri sacros ordines reciperet, et palatinis dignitatibus sufficeret. Ergo intempestæ silentio noctis, quæ Apostolorum martyrio celebris erat, et encœniorum ecclesiæ nuptiali prærogativa, magnæ commendationis gratia supradictum locum divina majestas beavit. Siquidem, ut palam fieret, quanti meriti esset, cujus membra illic transferri deberent, subita irruptione fulgor vibratus ab æthere super eumdem locum sedit; non modica expectatione deinde longo crine serpens et sensim procedens, tandem super caput ecclesiæ visus est descendisse, ubi Sanctorum lipsana suo requiescunt honore. Non a paucis vel levibus personis tantæ admirationis notata est visio; verum se vidisse testatus est quidam noster monachus reverendæ ætatis et magnæ gravitatis, et piscatores, qui in fluvio Matrona fluctivagis invigilabant capturis, et multi laïci satis religiosæ moderationis, quos ad solemnes vigilias invitabat devotio gratuiti voti. Si quis garrulus inde contentiosum funem trahere voluerit, quod ubiubi Deitati complaceret, id aliquando fieri solet; sciat quod nox illa nullo sidere illustrata, usque ad lucem indesinenti imbre maduerit, et mire- C tur, quod, cum solum hunc locum columna divini ignis non levi mora dedicaverit, longo ductu aërem gyrans, tandem super Sanctorum pignora sederit, et ibi longa expectatione in ipsam resederit.

VII. *Puer contractus sanatur:*

39 Deinceps in his quæ scribenda sunt, si quis fidem expetierit, sciat, quod ego, qui scripsi, quædam oculis meis viderim: quædam his referentibus agnovi, qui opus experti sunt recuperatæ sanitatis. Ante Apostolicam celebritatem ab urbe Suessionis quidam pauper cum uxore advenerat, qui octo diebus cum aliis egenis commanens, ecclesiæ alimonia pascebatur. Hic filium fere decennem secum advexerat, qui a natali ortu dextera manu recurva nullum ore cibum duxerat; et poplitum simul suffragine dissoluta nullo umquam gradu humum fixerat. Hunc uterque parens ante memoriam piissimæ reginæ tenebat, dum matutinali confessione divinam faciem præoccuparemus in eadem festiva nocte. Verum ut finita lectionum recitatione, illud Spiritus sancti classicum intonuit, Te Deum laudamus obstupet uterque parens, filium erecta manu digitis micantem, crebro ductu caput scabentem, et erectis cruribus insolito annisu gradus molientem. Pertentant inde parentum tacitam mentem nova gaudia: probant omnes oculis Dei magnalia, et lacrymabili devotione pro meritis sanctæ Helenæ attollunt gratiarum præconia. D Hujus gloriæ novitas Fratres latuit inservientes matutinali Officio, usque dum, luce diei ampliata, puer advocatur in experimentum receptæ sanitatis. Mox Fratrum corda resurgunt velut de quodam sepulchro mœroris, et Altissimum venerantes gratiosi cantici modulatione, iterum et iterum iutucuda nequeunt expleri pueri visione.

VIII. *mira aeris serenitas:*

40 Vix alicui diserto rhetoricæ artis sufficerent argumenta ad tam generosæ diei insignia copiosius laudum exequenda. Unde ipse olim imperitiæ meæ judicium subire timeo, qui opus facundorum virorum subdendum viribus impar et nullius momenti stylo elingui aggredior. Veruntamen in hoc mihi venia speratur, quod, etsi minus digne, hos tamen piæ memoriæ titulos segnitia priorum postera ætas non queretur obsolevisse. Si quis, aura purgata mentis, opera Dei digne miretur, agnoscet hanc diem tot suaveolenter virtutum odores habuisse, quot veris temperie diversicolores florum redolent E gratiæ: et sicut deterso hiemis senio elementa quadam genuina virtute arrident gratiori Phœbea lampade, sic corda omnium juvenescebant quadam pubescente lætitia, jucundo visu miraculorum magnifice delectata. Quis enim tantæ reginæ non totas gaudii habenas effunderet, cui totus militabat æther. Nam cum antea fere quindecim diebus continuis aër biberuus deciduo imbre maduisset, languentibus astris, in ipso festivæ lucis diluculo, tanta serenitatis jocunditas arrisit, ut mox ab exorto solis jubare discussis imbrium nebulis, in favorem tantæ Imperatricis totam diem usque ad vesperum vernali temperie dulcoraret, et ad gaudium tantæ visionis advenientes amica familiaritate illiceret. Quam specialis dies tantæ Imperatricis! quæ etiam ipsi muto elemento frænum imponit tam imperiosæ legis. Certe credendum est, hac die omnes cælicolas in ejus obsequio militasse, et Christum sponsum suum nuptiale diadema sibi imposuisse. F

IX. *personæ illustres translationem sua præsentia cohonestant:*

41 Convenerant itaque ad vices archiepiscopi [Hugo Suessionensis] et Philippus Catalaunensis episcopus. Et inter hos etiam affuernnt magna normæ monachalis luminaria, scilicet Burchardus abbas sancti Basoli, et Petrus abbas Orbacensis, et Rodulphus abbas sancti Theodorici, et Lambertus abbas sancti Petri de monte Catalaunensi, et Philippus abbas Resbacensis. Sæcularis vero potentiæ affuit Stephanus Comes palatii, et uxor ejus Adelaïdis filia Guillermi regis Anglorum, et filia Philippi regis Francorum Constantia, uxor Comitis Trecasinensis Hugonis, fratris ejusdem Stephani, et Dudo vicecomes Marogiensis, et aliæ innumerabiles personæ satis spectabiles in suo genere, quas dicere supersedi. Specialis gloria Matris totius imperii, quos olim ab ortu suo Romanæ vires multo sanguine subegeraut, nunc Christi sacramento juratos, solemnem sibi celebrare triumphum imperabat. O corona insuperabilis victoriæ, quam tibi Altumvillare imponit! Jocunda ostensio tuæ Reginæ.

X. *cujus solennitas describitur.*

42 Omnipotens Verbum Dei Filius, qui suis ait Apostolis, sine me nihil potestis facere, hanc diem sua mirabili administravit dispositione. Consulentes enim, qua hora sanctissimam glebam oporteret transferri, inspiratione Dei omnes unanimi consensu aspirant, ut prius a domno Hugone

A gone episcopo Dominicæ redemptionis mysterium celebraretur, et sic initiatis absoluta expletione divini Officii, digniore devotione meritum accresceret ad tam pium opus digne exequendum. Quod ut factum est, piæ gravitatis Fratris electi sunt, qui lipsanum tam gloriosæ glebæ ad locum usque translationis, qui Montiscola dicitur, evexerunt. Inter eundum agebat pompa tantæ Imperatricis, ante et retro et altriusecus millia populorum, qui digna ovatione jubilos canerent in triumpho suæ exaltationis. Conscensis itaque pontibus trabalis machinæ, quæ ad recipiendos ecclesiasticos gradus et sæculares potentatus, ut dictum est, compacta erat, deponitur theca sanctorum pignorum super eminentius tabulatum, quod ideo altiori compage trabium desuper præeminebat, ut quaquaversum adstantibus diffusior specula sufficeret. Verum arrectis omnium animis ad tam piæ devotionis studium, celebratur letania cum effusione digna fletuum, qua finita, et pro rei inceptæ negotio ad populum sermone habito, aperitur B cum summa veneratione urna argenteæ arcæ, quæ revera in se pretiosius illo manna continebat, quod cælitus sibi in cibos pluisse * quadraginta annos carnalis Israël gloriatur. Deinde sanctos cineres thurifero odore respergentes, indiculum ab intus extraximus, in quo scriptum legimus : CORPUS SANCTÆ HELENÆ REGINÆ MATRIS CONSTANTINI, SINE CAPITE *k*. Quod etiam et a Comitissa Adelaïde, uxore Stephani Comitis palatini, lectum, et cæteris ejusdem potentiæ personis ipsa indice est interpretatum.

* Mabill. placuisse

k

XI. *Corpus alteri thecæ includitur: cæcus et claudus sanantur, l*

43 Suspensis igitur omnibus in expectatione tantæ rei, produximus sanctissimum corporis thesaurum obrizo et smaragdo pretiosiorem : quod ab intus carbaso candido involutum est, et a foris brandeo *l* Ibera ferrugine depicto. Hæc tam regii corporis gleba adhuc magnificentiæ imperialis vernat gratia, quæ pistico balsami aromate delibuta, totius corruptelæ, ut dignum est, sibi dividit injuriam. Micat electro purior, vitro clarior, lacte candidior : testatique sunt nobis quidam veritatis amici, se fragrantia mirificæ suavitatis respersos, quamdiu morosa ostensione crudæ incredulitati totius Franciæ consulitur, et callosa garrientium obstinatio diutino comprobationis visu retunditur. Deinde satis digna admirationis C veneratione ab omnibus diu salutata, in alio novo vase, in quo nunc est, ipsius beatæ Reginæ ab episcopis reconduntur membra. Nec mora, et ecce in ipso momento transpositionis, comprobat argumentum divinæ præsentiæ, cujus meriti hic tractantur ossa : siquidem inter tot copiosæ plebis millia, duo pauperes advenerant provectæ ætatis ; quorum alter divina castigatione jam triennio cæcutiorat; alter, nervorum destitutus valetudine, dextro crure incurvo claudicabat. Qui tantæ Imperatricis mira pietate visitati, uno momento diversæ salutis diversa recipiunt remedia.

non immemores beneficii.

44 Deo, ait, gratias alter, quod in triennii curriculo cassis luce orbibus, tandem per meritum sanctæ Helenæ aspirat jucundum jubar Phœbæi currus. Alter vero aliquantis, pro morosa ostensione, nervorum solutus, En inquit, beatæ Reginæ obtentu directo crure diu negatos molior passus. Procedit uterque in argumentum redditæ sanitatis, et ascendentes machinam erectæ molis, libitinam sanctæ Imperatricis diu exosculando nequeunt expleri. O quam pulchra rerum spectacula hæc votiva dies tibi, Altivillaro, exhibet! Hodie genialibus tuæ Reginæ dulcoraris deliciis. Hodie nuptiali ejus diadomate, variis gemmarum radiis texto, redimiris. Hodie dulci epithalamio, in miraculorum multiplici plausu jocundaris. Hæc dies tripudii ab origine mundi a Deo tibi prædinata : provisione ejus nunc te magnifica odoris fragrantia mulcet, et jugum irrisionis, quod tibi imposuerat incredulorum pervicacia, computrescit a facie divini olei.......... [quoniam] potentia tuæ Imperatricis jam substravit tibi omne supercilium æmulæ frontis.

Ex variis documentis.

XII. *Nundinæ Altivillarensibus concessæ.*

45 Certificati itaque omnes signorum attestatione fundunt lacrymas gaudiis plenas. Nulla umquam rerum pompa gratiorem duxit triumphum. Hinc clerus lætos ducens choros, Deo reboat cantici laudes in excelso : et hinc laïcalis frequentia plaudens manibus jubilat in voce exultationis. Finita vero gratiarum actione, operæ pretium rati sumus, convenire Stephanum Comitem palatii, ut ipse vir patriciæ dignitatis tale donum voverot tantæ Imperatrici, quod non cederet honori. Ad hoc vir prudens, ut semper erat benevolus, justæ petitioni requirit, quid commodius sibi dari gauderet ecclesia. Et ut didicit, quod in hoc res ecclesiæ proficeret, si publicis commeatuum mer- E cimoniis nundinas banniret *m*, communicato consilio cum uxore fratris sui Hugonis, Comitis Trecasinensis, Constantia filia, regis Francorum, et cum fratre Philippo Catalaunensi episcopo, qui jure patrimonii participes erant in Comitatu, edicto legitimi banni mercatum sexta feria inibi fieri deinceps indixit, in hoc quoque sibi assentiente Dudone vicecomite Marogiense. Et ut rata stipulatione hæc fieret constitutio, omnibus in manus imponentibus delegatur sanctæ Helenæ jure perpetuo.

m

XIII. *S. Polycarpus et S. Helena Altivillarensium patroni.*

46 His feliciter compositis, dignum probavimus alio salutis munere populum coronare. Una siquidem argentea theca ab olim usque nunc sanctorum martyris Polycarpi et Helenæ reginæ corpora felici sinu receperat. Verum, ut dignum erat, acta translatione solemni sanctæ imperatricis Helenæ, placuit quoque, ut ossa *n* sancti martyris Polycarpi, collegæ sancti Sebastiani, in publicum proferremus, ut tanti patrocinii thesaurum nos etiam habere comprobaremus. Consignatur omnis plebs tanti martyris et sacerdotis benedictione, adorans sanctos cineres, pia cordis salutat devotione. Tantorum privilegio San- F ctorum Altivillarensem ecclesiam sublevari, totus Francorum admiratur orbis, et hanc diem acclamat promeruisse famam æternæ laudis. Vere hæc dies quotannis tibi, Altivillare, memorialis, quæ sicut duorum Apostolorum Simonis et Judæ martyrio toti mundo est dedicata, ita tibi exaltatione duorum patronorum tuorum martyris Polycarpi, et sanctæ imperatricis Helenæ est votiva. Jam vero completa totius Officii devotione, triumphali plausu ad sedem ecclesiæ lipsana Sanctorum referuntur. Etenim inter redeundum major accrevit exultatio, quod evidentibus signis manifestata lux veritatis a cordibus omnium pepulerat noctem incredulitatis, et nulli licebat ignorare, quod probaverant oculis. *Capitulum* XIV *cum hoc titulo*, Quod non vacat a mysterio, quod Sanctorum ossa levata sunt hora diei sexta ; *ac capitulum* XV, Quod malignus spiritus semper perditione humani generis gaudeat, et prius læsis sensibus sibi totum hominem vendicat, *prætermittimus*.

n

XVI. *Vir quidam lunaticus*

47 Fuit vir quidam Balduinus nomine de urbe Tornaco *o*, qui hoc ordine apud nos sexto die post translationem sanctæ Helenæ venit. Dum memoriam.

Ex variis documentis. p

riam sancti Leonardi p invisere vellet, et infirmitatis suæ curationem ab eo posceret, Stephanum Comitem palatii (de quo supra diximus) obvium habuit: a quo requisitus, quis esset, vel quo iret, aut qualiter tantæ pestilentiæ infortunio adductus esset, infelicitatis suæ tragœdiam ita adorsus est: Indigena, inquit, Tornacensis territorii Sanctorum frequento ecclesias, ut eorum suffragante patrocinio consequar a Deo libertatem hujus captivitatis, quam hoc modo, fallente diabolo, incurri. Communicato semine cum quodam vicino meo, agellum colueram; mense vero Augusto appropiante, cum jam prope messis flavesceret, et panis inopia me urgeret, anxius vicinum conveni, ut æquata sorte communem culturam secaremus. Ille damnum futurum maturæ segetis præcavens, opportunum tempus maturitatis se expectare respondit. Sic mihi negata facultate colligendi amplius in die, angebar egestate familiaris rei. Cum multa volventi tandem male concepta hæc animo sententia sedit. Ingressus agrum cum asino in festiva nocte sancti Christophori martyris, angustiam meæ necessitudinis B Sanctorum præferebam religioni, et furtum, inscio participe, nocturna falce arvum commune demetebam. Nec mora, et, ecce, ira Dei desuper in dominum et in animal, quod adduxeram, gravi fulmine desæviit: contracta enim compage nervorum asinus diriguit, et prodigioso monstro omnes circumquaque perterruit. At ego infelix in terram corrui, multiplici genere dolorum plexus. Surgunt mihi in collo altrinsecus duæ strumæ ulcerum, et dira sanie putredinis prope assistentes infestant. Æger anhelitus aërem fatigat, caput incessabili cardine rotatur, brachia jugi motu tremiscunt, crebris suspiriis pulsantur ilia, dissiliunt femora, franguntur crura, crudescit in me fera rabies inimici, et in novilunio ut fera pascitur morsibus meis. Heu! quam surda aure mors vota mea despicis, et ingratas vitæ moras mihi protrahis!

convalescit: 48 Ad hæc Comes illi pie benignus ingemiscens, Hos duos, inquit, denarios ob viaticum tolle, et Altivillare petens, missum ex meo nomine te dices, ad exposcendam opem sanctæ Helenæ. Certus habeto spem salutis: quod ejus C meritis cæcus vidisset et claudus resiluisset, meis probavi oculis. Hac accepta confortatione, ingressus erat vespertina hora hospitium peregrinorum. Stupores hominem omni officio corporis destitutum, videres caput portentuoso motu rotari, alieno officio pasci, potari: dolores eum præ nimio impetu vertiginis semesis morsibus fœdare, et assidue potus effusione aspergi. Verumtamen illa nocte paulo remissius requiescens, sequenti die, qui in sabbatum illuxit, post ortum solis matutinus se agebat ad ecclesiam. Vix ulla credet ætas, quam miserabilis facies hominis apparebat. Certe ut est humanæ naturæ conditio, alia dulcior, alia paulo asperior; quidam fugiebant venientem alii pie gemebant diri spectaculi miseram sortem. Recumbit ante gradus cancelli, et pro questu lacrymosi cordis ita dulcem Reginam sibi amicat: O, inquit, beata Helena, mater imperii, regina totius Romani orbis, retectrix Dominicæ crucis, inducias vel hodie, inducias vel hodie. Mira res! Vix hæc ediderat, et, ecce, caput in altum supinans, imprimis pravo sudore circa collum respergitur: dehinc mira stabilitate se immobilem miratur. O beata meritorum efficacia quam expers est moræ in exhibitione salutis! Attoniti visione tanti beneficii velut rapti in extasi paulo hæsimus: deinde mirantes gyrare hominem, D se redditum sibi, magnæ auctoritatis testimonio probamus. O plenas gaudiis lacrymas, quas tibi, Christe, fundimus, dum tibi pio pectine cordis dulcem cantici melodiam in organo vocis tympanizamus, et illi de justitio diabolicæ captivitatis erepto congaudere habemus! O miraculum celebre omnibus sæculis numquam simili spectaculo visum! Alteratur nova figura hominis, et antea cognoscentibus se vicinis in stuporem se offert peregrinæ novitatis, et cum omnes recognoscit, miratur etiam a progenitoribus ut alienigena non recognosci.

49 Hanc diem nobis Regina nostra dedicavit duabus coronis beneficiorum, et ante se lucere jussit duobus candelabris sanitatum. Vespertina enim hora Dominicæ noctis quidam pauper de villa Trecuncio advenit, attollens vehiculo uxorem nomine Emelinam. Hæc dimidio anno nullam curam domesticis negotiis adhibuerat, quod nervis obrigescentibus dextri cruris contracta officium gradiendi amiserat: quæ licet modica censu, sed magnanimis fide, ut porticum ecclesiæ ingressa est, miro Dei favore opem meruit sanctæ Helenæ. Nam labiis silens, et pio corde nomen sanctæ Helenæ reginæ salutans, cœpit tentando,, calce terram figere: et hoc morosa resolutione nervorum iterum et iterum conata, tandem inopina pedis firmitate aram veneratur, et, ut pauper illa Euangelii mulier, exiguo quadrante ærarium sanctæ Imperatricis ditat. Geminavit nobis lætitiam matutini miraculi executio hujus vespertini: hac etenim die nostra illustris Regina Deo omnipotenti ecclesiam suam gemino gratiarum holocausto voluit solemnizare: sicut legifer Vates mane et vespere gemina sacrificii oblatione sacerdotem divinis aspectibus jussit assistere. Felix Altivillarensis ecclesia, felicibus auspiciis suæ Patronæ feliciter delectata, tunc meruit dicere cum Propheta: Vespere et mane narrabo et annuntiabo. Et iterum: In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi. XVII. *mulieris crus contractum,* E

50 Parum est mihi de finitimis dicere; libet etiam attestari prædicabilem opem nostræ Patronæ et in exteris nationibus respersam. Regina totius Romani orbis ut olim æqua lance justitiæ omnem sibi subjectum hominem pacificavit; ita nunc quoque ubique terrarum ut domina suos agnoscens, pia exauditione salutis omnibus subvenit. In Lotharingia castellum est celebris potentiæ, quod Horum dicitur. Huic quædam villa adjacet dicta Amecina, quam rusticus quidam, Joannes nomine, incolebat, filium annorum plus minusve duodecim habens. Huic Dei potestas, cujus leges tremit natura, et cujus judicia abyssus multa, loquendi facultatem subtraxerat. Qui cum jam triennium in hujus silentii infortunio duxisset pater eum unice amans piæ devotionis voto se obligavit, quod Altumvillare cum illo memoriam sanctæ imperatricis Helenæ suppliciter expeteret, et congruo suæ paupertatis munere eam honoraret, si ejus favore taciturnitatis vinculo solveretur. O Dei summi magnifica dignatio! qui, ne quis diffidat, Sanctorum suorum ubique vivere patrocinia magna quoque prædicandæ virtutis efficacia eos ibi commendat, ubi pia solummodo nominis eorum fit recordatio. Ecce enim pauperem pii voti..... benigne approbat, et ut filio ejus manum indulgentiæ porrigat, jam dignum judicat, sicut olim Centurionem, ut puerum ejus paralyticum absolveret. XVIII. *puer item mutus* F

51 Insecuto itaque unius noctis interstitio felicem *sanantur.*

A liccm diem felici gaudio Deus retexit parentibus pueri, et meritis sanctæ Helenæ desiderium eorum adimplevit. Surgit enim infans e stratis cum organo solutæ vocis, et præsentiam sanctæ Reginæ sibi affuisse digno loquendi officio contestatur. Parentes inexplebili gaudio jocundantur, et reverentia tanti præconii miro fervore circumquaque celebratur. Igitur nono die post translationem beatæ nostræ Patronæ Altivillare genitor ingreditur, ut sponsionis suæ votum solvat, filio sibi comite in argumentum divinæ misericordiæ. Deinde fusa prece, et juxta modum suæ possibilitatis data oblatione, animos sanctæ congregationis lætificat nuntio inopinæ relationis, et sanctam Reginam ut novum sidus illuxisse toti Lotharingiæ, præsenti miraculo comprobatur loquentis filii. *Sequitur in nostro apographo capitulum* XIX : Quod sicut lex Euangelium in figura præcessit, ita et antiqui sua comparatione, præfiguraverunt modernos sub gratia. *Sed parallelismum hunc non transcribimus. Fini etiam hujus narrationis subnectuntur versus aliquot heroici metri. Post quos referuntur miracula duo. Alterum quidem,* De muliere cæca B meritis S. Helenæ illuminata in quarta hebdomada Quadragesimalis jejunii. *Alterum vero,* Item de puella cæca feria tertia Pentecostes lumini reddita. *De quibus dicetur infra.*

ANNOTATA.

a *Anno Christi* 1095 *currebat a die* 23 *Maii annus* 37 *Philippi regis, sicut habetur apud Labbeum in Compendio chronologico ad istum annum; quo etiam consuli potest Pagius in Critica Baroniana num.* 16.

b Reginoldus *archiepiscopus, al.* Rainaldus, *hujus nominis I, sedit ab anno* 1085 *usque ad* 1096, *prout notant Sammarthani tomo* I *Galliæ Christianæ; ubi plura de illo dicuntur pag.* 508 *et sequentibus. Verum cum his non cohærent ea, quæ scribit Labbeus paullo ante citatus ad annum* 1095, *ubi affirmat, archiepiscopum istum Atrebati tunc vita functum die* 21 *Januarii, ac Manassem ei successisse. Marlotus tomo* 2 *lib.* 2, *cap.* 3 *Metropolis Remensis eumdem quidem mortis locum ac diem designat; sed annum* C 1096.

c Philippus *ille episcopus*, de Champagne *dictus, ponitur apud Sammarthanos tom* 2 *Galliæ Christianæ pag.* 504, *ac dicitur Catalaunensem obtinuisse sedem anno* 1093.

d Mons sanctæ Mariæ, *est illc, ni fallor, locus, qui in mappa Blaviana Insulæ Franciæ vocatur Gallice* Mont N. Dame, *ac milliaribus aliquot distat ab urbe Suessionensi Campaniam versus.*

e *Urbanus videlicet PP. II.*

f *In illo concilio Philippus rex Francorum anno* 1095 *excommunicatur, postquam ei in concilio Placentino concessæ fuerant induciæ in causa incestarum nuptiarum cum Bertrada. Adiri possunt Baronius et Pagius ad istum annum, nec non Labbeus tomo* 10 *Conciliorum a col.* 500.

g Cabillonum, *notissima Galliæ urbs est ad Ararim fluvium, vulgo Challon, vel Challon sur Saone; de qua pluribus agit Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 109.

h *Electus est anno* 1092, *mortuus* 1103, *secundum Sammarthanos tomo* 3 *Galliæ Christianæ pag.* 1049.

i Matrona, fluvius Galliæ, la Marne vulgo indigenis, oritur in Campania provincia, et in vico Balisma, loco cui nomen Marmote, distante uno milliari ab urbe Lingonum in meridiem; deinde in septemtrionem tendens, Lingones rigat, Calvum montem, Joanvillam, fanum S. Desiderii, Victoriacum Franciscum et Catalaunum urbes Campaniæ; uti et versus occasum Spernacum, Castrum Theodorici, Meldas et Latiniacum; tandemque aliquot auctus fluviis minoribus, ad pontem Carentonium E Sequanæ miscetur duabus leucis supra Parisios in ortum, *inquit Baudrandus. Ab aliis vocatur* Materna, *sicut licet videre apud Adrianum Valesium modo citatum.*

k Sine capite. *De quo, uti et de aliis membris consule superius allata* § 3 *num.* 27.

l Brandeum *est* velum vel palla serica vel lintea, qua Divorum reliquiæ vel corpora involvi a Christianis solebant, *ait Cangius in Glossario, ubi affert exempla.*

m Bannire, *et* bannum *varia significant, ut videre licet apud Cangium. Hic vero* bannire *esse idem, quod* edicto publico sancire, constituere *vel* proclamare, *colligo ex proxime hic sequentibus.*

n *De Sancti istius reliquiis dixi supra* § 2, *num.* 18.

o Tornacum *duplex assignat Baudrandus; alterum in Aquitania Galliæ, et in Arminiaco tractu superiori, ad Arrosium amnem, in limite Bigerrensis Comitatus; alterum, urbem Gallobelgii notissimam. De hac suspicor hic agi, quæ utpote olim fuerit sub metropoli Remensi, in qua cœnobium Altivillarense.* F

p *Puto hic agi de S. Leonardo, S. Remigii discipulo, de quo Martyrologium Romanum ad diem* 6 *Novembris. Mappa Blaviana diœcesis Remensis in ipso urbis Remensis territorio ad fluvium Vidulam, vulgo la Vele, signat locum* S. Lienart. *An is sit, de quo hic sermo, an alius, affirmare nequeo. Major fortasse ei lux accedet ac melior, quando de S. Leonardo tractabitur dicto die.*



GLORIA

A D

GLORIA POSTUMA EX MIRACULIS.

§ I. Miracula ope Sanctæ in sua translatione in Galliam patrata seculo x.

Auctore Almanno monacho Altivillarensi,

E. Ms. Resbacensi hic edita.

Horum *miraculorum* auctor Almantius, *seu Almannus*, monachus Altivillarensis, qui vixit anno DCCCXC juxta Trithemium *prout nostro apographo apposuit propria manu noster Heribertus Rosweydus, uti et ista* : Ex Ms. Resbacensi, studio Nicolai Belfortii. *Ad Almannum quod attinet; consute quæ antea in Commentario prævio* § 14, *et in Gloria posthuma superius* § 1 *de itto sunt præmissa. Nicolaus autem ille Belfortius non dubito quin sit idem, de quo mentio jam pridem facta est apud nos tomo* II *Januarii ad diem* XX *ejusdem mensis pag.* 262, in monasterio, *prout ibi dicitur*, S. Joannis de Vinea Suessione Canonicus Regularis. *De Resbacensi* (*Rebais*) *monasterio in Gattia non procul a Matrona fluvio, in diœcesi Meldensi et saltu Brigensi, meminimus tomo* I *Februarii, die* VI *pag.* 817. *Dictum exemplar dispeseitur in eapita duo supra viginti : quorum toeo nos pauciora substituimus, antiquo tamen numero ad marginem retento. Consuetam vero fuisse iltam historiam prælegi cœnobitis Altivillarensibus, videtur erui ex his verbis in ejusdem fine num.* 75 *apud nos* : Ea itaque nocte, qua in crastinum die natalis ejus, *Sanctæ videlicet nostræ*, recitari primo habebant coram fratribus hæc quæ de ipsa nostro labore collecta sunt *etc. Hæc habebam, lector, de quibus te præmonendum censui. Consule etiam Annotata mea. Rei autem gestæ narratio ita sonat : cujus, secundum nostram novam partitionem, en tibi*

B C

PARS PRIMA

Miracula, quæ cum circa sacrum corpus, tum in aliis per illud sospitatis contigere.

Cap. I. *Corpus S. Helenæ levari nequit, et quare :* * al. Per omnia sanctissima almi vigoris a b

Romam vigoris sanctissima * imperatrix Helena (Domino Deo plagæ occidentali favente) secuudum se egressa, mansionem secundam habuit in sylva, quæ ab incolis illius loci vocitatur Sudria *a*. Ut autem tertia lux gelidam cælo dimovit umbram, qui ejus comitatu gaudere meruerant, [cernentes solem rerum colores referre] itinerantium more, cœperunt sagmaria *b* sternere, et abeundi studio sua componere; usque dum archicustos ejus Teutgisus nomine reverteretur : qui ex quadam necessitativa causa non aderat præsens. Ante suarum ergo rerum quisquilias, unus ceterorum, cui prædictus jusserat custos, marguaritum * pretiosum levare gestiebat iu asellum : sed quamvis omni uiteretur conamine, beatissimum tamen corpus manebat immobile. Res mira! Omnino alma pretiosi decoris membra [penitus] moveri nequiveruut toto labore homiuis fortioris : quæ diebus retro consumptis duobus ipsi asello superposita et deposita fuerunt manu prædicti custodis longe viribus inferioris. Adhæc levandi avidus, stupore confusus, timore perterritus [simulque admirationi deditus] magistrum adiit : Helenam sanctam a Roma lougius venire nolle inquit; et ut celeriter sine mora * abeant, hortari contendit. At ille verba uuntii secum versans, et, quid facto opus sit, timido corde tractitans, ubi beatissima Constantini Genitrix quiescebat, concito gradu pervenit : diuque eam intuens, tandem pavidus striuxit, et sine [ulla] reluctatione asino imposuit. Qua de re cunctis [qui eam sequebantur] reddita quidem lætitia (quia, quod minime speraverant, eam ferebant) admiratione vero incrementata *, quia, quid res vellet [omnimodis] ignorabant, avido calle cœperunt iter carpere *. Denique, confitente ipso, qui eam nou valuit movere a loco, repertum est [a custode presbytero, nomiue Theutgiso] quod nocturno pollutus fuerit [in] somuio. Tunc laus et honor altithrono Deo, vincenti æternitate seculorum secula, in suo perpetuo reguo. Ameu.

* al. margaritum

E

* al. ipsa

* al. incerta

* al. arripere Ast

F

II. *per rapidissimum fluvium Tarum mirabiliter devehitur :* c

54 Porro autem avidiori calle viam terentes, devenerunt ad superbissimum fluvium, cui est Taro *c* vocabulum : quod tantæ glomerationis et celeritatis solvitur impetu, ut si magnæ quantitatis lapis iu eum projectus fuerit, ita turbine velocissimo portetur, ut vix natura compelleute queat ad fuudum venire. Igitur cum pavore uon minimo, intuentes superbas minas aquæ, deliberabant nullateuus illac transire : cum subito asinus, quem sedebat ligni vitæ altissima Detectrix, sine cunctatioue aliqua, fluvium est ingressus : ac si magni præconii dixisset nostra Helena : Quid titubatis? Quid mirisonas undas pavetis? Quam sequimini per solum, prosequimini et in latices minitantium fluminum. Sed omnes vicit pavor : unus enim astantium tentandi causa mittens hastam, nullo modo tenere potuit vel paululum rectam. Præfatus autem provisor, acerrimo transfixus dolore, æstimabat enimvero, frustra stellam cælo micantem, tali vertice absorberi posse, post illam tantum ex ripa pedes dimisit, simul ac certus, quod, si pedem paulisper a solo submoveret, dicto citius in præceps eum fortissima volubilitas aquæ devolveret. Ita eo lachrymabiliter suspenso, et in limite hujus vitæ præsentis, sua et omni

A omnium, quiqui littore stabant, deliberatione flexo; alter asinus, qui ad ripam stabat, ultro intrans amnem juxta ejus * cominus stetit, cui superincumbens, jam enim collisiones undarum ferebat, usque ad Sanctam pervenit. O rem mirationi deditam! Alternantes conglobationes aquæ ab imis vadis refusæ verticem (sicut erat incumbens asino) pulsabant prolongati presbyteri, et non perveniebant vel usque ad latera alterius asini, cui insederat constantissima Parens heroïs Constantini. Sic ipsa duce, tumidosque flatus fluminis refrænante, quod nullus videntium credere poterat, presbyter et asini ex superbo flumine exierunt salvi. Reliquus vero populus, ad publicum, quod inde terno aberat milliario, transmearunt vadum, laudantes super hoc omnipotentem Dominum.

* cum

III. puella quædam in lapsu sospitatur; d

55 Taliter lampade signorum viam illustrans, perlata est, immo portavit sequentes se, usque ad nobilissimum montium montem Jovis *d*. Quam ascendentem dum quædam puella nimium credulo, et, nisi ipsa foret, mortali sequeretur gressu, ex arctissima semita, scopulis angustiæ septa, B pauxillum deviato calle in præceps miserabiliter ruit. Proh dolor! ex altitudine montis nimia ceu globus volvebatur ad ima: non jam amplius quam dimidiæ debitrix vitæ; cum ad voces plebis, unanimiter Dei auxilium supplicantis, adfuit suffragium virtutiferæ Helenæ. Statim enim ut inchoaverunt ab imis præcordiis voces emittere, cælum clamore pulsare et intonando terque quaterque dicere, Sancta Helena adjuva, S. Helena adjuva; puerpera, quæ ante ita rotabatur proclivio montis, ut vix videri oculis posset, immobilis hæsit prærupto solo: quousque, qui eam viderant ultra, nec mortuam putabant, fasciolas suas gratanter miserunt, et ad se incolumem, nec ullam ex casu molestiam habentem mirifice retraxeruut, Dominoque gratias egerunt; qui meritis gloriosissimæ Helenæ, sic eis reddidit sanam ut nec quod ceciderit sentiret, et usque prope descensum montis, post suam sanatricem, immo resuscitatricem rediviva curreret. Ad hæc insignia universa plebs excitatior reddita, devotius et hilarius eam prosequi cœpit.

IV. uti et alius, qui corpus Sanctæ ferebat,

C 56 Postquam vero jam descendentes, ad strictiorem pervenerunt semitam, dextra lævaque spe mortis circumdatam; quidam vassallus nomine Otinus, miraculis prædictis devotior factus, venerationi ejus operam impendere sedulus curavit. Nam ex caballo suo, cui eam jam dudum asino ablatam commiserat ferendam, timens lapsum equi, quem semitella minabatur, deposuit, suosque humeros pretiosissimo ponderi veneranter supposuit: sicque ingressus et semitæ discrimen, suam gestans, ut non multo post claruit, gestatricem. Nam postea ex angustissimo diverticulo, pede graviter lapso, miserabiliter corruit. Qui interim, quanto letifer casus minabatur necem, tanto ardentius moribundus brachiis almam stringebat Reginam: et oculos vix cælo dirigens, ceu mors imminens admonebat, totus precabatur, ut ab ea, quam prius portaverat, portaretur. Populus itaque, quod ultra vitales minime ille carperet auras, quamquam magnitudine pericli diffisus, tamen virtutum retro visis miraculis, spe erectus est. Cumque voces in cælum cœpit emittere, dicens, Sancta Helena, S. Helena succurre; nomine, quod ora cunctorum tonabant, annuente, equus, quo dudum Beatissima sederat, suum casum pro nihilo ducens, anteriores tetendit pedes, intraque ipsos strictissime hominem est amplexus, sicuti ipse Deo charissima amplexabatur membra; sicque eum, ne proclivio laberetur montis, tamdiu tenuit, usque dum ex monasterio S. Petri *e*, quod ad radicem montis situm est, homines clamore excitati, sursum currerent, auxilium ferre parati.

A. Almanno.

e

et equus bajulus sacri corporis

57 Qui ut viderunt equum, se despecto, homini ferre solatium; huic admiratione multa, qui quondam formaverat verba, comparaverunt asellum. Tunc securibus, lanceis, et machæris crispata glacie, ne solito deluderet nitentium juvare vestigia, unum suorum, qui et hominem ligaret funibus, et equum a servitio exueret, demiserunt: sicque cum sanctissimo corpore retraxerunt ad se sanum hominem, qui ceciderat, pariterque cum eo, qui descenderat, adjutorem sonipedem. Dic jam, o natura, ubi sunt tuæ leges post talia, quæ Christus mundo meritis Sanctorum suorum inserit, miracula? cui est cum Patre altithrono simulque Flamine sancto laus et honor in secula seculorum. Ipse me sine aliquo erroris fuco permittat exarare cetera, per inclytæ Helenæ gloriosa præsidia.

E Compellebat vero quemdam comitem nomine Astaldum, pariterque abstractum a morte, Otinum (locus [erat] quo tendebant) transcenso monte viam mutare, sanctamque Helenam relinquere: quod et facerent, nisi prædicta miracula retraxissent: his etenim afflati sinum penitus diviserunt, et iter, quo Beatissima tendebat, summa cum devotione tenuerunt.

V. Contracta

58 His itaque miraculorum figuris itinere levato, gaudentes et psallentes super his, quæ insolito viderant, intra Lingonicos fines, ad portum scilicet, cui nomen est Osvia *f* pervenerunt; eamque in basilicam sancti Munebundi *g* perportaverunt. Aliger autem rumor, nedum ipsam villam, omnem Lingonicam implet parochiam, advenisse scilicet totius orbis quondam dominatricem Helenam; ejusque qualitatem non cessat notificare, cum ex defosso totius cosmi * pretiosissimo imperialiter thesauro, tum pariter ex virtutibus supra fassis *, et ipsius meritis infra missis admirabiliter e cælo. Ad istius ergo potentiæ gloriosissimum decus quædam femina manibus repens, officia pedum genibus implens, ecclesiam est lachrymabiliter ingressa. Cernere enim erat F eam ita morbo vetusto contractam, ut pedes miserabiliter hærereut, vultibusque incurva caducis, solam despectaret tellurem. Ligneis ergo advecta pedibus venit: gestamen, in quo multæ venerationis membra ferebautur, tremula tetigit: moxque, revocatis membris, in priscum componitur usum, ut ne signa quidem præteritæ infirmitatis investigari possent.

f

g

* i. e. mundi, Græce κόσμου.

* an. suprafatis?

sanatur.

59 Ex non modico ergo dolore calcaneorum ad proprium locum invite remeantium, incondītas alte cœpit emittere voces. Ad cujus ululatum propius commaneutes, concite cucurrerunt: et, quod numquam credere potueraut, pedibus rectam stare cernentes, manusque a servitio pedum liberas intueutes, glorificaverunt Deum. Miratur mulier altum cæli apicem: stupescit solum incognitis plantis calcare: coutremiscit manus proprium officium frequentare. Admiratur universa plebs virtutiferum corpus Heleuæ ab ipsa in crastinum ex ecclesia deportari, Benedictus Deus proclamantes, qui facit mirabilia magna solus per B. Heleuam, tristes morborum non cessantem effugare pestes: ut adhuc, qui viderunt, maximeque presbyter, cujus relatione didici, quod scribo, existunt testes.

60 Ex

A. Almanno. VI. Paralytico redditur usus membrorum;

60 Ex illo igitur loco unius solis itinere nostra progressa Helena, insequente noctis articulo, insigni refulsit miraculo. Quidam enim homo sic paralysi dissolutus erat sexennio, ut omnium artuum funditus careret subsidio: membraque propriis deserta officiis, mortis sub imagine viva jacerent in lectulo. Ergo fama signorum hortatus per conjugem suam, Beatissimæ linteamen misit in munere, simulque ipsum, quo quotidie armaretur, gladium. Ut autem ad ipsam parva perlata sunt munuscula; remisit simul et Gloriosissima omnium illi membrorum officia, noxiæ dissolutionis torsione fugata, antequam missa rediret ad eum femina.

VII. Cæcæ puellæ visus.

61 Hoc insigne salutis ut audivit puellula cæca ab utero matris, pervenit ducta alieno lumine; ubi virtutiferam Reginam agnoverat esse. Cujus dum feretrum tetigit, in mediis tenebris lux aperta refulsit, quem numquam viderat, intuetur solem: laudansque et tripudians, suam dic crastino prosequitur Illumiuatricem, ipsa propriis ocellis sua legens vestigia, quæ ante paululum alienis ad ipsam fuerat tracta *h*. B

ANNOTATA.

a Sutrium antiquissima *Thusciæ* civitas... Nominis originem a frumento esse scribit Annius, nempe a σῖτος, quod frumentum significat, et tris, quo triplicem aristam, compositum: quoniam tribus aristis pro symbolo ac insigni utatur... Livius Sutrium multis in locis nominat, præsertim cum Hetruriæ claustrum ob loci naturam, et belli adversus Hetruscos gerendi opportunitatem appellat; pauloque post Camillum, audita Sutriorum defectione, militi edixisse ait, ut annonam tridui secum in iter deferret, quo celeritati profectionis adversus Sutrios obesse posset nihil. Hinc et Plautinum est adagium, ut, qui dierum aliquot annonam secum deserunt, ire Sutrium dicantur... Parum hac ætate frequentatur, cavernis undique topho, cui insidet, incisis cinctum; *prout videre licet apud Leandrum Albertum in Descriptione Italiæ.*

b Sagma est, quo asinis, mulis, equis tergum C sternitur, ne ab onere lædantur; quæ jumenta hic sagmaria dici videntur. *Ita Bollandus noster in notis Ms. ad hæc miracula. Consule Glossarium Cangii.*

c *Leander Albertus paullo ante citatus, inter ea quæ scribit de Lombardia Cispadana,* Transito, *ait,* Parmæ ostio Tari succedit amnis... Oritur Apennino juxta Zaze, ac intervallo P. M. V. ab urbe Parma fluens, hic in Padum se exonerat.

d Mons Jovis. *Proxime allatus Leander Albertus hæc observat agens de Lombardia Transpadana:* Constat... Alpes has juxta fauces, ubi Augusta Prætoria, veteres appellavisse Graias et Pœninas, nimirum Augustæ dextra Pœninas, quæ nunc Mons Major D. Bernardi, et item Mons Jovis, læva Graias, quæ Mons Minor D. Bernardi, itemque Columna Jovis, dicuntur.

e *Quodnam et quale hic indicetur monasterium non est mihi promptum dicere; erit fortasse his, qui huic locorum tractui sunt viciniores. Idem sit dictum de situ determinando presse* villæ Avergæ *et* Fellesiæ, *quæ inferius occurrunt. De Fallesia tamen videri possunt, quæ dabo infra in Annotatis ad partem 3 lit. g,*

f *Flodoardus*: In vicum qui vocatur Osismus. *In territorio Lingonensi (Lingones urbs notissima est in Campania Galliæ sita, quæ vulgo Lan gres dicitur) reperio locum* Oisame. *An is, an alius de* D *quo hic sermo est?*

g *Flodoardus* Winebaldi. *Bollandus in Mss. posthumis hunc esse opinatur, qui 18 Decembris colitur, SS. Willibaldi et Walburgis frater. De S. Willibaldo actum est apud nos die VII Julii, tom. 2 a pag. 485.*

h *Quæ in hac parte prima superius a num. 53 referuntur, usque ad* Tunc laus *etc. exclusive, habentur etiam in apographo nostro e Ms. S. Martini cap. 24 hoc titulo:* Incipiunt miracula, quæ mirifice ostendit Deus per suffragia beatæ Helenæ matris Constantini imperatoris, in ejus translatione. *E quo exemplari, ad nostrum aliud, quod hic damus, collato, depromptæ sunt variæ lectiones, et supplementa uncinis inclusa usque ad* Tunc laus.

PARS SECUNDA.

Omnigena alia mala per S. Helenæ corpus sanata. E

VIII. Muta et usu manuum privata,

His ita gestis, plebeia turba Dominum laudans, amicam Sponsi virtutum plenam intonans, Kyrie eleison proclamando sydera pulsans, avidiori remo viam sulcans, in villam, quæ vulgari nomine Averga vocatur, eum domina nostra tandem ingreditur Helena. Nec mora; obviam ei venit muta, manuum officio penitus privata. Cerneres eam ita miserabiliter ægrotam, ut nec, quid faceret, flagitare posset muta, nec ipsa ori cibum ferre valeret manibus contracta. Et ista mirabiliter est concurata.

IX. lunaticus,

63 A prænominata autem exiens villa in proximam, nomine, Fallesiam ingressa est: pariterque mutorum, cæcorum, surdorum, paralyticorum, claudorumque sanitas cum illa: sicuti ipsa interpellante et Domino adjuvante indicabunt sequentia. Nam ut in ecclesia ejus beatæ memoriæ posita fuerunt membra; cunctis, qui aderant, divina per ipsam refulsere miracula. Quidam enim intrans homo, multo jam tempore lunaticus, simul ac cecidit, spiritu muto graviter vexatus, acsi penitus occubuisset mortuus. Tota ergo ecclesia super hoc stupori dedita, ore sedulo, ut tantum casum hominis [ita etiam docuisset] *a* sanctam vocitabat Helenam: cum, ecce, dicto citius valetudo omnibus membris hominis adfuit, et sanissimus ille redditus, longo in reliquum tempore incolumis vixit, præterita infirmitate privatus. Sit hinc benedictus Deus! F

X. alius miserrimo morbo afflictus,

64 In ipsa autem villa quidam homo morbo miserabilis, tria in grabato deduxerat lustra, tanta ægrotatione absorptus, ut, carne putrefacta, viginti tria ex corpore ejus cecciderint ossa. Quem ceu omnimodis confractum in gestatorio proximi componentes, fama signorum ducti ad basilicam deportarerunt, ubi virtutes magnæ Constantii sponsi dilecta dispensabat Helena: non tamen ullo modo sanitatem posse recipere credentes, morbi magnitudine seducti. O rem miram, o rem forsitan aliquibus audituris incredulam? Ex lectulo, quo advectus fuerat, conabatur surgere, qui intra XV annorum curricula, in aliud latus non fuerat versus propria virtute. Quod qui cum adduxerant multo stupore intuentes, et, propter morbi longitudinem et gravedinem, conamen illud pro nihilo ducentes, tandem, quid vellet facere, interrogaverunt. At ille virtute quidem afflatus

A. Albano.

A afflatus beatissimæ Helenæ, sed adhuc inanito aggravatus corpore, ut levaretur flagitabat obnixe. Tunc qui eum asportaverant, hoc sine divino numine non esse cognoscentes, statim eum non jam ex toto, sed ex parte juvantes crexerunt. Et, ecce, a feretro Mediatricis odor salutis allatus naribus cicatricis, ita ægroti omnia solidata sunt membra, ut nulla priscæ infirmitatis invenirent vestigia: firmiterque deinceps calcans dudum incognitum solum, qui allatus fuerat viribus alienis, ad sua lætanter reversus est propriis: vectorem suum grata mercede revexit, universasque adjacentes provincias ad laudandum Dominum excitavit.

xi. *clauda ex utero matris.*

65 Non multo post cujusdam nomine Haderici filia, nomine Bava, genibus repens, manibus ligneos pedes tenens, odore signorum afflata fuit: quam ex utero matris suæ claudam coram omni clero nostra Helena fecit gressu incedere recto: et usque hodie, comite vita, in civitate Durocordorum Rhemorum *b* sanctimonialis est, ab omni ruga veternosæ infirmitatis penitus exuta. Qui non credit, quod fuerit clauda, ipsius potest cognoscere verbis, quantam B in se virtutem beatissimæ nostræ Reginæ fuerit experta.

xii. *alia paralysi dissoluta,*

66 In ipso etiam temporis articulo, rumor virtutum quamdam traxit feminam ad sanitatis dispensatricem Helenam: quæ paralysi dissoluta, linguæ funditus amiserat munera, pariterque demissis nervis languida manus dextræ dependebant vinculo. Quæ ut venit, et pro desiderio recipiendi sanitatem allatus linteolus Sanctissimæ feretrum tetigit; confestim sanæ redierunt munia linguæ: viget dextra firmato robore, obstructo gravi pondere palmæ, quod multis annis depeudcrat inutile. Veneremur ergo tantæ felicitatis vel salutis decus insigne; per quod nobis tanta Christi monstrantur miracula, per quod ligno vitæ detecto diaboli calcantur figmenta, per quod prophetiæ complentur oracula, per quod freno filii regis insignito hostium proturbantur jacula, ipsumque omni in prælio comitatur triumphalis victoria *c*. Benedictus ergo Trinitas Deus in secula.

xiii. *surdus a nativitate, d*

67 Ignicomus interea sol fundens in terris roseum jubar, exturbatorem mortis revehebat diem *d*, qui culmen alti nominis a dominante Domino trahit: et, ecce, quidam a matris utero surdus, C vervecem sanctissimæ Reginæ adducebat in munere: et, ut Missarum inchoata sunt solemnia, ecclesiam est ingressus. Ut ventum est ad Euangelium, meritis Helenæ surdas aures penetrat sonus vocis aëriæ, statimque, Euangelio perlecto, viva cœpit voce clamare, se numquam, nisi tunc, Euangelium audisse, et Deo gratias vociferando, clamore basilicam omnem implere. Hæc universi perpendentes, Dominum unanimiter glorificaverunt, qui per suam Helenam, virtutum miraculis propriam decorabat ecclesiam.

xiv. *puer periculose ægrotans,*

68 Quidam homo nomine Hadericus, non ille, cujus supra mentionem fecimus, trimum primogenitum habebat filium, cujus tenerrimis membris ita inæqualitas infusa erat corporis, ut quintus jam exactus fuerit dies, ex quo lac, quod solum adhuc habebat cibum, minime traxisset ex matris uberibus. Tristatur pater, haud minus mater, cernentes mori, quem necdum plene cognoverant vivere. Inter hæc præ doloris magnitudine, quid facerent, multa volventes, ut nostram super hoc adirent Helenam compelluntur reliquorum signorum pennigera fama. Igitur genitor concito gradu, ubi sanctissima almi corporis quiescebat glebа, perrexit, diu salutem filii oravit; donum vovit, et ad propria rediit. Puerum ergo, qui quinque jejunaverat dies, lætantem et incolumem reperit: et quod ipsa hora, qua ad cryptam Beatissimæ salutem ejus flagitavit, lac trahere cœpisset, invenit, omnipotentique Deo gratias egit, qui, quod nullo modo speraverat, unicum filii primogeniti amorem reddidit, qui usque hodie genitori superstes, vita fruitur hæres.

xv. *paralyticus male vitæ sæpe relapsus; item corpus inutile mulieris; item cæca curantur.*

69 Accumulentur paginæ miracula, quæ ab iis, qui interfuere, veridica sunt relatione comperta. Quidam Trevir homo omnium membrorum ita erat privatus officio, ut nullo modo moveri posset e lecto, nisi aliquo vectus gestatorio. Aligera autem excitatus fama virtutum, vehi se fecit post Beatissimæ corpus salutiferum,* usque in Faliesiam, ex finibus Treverorum. Qui redditus * sanitati per gloriosissimæ Reginæ merita iterum retraxerunt sua multo jam tempore relata facinora, Itaque per septem vices omnium membrorum soliditatem Helenæ suffragiis mirabiliter adeptus; totidem vicibus, desideriis prementibus carnis, miserabiliter est contractus: quia, ut ipse E tandem prodidit, vicesimus jam vertebatur annus, ex quo non fuerat confessus. Hortantibus itaque qui prædicta cernebant insignia, confitetur jam tandem diu celata peccamina. Haud mora: redditur confesso sanitas permansura: sicque qui æger flebilis fuerat advectus, ad propria gaudens revertitur sanus. Hinc laude et gloria benedicendus Deus, dum polus in sua sphæra signiferos custodierit cursus.

* quem redditum

xvi. *e*

Nec illud silentio tegendum, quod soror jam non semel prædicti bajuli *e*, dextrum latus corporis sine ullo usu gestabat inutile pondus, resolutaque membra suis officiis deserta, et languidas compages illa in parte pendentes dimissis nervis. Quæ ut delata est ad basilicam, in qua virtutinoma quiescebat Helena, ab ejus feretro salutis odor egressus infirmo corpori proprios reddidit usus: sicque prædicta muliercula suis lætatur incedere plantis, quæ illata in ecclesiam fuerat viribus alienis.

xvii.

Circa illud tempus mulier cæca, rumore signorum audito, ad eam tracta est: quam quia ingens presserat somnus, ob hoc suus dimittere eam satagebat maritus Ut sol ergo cœpit se reddere terris, ingreditur ecclesiam, munus acceptura F salutis. Nec mora, id est hora tertia, lumen expulsis tenebris recipit, universa, quæ aderat, admirante familia, sicque nullo ducente, gratanter rediit ad propria *f*.

f

ANNOTATA.

a *Evanidos characteres nostri apographi ita restituere conatus sum.*

b Durocordorum *sive* Durocortorum Remorum *nomine vocatur ipsa metropolis Remensis. Vide plura apud Adrianum Valesium in Notitia Galliarum.*

c *De clavo Dominicæ passionis, quem* S. Helena *misit ad filium Constantinum, e quo frenum confi- eijussum, consule meum Commentarium prævium* § 9 *in initio.*

d *Resurrectionis videlicet Dominicæ quantum ego quidem intelligo.*

e *Teutgisum intelligere videtur, qui sacras* S. Helenæ *reliquias Roma detulit, et de quo supra* § 2.

f *Flodoardus lib.* 2 *Historiæ ecclesiæ Remensis*

A. ALMANNO. sis cap. 8 *superiora miracula, quæ ex Almanno protulimus, in Compendium contraxit.*

PARS TERTIA.

Inter varios sacri corporis competitores prævaluit cœnobium Altivillarense; ejusdem elogia; devastatio; mira piscatio Sanctæ meritis attributa.

XVIII. *Dum contenditur de corpore Sanctæ, Deo favente, ad cœnobium Altivillarense defertur:* a

Ab hinc qualiter ad nobilissimum Altumvillarense cœnobium, Domino favente, fuerit illata, ordiatur textus. Fama tantæ nobilitatis *a* Feminæ ut circumadjacentes provincias longe lateque cœpit irradiare, tantumque thesaurum Romæ furatum, et in Fallesia fore reconditum, nuntiare; hi, in quorum fundo erat posita, attentius custodierunt, et ne deinde vellet recedere, ei monasterium sanctimonialium ex rebus et filiabus suis devota mente voverunt. Ast alii, et B præcipue Rhemenses, ut tantum habere possent thesaurum, omni se labori dederunt: sed omnipotens Deus, qui hunc in multis mirifice elegit locum, huic destinavit tam pretiosi ponderis margaritum. Multis enim (uti ipse nobis presbyter referre solebat) ut eam haberent, e diverso pugnantibus, et usque ad mortem certare cupientibus, ac præcipue, ut dictum est, Rhemensibus, sole liquidius patet, Domini, et suum velle fuisse, ut veniret ad cœnobium Altovillarense; de cujus loci situ et nomine pauca libet hic inserere.

XIX. *loci istius prærogativæ* * *i. e. secundum etymon suum*

71 Præsagio namque muneris cælestis eum intra glossam * sui vocabuli staturum, permansurumque prævidentes, Altumvillare vocitarunt: altum, inquam, et revera alto nomine quidem, sed plus officio; nomine non literali sed mystico, in sphæraque syderea ei perpetim fovendo. O vera hujus nominis spiritalis etymologia ab altitudine, quod mensuræ nomen est, mystice dicta! In alto enim speculationis theoricæ nulla ei cellarum est prima; latitudine charitatis nulli est C ipsa secunda; profunditate sophiæ divinæ scilicet et humanæ etiam Athenis prælata; si adversa contigerint, patienter sustinendo, longa. Sed enim vere etiam liberaliter Altumvillare nuncupatur, diverso vernante decore, more gemmarum. Hinc enim frondium coma sylvestris simul, atque multiplices arborum fruges, Illinc placet uberrima tellus; istinc virentia prata graminibus; hinc hortorum odoriferi flores; hinc vinearum abundant botriones *b*, quique turgentibus gemmis lucentibus rutilant in Falernis *c*. Talis est prædicti loci cespes, tam melliflua *, tam grata, tam suavis, tam jucunda, — b, c; * *l.* tam mellifluus etc. laudantur.

72 Nec transierim quod decoratur Matrona, immo plus decoris ex eo accipit Materna *d* illa in parte lætior unda. Taliter divinitus est conditum Altumvillarense castrum; in quo astant in acie nobilia castra Dei, ubi sperantes, et, pro desiderio paradisi gementes lachrymas rorantibus oculis, non erunt gemendi in ultricibus flammis. Nec transierim, quod vulgo Altumvillare vocatur sedulo; et quam bene. Alt *e* namque Teudisco, vetulus more dicitur nostro. Agonizantes enim in ejus gymnasio, relinquunt distortum iter infantiæ, et callem impatientem fræni adolescentiæ, D et ambulant tramite recto vias prudentiæ, colloque assueto disciplinæ bajulant Domini jugum suave et leve. Salve, salve mons, mons re nulli tertius, Oliveto secundus, et, ut fabulis poëtarum in laudem tui utar, excedens de terris; justitia in te fixit extrema vestigia. Quid plura? Si nomen haberes, Roma tota fuisses. Hinc ex tua, cælitus missa secundum Deum et seculum dignitate pater prælucere, quod nunquam dimittet tua in fundamento mensuratrix columba *f*, exterminari pullos tuos *f* a milvo ave raptrice et sordida. Hæc de nobilissimi loci aptissimo nomine paucis sint dicta, Ad intermissa paululum nostra tenuis revertatur pennula.

XX. *Veritas corporis confirmatur,*

73 Interea, ceu jam dictum est, aliger rumor multiplici populos sermone replens, occidentalia sola circumiens, jamque tandem caput inter nubila condens. Belgicæ secundæ nobilissimam Durocordorum Rhemorum ingreditur parrochiam, nuntians iuventricem ligni vitæ Helenam, cois arcibus furatam, et in pagum Vonciacum * *g* in villam jam dictam Fallesiam fore advectam. Quod audientes Rhemenses, pariterque Altumvillarenses, non credunt fieri posse ullo modo, ut Roma privaretur, Francia decoraretur tanto thesauro. E Quidam etiam asserebant, mausoleo ejus Hierosolymam gaudere, non Romam; donec Historiæ ecclesiasticæ tripartito libro *h* revoluto, tam pretiosum soma *i* repertum est, Romæ fuisse repositum; hanc vere furatam, et non aliam; sed ipsam Helenam Constantini imperatoris matrem, omnipotens Trinitas Deus, postquam hunc locum est ingressa, suis dignatus est ostendere famulis, supplicatus triduano jejunio, et consultus vulgari suo judicio aquæ. Ergo tantus in fundo Vonciaco compertus * fore thesaurus, cerneres certare Remenses, simulque non minus laborare Altumvillarenses, et omnes, quicumque audierant, ejus sitire præsentiam. Hinc pugnabat Pardulus Rhemorum prætor; hinc instabat Hernicus Altumvillarensium procurator: Carolus autem imperator *k*, cum famam audiisset, quod in Altumvillare S. Helena deportata diceretur, nullo modo credere voluit. Unde convocans episcopum ipsius civitatis, cum abbatibus et viris religiosis in ipso monasterio voluit judicium publicum fieri, utrum monachi F verum dicerent, an falsa proferrent. Judicaverunt itaque non aliter esse credendum, nisi monachus isdem, qui eam ad nos as portaverat, manifestum judicium fecisset, et in calidam aquam toto corpore nudatus intraret. Sed ut Deus rei veritatem manifestius panderet, ita hunc inter fervidas aquas conservavit illæsum, sicut et ab ipso mendacio, quod dicebatur, noverat incorruptum *l*.

* *forte legendum,* Vanciacum — g; h i; * *f.* compertus dum foret; k; l

XXI. *illudque, grassante Normannorum vastatione, alio defertur* m n

74 Cum autem pro hominum peccatis plurima regna Deus traderet in manus Northmanorum, et ecclesias incenderent, ac monasteria vastarent *m*; voluerunt monachi Altumvillarenses omnia ecclesiastica ornamenta in urbem *n* deportare; sed, superimminente pagana gente, omnia relinquentes, vix per fugam erepti, solas animas salvare cupientes, a minimis usque ad maxima, cuncta perdiderunt, exceptis tantummodo corporibus Sanctorum, et reliquiis eorum, neque calice neque etiam candelabro, vel multis aliis ornamentis ex omni cœnobio remanentibus. Omnia quoque monasteria et servorum Dei habitacula igne consumpserunt, ac deinde per plurima tempora desolatus locus semper ad majorem devenit desolationem. Neque fuit, qui pro Dei amore, et S. Petri

A S. Petri Apostoli misereretur loco et subveniret, quoniam tam honorabilis ad tantam declinaret inopiam. Et sicut tunc, ita et nunc, quod est et fit lamentabile. Sed omnes, qui cum Christo cupiunt gaudere, intercedant, quatenus ad statum pristinum eum reducere dignetur Trinitas Deus. Amen.

XXII. *Piscis miro modo captus* o — 75 Præterea non incongruum nobis visum est huic opusculo ad laudem B. Helenæ subnectere, quod meritis ejus *o* credimus contigisse. Ea itaque nocte, qua in crastinum die natalis ejus recitari primo habebant coram Fratribus hæc, quæ de ipsa nostro labore collecta sunt; piscatores Fratrum, uti expediebat, nocte in piscando *p* laborabant. (p) Jam vero totam noctem pene frustra consumpserant, varioque * (*al. vanoque*) labore semetipsos fatigarant. Cumque eos jam tæderet laboris, et nihil se proficere putarent in reliquum noctis; eorum quidam manus tendentes, tædium fatigationis suæ in S. Helenam retorserunt, dicentes: O S. Helena, quid deinceps acturi sumus? Ecce, totam noctem in vacuum duximus. Num hodie sine munere piscium ad monasterium redire B habemus? Numquid Fratres, tua sancta solemnia laudibus * (*al. divinis laudibus*) extollentes, immunes erunt laboris nostri? Ista igitur conquerentes, pariterque iis verbis animos et spem recuperantes, confestim cum impetu rete gurgiti submiserunt. Cum repente piscis magnus, quem esocem *q* Latino sermone vocamus, meritis S. Helenæ præparatus, rete insiliit, simulque cum eo et alter non multo minor ejusdem retis laqueo patrios cursus sibi denegatos sensit.

ad invocationem S. Helenæ — 76 Miro autem modo cum a piscatoribus aqua extraheretur, subito ille minor piscis, ut sensit suam nuditatem, omnem fortitudinem adhibuit, scissoque reti, saltu magno se recepit in aquam. Ejus prædatores valde tristes cœpere queruli vocem dare clamantes: Heu! Domina S. Helena, quid faciemus nunc? Cur nobis, quod petivimus ostendisti, et illud tutum tuis famulis non servasti? Ut ergo virtus sanctissimæ Reginæ etiam plenius in hoc declararetur, dum adhuc ipsi talia clamitarent, idem piscis majorem saltum dans relinquendo aquam, ad quam prius fugerat repetendo eam, rete adusque pervenit, et cum feritate quadam ora aperiens, funem superiorem, C cui rete hærebat, morsu apprehendit, ipsique, quousque a piscatoribus caperetur, dependit *. (* *Flodoardus pependit*) Igitur non est dubium, per merita S. Helenæ ipsum ibi adfuisse, qui Petro piscanti, totamque noctem sine captura consumptam plangenti adfuit; cui gratias indefesse agere debemus, per quem tantis patrociniis suorum electorum nos foveri sentimus: qui vivit et regnat cum Patre, Spirituque sancto ante secula, et in omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Nobilissima fuit Sancta conjugio videlicet et imperatoria dignitate; non autem genere, sicut tamen supra in meo Commentario prævio num.* 13 *volebat Almannus hujus historiæ auctor, prout hic iterum velle videtur.*

b *Quod* Botryo, botryonis *(Græce* βοτρων) *idem hic sit, quod* βότρυς botrus, *id est*, uva, racemus, *colligo ex sensu; tametsi pro* conditito racemo *accipiatur apud Vossium in Etymologico linguæ Latinæ.*

c Falernum, *vinum nobile, dicitur a Falerno agro in Campania Italiæ.*

d Materna; *idem quod Matrona. Vide Annotata ad* § 5 *tit.* i. (A. Almanno.)

e Alt *Germanice idem est, quod vetus, vel senex.*

f *Flodoardus in Historia ecclesiæ Remensis lib.* 2 *cap.* 7 *de S. Nivardo hæc narrat*: Quadam vero die veniens de villa Spernaco, simul comitante secum . . abbate Berchario, visum sibi est, transito flumine, debere paululum requiescere: sicque caput in sinum sedentis reclinans Bercharii, obdormivit, et visum vidit, scilicet columbam locum sylvæ circumire, et in fago quadam post hanc circuitionem resedisse. Idque tertio columbam videt eamdem egisse, tumque cælos petisse *etc.* Idem præsul *(Nivardus videlicet)* succidi sylvam jubens, in honore S. Petri et omnium Apostolorum ibi construxit ecclesiam, et ubi resedisse columbam viderat, altare instituit, collectisque servis Dei monasterium ordinavit *Altivillarense. Oppidi* Spernacensis *seu* Sparnacensis *situm vide infra in Annotatis ad classem tertiam miraculorum tit.* g.

g Vonciacum *vel* Vanciacum, *et* villam Falesiam *hine colligo vel in eodem fere fuisse loco, vel saltem aliam ab alia non longe remotam. Ex his vero* E Durocordorum Remorum ingreditur parochiam, *seu, ut ego quidem interpretor, territorium deduco priora duo nominata loca, si non in eodem territorio, saltem in Campania, et in via, qua ex Italia redux Tetgisus, sacri corporis portitor, direxerit suum iter territorium Remense versus, sita fuisse. Forte tamen designatur* Vassiacum, *de quo agit Adrianus Valesius*, Vulgo Vassy, cui propinquus est locus Puteolus, vulgo Puisie.. Vassiacum autem est oppidum ad Blesam amnem, qui in Matronam devolvitur, (la Blaise) cujus Blesæ fit mentio in libro miraculorum S. Bercharii, *sicut observat idem auctor.*

h In Tripartita lib 2 cap. 18 dicitur solum Hierosolymis ad filium rediisse, et cum lætitia transisse a seculo. Rectius consuluissent Eusebium lib. 3 de Vita Constantini cap. 46, et librum de Munificentia Constantini *etc.*, *uti observat Bollandus in notis posthumis ad hunc locum. Adeat præterea lector meum Commentarium prævium* § II.

i *Id est*, corpus, *Græce* σῶμα

k Id vel post aliquot annos factum, vel certe per F anticipationem hic appellatur Carolus Calvus imperator, qui anno demum DCCCLXXV post Ludovicum Lotharii filium imperator est factus, *inquit Bollandus in notis posthumis Mss.*

l *Translationis historiam, corporis hodiernæ Sanctæ probationes, ac vindicias præmisi superius.*

m *Variæ eorum in Gallia grassationes seculo nono medio ac deinceps sunt ex historicis notissimæ.*

n *Remensem intelligo. Duas varias lectiones, quas num.* 75 *ad marginem vides, accepi ex alio nostro exemplari. Vide supra num.* 18.

o *In alio nostro Ms. additur*, Domino largiente.

p *Flodoardus miram hanc piscationem contractius refert lib.* 2 *cap.* 8, *eamque dicit accidisse in* Materna *(id est Matrona)* flumine.

q Esocem Plinius lib. 9 cap. 15 scribit præcipua magnitudine reperiri. Surius, Colvenerius, aliique salmonem interpretantur, quem quidam quasi exossem dici volunt. At de salmone agit idem Plinius, et suo nomine appellat. Gesnerus lib. 4, et Ulysses Aldrovandus lib. 4 et 5 de piscibus, Lucium vult esse. *Ita Bollandus in notis posthumis. Quibus*

A. ALMANNO. *bus adjungo ista e Marloto in Metropolis Remensis historia lib. 3 cap. 25* : Porro esocis vel exocis sulmo * dictus, piscis marinus est, et ossibus caret (de quo Severus Sulpitius lib. 3 Dialogorum De virtutibus S. Martini cap. 13) semelque gustata aqua dulci fluvii, quem subire contingit, vix unquam in mare regreditur. Unde mirum non est, si in Matrona juxta Altivillare cœnobium inventus sit. *Verum quidquid sit de ista inventione;* miro *tamen* modo, *ut hic proxime sequitur,* ille minor piscis *captus est.*

** f. salmo*

§ II. Miracula cum a S. Helena, tum ab aliis Altivillarensium Patronis facta seculo XI, auctore anonymo, e codice Altivillarensi.

B

SECTIO PRIMA.

Præmonito lectore de hac narratione, datur ejusdem apographum.

Apographum habemus hoc titulo prænotatum : Incipit præfatio miraculorum, quæ Dominus noster Jesus Christus ostendere dignatus est per merita Sanctorum in Altivillarensi ecclesia quiescentium. *Præfatio sic incipit* : Sanctorum miraculo quoties ad memoriam revocat infirmitas humana, et divina exinde collandantur magnalia *etc. quæ brevitatis gratia omittimus. Sequitur deinde narratio miraculorum, e quibus statueram primo ea dumtaxat excerpere; quæ ad* S. Helenam *peculiariter spectant ; verum, mutato postea consilio, censui typis committendum totius narrationis contextum; quia Sancta nostra cum una sit e dictis Patronis, partem etiam simul illis habet in miraculis. Auctor narrationis est anonymus. Ea vero, quæ in eadem referuntur, unde et a quo fuerint transcripta, notatum lego post finem nostri ecgraphi his verbis :* Fideliter exscripta, et ex Ms. monasterii Altivillarensis per me D. Rupertum Reginaldum, *videlicet* anno MDCLXIX in Maio, *sicut apposuit noster Papebrochius.*

C

Magna terræ ariditate

78 *Pauculis hisce prænotatis, en tibi, lector, ipsam anonymi narrationem, per cujus decursum nonnullas etiam notationes invenies, elucidationi ejusdem congruentes. Nos illam divisimus in sectiones duas, ac numeros sequentes. Sic sonat* : Igitur anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo octavo, Indictione prima, Henrico autem rege regni Francorum gubernacula administrante, et Widone *a* archipræsule pontificali Remorum cathedræ præsidente, gesta sunt miracula, memoria cunctorum dignissima, a præfatis Sanctis in monasterio nuncupato Altumvillare, quæ præsenti relatione piis bonorum auribus decrevi enarrare, prout meæ parvitati fuerit possibile.

Franciam depascente,

79 Erat ea tempestate non solum per omnem Remensem provinciam, verum et in plerisque Franciæ partibus tanta aëris terræque ariditas, ut a nonnullis mortalibus, siccitatis, quæ contigit sub Helia propheta annis tribus et mensibus sex, arbitrarentur immo timerentur rediisse tempora. Aër quippe pluviales imbres funditus negaverat; tellus vero ad perferendos * fructus segetum, vinearum, arborum cæterorumque proventuum nullis humoribus irrigata, satis superque pigra jacebat : quæ tamen D utraque elementa peccatis hominum, et negligentiis in Dei cultu exigentibus, divina, verum semper justissima omnipotentia clauserat, populumque prædictæ provinciæ fames dirissima, jugis inopia, cæterarumque rerum penuria miserabiliter atterebat.

** f. proferendos*

ea occasione

80 Nullum igitur aliud remedii genus videbatur ad tantam pestilentiam repellendam, divinamque animadversionem complacandam, quæ quotidie magis magisque in populum grassabatur, nisi quatenus jejuniis, vigiliis, letaniis, Sanctorumque supplicationibus atque eorum deportationibus propitiabiles Dei aures omnimodis pulsarentur. Quid plura? Pontificum, abbatum, clericorum, monachorum, gentisque totius provinciæ unanimi consilio decretum est, quatenus, ut dictum est, fierent Sanctorum deportationes ; si quo modo exinde divina iracundia mitigari valeret. Visum est etiam Deo devotissimis Fratribus cœnobitis videlicet Altivillarensibus, quoad exemplum vicinorum provincialium deportarentur corpora sanctorum Nivardi *b*, Polycarpi, Sindulphi, Madelupi, ac beatæ Helenæ Christianissimæ imperatricis, quæ apud ipsos cum magni honoris veneratione requiescere creduntur. Hoc autem ipsum placuit fieri quarta feria septimanæ, E qua celebritas sanctæ Pentecostes habetur quotannis. Interea jam tempus advenerat, quo debent * prædictorum Sanctorum perferri atque deferri pretiosissima pignora. Verum quid miraculi contigerit nocte ipsa, quæ diem præcedebat indictæ Sanctorum deportationis, dignum memoratu arbitror esse imprimis.

** f. deberent*

levantur corpora c

81 Est consuetudo devotissima quorumdam rusticorum villæ, quæ nuncupatur Alsuntia *c*, quatenus adveniente vespera prædictæ solemnitatis corpus sanctissimi confessoris Christi Sindulphi deferant extra fores monasterii, cum insigni processione et laudibus hymnidicis. Hæc autem illorum consuetudo inde descendit, quoniam præfatus sanctissimus vir, in eadem villa fertur reclusione solitaria, vitæ suæ transegisse tempora : et quia apud ipsos inibi plurimis miraculorum insignibus floruit; idcirco jam dicti rustici deferunt ei omnibus annis obsequium suæ devotionis. Cum itaque, ut prælibatum est, beati Sindulphi corpus cum processione condigna deferretur ac referretur, erat ibi ipsa hora mulier quædam paupercula Adelaïdis vocitata, toto corpore satis miserabiliter contracta : quæ dum a Sancto prece intentissima suæ infirmitatis deposceret levamina, confestim incolumis surrexit omnibus membris sanissima. Quia vero jam nocte instante monachi ipsius cœnobii aliis curis erant intenti, interim factum in se miraculum conticuit. F

sanctorum Patronorum Altivillarensis monasterii.

82 Postera autem die adveniens, et veritatem miraculi in se perpetrati coram omnibus pandens, grates innumeras Deo Sanctisque ejus ob recuperatam sanitatem suam reddidit, exultante omni populo et monachis cum laudibus hymnidicis, mixtis gaudio lacrymis : et ita levantes corpora Sanctorum, detulerunt ea in quoddam pratum satis amœnum ad radices ejusdem montis Altivillaris, secus ripam Maternæ fluminis situm : quo dum esset perventum, depositis in præparatis sedibus pignoribus Sanctorum, postulaverunt prædicti monachi quemdam seniorem clericum urbis Remorum, nomine Adalbertum, qui sermonem faceret ad populum : aderat enim præmaxima multitudo plebis, quæ confluxerat ex vicinis villis, urbibus atque castellis. Igitur ut præfatus senior adstantem populum admonere cœpit de contemptu vitiorum

A. Anonymo.

A vitiorum sæculi præsentis, et adipiscenda gloria futuræ æternitatis, nec non et de gestis vitæ eorumdem Sanctorum atque miraculis, repente cum tonitru horibili turbo irruit venti vehementis, licet ipsa hora immensa existeret serenitas aëris, ut monstraretur indicio evidenti, placere cuncta, quæ fiebant eisdem Sanctis, ipsorumque spiritualem adesse præsentiam cum suorum corporum reliquiis. Extemplo vero omnibus, qui aderant, exterritis, ut prædictus senior loquendi ad populum finem imposuit, subsecutum est insigne miraculum Sanctorum intercedentibus meritis.

comitantibus miraculis; 83 Aderat quippe tunc ibi una cum cætera multitudine plebis, puella quædam debilis, quæ se ipsam illo attraxerat cum ingenti conamine ex vicino oppido Marogilo, genuum reptatu manuumque scabellulis. Nam, ut taceam cætera infirmitatis illius incommoda, ita eam divina potentia attriverat, ut adhæsis posterioribus calcaneis nullatenus quiret saltem aliqua in ambulando figere vestigia. Itaque post factum tonitruum, cum Sanctorum pignora de eo loco levarentur, ut ad monasterium referrentur, illico puella præfata, B respiciente eam Sanctorum clementia, ab omni infirmitate sua incolumis elevatur a terra. Denique sublevatis eorum feretris, protinus separatis, imo cum sanguine diruptis a posterioribus calcaneis, puella in pedes constitit non sine magno admiramine plebis talia conspicientis. Etenim sanguis profluens ab ipsis posteriorum atque calcaneorum locis, testabatur, quam sit veneranda ac tremenda virtus divina in Sanctis: et sic cum maximo gaudio atque inenarrabili lætitia ad loca propria relata sunt pretiosissima Sanctorum pignora, ac deinceps ipsorum interveniente clementia omnium terræ proventuum affatim subsecuta sunt commoda.

ac deinde 84 Jungamus his et aliud miraculum, ex quo confutata erubescere queat cupiditas iniqua mortalium. Post præmissa miracula, quæ decurrente serie lectionis retulimus, homunculus quidam contractus ad monasterium, in quo Sanctorum pignora servantur, asello residens sese agebat tanta virtutum fama excitus. Cumque adesset jam... ... a suæ contractionis vinculo relaxatus, paulatim sanari cœperat miserrimus, clementi Sancto- C rum miseratione præventus. Jam itaque pene sanus adstabat; jamque incolumis repedabat; cum ecce stulta mens hominis, arbitrans sese nullatenus ex integro posse curari a Sanctis, nisi aliqua recompensatione muneris terreni, animal, cui sedebat ea vicissitudine illis vovit, ut, si sanus ab infirmitate recederet, asellum ad loca Sanctorum relinqueret. O stultorum omnium stultissimum! qui nequaquam fide promereri credidit divina beneficia, verum terrena, fallenti, perituraque pecunia. Nempe hoc verbum infelix mox ut ex suo ore protulit, confestim a pristinæ infirmitatis claudicatione retentus est, a qua penitus jam cœperat relaxari, sicque debilis remeans ad propria, manifestum cunctis dedit indicium, Sanctos Dei nullatenus ejus acceptasse munera, quæ perpendebant plena consistere cupiditate atque avaritia.

pluribus 85 At quidam ægrotus advenerat ad limina Sanctorum, cui sonitus tonitrui fragorque decidentis fulguris ita abstulerant auditum, ut, ne quidem altius inclamatus, alicujus vocis perciperet sonum; cum hoc etiam incommoditate totius colli vigorem sic amiserat, ut illud ferre videretur reflexum super scapulas: qui cum... Sanctos Dei lacrymis ac precibus pulsaret continuis, tandem pia eorum miseratione respectus, auditum integerrime recuperavit, collique vigorem pariter recepto, incolumis et gaudens ad propria remeavit.

aliis 86 Matrona quædam nobilis mulierem contractam, cui quotidiani victus stipendia ministrabat, ad eorumdem Sanctorum direxit loca, causa videlicet experiendi, utrum vera forent, quæ de ipsorum gestis inibi ferebantur virtutum miraculis: quæ confestim adducta ante Sanctorum pignora, pavimento loci toto corpore hærebat. Protinus ergo Sanctorum præventa miseratione cœpit paulatim erigi ab ipsa sua contractione. Cumque jam pene in pedes consisteret, quidam assistentium monachorum usus superflua levitate, cucurrit, et quam Sanctorum potentissima virtus erigebat, tamquam miserando sustentare voluit; quod tamen eisdem Sanctis nequaquam complacuit, veluti mox ex subsequenti fine propatuit. Denique prædicta mulier iterum recontracta ad solum concidit, et Frater ille pro maxima infirmitate apprehensus, manibus aliorum delatus recessit, atque de ipsa ægritudine aliquanto tempore laboravit. Sic levitas præfati monachi et sibi dolorem infirmi- E tatis attulit, et miseræ mulierculæ damnum ablatæ sanitatis intulit.

rebus mirabilibus 87 Eodem fere tempore Comes quidam præpotens ejusdem provinciæ, Theobaldus nomine, venatum perrexerat in silva eidem Altivillarensi cœnobio contigua: qui dispositis suorum ordinibus venatorum, laxatisque copulis canum, immanem aggressus est insequi cervum. Verum cum jam diei maxima pars præterisset, et cervum velocissimos cursus emittentem, saltusque inter silvarum devia opacissima dantem nullo modo capere vel consequi posset; tandem nimio latissitudinis tædio confectus, in hanc fidelissimæ vocis exclamationem prorupisse probatur: Sancti Dei, qui in Altivillarensi cœnobio requiescitis, pietatem vestræ bonitatis precibus exoro humillimis, ut, si certa credibiliaque sunt, quæ de vestris virtutibus feruntur a populis, nutu vestræ jussionis cervus iste agilis hæreat solo immobilis, ne nobis ulterius aliquod afferat tædium lassitudinis. Nam et vobis deinceps permanebo devotior, et loco vestro existam hoc signo fidelior. Dixerat, et dicto citius velocissimus constitit cervus, dein actu tantæ virtutis, qui præsentes erant, valde per- F territis, captæque bestiæ sublato tergore, jam dictus Comes una cum sociis ad cœnobium properat Altivillarense. Post ubi eo pervenit, quæ gesta fuerant, quoquo modo contigerant, fideliter ordine pandit. Sicque comperto certissime ei loco Sanctorum præsentiam virtutemque inesse, ad propria jam fidelior recessit, exinde datis ibi cum cervino tergore quinquaginta nummorum solidis, pro gratiarum actione ac pro tanti beneficii recompensatione.

apud Altivillarenses 88 Nec dissimile illud exstitit, quod advenientes ad loca Sanctorum quidam peregrini, in prato, quod eidem monasterio subjacet, confidentes, volucres sunt contemplati, quas haironès *d* nuncupat locutio vulgaris. Inter quas etiam una residebat plumis candidior cæteris: de qua quidam ipsorum viantium sic ait: O utinam propriis hæreret sedibus illa avis candida, nosque residens maneret, quousque captam deferremus eam ad Sanctorum Altivillarensium limina: quo dicto, citius cœperunt tendere gressus, quo residebat avis, cæterisque sibi coëssentibus ocius evolantibus, illa mansuetissime loco permansit: quam sumpsere viri magno admiramine pleni, ad cœnobium *d*

A. Anonymo. nobium deferentes, ut fuerant prælocuti. Longius hæc inibi tamquam domestica mansit, nusquam diffugiens irrecisis pennis. Taliter pius Sanctorum affectus novit audire devotas mentes etiam in supervacuis rebus. His ita relatis, pergamus enarrare cætera, quæ gessere Sancti, miracula.

secutis

89 Operæ pretium videtur miraculum scriptis tradere a præfatis Sanctis triplici gestum virtute. Extitit quippe his, qui viderant ea tempestate, mirandum factu, nec non memorabile dictu. Denique pertracti fama virtutis egeni tres, loca Sanctorum fidentes expetierunt. Unus namque ipsorum visu carebat; alius linguæ affamina amiserat, tertius vero auditu privatus dolebat. Itaque pariter quotidie Sanctorum limina frequentabantur, atque ante ipsorum præsentiam continuis precibus hi tres ægroti poscebant dona salutis. Quid multa? Exacta hebdomada jam dies instabat Dominica; cumque in ipso lucis crepusculo Missæ peragerentur solemnia, prædicti infirmi hoc modo sospitatis recepere medicamina:

B Lumina cæcus ait contemplor clara diei:
Mutus ad hæc: Verum memoras, lux clarior instat.
Audio surdus ait clare, quæcumque refertis.

Quod videntes et audientes, qui tunc præsentes aderant, populi, nimia admiratione perculsi, interno cordis gaudio repleti,

In laudes Christi conclamant vocibus altis.

Satisque gaudii illo die omni plebi attulit tantum miraculum, sub una hora a Sanctis triplici virtute patratum.

Quidam temere incredulus punitur,

90 Nequaquam etiam illud arbitror silendum, qualiter temeritas incredulitatis cujusdam viri digno verbere coërcita sit, ad correptionem videlicet eorum, qui sanctos Dei mira facientes ineptis sermonibus lacerare præsumunt. Vir quidam erat, pagi Sparnacensis indigena, qui audita fama virtutum, quæ a Sanctis gerebantur in cœnobio Altivillarensi, in verba protervæ infidelitatis stultissime prorupit. Ait nempe nullatenus credibile sibi videri, quod populi ore ferebatur de gestis præfatorum Sanctorum miraculis. At vero infelix ubi eadem protulit verba, confestim graviter percussus est, subsequente ultione divina. Nam una cum verbo incre- C dulitatis, os cervicis intra gutturis claustra ei insiliit; ita ut ulterius ne aliquod quidem verbum prævaleret effari.

ac deinde misericordiam obtinet.

71 Verum cum nimia doloris anxietate teneretur, tandem pœna urgente in sese reversus, ubi animadvertit ob suæ infidelitatis culpam tam graviter se esse percussum, illico properanter perrexit ad præfatum monasterium; nec distulit pietas Sanctorum in hunc quoque monstrare potentiam virtutum. Denique dum condigua satisfactione culpam suam nutibus, quibus valebat, demonstraret, os cervicis a gutture resiliens ad locum suum regressum est, atque una cum virtute miraculi, ingens fluxus sanguinis cruori mixtus ab ejus ore exilivit: sicque exinde sospes ad propria remeans, vicinos quosque certiores de miraculis Sanctorum reddidit, pandens cunctis, qualiter ab cis ob suam infidelitatem primo fuerit percussus, dehinc, ut credidit, pia illorum miseratione saluti restitutis.

ANNOTATA.

a Guido de Chastillon I, Gervasii vicedomini Remensis, et Milonis domini de Castellione frater, *anno* 1034 *admotus notatur archiepiscopatui Remensi apud Sammarthanos tomo* I *Galliæ Christianæ pag.* 503; *mortuus vero anno* 1055; *ibidem pag.* 505. D

b Nivardus I *Septembris (de* Polycarpo *supra dictum est num.* 18. (Sindulphus 20 *Octobris*; Madelupus 20 *Decembris ad marginem nostri ecgraphi signantur a Papebrochio.*

c *Hujus loci determinatam presse suggerere notitiam non est mihi in promptu, nec ulterius eam quærere mihi est animus; cum pateat eumdem locum situm fuisse, sicut ex ipso contextu colligitur, vel intra vel prope territorium Remense:*

d Haironcs, *Gallice* herons *vel* hairons. *Animal hoc Latine* ardia *vel* erodius *dicitur. Volucris est aquatica ac silvestris, longo collo ac magno rostro; alto volatu, et pisce victitans. Inveniuntur quæ sint coloris albi nec non cinerei, ac crispatæ; uti observat Dictionarium Gallicum Trevoltianum anno* 1704 *editum.*

SECTIO SECUNDA.

Alia prodigia ibidem facta. E

Quidam aurifaber a fracto crure

Relatu cujusdam aurifabri didicimus miraculum, quod in se isdem hoc modo beatissimæ Helenæ meritis asserebat patratum. Casu quodam vir ille (dicebatur autem Eligius) dum quippiam exerceret operis, conciderat, fractoque crure satis miserabiliter nimio dolore affectus gemebat. Percepta vero miraculorum fama, quæ a præfatis Sanctis pene quotidie gerebantur in Altivillarensi cœnobio divina potentia, eo se omnium genere deferendum salubri consilio credidit, spem habens omnino, si perveniret, recuperandæ salutis. Tunc, contrito utcumque fasciolis colligato crure, delatus est navali evectione per alveum fluminis Maternæ. Quo mox ut pervenit, littusque navim egressus contigit, quoniam gressum nullatenus quibat figere, ascensum montis superat unius aselli vectamine. Verum, jam pene medio emenso itinere, asellus, quem residebat vir, ipse totis offendere pedibus ad terram corruit cum suo sessore, nescio quid peccati miserum illum denuo impediente. Quid multa? Dolor dolori jungitur: os contritum F iterum conteritur, fractura vetus denuo renovatur. Tantis ergo constrictus languoribus tandem in hanc vocem cum gemitu lacrymabili erupisse probatur:

per invocationem

93 O sancta Helena, clementissima domina, cæteri hominum ad te suæ salutis causa confugiunt; et ego, infelicissimus omnium, dum ad te confugio ob recuperandæ sospitatis medicamina, gravia incurri peccatis meis, ut credo, exigentibus, discrimina. Ecce et cum uno dolore adstrictus tenebar, nunc vero gemino affectus sum, dum gressus molior ad tua veneranda limina. Noli itaque spernere, piissima, famulum deprecantem, nec deneges mihi salutis, quam cæteris exhibes, opem; sed converte ad me consuetam clementiæ tuæ lenitatem.

Sic lacrymans dixit, tandemque ad limina tendit.
Vectus amicorum brachiis utcumque suorum.

Quo perveniens lacrymas atque suspiria nequaquam reor scribenda, quibus suæ infirmitati conferri orabat salutis medicamina. Dehinc cum ad locum hospitis manibus aliorum delatus fuisset, dolore fessis artubus, grata soporis quies irrepsit, ut fieri assolet:

Jamque

A. ANONYMO.

A Jamque soporato visa est præclara Virago,
Ut matrona cluens, ingenti lumine candens,
Vestibus eximiis auro gemmis redimitis.

S. Helenæ firmum recuperat gressum.

94 Quæ cum lectulo assisteret ægrotantis, his ad eum exorsa sermonibus infit: Nulla, ait, mœstitia affectus doleas: nam deinceps ex hac debilitate nullo modo aliqua patieris incommoda. Remeanti siquidem luce crastina membris omnibus incolumis ad mea lætus properabis limina. Hæc ubi ore sereno peroravit, suavissimis ac medicinalibus manibus contriti cruris ossa contrectavit, ac sic demum ab aspectu ejus evanuit. Dolor omnis ab ægro extemplo recessit. Unde datur evidenti indicio intelligi, beatam Helenam in specie et habitu matronali eidem apparuisse, quam prius invocaverat specialiter in auxilium infirmitatis propriæ. Tunc absque somno effectus præ gaudio, quæ proprius accumbebat, conjugem excitat continuo, replicat visionem ex ordine: quamdam sibi narrat in habitu muliebri adstitisse, tactuque blandissimo manuum contriti crucis loca contrectavisse, atque omnem doloris anxietatem imperiosa voce depulisse. Quibus dictis ocius sur-B rexit, ecclesiæ limina grates redditurus expetiit absque ullius tamen adminiculo sustentationis: satisque miraculi attulit his, qui aderant, sanatio tam subita, beatissima Helena medicante, patrata. Cernebant quippe gressu firmissimo incedere, quem postera die * contritum ac præ nimio dolore pene exanimem meminerant se reliquisse. Sic prædictus vir jam senior, remeans ad propria, cunctis, qui interfuere miraculo, gaudia reliquit non modica.

* i. e. pridie

Puella contracta per sanctos Patronos,

95 Per idem etiam tempus geminæ puellæ ab urbe Laudunensi ad Sanctorum Altivillarensium pignora convenere, utræque miserando contractionis genere detentæ. Licet enim venusto forent aspectu, tamen inutiliter debilia membra gerere, nec non humotenus trahere videbantur. Altera illarum stipe alta B. Dei Genitricis; altera eleemosynis coaluerat sancti Baptistæ Joannis. Igitur dum ad præfatorum Sanctorum limina unanimiter tenderent, ob recuperandæ salutis medicamina, beati Joannis vernacula alteram, quam prædiximus, sociam suam paululum forte præcesserat: quæ mox ut ecclesiæ fores attigit, fide impetrandi cor-C poris sospitatem promeruit, totisque membris, Sanctorum pia miseratione medicante, illico convaluit. Post hæc subsequens altera jam pene medium atrium penetraverat, cum, ecce, clamorem populi auribus haurit. Deo Sanctisque ejus præconia laudem referentis animo exultanti pro virtute perpetrati miraculi. Comperta itaque, populo intimante, comparis suæ incolumitate, confestim et ipsa intentissima cordis supplicatione oculos ad templum dirigens B. Helenam sic inclamitat lacrymabili voce:

altera item per S. Helenam curantur.

96 Ecce, inquit, sanctissima Helena, terreni imperii quondam imperatrix, ad te me dirigit cælestis regni regina Dei Genitrix Maria, cujus sum hactenus alta: non quasi impotens existat circa meæ infirmitatis medicamina; verum quo tuæ laudi famæque adcrescat quidquid erga meam debilitatem fueris operata. Quapropter me tuæ committo clementiæ jam ubique a populis divulgatæ, quatenus meæ infirmitati opem tui medicaminis digneris adhibere: vix eadem verba peroraverat, et, ecce, cunctis, qui aderant, cernentibus, cœpit paulatim erigi a contractione sui corporis prædicta puella, beatæ Helenæ id operante medicinali potentia. Nam resolventibus sese virtute divina artuum compagibus, plurimus exinde sanguis effluere visus est. Sic itaque, populo teste, incolumis surrexit, diutiusque inibi sustentata ecclesiæ alimoniis, cum integra sospitate demorata permansit.

Mulier impotens membrorum a nativitate

97 Non videtur incongruum, et illud scripto replicare miraculum, quod divina clementia suffragantibus meritis eorumdem Sanctorum super cujusdam mulieris debilia membra, quæ dicebatur Teutberga, dignata sit perpetrare præcipuum. Hæc siquidem territorio Bononiensi *a* progenita, castri, quod Lendis *b* nuncupatur, exstiterat indigena: quam, veluti ipsa referente comperimus, membris contractam omnibus in hanc lucem maternus effuderat partus. Nulla tamen hic imputetur Factori impossibilitas, qui conditæ a se materiei membrorum denegarit officia, quamvis parentum culpa hac in re aliquatenus suspicari prævaleat. Ut enim de se ipso refert B. David: Omnis homo in iniquitatibus concipitur, et in peccatis procreatur. Utrum ergo genitorum culpis promerentibus id contigerit, an inscrutabilis Dei præscientia ad sui honorem nominis permiserit, sicuti et de illo cæco nato series narrat Euangelicæ lectionis? Qualiter tamen E a præfatis Sanctis ad propalandam ipsorum gloriam, divina cooperante virtute, saluti ex integro eadem mulier restituta sit, libet animo paucis dilucidare scriptis.

opem Sanctorum constanter implorat,

98 Igitur quaquaversum fama disseminante præfatorum miracula Sanctorum, tandem frequens opinio aures percellit Bononiensium accolarum: quo comperto mulier prælibata, quam membrorum impotem natalitius dies ab ipso ortu reddiderat, genitali solo progressa, Sanctorum, Altovillari cœnobio quiescentium, omni conamine tendit ad limina; quæritque suffragia; ibique quippe congeniti doloris solamina, illic diu optata sese reperturam sperabat debilitatis propriæ medicamina. Quid multa? Emenso non modico terrarum spatio, tandem Altivillarensi ingeritur vico.

Cœnobium properans, ac limina sacra subintrans
Effundit lacrymas terræ, seseque coæquat:
Marmoribus templi nunc oscula dulcia figit,
Nunc famulam memorat, spondens ingentia vota
Si vigeat membris, referat si dona salutis,
Si, lux natalis sibimet quæcumque negavit, F
Restituant Sancti solita pietate benigni.

et sanitatem impetrat.

99 Talibus itaque obsecrationibus, talibusque votis pia Sanctorum die noctuque pulsabat viscera, si quo modo tandem flecterentur ad necessitatis suæ solamina, ferretque infirmitati medicamina: et, ecce, die quadam dum renovat preces, dum vota recentia spondet; adest illi continuo piissimus Sanctorum affectus, et quantum apud Dominum ipsorum prævaleant merita, in virtute miraculi divina palam cunctis innotescit potentia. Nam præfata muliercula ab omni compede infirmitatis resoluta, plebe contemplante, ab humo surrexit illico sanissima, solvitur congenita sibi contractio articulorum in usum gradiendi, compago laxatur artuum, et quidquid materni partus negarat exordium, supplet signo mirabili virtus memoranda Sanctorum. Sic reddita incolumis, ad notificandam cunctis virtutem miraculi aliquamdiu inibi degit. et quæ prius ad loca Sanctorum a solo genitali venerat debilis, jam exinde ad propria remeans incessu stabili, undique vicinis permaxima gaudia sparsit. Interea dum præfati virtus miraculi a populo divulgatur, ubique opinione percelebri fines etiam Flandriæ penetravit

A ANONYMO. penetravit fama notabilis. Eidem vero regioni tunc temporis duo contracti inerant, quos vincula gratæ sodalitatis omnimodo ad invicem connexos reddiderant, unaque vivebant.

Contractus, cui a socio subductus fuerat asinus.

100 Ii denique miraculi accepto rumore, unanimi consilio decrevere Sanctorum suffragia quærere, eorumque limina veneranda expetere. Verum ad permeanda tanta terrarum spatia, eleemosynarum coëmptus gaza unus solummodo illis asellus erat, cujus vectamine alterna vice sua deferebant membra debilia. Igitur dum, ut prædiximus, ad Sanctorum limina morosis nituntur gressibus, duobus his fraus mediam sese injecit sodalibus: nam alter alteri, quem communem habebant asellum, clandestino furto surripuit, ac deserto contubernio sociali per devia locorum delitescendo aufugit. O avaritiæ cupiditas cæca, quidnam mortalium cogis pectora! Ecce jam nusquam tuta fides, cum etiam vexant inopum præcordia fraudes. Alter itaque nuncupatus Dodo, licet aselli sociali fraude sublati sustineret discrimina, tamen, ut mente devoverat, ad Sanctorum properavit limina. Quo dum foret perventum gemitibus, quibus prævaluit, eorum poten- B tissimam virtutem exoravit, quatenus conferre sibi dignarentur medicamina diu negatæ salutis. Nec distulere pia Sanctorum viscera huic quoque, sicut et cæteris, impertiri clementiæ suæ optata suffragia. Denique post diutinos gemituum singultus, cordisque precamina, recuperatæ sanitatis suscipere meruit gaudia, Sanctorum medicante potentia.

et illum recipit, et valetudine donatur.

101, Qui cum inibi aliquanto tempore deguisset, die quadam [ad] monasterii fores progrediens, fraudulentum sodalem cum asello, de quo meminimus, contemplatus advenientem,

Protinus exiliens, populo spectante, eucurrit,
Comprendit socium, pariter compreudit asellum.
Nunc memorat fraudem, nunc increpat ore latronem
Antiquæ fidei, disruptaque fœdera pandit.
Invehitur verbis, notat ora rubore sodalis.
Ille stupens stabat, nec verbum reddere quibat:
Conscia nam sceleris merito vox faucibus hæsit.

Super hæc igitur ingenti admiratione attonita multitudo populi, pro tantis miraculorum beneficiis, C in Christi laudes Sanctorumque ipsius vocibus effertur non modicis. Cernebant enim hominem prædictum non solum ab ægritudine, cum qua eo devenerat, liberatum, verum etiam æquissimo. Sanctorum judicio, quidquid illi fraus sodalis ademerat, restitutum. De quo etiam fertur, quoniam regressus ad propria, dominante quadam passione, infirmitate apprehensus fuerit altera, ita ut ei linguæ impedirentur affamina; qui remeans denuo ad curatores suos fidelissimos, Altivillarenses videlicet, Sanctos, optatæ sanitatis gaudia resumpsit continuo.

ANNOTATA.

a *De Gesoriaco seu* Bononia *Morinorum plurima collegit Adrianus Valesius in Notitia Galliarum a pag.* 231. *Urbs est in Picardia Galliæ provincia vulgo Bologne, Comitatus Boloniensis caput: Consuli possunt geographi de situ ejus pressius determinato.*

b Lentium *et* Lentiacum, *vulgo Lens, oppidulum Belgici Francici in Artesia provincia, tribus ab Atrebato leucis, quatuor autem a Duaco distans, uti tradit Baudrandus.*

D

§ III. Miracula S. Helenæ apud Altivillarenses sec. XVII.

CLASSIS PRIMA.

Ab anno Christi MDCXIX *usque ad* MDCXX.

Instruitur lector de instrumento,

D. *Rupertus Reginaldus, strenuissimus noster in illustranda* S. Helenæ *gloria posthuma adjutor, die* XXV *Novembris anni* 1668 *ad P. Papebrochium hæc scribebat e monasterio Altivillarensi in rem nostram*: Hæc *(miracula videlicet, ut patebit ex sequentibus)* ante aliquot annos prælo dari jussi ea mente, ut et quod fieret deinceps, etiam superadderetur, quo facilius omnia in archivis servari possent et legi: horumque viginti tantum exemplaria extrahi jussi. Eorum omnium penes nos sunt verbalia quos processus vocant: et id est apud nos consuetudinis, illorum, quæ hic fiunt, aliqua excerpere, domino archie- E piscopo aut ejus vicario præsentanda, quo, prævio examine, serio discussa jam typis dari et evulgari permittantur. Alia vero, quæ nobis obscure videntur aut non satis probata, quod testes fuerint minori numero, aut quod non statim secuta fuerit sanatio, aut quod adhibita fuerint medicamenta, in solis archivis reservare, nec publicare. Omnia tamen ad reverendissimam Paternitatem vestram mittere, consultum duxi, quod pleraque etiam illorum certissima sint; et indubitatæ fidei, ut, quod melius esse judicaverit, faciat. Continuationem illorum mittam; *eaque missa deinde fuit, et incepit ab anno* 1650 *sicut colligo ex iis, quæ laudatus D. Reginaldus adscripsit exemplari impresso miraculorum ad annum* 1619, *ibidem etiam significans, datum iri continuationem.*

e quo hæc miracula dantur.

103 *Nomina autem locorum; quæ ad singulos fere narrationis articulos occurrunt, sæpissime designo in mea Latina ejusdem interpretatione; non vero semper omnia et singula. Præterquam enim quod designatio illa nihil faciat ad rerum substantiam, poterit curiosus lector suapte opera* F *de iis locis, quæ prætermisi, consulere, si velit, mappas geographicas, ubi repræsentant tractus seu territoria Remense, Catalaunense, Suessionense, provinciam Campaniæ etc., quæ rerum mirabilium patrocinio* S. Helenæ *miseris mortalibus apud Altivillarenses collatarum præcipuam subministravere materiem, et plerumque in decursu nostri exemplaris nominantur. Sufficiat itaque tetricus et non exiguus labor, quem suscepi in sequentis historiæ contextu Gallico latinitate donando cum Annotatis; quam historiam nunc subdo, perspicuum utique argumentum, quo probetur, istam illustrem Sanctam multitudine, varietate et excellentia gratiarum ac beneficiorum exhibuisse se magnam thaumaturgam. Voces denique, quibus vel nativitas vel habitatio significatur, ita interpretor Latine, ut illis personis easdem applicem, de quibus potissimum est sermo; quando nempe alicubi dubium forte suboriri posset, an ad proximas tametsi minus principales textus Gallici auctor non respexerit. Sufficiat itaque id semel lectori indicasse, tametsi nihil faciat ad rerum substantiam.*

104 Mirabilis Deus in Sanctis suis, qui eorum

A rum intercessione tot in favorem hominum mirabilia facit. Veritas hæc apparet in omnibus templis, ubi notabilis quædam reliquiarum exstat eorum pars. Hoc perspicuum est in prodigiis, quæ Deus ad S. Helenæ sepulcrum quotidie operatur : quamquam neglexerint hujus magnæ Sanctæ miracula, quia nimis erant frequentia, scripto notare. Aliquot abhinc annis plurima ex illis comprobata sunt veritati consona, quæ videntur in authenticis suis testimoniis, a personis tam ecclesiasticis quam secularibus signatis; quibus nimium virtutis inest, quam ut mentiantur; nimiumque judicii, quam ut falli se sinant. Miracula in ista ecclesia accidisse, quibus prodigii locus inter vulgaria mirabilia esse posset, in confesso est. Et quamvis Sanctæ hujus potestas ad omne morborum genus se extendat, nullumque sit beneficium, quod ejus apud Deum auctoritas nobis impetrare non possit; imperium tamen ipsius in dæmones spectabile est potissimum, cælo ei volente communicare potestatem admirabilis illius crucis, quam Hierosolymis invenit. Incredibile pene hoc est, nisi illis, qui eadem nobiscum habent fidei motiva, oculosque adhibent testes miraculorum, quæ fiunt in ecclesia ejus. Ibi dæmones, reluctante sua invidia sæpe coguntur illos relinquere, quos ex longa possessione videbantur facere suos. Ibi innumerabilis incantatorum numerus liberatur ab illusionibus, nec non a veris malis, quæ illos affligunt. Ibidem coram spectatoribus mille, visi sunt miseri homines evomere ex ore laneos floccos, frusta vitrea, clavos, acieulas *etc.* quæ vi præstigiarum diaboli apparebant, vel quæ crudelitas illius in corpore eorum formabat. Res gestas hoc loco consignare mihi est animus, quorum Acta et processus verbales fuere formata, quæque partim hominibus accidere hujusmodi, ut eorum conditio non possit esse suspecta de subdola fictione, aut de mendacio turpis lucri gratia.

Sanctæ cum in aliis morbis, tum in veneficiis sospita;

B

sicut a

105 Anno MDCXIX Joannes Thomas, civis Reteliensis *a*, a muliere quadam incantatus, dolores adeo acerbos incipiebat sentire ad humerum, in quo fuerat tactus, ut humerus ejus ardere sibi videretur. Duobus post mensibus reliquum ipsius corpus corripuit malum, quod mordacissimos ei intulit cruciatus. Quæ res occasionem ipsi dedit peregrinandi ad istam ecclesiam, ut magnæ sanctæ Helenæ opem imploraret : ubi peractis religiosæ pietatis exercitiis, Missaque celebrari jussa, dum domum rediret, ex ore ejecit bufonem mortuum, atque hoc remedio ab omnibus doloribus suis liber evasit.

C

ex enumeratis

* *al.* Claudii de Baudiers

b c d

106 Eodem anno Carola, filia honoratissimi Domini Jacobi de Baudieres *, domini Capellæ *b*, Tardanensis *c* agri oppido, Maceriæque *d* gubernatoris; nec non Catharina d'Eltoufes ejusdem mater, dum ambæ maleficiis valde torquerentur, quorum (ut silentio prætereautur alia istius tristis morbi incommoda) minimum in eo erat incommodum, quod paterentur per unam ac duas horas animi defectiones, quæ nullum vitæ indicium aliquoties ipsis relinquebant. Remediis humanis omnibus frustra adhibitis, quæ in cogitationem cadere poterant; dominus Capellæ, obviam factus civi alicui, qui dicebatur a simili morbo curatus Altivillari, rei eventum sciscitabatur ab ipso : ac de facti veritate certior redditus desiliebat ex equo suo, positisque ambobus humi genibus, eodem tempore vovit pro domina conjuge sua, et pro domicella filia sua peregrinationem ad S. Helenam; quo illas sine mora perduci jussit; et inter novemdialem, quam obibant in ista ecclesia, devotæ religionis exercitationem, filia ejus, plurimis per vices diversas rebus veneficis evomitis (sicut in Vita S. Helenæ relatum est) tandem a magnis doloribus, quos patiebatur, liberata fuit.

ex impressis.

107 Ad matrem quod attinet; eodem, quo sua filia sanata fuit, die in hospitio existens, suavissimum olfacere cœpit odorem, qui ex parte ecclesiæ afflabatur; ad quam postquam eodem tempore se deferri jussisset, consentiente domino marito, qui ibidem aderat, et sopita prorsus, ac loquela destituta remansisset infra hierothecam S. Helenæ spatio circiter unius medii quadrantis horæ, erigebat se omnino sanata, solaque imposterum, nullo juvante, incedebat. Denique novemdiali earum pietate peracta, mater et filia domum suam redierunt salvæ et incolumes. In quorum fidem pingi curarunt in hac ecclesia tabulam; ad hæc, postmodum tantam exhibuere testificationem animi pie affecti erga S. Helenam propter insignem favorem, quem, ipsa patrocinante, a Deo acceperant, ut domina Capellæ mater in isto monasterio fundarit anniversarium E diem obitus ac perpetuum pro se et marito suo duobus ante mortem suam mensibus, anno MDCXLVII. *In rei gestæ veritatem annotavit D. Rupertus Reginaldus supra laudatus ad marginem hujus miraculi* : Examinatum a reverendissimo archiepiscopo, aut ejus vicario, et evulgari permissum.

variorum.

108 Secundum miraculum testes habet multos viros doctos, qui ejusdem testificationem signarunt, totque dominas, quot Remis ad S. Petrum degunt Religiosæ. Miraculum autem illud etiam in Vita S. Helenæ narratum est. Soror Maria Natalis, abbatiæ S. Petri Remis Religiosa, ulcus contraxit, quod paulatim accrescens interius degeneravit in fistulas. Unum annum et eo amplius exegit in cruciatibus ac doloribus inusitatis, quos ei infligebant tam malum ipsius, quam curationes ac remedia ad medelam præscripta; quæ, tantum aberat, ut solatii quidquam ipsi afferrent, ut e contrario semper amplius exasperarent malum, affectæ partis dolore in dies magis cruciante. Domina vidua Guisia, quæ tum temporis erat in abbatia S. Petri, commiseratione mota e conspectu status deplorabilis, ad quem misera illa filia erat redacta, institui jubet consultationem F secundam super malo ejus Quod cum esset compertum, ejusdem esse generis, qualis judicatum fuerat esse prima vice, sed increvisse, et in pejus ruisse notabiliter; conclusum fuit ut sanationis ejus periculum fieret curationibus quibusdam, quæ sine comparatione non poterant illi non esse acerbiores, quam primæ. Nonnullas earum sustinuit; verum eum cruciatibus adeo horribilibus, ut lacrymæ et clamores, quos emittebat, omnes ad commiserationem commoverent.

ope ipsius

109 Idcirco, dum haberetur deliberatio, quo die tentandum esset ultimum ac rigidissimum remedium, orabat et obtestabatur suum medicum ac chirurgos, ut candide denuntiarent sibi, an ex illa curatione, et, postquam tot mala, quæ sibi præparabantur, tolerasset, sperarent, sibique promitterent certam infirmitatis suæ sanationem. Ad hæc dominus medicus ei exposuit, propositum remedium superesse unicum ad tentandam vulneris ipsius sanationem, illudque esse certum; sed tamen non posse se, nec debere affirmare plurimis ac gravibus de causis (ob quas judicium ferre debebat, malum ejus esse incurabile)

sanatorum,

EX IMPRESSIS. rabile, ex illa curatione sanitatem ipsius certo restituendam esse. Id quod non aiebat eo fine, ut ipsam inde averteret; sed contra hortabatur, ut curationem istam perpeti vellet, ad quam adeo strenue ipsa animum obfirmaret, et per quam fortasse pristinam recuperare valetudinem posset. Ex responso illo hinc quidem animum despondebat; illinc vero dolor ingravescens urgebat, adeo ut, femoribus ejus ac cruribus torpore prorsus affectis, incedere amplius non valentem nisi omnino incurvatam incitaret, ut sanitatis etiam redintegrandæ aleam subiret.

miris 110 In hac dubitantis animi fluctuatione, corde suo ad Deum elevato, implorataque ipsius ope, intelligit, quo pacto domina et domicella Capellæ, de quibus modo locuti sumus, ab infirmitate, humanis remediis immedicabili, liberatæ fuissent Altivillari per merita S. Helenæ. Obtenta itaque facultate egrediendi monasterio suo, ibidem loci voto se obligat, eodemque temporis articulo, quo magnæ illi Sanctæ illud nuncupavit, mutationem sentit in toto corpore notatu dignam: renascuntur ejus vires, dolores remittunt: ducitur Altivillare: continuis ibidem precibus dies novem transigit, Deum rogans per intercessionem S. Helenæ, ut bonitati ejus placeret, valetudinem sibi restituere, ut officiis suis ac obligationibus perfungi, piis Religionis exercitationibus se conformare, ac laudes ejus celebrare cantando tam interdiu quam noctu cum aliis suis sororibus Religiosis posset. Preces hæ, per fidem vivam ardente cum devotione jaculatæ ad finem sanctum, exauditæ sunt. Dolores ejus omnino cessant, et infirma ad monasterium suum redit perfecta cum sanitate. Et domina abbatissa in grati animi tesseram pro hoc miraculo calice argenteo S. Helenæ ecclesiam donavit. *Ad marginem idem qui supra Reginaldus apponit manu sua*: Examinatum a reverendissimo archiepiscopo, et vulgari permissum *hoc miraculum.*

exemplis 111 Insigne hoc miraculum ansam alteri dedit, quod non multo post tempore accidit in persona domini marchionis de la Vieville. Dominus hic in morbum tam violentum lapsus est, ut medici desperarent de ejus salute. Domina vero soror ipsius, quæ tunc erat Religiosa ad S. Petrum Remis, quæque viderat sanationem omnino singularem, et naturæ vires excedentem (de qua sermo nobis proxime fuit) vix intellexerat luctuosum ejus statum, quin votum fecerit sanctæ Helenæ, ac promiserit, missuram sese non modicæ pecuniæ summam, ut ad ornandum ipsius sacellum subserviret, si frater suus convalesceret per ejus merita ac preces. Voto ipsius respondit successus tam felix, ut eodem temporis momento cœperit melius habere, et in paucis diebus perfectam recuperarit valetudinem. Id quod bonam illius sororem obstrinxit, ut promissum persolveret, ac potestatem nostræ sanctæ Imperatricis in morbos periculosissimos et desperatos quaquaversum propalaret. *Et adscribit ad marginem supra memoratus D. Reginaldus*: Examinatum a reverendissimo archiepiscopo, aut ejus vicario, et evulgari seu imprimi permissum.

comprobatur. 112 Eodem anno Gerarda Jaquesson, uxor Claudii Lemaire, Catalaunensis, non valens incedere sine sustentaculis, huc conducta fuit: ubi implorato S. Helenæ favore, perfecta cum sanitate hinc discessit, fulcrorum haud indiga amplius.

Eodem anno Jacoba Boutton, vidua Petri Guarlet, habitans in loco Nogent l'abbesse *f*; maleficiis afflicta, et acutissimos dolores sentiens, in ista ecclesia tres novenas peregit: ad quarum finem perfectæ sanitatis restaurationem consecuta est cum magna omnium admiratione. Quorum processum fecit verbalem magistratus loci, eumque ad monasterii hujus ascetas misit, in memoriam posteritatis; atque habitatores dicti Nogent l'abbesse publicam Deo actionem gratiarum dederunt ritu solenni, in quo hymnus Te Deum pie decantatus est. *Et dicitur, ut supra, hoc prodigium* examinatum a reverendissimo archiepiscopo, et evulgari et imprimi permissum.

Eodem anno Petrus Lambin, Philippi Lambini filius ac Mariæ Latoffée, ex Rosnet prope Remos, annis quatuordecim natus, et infirmitate affectus, totumque per corpus doloribus expositus, qui oriebantur ex magica arte, ad S. Helenam a parentibus deductus est; ubi peracto pietatis affectu, et præscripta novena ad suam intentionem; dictus Petrus Lambinus inter illam ejecit sordes magicas varias, clavos videlicet, acieulas, aliasque. Unde perfectam recuperavit sanationem, sicut affirmarunt postmodum. *Additurque ad marginem, ut supra*: Examinatum a reverendissimo archiepiscopo, et imprimi permissum.

ANNOTATA.

a Retelium (Retel) urbs Galliæ in Campania provincia ad Axonam fluvium, et Retelensis tractus caput, juxta quam Hispani victi et grandi clade affecti fuere a Gallis anno MDCL. Distat octo leucis a Remis in septemtrionem, et decem a Sedano in occasum hybernum, uti a Rupe regia in meridiem; et alias Reiteste dicta fuit; *prout observat Baudrandus. Consuli etiam potest Adrianus Valesius in Notitia Galliarum.*

b *In Vita Gallica mox citanda dicitur*: Seigneur de la Chapelle Moodon. *Usus sum hic Latine vocabulo* Capellæ.

c Tardanensis Comitatus, et Tardanisus pagus *(le Tardenois)* tractus Galliæ in provincia Insulæ Franciæ, qui ab aliis Tardenensis dicitur, prope Faram cognomento in Tardanensi tractu, inter Matronam fluvium ad meridiem, et Vidulam ad septemtrionem, sive inter Castrum Theodorici et Suessiones; sed ejus periere limites, *inquit Baudrandus.*

d *Idem geographus* Maceriæ, *inquit (Mezieres)* urbs Galliæ in Campania provincia, ad Mosam fluvium, in Retelensi tractu prope Caropolim, in confinio Belgii.

e *Est apud me libellus Vitæ ac miraculorum* S. Helenæ, *anno* 1664 *Catalauni Gallice impressus, ac a D. Ruperto Reginaldo huc missus anno* 1668; *qui de hoc miraculo agit a pag.* 50; *verum ibidem illud affigitur anno* 1620. *Inter miracula autem ab isto anno prædictæ Vitæ inserta, non invenio omnia et singula, in quibus citatur inferius Sanctæ Vita. An ergo forte aliud citatur exemplar?*

f *Varia sub nomine* Novigenti *(Nogent) loca assignat Adrianus Valesius in Notitia Galliarum, qualia sunt* Novigentum Bellovacorum ad Isaram; *item* in pago Laudunensi *etc., prout licet apud ipsum videre pag.* 383, *et* 425. *Sed nullum ibidem lego* Novigentum *cum idiotismo* l'abbesse, *seu* abbatissæ. *In mappa Blaviana Comitatus*

A *Comitatus Campaniæ invenio* Nogent *sine alio cognomento et jacet in territorio Remensi.*

CLASSIS SECUNDA

Ab anno Christi MDCX *usque ad* MDCXXX.

Infirmus corpore ac mente,

Anno MDCXX Petrus Morel, Remis natus, annum ætatis numerans decimum quintum amborum femorum, brachii dextri ac mentis usu captus fuit. Mater ipsius afflicta, quod videret suum filium ad hæc extrema redactum, quibus solatii nihil naturalia possent afferre remedia, eum devovet S. Helenæ, ac Altivillare deducit magna cum molestia. Quo simul atque pervenissent, discedunt vota sua persoluturi in ecclesia: ubi dum preces fundunt sub ejus hierotheca, puer cœpit sentire magnum malorum suorum levamen: et postridie sub horam B quartam pomeridianam repetitis sub eadem S. Helenæ arca precibus unius circiter mediæ horæ spatio, magnam in membris omnibus extensionem sensit, et eodem temporis puncto se prorsus sanitati pristinæ ac rationi restitutum comperit: subalaria fulcra reliquit, ac pedes rediit. Plurimæ personæ notabiles, sicut magnarum ipsius infirmitatum, ita etiam prodigiosæ sanationis ejus fuere oculati testes. *In margine prædicta manu ponitur hoc miraculum* examinatum similiter, et imprimi permissum.

item alius,

114 Eodem anno Guilielmus Nanteüille ex loco, cui nomen Juniville, simili pariter convaluit a morbo, quo ab annis decem fuerat conflictatus. Dominus pastor ac magistratus dicti loci authenticam rei gestæ testificationem huc misere. *Miraculum vero notatur eodem, quo toties jam dixi, modo* examinatum, et imprimi seu evulgari permissum.

Eodem anno Joannes Thiebault, filius Joannis Thiebaulti, et Nicolæ Roland, habitans in Villeralrand diœcesis Suessionensis, paralysi correptus, sentiensque acerbos dolores per totum corpus, a parentibus huc perductus est, ubi tempore novenæ, quam instituebat, species quædam C apostematis supra corpus ejus apparuit, duodecim aut tredecim locis aperti; e quo prodiere primum bestiæ tamquam limaces, deinde plurimæ aliæ sordes. Id quod ipsum omnino sanum ac perfecte curatum reddidit. *Et additur, prout ante dixi de aliis,* examinatum et vulgari permissum *hoc miraculum.*

paralytica; alia ex genu laborans;

Eodem anno Maria Frison, Hectoris Baudon uxor, Lauduni nata, et tunc Remis habitans, cruribus paralysi affectis, ita ut incedere nequiret sine fulcris, postquam se curasset deduci ad istam ecclesiam, ut a suo malo liberaretur, perfectam ibi sanitatem consecuta est.

Eodem anno Guilielmus Cartenet ex Nogent l'abbesse similiter convaluit a paralysi integra, quæ jam diu eum invaserat, idque per merita S. Helenæ: cujus testimonium huc attulit a magistratu dicti loci signatum. *Miraculum hoc* examinatum, et evulgari permissum.

a

Anno MDCXXI Magdalena Drouet, filia Guidonis Droueti 'Dormanensis *a*, annorum viginti duorum, magnos in genu, quod abhinc biennio erat inflatum, sentiens dolores, ita ut sine fulcris sustentare sese non posset, postquam perseverasset magna in fide ac devoti animi affectu in ista ecclesia trium novemdialium precum consequentium spatio, merita tandem est integram consequi infirmitatis suæ medelam; adeo ut ibidem relinquens sua fulcra, plena cum valetudine hinc reversa sit. *Hoc miraculum pariter* examinatum et evulgari permissum. [illegible]

veneficio affecta,

115 Anno MDCXXIV Joanna Richelet ex Brugny, vidua Claudii Clocquet, spatio mensium decem et octo vexata quodam veneficio, ad ecclesiam S. Helenæ venit suasu parochi sui; ubi, post ardentes preces plurimas, coram numeroso hominum cœtu evomuit ranam viridem omnino vivam, frustum arenati aciculis quinque transfixum, os, frustum cornu lucernæ, nucleum mali Persici, acum per cujus foramen transibat acicula, clavos tres, tria frustra vitri magnitudine unius digiti, frustum corii, panni viridis specimen cum aciculis sex, tomentum, limaces duos, quorum alter erat vivus, alter mortuus, *et alia, quæ in exemplari Gallico referuntur.* Id quod non accidit absque miris convulsionibus; quæ tamen imposuere finem omnibus ejus malis: rediit enim libera a tumore, quem habebat, ab imbecilitatibus suis, omnibusque aliis incommodis, quæ antea patiebatur. E *Miraculum hoc* similiter examinatum, et imprimi et evulgari permissum.

puer multis malis conflictatus;

116 Eodem anno Franciscus Perillon, filius Nicolai Perillonii Remensis, annis natus novem, e morsu pomi, a quadam femina ei dati, mense integro eadem hora quotidie sentiebat symptomata cujusdam mali, doctissimorum medicorum experientiæ incogniti. Respiratio, cordis vita, inflabat ipsi ventrem medio pede altius, quam solet; deinde autem tam sustinebat profunde, ut nullam prorsus habere videretur. Nihil dico de verbis peregrinis, quæ ore ejus proferri audiebantur; de conatibus prodigiose violentis nihil; ita quidem, ut tres homines eos non domarent nisi magna cum difficultate. Aliquo post tempore brachium ejus sic extensum est in aëre, ut inflecti non posset; caputque ipsius continua agitatione tremebat tempore hebdomadum sex, et tunc quidem quando dormiebat. Dominus Dozet (cujus rara doctrina et spectatæ virtutis integritas toti provinciæ satis cognita sunt) illum conspicatus, nullum huic malo medicum esse judicabat accommodatum, præter Deum. Domini quoque F Hervet ac Compere medici, dum eum examinassent, fassi sunt, scientiam suam eo usque non extendi, ut remedia ipsa præscriberent. Miser pater, desperabundus de remediis humanis, monitu patris cujusdam Capucini, et alterius patris e Societate Jesu, imo vero reverendissimi Domini Gabrielis de sancta Maria archiepiscopi Remensis, statuit filium deducere Altivillare: ubi quarto circiter novemdialium precum die restitutus est sanitati tum integræ, ut nullum amplius ex incommodis suis postmodum senserit. *Miraculum* examinatum a reverendissimo archiepiscopo et evulgari permissum.

veneficiis torta; aliique plurimi,

117 Eodem anno Anceliua * Naudin, Petri Naudini filia, incola in Idesfroiville, dum adeo veneficiis torqueretur, ut quotidie in ejus corpore audirentur clamores veluti ranarum et aliarum bestiarum; peregrinationem huc instituit, et tempore precum novemdialium, quas peregit, veneni copiam evomuit: et statim post reditum, lacertos duos, vivum alterum, alterum mortuum, qui non erat integer. Unde plena sanitate fuit gavisa, sicut D. Pastor, et magistratus dicti loci testati sunt suo chirographo. *Prodigium hoc* similiter examinatum, et evulgari permissum.

* f. Angelina

Eodem

Ex impressis. Eodem anno Joannes Vuarlet, habitans in loco Ville prope Machaut, post cruciatum per annos septem morbi molesti medicisque incogniti, recurrit ad S. Helenam, quæ obtinuit ei sanitatem, ejecta magna veneni copia.

Eodem anno Nicolaus Perat ex loco Neufville au Pont dicto, prope oppidum S. Manechildis *b*, malo violento agitatus, pro quo lenimen apud medicos reperire nequiverat, venit huc peregrinationis gratia magno quidem cum incommodo; verum non sine fructu. Nam ad finem dierum novem reperit se omnino valentem, liberoque membrorum usu donatus rediit. *Additur* examinatum et evulgari permissum.

Eodem anno Michaël Peltier, habitans in Sevigny prope abbatiam Vallis regiæ *c*, jam ab annis viginti incomperto conflictatus malo, quod interius urebat corpus ejus, plurimis pietatis visitatis locis, integræ valetudini hic restitutus est, sordibus plurimis e brachio ejectis statim post expletas hic duas novemdiales preces, Deo gloriosæ sanctæ Helenæ sanitatem ipsius reservante.

variis — 118 Eodem anno Margarita Broquart, conjux Petri Valeret, civis Catalaunensis, convaluit similiter a morbo, qui sæpius eam alienabat a mente, dum hic novemdialibus precibus vacabat, ad merita S. Helenæ confugiens. Id quod manu sua testatum voluit, uti alii etiam testes.

Eodem anno Petrus Rousart, filius Joannis Ronsart Remensis, convulsionibus ac motibus corporis vehementibus vexatus, clamoresque horrificos emittens, a patre suo huc fuit ductus; ubi sanitatem recuperavit; quemadmodum apparet ex testimonio de hac re concinnato per Religiosos cœnobii hujus, et a patre ac filio signato etc.

Eodem anno Nicolaus Rossignol, filius Nicolai Rossignolii, ex Coudæo *d* in Bria, admodum afflictus malo quodam, graves in toto corpore dolores concitante, tentatis frustra remediis humanis omnibus, integræ valetudini redditus est post ternum iter, quo huc venit. *Factum item* examinatum et evulgari permissum.

Anno sequente MDCXXV Dionysia Dauphin Catalaunensis mirifice affecta quodam malo, quod excitabat continuam agitationem in membris omnibus, ejusque pectus adeo misere inflabat ac guttur, ut ea de causa ipsam et vox et respiratio sæpenumero deficerent; ubi perspexisset, omni medicinæ peritiæ imperviam esse cognitionem sui mali, Altivillare deduci se jussit ad implorandam adjutricem S. Helenæ opem. Ad finem novemdialis precationis, quam instituebat, evomuit ranam vivam, bufonem mortuum, sex supra sexaginta aciculas, acus tres, ova piscis foliopl·antaginis involuta, tres crinium congeries, septem vel octo aciculis implicitas, frustum panni viridis media quarta parte * longum, atque nugas hujusmodi alias; quæ simul atque ex ejus prodiere corpore, sine mora valetudinis integræ compos facta est; prout refertur in processibus verbalibus, quos medici et chirurgi etc. signarunt.

* ulnæ unius, intelligo

infirmitatibus — 119 Eodem anno Petrus Michaut, ex Juvigny prope Retelium natus, dum ex longo ac gravi morbo, qui anno amplius uno ipsum detinuerat, decubuisset; sub ejusdem finem comperiens, sua crura adeo esse plena ulceribus ac humoribus malignis, ut non tantum non incedere, verum etiam ne sustentare quidem semetipsum posset, ægre admodum ferebat lecto teneri, quod videret tot se incommodis impeditum sine spe alicujus humani solatii; sed Altivillare adductus, novemdiali penso ibidem in honorem S. Helenæ persoluto, ad finem ejusdem integra sanitatis restauratione potius est.

Anno MDCXXVI D. Carolus Boucaux, parochus in Vanteüille, ac dein in Damery Diœcesis Suessionensis, torminibus cholericis nefriticis *e* per hebdomades tres correptus, atque adeo cruciatibus tam magnis ac singularibus, ut ad extrema esset redactus (delusa omni medicorum industria) pio cum affectu se commendavit S. Helenæ, precesque suas ei obtulit; quas integra subsecuta est valetudo, eamque recuperasse se agnovit Sanctæ prædictæ patrocinio.

Eodem anno Guillelma Roze, filia Petri Rozei, civis Reteliensis, annos nata quatuordecim, vexata et obsessa a malo dæmone, qui illam, non secus ac miseram illam dæmoniacam, cujus mentio sit in Evangelio, reddebat surdam, mutam et cæcam; deducta est a parentibus Altivillare, ubi misere afflicta vix novemdialia pietatis officia compleverat, quin meritis ac potentia S. Helenæ a diabolo sit liberata, qui illam insidebat, visumque statim receperit, nec non liberum aliorum sensuum suorum usum: et petito calamo, hanc rei gesta statim testificationem dedit, a se scriptam ac propria manu signatam: Per gratiam Dei ac merita S. Helenæ visum recuperavi, et integra sum valetudine. *Factum hoc* examinatum et evulgari permissum.

affecti — 120 Eodem anno Margarita Rinage, Francisci Guilielmi conjux, ex Villeuserve, magno brachii dolore afflicta, qui deinde per totum ejus corpus se extendit, motumque continuum ipsi attulit nunc capitis, deinde brachiorum et crurum, obtinuit hic remedium mali sui per intercessionem. S. Helenæ tempore novemdialis devotionis, quam ibidem in ejus honorem peragebat. *Factum* examinatum, et evulgari permissum.

Anno MDCXXVII dominus Huguet sacerdos, Faræ Tardanensis *f* incola, huc peregrinatus simul cum matre sua Michaëla Lesterte, cum ipse tum mater ejus asseverabant tamquam verum; videlicet se hoc præsente anno, natum tunc dumtaxat annos novem, sanatum fuisse a paralysi in pedibus ac brachiis, per merita S. Helenæ, deinde a variolis, et cæcitate ex illis orta; seque recepisse visum ac liberum membrorum usum, durante novena, quam mater ejus fieri curavit in honorem S. Helenæ. *Et additur*: Similiter examinatum et evulgari permissum.

Anno MDCXXVIII Nicolaa Pare, annorum novem, nata ex Sacconin prope Suessiones, possessa a dæmonio, qui eam reddebat cæcam, et omnino paralyticam, fuit huc perducta a suis parentibus: ubi post duas novemdiales pietatis exercitationes, diversis duabus vicibus obitas in honorem S. Helenæ prorsus convaluit. *Fuit et hoc* examinatum et evulgari permissum.

Eodem anno Judith Jardit, Nicolai Rogerii uxor, in Hervillon prope Macerias *g* habitans, dum malo incognito afflictam admodum se videt, novemdialem precandi cursum peragi curavit in suo pago in honorem S. Helenæ: quo finito, evomuit bestias grandes aciculæ adinstar, cornibus instructas. Unde admodum recreatam se sensit, ac postea huc venit, sospitæ suæ grates persolutura: ubi integram consecuta est sanitatem.

sospitantur. — 121 Anno MDCXXIX Joanna Oudart, quæ tunc habitabat in Villaine prope Obigny, ab anno uno vel circiter tumore quodam valde conflictata, S. Helenæ se devovit, et sine mora lenimen sensit: de qua re postea venit actura gratis. *Id quod notatur*

A *notatur* examinatum et evulgari permissum.

Eodem anno Anna Milet, conjux Nicolai Hurtan, ex Anville in Laudunensi diœcesi, tribus abhinc annis continuo cordis malo, quod excitabat miros in ea vomitus, afflicta, S. Helenæ se devovit : per cujus merita valetudo pristina fuit obtenta post novemdiale pietatis obsequium, hic in ejus honorem institutum.

Anno MDCXXX Nicolaa Deraudel, annos octodecim nata, Nicolai Deraudelii filia et Nicolaæ Drusseau, Remis habitans, prodigioso modo inflata, genibus ejus ad humeros affixis, lecto tenebatur a biennio ; nec moveri poterat sine acutissimo dolore, cujus utique supra dorsum erat tumor. Sic itaque afflicta, humanis remediis pro valetudine frustra adhibitis, S. Helenæ fuit devota a suis parentibus, eoque devecta in caruca per aurigas, qui movebant difficultatem in aggrediendo hoc negotio, propterea quod timerent, ne in via moreretur ; novennali autem invocatione ibidem expleta, in adeo gravem incidit imbecillitatem, ut judicaretur mortua. Novena peracta detumuit, fulcris incedere cœpit satis facile, ac paulo post, suæ erga S. Helenam pietatis affectum continuans, omnino convaluit.
B Morbi ac valetudinis testes simul cum illa factum signarunt. *Quod etiam* examinatum et evulgari permissum.

ANNOTATA.

a Dormanum *(Dormans)* oppidulum Galliæ in Campania provincia, ad Matronam fluvium, quatuor leucis supra Castrum Theodorici in ortum Spernacum versus sex. *Ita Baudrandus.*

b *Adrianus Valesius supra citatus,* Oppidum, *ait*, S. Mauechildis vel Manegildis, sainte Manchou, vel S. Manehoult vulgo dictum a patrona loci, positum ad Albe vel Albiæ *(Auve)* atque Axonæ confluentem, Durocortoro Verodunum tendentibus obvium *etc.*

c *In exemplari Gallico, quod hic interpretamur, vocatur* Valleroy. *Apud Sammarthanos tomo* 4 *Galliæ Christianæ pag.* 900 *notatur* Vallis regia B. Mariæ, Ordinis Cisterciensis.. diœcesis Remensis, *et vocatur ibidem Gallice* la Val roy ; *ubi de ejus fundatione et abbatibus.*

d *Gallice habetur in dicto exemplari* de Condé en Brie. *Satis notum est Condatum oppidum*
C *Belgii Francici in Hannonia, quod prædicto mox loco est Gallice synonymum, et vocatur* Condé ; *sed recte is quidem ab illo Gallice distinguitur per additionem* en Brie, *id est*, in Bria. *Est autem* Bria provincia Galliæ... cujus termini sunt ad ortum Campania, ad meridiem et occasum Sequana fluvius, *uti habet Baudrand, tres etiam ejusdem provinciæ partes recensens. Inter Briæ loca in mappa Blaviana territorii Briensis lego* Condé *ad duorum milliarium distantiam a Castro Theodoriei.*

e *In Gallico nostro exemplari* d'une collique nefretique ; *sun autem* νεφροὶ *renes* ; χολὴ *vero*, bilis *aut* fel. *Laborabat ergo parochus ille ex renibus male affectis præ bile.*

f *Adrianus Valesius antea allegatus postquam pag.* 192 *egisset de* Fara, *la Fere en Picardie*, ad ripas Isaræ fluminis posita in pago Laudunensi *etc*, Fara alia, *ait*, est in Suessionibus pagoque Tardanensi, *la Fere en Tardenois* vel *Tartenois* : alia FaraCampanensis cognominata, *Fere Champenoise*, ad rivulum in Albam defluentem. *Vide, quæ inferius dicentur.*

g *De* Maceriis *dixi in Annotalis supra ad classem primam lit.* d.

CLASSIS TERTIA.

Ab anno Christi MDCXXXI *usque ad* MDCXLIV.

Anno MDCXXXI Claudina Ogée, uxor Petri Chopille civis Catalaunensis, quodam malo interius eam urente affecta, quod impediebat quo minus biberet, comederet ac dormiret, toto utique corpore paralytica ; postquam recurrisset ad medicos, sed irrito conatu, S. Helenam inclamavit, Missæ sacrificium celebrari hic curavit in ejus honorem, et eodem tempore magnam veneni copiam ex ore evomuit, uti etiam magnum bufonem coram marito suo, simulque redintegrata valetudine esse se sensit : de qua gratias actura venit duobus vel tribus post diebus, et ipse simul cum marito signavit testimonium, quod formatum fuit super jam memoratis. *Et signatur* examinatum et evulgari permissum.

Paralytica ; alia pedibus manibusque capta ; item alia perturbatæ mentis sanantur ;

Eodem anno Joanna Hardy, filia Francisci Hardy, ex loco Mont S. Pierre apud Castrum Theodorici, usu pedum ac manuum omnino contortarum privata, se devovit S. Helenæ; et statim integra sanitate fuit donata. *Et additur* : Similiter examinatum et evulgari permissum. E

Anno MDCXXXII Anna Potier, conjux Joannis Muyse, incola loci Choüilly, diu afflicta morbo violento ex veneficio, votum fecit S. Helenæ ; quo dum perduci se jussisset, integræ sanitati restituta est post novenas tres, quarum tempore ibidem morata est, ejectis plurimis sordibus per os; de qua re D. parochus ejus testimonium dedit sua manu signatum. *Factum affirmatur* examinatum et evulgari permissum.

Eodem anno filia quædam perturbatæ mentis, huc adducta peregrinationis gratia a parentibus suis, seque subducens illis, præcipitatum se ivit in flumen; in quo dum suffocaretur, inclamare cœperunt S. Helenam : nec mora, prodigiose rediit filia super aquam, sanaque et incolumis ad ripam jacta est.

alia et tumore affecta, ac alia muta, cæca ac surda.

123 Anno MDCXXXIII Gerarda Torchet ex Bertoncourt, annorum duodecim, dum detenta esset gravissima tumoris infirmitate, ad hunc locum perducta fuit ; in quo rediit ad sanitatem per merita S. Heleuæ, prout apparet ex testimonio F sui parochi aliorumque testium, qui rem gestam signarunt. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

Anno MDCXXXIV Elisabet Vaudret, annis nata quindecim, filia Petri Vaudreti, ac Joannæ Thiebault, coloni habitantis in Massige, diœcesis Remensis, delapsa in morbum plane singularem, qui eam reddiderat mutam, surdam, cæcam et paralyticam toto corpore; postquam omnia humana tentasset remedia, sed frustra, a parentibus ad hanc ecclesiam deducta fuit : ubi, magna S. Helena favente, recuperavit visum, auditum, loquelam, ac liberum membrorum suorum usum (prout memoratur in Vita S. Helenæ) De qua re formatus fuit processus verbalis per magistratum Altivillarensem coram D. prætore, aliisque e magistratu, qui factum signarunt. *Idemque perhibetur* examinatum a reverendissimo archiepiscopo et evulgari permissum.

Anno MDCXXXV Ludovica Foy ex Renaucourt in Campania, membris omnibus paralytica, peregrinationis

EX IMPRESSIS

grinationis gratia huc fuit perducta : ubi per dies novem morata, sanctæ Missæ sacrificio celebrari curato, discessit in terram suam; ibique aliquot post diebus, continuans pium erga S. Helenam affectum, ejecit funem media ulna longum hic et illic nodis implexum, viditque integræ sibi valetudinis munus impertitum.

Aliud singulare factum

124 Silentio præterire non possum id quod accidit in hoc sancto loco circiter illud tempus. Dæmoniaca quædam ex tractu Bellovacensi huc ducta fuit a duobus Capucinis, et a duobus aliis ecclesiasticis : qui opportunitate usi sunt domini Dozet, vicarii generalis, archiadiaconi et doctoris in theologia, qui visitationem peragebat ibidem loci, cam coram ipso sistendi ac sciendi ipsius sententiam circa ipsessionis demoniacæ argumentum. D. Dozetus, cognita feminæ insessione ex signis exploratissimis, exorcismum adhibuit; quo durante, aderat ibidem homo prope energumenam, in quem dæmon perpetuo oculos conjiciebat, quæ res ansam præbuit cuidam ecclesiastico seiscitandi ab eo causam. Vir ille totus attonitus cœpit prætexere excusationes, et præse-
B ferre magnum timorem, ac præsentibus movit cogitationem (Deo id ita permittente ad manifestandam Sanctorum suorum gloriam) aliquid ibi latere singulare. Urgetur homo ille, ut indicet cujas esset, quodnam profiteretur vitæ seu artis institutum. Denique compertum fuit ex evidentibus indiciis, aliquid ei esse commercii cum diabolo. Domino Dozeto, qui habebat jus tamquam superior, repræsentans utique reverendissimum dominum archiepiscopum, inspiratum fuit, ut illum adigeret ad jusjurandum, præscribens ei formulam, diceretque, (si quidem esset talis, qualis ut reputaretur, toti isti cœtui causam præbuerat) se rogare Deum ac S. Helenam, ut spectabili modo se punirent.

narratur.

125 Infelix ille repulsum dedit quam potuit maximam; coactus tamen, vix protulerat illud juramentum tametsi balbutiendo, quin omnino suæ mentis impos humi fuerit prostratus: eodemque tempore dæmon energumenam elevabat ad altitudinem quatuor pedum, tota tamen sua longitudine extensam, ita ut vestes ejus non caderent. Sic itaque suspensa impetebat pedibus to-
C tum corpus miseri hujus hominis, incipiendo a capite; pergensque ad corpus reliquum, præ omnibus supra stomachum hæsit, vociferans : Teneo ipsum, teneo ipsum; meus est; et horrifico cum ululatu indicans, illum ipsum esse, qui detineret diabolum in corpore istius miseræ energumenæ. Unde is vitam suam male peractam recognovit, sancta Helena non minus se mirabilem ostendente in liberandis iis, quorum animam cacodæmon possidet, quam in sanandis his, quorum possidet corpus. *Notatum lego ad marginem hujus facti, manu D. Reginaldi* : Hoc accepi a clarissimo viro domino Dozet doctore theologo et vicario generali domini archiepiscopi, Capituli decano.

Illusionibus turbata, cæca;

126 Anno MDCXXXVI Carola Gerbeau, conjux domini Lanceloti Henry, ex Monmort, illusionibus, quæ se turbabant, afflicta, huc fuit deducta ad obeundam novenam in honorem S. Helenæ, cujus meritis retulit victoriam de omni sua animi lucto.

Anno MDCXXXVII Robertus Piant, servus domesticus domini Havetel, dynastæ loci Voulcienne nuncupati, Parisiis in paralysim omnium membrorum lapsus, confugit ad humana remedia ; sed videns, nihil ea leniminis sibi afferre, S. Helenæ se devovit, et sine mora convaluit; sicut D
testatus est propria manu, una cum aliis, huc profectus ad persolvenda sua vota.

Anno MDCXXXVIII Maria Zede, filia nobilis viri Jacobi Zedei, tributorum exactoris in curia seu jurisdictione Victoriacensi *a*, mensibus adhinc sex privata visu ex variolis; remediorum humanorum defectu, a sua matre D. Maria Dorigny fuit S. Helenæ devota; ubi tempore novemdialium precum, quas instituebant in hac ecclesia, visum recepit cum magna parentum suorum voluptate, qui hunc in finem illam huc adduxerant. *Et adscribitur* : Examinatum et evulgari permissum.

infirmi corpore ac mente; doloribus torta;

127 Eodem anno Petrus Preud'homme ex Igny le Iard propre Dormanum, venit Altivillare acturus gratias Deo et S. Helenæ; quia cum ipse tum uxor ejus Maria de Handes, postquam ex sortilegiis non tantum graviter fuissent infirmi corpore, verum etiam magnis animi perturbationibus affecti, integræ omnium suarum infirmitatum ambo sanitati sunt redonati, quando curarant benedici panem et vinum, prout in more positum est Altivillari, invocantes nomen Dei, et merita S. Helenæ. E

Eodem anno Maria Collin e Castro Theodorici, doloribus pungentibus torta in corpore, qui usu linguæ eam privarant, interno affectu invocavit S. Helenam; eoque statim recuperato, vovit peregrinationem ad S. Helenam : quo perveniens ad implendum votum suum, patre suo comitante, cesserunt dolores, et integræ valetudinis munere recreata est, sicut refertur in testimonio, quod pater ejus et ipsa nobis reliquere.

Anno MDCXXXIX quidam nomine Ludovicus, ex Mairy ad Matronam, veneficio cuidam, quod magno ei erat dolori per totum corpus, implicitus, quodque paralyticum ipsum reddebat, venit huc cum patre ac matre; ubi, patrocinante S. Helena, potitus integra valetudine est.

Eodem anno Joanna le Noir, filia Joannis le Noir et Annæ Dargone, ex oppido Fimensi *b* trium mensium spatio in miris cruciatibus exacto, quos ei afferebant veneficium, deficientibus remediis humanis, quæ nihil ipsi proderant, ad S. Helenam perfugium habuit : eujus meritis plane convaluit, magna rerum horribilium copia ejecta, F
quemadmodum compertum in instrumento, hac super re confecto.

alii membris capti, valetudine donantur. c d

128 Eodem anno quædam femina Avenacensis *c*, nomine Anna, habitans Carolopoli *d*, paralytica, et officio membrorum privata, integram etiam sanitatem consecuta est ad finem novenæ, in honorem S. Helenæ institutæ, quo se devehi curarat : de qua re gratias actura quotannis huc venit.

Eodem anno Joanna Mercier, vidua Petri Radelati, habitans in Toul ad Matronam, amisso per morbum usu membrorum, et incedere non valens nisi ægre admodum cum fulcris, vectura duci se jussit Altivillare, comitante Joanne d'Estanne nepote suo : ubi ex animo implorata S. Helenæ ope, peractaque novena, ad pristinam sanitatem rediit.

Eodem anno Vincentius Rousseau, filius Joannis Rousseau, habitans in Martigny, duobus magnis incommodis laborabat. Erat quippe perpetuo curvus, et ita quidem, ut neutiquam spectare cælum posset : ad hæc, tantos patiebatur cruciatus in uno femore, ut nullum in eo habere posset sustentaculum, nulloque modo illud moveret. Dum itaque cælum videre nequiret oculis corporis,

A corporis, ferventes et assiduas preces eo dirigebat; quæ ex afflicto corde profectæ, omni fiducia in Deo posita, ac in S. Helenæ intercessione, exaudiri meruere. Nam decurso novemdialis pietatis spatio in honorem Sanctæ, expedito sui cruris usu gavisus est, et ab infirmitatibus suis omnino liberatus; erectus utique, valens, ac plene restauratus. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

Quibus adde membrorum inertiam, ischiadem, malum magicum,

129 Eodem anno Ludovica le Mange, Henrici le Mange et Annæ Louvettæ filia in Passy *e* nata pariter convaluit ab omnium membrorum inertia, quam cruciatus comitabantur, ob quos cogebatur vociferari, ac projicere se tamquam mente captam. Quo donata favore non fuit beneficii immemor, quotannis Altivillare veniens, ut gratias ageret Deo ac S. Helenæ de sua sanitate omnibus numeris absoluta.

Anno MDCXL Margarita Pruvateau, conjux D. Honorati le Prate, civis Remensis, ischiade laborans, quæ omnino impediebat ei incessum, subsidia humana irrito conatu experta, S. Helenæ sese devovit, ac postero die prorsus se valentem B comperit, sola videlicet incedens, ac nemine juvante.

Eodem anno Franciscus Grivollet, habitans in loco Vuely la petite prope Gandelu, ab annis tribus correptus arte magica, et ita quidem ut brachia haberet sine motu ullo ac sensu; ad hæc tantos interius sentiebat cruciatus, ut lamentabiles voces emittere non cessaret; perfectam recepit salutem post novenam hic expletam in honorem S. Helenæ.

variasque alias infirmitates,

130 Eodem anno Joanna Landre, nata in Mery prope Castrum Theodorici, per menses omnino octo fuit vexata ex infirmitate, quæ tollebat ei omnia membrorum officia, ita ut ne vel manum quidem ad os promovere valeret. Misera illa in pessimo illo statu ad cælum confugit tanto cum majore affectu, quanto acriores perferebat cruciatus; sanctamque Helenam in patronam assumens, duci se curavit Altivillare: ubi post dies novem pie transactos, multo melius habere se sensit, ardentiusque semper ejus implorare opem pergens, intra breve tempus integræ compos salutis facta est.

Anno MDCXLII Catharina la Corne, conjux Petri C Hennin, typographi Remensis, per menses decem discruciata malo, quod hecticam illam reddebat membrisque inertem, a medicis se videns depositam, novenam hic peregit, intra quam perfectæ sanitatis munere donata est. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

Eodem anno Maria le Poivre, filia Nicolai le Poivre, Remensis, convaluit a male affectis cruribus per menses quatuor: cui malo nihil remedii afferre poterant medici: sicut narratur in instrumento signato per testes morbi ac sanationis ejus post iter.

Eodem anno filius Comitis Egmondani gravissime ægrotans et a medicis desperatus, S. Helenæ devotus fuit a suo patre, qui dedita opera hominem quemdam huc direxit, ut peregrinationem obiret, ibidemque ad suam intentionem institueret novenam; intra quam ad pristinam valetudinem revocatus est. In cujus rei memoriam atque grati animi tesseram pro isto favore, venit ad hanc ecclesiam acturus gratias S. Helenæ memorabili, pedestre iter magno cum sensu pietatis conficiens a Carolopoli huc usque.

131 Anno MDCXLIII Nicolaa Boüillard, annorum quinque supra viginti, filia Nicolai Boüillardi et Joannæ Sainte, incolarum loci Eterbé, diœcesis Remensis, male se habens jam a mensibus duodeviginti ex tumore prodigioso, qui erat in causa, ne incederet sine adminiculo alterius ipsam sustentantis, latere dextro ipsi dolente, huc ducta fuit ad S. Helenam, novenam incepit ad ejus honorem, in loco habitationis deinde continuandam: exhinc tumor ejus minuebatur, cessabant dolores in diebus paucis, et in statum valetudinis pristinum restituta est.

ex tumoribus, a quibus per merita S. Helenæ

Eodem anno Magdalena Brossard, a cubiculis Comitissæ Nantoliensis *f*, valetudine adversa utens ex continua, ardentissima ac periculosissima febri, votum vovit S. Helenæ, ut ex infirma fieret valida; id quod sine mora per ejus merita obtinuit.

Eodem anno Anna Maupin, filia Joannis Maupini et Margaretæ Stapart, ex oppido Sparnacensi *g* amisso oculorum lumine ex quodam maligno fluxu, qui oculos ejus invaserat a biennio, confugit ad S. Helenam, omni solatio in medicorum remediis frustrata; ex malo convaluit, postquam novemdialis pietatis officio hic esset perfuncta.

miseri liberantur.

132 Eodem anno Petrus la Joye, natus Remis, longo temporis spatio vexatus ex osse, quod in E gutture hæserat; S. Helenæ se obtulit, et mox reliquit eum dolor; pro qua re soluturus, quod ei debebat, huc venit.

Eodem anno Joannes Galichet, filius Thomæ Galicheti, e loco cui nomen Nostre Dame de l'Espine *h*, diœcesis Catalaunensis, dum esset brachio prorsus incurvo ac digitis omnino aduncis a mensibus quatuor, tamque magna omnium ciborum nausea, ut nihil pene sumpsisset a mensibus tribus; huc ductus fuit a suo patre; ubi absoluto novem dierum curriculo, ac Sacro celebrari curato, discessit omnino sibi restitutus; sicut signavit ipse testatusque est, cum aliis testibus.

Eodem anno Carolus le Lombre, civis Remensis, convaluit ex tumore crurum, qui durabat ab annis quindecim, quique impediebat gressum ejus: sicut refertur in testimonio, quod de hac re dedit.

Eodem anno Joannes Mourron Remensis, hectica laborans febri, et omnibus membris captus a mensibus quatuor, remediis humanis frustra tentatis, valetudinis integræ statum recepit per merita S. Helenæ, huc profectus ut veneraretur sacra ejusdem F lipsana, quemadmodum signavit ac testatus est, cum aliis testibus.

Eodem anno Amata la Vanne, nata ex loco le Mesuil, diœcesis Catalaunensis, adeo perturbata animo, ut teneri haud posset, pererrans campos in morem bacchantis ac desperatæ, ita ut necesse esset vinculis constringere pedes ejus; hinc deducta est a suo marito ad instituendam novenam in honorem S. Helenæ, cujus patrocinio integra ad eam sanitas rediit.

ANNOTATA.

a *In Gallico exemplari lego* en l'eslection de Victry. *Exstat apud Baudrand* Victoriacum Francicum *(Vitri le François)* oppidum Galliæ in Campania provincia, et in Pertensi tractu, substitutum ejus loco, quod Incensum dicitur (Vitry le Huslé) in viciniis. Sedet ad Matronam fluvium, ubi recipit Ornam, 7 leucis a Catalauno in ortum hybernum, Desideriopolim versus totidem, atque II a Barroduco in occasum.

b Fimæ sive Fismæ *(Fismes)* oppidum Galliæ in Campania provincia, prope Vidulam fluvium,

EX IMPRESSIS vium, ubi recipit Noram amnem, in Remensi tractu, et in confinio Insul· Franciæ, quinque leucis a Remis in occasum. Dicit - et ad Fines. *Ita hunc locum breviter et sufficienter describit Baudrandus.*

c *Idem auctor locum sic elucidat :* Avenacum et Avennacum (*Avenay*) urbecula Franciæ, in provincia Campaniæ, prope Matronam fluvium, et 4 leucis a Remis in meridiem, cum abbatia monialium.

d Carolopolis *(Charleville)* urbs nova et munita Galliæ ad Mosam fluvium in Campania provincia, et in Retelensi agro; *hæc idem geographus, et nonnulla alia.*

e Passiacum et Castellum Paccium... oppidum ad flumen Auturam positum in Aulercis Eburovicibus, inter Ebroicas et Meduntam medium, vulgo Pacy dictum hodieque *lego apud Adrianum Valesium;* quamquam, *uti addit*, a plerisque Passy corrupte scribitur, et ita excusum fere omnibus in tabulis reperitur; *uti etiam in textu Gallico nostro, quem hic interpretamur. An vero ibi locus itle sit intelligendus; an alius*
B *synonymus notæ ignobitis in Campania alicubi; non divino.*

f Nantolium Hilduini, Nantcüil coguomento le Haudoüin, vicus amplus Galliæ cum castro peramœno in provincia Insulæ Franciæ et in Valesii tractu, *exstat apud Baudrandum. Aliud ad Matronam; aliud item ad Axonam ponit Valesius. Hoc vel illud suspicor hic indicari.*

g *Loci hujus notitiam breviter dat Baudrandus :* Sparnacum (*Espernay*) oppidum Galliæ in Campania provincia, prope Matronam fluvium, 8 leucis infra Catalaunum, et 5 a Remis in meridiem. *D. Rupertus Reginatdus inferius num.* 171 *dicit, locum prædictum* ab Altivillarensi cœnobio dumtaxat una leuca distare.

h *In territorio videlicet Catalaunensi, uti notatur in mappa Blaviana Campaniæ.*

CLASSIS QUARTA

Miracula ab anno MDCXLV *usque ad*
C *annum* MDCXLIX.

Superioribus accedunt morbus intestinorum, *a* *b*

Anno MDCXLV Philippus d'Embly Fouquant, prætor ducatus ac territorii Retelensis, dynasta et baro loci Tourteron *a*, dum esset in loco Malmy ad Barrum *b*, cruciabatur infirmitate intestinorum spatio unius anni, medicis abstrusa; qui, omnibus remediis nequidquam adhibitis, judicarunt incurabilem eam esse, infirmoque auctores fuere, ut se compararet ad mortem : verum sermone apud cum habito de mirabilibus, quæ Deus operaretur in dies per patrocinium S. Helenæ imperatricis; peregrinationem ad illam confestim vovit in manibus reverendi patris fratris Francisci Pierrot, guardiani conventus Franciscanorum Reformatorum de la Cassine, ut vocant, mandans ut per novem dies celebrarent Sacrificium Missæ in honorem Sanctæ : ad quorum novem dierum finem cessarunt cruciatus ejus omnes, integraque potitus est valetudine; de qua ut gratias ageret Deo ac S. Helenæ, huc profectus est, comitante sua uxore ac reverendo patre, de quo dicebam; coram quibus instrumentum rei gestæ authenticum confectum fuit, et ab ipsis signatum. *Factum item illud* examinatum et evulgari permissum.

D

134 Eodem anno Joannes Rogier, filius Nicolai Rogier, Remensis, incedere non valens absque fulcris propter contractionem nervorum, S. Helenæ oblatus est a sua matre Joanna Bourgcois, et post sine mora reliquit fulcrum, seque perfecte restauratum comperit. De qua re testimonium daturi, ac gratiarum actiones sanctæ persoluturi, huc se contulere. *contractio nervorum, impeditus gressus, malum internum, item cephalalgia ac paralysis,*

Eodem anno Joannes Jauchier ex Chery l'Abbaye, similiter sospitatus est a malo, quo totum ejus corpus erat affectum, quodque impediebat gressum, remediis humanis omni efficacitate infirmitatem ejus frustratis. Id quod manus suæ signo testatus est, huc profectus, ut fidem voti liberaret.

Eodem anno Catharina Rollet, uxor Joannis Guenette, nata in Orbay, ab annis quatuor interno malo conflictata, quod in causa erat, quo minus laborare, bibere, comedere, ac libere respirare posset; tentatis nequidquam humanis subsidiis, S. Helenæ se obtulit, cujus patrocinio ad integram valetudinem revocata fuit. E

Eodem anno Anna Regina Fortier, ex Heterbe, diœcesis Remensis, ex malo capitis violento admodum, et membrorum omnium paralysi incolumis, evasit per merita S. Helenæ, novem diebus ad honorem ejus exactis : cujus rei fidem fecit manu sua subnotatam, una cum testibus aliis.

135 Eodem anno Marçou *e* Lamzé, ex Charbongne, diœcesis Remensis, magno lateris incommodo gressum impediente detenta, prorsus hic convaluit ad finem novenæ, quam in honorem S. Helenæ instituit, ac rem syngrapha sua confirmavit. *latus male affectum, impeditus corporis motus,* *e*

Eodem anno Antonia Boüillon, conjux Jacobi Bizaut, ex Vielersy, diœcesis Suessionensis, movere se impotens, voto se obstrinxit S. Helenæ, ad quod implendum maritus ejus huc se contulit, Sacrum celebrari jussit per dies novem pro valetudine conjugis suæ, et ad terram suam reversus vix applicuerat ei linteum, a se curatum benedici, quin melius se habere cœperit ægrota, finitoque novemdialis pietatis curriculo pristinam sit consecuta valetudinem. Cum suo huc accessit marito, ut rem testaretur ac grates persolveret Sanctæ, uti patet ex instrumento de eadem re relicto. F

136 Anno MDCXLVI Philippus Copignon, filius Joannis Copignon, ex Bresme, diœcesis Suessionensis, vexatus malo magico, per quod in terna per diem incidebat animi deliquia, cum forma et agitationibus corporis tam violentis, ut retineri nequiret. Huc deductus a matre sua Maria Saladina, et novena peracta, redux, plurima ac varia ejecit veneficiorum instrumenta, interque alia aciculas quinque ac viginti in tribus vicibus, caudam cuniculi, et limaces; ac deinde integre sibi fuit restitutus; sicut liquet ex documento de hac re confecto, et ab ipso uti et a parentibus ejus signato. *animi deliquia, mala venefica,*

Eodem anno Pontia Lestinoit, uxor Petri Caboulet, habitans in Vileralrand, diœcesis Remensis, pariter saluti redonata est, postquam ejecisset per os multa veneficia. De quo facto formatus est processus verbalis coram magistratu, et ab oculatis subsignatus testibus deponentibus; sicut refertur in Vita S. Helenæ. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

Eodem anno Odardus Brocart, filius Hugonis Brocart, veneficiis afflictus, quæ in eo magnas excitabant convulsiones; valetudine gavisus etiam est,

A est, ejecto hic carbone : de qua re instructus est processus verbalis, a testibus infirmitatis ac valetudinis ejus signatus, sicut pluribus narratur in eadem Vita. *Factum* examinatum a reverendissimo archiepiscopo et evulgari permissum.

tumor, paralysis, morbus in renibus curantur.

137 Eodem annò Joannæ Nonon, ex Rimogne, diœcesis Remensis, per annos tres immodice inflatæ, ac incedere non valentis absque fulcris, consultum fuit, ut se offerret S. Helenæ, deficientibus remediis humanis : quo facto, integræ reddita saluti ad finem suæ novenæ fuit.

Eodem anno Antonius Fromentin, ex S. Eugenii prope Condæum in Bria, videns se correptum paralysi in omnibus membris, et miros dolores sentiens, plenam obtinuit valetudinem, ad merita S. Helenæ confugiens, tempore novemdialis exercitii pietatis, prout chirographo suo testatus est.

Eodem anno Antonius Tarte, ex Blangy, diœcesis Remensis, a male affectis renibus etiam convaluit, qui impediebant gressum ejus, ac sæpe ipsum in furias agebant per violentos, quos creabant, cruciatus.

B 138 Eodem anno Joanna Cheminot, uxor Petri Verrier, nata ex Soly, diœcesis Suessionensis, a mensibus quatuordecim veneficio affecta, quod brachiorum et crurum, nec non rationis usu eam privabat; postquam vero ipsius maritus sine ullo successu omnis generis remedia in ejus solatium adhibuisset, S. Helenæ eam devòvit, ubi instituta pie novena vix fuit finita, quin ægrota ejecerit ex ore sordes plurimas ex setis equinis albis implexas ad longitudinem unius pedis : quo facto omnino convaluit, sicut ipsa et maritus ejus confessi sunt ac testati chirographo suo.

Non pauca congeruntur,

Eodem anno Nicolaa Huillot, annorum duodecim filia Petri Huillot, Remensis, plenæ valetudinis donum accepit in morbo, qui paralysim creabat omnium membrorum, subsidiis humanis nihil remedii afferentibus, postquam S. Helenæ reddidisset sua vota. In cujus rei fidem, illa et pater ejus factum signarunt, quod nobis reliquere.

Eodem anno Sara Gillet, conjux Servatii Deschamps, ex Congy, diœcesis Catalaunensis, adeo debilis, ut neutiquam sustentare se posset, vel parum admodum alimenti sumere, nisi magna cum C molestia, integram ad valetudiuem revocata est per merita S. Helenæ; quemadmodum ipsa aliique propria manu testati sunt.

Eodem anno Agnes Sirvenet, uxor Joannis Poinssard, ex Villers Agron, diœcesis Remensis, veneficio afflicta, quod tantos ei afferebat dolores, ut quiescere non posset diu noctuque, S. Helenæ se devovit, ac novena jussa peragi in sua parœcia, lenimen sensit : id quod ipsam iucitavit, ut huc versus peregrinaretur, sanitatis integræ assequendæ gratia; vixque iter inceperat, quin ad mediam ab ædibus suis leucam reliquerit fulcrum, quo utebatur ad firmandum incessum : et iter suum prosequens cum lætitia perfectæ compos valetudinis facta est, ante etiam quam hoc sanctuarium ingrederetur. *Factum* examiuatum et evulgari permissum.

alia exempla

139 Eodem anno Sara Godot, uxor Desiderii Dupont, ex Coisart, diœcesis Catalauuensis, per annos duos adeo male affecta, ut sustentare se ac progredi non posset sine fulcris et sine magna molestia; ubi confugisset ad medicos pro sua sanitate, sed nullo operæ pretio, aggressa tandem est magno cum conatu iter Altivillarense eo animo, ut novenam offerret S. Helenæ. Sexto autem ejusdem die, dum interesset Vesperis, magnaque cum fide ac pietatis affectu invocaret S. Helenam, omnino se valentem sine mora comperit, absque sustentaculo incedens : cujus rei testes fuere homines facile sexcenti. Verum aliquot post mensibus relapsa in suam infirmitatem, recurrere ad sospitam suam non prætermisit; ita ut itineri se committens instantaneæ ac perfectæ valetudini sit redonata. Quæ omnia relata sunt in acta, ab oculatis testibus infirmitatis ejus ac valetudinis signata; qui præterea testimonium attulere pastoris in dicto loco Coisard et decani in Virtutibus *d*. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

ex impressis.

Eodem anno Antonia Franquet, filia domini Franquet conciliarii regii in curia præsidiali Victoriacensi *e*, ab anno jam uno laborans tam violenta febri, ut magnas inde convulsiones pateretur (etiamsi aliunde se sustentare non potuerit) ut opus esset septem vel octo personis, quæ illam tenerent; tentatis omnibus humanis remediis. S. Helenæ se devovit suasu cujusdam patris ex Ordine Minimorum, et ad finem secundæ novenæ sanitas perfecta illam revisit : de quo favore actura gratias huc venit E Deo et Sanctæ, et signavit instrumentum, quod apud nos deposuit. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

140 Anno MDCXLVII Petrus Savisé, Dolensis *f*, tunc temporis miles præsidiarius oppidi Agaiensis *g*, in morbum lapsus cum jactura judicii; a suo hospite excitatus fuit, ut S. Helenæ se devoveret, eamque invocaret. Quo peracto, integram valetudinem adeptus est, et huc profectus, ut rei gestæ testimonium daret, ac Sanctæ grates referret.

Eodem anno Simona Petit manuum usu privata, confugit ad S. Helenam, per cujus merita recuperavit liberum earumdem usum, ad finem pii novemdialis pensi hic persoluti in honorem ejus.

Eodem anno Nicolaus Hemard, filius Petri Hemard habitatoris Remensis, ab annis duobus veneficio vexatus, quod eum conjiciebat in tam violentas convulsiones, ut omnem sensum amitteret, oblatus S. Helenæ fuit a sua matre, et quarto novenæ suæ die emisit per os plurima veneficia instrumenta coram parœciæ suæ parocho ac aliis pluribus personis; interque alia veneficia ejecit concham marinam, cochlearis stannei ma- F nubrium, aciculas duas, cotem : deinde vero melius quidem se habuit, non integram tamen sanitatem consecutus. Huc igitur perductus, præterea in hac ecclesia ejecit ex ore veneficia diversa, quæ etiamnum ibidem visuntur; et hoc remedio ad integram revocatus est salutem, sospitantibus S. Helenæ meritis. *Factum* examiuatum et evulgari permissum.

Eodem anno Remigius Planchart, ex Condé, diœcesis Remensis, malo caduco laborans, a matre sua huc adductus fuit : et ex illo tempore idem malum neutiquam illum attigit amplius; sicut ipse signavit cum matre sua, aliisque testibus, huc profecti grati erga Sanctam animi causa.

Eodem anno Joanna Bisette, uxor Petri Lambert, ex Courtemont, diœcesis Suessionensis, paralysi omnium membrorum tacta cum acutis adeo doloribus, ut nullam quietis partem capere posset; omnis generis, sed sine optato successu, remediis tentatis, instanti unico plenam hic recepit sauitatem, nullum experta deiuceps dolorem. Rem ipsa ac maritus ejus affirmarunt anno subsequente per testificatiouem chirographo suo notatam.

EX IMPRESSIS. Eodem anno Carolus de Prez, filius domini Joannis de Prez procuratoris in præsidiali curia Remensi, prodigioso tumore per totum corpus afflictus, quem medici non poterant ullo modo mitigare; S. Helenæ fuit devotus a sua matre Maria Moyen: cujus Sanctæ patrocinio ad integram pervenit valetudinem: sicut habetur in documento, quod super hoc argumento fuit formatum.

Eodem anno Magdalena du Haisteau, ex S. Martino d'Emblé, in eum deducta infirmitatis statum, ut incedere nullo modo valeret, imo ne vel loqui quidem ac respirare sine magna difficultate; postquam explevisset votum suum, quod hic fecit, omnino se valere comperit; sicut ipsa nobis est testificata cum aliis per instrumentum nobis relictum.

quibus probatur, mirabilem contra morbos patronam fuisse Sanctam.

141 Anno MDCXLVIII Joannes Proth, natus ex Avise, coxendicis malo laborans, quod non impediebat modo ejus gressum, sed etiam quietem; post subsidia humana sine fructu usitata, obtulit sese S. Helenæ: cujus meritis sanatus est, reliquit fulcra, et supra dictorum instrumentum dedit propria manu notatum.

B Eodem anno Joannes Baisle, natus Virtutibus, dum degeret in exercitu, correptus fuit febri continua, quæ duravit diebus quindecim; e qua dum cerneret imminere sibi mortem, S. Helenæ se offert cum voto illuc peregrinandi, et offerendi cereum album; et sine mora reliquit eum febris: de qua re testimonium nobis porrexit huc profectus anno sequente, ut votum adimpleret.

Eodem anno Nicolaus Salmon, Colomeriensis *h* in Bria, diœcesis Meldensis, ischiade in femore correptus uti et in genibus, quæ gressum ei prohibebat nisi cum fulcris, se devovit S. Helenæ, suadente alia persona, quæ ei affirmabat, sanatam se fuisse ab simili infirmitate; perfectam obtinuit valetudinem, sicut apparet ex actis hac super re conscriptis.

Anno MDCXLIX Simon Rubuy, ex Aulny ad Axonam *i*, diœcesis Remensis, membris captus, et per intervalla sensibus ac ratione destitutus, postquam humana remedia absque efficacitate expertus esset, S. Helenæ devotus fuit; ubi expleta sua peregrinatione, colubrum ejecit prorsus vivum; unde non mediocriter se recreatum sentiens, sed non omnino sanatum, C huc se contulit secundis vicibus; deinde secundum colubrum ejecit, atque adeo ab una pariter ac altera infirmitate evasit incolumis: prout refertur in scripto, super hac re exarato. *Factum* examinatum et evulgari permissum.

ANNOTATA.

a *In territorio Retelensi apud Blavium in mappa Campaniæ Comitatus invenio* Thourterou.

b Barrum ad Sequanam, Barrum ad Albam, et Barrum Ducis *videri possunt apud Adrianum Valesium. Quo autem pertineat* Malmy, *relinquo indagandum iis, qui prædictis locis sunt viciniores.*

c *Nomen hoc pono, sicut habetur in exemplari Gallico; neque enim, quidnam sibi velit, mihi satis constat; nisi forte sit nomen diminutivum a Gallico* Mars, Marcus, *ac per* Marcou, Marcula *significetur.*

d Virtutes, seu et Virtus (*Vertus*) oppidum Galliæ in Campania provincia, cum castro antiquo in planitie, versus confinia Briæ provinciæ, et 6 leucis a Catalauno in occasum; *ut ait Baudrandus: de quo loco consuli etiam potest Adrianus Valesius.* D

e *Vide. dicta superius in Annotatis ad classem tertiam lit.* a.

f Dola *(Dole) urbs Comitatus Burgundiæ notissima.*

g Ageium (*Ay*) oppidum Galliæ in Campania provincia ad Matronam fluvium, vino suo celebre, 4 leucis distat a Remis in meridiem. *Baudrandus.*

h Colomeriæ (*Colomiers*) oppidum Galliæ in Bria provincia, ad Morinum amnem, cum palatio Ducis Longovillani. Quinque leucis distat a Meldis in meridiem, Provinum versus, et 13 a Parisiis in ortum. Dicitur etiam Columbaria in actis mediæ ætatis, *teste Baudrando. Adiri etiam potest Adrianus Valesius.*

i *In Gallico exemplari habetur* d'Aulny sur Ayne *Est vero* Axona *(l'Aisne) fluvius abunde notus, qui oritur in confinio Ducatus Barrensis, ac deinde per Campaniam provinciam fluit.*

CLASSIS QUINTA

E

Ab anno MDCL *usque ad annum* MDCLV.

Anno MDCL Petrus Seigny, habitans in loco Quatre-champs, diœcesis Remensis, cruribus captus, sanctæ Helenæ se obtulit, et venit huc ad implorandum ejus patrocinium. Porro cum ad hunc locum propinquaret, instanti unico prorsus se curatum sensit; ita ut fulcra in manus sumens, incederet solus, nemine juvante, ad ecclesiam, benedicens Deum, qui mirabilis est in Sanctis suis. *Crura, cæcitas, morbus internus;*

Eodem anno Petrus Mauroy, natus e Castro Theodorici, e variolis amisit lumen oculorum; ac dum ejus mater S. Helenæ ipsum obtulisset, misissetque huc, ut celebraretur sacrificium Missæ pro salute filii sui, visum recuperavit puer; prout mater ac filius professi sunt per instrumentum hic ab ipsis depositum.

Eodem anno Margarita Tremblet, conjux Gervasii le Redde, incola loci Moulins, diœcesis Suessionensis, morbo interno cruciata, ex quo per menses novem usu membrorum omnium privata fuit, F ita ut potum ac cibum sumere non posset absque magno incommodo, quiescere non valens noctu ac interdiu, doloresque adeo acerbos patiens per totum corpus, ut ad minimum tactum ederet lamentabiles clamores; huc ducta fuit, frustra adhibitis humanis remediis, a suo marito in lectica; et post dies novem, quibus ibidem commorata est, omnino convaluit, sicut apparet e documento super hac re exarato.

143 Eodem anno Petrus Durin, annorum sex, filius Francisci Durin, natus in Futigny, noctu in rivum quodam casu delapsus est, ibidemque moratus spatio unius horæ, extractus inde fuit sine ullo motu ac vitæ indicio. Vix parentes ejus invocarant S. Helenam, quin cœperit movere labia, ac omnibus demum vitæ functionibus usus fuerit magna cum admiratione omnium, qui illum pro mortuo habuerant. Testes oculati rei gestæ testimonium huc detulerunt, ac instrumentum subnotarunt de ea instructum. *lapsus in rivum, surdus ac mutus, cocles,*

Anno MDCLI Petrus Petaut, annis natus septemdecim, audiendi ac loquendi facultate privatus.

EX IMPRESSIS.

A vatus, plane convaluit, sicut in Vita S. Helenæ narratur, et in exemplari rei gestæ, quod de prodigiosa ipsius curatione formatum est.

Eodem anno Ludovica de la Bonne, ex Castro Theodorici, oculum amisit ex ardore febris continuæ, quæ eam tenuit per menses duos; sed confugiens ad S. Helenæ merita, in cujus honorem curavit Missam celebrari in templo RR. PP. Minimorum dicti loci, ad ejusdem Missæ finem recuperavit illum amissum oculum; id quod testata est ac signavit, quando de hac re gratias actura venit.

icterica. mutus, surda, animo perturbata :

144 Eodem anno Francisca Pillier, conjux Nicolai Syron, duorum annorum spatio laborans febri, quæ trahebat originem ex immodico calore hepatis, ei afferente morbum ictericum ac cruciatus internos acutissimos cum molesta stomachi resolutione, ita ut nihil capere posset alimenti sine magno incommodo; postquam nullo operæ pretio adhibuisset remedia a medicis præscripta, huc se contulit, ut novemdiali pietatis exercitio vacaret, in quo ad sanitatem revocata est, uti asseveravit in documento, a se subscripto, aliisque testibus.

B Eodem anno Simon Blonde, filius Joannis Blonde, natus in Rosnet, diœcesis Remensis, perdito judicio ac loquendi facultate ex violento capitis dolore, cui malo nullum poterat remedium inveniri, fuit oblatus S. Helenæ, et tempore novenæ perfectam sanitatem recuperavit; prout fidem facit instrumentum de hac re confectum.

Eodem anno Helena le Fevre, uxor Thomæ Michaude, nata in Cumiere, pariter sanata fuit a surditate singulari, medicorum opera in curando illo malo frustra occupata; post tres novenas hic peractas, tandem ad earum finem retulit fructum perseverantiæ suæ.

Eodem anno Maria Jacquin, nata Catalauni, conjux Antonii Fuse, liquandi metalli artificis, ab anno perturbata animo, discruciata supra modum cogitationibus desperationis, ita ut semper apud illam opus esset aliquo, qui eam retineret; post plurima remedia dum a medicis esset deposita, S. Helenæ fuit devota; ubi vix absolverat suam novenam, quin perfecte convaluisse se viderit et corpore et animo; quemadmodum testata est ac notavit, quando huc venit, ut grates C persolveret Deo ac S. Helenæ. De re gesta instructus fuit processus verbalis, a testibus irrefragabilibus et oculatis subscriptus, interque alios a domino parocho S. Nicasii urbis Catalaunensis præfatæ.

morbo singulari afflicta, captivus, cæca, vomitu laborans,

145 Eodem anno Joanna Sutret, filia Joannis Sutret ac Margaritæ Hussou, nata Catalauni, dum morbo singulari esset afflicta a mensibus tribus, ac nihil solatii in humanis remediis posset invenire, illud accepit, dum S. Helenæ obsequio se addixit; prout refert scriptum, ejus manu ac aliorum testium morbi ac valetudinis ipsius signatum.

Eodem anno Claudius le Begue, natus Augustoduni, eques in ala equestri marchionis de Rohan, dum esset in præsidio Codiciacensis *a* castri, captus fuit ab Hispanis, et ad magnas augustias redactus. In miserabili adeo statu versari se videns, S. Helenæ se commendavit; et non multo post fuit liberatus contra spem omnem: idque attribuit meritis dictæ S. Helenæ *b*.

Eodem anno Maria Bernulle, conjux Joannis Baudinet, e Castro Theodorici, diœcesis Suessionensis, visum hic recepit S. Helenæ patrocinio, cujus opem imploraverat: sicut testata est, dum votum solveret, suo chirographo, aliisque infirmitatis suæ, qua erat affecta, et e qua convaluit, testibus.

Anno MDCLII magister Petrus Deschiens *c*, scriba regii census in Campania, et procurator tribunalis Catalaunensis, incognito morbo afflictus, qui in eo excitabat magnos vomitus, adeo quidem ut nihil retinere posset in stomacho, malum ejus comitante febri continua, quæ per mensem durabat; ad hæc extrema adductum se conspicatus, Deo et S. Helenæ se commendavit, et mox malum evanuit, ac aliquo post tempore venit huc grati animi causa erga Deum et Sanctam, cereo ei oblato, certioresque nos reddidit de hac re chirographo suo.

claudicans, oculi tumore affectus, et alius febri continua sospitantur.

146 Eodem anno Maria de Roquefort, filia honorati domini Philippi de Roquefort, viri nobilis, et dominæ Mariæ de Vuarlet de Montecourt, casu quodam ambustionis claudicans, et ita male affecta, ut sustentare se nequiret nisi furcillis subalaribus, idque cum difficultate; postquam recurrisset ad omnia humana remedia per annum integrum, quo medicorum curationi se commisit, malo ejus manente immedicabili, S. E Helenæ patrocinio a parentibus suis devota fuit, ad eamque deducta, ut novemdialia pietatis officia ibidem perageret solito more; quinto ejusdem die incommodum ipsius adeo cœpit minui, ut facile incederet absque dictis furcillis; quas reliquit in memoriam istius beneficii: de quo conscriptum fuit instrumentum propria ejus manu ac parentum ipsius munitum.

Eodem anno Jacobus Vannier, filius Joannis Vannier, Remensis, in lucem est editus cum tam prodigioso tumore super oculum, ut visum ejus impediret. Mater ejus rem conspicata S. Helenæ illum obtulit, et sine mora puer recte se habere cœpit, tumore evanescente: mater huc portavit filium in grati animi testificationem pro accepto favore, et subnotavit instrumentum hic nobis relictum, et alii testes eventus superius memorati.

Anno MDCLIII Nicolaus Chevalier, filius Francisci Chevalier, et Elisabethæ Barrat, ex Toul ad Matronam, diœcesis Remensis, pariter a febri non intermittente, remediis humanis usa sine fructu, statim post expletum votum convaluit: de qua re apud nos deposuit documentum chirographo suo signatum. F

Referuntur

147 Eodem anno Anna la Follée, uxor Antonii Belglose, ludimagistri Juncariensis *d*, diœcesis Remensis, a duobus annis cum dimidio fuit detenta malo medicis incognito, quod singularibus illam torquebat doloribus, et quietem ei eripiebat: quæ non valens incedere sine magno incommodo ac dolore, postquam ad remedia generis omnis, sed vano conatu, recurrisset, ac medici desperarent sanitatem ejus, S. Helenæ obsequiose devovit, eo duci se jussit, et ad finem novenæ, quam instituit, tam perfecte valentem se conspexit, ut pedes inde discederet. Facti narrationem litteris proditam ipsa ac ejus maritus nobis tradidere chirographis suis signatam.

Anno MDCLIV Joannes Grougnat, Catalaunensis in Campania, jam a sexennio vexatus paralysi tam magna et per totum corpus extensa, ut nullo e membris juvare se posset. Parentes ejus omnibus medicæ artis frustrati remediis, S. Helenæ illum obtulere, quo deductus, functusque pietatis officiis, integre sibi restitutus est; prout narratur in Vita S. Helenæ.

Eodem anno Nicolaa Mausart, nata ex Aulny aux

EX IMPRESSIS. aux Planches, detenta morbo incognito, qui eo ipsam deduxit, ut progredi, se sustentare, imo vel ipsum quidem caput invertere nequiret. Exacto sic uno mense, S. Helenæ se commendavit, implensque post aliquod tempus votum suum, illuc vehi carro se curavit, et simul atque Altivillare animadvertit, e carro se jecit humi, iter, quod supererat, pedes confecit absque difficultate, magna omnium spectantium cum admiratione, et integram sanitatem adepta est.

plurimæ miseriæ 148 Eodem anno Catharina Renard, nata in Contreve diœcesis Remensis, omnibus membris capta, magnaque mentis incommoda patiens, ac remedia omnigena sine successu experta, ubi se devovisset S. Helenæ, unius juxta ac alterius infirmitatis integram assecuta est restaurationem post secundam novenam, quam hic peregit.

Eodem anno Claudia Prioux, filia Antonii Prioux et Mariæ Arnauld, Catalaunensis in Campania, torta quodam morbo, qui digitos pedis adeo fecerat aduncos prorsus, ut eisdem nequiret uti quatuor abhinc annis, malo ipsius a medicis habito tamquam B immedicabili; S. Helenæ se obtulit, et statim melius habere se sensit, atque huc se conferens ut votum impleret, postquam confessa esset de peccatis, ac communicasset Corpori Domini, magnos sensit dolores per totum corpus; dumque animos capit, digiti ejus se extenderunt, et filia rediit ad valetudinem integram coram quadringentis et amplius personis, quæ huc venerant cum plurimis supplicationibus: de qua re instructus fuit processus verbalis, cui subscriptum inter alios fuit a domino Beaumont, parocho in Marfaux, aliisque e magistratu dicti loci Marfaux, in posteritatis memoriam.

Eodem anno Anna Prouencher, e Castro Theodorici, diœcesis Suessionensis, paralysi, quæ illam mirifico modo inflaverat, in extremas angustias redacta, omni medicorum industria ac remediis frustra tentatis, judicioque ab eisdem lato, ipsius morbum non esse sanabilem; valetudine integra fuit donata post iter fratris sui, quem huc miserat in eum finem. Res scripto commissa, et a testibus morbi ac valetudinis ejus subnotata post expletum votum.

per Sanctæ patrocinium sublatæ. 149 Eodem anno Nicolaa Maluaut, filia Richardi Maluaut, et Joannæ Laurent, Remensis, annorum C novem, hominum judicio possessa a maligno spiritu, qui exspuebat in faciem omnium domesticorum, evomebat injurias contumeliose in patrem ac matrem, parvulamque illam cogebat exerere linguam ad longitudinem sex vel septem pollicum, invertebat ei manus, brachia et crura, omnia reddens adunca et distorta, impetiebat ipsius gressum: sæpe privabat eam usu sermonis, apparebat ei nunc sub tauri, alias sub canis, subinde sub hominis forma, promittensque illi pecuniam, ut ad negandum Deum, atque alia nefaria facinora eam induceret. Misere afflicta illa ad finem novenæ, quam hic obibat, (eodem enim deducta ac obsequio S. Helenæ oblata fuerat a parentibus) ejecit aciculas sex, et spicam frumentariam. Novemdiali religionis exercitio exacto, mater puellam reduxit multo quidem melius habentem; sed non omnino sanatam. Id quod matrem movit, ut secundis vicibus illam reduceret, et auxilium cæleste denuo imploraret. Secundæ itaque novenæ imposito fine, puella ejecit præterea frustum sarmenti mirifice inflato suo corpore; et post illud tempus nihil sensit incommodi; uti memoratur in documento super hac re postmodum confecto.

Eodem anno Thomasia Jobar, nata Remis D abhinc mensibus octo distorta membris, ita ut nequiquam valeret eisdem uti; cibariorum cujusvis generis nausea laborabat, in ea sæpe incidens symptomata, ut pro mortua haberetur. Dum itaque usa esset omnigenis remediis, sed nullo ex iis adjuta, S. Helenæ se commendavit, novenamque peregit in ejus honorem: in qua projecit ex ore racemum, plumam *e*, carbonem, lapidem, aliasque plurimas sordes; ac deinde valetudinis perfectæ dono gavisa est: utque grata foret Deo pro sanitate, quam, S. Helena patrocinante, acceperat, profecta est huc simul cum patre ac marito suo, qui acta subsignarunt tamquam oculati testes.

ANNOTATA.

a *In Gallico est* dans Coucy le Chateau. *Baudrandus* Codiciacum, *inquit*, *Coucy*, castrum Galliæ, cum oppidulo in provincia Insulæ Franciæ, et in Suessionensi agro: dicitur etiam Cociacum „et alias dominos habuit magni nominis, estque fere medium inter Suessiones ad meridiem, E et Faram ad septemtrionem, prope Præmonstratum, et in limite Picardiæ. *Adrianus Valesius observat*, Coceium vel Cociacum, *Coucy*, *a Frodoardo* Codiciacum castrum episcopii Remensis *appellatum fuisse.*

b Una circumstantia, quæ accidit in liberatione hujus equitis, in causa est, cur hic sit inserta; estque illa, quod fuerit allata scheda eorum, qui debebant liberari, in qua is non occurrebat prima vice; verum dum esset lecta scheda ad tertias usque vices, et ipse instaret, se ibidem haberi, tandem fuit inventus. Ea, ecce, causa est, cur equites hoc testimonium dederint. *Hanc circumstantiam ad marginem exemplaris Gallici a D. Reginaldo, de quo sæpius antea dixi, adscriptam, ita Latine reddidi.*

c Ille magister Petrus Deschiens postea ad sublimem evectus est fortunam, primus *utique* Agens, *ut vocant*, D. Colbert, ministri status, *secundum notationem Gallicum mox laudati D. Reginaldi.*

d *Vulgo Jonchery, in territorio Remensi ad Vidulam fluvium; nos Latine locum illum vocamus* Juncariam *cum Adriano Valesio ad nomen* F Vidula *pag.* 603.

e *In Gallico est* une plume, *quod æquivoce plumam, pennam, ac calamum, quo scribitur, significat.*

CLASSIS SEXTA

Ab anno MDCLV *usque ad annum* MCLXI.

Anno MDCLV soror Petronilla de S. Angela ex inusitata quadam infirmitate emersit; de qua re fuit formatus processus verbalis; prout narratur in Vita S. Helenæ. *Plurimi*

Eodem anno Franciscus Navet, natus Ageii, paralysis membrorum valetudinem obtinuit; sicut similiter narratur in Vita S. Helenæ.

Eodem anno Jacoba Duboys Remensis a paralysi sanata est prorsus, sicut pariter habetur in eadem Vita.

Eodem anno Petronilla Collart, uxor Augustini

A stini Idée, nata Dormani, diœcesis Suessionensis, similiter valetudinem recuperavit, S. Helena sospitante, infirmitatis e veneficio, quæ quietem ei eripiebat, membris inertem faciebat, magnisque eam affligebat doloribus capitis, huc accedente febri ieterica: prout continetur in documento, quod ipsa et maritus ejus notavit.

Eodem anno Joanna Hutier, filia Nicolai Hutier et Annæ Brodier Catalaunensis, brachiis capta, et veneficio affecta, quod supra modum inflabat guttur ejus; omnis generis remediis sine utilitate tentatis, S. Helenæ devota fuit, ubi integra et perfecta sanitas eam revisit, sicut nobis declaravit suo chirographo.

alii 151 Eodem anno Claudius Fourquet Catalaunensis in Campania, annos ætatis numerans sexaginta, cæcitate aliisque corporis infirmitatibus affectus, S. Helenæ se obtulit, et paulo post perfecte convaluit.

Eodem anno Joanna Louis, nata ex S. Gly, diœcesis Remensis, annorum quinque supra viginti, membris iners a mensibus septem, ac corporis officio orbata, ipsisque etiam digitis manuum ac pedum omnino recurvis laborans, et B oculo dextro destituta, post omnia, quæ concipi animo poterant, remedia sine fructu tentata S. Helenæ patrocinio sese devovit, et eodem tempore sensit mali lenimen, nec non octo post diebus huc se perduci jubens, cum ad Altivillarense territorium venisset, visum recepit, digiti manuum ac pedum redierc ad naturalem statum, et ecclesiam ingressa se sustentavit cruribus, vixque ejus novena fuerat finita, quin usa sit valetudine integra: quemadmodum perbibent acta super hujusce facti argumento confecta et apud nos deposita.

Eodem anno Joannes Rouyer, Catalaunensis in Campania, a malo caduco sospes evasit, prout habetur in Vita S. Helenæ.

Eodem anno Petrus le Nain, filius Henrici le Nain, natus ex Trezy, diœcesis Suessionensis, annorum sex, febri tam violenta et continua tenebatur, ut loquendi facultate eum privaret, et ad extrema deduceret, salutis recuperandæ expertem; sed parentes ejus vix invocarant S. Helenam, quin cœperit loqui, et indulta ei parvo post tempore fuerit integra sanitas.

C 152 Anno MDCLVI Maria Mauclere, veneficio non *mirabiles favores* vulgari afflicta, integræ ac perfectæ valetudinis munere potita est; postquam ex ore ejecisset multas res horribiles coram numeroso populi conventu; uti narratur in Vita S. Helenæ, ac processibus verbalibus super hac materia.

Eodem anno Nicolaa Mazure, conjux Martini Bodinot, diœcesis Meldensis, libera omnino evasit a morbo, qui hecticam eam reddiderat, sicut exstat in actis, quæ nobis reliquit, huc se conferens ad S. Helenam, cujus intercessione sibi fuerat restituta.

Eodem anno Jacobus le Ruste, natus in Morange, diœcesis Suessionensis, vexatus veneficio abhinc annis quinque, quod omni notitia ipsum privarat, et in causa erat, ut luna qualibet prosterneretur ex epilepsia, ac spumas emitteret ex ore. Nec vero bibere etiam, nec comedere poterat, nec aliquam quietis partem capere. Plena fruitus est redintegratione post impletum votum, quo S. Helenæ se obstrinxerat; prout continetur in instrumento super hac re formato.

Eodem anno Nicolaa Lambin, ex suburbio Catalaunensi S. Menne dicto, plane convaluit a doloribus violentis, quos sentiebat per totum corpus, dum se devovisset S. Helenæ, et explesset votum; prout narratur in actis chirographo ejus signatis. *ex impressis.*

153 Eodem anno Mauritius Charlon, natus *ope S. Helenæ* Catalauni, morbo comitiali correptus, linguaque et una tibia supra modum inflata laborans, tamque furiosus, ut plurimi homines laborarent in eo retinendo; post plurima medicamina incassum usitata, S. Helenæ fuit oblatus; ubi corpore et animo prorsus convaluit.

Eodem anno Sebastiana Laurent, habitans Catalauni, orbata judicio ac membrorum usu ex arte magica, plenam hic salutem obtinuit liberans fidem voti ad finem novenæ, quam ea de causa instituit.

Anno MDCLVII Francisca de Salus, filia domini Ludovici de Salus, ac D. Joannæ de Merault, nata in la Margury, diœcesis Suessionensis, laborans febri a mensibus octodecim, quæ ad extrema ipsam redegerat, medicis judicantibus malum ejus esse insanabile, S. Helenæ a suis parentibus fuit devota cujus patrocinio recuperavit salutem, nullo morbi relicto vestigio; sicut parentes et ipsa asseverarunt, dum venirent acturi Deo gratias de hoc bene- E ficio.

Eodem anno Claudina de Costes, conjux Claudii Moriset, nata in le Mesnil, diœcesis Catalaunensis, dum a duobus annis cum dimidio capta esset pede digitis tribus abbreviato, nec promovere posset gressum nisi furcillis subalaribus nixa, idque non sine incommodo: omnibus artis medicæ præsidiis frustra in solatium suum adhibitis, vix S. Helenæ se devoverat, ac sacrificium Missæ jusserat celebrari in honorem ejus, quin plena sanitate sit fruita.

154 Eodem anno Joannes le Grand, natus *benignissime indulti* ex Contreve, diœcesis Remensis, veneficio tam violento conflictatus, ut mentem ejus turbarit, nec valens bibere, manducare, nec quiescere, S. Helenæ fuit oblatus: nec mora, ex ore ejecit lacertum, bufonem, et alias sordes; ac deinde plena corporis et mentis redintegratione usus est; quemadmodum narratur in rei documenta nobis relicto.

Eodem anno Nicolaa Gourmé Remensis modo prodigioso evasit e modo immedicabili; ut pluribus refertur in Vita S. Helenæ.

Eodem anno Maria Jarrat, uxor Renati Tarlan, F ex Lohan aux bois, diœcesis Suessionensis, tribus abhinc mensibus affecta erat mirifico tumore, qui prorsus ei eripuerat membrorum usum. Itaque a medicis ubi esset deposita, qui nihil potuere solatii reperire infirmitati ejus, S. Helenæ commissa fuit a suo marito, qui illuc se contulit, et obtinuit, ut votum suum ratum haberetur, infirma, de qua dictum, omnino sibi restituta.

Anno MDCLVII Jacobus le Grand, apparitor regius, Remis habitans, distorsione ac retorsione pedum laborabat cum dilatatione nervorum, ita ut movere se non posset sine magno incommodo, ac usu fulcrorum. Postquam demum omnia humana subsidia fuerat expertus, sed irrito conatu, S. Helenæ se devovit, equo vectus illuc fuit, et, pietatis exercitiis ibidem peractis, ita se comperit valere melius, ut pedes reverteretur domum sine difficultate: ac inde rediit pedes ad gratias agendas Deo ac Sanctæ de tam perfecta incolumitate, qua donatum se a S. Helena agnovit per acta nobis de hac re data.

155 Eodem anno Margarita Choppelet, nata *ostendunt,* ex Ronet, diœcesis Remensis, annorem 12 *a*, *a* malo incognito conflictata est, quod doloribus acutissimis

EX IMPRESSIS. acutissimis illam in genu excruciabat, in quo erat tumor ingens, gressu eam prohibens. Postquam parentes ejus ad omnia humana confugissent subsidia, ac consuluissent varios medicos expertissimos, interque alios, dominos la Framboisiere *b* et Compere, medicos Remenses; quibus nihil remedii suppetebat ad curandum ejus malum supra dicta ægrota S. Helenæ devota fuit a suo patre ac matre, ac illuc devecta novenæ obeundæ gratia, qua completa, pedes hinc est reversa cum plena valetudine. Res litteris consignata ad memoriam posteritatis.

Anno MDCLIX Joanna Vathier, ex Boncourt, diœcesis Laudunensis, omnium membrorum officio impedita, sibi omnino restituta est, sicut fidem faciunt testimonia a parocho dicti loci data, et testes alii; ut narratur in Vita S. Helenæ.

Eodem anno Margareta Cousin, uxor Nicolai Herman, nata Catalauni, infirma præ tumore, qui sibi acciderat post puerperium; remediorum omnigenorum frustrata præsidio, sanitatem recuperavit patrocinante S. Helena, dum huc se jussisset duci in illum finem; prout perhibetur in documento, quod subnotavit.

B Eodem anno Jacoba Sejourné, uxor Nicolai Morel civis Catalaunensis, terrore, qui ex trepidatione totius corporis ortus fuerat, afflicta, pariter convaluit, dum se devovisset S. Helenæ; et signavit factum, quod ea de re fuit formatum, cum aliis testibus morbi et sanationis ejus.

Eodem anno MDCLIX Stephanus Pilleron, natus ex Condé in Bria, diœcesis Suessionensis, tam magno fuit languore cruciatus ac violento, ut ad vitæ terminum properaret. Omnibus ergo Ecclesiæ sacramentis munitus, S. Helenæ se commendavit, eoque direxit aliquam personam; quæ vix attigerat territorium, quin ægrotus melius se habere senserit, et paulo post omnino sospitatum.

jure merito 156 Eodem anno Anna Poncelet, nata in Mondemont, diœcesis Trecensis, conjux Nicolai Masson, claudicatione laborans, et adeo impedita, ut progredi nequiret absque fulcris subalaribus, implorata ope S. Helenæ, et itinere Altivillarensi promisso, exiguo post tempore sospitem se omnino ac incolumem reperit. Huc se contulit, ut voti religione se exsolveret, et signavit acta, quæ apud nos deposuit.

C Eodem anno Petrus Chevallier, natus in Leraule, parœcia de Trellon *c*, diœcesis Remensis, tam molesta arthritide vexatus, ut eum lecto affixerit spatio hebdomadum septem cum acutissimis doloribus; invocato S. Helenæ subsidio, et novena fieri jussa in ejus honorem, cum voto illuc peregrinandi, si Deus vires ei concederet, plena fruitus sanitate fuit; et actionis gratiarum agendæ causa huc profectus, nobis reliquit rei narrationem a se subnotatam.

Eodem anno Natalis Hainault, natus ex Champigneulle, diœcesis Catalaunensis, infirmitate quadam abhinc uno anno vexatus molestissima, et medicis incomperta; incedere non valens nisi fulcris sustentatus, et magna cum difficultate, remediis omnibus, quæ poterant excogitari, sine utilitate adhibitis, vovit se S. Helenæ; cujus intercessione ei reddita est salus, sicut nobis fidem fecit coram testibus.

Anno MDCLX D. Maria Dupuis, conjux Caroli Julien, nata in Castro Theodorici, malum contraxit, quod per universum corpus se extendebat, eamque privabat membrorum omnium usu, mirabiles patientem dolores; dumque (remediis omnibus nequidquam tentatis a medicis) videret se omni solatii spe destitutam, S. Helenæ se devovit, et statim cessarunt ejus dolores; sicut habetur in instrumento nobis relicto super hac re. D

157 Eodem anno Thomas Haste, natus Dormani, diœcesis Suessionensis, annorum septemdecim, inter cœnandum quodam malo ita correptus est in gutture, ut loquela illum privarit per horas quatuordecim; quod comitabantur dolores ac convulsiones adeo magnæ, ut reputaretur brevi moriturus. Mater ejus hunc videns statum esse ipsum redactum, vovit eum S. Helenæ, et mox juvenis ille cœpit respicere adstantes, loqui, et gratias referre Sanctæ de sanitate, quam erat adeptus per ejus intercessionem. Venit huc dedita opera cum sua matre grati animi causa, et D. parochus Dormanensis interfuit juvenis istius restaurationi per intercessionem S. Helenæ. *ei convenire*

Eodem anno Abraham Caignard, ex Glaine prope Fimas, diœcesis Laudunensis, nobis declaravit coram testibus, fuisse se spatio annorum octodecim toto corpore plenum ulceribus, vel in ipso etiam ore et in planta pedum; quæ impediebant, quo minus incedere posset. Dictus Abraham, omnibus artis medicæ experimentis frustratus, ubi se devovisset S. Helenæ, et iter peregisset, ad plenam reductus est valetudinem, sicut refertur in instrumento apud nos relicto. E

158 Eodem anno Simona Trousset, uxor Jacobi Trousset, habitans in Ormes prope Remos, magnos dolores per menses octo in tibiis et femoribus experta, post novenam sanitate integra fuit gavisa; prout ipsa deposuit, uti et alii ægrotationis ac sanationis ejus testes. *titulum*

Eodem anno Joannes Istas, filius Jacobi Istas et Margaretæ Mayon, civis Retelensis, acutissimos in corpore persentiens dolores, qui cum quasi hecticum reddebant ab annis sex, S. Helenæ commissus fuit a suis parentibus, qui illum huc conduxere: unde post novenam secundam pedes revertens, cum non potuisset huc accedere nisi vectus, magnam sanguinis copiam emisit e naribus et ex ore, et sic plane convaluit: sicut idem Istas confessus est ac signavit, uti et parentes ejus, ad posteritatis memoriam.

Eodem anno Stephanus Prin, natus Dormani, habitansque in Gland prope Castrum Theodorici, ulcere tactus in corpore a mensibus quatuor, a medicis depositus, ac morti adjudicatus, obtulit se S. Helenæ, et iter promisit; et sine mora sensit, sibi melius esse, et paullo post perfecte sibi restitutus fuit, pure per os egrediente, sicut refertur in actis super hac re formatis. F

159 Eodem anno Joanna Drouet, ex Watry, prope Bussy Lestrée, sexaginta trium annorum vel circiter, usu membrorum capta a septem aut octo annis, et ita male affecta tibiis, ut vix movere se posset; integram sanitatem accepit, postquam venisset huc secundis vicibus, novemque dies pie traduxisset; quemadmodum narratur in scripto, quod nobis reliquit. *magnæ apud Altivillarenses thaumaturgæ.*

Eodem anno Jacobus Basse, ex Arbessée, in Comitatu Burgundiæ, diœcesis Vesontionensis, venit huc ad S. Helenam cum sua conjuge Gabriela Brion, testimonio sui parochi Sebastiani Guilielmi munitus; quod memorabat, dictam Gabrielam Brion, ægrotatione medicis incognita per annos plurimos affectam, recurrisse ad Deum et ad S. Helenam, ut obtineret infirmitatem suarum restaurationem. Dum ergo nihil levaminis sentiret in humanis remediis sine fructu adhibitis

A adhibitis, huc se contulit, et novem dies explevit in obeundis pietatis exercitiis, ut fieri assolet; sextoque novenæ die, qui incidebat in festum Venerabilis Sacramenti, flatus vehemens exiit e naribus ejus, qui etiam eum vehementia rediit ad faciem ejus; post dicta ægrota declaravit, nullum incommodum sensisse se, tametsi malum ejus antea membrorum officium eriperet. De qua re instrumentum fuit confectum, quod subnotarunt testes ejusdem ægritudinis ac valetudinis post iter ipsius. *Ad marginem hic adscribit D. Rupertus Reginaldus sæpe supra memoratus :* Hujus sum testis oculatus, et rescripsi parocho, qualiter hæc gesta fuerint.

ANNOTATA.

a *Cyfra prima in nostro Gallico nonnihil est evanida; videtur tamen esse unitas.*

b Iste la Framboisiere scripsit librum evulgatum de sua arte medica, *prout ad hunc locum notat D. Reginaldus.*

c *In exemplari nostro Gallico scribitur* Trellon. *Apud Blavium in mappa diœcesis Remensis ac territorii Retellensis invenio locum* Trelon, *ad*
B *Matronam fluvium, ab urbe Remensi pauca milliaria.*

CLASSIS SEPTIMA.

Ab anno MDCLXI *usque ad annum* MDCLXV.

Tumores febris, infirmitas, membrorum inertia

Anno MDCLXI Antonia Laurent convaluit e tumore qui membrorum officio eam privarat; quemadmodum continetur in processibus verbalibus, super hac re formatis, et in Vita S. Helenæ.

Eodem anno Hippolytus Choppart, regius rei politicæ in Verneüil præfectus, et scriba in tribunali Bugniaut in dicto Verneüil diœcesis Suessionensis, febri non intermittente per dies quindecim fuit correptus, et hisce iu angustiis munitus omnibus Ecclesiæ Sacramentis; sed S. Helenæ devotus, novena peragi jussa, ac promisso illuc versus itinere, salvus evasit; prout refertur in
C actis, quæ nobis reliquit, hanc iuvisens ecclesiam ex voto.

Eodem anno Joanna Liance, ex Mont ad Courville, infirmitate laborans singulari, ad pristinam revocata est valetudinem; uti iu Vita S. Helenæ relatum est, uec non in processibus verbalibus super hoc argumento formatis, et a domino pastore ejus, aliisque testibus ægritudinis ac sanationis signatis. *Adscribit ad marginem D. Rupertus Reginaldus :* Hujus sum etiam testis oculatus Vidi enim puellam hanc valde agitatam, et intra novenam suam perfecte effectam.

Eodem anno Francisca Courtaillier, uxor Jacobi Priollet, regii notarii, habitans in Verneüil, diœcesis Suessioneusis; dum mirifico afflicta esset tumore per totum corpus duorum meusium spatio; voveus sese S. Helenæ ad impetraudam sanitatem defectu remediorum humanorum, quæ nihil eo afferebant solatii; statim convaluit post novenam, secundum documentum, quod apud nos deposuit, a testibus ægrotationis ejus ac perfectæ valetudinis subscriptum.

161 Eodem anno Ludovicus Guinot, filius Caroli Guinot et Annæ Simon, mercatoris habitantis in Orbais, a decimo ætatis mense usque ad quinque omnino annos, membris captus ac corpore pessime affectus fuit e variolis; post quod tempus pater ac mater ejus voverunt illum S. Helenæ, ubi recuperavit sanitatem omnibus numeris absolutam.

ex impressis. vinontur; item violentæ agitationes,

Eodem anno Petronilla Chaudart, uxor Joannis Picard lanii, Catalauni habitans, postquam mensibus quinque membris iners fuisset ac deposita a medicis, sanitatem integram consecuta est tempore novemdialium precum, quas curavit peragi in honorem S. Helenæ.

Miraculum, quod hoc eodem anno accidit in persona dominæ Claudiæ de Buade, de Frontenac, abbatissæ Argensolæ *a*, non minus est memorabile. Abbatissa hæc virtute præstans, singulari quodam pietatis affectu semper addicta fuerat erga magnam sanctam Helenam, propterea quod meritis ejus obtinuisset sanitatem in sua juventute. Itaque fixum animo habuit, si peteret Altivillare, ut ejus apud Deum opem imploraret, fore, ut hac etiam vice sibi esset propitia. Eo igitur se contulit, ut votum impleret : et magna cum fiducia piæ religionis officio perfuncta, sibi videbatur, dum exiret ecclesia, cooperiri linteo frigido, corpus E
suum humectante (Quod erat evidens indicium præsentis, quam recipiebat, sanitatis) Et vero ex eodem illo die perfecte sese sanatum comperit a tristibus illis symptomatibus et violentis agitationibus, quas erat experta per menses duos, magna cum admiratione totius sui parthenonis. Hoc permovit eamdem abbatissam, ut ob grati animi tesseram, res gesta consignaretur, apud posteros mansura; cui voluit subscribere cum utriusque sexus Religiosis, oculatis suæ redintegratæ salutis testibus.

malum coxendicis, afflicto mentis, defectiones. convulsiones ;

162 Anno MDCLXII Antonia Coquet, filia Juliani Coquet et Annæ Tellier, habitantium in Ormes, diœcesis Remensis, salutem recepit per intercessionem S. Helenæ a malo coxendicis, quod per trimestre eam tenuerat; prout fert documentum apud nos depositum, quod signaruut ejus parentes, ac testes ægritudiuis ac incolumitatis.

Eodem hoc anno Margarita Perignon, conjux Joannis Baillé, habitans in Florent, diœcesis Catalaunensis, ex quadam imbecillitate et afflictione mentis, qua laboraverat tribus mensibus et amplius, convaluit, sano cum sensu rediens ex peregrinatione, quam ea de causa confecit ad S. Helenam Altivillarensem. F

Eodem hoc anno Maria Paul e pago Oiguy, diœcesis Remensis, uou absque miraculo melius se habuit per merita S. Helenæ convalescens e debilitatibus et defectionibus animi, in quas sæpenumero incidebat tametsi medicorum judicio malum ipsius esset insanabile. *D. Rupertus Reginaldus.* Hujus, *ait,* etiam sum testis, et mecum multi alii cum parocho dictæ Mariæ.

Anno MDCLXIII, Margarita Laguier, annorum tredecim, filia Nicolai Laguier, habitans iu vico Avenay *b*, male se habuit per auuum ex convulsionibus ac deliquiis, quæ nullum ei vitæ signum relinquebant; ad sanitatem rediit meritis S. Heleuæ, postquam ejecisset plurima veneficia, quæ exposita spectantur in ejusdem Sanctæ ecclesia.

ac plures

163 Hoc eodem anno Ludovicus Louguet, ætatis annorum viginti et uuius, filius Joaunis Louguet, habitaus in loco la Veufve, diœcesis Catalauneusis, dum tactus esset tumore tibiarum ac vultus, et expertus convulsiones et agitationes toto corpore

EX IMPRESSIS. corpore, immo etiam cæcitate afflictus; visum recepit et sanitatem integram, postquam fuerat commendatus et devotus a parentibus suis illustri sanctæ Helenæ.

Hoc eodem anno Magdalena Jacob, uxor Petri Chatelain, incola loci Chesy l'Abbaye, apud Castrum Theoderici, postquam usa esset remediis omnibus ordinariis, devovens se S. Helenæ tempore novennalium precum visum pariter recepit, quo erat privata ab annis tribus.

Hoc eodem anno Franciscus Raportebled, natus in vico Lisy ad Ours, diœcesis Meldensis, videns se a medicis desperatum propter hydropisin formatam a biennio, cui omnia remedia nihil profuerant, ductus fuit ad S. Helenam Altivillarensem; ubi sentire incipiens se habere melius a die primo suæ novenæ, pergensque curare, ut celebrarentur Missæ novem in ejus honorem; omnino liberatum ac restitutum ad finem dierum novem, patrocinante ac opem suam interponente illa Principe incomparabili, se sensit.

Anno MDCLXIV Martinus Coquart natus Virtutibus, recepit usum sinistrorum brachii et tibiæ, quem natura ipsi negarat, per intercessionem hujus illustris B Imperatricis.

miserrimæ 164 Hoc eodem anno Petrus Bidaut, ex urbe Catalaunensi, donatus etiam fuit beneficio majore a nostra magna Sancta : nam præterquam quod esset membris captus ac mutus, convulsiones et contorsiones pene continuæ tantum laboris dabant medicis, et ad commiserationem movebant eos, qui eum videbant in hoc miserando statu, quantum unis item atque aliis ipse nunc affert admirationis. *D. Rupertus Reginaldus* Hujus etiam, *inquit ad marginem*, sum testis. Vidi enim tanto morbo laborantem, et brevi post peregrinationem sanum omnino effectum.

Hoc eodem anno Joanna Peron, novem annorum, nata ex Blacy, diœcesis Catalaunensis, male admodum affecta fere per biennium malo medicis incomperto, quod summos ei afferebat dolores, clamoribus miserabilibus præ mali violentia eos comitantibus; quodque demum membrorum omnium officio eam orbavit : miraculose sanata fuit, simul atque parentes ejus devovissent illam illustri sanctæ Helenæ.

Hoc eodem anno Ludovicus Deschamps, annis C novem natus, Ludovici Deschamps, tribunalis ejusdem loci Blacy præfecti filius, membrorum omnium defectione laborans per menses quatuor, et a medicis desperatus, obtinuit valetudinem integram post peregrinationem ac novemdiales preces in honorem S. Helenæ peractas; sicut continetur in processu verbali, a domino parocho et tribunalis administris ejusdem loci signato.

calamitates. 165 Hoc eodem anno Magdalena Rousin, uxor Bertrandi Peltier, incola Cressiaeensis *c* in Bria, diœcesis Meldensis, ad sanam mentem rediit, et omnino evasit sospes ex irrequieto et afflicto animo, quo laboraverat per annos quatuor, simul atque se devovit S. Helenæ, mittens, ut novemdialium precationum pensum ibidem persolveretur in ejus honorem.

Hoc eodem anno Antonius Couvreur trimulus, filius Henrici Couvreur, incola loci Lagery, diœcesis Remensis, erigere se non valens propter fluxionem quamdam, in tibias ejus lapsam a biennio, quæ ea de causa omnino contortæ ac deformes erant, malo, prout chirurgi referebant, naturaliter insanabili; ad S. Helenam fuit delatus : ubi tempore Missæ erigere se cœpit in ecclesia Altivillarensi cum magna adstantium admiratione, ac parentum sola- D tio.

Hoc eodem anno Anna Colet, annorum duodecim, nata ex oppido Victoriacensi Francico *d*, membrorum omnium officio orbata per biennium fuerat, et afflicta, prout referebant chirurgi, quadam vertebrarum dorsi gibbositate, quæ magnam totius corporis deformitatem, ac difficultatem motibus membrorum creabat, ita ut ne quidem sustinere caput suum posset; quibus ordinaria remedia, ex ipsorum dictis, sanationem afferre haud poterant; a quarta tamen novenæ suæ die, Altivillari peractæ, melius se habuit; indeque discessit integræ valetudinis dono impertita magno cum solatio suorum parentum, majore autem cum admiratione medicorum ac chirurgorum, aliorumque multorum, sanatione tam prodigiosa attonitorum.

ANNOTATA.

a *Apud Sammarthanos tomo* 4 *Galliæ Christianæ hæc dicuntur :* Argensola *(in nostro impresso exemplari Gallico vocatur Argensolle)* Ord. Cisterciensis monialium sub Clara valle, fun- E data legitur in diœcesi Suessionensi a Blancha de Artesio Comitissa Campaniæ et Novarræ regina, S. Ludovici nepte, per revelationem divinam, ut memorat Vita Arnulfi conversi abbatiæ Villarensis. Erat autem Argensela vel Argenteola, grangia quam eadem Comitissa cum filio suo Theobaldo habuerat a monachis Altivillarensibus permutatione gruariæ in nemoribus Altivillaris monasterii *etc. Hæc ibi pag.* 77. *Deinde in Catalogo abbatissarum pag.* 78 *signatur* Claudia de Buade Magdalenæ neptis ex fratre Henrico barone Palluau, et Anna Phelipeaux anno MDCLIV. *Hanc proxime præcesserat* Magdalena *illa* de Buade, Antonii domini de Frontenac, et Joannæ de Secondat filia.

b Avenay *in mappa Blaviana diœcesis Remensis invenio ad Matronam fluvium prope* Ay, *id est,* Ageium; *de quo egi ad classem quartam lit.* g.

c Cressiaeum *(Cressy)* oppidum Galliæ in Bria provincia, ad Morinum amnem. Vix tribus leucis distat a Meldis in meridiem, et quatuor a Latiniaco, F in ortum; *teste Baudrando.*

d *Vide quæ supra notavi ad classem tertiam lit.* a.

CLASSIS OCTAVA

Ab anno MDCLXV *usque ad annum* MDCLXVII.

Anno MDCLXV Petrus Henry, filius Joannis Henry, *Alia* habitans Dormani, qui mente perturbatus per annos novem fuerat, sibi plane restitutus, et ad meliorem mentem rediit, postquam ad S. Helenam Altivillarensem ductus esset.

Hoc eodem anno Natalia Mathieu, annorum duodecim, filia Natalis Mathieu et Magdalenæ Huberț parentum ejus, habitantium in Vico Faræ Campaniæ *a*, postquam conducta esset a suis *a* parentibus ad S. Helenam gloria insignem, rediit inde, trepidationis omnium pene membrorum suorum, quæ per trimestre spatium creaverat illi eorumdem inertiam, et incapacem illam fecerat, ut se juvaret, sanationem adepta; prout retulit

A lit D. parochus ejus, ac testes ægrotationis ac valetudinis.

Hoc eodem anno Maria Derviot, puella e Castro Theodorici, annos habens ætatis duodecim, a maligno veluti spiritu possessa, id est, vicibus quinque vel sex vere cruciata, et agitata per aliquam causam occultam, quæ singulares in ea producebat effectus, loquens apud illam ubique locorum, ubi filia illa erat, et voce articulata pronuntians blasphemias, imprecationes, jocos scurriles ac ineptias magna cum admiratione præcipuorum Castri Theodorici tam ecclesiasticorum quam secularium hominum. Parentes non ausi illam amittere a conspectu suo, quoniam causa ista maligna nonnumquam subducebat filiam illam, unico instanti coram illis eam projiciens modo in ignem, modo in arcam, modo in alia domus loca; statuerunt demum (postquam obtulissent illam D. episcopo Suessionensi, qui ipsam confirmavit, et D. parocho Castri Theodorici, qui tonderi eam jussit, credens fieri posse, ut veneficii aliquid adhæreret ipsius capillis) Altivillare illam conducere ad S. Helenam implo-
B randæ apud Deum opis illius gratia. Ante suum iter evomebat ex ore partem superiorem ac inferiorem pyxidis, pannum bombycinum tenuem ac crispum coloris nigri, ac ulnæ unius dimidiæ longitudinem, latitudinem vero duorum digitorum complectentem; frustum rubri panni e laneis aut bombycinis filis decussatim transversis, latum duobus digitis cum dimidio, longum vero digitis septem; plurimas aciculas, stramina, herbas, et alias sordes; sicut affirmarunt multi testes fidei non suspectæ; secundum declarationem D. parochi in dicto Castro Theodorici.

sospitatorum 167 Dum vero Altivillare appulisset, tempore suæ novenæ multas straminis festucas ex ore etiam ejecit, et exigua terræ frusta, nec non *præter illa, quæ in textu Gallico nominantur,* alia venefica instrumenta : unde multum leniminis sensit. Sed aliquanto post tempore agitata novis vexationibus, decreverunt ejus parentes suscipere iter novum ad sanctuarium Altivillarense præfatum; ubi ista puella, quinta novenæ suæ luce præter modum discruciata ab ista maligna causa, quæ conabatur eam subducere e brachiis duarum personarum, fortiter illam tenentium; quæque
C proferebat etiam multas nugas et ineptias, ac revelabat actiones absstrusas eorum, qui ibidem erant præsentes; tandem misera illa se liberatam et omnino sanatam comperit per merita insignis S. Helenæ; prout retulerunt sacerdotes et diaconi dicti Castri Theodorici numero novem, cum multis aliis fide dignis; qui fuere oculati testes cum de agitationibus ejus ante peregrinationem ad S. Helenam, tum de liberatione ac valetudine perfecta post peractum iter. *D. Reginaldus scribit ad marginem dictæ narrationis :* Puellam hanc perfecte sanatam vidi, agitatam non vidi; quod tunc non essem in monasterio.

per S. Helenam 168 Hoc eodem anno Joannes Goberdelet, annorum duorum supra quinquaginta, natus in pago Longueval, diœcesis Suessionensis, per annos duos in amplius omnium membrorum paralysi laborans, ita ut ne quidem posset movere extremam digiti unius partem, integram recuperavit sanitatem aliquo tempore post reditum a S. Helena Altivillarensi, valde mirantibus omnibus, qui eum viderant et statu tam miserando, ac potissimum incolis dicti loci Longueval, secundum testimonia eorum ac informationes coram notariis habitas, annitente et curante D. Ægidio Chasteloux, dignissimo parocho dicti loci.

Anno MDCLXVI Joannes Oudart, annorum undecim, natus ex Arnicourt in diœcesi Remensi, per menses septem debilitate stomachi affectus, quæ illum provocabat hebdomadibus omnibus ad ventris fluxiones, ordinarie incipientes per caligationem ac imbecillitatem totius corporis, quasi sensu destituti, pallidi ac semimortui, medicis nihil eo remedii afferre valentibus; postquam devotus a suis parentibus fuit S. Helenæ Altivillarensi, gloriæ laude illustri; atque adeo ejecisset ex ore magnam copiam exiguarum bestiarum coloris rubri et albi, quæ in glomum, pugni adinstar crassum, convolutæ erant, prorsus se sensit liberatum et immunem ab omnibus suis imbecillitatibus.

169 Hoc eodem anno Francisca Gros, annos ætatis numerans viginti quinque, nata in pago Janthe, diæcesis Laudunensis, dum remediorum naturalium successu frustrata esset, S. Helenæ se devovens, statim convaluit a molesto morbo, qui intolerabilibus cruciatibus per totum corpus una cum horrificis clamoribus eam afflixerat. *exempla proferuntur.*

E Hoc eodem anno Joannes Guiton, duodecim annorum, Joannis Guitoni mercatoris Catalannensis incolæ filius, incipiebat se erigere et incedere tempore novenæ, quam in honorem S. Helenæ peregit : et paulo post iter integra valetudine gavisus est, omnino se liberum comperiens a dolore per totum corpus extenso, qui magnos eum ad clamores concitabat, simul atque tangeretur vel moveretur, quique reddiderat eum inertem membris ac omni eorum usu captum per menses tres. *Hactenus miracula Gallice typis edita; quibus Latine subscripsit sequentia D. Rupertus Reginaldus, de quo supra sæpius, egregius ac plane diligens in procurandis atque huc mittendis documentis Helenianis adjutor.*

Sunt, *inquit,* et quædam alia facta anno MDCLXVII et MDCLXVIII, quorum verbalia sunt penes Eminentissimum Cardinalem Antonium Barberinum, nostrum archiepiscopum, examinanda. Ubi restituerit et vulgari permiserit, certo ad vos transmittam. *Ita ille. Vide inferius.*

170 Neque etiam silentio prætereundum puto *(ita pergit Reginaldus)* quod multoties accidisse *Mortui apparent,*
F deprehendi, propinquis aut etiam amicis suis se videndos præbuisse mortuos, rogasseque, ut pro animæ suæ remedio ad B. Helenæ ecclesiam peregrinationem susciperent. Quidam molitor *(ad marginem adscribitur,* id accidisse anno MDCLXVII mense Novembri) de oppido super Materuam vulgo Vraux, Petrus Poillard nomine, filio suo jam triginta annos nato et matrimonio tradito, suæque conjugi apparuit, una manu ceream tenens accensam candelam, et altera precum libellum; jussitque, ut quantocyus æs alienum, quo gravabatur, restituerent, et pro se pedites ad B. Helenæ ecclesiam pergerent : quod et devote præstiterunt. Quinque autem leucis distat prædictum oppidum Vraux a cœnobio Altivillarensi.

171 Sed mirum, quod anno MDCLXVII accidit in urbe Sparnaco, ab Altivillarensi cœnobio dumtaxat una leuca distante. Adventus tempore seu mense Decembri Claudia Collange mente sanissima (secundum quod etiam plures Sparnaci cives testati sunt) lecto decumbens sensit nescio quid frigidum sibi adhærere. Quod cum secundo et tertio sibi accidisset; ejus herus (Erat enim famula) jussit, ut intra suum ipsiusmet cubiculum decumberet : cui etiam morem gerenti, et intra *ac suos de peregrinatione Altivillarensi monent*

EX IMPRESSIS. heri cubiculum decumbenti idem omnino evenit. Hanc hac de re magis atque magis perterritam famulam juxta conjugem suam in eodem lecto jussit herus decumbere, sed mirum non modo etiam illud frigidum sibi sensit adjungi; verum vestes sequenti luce in media area sub frigido aëre (Etsi pessulo obseratum fuisset cubiculum) deprehendit, Deo, ut mihi videtur, nefas illud arguente, non licere famulæ in eodem cum hero lecto decumbere, etsi media esset conjux.

pro animæ suæ remedio. 172 Igitur magis atque magis perterrita prædicta famula adit confessarium ex Minimorum Ordine, qui ei suasit, ut præmissa confessione, sacro pabulo refecta exspectaret, quid id sibi vellet. Cumque post communionem gratias Deo ageret, vidit prope se sedentem avunculam nomine Margaretam Soulliers, media ipsa luce, quæ non a mense fuerat defuncta, cuique multis annis servierat, et præcipue in ultimo, quo languens diutius laboraverat, morbo. Cumque vix sui esset compos, imperterritam defuncta jussit esse neptem; sed implere votum, quo se et eam obstringi sciret, beatamque adiret B Helenam, et sibi toto itinere adfuturam. Quod et factum est. Nam prædicta Claudia Collange quotidie Sparnaco ad Altivillaris cœnobii ecclesiam veniens voti implendi causa et novennæ, tribus primis diebus non modo sentiebat sibi inniti avunculam, ut assolebat morbo laborans, sed et etiam videbat. Taudem ipso Domini natali die in ecclesia videndam se ultima ei præbuit; de his omnibus gratias egit, seque, ex obscuro loco eductam, brevi optata luce et beatitudine fruituram dixit.

ANNOTATIO.

a *In Gallico est* Fere Champenoise. *Baudrandus* Urbecula, *inquit, est* Galliæ, in Campania provincia, media inter Sequanam fluvium ad meridiem, et Matronam ad Septentrionem, octo Leucis a Catalauna in meridiem.

CLASSIS NONA.

C *Alia quædam mira apud Altivillarenses anno* MDCLXVII, *Litaniæ cum antiphonis et orationibus in Sanctæ honorem conditæ.*

Variæ puellæ In *manibus habeo libellum typis editum hoc titulo, qui ex Gallico ita sonat Latine :* Relatio fidelis rei gestæ in ecclesia abbatiæ Altivillarensis circa puellas opificii regii Remensis; quæ non sine miraculo sunt sanatæ per deprecationem S. Helenæ anno MDCLXVII. *Facti historiam sic interpretor Latine.* Rex, in bonum regni, varia opificia stabiliverat in Gallia, ut ibidem haberetur, quidquid poterat desiderari vel quæri alibi. Unum inter alia constituerat in urbe Remensi ad exercendam Phrygionum artem (*In Gallico est,* pour travailler a la broderie) subtilis texti linei, opere Gallico (*vulgo* du point de France) rem dirigente D. Mignot, *qui* Parisiis fuerat accersitus, ut operum præfecturam ac domus istius gubernationem exerceret. Sed dæmon et asseclæ ejus bonum publicum, ac bonam disciplinam communitatis istius, in qua magnus puellarum numerus omnis conditionis honorifice alebatur, et Chri- D stiano modo educabatur, invidentes, malum non vulgare ibidem excitarunt. Plurimæ puellæ istius domus modo horribili fuerunt afflictæ; et convulsionibus quidam tam violentis sæpe interdiu, ut tres personæ admodum fortes multum laborareut, ut unicam tenerent læsionis præveniendæ gratia.

174 Brachia et tibiæ subinde illis omnino erant contorta, idque tanta cum violentia, ut, qualicumque etiam adhibito conatu, fieri nequaquam posset, ut in statum naturalem reducerentur. Ubertim etiam non raro sudabant præ mali sui violentia; et docuit experientia, dum acubus pungerentur, aut earum brachia virgis cæderentur admodum aspere, nullum in ipsis fuisse sensum hoc in statu degentibus; quin immo non vidisse oculis etiam apertis; quandoquidem, tacta eorumdem pupilla, illos non clauderent. In principio creditum, esse morbum istum naturalem, malumque esse posse sexui femineo familiare. Omissum nihil, quod sanationi earum judicabatur necessarium. Plurimæ medicorum famosissimorum consultationes habitæ; qui dum viderunt, post sua remedia E etiam singularia maxime, malum esse pertinax, et magis ingravescere, coacti fuere fateri, non extendi suam artem eo usque, ut remedia præscriberent malo tam inusitato. *Remis simul habitantes*

175 In defectu humanorum remediorum, quæ fuere adhibita nullo operæ pretio, decretum est inopes illas afflictas deducere Altivillare, quatuor ab urbe Remensi leucas dictans, ad implorandam Dei opem per deprecationem S. Helenæ, matris Constantini, cujus sacra lipsana ibidem quiescunt. Primo igitur quatuor eo sunt perductæ ad finem mensis Julii ejusdem anni MDCLXVII; ubi aliquot post suum adventum diebus, cœperunt per os ejicere magnam rerum horribilium copiam, videlicet glomos capillorum, et plumarum aciculis trajectarum, lapides, frusta vitrea, quæ nonnumquam sanguine erant omnino plena; clavos, ansas fereas, calcem, carbonem, fasciculos stramineos involutos more jubæ equorum, curatorum per lemures *; qui nullius hominis manu poterant esse compacti, et alia hujusmodi; idque coram innumerabili hominum multitudine omnis ætatis, status omnis, omnisque conditionis, virorum ac mulierum, ecclesiasticorum, F secularium ac Regularium, e quibus venere dedita opera plurimi hæc mirabilia visuri. Nomina istarum quatuor puellarum erant : Joanna, dicta Philistina, annum ætatis agens circiter vigesimum sextum, filia monilium, vasorumve pretiosorum mercatoris, vel gemmarii, Constantinopolitana, quæ ex Turcica ac Mahometana secta Christianæ fidei nomen dederat, ad illam deducta a Religiosis Mathurinis *a*, et sacro abluta baptismo Divione *b* coram D. Marchione de Trichasteau, ac D. Marchionissa de Tauanne susceptoribus. Admota fuerat opificio ab illustrissimo domino episcopo Catalaunensi in Campiana, cujus incensum studium satis manifestat cura, quam habet, opem ferendi personis istis recenter conversis. Secundæ nomen erat Maria Dubois, annorum octo supra viginti, nata Sedani *c*, diœcesis Remensis, quæ e secta Huguenotorum *d* religioni Catholicæ adscripta est, suamque hæresim ejuravit in ecclesia abbatiæ Altivillarensis. Tertia erat Nicolaa Oudart, e parœcia S. Petri in urbe Remensi. Quarta vocabatur Dionysia Guimbert, annorum tredecim, e parœcia, S. Hilarii in eadem urbe Remensi.

horrendis cacodæmonis artibus ac præstigiis

* In Gallico *est* par des follets, *i. e.* per fatulos,

176 Die

discruciantur; A 176 Die sexta mensis Augusti sequentis, anni ejusdem MDCLXVII, puellæ aliæ sex ejusdem Opificii seu contubernii, malo prorsus simili afflictæ, etiam conductæ sunt Altivillare, concepta spe fore, ut S. Helena non minus hisce faveret, quam quatuor præcedentibus, quæ jam tum cœperant sentire efficacitatem patrocinii ejus, plurimis sordibus per os ejectis. Quatuor e sex illis ultimis erant Parisienses; Carola Ragot, annorum duodeviginti, e parœcia S. Joannis, de Greve dicta vulgo, in Greve *e*. Secunda Francisca Champagne, annos nata quatuordecim, e parœcia S. Bartholomæi, in Insula palatii *f*. Tertia Henrica Caré, ætatis sexdecim annorum, e suburbio S. Germani, ac e paræcia S. Sulpitii. Quarta Margareta Carette, annorum undecim, e suburbio ac parœcia iisdem. Hæc, quæ erat omnium natu minina et corpore, ejecit frustum ferri valde crassum, et aciculam per fauces, quæ pellem foravit, Duæ aliæ erant Maria Savard, filia pharmacopolæ Farensis in Tardeniaco *g*; ac Maria François, filia opificis calcarium, qui habitabat Catalauni in Campania, parœcia Deiparæ in platea Vitulina. B

sed in patrocinio S. Helenæ Altivillarensis 177 Ultimæ bæ sex vix ad territorium Altivillarense pervenerant, quin equi se distraxerint a carro, quo illæ vehebantur, rupto suo apparatu; carrus incedebat solus per tres vel quatuor gyros rotarum (prout retulit auriga, ac duæ aliæ personæ, quæ comitabantur) nullo bominum aut equorum juvaute; tametsi id accideret in loco, ubi erat opus viribus majoribus, ad ascensum. Miseræ autem illæ statim passæ sunt animi deliquium, omnesque sunt testatæ, se inter deliquium suum vidisse carrum circumdatum horrendis spectris; veluti dæmonibus, omni conatu obnixis impedire, ne iter promoveret; vidisse item se dominam venerabilem, colore albo vestitam, coronam auream in capite gestantem, vultu inflammatam, quæ eis resisteret.

remedium inveniunt 178 Dum intrarent ecclesiam, accepta aqua benedicta, omnes inciderunt in suas convulsiones, et ex ore, naso, et auribus magnam copiam rerum emisere hujusmodi, quas aliæ ejecerant. Quamdiu autem babitarunt Altivillari, quotidie assistentes C Officiis sacris, more consueto ægrotorum, qui novemdialibus pietatis exercitationibus operam dant: quemadmodum aliæ, sic etiam hæ sæpius per diem inciderunt in suas convulsiones; sæpe ad decem usque vices; et convulsio una durabat aliquando media hora, vel tribus horæ quadrantibus; nonnumquam medio dumtaxat horæ quadrante, et iuterdum etiam non tam diu. Erat visu deplorandus istarum inopum status. Quando ejiciebant veneficia, videbantur illa eructare e fundo stomachi; id quod non fiebat sine mirificis conatibus: unde tanta postmodum illis suboriebatur corporis imbecillitas, ut consistere non valerent. Denique dum coutinuarent pietatis actiones cum fervore ac plena in Deum, ac crucis potentiam fiducia, cujus efficacitas illis erat applicanda per patrocinium S. Helenæ, integram obtinuere valetudinem a miseriis suis liberatæ, neque sunt relapsæ in suas convulsiones a die quartodecimo Septembris, Exaltationi S. Crucis sacra, ad gloriam Jesu Christi crucifixi, triumpbatoris mortis et inferni, qui mirabilis est in Sanctis suis: cui sit honor et laudatio in secula seculorum Amen.

sibi salutare, 179 *Hæc ibi. Sed antequam hinc abeamus, notanda omnino sunt, quæ D. Rupertus Reginaldus manu sua Latine scripsit in hæc mirabilia*: Præter decem has, *inquit*, puellas, de quibus actum est, aliæ etiam tres ejusdem domus aut contubernii, simili laborantes maleficio, ad Altivillarensis cœnobii ecclesiam etiam adductæ sunt. Ex illis tribus duæ sorores erant Maria Brunet et Magdalena de Antenaco, vulgo Antenay, diœcesis Suessioneusis, quæ etiam post fusas Deo et beatæ Helenæ preces intra dies novem perfectæ sanitati sunt restitutæ; verum nihil evomuerunt. Horum omnium sum testis, sicut et aliarum vomituum, et mecum plus quam duo hominum millia: nam hæ puellæ maleficiatæ ab Augusti v, ad Septembris XIII anni MDCLXVII, fere quotidie, et in die pluries aliquid evomuerunt: ad quas invisendas tum ex curiositate tum ex devotione undequaque accurrebant e vicinis regionibus omnis generis personæ. *ex impressis.*

180 Reverendissimus et illustrissimus Catalaunensis episcopus, ob singularem pietatem et doctriuam toti Galliæ notus, mihi scripsit, dum bæc fierent, mandavitque ut sibi rescriberem et renuntiarem qualiter hæc gesta fuerint; quod et feci fideliter. Verum diu hæsi anxius, num narrationem hanc ad vos transmitterem, vel etiam supprimerem, licet prælo datam, quod acceperim, ex illis puellis duas in pristinum infirmitatis statum reincidisse, seu eadem pati symptomata, aut eodem modo convelli seu agitari, quo ante. Licet enim bos vomitus prodigia reputem non posteritati silenda; id tamen miraculis adscribere non ausim, ui perfecta sequatur et absoluta sanitas, qualis in aliis secuta est puellis. *Hæc sunt, quæ taudatus D. Reginaldus notat post libellum Gallicum, quem paullo ante latinitate donavi. Verum an tres illæ puellæ per miraculum sint sanatæ, an potius per beneficium, quia dumtaxat sint sanatæ ad tempus, non est opus pluribus disputare. Valeant hic et sufficiant dicta Reginaldi, quibus candorem et sinceritatem suam religiose comprobavit. Narrationi superiori liceat mihi assuere aliquid pii.* *Sanctæque honorificum;* E

181 *Coronidis itaque loco subnecto, post dictum libellum typis editum, in quo historia narratur decem puellarum Opificii regii Remensis; haberi litanias in laudem S. Helenæ concinnatas et idiomate Latino impressas, nec non ad Sanctæ gloriam, ejusque patrocinium implorantium pietatem prorsus accommodatas. Juverit inde excerpere elogia, quæ illi dantur, et sunt illa*: S. Helena imperatrix Cbristianissima, imperatrix potentissima, imperatrix sanctissima, imperatorum mater et sponsa, imperiorum gloria, principum insigne speculum, inter honores bumillima, semper ad Deum elevata, a Dei gratia præventa, a Spiritu sancto ducta, crucis Christi amantissima, contemplationi deditissima, in oratione ferventissima, gloriæ Dei zelantissima, amoris divini fornax ardeus, vitæ spiritualis magistra, contemplativorum speculum, idolorum ruina, Catholicæ fidei propagatrix, hæresum expugnatrix, illustris Calvariæ iucola, devota sanctorum locorum peregrina, templorum fundatrix munifica, ecclesiasticæ pacis et libertatis restauratrix, iuventrix sauctæ Crucis, gloriæ Crucis exaltatrix, Crucifixi sponsa carissima, ardenti iu Christum amore flagrans, jejuniis et orationi deditissima, Cbristianorum auxilium, pauperum levamen, viduarum tutela, pupillorum mater, afflictorum refugium, xenodochiorum fundatrix, dæmouum terror, maleficiorum malleus, ægrotantium omnium salus, prodigiorum operatrix, Galliæ thesaurus et tutela. *cujus elogia e litaniis impressis.* F

182 ANTIPHONA:

Ex impressis una cum antiphonis ac orationibus exhibentur.

182 Antiphona : Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. ℣ Regnum mundi, et omnem ornatum seculi coutempsi, ℟. Propter amorem Domini mei Jesu Christi. Oremus : Deus, qui beatam Helenam imperatricem in salutiferæ Crucis reperiendæ desiderio virtute constantiæ roborasti, et per ejusdem inventionem Ecclesiæ tuæ fines mirabiliter dilatasti, ex ejus imitatione infunde cordibus nostris tuæ Crucis affectum, ut te iu omnibus et super omnia diligentes, promissa crucem ferentibus præmia consequamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre *etc. Et mox subjungitur.* Alia hæc oratio pro infirmis : Deus, qui per beatam Helenam, imperatricem Christianissimam, lignum Crucis detegere dignatus es ; præsta quæsumus, ut ab omnibus, qui nos premuut, dæmonum incursibus eripi, et a cunctis mentis et corporis infirmitatibus liberari, ipsa pro uobis intercedente, Crucis tuæ potentia valeamus. Qui vivis *etc. Hisce pietatis erga Sanctam exercitationibus dicti libelli occasione datis, ad alia Altivillarensia prodigia*
B *redeamus.*

ANNOTATA.

a *Instituti sunt pro redemptione captivorum : de quibus Cangius in Glossario Latino hæc observat :* Asinorum Ordo, ita dictus Ordo S. Trinitatis, seu Mathurinorum, quod, cum iter agerent, asinis tantum vehi iis liceret, non equis, ut habet Albericus, et ex eo Magnum Chronicon Belgicum anno mcxcix. Vetus Chronicou tomo 2 Spicilegii. « Anno Domini mcxcviii Pontificatus Innocentii « PP. III anno i cœpit et institutus est Ordo S. « Trinitatis, quem solebant appellare Ordiuem « Asinorum, eo quod asinos equitabant, non equos ». Eorumdem regula, quæ habetur lib. i Epist. Innocentii III pag. 306 edit. Venetæ, « Equos non « ascendant, nec etiam habeant, sed asinos tan- « tum liceat ascendere datos vel accomodatos, vel « de propriis nutrituris susceptos ». Sed id immutatum iu regula iis tradita a Clemente PP. anno mcclxvii cap. 2, ubi hæc habentur « Liceat Fra- « tribus equos ascendere, et equitaturas tales
C « habere, quales potuerint, et sibi viderint ex- « pedire, dum nimis notabiles non existant ». Computum Hospitii regis anno mcccxxx « Les « Freres des Asnes de Fontainebliaut, où Madame « fut epousée ». *Hæc Cangius tomo* i *Glossarii citati col.* 761.

b *Urbs est Galliæ notissima in Burgundiæ ducatu.*

c Sedanum (*Sedan*) urbs Galliæ in Campania provincia ad Mosam fluvium. *Hæc et plura Baudrandus.*

d Huguenotorum *nomen datum est in Gallia iis, qui Calviniana labe erant infecti. Etymologiæ hujus nominis variæ sunt, interque auctores de illis non convenit ; quas refert Dictionarium Gallico-Latinum anno* 1704 *Trevoltii impressum.*

e *Est locus Lutetiæ Parisiorum, ad ripam Sequanæ fluvii, estque publicus, in quo nocentes plectuntur.*

f *In Gallico dicitur* en l'Isle du palais. *In Dictionario mox assignato notatur, vocem* isle *etiam dici in urbibus de tractu circumdato plateis quatuor, vel de domo, quæ alteri non adhæret.*

g *Gallice* de Fer en Tardenois : *estque* oppidum Galliæ in Campauia, cum castro lepido, *teste Baudrando*, in Tardeniaco tractu, medium fere inter Meldas ad occasum, et Remos ad ortum. D

CLASSIS DECIMA

Continuatio miraculorum ab anno MDCLXVI *usque ad* MDCLXVIII.

Epilepticus, ac membrorum impotes

D. *Rupertus Reginaldus, sæpissime juxta ac meritissime jam a nobis supra laudatus, e monasterio Altivillarensi mense Februario anni* 1669 *scribebat huc sequentia :* Eminentissimus Cardinalis archiepiscopus noster Remensis, aut ejus generalis vicarius, qui de B. Helenæ miraculorum instruenda reuuntiatione nobis fecerat facultatem, sibi a nobis præsentata instrumenta examinavit, et miracula, quæ mitto, publici juris fieri permisit. *Instrumentum vero, cui epistolium, e quo hæc verba accepi, erat insertum, sic habet, et a D. Reginaldo scriptum est :* Continuatio miraculorum : Anno mdclxvi Servatius Vallidire, de E quodam pago diœcesis Remensis, qui dicitur Cormoyeux, et una leuca ab Altivillari cœnobio distat, epileptico correptus affectu, seu comitiali laborans morbo, ter novem dies ad prædictum se contulit cœnobium ex quadam erga B. Helenam fiducia, supplicaturus ; et ex hinc nihil sensit incommodi.

Anno mdclxvii Joannes Mulet Fimis oriundus, Remensis diœcesis urbe, membrorum omnino impos ; cum a medicis adhibita remedia nihil profuissent, ad B. Helenam rheda vectus, peregrinus advenit, et ex tunc sanus effectus est, ut fidem faciunt instrumenta ab ejusdem urbis judicibus confecta et subsignata.

sanitati restituuntur.

184 Eodem anuo Petrus Delrois, de pago sancti Saturnini diœcesis Trecensis, ab annis tribus etiam membrorum impos ad B. Helenam rheda deportatus est, ubi per uovem dies et amplius precibus vacavit : et decimo quinto a reditu in patriam die, sanus et incolumis effectus est, ut patet ex instrumento ad hoc confecto, ejus rei fidem faciente, et a testibus fide dignis subsignato, plerisque tum Altivillarensis oppidi tum S. Saturnini incolis. *Ad marginem de hoc Petro Delrois, affirmat D. Reginaldus :* F Membrorum impotem huuc vidi, et postmodum sanatum, quod satis demirari non potui.

Exstat in nostro apographo aliud factum, hoc titulo prænotatum : Memoria digna narratio, *manu D. Reginaldi descripta ; quæ sic sonat :*

Mira historia

185 Anno domini mdclxviii, mense Maio, mirum certe accidit in quadam diœcesis Laudunensis urbe, quæ vulgo dicitur Vervin ; iu hospitio cujus pensilis tabula est sancti Martini : horrendus non modo audiebatur strepitus et fragor ; verum omnis hujus domus supellex pessum videbatur ruere. Videbantur media ipsa luce immitti et injici lapides aliquando prægrandes, fulcra focaria, quadræ, candelabra, disci ; a quo tamen isthæc mittebautur, non apparebat ; quibus omnibus hujus ædis incolæ terrebantur non mediocriter, qui et aliquando contundebantur verberibus, ex quibus præcipue hera tam graviter fuit in capite percussa, ut ejus effractæ calvariæ testam chirurgica terebella magno vitæ periculo necesse fuerit eximere.

de quadam domo

186 Quid facerent domestici in hac tanta calamitate, procul dubio illic morantibus veneficis et

A et sagis, et domum hanc infestantibus? Quod in dubium non revocavit herus, id a veneficis et maleficis præstari, et non a dæmonibus, quos fatulos appellant, dum advertit in speculo reflexum aliquem, quamvis inibi esset nullus; dum vidit cum aliis domesticis et familiaribus lagenas quasi in aëre suspensas in subterraneam vini cellam descendere se solis, et post aliquod temporis spatium sursum illinc ascendere; dum deprehendit paratos hesterna luce cibos, sequenti absumptos, relictis analectis seu eorum quisquiliis, imo, pace vestra dixerim (horret animus referre) humana excrementa; dum animadvertit insuper ablatam supellectilem, vestes et aliud quid simile, quamvis clausa esset arca vestiaria: et in his omnibus pessulo et sera clausum et obseratum esset cubiculum, nec ulli patere videretur aditus.

miris modis

187 Hujus igitur urbis parochus et viciniæ decanus dominus Bourgeois, vir litteraturæ non mediocris, de bis reverendissimum et illustrissimum monuit Laudunensem episcopum, qui jussit preces fieri et domum benedici. Interim illic Religiosi viri et Capucini præsertim rogantur pernoB ctare et orationi incumbere, fragor nihilominus auditur et strepitus. Reverendissimus prædictus episcopus illic permittit fieri Sacrum super altare, quod vocant portatile, in cubiculo decenter ornato, et ad hoc præparato. Hinc post dies quinque nihil omnino auditum fuit, ita ut tranquilla putarentur omnia. Verum post dies quinque iterum turbata domus, iterum supellex pessum ruit, nec mali minus aut sentitur aut auditur fragoris: tandem hujus loci incolis consultum est, ut fustibus et armis instruerentur, quibus vim vi repellerent, et imperterriti quaquaversum percuterent.

infestata

188 Interim accinctis ac ferire paratis visendum se præbet animal quoddam (si quod fuit) quamvis clausum esset cubiculum, feli non absimile aut potius serpenti, inter utrumque (si ita loqui fas est) medium genus, etsi maxime inter se diversa sint ista animalia; nam sine auribus, cauda et pedibus, quasi serpens; verum felinæ pellis totum visebatur. Impavidi igitur aggrediuntur, insequuntur fugiens, districto ense percutiunt; sed percussum C non stetit. E contra vero ensis retunditur acies, tandemque per stillicidium seu aquæ ductus se subducit et fugit infausta bellua, mirantibus omnibus, per tantillum foramen potuisse se subducere, sicque evadere.

et tandem per S. Helenam sospitata.

189 Sed et ob id nihil magis quietis domi habitum est, immo et minus; ita ut domum deserere jam essent parati hujus incolæ. Cum ex beatæ Helenæ miraculorum fama, quæ se per totam extendit viciniam, hera ad Altumvillare supplicatura peregrinationem meditatur, quamvis viginti leucis et amplius hinc distet. Vovet insuper et aggreditur confidens, si forte maleficorum malitia aut immanitate id fieret, ipsos per crucis virtutem et beatæ Helenæ intercessionem esse coërcendos. Ipso die, quo iter aggressa est hera, omnia furto ablata restituta sunt, vestes et alia supellex in vestiaria arca inventa: silet strepitus per dies undecim; salva igitur et sana putantur omnia. Verum post dies undecim iterum fragor, quamvis a percussione abstineretur: nec destitit, donec et ipse herus, cujus nomen est Nicolaus Desmiots, peregrinationem etiam ad beatam Helenam vovit, et pedes executus est circa finem mensis Octobris ejusdem anni MDCLXVIII: ex tunc enim huic domui molestiæ nihil illatum est. *De voce* fatulos *num.* 186 *observa, eam num.* 175 *a me redditam Latine* lemures. *Consuli potest Dictionarium Gallico-Latinum Trevoltianum, anno* 1704 *editum, in voce* Follet.

ex Mss.

Alia quædam gratia

190 *Miræ huic historiæ subnecto alium singularem magnæ nostræ Thaumaturgæ favorem qui a me extractus est e litteris laudati amplissimi domini Bourgeois, parochi et decani in Vervin; die* XVII *Octobris anno* 1668 *datis ad D. Reginaldum, ut ex dicendis patet. In his decanus ille narrat, feminam quamdam honestam, parochianam suam, dicto die* XVII *istius mensis discessisse, ut se in Allivillarensi ecclesia sistat per iteratam peregrinationem, Deoque reddat gratias, quod per suam misericordiam sustulerit vexationem; qua crudelissimus et infestissimus quidam spiritus ipsam, ejusque maritum ac domesticos cruciaral diu nocluque a mensibus sex. Preces, exorcismos, Sacrificium Missæ, aliaque bona opera dicit fuisse adhibita. Mentionem etiam prædictæ epistolæ scriptor facit paternarum curarum, quas de hac re suscipere voluit dominus, ait, noster reverendissimus ac illustrissimus episcopus per duos Canonicos, quos nominat, ecclesiæ cathedralis Laudunensis, nec non per R. P. Guardianum Capucinorum dicti loci. Sed* E *subjungit Bourgeoius, non voluisse Deum, ut afflictio illa cessaret, nisi die Veneris, quæ erat quinta hujus, ait, labentis mensis; idque hora undecima vespertina. Rei gestæ adjuncta ipsi expositum iri significat a dicta parochiana vel a marito ejus.*

per S. Helenam obtenta.

191 *Ad elucidationem hujus narrationis et epistolæ, subserviunt ea, quæ D. Rupertus Reginaldus in epistolio supra citato scripsit hisce verbis:* Accidit etiam non vulgare aliquid in urbe diœcesis Laudunensis, quæ vulgo dicitur Vervin; cujus narrationem ad vos mittere non abs re duxi: quod ut melius percipiatis, mitto etiam epistolam, quam mihi scripsit hujus loci parochus, quo magis de veritate constet. *Et mox subdit ista idem D. Reginaldus:* Deprehendi insuper ab uno anno, duos aut tres fuisse liberos a maleficio, quo uti conjuge prohibebantur. *Hactenus de miraculis apud Altivillarenses factis usque annum* 1668.

CLASSIS UNDECIMA.

F

Mirabilia diu interrupta vel non annotata; sed anno MDCCXXI *iterum inchoata vel litteris consignata; et anno* MDCCXXII *continuata.*

Novissima Altivillarensium documenta diligenter huc missa.

Prodigiis magnæ Thaumaturgæ Allivillarensis ad annum Christi 1668 *perductis, inquirendum ibidem censui, an et qualia ab isto termino deinceps mirabilia accidissent, quorum hic ratio haberi possel. Litteras itaque meas super hac re Reverendus Pater Rector collegii Societatis Jesu Remensis Ludovicus de Laguille, provinciæ Campaniæ apud nostros secundum præses emeritus etc., nec non Historia Alsatiæ anno* 1727 *vulgata Reip. litterariæ notissimus, milti curavit ad R. P. Domnum Priorem asceterii Altivillarensis, et quod hinc in rem meam acceperat, responsum mecum communacavit, recentioribus quibusdam mirabilibus, Sanctæ patrocinio oblentis, adjunctum. Etiamsi autem ea valde pauca sint, grata tamen*

EX MSS. *tamen mihi acciderunt propter officiosam Altivillarensium diligentiam, et promptam, si plura nancisci potuissent, ea communicandi voluntatem; sicut patet et litteris R. P. Domni Romualdi Leupot, die* IX *Augusti hujus labentis anni* 1736, *quo hæc scribo, ad laudatum R. P. Laguillium datis, et ab hoc ad me transmissis. Quoniam vero ille non pauca continent, quæ huc faciunt, sequentia inde excerpo ac e Gallico Latine reddo.*

Ex mirabilibus S. Helenæ 193 *Significat itaque, duas se litteras nuperrime accepisse a suo P. Priore, quem negotia domus Parisios evocarant; et in prioribus quidem hunc sibi illud negotii dedisse, ut inquireret documenta de miraculis, quæ in eadem domo reperiri possent, per intercessionem* S. Helenæ *patratis. In posterioribus vero eamdem rem sibi ab eo commendari affirmat, ac ad se mitti meas litteras, quibus petieram nova in præsenti argumento documenta, incipiendo ab anno* 1668, *in quo D. Rupertus Reginaldus desierat, numquam satis laudandus ob indefessum laborem, quo facta ad illud usque tempus miraculo huc misit, ut* B *Operi nostro inseri deinde possent. Ab illa igitur epocha novam collectionem inchoaturus Leupotus, curtam admodum eorumdem esse supellectinam indicat in memoratis litteris, sive quia instrumenta super eisdem formata interciderint; sive quia neglectum sit, suo illa tempore consignare: rationem vero, cur ita cogitet, in eo positam esse adjungit, quod illa quinque vel sex mirabilia, quæ in promptu habentur, et quorum excerpta dicit se missurum ad præfatum reverendum patrem Rectorem, sunt testimonia sanationum, quæ acciderunt per duos dumtaxat annos, et quidem proxime consequentes.*

nullum invenitur scriptum 194 *Atque hoc sane fieri posse admittit quidem; sed, an verosimile, inquit, nihil vel ante vel post duos istos annos evenisse, bonamque Sanctam, cui fama publica tot attribuit mirabilia, edidisse nullum abhinc anno* 1668, *usque ad annum* 1721, *et ab anno* 1722 *ad hoc usque tempus? Et mox super magno illo interstitio, quo nullum invenitur miraculum, ratiocinari pergens Domnus Romualdus; ad me quod attinet, novi, ait, tempore annorum quinquaginta et amplius, quo in aliis domibus habitavi, au-* C *ditum a me magnum Religiosorum numerum, cum narrarent multas res extraordinarias, quarum se fuisse dicebant testes, quando Altivillari commorarentur. Res itaque sic evenit, vel quia nihil scriptum, vel quia, si quid scriptum, intercidit. Ad hæc, mutationes, inquit, nostræ satis frequentes partim sunt fortasse in causa, quod res ita accidant. Quidquid sit, si novam adhibendo investigationem, alia inveniantur documenta, in voluptatis ac debiti officii loco habitum iri scribit, ea per prædictum P. Rectorem nobiscum communicare.*

ante annum 1721, et post an. 1722: illa vero 195 *Paucula interim, quæ die* XVI *Augusti anni* 1736 *supra dicti ad me misit Remis idem reverendus Pater Rector, documenta, sunt extracta e testificationibus, et actis rerum gestarum perscriptis (Gallice procès verbaux) quorum hæc est narrationis series e Gallico idiomate sic sonans Latine*: Instrumentum primum, est processus verbalis, *ut vocant*, de sanatione cujusdam, cui nomen Margaritæ Brasseur, uxoris Joannis Courtant vinitoris habitantis Quintiaci in Bria, diœcesis Meldensis. Quæ Margarita, dum lapsa esset in dementiam, tantos in ea concitantem agitationum excessus, ut homines quatuor vix illam possent cohibere, Altivillare deducta est, D ubi perfectam recuperavit sanitatem die XXII Julii MDCCXXI.

Secundum, est processus verbalis de sanatione Mariæ Renauld, filiæ Joannis Renauld, habitantis in loco Baalon prope Maceriam. Filia hæc, quæ a longo tempore erat male affecta, et continuis doloribus afflicta, quibus solatii nihil remedia omnia attulerant, Altivillare deducta salutem obtinuit die V Novembris MDCCXXI, post peractam novenam ante reliquias S. Helenæ.

196 Tertium, est processus verbalis de sanatione Joannis Perot, habitantis loci Ville au Bois, diœcesis Laudunensis: qui a dæmone obsessus, sicut testatur ejusdem loci parochus, qui cum in hoc statu se dicit vidisse una cum personis plus quam quingentis per tres hebdomadas integras, clamores et ululatus horribiles emittentem, dictus Perotus postquam Altivillare esset ductus, ut S. Helenam ibidem invocaret, liberatum se sensit die XI Februarii MDCCXXII, et rediit sospitatus ab aliis suis malis, præterquam quod rigor quidam in brachiis ejus remanserit, qui ipsi impedimento erat, quo minus suum opificium tornatoris E exerceret. *quæ dictis hisce annis scripta sunt,*

Quartum, est testificatio, die XIV Maii MDCCXXII signata, Simonis la Joye, qui fidem facit, venisse se Altivillare simul cum Joanna la Joye filia sua, ad agendas Deo gratias de sanatione dictæ filiæ suæ, quæ a longo jam tempore correpta fuerat tristi quodam incommodo; et ab eodem sanata per intercessionem S. Helenæ, ad cujus merita confugerant tam ipse quam filia ejus prædicta.

197 Quintum, est processus verbalis de sanatione Joannis Richarmet, filii Balthazaris Richarmet mercatoris habitantis Rupe regia. Juvenis ille gravissimo admodum laborabat morbo, quem medici vocabant soporosum; quique eum conjiciebat in statum quemdam lethargici stuporis hujusmodi, ut sæpe crederetur mortuus. Ipsius mater conduxit eum Altivillare; ad sanctæ Helenæ merita perfugium habuit, et filius ejus perfectæ valetudini redditum se sensit die XI Julii MDCCXXII. Præfectus regius Ruperegiensis, et decanus parochus dicti oppidi, processum verbalem signarunt. *hic proferuntur.*

Sextum, processus etiam verbalis est, a judice et a parocho ejusdem oppidi Ruperegiensis signatus, F in quo testimonium perhibetur, puerum quemdam juvenem, nomine Charmet (qui in miserando erat statu, ac medicis prorsus incognito, emittens continuos atque horribiles clamores) anno MDCCXXII perductum ad abbatiam Altivillarensem, ut ibidem invocaret S. Helenam, inde rediisse omnino sospitem et incolumem. *Est autem* Rupes regia *(vulgo Rocroy) oppidum munitum Galliæ in Campania provincia, et in Retelensi tractu, juxta Arduennam sylvam in limite Hannoniæ, victoria Gallorum ab Hispanis relata anno* 1643 *memorabilis. Supra vero, ubi fit mentio* Quintiaci, *recte additur* in Bria, *ad aliorum synonymorum in Gallia existentium locorum distinctionem. Consuli potest Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum in voce* Quintiacum.



APPENDIX

A

APPENDIX

Ad miracula Altivillarensia ; cœlestes favores in territorio Luxemburgensi Sanctæ patrocinio obtenti.

Mulieri

Retuli superius in Gloria Sanctæ posthuma § 5 miracula varia, quæ in solenni S. Helenæ *translatione seculo* XI *peracta, contigerunt; sed duo alia, quæ post illam facta sunt, ibidem num.* 51 *assignavi quidem ; sed de eisdem postea dictum iri indicavi. Ne itaque quispiam illa desideret, et ne datam ego fidem fallam, tibi, lector, rem gestam pluribus hic enarro* : Evoluto spatio quatuor mensium post translationem inclytæ imperatricis Helenæ, mulier cæca nomine Dia, B de pago Porcinensi orta, venit Altivillare. Hæc requisita, qualiter et quamdiu contigisset eam lumine destitui, respondit : Dimidium anni cursum jam abactum recolo, ex quo tantæ noctis notam incurri. Dum enim febricitans post nimios ardores vix tandem fessa sopori membra laxassem, visa est mihi in somnis..... viri species, cui horrida fuligine squallebat facies, et vestis deterrima ferrea caligabat rubigine. Talis, inquam [dum] multo sermone molestus me secum vellet abducere, signo crucis, quo me muniebam, territus, in vacuum aëris evanuit ut fumus. Ego horrendæ visionis formidine mentem concussa, ex eo tempore hebetem oculorum aciem duxi, et jocundi ætheris memor, omnem mihi diem.... usque nunc ingemui. Hæc itaque mulier ingressa erat xenodochium ecclesiæ quarta hebdomada quadragesimalis jejunii, sexta feria ante Dominicam, qua passio Domini solet recoli : cumque ibidem nocte insecuta soporaretur, vidit in somnis a Fratribus ciborum reliquias sibi inferri, eisque quasi pro benedictione se abunde refici.

cæcæ,

199 Postquam vero dies crastina illuxit, rogatura C pro salutis suæ obtentu, ad ecclesiam processit. Deinde cum fusa oratione resedisset, et pio cordis susurro ad Dominum devotius suspiraret, videt sibi assistere virum reverendæ canitiei, jocundi vultus, salva gravitate, et togatum candidissimæ byssi vitreo amictu. Is cum requisisset, cujus rei gratia advenisset, vel quid tantopere peteret; illa respondit : Quia, Domine, nativa rerum visione diu careo, pietati beatissimæ Helenæ veni suggerere, ut ejus patrocinio Dei omnipotentia caligosos orbes solari illustret jubare. At ille digitis utrumque oculum contrectans, dimota omni caligine, diem amissum induxit videre. O quam stupenda et jocunda dies, et a nullo satis digne explicanda. Quis enim tam puri intellectus ditescit thesauro, et inde quærentibus rationem reddat, cur Deus angelo satanæ permiserit, ut hanc colaphizaret, et, quando sibi placuit, iterum per angelum suæ gratiæ, illi curam misericordiæ suæ adhiberet. Certe nullus tanti sensus peritia callet, ni penitus deficiat in consideratione judiciorum Dei........ Quia ergo humana mens ignorantiæ tenebris adeo obtunditur, ut tantæ puritatis liquidum nequeat intueri digna reverentia, ita admiremur divinæ dispositionis ordinem, ut et in adversis, pro correptione nobis illatis, gratias agendo humiliemur, et in prosperis, pro misericordia nobis attributis, omnium beneficiorum largitorem Deum puris cordibus et dignis laudibus honoremus. EX MS.

200 Ergo subsecuti Paschæ consummata celebritate solemnis dies Pentecostes illuxit Calendis Junii. Feria tertia conventum de more agebat Altivillaris copiosa frequentia Gallicæ plebis, propter suffragia Sanctorum promerenda, quæ feria IV Pentecostes solemni indicto solent afferri quotannis. Inter reliquos, filiam cujusdam militis opinatæ familiæ de Novo-Castro super Axonam fluvium sito, nutrix in ulnis advexerat, quæ necdum ortus sui primum annum evaserat. Hæc Dei æquissima ordinatione ab initio præteritæ quadragesimæ usque nunc cæcutierat, et rudimenta suorum vagituum hac orbitatis nota infortunaverat hoc modo. Quodam glutino palpebræ superiores inhærentes inferioribus non modico tempore aliis superinductis oculos celaverant, et ita obducta caligine nativum ignem luminum extinxerant Verumtamen emenso multorum dierum interstitio, dissilientibus palpebris, iterum cilia patuerant, et nihilominus extincta lux officium vi- E dendi eluverat. Hanc nutrix ubera sugentem dum post vespertinæ laudis Officia ad memoriam sanctæ imperatricis Helenæ circumferret, inopino respectu........ arridentem sibi miratur, et infantulo * nutu, ut poterat, orbes luminum suorum intentantem, animadvertit illico.

nec non infanti

* l. infantili

201 Ad hæc illi adesse præsentiam divini numinis, et extemplo, quo valebat, inclamare miraculum suæ visionis. Inde admirationis magnitudine permota, novo genere narrationis hac illac nutrix triumphat : et cum omnibus jam pene reseraverit, sic singulis obviam venientibus iterato replicat, quasi nemini antea dixerit : nequit enim expleri inopino gaudio : adeo affertur impetu impotentis gestus : læto tumultuantur conventu populi ad argumentum miraculi ; et gratiarum actione cum frequentioribus xeniis reginam salutant Helenam, ob largitionem luminis : gaudiorum lacrymæ mutuo fuderunt clerus atque uterque sexus vulgi præ abundantia lætitiæ. Nusquam tam acre ingenium acutæ facundiæ esse arbitror, cui suppetat singula nunc beneficia describere, quæ ad gloriam sui nominis omnipotens Deus Altivillari ob meritum sanctæ Helenæ ope- F rari dignatur. Quapropter castigato termino narrationis juxta modicitatem suam semper se coërcet stilus scriptoris, et pro posse de innumerabilibus ad utilitatem posteræ ætatis pauca vicissim subnectit.

visus restitutus,

202 *Sed nunc territorium Luxemburgense, recentioribus Sanctæ favoribus etiam illustratum me vocat. Habeo schedulam ante me, in qua noster P. Bollandus die* XII *Novembris anno* 1655 *hæc reliquit scripta* reverendo Patri Alexandro Wiltheim, *sic ex eo quærens* : Pagus esse dicitur in istis finibus (*Luxemburgicis*) Charancy Vezin, ubi S. Helena augusta colitur, inque ejus templo ita multa fieri miracula dicuntur, ut vix ullus peregrinus non plane aut ex parte liberetur ægritudine, qua tenetur. Notusne is locus Ræ. Væ.? An illic S. Helenæ reliquiæ? Au qua alia causa ejus cultus illic invaluit? Non sunt ab antiquo descripta miracula? Cur non saltem instigatur pastor, ut ea annotet, cum testibus? Audio locum esse sub episcopo Metensi. *Quæstiones illæ a Bollando propositæ P. Alexandro Wilthemio, illustrantur a P. Christophoro Wilthemio, uti patet e fragmento litterarum ejus, quas ad Bollandum*

In territorio

Ex MSS. *Bollandum dedit Luxemburgo* XXII *Septembris anno* MDCLVII *in hæc verba*: Superiori anno celebre D. Helenæ augustæ templum ad Carum non procul Martisvilla in pago Charancy et Vezin situm invisi. Asservatur ibi particula ossis, fabæ minoris magnitudine. Vidi obstupenda, quæ maleficiati exorcismis purgati evomuerunt, catenas longas sesquicubitum crassasque solcas equinas etc. Habeo penes me descripta illa miranda.

Luxemburgensi 203 *Primo locum illum paullo distinctius repræsentemus.* Marvilla, et Martis-villa (*Marville*) oppidum Galliæ partim in Barensi Ducatu, et partim in Luxemburgensi Ducatu, hodie sub dominio Francorum, duabus leucis distans a Monmedio in meridiem, Virdunum versus sex; *prout habet Baudrandus. Secundo.* Descripta illa miranda *suppono ad nos missa, et eadem esse, quæ sub hoc titulo asservamus, qui e Gallico sic sonat*: Extractum miraculorum, quæ facta sunt in ecclesia dominæ sanctæ Helenæ, terra dependente a Marvilla, in Charancy et Vezin. *Extractum illud Gallicum nos brevitatis causa nonnihil contrahemus. Anno itaque* 1652 *puer septem* B *circiter mensium, nomine Joannes Warin, toto corpore erat inflatus, ac adeo membris iners, ut ad tertium usque ætatis annum non valeret tibiis insistere. Irritis humanis remediis, Margarita pueri mater se contulit ad* S. Helenam: *ubi novenam instituit, et in honorem Sanctæ Missam celebrari curavit; quo facto, puer cœpit incedere: et observatum præterea fuit, quod, qua proportione temporis pergebat novena, pedes pueri, qui omnino erant contorti, paulatim redigerentur ad meliorem formam, gibbusque, qui in tergo ejus erat, pariter decresceret diebus singulis, ut hodie prorsus convaluerit per gratiam Dei, et merita* S. Helenæ. *Et subscribuntur nomina eorum, qui hoc esse verum asserunt, quia viderunt, et factum recognoverunt: et apponitur dies* XVI *Augusti anni* 1655.

S. Helenæ patrocinio 204 *Stephanus Holé, habitans in Mariée, præfectura vulgo Sancy, die nona Aprilis* 1631 *filiam suam Margaritam Holé conduxit ad ecclesiam* S. Helenæ: *quæ postquam vovisset peregrinationem ad* S. Helenam; *ante ac post illam ejecit per os varias veneficas res, quæ in exemplari Gallico exprimuntur.*

C *Die* XVI *Junii anno* 1631 *quædam puella ex Warenne, nomine Francisca Drouelle, ejecit per os catenam. Die* XXI *Aprilis* 1631 *Stephanus le Loup in Mariée, præpositura prædicti loci Sancy, ad S. Helenam peregrinatus est, ut solveret votum suæ filiæ infirmæ, nomine Catharinæ; quæ per hebdomades tres laborans, et ita perturbata, ut a dæmone possessa crederetur; simul atque præfatus le Loup votum fecerat* S. Helenæ, *eodem die ejecit genus quoddam funis vel lintei: quod dum esset conjectum in ignem ac combustum, in eodem repertum fuit filum æreum vel ferreum.*

Juvenis quidam nomine Desiderius Mengin, ætatis annorum duodecim, habitans in Muzeré a patre ac matre comitatus mense Maio anno 1631, *die* XXV *ejusdem mensis, quædam venefica ex ore evomuit; id quod biduo ante etiam fecerat.*

Varia quoque ex ore emisit Francisca Bresseur residens in loco S Mardi, quæ veneficio vexata venit huc die IV *Julii anno* 1655, *ut misericordiam Dei imploraret per patrocinium* S. Helenæ. *Deinde autem post alios vomitus per quatriduum, plane convaluit. Atque additur, hoc pluribus declarari in documento, quod ibidem loci formatum fuit die* XVII *Julii* 1655. *Subscribitur F. Mengin parochus in Charancy et Vezin,* D

205 *Sed mirabiles omnino sunt ac sæpius repetiti vomitus rerum veneficarum, qui narrantur accidisse Pontiæ Sandras, natæ in Vrignes aux Bois, diœcesis Remensis, ab annis quatuordecim vel circiter malo magico vexatæ. Ejectiones illæ singillatim referuntur in nostro Ms. Quæ miracula omnia in eodem dicuntur collecta a D. Francisco Mengin, parocho in Charancy et Vezin coram frequenti populo. In quorum fidem D. Reginaldus de S. Gaugerico (de S. Gery) parochus loci Vrignes aux Bois una cum D. Francisco Mengin prædicto hæc signavit die* XVII *Julii* 1655. variis etiam

Die V *mensis Aprilis anno* 1656 *illuc advenit quidam subcenturio (in Gallico est* lieutenant*) Lotharingus, nomine Bonvouloir, gravissimo laborans morbo. Die autem circiter quinto vel sexto suæ novemdialis erga* S. Helenam *pietatis, magnam humorum viridium copiam evomere cœpit, ac porro perrexit die uno vel altero; ad quorum finem omnino sanatum se comperit; novenaque peracta, inde rediit adeo alacer et vegetus, acsi numquam mali aliquid habuisset. In facti fidem, e Ms., majorem pagi Vezin partem illud testaturam, habemus.* E

206 *Mense circiter Julio ejusdem anni* 1656 *homo quidam ex pago de la Chaussé, præfectura Briennensi, omnium membrorum usu privatus a mensibus septem, equo vectus ad dictum locum et ad* S. Helenæ *imaginem conductus fuit; ubi de peccatis confessus apud parochum, et sacro epulo ab eodem refectus, una circiter post Missam hora, pedes se contulit ad ædes dicti domini parochi, ab ecclesia longe admodum distantes, incolis quibusdam eum comitantibus; eidemque parocho declaravit, quod per Dei gratiam et intercessionem* S. Helenæ, *secundum mensuram temporis, quo orabat, omnia sua membra corroborari expertus fuerit, et ita quidem ut, priusquam egrederetur sacello, tam vegetum ac sanum se compererit, quam umquam antea. Equo, dum hinc discederet, revehi noluit, in confirmationem hujus rei; quam testaturi memorantur in exemplari, e quo hæc damus, incolæ dicti loci la Chaussé etc.* favores

207 *Mense Augusto anno* 1656 *dominus de Hennemont, dynasta loci Sorbey, ac frater domini de Tavigni, magni præfecti Luxemburgensis, parvulum habuit circiter annorum quatuor, qui gravissime erat afflictus ex inflatione ac duritie in abdomine, et in membro virili, et ita quidem, ut vel ipsa medicorum opera lotium emittere non potuerit. Pater ejus ac mater præ afflictissimo filii sui statu ad summas dolorum angustias redacti, voverunt peregrinationem ad* S. Helenam; *et sine mora eo mittunt ut Sacrum celebrari curetur. Vix votum erat perfectum, quin puer cœperit urinam emittere, et inflatio dissipari, adeo ut eodem die, vel, ut summum, postero, non videretur puer male se habuisse: et quarto quintove post die D. de Hannemont, ac D. uxor ejus cum sua prole venerunt ad dictum locum magna cum lætitia et applausu, ut debitas Deo ac* S. Helenæ *grates persolverent. Et subscribitur F. Mengin, parochus idem qui supra.* indulti fuisse dicuntur F

208 *Sed quid hoc sibi vult, quod præter morem post finem præsentium narrationum, quæ ex prædicto nostro exemplari jam produximus, ponatur alia manu monitio de miraculis fictis vel novis non publicandis a parocho, nisi fuerint prius ab episcopo examinata et approbata etc.* miseris hominibus.

Verum

A *Verum sive ille monitor voluerit præcavere, ne mirabilia illa, quæ retuli supra a num. 203, publici juris fierent sine Ordinarii approbatione, sive aliud quidpiam intenderit; nos tamen ea huc transcribere, religioni nobis non duximus: quibus tantum et non plus fidei haberi volumus, quantum narrationibus humanis, et apographo nostro, in quo eadem memorantur, dandum censuerit prudens lector; idque more in hoc nostro opere innumeris locis usitato, salvis in omnibus Urbani PP. VIII famosis decretis, secundum ea, quæ identidem profitemur ante nostros tomos. Atque hæc quidem sunt, quæ de S. Helenæ prodigiis hactenus colligere nobis visum est. Sit itaque hic finis.* EX MSS.

GLORIA POSTHUMA

EX OFFICIIS SACRIS ETC.

§ I. Officia propria apud Altivillarenses ac Remenses; quotidiana commemoratio de S. Helena.[1]

Notiones quædam præviæ,

B *Officium illud, quod statim producam, pertinere ad Altivillarenses cœnobitas, colligo* 1°. *ex hymno ad Matutinum, in quo hæc leguntur:*

Nullus annorum numerus tacebit
Altivillaris decus et renascens
Helenæ nomen pia fama toti
Proferet orbi.

2°. *In lectione octava dicitur* sacrum ejus corpus ad diœcesim Remensem translatum, et in Altivillarensi cœnobio collocatum, veneratione coli. 3°. *Post Octavam officii, quod celebratur die* XVIII *Augusti, proxime subditur in nostro ecgrapho Officium translationis die* VII *Februarii et narratur historia, quo pacto corpus* S. Helenæ *Roma ad Altivillarense cœnobium fuerit transvectum etc. Vide quæ pluribus præmissa a nobis sunt supra in Gloria sanctæ posthuma* § 2 *et* 3. *Colligo id* 4°. *D. Repertus Reginaldus, cœnobita Altivillarensis, qui manu propria exscripsit pro nobis ista Officia, apographo suo subdit ista:* Inter quotidiana Sanctorum suffragia, quæ fieri solent in monasterio Altivillarensi, fit ETIAM de S. Helena suo loco, *sicut infra ex ipso referam. Hæ conjecturæ me moverunt, ut in animum induce-* C *rem, Officia illa esse propria apud Altivillarenses tametsi a laudato D. Reginaldo id indicatum non inveniam post vel ante dictum apographum, quod misit ad nos. Officium itaque, quod ponitur primo loco in nostro exemplari, et ad diem* XVIII *Augusti, sic sonat:*

Vesperæ,

210 AD VESPERAS ANTIPHONÆ LAUDUM: Beata Helena, cum reliquis. PSALMI: dixit Dominus. Laudate pueri. Lætatus sum. Nisi Dominus ædificav. CAPITULUM: Mulierem fortem etc. RESP. BREVE. Adjuvabit eam

HYMNUS.

Cæli clarificos luce reflexa.
Virtutum radios Helena profers,
Sunt hæc templa tuo lucida sole,
Et per te superis chara triumphant.

Coujux imperii sceptra tenentis
Supremi Genitrix sancta dynastæ;
Sed fulgore crucis clarior, aurum
Gemmas et generis stemmata calcas.

Te mundi dominam Roma coronat,
In summis humilis, nescia vinci,
Multos cum lacrymis tecta per annos
Quæris Christiferi pignora ligni.

Præmunita Crucis fortibus armis
Uno concilias fœdere terras
Christo, qui moriens funere victor
Ligno non gladio subdidit orbem.

Jordanis, Solymæ, Thabor, et alma
Bethlem, monsque Sion nobilis olim
Psaltæ deliciæ, Nazareth ædes, E
Sacræ dent Heleuæ munia laudum.

Plaudant innumeris structa per orbem
Sumptu magnifico templa trophæis;
Plaudant præcipuo lilia cultu,
Tanto præ reliquis pignore digna.

Sanctæ sit Triadi gloria laudis,
Cujus perpetuo numine terra,
Et cælum regitur, quamque beata.
Collaudat Superum concio tota. Amen.

℣ Specie tua. ANTIPH. AD MAGNIFI. Gloria omnipotenti Deo, cujus præscientia venerabilis Helena facta est orbis domina, et per eam absconditum sanctæ crucis revelatum est lignum. ORATIO. Deus, qui inter cætera gratiæ tuæ dona, beatam Helenam imperatricem christianissimam salutiferæ crucis inventione decorasti: præsta, quæsumus, ut ejus exemplo ea, quæ Christi sunt, jugiter indagare, atque consequi, te favente, mereamur: qui tecum vivit etc.

Invitatorium, hymnus proprius

211 AD MATUTINUM INVITATORIUM. Laudemus Deum nostrum in confessione beatæ Helenæ. PSALMUS. Venite exultemus. F

HYMNUS.

Sit satis cælos cumulasse longo
Hactenus planctu, querulaque voce:
Ecce placatum faciet per orbem
Helena cælum.

Filii zelo sociata mater
Sternet infestas fidei catervas;
Sacra cælesti renovata luce
Templa nitebunt.

Non erit Remis habitata tellus
Finibus, qua non Helenæ piorum
In suo surgant celebrata templo
Vota clicutum.

Nullus annorum numerus tacebit
Altivillaris decus, et renascens
Heleuæ nomen pia fama toti
Proferet orbi.

Fama dum crevit, senuitque multos
Helenæ plausu celebri per annos,
Ad poli celsas subiit triumphans
Spiritus arces.

Nuncupet, cælo mediante, uobis.
Vota ter centum, quibus astra flectit,
Detque cælorum famulis perennes
Scandere

Ex mss.

Scandere sedes.
Præstet hoc nobis Deitas beata,
Patris ac Nati, pariterque sancti
Spiritus cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

antiphonæ, 212 In i nocturno Antiph. Admirabile est nomen tuum, Domine, in universa terra sancta, in qua Helenam gloria et honore coronasti. Psalm. Domine, dominus noster. Ana. In omnem terram exivit sonus ejus, quia desiderabilem, super aurum et lapidem pretiosum, crucem Domini adinvenit. Psalm. Cæli enar. Ana. Ascendit in montem Domini, et stetit in loco sancto ejus. Psal. Domini est terra et plenitudo ejus. Ana. Diffusa est gratia in labiis tuis : quia adstitisti regina a dextris Domini in vestitu deaurato circumdata varietate. Psalmus. Eructavit. Ana. Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna dum crux Domini per Helenam exaltaretur in terra. Psalmus. Deus noster refugium. Ana. Fundatur exultatione universæ terræ mystica Sion Ecclesia, et Deus in domibus ejus per Helenam
B agnoscitur. Psalmus. Magnus Dominus. ℣. Specie tua etc.

lectiones 213 Lectiones de Parabolis Salomon. Mulierem fortem quis inveniet. i Resp. Gloriosam Helenæ memoriam sancta veneratur ecclesia, per quam crucis triumphale lignum reseratur *, in qua Redemptor noster nostræ salutis semitam invenit. ℣. Crux præcellenti decore fulgida, quam Helena, Constantini mater, concupiscenti animo requisivit, * in qua etc. ii Resp. Constantium et Constantinum ad fidem vocabat beata Helena, Romanum imperium ab omni errorum contagio expurgabat, omnes ad pietatis studium et divinum amorem incitabat *, quia cor ejus aqua cœlesti ardebat ℣. Inter honorum culmina mente fuit humillima, * quia cor ejus etc. iii Resp. Introivit Helena in tabernaculum domini, * adoravit in loco, ubi steteruut pedes ejus. ℣. Notas fecit in populis adinventiones Dei, et virtutem crucis propter eam comprobavit Deus * Adoravit in.

ac responsoria primi Nocturni, 214 iv Resp. Ubi sacrum pignus detectum conspexit beata Helena, flexis genibus adorans exclamavit et dixit : O crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum et Dominum. ℣. O Crux gloriosa et admirabilis; o crux vene-
C randa *, quæ sola. Gloria Patri etc. * quæ sola fuisti.

item 215 In ii nocturno Ana. Inhabitavit gloria Domini in terra, dum crux per Helenam inventa est, et justitia de cælo prospexit. Psal. Benedixisti. Ana. Gloriosa dicta sunt de te, o beata Helena, quæ diligis portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Psalmus. Fundamenta. Ana. Introivit in atria Domini adoravit Dominum in atrio sancto ejus. Psalmus. Cantate i. Ana. Confundebantur omnes, qui adorabant sculptilia, et qui gloriabantur in simulacris suis. Psalm. Dom. reg. Ana. Dum sacrum crucis lignum per Helenam exaltatur, Christi fides roboratur, et Ecclesia tranquilla devotione lætatur. Psalm. Cantate ii. Ana. Exaltavit crucem Domini, et adoravit in monte sancto ejus. Psal. Dominus regnavit, irascantur etc. ℣. Adjuvabit eam.

a Lectiones. Quinta. Helena, Coëlis *a* Anglorum regis filia, Constantio Romani imperii legato, matrimonio juncta, Constantinum Magnum impe-
b ratorem Catholicum progenuit *b*. Verum cum imperio succedere juberetur Constantius ea lege, ut Theodoram desponsaturus, Helenam dimitteret, hanc rerum vicissitudinem æquo animo ferens, nec repulsam istam, nec fractam a Constan- D
tio fidem querebatur. Sceptra magis illi timori erant, quam amori. Interea tamen secedens; et Deo vacans, Constantinum suum sanctis imbuebat disciplinis *c*. At de imperio certior factus Constan- c
tius, ceteris liberis, quos ex Theodoro susceperat, posthabitis, morti proximus Constantinum sibi delegit successorem; qui post insignem victoriam, quam divinitus accepto Dominicæ crucis signo, ex Maxentio reportavit, Matris documentorum memor, deinceps Ecclesiæ tuendæ atque amplificandæ exemplum cæteris principibus dedit.

216 Resp. Diffusa est gratia in labiis tuis * quia Nocturni
adstitisti regina a dextris Domini in vestitu deaurato circumdata varietate. ℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. * Quia adstitisti regina a dextris etc.

vi. Helena etiam Constantini filii pietatis æmula, et imprimis imperatoris munificentiæ in extruendis ad Sanctorum sepulchra basilicis eumdem nullis parcens sumptibus imitata, multas ecclesias diversis in locis ædificari jussit. Fide namque et zelo incomparabilis mulier in dies singulos E
majore pietatis ac devotionis amore succensa, sequenti a Nicæno concilio anno *d* in Palæstinam d
peregrinata est. Ut vero Jerosolymam venit, atque loca sancta pie venerata, divinitus inspirata dominicæ crucis conquirendæ studio ad Golgotham accessit, ubi marmoream Veneris statuam in crucis loco a gentilibus collocatam, everteudam curavit. Loco itaque expurgato, alte defossæ tres cruces erutæ sunt, repertusque seorsim ab illis crucis Dominicæ titulus. Cumque ex tribus, quænam domini esset non appareret, Macarii, Jerosolymitani episcopi consilio, crucibus ipsis seorsim fæminæ gravi morbo laboranti admotis, ejusdem mulieris repentina sanitate, et mortui resurrectione quænam Domini esset, fuit apertissime comprobatum.

217 Resp. Ista est speciosa inter filias Jerusalem, secundi
plena charitate et dilectione * quæ in omnibus locis, in quibus Salvatoris sunt impressa vestigia, pietatis suæ reliquit monimenta. ℣. Concupivit et defecit anima ejus in atria Domini *, quæ in omnibus locis, in quibus.

vii. Helena vero, salutari cruce inventa, ma- F
gnificentissimam ibi *e* extruxit ecclesiam, in qua e
partem crucis reliquit, thecis argenteis inclusam, partem Constantino filio cum Dominicis clavis detulit, quibus sacris reliquiis se ipsum Christo subjicere, et crucis gloriæ imperii postponere principatum edoceretur. In aliis etiam locis, in quibus Salvatoris erant impressa vestigia, cum ea debite venerata esset, pietatis suæ monimenta in iis statim fabricare aggrediebatur. Hinc Bethleemitica illa spelunca, locus in quo angelus latum * pastoribus nuntium tulit; mons Oliveti, * f. gratum
Bethania, Jordanis circa Joannis Baptistæ latibulum, Tiberiadis campus, in quo Christus tot homines pavit, mons Thabor, et Nazareth, aliaque loca tam opulentis prædiis ab Helena attributis claruerunt, quæ suis quoque tempus ac monasteriis ornavit, ut ipsa et Constantinus filius in templis erigendis, regiisque ornamentis decorandis, ac demum reditibus amplificandis decertasse videantur.

Resp. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ *, quod ab Helena ædificatum est ad laudem et gloriam nominis tui, Domine. ℣. Lapides pretiosi omnes muri ejus. * Quod ab Helena.

218 viii. Ad divinum ferventer ferebatur mi- producuntur
nisterium

A nisterium, cælesti se jungere Sponso peroptans, castis ejus amplexibus æternum frui, illum voce, illum mente, illum totis sitiebat visceribus. His tantis virtutibus Helena cum in ecclesiis construendis ac regia dotandis munificentia consenuisset et imperiali thesauro utendi, cumque dispensandi liberam a filio accepisset potestatem; pauperibus cæterisque indigentibus plena manu dispertiisset, Jerosolymis etiam sacris virginibus famulæ loco inserviiset; tandem octuagenaria major *f*, ubi de pia vivendi ratione plurima filio præcepisset, migravit ad Dominum, sacrumque ejus corpus ad diœcesim Remensem translatum, et in altivillarensi cœnobio collocatum, veneratione colitur.

Resp. Ex quo sanctam Crucem ardenti studio requisitam et inventam thecis argenteis condidit beata Helena, et gemmis ornatam fidelibus adorandam proposuit * Christi fides ubique radiat et crucis gloria coruscat ℣. O sanctæ crucis inventrix et ejusdem exaltatrix, per te idolorum templa destruuntur * Christi fides etc. ℣. Gloria Patri * Christi fides etc.

B 219 In III noctur. Ana. Christi nascentis præsepia, regnantis vestigia et morientis mysteria amplissimis basilicis illustravit Helena. Cant. Obaudito me. ℣. Elegit eam Deus etc. *ac tertii Nocturni.*

Homilia in Euangelium Simile est regnum cælorum thesauro abscondito, de communi electarum.

Resp. IX. Beata es Helena, quia Deus fecit per te de tenebris lumen splendescere * ad illuminationem claritatis Dei, in cruce Jesu Christi * exortum est in tenebris lumen, cum Constantinus, de cælo admonitus, factus est Christianus * Ad illuminationem.

Resp. X. Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, * quem vidi, quem amavi, in quem credidi, et cujus crucem concupiscenti animo requisivi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi *, Quem vidi, quem.

Resp. XI. Jesu Christi cunabula, * resurgentis mysteria, ascendentis vestigia effusa ditat Helena ℣. Domine dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, * resurgentis mysteria etc.

C Resp. XII. Immaculatum Deo spiritum reddens beata Helena, * angelicis manibus cælo infertur, hymnis cælestibus honoratur. ℣. O beata anima, quæ totis visceribus diligebat Christum regem, et crucis gloriæ postponebat imperii principatum, * Angelicis manibus ℣. Gloria Patri etc. * Angelicis manib.

Antiphonæ, hymnus etc. 220 Ad laudes et per horas Antiph. Beata Helena expurgatum ob omni errorum contagio Romanum imperium suavi Christi jugo subjiciens, verum Deum colere docuit. Psal. Dominus regnavit.

Ana. Ancilla Christi Helena imperiali diademate redimita, supremam mundi dignitatem plus crucis inventæ gloria, quam imperii terreni fastigio decoravit. Psalmus. Jubilate. Ana. Ubi sacrum pignus detectum conspexit beata Helena, exclamavit et dixit: O crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cælorum et Dominum Psalmus. Deus, Deus meus. Ana ad canticum Benedicite. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Benedicite omnia. Ana. Crucem Domini adiuvenit Helena, gemmisque ornatam fidelibus adorandam proposuit. Psal. Laudate D. Capitulum Mulierem fortem etc. Responsorium breve. Specie tua etc. *ex ms.*

Hymnus. *ad Laudes et Vesperas.*

221 Ut nata lux de lumine,
Sic Constantinus sanguine
Ut sol egressus Helenæ
Lux factus est Ecclesiæ.

Supernis luminaribus
Emittitur nil clarius,
Ut hæc duo fulgentia
Terra poloque sidera.

O par beatum luminis
Veri jubar reconditum,
Per vos redivit fulgidum
Noctem repellens mentium.

Ortus Dei præsepia,
Mortis sacræ vestigia,
Resurgentis mysteria
Effusa ditat Helena.

Gemmis et auro splendidas
Mater struit ecclesias,
Sceptro potenti filius
Fide triumphans protegit.

Salvete crux et lancea, E
Qua tanta post suspiria,
Per Helenæ suffragia
Sunt Christianis reddita.

Præstet beata Trinitas
Nobis per almam Helenam,
Quam nunc coronat gloria,
Vitæ supernæ gaudia. Amen.

℣. Diffusa est gratia. Ana. Ad Benedictus. Corona aurea imperii super Helenæ caput, expresso signo sanctitatis ejus ecclesiam sanctificat, gloria et honore coronat, et crucis inventæ fortitudine rôborat. Oratio. Deus, qui inter cætera gratiæ. Ad horas antiphonæ de laudibus. Capitula et versus de communi electarum. Orat. Deus, qui inter cætera.

In secundis vesperis omnia ut in primis. ℣. diffusa est gratia. Antiphona ad Magnif. Tribus ornatam insignibus Helenam sanctam colimus in hac sacra solemnitate: hæc namque est sacri splendor et decus imperii; hæc tuendæ et amplificandæ fidei studiosissima; hæc crucis inventione commendatissima, reddat nobis propitiam Dei clementiam, quæ tot signis eam reddidit gloriosam. F

222 In octava duplex. Omnia ut in die, præter Lectiones II noct. Lectionis II. nocturni de sermone sancti Ambrosii episcopi. V. Venit Helena Jerosolymam, cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus, ut lignum crucis requireret: accessit ad Golgotam, et ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in regnis, et crux Domini in pulvere? Ego in aulis, et in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitrabor, si redemptio ipsa non cernitur? Video, quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremptus es, obstrueretur: sed Isaac obstructos ab aliegenis puteos eruderavit, nec latere aquam passus est. Resp. Diffusa est gratia, ut in die. *Officium*

VI. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat; promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum; aperiatur humus, ut salus fulgeat. Quid egisti, diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vinceris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum, qui crucifixus vinceret te et mortuus subjugaret. Vinceris et hodie, ut mulier tuas insidias

ex Ms. insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestavit; ego crucem ejus investigabo. Illa fecit, ut Deus inter homines videretur; ego ad remedium peccatorum divinum de ruinis elevabo vexillum. Tu autem. Resp. Ista est speciosa.

in Octava, 223 vii. Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abscoudcrat; sed non potuit obliterari Christi triumphus; incerto hæret ut mulier; sed certam indagiuem Spiritus sanctus inspirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum; sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret et iuverteret. Tu autem. Resp. Benedictus es in templo. viii. Invenit, et certior facta est, quia in medio patibulo prælatus titulus erat Jesus Nazarenus, rex Judæorum. g Hinc *g* collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Judæis Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi: id est non ea scripsi, quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: Habeat Helena, quæ B legat, unde crucem Domini recognoscat. Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique h *h*, quia hic gentilis est error et vanitas impiorum; sed adoravit illum, qui pependit, in ligno, scriptus in titulo. Tu autem D. Responsorium. Ex quo sanctam etc.

et in translatione, 224 In translatione sanctæ Helenæ imperat. vii Februarii duplex. Omnia ut in die festo xviii Augusti præter Lectiones ii noct. v. Plurimo evoluto tempore a die obitus beatæ Helenæ, ad annum Dominicæ Incarnationis octingentesimum quadragesimum, cum juxta beneplacitum divinæ dispensationis placuisset Domino Deo de reliquiis tam pretiosi corporis nobilitare et insignire Altumvillare cœnobium, accidit, ut inspiratione divina quidam Remensis parochiæ sacerdos, nomine Teutgisus, causa suæ salutis Romam pergeret ad limina Apostolorum, talique instinctu cum cælitus fuisset accensus, eo usque fuit animatus, ut lustrans Apostolorum limina, etiam sanctæ imperatricis Helenæ sibi quæreret suffragia, Tandem igitur ad Urbem perveniens, complures Sanctorum basilicas multa lustrans circumspectione, cœpit indagare gratia orationis, in ecclesia C sanctorum Petri et Marcellini, sanctæ Helenæ sepulchrum: ubi ipsius corpus erat tunc regia dignitate sepultum, si forte aditum inveniret, quo suum posset explere desiderium. Tu autem. Resp. Diffusa est gratia, ut in principali festo xviii Augusti.

quæ celebratur 225 vi. Ergo agens se in hunc modum, et secreta cordis nemini pandens; sed soli Deo pro efficaciæ munere committens, secundum placitum bonitatis ejus, concedente divina clementia, oportunitatem invenit, sicque sublato corpore, per secreta noctis silentia festinavit remeare ad suum diversorium. Mane autem facto adgressus est iter redeundi ad propria. Multis vero signis et miraculis in via demonstratum est, non modo verum esse beatæ Helenæ corpus; sed et hujus sacerdotis devotionem Deo et beatæ Helenæ maxime fuisse acceptam, et multo amplius, cum ad cœnobium Altivillarense perventum est. Clarescebat enim tam sanctissimum corpus præsentialiter ibi haberi: nam de finitimis et longinquis regionibus omnis sexus et ætas integerrimæ sanitatis accipiebat remedium a quacumque detineretur infirmitate. Tu autem D. Resp. Ita est speciosa.

226 vii. Verum ne minor esset probatio, quam sufficere posset ad majorem totius populi firmitatem, et omnimodam certitudinem, ex edicto totius Remensis ecclesiæ, et vicedomini nomine Parduli, qui fuit postea Laudunensis episcopus (Nam Remensis sedes tunc vacabat) nec non ex consensu congregationis, mittuntur ad Urbem de eodem Villari monasterio tres probatæ fidei monachi, ut in ore trium testium staret etiam hoc verbum; qui hæc omnia, in quibus dubitationis ansa fuerat, de beata Helena diligentius inquirerent et sibi quantocius renunciarent. Non multos igitur post menses prædicti Roma redeuntes presbyteri, veritatis retulerunt indaginem. Insuper et sacrum beati Polycarpi presbyteri corpus, qui in sancti Sebastiani collegio, prædicatione, baptismate et exemplo multis fuerat ducatui ad fidem, cum sanctorum martyrum Sebastiani, Urbani et Quirini reliquiis retulerunt. Tu. Resp. Benedictus es in templo. D die 7

227 viii. Non multo post tamen Galliæ primatibus et palatinis, vix huic rei fidem habentibus, cum Carolus tertius famam audisset in Altovillari cœnobio beatæ Helenæ crucis inventricis deportatum corpus jacere, Hincmarum convocans, Remensis urbis episcopum cum abbatibus et viris religiosis, in ipso monasterio voluit judicium publicum fieri, utrum monachi vera vel falsa proferrent. Quæritur judiciali examine hujus rei veritas, et per Dei gratiam id palam fit omnibus. Unde facta fide omnifariam roborata triumphat veritas. Sic Deo omnipotenti placuit misericorditer visitare et insignire Altumvillare monasterium, quod angelica revelatione a sancto Nivardo constructum voluit deputare lucris animarum: ubi petentibus bonaque fide ac devotione quærentibus dantur salutis auxilia, et præstantur sanitatis beneficia, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, pro nobis Crucifixo: cui est honor cum Deo Patre et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen. Tu. Resp. Ex quo sanctam crucem *i*. Februarii. E

228 *De Officiis hactenus: quibus hæc subjicit D. Reginaldus*: Inter quotidiana Sanctorum suffragia, quæ fieri solent in monasterio Altivillarensi, fit etiam de S. Helena suo loco, in hunc modum: Antiphona ad matutinum: Beata Helena, ut ad hoc fuit destinata, ut per eam absconditum sanctæ Crucis revelaretur lignum *etc*, Ana ad Vesperas. Inventum sanctæ crucis lignum thecis argenteis condidit, et gemmis ornatum fidelibus adorandum proposuit. ℣. Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi. Resp. Propter amorem Domini mei Jesu Christi. Oremus. Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatæ Helenæ reginæ memoriam recensentes, meritis ipsius protegamur et precibus. *At nunc ad Remenses pergamus.* i Quotidiana Sanctæ apud Altivillarenses commemoratio. F

229 *In Breviario metropolitanæ ecclesiæ Remensis, quod editum est anno* 1630, *honoratur nostra Sancta ad diem* vii *Februarii Officio de communi cum tribus lectionibus propriis, quæ alicubi merentur corrigi, sicut mox dicam in Annotatis. Ad diem* xviii *Augusti nihil ibidem de illa invenio. De alio insuper exemplari meminit D. Rupertus Reginaldus, quando Officii paulo ante a nobis ex ipsius transcriptione prolatis, subjungit ista*: Optassem habere Officium, quod fit in ecclesia sancti Sepulchri Jerosolymitani, quod est proprium [ut] vobis communicarem. Officium apud Remenses etc.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Breviarium ecclesiæ metropolitanæ Remensis, de quo supra, sic habet:* Helena, patria Britanna, filia fuit huius ex insulæ regulis, nomine Coël. *Quæ censemus probabilius colligenda secundum dicta in Commentario prævio, quem vide* § 1 *et* 2.

b Helenam, cum rejecto falsorum deorum impio cultu, fidem Christianam profiteri decrevisset, adeunt Judæi, eique suadere nituntur, ut si religionem mutare vellet, Judaïsmum potius, quam Christianismum amplecteretur. Verum a Sylvestro Papa refutatis coram Judæorum rationibus, in fide confirmata atque baptizata est. *Hæc modo citatum Breviarium; quæ rejecta a nobis sunt in Commentario prævio* § 5.

c *Constantinum magnum a* S. Helena *conversum haud fuisse ad Christi fidem, sed contra; probabilius nobis est. Vide Commentarium prævium* § 4.

d *De tempore istius peregrinationis, rebusque* B *in ea gestis agit idem Commentarius* § 6 *et seqq.*

e *Consule quæ habentur in Annotatis ad* § *proxime sequentem lit.* f.

f *Imo vero annum illum nondum compleverat; prout collegimus ex Eusebio in dicto Commentario* § 11.

g *Displicet illud* hinc; *cur autem, ibidem invenies* § 7.

h Non lignum utique *qua lignum, ut in Commentario eodem notavimus* § 8.

i *De his, quæ ad hasce lectiones pertinent, actum abunde est supra in Fama posthuma* S. *Helenæ.*

§ II. Elogium rhythmicum, auctore incerto; metrum epicum; laudes sublestæ fidei.

Monitio prævia de hoc rhythmo:

D. *Rupertus Reginaldus, studiosissimus ac laboriosissimus rerum Helenianarum collector, rhythmicum hoc elogium descripsit ipse, atque huc direxit; de quo in schedula ipsius manu ex*- C *arata hæc habentur:* Diu hæsi anxius, num ad vos mittere deberem, quod quis ejus esset auctor, nescieremus, et quod in quibusdam mutilum esset et mancum. Quale illud est, communicamus. *Sed neutra ratio debebat obstare, quo minus rhythmus ille huc mitteretur; neutra, ut a nobis edatur. Non prima: quot etenim instrumenta data sunt, et porro dabuntur in Opere nostro, quorum incertus est auctor? Non secunda: nam quot documenta mutila vel lacunosa secludi ac supprimi a nobis alioqui deberent? Dabimus itaque rhythmicum illud elogium, eo saltem valiturum, ut pium lectoris erga Sanctam pascat affectum. Accedit eo quod ad* S. Helenæ *Allivillarensis gloriam spectet, ut liquet ex ultimis ejusdem instrumenti versibus. Sunt in eo nonnulla quæ spongia indigent; de quidus agam in Annotatis.*

in quo poeta

231 Penicillum date vestrum
Et favete Superi:
In nos spiret, nos fecundet
Pneuma fusum pectori;
Quo pingamus, celebremus
Sanctæ laudes Helenæ:

ex ms.

Quæ dum vixit, celebravit
Christum toto pectore.
Ejus suis facta vernis
Quis æquaret penitus;
Ni faveret et adesset
Virtus sancti Spiritus.
Hæc matronis plus antiquis
Omnibus enituit;
Quæ virtute, quæ decore
Plus Deo complacuit.
Nam primævam matrem Hevam
Superavit dotibus:
Illa perdit, quod hæc reddit
Nobis abundantius.
Pomum carpit, hinc mater fit
Heva morientium;
Lignum quærit, hinc mater fit
Helena Christiadum.

laudat Sanctam

232 Hoc agnomen, bonum omen,
Dat Nicæna synodus;
Et magistram vocat illam,
Voce sancti Spiritus *a*;
Rachel pulchra est præ Lia,
Sed Lia fecundior, E
Muliere at utraque
Helena superior.
Longe Liam ipsa typam
Sua prole superat,
Edit unum Constantinum,
Qui omnes exuperat.
Ecquis vidit olim Judith
Muliere fortius;
Holophernis caput ducis
Quæ præscidit ocius.
Est Helena fortis ipsa
Præ forti muliere,
Antecedit, simul vincit
Rachel pulchritudine.
Gloriosam, speciosam
Quis eam non dixerit
Verus suo Jacob dono
Quam Christus dilexerit?
Compsit extra hanc, et intra
Pulchritudo, gratia:
Illa mundo, ista Christo
Redditur gratissima.

ob mundi contemptum F

233 Propter ejus solam Chlorus
Formam admirabilem,
Adamavit, et optavit
Hanc habere conjugem.
Tanto licet viro esset
Juncta matrimonio,
Tamen nunquam mentem suam
Tenuit ambitio.
Sprenit sceptra, sprenit regna,
Et mundi dominium,
Voluptates et honores
Putat sterquilinium.
Illi una fuit cura
Maritus Constantius,
Dans ferventes Deo preces *b*
Quo mitescat animus *c*.
Ubi primam Constantinum
Huic mundo edidit,
Natum nato suum Deo
Grata statim obtulit *d*.

D. Reginaldus notat, versus hic desiderari, ob laceratum folium; *deinde sic pergit:*

Simulacrum tollit primum
Dæmonis insignia:
Jubet fodi terram, ubi
Crux erat abscondita.

234 Tunc

ex ms. et inventionem

234 Tunc illi tres visæ cruces :
  Quid Helena faceret,
Ni ad Christum suum sponsum
  Protinus recurreret.
Hæc recurrit, tunc accurrit
  Christus, nam miraculo,
Quæ crux fuit, comprobavit
  Mortui surrectio.
Demum ipsa applicata
  Ægrotæ mulieri,
Hanc sanavit, et ostendit
  Quod crux esset Domini.
Tunc accurrens, tunc amplectens
  Hunc myrrhæ fasciculum,
Videt, orat, et adorat
  Fusa in suspirium.
Provoluta, volvens intra
  Stringit inter brachia,
Hunc odorat, et adorat
  Mille figens basia.
Tunc amplexa non perplexa
  Mente Deum credidit
Jesum Christum, qui per illum
  Totum mundum subdidit.

B

Sic dolores in dulcores
  Commutantur pristini,
Cum secreta * crux secreta
  Ab aliis Domini

* f. sacrata

Virgam tenet siccam licet,
  Quæ subitis floribus
Efflorebit, et lucebit
  Suis et fulgoribus.
235 Hic thesaurus tam immensus
  Extat sæcli pretium,
Illo sine iret namque
  Hic mundus in tartarum.

sanctæ crucis;

Crux est iris salutaris
  Sacra firmans fœdera,
Ipsa sine orbis sane
  Rueret in tartara.
Est et arcus, per quem Christus
  Præpotenti robore
Sagittavit et confixit,
  Mundum sanans ulcere.
Sub hoc arcu, quem et manu
  Tenet, sedet Helena,
Tota fulgens et resplendens
  Ut sol inter sidera.

C

Redimita et ornata
  Est arcus fulgoribus,
Mutuatis et innatis
  Sic splendet luminibus :
Sic ornata, ordinata
  Ut castrorum acies.
Tota fortis, alta turris,
  Terret cunctos dæmones.
236 Jam jam fortem supra sortem
  Helenam agnoscito,

cujus

Quæ suavi orbem Christi
  Subdidit imperio.
Crux est alta Jacob scala
  Pertigens ad Cælites,
Cui Deus est innixus,
  Ad se vocans homines.
Deus summo, sed in imo
  Scalæ sedet Helena ;
Illo ire si vis, habe
  Illius suffragia.
Illo namque illa sine
  Scandere non sinitur.
Sic cum astu est, qui promptu
  Ad Helenam graditur.

D

Qui enim se illi scalæ
  Reverenter admovet,
Imperatrix hujus ductrix
  Hunc ad summum promovet.
Crux est Mosis quæ diversis
  Virga miris splenduit,
Quaque Christus mundum novus
  Legislator subdidit.
His Regina cum ornata
  Armis se terribilem
Præbet orco, verum cælo
  Reddit se mirabilem.
Virga Mosis, quæ diversis
  Coruscat miraculis,
Pandens cælum repromissum
  Christianis populis.
237 Crux est palus, cui fixus
  Fuit serpens æneus,

mirabiles prærogativas

Sanans omnes hunc videntes
  Serpentum a morsibus.
Ergo cruci Jesu Christi
  Nos stemus assidui,

E

Contemplemur, meditemur
  Mortem Dei Filii.
Timor mortis procul, foris
  Hic vivit, qui moritur,
Et est liber qui libenter
  Cum hac crucifigitur,
Ab hac ista adoranda
  Crux cunctis proponitur,
Qua serpentis ter nocentis
  Tetrum caput teritur.
Quam decora, quam beata
  Quam dives est Helena,
Quæ thesauros tam immensos
  Tenet inter brachia.
O Beata, quam ditata,
  O quam felix iterum,
Quæ possidet, et quæ tenet
  Tantum sæcli pretium.
Quod quæsivit, hoc invenit
  In monte Calvariæ
Lignum in quo Christus ultro
  Pependit rex gloriæ.
238 Est columba, per quam terra
  Tota benedicitur,

et efficaciam prædicat.

F

Olivarum dum fert ramum,
  Qui pax repromittitur.
Magis placet et arridet
  Hoc orbis imperio
Christi sceptrum, quo hunc mundum
  Subdidit dominio.
Tantis sancta Principissa
  Nobilis insignibus,
Tantis ita communita
  Effulsit virtutibus.
Virtus quanta, quam stupenda,
  Quantum ipsa poterit ;
Qua protervos inimicos
  Sanctæ crucis poterit.
Vi tyranni suos premi
  Non permitit supplices,
Lapsos levat, laxos firmat,
  Et fovet incolumes.
Vident cæci, surgunt claudi.
  Et ambulant citius :
Nam benignam præbet dextram
  Supplicibus omnibus.
Lumen illis, gressus istis
  Ab hac restituitur,
In utrisque, gressu, luce,
  Christus benedicitur.

139 Ma-

A

Sancta sedat mare clavo Domini; ædificat templum; e

239 Murmurantis undas maris
Clavo Christi comprimit,
Sicque viam cunctis planam
Peregrinis efficit.
Dum transmeat et transfretat
Mare Adriaticum *e*,
Ejus laudat, ejus cantat
Peregrinus meritum.
Inter loca Christo sacra
Quæ percurrit Helena,
Ibi nullum mage dignum
Visum est Calvaria:
Illic quia margarita
In terræ visceribus
Fuit tecta, sese pro qua
Spoliavit omnibus,
Ibi *f* amplum struxit templum
Quod fulget augustius
Salomonis templo, tantis
Quod struxerat sumptibus.
Eia templum Helenæum
Quod munificentia
Auro nites, gemmis ardes,
Dic ejus præconia:

B

Palæstina paugat tota
Romanum imperium,
Pangat totus orbis hujus
Imperantis meritum.

summoque cum pietatis affectu

240 O quis nosset, vel quis posset
Mente comprehendere
Cogitata et effata
Raptæ mentis Helenæ;
Quæ vel orans vel contemplans
Versat in Calvario,
Et dulcores et ardores
Qui in ejus animo:
Quæ devota promit vota
Toto suo pectore?
In hac terra Christi sancta
Irrorata sanguine,
Est altare fumans thure
Cor Helenæ fervidum.
Sursum lata prece multa
Fertur ad empyreum:
Sic devotam duxit vitam
Erecta ad Cælitum
Altam sedem, ut ardorem
Spiraret continuum.

C

Dum suspirat, sursum spirat,
Ardens Dei gloria,
Dum adspirat aut respirat,
Spirat Dei gaudia.
Illi solus sapit Christus,
Mundus omnis desipit,

veneratur loca sancta.

241 Solum spirat, solum amat
Hunc, cui se credidit.
Cor ignitum, generosum,
Soli votum Numini,
Soli Christo datum Deo,
Denegatum alteri.
Firma fide, robusta spe,
Charitate fervida,
Inflammata et firmata
Mutat summis infima.
Oliveti mons est illi
Paradisus Domini.
Frequens erat hic, et rogat
Pro salute filii:
Hic olivam gustat vivam,
Quæ sua pinguedine
Hanc confortat et sustentat
Innata dulcedine.

Hic soluta rei cura
Fertur ad empyreum; EX MS.
Mens ascendit, pennas sumit
Ad gaudia Cælitum.
Eia pange alta voce
Et tu Bethles rustica,
Extructrici, dotatrici
Dic civica cantica.
Ad præsepe intrat sæpe
Christi reclinaculum
Ut adoret, et decantet
Angelicum canticum.

Hic tres strophas desiderari nec legi posse, monet D. Reginaldus.

Helenam cælesti gloria fruentem

242 O astuta, nam ut tuta
Haberes cælestia,
Contempsisti, dimisisti
Omnia terrestria.
Nunc contenta, nam intenta
Divino conspectui,
Amplexaris et potiris
Quo avebas perfrui.
Illum ore, illum mente,
Illumque visceribus

E

Sitivisti, et potiri
Ipsius amplexibus.
In æternum tibi cælum
Nec valet eripere
Nunc, quo gaudes, hunc quem tenes
In lumine gloriæ.
O regina coronata
Trino diademate,
Gratiarum et virtutum
Omni fulges stemmate.
Cunctis luces, cunctis ardes,
Quia crux est cereus,
Ex quo ardor, ex quo splendor
Fulgescit mirificus.
Jubar cæcis Christianis
Refundas luminibus
Suis leves mundi cives
Regina mœroribus.

invocat auctor.

243 Vi tyranni quemquam premi
Non siuas, o Helena,
Rumpe lora, quibus corda
Ligantur ad terrea.
Justi splendor, veri candor,
Pietatis speculum,

F

Ornamentum, firmamentum,
Gratiæ miraculum.
Legum norma, regum forma,
Et principum regula,
Honor soli, decus poli,
Imperii gloria.
O regina Deo digna,
Universi domina,
Advocata, invocata,
Fausta feras omnia.
Fac nos cito jungi Christo
Intercessionibus,
Fac nos frui et potiri
Divinis amplexibus.
O Villare altum vere
Et proximum Superis,
Sancta gaudes, Sanctam tenes
Illustrem miraculis.

Versus in laudem Sanctæ apud Altivillarenses honoratæ.

244 *Liceat mihi epiphonematis loco his subjungere versus quosdam metro epico concinnatos, qui habentur in eodem nostro Ms., e quo superius* § 5 *retuli miracula translationis, anno Christi, ut ibi dictum est,* 1095 *factæ, post quæ lego metricum illud elogium, immortali* S. Helenæ

ex ms. lenæ *apud Altivillarenses gloriæ prorsus accommodatum :*

Francia, Francigenis dubitantibus, indubitatis
Insignes siguis fastos signando revexit,
Altvillare, tibi : resili, lætare lucri
A membris Helenæ, crucis inventricis opertæ.
Ecclesiæ sit honor, cadit impius inficiator,
Et caput invidia, fracta cervice, supinat.
Ecce Palatini, Comitesque Ducesque Sicambri
Altvillare suis veniunt cum thure dromedis
Infercire tuis aurum, sua dona, crumenis.
Esseda, lecticæ, pileuta, petorrita *g*, rhedæ,
Matres, matronasque vehunt, tibi flectere colla,
Et dare vectigal, quo fulgeat inde tribunal
Insignis Helenæ, gemmis, auro fabricandæ.

Nunc de laudibus nullius vel suspectæ fidei, quas tamen nonnulli volunt ei convenire, breviter dicamus.

Sancta sine sufficienti fundamento laudatur. 245 *Ex his, quæ in meo Commentario prævio, et in Gloria posthuma hactenus satis diffuse de hac illustri Sancta e variis documentis collegi, liquidissime constat, divinam bonitatem* B *tot tantasque naturæ ac gratiæ dotes, celeberrima publicæ venerationis per Europam longe lateque propagatæ decora, nec non innumerabilium pene miraculorum ornamenta in eam manu munificentissima congessisse, ac tot veris illam cumulasse laudibus, ut falsæ vel omnino suspectæ eisdem immiscendæ neutiquam sint, quales mihi prorsus videntur illæ, quæpropter Opuscula conscripta ipsi attribuuntur a bibliographis nimis utique neotericis, quam ut satis accommodatum hac in re fidem facere possint.*

propter scripta. 246 *In Supplemento epitomes bibliothecæ Gesnerianæ hæc dicuntur :* Helena Flavia Augusta.. scripsit de providentia Dei lib. I. De immortalitate animæ lib. I. De recte vivendi norma lib. I. Monita pietatis lib. I. Carmina Græca, et epistolas ad diversos doctiss. *Eysengrenius suo Catalogo testium veritatis deinde similia inscripsit fol. 20 verso :* Helena.... insigne de providentia Dei volumen composuit. Reliquit et de animæ immortalitate commentarium : alium item de recte D vivendi norma. Scripsit insuper pietatis monita carmina Græca, et epistolas ad diversos doctissimas. *Plura hisce superaddit Pitseus in suo Catalogo scriptorum num. 26; quæ omnia videntur esse commenta mere apocrypha, donec clare de iis constiterit ex antiquissimis testimoniis.*

ANNOTATA.

a *An, et ubi concilium Nicænum hæc dicat, non vacat mihi operose inquirere.*

b *Cultrix Dei non fuit Sancta nostra nisi post mortem Constantii. Vide Commentarium meum prævium* § 5. *Quomodo ergo hæc subsistunt?*

c *At Constantius Deum coluit, et Christianis favit, prout ibidem invenies.*

d *Exerrat iterum hic auctor; ex mox citato Commentario sub finem* § 5.

e *Quid velit poëta, liquet ex dicto Commentario* §. 9.

f *Duo templa, alterum nimirum ad speluncam, in qua natus fuit Dominus; alterum in* E *eo monte; ex quo in cœlum conscenderat, a* S. Helena *fuisse ædificata, ex Eusebio diximus in eodem Commentario* §. 9; *ubi etiam idem auctor soli Constantino adscribit augustissimam fabricam Dominicæ Resurrectionis Hierosolymis, quæ in Calvariæ monte erat, et variis nominibus appellabatur, prout ibidem fuit præmissum, ac dictum, credibile esse admodum, curas eo etiam convertisse Constantini Matrem annisu quidem quoad vixit, maximo, sed sumptibus ejusdem Constantini.*

g *Q. Horatius Flaccus lib. 2 epistolarum, ep.* I, *sic habet :*

Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.

In quem locum P. Josephus Juvencius noster in Horatio a se edito, et Turonibus impresso anno 1688, pag. 447 sic notat; Esseda, currus quidam erant, quibus Galli maxime utebantur; pilenta, matronarum vehicula; petorrita, apud Belgas erant usitata, *Consule lexica.*

DE S. FIRMINO EPISCOPO CONF.

C

J. B. S.

METIS IN GALLIA

F

CCXCVI. De Phronimo supra egimus; *Jam supra ad diem* XXVII *Julii dum de S. Phronimo, Metensi item episcopo, agerem, eorum opinionem haud obscure secutus sum, qui hodiernum* S. Firminum *ab antiquiori illo Phronimo, seu Phromimo, seu Fronimio verosimillime distinguendum censent. Fuit Sanctus ille Phronimus urbis istius episcopus ordine undecimus, hic vero* Firminus, *ex computatione illust. Meurissii, ordine vigesimus, quidquid a Sammarthanis confusus fuerit, ut inter Episcopos in eorum serie non computetur. Nimirum ea deficiunt antiquitatis monumenta, ex quibus de utriusque ætate, gestis et ordine certi aliquid erui possit; quibus temporum iniquitate amissis, id unum restat, ut de eorum ætate ex iis, quæ reperit laudatus Meurissius statuamus, de utriusque autem distinctione et cultu ex Martyrologiis.*

2 *Sed nec in ipsis multum celebris dici potest eorum memoria, neque enim in Adone aut Usuardo signati reperiuntur, verum in paucis* hic vero de Firmino *dumtaxat additionibus, quales de Phronimo suo loco adduxi, hic vero solus ferme recurrit Molanus, in utraque sua editione hoc die ita legens :* Metis civitate, depositio S. Firmini episcopi et confessoris. *Brevius Galesinius :* Metis, sancti Firmini episcopi et confessoris, *in Notationibus Dypticha appellans ecclesia Metensis, ex quibus haud dubie etiam Molanus sua acceperit. Hunc vero in Annotatis suis sese secutum fuisse testatur Baronius, a quo Romano Martyrologio inscriptus est hisce omnino verbis :* Metis in Gallia, sancti Firmini episcopi et confessoris.

3 *Notabilis porro est ejusdem Baronii observatio, in qua non una occurrit confusio. Ita habet post hæc verba;* cum priori agit de eodem Molanus : Legitur Firminus episcopus inter alios episcopos, qui interfuerunt consilio Agathensi in Galliis celebrato anno Domini quingentesimo sexto. Fuit hic

AUCTORE J. B. S.

A hic undecimus ejus sedis Episcopus, ut produnt tabulæ ecclesiæ Metensis, quas descripsit Demochares lib. de Sacrificio Missæ. *Sanctum nostrum* Firminum *episcopum hic confundi cum aliquo Firmino non nisi presbytero, inter* *concilii istius Patres Episcopi sui Pappoli *meras vices supplente, evidentissime patet, ex jam dicti concilii Agathensis expressis subscriptionibus, quas certe mirum est, Baronium, et eos, qui ipsum secuti sunt, non consuluisse.*

ex Demochare non confundendo.

4 *Altera non minor confusio est hodierni* S. Firmini *cum* S. Phrouimo *Metensi episcopo* XI, *duobus seculis concilio Agathensi seniore, de qua jam dicere cœpimus, quamque Baronius se accepisse fatetur ex Demochare lib. de Sacrificio Missæ: unde etiam procul dubio in Sammarthanos transierit. Multo rectius, ut mihi quidem videtur, Saussayus cum Meurissio utrumque distinxit, et propriis singulos diebus et proprio ornavit elogio. Primum dedimus suo loco. En modo annuntiationem hodiernam:* Metis, depositio S. Firmini episcopi et confessoris, qui Symmacho summo Pon-
B tifice, virtutum episcopalium laude florens, cum ad Synodum Agathensem, præcipuis cum Gallicanæ ecclesiæ Patribus convenisset, multosque pro ecclesiæ suæ cura ac provectione labores subiisset, demum sanctimoniæ gloria illustris, exuta carnis mole, spiritum beatum ad cælestem patriam transmisit.

Ejus patria et ætas.

5 *Superest ut de patria et ætate paucula ex Meurissio subnectamus. Et primo quidem Italum fuisse fatetur, sunt qui Græcum velint, virum doctrina et sanctitate præclarum, qui Romam cum aliis deseruerit Odoacri tyrannidem fugiens, quique a Metensibus ultro ut Episcopus admissus fuerit eodem tempore, quo Clodovæum ut regem ac dominum agnoverint circa annum* 488, *sedem porro tenuerit annis circiter octo, ad laborum præmia vocatus anno* 496, *quo ei successit Episcopus etiam sanctus, ordine vigesimus primus, nomine Gramatius, ut pluribus videri potest apud non semel laudatum Meurissium. Alium hoc ipso die S. Firminum refert Ghinius, sed* episcopum Virdunensem, *quem inter hodiernos Prætermissos ad verisimiliorem natalem diem* E *remisimus.*

DE SS. PATRIARCHIS CONSTANTINOPOLITANIS

JOANNE ET GEORGIO

Cultus, res gestæ et ætas.

J. P.

DXX et DCLXXXIII. Utriusque cultus.

Hac die XVIII *Augusti ambos istos Patriarchas memorant Menæa magna excusa his verbis:* Eadem die, memoria sanctorum patrum nostrorum patriarcharum Constantinopolitanorum Joannis et Georgii. *Eodem tunc tenore notantur in nostro apographo Græco e Ms. Taurinensi:* Μνήμη τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων ἡμῶν καὶ ἀρχιεπισκόπων ΚΠ. Ἰωάννου καὶ Γεωργίου. *Id est:* Memoria sanctorum patrum nostrorum et archiepiscoporum
C Constantinopolitanorum Joannis et Georgii. *His adde supplementum nostrum Sirmondo-Chiffletianum ad Menæa Græca excusa. In Martyrologio nostro Arabico-Ægyptio ponitur* Certamen SS. Joannis et Georgii. *Vox* certamen, *quod ibi illis tribuitur, solis martyribus adscribi solet. Historia Patriarcharum Constantinopolitanorum chronologica, tomo nostro primo Augusti mensis præmissa, agit de* SS. Joanne ac Georgio; *cum vero eorum Acta vel non exstent, vel saltem mihi in promptu non sint, in compendium contraham, quæ ibidem habentur e variis documentis collecta. Ac primo quidem dicatur de* S. Joanne, *quem putamus eumdem esse, qui in citata Historia pag.* 56 * *ponitur ordine inter istos patriarchas* XXV, *et hujus nominis secundus cognomento Cappadox, sed absque titulo Sancti, non quod aliquid ejus sanctitati obstaret, sicut indicatur pag. seq.; sed, uti erat præmissum, quod non constaret, de Joanne isto agi in Menæis: de qua re dicam infra.*

S. Joannis tempus et elogia

2 *Quod ad tempus attinet, invenies ibidem Patriarcham istum Timotheo successisse mense Aprili anni* 518, *ac post breve cathedræ suæ regimen anno* 520 *ex hac vita migrasse, ex ibidem dictis pag.* * 57. *Inter alia, quæ de ipso collecta sunt ista occasione, proferuntur digna Viro elogia. Quanto autem annisu laboraverit ad stabiliendum inter ecclesiam occidentalem ac orientalem concordiæ vinculum, argumento est illud quod S. Hormisda PP. apud Labbeum tomo* 4 *col.* 1498 *post alia ipsum sic laudet:* Talem fraternitatem tuam *divina providentia* ecclesiæ suæ præsulem dedit, quem non esset ambiguum cum Sede nostra, id est Apostolica, sanctam mansuramque fidei subiturum esse concordiam: etenim libello a nobis fidei libenter accepto, cum redintegrationis in Christo fueris avidus, numquam in prædestinatione divina fuisse a nobis cognosceris alienus. Itaque, dilectissime frater, F Dei nostri sponte currentibus instate beneficiis, sparsi olim gregis plenius membra colligite, et custodite collecta. *Brevissimum quidem sed illustre est illud, quod e Bibliotheca Photii cod.* 231 *col.* 889 *a S. Sophronio Hierosolymitano datum isti Patriarchæ, ibidem apud nos habes, et Latine sic sonat:* Joannes Constantinopolitanus, ex Cappadocia trahens genus et cognomen, vir virtutis domicilium.

quibus honoratur.

3 *Porro elogium illud, perperam ab aliquibus Joanni Jejunatori patriarchæ Constantinopolitano tributum,* Joanni Cappadoci *vindicatur in dicta Historia pag.* * 69. *Legi etiam potest de insigni, quam dixi, utriusque ecclesiæ unione Aviti episcopi Viennensis epistola septima ad Joannem nostrum data, quæ habetur in Sirmondiana operum ejus editione Parisiensi anni* 1643 *pag.* 38 *et sequente. Epistola vero seu libellus, quem idem Joannes ad Hormisdam PP. misit, exstat apud Labbeum tomo* 4 *Conciliorum a col.* 1486, *In prædicta etiam Historia pag.* 56 * *affertur locus Baronii ad annum* 517 *num.* 61, *ac laudatur* Joannes Cappadox *tamquam* orthodoxæ fidei cultor; cui tamen *imperator* Anastasius supervixit, nec licuit respirare: eo autem paucos

AUCTORE J. P.

post menses defuncto, quam strenue pro Catholica unitate atque concordia laborarit, quæ suo loco dicentur, palam facient. *Sed has Viri laudes deteret accusatio, de qua nunc breviter dicam, si solido fundamento niteretur.*

Refellitur accusatio, quæ ipsi imputatur.

4 *In allegata Historia chronologica Parergo* 5 *pag.* * 57 *et seqq. quæritur, an* Joannes Cappadox *nomen patriarchæ œcumenici primus usurpaverit: et ibidem respondetur, a Pagio in Critica ad annum Christi* 520 *num.* 5, *Banduro tomo* 2 *Imperii orientalis pag.* 895, *et nonnullis aliis scriptoribus, Joannem Cappadocem de hac arrogantia accusari, hac eorum accusatione haud dubie nixa, prout ibidem apud nos indicatum fuit, inscriptionibus epistolarum quas clerici Antiocheni et episcopi Syriæ secundæ ad hunc Joannem miserunt, quasque Labbeus tomo* 5 *Conciliorum col.* 158 *et* 211 *recitat, sicut in eodem Parergo dicitur; illudque idem inferri posse ex acclamationibus populi Constantinopolitani, quæ in concilio Constantinopolitano sub Menna apud Labbeum eodem tomo* 5 *a col.*
B 177 *referuntur, ubi Joannes ille sæpius patriarcha œcumenicus appellatur. Sed titulum hunc quibusdam episcopis istius sedis affictum, per posteriores Græcos veteribus instrumentis fraudulenter fuisse insertum, in eodem Parergo cum Baronio probabilius sumus opinati (cujus verba ibidem recitata sunt ex Annalibus ad annum* 518 *num.* 14) *contra Thomassinum, aliosque, ac probavimus ex simili fraude impostoris Græculi, nec non Joannem Jejunatorem fuisse primum, qui usurparit titulum* œcumenici. *Hæc e Parergo extraxi.*

Quisnam sit Joannes iste qui hoc die Græcorum Fastis inscribitur.

5 *Verum inter alia, quæ de* Joanne Cappadoce *pag.* * 56 *collecta sunt, invenies, eumdem forte esse, qui in Menæis Græcorum pro Sancto celebretur, uti Raderus noster censuit, cum tamen nullus apponatur characterismus, vi cujus de ista re certo constet, non magis quam vi annuntiationis, in qua solum nomen Joannis signatur in Menæis et Menologio Sirleti die* XXV *hujus. Indicandum superest, cur putem, seu, si mavis, suspicer, agi hac die* XVIII *Augusti de*
C Joanne Cappadoce. *Ratio est* 1°. *Quia S. Joannes I cognomento Chrysostomus alio spectat.* 2° *Joannes III, quamvis subdolus adulator, et hæreticorum fautor, perperam tamen in excusis Græcorum Menæis pro Sancto cultus die* XXI *Fe-* *bruarii, a nostro Synonymo ibidem distinguitur* D
per cognomentum Scholasticus 3°. *Joannes IV cognomento Jejunator, male etiam Græcorum Fastis inscriptus die secunda Septembris, ac cognomento distinctus.* 4°. *De Joanne V diximus in Historia chronologica ante indicata pag.* * 83 *vix quidquam novisse nos, atque adeo solam ipsius chronotaxin investigandam esse; quem tamen Catholicum agnovimus, non Monothelitam, ut Baronius suspicatus est.* 5° *Joannes VI, contra eumdem Eminentissimum Annalium conditorem ab eadem hæresi vindicatus a pag.* 90 *, *spectat ad seculum* 8, *atque adeo non ad nostram præsentem controversiam cum ipse, uti videtur, nedum alii posteriores synonymi. Etenim cum* Joannes *et* Georgius *superius in Fastis sub una eademque annuntiatione referantur, et Joannes quidem primo loco, omnino verosimile mihi apparet, ibidem commode intelligendos* Joannem Cappadocem, *qui seculo sexto, ac* S. Georgium I, *qui seculo septimo vixerit. Fac tamen* Joannem *ad alium spectare diem, fac alium ibidem intelligi, quandoquidem nihil videmus obstare publico laudati* Joannis *cultui, opportunum hic censuimus esse de illo agendi locum, ut aliquo saltem de eo agatur.* E

S. Georgii a monothelismo conversio, ætas; locus cultus cum ipsius tum Joannis.

6 *De* S. Georgio I *tractatur in Historia chronologica pag.* * 85, *unde extraho sequentia. Hæresi Monothelitarum relicta, ea sinceræ, ac veræ conversionis signa dedit, ut non solum inter præsules Catholicos, verum etiam inter Sanctos recenseri meruerit, in Typico quidem, quod vocatur S. Sabbæ, an diem* VI *Aprilis; in Menæis autem excusis hac die* XVIII *Augusti, ut nobis probabilius videtur, secundum dicta de* S. Joanne. *Adde, quod Georgius II non sit admotus cathedræ Constantinopolitanæ nisi exeunte seculo* 12, *sicut in Historia nostra pag.* * 145 *videre datur, ut proinde huc non pertineat. Cultus utriusque Patriarchæ notatur in supra memorato supplemento nostro Græco ad hunc diem* : Celebratur autem solennitas ipsorum in sanctissima magna ecclesia, *per quam intelligo Constantinopolitanam. Sedit* S. Georgius I *ab anno* 678 *usque ad annum* 683, *quo vel obiit, vel sede sua pulsus est, ex dicta Historia pag.* 85 * *et sequente. Nos supra initio hujus sylloges apposuimus annum* F
683, *sive tunc sit mortuus, sive diutius supervixerit.*

DE S. DEGA MACCAYRILL EP. CONF.

IN HIBERNIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, tempus mortis, discipulus, observationes in Vitam.

ANNO DCCCCXVI. Variis diebus

P*ræsul hic, obscuri apud hagiologos passim nominis.* S. Dega, Daygæus, Dagæus, Daganus Maccayrill, *id est,* filius Cayrill, *verum ac legitimum habet cultum in Fastis sacris seu documentis Hibernicis; tametsi alia alio die ipsum commemorent. Apud nos tomo* III *Februarii, in Prætermissis ad diem* XIX *ejusdem mensis, pag.* 123 *mentio de illo facta est ex Colgano in Actis Sanctorum Hiberniæ, Vitæque ejusdem examen remissum ad hanc diem* XVIII *Augusti. In Catalogis Mss. Sanctorum Hiberniæ; qui in museo nostro asservantur in codice nostro signato* † Ms. 167, *variis notatur diebus : nam inter ea, quæ* ex Hagiologio præcipue Ænææ seu Ængussii... ante DCCC circiter annos Hibernice scripto... *desumpta prænolantur,* Dega seu Daygæus, *(id est)* Filius Cayril XVIII Augusti *exstat. In alio autem Catalogo anonymo, ad cujus calcem memorantur*

A *morantur* Sancti, quibus certus dies assignari nequit, *est* S. Dega seu Daygæus. *Alibi etiam inter indicatos Catalogos nomen ejus invenio, sine die.*

refertur

2 *Colganus ad diem* XIX *Februarii pag.* 374 *hæc scribit :* Sancti Dagæi episcopi memoriam hac XIX Februarii tamquam viri notissimæ sanctitatis celebrari tradunt communiter domestica Martyrologia. Unde suspicari licet, quod sit, de quo Joannes Kirkestede . . in suo Opusculo de præcipuis Iliberniæ sanctis præsulibus ita scribit : " Daigæus monachus et episcopus Hiberniæ super mare siccis pedibus ambulavit : et abbatem quemdam, et sex alios mortuos a morte suscitavit. " *Deinde profert* Cal. Cassel. ad diem XVIII Augusti : *in Præfatione autem ad lectorem, quæ Actis Sanctorum Hiberniæ præmittitur,* auctor Martyrologii, seu Calendarii Casselensis ante sexcentos annos floruisse *dicitur ; edebat autem suum tomum Colganus anno Christi* 1645. *Ex isto itaque Calendario hæc profert :* S. Dagæus, filius Carelli, filii Lasreni filii Dalani, filii Eugeni, filii Nielli Naoigiallach. Hic Dagæus fuit faber tam in ferro, quam in ære, et scriba insignis. Fabricavit enim trecentas campanas, trecenta peda pastoralia, et scripsit trecen- B tos libros Euangeliorum : fuitque primarius S. Kierani faber.

in Fastis sacris,

3 *His citatis, ulteriorem de isto* S. Dagæo *suggerit notitiam Colganus ita pergens :* Sed hic Dagæus, ab utroque authore memoratus, non est alius, quam S. Dagæus episcopus de Iniscoindega in Ultonia, qui floruit ante medium seculi sexti, et de quo in propria Vita legitur hæc S. Mochtei prophetia : *quæ habetur inferius apud nos num.* 3 *ejusdem Vitæ, ita ut supervacaneum omnino sit, vaticinium illud e Colgano huc transcribere. Observat autem sequentia idem hagiographus post ejusdem narrationem prophetiæ :* Quia festum præcipuum hujus S. Dagæi episcopi in Inis-Chaoin non hac die XIX Februarii, sed XVIII Augusti celebratur ; hinc vel ille S. Dagæus episcopus, cujus hac die memoria celebratur, est ab ipso diversus ; vel si sit idem, quod verisimilius est, diversa ejusdem Sancti memorantur a nostris hagiographis festa. Unde nos Vitam sanctissimi Dagæi prodigiis plenam C daturi ad XVIII Augusti *(sed opus eo usque non fuit perductum)* pluribus de eo hic disserere supersedemus. *Festum vero vel proprium vel præcipuum fuisse die* XVIII *Augusti indicat laudatus Colganus, quando die* XV *Februarii pag.* 347 *in notis ad supplementum Vitæ S. Berachi, in qua agitur de* S. Dagæo, *lectorem mittit ad eumdem diem* XVIII *Augusti*

præsertim die XVIII *Augusti, quo fertur obiisse.*

4 *Fuit etiam dies illa Sancto nostro peculiaris apud Withfordum : nam in suo Martyrologio, Anglica lingua edito Londini anno* 1526, *elogium de illo habet ad diem* XVIII *Augusti, quod sic sonat :* In Hibernia festum S. Daygei confessoris, qui in pueritia fecit multa miracula : posterius vero suscitavit ad vitam personas tredecim, non sine actis aliis compluribus et notabilibus : obiitque anno ætatis centesimo quadragesimo, sanctitate et perfectione plenus. *Atque hæc quidem hactenus de publico Sancti cultu ; cui brevissime ista subnectimus ex Colgano de anno ejus emortuali, ac die. Sic ergo de illis memorat iste hagiographus ad diem* XXIX *Januarii pag.* 193*:* Anno DLXXXVI S. Dagæus episcopus, Carelli filius obiit XVIII Augusti, *ex auctoritate* Quatuor magistrorum, *quos designat, ita de ipsis præfatus ante chronotaxim suam, quam ibi ordinat a pag.* 189, *partim ex* Annalibus nempe Quatuor magistrorum, compilatis ex vetustissimis Annalibus Cluanensibus, Insulensibus, et Senatensibus. *De Quatuor autem magistris consule Colganum in Præfatione superius assignata. Porro* S. Degæ *obitum cum Magistris illis nos etiam antea alligavimus eidem anno Christi* 586; *quia, si hic bonus ac verus non sit, meliorem ac veriorem in promptu non habemus:*

Auctore J. P.

S. Berachus, nostri Sancti discipulus,

5 *Præter ea, quæ habentur in Vita* S. Degæ *de S. Beracho, qui ipsius fuit discipulus, cap.* 2, *ubi sunt ista,* Femina molendinum . . ad grana molenda ingrediens, ab aliquo homine vulnerata est, quam Berachus, beati Daygæi discipulus, ab eo ad eam missus illico sanavit. *Item præter ea, quæ de puero ejusdem mulieris, qui in aquis fuerat suffocatus, uti ibidem narratur, atque a S. Beracho ad vitam revocatus deinde est, quem ea de causa miserat noster sanctus Episcopus: edita etiam a S. Beracho prophetia non fore posthac, ut umquam amplius quispiam in eadem fluminis parte mergeretur ; præter illa, inquam, quæ ibi exstant, visum est nonnulla* E *delibare, quæ in Vitæ ejusdem S. Berachi Supplemento dicuntur, et simul ad discipuli, simul ad magistri laudem conducunt. Itaque in Vitæ istius Supplemento, quod datur apud Colganum a pag.* 344, *illa memorantur :* Postquam autem sanctus puer Berachus septimum ætatis annum complevit, ad S. Dagæum Carilli filium deductus est, in bonis litteris, et divinæ scientiæ paginis instruendus : sub quo doctore tantos fecit progressus, ut sapientissimus vir evaserit, signis et virtutibus, ac singularis obedientiæ prærogativa clarus et illustris. *His confirmantur et illustrantur ea, quæ obiter ait Vita* S. Dagæi *de Beracho, hunc videlicet istius exstitisse discipulum.*

gloria sui magistri,

6 *Quod vero ex eadem Vita mox proferebam de molendino, occasionem mihi suggerit proferendi sequens factum e laudato Supplemento, sive illud idem sit, quod leviter dumtaxat attigerit auctor Vitæ* S. Dagæi, *sive hoc ab illo fuerit diversum. Hæc igitur habet Supplementum :* Quodam autem die hospites aliqui ad S. Dagæum diverterunt, cum nec panem, quo illos reficere, nec ex ministris aut monachis illum *, qui cos tractare, aut eisdem inservire posset, præter S. F Berachum, præsentem haberet. Mandat ergo pius Pater Beracho duas, quas habebat, tritici mensuras ad molendinum, in campo Murthemne positum, moleudas pro hospitum refectione deferre. Confestim filius obedientiæ Berachus Patris jussa executurus ad moleudinum contendit : quo cum jam pervenerat, feminam quamdam cum puerulo filio grauorum, quæ ipsa quoque advexerat, molituram præstolantem ibidem invenit. Cum autem servus Christi maudata sui patris, et necessitatem hospites in charitate excipiendi, humiliter exponeret, mulier illa duræ cervicis, animique malignantis, pertinaciter recusavit viro Dei molæ usuram permittere, sanctum insuper juvenem, ejusque magistrum Dagæum atrocibus verbis et diris imprecationibus insecuta.

* *l. ullum*

cujus dum jussa peragit;

7 Videns autem mitis juvenis inexorabilem pervicacis mulieris animum, ejus insolentiam patienter sustinuit, voluntati tamen non acquievit; sed jacto in Deum cogitatu, quæ apportaverat grana molæ commisit. Quod videns perversa mulier, sua etiam grana simul injicit, et sic ambo pergunt, nec desistunt a granis hinc inde orificio

AUCTORE J. P.

cio molæ contradendis: donec stupendo miraculo vident ex mola juxta variam immissi grani naturam, hinc avenaceam, et illinc seorsim triticeam profluere farinam. Quod miraculum cum omnes, qui aderant, attoniti admirarentur, mirabiliora mox succedunt. Nam ut mundo manifestius fieret, quantum Deus illatas suis servis detestetur et ulciscatur injurias, memoratæ mulieris filiolus in vicinum fluvium delapsus submergitur, et mox ipsa mater, in suæ perversitatis pœnam, extremis perculsa doloribus, ex tempore e vita decedit. Mox ergo accurrit vicinia, amici et cognati defunctæ advolant, clamantes S. Barachum esse tantæ miseriæ authorem, eumque idcirco uituntur opprimere. Verum nec in bos etiam tardior fuit divina animadversio: nam eorum plantæ solo adhæserunt, extenta obriguerunt brachia, ipsique, viribus destituti, toto corpore immobiles hæserunt. *Sed his Sanctus libertatem corporis; illis vero amissam vitam restituit, sicut pluribus in eodem narratur Supplemento pag.* 345; *quibus subjiciuntur sequentia :*

B 8 Post hæc S. Berachus ad monasterium de Inis-caoin ad patrem suum Dagæum reversus, ex farina ista miraculose confecta, et postea in alimoniam magnæ multitudinis non sine miraculo adaucta, hospites, et monachos, et multos insuper adventantes pauperes abunde refecit. Cum autem videret S. Dagæus tantas discipuli virtutes, ait ad eum, se indignum esse discipulo, cujus magisterio ipse potius esset instruendus Igitur discedenti baculum seu pedum dedit, quod Hibernice bacullh gearr, id est baculus brevis, et cymbalum, quod clog-beraigh; id est tintinnabulum Berachi vocatur, quod Cluan dalachiæ usque in hodiernum diem asservatur. *Vita S. Berachi a nobis illustrata est tom.* II *Februarii, die* XX *ejusdem mensis a pag.* 832, *ubi pag.* 838 *ex Colgano relata sunt, quæ supra de isto Sancto produximus, iis potissimum lectoribus subservitura, qui nostrum mensem Februarium non habent.*

miraculis inclarescit.

Vitæ, quam hic damus,

9 *Habes hactenus, quæ colligere visum est ad* S. Degæ *episcopi et confessoris Vitam illustrandam; alia, quæ per ejusdem decursum occurrent, remittimus ad Annotata. Prælo illam committimus e codice nostro antiquo membraneo Sal-*

C *manticensi, qui signatur* † P. Ms. II. *Vitæ eidem prænotatur hic titulus* : Incipit Vita sancti Dega Maccayrill, *Eam qui conscripsit, non fuisse Sancto synchronum, colligitur ex his biographi istius apud nos verbis cap.* I *in fine :* Quibus talem injunxit pœnitentiam, ut patriam deserentes, in quadam australi Hyberniæ plaga, quæ Beyri vocatur, non reversuri habitarent; quam USQUE HODIE eorumdem posteri incolunt. *Et cap.* 2: Usque hodie in miraculi, *quod ibi narratur*, commemorationem Piscina Berachi dicitur. *Porro Vitæ hujus auctor aliquid habere videtur de genio Hibernico, cui solet esse perquam familiare, ambulare in mirabilibus, in rebus, inquam, supra fidem prodigiosis, ne dicam portentosis. Consule quæ dixi tomo* II *Julii*, *ad diem* V *ejusdem mensis, in Commentario prævio S. Moduennæ seu Monennæ* § 2 *num,* 18 *et* 19; *item ad diem* VI *ejusdem mensis de S. Darerca seu Monynna pag.* 290; *præterea ad istum diem vide Annotata ad Vitam S. Moduennæ, quæ datur pag.* 297 *et sequentibus. His addi possunt ea, quæ in Commentario prævio ad S. Mochtei Vitam, quæ dabitur die* XIX *hujus mensis, dicentur* § 2.

10 *Ex præsenti interim Vita confirmatur illa* D *S. Mochtei prophetia apud nostrum biographum de* S. Dagæi *manu prænuntiata* : Hæc etiam communicabit me moriturum, ac corpus et sanguinem Christi, quando egrediar de hoc seculo, ori meo porriget. *Nam in Vita S. Mochtei referuntur ista :* B. itaque Mocteus, imminente die, quem pervigil expectabat, salutare a S. Daygæo sumpsit viaticum. *Adde testimonium* Dagæi *de illius monasterio, his in eadem S. Mochtei Vita verbis expressum :* De discipulis ejus tale testimonium beatus pontifex perhibet Daygæus Benchorensibus prædicans fratribus : Gratias, ait, ago Deo meo, quod S. Moctei postremo similes conventui vos video. Tria quippe monachorum genera sibi succedentia habuit; primum puritate angelicum; secundum actibus apostolicum; tertium, ut sancti Martyres, sanguinem pro Christo effuudere fuit promptum. *Denique cum ætas tam longæva ultra commune hominum vivendi tempus, ac præter sensum communem ab auctore Vitæ nostræ extensa nobis videatur, asserente Sanctum* centesimo quadragesimo ætatis suæ anno E feliciter obdormivisse; *liceat nobis desiderare majorem ejusdem confirmationem, antequam biographo nostro hac in re suffragemur. Consule quæ die* XIX *hujus referemus in Commentario prævio ad Vitam S. Mochtei* § 2, *de portentosa ætate, quæ ipsi attribuitur; atque his adjungas licet, quæ tomo* II *Martii, die* XVII, *in Commentario prævio ad Acta S. Patricii* § 6, *pag.* 524 *dicta sunt de scriptoribus Hibernis, annos vitæ* 120 *vel* 122 *Sancto isti tribuentibus universim. Adi etiam quæ post Acta S. Patricii animadversa sunt pag.* 580, *ubi de ætatis Patricianæ partitione correcta dictum est. Ex hoc itaque, quod jam exhibui, circa istos Sanctos specimine, abunde patet, non esse alienum a genio Hibernorum scriptorum, Sanctos suos producere ad ætatem ita admodum longævam, ut, nisi aliunde legitima auctoritate stabiliatur, merito suspecta videatur. Sequuntur Acta Sancti nostri.*

observationes nostræ præmittuntur.

VITA

Auctore anonymo. F

Ex codice Ms. antiquo membraneo Salmanticensi, quem habemus, a pag. 212.

CAPUT I.

Sancti natales; edita de illo vaticinia, varia ab eo præclare gesta.

Sancti patria, parentes, institutio in litteris

Vir venerabilis ac sanctus episcopus Daygæus in regione Cianactorum, qui in Bregensi habitant terra *a*, in loco, qui dicitur Insull, natus est. Pater autem ejus Cayrellus, filius Doroua; mater vero Dechidu, filia Massani vocabatur. Lassrianus *b* vero, Daminensis monasterii abbas præclarus, qui tunc temporis in prædicta morabatur regione, in monasteriolo quodam suo eum baptizavit qui postquam ad puerilem pervenit

a

b

A venit ætatem, a parentibus ad eumdem ductus est Lassrianum, ut ab eo litterarum disceret scientiam. Quem abbas fratri suo diacono ad docendum commendavit, a quo puer in liberalibus studiis diligenter instructus est. Quadam die idem diaconus cum eodem Daygeo ad Lubgudunense *c* monasterium perrexit, ut cum Mocteo *d* pontifice, venerabili sene, de quibusdam rebus loqueretur utilibus. Postquam autem pervenit in hospitali domo, solum relinquens Puerum, ipsum interim Sanctum visitavit senem.

apparitio mira

2 Tunc mira res contigit : coutiuuo namque cum Mocteus, atque diaconus inter se sermocinarentur; illa domus, in qua Puer relictus est solus, magno ardere iucendio videbatur; sed cum monachi ad ignem properarent extinguendum, ipsam domum, Puerumque in ea manentem siue ulla ignis læsione incolumes inveneruut : post hæc ad sanctum redeunt episcopum, et coram eo maximum referunt miraculum.

explicata per S. Mocteum,

3 Tunc Mocteus spiritu prophetico ait : Igne Spiritus sancti Puer ille multum ardebit, ideoque B nou immerito Dayg vocabitur; hoc euim nomen Scotica lingua magnam flammam sonat. Deinde homo Dei sanctum Puerum ad se jussit adduci, atque in ejus adventu magno gavisus est gaudio, et accipiens manum illius, dixit : Hic est medicus; de [quo] olim in spiritu prævidi, quod me de tribus meis curaturus esset infirmitatibus. Mocteus namque capitis, et cordis, ac renum nimio laborabat [dolore] manum vere pueri membris dolentibus apponeus, continuo sanatus est. Post hæc eamdem manum benedicens, ait : Plurima de ferro, et ære, de auro, atque argento utensilia ad usum ecclesiæ pertinentia artificiose manus ista operabitur : insuper et plurima peroptime scribet volumina. Hæc etiam communicabit me moriturum, ac corpus et sanguinem Christi, quando egrediar de hoc sæculo, ori meo porriget. Capsam quoque ad reliquias meas in ea recondendas fabricabit : et quidquid aliud de talibus fuerit utile, hæc eadem faciet; quod totum postea completum est : idem enim Daygeus episcopis, abbatibus, aliisque Hiberniæ Sanctis, campanas, cymbala, baculos, cruces, scrinia, capsas, pyxides, calices, discos, altariola, chrysmalia, librorumque coopertoria; quædam horum nuda, quædam vero alia auro atque argento gemmisque pretiosis circumtecta pro amore Dei, et Sanctorum honore, sine C ullo terreno pretio ingeniose ac mirabiliter composuit.

qui dixit, eum sibi non subfuturum; sed alteri.

4 His dictis Diaconus hominem Dei plenum prophetico spiritu *e* interrogat, dicens : Quid de hoc futurum Puero vides? Mocteus respondit : Inter me, et montem versus aquilonalem, pulchrum fundabit monasterium. Diaconus dixit : Pater sancte, utrum sub te erit illud monasterium? Ille respondit : Nou : præterita enim nocte in cælo vidi hunc Puerum in manus cujusdam juvenis post aliquot annos in hunc mundum nascituri, a Deo traditum esse. Sanctus autem juvenis, cui Daygeus a Deo traditus est, Kyaranus Cluaneusis abbas *f* esse fertur.

Prædicit Sanctus de monasterio Lassriani

5 Post hæc idem Diaconus cum puero Daygeo ad Damiuense mouasterium perrexit, cujus iusignis abbas atque fundator præfatus Lassrianus fuit, frater scilicet Diaconi. Huic autem mouasterio aliquod secretum adjacet monasteriolum, quod schola dicitur, in quo Daygeus litteralem scientiam et scribendi notitiam atque fabrilem artem ad plenum didicit. Eo vero ibi permauente, ab abbate Lassriano quadam nocte injunctum est ei, ut, fratribus aliis dormientibus, ipse vigilaret, et monasteriolum custodiret. Ipse vero mirabiliter egit : in loco namque, ubi vigilare deberet, capam suam in ligno pendentem pro se posuit. Sed Deus omnipotens illa nocte locum illum sine ulla læsione custodivit. Crastina autem die abbas quod factum est comperiens, multum objurgavit eum. Tunc Daygeus prophetico spiritu dixit, quod nequaquam illud monasteriolum sine aliquo esset nocumentu. EX MS.

et adit S. Congellum, g

6 Post hæc accepta ab abbate licentia, ad sanctum abiit Congellum Benchorensis *g* monasterii abbatem; ut ubi monasticis instructus disciplinis, sub regulæ jugo ab abbate sibi imposito Deo devotissime ministraret; ubi in diebus legebat, et fabrilem artem exercebat; in noctibus vero, excepto quod somno indulgebat mediocri spatio, indefessus scribebat. Plurima ibi utensilia ad opus monasterii manibus suis operatus est. Tria quoque cymbala sancto fecit Congello, quæ usque hodie in magno habentur : Euangelium etiam optimum postremo scripsit, nec non repositorium ad idem ibi recondendum mirabiliter construxit. E

inde tandem ad S. Kiaranum

7 Annis vero non paucis in cœnobio sancti Congelli transactis, beatus Daygeus divino nutu compulsus [cum oratione et benedictione, ad virum Dei, cui ipse cum successoribus suis a Deo traditus est, sanctum Kyaranum Cluonensem abbatem perrexit. Cui a Deo præostensum est, quod sancti hospites ad suum monasterium venirent. Ideoque, finita Missa, in occursum illorum extra monasterium festinanter abiit. Daygeus vero ad Kyaranum veniens, libros ac vestimenta sociorum suorum, solus post eos portabat. Hoc videns Kyaranus, ait : Miror, quod gratiam Spiritus sancti non ante clericos ad nos venientes, sed post eos video. Daygeo vero ad eum perveniente, ac se sub pedibus in terram prosterneute, ipse humilitatem ejus et subjectionem gratanter suscepit. Fertur autem, quod ex quo sanctus Daygeus a sancto decessit Congello, donec ad sanctum Kyaranum pervenit, nihil vel cibi vel potus gustavit : dicebat namque : Quomodo sine capite corpus cibum poterit sumere?

a quo missus, fundat monasterium, invitis fratribus;

8 Deinde jussu sancti Kyarani in patriam suam rediens, monasterium, quod Inyscam nomiuatur, inibi fundavit. Sanctus quoque Columba *h* tunc temporis ibi affuit, ac locum, monasteriumque simul cum eo benedixit, et ait : Multæ animæ de hoc saucto loco ad regna cælestia migrabunt. F Carnales vero sancti Daygei fratres, invidiæ facibus succensi, eo quod monasterium ibi construxerat, eum interficere conati sunt. Quapropter quidam de discipulis ejus, Naindeich videlicet filius Mayne, capam ejus induens, pro ipso mori paratus, eorum impetum intrepidus exspectavit : qui eum cum fortitudine hastis percutientes, nullam ei læsionem intulerunt : sic enim de capa ejus, velut de saxo, hasta resiliebat. Cum Vir Dei malum pro malo reddere nolens, Naindeicho, ne illis malediceret, jussit; illi autem continuo pœnitentia compuncti; flexis coram sancto Daygeo in terram genibus, veuiam postulaverunt. Quibus talem injunxit pœnitentiam, ut patriam deserentes in quadam australis Hyberniæ plaga, quæ Beyri vocatur, non reversuri habitarent; quam usque hodie eorumdem posteri incolunt.

ANNOTATA.

a *Colganus in sua Triade thaumaturga pag.* 277.

EX MSS. 277, Est duplex, *ait*, Kiennacta in Hibernia : septentrionalis in Ultonia, Kiennacta Glinne Gemhin dicta : altera australis in Mediæ finibus.., Kiennacta Bregh, aliquando Kieuuacta Arda : et utraque nomen adepta est a posteris Kieni filii Olildæ cam olim inhabitautibus.

b *Occasione S. Lasreani, abbatis Lethglinensis in Hibernia, cujus vita exstat apud nos die 18 Aprilis, mentio facta est in Annotatis ad cap. 2 ejusdem Vitæ pag.* 546 *de synonymo Lasreano Daminisensi abbate ; de eoque ibidem acturos nos diximus ad diem* 12 *Septembris, et significavimus, Colgánum anno* 563 *obitu ejus affigere.*

c *Consule de hoc loco Commentarium nostrum prævium ad Vitam S Mochtei, quæ die* 19 *hujus dabitur.*

d *S. Mochtei Acta illustrata habentur, proul modo indicabam, die* 19 *hujus.*

e *Et vero cognomento dicitur* vates, *ut in dicto mox Commentario licet videre.*

f *In Triade thaumaturga superius allegata dicitur pag.* 91 : S. Patricius prohibuit hoc fieri, prædicens ibidem habitaturum quemdam fi-
B lium vitæ, nondum natum, Kieranum nomine, qui locum illum repleret præclaro Sanctorum agmine... Est... locus ille inter Mediam et Connactiam, iu quo sita est civitas Cluanensis, in qua habetur hodie sedes episcopalis. *In Actis autem Sanctorum Hiberniæ apud Colganum die* 28 *Februarii in notis ad Vitam S. Aedi pag.* 423 *mentio fit S. Kierani, et mittitur lector ad diem* 9 *Septembris. Consule præterea quæ apud nos jam pridem dicta sunt in vita S. Endei, abbatis Araniensis in Hibernia, ac magistri S. Kierani, tomo* III *mensis Martii, die* 21, *pag.* 272. *In Annotatis item ad Vitam S. Comgalli proxime hic citandam, indicavimus pag.* 583, *quod tradatur coli S. Kieranus dicto modo die* 9 *Septembris.*

g *De S. Comgallo abbate Benchorensi in Hibernia tractavimus tomo* II *Maii, ad diem* 10 *pag.* 579; *ubi dictum est,* inter præcipua et notiora Ultoniæ regionis apud Hibernos monasteria extitisse Benchorense, a S. Comgallo... constructum
C in hodierno comitatu Dunensi, haud procul a mari orientali ad dexterum latus æstuarii Knochfergii, unde brevissimus tractus est in Gallovidiam Scotiæ provinciam.

h *Suspicor hic agi de S. Columba, celeberrimo Iiensi abbate. In ejus Actis edendis ac illustrandis operose versatus est Colganus in sua Triade thaumaturga. Hunc autem Sanctum nos dedimus die* 9 *Junii.*

CAPUT II.

Plurima Sancti miracula, opera alia egregia, et felix obitus.

(Margin: cum aliud, ubi mersum resuscitat cum prædictione. a)

Quadam die cum beatus Daygeus in quodam suo monasteriolo, quod Delenna dicitur, fuisset, quædam femina molendinum ejus ad grana molenda ingrediens ab aliquo homine vulnerata est; quam Berachus *a*, beati Daygei discipulus, ab eo ad eam missus, illico sanavit. Quæ deinde domum rediens de filio suo, antea relicto ibi, sed tunc temporis non invento, domesticos suos, ubinam esset, interrogavit; qui dixerunt · Post te [ad] molendinum abiit. Quo D audito, illa misera, puero diligenter quæsito, et non reperto, in amne, qui supradictum præterfluit molendinum, ipsum fuisse submersum conjiciens, ad Dei Virum, miserabiliter lacrymans, festinanter cucurrit, qui eumdem cum ea ad amnem misit discipulum. Qui oratione facta puerum antea submersum de profundo fluminis revocans, matri vivum assignavit et incolumem ; insuper hoc firmiter promittens, quod in posterum nemo in eadem fluminis parte mergeretur : quod usque hodie in miraculi commemorationem Piscina Berachi dicitur.

(Margin: Suscitat virginem ; alteri condit altariolum. b c d)

10 Idem Vir Dei in sancti Fiuniani *b* monasterio, quod Clouyn Yraird vocatur, coram sancto abbate Ruadano *c*, extinctam casu candelam insufflando eam accendit. In monasterio quoque sanctarum virginum filiarum Fintani *d*, virginem quamdam nocte adventus ejus defunctam vitæ restituit. Quapropter virgines monasterium suum ejus successoribus, ipsius dominatui tradiderunt. Sanctus Cayrellus *e* abbas monasterii, (*e*) quod Metheus nominatur, eumdem Dei Virum, ut sibi altariolum faceret, rogavit, cujus dum E se materiam non habuisse excusaret, pondus aureum de cælo in ejus sinum cecidisse fertur; de quo altariolum illi fecit. Reliquias vero ejus pro agro, qui Terra auri dicitur, vendidit. Unde sanctus Cayrellus se suumque locum ejus subjectioni dedit.

(Margin: Suscitat occisum, ac tres alias. f)

11 Eo tempore dum beatus Daygeus ibidem moraretur, cujusdam feminæ rogatu commotus, unicum ejus filium, gentis, quæ dicitur Crimtamne *f* regem, apud quem in vinculis tenebatur, quæsivit. Rex vero ille impius, Hominis Dei precibus non acquiescens, sed magis in iram commotus prædictæ mulieris filium crudeliter interfecit. Sed quem iufelicis regis occidit impietas, beati Daygei resuscitavit sanctitas; regem vero illum ejusque posteros regno privavit in æternum. Cum autem inde discessisset, tres filias cujusdam viri, nomine Columba, nuper defunctas in via, qua ibat, inveniens a mortuis resuscitavit; quas postea litterarum scientiam edocens, monasterium ad opus earum fundavit quod domus filiarum Columbæ dicitur. F

(Margin: Monasteria fundat Virginibus plura. g)

12 Post hæc divulgata beati Daygei per totam Hyberniam sanctitate, confluxerunt undique ad eum sanctæ virgines, ut sub ejus regula degerent, quædam Cumena, alia Lassara *g*, sancti Daygei soror, alia Dulvina. Hoc audiens Cluonensis abbas, nomine Oenu ad beatum misit Daygeum, ut eum de susceptione virginum objurgaret. Ille vero nuntiorum præsciens negotium, monialibus, ut humiliter illis ministrarent, præcepit : quarum quædam in sinu suo ignem, sine ulla vestis læsione, quædam aquam, velut in vase firmissimo, ad eos portavit. Quod hospites videntes, pœnitentiam egerunt. Beatus autem Daygeus moniales illas versus Septentrionem ducens, iu diversis locis diversa monasteria, in quibus cum aliis virginibus seorsum Deo servireut, eis, prout decuit, construxit.

(Margin: Suscitat mortuum unum et alterum. h)

13 Deinde ipse ac sancta virgo Cuunc, in regionem, quæ terra Eda dicitur, pergentes, filium regis ejusdem regionis, in fluminis, terram illam præterfluentis, ostio, in quo innumera piscium multitudo capitur, demersum resuscitavit. Quapropter rex ille agrum ei locum in præfato ostio, ad pisces capiendos eis eorumque successoribus obtulit. Post hæc terram Lugneorum *h* in finibus Conactensium adiens, in monasterio

EX MSS.

A nasterio filiorum Flescaigi, et sanctæ virginis Riteillæ reverenter est susceptus; ubi tempore refetionis propinatorio non invento, aureum ei de cælo est datum, quod postea pro agro ad fratrum expendit utilitatem. Dehinc in fines nepotum Ailella migravit, ibique Diarmitium, ejusdem terræ regis filium, nomine Cathbotum, mortuum vitæ restituit: quem postea liberalibus studiis imbuens, monasterium ei fundavit.

Lac miraculose fertur; aqua vertitur in vinum: fur convertitur: mortuus suscitatur.

14 Nec hoc reticendum est, quod pro ejus in sancti Viri nomine, Cruymterfit monasterio commorantis, discipulos Deus operatus est: illi enim vas lacte plenum sine fundo ad monasterium de Boceto vel Vaccario attulerunt: ejusdem namque vasis fundum eis in via quidam latrones nequitur abstulerunt. Exinde in regionibus Corprorum monasterium fundavit, ubi ad quorumdam venerabilium opus hospitum cerevisiam non habens, aquam, Deo cooperante, ante in vinum convertit. Aliquando cuidam furi furtivos equos habenti verbum Dei prædicavit, qui pœnitentia ductus, equis ad propria remissis, a sancto Viro ad Clericalem habitum sumptus. Ipse B autem Sectanus, cujus Domus monasterium Sectani nominatur, deinde ad monasterium sancti Cayrlani *i* perveniens, eumdem eadem nocte defunctum. resuscitavit Quapropter ille se suumque ei monasterium subjecit.

k

Sanatur hydrops, fretum pedibus transitur, etc.

15 In campo quoque Conalleorum *k* quemdam hydropicum, Celtearum nomine, sanavit: qui ei suisque successoribus suum obtulit agrum.

Aliquando fretum, quod Stagnum Rudi dicitur; nave non inventa, siccis pedibus transivit.

Post hæc dum regionem Mydluacam transiret, lignum quoddam immensæ magnitudinis, quod transversum in via jacens transitum negabat viatoribus, per ejus orationem angelico sublatum est ministerio.

Sanctus Lonocus ab eo altariolum sibi fieri petivit, cui materiam, unde illud faceret, ad manus non habens, prophetico spiritu dixit: In sepultura, inquiens, hominis, qui primus iu tuo sepelietur cœmeterio, massam aurichalci reperies de quo tibi altariolum fabricabo. Quod et sic completum est. Eidem quoque sancto viro Euange- C lium scripsit.

Tres occisas suscitat;

16 Post hæc sancti Diarmitii discipuli sui monasterium adivit: ea vero nocte: dum matutinale celebraretur officium, tres fulgentes stellas ab eo loco, qui Terra magna vocatur, cælos ascendere aspexerunt. Diarmitius, Quid, inquit, est hoc visum mirabile? Beatus Daygeus ait: Tres puræ animæ, regna nunc conscenderunt cælestia. Deinde ad illum perveniens locum, tres Erclay filias, dum sanctam virginem Daretham, ut sub jugo ejus Deo famularetur, adirent, a latronibus interemptas vitæ restituit.

multisque aliis rebus egregie per actis, anno ætatis 140 moritur.

17 Quot, et quanta, divina cooperante gratia, beatus Daygeus operatus sit miracula, humanæ nequit memoriæ comprehendere capacitas. Monasteriis itaque plurimis per Hyberniam fundatis, mortuis vitæ restitutis, diversis ægritudinibus curatis, vinctis liberatis, captivis redemptis, utilibus, Ecclesiæ Dei rebus proprio manuum labore fabricatis, vitæ suæ diebus irreprehensibiliter peractis, centesimo quadragesimo ætatis suæ anno *l* feliciter obdormivit in Christo; qui cum Patre, et Filio, et sancto Spiritu, vivit ac regnat, Deus, per secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Acta hujus Sancti illustrata sunt in nostro tomo* II *Februarii, die* 15, *a pag.* 832. *Factum vero, quod hic narratur, conferri potest cum narratione Vitæ ejus, secundo loco a nobis editæ pag.* 838, *et cum dictis superius in meo Commentario prævio.*

b *Vita S. Finniani seu Finneni, abbatis de Cluain-eraird, extat in Actis Sanctorum Hiberniæ citatis, quæ vide ad diem* 23 *Februarii. Locus autem Cluain-eraird in notis ad eamdem Vitam pag.* 398 *ita exponitur*: Veteribus Cluain-erardia, in loco qui olim Ros Finnchuill dicebatur, modernis correpte Clonardia, in confinibus Lageniæ et Mediæ, ad Comitatum tamen occidentalis Mediæ, et diœcesim Medensem spectans. Est hodie viculus obscurioris notæ, licet olim fuerit et oppidum florens et monasterium longe famosum. Quod si sanctitatis et sapientiæ studium spectetur, inter præcipua occidentis monasteria non infimum posset et deberet habere locum. Vide dicenda de ipso in Appendice E infra cap. I et ult. *Sanctus porro ipse apud nos ad dictum diem* 23 *Februarii prætermissus est, ac ibidem dilatus ad diem* 12 *Decembris.*

c *In Appendice modo memorata cap.* 3 *pag.* 405 *inter S. Finniani discipulos notatur* S. Ruadanus abbas Lothrensis. *Vitam* S. Rodani *sive* Ruadani, *ejusdem loci in Hibernia abbatis, dedimus ad diem* 15 *Aprilis*, *tomo* II *ejusdem mensis pag.* 382.

d *In Vita S. Mochtei, quam dabimus die* 19 *hujus, narrantur ista*: Alio quoque tempore, cum B. Patricio in monte Cruacham.. quadragesimale celebrans jejuuium, Fintanum discipulum suum.. membris recollectis vivificavit ita integrum, ut nulla etiam cicatrix in eo appareret. Hic elapso dehinc tempore factus abbas monasterii Kil-oirthir, quod Latine cella orientis sonat. *Quis Fintanus ille fuerit e tot aliis synonymis, inquirit Colganus in notis ad Vitam S. Mochtei, die* 24 *Martii pag.* 732. *In nostra vero Vita hac, quam illustramus, cum Fintani nomen sine characteristico idiotismo signetur, quisnam hic fuerit, aliis inquirendum relinquimus.*

e *Inter discipulos S. Benigni, qui notantur* F *in Triade thaumaturga pag.* 204, *habetur* Carellus; *an hic sit idem, de quo nostra Vita, non divino.*

f *Index topographicus ad Acta Sanctorum Hiberniæ pag.* 873, Crimthaunos *in Ultonia ponit. Ad diem vero* I *Januarii in notis ad Vitam S. Francheæ virginis pag.* 4 *dicitur* esse regiuncula in confinibus Mediæ et Orgielliæ, hodie obscurioris notæ; licet antiquis historiis non parum celebrata.

g *Apud Colganum die* 23 *Februarii pag.* 395 *narratur Lassara virgo, quæ volebat castitatem servare, delata esse per angelum ad regionem suam. Deinde laudatur* hæc puella *tamquam mira* sanctitate pollens, ædificasse ecclesiam, ubi multa per eam patrata sunt miracula, *cui nomen* Daire mac Aidmecain. *Laudatus vero hagiographus pag.* 405 *discipulis S. Finniani annumerat Lassaram virginem in monasterio de Dore mac Aidmecain. Idem auctor pag.* 399. Post varias, *ait,* indagationes, non potui inter plures virgines nostrates huic cognomines discernere, quæ sit hæc Lazara, nec colligere ubi sit illa ecclesia, de qua modo agebatur. *Deinde lectorem, qui curiosius*

EX MSS. *sius voluerit indagare has virgines, alio mittit, varios citans auctores ac dies. Habemus autem in Vita hac nostra, quod Lassara ibi memorata fuerit* S. Dagæi soror, *e quo characterismo erui fortasse aliunde poterunt ulteriores de ea notitiæ, quas aliis investigandas relinquo. Nec porro vacat operosius inquirere, quænam vel quales fuerint omnes illæ personæ, quarum nomina hic proxime sequuntur. Idem esto judicium de locorum aliquorum descriptione, quæ satis liberaliter nominantur.*

h *In Vita altera, seu supplemento Vitæ S. Fechini cap.* I *apud Colganum die* 20 *Januarii pag.* 133 *dicitur Sanctus ille* in ea regione Connaciæ, quæ Lugue appellatur, in lucem editus. *Locum hunc laudatus Colganus sic exponit in notis pag.* 140 : Est regio satis nota Comitatus de Sligeach, in qua sedes episcopalis Achadensis, seu de Achach Conuir. D

i *In prætermissis apud nos ad diem* 24 *Martii signatur* Cairlanus episcopus Ardmachanus, Fethlemii anno DLXXVII defuncti per decem annos successor. Sanctis hodiernis accensetur in Martyrologio Tamlactensi, et Mariani Gormani, agitque de eo paucis Colganus; sed nullum profert aliud indicium cultus. *Annus quidem modo notatus convenit eum tempore superius designato, quo vixit* S. Dageus; *sed utrum hic Cairlanus ille, an alius intelligi debeat, non est mihi in promptu determinare.*

k *In Ultonia videlicet, secundum ea, quæ dicam die* 19 *hujus in Commentario prævio ad Vitam S. Mochtei* § I.

l *Vide quæ præmisi in fine Commentarii prævii ad præsentem Vitam.*

DE S. GUENNINO EPISC. ET CONF.

B J.P.

VENETI IN GALLIA

E

Veneratio publica ; ætas ; an hic Sanctus cum alio confusus.

ANNO CIRCITER DCXXII. Colitur apud Venetenses ; *Sanctus hic, qui per errorem in hunc irrepsit diem, ut monebimus die proxime sequenti inter Prætermissos, nihil fere nobis reliquit notatu dignum, præter pauca, quæ ad stabiliendum publicum ejus cultum ac tempus spectant. Albertus le Grand in sua Sanctorum Britanniæ Armoricæ collectione inter alios, quos refert in Catalogo chronologico et historico episcoporum Venetensium pag.* 136, *hæc de eo paucissima scribit, quæ nos in ipsius fide huc transcribimus* : S. Guenninus unanimiter electus fuit eodem anno DCXVIII sub Bonifacio V. Pontifice, iisdem imperatore ac rege *(videlicet Heraclio, et rege Hoele III, quos proxime nominarat.)* Obiit anno DCXXII, post quatuor sedis annos. Proprium Venetense de eo C Officium facit XIX Augusti. *In quo Proprio Venetensi legerit auctor laudatus Officium de nostro Sancto, equidem nescio; hoc scio, in tribus ejusdem Proprii exemplaribus, anno* 1630, 1652 *et* 1660 *excusis, quæ apud nos exstant, solam de illo præscribi hac die commemorationem de communi confessoris Pontificis. Quamvis autem editio anni* 1660 *jam dicta in catalogo Sanctorum diœcesis Venetensis, parti æstivali præfixo, signet* S. Guennini episc. Venet. semid., *in ipsa tamen die* XIX *Augusti solam ejus commemorationem de communi invenio. Ex his conficitur, certo constare de* S. Guennini *cultu apud Venetenses, qui confirmatur et extenditur ulterius, ut modo planum fiet.*

sed publica ejus veneratio etiam transiit ad diœcesim Parisiensem. 2 *Saussayus in Appendice ad Martyrologium Gallicanum pag.* 1224 *de sola quidem ipsius apud Venetenses veneratione meminit, ita loquens :* S. Gueuinus episcopus Venetensis eo titulo et spectatæ sanctitatis memoria honoratus ab ipsa cathedrali ecclesia : quamvis in episcopalibus ejus tabulis editis signatus non appareat; nisi forte is sit, qui Guinniuus inscribitur. *Castellanus item in suo Martyrologio universali et* Guiuninum *ipsum vocat, et in Britannia Armorica coli eum indicat; sed non ita pridem nomen ejus latius extensum, dum inscriptum fuit Martyrologio Parisiensi, quod anno* 1727 *in lucem prodiit, ubi hac die ita annua ipsius memoria annuntiatur :* In Aremoricis S. Guinuiui Venetensis episcopi.

Agitur 3 *Spectare Antistitem nostrum ad seculum septimum, patet et præmissis. In Martyrologio Parisiensi aptatur ei annus circiter* 622 ; *quid vero causæ habuerit Castellanus, ut ad seculum sextum referret ipsum, ignoro. Hanc certe temporis rationem improbo, non ideo dumtaxat, quia, nullo fundamento idoneo assignato, est contra auctores alios, qui ad seculum septimum spectare ipsum memorant; sed ideo præsertim, quia non cohæret cum ordine episcoporum Venetensium, ut jam ostendetur. Ratio chronologica eorum prorsus obscura est apud Sammarthanos in Gallia Christiana. Nam occasione Regalis, qui proximus signatur* S. Guinnini *decessor, et affigitur anno* 590 , *dicuntur ista* : Episcopi sequentes valde videntur confusi, ac solum proferuntur ex fide manuscriptorum S. Crucis Kemperlegiensis. F

de tempore 4 *Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum* 618 *num.* 10 *obscuræ huic episcoporum Venetensium confusioni lucem affert his verbis* : Hoc anno, ut Albertus in Armorica sancta testatur, Guenninus seu Guiuuiuus episcopatum Venetensem suscepit. In counotandis Venetensibus episcopis hactenus usi sumus subscriptionibus conciliorum et auctoritate Gregorii Turonensis, questique sumus ad aunum Christi DXC num. 12, quod in Venetensium antistitum catalogo prætermissus esset ab Alberto Regalis episcopus, quem Gregorius Turonensis lib. 10 cap. 9 ad illum annum, Childeberti regis decimum quintum, laudavit. Sammarthani Regali proxime sufficiunt Guinninum, nec exprimunt, quot annos hic, successoresve sederint. Robertus Guinnino præposuit Dominium, Clementem, Amantem sive Amautium, et Saturninum, quos ab Alberto pariter commendatos omiserunt Sammarthani. Sammarthanis hoc loco præstant Robertus

A bertus et Albertus, imo et Roberto præstat Albertus. Robertus enim Doninium cum Eonio sive Eunio Regalis decessore perperam confundit, nec singulos pontificatus in sua spatia partitur. Albertus autem Doninio seu Dominio, ut vocat, annos præsulatus tribuit undecim, Clementi septem, Amanti quinque, tres Saturnino; testaturque Dominium pontificalibus infulis redimitum fuisse anno Christi DXCI, Clementem anno Christi DCII, Amantem anno Christi DCX, post interpontificium aliquot mensium; Saturninum anno Christi DCXV.

vitæ ejus ac mortis. 5 Nec hic Alberti computus quidquam habet, quod rectæ chronologiæ refragetur. Nam de Regale post annum Christi DXC nihil occurrit, eidemque Regali Dominius anno sequenti succedere potuit. Hæc obiter de præsulibus Venetensibus; *quæ nos huc referenda etiam censuimus occasione* S. Guenniui, *ut ex his temporis ejus ratio elucidaretur. Ad annum vero Christi* 622 *num.* 6 *laudatus Annalium conditor annos sedis ac mortis ita definit:* In eadem provincia Lugdunensi tertia Guinninus, cum ecclesiam Venetensem annos quatuor feliciter rexisset, ex hac vita migravit. Colitur B XIV Kalendas Septembres. Successit in episcopatum Ignorocus. *Atque hæ quidem rationes nos moverunt, ut anno Christi circiter* 622 *obitum sancti nostri Præsulis superius innecteremus. Superest inquirendum, an hic cum alio Sancto alicubi confusus non sit.*

An cum alio confusus. 6 *Suspicamur id factum esse a Ferrario. Ratio suspicandi est nomen fere idem, idem locus eadem dignitas episcopalis, idem cultus in ecclesia videlicet cathedrali Venetensi. Quæ omnia simul juncta non improbabile nobis fundamentum videntur præbere suspicionis jam dictæ. Nam auctor ille in suo Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad diem* III *Novembris hæc memorat:* Venetiæ in Britannia S. Guenelli, episcopi ejusdem urbis. *Addit in notis:* Ex Kalen. ecclesiæ Venetensis, et Breviario ejusdem. Corpus in cathedrali ecclesia conditum est juxta corpus S. Vincentii, et in magna veneratione habetur. *Lego quidem die* III *Novembris annuntiari in Aremoricis memoriam S. Guinaili abbatis, ejusque corpus una cum aliorum Sanctorum reliquiis Parisios delatum, indeque translatum Corbolium, requiescere in ecclesia sui nominis; item in Appendice Saussayi ad Martyrologium Gallicanum ponitur sine die* S. Guenaëlus abbas de Laudeucmeec*. Corpus ejus honorifice sevatur in ipsa matrice ecclesia Venetensi. *S. Guinaili Vita etc. apud nos asservantur ad diem* III *Novembris reposita; quo plura de illo dici et examinari poterunt. Sive autem* Guenelius *ille a Ferrario cum nostro Gennino sit confusus; sive designare voluerit Guinailum; nostra saltem observatio ad* E *hoc conducit, ut intelligatur, perperam ab eo annumerari Venetensibus episcopis Guenellum, in quorum catalogo nec apud Albertum le Grand, nec apud Claudium Robertum, nec apud Sammarthanos, nec apud Cointium in superiore præsulum Venetensium serie, novis ab eo curis recensita, ullus istius nominis mihi occurrit.*

AUCTORE J. P.

* Landevenec in *Britannia Armorica.*

DE S. INANO SEU EVANO CONF.

IN SCOTIA

J. B. S.

Sec. IX. Diverso nomine et loco expressus Sanctum Inanum *aliquem* Wruini in Scotia eremitam, *quem pro die* XVIII *Julii in Menologio Dempsteri inveneram, non satis ipsi fidere ausus, ex Breviario Aberdonensi, in quo melius,* C *ni fallor, hoc die signabatur, huc remisi, si forte interea aliquid occurrisset, unde Sanctus magis innotesceret. At nullo hactenus operæ pretio, ut, quidquid quæsierim, solum ferme nomen expressum, et quidem diversimode inflexum invenerim, diversis diebus etiam et diverso loco attributum, tametsi non nisi solus et unus atque adeo idem omnino videatur. In Kalendario nostro Benedictino Ms. hoc die simpliciter legitur:* Item sancti Evani abbatis in Scotia. *Audi modo Dempsterum, qui cum jam dicta die* XVIII *Julii Inanum suum* Wruini *collocasset, hoc die eumdem ipsum* Drouori *annuntiat, hoc addito:* Qui Argadiam pestilenti morbo liberavit. *Ex* Inano Janum *formavit Ferrarius, Argadiæ situm suo modo explicans.*

idem ipse et unus dicendus est. 2 *Cum autem sub Kennetho I, alias II,* Inanus *floruisse dicatur, non videtur dubium, quin idem sit cum eo, qui sub Juniani appellatione refertur a Camerario die secundo Decembris, cum hoc brevissimo elogio, quod* apud Kennethum secundum hoc nomine Scotiæ regem authoritate plurimum valuit. F *Atque hic haud dubie idem est, qui in Breviario Aberdonensi hoc ipso die inter Sanctos ponitur, licet, præter Breviarii istius morem, de ejus gestis nec hilum referatur. En Breviarii verba:* S. Iuani confessoris apud Irvine in Scotia, sub rege Keunedo primo, anno DCCCXXXIX, Augusti XVIII. *Ne vero hic diversos reges indicari existimes; de eo rege agitur, qui Pictos, ut ipsi vocant, perdomuit,* quorum *excidium, ut nolat Dempsterus, Sanctus* prædixerat, cujus hortatu Kennethus rex bellum animose suscepit.



A D

DE B. CLARA DE CRUCE VIRGINE

PROPE MONTEM-FALCONIS IN UMBRIA

G.C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus hujus beatæ Virginis ab immemorabili tempore cœptus, et a Pontificibus Romanis confirmatus.

Anno MCCCVIII. Cum hæc Beata anno 1308 die 17 Augusti obiisset

Quamvis B. Clara, *communiter cognominata de Monte-Falco, die præcedente ad cœlum migraverit, et Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Ludovicus Jacobillus in Sanctis ac Beatis Umbriæ tomo* I *pag.* 707, *Arturus du Monstier in suo Gynæceo et Martyrologio* B *Franciscano, aliique quidam hagiologi die* XVII *Augusti annuam ejus memoriam celebrent; tamen nos festum hujus beatæ Virginis ad diem sequentem distulimus, more nostro in ea re secuti Martyrologium Romanum, quod hac die Beatam illam annuntiat his verbis:* In Monte-Falco Umbriæ, beatæ Claræ virginis, monialis Ordinis Eremitarum sancti Augustini, in cujus visceribus Dominicæ Passionis mysteria renovata, maxima cum devotione venerantur.

Joannes XXII Pontifex

2 *Baptista Piergilius Mevaniensis, de quo sæpe inferius mentio facienda erit, in Vita Italica* B. Claræ *parte* 3 *cap.* 16 *testatur, adeo publicam de sanctitate hujus Virginis famam fuisse, ut non diu post ejus obitum Berengarius de sancto Affricano, qui tunc erat vicarius episcopi Spoletani, juridice et gesta in miracula illius inquirere cœperit. Hæc pervulgata sanctitatis opinio abunde colligitur ex litteris Joannis XXII Pontificis, quæ sic sonant:* Joannes episcopus, servus servórum Dei, venerabilibus Fratribus Perusino et Urbevetano episcopis, ac dilecto filio Magistro Reginaldo de sancta Artemia, Canonico Petragoricensi Capellano C nostro, nostrique palatii auditori causarum, Ducatus Spoletani rectori, salutem et Apostolicam benedictionem.

in gesta

3 Magna nobis exultationis materia præstatur et gaudii, magnaque gratiarum actionum et laudum nobis debita cumulantur, cum novellis miraculis fidei nostræ inconcussa fundamenta reluceant, rebus res alta foveatur exhibitis, ac virtutum actibus vivificans charitas inflammetur. Novit namque misericordiarum Pater et totius consolationis Deus omnipotens plebi Fidelium quibusque apta temporibus dare, juvantia conferre remedia, ac cælestis vitæ solatia impertiri; quibus præteritorum fides adstruitur, futurorum impenditur cautio ac præsentium, zelus accenditur liquefaciens animas, ut sic spe præmii fortitudine vincamus in asperis, humilitate in prosperis dimicemus: ad quæ nostræ ætatis instantius eorum exempla nos provocant et familiarius cognita merita suffragantur, qui sic sobrie, sic juste, sic pie vixisse feruntur in terris, ut inter Sanctorum agmina collocati credantur in cælis, cum ad ea sperantes nitamur ex gratia, quæ illi miraculorum ostensionibus existimantur adepti.

4 Sane dudum ex parte venerabilium Fratrum nostrorum Assisinatis, Spoletani, et Fulginatis episcoporum, et dilectorum filiorum quorumdam aliorum Prælatorum ecclesiarum secularium et Regularium, ipsorumque omnium Capitulorum, Collegiorum et Conventuum, ac etiam universitatum Perusinæ, Spoletanæ, Fulginatensis, nec non multorum Castrorum et villarum Spoletani Ducatus coram nobis et Fratribus nostris propositum exstitit, quod recolendæ memoriæ Clara, monasterii sanctæ Crucis de Monte-Falcone Ordinis sancti Augustini Spoletanæ diœcesis abbatis- E sa, dum viveret, nitore sanctitatis emicuit, conversatione resplenduit, et multis magnisque, tam ante quam post suum obitum, miraculis coruscavit. Quare pro parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut de ejusdem Claræ Vita et miraculis inquisitione præmissa, si reperiremus præmissa veritate fulciri, eam adscriberemus Sanctorum catalogo, ipsamque faceremus per universas ecclesias honore congruo solenniter venerari.

et miracula ejus inquiri jussit;

5 Verum licet prædicta coram nobis et eisdem Fratribus nostris exposita, si vera sint, nostrum et Fratrum ipsorum corda multiplici jucunditate repleverint, attendentes tamen, quod Romana Ecclesia præsertim in tanto fidei negotio consuevit cum magna maturitate procedere, ubi videlicet de re tam ardua quæritur, sensibus quidem abdita, ignota scientiis, et novo quodam probandi genere, vita utique et miraculis comprobanda: nam si difficile existimamus, quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore, quæ in cælis sunt, qui investigabit? Dilecto filio nostro Neapoleoni sancti Adri- F ani diacono Cardinali commisimus, ut apud Sedem Apostolicam de hujusmodi sanctitate vitæ ac miraculis prædictæ Claræ informationem per testimonia fide dignorum reciperet, illamque nobis referre curaret, ut verisimilitudine inde sumpta tutius possemus procedere in negotio prælibato. Et quia per dicti Cardinalis relationem fidelem coram nobis et Fratribus nostris factam, accepimus aliqualem informationem de sanctitate ac miraculis antedictis, Nos pium et congruum reputantes, ut prædicta ulterius sub dissimulatione non debeant pertransiri, de ipsorum Fratrum nostrorum consilio, supplicationi hujusmodi, prout præsentium describitur serie, duximus annuendum.

sed negotio Canonizationis tunc

6 Quocirca discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vestrum in loco vel locis, ubi expedire videritis, de vita, conversatione ac miraculis Claræ prædictæ ceterisque circumstantiis hujusmodi negotium contingentibus juxta formam, quam vobis sub Bulla nostra transmittimus introclusam, inquiratis diligentius veritatem, et quæ super præmissis inveneritis

ad optatum exitum non perducto,

AUCTORE G. G.

A neritis, fideliter in scriptis redacta sub testimonio sigillorum vestrorum per viros idoneos ad Sedem Apostolicam destinctis,ut per inquisitionem vestram sufficienter instructi, sicut res exigit et expediens visum fuerit, securius in ipso negotio procedere valeamus. Datum Avenioni octavo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo, *qui in annum Christi* 1317 *incidit. Hæc epistola apud Piergilium post Italicam* B. Claræ *Vitam pag.* 360 *et* 361 *refertur, ubi etiam sequitur altera ejusdem Pontificis epistola, quam hic brevitatis causa prætermitto. Porro eamdem inveni inter authentica instrumenta, quæ Mosconius infra laudandus Latino Actorum compendio præfixit, et de quibus postea agam. Denique utramque vitiosam hujus epistolæ editionem inter se contuli, et unam ex altera correxi.*

Nicolaus V Papa eam coli permisit,

7 *Quamvis eo tempore inquisitio ista (nescio qua de causa) optatum exitum non habuerit, tamen certum est, postea magnam Sanctæ Sedis propensionem fuisse ad promovendum ejus cultum; quandoquidem Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1308 *num.* 77 *testatur, Nicolaum V Pontificem circa medium seculi decimi* B *quinti excellentem* B. Claræ *sanctimoniam veneratum indulsisse, ut frequens ejusdem commemoratio fieret hoc modo: Antiphona.* Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo inhabitare. ℣. Ora pro nobis B. Clara. ℟. ut digni efficiamur promissionibus Christi. *Oratio.* Deus, qui B. Claram virginem tuam clarificasti et in ipsius corpore Passionis tuæ et Trinitatis mysteria renovasti; præsta, quæsumus, ejus precibus et imitatione sic nos tuæ Passionis amaritudinem recordari, ut Trinitatis beatudine perfrui mereamur; qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

et Urbanus VIII Pontifex

8 *Præterea summus Pontifex Urbanus VIII ad augendum hujus præclaræ Virginis cultum anno* 1624 *edidit constitutionem, quæ apud nos tomo* 5 *Bullarii Romani pag.* 62 *sic sonat:* Urbanus Papa octavus ad futuram rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos et ancillas suas æternæ gloriæ præmio donat in cælis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, C ut eorumdem servorum et ancillarum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim vero sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, votis quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domini salubriter expedire.

Ordini Augustiniano

9 Sane nomine dilectorum filiorum Procuratoris generalis et Fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Nobis nuper expositum fuit, quod ipsi ex peculiari, quem erga beatam Claram de Monte Falchio ejusdem Ordinis monialem gerunt, affectu, in cujus visceribus Passionis Domini nostri Jesu Christi mysteria maxima cum devotione a vicinis incolis venerari asserunt, et ad augendam Christi fidelium erga illam devotionem, Officium et Missam de eadem beata Clara recitari et celebrari posse, summopere desiderant, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

concessit recitare de ea Missam et Officium

10 Nos igitur piis eorumdem Procuratoris et Fratrum votis hujusmodi annuere, illosque specialibus favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum consilio, ut de de dicta B. Clara Officium et Missa de communi virginum cum oratione propria, in ejusdem Ordinis Missalibus inserta, ab omnibus Ordinis prædicti utriusque sexus Regularibus personis tantum, recitari et celebrari libere et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus et impartimur. *Deinde post consuetas clausulas tempus datæ hujus constitutionis ita exprimitur:* Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIV Augusti MDCXXIV, Pontificatus nostri anno secundo.

cum orationibus propriis:

11 *Existimo, tunc Missali PP. Augustianorum insertas fuisse orationes sequentes, quas Piergilius Italicis* B. Claræ *Actis ita subnexuit.* ORATIO: Deus, qui beatam virginem tuam Claram clarificans, in ipsius corpore passionis tuæ E et Trinitatis mysteria renovasti; præsta, quæsumus, ejus precibus et imitatione sic nos tuæ Passionis amaritudinem recordari, ut Trinitatis beatitudine perfrui mereamur. Qui cum Patre et Spiritu sancto in Trinitate vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen. SECRETA: Adsit nobis, quæsumus, Domine Jesu Christe, beatæ Claræ pia, humilis et devota supplicatio in cujus corde prærogativa mirabili Passionis tuæ mysteria renovasti; præsta, ut virtute præsentis oblationis, tuæ Passionis circa nos beneficia jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas Deus per etc. POST-COMMUNIO: Omnipotens sempiterne Deus, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra, in corde beatæ Claræ Passionis tuæ mysteria renovasti, concede propitius, ut ejus precibus et meritis dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

qui cultus dein ad totam diœcesim Spoletanam extensus est.

12 *Eodem circiter tempore facultas recitandi Officium ecclesiasticum de hac beata Virgine ad totam diœcesim Spoletanam extensa est, ut patet ex decreto sacræ Congregationis Rituum, quod Piergilius post Italicam* B. Claræ *Vitam pag.* 364 *sic exhibet:* Cum alias sub die XXV Maii MDCXXIV F Congregatio sacra Rituum, annuente etiam Sanctissimo Domino nostro, Religioni Eremitarum sancti Augustini concesserit, ut Officium beatæ Claræ de Monte-Falcone in die ipsius obitus de communi virginum cum oratione tamen propria recitare posset, idem indultum, eodem Sanctissimo annuente, ad civitatem et diœcesim Spoletanam censuit extendendum. XXVIII Septembris MDCXXIV. *Subscripserat* Franciscus Maria Cardinalis a Monte; *inferius autem* Joannes Baptista Rinusinus secretarius. *Postea Innocentius XII Pontifex anno* 1694 *etiam concessit Ordini Minorum facultatem recitandi Officium sub ritu duplici de hac* B. Clara, *ut Hueberus ad diem* XVIII *Augusti in suo Menologio Franciscano, et Directoria ejusdem Ordinis passim testantur. Ex his omnibus liquet, immemorabilem hujus beatæ Virginis cultum ab Ecclesia sufficienter approbatum ac confirmatum fuisse.*

§ II Authentica

AUCTORE G. C.

§ II. Authentica Beatæ Acta, et diversi horum scriptores.

Inter varios auctores, Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1308 num. 77 varios auctores, qui gesta et miracula B. Claræ litteris mandarunt, recenset his verbis : Ejus gesta plures scripserunt; primus omnium Vicarius supra nominatus Spoletanus; deinde quidam anonymus, cujus narrationem Latinam per modum dialogi compactam Italicam reddidit F. Antonius Monte-Falcensis. In meliorem reduxit formam Antonius Philotheus Homodei Siculus anno MDLVI. Mox ad compendium reductam Vitam cultiori exscripsit stylo Isidorus Mosconius, et excudit Bononiæ anno MDCI. Ex Minoritis Marianus, Marcus Ulyssiponensis, Ludovicus de Miranda, et Ludovicus Rebolledo. Ex Augustinianis Cardinalis Seripandus, Josephus Pamphilus, Alphonsus de Orosco vir doctissimus et sanctissimæ opinionis in Chro-B nicis Augustinianis, Hieronymus Romanus, Augelus Senensis; sed omnium exactissime illustrissimus D. Augustinus Antoliuez, moderator primariæ cathedræ Salamantinæ, mox archiepiscopus Compostellanus, piæ memoriæ summæque eruditionis vir notissimus, quem ego reverenter suspiciebam. De ea largius agunt Joannes Marquez, vir doctus in libro de Origine Eremitarum sancti Augustini, et Manuel de la Cerda in sua Laurea Conimbricensi.

qui Acta hujus beatæ Virginis conscripserunt, 14 *His possem superaddere R. P. Cornelium Curtium Augustinianum, variosque alios ejusdem Vitæ scriptores, quorum elenchum Piergilius Italicis* S. Claræ *Actis præmisit: Verum illis omnibus præferrem ipsam Piergilii lucubrationem, nisi idiomate Italica conscripta esset, et Latinam tam magni operis versionem reformidarem : nam hic biographus Italus, de quo Jacobillus inter Scriptores Umbriæ pag. 67 meminit in ipso* S. Claræ *monasterio et alibi authentica documenta consuluit, ut in præfatione sua lectorem monet, iisque mature discussis, magna rerum notitia instructus Vitam et miracula hujus beatæ Virginis in quatuor partes operose divisit, suam-C que lucubrationem Fulginii anno 1640 edidit. Mihi non vacat diffusum istud Opus Latine interpretari, tum quod linguam Italicam non satis calleam, tum quod hanc Vitam nusquam ab Augustinianis Latine versam invenerim. Attamen ex illa subinde excerpam nonnulla ad illustrandam breviorem Vitam Latinam, huic Commentario prævio subnectendam, de qua nunc pauca præmonebo.*

Vitam ejus Latine contraxit Isidorus Mosconius, 15 *Equidem optassem, ut obtinere potuissemus fidele apographum, ex veteribus Mss. instrumentis desumptum, quod olim Papebrochius noster frustra petiit, ut ipse ad memoratum Piergilii elenchum in margine notavit. Sed hunc defectum aliquo saltem modo supplebit* Compendium de Vita, miraculis, et revelationibus beatæ Claræ de Cruce Montis-Falconis oppidi in Umbria; ex vetustissimis codicibus cœnobii ejusdem beatæ Claræ repertis extractum, et in lucem editum, auctore Isidoro Mosconio Jurisconsulto Trebiatis clarissimo. Bononiæ apud hæredes Joannis Rossii MDCI. *Hanc Actorum ac miraculorum synopsim mihi placuit recudere, tum quia Latina est, tum quia ab erudito auctore et archiepiscopi Bononiensis Vicario generali fideliter extracta est ex vetustissimis codicibus, non diu post* B. Claræ *obitum Apostolica auctoritate con-* D *scriptis per notarios in Canonizationis causa legitime adhibitos; quibus instrumentis ipse sic usum se profitetur, ut aut certius aut fide dignius neget aliquid reperiri.*

qui lucubrationis suæ causam, 16 *Juvat hac de re ipsum audire Mosconium, qui ante synopsim suam sic præfatur :* Inter multa, quæ mihi contigit videre, quibus mirabilem in Sanctis suis Deum esse non inficior, corpus beatæ Claræ, ut dicitur, de Cruce, mirum in modum me cepit; quod per tot annos integrum adhuc perseverat, videturque ab omnibus illuc proficiscentibus. Inde magnus est peregrinorum concursus, innumeraque pro acceptis beneficiis donaria cernuntur. Quod si defunctæ corpus tantam apud omnes sui parit admirationem, religionemque excitat, ac devotionem; non minus mihi persuadeo, id factum iri, si Vita illius, mores, gestaque perlegantur. Et vero Deus benedictus multa Sanctis suis magnaque ostendit benevolentiæ signa; sed beatæ Claræ, cujus vitam scribere proposui, dedit præcipua : in cujus enim Sancti corde Dominicæ Passionis mysteria conspecta umquam fuerunt? Certe cum hæc in E corde B. Claræ reperta fuerint a multis visa, illorumque testimonio posteris prodita, quis non confitebitur, Deum præcipuo illam amore prosecutum fuisse?

methodum, 17 Cum ergo apud omnes jucundissima sit hujus Virginis recordatio, merito ab omnibus expetitum non ignoro, ut aliquando de vita, moribus, miraculisque per eam factis, aliquid litteris mandaretur. Quas res effecit, ut quam diligentissime quæsiverim, si quæ extarent his de rebus monumenta : et tandem parvi quidam libelli, partim Latino partim vulgari sermone conscripti, diversis sub auctorum nominibus, in manus meas venerunt; qui cum auctoritatem et tantarum rerum originem non ostenderent, certior de iis rebus est ab omnibus desiderata fides. Quamobrem cum in tali essem ambiguitate, cum nonnulli illorum librorum mihi viderentur a veritate alieni, ad hoc præcipuum totius operis fundamentum me contuli. Quod dum animo volutarem, et quid de iis esset agendum, diu noctuque cogitarem, Deo tandem et Claræ virginis annuentibus meritis, quatuor principalium codicum libri, ex ordine Sedis Apostolicæ compositorum, traditi mihi F fuerunt; qui in beatæ Claræ monasterio divino quodam beneficio sunt reperti; in quibus agitur de Vita, moribus, conversione, miraculis et revelationibus beatæ Claræ : necnon alter codex de iisdem rebus conscriptus a Berengario, qui tunc erat reverendissimi D. Petri episcopi Spoletini vicarius. Insuper privilegia seu gratiæ summorum Pontificum in progressu canonizationis concessæ. Præterea compendia de præmissis de ejusdem Sedis Apostolicæ auctoritate confecta in magnis paginis, sed sine ordine distributis, inventa a me fuerunt.

ac fidem indicat, 18 Quibus confisus in hanc veni sententiam, ut compendium de vita beatæ Claræ virginis ex dictis libris et codicibus confectum, in lucem dare possem. Ut vero prædicta fidem habeant firmiorem, a primis codicum illorum elementis ordiar, progrediarque ita, ut hac scriptione mea nihil aut certius aut fide dignius reperiatur. *Deinde Mosconius recenset summa capita vel quædam fragmenta manuscriptorum codicum, quos ad compendium Actorum concinnandum adhibuit, et præfationem suam ita concludit :* Ex quibus, lector amantissime, hanc meam compilationem bre-

vi

AUCTORE G. C.

A vi sermone et in hanc formam redegimus, et talis fuit ordo servatus a prima ipsius institutione. Modo a prima istius Vitam describendi forma exordiamur; deinde ad ea, quæ historiam declarant, accedemus. Obsecro itaque, ne sententiarum aut elegantiarum copias exspectes; quoniam potius auctoritate, quam ornato dicendi modo hoc meum institutum comprobare sum ausus. Posteris concedo, qui talia ornatis sententiis proponant. Vale. *Igitur in hoc Vitæ ac miraculorum compendio potissimum commendanda est auctoritas, quæ in decursu opusculi identidem elucet ex citatis veterum documentorum testimoniis, quibus auctor margines opplevit. Tamen in hac editione nostra omittam frequentes illas processuum citationes, quia jam dudum typis excusæ, longoque usu et fide candidi viri satis probatæ sunt.*

et assignat authentica documenta,

19 *Denique laudatus biographus paginis sequentibus prologi sui asserit in juridico Processu ad beatificationem vel canonizationem* B. Claræ *trecentos et septuaginta testes examinatos fuisse, et hac de re coram summo Pontifice factam esse relationem, quæ sic sonat:* Proposito dudum in B consistorio coram Sanctitate vestra, Pater sanctissime, pro parte venerabilium patrum Spoletani, Assisiatis, et Fulginatis episcoporum, collegiorum et conventuum, et universitatum Perusinæ, Spoletanæ, Fulginatis, et multorum castrorum, villarum, et locorum Spoletini Ducatus, quod recolendæ memoriæ Clara prædicta, dum viveret, nitore sanctitatis emicuit, coruscatione resplenduit, ac multis magnis tam ante quam post suum obitum [miraculis] coruscavit, ad famam prædictorum supplicatione facta pro parte ipsorum, ut placeat Sanctitati vestræ facere inquiri, et reperta veritate de prædictis, ipsam Claram catalogo Sanctorum adscribere, ipsamque facere per universas ecclesias honore congruo solenniter venerari; Sanctitas vestra a me Neapolione sancti Adriani Cardinale, qui a fide dignis et juratis personis apud Sedem Apostolicam super prædictis de vestro mandato inquisivi et retuli, informatione recepta, commisit et mandavit per Apostolicas litteras venerabilibus patribus Perusino et Urbevetano episcopis, ac magistro Reinaldo de sancta Arthemia, Canonico Petragoricensi cappellano C nostro, nostrique palatii auditori causarum Ducatus Spoletani Rectori, ut ipsi vel duo eorum in locis, ubi expedire viderint, de vita, conversatione et miraculis Claræ prædictæ, ceterisque circumstantiis negotium hujusmodi contingentibus, juxta formam, quam eis sub bulla vestra transmisistis inclusam, inquirerent veritatem, et quæ invenirent in scriptis redacta. sub testimonio sigillorum suorum per viros idoneos ad Sedem Apostolicam destinarent; et eisdem Commissariis de bonis dicti monasterii per alias vestras litteras certum salarium statuistis.

ex quibus suam Actorum synopsin excerpsit.

20 Qui episcopus Perusinus et magister Reinaldus rector Spoletani Ducatus, commissarii supradicti, receptis præfatis litteris, in loco dicti monasterii de Monte-Falco prædicto, anno Domini MCCCXVIII, die VI mensis Septembris, per magistrum Berengarium de sancto Affrioano syndicum et procuratorem et procuratorio nomine dictorum episcoporum, prælatorum et Capitulorum ac universitatum cum suis procuratoriis et syndicatibus præsentatis, ac præs ito ab ipso Berengario de calumnia et veritate dicenda solemniter juramento, productisque articulis et testibus infrascriptis, receperunt loco et tempore suprascriptis et subsequenter pluribus aliis diebus et locis testes, omnibus computatis, trecentos septuaginta et ultra, et cum gravi comminatione pœnarum eos jurare fecerunt, ut supra articulorum generalitate, et supra vita, conversatione, et miraculis Claræ prædictæ, et super toto negotio de his, quæ scirent, sine admistione alicujus falsitatis, puram et meram dicerent veritatem, remoto omni odio, timore et amore, et ceteris, et eos examinaverunt, ipsorum dicta per publicos scribas suos in scriptis redigi facientes ad mandatum etiam ipsorum commissariorum magister Berengarius procurator prædictus juravit dicere veritatem et quid crederet, et quid sciret de vita, conversatione et miraculis dictæ Claræ. Prædictorum autem omnium dicta juxta vestræ Sanctitatis mandatum in scriptis per notarios redacta et sub eorum sigillis inclusa, fecerunt inquisitores prædictæ vestræ Sanctitati per nuntios præsentari, et per suas litteras vestræ Sanctitati rescribunt et referunt, se numquam perpendere potuisse aliquod, propter quod posset aliqua haberi suspicio contra testes prædictos, et deventum fuisse in præfato negotio cum omni puritate ad Processum. *Post hæc Mosconius recitat ordinem examinis et Mss.* E *Codicum, ex quibus desumpsit compendium Vitæ, quod post hunc Commentarium prævium recudemus.*

§ III. Argumenta, quibus PP. Franciscani hanc beatam Virginem tertio suo Ordini adscribunt.

Waddingus refellit eos, qui asserunt,

Varii scriptores Franciscani hanc beatam Virginem tertio Ordini suo vindicant, quamvis in diversas vias abeant, ut illam opinionem suam probent, quemadmodum Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi 1308 *num.* 67 *testatur his verbis:* Præter Scotum mortua est etiam hoc anno XVI Kalendas Septembris beata et miraculosa virgo Clara, oppido Montis-Falci, sito in alto colle Vallis Spoletanæ, e regione civitatis Fulginei, oriunda. Multi ex nostris, magno conatu, tertio S. Francisci adscribunt instituto, neque tamen inter se conveniunt. Aliqui volunt, sub hoc eodem semper vixisse et F obiisse; divisis tamen inter se sanctimonialibus, post Claræ mortem monasterium, quod ante fuerat Franciscanum, evasisse Augustinianum. Alii vero admittunt, sub regula sancti Augustini militasse; sed in habitu sancti Francisci incessisse, eique nomen dedisse: licet enim, inquiunt, sub alicujus sancti regula quis vivat, non tamen sequitur, ejus adscribendum esse sodalitio; sicuti neque Fratres Prædicatores dicuntur ex Ordine S. Augustini, neque aliæ plures Religiones, quia sub ejus regula militant; neque illæ, quæ sancti Benedicti servant instituta, ab eo denominationem accipiunt. Alii demum sub initio suæ vitæ in primo reclusorio vixisse volunt juxta instituta tertii Ordinis; deinde in monasterio sanctæ Crucis, a sorore erecto, cum ceteris sociis S. Augustini regulam et vitæ normam accepisse a Gerardo Spoletano episcopo.

hanc B. Claram in tertio Ordine S. Francisci vixisse ac mortuam esse,

22 Ego fateor, nihil certum aut firmum in hac re me potuisse invenire, per quod nostris adscriberem Virginem sanctissimam; imo expresse et clare constat, tum ex Processu vitæ, tum ex compendio ejusdem, ex bullis Pontificis Joannis XXII,

XXII, paucis [annis] post ejus mortem datis, et ex Vita biennio post decessum per Berengarium Africanum Vicarium Spoletanum concinnata, atque ex aliis monumentis, eam observasse regulam sancti Augustini, a Gerardo episcopo etiam Spoletano acceptam, sub eaque militasse annis decem et octo, ut mox ex Actis et summario Processus subjungam. Unde primum nostrorum assertum subsistere non potest, illam scilicet Franciscanam fuisse, et post ejus mortem monasterium Augustinianum evasisse.

et tamen quibusdam ratiunculis contendit,

23 Quod vero ad secundum et tertium attinet assertum, aliquanto videntur probabile reddere antiquæ imagines et picturæ per universam Vallem Spoletanam et Umbriæ provinciam palam expositæ, quarum aliquas ipsemet vidi anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, dum Perusium proficiscerer; unamque accepi ab amico vetustissimam. Imo et in propria ecclesia, in qua sanctissimum jacet corpus, in ipso pariete ejus effigiem sub hoc habitu et scapulario Franciscano conspexi. Adde, non sine omni fundamento aut absque aliqua hujusmodi ratione beatæ Virginis B sanctissimum corpus inter moniales Augustinianas conditum, in monasterio posito in conspectu Augustinianorum Fratrum, proxime habitantium asservatum, per plurimos annos habitu contectum et indutum Franciscano, donec anno MDLXXVII sub Pontificatu Gregorii XIII decretum fuit per illustrissimos dominos Cardinales, interpretationi decretorum sacri concilii Tridentini præpositos, UT RESTITUERETUR EIDEM CORPORI HABITUS ORDINIS SANCTI AUGUSTINI, NECNON PICTURIS ET IMAGINIBUS DE EA FACTIS APTARETUR HABITUS ET COLOR, QUI EIDEM ORDINI CONVENIAT. Et qua constitutione aperte infertur, per illud tempus corpus contectum fuisse habitu Franciscano, et eumdem expressisse imagines.

eam sub tertia regula S. Francisci militasse,

24 Ad hæc adde, haberi in vetusta Legenda Italice ab auctore anonymo scripta, et per Antonium Philotheum Homodei Siculum correcta, sanctissimam Virgunculam, dum in reclusorio S. Illuminati prope carceres S. Leonardi in tenera ætatula moraretur, pœnitentem vitam duxisse, ex eleemosynis vixisse, habitum despectum, scapularium et caputium portasse, quæ potius Franciscano habitui conveniunt, quam Augustiniano. C Imo potius superius ostendi, sectatoribus tertii instituti S. Francisci familiaria fuisse hujusmodi caputia, dum de S. Ludovico rege et de beato Ivone suis locis tractavi. Neque vero legitur hunc habitum mutasse, quando regulam S. Augustini suscepit observandam; sed retinuisse, uti expresse asseverat Frater Antonius a Monte-Falco beatæ Virginis concivis in Legenda, quam de eadem conscripsit anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, cujus autographum mihi transmissum fuit ex monasterio Montis-Lucis apud Perusium, in qua etiam ait, grandævos viros sibi dixisse, quod viderint socias ejusdem sanctæ Virginis sub eodem habitu leucophæo et scapulario.

priusquam regulam S. Augustini amplexa esset,

25 Minus verum fortassis alicui videbitur hoc assertum, tum quia testis domestici videlicet Minoritæ; tum quia singulare reputabitur, ut sub habitu Franciscano, Augustini vero regula militaverit. Fuit sane domesticus auctor Legendæ, vir tamen omni exceptione major, per Umbriam, vicinas regiones, et in ipsa Urbe a doctrina, a pietate, a publicis muniis, et vicariatus generalis officio omnibus notus, omnibus charus, uti alias largius dicemus. Deinde non ita singulare aut insolitum est, quasdam personas sub D habitu unius Religionis et regula alterius incedere, ut etiam hodie non fiat. Ut omittam omnia ferme primæva monasteria Clarissarum, quæ sub habitu Franciscano et regula S Benedicti inceperunt, ut videre est in primo tomo nostrorum Annalium et registro ejusdem, nonne omnes sanctimoniales Ordinis S. Dominici sub habitu Dominicano et regula vivunt Augustiniana? Et Neapoli duo subsunt regimini Minorum regia monasteria sanctimonialium, utpote sanctæ Mariæ Magdalenæ, et sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, quæ chordam seu cingulum portant S. Francisci; sed regulam profitentur S. Augustini. In monasterio de Vedano urbis Mediolanensis Ordinis S. Augustini major pars monialium incedebat in habitu S. Claræ sub regula S. Augustini, donec post aliquot annos separatæ sunt a minori parte, quæ Augustinianum habitum et institutum præferebat, et regulam susceperunt S. Claræ ex præscripto Eugenii IV, concesso eis pro sua habitatione monasterii dimidio, prout sub anno tertio Nicolai V alias largius referemus. E

et illam opinionem suam timide probat;

26 Similiter evenit in monasteriis aliis, quæ passim nos suis temporibus lectori offeremus. Sed et hoc ipsum monasterium Montis-Falci suas passum esse vicissitudines circa habitum exteruum, constat ex gravi lite, orta sub Sixto IV et Innocentio VIII inter Constantium episcopum Spoletanum ac Generalem Ordinis S. Augustini, et quasdam Claram, Constantiam ac Bartholomæam pro monialibus dicti monasterii sanctæ Claræ de Monte-Falcone se gerentes, ex una parte, et abbatissam ac ceteras moniales prædicti monasterii ex altera, circa quasdam litteras a prædicto Innocentio concessas pro habitu mutando et deferendo Fransciscano, quas una pars prætendebat fuisse subreptitias. Duravit longo tempore contentio, et processum est usque ad gravissimas censuras et etiam oppidi interdictum. Tandem dum ulterius procederetur coram Guilielmo de Perrenis, causarum Apostolici palatii auditore, commissa est causa Juliano episcopo Ostiensi, sancti Petri ad Vincula nuncupato, et Raphaëli sancti Georgii ad Velum aureum Diacono, Cardinalibus Ordinum S. Francisci et S. Augustini protectoribus, qui re mature discussa, asperam contentionem F tandem reduxerunt ad suavem concordiam, præmissa per ipsum Pontificem suspensione censurarum usque ad festum Nativitatis Domini. Acta sunt hæc anno MCDXCI, ut sub illo tempore ex ipso diplomate et litteris virginalibus opportunius et amplius producemus. Hinc ergo suspicer, fundamentum suscepisse BB. Cherubinum de Spoleto et Bernardinum de Feltro, nec non Michaëlem de Mediolano, qui ante centum et plures annos floruerunt, ut alios taceam recentiores, sacram hanc Feminam Franciscanis adscribendi, non quod regulam professa sit sancti Francisci, sed quod vestem ejus aliquando fortassis gestaverit, et sub eo sanctissimum viderint cadaver, donec multis post annis ex decreto præfato Cardinalium obductus sit habitus Augustinianus. *Ex his omnibus ibidem Waddingus sic timide concludit:* In rebus incertis nihil ausim definire, præterquam quod Augustiniana fuerit professione, an item et nigra veste, nihil invenio firmum aut certum, quo aperte probetur, et adversæ refellantur conjecturæ.

sed postmodum novis argumentis instructus

27 *Postea tamen auctor ille animos resumens, et novis documentis instructus, ut ait, in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1491 *num.* 65 *post*

A *post narratas varias monasterii sanctæ Crucis vicissitudines ita scribit* : Hoc tempore multisque annis consequentibus in eo monasterio corpus beatæ Claræ Montis Falci habitu Franciscano obductum conspiciebatur, eaque veste Virginem sibi apparuisse, et a morbo, quo vehementer afflictabatur, mirabiliter liberasse, testata est nobilis heroïna Maria Emanuel Comitis sancti Stephani filia, Alvari de Bassano Marchionis sanctæ Crucis lectissima conjux. Quare beneficium aliqualiter compensatura ad Montem-Falcum profecta pretiosam thecam crystallinam, repagulis vectibusque argenteis compaginatam, corpori condendo, habitumque sericum cineritii coloris eidem operiendo anno MDLXXVII die x Aprilis donavit. At dum habitus hic removeri tentatur jussu Fulvii Ursini episcopi Spoletani, magnæ oriuntur contentiones inter Franciscanos et Eremitas Augustinianos, contendentibus utrisque non alia quam sua veste contegi debere; eodemque anno die XVII Octobris prodiit decretum sacræ Congregationis interpretum concilii Tridentini statuentis, ut alias dixi, reddi deberi sancto corpori
B habitum Augustinianum. A quo tempore obvelatum fuerit habitu Franciscano, nemo est qui referat. Certum est, non nisi tantorum principum auctoritate potuisse auferri. Quid in suæ causæ tutelam tunc produxerint Franciscani, nescio. Scio certocertius, quod licet regulæ professione Virgo fuerit Augustiniana, eam Franciscanis fuisse multis vinculis adstrictam.

eamdem litem renovat,

28 In primo reclusorio sanctæ Illuminatæ sub habitu et conversatione tertii Ordinis sancti Francisci semper vixit, donec in monasterio sanctæ Crucis ab episcopo Spoletano regulam accepit sancti Augustini, quod et ipse Baptista Piergilius; illius monasterii pridem confessarius, * et oppidi Montis-Falci Vicarius foraneus, qui nuper sanctissimæ Virginis Vitam diffuse conscripsit, summoque studio Augustinianam descripsit, ex processu Actisque Virginis a se lectis liberrime concedit. Ille idem confessarios in monasterio sanctæ Crucis sub regula sancti Augustini eam habuisse Franciscanos, quorum plerosque enumerat, lubens fatetur; morienti non alios quam duos adstitisse Franciscanos, Thomam confessarium, quem perperam Thomas de Herrera noster amicus in suo Alphabeto Augustiniano sui conjicit esse
C instituti, et Franciscum fratrem germanum enarrat. Laudes ejus in funere pro concione celebravit Jacobus Goutius lector Franciscanus : explorandis mysteriis, instrumentisque Dominicæ Passionis in corde repertis, adsciscitur F. Massæus Guardianus Fulginas. Processui de vitæ sanctimonia et miraculis auctoritate Apostolica formando datur initium anno MCCCXVIII in ecclesia Minorum, assessoribus Francisco Damiani custode Tudertino Virginis fratre, et Francisco Mevantulo Mevaniensi, Guardiano Montis-Falci. Processu Avenionem perducto, aperiendo et examinando successive tres fuere designati Cardinales Franciscani, Vitalis de Furno, tituli S. Martini in Montibus; Reginaldus episcopus Ostiensis, Bertrandus alter, episcopus Tusculanus. Præcipui in Actuum codicibus seu Processibus, qui virtutes et miracula testificantur, compellantur Franciscani; nullus per omnes libros aut Processus nominatur Augustinianus.

et sententiam Franciscanorum

29 Sub mortem apparuisse illi sanctum Franciscum, cujus amore semper flagrabat, eamque dixisse : ECCE SANCTUS PATER FRANCISCUS, habetur in Processu, apud moniales sui monasterii conservato, licet recenti charactere, nimiaque manifesta mutatione conspiciatur sancti FRANCISCI nomen in AUGUSTINI mutatum. Unde Piergilius, ut vetustæ scriptioni et recenti correctioni sive corruptioni calamum accommodaret, dixisse narrat : ECCE PATER S AUGUSTINUS; ECCE SANCTUS FRANCISCUS. Ac multum hoc discrepat a contentis in Processu. Sincerius et fidelius cecinit Achilles Ægidius, nobilis Montis-Falcensis, qui visis processibus, carmine heroïco totam Virginis Vitam composuit, imposito titulo Clareidos. Ita porro visionem expressit :

Sanctorumque Dei cælesti lumine fulgens
Visus adesse chorus, quos inter signifer ille,
Stigmata sacra ferens, aderat; cui talia Virgo :
Mi Francisce Pater, celso delapsus olympo
Quam mihi pulcher ades! famulam ne desere vilem,
Aspice me famulam suprema in morte natantem
Atque tuo sub præsidio patrocinioque tuere.

AUCTORE G. C.

Nihil ergo mirum, si per Vallem Spoletanam passim conspiciantur imagines habitu Franciscano; sed et in ipsa, in qua jacet, ecclesia, uti alias monui, ab anno MCCCXXXIII ita omnibus pro- E stat ejus imago. Eam sub isto habitu tunc ibidem prope suggestum curavit depingi nobilis vir Joannes de Amelio, Rector Ducatus Spoletani; at maleferiatus aliquis tentavit cultro vel ferro chordam sive funiculum nodosum eradere, quod tamen non ita obtinuit, ut in hodiernum diem et præcincta chorda et intenta fraus aperte non dignoscantur. In ecclesia Franciscanorum Conventualium illius oppidi circa annum MCDL celebris pictor Bennotius Florentinus suo penicillo sub hac veste illam effigiavit, multique alii alibi similiter expresserunt.

lectori confidentius persuadere nititur.

30 *Waddingus ibidem num.* 68 *aliud argumentum desumit ex magno codice Processus, in quo de vestibus istius sanctæ Virginis hæc haberi asserit* : Sana existens unam solam tunicam et eam rudem de gattinello portabat. *Deinde ex illa panni specie infert*, S. Claram *indutam fuisse veste, qualem gestant Minoritæ, quibus tunica de gattinello præscribitur. Denique ex his omnibus ratiociniis suis deducit sequentem conclusionem* : Non itaque absque omni prorsus fundamento Franciscani aliquam sibi vendicarunt partem in præclarissima ista Virgine, dum a pueritia et in F ipso virtutis exordio sub illorum veste et magisterio instructa sit : dum etiam sub instituto S. Augustini consiliarios et confessores habuerit Franciscanos; dum item præcipuos suæ famæ et gloriæ promotores senserit eosdem. Habeant pacifice pretiosum hunc thesaurum, exultent merito tanto sui instituti ornamento Patres Augustiniani : at liceat et aliis exultationis esse participes, qui fuerunt et instructionis; liceat etiam Franciscanis aliquando suam dicere, quibus tot suppetunt tituli quoquo modo eam sibi vendicandi. Concedunt, qui exactius de illa scripserunt, saltem donec in monasterio sanctæ Crucis regulam suscepit Augustinianam, Franciscanam habitu fuisse et conversatione; nec post susceptam illam regulam affectum deposuit erga Franciscanos, aut eorum abhorruit instructionem. Ut quid ergo non possint illi aliqualiter dicere suam, aut sub suo habitu depingere, quæ illum portavit, non secus ac Canonici Regulares sancti Augustini sanctum Antonium Ulyssipponensem Augustinianum depingunt, etsi postea evaserit Franciscanus. Hæc habes, quæ ex fidis tabulis et certis monumentis post editum tertium tomum, ubi de sanctissima hac

AUCTORE G. C.

hac Virgine sermonem institui, mihi subministratis, lectoris exponerem judicio, suspicor, deinceps dicturum non adeo inanes fuisse hactenus Minorum conatus circa jus aliquod in tanta Virginis gloria sibi vendicandum. *His relatis pro una parte, nunc argumentum alterius partis audiamus.*

§ IV. Responsa, quibus PP. Augustiniani argumenta PP. Franciscanorum refellunt.

Scriptores Augustiniani Waddingum

Joannes Marquezius Hispanus in Origine eremitarum Ordinis S. Augustini cap. 25, et Simplicianus a sancto Martino Gallus in Historia Sanctorum ejusdem Ordinis pag. 553 et sequentibus, aliique scriptores Augustiani passim rotunde negant, in monasteriis seu reclusoriis, in quibus hæc* B. Clara *vixit, tunc regulam tertii Ordinis Franciscani usitatam fuisse.* B *Hinc R. P. Cornelius Curtius in Vita istius Beatæ, quæ anno 1636 Coloniæ recusa est, num.* 13 *sic scribit :* Rite itaque ordinatis atque ornatis virginum habitaculis, de certa quoque vivendi methodo, quam assumerent et tenerent perpetuo, consuli cœptum. Hactenus enim judicium et imperium antistitæ norma vitæ illis fuerat. Placuit tandem celebris et recepta in plerisque cœnobiis magni Patris Augustini regula, quam et Gerardus Spoletinus episcopus pro sua auctoritate sartam tectamque ab omnibus in posterum servatum iri voluit. *Diploma istius episcopi, quod anno Christi* 1290 *datum est, infra in Actis beatæ Virginis num.* 14 *et* 15 *referetur. Cum igitur Augustiniani hac negatione præcipuum contrariæ opinionis fundamentum suffodiant, Franciscanis incumbit probare, ante annum Christi* 1290, *quo regula S. Augustini ab illis virginibus recepta est, in monasterio sanctæ Crucis aut aliis vicinis cœnobiis tertiam regulam sui Ordinis observatam fuisse.*

variis modis refutant

32 *Neque illud fundamentum satis stabilitur* C *ex eo, quod* S. Clara *et ejus sodales conscientiam suam Franciscanis dirigendam committerent : facile enim potuerunt virgines istæ, priusquam assumpsissent regulam S. Augustini, secundum pias quasdam consuetudines vivere, et directores habere Franciscanos. Hoc nemo diffitebitur, ut opinor, cum Waddingus supra num. 25 asserat, Neapoli a Minoritis gubernari duo sanctimonialium monasteria, quæ tamen regulam S. Augustini profitentur. Quinimo deinde num. 28 addit, in ipso sanctæ Crucis monasterio illam Franciscanorum directionem post susceptam S. Augustini regulam etiam perseverasse. Non existimo, moniales illas Neapolitanas, atiasve similes, quæ subsunt regimini Minoritarum, propterea Ordini Franciscano adscribendas esse. Certe sancta Teresia non nisi Ordini Carmelitano annumerari potest, etiamsi varios ex aliis Religiosis familiis confessarios aut directores sibi elegerit. Itaque Franciscanis probandum superest, virgines illas in Monte-Falco vel vicinia tertiam S. Francisci regulam ex præscripto superiorum aut communi consensu servasse, quod Augustiniani inficiantur.*

et cum Piergilio,

33 *Hic aliquantulum liberatior fuit D. Baptista Piergilius, et forte Franciscanis plus concessit, quam Augustiani velint : nam in Vita Italica* S. Claræ *part,* I *cap.* 15 *sponte admittit,* D *Joannam rectricem forsitan consuetudines aut leges domesticas ad tertiam S Francisci regulam conformasse, ut in sua congregatione ordinatus quidam vivendi modus observaretur. Sed statim addit, virgines illas hanc vivendi normam sine ulla obligatione usurpasse, et rectrici suæ sine voto obedientiæ humiliter obedivisse, quemadmodum ex authenticis testimoniis et Actis colligi affirmat. Quamvis hoc loco Piergilius nimium Franciscanis concedere videatur, tamen nos etiam gratis demus, illam virginum congregationem ante annum* 1290 *pterasque consuetudines tertiæ S. Francisci regulæ conformes habuisse. An inde sequitur,* S. Claram *ejusque socias Ordini Franciscano accensendas esse? Si Franciscani id velint, igitur non immerito Antonius de Heredia Benedictinus ad diem* XII *Augusti inter Sanctas Ordinis sui recensuit* S. Claram *Assisiatem, eo quod hæc virgo sub initium conversionis suæ in monasterio Benedictino vixerit, et maxima ex parte regulam sancti Benedicti observaverit, ut tomo* 2 *Augusti in Opere nostro pag.* 742 *et* 743 *ostendimus, ubi tamen hanc Benedictinorum quorumdam prætensionem rejecimus. Demum jure* E *Benedictini vindicabunt Ordini suo* omnia ferme primæva monasteria Clarissarum, quæ sub habitu Franciscano et regula S. Benedicti inceperunt, *ut Waddingus supra num.* 85 *diserte fatetur.*

qui ab omni partium studio remotior videtur,

34 *Possem hoc loco colligere multa argumenta, quæ scriptores Augustiniani Minoritis opposuerunt, et ea facile mutuari ab Historia generali Ordinis S. Augustini, quam R. P Ludovicus Torellus Italice conscripsit, et in qua ad annum Christi* 1290 *a num.* 70, *sive tomo* 5 *istius Operis pag.* 106 *et sequentibus omnia R. P. Waddingi argumenta solide refutavit. Sed potius pauca seligam ex laudato Piergilio, qui ab omni partium studio remotior censeri debet, cum numquam Ordini Augustiniano nomen dederit. Hic itaque auctor Italus in Vita* S. Claræ *part.* I *cap.* 14 *ex Berengario, qui duobus annis post felicem beatæ Virginis obitum conscripsit Acta ejus, refert hæc Latina verba :* Processu vero temporis loco prædicto, qui pro monasterio constructus fuerat, aliqualiter ordinato, Joanna rectrix prædicta, et aliæ illius loci dominæ a diœcesano unam de approbatis regulis petiere. *Diœcesanus sive episcopus, qui hoc loco memoratur,* F *erat Gerardus præsul Spoletanus, a quo Joanna rectrix, et soror ejus* Clara, *aliæ sodales anno Christi* 1290 *observandam acceperunt regulam S. Augustini, ut jam supra semel atque iterum diximus.*

argumentantur ad hominem,

35 *Verum jam ab anno præcedente Nicolaus IV Papa tertiam S. Francisci regulam approbaverat, ut Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1289 *num.* 48 *exponit his verbis :* Florebat hoc tempore tertius Ordo pœnitentium, a sancto Francisco institutus, mirum in modum, compluresque patritii viri ac principes eum habitum induebant, sanctasque leges amplexi magna voluptate ac religione illis subjiciebantur, et jam uberes tulit institutum fructus in tot utriusque sexus sanctissimis personis, quarum Vitas utroque tomo descripsimus. Proinde regulam eisdem a sancto Francisco traditam, quibusdam pro temporis et personarum conditione additis, Apostolico confirmavit diplomate hoc anno *(nimirum Christi* 1289, *de quo ibi sermo est)* Pontifex, quod communiter circumfertur, et habetur in Regesto Vaticano sub hac inscriptione : DILECTIS FILIIS FRATRIBUS ET DILECTIS IN CHRISTO FILIABUS, SORORIBUS

A SORORIBUS ORDINIS FRATRUM DE PŒNITENTIA TAM PRÆSENTIBUS QUAM FUTURIS. Regulam hanc nos dedimus inter cetera sancti Patriarchæ opuscula, et commentariis illustravimus asceticis.

et tum ex diplomate episcopi Spoletani,

36 *Ex his conficio sequentem ratiocinationem, quam ab eruditis mature expendi desidero. Si piæ virgines istæ usque ad annum* 1290 *sub tertia S. Francisci reguta vixerint, ut Waddingus contendit, cur illo tempore* unam de approbatis regulis petiere, *et cur episcopus Spoletanus anno* 1290 *regulam S. Augustini eis præscripsit, cum summus Pontifex anno præcedente tertiam regulam S. Francisci edito diplomate jam approbasset? Nonne præsul Spoletanus brevius facitiusque respondisset, regulam S. Francisci, quam hactenus observaverant, jam ab ipso Romano Pontifice approbatam fuisse, eamque retinendam assignasset? Adde, quod antistes Spoletanus satis innuat, virgines illas nondum sub certa et approbata regula vixisse, dum mense Junio anni* 1290 *ad eas inter alia sic scribit:* Sane pro parte vestra nobis est humiliter supplicatum, ut cum domus sanctæ Crucis et sanctæ Catarinæ de B Bottacio prope castrum Montis-Falci Spoletanæ diœcesis, in quibus sub regulari observantia placidum Deo disponitis impendere famulatum, satis ad locum Religionis habiles videantur, CERTAM regulam, et alia, quæ loco regulato conveniunt; vobis de speciali gratia concedere dignaremur. Nos igitur vestrum laudabile propositum in Domino commendantes, Christi nomine invocato, beati Augustini regulam vobis auctoritate præsentium duximus concedendam, quam per vos et alias Sorores, quæ in eodem loco fuerint pro tempore, volumus et mandamus perpetuo inviolabiliter observari. *Audisne, quod virgines illæ tantummodo disponerent vel cuperent,* sub regulari observantia placidum * Deo impendere famulatum? *Hinc sequi videtur, eas antea nondum* sub regulari observantia, *sed secundum leges quasdam domesticas sive consuetudines, vixisse. Denique cur Joanna rectrix, ejusque sociæ certam et approbatam regulam petiissent, si ab anno* 1289 *jam talem habuissent?*

* al. placitum

C *tum ex ipsis Waddingi rationibus*

37 *Waddingus supra num.* 22 *fatetur, ex antiquis instrumentis et Processu canonizationis constare, quod* B. Clara *octodecim annis regulam S. Augustini observaverit. Prælerea num.* 28 *asserit, istum Processum a Franciscanis promotum et examinatum esse. Attamen semper mordicus tuetur, hanc beatam Virginem habitu Franciscano indutam fuisse, et usque ad annum* 1290 *sub tertia regula S. Francisci militasse. Sed inde Piergilius Waddingum impugnat, et adversus eum Italice disserit hoc fere modo: Si* B. Clara *de Monte-Falco umquam tertio Ordini S. Francisci adscripta fuisset, haud dubie Franciscani, qui Processui canonizationis et examini testium interfuerunt, non permisissent, eam simpliciter nominari alumnam Ordinis S. Augustini; sed in authenticis istis instrumentis exprimi jussisent, illam a tertia reguta S. Francisci ad professionem Augustinianam transisse, ut aliqua pars veri splendoris, qui ex prima teneræ hujus Virgunculæ institutione oriebatur, in Ordinem suum redundaret. At in litteris Pontificiis, aliisque veteribus documentis hæc* B. Clara *tantummodo alumna* Ordinis sancti Augustini *appellatur. Itaque Franciscani illi coævi, inquit, qui in vita et post obitum* B. Claræ *præcipui actores fuerunt, hanc tertiæ regulæ Franciscanæ observantiam videntur ignorasse: rem enim Ordini suo tam gloriosam in Processu canonizationis non dissimulassent, si scivissent.*

AUCTORE G. C.

hanc beatam Virginem Ordini suo vindicant.

38 *Dum autem Waddingus affirmat* B. Claram *habitu Franciscano indutam in vetustis picturis repræsentari, Piergilius ei respondet, a se visas esse antiquissimas tabettas, in quibus hæc beata virgo habitu Augustiniano induta depingitur. Tum vero opinatur, hanc picturarum discrepantiam ortam esse ex dissidio monialium sanctæ Crucis, quarum plures seculo* XV *institutum et habitum* S. Claræ *Assisiatis arripere tentabant, aliis paucioribus professionem Augustinianam retinere volentibus, ut superius num.* 26 *ex Waddingo retulimus. Certe eo tempore facile fieri potuit, ut moniales sanctæ Crucis pro suo affectu incorruptum* B. Claræ *corpus nunc Franciscano nunc rursus Augustiniano habitu induerent, ac ita depingi jusserint. Quidquid hac de re sit, cum Augustiniani habeant principale, quod est professio, Piergilius ex vulgari axiomate concludit, accessorium sive habitum suo principali addendum esse. At ego non video, ex habitu quidquam adversus Augustinianam* S. Claræ *professionem evinci: nam teste Waddingo, moniales Neapolitanæ gestant chordam vel cingulum S. Francisci,* E *etsi regulam S. Augustini profiteantur. Non arbitror, propterea Franciscanos hæc et similia monasteria Ordini suo annumerare.*

Denique inferunt ex declaratione Gregorii XIII Papæ,

39 *Fortasse quispiam cum Waddingo objiciet,* S. Claram *in habitu Franciscano apparuisse nobili mulieri, quæ per ejus intercessionem morbo liberata ad Montem-Falconis perrexit, et præter alia dona ex grato animo obtulit vestem sericam cineritii coloris, qua corpus hujus beatæ Virginis operiretur. Sed respondeo, lites historicas ex revelationibus etiam sanctarum mulierum non esse decidendas, ut jam dudum Papebrochius tomo* VI *Maii a pag.* 246 *variis exemplis demonstravit. Præterea Gregorius XIII Pontifex et eminentissimi S. R. E. Cardinales non videntur hanc apparitionem magni fecisse, cum postea anno* 1577 *ediderint instrumentum, cui præfigitur hic titulus:* Declaratio sanctissimi domini nostri Gregorii divina providentia Papæ XIII, illustrissimorum et reverendissimorum dominorum S R. E. Cardinalium, decretorum sacri concilii Tridentini interpretum, F super controversia inter RR. PP. Augustinianos et Franciscanos de beata Clara de Monte-Falco, a reverendissimo domino episcopo Spoletano exsequenda.

qui corpus B. Claræ habitu Augustiniano indui,

40 *Deinde illa declaratio, per antistitem Spoletanum exsecutioni mandanda, sic sonat:* Reverendissime domine. Controversiam, quæ in hoc libello continetur, Sanctissimus Dominus noster illustrissimis Cardinalibus interpretationi decretorum sacri concilii Tridentini præpositis, cognoscendam commisit; qui, auditis sæpe utriusque Ordinis procurationibus, et quæ ab utraque parte adducebantur, mature ac decenter consideratis, postea rem totam ad ejus Sanctitatem retulerunt, qui etiam ex sententia ipsorum Cardinalium declaravit, beatam Claram a Monte-Falco esse Ordinis sancti Augustini, ideoque restituendum esse corpori ejus habitum dicti Ordinis, nec non picturis et imaginibus de ea factis aptandum esse habitum et colorem, qui conveniat eidem Ordini sancti Augustini. Tua igitur Amplitudo tam in civitate Spoletana, quam in ceteris diœcesis suæ locis hæc ita exsequenda sedulo curabit, et bene in Domino valebit. Romæ die XVII Octobris MDLXXVII. Amplitudinis tuæ

AUCTORE G. C.

tuæ, uti frater, Philippus Boncompagnus Cardinalis sancti Sixti.

eamque in imaginibus ita repræsentari jussit,

41 *Ex hoc publico eminentissimi viri testimonio patet, controversiam illam mature examinatam fuisse,* auditis sæpe utriusque Ordinis procuraroribus, *et haud dubie Franciscanos pro sua opinione tunc attulisse omnia rationis et auctoritatis momenta, quæ in favorem suum colligere potuerunt. Lis illa postmodum renovata fuit, et in tribunalibus ecclesiasticis Hispaniæ et Lusitaniæ secundum memoratam curiæ Romanæ declarationem rursus decisa est, ut ex authenticis documentis probat illustrissimus Antonius de Gouvea. episcopus Cyrenensis, post Vitam Hispanicam* S. Claræ *de Monte-Falco, quam anno* 1625 *Matriti excudi jussit. Cum itaque PP. Franciscani post sedulum utriusque partis litigantis examen causa ceciderint, gravissimis hisce illustrium virorum judiciis adhæremus, et sententiam PP. Augustinianorum longe probabiliorem putamus.*

hanc beatam Virginem Ordini Franciscano adscribi non posse.

42 *Quapropter hunc paragraphum concludimus verbis R. P. Thomæ de Herrera, qui in Alphabeto Augustiniano post elogium.* B. Claræ *ita scribit :* Litigatum aliquando pro Clara inter Seraphicum et Eremiticum Ordinem. Digna profecto
B Virgo, pro qua illustrissimi Ordines decertarent. Cessit tamen victoria Augustinianis anno MDLXXVII, et deinceps passim, publicis ecclesiasticorum principum decretis prohibentibus, Claram sub alio quam Augustiniano habitu depingi, vel alterius fuisse Ordinis affiuari. Et quidem manifesto jure a nostris certatum est : cœnobium enim sanctæ Crucis a primaria sua fundatione et dotatione Augustinianum fuit : et quæ moniales tempore Innocentii VIII illud ad Ordinem Clarissarum transferri intentarunt, uunquam in suis repetitis supplicibus libellis, quos omnes vidi, Pontifici exposuerunt, Claram vel illius monasterium sub divi Francisci regula aliquando militasse. Econtra vero Constantinus episcopus Spoletanius et Fratres Eremitani clamabant, injustum esse, sibi sine causa auferri cœnobium et virginem Claram, quibus semper præfuerat Augustinus. Duplex sane fuit Clara et utraque clarissima, propinqua tempore et patria vicina. Illa Assisii in Umbria,
C hæc Monti-Falchio in Ducatu Spoletano orta, et qui dividit omnia, prout vult, cuilibet ex his sacris Religionibus unam donavit Claram, qua totum Ordinem redderet clarum, et sanctitatis radiis illustraret. *Nunc ad aliam discussionem progrediamur.*

§ V. Tempus, quo Beata obiit, et sacra Dominicæ Passionis mysteria, quæ moniales cordi ejus impressa post mortem invenerunt.

Beata anno 1308 obiit quadragenaria,

Cum hæc beata Virgo quadragesimum ætatis annum attingeret, anno Christi 1308 *migravit ad Dominum, in cujus amore et obsequio ab ipsa pene infantia constanter perseveraverat, ut ex compendio Actorum infra edendo patebit. In hac* S. Claræ *ætate assignanda, et eodem mortis anno computando inter exactiores Actorum scriptores convenit. Unde corrigendi sunt Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XVII *Augusti et Marcus Ulyssiponensis in* D
Chronico Lusitanico Minorum part. 2 *lib.* 5 *cap.* 43, *qui tantum triginta tres vitæ annos huic beatæ Virgini adscribunt. Erraruni etiam in assignando obitus anno Cherubinus Ghirardaccius Augustinianus, et laudatus Marcus Minorita, quorum prior in Historia Bononiensi lib.* XI *pag.* 364 *mortem* S. Claræ *mensi Decembri anni* 1298, *et alter loco proxime citato eamdem anno Christi* 1299 *perperam affigit. Jacobus Philippus Bergomensis ex Ordine S. Augustini in suo Supplemento Chronicorum ad annum Christi* 1299 *etiam in hunc ultimum parachronismum incidit.*

statimque claruit miraculis,

44 *Jam pergamus ad posthumam ejusdem beatæ Virginis gloriam, de qua Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1308 *num.* 77 *hæc habet :* Post mortem miraculis clara omnes ad sui venerationem excitavit. Minorita quidam jussus prædicare in ejus exsequiis, oblitus thematis, quod pro funeralibus excogitavit, istud divinitus immissum proposuit : SECUNDUM NOMEN TUUM SIC ET LAUS TUA, universoque sermone non tamquam defunctam, sed tamquam virginem sanctam cohonestavit in magnam sui auditorumque admirationem. Illa vero inter alia prodigia puerum palearum E
cumulo oppressum, et duas mulieres, virumque unum aquis suffocatos ad vitam revocavit. Sauguis, qui ex corde ejus effluxit, in ampulla servatus ebullit cum grave aliquod urbi imminet infortunium. Ejus dies festus summa celebritate apud Montefalcenses colitur, nec non dies Inventionis sanctæCrucis, quem illa præcipua observabat solemnitate.


et in ejus corde inventa sunt sacra Dominicæ Passionis instrumenta,

45 *Maxime tamen hanc* B. Claram *celebrem reddiderunt mysteria Dominicæ Passionis, quæ moniales in corde ejus expressa invenerunt post mortem, et de quibus Cornelius Curtius Augustinianus in Vita hujus beatæ Virginis scribit sequentia :* Justis ritu Catholico persolutis, cælitus monitæ sanctimoniales in spem veniunt, latere arcanum aliquod mysterium in ejus præcordiis, quæ tam crebro ad sacram Passionis Dominicæ memoriam sensuum deliquium passa fuerat. Coire igitur omnes, et quid facto opus, maturo consilio deliberare. Placuit demum aperire corpus, et investigare, si quid forte præter uaturam istic reperiri queat. Francisca, cui plus animi et fidei erat, anatomiæ exercitium assumit. Secat corpus medium, et cor infantuli F
capite grandius invenit ; præter id, fellis sedem duriorem, quam fert ordo naturæ. Hic rursus hæsitare omnes, sollicitare Deum precibus et rogare, fasne sit ipsum etiam cor ferro scrutari.

quorum situs hic describitur ac repræsentatur.

46 Audendi auspicium visa est eadem Francisca quasi divinitus accipere, et piis ante fusis lacrymis, dividit istud in partes æquales. Et ecce, o rem inauditam ! parent omnia in eo Passionis sacra instrumenta (quod dictu quoque mirum) illæsa, et a sectione illa prorsus intacta. In dextera cordis parte Jesu Christi cruci affixi et vulneribus lividis signati figura videbatur. Pendebant ibidem ex tribus nerviculis, quasi filis, tres claviculi duri, acuti, nigri, quorum duo breviores ex breviori filo, longior tertius ex longiori filo viuciebantur. Juxtim erat alius nerviculus, cui cuspis ferruginea, dura et acuminata, qui lanceam ; et circulus tortuosus, hirsutus, aculeatus, qui coronam spineam referebat. Denique nerviculorum quædam multa rubea informis congeries, quam spongiam interpretabantur. *Hic obiter observo, coronam spineam, quam Mosconius et Curtius in dextera cordis parte ponunt,*

A *nunt, a Piergilio in altera collocari. Hæc differentia etiam patet ex imagine æri incisa, quam Piergilius Actis Italicis* S. Claræ *præfixit, et quam fideliter in minorem formam contraximus, ut hic vides.*



Cum Clara pectus explicat! Fulget Crucis mysterium.

Quidquid sit de vero hujus spineæ coronæ situ, laudatus Curtius narrationem suam prosequitur his verbis : In sinistra jacebat sindon aliquammultis guttulis sanguinolenta ; et flagellum ex quinque B nervicolis nodosis; et manica carnea ligno non absimilis ; item funiculi tabo atri : et propter ista nerviculus alius rectus, funiculis quasi circumseptus, qui columnam significabat. Porro simulacra hæc omnia , tametsi carnea essent , colorem tamen habebant et duritiem eorum, quæ repræsentabant.

Cum dæmon hanc posthumam B. Claræ gloriam occultare

47 *Etiamsi coram variis testibus hæc sacra Dominicæ Passionis mysteria in corde* B. Claræ *reperta fuissent, tamen invidus dæmon incitavit quemdam Petrum de Salomone, hæreticum ex secta Fratricellorum. qui hoc manifestum miraculum obscurare nitebatur, ut Piergilius parte tertia Vitæ Italicæ cap.* 8 *in hunc fere modum narrat. Igitur ille hypocrita et occultus hæreticus, teste Piergilio, sub falso religionis ac zeli titulo venit Spoletum, adiit Berengarium de sancto Africano, generalem præsulis Spoletani vicarium, eique dixit, fidem Catholicam et famam sui antistitis lædi, cum tam facile fabellis ac fictionibus monialium fides adhiberetur. Addebat, illa Dominicæ Passionis instrumenta, quæ cordi* Claræ *impressa dicebantur. solerti manu formari potuisse. Denique simulator ille calumniam suam* C *Vicario generali ita persuasit, ut hic statim cum indignatione ad cœnobium sanctæ Crucis perrexerit, moniales acriter objurgaturus, acsi istud miraculum confinxissent. Sed ex hac ista calumnia qua diabolus Posthumam* B. Claræ *gloriam tenebris involvere tentabat, major ejusdem Virginis honor eluxit, ut jam referemus.*

vel in dubium revocare niteretur,

48 *Mosconius in prolegomenis, quæ jam sæpe dicto Vitæ compendio præfixit, et veteri instrumento allegat sequentia* : Vicarius Spoletani episcopi, qui tunc erat, audito quod Passionis Christi mysteria erant in corde Claræ prædictæ reperta , suspicatus aliquod circa ea malitiose fuisse confectum, causa super his inquirendi cum indignatione venit ad monasterium, et ibi solemnium personarum multitudine congregata, tunc Claræ prædictæ cuncta insignia in ea adhuc recentia fecit in sua præsentia exhiberi; quæ diligenter et serio se inspiciens, palpans manibus, ac digitis stringens , per solertem investigationem cognovit , non per fictionem humanam sed miraculose per operationem divinam esse facta : propter quod indignatione deposita , ad civitatem Spoletanam reversus, habitis super his Capituli cathedralis ac Collegiatarum et aliarum ecclesiarum civitatis prædictæ Prælatorum ac rectorum, nec non multorum peritorum utriusque juris et Lectorum in theologia, communi deliberatione, consilio et assensu, super prædictis testes incepit recipere, ne in futurum memoria deperiret.

instituto severo illius prodigii examine,

49 Et ecce ipsi Vicario stanti quodam sero in medio chori episcopalis cappellæ sancti Joannis et super prædicto negotio cogitanti tres dæmones sub trium sperarum nigrarum similitudine pluries et pluries apparuerunt , eumque in tantum diversis suggestionibus induxerunt, quod negotium ipsum omittere, et, quod jam factum erat, statim ad suam cameram redeundo, comburere proponebat. Sed ejus mente a Deo erecta, subito Crucifixum inspiciens Vicarius ipse dixit : Domine Jesu Christe, tu scis, quod nedum pro ista Clara, quam nunquam vidi, nec scio, quæ fuerit; imo nec pro sancto Petro vel pro sancto Paulo, seu pro quocumque majori Sancto, qui sit in paradiso, ego nollem moveri, nisi in quantum tu velles, nec movere ad talia, nisi in quantum crederem tuæ voluntati placere. Ideo rogo te, Domine, ut tu ostendas mihi voluntatem tuam, et quid agere debeam super his. *Frustra quæsivi, quid hic* E *intelligatur nomine* sperarum nigrarum, *quæ Berengario pluries apparuisse dicuntur. Laudatus Simplicianus a sancto Martino in Actis Gallicis* S. Claræ *pag.* 548 *Operis jam supra citati ait, tres dæmones sub forma spectrorum horridorum Vicario isti apparuisse. An igitur hic apud Mosconium irrepserit error typographicus, qui etiam alibi frequenter in hoc compendio Vitæ occurrunt, et utrum pro* sperarum *forte legendum sit* spectrorum, *dubitari potest.*

invitus eam multo clariorem reddidit.

50 *Ut ut est, in eodem instrumento immediate hæc sequuntur* : Vix Vicarius ipse verba compleverat, et ecce virgo Clara prædicta apparuit induta quadam veste candida et fulgenti cum lamneis *(id est fasciis, ut ex sensu conjicio)* violaceæ sindonis ad spatulas et ad pedes, et cum frisiis et circumferentiis sericis diversi coloris circa ipsas lamneas, et per scissuras laterum et etiam manicarum, ita quod videbatur induta dalmatica, a lateribus non aperta, sed utrimque consuta. Caput autem ejus, pedes et tibiæ erant tecti illa veste, nec nudum aliquod apparebat in ea, et stabat ante altare cum genibus flexis orans. In ipso autem Claræ apparitionis ad- F ventu, in anima seu in mente ipsius Vicarii cum visitatione spirituali et delectatione maxima fuit dictum : Ecce Clara ; quando ei dicet ; vide quid habes frater. Intelligens ergo Vicarius et cognoscens Claram sanctam et virginem esse in gloria Beatorum, et quod voluntas Dei esset, eum pro isto negotio laborare, ex tunc fuit circa negotii prosecutionem intentus, et de persecutore factus est prosecutor. *Berengarius itaque, omnibus accurate examinatis, causam canonizationis* B. Claræ *aggressus est, et publice monstrari permisit sacra illa Dominicæ Passionis mysteria, ad quæ ingens populi multitudo confluxit. Sic crevit veneratio erga hanc beatam Virginem ex ipso dæmonis conatu, qui eam diminuere tentaverat.*

§ VI.

AUCTORE G. C.

§ VI. Posthuma Beatæ gloria ex aliis prodigiis, diuturna corporis integritate, et innumerabilibus beneficiis.

Sanguis ejus interdum mirabiliter ebullit,

Admirandis hisce Passionis Dominicæ mysteriis, quæ paragrapho præcedente memoravimus, adduntur alia prodigia sanctitatem hujus beatæ Virginis testantia, de quibus Joannes Nævius Augustinianus in Vita B. Claræ cap. 5 sive in Eremo Augustiniana pag. 379 sic scribit : Sanguinem quoque, qui e corde fluxit, eum illud divisum fuit, collegerunt Sorores in ampullam vitream et asservant; qui dum recens efflueret, odorem suavissimi balsami diffundebat. Hic, quando Ecclesiæ gravis aliqua tempestas imminet, fervere et velut ebullire cernitur, sicque denuntiat venturam tempestatem iræ Dei. *Supra laudatus Cornelius Curtius in Vita* B. Claræ *num.* 54 *post alia de eodem* B *sanguine ita meminit :* Tale etiam signum prognosticon non semel dedit sanguis, qui ex corde secto effluxit, et in ampulla vitrea juxta sacra Claræ lipsana asservatur. Auctor est Bosius lib. 2 de Signis Ecclesiæ, Signo 66 cap. 10, adeo ebullisse hunc sanguinem, cum Turcarum classis adversus Venetos exiisset, et Cyprum expugnaret, ut exundantes guttæ aliquot humum cruentarint. *Piergilius in Actis Italicis* B. Claræ *part.* 3 *cap.* 18 *plura hujus miræ ebullitionis exempla affert.*

et loco fellis inventi sunt tres globuli

52 *Porro Nævius cap.* 6 *ejusdem Vitæ, vel pag.* 379 *et sequente citati Operis, aliud Posthumum hujus beatæ Virginis prodigium memorat his verbis :* Vesicam fellis, quam fuisse duram superius diximus, jussit Berengarius Vicarius per chirurgos et medicos examinari; qui cum eam aperiuut, iuvenere in ea tres globulos coloris cineritii rubro aspersi, qui erant omnes pares magnitudine et pondere, durique instar silicis, jacebautque in ipsa bursula forma triangulari. Hi mysterium sauctissimæ Trinitatis desiguabant : sunt enim sibi invicem in C omnibus simillimi, et quod omnem admirationem excedit, unus par est pondere duobus, imo tribus. Si enim unum e tribus in lance una libræ posueris, et in altera duos, lances manent æquales, neutraque infra alteram subsidit. Si vero, uno iu una lance posito, in altera lapillum pouas, aut quid aliud, æqualis cum eo ponderis, adjeceris que dein duos alios in lance, in qua est globulus, stant lances immotæ, uti prius, neutraque vel ascendit vel descendit. Quod est miraculum perpetuum et manifestissimum unitatis quoad essentiam, et diversitatis quoad personas in sacrosancta Trinitate indicium. Ex his autem tribus globulis unus sua sponte comminutus fuit eo tempore, quo nuper Gallia hæresim suscepit Calvinianam, magnamque ruinam fecit in Ecclesia. *Isidorus Mosconius in Compendio Vitæ, post hunc Commentarium prævium edendo, et Cornelius Curtius in Actis* B. Claræ *de mirabili illa ponderis æqualitate et spontanea unius globuli divisione similia narrant.*

qui mysterium sanctissimæ Trinitatis designare,

53 *Jacobus Philippus Bergomensis Augustinianus in Supplemento Chronicorum, quod Brixiæ anno* 1485 *impressum est, diu ante illam unius globuli fracturam de iisdem prodigiis fol.* 287 *verso scribit sequentia :* Ea siquidem defuncta *(nimirum* B. Clara, *cujus elogium ibidem præmiserat)* in ejus corde statim Crucifixi imago clara et D aperta visa est cum ipsius Passionis insignibus, in quo etiam tres lapilluli ejusdem ponderis inventi sunt. Quod quidem evidentissimum sanctitatis indicium quidam fidelis et pius vates cernens, in laudem hoc carmen cecinit dicens :

Monte sata e Falco virgo sanctissima Clara.
Atque Augustini sacro perfecta, pudico
Usque adeo eum corde Deum venerata, diesque
Ae noctes Christi crucem tormentaque cuncta
Optavit sensisse, gerens ut lumine functa
Extremo, sit aperta caro, quæ presserat exta,
Iuque sacro Crux visa simul, tum laneea corde;
Tumque columna fuit, necnon post quæque flagellum.
Præterea juncti tres hujus felle lapilli,
Quorum vix possit cerni color : unius horum
Ponderis est tantum, duo quantum vel simul omnes,
Atque duo tautum tres juncti, quisque videre
Quæ queat, hujus adit patriam qui sedulus ædem.

E

et mirabilem ponderis æqualitatem habere dicuntur.

54 *Varii fide digni scriptores testantur, sese istam ponderis æqualitatem expertos esse, ut videre est in Vita Italica* B. Claræ *part.* 3 *cap.* XI *apud Piergilium, qui Deum testem invocans asserit, sua ætate in his globulis illud æquatis ponderis miraculum coram triginta et pluribus personis contigisse. Prudenter tamen ibidem in fine addit, hoc fortasse non semper eventurum, si quis ex mera curiositate periculum hujus rei vellet facere, eo quod secundum sacram Scripturam Deus sæpe mirabilia sua abscondat sapientibus et revelet ea parvulis vel humilibus.*

In hac beata Virgine

55 *Non minorem admirationem meretur corporis* B. Claræ *integritas, quæ hactenus incorrupta perseverat, et de qua laudatus Nævius in Eremo Augustiana pag.* 376, *sive in vita hujus Virginis cap.* 4 *mentionem facit his verbis :* Decessit autem anno Domini MCCCVIII postridie Assumptionis beatæ Mariæ Virginis *(verius secundo die post Assumptionem Deiparæ, cum die* XVII *Augusti obierit)* annos nata quadraginta. Corpus in suo monasterio tumulatum fuit, ubi etiamnum hodie integrum et musculosum asservatur, quasi recens depositum foret, totum candens, uti alabastrum. F Exhibetur spectandum peregrinis, illuc devotionis causa convenientibus, jacetque in choro monialium super altare, post summum altare anterioris templi, quod anno Domini MDCXXV ibidem vidi, et admiratus fui opera Domini stupenda.

diuturna sacri corporis integritas,

56 *Laudatus Jacobus Philippus Bergamensis in Opere de claris mulieribus, ubi cap.* 150 *ferme repetit ea, quæ ex ipso superius retulimus, ibidem in fine hæc addit :* Ejus quoque corpusculum prope divinum, quod quidem ipse vidi, in hodiernum usque diem nulla ex parte corrosum extat. Cum adhuc quamdam viventis rationem intuentibus præstet, omnes in admirationem et venerationem ipsius perfectionis suæque sanctitatis adducit. *Etiam Cornelius Curtius fuit spectator horum mirabilium, ut in Vita* B. Claræ *num.* 35 *indicat his verbis :* Porro inæstimabilem hunc thesaurum, sacrum corpus divæ Claræ, mysteriosum cor, omnia Passionis Dominicæ instrumenta, tres globulos, et eum, qui effluxit, sanguinem, etiamnum hodie integra servat et ostendit virginum Augustinianarum Monte-Falconiaum monasterium; quæ nos etiam gemino hoc obtutu plus

A plus simplici vice vidimus. *Denique Thomas de Herrera sese numerat inter oculatos hujus corporeæ integritatis testes, dum in Alphabeto Augustiniano pag.* 134 *post breve* B. Claræ *elogium ita scribit* : Vidimus et nos non semel sacrum Virginis corpus, illibatæ puritatis flore post tot secula mirabiliter incorruptum.

quæ adhuc perseverat, 57 *Nemo tamen ex his testibus oculatis tenerum animi sui affectum de hac visitatione magis graphice expressit, quam eminentissimus Ægidius Viterbiensis, ex Ordine PP. Augustinianorum ad purpuram Romanam evectus, qui apud Edmundum Martene in Collectione amplissima veterum scriptorum tom.* 3 *col.* 1234 *iter suum Seraphino amico exponit, et inter alia posthumam* B. Claræ *gloriam declarat in hunc modum* : Porro petii Tolentinatis brachia, et denique fidei nostræ unicam certitudinem Montis-Falconis virginem divinissimam, Religionis meæ decus, unicum et manifestum Christianæ argumentum rei. Fudi lacrymas ad ædem Lauretanam, fudi ad Nicolai monumenta; sed visis Claræ Virginis prodigiis, prope perii. Magne Deus! Quantum illa B cum Deo vivens potuit, quantum et mortua! Cum te videbo, mira intelliges. Crucifixi imago, lapilli tres, et adhuc vivus ac futuri conscius cruor non modo lacrymas excutiunt, sed animum et cor ipsum eripiunt. Taceo corporis pulcritudinem, quo habet mundus nihil elegantius, candidius, vivacius : obdormiscere verius dixeris, an convivere? Perterret spectantes ceu aliquid monitura, quæque præmonet populos omnia futura : et sæpe noctu civitatem percurrit, plerisque subinde visa. Alia coram. E Cymino die II Julii MDV. *In hoc epistolæ fragmento aliquid occurrit, quod rigide intellectum theologis displicebit. Sed hyperbole pii viri benigno modo explicari potest; et ferventi ejus devotioni nonnihil indulgendum est.*

et cum qua effigies Sanctæ conferri potest 58 *Ceterum si ex testimonio hujus eminentissimi Cardinalis corpus* S. Claræ *adhuc sit tam vividum, ut dumtaxat obdormiscere videatur, ab oculatis testibus judicium ferri poterit de effigie ejusdem sanctæ Virginis, quam hic exhibeo.*



VERA EFFIGIES S. CLARÆ DE MONTE-FALCO

Veteri prototypo hujus imaginis, quod ab annis centum et amplius R. P. Jacobo Tirino nostro datum est, Gallice subscribebatur: Hæc est vera effigies S. Claræ de Monte-Falco. *Nos illam hic dedimus eadem fide, qua invenimus, et interim de veritate hujus effigiei liberum judicium testibus oculatis relinquimus: nam Majores nostri, ex quibus duo corpus integrum* S. Claræ *anno* 1660 *viderunt, circa veram ejusdem formam nihil notarunt, ut ex sequentibus apparebit.*

59 *Inter alios innumerabiles oculatos horum prodigiorum testes etiam recensendi sunt duo ex decessoribus nostris, nimirum Godefridus Henschenius et Daniel Papebrochius, qui anno* 1660 *sacras hujus beatæ Virginis reliquias visitarunt, ut Papebrochius in Ms. Itinerario suo Romano pag.* 278 *et sequente notavit his verbis* : Die XIX Decembris circa auroram curavimus nos in viam versus Montem-Falconem deduci, tempestate utcumque nebulosa; unde deciduus humor ascensum montis, alias difficilem, nobis reddidit difficiliorem. Quo ubi pervenimus, continuo ivimus ad templum beatæ Claræ, quod extra oppidi mœnia insigni opere est de novo ædificatum; cujus in parte anteriori tres sunt arcus inter pilas coronidem sustinentes, supra quam justæ magnitudinis E fenestra; totidemque sub laterali fornice altaria utrimque, sed adhuc inornata, uti et reliquum templum, cujus chorus nescio an ædificatus sit. Alas certe utrimque vidi, et sinistram quidem odeo atque organo occupatam. Sub dextra vero præclarum ex gypso altare est ipsius divæ Claræ, sub cujus tabula post aram, in qua P. Godefridus celebraverat, ostensum nobis est intra parietem ipsius sanctæ Virginis corpus ab annis trecentis quinginta duobus adhuc integrum in argentea theca; sed cujus latus crystallinis esset fenestris perspicuum. *anno Christi 1660*

60 Ibidem duo parva reliquiaria monstrabantur, in quorum uno digitus sanctæ Annæ erat, a Cardinale Solimano donatus huic Sanctæ : in altero inclusa erat phiala cum eo sanguine, qui ex aperto post mortem corde defluxit. Et ipsum quidem cor, Passionis mysteriis insignitum, monstratum nobis fuit intra claustrum monialium, quod ad cornu Euangelii est in præclarissima pectorali effigie hujus Sanctæ, reducta argentea, quæ vestem pectus obtegentem efformat, lamina; mensuramque habet capitis infantilis. Ex eo F quædam partes notabiliores exemptæ servantur in præclari operis cruce, quæ juxta prædictam statuam in capsa præclare adornata constituitur, quoties hæ reliquiæ spectandæ exhibentur, quod non sine multo cereorum lumine fit, præsente semper monasterii vicario, qui nobis singulari humanitate linteatus inservivit, domino Joanne Fattiboni, Canonico Spellensi. Continet autem hæc in medio Crucifixum, ex carne Sanctæ efformatum in corde, ad pedem disciplinam seu flagellum æquale Crucifixo : in reliquis extremitatibus tres admirabiles globuli pendent, individuæ Trinitatis mysterium miraculosa ponderis sui æqualitate exprimentes, quorum qui ala crucis sinistra pendebat, etsi ex materia durissima, in quinque partes desilierat tum, cum Ecclesiæ unitatem Lutheranæ hæresis rabies discinderet. Illis omnibus cum veneratione visis auditisque, hospitium quæsivimus *etc. Vix dubito, quin interea perfectum sit istud templum, quod hi duo hagiographi Antverpienses anno* 1660 *nondum plane absolutum vel ornatum viderunt. Sed neque scio, utrum hæc sacra lipsana adhuc sita sint eodem loco, quo tunc Papebrochius ea descripsit.* *post innumeros alios ab Henschenio et Papebrochio conspecta est.*

Jam

AUCTORE G. C.

ac denique creba miracula sanctitatem hujus Virginis aperte indicant.

Jam pauca generatim præmonebo de beneficiis, quibus B. Clara *post obitum clientes suos affecit.*

61 *Torellus ex Vitæ scriptoribus asserit, spatio decem annorum trecenta et plura miracula patrocinio* B. Claræ *patrata esse, ut Augustinus Maria Arpe in Pantheo Augustiniano pag.* 129 *testatur. Unde mirum videri non debet, quod jam sæpe laudatus Cornelius Curtius paucis illis miraculis, quæ ex plurimis elegit, præmiserit hunc prologum :* Ea in numerum et papyrum hanc vocare non minus difficile mihi erit, quam littoris arenas cogere sub arithmeticæ computum. Mare beneficeorum Clara fuit, quibus abundavit et continuo velut æstu exundavit in homines, et cum inter mortales adhuc degeret, et postquam inter Indigites recepta est. Aliqua breviter hic in compendium referam, ex quibus, veluti ex ungue leo, sanctitas et Deo grata ejus pietas cognoscatur. *Deinde narrat singularia nonnulla, quæ etiam in nostro Vitæ compendio infra legentur. Piergilius in Italicis* B. Claræ *Actis multo plura ejus miracula collegit, et in varias classes divisit. Mihi non lubet hæc omnia Latine interpretari, tum quod Italica personarum et* B *locorum nomina propria non satis intelligam, tum quod præcipua in jam edendo. Vitæ compendio saltem breviter referantur. Nihil igitur superest, nisi ut memoratam Mosconii lucubrationem recudamus, eamque subinde a typothetis corruptam corrigamus et consuetis annotationibus illustremus.*

VITA

Auctore Isidoro Mosconio,

Ex vetustissimis codicibus, in monasterio sanctæ Crucis repertis, fideliter exstracta.

CAPUT I.

C *Pia Beatæ pueritia apud parentes, ratio vivendi sub regimine sororis suæ reclusæ, et varia virtutum exercitia.*

Beatæ patria, parentes, infantia,

Clara religiosissima virgo, cui ardens in Christi crucem amor, cordique crucis impressa mysteria de Cruce cognomen dedere, piis parentibus Damiano et Jacoba Monte-Falcone, Umbriæ oppido nata, sedente Clemente IV *a*, ita a prima ætate orationi dedita fuit, ut quatuor vix annos nata, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, multasque alias precationes flexis genibus, manibus complicatis, facieque ad Deum erecta, tanta animi pietate recitaret, ut omnibus admirationi esset. Quin potius, eum ob domestica negotia occuparetur interdum, ad D. Joannis Baptistæ proximum templum ardentius oratura convolabat. Precationibus crebra jejunia jungebat.

2 Ut autem sanctiorem precandi formam addisceret, Joannam sororem suam natu majorem, Christianæ pietatis officiis maxime deditam frequenter adibat, ac cum ea diutius orare consueverat. D Eam porro orandi frequentiam ita in tota vita retinuit, ut teterrimo humani generis hosti invisa esset; quapropter eam ab incepto cælestis vitæ tramite modis omnibus conabatur abducere : interdum enim blandis sermonibus, interdum clamoribus, interdum strepitu edito, interdum variis phantasmatibus spectrisque confictis, interdum etiam acrioribus minis puellam ab orandi consuetudine deterrere tentabat; adeo ut etiam muliebri suscepta forma, facieque larvata sic puellam alloqueretur : Cave tibi, cave tibi Clara : si enim imposterum cum Joanna sorore tua ad orandum accesseris, veluti sororem tuam Theodorutiam mulctabo te morte : Theodorutia enim vix nata interierat.

orandi studium exosum diabolo

3 Verum has dæmonis insidias despiciens Clara, majore studio acriorique contentione orationibus, vigiliis, jejuniisque operam dabat : somnique adeo continens fuit, ut raro lectulum dormitura conscenderet; sed humi cubaret, si quando eam somnus necessarius oppressisset. Imo vero cum ea ætate pueri delicatiores epulas lautioraque obsonia expetere soleant; ipsa hordeaceo E contenta pane sibi opipare epulari videbatur. Si quid vero condimenti adhibendum videretur, illud ex herbis silvestribus vitiumque surculis vel pampinis petebatur; sitim vero frigida aqua exstinguebat.

cum jejuniis et vigiliis.

4 Cum vero paulo post Joanna soror reclusorium illud, quod novum appellabant, prope carceres S. Leonardi: quo ferventius, omni terrenarum strepitu silente curarum, orationibus pietatisque officiis vacaret, cum quibusdam aliis virginibus esset ingressa, Clara nullum non movit lapidem, ut et ipsa in sacrum eum locum admitteretur, ubi optimi mores colebantur et vitæ probitas sanctitasque efflorescebat. Quoniam autem sacræ illæ virgines Joannam, Claræ sororem, sibi præsidem delegerant, cui obedientiam, paupertatem, castitatem, jejunia, pœnitentiam, orationem, silentiumque promiserant; Clara summis cum Joanna precibus egit, ut in sacrum illud contubernium reciperetur. Obstitit Joanna soror, voluitque sæpius exorari, et priusquam ejus voluntati faceret satis, animum diligenter examinare; neque enim licet ullo modo in hujusmodi claustra admittere aliquam, nisi ejus F voluntatem constantiamque, quasi aurum in igne probaveris.

Ejus in Sororis reclusorium

5 Cum igitur eo temporis perventum esset, quo Joanna frequentibus precibus victa sororem suam Claram receptura esset, divino plane consilio effectum est, ut quo die reclusorium esset ingressura, Thomas *b* episcopus Spoletanus interesset, a quo virgo quasi divina manu benedictionem acciperet. Hæc ubi Clara e sententia evenisse videt, quam diligentissime Deo gratias agere, unius integræ hebdomadis jejunium pro tanto beneficio persolvere, neque præter dimidium panem cum pomo degustare quidquam statuit. Accesserunt frequentes ad Deum preces, in quibus spiritus ardor effervescebat supra quam cuique credibile est : nam sæpenumero accidit, ut, dum oraret nocte, insolenti luce [fulgeret,] dum mane, nocturnis tenebris opprimeretur, non secus, acsi ipsi [lux et tenebræ] vicissim faverent, Deo dante *c*, sique ei fuisset integrum, totum plane tempus in ejusmodi negotio consumpsisset; quando ex ea re tantum in se jucunditatis redundabat, ut neque tenera ætas, neque virium imbecillitas retardaret : tam cupide enim divina consuetudine fruebatur

ingressus quam sanctus tam lætus :

A fruebatur, ut nullum prorsus doloris aut molestiæ sensum haberet.

castitas mira ab anno ætatis nono; 6 Illud hoc loco non omittam, quod cum beata Clara ætatis annum nonum ageret, a Joanna sorore sua præsido reprehensa fuit, quod dormiens, pedis partem nesciens detexisset. Hujus causa fuit, quod vigiliis orationibusque defatigata, inopinatoque somno correpta, pudori satis consulere non potuit. Ea autem ex re tantum animo mœrorem concepit, ut exiguam hanc conscientiæ labem, perinde ac si data opera accidisset, multis lachrymis gemitibusque laverit. Ideo imposterum hoc semper dormitura observavit, ut tunicam inter crura, ne caro carnem tangeret, interjiceret, tunicamque ad talos revinciret. Nulli umquam monialium permisit, ut sibi manus tangerent: si quam autem illarum succinctam videret, impudentiæ eam arguebat, dicens ne in obscuro quidem loco decere ullas corporis partes nudare, sed ubique servandam esse honestatem turpitudinemque pellendam. Quod ipsa sic observavit, ut ne medico quidem corporis ullam partem detegeret: visum B enim plurimorum malorum fontem esse dicebat, quia oculorum sensus acerrimus est animæ hostis; ideo id aspiciendum non esse, quod expetere non liceat

angelorum solatia, tentatio dæmonis; 7 Non defuerunt porro cælestia solatia, quibus animum recrearet: unde a Joanna sorore accepimus locum, in quo oraret Clara, mirifico sæpius fulgore illustratum fuisse; cumque mala corporis valetudine interdum laboraret, angelicis concentibus ita permulsam, ut pristinas vires recuperaverit. Quid igitur miremur, si (ut dictum est) dæmonis insidias et fraudes occultas non raro detexerit, quandoquidem divino fulciebatur auxilio? monuisse quidem sorores, ut sibi caverent, [si] appareret significasse item, quemadmodum fenestram vehementi strepitu concuteret, ut se timore afficeret; ut Præsidis falsam personam indueret, simulatorque veri pro boni documentis multam perniciem allatura suaderet, ut irato vultu minitabatur singulis, si quid loquerentur de Dei regno; ut per monasterium circumcursaret, quasi leo rugiens, prædam quæreret; ut levi cachinno monialium strepitu delectaretur. His rebus omnibus facile perspectis, ardentiori mente in divino cultu invigilabat magis, piisque C sermonibus sorores, cibo veluti quotidiano, nutriebat, docens imprimis, haud quidquam in hac vita melius optari posse conscientia integra, orationeque munita, præsertim vero si non vulgi plausum captaret, sed gloriam Deo quæreret.

silentium; 8 A quotidianis sermonibus tantum abhorruit, ut semel fregisse modo silentium in vita constet, idque effecisse, suadente matre Jacoba, quæ ipsam colloquendi gratia adiverat. Quo quidem veluti gravissimo scelere gravissime doluit, et sibi magni loco supplicii evenisse censuit; idcirco admissi erroris pœnas luit, dum in summo frigore asperrimaque hyeme, gelidas nives nudis pedibus comprimens, centenis vicibus summa animi demissione precationem Dominicam recitavit. Nefas erat a Completorio usque ad tertiam sequentis diei vel inter moniales ipsas colloqui. Qui monasterium frequentabant, magna cum difficultate ad suarummet filiarum colloquia admittebantur, neque præses, nisi urgeret necessitas, hujusmodi sermones concedebat: data facultate, ad ferreas crates se recipiebant, easque interno quodam panno (ne viderentur) obductas: aderat vero colloquiis una ex sororibus a rectrice commissa. Loquacitatem maxime detestabantur; sique occasio incidisset, parcissimis verbis suam exprimebant sententiam; quo autem tempore silentium erat indictum, divina animo mysteria pervolvebant. *A. Mosconio.*

abstinentia anno decimo ætatis 9 Tum iis Clara mirum in modum delectabatur, tantamque inde trahebat lætitiæ voluptatem, ut eam cibi multoties, quo tenui contenta erat, caperet oblivio. Hanc maxime horridam vivendi rationem edoctæ moniales, cœperunt quam maxime vereri, ne (cum præsertim decimum annum adhuc non excessisset) si in eadem persisteret, vires cum extremo spiritu relinqueret; quare verborum lenociniis, sororumque devicta precibus, ut fessum laboribus corpus reficeret, ovum semel degustavit absque Præsidis venia: quo facto, tantum postea mente dolorem concepit, ut multis diebus ingentem vim lacrymarum profundens, peccati labem (si qua esset) abluere potuerit uberrime. Quid? carnem, humanas quodammodo delicias, non gustavit solum; sed ne extremis quidem attigit digitis.

quam severa fuerit, 10 Hoc unum legimus, cum eam nimium vigiliis jejuniisque confectam videret, Joannam sororem præsidem edixisse pro imperio, ut frustum carnis, quod ipsa attulerat, sumeret ad re- E focillandas vires: quod etsi illa tunc temporis minime recusavit, non animadvertente tamen antistita, abjecit, ne a suæ vitæ instituto deflecteret. Postmodum cum se illius dicto minus audientem fuisse (ut par erat) agnosceret, gravi sollicitudine commota non prius quievit, quam cumulate pœnas luendo satisfecisset: victus eam tenuis cultusque delectavit; lautiores epulas vitavit, crebris id usurpans sermonibus: Cibo vescimur, ut vivamus; non ut fruamur; ut ex eo corpus sustentetur, non delectetur. Hinc facilis patuit aditus ad imbecillitatem virium morbumque contrahendum; in quem cum incidisset, desiderio ardebat (ut ægrotis assolet evenire) casiati (ita vocant quoddam cibi genus ex caseo farreque confectum) verumtamen maluit ipsa cupiditati imperare, quam parere: casiati loco panem petiit, in quo, ipsius testimonio, casiati saporem agnovit.

et cupiditas, quasi mortua. 11 Hisce rationibus animi sui cupiditates coërcebat. Virtus siquidem omnia domuerat; neque est, quod singulas illius dotes recensere velim, quando in omnibus ita profecit, ut cum longiorem F requirant orationem majoremque temporis copiam, silere melius sit, quam parum dicere. Erat enim pura, simplex, Dei metuens: a fraudibus, mendaciis, obscœnis voluptatibus, tamquam a pestifero veneno, abhorrebat; ita rationi subegerat partem eam, quæ variis motuum perturbationibus agitatur, ut utramque in Dei lege observanda occupandam curaret: in modestiæ, temperantiæque laude nemini concessit: nihil denique in ea deprehendisses, quod improbare; plurima, quæ commendares. Hujusmodi vitam agebat in reclusorio Clara, magis indies grata Deo; ceteris contubernalibus perjucunda, quæ divino incensæ spiritu, de alio cœnobio, certaque vitæ accipienda regula cogitabant.

ANNOTATA.

a *Puta anno Clementis IV Pontificis ultimo, sive Christi* 1268, *quamvis Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ nativitatem* B. Claræ *anno Christi* 1266 *affigat. Epocha anno* 1268 *mihi probabilior videtur, cum beata hæc Virgo secundum exactiores historicos anno Christi* 1308 *quadragenaria*

A Mosconio. *dragenaria obierit.*

b *Thomas iste ab anno Christi* 1271 *usque ad annum* 1278 *in cathedra Spoletana sedit, ut Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo* I *col.* 1263 *tradit. Ceterum Piergilius part.* I *Vitæ Italicæ cap.* 5 *illam* B. Claræ *receptionem anno Christi* 1274 *alligat.*

c *Hanc periodum a typothetis luxatam utcumque restituere conatus sum, ejusque sensum collegi ex Cornelio Curtio, qui in Vita Latina* B. Claræ *num.* 5 *eamdem rem describit his verbis*: Inter orandum uoctu fulgore cælico illustrata, interdiu densis tenebris circumstipata est; ut temporum varietas illi servire, et orationis molestiam, si quæ potuisset occurrere, levare divino præcepto jussa videretur.

CAPUT II.

Ibi fit abbatia cum regula S. Augustini, in qua sorori defunctæ sublecta sanctissime præest.

B

Novum extruitur monasterium anno 1281

Verum cum nihil ex consuetudine agerent, nisi prius Dei auxilio implorato, una omnes voce et animo instare, precari, implorare ejus opem, ut quid consilii capiendum esset, sua benignitate admoneret. Locus ergo divinitus Joannæ præsidi commonstratus est, ut nimirum ibi novam sedem collocarent ubi Christi Crux reperta esset: cum diu super ea re laborassent, complures tandem in colle Sanctæ Catherinæ Bottaccii, juxta mœnia oppidi, speciosam, fulgentem, maximoque numero mulierum ornatam, invenerunt, eam demum, quam præses ipsa sibi divinitus monstratam viderat. Unde maxima omnes lætitia pervasit, et quamprimum Dei voluntate cognita, perquisitis eleemosynis fundamenta domus jecere; quæ eo anno ad summum perduci non potuit: vetuit enim inopia, quo minus extremam manum imponeret.

C *non sine invidia Beatæ et caritate*

13 Interim Claræ virtutes (ut plerumque accidit) summa consecuta est invidia, quæ deinceps in sodalitatem totam reduudavit: quamobrem cum de illius fama nefariis sermonibus detraheretur, ad perficiendum ædificium afferebatur impedimentum non leve: illæ tamen sanctissimæ virgines in Deum spem omnem cogitationesque suas convertentes, in novum cœnobium, relicto vetere, commigrarunt; licet nec firma tecta, nec satis idoneas ad habitaudum cellulas haberent; ex quo fiebat, ut per aëris intemperiem, cæli injurias, pluviarum vim, aliaque sexcenta prope incomoda male cum iis ageretur; æquiore tamen animo ferebant omnia. Clara vero interea triumphare videbatur, veluti in delitiis charitate mirabili inflammata, plurimum de suo commodo detrahere, ut aliæ fruerentur; ceteras sorores in tutiorem habitationis partem deducere, in cellulam suam admissas propriis stragulis quam diligentissime fovere, alia agere ministeria, quibus ipsam potius, cum filia esset, non mater, ali par erat. In his vitæ angustiis effluxit annus, post quem, ubi copia rerum, tum ad victum, tum ad ædificia extruenda, fuit suppeditata, domicilium ad calcem perduxeruut: ita cum ædificari cœptum esset anno MCCLXXXI, quo tempore Clara annum decimum quartum agebat, anno deinde MCCXC est D omnino perfectum.

perfectum anno 1290.

14 Eo temporis intervallo nullam habuerant moniales certam regulam aut institutionem, cui se traderent; sed suamet prudentia vitam direxerant *a*. Coustructo igitur monasterio, Gerardum *a* episcopum Spoletinum per litteras obsecrarunt, ut ipsis rectam aliquam religiosæ vitæ normam impertiret; qui quidem S. Augustini, uti ex ejus litteris constat, regulam transmisit. Literarum exemplum hic apponendum censuimus: « Gerardus » miseratione divina episcopus Spoletinus Dilc- » ctis in Christo Joannæ Damiani de Monte-Fal- » co, et sororibus degentibus in domibus S. Ca- » therinæ de Bottaccio prope oppidum Montis- » Falchi, Spoletanæ Diœcesis, salutem in eo, » qui est omnium vera salus. Religiosam vitam » degentibus, efficaci debet præsidio subveniri, » ut per grata subventionis subsidia in sancta reli- » gione perpetuo valeant Domiuo famulari. Sane » pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, » cum, ut domus Sauctæ Crucis, et S. Catherinæ de » Bottaccio prope oppidum Montis Falchi, Spoleti- » næ Diœcesis, in quibus sub regulari observantia E » placitum Deo, disponitis impendere famulatum: » satis ad hoc, cum religioni habiles videantur, cer- » tam regulam, et alia, quæ loco regulato conve- » niunt, vobis de speciali gratia concedere dignare- » mur.

quando monialibus data S. Augustini regula,

15 » Non igitur vestrum laudabile propositum » iu Domino commendantes, Christi nomine in- » vocato, beati Augustini regulam vobis aucto- » ritate præsentium duximus concedendam, quam » per vos, et alias sorores, quæ in eodem loco » fuerint, pro tempore volumus, et mandamus, » in quantum possibile fuerit, perpetuo iuviola- » biliter observari, pro vestra vestrarumque so- » rorum et conversarum sepulturam * facere, et » quod personas e sæculo fugientes recipere possi- » tis in socias, et sorores, vobis plenam, et liberam » damus facultatem, et concedimus potestatem. In » recognitione autem dicti volumus, quod unam li- » bram ceræ nobis, et successoribus nostris annis » singulis persolvatis. In cujus rei testimonium » præsentes litteras fieri fecimus, et nostri sigilli » appensione muniri. Datum apud plebem nostram » S. Fortunati de Monte-Falco, anno Domini MCCXC, F » Pontificatus Domini Nicolai Papæ Quarti, anno » ejus tertio *b*, Indictione tertia, die vero decima *b* » mensis Junii ». His acceptis litteris, ædificioque plane absoluto, gratias Deo quam diligentissime agunt.

* *forte legendum sepultura locum facere*

et fama B. Claræ monialibus multæ aggregantur,

16 Clara vero omnium sibi animos (quæ ejus humilitas erat morumque præstantia) eonciliaverat, tantaque passim florebat sauctitate; hue illucque prævolante fama, [ut] admirabili exemplo multæ virgines excitatæ in eum locum confluxerint. Aucto mouialium numero, cum cibaria a piis hominibus collecta minus sufficerent, famulas quasdam constituerunt, quæ ostiatim panem victumque emendicarent. Hoc coguito, Clara lapidem omnem movit, summaque ope nixa est, ut in earum numerum admitteretur; quautum enim Christianæ vitæ expediret submissio, noverat. Quod cum obtinuisset, pallio quo erat amicta, caput, manus, pedesque tegebat, neque prius egrediebatur, quam exeuudi facultatem ab antistita accepisset, impulissetque necessitas. Tum illa, demissis oculis, ad ostium cujuslibet domus eleemosynam quæritabat, et alacriori animo ædes illas repetebat, a quibus prius, nulla [re] habita, sæpe demissa fuerat, quo melius adversa toleraus

A tolerans, humilitatem exerceret: numquam a comitis suæ latere discedebat: nec verbum quidem efferebat in via: alienas domos non ingrediebatur: malebat ventis atque imbribus fieri ludibrium, quam obviis domibus semetipsam tueri. Id cum ad aures Joannæ pervenisset, mense peracto, quo octies tantum exierat, hujusmodi officium sorori interdixit, cujus præceptum ita diligenter servavit, ut posthac se perpetuo continuerit domi.

donec a sororis morte

17 Immo vero, cum B. Clara corpus suum virgis flagrisque ita percuteret, ut sanguis abunde efflueret, Joanna soror miseratione commota, flagra, quæ sanguine conspersa deprehendit, clam surripuit et abscondit. At vero Clara anxio animo curis maximis sollicitabatur, quod nimia pœnitentiæ relaxatio fieri videretur, maxime vero, quod vitæ suæ asperitatem, quam omnibus occultam esse cupiebat, quibusdam innotescere videbat. Joanna interim, quæ summa cum laude quinquennio rexerat monasterium, extremum clausit vitæ diem *c*. Unde moniales maxima derepente sollicitudo invasit, ignorantes prorsus, quam in defunctæ locum B sufficerent. A Deo igitur multis precibus contendunt, ut cogitationes suas ad optimam præsidem dirigeret. Claram tandem deligunt, utpote eam, quæ innocentia vitæ prudentiaque singulari ceteris longe præstaret. Illa dignitatem totis viribus recusabat, neque ullo modo adduci poterat, ut eam reciperet, nisi episcopi Spoletini vicarii præceptum accessisset, cujus voluntatem prudentiæ suæ præferendam existimavit.

electa est abbatissa, in alias benigna;

18 Accepto hoc munere Clara, suæ tot virgines fidei commissas intelligens, summopere evigilare, nibil omittere penitus, quod ad communem illarum utilitatem spectaret: eam ob rem numquam fere aut animo aut corpore conquiescere, sororum commodis consulere ea cura, quæ poterat esse diligentissima: vitæ etiam probitate ceteris esse exemplo: neque prius aliis imperare quidquam, quam inciperet ipsa exequi; inde suavissima quadam ratione illas ad obedientiam et observationem legum trahere. Ceterum vitæ integritas talis fuit, ut admiranda potius, quam imitanda videatur: nocturno enim tempore, quasi miles nocturnis excubans vigiliis, in tenebrarum obscuritate modo hoc, modo illo sororum pallio se C se obvelabat, ut monialium falleret oculos, in abditisque cubiculi partibus se acriter percutiebat. Neque eadem ratione semper affligebat corpus; sed interdum funiculis, urticis interdum utebatur: ut carnis spiritus jam edomitos depressos contineret: lectum insuper urticis constratum quam sæpissime habebat: varietatem porro vestium ita elusit, ut stultum diceret delicias vestium quærere in cilicio.

in se autem absque misericordia

19 Dum igitur vita superfuit, una tantum, eaque manicata, talarique tunica contenta fuit, qua nuda membra contegeret: alteram induebatur aliquando e rudibus centonibus consutam; atque ne adversis oculis pateret, laneo pallio totum plane corpus amiciebat: cilicinas vestes binas habuit, quarum altera equinis, altera suillis setis contexta erat, iisque alternis utebatur: pedibus nudis semper incedebat, nisi morbi gravitas aliave pernecessaria causa impediret. Lectum, in quo capienda erat quies, in medio straverat cubiculo, illudque ex urbanitate potius quadam et consuetudine, quam quod ita necessarium duceret, retinebat, humique jacens sæpissime dormiebat. Cum autem ex tanta asperitate vivendi, in malam valetudinem incurrisset, paleis culcitram compactam, durumque sub capite pulvinum passa est apponi: ubi tamen pristinas vires recuperavit, pristinis etiam austeritatibus se tradidit totam, ut quam vitæ duritiem vel a teneris (ut aiunt) unguiculis coluerat, eam perpetuo conservaret. *A. Mosconio.*

in jejuniis præsertim et orationibus;

20 Tanta vero fuit abstinentia, ut dies integros transegerit aliquando absque pane: parcissimo enim victu (ut supra dixi) delectabatur; quin hortenses herbas, tamquam lautiores epulas, refugiebat, dicens, naturam paucis esse contentam, ideo viliores cibos perquirendos, multaque ad victum comparare superfluum asserebat. Solitudinem ita dilexit, ut, si salva honestate fieri potuisset, in loca ab oculis omnium remota facile se abdidisset. Quid plura? Constitutis jejuniis alios etiam adjunxit dies, ut feriam sextam, qua Christi Salvatoris, et Sabbatum, quo Beatissimæ Virginis memoriam recoleret; alios præterea dies, qui et Sanctorum et Virginum dies festos præcederent. Aliis anni temporibus bora nona nonnumquam ad vesperas cum suis contubernalibus cibum capiebat; sine sodali numquam accubuit. E

adeo ut ejus vitæ timeretur.

21 Divino itaque spiritu accensa, orationem, qua Deo efficimur grati, toto animo est amplexata; ac singulis quidem diebus, semotis arbitris, corpus humi prosternens, terram osculabatur; utpote observare licuit vespere post Completorium quingenties venerabunda se inflectebat, totidemque mane venerationis signa humilitatisque præbebat, neque ullum quidem momentum temporis dabatur, quod non orando consumeret, cælestibus innixa cogitationibus: quod si varia ipsam negotia impedirent, mentem tamen a Deo nullo modo avertebat. Hac de causa in tanta vitæ severitate illi moniales quam maxime timebant, tum quia cibi oblivio, tum etiam quia summa animi intentio vires corporis enervabat, ita ut plerumque semiviva videretur.

ANNOTATA.

a *Hinc confirmantur ea, quæ* § IV *Commentarii prævii PP. Augustiniani contra PP. Franciscanos allegarunt.*

b *Ex hoc instrumento patet, errasse Ughellum in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo* I *col.* 1264, *dum initium Gerardi præsulis Spoletani usque ad annum* 1291 *differt: nam mense Junio anni* 1291 *currebat quartus Nicolai IV Pontificis annus, et tamen ipse Gerardus episcopus Spoletanus in suo diplomate annum ıstius Pontificis tertium et Christi* 1290 *diserte expressit.* F

c *Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano pag.* 318 *hanc Joannam titulo* beatæ *ornat. Quare discere cupimus, quo die Joanna illa obierit, et an immemorabilem ac legitimum cultum habeat. Id autem ideo diligenter indagamus, quia Thomas de Herrera tomo* I *Alphabeti Augustiani pag.* 369 *de illa sic scribit:* Eam authores communiter et inter alios B. F. Alfonsus de Orozco in Chronica Augustiana, BEATÆ titulo honorant, et signis et mirabilibus illustrem fuisse testantur; ejusque effigies Beatorum diademate coronatæ Joannæ gloriam et beatitudinem manifestant. *Dignentur PP. Augustiniani nos docere, ubi et a quo tempore imagines istæ cum radiis depictæ sint, et quo die ac loco Joanna illa publice colatur.*

A. Moscosio.

CAPUT III.

Beatæ humilitas, verecundia intentio pura, zelus fidei Christianæ, spiritus propheticus.

Sic illa nimirum eludebat

Horas canonicas, Officium pro defunctis statutis temporibus, Sanctorum item commemorationes, Dominicam orationem, aliasque item preces ad Jesum Christum Servatorem nostrum, sanctasque Virgines dirigebat vehementi pietatis ardore: illud anxie curavit non raro, ut de Christiana disciplina in sacra æde crebro haberetur sermo: in festivitatibus et octavis quorumdam Sanctorum, quos ipsa veneratione præcipua colebat, rerum cælestium contemplationi sic erat intenta, ut quasi corporis vinculis exsoluta, cum B Christo esse videretur; cumque oculorum obtutum in cælo defixum haberet, cernere erat illius oculus clarius sole micantes, et locum, in quo vacabat orationi, clarissima luce perfusum; quæ doua omnia Clara divino beneficio cousequebatur: literis porro non humano labore comparatis, sed Spiritu sancto dictante, cælesti sapientia ornata erat tantopereque communita, ut nullis (sicut jam supra dictum est) cacodæmouis artibus aut fallaciis eludi potuerit, etiamsi nihil ille intentatum ullo hoc aut tempore relinqueret, quo sanctissimam Virginem ab hac felicitate retardaret.

artes diaboli qualescumque,

23 Immo vero non modo ejus technas apud ceteras moniales detegebat, quibus terrorem injicere tenebat gravi percussione ostii rotæque commotione, sed etiam circumeuntem, et sororum aliquam insectantem fugavit. Hinc factum est, ut dæmon iratus Claræ, quod virium robur ingenii sui pravitas patiebatur, decipere eam magis conaretur: quamobrem veterator ille Crucifixi effigiem pulchritudine prope incredibili, eleganti prorsus forma corporis in pariete expressit, ut libidinis igniculos jam consopitos excitaret. Verumenimvero nihil subdolis artibus profecit, C majore iude percitus furore, crebris ictibus lædebat, in terramque (sic moniales eam reperiebaut) compellebat: tantum autem aberat, ut insidiis hujusmodi succumberet, ut potius cæteris aditum ad ipsas superandas prudentia sua aperiret.

ad sorores quasvis abjecta et humilis,

24 Neque tamen, etiamsi cœnobii priuceps foret ac moderatrix, primum sibi locum victu, vestitu, sermone, aut re quapiam tribuere; verum perhumaniter cum omnibus agere, ita ut ipsius probitate in consuetudine quotidiana mirifice delectarentur. Pauperes tanta fovit charitate, ut sæpenumero suis se exuens vestibus, indueret illos. Si qua monialium mala valetudine, morbis, vel ulceribus affligtaretur, ad illam vehementi charitate veutitare, curare, stomachosaque ministeria exercere, manibus ipsis contrectare, nullam concipere nauseam, potius voluptatem. Fuit tandem humilitatis exemplar, modestiæ splendor, honestatis specimeu, virginitatis, ceteramque virtutum tutissimum domicilium, quibus ornamentis etsi plerique hominum, si habeant, gloriari solent, ipsa tamen ab iis abhorrebat maxime, et, si quid iu se boni esset, iu totum Deo uni tribuendum fatebatur. Ad eum tandem perfectionis gradum devenerat, ut juxta sapientissimi D viri dictum, hoc est, nosce te ipsum, in terris felicissima viveret. Idcirco in sexto Revelationum *a* libro extat, dum ipsa in penetralibus oratorii sui preces ad Deum effunderet, collum ejus et caput elegantissimis violarum sertis exornatum a multis monialibus fuisse conspectum. Quæ res symbolice notitiam sui ipsius significabat: quippe illa tantum oderat nominis proprii rerumque gestarum gloriam, ut sibi plus æquo tribueret, sed minus quam sui muneris ratio postulabat; siquidem eam de se opinionem conceperat, ut inter minores se minimam putaret.

ac solertissima sui custos et virginum suarum,

25 Quid plura? Tanta moderatione et prudentia sua omnia tuebatur, vitam agebat hilarem ac tranquillam: vacare cum culpa magnum solatium. Curiositatem, quæ in muliebrem sensum facile cadit, adamavit numquam. De his, quæ ad se minime pertinerent, non laboravit; etiam conspectum devitavit. Si quid extra monasterium esset agendum, vel intra, confessarii, medicinæ opera utendum, amicta pallio, demisso vultu, tantaque cum honestate incedebat, ut ueque apertam faciem, neque nudas manus ulli videre E liceret. Id, ut aliæ efficerent, semper auctrix fuit. Sororum nomiua ne confessario quidem nota esse voluit, ue mutuæ benevoleutiæ ansa præberetur, neque ullam cum aliquo sororum loqui semotis arbitris permisit: fugiat enim virginitas congressus virorum societatesque opertet, alioquin in extremum adducitur discrimen: in hoc ergo quam diligeutissime iucubuit Clara; ita ut ne ullum quidem effigiem viri aspiceret. Atque ex hoc accidit, ut cum ex tempore præterque opiniouem vidisset virum, fuerit (referente quodam Fratre Severino *b*) vehementer perturbata, de suaque, uti ipsa appellabat, impudentia, pœnas sumpserit uou leves, existimans, se modestiæ fines trausilisse, cujus fuerat semper vigilantissima custos. Sæpe autem illa cum suis monialibus de virginitatis pulchritudine loquebatur, ad illius amorem omnes iuflammans, divinis prope laudibus efferens; hauc dicens in mortali vita, immortalem referre gloriam, hanc instar beneolentis balsami esse, quo cadavera incorrupta servantur; eamdem custode munitam divino lædi nequaquam posse ab hominibus; cum sit candor lucis æternæ. Hæc, et alia quamplurima in hanc senteutiam pro- F loquebatur.

quas etiam beneficentiæ in proximos

26 Vitas Sanctarum Virgiuum lectitabat die noctuque; earum res bene gestas volvebat et animo, et re ipsa ita beue exprimebat, ut inter earum consortium adscripta sit; ut apparet in libro sexto Revelationum: et plurimi quidem multa maximaque Claræ beneficio beneficia consecuti sunt. Præterea uon tam in secundis rebus temperans, quam patiens in adversis fuit: omnes plane curas, solicitudines, virium imbecillitatem, injurias, opprobria sexcenta, molliter placideque tulit, exultans cum Apostolo iis verbis: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

et misericordiæ excitabat exemplis,

27 Accessit summa charitas atque incredibilis prope erga pauperes miseratio: quamobrem non tam in suppliciis Dei memor eorum erat, qui ipsam amarent, quam qui calumniarentur, quod uudecim virorum testimonio comprobatur: in extremaque inopia, quod suppetebat cibi, ceteris potius distribuebat, quam sibi servaret tenuissimo conteuta victu. Ad idem abstinentiæ genus contubernales hortabatur, dicens, in actionibus uostris quod licet, non autem quod nos delectat, esse

A esse spectandum. In utraque harum virtutum altissimas radices egit, ut ex operibus facile potes judicare; ex eo imprimis, cum tabellionem orationibus suis injuste accusatum liberavit, aliosque complures, qui a monasterio alienos animos habebant : solent enim magnarum rerum initia odio malevolentiaque plerumque oppugnari. Aliis ejusdem oppidi monialibus de sua plurimum fama detrahentibus, auxilium non denegavit, cum ad ipsam confugissent. Quin immemor penitus injuriarum, multo iis diligentius, quam suis monialibus prospexit. Cum inter Trebiates *c* ac suos oppidanos esset orta non levis dissensio, pacem inter eos precibus conciliavit; itemque Perusinos, Aretinos et Spoletinos. Vicarium episcopi Spoletini ereptum a captivitate in libertatem vindicavit, et quibuscumque potuit modis, præsto omnibus esse studuit. Eripuit Gualterium magistrum ex inimicorum manibus. Captivum quemdam e carcere emissum suo pallio contexit. Eam insuper consuetudinem instituit, et dum panis domi coqueretur, duodecim in Apostolorum honorem fierent, ac pauperibus distribuerentur, quam imposterum B servari præcepit.

humana spernens omnia, et solum quærens Deum;

28 Humana omnia ita despectui habuit, ut eos miseros appellaret, qui caduca hæc et fluxa sequerentur; miserabiliores eos, qui bona nuncupareut : bonum enim meliorem efficit eum, in quo est; honores vero, divitiæ, opes et cetera, quæ bona putantur, animum assidue torquent, possidentesque deterioris conditionis reddunt. Ideo moniales admonebat, ut neminem ad bene merendum de cœnobio aut gratia aut spe aliqua humani commodi inducerent : offenditur nempe Deus, cum quæ spiritus bona sunt, corporis bonis emuntur. Si quid eleemosynæ ergo daretur, necessitati consulens monasterii, reliqua pauperibus erogabat. Puellis in monialium numerum referendis, non dotes non generis conjunctionem præstantiamve aspiciebat, sed propensæ solummodo ad Deum pie colendum voluntatis rationem habebat. Accidit interdum, ut moniales, se inscia, in convictum puellam quamdam admitterent, cujus pater cœnobii familiaris erat : graviter inde commota puellæ patruum, cujus gratia illam acceperant, fore aliquando monasterii hostem acer-C rimum tuto prædixit : id postea cum accidisset præter opinionem omnium, easdem monuit, ne alicujus commodi humani spe accensæ tale quid auderent, affirmans, consanguinitatis aut amicitiæ causa spiritualia non esse exhibenda, sed pro cujusque meritis et dignitate. Quod autem in Christiana perfectione familiam duceret, esse animarum saluti prospicere dictitabat.

ut ostendit admittendo rejectam et pauperem.

29 Fuit autem Claræ divinitus nuntiatum, quemadmodum Bizzolam puellam, quæ in Signano agro nata erat, fuisse a sororibus, cum in societatem adscribi cuperet, rejectam, quod fortunæ bona ab sese alendam necessaria deessent; dieque igitur sanctissimo Parasceues, dum Salvatoris nostri cruciatus extremos attento animo Clara meditabatur, de ejus salute conclamatum videbat, nisi in contubernium suum reciperetur; eam ob rem facta certior, moniales quidem ipsas in primis reprehendit, tum vero in monasterium adscivit, Christinamque appellavit, quod dum Christi dolores acerbissimos contemplaretur, ejus puellæ statim agnovisset.

Fidei catholicæ zelo, et occultarum rerum

30 Fidem Catholicam summo studio defendit, et falsa hæreticorum dogmata persæpe disserendo confutavit; tanta siquidem in ea erat sapientia, ut omnem plane divinarum rerum cognitionem videretur consecuta. Nam quid eo memorem, quæ *A. Mosconio.* nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt? Futuras hominum actiones, quasi præsentes intuebatur, prophetiæ dono insignita, mentes, animique sensa intima noverat. Operæ pretium est, cum in hujusmodi mentionem incidimus, pauca quædam prædicta recensere. Sui monasterii famulæ adventum cujusdam Fratris Ægidii, Ordinis Prædicatorum, ad certam diem atque horam; et quid ille animo volveret, multo ante prænuntiavit. Cum ad cœnobium dictæ pervenisset, de omnibus diligenter a famula certior factus, maximam raptus in admirationem, Claram optavit de facie noscere.

notitia prophetica

31 Eidem famulæ Margaritam Gallicam proficiscentem Romam ad suum sacellum venturam, cum de via declinasset, præmonstravit; quæ cum [de] illius porro adventu, divino (ut par est credere) spiritu admonita esset, ad ferreos crates sui sacelli accurrit, peregrinamque nomine proprio salutavit, Galliceque cum eadem ad vesperum usque locuta est. Matthiolam S. Pauli, cœnobii monialem, in mœrore versantem, triduo ab eo solutam iri edixit. Addatur Jacobus Columna, S. R. E. E Cardinalis, omni virtutum genere ornatisimus, cui multa pericula eventura, tandem honorificentissime in pristinam dignitatem restitutum iri monuit, docuit rei causam, et quid agendum esset, osteudit. His omnibus ad unguem actis, tanti beneficii memor, nobilissimo genere natus, inclyto item egregioque animo præditus, grati animi præbens indicium, digitum S. Annæ matris Deiparæ Virginis donavit *d*, quem dum viveret Clara, summa veneratione coluit; post ejus mortem cum ipsius corpore conservatur, et Claræ corpus visentibus ostenditur summa cum admiratione pietatisque sensu, vivæque mulieris, non mortuæ, digitus videtur. Episcopo Spoletino suo antistiti *e* præsignavit fore, ut intra certum tempus ad altiorem dignitatis gradum assumeretur; paulo post Cardinalis ille renuntiatus est Ostiensisque nuncupatus.

fulsit.

32 Monialibus vero suis, quam sæpissime occultas consuetudiues, sermones, animique sensus detexit, omnem laborem curamque confereus, ut ab hujuscemodi erroribus ipsarum mentes dimoveret. Unam inter cæteras monuit, ut labem abstergeret, qua conscientiam inquinaverat, siquidem dæmo- F nem illam non raro insectantem viderat, edixitque ab ea sex mensibus discessurum. Admonuit Alacram novitiam, ne peccatum quoddam occultum præ verecundia confessario esse pateretur. Erasmi abbatem, qui eam improviso convenire statuerat, de occultis arguit criminibus. Franciscum germanum suum, qui diabolica fraude impulsus, religionis habitum dimittere voluerat, acerrime objurgavit. Hujusmodi alia innumerabilia prope res ipsa postularet; sed alio properare tempus monet : satis est enim intelligere, illam et prophetissam et scientiarum omnium magistram esse appellatam; tam longe lateque dispersam fuisse illius famam, ut frequentissimus undique antistitum præstantissimorumque virorum et alloquendi et audiendi et videndi (id vero imprimis erat difficile) causa concursus haberetur. Hinc affluebant eleemosynæ, quamquam præter necessitatem quotidiani victus nihil omnino retinebatur.

ANNOTATA.

a *Mosconius hos aliosque veteres codices in prolegomenis*

A. Monaldio.

legomenis suis ante Vitam B. Claræ *recenset, ut alibi in Commentario prævio monuimus.*

b *Is fuit unus ex confessariis* B. Claræ, *qui hoc post obitum ejus narravit, ut Piergilius part. 2 Vitæ Italicæ cap. 12 testatur.*

c Trebiates, *populi Italiæ in Umbria, quorum urbs Trebia sita est prope Clitumni fluvii fontes, et in ortum hybernum Fulginio milliaribus quatuor distat.*

d *In Ms. suo Itenerario dicit Papebrochius, quem num 59 et sequente Commentarii prævii citavimus, illum S. Annæ digitum huic beatæ Virgini a Cardinale Solimano datum fuisse. Nescio, utrum Papebrochius in hoc nomine audiendo vel exprimendo erraverit. Certe hoc loco et apud Piergilium part. 2 cap. 25 Cardinalis ille, qui hic Beatæ dedit digitum S. Annæ, Jacobus Columna appellatur.*

e *Erat hic episcopus Nicolaus Albertinus, qui anno 1299 ex Ordine Prædicatorum ad cathedram Spoletanam assumptus est, et postea a Benedicto XI Pontifice creatus est Cardinalis et episcopus Ostiensis, ut Ughellus in Italia sacra novissi-*
B *mæ editionis Venetæ tomo* 1 *col.* 1265 *tradit.*

CAPUT IV.

Communicatur a Christo; in cujus meditanda passione suas distrahi non vult; humilitas ejus, et impressa cordi mysteria.

Eucharistiam divinitus accipit; terrena contemnit omnia.

Summam hanc pietatis religionisque laudem in purissima Virgine testatus est Christus Salvator; a quo sibi oblatum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum manibus propriis contigere meruit; quoniam una cum aliis Domiuici corporis Sacramentum recipere non potuit. Cetera hujus mundi solatia, veluti inutilia ac vana parvipendens, exclamabat : Quam varii sunt vitæ nostræ casus, quibus nos et velle et nolle, prout res cadunt, mutamus. Lætabar ego quondam prosperis, mœrebam
C adversis; dicta mutata ratione, mœrebam prosperis; lætabar adversis : modo neque quo lætandum, neque quo mœrendum sit, agnosco. Nimirum æquo animo ferenda omnia judicabat. Sic enim felices in adversis, fortunatissimi in secundis homines videntur.

Quam docta fuerit in regendo,

34 In loquendo cum facundia tanta venustas erat conjuncta conformatioque totius oris et corporis, ut audientium animos maxime excitaret. De ejus quidem doctrina monimentis traditum est, auditam aliquando fuisse hanc vocem : Quid Claræ doctrina divinius? Quid ea certius? Cujus oratio omnes explicat ambages, omnes pellit ignorantiæ tenebras. Nihil igitur mirum, si prudentissima fuerit in regendo, quando probitatem morum singularis prudentia consiliique gravitas sequebatur. Edidit multas pias institutiones ad bene beateque vivendum, quas hebdomadis singulis unum in locum coactis monialibus recitari exponique constituit.

et prudens, ne qua suas vel otii,

35 Ac primum quidem monuit, ne Sorores in amicitiam quempiam reciperent; sed omnium necessitatum causas radicitus extirparent, neque si opportunum negotium accidisset, ad cancellos ferreos, nisi panno (ut jam explicatum est) obductos, et comite præsente, ullum permisit accedere. Dein- D
de clausuram ita servandam statuit ob omnibus, ut non modo extra monasterium egredi monialibus; sed ne externis quidem ingredi liceret, siquidem, ut recte scribit ille :

Innuptas opus est cura asservare puellas
Pervigili, laqueos undique tendit amor.

Quod si medicus aut confessarius, urgente necessitate, esset intra claustra recipiendus, duæ ex senioribus ipsos comitabantur, ceteræ ad secretiores domus partes confugiebant. Si quid eleemosynæ præstaretur, in communem utilitatem referebatur; hoc a natura divinaque lege sancitum dicebat. Silentium tanta cum severitate indixit, ut non Pythagoras ille aut Harpocrates suis discipulis meliore ratione præcepta traderent; quandoquidem ne verbum quidem minimum ab ipsis voluit proferri, nisi in Dei gloriam redundaret. Completis Horis canonicis, Officium pro defunctis, aliaque orationum genera recitari jussit : in honorem passionis Dominicæ quingentas flexiones vesperi, totidem mane fieri præcepit; quas si certis horis non explevissent, diuturno tempore absolvebant; ab iis autem nullam penitus immu- E
nem esse concessit. Si quam minus orationibus aptam videret, ad opportuna monasterii obsequia instruebat : omnem plane otii occasionem veluti pestiferam radicem extirpavit, ne dæmonis fraude deciperentur.

vel distractionis occasio

36 Monasterii negotia cum hominibus tractanda (prout necessitas ferret) delegaverat cuidam moniali, quæ item ostii curam gereret; illa autem prius abbatissam de iis omnibus certiorem faciebat, quam essent acta, atque ne humanæ curæ a divino cultu avocarent, lege cavit, ne, quæ januæ præerat, monialibus, quæ foris audisset, communicaret : ad Christi cruciatus animo potius diligenter recolendos hortabatur, quod ipsi solemne fuit : nam acerbissimas Jesu Christi pœnas attenta mente persæpe cogitabat : quamobrem gravissimo mœrore conflictabatur, et, licet non solveretur in lacrymas, quæ cito arescunt, infixus tamen animo hærebat dolor; quamquam semper non se posset continere, quin illæ etiam veluti ex uberrimo fonte emanarent. Posteaque in ea contemplatione diu versata est : summis precibus orare Deum cœpit, ut quæ mentis oculis intueretur, visu etiam ipso corporis degustaret; F
tantumque illius preces apud Deum valuerunt, ut, quod optabat, sit facillime consecuta. Nimirum Claræ privilegio quodam singulari ad unguem patefacta sunt ea, quæ in Dominica passione contigerunt.

a contemplanda Christi passione revocaret;

37 In hanc visionem omnem vim, aciemque oculorum intenderat, cum cælitus hujusmodi vox derepente audita est : Quid est, Clara, tibi gratius aut optatius, quam dolorum, cruciatuumque meorum fieri participem; ut si non interfuisses modo, verum etiam præfuisses? Spem inde maximam concepit divinæ benevolentiæ; in eaque cogitatione ita tenaciter perstitit imposterum, ut fellis amaritudinem dolorumque acerbitatem in cibis ipsis sibi gustare videretur. Hinc fiebat, ut ad Dominicam crucem totus illius sermo spectaret, totoque ardore animi et contentione sorores ad ejus meditationem inflammaret; quantum dicendo proficeret, uberrimi lachrymarum imbres, qui e monialium oculis erumpebant, facile indicabant, vitæque mutata ratio. Dum hæc agerentur, ex monialium numero fuit una *a* nomine potius, quam re ipsa Religioni serviens : Ista, inquit, oblectamenta aut consolationem genera in

A in his meditationibus non experior: Claram insuper mordebat, quod sibi plus tribueret, quam humilitas ipsa postularet.

experta per annos 11, quam terribilis esset hostis noster.

38 Eam ob rem nonnihil animo elata fuit, ut ipsamet retulit; unde dulcissimo Deus suæ liberalitatis fructu orbari per undecim annos *b* voluit: id sibi quam maxime profuisse dictitabat; eo siquidem temporis intervallo corpus et carnem variis modis affligere cœpit, et quasi in agone constituta, gladiatoris agere vitam: licet non hujus mundi honor, sed æterna salus ageretur: tum illa diaboli vires frangere, titillationes sensuum et scintillulas libidinis obruere; vana omnia, quæ sunt in mundo, vilia ducere: tantis in periculis constituta mœrore tristitiaque confici, frequentes exprimere lachrymas; inde nimium debilitata, quasi mortua cadere; cumque id evenisset interdum, non secus, ac in acie prostrata, cum vires resumpsisset, jejunio, disciplinis, vigiliis, divinisque precationibus in arenam iterum descendere, victoriamque reportare. Vincere enim se ipsum tum demum vera est victoria. Hæc vitiorum virtutumque concertatio eam continebat, B quo minus divinis ex more meditationibus occuparetur, eamque tollebat hilaritatem, qua præsentis vitæ miserias condiebat: uno tamen hoc solatio fruebatur, quod omnes pravos animi impetus rationi obnoxios redderet, virtutisque suæ magnitudine fraudes dæmonis superaret. Idcirco sæpe confessarios suos consulebat, quidnam ad meditationes divinas retinendas valeret, exquirens; illi vero, re cognita, virginem ad certandum alacriter hortari, regni cælorum difficultatem attingere, quod sine labore maximo posset nemo consequi: tum illa, quoad ejus fieri poterat, ardentissimo corde aspirare ad æternam felicitatem.

Humilitatem permagni facit:

39 Quod Deus ipse comprobavit: nam ejus dotes animi corona dignas existimans, eadem hora, qua supra diximus semimortuam decidisse, pristinis viribus recuperatis, visa sibi est hominis imaginem, quæ lucernam altera manu olei plenam, altera vero palearum stipulas gestaret, Paleæ, diceus, non comburuntur, nisi unguento prius liniantur, statimque oleo perunctas igne vidit concreC mari: cujus visionis sententiam, divino spiritu dictante, est porro interpretata. Animam nimirum paleam esse, quæ nisi humilitatis oleo fuerit delibuta, Dei amore comburi non potest; hinc illa cognovit, cur tamdiu in mœrore versata esset: demissa ergo in terram facie animoque manus ad Deum tendere, sæpissime precari, ut se humilem redderet, et quod adhuc salutem suam vitamque incolumem servarit, gratias immortales agere; Deus vero et animi tranquillitatem, et quidquid demum petierat, liberalissime concedere; et cum jam decimum quintum egisset annum *c*, ancillam suam ante obitum incredibili consolationis genere demulcere, quod assequi ex majoribus potuerit adhuc nemo.

cordi ejus imprimuntur mysteria passionis Christi:

40 Christus nempe, suscepta peregrini forma, candido vestitus amictu, humeris gerens crucem blandis eam verbis salutavit: Salve, inquit, filia: cogitanti mihi jam diu, quidnam tibi potissimum offerrem ad summam animi jucunditatem, crucem hanc, quæ nusquam firmius figi potest, tuo dulcissimo amplexu accipito; ideo præbe mihi, filia, cor tuum, ut in hac cruce moriaris. Qui quidem sermo tam vehemens extitit, ut vel in cor ipsum vulnus inflixerit. Eo tempore Dominicæ passionis mysteria in ejus cor impressa fuisse putantur. O immensum amorem l o cor incredibili ardens charitate: siquidem tantum Deo placuit, ut ipsum unum tanto dignum honore Christus invenerit.

A Moronio.

vult a suis flagellari:

41 Cum vero horum cruciatuum recordatione mirifice delectaretur, quo melius tormenta illa memoria contineret, quibus in die Parasceves fuit affectus, monialibus suis graviores virgarum funiculos concessit, ab illisque verberari volebat; existimans bonarum actionum exemplar esse, Christi crucem. Unaquæque singillatim mysteria Christi recensebat, ut illius vestigia sequerentur. Certas inde orationes instituit aliasque actiones, quibus illa memoria repeteretur, ex quo consecuta est, ut Deo quam carissima esset, et vitam agens in terris, cælestis tamen gloriæ particeps efficeretur. Interim solertissima virgo Joanna monialis *d* Claræ sanctitatem, quoad ejus fieri poterat, observabat diligentissime. Idcirco retulit in nocte natalis Christi, quasi lumen aliquod Claræ pietatem elucere solitam, dumque matutinæ recitarentur Horæ, gratissima uti modulatione vocis, suavissimosque promere concentus. d

cœlestibus interim pasta deliciis:

42 Quid plura? Nonne ejus habitatio in tenebris resplenduit, cælestisque luminis radii quasi zona quadam beatissimæ Claræ corpus ambierant? Unde E beneficio quodam singulari arcana Incarnationis perocculta videbat, canentes angelos, pastores vigiles, Magos accedere supplices, denique in humili præsepio positum infantem apertissime cognoscebat. A die Epiphaniæ usque ad beatissimæ Virginis Purificationem, dum se traderet orationi, quanta Christi majestas esset sedentis in illo extremo judicio, humanæ sobolis judex, intellexit, quam ad vivum impios resecare debeat, innumerabilia prope tormentorum genera, cruciatus, incommoda sexcenta, horribiles dæmonum aspectus, molestissimamque eorum societatem, infernorum terribilem locum, quem nullius cogitatio capere potest: ibi visa est sibi audire sonitum, stridorem, strepitum, fremitum, clamoresque magnos, quibus perterrita corruit, palloreque ac terrore exanimata hæsit aliquamdiu; viribus deinde receptis, ad beatitudinis divinæ aspectum est conversa, quam ubi elatis oculis summa attentione conspiceret, suavissima vox est exaudita: Veni, Clara; tuus enim adventus jucundissimus expectatissimusque mihi erit. F Cui vox altera alterna vice respondit: Parumper expecta, nondum enim dies tuus advenit: ex quo salutis suæ certitudinem conjicere licuit. Alia die imaginem Christi Domini sua cælum terramque magnitudine implentem conspexit, cujus splendor solis fulgorem antecelleret: illam cordis et corporis summissione veuerata est; eumdem deinde videre digna fuit extento brachio, manu benigna monasterium et præcipuos Spoletanæ urbis locos sanctis benedictionibus signantem.

ANNOTATA.

a *Hæc monialis apud Piergilium in Vita Italica part.* 1 *cap.* 12 *vocatur Marina.*

b *Nimirum ab anno ætatis vigesimo usque ad trigesimum primum, ut Piergilius proxime citato capite duodecimo partis primæ asserit, et capite decimo octavo ejusdem partis repetit.*

c *Hic non indicantur anni ætatis* B. Claræ, *ut opinor; sed existimo, hos quindecim annos intelligendos esse de tempore, quo beata Virgo vixit in monasterio sanctæ Crucis, ad quod cum aliis*

A. Moscosio. *aliis circa annum Christi* 1289 *migravit. Itaque secundum hanc interpretationem pax animi post certamen undecim annorum restituta est beatæ Virgini*, cum jam decimum quiutum egisset annum *in cœnobio sanctæ Crucis. Illa explicatio nostra facile componi potest cum opinione Piergilii, quam littera præcedente retulimus.*

d *Hæc est* Joanna monialis, *quæ post obitum* B. Claræ *in officio abbatissæ successit, ut apud Piergilium part.* 3 *cap.* 9 *et* 20 *videre est.*

CAPUT V.

Morbus ejus, et mors Beatæ, retectis mysteriis confirmata.

Beatæ morbus ultimus, et meditationes :

Tandem assiduis vigiliis stomacho male affecto, viriumque imbecillitate contracta, quindecim diebus ante suum obitum in morbum incidit, diesque decem totos meditationibus operam uavavit tam diligenter, ut numquam ab instituto deficeret. B Quare moniales Claræ timere maxime cœperunt, ue scilicet injuria morbi alicujus graviter premeretur ob crebras meditationes : unde ut vires illa reficiat, aliquantisper lectulum portatilem imperat; in quem ascendens, sic alloquitur : Mox me, inquit, sorores morbo omni levabitis, immineutem jam mortem præmonstrans : in primis tamen versabatur in curis, persistensque in vultus firmo obtutu divina secum loquebatur; a ministris quidem hæc verba exaudiebantur : Angele Dei, uuutia Sauctissimæ Virgini, ut in suas me sedes recipiat. Et paulo post, veluti triumphum caneret : Exultemus omnes, et jubilemus Deo, et cantemus laudem. Te Deum laudamus, quoniam sponsus meus venit ad me, ut me ad gloriam suam perducat. Hæc Joanna non Claræ soror, sed alia quædam monialis audivit.

diabolum fugat : suas hortatur ad virtutem, et meditationem Passionis :

44 Alia vero soror hæc se accepisse auribus dixit : Video cuncta, quæ Deus fecit, et suut valde bona; sed dæmou cuncta demoliri quærit. Unde certantem cum dæmone eumdemque fugantem his verbis perceperunt : Quid a me petis, cruenta bestia? Exi, maledicte, et evola hinc, qui C quinquies mille annos in maledictionibus fuisti, et in æternum maledictus vivis. Id cum audisset una ex sororibus, timens, ue fallacias dæmonis formidasset, accessit, crucisque eam signo muuivit. Cui Clara non secus, aesi somuo expergisceretur, Non est, inquit, quod de me dubites, filia : crucem enim cum Christo gero in corde meo impressam. Quin et alteri moniali dixit : Si Christi crucem quæris, accipe cor meum, in quo Christum crucifixum reperies : his vero cogitationibus iutenta, suavissimo quodam cantu moniales leniebat; licet ejus verba non satis essent expressa. Certissimum illud est, cum ad extremum diem pervenisset, frequentes eum Deo habuisse sermones, quibus mutuus quidam amor significabatur; cum vero Beatissimæ Virginis Assumptionis dies accessisset, hora vespertiua iu extremo spiritu non destitisse eam, quin de immensa Dei misericordia acerbissimaque Christi cruce prædicaret, et contubernales suas ad obedientiam, castitatem, humilitatem, vitæque sanctimoniam hortaretur, præcipue asserens, salutis nostræ incitamentum esse Dominicæ passionis meditationem.

petit oleum sacrum :

45 Postquam ergo hujusmodi præcepta accepere sorores, manu extensa Clara sanctissimo crucis signo benedicens, inquit : Deus, qui cælum et terram regit, vos tueatur, custodiat, perpetuoque conservet præsidio. Hoc indicio moniales proximæ mortis repetentes memoriam, ingentem vim lachrymarum certatim profuderunt; quamquam ipsarum dolorem lenire Clara studeret. Tandem hæc unctiouis Sacramento voluit inungi, dieque Veneris, quæ fuit decima sexta mensis Augusti, oratioui se constantissime tradidit, a qua neque medicorum consilio, neque monialibus præconibus potuit umquam revocari, imo vero illas increpabat his verbis : Quid commovemini? Quid vos, obsecro, perturbat? An uon ignoratis me, dum servio Deo, esse incolumem, atque ubi sim Deo propior, eo me esse fortiorem : ac si me flagellis ab hujuscemodi contemplatione animæ meæ pabulo abstrahere conaremini, futuram semper majori robore? His dictis, moniales cogi jubet omnes, ut si quid in Horis recitandis negligentiæ forte commiserit, iterum ex ordiue cum ea recitando compensarent. E

videt cælum apertum : fratrem alloquitur :

46 Hæc ubi absoluta sunt, animo ardeuti, vereque ad Deum erecto, Nimium, uimium, nimium, iuquit, tuæ gloriæ præmium est mihi, Domine : tum ad Sorores conversa, Ducite me, aiebat, ad sponsum meum : video enim apertum cælum et sauctos Apostolos et Dei virgines, quæ summo expectaut me gaudio. Dum hæc agerentur, Franciscus Claræ germanus (is Minor sancti Francisci custos in civitate et dominatu Spoleti erat) advenit; et ubi inter se de regno Dei multa disseruissent, Clara illius fidei mouasterium Sororesque suas quam diligeutissime commendavit : cumque magis exultare videretur, quam, ut morbi gravitas pateretur, nou mediocrem Francisco spem dedit pristinæ valetudinis recuperandæ. Clara vero, cui mors clara erat, ut postridie ad se rediret, monuit. Videns demum sabbati die, qui erat octavus a solemnitate sancti Laurentii martyris, nimirum decimo sexto Kalendas Septembris *a*, vitam felicem cum infelicissima commutandam, in ipso discessu vehementius orabat. Quamobrem lectulo quodam portatili ad sacellum suum se deferri jussit : ibi cum aliquantulum orasset, conversa demum ad Sorores, sermonem hujuscemodi habuit : F

sorores hortatur, et moritur an. 1308, die 17 Aug.

47 Venit jam hora, Sorores amantissimæ, qua ex hujus corporis vinculis tamquam ex carcere ad cælestem Deum evolare debeam, eique spiritum meum reddere; ideo vos etiam atque etiam rogo, ut monimentum hoc meum alta mente reponatis memoriæque vestræ quam diligentissime commendetis; nimirum, ut aures vestræ dies noctesque divinis legibus monitisque pateaut; ceteris rebus obsurdescant prorsus; eaque demum vita expetatur a vobis, quæ iu auimi corporisque virtutibus elucescat. Ipsa postea conscientiæ maculas (si quæ tamen erant) Fratre Thoma suo confessario audiente emundavit; tum junctis mauibus, facie erecta ad cælum, quasi dormiens, uulla auimadvertente, spiritum emisit inter moniales, quæ suis potius meditationibus eam detineri putarunt; sed ea opinione deceptæ, obiisse cognoverunt. Accedentes autem faciem ejus præter consuetudiuem elucescere, desinere postmodum, videre. Quod vero inter alia mirandi causam præbuit, fuit, quod corpus illud, non secus ac vivum, virens incorruptumque adhuc servabatur, maximamque pietatem omnibus afferebat. Atque hic fuit Claræ de Cruce obitus : neque mirum :

A mirum; siquidem a summa felicitate vivendi, summa etiam felicitas moriendi expectatur. Obiit vero mortem anno ætatis suæ quadragesimo, post Christum natum MCCCVIII, decimo sexto Kal. Septembris die Sabbati hora 3, Clemente V Pontifice, anno ejus tertio *b*.

Corpus ejus aperitur a Sororibus, et cor magnum eruitur cum vase fellis:

48 Ejus corpus integrum adhuc servatur, patetque omnibus illuc proficiscentibus. Ubi vero Claræ spiritus evolavit, corpus in monasterio reliquit, quod moniales multis lachrymis decorarunt, simulque omnes quam diligentissime illud inspexerunt, tum ut ejus memoria servaretur, et hujusmodi aspectu, quasi exemplo quodam, ad Dei cultum magis fideles excitarentur. Maturo igitur adhibito consilio, quidnam de eo corpore agendum, quasi cælitus admonitæ, in eam spem deveniunt fore, ut si ex illius corpore præcordia extrahantur, occulta Dominicæ Passionis mysteria, quæ vivens animo semper volutabat, intueri liceat. Itaque prostratæ humilitatis indicio prope singulari ad defunctæ pedes, solemnes (ut mos est Christianis) cæremonias religiosaque jura tribuunt, et cum dissimulare dolorem non que-B ant, amplius corpus aperiunt: ibi puerilis instar capitis cor inveniunt, fellisque sedem duriorem, quam ut natura ferat: quæ omnia summam adspicientibus admirationem pepererunt: hoc exercuit ministerium una ex monialibus, ejusque fellis capsellam cum aliis partibus in urna reconditis ad sacelli altare collocarunt. Verum postquam ad cordis locum pervenere, maxima oritur dissensio; itaque cetera in diem posterum differunt. Eo tempore tantæ Virginis jactura premebantur, neque quid facerent, agnoscebant; unde a Deo humiliter petiere, ut suas ille cogitationes moderaretur et, quid foret optimum, aperiret.

postridie corpie apertum in partes duas

49 Absolutis precibus, communi omnes suffragio cor esse dividendum statuerunt. Die igitur decima octava mensis Augusti Francisca monialis, cui id munus erat delatum, cor illud manu tenens, profusis prius lachrymis, quonam modo secandum esset et quo ordini petit: hic hærere omnes et in majore esse labyrintho quam antea. Tandem novacula in duas partes secat; caro externa mollis, interior vero satis dura sentiebatur: C illico omnes, ut avide rei eventum expectarant, cereos manu gestare diligenterque omnia inquirere; neque spes eos fefellit, cruciatus enim Christi et admirabilia mysteria oculis viderunt: cujus rei magnitudinem, licet intuendi nulla posset esse satietas, mirum in modum suspiciebant. Augebat admirationem, quod in ea sectione nulla plane læsio aut detrimentum consecutum; inde lætitia palam exultare, triumphare gaudio, Deo immortales agere gratias, qui hujusmodi gratiam concessisset. Cordis superficies plana ab utraque parte; singula porro a singulis sejuncta certoque ordine distributa mysteria.

exhibuit mysteria passionis Christi

50 In parte cordis dextera Jesu Christi Crucifixi imago magnitudine muliebris pollicis, licet aliquando longior, extenta tenens brachia aliquantulum sublata, caput extra humeros declive et deflexum. Pars dextra corporis, in qua vulnus situm est, lividum colorem gerebat, sanguine confecta. In sinistra vero vidisses sindonem minutis sanguinis guttulis aspersam. Vulnus in latere multo cruore manabat. In hac eadem parte circulus e nerviculis confectus spineam delineabat coronam *c*, quæ hirsutis spinis tortuosisque constabat aculeis: ibidem tres nerviculi, veluti tria fila, in una parte pendebant, in quorum extremo devincti pendebant ferrei clavi, cuspidis acutæ, nigri, tactu duriores carne, quorum duo breviores, breviori etiam revinciuntur filo, alter major filo majore pendebat; sub quorum loco clavorum alter aderat nerviculus lanceam designans, cujus erat cuspis acuta sane, coloris ferruginei et duritiei, quam attingens Berengarius vicem corporis *d* gerens, quasi stimulis acutis sensit manum pungi; erat idem a superficie erectus, ac si ex suo latere cuspis exiret. Fuit itidem hac in parte nerviculorum confusa quædam congeries rubei coloris, cujus forma incerta erat; illam autem in arundine spongiam interpretabantur.

A. Moscomio.

sigillatim

51 In sinistra parte cordis erat flagellum ex quinque flexis nerviculis nodisque pluribus revinctum; pendens particula carnis mollis gracilisque ceterum, quo flagellum suspenditur, referebat: post eam manica carnea, sed ligno similis sequebatur, eodemque modo funiculi erant atro sanguine tincti, et a carne elati et seperati: quæ omnia vel hodie in ipsius Claræ sepulcro ostenduntur. Prope erat alter nerviculus [qui] columnam rectam, flexis et exiguis funiculis circumseptam E notabat. Pars ejusdem ima carni annixa erat: et tales nerviculi, qui veluti funes mediam columnam cingebant, sanguinei coloris: hæc omnia discerpto corde integra remanserunt. Porro simulacra ea, quæ Dominicæ Passionis mysteria referebant, licet carnea essent; tamen colorem et duritiem earum rerum habebant, quarum exemplar erant: quæ moniales semel atque iterum et sæpius ubi inspexerunt ac tetigerunt, quasi divina quædam intuentes, novitate rei sunt perculsæ. Sed ne quid temere factum videretur, episcopum Spoletinum de omnibus fieri certiorem curarunt. Acceptis litteris, episcopus, non ita facile fidem iis præbuit; illuc tamen vicarium suum Berengarium, patria Sancti Affricani, delegavit; qui, rerum veritate bene perspecta, omnia quam diligentissime referret; ut vel errorum, quem rei novitas attulerat, ratione fidei depelleret; aut veritatem judicio auctoritateque comprobaret. Vicarius episcopi præcepto audiens, ad monasterium quam maximis itineribus contendit, omniaque summa animi attentione, vigilantia, labore, ac diligentia conspicit, manibus ipsis contrectat. F

rite inspecta et probata

52 Quibus visis, præ stupore hæsit immobilis, tum singula a carne secerni jussit, quæ separata sic constitere, quasi in suo exemplari residereut. Non ea omnia, sed quædam, cum de ejus canonizatione ageretur, ad Joannem XXII, Pontificem Maximum, Avenione sedentem, sunt delata. Cor autem illum, veluti sanctissimum, diligentia conservarunt singulari. Sanguinem item, qui effluxerat, in ampulla vitrea collectum, in ejus sepulcro posuerunt, qui mirificum efflat odorem, ac, si quod grave Ecclesiæ Dei immineat periculum, sua ebullitione prædicit. At hodie in Claræ sepulcro Crucifixi et flagellorum mysteria in vase vitreo, laminis argenteis ornato, collocata monstrantur.

una cum mysterio SS. Trinitatis in felle.

53 Hæc ubi in corde reperta sunt, moniales memoria recente duritiem fellis servantes, quidnam ibi etiam delitesceret videndi summa cupiditate exarserunt; eam ob rem ad altare sacelli accurrerunt, urnaque accepta, fellis cistellam, de qua supra meminimus, a ceteris partibus sejunxerunt, ut Berengarius, qui his omnibus interfuit *e*, decreverat: hanc ubi duram offendit, medicis imperat, dividique jubet: quare tres rotundi

A. Muscomo. tundi globi solidi, ut cineres colorati inveniuntur, imagine, colore, pondere pares, et in ipsa cistella ita dispositi, ut trianguli formam efficerent, a quibus (ut ante mortem retulit Clara) Trinitatis sacratissimæ arcana repræsentantur: siquidem communi consensu fertur, orbiculos ipsos inter se esse æquales et pares pondere, non modo si separatim quisque accipiatur, verum etiam (quod humanum superat captum) si unus cum duobus, aut unus uni, aut omnes simul apponantur, æquale poudus reperiatur. Neque vero illud omittendum censeo, cum a Catholica fide deficeret Gallia, hæresesque sectaretur, in partes aliquot unum ex iis esse confractum f; licet initio, dum reperti sunt, veluti adamantes firmi nullis malleis ictibusve frangi possent: hoc Ecclesiæ naufragium fractus hic orbiculus prænuntiavit, quo majus fortasse nullum passa est umquam; et, nisi Deus sua miseratione præsto fuisset, æternum fore videbatur. Plurima de his (ut in suo compendio habetur) Berengarius retulit quæ in ejusdem Virginis sepulcro condita monstrantur. B In his itaque ostendit aperte Deus, Claram virginem a se unice diligi; cum non modo hujuscemodi privilegia donarit, sed illius etiam meritis ac nomine consolationem certam, tutumque fidelibus præstet auxilium. Itaque miracula ipsa vitam illius sanctissimam comprobarunt.

ANNOTATA.

a *Hinc liquet, cur aliqui Menologi* B. Claram *memorent die* XVII *Augusti, quo mortua est, quamvis in Martyrologio Romano ad diem sequentem referatur, ut initio Commentarii prævii monuimus.*

b *Irrepsit hoc loco error chronologicus auctoris aut typothetæ: cum enim mense Augusto anni* 1308 *moreretur B. Clara, currebat annus quartus Clementis V, quandoquidem mense Junio anni* 1305 *Pontifex electus est. Unde Piergilius in Actis Italicis part.* 3 *cap.* 5 *obitum hujus beatæ Virginis cum anno quarto Clementis V Pontificis recte conjunxit.*

c *Piergilius in imagine istorum instrumentorum, quam Actis Italicis* B. Claræ *præfixit, in* C *altera cordis parte infra columnam collocavit, et eumdem situm part.* 3 *cap.* 10 *explicuit, ut* § 5 *Commentarii prævii monuimus, ubi etiam Piergilianum ejusdem cordis exemplar ad minorem formam contractum repræsentatur.*

d *Suspicor, hic pro* vicem corporis *legendum esse* vicem præsulis *vel* judicis, *cum Berengarius ille esset vicarius episcopi Spoletani.*

e *Piergilius capite undecimo partis tertiæ narrat, hunc folliculum fellis post discessum Berengarii ab ipsis monialibus seu potius ab eadem Francisca, quæ cor* B. Claræ *antea in duas partes diviserat, coram medico apertum fuisse. Uter hac in re veriora referat, ex antiquis documentis decidendum esset.*

f *Laudatus Piergilius part.* 3 *cap.* 18 *asserit, hunc globulum mense Martio anni* 1560 *ultro confractum esse, et alias hujus rei circumstantias distinctius narrat.*



D

CAPUT VI.

Aliquot ejusdem miracula.

Aliquando luctum abstersit, permulsit dolores, tristitiam vertit in gaudium. Denique nulli auxilium imploranti opem suam denegavit: nam a morte illius usque ad decem annos innumera prorsus comperta sunt miracula, quæ omnia in brevem libellum redigere esset perdifficile; pauca tamen quædam ex innumerabilibus in unum conferre visum est. Qui igitur præcipua quadam diligentia illius acta inquisivere, scriptum reliquerunt, Claram viventem mortuos ad vitam revocasse. Andriola imprimis monialis sua mortua, antequam humi mandaretur, ejus precibus in vitam rediit: cum enim defunctam filiam pater audisset, flens, ad cœnobium cucurrit, graviter conquerens, quod ante mortem filiam videre non potuisset. Clara vero ejus fletu commota, pristinam a Deo vitam impetravit: illa E cum patre collocuta, paulo post nullo morientis signo a vita iterum discessit. Paganicus quidam arenarius, arenam fodiens, ejus mole obrutus, mortem cum vita commutavit, cujus morte consanguinei non tantum dolebant, quantum quod peccata confessione detestari non potuisset. Redit igitur Claræ meritis ad vitales auras Paganicus, dum confessus fuerit. Nonnullos præterea gravi morbo laborantes precibus suis et sanctissimæ crucis signo ad firmam valetudinem revocavit. Quorum in numero fuit Joanna, postea antistita. Hæc cum phthisi laboraret, nec medicis artibus ullo modo sanari posset, ad Claram confugit, ejusque precibus vires pristinas recuperavit. Vagnolus quidam comitiali morbo affectus, auxilio Virginis implorato, liberatus est. Julianus, cum insanabili vulnere haberet offensum pedem, et medicorum sententia esset abscindendus, Claræ ope efflagitata, illico vulnus sanatum fuit. Lucia monialis a dæmone obsessa, Claræ tecta pallio, statim liberata fuit. Corraducium maximis sceleribus coopertum, ad veram pœnitentiam salutemque traduxit. Multos æstu febris laborantes, ita ut memoriam, sensus, vocemque perdidissent, integræ restituit valetudini. F Subveuit monialibus suis, cum in summa inopia versarentur, quæreudique victus sollicitudine essent affectæ: magnam enim panis copiam in oratorio famulæ ad illud ministerium constitutæ invenerunt, quasi Deus pro jejuniis in vita actis gratiam referret, quibus exceptis a vigesimo ætatis suæ anno, tam tenui etiam cibo usa est, ut peritorum hominum judicio ali nullo modo posset, unde divino potius, quam humano victu fulcita videtur; neque vero vitam illius modo miraculis illustravit, sed post mortem identidem plurima mortalibus dona concessit.

Beatæ miracula tum viventis,

55 Mortuos quinque revocavit ad vitam. Martinellus quidam puer, quinque natus annos, maximo palearum cumulo oppressus fuit; dum domum asportaretur, a vicinis auxilium Claræ imploratur, inde vita donatur. Julia mulier ex Verani (sic vocatur) prædio, sex annorum, et Ceuccia mulier aquis submersa, et Paluccius precibus beatæ Claræ in vitam rediere. Cecchus Spei municeps beatæ Claræ, distortis sane pedibus natus, licet ille nullo se modo sustinere posset, tamen maximam in Clara spem positam habens,

tum vita defunctæ,

A bens, ad ejus sepulcrum portari voluit; ibique cum paulisper consedisset, sensit paulo post favore Claræ firmos pedes, et coram omnibus cœpit ambulare. Beneficium haud dissimile in Antonium municipem contulit, qui cum sinistrum genu graviter læsum et impeditum haberet, ut nullo se modo sustinere posset, auxilio Claræ implorato, allatoque ad ejus sepulcrum cereo, liberatus fuit.

per compendium recitantur; 56 Lucarellus quidam Spoletinus oculorum pupillas circum genas pendentes gerens, et omni abjecta spe vivendi, cum pater eum ad sepulcrum Claræ detulisset summisque precibus auxilium esset imprecatus, pupillis ad locum suum accommodatis, videndi beneficium reportavit. Floræ item mulieri in Cortignano ortæ, cum Claræ altare pallio circumdedisset, Virginis beneficio audiendi facultas reddita fuit. Cæcilia Spoletina comitiali morbo laborans, post votum factum quindecim diebus in sanitatem vindicatur. Joannes impubes herniam patiens; Lætitia puella urinæ difficultatem; Flora matricis dolores, Claræ opera apud Deum integram valetudinem consequuntur. Angelettus Spoletinus, gladio percussus tam gra-
B viter, ut viscera in terram lapsa essent, mox, illis ablutis in ventremque iterum repositis, auxilio Claræ evasit in columis ab eo vulnere. Philippus
a b Mevaniæ *a* natus, dum Thimiæ *b* fluvius campos omnes superasset, fluctibus obrutus; Andreucius cultro graviter vulneratus, lapsus ex amygdalo, cum culter humerum ejus perfodisset, nullaque arte posset a quopiam extrahi, supplex ad Claram accessit animo demisso; inde ejus beneficio extractum gladium sensit.

sed pauca 57 Nardus a latronibus captus, summo versans in discrimine, Claræ opem efflagitans (orta interim est non levis dissensio inter eos de eo) unde ab altero illorum servatur. Hinc fiebat, ut dæmon illius nomen maxime perhorresceret; quammobrem Claruccia monialis Tudertina, obsessa a dæmonibus, Claræ precibus a Deo liberatur, cum parum juxta ejus corpus consedisset. Serviam Cassignatam septem annorum spatio dæmonum impietate vexatam ac læsam graviter, cum traheretur ad sepulcrum Claræ, stridore, vociferatione atque gestu ipso plane dementi dæmones impedire studebant; ubi tamen primum admota fuit eidem sepulcro, vim agnovit meri-
C torum Claræ. Petrus in Podio ortus, furiosus et mente captus, qui non semel submersionis suspensionis et mortis pericula adivit, Clara favente, redditur incolumis. Colæ Spoletino febricitanti, Mattheucciæ mulieri, quæ capitis dolore summo angebatur, ac innumerabilibus plane diversis laborantibus morbis, tum corporis, tum animæ sanitatem impetravit Clara. Testis est Nicolaus Spoletinus, qui cum æstu, febrique adeo premeretur, ut de illius salute medici desperassent, votis a matre sua Claræ factis morbi gravitatem superavit. Petrus Spoletinus, stomachi dolorem passus maximum, et Chiola dentium annis plus quam viginti, Claræ ope valetudinem obtinuerunt.

de multis; 58 Quorum omnium fama tam longe lateque pervagata est, ut in dies viri dignitate præstantes, nobilitate insignes, clarissimis orti parentibus et ceteri innumerabiles prope peregrini, non proximi solum, sed longinquis e regionibus ad ejus sepulcrum confluxerint, votaque pro acceptis beneficiis persolverint. Divino quoque afflata spiritu, defunctorum quorumdam statum significavit, ut precationibus, eleemosynis, cæterisque hujuscemodi suffragiis e tantis purgatorii suppliciis eriperentur. Litteris etiam proditum est, vi- *A. Monacho.* ro cuidam uxoris præmortuæ statum aperuisse, ostendisseque, posse eam precibus adjuvari. Ciotto Spoletino mutuo solvendas pœnas prænuntiavit. Eadem Joannæ sororis statum cognovit: quæ omnia tum ad vivos, tum ad mortuos spectantia, Deus Claræ pro suo in eam amore, nota esse voluit.

59 Neque vero, quæ exposuimus, tam miraculis, quam testimonio religiosorum hominum comprobantur, qui divinæ contemplationi deservientes, de his fuerunt admoniti. Unde Clarucciam *aliaque sanctitatis ejus indicia satis luculenta.* *c* accepimus Claram vidisse in beatissimæ Virginis gremio quadam cum reverentia colluden- *c* tem, et Peregrinam *d*, dum in ecclesia cathe- *d* drali Spoleti oraret, fulgore divini luminis illustratam Claram adspexisse. Idem Comptes, et Etorius *e*, sanctissimi viri, de Claræ sanctitate *e* retulerunt. Philippus medicus cum nullam, aut certe perexiguam hisce rebus fidem haberet, a Deo admonitus est, quod invidis verbis de gloria Claræ detraheret, cælestemque audivit vocem; in ambitu decem millium passuum sanctiorem Clara esse neminem. Quin alteri hujus E sanctissimæ Virginis pietatem tollenti accidit, ut linguæ dolore gravissimo torqueretur; quæ licet in somnis sibi visus est pati, tamen indicio certissimo vera fuisse liquet; cum porro ad Claræ auxilium confugisset, lingua illi comperta fuit. Beatus Ventura *f*, in Trebiatium agro natus, vir *f* summa vitæ sanctimonia præditus, cum a consuetudine mundi remotus, in saxea spelunca vitam degeret, iis verbis Claræ laudes prædicare solitus est, in oppido Montis Falchi præter alios unam esse, quæ sanctissime Deo deserviret; et propter rei novitatem mirum in modum hominum animos extollit. Quod oraculum fuit deinde enucleatum, cum in corde Claræ Christi mysteria reperta fuere. Alter quidam homo pietate insignis, dum multa de Claræ laudibus, virtutibusque auditu digna enarraret, metuens, ne vanitatis aut arrogantiæ sibi nimium verteretur in hoc munere obeundo, mœstusque hæc animo volutaret, cælitus admonetur, non satis se celebrasse spectatissimas hujusce Virginis laudes, quas oratione longa prædicare debuisset.

60 Hæc vero de beatæ Claræ Vita dixisse sit *Epilogus auctoris.* satis. Nam si divino judicio accipimus, tanta F præconia brevi compendio coarctari non posse, reliquum est profecto, ut nos incepto labore supersedeamus, cum præsertim non ea sit in nobis ubertas ingenii, flumenve orationis, quod illius laudes possit non dicam exornare laudando, sed ne perceusere quidem numerando; neque tamen reprehensionem meruimus ullam, si forte illud contra Horatianum præceptum aggressi videamur, quod vires aut humeri ferre non possent: consilium enim fuit non beatæ Claræ laudes singulas (quod fieri non potest) congerere; sed aliquas tantum apponere, ex quibus, lector, veluti ex ungue (quod aiunt) leonem conjiciat, et cetera, quæ oratione assequi non potuimus, mente animoque meditetur, ad illiusque simul meditationem accendatur; si enim eamdem vivendi normam tenuerimus omnes, dubitandum non est, quin eadem etiam præmia consequamur. Agamus interim gratias Deo immortales, qui in Sanctis suis, quorum suffragiis peccatorum veniam obtinemus, majoremque petamus in modum, ut cogitationes nostras actionesque ad ipsum dirigamus, et tantæ Virginis sequentes vestigia, non modo dum vivimus, ejus auxilio roboremur in terris ad

A. Mosconio. cælestem beatitudinem; veruntetiam ubi vixerimus, una cum ipsa in cælestibus regnis æterna felicitate perfruamur.

ANNOTATA.

a *Mevania, vernacule* Bevagna, *est oppidum Italiæ in Umbria, situm in ditione summi Pontificis ad fluvium Clitumnum, quod sex milliaribus in occasum Fulginio distat.*

b *Hic fluvius Umbriæ ab aliis Latine* Tinia *et ab incolis vernacule* il Topino *vocatur. Oritur autem ex Apennino monte, receptoque Clitumno infra Mevaniam, postmodum cum ipso Tiberi miscetur, ut geographi passim testantur.*

c *Hæc Claruccia vel Claretta fuit discipula* B. Claræ, *illamque Jacobillus in Opere de sanctis Umbriæ ad diem* XXVII *Aprilis tomo* I *pag.* 434 *et sequente tamquam Beatam celebrat. Si legitimus ejus cultus demonstretur, poterit in Supplemento Operis nostri locum habere.*

d *Nescio, an istud nomen Peregrinæ sit proprium an appellativum. Saltem apud Jacobillum in proxime laudato Opere nullam hujus nominis feminam inveni.* D

e *Piergilius part.* 2 *cap.* 25 *hos piissimos viros Italice appellat* conte de Ranieri *et* Etorio *cives Spoletanos, ibidemque plures alios sanctitatis ejus testes allegat.*

f *Jacobillus tomo* 2 *laudati operis pag.* 101 *et sequentibus describit Vitam hujus piissimi eremitæ, eumque inter Beatos numerat ad diem* XI *Augusti, quamvis ibidem asserat, illum mense Julio anni* 1310 *obiisse. Si publica ejus veneratio, cujus ibi aliqua indicia exhibet, post notissimum Urbani VIII Pontificis decretum adhuc perseveret, Acta et certam cultus notitiam a Trebiatibus expectabimus, ut vir ille alicubi in Opere nostro collocetur.*

DE B. RAINALDO VEL RAYNALDO

E

B

ARCHIEPISCOPO RAVENNATE

RAVENNÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Veneratio Beati ab immemorabili tempore, miracula, reliquiæ, quoddam elogium, et præcipuus Actorum ejus scriptor.

Anno MCCCXXI. Ex variis documentis constat

Quamvis hic beatus Antistes nondum solenniter numero Sanctorum adscriptus videatur, ut Ferrarius hac die in Catalogo Sanctorum Italiæ annotavit, et Hieronymus Fabri in Sacris Ravennæ monumentis part. 2 *pag.* 514 *fatetur, tamen hic postremus scriptor Italus ibidem recte probat, istum Præsulem ab immemorabili tempore legitimum beati titulum ac publicum Sanctorum cultum habuisse. Id primum demonstrat ex antiquo Ms. Missali, quod in archivo Ravennatensi exstat, ubi memoria* beati Rainaldi archiepiscopi *celebratur. Præterea asserit, in municipalibus Ravennæ statutis legi, quod olim Magistratus die* XVIII *Augusti quotannis ad honorandum ipsius sepulcrum venerit; ibique cereum obtulerit. Etiam meminit de altari, quod in ecclesia Metropolitana ad posthumam ejus gloriam erectum est, in quo legitur hæc epigraphe :* Deiparæ Virgini, et beatis hujus ecclesiæ archiepiscopis Rainaldo et Urso. *Denique laudatus auctor variis argumentis ostendit, publicum* B. Rainaldi *cultum suo tempore adhuc vigere, et annuam ejus festivitatem Officio ecclesiastico non tantum in diœcesi Ravennatensi, sed etiam in Adriensi ad hanc diem celebrari. Immemorabilis ista* B. Rainaldi *veneratio ex infra dicendis confirmabitur.* C

de immemorabili cultu hujus Beati,

2 *Præ manibus habeo* Kalendarium sanctæ metropolitanæ archiepiscopalis ecclesiæ Ravennæ ejusque diœcesis, *quod jussu illustrissimi ac reverendissimi D. Lucæ Torrigiani Ravennatis archiepiscopi recognitum atque anno* 1660 *impressum est, et in quo ad diem* XVIII *Augusti annua* Rainaldi archiepiscopi et confessoris Ravennatis *festivitas memoratur, et Officium de eo sub ritu duplici recitandum præscribitur. Sed dubito utrum hactenus Officium istud de communi confessoris pontificis, an autem proprium de hoc Beato recitetur. Ratio dubitandi est, quod Papebrochius noster de eodem beato Præsule ex Ms. Lectionario ecclesiæ Ravennatensis excerpserit tres lectiones proprias secundi Nocturni, dum anno* 1660 *cum Henschenio Ravennæ tantisper substitit. At Papebrochius in Ms. suo Itinerario monet, Lectionarium istud tunc nondum Romæ approbatum fuisse. Saltem inter* Officia propria Sanctorum sanctæ Metropolitanæ ecclesiæ Ravennæ, nunc primum a sacra Rituum Congregatione approbata, et illustrissimi ac reverendissimi DD. Lucæ Torrigiani, ejusdem sanctæ ecclesiæ archiepiscopi, et principis jussu edita *Venetiis anno* 1665, *nusquam tres lectiones propriæ de* B. Rainaldo *comparent. Ego autem ignoro, an Romæ postmodum approbatæ fuerint tres istæ lectiones, quas forte quispiam ex privata devotione composuit, vel ad approbationem obtinendam paravit. Ut ut est, aliunde satis constat de antiquo hujus Beati cultu, qui haud dubie statim ab ejus obitu initium habuit propter evidentia et authentica miracula, quæ inferius Actis subjungemus, et de quibus nunc aliqua præmonebimus.* F

qui post obitum claruit miraculis,

3 *Hieronymus Rubeus in Historia Revennatum ad annum Christi* 1321 *lib.* 6, *apud me pag.* 538 *et sequente, de* B. Rainaldo *jam defuncto hæc narrat :* Ad ejus cadaver, cum adhuc in sepulcrum illatum non esset, multa miracula et insequentibus etiam diebus et annis facta sunt; et ut reliqua omittam, Jacobus Benincasa, jurisconsultus Ravennas, cum, desperata omni salute, et

AUCTORE G. C.

A et penitus destitutus, acerrimis podagræ doloribus affligeretur, seque, voto nuncupato, diem Rainaldi festum quotannis solenniter celebraturum obligasset, postridie ejus diei doloribus et morbo solutus est. Quod Joanni quoque Grado iu gravi capitis oculorumque dolore, cum esset ad Rainaldi sepulcrum profectus, ejusque opem suppliciter implorasset, per idem tempus contigit. Ex agro item Ravennæ eo vico, cui Herbosæ nomen est, mulier Blonda vocata, cacodæmone, supra quam dici potest, agitata, a cognatisque suis maxima vi ad Rainaldi sepulcrum pertracta, liberatur. Pari felicitate Thomasina, Petri Lambardani Ravennatis filia, sacra virgo cœnobii D. Mariæ, cognomento Padrielis, quod in Cenceda a mœnibus haud procul erat, nunc in urbem translatum D. Stephani in olivis appellamus, membrorum omnium resolutione languens, cum Viri sancti patrocinium invocasset, repente sanitati restituitur. Atque hæc pauca de multis, quæ indies fiunt, collegisse sat fuerit.

juridice examinatis,

4 *Neque hæc prodigia tantum vulgo jactabantur, sicut nonnumquam vago ac populari modo* B *fit, sed legitime discussa et probata sunt, quemadmodum proxime laudatus Rubeus lib. 6 Historiæ Ravennatis ad annum Christi* 1326 *pag.* 545 *indical sequentibus verbis* : Hoc interim spatio, cum in dies Rainaldus archiepiscopus Ravennas jam mortuus admirabili prodigiorum claritate eluceret, eodem hoc anno, mense Augusto, quæstio de illis a Nicolao Cortonensi, Aimerici archiepiscopi vicario, instituta est, multis testibus, qui se gravibus periculis ac morbis, voto illi nuncupato, divinitus liberatos jure jurando affirmabant, in Ursiano templo collectis; ut iis tabulis constat, quas hac de re Joannes Morandus, Morandi filius, Guidonis nepos, Ravennas scriba, ad ea testimonia scribenda vocatus confecit. *Dum Godefridus Henschenius noster anno* 1660 *per aliquot dies Ravennæ commorabàtur, ex Mss. istius ecclesiæ monumentis Acta et miracula* B. Rainaldi *transcripsit, cujus apographum infra conferemus cum editione Ferdinandi Ughelli, qui eadem post paucos annos in Italia sua sacra vulgavit. Nunc de venerandis ejusdem beati Præsulis reliquiis nonnihil dicendum est.*

et cujus corpus diu incorruptum mansit,

C 5 *Eruditissimus Rubeus lib.* 6 *laudatæ Historiæ ad annum Christi* 1321 *pag.* 538 *post narratam* B. Rainaldi *mortem de his ita scribit* : Sepultus est in monumento ex marmore in æde Ursiana; quod cum superioribus annis Julius Felsiana; quod cum superioribus annis Julius Feltrius ab Ruvere Cardinalis, Ravennatum archiepiscopus, aperiri coram se mandasset, Viri sancti cadaver, ut ipse mihi affirmavit Cardinalis, integrum ac pene recens, promissa barba, statura procera, ingenua forma, et specie ad dignitatem apposita inventum est. *Hieronymus Fabri in supradictis Ravennæ Monumentis part.* I *pag.* 19 *addit, sacrum istud corpus postea eodem modo repertum fuisse ab eminentissimo Petro Aldobrandino, archiepiscopo Ravennatis ecclesiæ, qui anno Christi* 1621 *e vivis excessit. Cum sacrum cadaver tribus seculis incorruptum mansisset, landem in illa violenta inundatione anni* 1635 *dissolutum est, aqua in tumulum penetrante, ibique diutius hærente, ut laudatus historicus Italus loco citato testatur.*

sacris reliquiis postea dissolutis ad honorificum locum translatis.

6 *Denique illustrissimus D. Lucas Torrigianus anno* 1659 *has* B. Rainaldi *reliquias ad sacellum beatissimæ Virginis Mariæ solenniter transferri jussit, et honorifice collocari, ut liquet ex sequenle inscriptione* : Divi Rainaldi Ravennatis archiepiscopi venerabiles exuvias, divino licet miraculorum splendore illustres, humili tamen angulo basilicæ obscuras, ut, exoriente hoc Ravennatis munificentiæ sacello, ad eminentiorem publicæ devotionis lucem exorientur * illustriores, Lucas Torrigianus archiepiscopus in perenne suæ pietatis monumentum deportavit anno sal. MDCLIX. *Hæc inscriptio in Monumentis sacris Ravennæ part.* 2 *pag.* 514 *refertur ab Hieronymo Fabri, qui part.* I *ejusdem Operis Italici pag.* 19 *scripserat, populum Ravennatem præcipue in annua* B. Rainaldi *festivitate ad venerandum ipsius sepulcrum pie confluere, et tunc ibi laneum pileolum nigri coloris, quo beatus Antistes in vita usus est, venerationi publicæ exponi. Franciscus Barbaranus de Mironi Cappucinus in Historia ecclesiastica urbis ac diœcesis Vicentinæ lib.* 2 *cap.* 57 *adjungit, hunc Beati pileolum magna cum devotione et fiducia tangi ab iis, qui dolore capitis affliguntur. Porro immemorabilem et legitimum* B. Rainaldi *cultum abunde probant hæc omnia, quibus jam breve quoddam elogium seu vitæ compendium subnectemus.*

* *forte exoriantur vel exorirentur*

Ferrarius et texuit compendium vitæ,

E 7 *Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XVIII *Augusti ex Monumentis ecclesiæ Ravennatis et Hieronymo Rubeo, ut ipse indicat, sequentem gestorum synopsim collegit hoc modo* : Raynaldus patria Mediolanensis, ex familia Concoregia, primum Canonicus ecclesiæ Laudensis (cum illum Bonifacius Papa VIII ad pacem inter Philippum Galliæ regem et Eduardum regem Angliæ conciliandam in Galliam misisset) deinde præses totius Æmiliæ, tum Vicentinus episcopus fuit. Cum vero Opizo archiepiscopus Ravennas decessisset, Ravennates in templum Ursianum de more conventum habentes, Raynaldum et Leonardum Fliscum ecclesiæ Brugensis Præpositum eligunt: ex quibus Benedictus IX Papa, qui Bonifacio successerat, Raynaldum, cujus mores perspectos haberet, et coram se sacram rem fecerat, approbavit. Is cultum divinum, sanctissimis legibus editis, promovit et auxit. Concilium provincialium episcoporum anno Domini MCCCVII, in quo plura ecclesiis saluberrima decreta sunt, celebravit. Eo Henricus imperator VII, quamdiu in Gallia Cis-Alpina fuit, usus est, consilio illius omnia fere administrans, donec in pejus mutatus Italiam omnem perturbationibus implevit, Roberto Siciliæ rege regno, edicto F publico, exauthorato. Illi quoque Clemens V Pontifex causam Templariorum cognoscendam, quod sciret eum virum æquissimum et legum peritissimum esse, commisit. Denique multis pro Ecclesia perfunctus laboribus, anno salutis MCCCXXI, XV Kaleudas Septembris, non sine ingenii sanctitatis opinione obdormivit; clarus post obitum miraculis. *Tum breviter subdit pauca miracula, quæ ex Rubeo superius exhibuimus, et quorum plura inferius post Acta referemus. Jam paragrapho sequente istud Actorum compendium nonnihil illustrandum ac ordine chronologico disponendum erit, posteaquam de scriptore Vitæ hic quædam præmonuerimus.*

et anno 1415 *collecta sunt fusiora ipsius Acta,*

8 *Nonaginta et aliquot annis post obitum* B. Rainaldi *elapsis, Nicolaus de Arimino ex Ordine Minorum Acta et miracula ejus collegit, ut patet ex titulo, qui exemplari nostro sic præfigitur* : Tractatus de vita laudabili felicis archipræsulis beati Rainaldi, per me editus Fratrem Nicolaum de Arimino, Ordinis Minorum sacræ theologiæ humilem professorem, anno MCDXIII. *Hic autem scriptor in prologo monet, se collegisse gesta*

AUCTORE G.C.

sta ejus sancti Viri hinc inde notata pluriumque verbo narrata, *iisque immiscuisse brevem introductionem et tres sermones, qui ad laudem ejusdem Antistitis coram populo haberi possent. Hæc introductio et illæ tres conciones nobis ad manum sunt in apographo, quod eruditissimus Ughellus Majoribus nostris perhumaniter communicavit. Sed non est nostri instituti typis edere hanc introductionem vel illas conciones, quæ nihil historicum continent, et unicuique Sancto ejusdem conditionis aptari possunt. Quare etiam laudatus Ughellus, his omnibus prætermissis, sola Acta et miracula* B. Raiualdi *vulgavit, quemadmodum in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 2 *col.* 382 *agens de beato illo Viro testatur his verbis :* In diœcesi Ravennatensi et Adriensi eodem die XVIII Augusti celebratur dies festus ejusdem ecclesiastico Officio; cujus Vitam, anno MCDXIII conscriptam, ex veteri archiepiscopalis tabularii codice Ms. extractam, communicavit summa benevolentia nobis conjunctus vir probus, doctus, ac venerandæ antiquitatis eximie cultus Hieronymus de Fabris Metropolitanæ Ravennatis Canonicus theologus, quam exhibendam duximus, cum haetenus inedita sit. *Tum ibidem huic monitioni subjungit promissa* B. Rainaldi *Acta et miracula, omisso tamen collectoris prologo, quem nos infra exhibebimus.* B

quæ Henschenius noster Ravennæ transscripsit.

9 *Certe Henschenius noster anno* 1660 *similem Ms. codicem præ oculis habuit, quando Acta et miracula ejusdem beati Præsulis, tunc nondum typis edita, Ravennæ transcripsit : nam etiam meminit de introductione prædicta, quam asserit totam esse moralem et compositam super hæc verba Ecclesiastici :* Elegit eum ex omni carne, et dedit illi cor ad (*sic pro* coram *legitur in editione Complutensi ac Sixtina)* præcepta, et legem vitæ et disciplinæ. *Nicolaus de Arimino expendens illa sacræ Scripturæ verba ostendit, in his tribus omnem sanctitatem consistere, ut Henschenius ibi monet, etiamsi ipsam introductionem non transcripserit. Deinde post Acta et miracula* B. Rainaldi *etiam mentionem facit de tribus concionibus, quarum exordium seu prologus ita sonat :* Beatissimi pontificis Rainaldi triplicem considero statum, in quo virtutibus claruit et meritis, et gratum dedit Domino famulatum. Fuit C enim Clericus, Sacerdos, et Pontifex seu Prælatus. Tendens igitur in sui laudes prorumpere, triplicem sermonem sive tractatum ad ipsius extollentiam compilare proposui; primum ut de Clerico, secundum de Sacerdote, et tertium de Prælato, in quolibet præassumpto themate de sacro volumine Scripturarum. *Denique Henschenius ibidem notavit, sese reliqua omisisse, quia in iis nihil singulare de gestis* B. Rainaldi *occurrebat. Cum autem Nicolaus de Arimino etiam in ipsis Actis aliqua beati Viri gesta prætermiserit, et alias plerasque illius actiones ac virtutes sine ulla temporis nota generatim retulerit, nos jam aliunde quædam analecta eruemus, et præcipua Beati gesta, quantum fieri poterit, hic serie chronologica collocabimus.*

§ II. Chronologicus Actorum ordo, et quædam eorumdem analecta.

Beatus noster natus est Mediolani (nescio quo circiter tempore, quamvis istud ex infra dicendis utcumque conjici poterit) et ortus dicitur ex stirpe Concorretiorum, quam Tristanus Calchus, Morigia, aliique historici inter nobilissimas Mediolanensis civitatis familias recensent. Illud beati Præsulis cognomen a variis varie exprimitur : nam supra laudatus Barbaranus lib. 2 *Historiæ Vicentinæ cap.* 57 *eum Italice* Granco-reggi *cognominat ; alii vero eumdem vernacule* Concorreggi *vel* Concorrezzi, *ac Latine* Concoregium *sive* Concorretium *appellant. Quidquid sit de diversa hac expressione, in antiquo Spicilegio Ravennatis historiæ, quod ad annum* 1346 *terminatur, et inter Scriptores Rerum Italicarum nuper editum est, tomo* 1 *part.* 2 *pag.* 579 *cognomen ejusdem Antistitis ita legitur :* Anno Domini MCCCXIV De mense Augusti. Constructa est de novo tota navis ecclesiæ Ursianæ Ravennatis, tempore domini Rainaldi de Corrigio archiepiscopi Ravennæ. *Hæc de patria Beati nostri, quam etiam diserte memorat biographus Minorita, etiamsi de cognomine jam relato sileat.* D

Dicitur Beatus Mediolani natus ex nobili familia,

et cooptatus inter Canonicos Laudenses postea Romæ egit,

11 *Pie transacta pueritia vel adolescentia, verosimillime cooptatus est Beatus noster inter Canonicos urbis Laudensis in Italia, quæ vulgo* Lodi *dicitur, licet nonnulli scriptores illum nominent Canonicum Laudunensem, cum tamen Laudunum proprie sit civitas Galliæ, quæ ab incolis vernacule* Laon *appellatur. Cum inter Canonicos sanctam vitam ageret, evocatus est Romam, ut Hieronymus Rubeus lib.* 6 *Historiæ Ravennatis ad annum Christi* 1303 *pag.* 508 *tradit, ubi occasione electionis* B. Rainaldi *ad archiepiscopatum Ravennatem simul anteriora ejus gesta narrat, illumque vocat* spectatæ probitatis virum, qui novem ante annis, cum ex familiaribus esset ac domesticis Benedicti Caietani Diaconi Cardinalis sanctorum Cosmæ et Damiani, et Canonicus Lauduuensis, a Bonifacio Pontifice, Benedicti patruo, ipso petente Benedicto, obtiuuerat, ut in aula Pontificia ejus Cardinalis obsequiis insistens, vel ejus jussu aut permissu, ubicumque terrarum, fructus, quos in Laudunensi ac sancti Martini de Bolate Mediolanensis diœcesis sacris ædibus, quarum Canonicum gerebat, et aliis, quæ in posterum adipisceretur, etiam cum animarum cura, ferret, extra quotidianas distributiones, caperet, neque residere teneretur. E F

deinde cathedram Vicentinam ascendit,

12 *Deinde evectus est ad cathedram Vincentinam, cujus rei tempus et circumstantias Ughellus in editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 5 *col.* 1057 *assignat hoc modo :* Beatus Raynaldus Concoregius Mediolanensis ad hanc sedem fuit promotus anno MCCXCVI, Bonifacio VIII ita censente, qui electionem Capituli de persona Guidonis, Prioris Fratrum Prædicatorum de Vicentia celebratam, nullam irritamque declaravit, etiamsi a patriarcha Aquileiensi munus consecrationis idem recepisset...... Post hæc Raynaldus Patrimonii sancti Petri fuit rector ac vicarius generalis. In Galliam Apostolicus nuutius incassum laborasse legitur, dum pacem inter reges Gallorum et Anglorum iniendam * sua industria non semel tentasset. In Italiam regressus post septimum annum suæ administratiouis Ravennas archiepiscopus evasit.

* *lege ineundam*

legatus in Galliam missus est,

13 *Clarissimus Rubeus in jam sæpe laudato laudandoque Opere ad annum Christi* 1299 *pag.* 502 *Gallicam beati Præsulis legationem distinctius exponit occasione litterarum, quas Bonifacius VIII Pontifex dederat* ad Rainaldum Vicentinum episcopum, quem hoc anno ineunte *(nimirum* 1290, *de quo ibi agit)* cum in Galliam misisset internuntium ad conciliandam inter Philippum

A lippum Galliæ et Edoardum Britanniæ reges pacem, jussit etiam ab ejus regni antistitibus sacratisque viris, quorum, dicebat Pontifex, gratum ingratumve experiri se animum velle, subsidia Pontificio ærario postulare.... Quod si quos offenderet contumaces, eos juberet ad causam de suo crimine dicendam Romæ adesse. Neque tamen defuerat Pontifex, quin certum Rainaldo decrevisset in dies singulos stipendium, a Florentina Franciscanorum societate numerandum, et, ut, ejus honori consuleret, sex sacris initiatis viris, quos secum habebat, dedisset, ut quamquam non residerent, tamen dum ejus essent familia, sacerdotiorum suorum vectigalibus, extra distributiones, ut aiunt, quotidianas, fruerentur. *Postmodum orta est dissentio inter Bonifacium VIII Papam et Philippum Galliæ regem, ob quam forte Beatus noster episcopus Vicentinus in Italiam rediit.*

et rector Æmiliæ vel Flaminiæ factus,

14 *Certe anno Christi* 1302 *obtinuit administrationem Flaminiæ vel Æmiliæ, de qua Ughellus obiter supra meminit. Quid autem in hac* B *præfectura ei acciderit, laudatus Rubeus lib.* 6 *Historiæ suæ ad annum* 1302 *pag.* 505 *et sequente sic singillatim explicat:* Rainaldus episcopus Vicentinus, domo Mediolanensis, familia Concorregia, rector sacrarum profanarumque in Flaminia a Pontifice creatus, tertio Idus Aprilis provinciam ingressus est, cum tribus ante diebus Andreas e Cereto omnis provinciæ conventum jussu Caroli Strabonis, fratris regis Gallorum, Cæsenæ egisset; abeunte Jacobo Pagano episcopo Reatino, quem ob male gestam in hac provincia rempublicam Bonifacius Pontifex episcopatu mulctavit.

illam provinciam strenue gubernavit.

15 *Post hæc, narratis quibusdam seditionibus ac bellis intestinis, Rubeus ita pergit:* Rainaldus interea provinciæ rector pacis studium non intermittere, incommodisque, ut res ferebat, diligenter occurrere: sed cum esset Forolivii, quam civitatem Ordelafi eorumque asseclæ administrabant, tumultu excitato populari, lethale accepit vulnus Kalendis Septembris; quo fere tempore Maghinardus e Sosenana, Fori-Cornelii ac Faventiæ princeps, Fori-Cornelii excessit e vita. Premebat adhuc Cæsenam Bernardinus Polentanus bello, eamque Joannes Putirolus Mediolanensis regebat, C virtute vir clarus; sed cum acrius urgeretur in dies, nullisque juvaretur auxiliis fœderatorum, Ubertus Malatesta, Glazoli Comes, Pauli filius, ejus præturam præfecturamque XIII Kalendas Februarii iniit, cum præsertim dissidentibus inter se. Thederico Calisidio et Ubertino Articlino, qui jam in foro ad arma concurrerant, magnum propediem discrimen subitura videretur. Sed advenit triduo post Rainaldus provinciæ rector, a vulnere, divino plane miraculo, liberatus, eosque inter se conciliavit, et Thedericum, qui cum filiis urbe cesserat, redire in patriam jussit. Mox Pontificis nomine, Opizoni mandavit archiepiscopo Ravennati, ne, Foro-Pompiliano vacante episcopatu, ad Thaddæi episcopi interitum, Peppum Ordelafum Forolivianum, ejus civitatis a plerisque episcopum designatum, consecraret neu electionem probaret. Idem significavit Ravennatis ecclesiæ conventui eorumque vicariis, eam sibi electionem certis de causis tunc Bonifacium servasse. *Ibidem legi possunt alia, quæ* B. Raynaldus *in administratione hujus provinciæ gessit.*

16 *Nunc videamus, quomodo Præsul iste Vicentinus ad cathedram Ravennatem translatus fuerit, et quamdiu hanc ecclesiam summa cum laude gubernaverit. Ferdinandus Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 2 *col.* 382 *nos illa docebit his paucis verbis:* Raynaldus Concoregius Mediolanensis, Vicentinus antea episcopus, rectorque Æmiliæ provinciæ, a Ravennate Capitulo Cleroque divisis studiis simul cum Leonardo Flisco ad eamdem sedem subvectus est, atque a Benedicto XI (æmulo excluso) in eadem dignitate confirmatus ac consecratus anno MCCCIII. Singulari amore pietateque hanc ille ecclesiam gubernavit, frequentibusque celebratis conciliis, ita jugulavit abusus lapsosque ecclesiasticos mores, ut omnem diœcesim suam Clerumque ad normam veterum canonum castigasse videretur. Decessit non sine sanctimoniæ fama MCCCXXI, XV Kalendas Septembris, sepultusque est in sepulcro marmoreo in templo Ursiano, unde postea clarissimis coruscavit miraculis. *Rubeus hæc singula* B. Rainaldi *gesta, quæ ab Ughello hic obiter attinguntur, fusius narrat ab anno* 1303 *usque ad annum* 1321 *in Historia Ravennatum, ex qua breviora nonnulla elogia excerpemus.*

AUCTORE G. C. Denique evectus est ad eamdem metropolitanam ecclesiæ Ravennatis,

E

quam magna cum prudentia,

17 *Cultissimus ille historicus lib.* 6 *apud me pag.* 512 *habet sequentia:* Interea Rainaldus archiepiscopus in dies virtutibus ac religione proficiens, purissimum cultum numinis divini, legibus persancte editis, propagandum apud suum populum diligenter curavit; quapropter et sæpe archiepiscopatus oppida, Argentamque præsertim invisit, et provinciale concilium anno ab ortu Christi MCCCVII Ravennæ celebravit. *Utilissima hujus aliarumque synodorum provincialium decreta, quæ beatus Archipræsul concinnavit, post Historiam Rubei pag.* 837 *et sequentibus consuli possunt. Circa idem tempus, teste ibidem Rubeo,* graves interim adversus Templarios equites litteræ ad Rainaldum a Pontifice missæ advenerunt, quibus eam causam cognoscendam Rainaldo et aliquot collegis omni Italia mandabat. *Si quis scire desideret, quid egerit beatus Vir in hac notissima equitum Templariorum causa, quæ ei a Clemente V Pontifice commissa fuerat, is Rubeum evolvat hoc anno et aliquot sequentibus, ubi hanc rem sparsim commemorat.*

singulari fortitudine,

18 *Quanta constantia defenderit hic Præsul immunitatem Ecclesiæ, patet ex eodem Rubeo, qui ad annum Christi* 1321 *pag.* 535 *hæc refert:* F Eodem anno Rainaldus archiepiscopus, Joannis summi Pontificis jussu auctoritateque, Friderico, Guidoni et Sperantiæ, Comitis Urbinatium filiis, quos filios pestilentes e venenata radice natos appellat litteris suis Pontifex, ipsisque Urbinatibus sacris interdixit, quod cædibus indignissimis maximisque factis Urbinum et pleraque alia Romanæ Ecclesiæ subjecta oppida occupassent, cives multos expulissent, reliquos durissimo imperio opprimerent: ad hæc Fridericus Auximatem Recinensem, exulum item Æsinorum aliorumque Picentum præfecturam sibi assumpsisset, ipsumque oppidum Piram, diuturna obsidione prius circumvallatum, cepisset ac nefarie diripuisset; Guido in oppidum S. Donati idem perpetrasset, Ameliique Belmontis Præpositi, qui Picentibus pro Pontifice præerat, legatum cum litteris comprehendi juxta Urbini portas, et tradi in custodiam jussisset; unde nisi aufugisset Legatus ingenti Dei beneficio, capite dedisset pœnas. Neque vero has Pontificias interdicti litteras Raiualdus solum recitavit, divulgavitque, sed omnes jussit e sua ditione, ad quos ipse misisset, idem ut efficerent; juvitque, ejusdem jussu

AUCTORE G. C.

jussu Pontificis, illius provinciæ rectorem equite pediteque, ut Picentum exulum audacia atque improbitas retunderetur.

et spiritua-li gregis sui utilitate laudabiliter rexit,

19 *Denique Rubeus ad eumdem annum narrat, quomodo beatus Antistes, conditis prudentissimis decretis, Ordines quosdam Religiosos in sua diœcesi ad pristinam disciplinam revocaverit, et alia pia hujus seduli Pastoris opera simut eum felici ejus obitu ita recenset:* Cum autem Rainaldus sacrarum etiam virginum mores ac vitam conformasset, et in æde Ursiana aram cruci erexisset ac dedicasset; in qua ex marmore arcam, multis et præstantibus virorum sanctorum reliquiis plenam, incluserat, eamque, certis legibus latis, prædiis ditasset; sacerdotumque, qui Ravennatibus parœciis præsunt, conventum, qui statis diebus parentarent, et pro mortuis psalmos et preces ex libris sacris conceptas recitarent, jam multis ante seculis institutum, et hoc Rainaldi tempore ob sacerdotum licentiam corruptum, restituisset, qui contumelias in Deum ac sanctos viros conviciaque jactarent, et meretriciis amoribus operam darent, aliisque vitiis notarentur, omnino B rejectis, eodem anno MCCCXXI non absque ingenti apud omnes sanctitatis opinione, quinto decimo Kalendas Septembris tranquille decedens, in cælestem patriam evolavit; omni Vir laude merito cumulandus, qui cum magnarum rerum humanarum usu tractationeque religionem, et pietatis rerumque æternarum curam conjunctam perpetuo habuit.

et tandem hac die anni 1321 ad Superos migravit.

20 *Omnes neoterici concordant in assignando annum ac diem mortis, quos hic Rubeus notavit, et istud tempus confirmari potest ex antiquo Spicilegio Historiæ Ravennatis, quod inter Scriptores Rerum Italicarum nuper editum est, ut supra monui, et ubi tomo* 1 *part.* 2 *pag.* 579 *ad rem nostram leguntur sequentia :* Anno Domini MCCCXXI, die Martis, XVIII mensis Augusti dominus Rainaldus archiepiscopus ultimum terminum dedit vitæ suæ, et moritur in gloria, et sequenti die sepultus est in ecclesia majori Ravennæ. *Jam nihil superest, nisi ut Acta et miracula hujus beati Viri typis edamus ex apographo Henschenii nostri, quod cum editione vel altero ecgrapho Ughelli prius conferemus, ut supra promisimus.*

C

ACTA

ET MIRACULA

Quæ Nicolaus de Arimino Minorita anno Christi MDCXIII collegit.

Ex apographo Henschenii nostri, qui illud Ravennæ ex Mss. documentis istius ecclesiæ descripsit, et quod cum editione Ughelliana collatum est.

PROLOGUS.

Religioso viro domino Christophoro honorando Canonico sanctæ Ravennatis ecclesiæ Frater Nicolaus de Arimino *a*, Minorum minimus te D feliciter in Domino consolari *. Ex Christi latere sumens vinculum me tibi dilecto viscerosius innodasti; quo amplius differre nequeo, quod me vere tuum rogatu multiplici amicabiliter poposcisti, ut videlicet vitam et merita B. Rainaldi, felicis archipræsulis quondam Ravennatis ecclesiæ, exiguæ meæ capacitatis modulo describerem. Quamobrem quantum mihi facultatis est, tuo cupiens laudabili voto satisfacere, gesta ejus sancti Viri hinc inde notata, pluriumque verbo narrata, quam brevius clariusque potui, familiari stylo compendiose collegi: et quoniam hæc populo sub prædicationis forma pie * recitanda sunt, de sacris Codicibus assumpto themate, quamdam brevem præmittam introductionem *b* in Legendam, eidemque superaddam sermones tres *c* ad populum, ut ipsius Viri sancti possint quater et diversimode a prædicatoribus exprimi diguissima præconia laudum. Te quoque, pater, obsecro, ut mei sis memor, dum sanctitatem viri Dei Rainaldi Deum suppliciter orando commemorabo, in quem devotione pronissima * tota mente cunctisque artubus inardesco. Vale felix *d*.

Auctor rationem suæ scriptionis reddit.

a

* al. consalutat

* al. primum

b

c

* al. prænimia

d

E

ANNOTATA.

a *Waddingus inter scriptores Ordinis Minorum pag.* 263 *de hoc Actorum scriptore meminit sub nomine Nicolai Ariminensis, et hanc ipsam Ms. ejus lucubrationem penes se esse affirmat.*

b *In Commentario prævio num.* 9 *egimus de hac introductione, seu quadam concionis specie, quæ hic ad institutum nostrum non spectat.*

c *Ibidem etiam indicavimus, cur hos tres sermones cum Henschenio et Ughelliana editione omittamus.*

d *Etsi ille prologus desit in editione Ughelliana, tamen hoc loco variantes lectiones dedi ex Ms. apographo, quod ipse Ughellus Majoribus nostris officiose communicavit.*

CAPUT I.

Beati patria, pia adolescentia, et vita inter clericos sancte acta. F

Beatus ortu Mediolanensis,

Celebris memoriæ B. Rainaldus, felix Archipræsul Ravennatis ecclesiæ, de partibus Lombardiæ civitate Mediolani traxit originem: qui cum adhuc juvenis adolescens apud parentes existeret, illis exhortantibus, jam Grammaticali doctrina sufficienter imbutus, iter ad scholas scientiæ avidus solerti animo sulcans, liberaliorum artium non mediocriter peritus effectus est. Cum autem huic jam præmisso fundamento culmen sapientiæ jam allectus addere concupisceret, quod non nisi purgatis mentibus plene conceditur; vana quoque hujus seculi toto corde respuens, sensualitatis impetus rationis freno compesceus, cælibem vitam ducere ferventer incepit: quam ut aptius perseverando perficeret, divini luminis radio tactus intrinsecus, cæli captus amore, omnisque parentum et affinium carnis immemor, totum reliquit seculum, et Christum intra mentis suæ ubera, ut myrrhæ fasciculum, dulciter amplexus, qui est recta via, clara veritas, et vivens vita, religiosus *a* Clericus effectus est. In qua quidem

A quidem religione fidei scutum assumens, Christique ferventer sectando vestigia, adeo stringere studuit nexum caritatis in Deum, ut nihil scire cuperet, nisi cum Apostolo Jesum Christum crucifixum, cujus amore etiam proximum in omnibus non minus seipso viscerosius diligebat.

factus Clericus varias virtutes exercet, * *al.* centuplum

3 Factus autem Christi verus æmulator, cujus amor numquam otiosus est, anhelans fructum duplum * percipere, vineam Domini Sabaoth omni cum diligentia laborare satagebat. Vacabat enim tribus toto nisu. Primo namque divino cultui solers diligenter insistebat. Nam sacra fideliter intuebatur, agebat reverenter, devotissime ministrabat; tanta etiam voluptate suæ devotæ mentis orabat, ut divinæ contemplationis dulcedine orando in Deum videretur absorptus. Ad omnes equidem horas Canonicas primus accedebat, recedebat ultimus, solicitabat et ceteros; et in hoc suus potissime offendebatur aspectus, si quid * omissionis aut negligentiæ aut dissolutionis aut interruptionis illicitæ aut vanitatis, aut quovis modo mentis inanis subtractionis ab officio, dum orationes et psalmodiæ persolverentur, in aliquo perpendisset.

* *al.* siquidem

B

et divina visione animatus,

4 Jubente autem Deo, qui ut servos suos vehementius animet ad meliora, nonnullis interdum consolationum donis de æterno cæli præmio eis præbet certitudinem, contigit semel, ut cum Matutinum Dominicale cum ceteris Clericis devote celebrasset iu nocte, remanserit in ecclesia, et cum sancta Dei verba, quæ in choro orando protulerat, mentis ruminaret epilogo, visum est sibi, quod unum versum aut unum verbum absque devotionis gustu præterierit * aut sine firmitate attentionis in Deum: verens Vir Dei, ne dictum Matutinum cælo non esset oblatum, ipsum reincepit a capite, et iterum maxima cum devotione, ac fervore spiritus persolvit. Quo perfecto quoniam ex longo orationis peractu * ibi diu steterat (jam enim elucescebat aurora) accedeus ad humilem lectum paululum obdormivit, eoque dormiente apparuit ei in visu Dominus in habitu regali, paternali tamen aspectu cum angelorum ingenti caterva, qui propriis manibus cibum pro prandio in portiones dividens singulas singulis Clericis, qui ea nocte sacrum Matutinum celebraverant in ecclesia, videbatur porrigere. Sed viro Dei Rainaldo portionem exhibebat duplicem dicens: Binam habe mercedem, eo quod orationem duplicem effudisti.

* *al.* protulerit

* *al.* protractu

C

alacriter ad perfectionem tendit.

5 Expergefactus igitur homo Dei Rainaldus, egit gratias Deo ex facta sibi revelatione cognoscens indubie clementem Deum fidelem eam orationem misericorditer acceptasse, multoque solicitior ac promptior factus est ad divinas laudes atque orationis studium iudefessum. Existimabat etenim, plura divinæ mentis arcana nosse sacrarumque Litterarum limpidius profunda scrutari sanctæ orationis atque devotionis studio, quam humano exercitio aut doctrina humanitus acquisita. Secundo solers et indefessus promptitudine nimia in proximorum indigentias caritatis exercebat officia. Tertio sacræ Scripturæ sanctorumque doctrinæ otiabatur ex intimis, et quidquid divinæ legis aut moralis * disciplinæ animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ. Quia non frustra [illud] mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu. His itaque adeo alliciebatur servus Dei Rainaldus, ut nil temporalium rerum mundi spretor appeteret, nisi quantum et vix corpusculi uecessitas exigebat; et tanta intentionis rectitudine utebatur in omnibus, ut quidquid sanctitatis * et justitiæ prætendebat in effectibus, vehementius utique * operabatur affectu, studens efficaciter innocentem et ab omni labe purgatam animam Domino custodire.

* *al.* naturalis

EX MSS. * *al.* pietatis * *al.* utroque

et post rigidam vivendi normam

6 Rigidus quoque in disciplina jugiter super sui custodiam stabat pervigil, curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate et castitate servanda. Animo *b* enim indulgebat, et jejuniis et vigiliis et ceteris corporis austeritatibus quamplurimis, ut castigatione carnis nulla esset rebellio contra rationem in anima, et in omni bello adversus spiritum miles victor existeret. Quem non extollebat magnitudo, aut virtutis incrementum; quinimo se miserrimum judicabat inter ceteros, omnesque sibi dignitate præferebat et loco, et caritatis * humilem præbebat famulatum: et ne corporis gravedine devota anima sopiretur ad virtutis exercitium, aut pigrefieret, semper inimicus epularum sui compos sobrius existebat, et sic perseveranter cursum sanctæ vitæ nitebatur perficere, quem acceperat.

b

* *al.* actu

sacerdotio initiatus,

7 Tandem felix homo Rainaldus cum sacerdotii fuisset insignitus charactere, simplicior ac rectior, longeque virtutibus claruit insignior, qui sanctior factus se intentiore spernens humilitate, indigniorem se laudibus hominum divinæque gratiæ muneribus æstimabat, et crebro illusus ab improbis, gaudens Domino decantabat dicens: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus nou despicies, quia superbis resistis, humilibus autem das gratiam. Ibat etiam per civitatem et terras honesta habitus forma vilique panno contentus, se ad pauperum ac debilium præbeus obsequia, credens firmiter, humilitatis gradu, quæ virtutum est custos, divina super eum facta manu sublime pandere cælum *c*. Erat tantus Christi sacerdos tam simplex, verus et rectus ejusque vita tam sine mendacio, ut quidquid lingua diceret, aut gestis prætenderet, auctoritatis quasi par videretur euangelicæ.

E

c

omnes muneris sui partes

8 Potissimum autem orthodoxam Dei veritatem tam ferventer asserebat, totque approbabat virtutibus, quod, quæ speramus non visa, sibi manifesta judicabantur a pluribus. Quamobrem infideles provocabat et inducebat ad fidem, et Christianos debiles firmabat in fide: ignibus namque se non verebatur exponere, ut fidei Catholicæ veritatem approbaret, et ideo firmius sperans, quæ majore fide credebat. Factus sacerdos iutentione * affectu paupertatem Evangelicam pro divitiarum thesauro possedit, mundi contemptor, cæli mercator effectus, attendendo verbum Salvatoris, qui dicebat: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Præter victum etenim valde parcum et vestitum humilem nihil habere volebat, lætior indigentia quam terrenarum affluentia rerum. Interrogatus semel, cur tauta gauderet inopia et sperneret mundi quæque, respondit: Paupertate gaudeo, ut divitiis fruar; omnia negligo, ut cuncta possideam: omnia enim mihi Christus est, quem si adeptus fuero, sortitus ero feliciter universa.

F

* *al.* interiore

exacte implet.

9 Sed cum regula vitæ ordo sit et pulchritudo sanctitatis, beatus sic Sacerdos nihil curiosum, nihil seculare, nihil inhonestum, nihil præter hunc ordinem debitum in se patiebatur quovis modo; sed totus religiosus in omnibus sacerdotalis regulæ juxta ordinem sanctorum Patrum erat ad plenam perfectus observator: studio vero sacrarum Litterarum et sanctorum Patrum dogmatibus vacabat enixius, ut divinæ legis documenta

EX MS. menta et fidei articulos eminentius posset et ignorantes docere proximos et fidei impugnatores expugnare, quo sacræ doctrinæ valde peritus exstitit. Verum quia turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum et cum vita despicitur, restat, ut etiam prædicatio contemnatur: ideo vir Dei Rainaldus, Christi fervens imitator, qui cœpit facere et docere, nihil docebat alios lingua, calamo vel doctrina, quod prius ipse non fuisset expertus in vita, et qui alios bonos facere moliebatur, omnium ipse optimus erat, tam utique solers animarum saluti, acsi omnes ut in Christo filios quotidie peperisset. O vere felix Sacerdos, qui hereditatem Domini tam immaculatam integraliter conservavit, qui gratissimus Deo, mundo fuit norma et speculum omnimodæ sanctitatis.

ANNOTATA.

a *Non existimo, hic adjectivum* religiosus *stricte accipi ad designandum eum, qui tria substantialia Religionis vota emisit; sed more veterum* B *Latinorum, qui per virum religiosum intelligunt pium, ita ut hoc loco* religiosus clericus *nil præter pium Clericum significet, et vox* religio, *quæ statim sequitur, tantum pro publica pietatis professione accipiatur.*

b *Ughettus pro* animo *legit* non; *sed utraque lectio obscura est, nisi postea pro conjunctione et particula adversativa* sed *subtituatur hoc aut simili modo*: Non eo animo indulgebat jejuniis et vigiliis et ceteris corporis austeritatibus quampluribus, ut castigatione carnis nulla esset rebellio contra rationem in anima, sed in omni bello adversus spiritum miles victor existeret.

c *Hæc periodus in editione Ughelliana ac in manuscripto ipsius exemplari vitiose exprimitur. Quare hic lectionem Henschenianam retinuimus, licet etiam hæc non satis clara sit.*

CAPUT II.

Electio ejus in archiepiscopum Ravennatem, variæ ipsius in hoc munere virtutes, miraculum et felix obitus

C

B. Rainaldus ad cathedram Ravennatem

Cumque ejus virtutis merita fama diffunderetur in orbem, et maximæ et reverentiæ ac eximiæ reputationis existeret apud omnes, accidit, ut tunc archiepiscopus Ravennatis ecclesiæ decederet. Congregatis igitur Canonicis ceterisque Clericis et populo ad electionem novi ejusdem Sedis archipræsulis, nullus dignior eligi servo Dei Rainaldo eis visus est *a*, cumque, discrepante electorum nemine *b*, omnique suadente populo, canonice unanimiter elegerunt. Devotus vero Rainaldus, qui super humilitatis virtutem studuerat fundare seipsum, ut sapiens architector fundamentum præjacens, quod a Christo didicerat, spretus apud se sibique vilescens, sui prælationem abhorrens, ceteris ministrare potius, quam sibi ab aliis ministrari desiderans, electioni præfatæ nullatenus acquievit, cui ex corde renuntians coram omnibus, ne obsecrantius urgeretur, vel saltem infestaretur instantius, in secretiori loco abscondit se, diuque latuit.

(* al. prius)

11 Nihilominus deliberatione totius Capituli et D populi exhortatione miserunt Canonici ad summum Pontificem pro confirmatione electionis jam factæ, qui felicis Rainaldi vitæ sanctæ audita fama, ejusque humilitatis eximiæ ac suarum multiplicium virtutum vera informatione suscepta, statim et libenter ipsum in archipræsulem Ravennatis ecclesiæ confirmavit, sibi quoque præceptum destinavit in scriptis, injungens per obedientiam salutarem et in virtute Spiritus sancti, quatenus pro animarum salute pastoratus ecclesiæ prædictæ in Christo laborem assumeret. Humilis vero Rainaldus jam repertus a Clericis, et jam patens omnibus, qui diutius latuerat, præceptum summi Pontificis reverenter accipiens, obedientiæ jugo colla tetendit, et sedem archiepiscopatus ascendens, non tantum ut præesset, quantum ut prodesset, prælationem assumpsit, et quamquam omnem ambitionis gradum abjiceret, non cari pendens præsidentiam, sperabat * nihilominus diligenti ministerio, ut pius pastor, sollicitam curam gerens in Domino de ovibus sibi commissis, ipso omnium pastori Deo humilitatis merito famulari.

invitus evehitur,

(* al. operabatur)

E

12 Prudens igitur pastor volens prælationis officium in Dei laudem juste et optime pro viribus exequi, in salutem ovium *, tamquam in finem optimum, fixit intuitum, ad quem ut eas feliciter dirigeret, vitæ regulam atque morum honestatem in Clericis studuit observari, jugiter vigil et solers ipsorum Clericorum, maxime sacerdotum, et sui utriusque hominis, scilicet interioris et exterioris custodire puritatem. Erat nempe in reprehensione delinquentium rigidus et discretus, in punitione justus et misericors, in admonitione solicitus, in doctrina promptissimus, bonorum acceptor, malorum correptor, cunctisque speculum et exemplar omnimodæ sanctitatis, adeo ut plures boni fierent ejus exemplo, quam doctrina. Si autem Clericorum quempiam reperisset incorrigibilem, statim expellebat a consortio, ne morbida facta pecus totum fœdaret ovile; æmulabatur tamen in Christo omnes viscerosius, affectans eos non minus se Christo Domino feliciter innodari, et plura sibi bonus pater admittebat incommodo, ut in Christo dilecti filii commode, licet sancte, viverent.

et in officio pastorali

(* al. omnium)

13 Demum liberalis Præsul de bonis Domini, quorum dispensator erat, nimia pietate atque teneritudine, velut ad exemplaria Christi movebatur ad pauperes, quibus erat ipse in eleemosynarum exhibitione largissimus, nulli negans sibi possibile quomodocumque *, qui petendo Dominicum allegabat amorem. Subveniebat incarceratis, visitabat infirmos, fovebat egenos, cunctisque indigentibus secundum exigentiam et pro posse necessaria administrabat. Denique semper aut crebro, dum esset in mensa, pauperum Christi memor, proprium incisorium *c*, fultum carnibus aut piscibus, eis distribuendum mittebat, malens solo vesci pane, quam Christi pauperes fame cruciari. Interdum cum per ecclesiam incederet, multis egenis, parvulis atque provectis, qui ad eum ipsius pietatis fama convenerant eleemosynam accepturi, singulos denarios singulis porrigebat. Erat quidem dulcis pastor cunctis affabilis et in conversatione benignus: dum enim devoti subditi jucundum ejus cum maturitate carissimum intuebantur vultum, nimia voluptate præsentia tanti patris fruebantur in domino. Quam ob causam tanta conspecta benignitate, nullus ad eum verebatur accedere pro gratia impetrationis desperatæ.

misericors erga pauperes F

(* al. quidquam)

14 In omnibus etiam adeo temperatus erat, ut nec

A nec crapula nec ira, nec amor, nec turbatio aliquatenus limites transiret regulatæ rationis: virilis attamen * erat et constans, nullum terribile verens pro agenda justitia atque defensione virtutis et, coutra quantumcumque difficilia constantissime perseverans. Scientissimus quippe erat, et omnis facultatis peritia pollebat clarissime, ut supra dixi. Verumtamen exercitatione continua et otio studii solicito, illustrante etiam gratia Dei, scientiam quotidie addebat scientiæ, qua cupiens fidelium communitati proficere Christi amore, a quo ipse gratis acceperat, animum vertit ad proximos et fidelium animarum salutem. Ex corde desiderans, ut Christianus populus cælum intenderet, Christi imitando vexillum, fidem, caritatem et spem, virtutes quoque morales prædicatione publica, nec non privata exhortatione hominum cordibus nitebatur imprimere, ab eisque cuncta removere vitia, cujus sermo fidelis, simplex, devotus et clarus eximium Christi Ecclesiæ fructum animarum attulit: eo etenim conversi sunt quondam involuti diversorum peccatorum criminibus ad bene vivendum quamplurimi;

et solicitius pro suo grege.

* al. autem

B 15 Et ut a piissimo Deo ejus verbi approbaretur devota simplicitas, semel dum in quadam villa prædicaret juxta Padum, quæ vocatur ab incolis Fossa-pudola *, et ranarum multitudo ipsarum garritu Viri Dei sermonem confunderet, auditumque impediret adstantium, confisus in Domino, præcepit ranis, quod tacerent: quæ felicis viri Rainaldi tamquam Dei obtemperantes jussui acsi fuissent rationales creaturæ, mandati capaces, illico tacuerunt; quod miraculum cernentes populi stupore grandi repleti sunt; quoniam discretis viris maxime perspicaeibus non minus erat hoc miraculum, quam rectificare claudum solo verbo, aut cæcum illuminare, et ob hæc erga beatum virum Rainaldum multo majori devotione repleti, in prædicatione ipsius viri simplicis et servi Dei fidelius ac devotius stabant attenti.

post patratum evidens miraculum

* al. putrida

pie moritur.

16 Postremo strenuus Christi miles atque fidelis Deo Rainaldus jam morti proximus, quam revelante Deo præscivit, ad ecclesiam cathedralem convocavit populum, et omnium virtutum admonitione longa et utili præmissa, in qua quidem multa eis futura prædixit, omnes præcipue exhortatus est ad mutuam C caritatem et pacem. Deinde Clericos et maxime Canonicos seorsum habuit, quibus primo facto doctrinali sermone, ut debitam Clericis honestatem servarent, suam paternalem benedictionem exhibuit, eis promittens vitam æternam, si servaturi erant, quæ ipse pater edocebat; et post aliquamdiu patienter toleratam ægritudinem hujus vitæ mortalis victor consummans agonem, sanctum spiritum Deo reddens, ejus felix anima transvolavit ad astra: cujus triumphum in cælis et gloriam ut benignus Deus seculo patefaceret, ejus sanctitatis famam multiplicibus authenticis et fide dignis approbatis testibus insignivit, quorum aliqua hic infra scripta sunt.

ANNOTATA.

a *Hoc loco collector Actorum statim transilit ad electionem* B. Rainaldi *in archiepiscopum Ravennatem, altum silens de administratione ecclesiæ Vicentinæ, legatione Gallica, aliisque præclare gestis, quæ* § 2 *Commentarii prævii recensuimus.*

b *Hic errat scriptor vitæ: Nam Hieronymus Rubeus, qui vetera documenta Ravennatum constituit de electione ista ad annum Christi* 1303 *pag.* 507 *sic scribit*: Sacrati viri Ravennates, de more in Ursiano templo comitiis habitis, cum non unum sentirent, elegerunt duos, Rainaldum Concorregium Mediolanensem, et Leonardum Fliscum ecclesiæ Burgensis *(videtur* Brugensis *legendum esse)* quæ est in Tornacensi diœcesi, Præpositum.

ex ms

c Incisorium, *Gallis* tranchoir, *est orbiculus mensarius, super quo cibus inciditur, ut in recuso Cangii Glossario ad hanc vocem videre est.*

CAPUT III.

Diversa miracula, quæ post mortem patrocinio Beati contigerunt.

Quidam honestus vir, civis Ravennas, atque legum doctor egregius, nomine dominus Jacobus Benincasa, longo tractu temporum fuit gravamine podagrarum oppressus, quem ipsa podagra noviter et acerbius superveniens tam graviter molestabat in manu sinistra *a*, quod quasi ambulare * non poterat, nec a sessione consurgere, et nimio vexabatur dolore. Cumque continuo intenderetur dolor et augeretur infirmitas, longo tempore passus fideli devotione ac toto mentis affectu B. Rainaldo se recommandans humiliter, quod pro eo sanctis precibus intercedens ad Dominum, suæ liberationis gratiam impetraret, vovens ipsius Sancti tumulum impetrata gratia visitare cum luminibus candelarum, et oblatione statuæ cereæ, et toto tempore vitæ suæ diem seu vigiliam sui obitus jejunare. qui usque ad mediam noctem in oratione perseverans suppliciter, die sequenti fuit totaliter a podraga, et a multis aliis corporis passionibus liberatus.

Vir podagricus. E

* al. anhelare

a

18 Quidam civis Ravennas carpentarius et murator *b* optimus, nomine Joannes Gondus *, tam gravi capitis dolore gravabatur, quod lumen oculorum ex vehementi dolore videbatur amittere. Qui magna devotione, firma spe ac pleniore fiducia se intercessionibus ad dominum B. Rainaldi suppliciter commendavit, seque voto ferventer abstringens, quod ei F sanitate præstita sepulchrum supradicti Archipræsulis cum candelis accensis et oblatione capitis cerei visitaret humiliter. Quibus oratione et voto peractis, dictus Joannes liberationis gratiam meruit obtinere.

alter dolore capitis afflictus.

b

* al. Gordus

19 Quædam mulier nomine Bagnollesa de Foropopilio *c*, habitatrix tamen civitatis Ravennæ, cum in pede sinistro infirmitatem pateretur gravissimam, adeo ut sine baculo sustentante ire non posset, confidens in precibus et subsidio beati patris Rainaldi, se sibi pro recuperandæ sanitatis impetranda gratia devotissime commendavit promittens, se visitaturam tumulum ejus cum candelis accensis et oblatione pedis cerei, obtenta gratia postulata. Quæ, emisso voto, sanitati pristinæ repente restituta est.

mulier pede laborans.

c

20 Quædam mulier, nomine Blonda de comitatu Ravennæ, vexabatur a dæmonio, quæ per suos affines ad sepulchrum B. Rainaldi violenter [est] ducta; cumque ibi per aliquot horas stetisset, a circumstantibus fusa oratione pro ipsa ad dictum Sanctum, a Deo fuit plenissime liberata.

alia energumena.

21 Quædam monialis nomine soror Thomasina

alia paralytica,

EX MS. na de Lambardanis de Ravenna, erat paralytica. cujus membra omnia valde tremebant : quæ intolerabilibus diu cruciata doloribus, diffisaque a medicis potius de morte sperabat quam de vita. Cumque ad preces S. Rainaldi recursum haberet, vovens humiliter se visitaturam sepulchrum ejus cum candelis accensis ac reverentia debita, gratia clementis Dei et meritis felicis Archipræsulis sæpedicti sanitati pristinæ restituta est.

quidam febre tertiana oppressus

22 Quidam civis Ravennæ, nomine Primus, febrem tertianam patiebatur tam graviter, quod jam putabat sibi mortis imminere periculum : confisus in meritis et orationibus gloriosi Rainaldi pro liberatione recommaudavit se, sibi fideliter promittens ejus visitare sepulchrum cum candelis accensis et oblatione unius statuæ ceræ : qui statim emisso voto liberatus fuit a febribus antedictis.

alius podagra excruciatus, * al. Angelus d

23 Quidam nomine Hugolus * de Comitatu Forlivii *d*, qui spatio quinque mensium tam graviter cruciabatur per totam personam podagrarum dolore, quod vociferabat quotidie, nec sine fulcris ambulare poterat. Qui B. Rainaldi humiliter implorans auxilium, cum promissione visitandi sepulchrum B ejus, atque offerendi candelas accensas, statim fuit divino opere liberatus.

puer anginæ vexatus,

24 Quidam nomine Petruccius de Comitatu Ravennæ et uxor ejus, Altemilia nomine, unicum habebant filium, cui nomen erat Bernardus, cui et superveniente sibi quadam infirmitate gravissima adeo clausum est sibi guttur, quod nec vinum nec lac nec aliquid aliud deglutire poterat; ob quod diffidentibus medicis, nihil proficientibus remediis adhibitis, potius eum moriturum sperabant, quam victurum. Verumtamen memores admirandæ, sanctitatis viri Dei Rainaldi parentes ejus prædicti ad ipsum pro impetranda gratia a Deo de liberatione filii plena recurrerunt fiducia, cum deprecantes humiliter et devote, quatenus pro eorum filio ad Dominum intercederet, voventesque ejus visitare sepulchrum cum candelis accensis, obtenta gratia. Quorum oratione perfecta, fuit puer, eorum filius, ab illa atrocissima ægritudine liberatus.

femina a dæmonibus obsessa,

25 Quædam mulier nomine Jacobina de civitate Ravenna ex ingenti vexatione dæmonum, qui eam atrociter invaserant, tam acribus cruciaba- C tur fremitu, doloribus et tremore, quod nulla sibi aderat loquendi eundi ac standi facultas. Vir autem ejus et mater amicorum consilio, aliorumque liberatorum exemplo, dictam juvenem sic vexatam conduxerunt ad tumulum B. Rainaldi sperantes firmiter, ipsam ipsius sancti Archiepiscopi meritis liberandam et precibus, quorum a Deo devotione suscepta, ipsa mulier totaliter liberata est,

et quidam morbis

26 Quidam, Nicolaus nomine de Alemania, manu attractus sinistra, duobus mensibus aperiendi aut claudendi illam manum, aut se juvandi cum ea, potestatem non habuit, qui B. Rainaldo se devote recommandans, meritis ejusdem Sancti D a Deo extitit liberatus.

aut vulneribus affecti

27 Quidam, nomine Antoniolus de Bononia, vulneratus graviter in gutture a quodam Ravennate, cum quo rixam habuerat, mori potius sperabat quam vivere. Qui diffisus et derelictus a medicis, se sancto Archiepiscopo recommandans, in paucis diebus liberatus extitit.

invocatione B. Rainaldi sanantur,

28 Quædam mulier, Adalasia nomine, capitis et dentium intolerabili cruciata dolore, pro liberationis suæ acquirendæ gratia ad S. Rainaldum habuit cum devotione recursum, quæ exaudita sanitatem habuit meritis et intercessione Pontificis antedicti.

ANNOTATA.

a *Hæc pars corporis, quam podagra aut potius chiragra infestabat, in editione Ughelliana non exprimitur. At in Ms. exemplari ipsius hic lacuna apparet.*

b Carpentarius et murator *barbare derivantur ab Italicis vocibus* carpentiero *ac* muratore, *quæ fabrum lignarium et structorem muralem vel cæmentarium significant.* E

c Forum Popilii *olim urbs Æmiliæ, postmodum destructa, ita ut nunc tantummodo sit castrum vulgo dictum* Forlimpopoli, *quod jacet in Romandiola provincia ditionis Ecclesiæ.*

d Forum Livii *vernacule* Forli, *urbs Italiæ in eadem Romandiola, habuitque olim proprios principes; sed nunc subest dominio summi Pontificis.*

EPILOGUS.

ut auctor asserit ex authenticis instrumentis constare. a

Hæc et alia quam plura miracula, quæ hic causa brevitatis notare non curavi *a*, fecit omnipotens Deus meritis et intercessione gloriosi archiepiscopi Rainaldi, quæ diffusius et authentice scripta sunt per manum publici tabellionis et approbata testibus fide dignis in quodam quaterno * existente in cartilegio ecclesiæ Ravennatis, de quo extraxi *b*, et sic ad brevitatem hæc pauca deduxi : quæ hic annotata sufficiant ad approbationem prædicti F sancti Pontificis, quibus ostenditur indubie, quantum ipse gratus fuerit in vita omnipotenti *, atque gloriosus et sublimis existat in cælis. Deo gratias. Amen.

* al. quinterno b

* al. præsenti

ANNOTATA.

a *Hieronymus Fabri in sacris Monumentis Ravennæ part.* 1 *pag.* 19 *numerat quatuordecim miracula, cum ego hic tantum duodecim inveniam.*

b *Hinc patet, hæc miracula magnam fidem mereri, et esse ex illis, quæ juridice discussa sunt, ut* § 1 *Commentarii prævii num.* 4 *monui.*



ACTA

A D

DIES DECIMA NONA AUGUSTI

SANCTI QUI XIV KAL. SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Julius senator M. Romæ.
S. Magnus episc. et mart. in Ital.
S. Magnus mart. in Cappadocia.
S. Andreas Tribunus, ac socii martyres in Cilicia.
S. Timotheus,
S. Thecla,
S. Agapius, MM. Palæstinæ.
B S. Crescentia virgo Parisiis.
S. Filion,
S. Rufinus,
S. Leontius,
S. Theodolus,
S. Cyrillus,
S. Zelatus,
S. Timotheus,
S. Gadda,
S. Romolus,
S. Sylvius, MM. Amaseæ in Ponto.
S. Rufinus conf. apud Mantuam in Italia.
S. Eutychianus miles,
S. Strategius, Martyres.
C S. Marinus ep. conf. in diœcesi Gerundensi in Catalonia.
S. Satyrus ep. mart. cum sociis Aretii in Tuscia Italiæ.
S. Badulphus conf. abbas Athanacensis in Gallia.
S. Clintancus rex martyr in Anglia.
S. Marianus conf. in Biturigibus Galliæ.
S. Donatus presb. conf. in pago Sigisterico Provinciæ in Gallia.
S. Mocteus vel Mochteus episc. Ludmagensis in Hibernia.
S. Elaphius ep. conf. Catalauni in Campania Galliæ. E
S. Mandrianus,
S. Flavianus, MM. Telone in Provincia Gall.
S. Bertulfus abbas Bobii in Liguria Italiæ.
S. Magnus conf. ep. Avenionensis in Gallia.
S. Calmineus conf. Dux Aquitaniæ, Mosaci in Arvernia.
S. Sebaldus eremita Norimbergæ in Germania.
S. Ludovicus ep. Tolosanus ex Ordine FF. Minorum, Brincolæ in Provincia Galliæ.
B. Petrus Gualdensis eremita in Marchia Anconitana Italiæ. F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sancti Macarii hegumeni monasterii Pelecetes *meminit noslrum Græcum Ms. Taurinense. Vide diem* I Aprilis.

S. Cumianus *episcopus Scotus seu Hibernus, Fastis sacris plane incognitus, Bobii in Liguria Italiæ, S. Columbani celebri monasterio, hoc die dcpositus dicitur in ipsius Sancti epitaphio metrico; de quo vix alia superest notitia. Nescio cur Majores nostri alium diem elegerint, ut videre est tomo 2 Junii, ad diem, quo ibi dc eo pridem breviter ab Henschenio actum est,* IX Junii.

Petri Berlandi, archiepiscopi Burdegalensis electio *indicatur apud Claudium Robertum in Gallia Christiana. Consuli possunt, quæ de hoc præsule dicta sunt in Prætermissis ad diem* XXVI Januarii, et XII Junii.

Donatus episcopus, Hilarianus mon., Alterus, Lucillus, Charissimus, Meritianus, Fortunatus, Halbo, Anastasius, Leo, Albinus, Bacilius, Andreas, et alii 2597 Aretii *assignantur in nostro Ms. de Sanctis hujus mensis e variis Fastis sacris collecto.* De S. Donato cpiscopo martyre, et de S. Hilariano etiam martyre *egimus die* VII *Augusti. De atiis non mihi in promptu est, plura ac certa edocere lectorem. Adcat itaque diem* VII Augusti.

S. Samuelis presbytcri ecclesiæ Edessenæ, sanctitatc et doctrina illustris, *memoria annuntiatur hac*

A hac die apud Ghinium in Sanctorum canonicorum Natalibus. Actum de illo fuit ad diem IX Augusti.

Corpora sanctorum Cassiani, et Calixti martyrum, et Fortunati conf., episcoporum Tudertinorum; ac sanctarum Dignæ et Romanæ, virginum ejusdem civitatis, a Nicolao Armato, episc. Tud., anno sal. MCCCI, die XIX Augusti translata et recondita *etc. memorantur apud Joannem Baptistam Possevinum in Vitis Sanctorum ac Beatorum Tudertinorum, editis Perusiæ anno* 1597, *pag.* 147. *De* S. Cassiano *isto egimus die* XIII *hujus mensis; de* S. Callisto *ad diem* XIV *ejusdem mensis; de* S. Fortunato *tractat Martyrologium Romanum die* XIV *Octobris.* S. Dignam *cum eodem dedimus die* XI *Augusti, uti et* Romanam *die* XXIII *Februarii. Porro de eorum translatione, hac die facta, hæc satis. Apud Possevinum plura inveniet lector de alia horum sacrorum corporum translatione; apud nos vero ad diem* XXIII Febr. et XIII Augusti.

S. Maximi confessoris, et sancti martyris Diomedis

B memoria *habetur in nostro supplemento ad Menæa excusa Sirmondo-Chiffletiano; eorumque* solennitas *ibidem dicitur* celebrari in templo venerabili sanctæ Deiparæ, quæ coguominatur Hierusalem, et ad album fluvium. *Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* 4 *pag.* 157 *meminit* Hierusalem monasterii, *cujus fortasse templum supra designatur. Si vero iidem sint Sancti isti, de quibus egimus, nimirum de S. Maximo confessore alias martyre ad diem* XIII *Augusti; de Sancto autem Diomede martyre die* XVI *ejusdem mensis; consuli de iis possunt* XIII et XVI Augusti.

S. Gueuniuus episcopus Veneteusis iu Gallia *irrepsit per errorem inter Sanctos, quos dedimus die* XVIII *hujus mensis; sed spectat ad hunc diem.*

In Marria Solonii presbyteri, qui sanctum Palladium apostolum sepelivit, *annuntiatio ponitur apud Dempsterum. A Ferrario signatur cum titulo* sancti. *Plura ac certiora de ejus gestis ac cultu cupimus edoceri.*

S Theodorus, martyr Quarentensis ultimus *an-*

C *nuntiatur a P. Philippo a Visitatione in Acie bene ordinata Sanctorum ac Beatorum Ordinis Carmelitarum. Desideramus probationes publici ac legitimi cultus.*

Agnus *ac* Magnus MM. *signantur in nostris collectaneis, quæ ex variis sacris Fastis eruta sunt.*

Cemianum *aliquem* monachum in Scotia *signat hoc die Ferrarius in Catalogo generali; at multum fallor, nisi eumdem* Cumianum *alicubi male scriptum et male collocatum legerit: certe de eo alibi nihil inventum est.*

Eo ipso die (XIX *Augusti)* celebramus memoriam sanctissimæ Deiparæ, et fit universalis processio cum honoratis crucibus et sanctis iconibus in templo Deiparæ dictæ Doveusis, *inquit Menologium Slavo Russicum Sparwenfeldianum.*

Jerosolymis apparitio *seu* reversio sanctæ Crucis *sub his aut similibus terminis signatur hoc die in codicibus Hieronymianis, cujus occasione Florentinius in annotatione alia hujusmodi festa etiam apud Græcos variis diebus memorata adjungit. Verum hæc longioris disquisitionis sunt, et eo differenda, quo cetera Christi Domini et beatissimæ Virginis Mariæ festa jam toties diximus remittenda. Æque ambigua sunt* D *quæ* XIV *hujus de* reversione crucis *in Prætermissis notata invenies.*

Treviris S. Sabinæ, et pedissequæ ejus *annuntiatio est hoc die solius nostri Florarii Sanctorum Ms.; quam ubi invenerit, frustra quæsivi hactenus.* Sabinam *non unam in Actis retulerunt Majores nostri; at nullam aut* Treviris *aut cum* pedissequa: *neque nos eas admittere hoc loco audemus, nisi lucis plusculum aliunde affulgeat.*

Leo abbas Cavensis *in Fastis Benedictinis Wionis, Menardi et Bucelini magnis elogiis exornatur, poniturque inter cœnobii* abbates Sanctos *ordine* duodecimus. *Vellem, probassent, ipsum legitimo cultu ab Ecclesia honoratum; id enim nisi liqueat, in hoc Opere locum ipsi dare integrum nobis non est.*

Messanæ, S Bartholomæi abbatis, Ordinis S. Basilii, fundatoris magui monasterii sanctissimi Salvatoris, in isthmo portus. *Annuntiatio est nostri Octavii Caietani in Idea operis de Vitis Siculorum Sanctorum, ad hanc diem* XIX *Augusti*, ex Vita Græce scripta, *quæ habetur* E *tomo* 2 *dictarum Vitarum pag.* 136 *et sequentibus. Eumdem Bartholomæum cum titulo* Sancti *Ferrarius suo Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, intexuit e laudato Caietano. Scimus quidem abbatem hunc in Vita apud Caietanum vocitari* virum sanctum, sanctissimum Bartholomæum; *ad hæc, virtutes ac mira, quæ ibidem de ipso vivente referuntur, suspicimus ac veneramur: sed quia nullum publici cultus, quo post mortem ab hominibus honoratus fuerit, vestigium vel ibi, vel alibi hactenus reperire nobis licuit; cogimur exspectare ea documenta, quibus certo nobis constet, eum vulgo umquam pro tali habitum fuisse: quæ si subministrentur, poterit illi locus dari in Supplemento Operis nostri.*

Appiani confessoris, *annuntiatio ultima in Maurolyci textu, videtur abundare, nisi fortasse* Appianus *iste confundendus sit cum* Apiano monacho in Italia, *qui in Actis nostris relatus est* IV *Martii: certe neque hoc die, neque alio, in sacris Fastis repertus est.*

Guerricus *seu* Guarricus, *abbas Igniacensis, a Chrysostomo Henriquez impense laudatus, et* F *ex eo a Raissio acceptus, a Chalemoto neglectus est, neque a Wione aliter, quam ab eruditione commendatus, ut facile conjicias, necdum inter Sanctos Ordinis proprie dictos computari.*

Glorioso excessu e cœtu mortalium ad beatorum immortalem felicitatem properavit beatæ memoriæ Burchardus episcopus Viennensis, vir episcopalibus dotibus ad cumulum ornatus, miraculisque tam ante quam post obitum admodum insignis. *Hoc elogio Burchardum exornat Saussayus in additionibus ad Martyrologium suum Gallicanum* XX *hujus, non visus ipsum Sanctis annumerare, ut patet, dum solum addit* bonæ memoriæ *titulum. Chiffletium nostrum ejus perstudiosum fuisse, ex eo patet, quod plura illustria miracula describi, et ad Majores nostros mitti curavit: ut mirum prorsus sit, Virum tot prodigiis celebrem, Sanctorum honores necdum consecutum. Certe Castellanus in suo Martyrologio universali, hac die* XIX *non aliter ipsum annuntiat, quam cum appellatione* venerabilis *his paucis verbis:* Viennæ in Delphinatu, venerabilis Burchardi

A chardi archiepiscopi.

Joannes Burgensis conf. *Lugduni in Gallia*
Gasparus confessor, *Zamorræ*
Joanna et Margarita sorores virgines, *apud Longum-campum in territorio Parisiensi.*

} *cum titulo* beati *referuntur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et duæ ultimæ etiam in Gynæceo.*

Quibus additur in Gynæceo Benedicta abbatissa *cum titulo* sanctæ, *in Hispania*, et Aleydis vidua, *cum titulo* beatæ, *in Lotharingia.*

Ab Heubero autem in Menologio signantur

Antonius Heringius, *Wetslarii in Weteravia,*

Joannes de Beiari, *Populæ de Angelis in India occidentali,*

Conradus Mögler, et Matthias Sigler, *in provincia Tyrolensi,*

Theodorus et Hogerus de Saxonia, *Andernaci ad Rhenum.*

Joannes Siverinus, Theodorus Rheinfeldius, et Otto Volmarus, *Moguntiæ ad Mœnum.*

Bonaventura Daumius, *Græcii in Stiria,*

Alphonsus Requisens, *Toleti in Castella,*

Corpus magnæ Dei famulæ Baptistæ incorruptum, B *Placentiæ in Italia,*

Comitissa Angelina de Civitatella, tertii Ordinis S. Francisci, *Civitatellæ in Apulia.*

Alexium Strozza *Ordinis FF. Prædicatorum ; sacræ theologiæ doctorem clarissimum, anno* 1383 *hoc die vita functum, mirifice, laudatum invenit Papebrochius per F. Joannem Carolum Florentinum apud Ambrosium Taëgium De insigniis Ord. Prædicat. tomo* I *f.* 358. *Nihil prætermisit, quod de egregiis ejus dotibus ac virtutibus prædicatum reperit. Quod autem hic nobis primum et præcipuum est, neglectum invenit, nempe de Alexii publica veneratione. Innuit quidem paucis, inventum corpus incorruptum et translatum anno* 1662 ; *verum non inde secutum fuisse cultum vere religiosum, suspicari nos merito cogit Marchesius, qui in suo grandi Diario sacro Dominicano anni* 1676 *de Alexio nec verbo quidem meminit, neque alibi quidquam eo spectans reperire hactenus licuit, quod utinam alicunde ab aliquo suggereretur !*

Jordanus: *a patria dictus* Pisanus, *Ord. FF. Prædicatorum, insigni elogio ornatus est a Marchesio in Diario suo Dominicano, graviter conquerente de Majorum suorum negligentia in prosequendo tanti Viri cultu, hoc tempore penitus exoleto.* C

Balduinus confessor *ita hoc die signatur in Additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum ; at quem, aut qualem indicare velint, necdum intelligo.*

B. Angelus de Aqua pagana, conversus Camaldulensis *notatur a Jacobillo in tomo* 3 *de Vitis Sanctorum ac Beatorum Umbriæ pag.* 359, *et laudatur a sancta morte, quæ acciderit die* XIX *Augusti. Plura ei præconia tribuit Bucelinus in suo Menologio ad hanc diem, addens* magno *cum* concursu vicinorum coli, *et citans Sylvani Razzi Hist. Camald. Verum antequam inter alios hujus diei cœlites illi locum demus, aliunde edoceri cupimus ac certiores fieri, an et qualis sit concursus ille; et an sit talis, ut ex eo formari possit sufficiens argumentum pro legitima, publica ac religiosa veneratione, quam requirimus in aliis, quos tamquam Sanctos vel Beatos Operi nostro inteximus: præsertim quia inter Vitas, quas sub titulo Sanctorum ac Beatorum Ordinis Camaldulensis vulgavit Razzius, nullam hujus Angeli invenio.* D

Prophetæ Samuelis *meminit hac die Calendarium nostrum Syriacum seu Chaldaïcum. De eo agemus proxime sequenti die cum Martyrologio Romano* XX Augusti.

Oswinus rex *inscribitur nostris collectaneis Mss., quæ de Sanctis apud nos asservantur, et ex variis sacris Fastis excerpta sunt. De eo tractabitur die proxime sequenti* XX Augusti.

S. Donortius episcopus Aberdonensis *notatur hac die in nostro catalogo Ms. Sanctorum Hiberniæ. Vide de eo inter Prætermissos die proximo* XX Augusti.

SS. Gregorius, Theodorus et Leo *signantur hac die in ecgrapho nostro, quod desumptum notatur ex Petri Cato parte secunda. Alibi de iis agitur die, ad quem nos quoque illos differimus* XXIV Augusti.

Cantuariæ in Anglia beati Breginni (*al.* Bregwine) ep. et conf *memoria consignatur in nostro Florario Ms. Alibi eum lego die* XXIV, *et* XXVI *hujus mensis. Nos autem de eo agemus* XXVI Augusti. E

Firmini, episcopi Ambianensis, confessoris ordinationem *notatam lego hac die : sed præsulem hunc sanctum spectare alio, indicavimus heri in Prætermissis, videlicet ad diem* I Sept.

S. Nonnosus *abbas seu præpositus monasterii in monte Soracte annuntiatur a Castellano, et in chartis nostris, ut qui Bambergæ ob notabiles reliquias* XIX *Augusti solenniter colatur. Verum cum in Martyrologiis diserte notetur* 2 *Septembris, quo etiam in Romano, quod sequimur, signatus est, differendum censuimus ad eum diem* II Septembris.

S. Richardis virginis *annuntiatio est solius Greveni hoc die : at nisi de* S. Richarda augusta *agatur, non video pro quo supponat, hæc vero remittitur ad* XVIII Septembris.

S. Heuanum, *seu* Enanum, eremitam *invenio apud Colganum in Actis Sanctorum Hiberniæ ad ad diem* XXVIII *Februarii, pag.* 423, *in nota* 27 : cujus festum secundum Ængussium et Marianum celebrari *ibidem dicitur* die XIX Augusti in ecclesia Dromrathensi, quæ ex monasterio olim celebri, ut hic indicatur, et parochialis diœcesis Medensis, sita in occidentali regione Mediæ. Sed idem S. Ængussius, uti et Martyrologium Tamlactense, dicit ejus natalem servari XVIII Sep. *Hæc ibi. Si interea temporis plura de eo documenta ad notitiam nostram perveniant, poterunt esse usui ad dictum diem* XVIII Septembris. F

De S. Mariano eremita, *ut a S. Gregorio Turonensi laudatus est, agitur hoc die suo loco ex Usuardo, et Martyrologio Romano. Synonymum ex vetustissimo Breviario Bituricensi laudat Labbeus in Bibliotheca Mss. tomo* 2 *pag.* 432, *cumque diserte asserit coli ibidem* XIX *Septembris. Idem, an diversus sit ab hodierno, necdum definire audemus, priusquam ab ipsis Bituricensibus de duorum, an unius solius cultu plenius edoceamur, atque adeo rem examinandam remittimus ad dictam diem* XIX Septembris.

Ermelinæ virginis *est annuntiatio Greveni, qua, ni fallor, indicatam voluit* Hermelindem *seu* Ermelindem *Meldariensem, de qua agit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ; non hoc die, sed* XXIX Octobris.

Panormi

A Panormi in Sicilia translatio sanctæ Nymphæ virginis et martyris. *Annuntiatio est Ferrarii in Catalogo generati Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt. De ea agi poterit ad diem* x Novembris.

Secundum martyrium sancti Thomæ Cantuariensis, quando ejus sacra ossa publico et iniquo D edicto, sub Henrico apostata Anglorum rege, hujus nominis octavo, combusta fuerunt. *Annuntiatio est Chrysostomi Henriquez in Menologio Cisterciensi. Spectat hic Sanctus ad diem* xxix Decembris.

DE S. JULIO SENATORE MARTYRE

ROMÆ

J. B. S.

Sylloge de cultu, Actis et reliquiis.

An. cxcii. Sancti elogia

De *sancto hoc* Julio *Romano* senatore *vetustissima ea memoria in Fastis est, quam Adoni suggessit Romanum parvum, ita brevissime eum hoc die annuntians :* Romæ, B Julii senatoris et martyris. *Ado, ut jam in Usuardo nostro monuimus, plura ex Actis deduxit, quæ ferme eadem habet Beda Plantinianus. En Adonis ipsius elogium :* Romæ, natale beati Julii senatoris et martyris sub Commodo imperatore, judice Vitellio. Hunc docuerunt beati martyres Eusebius, Vincentius, Peregrinus, et Pontianus; per quorum manus etiam facultates suas pauperibus distribuens, a B. Rufino prysbytero Baptismi gratiam percepit. Quod audiens Commodus, iratus jussit eum teneri, et cuidam Vitellio magistro peditum tradi, ut omnes facultates ejus requireret, et ad sacrificaudum impelleret Qui conjecit eum in carcerem, et post triduum catenis vinctum fecit sibi præsentari : et auditum jussit tam diu fustibus cædi, donec emitteret spiritum. Cujus corpus collegerunt noctu beatus Eusebius, Pontianus, Peregrinus atque Innocentius, et sepelierunt in cœmeterio Calepodii sub die xiv Kal. Sept.

ex quorum Actis sint accepta :

2 *Multo brevior est Usuardi annuntiatio hujusmodi :* Romæ, sancti Julii senatoris et martyris, qui, jubente Commodo imperatore, tamdiu fustibus est cæsus, donec emitteret spiritum; *ut satis pateat, non inde, sed ex Adone aut potius ex ipsis Actis desumptum Romani hodierni tex-* C *tum :* Romæ, sancti Julii senatoris et martyris, qui Vitellio judici traditus, et ab eo in carcerem trusus, jubente Commodo imperatore tamdiu fustibus cæsus est, donec emitteret spiritum : cujus corpus in cœmeterio Calepodii via Aurelia sepultum fuit. *Videri potest Baronii ipsius annotatio de dignitate senatoria : nempe impossibile esse, ut senator cum in Christum credidisset, in senatu ulterius permaneret, ob sacrificia toties quoties diis offerenda. Sed hæc atio potius spectant, quam ad sanctum nostrum* Julium.

quæ inde sejunxit.

3 *Jam data elogia omnia ex eodem fonte procedunt, ex Actis nimirum, quæ apud alios cum S. Eusebii et sociorum gestis commixta, a Vincentio Bellovacensi tantillum distincta sunt, non libro* 11 *cap.* 119, *ut vult Baronius, sed libro* 10 *cap.* 120 *: ubi quamvis nonnihil contracta tamen nec ita satis sincera censentur, ut contendit Tillemontius tomo* 3 *pag.* 59, *mox conveniendus. Eumdem Sanctum Hispanis suis annumeravit Tamayus elogio ex Ferrario accepto, cui labori supersedere poterat; at notissima est ejus audacia in Sanctis omnibus Hispaniæ vindicandis, quorum reliquias in eas partes translatas supposuit. Sic igitur hoc die annuntiat :* Placentiæ in Vettonia Hispaniæ, depositio S. Julii senatoris Romani, qui sub Vitellio præfecto, imperante Commodo, per fustium iterata supplicia martyrio coronatus occubuit. Cujus sacra lipsana Roma, Urbano VIII Pont. Max. concedente, translata, ibidem in sacrario custodiuntur. *Hæc retulisse satis sit ex hujus martyrologi fide. Ad Acta re-* E *dimus quæ hic ex Bellovacensi prius producenda sunt :*

Legenda

4 Itaque quidam senator Julius audiens monita hujusmodi salutaria, introduxit eos *(nempe Eusebium et supra nominatos)* in domum suam, et audiens solicite prædicationem, credidit, et facultates suas varias per manus eorum distribuit. Accersito igitur quodam presbytero Rufino, Baptismum cum omni domo sua suscepit : cœpitque ipse publice confiteri Christum, et pro eo mortem concupiscenti animo desiderare. Quod cum audisset Cæsar, amaritudinis felle exagitatus, jussit eum ad se reduci, et eum sic cœpit affari : Juli, qualiter amens effectus es, ut deserens Jovem et Herculem, sequaris nescio quam amentiam vanam? Cui viriliter respondit Julius dicens : Tu simul peribis cum diis tuis, quos vano errore deos esse temerario ore mentiris. Confusus itaque Cæsar et his et aliis verbis, accersivit quemdam virum, nomine Vitellium magistrum peditum animo ferum, opere crudelem, omnibusque vitiis obsessum, præcepitque ei dicens : Exquire diligenter facultates hujus sacrilegi, et compelle eum ad sacrificandum invictissimo Herculi, qui nisi acquieverit, non protrahas ipsum diutius vivere. F

Vincentii Bellovacensis.

5 Suscipiens Vitellius vicarius, fecit eum coarctari in custodia. Post triduum jussit sibi tribunal præparari in Tellude, et S. Julium catenis astrictum exhiberi ante se. Erat autem corpore nudus, sed ex integro fide munitus; quem sic alloquitur Vitellius : Audisti quid jussit princeps? Depone jam pertinaciam et adora deos, per quos universus substitit orbis Romanus. Nam si non feceris, diversis afflictus pœnis punieris. Cui Sanctus constanter respondit : O miser et miserande, simul cum tuo principe perfido peribis. Ad hæc Vitellius dixit : O Juli, in quo confidis, cum jam damnatus sis? Julius respondit : Fiducia mea vita æterna est, spes mea Christus est, qui te cum principe tuo damnabit in æternum interitum. Hæc audiens Vitellius, iracundiæ stimulis instigatus, jussit eum fustibus cædi. Qui dum cæderetur, emittens spiritum cælestia petiit. Cujus corpus præcepit Vitellius ante amphitheatrum jactari. Quod audiens Eusebius, Vincentius, Peregrinus atque Potentianus, collegerunt corpus sanctissimi Christi Martyris et sepelierunt illud in cœmeterio Calepodii xiv Kal. Septembris.

6 *Hæc*

A *Tillemontius hæc Acta carpens,* 6 *Hæc ex Vincentio, in quo fateor, præter mutationem nominis* Pontiani *in* Potentiani, *nonnulla atia occurrere, quæ seveerioribus criticis displicere possint. Sed non video, quid tantopere sæviat Tillemontius in illa, quæ de* S. Julii *martyrio memorantur, quasi senatoribus Christianis varia supplicia inferri non potuerint æque ac ceteris, præsertim sub insano imperatore Commodo. Verum equidem esse admitto, non usque adeo sævitum fuisse in virum senatorem Apollonium, de quo pridem a Majoribus actum est ad* XVIII *Aprilis; ast hic præfectus describitur, Commodi insania dignissimus, nempe* animo ferus, opere crudelis, omnibusque vitiis obsessus, *ut facile concedi possit, immanem illum Vitellium in exosum sibi senatorem* S. Julium *fustibus sæviisse.*

testimonio Eusebii, 7 *Certe Tillemontius meminisse poterat, ignominiosa tormenta nobilibus Christianis interdum illata fuisse. Procul dubio legerat aliquando ea, quæ Eusebius Cæsariensis apud Valesium lib.* 8 *Historiæ ecclesiasticæ cap,* 6 *de persecutione Diocletiani expressit his verbis* : Gloriosos atque illustres Dei martyres ea tempestas tulit, Dorotheum scilicet et reliquos cubicularios pueros; qui tametsi summi honoris prærogativa ab imperatori- B bus ornati essent, nec minus ab iisdem diligerentur quam filii, probra tamen pro pietate tolerata, et ærumnas ac diversa mortis genera adversus ipsos excogitata, majoris revera pretii esse duxerunt, quam gloriam ac delicias hujus seculi. Horum igitur unius dumtaxat hic exitum referam, ut ex illo lectores conjicere possint, quid reliquis contigerit.

et uno alterove exemplo 8 Productus est in medium quidam illorum in urbe superius memorata coram iis, quos dixi, imperatoribus; jussusque diis sacrificare, cum id pertinaciter recusaret, nudato corpore sublimis tolli præcipitur, et verberibus concidi, quoad tandem vel invitus jussis obtemperaret. Sed cum ille hujusmodi tormentis excarnificatus, in eadem sententia firmus permaneret, ipsis jam ossibus denudatis, commixtum sale acetum tabescentibus corporis membris infuderunt. Quos dolores cum ille etiam toleraret, craticula deinceps et ignis in medium affertur. Et reliquiæ corporis ipsius, instar carnium, quæ ad cibum parantur, igne assatæ sunt; idque non simul ac semel, sed paulatim, ne scilicet celeri exitu defungeretur. Nec carni- C fices, qui eum rogo imposuerant, demittere illum sinebantur, nisi prius jussis post tot cruciatus acquievisset. Verum ille in eadem semper sententia perseverans, victor ipsis in tormentis animam exhalavit.

AUCTORE J. B. S.

refellitur 9 Hujusmodi fuit martyrium unius ex imperatoris cubiculariis, digni profecto suo nomine : Petrus enim ille vocabatur. Reliquorum vero martyria nihilo inferiora, tamen brevitatis studio hic omittemus. Id tantum retulisse sufficiet, quod Dorotheus et Gorgonius una cum aliis pluribus, qui in palatio ministrabant, post hujuscemodi certamina elisis laqueo faucibus, divinæ victoriæ præmium adepti sunt. *An Tillemontius etiam istud Eusebii testimonium rejiciet, quia ex illa narratione constat, aulicos ignominiosis suppliciis affectos fuisse? His adde, quod interdum sævi præsides vel imperatores nullam dignitatis rationem haberent, ut patet ex testimonio Julii Capitolini, qui apud Ruinartium in Præfatione ad Acta martyrum sincera pag.* XLIX *asserit, sub imperatore Maximino fuisse* alios in crucem *sublatos, alios animalibus nuper occisis* inclusos, alios feris objectos, alios fustibus occisos sine delectu dignitatis. *Hæc pluribus exemplis confirmari possent, si scrupulus Tillemontii tantum operæ mereretur. Jam de reliquiis hujus sancti Martyris breviter aliquid* E *dicendum superest.*

et de reliquiis Sancti breviter agitur. 10 *De sacro Sancti ipsius deposito nonnulla certo dubia occurrunt. Id imprimis quod de corpore in Hispaniam translato jam Tamayum asserentem, vel potius divinantem audivimus. Nam etsi ultro admittamus, socras reliquias alicujus S. Julii veri aut nominati in eas partes absportatas, inde omnino non sequitur, hodiernum* S. Julium *intelligendum esse. Haud dubie et locis aliis synonymi Sancti reperientur, quos modo quærere nit opus est. Videor meminisse, dum Romæ studiis theologicis vacarem sub Innocentio XII repertum corpus alicujus S. Julii cum inscriptione, ex qua judicabatur, ipsum esse* S. Julii senatoris : *illud vero depositum fuisse in sacrario templi PP. Franciscanorum vulgo* Ara cæli, *ubi adhuc honorari suppono, quidquid in suo Hemerologio scripserit Piazza, creditum Romæ anno* 1690, corpus quiescere ad S. Paucratii, reliquias *vero, opinor aliquas,* asservari in SS. Nerei et Achillei. *Plura propediem suggeret eruditissimus Marangonus Canonicus Anagninus Proton. Apostolicus etc. in eo, quod parat, opere de sacris Romanis reliquiis, ubi forte exponetur, cujus S. Julii fuerint ea,* F *quæ inventa sunt* XXX *Aprilis anni* 1697.

DE S. MAGNO EPISC. ET MART.

IN ITALIA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Proponuntur intricatæ difficultates circa distinctionem variorum Sanctorum, qui hac die sub eodem nomine coluntur.

Sub Decio. Proponuntur intricatæ difficultates, *Illustraturus Acta quorumdam Sanctorum, qui nomine* Magni *appellantur, et hac eadem die coluntur, labyrinthum ingredior adeo inextricabilem, ut ex eo felicem exitum sperare non ausim. Attamen, ut munere meo fungar, erudito lectori proponam plerasque difficultates, quas ipse dissolvere non possum, ut hic liberum de iis judicium ferat, et hujus rei peritior forsan ex illo labyrintho facilius egrediatur. Primo quidem in variis Martyrologiis tanta occurrit discrepantia, ut certo statuere non possis, utrum unus idemque Sanctus, an autem diversi martyres annuntientur*

AUCTORE G. C.

nuntientur, quemadmodum ex ipsis Martyrologiorum verbis aliisque monumentis ecclesiasticis mox patebit.

ortæ ex diversis Martyrologiis,

2 *Vetera nonnulla Martyrologia, quæ Edmundus Martene tomo* 3 *Thesauri Anecdotorum col.* 1551 *et sequentibus edidit, die* XIV *Calendas Septembris annuam* Magni martyris *memoriam sine ullis aliis circumstantiis simpliciter celebrant, nisi quod ibidem col.* 1600 *antiquum Calendarium Corbeiense multos ei socios addat in hunc modum :* Sancti Magni cum sociis suis duorum millia D et XCVII. *Alia Martyrologiorum exemplaria adjungunt bis mille quingentos nonaginta tres, vel bis mille sexcentos septemdecim sodales cuidam S. Magno et S. Andreæ tribuno militum, qui in Oriente martyrium subierunt, ut ex infra dicendis apparebit.*

et aliis antiquis

3 *Porro Codices Sacramentorum nongentis annis vetustiores, quos Thomasius anno* 1680 *Romæ vulgavit, de solo* S. Magno *meminerunt, et pag.* 169 *festivitatem ejus die* XIV *Kalendas Septembris ita recolunt :* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et intercedente beato martyre tuo Magno,
B ab hostium nos defende propitiatus incursu. Per *etc.* SECRETA. Grata tibi sint munera nostra, Domine; quæ et tuis sint instituta præceptis, et beati Magni festivitas gloriosa commendet. Per *etc.* POSTCOMMUNIO. Tua sancta sumentes, quæsumus Domine, ut beati Magni nos foveant continuata præsidia. Per *etc.*

monumentis,

4 *Hactenus hæc omnia venerandæ antiquitatis monumenta de solo* S. Magno *agunt. Sed difficile dictu est, quis aut qualis ille fuerit : nam auctor veteris Martyrologii Romani, quod a Rosweydo nostro editum est, et Usuardus rem satis implicatam magis intricant, dum hic Adonem secutus eodem die Martyrem illum annuntiat his verbis :* Natalis sancti Magni seu sancti Andreæ martyris cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta et septem. *Hic loquendi modus innuit,* S. Magnum *binominem fuisse ac eumdem esse cum S. Andrea tribuno militum, qui post relatam de Persis victoriam cum magno sodatium numero propter fidei Christianæ professionem in Cilicia interfectus est, ut hac die in Actis ejus narrabitur. Unde Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ pag.* 175, *et Florentinius*
C *in Observationibus ad Martyrologium Hieronymianum pag.* 762 *existimant,* S. Magnum *etiam nomine Andreæ appellatum fuisse, vel S. Andream more apud Græcos usitato cognomen* μεγαλομάρτυρος *id est,* magni martyris *habuisse.*

quæ Sanctum ejusdem nominis

5 *Hæc Menardi ac Florentinii sententia confirmari potest ex Calendario libri Sacramentorum Ratoldi abbatis, in quo solus* S. Magnus *cum bis mille quingentis nonaginta septem sodalibus ita annuntiatur :* Sancti Magni cum sociis suis duorum mille D et XCVII. *Adde, quod in manuscripto infra citando martyrium* S. Magni *cum S. Andrea et sociis* in Cilicia *collocetur. Sed additiones ad Martyrologium Bedæ, quod ante tomum secundum Martii edidimus, pag.* XXIX *aliam martyrii palæstram assignant, et* S. Magnum *ab Andrea videntur distinguere per particulam copulativam hoc modo :* In Alexandria natale S. Magni et S Andreæ martyrum. *Deinde ibi sequitur annuntiatio, quæ verosimiliter ab amanuensi corrupta est, in hunc modum :* Eodem die natale S. Mariani *(aliunde constat, hunc fuisse confessorem et in Gallia obiisse)* cum duobus millibus quingentis nonaginta septem. *Arbitror, illum sociorum numerum vitiose transpositum esse, et ad priorem annuntiationem pertinere, Hæc opinio* D
mea roboratur ex manuscripto, quod Holstenius in Animadversis ad Martyrologium Romanum pag. 98 *citat, et in quo* S. Magnus *et S. Andreas cum sociis etiam copulative alio loco sic memorantur :* In Cilicia natalis Magni et S. Andreæ, et sociorum militum duum millium DCXVII. *Suspicor, in hunc numerum etiam sphalma amanuensis irrepsisse, ac in fine* DCXVII *vitiose pro* DXCVII *scriptum esse, quemadmodum facile sola unius litteræ transpositione fieri potuit.*

variis modis et locis

6 *Ceterum laudatæ additiones ad Martyrologium Bedæ videntur ibidem supradictum* S. Magnum *Alexandrinum distinguere ab alio ejusdem nominis martyre, quem eodem die alibi assignant his verbis :* Romæ natale sancti Magni martyris. *Verum Florentinius hac die in observationibus allegat vetustissimum Martyrologii Hieronymiani exemplar, in quo sic legitur :* In Fabriteria Magni *etc, Etiam Ms. codex reginæ Sueciæ, qui ab Holstenio ibidem in Animadversis ad Martyrologium Romanum citatur, eumdem venerationis aut martyrii locum exprimit, et* S. Magnum *die* XIX *Augusti* Fabriteriæ *collocat. Est autem* E
Fabriteria vel Fabrateria, *teste Baudrando,* colonia et oppidum Volscorum in Latio Straboni et Antonino, nunc Falvaterra, castrum Campaniæ Romanæ in ditione Ecclesiæ prope Lirim fluvium in ipso confinio regni Neapolitani, octo milliaribus distans ab Aquino in occasum.

hac die annuntiant.

7 *At ex his annuntiationibus nondum scio, utrum* S. Magnus *Fabriteriæ martyrium subierit an ibi dumtaxat ob translatas sacras reliquias singulari cultu honoratus fuerit. Florentinius putat, Fabriteriam fuisse palæstram martyrii, dum id observationibus suis ad Martyrologium Hieronymianum pag.* 762 *sic scribit :* Auctarium autem esse, quod in libris nostris deficit, et in Martyrologio Corbeiensi signatur ad calcem, memoria nempe seu NATALIS S. MAGNI MARTYRIS, vix crederem, cum in vetustissimo, ut diximus, non modo adnotetur, sed locus passionis exprimatur IN FABRITERIA ; quam vocem non ita facile librarii vitio irrepsisse putarem. FABRATERIÆ tamen potius esse scribendum existimarem, quod hoc nomine Paterculo indigitetur Italiæ colonia, et ad fluvium Tretum *(forsan hic amnis miscetur cum fluvio, qui supra Liris vocatur)* via Latina F
memoretur apud Strabonem; in Antonini vero Itinerario inter Aquinum et Fregellas reponitur, uti revera nunc pagus est eodem loco in Latio. *Ex his Florentinii verbis haud difficulter colligo, ipsum credidisse, quod Fabrateria fuerit* locus passionis, *in quo* S. Magnus *palmam martyrii obtinuit. Sed utinam eruditus ille vir id antiquis testimoniis evidenter ostendisset!*

Refertur opinio præsulis Hydruntini,

8 *Hanc rem aliunde satis obscuram non magis dilucidat illustrissimus D. Franciscus Maria de Aste, archiepiscopus Hydruntinus, dum in notis ad Martyrologium Romanum hac die quæstionem topographicam instituit hoc modo :* Martyrologium vetustissimum sancti Willibrordi apud Florentinium, et Ms. Reginæ Sueciæ penes Holstenium : IN FABRITERIA MAGNI. Verum apud topographos FABRITERIA non reperitur ; unde in prælibatis codicibus luxate : IN FABRITERIA. Nihilominus vitium tantummodo in librario scribente FABRITERIÆ pro FABRATERIÆ ; non autem in loco, quo nomine Paterculo indigitatur Italiæ colonia ad fluvium Tretum ; via Latina apud Strabonem memoratur ; et in Antonini Itinerario inter Aquinum et Fregellas; nunc pagus in Latio.

9 Si

AUCTORE G. G.

A *qui eumdem vult cognominari Fabrateriensem*

9 Si quis vero subderet, ex Fabrateria transferri Anagniam potuisse, adstipulantibus Actis apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ hac die, quæ ferunt Anagniæ in Latio sanctum Magnum episcopum et martyrem; hoc erit divinare: apographa enim laudata non Anagniæ, sed Fabriteriæ seu Fabrateriæ signant; aliunde cum et hic pagus et Anagnia in Latio sistant, facile ea Acta ex uno ad alium locum percurrissent. Ceterum ne Anagnini irascantur ob suum raptum martyrem et episcopum Magnum; et aliunde non exstant Fabraterii, qui possint de hoc dolere; cumque hæc tantum exhibuerimus pro hujus nutationis scitu, idcirco ipsi Anagnini Martyrologii Romani lectionem retineant sapientiorum judicio, ita proferendo: ANAGNIÆ SANCTI MAGNI FABRATERIENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS, QUI etc.

cujus cognominis ratio æque obscura est,

10 *Nescio quid epitheton* Fabrateriensis *sibi velit in hac annuntiatione, quam illustrissimus præsul Anagninis recitandam proponit. An Sanctus ille forsan a patria* Fabrateriensis *appellabitur? Sed Acta quædam et nonnulli auctores tradunt; illum Trani in Apulia natum esse. Quapropter hoc sancto cive suo etiamnum gloriatur urbs Tranensis,* quæ vel hodie natale domicilium ejus ex seniorum traditione ostendit, *ut infra laudandus D. Thomas Angelus Bay in præfatione ad Acta hujus* S. Magni *scribit. Quidquid sit de hac natalis domicilii ostensione seu potius populari traditione, quæ post tot elapsa secula propter magnam rerum vicissitudinem aliasque circumstantias nobis non adeo certa est, saltem omnia Acta consentiunt, illum Sanctum ex Apulia oriundum esse. Nec etiam Fabrateriensis dici potest a sede episcopali, cum nullus umquam episcopatus Fabrateriensis in Italia fuisse videatur. An forte Fabrateriensis appellari poterit, quia Fabrateriæ martyrio coronatus est? At martyres communiter non ita cognominantur ab urbibus, in quibus lauream martyrii consequuntur: nam tunc palæstra martyrii aliter exprimi solet, nimirum* in Fabriteria *vel* Fabriteriæ, *ut superius ex antiquis Martyrologiis retulimus. Dum autem* S. Magnus *annuntiatur Anagniæ, locum præcipuum venerationis aut reliquiarum designari arbitror, ut infra denuo dicetur. Itaque non satis clare capio, cur illustrissimus archiepiscopus Hydruntinus* S. Magnum *cognomine* Fabrateriensis *appellari voluerit.*

quam duplex Martyrologii Aquisgranensis annuntiatio.

11 *Neque magis intelligo, quid sibi velit Martyrologium Aquisgranense, quod apud Florentinium de variis ejusdem diei Sanctis confuse ita meminit*: Natalis sancti Magni seu Andreæ cum duobus... militibus * DC et VII. In Amasæ natalis Silionis, Rufini, Leontii, Magni, Arionis. *Vides, hic duplicem* S. Magnum, *aut certe eumdem Martyrem bis eodem die memorari. Sed merito dubitari posset, an hæc diversa ejusdem vel duplicis Sancti commemoratio ex luxatis aut confusis Hieronymiani Martyrologii litterculas non oriatur. Quare Florentinius pag. 761 post has annuntiationes ex collatione diversorum codicum sic concludit*: Ex tot igitur codicibus jam apertum videtur, Leontium ac socios non Fabretariæ cum Magno, sed Amaseæ in Ponto cum Filione et Rufino reponendos esse.

* Forte militibus

Quidam hunc perperam vocant episcopum Anagninum,

12 *Sed inter tam multas variasque annuntiationes, quas hactenus retuli, nulla huic Sancto titulum episcopi tribuit. Attamen hodiernum Martyrologium Romanum die* XIX *Augusti annuam* S. Magni *memoriam annuntiat his verbis*: Anagniæ sancti Magni episcopi et martyris, qui in persecutione Decii necatus est. *Opinor, hunc Sanctum dumtaxat Anagniæ collocari a Martyrologio Romano, quia notabilis ipsius reliquiæ ad illam urbem translatæ sunt, ut postea dicetur. Baronius tamen indicat, illum in civitate Anagnina passum esse, quando in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 254 *num.* 29 *eumdem Martyrem cum aliis ita recenset*: Leguntur sub Decio pariter passi Formiis Albina; Anagniæ Magnus episcopus et secundina virgo. *Quinimo videtur eminentissimus vir hunc* S. Magnum *inter episcopos Anagninos numerare, cum in Indice Sanctorum ad Martyrologium Romanum* Magnus episcopus Anagninus, martyr sub Decio XIX Augusti *ab ipso assignetur. Certe Ferrarius hac die eumdem Martyrem diserte episcopum Anagninum appellat in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi etiam breviter præcipua ejus Acta enarrat.*

quos Ughellus refellit,

13 *Ferdinandus Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* I *col.* 306 *hanc utriusque scriptoris opinionem rejicit, ubi de urbe et martyribus Anagninis hæc habet*: Longe illustrior hæc civitas evasit post acceptum jam inde ab Apostolorum temporibus lumen Euangelii ob illustrissimos clarissimosque martyres, qui in ea, ut E semel recepta fides Christiana confirmaretur, per sævissima tormenta numquam desituram tulere palmam martyrii; iu quibus euituere Secundina virgo et martyr, Aurelia, Neomistiaque *, aliique quamplures, quorum apud Martyrologium Romanum exstant invictæ coronæ. In Cathedrali ecclesia Deiparæ Virgini Annuntiatæ consecrata sanctus Maguus episcopus Tranensis quiescit, quem Ferrarius Baroniusque volunt Anagninum fuisse episcopum; quos plane errare suo loco postea demonstrabimus. *Deinde tomo* 7 *ejusdem editionis agens de præsulibus Tranensibus, et gesta* S. Magni *referens, col.* 889 *ex variis Mss. codicibus ostendit, illum episcopis Tranensibus accensendum esse. Etiam diversa Actorum apagrapha, quæ postmodum enumerabimus,* S. Magnum *eodem episcopi Tranensis titulo exornant; sed ignoramus, quantam hæc omnia vetustatem vel auctoritatem habeant, ut de tam remotis Decii temporibus certam fidem mereantur. Cum igitur hic ubique intricati nodi sese offerant, ut eruditus lector videt, experiamur, utrum eos feliciter dissolverint illi auctores, qui de variis hujus nominis Sanctis operose scripserunt.* F

* al. Neomisia

et alii cum confundunt cum Magno vel Andrea,

14 *Hugo Menardus Benedictinus in notis et observationibus ad Librum Sacramentorum pag.* 175 *de Sanctis hodiernis, qui nomine* Magni *appellantur, notat sequentia*: Porro in codicibus Remensi et Ratoldi sequitur: XIV KAL. SEPTEMB. NATALE S. MAGNI. Eodem die in Martyrologio Romano: ANAGNIÆ S. MAGNI EPISCOPI ET MARTYRIS, QUI IN PERSECUTIONE DECII NECATUS EST. Fuit et alius Magnus tantum martyr, non episcopus, de quo eodem die agit Petrus in Catalogo lib. 7 cap. 76; et Martyrologium Ms. sancti Hieronymi: ET NATALE S. MAGNI MARTYRIS. Hic et Andreas appellatur, cumque multis aliis passus est, ut videre est iu Martyrologio Usuardi: NATALE S. MAGNI SEU S. ANDREÆ MARTYRIS CUM SOCIIS SUIS DUOBUS MILLIBUS QUINGENTIS NONAGINTA SEPTEM. Et in Martyrologio Ms. bibliothecæ Corbeiensis: NATALE S. MAGNI SEU ANDREÆ MARTYRUM (*lege* MARTYRIS) CUM SOCIIS SUIS DUOBUS MILLIBUS QUINGENTIS NONAGINTA SEPTEM. In Calendario libri Sacramentorum Ratoldi abbatis mentio fit etiam ejusdem S. Magni martyris, sed Andreæ

AUCTORE G. C.

nomine supresso: SANCTI MAGNI CUM SOCIIS SUIS DUORUM MILLE D ET XCVII. Qui quamvis hic martyr non appelletur, id tamen internosci potest ex circumstantiis. In parvulo Martyrologio codici Remensi assuto mentio fit S. Magni sine adjuncto in hunc modum: ET NATALE S. MAGNI. De hoc autem ultimo puto nostra Sacramentaria esse capienda, cum in eorum Collectis MARTYR dumtaxat appeletur, EPISCOPUS neutiquam. Collectæ utriusque codicis similes sunt et communes. *Ex his quidem sequitur*, S. Magnum *martyrem verosimiliter ab episcopo ejusdem nominis distinguendum esse. Sed proptcrea nec dum admitto*, S. Magnum *martyrem esse eumdem cum Andrea, quandoquidem Acta eorum multum inter se differunt, et unus sub Aureliano imperatore, alter autem sub Maximiano passus fuisse dicatur, ut infra ex Actis utriusque manifestum fiet.*

qui fuit dux exercitus,

15 *Interim videamus, an his obscuris annuntiationibus aliquid lucis afferat Florentinius, qui in notis ad Martyrologium Hieronymianum hac die sic disserit:* Anagniæ pariter in Latio S. B Magnum illius urbis episcopum et martyrem exhibet hac die Martyrologium Romanum, et ejus Acta percurrit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. An ex Fabretaria Anagniam potuit transferri? Equidem non Anagniæ, sed Fabriteriæ assignat etiam alter ex manuscriptis reginæ Sueciæ: FABRITERIÆ MAGNI. Alium etiam S. Magnum martyrem Cæsariensem Cappadocem cum paganis duobus millibus quingentis nonaginta octo refert ad hanc diem Petrus de Natalibus lib. 7 cap. 76. Parum distat ab hoc numero Maurolyeius, qui Magni et Andreæ socios numerat MDXCII; (*Maurolycus in duabus Martyrologii sui editionibus bis mille quingentos nonaginta septem socios clare exprimit*) sed Magnum fuisse binomium doceut Usuardus et Rabanus, dum natalem S. MAGNI SEU S. ANDREÆ MARTYRIS cum sociis eodem cum Maurolycio numero signatis, recolunt, quemadmodum totidem verbis Ado. De S. Magno martyre, qui et Andreas vocabatur, ... sub nomine Andreæ tantum ducis exercitus et sociorum duorum millium quingentorum nonaginta trium, sub Maximiano imperatore et Antiocho duce gladio percussorum, hac ipsa die meminit Græcorum Menologium. Fusius ejus Acta C prosequitur Metaphrastes apud Surium tomo 8, cursumque docet fortissimum ducem cum sociis militibus complevisse in regione Audrocala in Tauri montis augustiis die Dominico. Facile autem existimarem Magni nomen itidem fuisse adjectivum more Græcorum, qui insignes martyres MAGNOS dicunt, ut de Andrea patet in Actis illis cap. 9.

et alibi cum plurimis sociis martyrium subiit,

16 *Equidem lubens fateor, illustres pro fide Christiana pugiles a Græcis* μεγαλομάρτυρας *id est,* magnos martyres *appellari; at quomodo* S. Magnus, *qui Cæsareæ in Cappadocia martyrium subiit, et de quo Petrus Equilinus meminit, idem esse potest cum Andrea duce exercitus, qui in angustiis montis Tauri ab Antiocho interemptus est? Certe ætas utriusque athletæ, palæstra martyrii, genus mortis, et alia Actorum adjuncta prorsus inter se diversa sunt, ut postea ex Actis eorum liquebit. Quare non video, quomodo Florentinius et Menardus hos duos Martyres confundere potuerint, nisi contendant, Acta alterutrius a capite ad calcem conficta fuisse, quod sine solida ratione non est asserendum, vel ambo auctores illi decepti fuerint a Maurolyco, qui Acta utriusque Martyris ad diem* XIX *Augusti in Martyrologio suo sic commiscuit:* In Cæsarea D Cappadociæ, Aureliano imperante, sanctorum martyrum Magni et Andreæ cum sociis suis duobus quingentis nonaginta septem, qui cum vidissent ferocissimum leonem in paganos sævientem, ad pedes autem Magni prostratum ac mansuetum ad Christum conversi, jussu præsidis Alexandri decollati sunt; Magnus autem lapidibus oppressus. *Simili modo Galesinius ad hanc diem in Martyrologio suo Acta illa confudit.*

a quo tamen ipsum distinguendum putamus,

17 *Hæc quidem ex aliqua parte spectant ad* S. Magnum *Cappadocem, cui tamen in Mss. Actis nostris postea edendis nulli sodales adjunguntur, et qui post varia tormenta, quibus, eum gentiles frustra interimere tentaverant, in oratione spiritum ultro emisit. Sed mansuetus ille leo, et Aurelianus imperator, præsesque Alexander nullo modo pertinent ad S. Andream tribunum, qui cum plurimis militibus Christianis ab Antiocho duce exercitus in angustiis montis Tauri occisus est, et de quo Græcum Martyrologium Cardinalis Sirleti ad eamdem diem tradit sequentia:* Natalis sanctorum martyrum Andreæ ducis E exercitus et sociorum duorum millium quingentorum nonaginta trium, qui Maximiani persecutoris temporibus delati apud Antiochum ducem exercitus, quod essent Christiani, perseverantes in Christi confessione ense percussi sunt. *Consule postmodum fusiora S. Andreæ Acta, quæ meus collega Pinius hac die illustrabit.*

et recensemus varios ejusdem nominis Sanctos,

18 *Omnibus itaque mature expensis, primo* S. Magnum *Cappadocem ab Andrea tribuno distinguendum existimamus. Præterea arbitramur,* S. Magnum *episcopum in Italia ab utroque hoc martyre diversum esse. Certissime ab his omnibus differt* S. Magnus *episcopus Avenionensis et confessor, cujus memoria etiam hac die celebratur, ut Castellanus in Martyrologio suo universali affirmat. Singulos illos Sanctos hodiernos, eodem* Magni *nomine appellatos, collocabimus secundum seriem temporis, quo passi sunt aut floruerunt. Nunc igitur primo loco discutiemus Acta* S. Magni *præsulis Itali, qui sub imperatore Decio vixisse dicitur, et quem diversis locis in Italia annuntiari opinamur, quia in iis quievcrunt vel adhuc conservantur sacræ illius reliquiæ, de quibus postea agemus.* F

qui hac die in Martyrologiis occurrunt.

19 *Nihil hic diximus de venerabili Magno rege Norvegiæ, quamvis hac ipsa die* XIX *Augusti in Auctariis Usuardi nostri illustrati apud Grevenum celebretur annua memoria* Magni, regis Noreganorum et martyris. *Majores nostri hunc eumdem regem, ni fallor, die prima Maii inter prætermissos collocarunt his verbis:* Magnus, Norwegiæ rex, ut Sanctus refertur in Martyrologio Richardi Witfordi, Londini anno 1506 excuso. Omittitur a Joanne Vastovio in Vite Aquilonia, et a Missali Aquilonari ante ducentos circiter annos excuso. Neque alibi de ejus cultu aliquid reperimus. *Ego quidem in Historia Norvegica, quam Thormodus Torfæus heterodoxus anno 1711 Hafniæ edidit, parte 3 lib. 4 cap. 16 invenio venerabilem Magnum Norvegiæ regem et sancti Olavi filium, qui propter pietatem singulari elogio ornatur; sed nusquam apparent aliqua publici et antiqui cultus vestigia, etiamsi Torfæus ibidem ex veteri libro,* Morkiuskinna *dicto, narret, intercessione ejus quædam miracula fuisse patrata. Quare certiorem notitiam requirimus de immemorabili ipsius cultu quam si nobis quispiam subministraverit, de Magno illo agi poterit ad diem* XXV *Octobris, quo*

A *Torfæus et alii scriptores eum mortuum esse perhibent. Interim paragrapho sequente discutiemus Acta vetustioris* S. Magni *episcopi et martyris, ac postmodum de sacris ejusdem vel alterius Sancti homonymi reliquiis opiniones conjecturasque nonnullas proponemus.*

§ II. Publicus hujus Sancti cultus, varia Acta, eorumque compendium, et nonnullæ circa illud difficultates.

Probatur publicus hujus Sancti cultus ex Officio proprio

Habemus solenne Officium, ab Olivetana Congregatione in ecclesia propria S. Magni *quotannis celebratum, quod D. Cyprianus Salernitanus, ejusdem Congregationis monachus, jussu amplissimi D. Lactantii Neapolitani abbatis ex antiquis monumentis concinnavit. In primis Vesperis hujus Officii proprii canitur sequens hymnus :*

B
Pangat mater Ecclesia
Summi Regis præconia,
Magna Dei magnalia,
Magna Magni solemnia.
Hic primo pastor ovium
Forma factus humilium,
Conscendit votis omnium
Pastorale fastigium.
Vitâ doctrinâ splenduit,
Insignis signis claruit,
Plus fecit, vita docuit,
Sic præfuit, qui profuit.
In corporis exilio
Ex quodam privilegio
Utens in ministerio
Angelorum consortio.
Post ab apparitoribus,
Tentus et carnificibus,
Piis profusis precibus,
Jungitur cæli civibus.
Ergo martyr egregie,
Lux et decus Ecclesiæ,
Tuæ plaudentes gloriæ
Redde cælesti gratiæ.
C
Pro tanti Patris merito
Laus sit tibi Ingenito,
Lausque Unigenito,
Laus tibi Paraclito. Amen.

Philippus Ciammariconus in Sanctuario Anagnino, quod anno 1704 *Italice edidit, pag.* 187 *magnam hujus hymni partem exhibet, et pagina præcedente testatur, hunc aliosque hymnos in veteribus codicibus manuscriptis inveni, et ab immemorabili tempore in ecclesia Anagnina, usitatos fuisse.*

et immemorabili sacrarum reliquiarum veneratione

21 *Insuper hic Sanctuarii auctor pagina sequente asserit, Anagniæ sacrum* S. Magni *corpus in medio altari inferioris ecclesiæ, quod ex albo marmore constructum est, hodiedum honorifice conservari, ibique exprimi sequentem inscriptionem :* Hic jacet corpus B. Magni episcopi et martyris. *In parte autem versus Orientem, ubi est vetus altare, teste eodem scriptore, legitur sequens carmen hexametrum :* Hic corpus Magni requiescit præsulis almi. *Deinde ibidem addit, in visitatione anni* 1701 *venerationem erga hunc Sanctum ab episcopo Anagnino auctam fuisse, ac ibi ad majorem* S. Magni *cultum fieri hanc commemorationem.* Antiphona : Almis beate precibus Magne tuere populum, qui tibi præstet munia laudis semper mirifica. ℣ : Ora pro nobis beate Magne. ℟ : Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio : Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et intercedente B. Magno martyre tuo atque pontifice, ab hostium nos defende propitius incursu. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Quamvis hæc collecta admodum similis sit orationi, quam superius num.* 3 *ex Sacramentario Thomasii transcripsimus, tamen adhuc ignoramus, utrum in illis vetustissimis codicibus fiat annua memoria hujus* S. Magni *episcopi et martyris, cum ibi titulus* pontificis *ei non addatur, et solummodo martyr appelletur, ut ibidem num.* 4 *breviter observavimus. Cum autem aliunde de immemorabili ac licito istius sancti Præsulis cultu satis constet, hunc operosius non probamus, et ad enumeranda diversa Actorum exemplaria progredimur.*

qui confirmatur ex antiquis ejus Actis,

22 *In Antiphonis, Lectionibus, aliisque partibus supradicti Officii proprii narrantur præcipua* S. Magni *gesta, quæ laudatus D. Cyprianus Olivetanæ Congregationis ex veteribus codicibus excerpsit, et elegantiore clarioreque stylo* E *exposuit. Quamvis hæc claritas et elegantia in divinis Officiis laudem mereantur, tamen propter auctoritatem magis placet nobis obscura et barbara narratio, qua Acta illa antiquitus conscripta fuerunt. Unde pluris facimus R. D. Thomam Angelum Bay, patria Coratensem et Vicarium generalem archiepiscopi Tranensis, qui anno* 1626 *Acta* S. Magni *fideliter edidit, sicut ea in veteri codice Tranensis ecclesiæ invenerat, quemadmodum in præfatione ad populares suos Coratenses testatur. Tamen non recudemus illam editionem, quæ plurimis mendis scatet, cum nobis ad manum sint duo veteres musei nostri codices, et varia eorumdem Actorum apographa, quæ ex diversis regionibus olim accepimus, et de quibus jam notitiam aliquam subministrabimus.*

quorum varia assignamus exemplaria,

23 *Primo membraneus codex antiqui characteris, qui in museo nostro signatur* † Ms. 74, *folio* 177 *et sequentibus continet Vitam* S. Magni, *cujus hoc est exordium :* Quicumque confessus fuerit nomen Filii Dei, et omnia, quæ a sancto Magno episcopo atque martyre gesta vel scripta sunt, voluerit studiose prosequi, et sibi et plurimis ædificationem exhibet et fructum *etc. Ex hoc* F *codice Acta Sancti post Commentarium prævium vulgabimus. Secundo habemus codicem papyraceum recentioris ætatis, signatum* O Ms. 17, *qui sine prologo sic absolute incipit :* Beatissimus athleta Christi Magnus cum fuisset unicus parentibus suis in partibus Apuliæ, et hujus parentes cum essent pagani et pauperes, nec haberent unius diei substantiam, crevit filius eorum Magnus etc., *Tertium Actorum exemplar, quod ex Ms. Augustano desumptum est, P. Christophorus Steborius in Bibliotheca Societatis Jesu notus, misit olim Dilinga ad majores nostros, qui etiam anno* 1641 *ab admodum reverendo ac prænobili D. Stephano Schenckinck Osnabrugensi Scholastico etc. Canonico Mindensi acceperunt aliud eorumdem Actorum apographum, quod ex codice Mindensi transcriptum fuerat.*

quæ tum ex Germania,

24 *Ex his duobus exemplaribus Germanicis Mindense cum membraneo musei nostri codice plerumque convenit ; sed apographum Augustanum verbosius est, eique immiscentur nonnulla, quæ ad alterum* B. Magnum *martyrem Cæsariensem in Cappadocia pertinent, ut colligimus ex sequenti narratione :* Tunc ira commoti milites ursos

AUCTORE G. C.

ursos et leones miræ magnitudinis parantes, et fame eos feroces facientes, ante conspectum eorum Servum Christi projecerunt. Ille autem, signaculo sanctæ crucis econtra facto, orabat dicens : Ne tradas, Domine, bestiis animam confidentem tibi, et animam pauperis tui non obliviscaris in finem. Sicque belluæ in mansuetudinem conversæ sancti Viri pedes osculantes fugerunt, et nusquam comparuerunt. Tunc fornacem ferventem parantes, eique imperantes, ut agnosceret, si Deus ejus eum posset de igne ferventis fornacis redimere. Beatus itaque Magnus signo se muniens sanctæ crucis orabat dicens : Fac mecum, Domine, signum in bono, ut videant, qui me oderunt, et confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me et consolatus es me. Sicque ros salvificus cælitus, videntibus militibus, venit, et omnem impetum ferventis fornacis exstinxit, et salvum de fornace procedentem Christi famulum ostendit. *Forte propter similem interpolationem aliqui scriptores S. Magnum Italum cum Cappadoce ejusdem nominis martyre confuderunt : nam ursus, leo, et fornax aliaque tormenta sancto Martyri nequidquam intentata spectant* B *ad sanctum Magnum Cæsariensem, ut postmodum ex Actis ejus apparebit.*

tum ex Italia,

25 *His addimus quædam apographa ex bibliothecis Italiæ excerpta, inter quæ primum est illud, quod Antonius Beatillus noster Neapoli Antverpiam transmisit sine nota codicis, ex quo desumptum fuit. Huic præmittitur prologus, ab aliis longe diversus, quem auctor ignotus exorditur his verbis* : Pretiosum ac mirabile, Fratres carissimi, est annualiter festivam Sanctorum celebrari memoriam, ut quemadmodum nos illorum in terris commemoramus certamina Deum laudando, ita speremus, imo certum habeamus, illos quotidie apud Jesum Christum Dominum nostrum habere intercessores *etc. Acta autem incipiunt hoc modo* : Beatissimus igitur athleta Christi Magnus cum fuisset unicus parentibus suis, natus est in partibus Apuliæ in civitate Trauensi *etc. Etsi præcedentia exemplaria Apuliam huic Sancto patriam assignent, tamen civitatem Tranensem non exprimunt. Ceterum ex illo prologo conjicimus, in annua* S. Magni *festivitate habitam fuisse concionem, in qua forsan gesta ejus et miracula populo exponebantur.* C *Alterum ex Ms. codice bibliothecæ Cassinensis descriptum est, cujus præfatio sic sonat* : Ad gloriam et laudem Domini nostri Jesu Christi pertinet Sanctorum merita virtutesque fideli assertione proferre, quia juxta Domini vocem : Secretum regis celare bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est *etc. Sed istud exemplar multis dialogis ac digressionibus rhetorice amplificatur, et multis verbis exponit eadem, quæ alii paucioribus narrarunt.*

olim accepimus;

26 *Etiam Neapoli ex Collectaneis PP. Teatinorum accepimus aliud Actorum apographum, quod sine ullo prooemio sic habet diversum initium* : Apud civitatem Tranensem Magnus e parentibus ethnicis ortus, velut rosa ex spinis, in pueritia senilem vitam duxit, et parentum inopiæ compatiens, patriarcharum imitator, factus est custos ovium. Cum proprias non haberet, ad Deum confugit. *Præterea Petrus Possinus noster anno 1679 ad Papebrochium ex Italia misit Mss. Acta* S. Magni, *ex Officio proprio cujusdam ecclesiæ desumpta, in quo præter hymnum, gesta ejus et miracula canuntur his versibus hexametris :*

D

Ut mercetur oves, massam fert angelus auri ;
Quas Puer ut pascit, fructus concedit egenis.
Baptismo abluitur : patrem post fonte levavit.
Dat bona pauperibus : Tranus fit denique pastor.
Os signans muto rediit formata loquela.
Sternitur idolum precibus, patuereque valvæ.
Se socium dæmon præbens prece versus in anguem.
Jam pede calcat aquas, lumen post cæca recepit.
Orans exspirat, cervix præciditur ense.
Extrahitur Verulis, acquiris Anagnia nummis.

Hæc metrica Actorum ac miraculorum synopsis ex Actis fusioribus post hunc Commentarium prævium edendis clarius intelligetur.

Præter biographos vernaculos Ughellus

27 *Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo 7 col. 888 contexuit satis accuratam et elegantem Actorum synopsim ex monumentis ecclesiæ Anagninæ, tum ex vetusto Ms. brevi, ut appellat, cujus hoc assignat principium :* Magnus episcopus Trauensis, cujus famam audientes imperator et præfectus miserunt milites, qui eum caperent etc. *Nihil hic dicimus de scriptoribus vernaculis, inter quos Franciscus* E *Maria Torriggius Romæ anno 1629 Vitam* S. Magni *ex variis manuscriptis breviter Italice vulgavit. Libentius præterimus Philippum Ciammariconum, qui in Sanctuario Anagnino potius concionatorem, quam historicum egit, et Vitam ejusdem sancti Episcopi et martyris ad viginti capita vernacule extendit. Si quid tamen in iis notatu dignum occurrat, illud per decursum Commentarii nostri prævii vel in Annotatis observabimus.*

ex manuscripto codice

28 *Quamvis exemplaria huc usque enumerata stylo et verbis inter se differant, tamen circa substantiam rei plerumque conveniunt, ut mox patebit ex ampliore Actorum compendio, quod Ughellus ex veteri codice papyraceo bibliothecæ Vallicellanæ profert, apud quem tomo 7 Italiæ sacræ col. 889 allegatur hoc tenore :* Temporibus Decii Cæsaris erat quidam pauper et paganus ex civitate Trana, nomine Apollo, qui habebat unicum filium nomine Magnum, quem concedere disponebat suis vicinis pro pascendis ovibus, ut posset inde vivere. Statim posquam hæc cognovit Puer, tristis a facie patris valde discessit. Deus autem, qui consolatur pauperes suos, misit illi Puero F per angelum suum decem talenta, quæ omnia festinanter detulit patri suo dicens : Gratias Domino cæli referamus, qui misit mihi hoc, ut inde vivamus, et semper illi, retribuendo pauperibus, serviamus. Et quia noluit Deus, ut essem mercenarius alterius; eme ergo decem et octo oves, quas custodire volo, ut de fructu earum vivere valeamus. Crevit grex dictarum ovium usque ad mille, de quarum fructu quotidie pauperibus conferebat.

profert Latinum

29 Postquam beatus Magnus a sancto Redempto episcopo fuit baptizatus, patrem suum Apolliuem convertit ad Dominum; quem et ipse beatus Redemptus baptizavit, et filius ejus de sacro fonte levavit. Mortuo vero patre, omnem substantiam suam beatus Magnus dedit pauperibus. Universus Tranensis populus cum cognovisset, beatum Magnum ita esse perfectum, quamvis ipse se clamaret indignum tanti sacerdotii, elegerunt eum, ut esset episcopus et pastor animarum suarum : quorum desiderium Deus sanctum et justum complevit, et operatus est per eum plurima miracula. Quodam autem die venit ad eum quidam Castorius, mutus effectus præ nimia ægritudine,

AUCTORE G. C.

A dine, quæ illi ante sex annos evenerat; cui cum signo sanctæ crucis loquelam restituit. Alia vero vice oculos militum, qui eum ad adorandum in templum paganorum violenter miserant, obumbravit; ubi per noctem omnia idola confregit: de quo cum angelus Dei eum abstraxisset, et mulier quædam paupercula, sicut poterat, cumdem refocillasset, benedixit domum ejus, et sic ab illo die mulier cum filio suo habuit victualia competenter. Dum vero ingressus fuisset Neapolim, susceptus est a sancto Januario, qui et ipse Christi victoriam obtinuit. Deinde angelo comitante et præcipiente, pervenit ad quamdam ecclesiam, in qua sanctus Paternus per præceptum angelicum sibi sociatus est, ibique mulierem per viginti quinque annos sterilem, ut filios conciperet, suis magnis orationibus adjuvit, et sic in anno illo filium parturivit. Tres filios præfecti cum oleo sancto, quod ad eorum parentes misit, a gravi infirmitate sanavit. Quamdam per triginta annos cæcam cum suo sancto sputo illuminavit. Alium vero de partibus Piceni a diabolo percussum in equo sua oratione curavit. Juvenem Mesiam de Surano a dæmonio liberavit. Primarium civitatis
B Aquinatiæ cum uxore et filio a dæmonio captos sua virtute exsolvit. Septem latronibus putantibus, illum infinitam pecuniam habere, divina ultione cæcatis manus imponendo, et eisdem indulgendo restituit lumen.

et accuratum gestorum compendium,

30 Postquam imperator et præfectus audierunt famam beatissimi Magni, et de beata Secundina per ejus prædicationem Christiana effecta, miserunt triginta milites, qui eos comprehenderent, et, si idola adorare noluissent, variis cruciatibus affligerent; qui dum circuirent pro eis, diabolus in specie hominis suasit, ut nullo modo parceretur Magno episcopo, quia ipse est, qui detrahit omnes a sacrificio idolorum. Inventa autem in Anagnia beata virgo Secundina et inquisita, si præceptum imperatoris et præfecti observare voluisset, quod penitus renuntiavit, et Christum publice prædicavit. Venientes autem ad ecclesiam ejus, omnia illius supellectilia igni tradiderunt, et beatum Magnum episcopum fortiter laniare voluerunt. Quibus militibus supplicans beatus Magnus dixit: Modicum me sustinete; et sic accepta licentia, ingressus est cubiculum, et plorans
C oravit ad Dominum, ut illorum tormento transiret de hoc seculo, et sic migravit ad regna cælorum. Milites autem postquam illum per magnam horam exspectaverunt, intraverunt cubiculum, et caput ejus absciderunt: cujus corpus beatus Paternus occulte sepelivit quarto decimo Kalendas Decembris *(lege* Septembris, *ut plura exemplaria habent ;)* milites vero per totam noctem dormientes defecerunt: corpora a canibus et lupis comesta sunt. Cum autem media nocte beatus Paternus orando ploraret, apparens ei beatus Magnus confortavit eum, et diem mortis suæ futurum, sicut optabat, annuntiavit.

in quo circa congressum ipsius cum S. Januario,

31 *In hoc Actorum compendio duplex sese nobis offert difficultas, quem ab eruditis dissolvi cupimus. Primo non satis intelligimus, quomodo* S. Magnus *Neapolim veniens a sancto Januario excipi potuerit, cum* S. Magnus *dicatur martyrium subiisse sub imperatore Decio, qui circa annum Christi* 251 *in prælio occisus est, et S. Januarius primum in persecutione Diocletiani sive anno Christi* 305 *passus fuerit, ut Baronius aliique chronologi passim tradunt. Si forte dicas, S. Januarium tunc adhuc juvenem Neapoli in patria sua habitasse, litigabis cum Beneventanis, qui contra Neapolitanos contendunt, S. Januarium civem suum fuisse. Hanc rem magis incredibilem facit Cassinense Actorum apographum, quod de* S. Magno *sic habet :* Perveniens Neapolim hospitatus est apud ecclesiam beati Januarii Christi martyris. *Quænam tunc Neapoli erat ecclesia S. Januarii martyris, cum hic tantummodo post quinquaginta et plures annos ab illo* S. Magni *itinere martyrium subierit? Suspicamur, Ughellum in elogio* S. Magni, *Torriggium in Italicis ejus Actis, et Cyprianum Salernitanum in supradicto Officio proprio propter has difficultates de illo utriusque Sancti congressu tacuisse.*

et circa genus mortis,

32 *Altera difficultas occurrit circa genus mortis, quo* S. Magnus *e vivis excessit. Membraneus codex noster et apographum Mindense coronam martyrii ei tribuunt his verbis :* Euntes vero milites comprehenderunt eum, et variis suppliciis interfecerunt. *Exemplar Augustanum truculentam* S. Magni *cædem ita describit :* Audientes hæc profani milites, timore perterriti, evaginatis spatis, gloriosum Christi Martyrem membratim dividentes in platea dimiserunt, sicque cum abscissione membrorum migravit ad summum caput E
Ecclesiæ Christum, cum quo gaudet et regnat in secula seculorum. *Sed codex Tranensis ecclesiæ, ex quo R. D. Thomas Angelus Bay Acta* S. Magni *edidit, de violenta ejus morte nullum verbum facit, et pag.* 46 *placidum hujus Sancti obitum exprimit his verbis :* Tunc dixit ad milites : Modicum me sustinete. Et ingressus in cubiculum plorans amarissime oravit ad Dominum. Dominus autem per suam virtutem venit cum exercitu magno angelorum ad suscipiendam animam beati Magni episcopi, et abiit ad regna cælorum. Obitus autem ejus talis fuit, ut per triduum nullum ad se introire permitteret. Post triduum autem, ubi ingressi sunt milites, videntes corpus beati Magni sic sine anima jacere, pavore correpti sunt, et recesserunt. *Apographum Cassinense cum hac placidæ mortis descriptione concordat.*

quo Sanctus e vita discessit,

33 *Alia quidem manuscripta Actorum exemplaria et Officia propria etiam affirmant,* S. Magnum *in oratione spiritum Creatori suo reddidisse; sed addunt, milites ei jam defuncto caput amputasse. Inter alia istud mortis genus in Neapolitanis PP. Teatinorum Collectaneis legitur, eique bis mille quingenti nonaginta septem sodales adjunguntur hoc modo :* Magnus, accepta dilatione temporis, ait : Sustinete modicum, F
ut liceat mihi orationem ad Deum cæli dirigere. Ingressus cubiculum suum oravit ad Dominum, et, finita oratione, ad regna cælestia gloriose ascendit. Interea illi per triduum exspectantes egressum illius, observantes obitum, postmodum, inito inter eos consilio, intraverunt locum, corpus exanime invenientes, dolentesque vehementer, quod sine tormentis obiisset, eo quod diversis pœnis volebant ipsum interimere. Ostendunt itaque in defuncto, quod de vivente facere disponebant : nam capite amputato, martyrem fecerunt, qui jam martyrium non senserat. Mortuus est autem cum duobus millibus et quingentis nonaginta septem martyribus apud civitatem Fundanam in loco, qui dicitur Campus Mitrianus. *Hæc postrema clausula de bis mille quingentis nonaginta septem* S. Magni *sociis verosimiliter ex martyrio S. Andreæ tribuni, vel ex interpolatis alterius* S. Magni *Actis desumpta est, ut postea videbimus.*

34 *Denique laudatus R. D. Cyprianus Salernitanus*

AUCTORE G. C.

aliquæ difficultates occurrunt.

nitanus in Officio proprio suæ congregationis Olivetanæ eumdem mortis modum explicat hac phrasi : His itaque armis victus antiquus hostis maligna ira iu Christi Athletam furit; Decii satellites adiens in Sanctum pontificem concitat : qui præcipites ad beatum Virum venientes, in eum post nefariam monasterii sacrarumque rerum combustionem, sacrilegas mauus injiciunt, diisque immolare compellunt. Quibus ille : Sinite me ad Deum meum prius preces effuudere; et ingressus cubiculum, in oratione purissimum spiritum Deo reddidit. Milites vero præ foribus astantes, et diutiuam moram moleste ferentes, facto impetu, cubiculum ingressi beatissimum sancti Viri corpus exanimum invenerunt. Non cessat iude eorum furor; sed magis magisque effervet. Cum eum sine cruciatibus vivum dimiserint, tormentis lacerare certaut; ideoque capite obtruncatum duplici martyrio coronant, qui sine corporali martyrio cessit e vita. *Etiamsi R. D. Cyprianus hic* S. Magnum *exornet* duplici martyrio, *tamen Ughellus in hujus Sancti elogio tantum asserit, eum pene marB tyrium consummasse. Quidquid sit de hac re, nos illum ex communi traditione martyrem appellavimus, et hunc titulum Commentario nostro præfiximus. Hic circa discrepantiam Actorum observari possent alia, quæ potius in Annotatis indicabimus. Nunc de translatione sacri corporis et reliquiis* S. Magui *prius quædam proferemus.*

§ III. Translatio reliquiarum hujus Sancti ex urbe Fundana ad civitatem Verulanam ac deinde ad Anagninam.

Corpus S. Magni ex urbe Fundana

De translatione corporis S. Magni *præ manibus habeo proprium Officium satis eleganter compositum, quod Petrus Passinus noster, in Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu notus, anno* 1679 *ad Papebrochium misit. Sed propter hanc ipsam styli elegantiam suspicor, istud officium recentius esse, quamvis ex antiquis monumentis* C *verosimiliter collectum fuerit. Quare malui vetustiorem et magis barbaram translationis illius historiam transcribere ex apographo, quod olim ex Collectione Gallonii sive ex bibliotheca Oratorii Romani accepimus, et quod ita sonat :* Postquam ecclesia Fundana; ut in gestis beati Magni continetur, a Saracenis funditus est depopulata, erat in Campania quidam de primoribus, non philosophus, sed tribunus officio, nomine Plato, qui divino instinctus amore, cum pretiosissisimum sacri corporis thesaurum in [loco] prænominato oblivione et negligentia jam diu positum esse cognosceret, cum suis communi consilio locum adiit, sepulcrum non sine maxima formidine aperuit, et in sarcophago marmoreo sancta reperiens ossa, inde ea transtulit, secumque omni qua poterat religiosa honorificentia Verulum apportavit.

ad Verulanam transfertur ;

36 Cumque ibi nimium optatas in ecclesiam beati Andreæ Apostoli inferret reliquias, Avito ejusdem urbis episcopo, nec non cleri populique coadunata concione, quo congruo loco, quo competenti honore sanctissimus Christi Martyr posset, humari, rogat omnes in communi consiliari. Ipsi vero iu tanti adventu hospitis admodum lætificati, maguas Deo gratias egerunt, locumque sepulturæ dignum solerti indagatione perscru- D tantes, tandem omnium vocibus iu uuum concurrentibus, venerabile corpus iu crypta ejusdem ecclesiæ Dominum hymnizantes deportaverunt. Plato autem, postquam pro suo desiderio sibi satisfactum esse coguovit, saluti animæ suæ prospiciens, [partem] sui fuudi eidem ecclesiæ contradidit, seque Deo et sancto Magno commendaus, ad propria remeavit. Sed hæc de Platone et beati Viri ad Verulam translatione interim sufficiant : qualiter autem Anaguiam devenisset, dehinc prosequemur.

sed dux Saracenorum,

37 Multis adhuc curriculis annorum trausvolutis, cum, peccatis exigentibus, Ecclesiam suam Dominus noster Jesus Christus flagello inimici percutere decrevisset, glomerata myriade multa, efferus Mura rex Saracenorum inspiratus irrupeгat, totamque ferro teter prædo devastavit Apuliam et Campaniam; qui cum multas hinc iude munitissimas urbes terræ coæquaret, multa castella natura uimium fortia superando protereret, quadam die veniens Anagniam obsedit, sibique satis pro imperio tributa dari protervus imperavit; cives vero infra muros civitatis conglobati tum E tela jacieudo, tum saxa certatim obvolvendo, tyranno, in quantum poterant, restitere contendebant. Mura vero torvus tales Anagninorum præsumptus inspiciens, ira sævissima stimulatus cœpit inflari, castrisque sub muro propius admotis, rebelles majori terrore concussit, sibique non solum tributa, verum et se ipsos cum omni, quam possederant, substantia, si vivere vellent, tradere jussit.

capta civitate Verulana,

38 Quidam acriori pugna Saracenos insistere, seque majoribus, ut semper, in bellico solet fieri eventu, [cum] vidissent cedere debere, tandem degeneri coacti turbine timoris, pacem et inducias petuut, et omnia, quæ sibi a rege vel a suis juberentur, se facturos esse promittunt. Ille vero, quamvis omnium, quos tunc temporis terra sustinuit, esset ferocissimus, audita pactione, quievit, et accepta non modica cum sequenti tributo pecunia, Anaguinos quasi suo munere vivere permisit, relictaque urbe, Verulam hostiliter invadeus sibi veudicavit, antea primoribus ferro miserabiliter sine audientia trucidatis : cujus nefarii milites cum circumquaque dispoliando, nec non castra metando discurrerent, quidam eorum F ecclesiam beati Audreæ Apostoli temerariis ausis ingredientes, altaria destruxerunt, cruces, calices, candelabra, thuribula, codices, et omnia divino cultui destinata sibi mancipantes, ibi mausiones, in quibus manerent, paraverunt, et in crypta, in qua gloriosi episcopi martyris Magni corpus humatum fuerat, equos suos quasi in stabulo stare fecerunt.

ibi inventum istud corpus vendit civibus Anagninis.

39 Altera vero die, sole jam terris accedente, Saraceni de strato suo surgentes, equos, quos in contumeliam sancti Magni circa sepulcrum et altare ejus stabulaverunt, pavimento prostratos mortuos invenerunt : merito enim in equis et in aliis suis rebus passi sunt detrimenta, qui iniqua et exsecranda temeritate polluere uon veriti sunt loca Deo consecrata. Quid tamen agerent, cum tam latam equorum stragem solo ubique diffusam cernerent? Vesauiæ suæ se bene consulere arbitrantes, pollutores infestos, abjecto marmore, ad tumbam accedere, quidque virtutis lateret, sedulo jubent explorare : qui effosso, prout sibi imperatum fuerat, sepulcro, gloriosissimum beati Magni corpus invenerunt, iuventumque non, ut oportuit, houorifice tractavere, et in damnum

A mnum sibimetipis extra ecclesiam projecerunt. Hoc avarus audiens Mura, legationem suam Anagninis destinavit, illisque unum emptitium de diis Christianorum se habere demandavit, quem si vel vili pretio emere voluissent, statim ut proprium possidere potuissent. Cumque tam jocosam tyranni legationem accepissent Anagnini, Dominum in toto corde suo lætificantes, cito convenerunt in unum, nihilque morati, sed de nocte surgentes, Verulam festinanter cucurrerunt, imitantes illum dominicum negotiatorem, qui pro iuventa una pretiosa margarita dederat omnia sua, et comparaverat eam.

quod hi ad urbem suam honorifice deferunt,

40 Acceptis igitur charissimi sancti episcopi Magni reliquiis, regeque salutato, [eas] Verulam dimiserunt, et non sine ingenti strepitu tripudii futuri adhuc quidem eventus ignari, contra suam Anagniam gressus ovantes duxerunt mira dicturi. Cumque non multum spatii a Verula jam progrederentur, inopinato rotatu sanctissimum corpus subito revolvitur, et quod videtur et est mirabile dictu, juxta vires suas omnium manibus terræ prolabitur; quod miraculum memoria dignum dum cerneretur, undique concur-B rentes, primo magna super eos irruente formidine, deinde non modica terrente dubitatione, misere obticueruut, et, quid facto opus esset, ignari, plurima secum couferentes steterunt: multoties enim dum corpus immobile ab humo vel elevare, vel aliquorsum returnare, seque in cœpto conamine vidissent incassum deficere, tandem divina cordibus eorum instillante clementia, votum Deo et sancto Magno fecerunt, ut si ab eo loco pateretur deportari, et sepulcrum ejus a Saracenis [destructum] Verulæ honorifice pro modulo suæ possibilitatis restaurarent, et juxta sibi congruam dignitatem, alam altari superimpositam tumbam Anagniæ construerent, eamque omni, quo possent, tam spirituali quam seculari decore tunc et semper et in secula seculorum investirent. Hoc itaque voto constricti, corpus, quod antea non potuerant, sine difficultatis labore sustulerunt, et eidem loco pro eo quod jam sæpe dictus Magnus revolvebatur, liugua sua nomen EVOLUTA imponentes, Anagniam cum gaudio reversi sunt, et in ecclesia Dei genitricis et virginis Mariæ promissa vota reddentes, sanctissima C ossa cum hymnis et psalmodiis decentissime collocarunt. *Nunc aliqua circa hanc narrationem observanda occurrunt.*

licet tota hæc narratio difficultatibus suis non careat,

41 *Primo in illa translationis historia memoratur Avitus episcopus, cui cum clero et populo corpus* S. Magni *in urbem Verulanam honorifice receperit. Sed inter præsules Verulanos quos Ughellus in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* I *a col.* 1388 *recenset, nullum hujus nominis antistitem reperio. Præterea in hac narratione dux Saracenorum nominatur Mura; sed in aliis instrumentis Muça et Manuca appellatur, ita ut ex hoc diverso ducis nomine non constet, quo præcise tempore civitates Fundana Anagnina, et Verulana ab istis barbaris devastatæ fuerint: Nam Saraceni variis annis in Italiam irruperunt. Ciammariconus tamen in Actis* S. Magni *cap.* 18, *sive in Sanctuario Anagnino pag.* 177 *et sequentibus putat, ea tempore Joannis X Pontificis, sive post annum Christi* 914 *accidisse. Porro ex hac chronologia oritur quædam difficultas circa Romanam* S. Magni *translationem, ut ex infra dicendis apparebit.*

AUCTORE G. C.

cum Baronius de Romana S. Magni translatione tantum meminerit.

42 *Eminentissimus Baronius in Annalibus ec-* [illegible] *ne Ostiensi narrat, Fundanam civitatem a Saracenis destructam fuisse; sed tunc de translatione* S. Magni *nullum verbum facit. Verum postea ad annum Christi* 851 *num.* I *de translatione* S. Magni *ad urbem Romanam sic meminit*: Quo tempore a Francis corpus S. Magni Fundis civitate in Campania sublatum, Sutrium usque delatum, divino monitu Romam reportatur, et in ecclesia sancti Michaëlis apud vicum Saxonum collocatur. At alii id sub Carolo factum asserunt ex veteri inscriptione. Sed de his alias. *Nusquam reperire potui, quo loco Cardinalis Baronius de hac veteri inscriptione mentionem fecerit, nisi forsan hic indicare voluerit notas suas ad Martyrologium Romanum, in quibus ad diem octavam Maii de memorata S. Michaëlis ecclesia agens opinatur, vitio scriptoris Carolum pro Ludovico in veteri illa inscriptione marmori incisa positum esse. Porro hanc Romanam* S. Magni *translationem paragrapho sequente referemus, et videbimus, an hæc cum Anagnina conciliari possit.*

Lectiones propriæ in Octava festivitatis narrant,

43 *Interim audiamus Officium proprium Congregationis Olivetanæ, quod de Romana* S. Magni *translatione silens, cum apographo superius relato ferme consentit, et in Octava festivitatis* S. Magni *in secundo Nocturno recitat sequentia*: E Audistis, Fratres charissimi, in beatissimi pontificis ac martyris Magni solenni die mirabilia, quæ Deus per eum adhuc in terris positum manifestare dignatus est. Nunc ea, quæ post ejus obitum patrata sunt, debito honore prosequeutes atteudatis, Creatoris nostri Dei omnipotentiam humili obsequio deprecantes, ut nos imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Capite igitur truncatum sacrum beati Poutificis corpus a beato Paterno eo in loco, in quo passus fuerat, sepelitur; ibique ecclesia, pace restituta, a Christianis ad Dei ac Martyris honorem, templum ac monasterium permagnifice constructum, et Cassinensibus primum post multos elapsos anuos, Olivetanis deinde monachis, Alexandro VI, summo Pontifice, serenissimi regis Alphonsi postulationibus, traditum est.

corpus S. Magni ex urbe Fundana ad Verulanam,

44 Cum autem beatus Paternus ab eisdem militibus catenis vinctus ad tormenta duceretur, noctis silentio apparuit illi Magnus, ipsumque blande consolatus, post triduum temporalem mortem et et æternam vitam nuntiavit. Milites vero F inde abeuntes, cum flumen Legulam trajecissent, hora vesperi inter se diabolico spiritu concitati contendentes, vicissim sese propriis armis interfecerunt; quorum corpora a lupis dilaniata Deo ultore devorata sunt. Verum Joanne VIII summo Pontifice, monasterio sancti Martyris funditus a Saracenis devastato, corpus ejus a Platone quodam plebis tribuno Berulam asportatum in ecclesia sancti Andreæ collocatum est. Deinde Berula a Manuca Saracenorum duce obsessa et vi capta, civitatem non solum depopulati sunt, sed et ipsum S. Andreæ sacrum polluentes, in crypta, in qua Magui corpus requiescebat, equos ludibrio, quasi in stabulo, reposuerunt. Ceterum impii sacrilegii pœnas dederunt: nam repente equi omnes mortui sunt; quod dux admirans, circa sepulcrum effodi jubet, repertumque beati Magni corpus Anagninis civibus pretio vendidit.

ac denique ad Anagninam translatum fuisse.

45 Cum autem sanctum corpus Berula Anagniam asportaretur, mira res accidit: non longe enim a Berula ita fixum humi detinebatur, ut nulla vi loco dimoveri posset. Recurrunt igitur cives ad preces et vota, Deo beatoque Magno promittunt, ut si Anagniam transferri permitteret,

AUCTORE G.C.

ret, non solum ibi tumulum extructuros, sed et Berulæ etiam illius sepulcrum restauraturos esse. Annuit beatus Pontifex, et hymnis et canticis Anagniam defertur, et honorifice sepulcro conditur; in quo etiam miraculis effulgere non destitit. Quidam enim Anagniæ episcopus, nomine Petrus, ambigens, num vere eo in sepulcro corpus beati Magni requiesceret, hoc miraculo certitudinem assequitur. Mulieri namque paralyticæ consuluit, ut, si sanitatem consequi cuperet, sancti Martyris tumulum veneraretur. Paret illa, assiduasque preces ad Beatum fundit; sed cum voti compos minime efficeretur, domum mœsta revertitur. Verum nocte illi beatus Pontifex pontificiis indutus insignibus apparuit, ejusque manu apprehensa, sanitatem impertiendo præcepit, ne amplius de ipsius sepulcri loco dubitet, episcopum diligenter admoneat.

ubi præsentia reliquiarum ejus antiquis

46 Alius præterea, cum aridam et mutilatam manum haberet, ad Sancti tumulum orans, repente sanatus est. Hæc cum audisset Andreas quidam, cum prope a teneris annis claudus extitisset, ad Beati Viri sepulcrum sublimis delatus, B dum diu noctuque profusis lacrymis orando ante Pontificis tumulum institisset, pedum sanitatem impetravit. Post hæc mulierem, nomine Benedictam, dæmone miserabiliter vexatam, ejus parentes post multorum locorum sacram venerationem eam ad beati Martyris sepulcrum adducunt, ibique mirabiliter liberata est; quæ tamen iterum acrius ab eodem dæmone cruciata, iterum sancti Viri patrocinio ab ejus potestate eripitur. Demum puellam manuum officio omnino destitutam, cum medicorum arte curari nequisset, lacrymabunda mater ad sanctum medicum Magnum sanandam adducit: orationibus, fletibus, gemitibus sanitati restituitur. *Quod hic numero præcedente narratur de apparitione* S. Magni, *cuidam mulieri facta, ut Petrum episcopum de loco tumuli sui certiorem redderet, confirmari potest ex Actis S. Petri Anagnini, ad diem tertiam Augusti illustratis, ubi tomo* I *istius mensis pag.* 234 *distinctius res illa exponitur, et ubi pag.* 237 *etiam refertur, quomodo* S. Magnus *eidem Petro Anagnino episcopo apparuerit.*

et recentioribus miraculis probatur.

C 47 *Philippus Ciammariconus in Actis Italicis* S. Magni *cap.* 20, *sive in Sanctuario Anagnino pag.* 183 *et sequentibus similia narrat, et ex veteri inscriptione ibidem refert, mense Aprili anni* 1231 *corpus* S. Magni, *prius populo publice ostensum, sub novo altari marmoreo tunc erecto honorificentius collocatum fuisse. Deinde affirmat, pietatem civium Anagninorum erga hunc sanctum suum Protectorem ab illo tempore usque ad nostram ætatem semper viguisse, et confirmationis gratia addit recentius miraculum quod hic ex Italica ipsius narratione sic contraho: Mense Junio anni* 1677 *tanta locustarum multitudo quosdam Italiæ tractus invasit, ut paratam messem perderent, et agros omni frumento nudarent. Cum nullum esset huic malo remedium, Anagnini damno vicinorum territi, confidenter ad patrocinium* S. Magni *confugerunt, ac piis orationibus opem ejus implorarunt. Res mira! Cum regio circumcirca ab animalibus illis devastata esset, soli agri Anagninorum a vicina et communi illa clade immunes permanserunt. Quamvis hæc et alia satis probent, sacras* S. Magni *reliquias in ecclesia Anagnina conservari, tamen Romana translatio ejusdem sancti Martyris, ut dicitur, nobis aliquid negotium facessit. Quomodo enim, inquiet nonnemo, corpus ejusdem* S. Magni *ex urbe Verulana, quæ hoc Fundis acceperat. Anagniam transferri potuit, cum illud antea ex civitate Fundana Romam translatum fuerit, ut supra ex eminentissimo Baronio retulimus? Hæc difficultas jam discutienda est.* D

§ IV. Inquiritur, ad quem Sanctum hujus nominis spectent reliquiæ, quæ Romam et ad alias longinquas regiones translatæ sunt.

Narratur in veteri tabula Romana,

Accepimus ex archivo basilicæ santi Petri apographum, in quo narratur translatio reliquiarum S. Magni *ad Urbem Romanam sequentibus verbis :* Corpus sancti Magni ex civitate Fundana, apud quam sub Decio et Valeriano sævissimis imperatoribus martyrium passus fuerat, ut ejus Vita docet in bibliotheca dictæ basilicæ asservata, in pergameno libro manuscripta, a quibusdam militibus Frisiis Romam delatum, in E ecclesia sancti Michaëlis secus viam sancti spiritus, tempore Leonis tertii et Caroli Magni collocatur, cujus rei exstat marmorea tabula, ineptis litteris incisa, ipsa in ecclesia ingressus dextera, hujusmodi tenore. *Tum sequitur ipsa inscriptio, quam Ferdinandus Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo* 7 *col.* 891, *Cornelius Kempius in Opere de Rebus Frisicis lib.* 3 *cap.* 19, *et Martinus Hamconius in fine suæ Frisiæ aliique scriptores historiæ Frisicæ passim typis ediderunt.*

cujus aliquot characteres exhibemus.

49 *Quamvis Franciscus Maria Torriggius in opusculo Italico de Origine ecclesiæ sancti Michaëlis, quod anno* 1629 *Romæ impressum est, pag.* 32 *eamdem inscriptionem Latine integris verbis expresserit, tamen ibidem monet, illam in ipsa tabula Romana exprimi compendiariis litteris, quas vulgo abbreviationes appellamus. Bernardus Gerbrandus Furmerius Leovardiensis curavit, ut hæc inscriptio Romana fideliter æri incideretur, eamque integram eodem charactere vulgavit, et Apologiæ Suffridi Petri pro antiquitate et origine Frisiorum contra Ubbonem Emmium subjunxit. Nos speciminis gratia hic exhibemus* F *aliquot lineas hujus characteris, quem cælatorem nostrum exacte imitari jussimus.*

✠ IN N̄O DN̄I TEMPORE LEONIS IIII
P̄P̄ ĪPÆ CARVLO MAGNO ĪPATORE
EO T̄EPORE QVO R BASILICA A
SARRCENIS CPTA FVERT TVNC DE:
NIQ P TOTIVS MVND CAPITE TRB:
ATO TOTS MVNDVS *etc.*

Ex his pauvis lineis eruditus lector facile colliget reliquam hujus tabulæ Romanæ scripturam, et curiosius indigare poterit, an hic character ad tempora Caroli magni pertineat.

quo Frisii ex urbe Fundana

50 *Interea non illam tabulam integris vocibus transcribimus ex apographo nostro, in quo sic sonat :* In nomine Domini. Tempore Leonis quarti Papæ, imperante Carulo Magno imperatore, eo tempore, quo Petrea basilica a Saracenis capta fuerat, tunc denique pro totius mundi capite turbato

A turbato totus mundus turbatus, omnisque Gallia cum rege Carulo ad tuendam illam venerunt. Unde contra inimicos Domini decertando quidam mortui sunt, et in crypta juxta Neronis palatium sepulti; eodemque tempore a Leone Papa et rege Carulo ad honorem Michaëlis archangeli super illos facta est ecclesia. His itaque peractis, rex Apuliam adiit, eamque beato Petro et Romæ subjugavit. Per idem tempus, exercitu in Gallia revertente, tres illorum milites de Frisia Ilderado de Groninga, et Leomot de Stavera, et Jaro, et Celdui ancilla Dei de Slinga; hi beati Magni corpus in loco, qui dicitur Fundi, invenerunt: quo invento, in illorum provinciam portare et condire decreverunt; sed divina gratia cooperante, postquam ad Sutrinas partes ventum est, amplius deferre non post valuerunt. Quare bis et ter territi et per somnium moniti Romam revertentes sanctum corpus secum tulerunt.

corpus S. Magni Romam detulerint.

51 Unde factum est, quod illorum devotionis causa partem brachii a se segregari ab illis permisit; partes autem ceteræ in crypta præfata remanse-B runt, super quam, sicut dictum est, ecclesia jam fuerat facta. Deinde omni anno simul beneficium optimum dari ibi decreverunt, scilicet trecentas marcas argenti pro illorum et ubique requiescentium redemptione, et in perpetuum seu divites seu pauperes in eadem supradicta archangeli basilica et beati Magni ecclesia juxta eam ab iisdem constructa hospitalia, quando suis partibus venirent, agerent. Idcirco nostrorum aliorumque omnibus pateat, si ipsi vel quicumque hoc decretum rumpere tentaverit, sciant, se perpetuo damnatos et maledictos et prædicti Pontificis anathematis vinculis in inferno, nisi resipuerint, cum diabolo colligatos, in hac autem vita miseros, pauperes et dispersos, iterum de libro vitæ cælestis deletos, et de regno Christi dejectos. Confirmatoribus, fautoribus hujus decreti et gratia sit benedicti Christi, et fruantur utriusque vitæ gaudiis. Amen. *Hæc inscriptio fere ubique cum editis exemplaribus convenit, si subinde luxalas voces et quasdam minoris momenti mutationes excipias. Nunc referendum est judicium quod eruditi quidam de hac inscriptione tulerunt.*

Ferdinandus Ughellus,

C 52 *Ferdinandus Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo 7 col. 890 de illa sic disserit :* Hujusce inscriptionis initium falsum videtur, cum Leo IV post trigesimum tertium annum a Caroli Magni obitu summus Ecclesiæ Pontifex declaratus fuerit, nempe anno DCCCXLVII. Tamen Carolus Magnus mortem obiit DCCCXIV. Tamen nec vitio, neque inscitiæ scriptoris attribuendum, nec falsitatem continere videtur, cum sæpe Leo III quartus etiam dicatur. Accidisse hoc plerique ecclesiastici scriptores scribunt, cum Leo quidam Romanus post Sergii primi Papæ decessum in Romanam se intrusisset Ecclesiam anno DCXCVIII; et Leo tertius dictus est, qui in catalogo Romanorum Pontificum non ponitur. Hinc Deo, qui Caroli temporibus cathedram Petri rexit, revera ejus nominis tertius fuit, quamvis non semel et quartus denominetur apud scriptores. *Torriggius cap. 15 Opusculi supra laudati pluribus auctorum testimoniis hanc Ughelli rationem confirmat. Eminentissimus Baronius existimat, in hac tabula Carolum pro Ludovico vitiose positum fuisse, ut paragrapho præcedente vidimus.*

53 *Quidquid sit de his opinionibus, Ubbo Emmius scriptor heterodoxus hanc inscriptionem popularibus suis honorificam pro vera habet, et in Historia Rerum Frisicarum circa finem libri quarti de Carolo Magno scribit sequentia :* Itaque in proximum annum, qui octingentesimus a Christo nato fuit, sese parans, maturo jam autumno, Alpes cum filio Pipino Italiæ rege trajecit. In hac vero expeditione, quæ omnium ipsi honoratissima fuit (imperator quippe et Augustus ab universa civitate Romana, cum feriæ Natalis Domini agerentur, acclamatus, ac corona chlamydeque a Pontifice Leone solenni ceremonia cinctus est, postquam controversiam Pontificis cum populo jam terminasset) validam Frisiorum cohortem, quod satis constat, secum habuit: quæ cum Pipino, cui tum contra Grimoaldum Beneventanum grave bellum erat, in Italia relicta, egregiis facinoribus editis, præclarum nomen sibi suisque peperit, atque illis etiam gentibus, qua virtute Frisii essent, declaravit. Argumento est tabula ingens antiqui marmoris in rei illius memoriam posita, litterisque exarata, quam sua ætate ad Michaëlis ædem apud Vaticanum incolumem fuisse Raphaël Volaterranus optimus auctor tradit. Sic enim in inscriptione ejus est, tempore Leonis Pontificis, imperante Carolo Magno, Fri- E sios in Italiam venisse, Pontificique contra Saracenos, qui et Italiæ oras et ipsa Romæ suburbana vastabant, auxilio fuisse; atque in hujus rei gestæ cæsorumque memoriam, ædem illam Michaëlis tum esse erectam; deinde cum ex Apulia forte Frisii Romam repeterent, quosdam eorum viros nobiles somno monitos corpus sancti Magni Fundis repertum ad Urbem secum tulisse, idque eadem in æde Michaëlis posuisse; quin etiam exstructo, eodem in loco, xenodocheo, annuoque vectigali assignato, suæ nationis pauperibus confugium statuisse.

Auctore G.C. et Ubbo Emmius heterodoxus

54 *Tum Emmius convicium quoddam in Romanos conjicit, ut hæreticorum mos est, et nonnullas difficultates, quæ huic tabulæ opponi possunt, explicat his verbis :* Nec tamen nescius sum, ad Caroli Calvi Galliæ regis et Leonis IV Pontificis tempora a Volaterrano ista trahi; cui ut accedere non possim, hæ me rationes potissimum movent: quod Calvus cum Leone Pontifice imperium non tenuerit, quodque idem, ne postea quidem, cum imperare cœpisset, Magni nomen, ita ut hic præscriptum in tabula est, num- F quam usurparit; quod nec ipse in Italiam venerit cum exercitu, quamdiu Leo Pontifex in vivis fuit, ne rebus etiam Italicis se ullo modo miscuerit; postremo, quod nihil ei unquam cum Frisiis fuerit commune, quos Lotharius frater ejusque filii imperio tenebant. Omnia vero ista si ad Carolum Magnum referas, aptissime ejus rebus conveniunt, modo pro quarto Leone tertium ejus nominis accipias. Quæ sane unius apicis aberratio in signando legendove nomine facile potest accidere. Nec Saraceni quidem isthoc eodem tempore, quo Carolus Magnus, Pontifice Leone, imperium habuit, Italiæ littora infestantes deerunt, quos Frisii armis persecuti sint, si quis ejus temporis annales volet revolvere. Quæ sane rationes etiamsi me forte fallant, nec sic quidem majorum nostrorum gloriæ, cui marmor illud certissimum testimonium perhibet, quocumque etiam imperante positum sit, quidquam decedet. *Emmius hic in margine notat, sese hac in re sententiam mutasse, et hujus mutationis causas ostendisse in alio libro typis excuso, qui nobis ad manum non est. Quamvis curæ secundæ soleant esse meliores, ut Græcorum parœmia habet, tamen* hoc

de inscriptione illa Romana disserunt.

AUCTORE G. C.

hoc loco facile pejores esse potuerunt : nam forsan huic hæretico scriptori vel ejus gregalibus postea displicuerunt ea, quæ de cura majorum suorum pro defunctis, veneratione sacrarum reliquiarum, obsequio erga Romanum Pontificem in hac inscriptione memorantur, et ideo priorem opinionem, avitæ religioni nimis faventem, coactus est retractare. Mihi non lubet de veritate aut falsitate hujus tabulæ, quam ipse Emmius certissimum testimonium *vocaverat, operosius disputare; sed potius inquirendum est, quis fuerit ille* S. Magnus, *cujus corpus Frisii, vel Franci, ut censet eminentissimus Baronius, ex civitate Fundana Romam detulerunt.*

Quidam scriptores Frisii tradunt, illum S. Magnum,

55 *Imprimis mihi prorsus improbabilis videtur opinio Cornelii Kempii Doccomiensis, qui lib.* 3 *Historiæ suæ Frisicæ cap.* 18 *confidenter asserit Frisios post supradictam expeditionem adversus Saracenos, ex Italia in patriam rediisse*, amissis non paucis strenuis viris, qui in ea expeditione occubuerunt, et in primis primario duce eorum sancto Magno, *ut ibidem addit,* qui pro defensione fidei Christianæ et Sedis Apostolicæ in
B Italia fortiter occubuit, prout Romæ in ecclesia Michaëlis archangeli, quæ est in Janiculo ad Occidentem Hospitalis sancti Spiritus eleganti elogio invenitur, temporibus Caroli Magni parieti templi insculptum, cujus copiam hic ad fidem antiquitatis de verbo ad verbum inserere non inconveniens esse duxi. *Tum capite sequente exhibet illam inscriptionem Romanam, quam nos supra ex apographo nostro dedimus, et apud varios auctores assignavimus.*

cujus corpus Fundis Romam translatum est,

56 *Torriggius in Opusculo superius citato cap.* 8 *et* 12 *Kempium arguit erroris, eo quod hanc Romanam S. Michaëlis ecclesiam in monte Janiculo perperam collocarit, et* S. Magno, *qui Romæ colitur , propter solum nominis similitudinem gratis substituerit homonymum Frisiorum ducem, qui forte numquam in Italia contra Saracenos pugnavit, vel quem certe Kempius nullis Martyrologiis adscriptum invenit. Sane marmorea tabula Romana, quam Kempius testem assertionis suæ allegat, nullo verbo aut signo indicat* S. Magnum, *cujus corpus a Frisiis ex Fundana civitate Romam translatum est, ductorem militum fuisse, aut in prælio adversus Saracenos occu-*
C *buisse. Adde quod Christianus Schotanus in vernacula Frisiæ Historia lib.* 2 *pag.* 64 *rotunde affirmet, gestis memorati ducis Frisii multas fabulas immixtas esse.*

ducem seu Potestatem fuisse suæ gentis,

57 *Attamen Martinus Hamconius in Opere de viris rebusque Frisiæ illustribus fol.* 36 *hanc Kempii sententiam quibusdam novis episodiis exornat, et non tantummodo hunc Magnum Frisiorum ducem titulo* sancti *liberaliter donat, sed etiam illum recentiori more Frisio* Fortema *cognominat, compositis in ejus honorem sequentibus versiculis hexametris :*

Magnus ubi subigens cum Saxone , Fortema , Romam,
De Papa meruit, meruit de Cæsare primus
Per clarum, fieri Frisiæ, diploma Potestas,
Benthemique Comes cum libertate; decora
Arma reportavit patriæ laudemque perennem.
At Latii rursus Christique profectus in hostem,
Lethale accepit Saraceno a milite vulnus :
Unde obiens Fundis, Romæ est humatus, et istic
Adscriptus Superis, sacra ut Michaëlis in æde
Marmor et hospitium testatur in Urbe vetustum.

58 *Deinde Hamconius ad probandam Magni*
D *Fortema sanctitatem citat Martyrologium Baronii ad diem* IV *Septembris, et soluta oratione post alias bellicas hujus primi ducis Frisii sive Potestatis expeditiones, ibidem in rem nostram de illo sic scribit* : Secundo eum exercitu Italiam petiit, ac ibi contra Saracenos tam in Latio quam Apulia et Calabria fortissime dimicans, a Christi tandem hostibus in pugna (ut videtur) læsus, Fundis in Campania obiit, corpus autem ejus a tribus militibus Frisiis Ilderardo, Leomotho et Hiaro Romam delatum est, et in basilica sancti Michaëlis archangeli in Vaticano sepultum, constructoque ibi insigni xenodochio, annuoque vectigali pro Frisiis, Urbem pietatis gratia petentibus, assignato , ipsi inter Divos relatus est ; ut præter Martyrologium Baronii testatur insigne marmor eadem in basilica erectum , cujus inscriptio ad calcem libri secundi exhibetur. *Hæc satis speciose excogitata sunt, si modo vera essent. Porro non est nostri instituti operose illam Hamconii narrationem impugnare ex modo, et tempore, aliisque adjunctis, quibus olim duces seu Potestates Frisiæ constituebantur, et de quibus Frisii scriptores inter se et cum aliis historicis acriter disceptant. Quapropter Hamconium dum-* E *taxat deducemus ad Martyrologium Baronii, ad quod appellavit.*

et Hamconius hoc fine citat Martyrologium Romanum,

ex quo pro illa improbabili opinione nihil erui potest.

59 *Die* IV *Septembris in Martyrologio Romano legimus sequentem annuntiationem* : Eodem die sanctorum martyrum Magni , Casti et Maximi. *Baronius autem in notis ad hanc Martyrologii Romani annuntiationem sic scribit* : Usuardus hac die de Magno et Casto tantum; de Maximo in antiquo Romano Martyrologio , et aliis manuscriptis. De translatione corporis sancti Magni martyris deque ejus reliquiis reconditis in ecclesia sancti Michaëlis archangeli prope Vaticanum tempore Leonis quarti Romani Pontificis docet vetus inscriptio marmori incisa, in eadem collocata. *Quis ex istis Martyrologii Romani verbis vel eminentissimi Baronii annotationibus Magnum Fortema ducem aut Potestatem Frisiorum extundat? Denique quis credat, die* IV *Septembris in Martyrologio Romano memorari illum Frisiorum ducem, qui post annum Christi octingentesimum in pugna adversus Saracenos læsus esse ac Fundis obiisse dicitur, cum* S. Magnus *et socii marty-*
res eadem die IV *Septembris annuntientur in an-* F
tiquis Martyrologiis, quæ ante annum octingentesimum exarata sunt, ut apud Florentinium illa die, et in admonitionibus præviis ad Martyrologium Hieronymianum videre est?

Plerique contra notas Baronii putant,

60 *Ceterum ex illa eminentissimi Baronii annotatione inferri possel, istum* S. Magnum *martyrem, cujus reliquiæ in ecclesia sancti Michaëlis reconditæ sunt, diversum esse ab episcopo et martyre ejusdem nominis, qui die* XIX *hujus in Martyrologio Romano memoratur, et cujus corpus Anagniam translatum est : nam Baronius die* XIX *Augusti in notis ad annuntiationem* S. Magni *episcopi et martyris, tantum meminit de monumentis Anagninis, et interim de ecclesia Romana sancti Michaëlis nullum verbum facit. Attamen Bartholomæus Piazza in Hemerologio suo Romano, et Octavius Pancirolus in Thesauris Romæ absconditis existimant, reliquias hodierni* S. Magni *episcopi et martyris in ecclesia sancti Michaëlis hactenus conservari. His non pauci suffragantur, inter quos Ughellus in Italia sacra editionis jam sæpius citatæ tomo* 7 *col.* 890 *censet,* S. Magnum, *cujus reliquiæ Romæ et Anagniæ honorantur, eumdem esse, et hæc omnia facile conciliari*

A *ciliari*, si Anagninis partem Magni corporis ex Verulana æde a Saraceno rege venditam dicimus *(verbis ejus utor)* partem vel maximam Fundi remansisse, quam inde Frisii milites abstulerunt. *Nos hic iterum in labyrintho incerti vagamur, et dirimere non possumus hanc litem, quæ ex oculata utrarumque reliquiarum inspectione, et quantitate ac qualitate earum decidenda esset. Quare jam breviter agamus de sacris cujuscumque* S. Magni *reliquiis, quæ ad alias ecclesias delatæ dicuntur.*

ad S. Magnum episcopum et martyrem

61 *In apographo nostro, quod ex archivo basilicæ sancti Petri superius citavi, leguntur sequentia :* In capite cum pectore argenteo impensis bonæ memoriæ Bernardini Paulini, felicis recordationis Clementis Papæ octavi datarii, Vaticanæ basilicæ Canonici, asservatur caput S. Magni archiepiscopi Tranensis *(melius* episcopi, *ut Ughellus loco proxime citato notat)* martyris, ad figuram episcopi mitram argenteam lapidibus non pretiosis ornatam vertice gestantis, cum pluviali ejusdem materiæ, in cujus fimbriis cernuntur imagines sanctorum Clementis et Sebastiani, quos piæ me-
B moriæ Clemens VIII devotissime venerabatur; in capitio autem sancti Spiritus et beatissimæ Virginis. Tota machina argentea magni ponderis et magnificentiæ stat supra argenteam basem artificiose cælatam, in qua sunt stemmata Clementis Papæ VIII, quibus subjecta hæc legitur inscriptio : SACRUM GLORIOSI MARTYRIS MAGNI EPISCOPI CAPUT. Infra sunt gentilitia signa Bernardini Paulini Canonici et datarii supradicti. In ima fascia stereobatæ hæc leguntur argento incisa : BERNARDINUS PAULINUS FLORENTINUS, CLEMENTIS PAPÆ OCTAVI DATARIUS, HUJUS SACROSANCTÆ BASILICÆ CANONICUS RELIGIONE ATQUE PIETATE THECA HAC ARGENTEA ORNAVIT ANNO MDCII. In utroque latere imæ fasciæ supradictæ : CAPUT SANCTI MAGNI MARTYRIS ARCHIEPISCOPI TRANENSIS...... Anno MDCII in festo S. Jacobi Majoris XXV Julii in palatio montis Quirinalis post Vesperas sanctissimus Dominus Clemens octavus benedixit supradictam argenteam imaginem, ut in benedictione capsarum pro recondendis reliquiis, magni ponderis et valoris octingentorum aureorum, et die XIX Augusti festo sancti Magni sacra calvaria in ea includitur, et processio
C solennis habita in ambitu basilicæ, ac in Gregoriano sacello fuit cantata Missa a prædicto Bernardino Paulino Canonico, basilicanis omnibus præsentibus.

pertinere ossa Romæ conservata,

62 *Deinde ibidem de brachio* S. Magni *hæc sequuntur :* In capsula lignea longa cum vitro in fronte, holoserico gausapino rubro cooperta, asservatur brachium sancti Magni archiepiscopi Tranensis martyris, et de femore sanctæ Petronillæ virginis. *Post illa ex decreto Capituli dictæ basilicæ, quod anno* 1602 *die* 2 *Novembris habitum est, ibi referuntur sequentia :* Decreverunt, quod domini Aloysius Cittadinus et Octavius Estensis Taxonus Canonici et majores sacristæ deferant ab ecclesia sancti Michaëlis secus viam sancti Spiritus in Saxia ad basilicam nostram brachium sancti Magni archiepiscopi Tranensis martyris, inter ceteras Sanctorum reliquias tutius et religiosius asservandum; decernentes tamen id annis singulis in beati Archangeli dedicatione et diebus octo dumtaxat sequentibus ejus in ecclesia confluenti populo sub altare venerandum exhiberi. Euangelista Carbonesius Canonicus secretarius. *Denique ipsa sacri brachii translatio paucis verbis ibidem sic narratur :* Anno MDCIII die prima Januarii supradicti domini Canonici prædictum brachium in duo longa frusta divisum ad memoratam Vaticanam basilicam private detulerunt, et in tabernaculo sacrarum reliquiarum posuerunt, publico instrumento per me Jacobum Grimaldum edito. *Ex his adversus eminentissimum Baronium sequitur, omnes* S. Magni *reliquias in ecclesia sancti Michaëlis olim vel adhuc conservatas, ex communi Romanorum opinione spectare ad sanctum episcopum Tranensem et martyrem, cujus festum die* XIX *Augusti celebratur.*

et in Belgium, Bohemiam ac Germaniam translata.

63 *Etiamsi notabiles ejusdem Sancti reliquiæ translatæ dicuntur ad regiones ab Italia non parum remotas : nam ecclesia Anderlacensis, in Belgio non procul Bruxellis sita, veneratur* brachium sancti Magni episcopi Anagnini *(potius Tranensis, ut* § 1 *monuimus)* qui in persecutione Decii necatus est, quarto decimo Kalendas Septembris, *quemadmodum Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 53 *notavit. Præterea illustrissimus Thomas Joannes Pessani de Czechored in Phosphoro septicorni ecclesiæ metropolitanæ Pragensis edidit Diarium sive indicem menstruum sacrarum reliquiarum, quæ in ista ecclesia pie* E
asservantur, ubi pag. 516 *ad diem* XIX *Augusti assignatur* sancti Magni martyris pars de crure notabilis, *ut ipsis hujus Diarii verbis utar. Denique in Mindensi Actorum apographo, cujus supra* § 2 *mentionem feci, post narratam* S. Magni *Vitam de cultu ejus notitia quædam adjecta est his verbis :* Servatur hujus Sancti festum supradicta die *(nimirum* XIX *Augusti, quæ in fine Actorum expressa est)* semiduplicitcr in cathedrali Mindensi ob magnam partem corporis S. Magni, quam Mindenses possident. *Nescio, qualis aut quanta sit illa pars corporis; sed suspicor eam notabilem esse, cum in Mindensi Breviario anni* 1516 *de* S. Magno *recitentur Lectiones propriæ, in quibus fere narrantur eadem gesta, quæ jam ex promisso nostro codice manuscripto edemus.*

ACTA

auctore anonymo.

Ex membranaceo Musei nostri codice, F *signato* † *Ms.* 74 *folio* 177 *et sequentibus.*

PROLOGUS.

Scriptor Actorum pauca præfatus narrat, a

Quicumque confessus fuerit nomen filii Dei, et omnia, quæ a sancto Magno episcopo atque martyre gesta vel scripta sunt *a*, voluerit studiose prosequi, et sibi et plurimis ædificationem exhibet et fructum, sicut dicit in Euangelio Dominus : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Fructus autem incomparabilis fructus justitiæ est *b*. *b*



ANNOTATA.

Ex MSS.

ANNOTATA.

a *Non videtur* S. Magnus *aliqua scripta posteritati reliquisse, quamvis hic fiat mentio de omnibus*, quæ a sancto Magno episcopo atque martyre gesta vel scripta sunt. *Quapropter hæc ita intelligo, acsi legerem hoc modo* : Omnia, quæ a sancto Magno gesta vel *de ipso* scripta sunt *etc.*

b *Aliis Actorum exemplaribus alii prologi præfiguntur, ut* § 2 *Commentarii prævii num.* 25 *indicavimus.*

CAPUT I.

Sancti patria, conditio, conversio ad Christum, episcopatus, comprehensio pro Christiana fide, liberatio e carcere, peregrinatio et miraculum.

B

quomodo S. Magnus in paupertate sua a

Beatissimus athleta Christi Magnus cum fuisset unicus parentibus ejus in partibus Apuliæ *a* ; hujus parentes cum essent pagani et pauperes, nec haberent unius diei substantiam, crevit filius eorum Magnus. Cœperunt autem ejus parentes monere eum dicentes : Vade fili, fac opus mercenarii, et pasce alienorum oves, ut vel sic habeamus hujusmodi substantiam. Tunc cœpit beatissimus Magnus contristari de molestia parentum suorum. Domini igitur misericordia ita fuit, ut ad Puerum in illa hora mitteret sanctum angelum suum. Eunte autem eo per viam, apparuit ei angelus Dei, et dixit ei : Ut quid te video sic plorare : nam me, quem conspicis loquentem tecum, misit Deus, ut consolationem tibi præbeam. Nunc ergo tolle, quod tibi Dominus noster transmisit; et dedit ei auri pondera * decem. Et dum accepisset, reversus est ad domum patris sui gaudens. Tunc cœpit referre patri suo, qualiter ei Dominus apparuisset, quem nondum sciebat, quis esset. Tunc cœpit puer Magnus rogare patrem C suum dicens : Pater, hæc donavit nobis Dominus per suam virtutem, ut et nobis exinde benefaciamus et pauperibus.

* al. talenta

ab angelo consolationem accepe-rit,

3 Tunc Adolescens dixit patri suo : Vade, et mihi oves compara ad pascendum; et dum adimpletum fuisset desiderium ejus, cœpit oves pascere. Crescebant autem greges valde, ita ut ex decem et octo ovibus fierent mille. Tunc beatissimus Magnus, dum adhuc paganus esset, de tonsura ovium suarum saccos implevit, et per noctes deportabat ad civitatem, et pauperibus Christianis vel viduis erogabat; quibus etiam præcepit dicens : Videte, ut nemini dixeritis; sed dicite : Dominus donavit nobis. De me autem nemo sentiat. Tunc descendentes eo ad civitatem, dum ageretur dies festus Domini, hæc erat lectio in ecclesia : Quærite et invenietis ; pulsate et aperietur vobis. His auditis, beatissimus Magnus figens intentionis suæ cor intra semetipsum ait : Ecce Magne, jam diu te Dominus tuus dimisit, et nunc per Euangelium se tibi manifestavit, ut ad lumen pertingas, veritatis, a tenebris redeas ad lucem ; quia perdidisti, quod laborasti, si fructum laboris non tenebis, hoc est Salvatorem. Ergo teneam, quod tenendum est animo, et omnia, quæ respuenda sunt, relinquam. Ideo quæsivi, ut invenirem ; ideo inveni, ut teneam. Hæc D secum revolvebat animo et meditabatur, et quotidie requirebat, quomodo viam veritatis inveniret.

se ad fidem Christianam converterit, b

4 Hæc eo meditante, apparuit ei angelus Domini in similitudine hominis, et dixit ei : Nos sequamur justum et sanctum venerabilemque virum nomine Redemptum *b*, per omnia eruditum. Audiens hæc beatissimus Magnus, statim misit se ad pedes angeli et rogabat cum lacrymis, ut eum perduceret ad sanctum virum. Fit, providente angelo, quod ex fide desiderii implorabatur ; et, perducente angelo, venit ad sanctum Redemptum. Et dum ingressus fuisset domum sacerdotis simul cum angelo, statim beatissimus Magnus prosternebat se ante pedes ejus plorans et dicens : Ostende nobis iter, quo ituri sumus, ut mereamur ingredi januam Domini Salvatoris. Tunc sanctus sacerdos cum omni diligentia erudivit eum, et sacrum baptisma percepit. Et in ipsa hora pater ejus emisit spiritum ; quem beatissimus filius ejus Magnus cum omni diligentia sepelivit in pace *c*.

c *episcopus electus fuerit,*

5 Tunc beatissimus Magnus, data sibi licentia, omnia paupertatis suæ prædia vendidit et pauperibus atque orphanis et viduis erogavit. Et E dum hæc ageret beatissimus Magnus, fama ejus percurrebat totam Apuliam. Tunc nutu Dei, quia volebat sibi eum sacerdotem eligere, universus populus clamabat ad beatum Magnum, ut ipse eis ageret sanctum episcopatum. Ad quos respondit beatus Magnus : Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam. Et nisi Dominus mihi peccatori revelaverit, et vos omnes oraveritis ad Dominum, et sic fiat voluntas Domini in me. Tunc omnes Christiani per triduum jejunaverunt, et lacrymas suas fuderunt in conspectu Domini, ut eis revelaret de justo et sancto Magno. Ipse autem beatissimus Magnus per septem dies et noctes oravit ad Dominum. Media autem nocte angelus Domini apparuit ei, et consolatus est eum dicens : Magne, exaudita est oratio tua, et lacrymæ populorum ad Dominum ascenderunt. Acquiesce petitionibus populi, quia per te multa turba liberabitur. Tunc beatissimus Magnus surgens ab oratione alloquitur populum dicens : Fiat voluntas Domini mei et vestra. Et dum accepisset episcopatum, omnes de F salute ejus deprecabantur. Erat igitur sanctus et verus episcopus Christi Magnus, simplex, et multa mirabilia per eum Dominus ostendebat. In tempore illo erat vir quidam, nomine Castorius, in partibus Apuliæ. Iste autem per sex annos ægritudinis nimietate fatigatus, factus est mutus; scientiam tamen audiendi et intelligendi habebat ; quem beatissimus Magnus sua visitatione sanavit. Tunc beati Magni opinio crescebat, quia per omnes regiones laudabatur.

et ex captivitate gentilium ab angelo eductus, d

6 Illo tempore dum per omnes Christianos gravis gentilium terror urgeretur, et aliquantos jam pœnarum diversarum cruciatibus punisset in partibus Galatiæ, Cappadociæ et Armeniæ, sub consule *d* Severino beatus Magnus ad palatium ejus perductus est; et dum traheretur a militibus, ita dicebat : De ventre matris meæ exivi, Deus meus es tu, ne discedas a me. Tunc pagani dederunt intra se consilium, ut, ubi idolis immolabant, ibi beatum Magnum includerent. Tunc introëunte eo in templum, omnia sculptilia idolorum ante pedes ejus ceciderunt. Milites autem, qui cum eo erant, statim cæcati sunt. Tunc beatus Magnus per totam noctem laborans, omnia simulacra

A simulacra confregit; ipsum vero auctorem Jovem, qui totus aureus erat, comminuit; et dum comminutus fuisset, oravit sanctus Magnus ad Dominum, ut mitteret ei sanctum angelum suum, qui eum de carcere educeret.

in itinere miraculum patraverit.

7 Adhuc eo orante, ecce venit angelus Domini, et aperuit januas templi, et dixit ad beatum Magnum: Collige totum aurum in pallium tuum, et ubicumque potueris invenire pauperes viduas vel orphanos, eis distribue. Et dum hoc factum fuisset, beatus Magnus dixit ad angelum: Ecce omnia, quæ præcepisti mihi, impleta sunt, domine. Deprecor te angele Michaël, ne me permittas faciem impiorum videre, quia tu scis fragilitatem corporis mei. Statim exaudita est oratio ejus, et angelus, qui comitabatur cum eo, ostendit ei viam, per quam iturus esset. Beatus autem Magnus, quasi pauper ambulabat per viam. Veniens ergo ad quamdam mulierem, petivit ab ea aquam, quæ et ipsa paupercula erat. Hæc habebat unicum filium, qui quotidie ad eleemosynam sedebat. At ubi beatus Magnus petivit aquam, dixit ei mulier: Ingredere B in cellulam meam, et benedic illam. Habebat ergo mulier quartam partem panis, quam accepit filius ejus, et posuit ante eum. Et dum manducasset beatus Magnus, benedixit totam cellulam ejus: et exeunte beato Magno, mulier invenit totum cubiculum suum plenum omni bono, nec ab illo die aliquid defuit mulieri.

ANNOTATA.

a *Hæc est ampla Italiæ regio, quam omnes Actorum scriptores huic Sancto patriam assignant. Sed aliqui recentiores distinctius tradunt, eum Trani in Apulia natum esse, quæ traditio non adeo certa est, ut in Commentario prævio num.* 10 *monuimus.*

b *Ille apud Ughellum inter præsules Tranenses primus statuitur, et hic nomine* sancti *ornatur. Cum iste Redemptus aliunde nobis ignotus sit, ex Tranensibus discere cupimus, an, et quo die colatur, si eum Operi nostro inseri velint.*

c *Quamvis hoc loco nihil distincte narretur de* C *patre* S. Magni, *tamen in aliis Actorum exemplaribus fuse exponitur, quomodo ille cum filio ad fidem Christianam conversus fuerit, et non diu post baptismum obierit.*

d *Hic Severinus in aliis Actorum exemplaribus* proconsul Apuliæ *appellatur.*

CAPUT II.

Quædam sancti hujus episcopi itinera, varia miracula et martyrium.

Sancto iter facienti apparet dæmon, a

Sanctus Magnus dum ingressus fuisset civitatem Neapolitanam, susceptus est a sancto Januario *a*, qui et ipse pro Christo victoriam obtinuit, et cervicem suam ad decollandum posuit, quem Dominus sibi martyrem consecravit. Voluit autem beatus Magnus Romam ire ad confessionem Apostolorum Petri et Pauli. Et dum requievit per triduum cum sancto Januario, veniens ad eum ea nocte angelus Domini, tetigit latus ejus dicens: Magne, famule Dei, sequere me. Et dum egressi fuissent de civitate, venerunt in vicesimo quinto milliario a civitate, et occurrit invidus diabolus transfiguratus in similitudinem hominis, et dixit ad beatum Magnum: Ego sum homo viator; venio tecum. Angelus autem Domini ut agnovit, quod diabolus esset, statim recessit a sancto Magno, ut probaret, qualiter cum diabolo pugnaret. Sancti Magni animus fragilis erat, et plorabat amarissime. Diabolus autem quærebat locum abditum, ubi pugnaret cum eo. Beatus autem Magnus sensit in Spiritu sancto, quod diabolus esset. Tunc prosternens se in orationem, ad Dominum cum fletu dixit: Tu, Domine, dixisti: Quidquid credentes per orationem petieritis, dabitur vobis. Tu dixisti: Ubi est mors, quæ regnabat; ubi est mors aculeus tuus? Victa est mors, devictus est diabolus. Tu autem, Domine, resurrexisti a mortuis, et apparuisti Apostolis tuis; qui sedes ad dexteram Patris, et venturus es judicare vivos et mortuos; et nisi te verum Deum agnovissem, non credidissem. Libera me de manu diaboli, qui quærit E animam meam in malis operibus suis, ut eam perdat. Dereliquisti me, Domine, sicut agnum in ore lupi.

cujus fallacias ei aperit angelus,

9 At ubi oravit, statim apparuit ei angelus Domini, et dixit ei: Quid ploras, Magne? Ecce modicum non potuisti sustinere: nam multum quomodo habuisti sustinere? Angelus autem Domini exsufflavit in faciem diaboli, et statim fugit, et nusquam comparuit *b*. Tunc beatus Magnus dixit ad eum: Angele Domini mei, non sciebam adhuc opera diaboli. Cui respondit angelus: Acceptabilis fuit oratio tua ante Dominum, ut sine aliqua persecutione inter apostolos et martyres atque confessores eligeret te Dominus: jam enim in cælo corona tibi paratur, quia ille, qui tecum voluit pugnare, ipse facit, ut homo perdat pudicitiam. Ipse seminat litem inter patrem et filium, et ipse facit, ut germanus occidat fratrem suum. Ipse surripit iracundiam, ut homicidium faciat. Ipse inter conjuges divortia seminat, inter amicos discordiam, inter pacificos lites, inter justos injustitiam. Hæc omnia facit, ut perdat animas hominum. F

qui commorationi ipsius assignat quemdam locum

10 His auditis, beatus Magnus oravit cum lacrymis ad Dominum propter genus humanum. Et cum venisset ad locum, ubi habitaturus erat, fuit illic fluvius, et nullus ad transmeandum erat locus, nec repertum navigium. Tunc angelus Domini præcepit sancto Magno, ut intraret cum eo pedibus fluvium; erat autem in illo loco profunda altitudo. Et dum transissent, ita evenit, ut aquæ eis usque ad latera pervenirent. At ubi pervenerunt ad locum, media nocte facta est vox de cælo ad angelum dicens: Dilectus meus Magnus ipsum inhabitet locum, in quo sancta et venerabilis ecclesia est constituta. Tunc ad sanctum Magnum ait angelus Domini: Beate Magne, præcepit mihi Dominus rex omnium Christus, ut in isto loco *c* habites, quia multa mirabilia per te in isto loco facturus est Dominus usque in finem. Tunc dans ei pacem angelus, dixit ei: Pax tibi, famule Dei; statimque angelus receptus est in cælum.

in quo Sanctus consistens

11 Tunc beatissimus Magnus cœpit quasi pauper sedere ante januas ecclesiæ, quia dies festus erat. Tunc infiniti populi se collegerunt ad eum interrogantes: De qua regione huc advenisti? At ille penitus nihil respondebat. Multitudo vero populi, quia Christiani erant, et videbant eum quod

EX MSS.

quod sanctus esset, dicebant: Iste homo justus est. Alii vero increduli dicebant, quia destructor * est. Hæc eis dicentibus, erat ibi quidam puer, nomine Paternus *d*; hic cum vidisset sanctum Magnum, recordatus est, quod illi per visum Dominus revelaverat dicens: Mittam ad te hominem sanctum et verum sacerdotem de terra longinqua; per eum venies inter choros Sanctorum tuorum. Tunc beatus Paternus alloquitur beatum Magnum episcopum, et dixit ei: De qua regione te habemus? nam ego, quem vides, Christianus sum. Forte de te mihi Dominus per somnium revelavit dicens: Mittam ad te Sanctum meum. Ad quem respondens sanctus Magnus ait: Tu dixisti. Et duxit eum in domum suam. Statim ut ingressus est domum, a fundamentis commota est. Et dum omnes in facies suas cecidissent, a sancto Magno confortabantur. Beatus vero Paternus cum omni domo sua in Christi amore perdurabat.

* al. exactor

mulieri sterili fecunditatem impetrat,

12 Sanctus autem Magnus dum permaneret in loco, ubi eum angelus Domini constituit, fama ejus per totam provinciam percurrebat. Erat autem quædam mulier, quæ jam ab annis quindecim non poterat filios habere. Audiens illa famam beati Magni, venit ad eum, et provoluta pedibus ejus deprecabatur dicens: Respice in me peccatricem; ignosce malis meis, et miserere mei. Qui avertit faciem suam ab illa. Cui mulier dixit: Quid rogantem te fugis? Noli me mulierem despicere miseram, quia non habet opus medicis sanus homo, sed qui male habet. Tunc beatus Magnus non sustinuit lacrymas ejus, sed interrogavit mulierem, quid causæ haberet. Et postquam didicit, levavit oculos suos ad cælum orans cum lacrymis. Tunc postratus in orationem, benedixit mulieri, quæ alio anno cum filio venit ad beatum Magnum benedicens Dominum.

tres ægrotos sanat,

13 Aliud quoque ostendit miraculum: nam cujusdam præfecti prætorii uxor valde nobilis inter suos, et inter Christianos erat reverentissima. Hæc cum marito suo venit ante faciem beati Magni propter infirmitatem trium filiorum suorum, qui jam desperati fuerant. Nam et mater eorum nesciebat, quem primum plangeret. Cumque pervenisset ad beatum Magnum, provoluta pedibus ejus cœpit cum lacrymis dicere: Beate Magne per clementissimum Deum te deprecor, ut reddas mihi tres filios meos. Statim misericordia motus est beatus Magnus. At ubi oravit, benedixit oleum, et dedit matri eorum, ut singulorum corpora ungeret, quia vidit fidem in matre eorum. Cum tetigisset eos mater, statim sani facti sunt filii ejus, et divulgatum est hoc per universam terram.

feminam cæcam illuminat,

14 Erat autem mulier quædam, quæ jam triginta annos cæca permansit; quæ adducta est a fratribus suis ad beatum Magnum, et narraverunt ei flentes, se jam omnem substantiam suam in medicos expendisse. Ad quos respondit beatus Magnus: Ea, quæ in medicos expendistis, si dedissetis pauperibus, curasset eam verus medicus, qui est Christus Jesus. Tunc mulier magis clamabat, et deprecabatur eum dicens: Respice cæcitatem meam, et salva oculos meos, serve Christi. Tunc sanctus Magnus exspuit in faciem ejus, statimque per exemplum Salvatoris et virtutem Domini illuminata est mulier.

a dæmone percussum

15 Alius quidam in partibus Picini *e* dum sederet in equo percussus a diabolo repente obriguit, ita ut nec manus nec pedes agitaret, nec cervicem flectere potuisset. Ad beatum Magnum cum lectulo portatus est; qui solam linguam movebat ad deprecandum. Tunc dixit beatus Magnus, non posse hominem sanum fieri, nisi crederet in Christum, et sponderet se diabolo abrenuntiare. Qui statim credidit Christo, et per orationem sancti Magni toto corpore salvatus est, et cœpit exultare in Domino simul cum beato Magno.

aliumque energumenum liberat,

16 Nam quidam fortissimus juvenis, nomine Messias, de prætorio Surano *f* habuit dæmonium pessimum, ita ut nec catenis nec compedibus ulla ratione posset teneri: et multorum nasos vel aures morsibus amputaverat. Iste dum fuisset catenis et funibus constrictus, ductus [est] ad beatum Magnum. Et cum vidisset eum, statim jussit illum solvi. Cumque solvissent eum, inclinavit caput suum, et venit tremens et cervicem flectens; nec aspiciebat in faciem ejus, sed provolutus in terram, cœpit pedes sancti Magni lingere. Tunc a beato Magno adjuratus per nomen Domini Jesu Christi exivit dæmon, qui juvenem possederat. Tunc juvenis cœpit omnipotenti Deo gratias agere, qui eum per famulum suum Magnum dignatus est curare. Nam et multa alia mirabilia per eum dignatus est facere.

ac denique martyrium subit.

17 Tempore illo dum persecutio ageretur sub Decio et Valeriano persecutoribus, eo tempore, quo Cornelius Romam ingressus est *g*, fama beati Magni ad imperatorem pervenit, et armatus a diabolo misit triginta milites, qui beatum Magnum interficerent. Euntes vero milites comprehenderunt eum, et variis suppliciis interfeceruut *h*. Audiens hæc beatus Paternus, servus Domini nostri Jesu Christi, tulit corpus beati episcopi et martyris Magni, et sepelivit eum. Passus est autem beatissimus martyr Christi Magnus XIV Kalendas Septembris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Difficultatem, quæ in hoc utriusque Sancti congressu videtur esse, in Commentario prævio num.* 30 *proposui.*

b *Neapolitanum PP. Teatinorum apographum de diabolo illo sic habet:* Dæmon confusus præcipitavit seipsum in flumen. *Huic Cassinense Actorum exemplar fere consonat.*

c *Locus ille, cujus nomen hic tacetur, in duobus proxime memoratis Actorum apographis indicatur. Neapolitanum PP. Teatinorum de loco illo hæc habet:* Cum itaque pervenisset ad civitatem Fundanam, non procul a civitate ad campum Demetrianum se contulerunt, siccoque pede flumen transierunt, et ad ecclesiam quam citius, quæ ibi erat, advenerunt *etc. Cassinense autem exemplar situm hujus loci distinctius ita describit:* Angelus autem Domini cum S. Magno, itinere confecto, venerunt in prædium, quod subjacet civitati Fundanæ vocabulo Mitriano, haud longe a Terracinensi urbe, ubi erat fluvius *etc.*

d *Arbitror, hunc esse eumdem S. Paternum, qui in Martyrologio Romano ad diem* 21 *Augusti annuntiatur, cum ibi Fundis in Latio martyrium subiisse dicatur. Gesta hujus Sancti ab hagiophilis accipere desideramus.*

e *Suspicor, hic pro Picino legendum esse Picenum, quæ est ampla Italiæ regio, ut apud geographos obvios videre est.*

f *Forte*

EX MS.

A f *Forte intelligendum est de prætorio Sorano, cum Sora sit urbs Italiæ in Latio.*

g *Tempus martyrii in apographo nostro Neapolitano et Cassinensi exprimitur hoc modo :* Elapsis quibusdam annis, eo tempore, quo Cornelius Romæ et Cyprianus Carthagine sub Decio et Valeriano martyrio coronati sunt *etc. At, ut hic alia omittam, S. Cyprianus Carthaginensis post mortem Decii imperatoris martyrio coronatus est. Facilius expressio nostri codicis cum chronologia conciliari potest : nam Cornelius Papa sub imperatore Decio Romanam cathedram ascendit.*

h *Circa genus mortis, quod in variis Actorum exemplaribus diversimode narratur, § 2 Commentarii prævii num.* 31 *et sequente sat multa retulimus.*

DE SANCTO MAGNO MARTYRE

CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Distinctio hujus sancti Martyris ab altero, Acta, et immemorabilis cultus.

B *SUB AURELIANO. Quamvis hic S. Magnus in Actis*

Hac die in Commentario prævio ad Acta S. Magni episcopi et martyris, qui in Italia sub imperatore Decio martyrium subiisse traditur, hunc *S. Magnum propter diversas loci, temporis, et Actorum circumstantias ab illo sancto Præsule distinxi. Sed magis ambiguum est, an hic* S. Magnus *distinguendus sit ab altero S. Magno vel Andrea duce militum, qui cum* 2597 *sodalibus in angustiis montis Tauri ab Antiocho propter fidem Christianam infectus est, et cujus memoria in antiquissimis Martyrologiis etiam hac die celebratur, ut liquet ex paragrapho primo Commentarii prævii ad Acta S. Magni episcopi, et clarius patebit ex Actis S. Magni vel Andreæ ducis, quæ hodie a collega meo dabuntur. Dubitationem auget silentium omnium Martyrologiorum, quæ hac die de* S. Magno *Cappadoce non meminerunt.*

quæ Petrus Equilinus vulgavit.

C 2 *Si præterea attendamus numerum sodalium, quibuscum S. Magnus vel Andreas dux martyrium subiit, videtur aliqua confusio facta esse cum nostro* S. Magno, *quandoquidem hic etiam cum tanta sociorum multitudine passus fuisse dicitur saltem in Actis, quæ Petrus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib. 7 cap. 76 vulgavit in hunc modum :* Magnus martyr passus est in Cæsarea Cappadociæ tempore Aureliani imperatoris sub præside Alexandro ; qui ex ipsa civitate ortus, defunctis parentibus Christianis, ipse in fide Christi constantissimus dum oraret ad Dominum, voce sibi de cælo lapsa, ad martyrium confortatur : quam vocem cum audissent pagani, eum tenuerunt, et in carcerem concluserunt, et post dies quatuor præsidi eum obtulerunt ; quem sacrificare diis recusantem tradidit præses Alexandro et Zozimo sacerdotibus idolorum, ut eum igne consumerent : qui miserunt eum in caminum ignis ; statimque flamma extinguitur, et post dies tres martyr Christi inde illæsus educitur. Hoc præses audiens, caminum amplius accendi fecit, et ipsum iterum intromisit, ubi quinque dicbus inclusus stetit. Flamma quoque in duas partes divisa, ipse intactus omnino permansit. Post dies quinque accedentes milites, ut vel ossa ejus invenirent, audientes eum psallentem, respexerunt, et quasi millia angelorum cum eo viderunt, in quorum medio Magnus inustus Deum laudabat.

3 Cum autem jussu præsidis eductus esset, et

E *dicatur martyrium subiisse cum 2397 sociis,*

Christi virtutem præses magiæ deputaret, jussit eum in amphitheatrum duci, et feras ei laxari. Et primo quidem ursa pessima ad eum dimissa in terram postrata pedes illius lingebat. Deinde leopardus exsiliens collum ejus amplexus lingua sudorem vultus ejus extergebat. Tertio leo ferocissimus et ingens a venatoribus captus, intromissus est. Et cum multitudo paganorum esset intra amphitheatrum, antequam abirent, leo de manibus venatorum prosilivit, et in gentiles irruit. Angelus vero arenarium conclusit, ut nemo aufugere posset. Et laniante leone multitudinem paganorum, ad mandatum Sancti solus præses cum officio suo illæsus permansit, et leo ad caveam mansuetus rediit. Tunc exiens præses omnes exire mandavit, et solum Magnum ibidem dimisit, leonemque dimitti fecit, qui ad pedes ejus procidit, et osculabatur eum. Quo viso, bis mille quingenti nonaginta septem pagani in Domino crediderunt ; omnes jussu Alexandri præsidis decollati sunt. Deinde eo mandante, gentiles populi sanctum Martyrem tulerunt, et extra civitatem ejectum lapidaverunt. Cumque super eum acervum lapidum jactassent, F eumque jam mortuum existimassent, subito Martyr Christi, cunctis audientibus, Dominum oravit, ut susciperet animam ejus in pace ; et statim emisit spiritum : cujus corpus a Christianis in ipsa civitate sepultum est in sarcophago novo, XIX Calendas Septembris. Martyrum vero aliorum corpora juxta muros urbis in cœmeterio sunt tumulata.

tamen aliis Actis de hoc sodalium numero silentibus,

4 *Hoc Actorum compendium nihil commune habet cum Actis S. Magni vel Andreæ ducis, ut manifestum fict hæc percurrere volenti : nam locus, tempus, imperator, præses sive martyrii exsecutor, et verbo uno omnia narrationis adjuncta in utriusque Actis differunt, si nomen et similem sociorum numerum excipias. Quinimo nulla fit mentio de quibusdam* S. Magni *nostri sodalibus in alio Actorum exemplari, quod Petrus Calo Dominicanus ante Petrum Equilinum collectioni suæ de Vitis Sanctorum inseruit. Floruit autem Petrus Calo circa initium seculi* XIV, *ut inter Scriptores ordinis Prædicatorum recensitos testatur Echardus, ubi tomo* I *pag.* 511 *de illo habet sequentia :* Frater Petrus Calo alias Calotius Venetus Fossæ Clodiæ vernacule CHIOZZA

AUCTORE G. C.

ozza vel Chioggia natus, ibidem in domo sancti Petri martyris Ordini ascitus, a Leandro fol. 152 laudatur, ceu qui ad annum mccc claruerit. *Deinde ibidem enumerat ejus scripta, inter quæ ab ipso recensentur* Vitæ Sanctorum *ex antiquis monumentis collectæ et duobus voluminibus ingentis molis comprehensæ, quod Opus adhuc manuscriptum in variis bibliothecis exstare dicitur. Porro ob supradictas aliasque rationes judicavi,* S. Magnum *Cappadocem ab Andrea duce atque aliis ejusdem nominis martyribus distinguendum esse.*

videtur distinguendus ab alio, qui cum tot sociis hac die passus est

5 *Quamvis in apographo, quod jam edituri sumus, martyrium ejus collocetur Calendis Septembris, tamen secutus Acta breviora Petri Equilini, qui eumdem* S. Magnum *hac die* xix *Augusti martyrio coronatum memorant, hodie de illo agere malui, tum ut variæ difficultates, quæ in his Sanctis homonymis occurrunt, eadem opera simul exponerentur, tum ut Acta hujus* S. Magni *Cappadocis et Acta S. Magni vel Andreæ ducis in eodem Operis nostri tomo facilius inter se conferri possent. Cum autem neque hac die,* B *neque Calendis Septembris ullam distinctam hujus sancti Martyris memoriam in Fastis ecclesiasticis invenerim, immemorabilem ejus cultum collegi ex ipsis Actis, quæ certe ducentis et pluribus annis ante notissimum Urbani VIII Pontificis decretum conscripta sunt, et in quibus Petrus Cano Dominicanus et Petrus de Natalibus episcopus Equilinus de martyrio et honorifica illius Martyris sepultura testimonium reddunt. Nunc tantum superest, ut ipsa Acta prælo subjiciamus et consuetis annotationibus illustremus.*

ACTA

Collectore Petro Calo Dominicano

Ex Ms. Codice de Vitis Sanctorum part. 2 fol. 87.

C

Sanctus a paganis comprehensus

Magnus a parentibus Christianis doctus legem et fidem Christianam, vita decedentibus parentibus ejus, crescebat in fide Christi, ambulans in præceptis et justificationibus Domini sine querela, et intendens in cælum orabat Dominum. Tunc venit vox de cælo dicens : Serve meus Magne, noli timere, quia ego tecum sum. Tunc multi de populo Christiano audientes hanc vocem gavisi sunt vehementer. Pagani vero apprehendentes miserunt eum in carcerem. Nam diebus Aureliani Imperatoris persecutionem Christianis facientis, decretum exiit in universo orbe *a*, ut Christiani idolis sacrificarent, et qui contempsissent diversis suppliciis punirentur. Fuit autem B. Magnus in carcere diebus quatuor. Tunc flectens genua oravit Dominum dicens : Domine Deus omnipotens patrum nostrorum, exaudi me servum tuum, et ne derelinquas me, Domine Deus meus.

sistitur præsidi,

2 Post hæc jussit præses educi eum de carcere et stare ante tribunal suum. Et cum adductus fuisset, ait illi præses : sacrifica Diis. Sanctus Magnus respondit : Jam semel tibi dixi, et iterum dico tibi, quia Christianus sum, et non sacrificabo dæmoniis. Præses dixit : Forsitan in hoc D confidis, ut magiæ tuæ ita prævaleant, quod ignis te non possit superare. Immola diis. Sanctus Magnus dixit : Quibus diis me vis immolare? Præses dixit : Soli Mercurio et Apollini. Magnus respondit : Justum tibi videtur, ut sacrificem Apollini, quoniam qui illi sacrificant perdent animam; Apollo enim perditio interpretatur *b*.

qui eum damnat ad flammas,

3 Audiens hoc præses jussit eum mitti in caminum ignis ardentis. Tunc præses præcepit Alexandro et Cosimo sacerdotibus idolorum : Tollite eum ante faciem meam, et ponite eum in camino, ut consumat eum ignis. Et accipientes eum perduxerunt in locum. ubi caminus ignis paratus erat ardens. Respiciens B. Magnus in cælum ait : Domine Deus meus exaudi me servum tuum, qui propter nomen tuum hæc patior, et tu mihi præsta, ut integre permaneam in fide confessionis tuæ : tu me libera de isto igne, quoniam isti malitiosi tentaverunt mihi, ut cognoscant omnes, qui te non noverunt, et credant, quia tu es Deus solus et gloriosus in universo mundo. Completa vero oratione; consignavit se in nomine Christi. Tunc apprehendentes eum miserunt in caminum ignis, E statimque flamma extincta est. Beatus vero Magnus glorificabat Dominum dicens : Gratias ago tibi Domine, quia sicut visitare dignatus es tres pueros in camino ignis, et liberasti eos ab incendio ignis, ita et me servum tuum liberare dignatus es. Fuit autem in camino tres dies. Post diem tertium jussit præses aperiri caminum, et invenerunt eum illæsum.

quas bis illæsus evadit.

4 Tunc præses furore repletus, jussit iterum caminum succendi multo amplius, quam ante succensus fuerat. Statim autem Spiritus sanctus in columbæ specie descendit de cælo et pressit ignem. Erat autem flamma divisa in duas partes, et non contingebat eum, nec contristabat, nec quidquam molestiæ inferebat. Post quinque vero dies jussit præses iterum aperiri caminum, ut vel ossa ejus inveniret. Venit illuc multitudo militum, ut videret, quod de eo factum fuisset : audieruntque S. Magnum psallentem et laudes dicentem. Stupefacti vero reversi ad præsidem dixerunt ei : Domine præses, hic homo non est magus; sed est Deus ejus magnus. Audiens hoc præses miratus est quod F tanta flamma ignis non læsisset eum, et ait : Forsitan magiæ ejus prævaluerunt; et ait ad ministros suos : Adducite eum ad me. Aperientes autem milites caminum, viderunt quasi millia multitudinem Angelorum cum multa gloria, quos Christiani fratres viderunt. Erat autem S. Magnus sedens in medio fornacis, et glorificabat Deum. Dixerunt autem ad eum milites : Magne, egredere foras; vocat te præses. Egrediente autem eo recesserunt inde angeli. Cum autem stetisset Magnus ante præsidem, dixit ad eum. Quid est, Magne, quod sic prævaluerunt magiæ tuæ, ut non te læderet : ignis : quomodo autem exstinctus est, dic mihi, et nihil te noceo, sed jubeo te dimitti. Sanctus Magnus respondit : Ego feci per virtutem Domini mei Jesu Christi signum Crucis, et ignis extinctus est a latere meo. Tunc præses ait ei iterum : Vere dic mihi; quomodo maleficia tua extinxerunt tantum ignem. Sanctus Magnus respondit : Gratias ago Deo meo, quia non sum maleficus, sed Christianus.

Deinde etiam bestiis ferocibus

5 Tunc Alexander præses dixit ad præpositos venatorum : Adducite mihi feras diversas, quæ eum consumant. Tunc venatores fecerunt, ut dixerat, et introduxerunt B. Magnum in amphitheatrum,

A theatrum, et dimiserunt ei ursam pessimam; quæ currens stravit se in terram, et lingebat pedes ejus. Postea dimiserunt ei leopardum, qui currens exilivit ad collum ejus, et amplexus est eum, et lingua sua extergebat sudores de facie ejus. Videns hæc præses, quia nihil læderent corpus ejus, præcepit venatoribus, ut per dies multos caperent leonem ferocissimum, ut vel sic consumeret Martyrem Christi. Mox eo jubente comprehensus est a venatoribus leo miræ magnitudinis, et productus ad civitatem; et nuntiatum est præsidi, quod valde immanissimus leo aleretur in cavea. Præses autem nimia lætitia est gavisus, et præcepit leonem illum sancto Martyri dimitti; quem cum non statim ministri dimitterent præ timore, venit ille leo et descendit in civitatem rugiens et fremens, et nullum hominum læsit, sed festinans amphitheatrum patentibus seris ingressus est. Et respiciens eum sanctus Magnus dixit: O creatura Dei, ecce nunc propter te moras patior. Hæc eo loquente, amphitheatri ostia ab angelis clausa sunt, et nullus potuit inde effugere, et impleto amphitheatro

B ascendit leo in populum, et laniavit multitudinem paganorum. Solus autem præses cum officio suo *c* remansit illæsus. Hoc autem fecit Deus per orationem servi sui Magni, ut illius passio compleretur. De populo vero laceratione facta est effusio sanguinis magna, et nec sic conversus est crudelissimus judex: Deus enim induraverat cor ejus. Post hæc præcepit B. Magnus leoni, ut ad proprium reverteretur locum.

bis frustra objicitur, 6 Vocavit autem præses S. Magnum et ait ei: Audi me et sacrifica diis, sicut ab imperatore præceptum est, ne deficias variis cruciatibus. Sanctus Magnus dixit: Hypocrita et communicator dæmoniorum, non tentabis servum Dei, quia Deo vivo, qui regnat in cælis, servio, et numquam me derelinquet Dominus Deus meus. Hæc dum diceret ad præsidem beatus Magnus, iratus præses nimium dixit ei: Audi Magne, leonem habeo ferocissimum; ad te laniandum dimitti jubeo, et si non sacrificaveris diis, ab eo coufringentur ossa tua. Sanctus Magnus respondit: Ego non sacrifico dæmoniis, qui habitant in te: scriptum est enim, qui

C sacrificaut dæmoniis, et non Deo eradicabuntur. Tunc indignatus præses surrexit et abiit ad stadium, et præcepit venatoribus, ut leonem dimitterent super eum; et ita fecerunt. Beatus vero Magnus deambulabat in medio amphitheatri, et respiciens in cælum glorificabat Deum; et cum juxta eum venisset leo, projecit se ad pedes ejus, et osculabatur eos.

7 Videntes autem populi, quia non læderetur a leone, cœperunt sibilis, et vocibus suis [ac] injuriis vexare præsidem, clamantes et dicentes: Tolle magnum et maleficum istum de medio nostri: et colligentes lapides lapidabant eum, quousque fecerent montem super eum, et statim putaverunt, cum jam mortuum esse; et unusquisque ad suum reversus est locum. Post modicum facto silentio, surgens B. Magnus illæsus benedicebat Dominum. Et statim vox de cælo facta est dicens: Veni, Magne, ut congaudeas cum fratribus tuis sanctis in paradiso, devictis omnibus colluctationibus inimici, et suscipiet te Spiritus sanctus, deducetque te in requiem sanctam. Tunc B. Magnus benedicens Deum et gratias agens dixit: Domine Deus, ne statuas illis peccatum secundum ea, quæ intulerunt mihi; sed suscipe animam meam in pace. Et cum hæc dixisset [spiritum] emisit. Christiani autem rapuerunt corpus ejus, et posuerunt in sarcophago novo. Passus est autem in Cæsarea Cappadociæ sub Aureliano imperatore, et Alexandro præside I Kalendas *d* Septembris.

ex his, ac tandem in oratione spiritum emittit,

ANNOTATA.

a *Hæc decreti promulgatio, quæ per universum orbem hic facta dicitur, pugnat cum testimonio Lactantii vel Lucii Cæcilii, qui in libro de Mortibus persecutorum cap.* 6 *de eodem imperatore sic scribit*: Aurelianus cum esset natura vesanus et præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus et pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit; sed protinus inter initia sui furoris exstinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, et jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemptus *Potuit tamen* S. Magnus *sub imperio Aureliani martyrium subire, quamvis hoc generale imperatoris edictum nondum in Cappadociam pervenisset: nam facile fieri potuit, ut ad mortem damnaretur ab aliquo præside vel proconsule, quia pagani religionem Christianam in imperio Romano vetitam sciebant.* E

b *Alludit auctor ad verbum Græcum* ἀπόλλυμι *vel* ἀπολλύω, *quod* perdo *significat, ut clarum est.*

c *Officium hic sumitur pro ministris, ut ex sensu patet, et sæpe alias diximus.* F

d Primo Kalendas, *id est ipsis Kalendis Septembris, ut hunc loquendi modum alibi explicuimus. Sed ob rationem in Commentario prævio allatam secuti sumus Petrum Equilinum, qui martyrium hujus* S. Magni *Cappadocis hac die collocavit.*



A D

DE S. ANDREA TRIBUNO

AC SOCIIS MARTYRIBUS

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J.P.

§ I. Publica eorum veneratio, nomen S. Andreæ confusum, Acta, Martyrum numerus.

Sub Maximiano. Memoria, versiculi,

Nomen hujus celeberrimi Martyris ac sociorum quam sit memorabile, quantaque apud posteros manserit in benedictione, testantur affatim monumenta antiqua, quæ ad nos usque
B de illis sunt transmissa. *Incipiamus a Fastis Græcis. Typicum, quod sub S. Sabbæ nomine citatur, meminit hoc die* Sancti martyris Andreæ, ducis militaris, ac sociorum bis mille quingentorum et nonaginta trium. *Menologium Sirleti sic habet* : Natalis sanctorum martyrum Andreæ, ducis exercitus, et sociorum duorum millium quingentorum nonaginta trium, qui Maximiani persecutoris temporibus delati apud Antiochum ducem exercitus quod essent Christiani, perseverantes in Christi confessione, ense percussi sunt. *Eumdem eum honorifico nomine megalomartyris, nec non eosdem numero socios signant Menæa magna impressa, ac sequentes illis accinunt versiculos :*

Ἔστησε τμηθεὶς αἱμάτων λίμνας ὄχλος
Σοὶ τῷ παραστήσαντι λίμνας ὑδάτων.
Ἐννέα καὶ δεκάτῳ τάμον Ἀνδρέου αὐχένα λαμπρόν.

Truncata rivos sanguinis pro te dedit
Turba hæc, aquarum, Christe, cui rivos dabas.
Nona post decimam collum Andreæ abscidit ensis.

C *Censeo alludere poëtam ad genus martyrii, et ad salutarem fontem : de quo vide Acta num.* 11, 12 *et* 13. *Dicta Menæa peculiarem ac solennem faciunt de* S. Andrea *memoriam in Officio sacro hujus diei, condito etiam Canone in honorem Sancti, cujus hæc est acrostichis :*

Ὕμνοις κροτῶ σε, Ἀνδρέα, Στρατηλάτα.

Laudes tuas, o Ductor Andrea, cano.

elogium.

2 *Porro hodierni nostri Pugiles in variis aliis Fastis sacris memorantur : etenim in Kalendario Ruthenorum apud Possevinum fit mentio* S. Mart. Andreæ : *in Menæo Chiffletii* Ἀνδρέου Στρατηλάτου, Andreæ militaris Ducis, *Martyrologium Arabico-Ægyptium ac Ms. Taurinense eum ipsius tum* sociorum *in genere meminere ; quorum numerum determinat Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum eodem modo, quo Typicum ac Menologium Sirleti. Synaxarium e Menologio, jussu Basilii imperatoris collecto, post hunc titulum,* Certamen sancti megalomartyris Andreæ militiæ Ducis, ac sociorum ejus, *ponit Actorum compendium, cujus textus Græcus excusus datur ad calcem tomi* I *mensis Augusti, Latine autem sic sonat:* Erat hic, imperante Maximiano, Dux militum in orientali regione sub Antiocho, qui universo militum agmini præerat. A quo postquam una cum aliis militiæ ducibus missus esset adversus Persas, et Christum invocasset, in fugam egit Persas, et post insperatam victoriam socios suos ad Christi fidem pertraxit. Accusati vero apud Antiochum, tamquam rei judicio, coram ipso adstitere : et ipse quidem in lecto ferreo ignito fuit extensus; sociorum autem ejus e quadratis lignis E manus transfixi sunt clavis. Deinde autem ex aliis mille, jubente Antiocho, e regionis finibus exacti : quos ubi instruxisset Sanctus, ad Christi fidem adduxit. Rem ubi comperisset Antiochus, eosque simul cum his, quibus præerat, esset insecutus, omnes ense interemit, omniumque postremum Andream, illustrem Christi martyrem, et inter athletas fama celebrem.

Celebre etiam S. Andreæ ac Socc. nomen

3 *Quam memorabile hujus nostri Megalomartyris seu magni Martyris nomen est apud Græcos, tam celebre etiam est apud Latinos, antiquissimis utique ac primæ notæ Martyrologiis inscriptum. Nam Usuardus hac die ita eum refert :* Natalis sancti Magni, seu sancti Andreæ martyris, cum Sociis suis duobus milibus quingentis nonaginta et septem. *Ad quam annuntiationem ista jam pridem in Usuardo a nobis edito et illustrato observata sunt :* Andream apud Græcos inclytissimum MEGALOMARTYREM Martyrologi nostri Latini verosimillime ex Græca appellatione binomium fecerint MAGNUM seu ANDREAM. Sic etenim Beda, *prout apud nos editus est,* et ex eo Rabanus, Romanum parvum, Ado, *et, cujus jam verba dedimus, Usuardus.* Melius fortasse legissent, MAGNI F ANDREÆ : neque enim verosimile puto, Martyrologos nostros Andream tribunum militum cum MAGNO episcopo Anagnino confundere voluisse. *Hanc observationem de duplici nomine eidem nostro Martyri perperam indito, inferius confirmare conabimur. Habemus interim ex dictis (nihil quippe cogit omnes illas annuntiationes huc integras transcribere) magni nominis martyrem fuisse* S. Andream *in Ecclesia Latina. De Wandelberto postea agemus. Martyrologium Romanum modernum ita de illo legit ac sociis, quorum tamen numerum non determinat :* In Cilicia natalis sancti Andreæ tribuni, et Sociorum militum, qui victoria de Persis divinitus adepta, ad fidem Christi conversi, et hoc nomine accusati, sub Maximiano imperatore in augustiis Tauri montis ab exercitu Seleuci præsidis trucidati sunt.

apud latinos.

4 *Quia vero circa annuntiationem apud Galesinium nonnulla mox erunt notanda, illam quoque hic præmittere visum est. Sic igitur sonat :* Cæsareæ, sanctorum martyrum Magni, Andreæ, et Sociorum, qui bis mille quingenti et nonaginta septem, cum leonem conspexissent in homines

AUCTORE J. P.

A nes a fide alienos sævientem, ad beati martyris Magni pedes mansuetum et prostratum jacere; rei admirabilitate commoti, ad Christi fidem se contulerunt. Quamobrem Alexandri præsidis jussu capite plectuntur. Magnus vero lapidibus obruitur. *Annuntiatio hæc convenit S. Magno, cujus martyrium pluribus describit Petrus de Natalibus lib.* 7 *cap.* 76; *in quo tamen cum nullum de* S. Andrea *inveniam vestigium, mirum mihi accidit, ipsius nomen intrusum legi in dicta annuntiatione. Sed res hæc pluribus tractatur apud nos hac die, qua de sancto Magno Cappadoce agitur pag.* 717. *Nunc de hallucinatione Martyrologorum superius indicata et hic pluribus refellenda tractabimus; e qua videtur originem traxisse Galesiniana.*

Hallucinatio corrigitur.

5 *Et ea quidem est duplex; altera in eo versatur, quod* S. Andreæ *addiderint nomen non suum*, Magni *videlicet; altera incertior priore, quod alicubi forte S. Magnus aliter annuntietur, quam debeat, uti mox referam. Ad priorem quod attinet, præter illa, quæ paullo ante præmisimus, hæc addo ad majorem illorum confirmationem.* B *Baronius in notationibus hac die* XIX *Augusti ad annuntiationem Martyrologii Romani* Andreæ Tribuni et Soc., De his, *ait*, hac die Usuard. et Ado; licet Andream cum S. Magno confundant. *Hunc errorem etiam castigat Lambecius Commentariorum de bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib.* 8 *pag.* 202, *ubi occasione versionis Latinæ et exordii Actorum* S. Andreæ *ac sociorum apud Surium hac die*, Martyrium S. Andreæ, Ducis exercitus, et sociorum, autore Symeone Metaphraste. Vocatur autem hic Andreas etiam Magnus *etc.*, *sic scribit:* Hoc non est intelligendum de nomine proprio MAGNI; quippe quod S. Andreas Stratelates non habuit; sed tantum de titulo Μεγαλομάρτυρος, sive MAGNI MARTYRIS, qui illi in hujus narrationis inscriptione Græca honoris causa tribuitur. Perperam igitur et absurde in Adonis archiepiscopi Viennensis Martyrologio die XIX Augusti legitur: Natalis sancti MAGNI SEU sancti ANDREÆ *etc. Merito itaque ista*, vocatur autem hic Andreas etiam Magnus, *omissa sunt in editione Surii, anno* 1618 *Coloniæ edita. Hæc de* C *errore isto. In alium forte lapsus est Wandelbertus, dum eidem Martyrum manipulo videtur adjunxisse S. Magnum Cappadocem, cui aliam martyrii palæstram supra assignavimus. Sic enim canit:*

Magnus et Andreas quarta denaque coruscant:
Septem nonaginta et quingenti comitantur,
Quos pariter Sancti simul his bis mille sequuntur.

Acta

6 *Varia sunt Actorum exemplaria. Lambecius loco citato pag.* 201 *et* 202 *unum affert hoc titulo ac principio:* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ. Ἄθλησις τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος Ἀνδρέου τοῦ Στρατηλάτου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τελειωθέντων διχιλίων πεντακοσίων ἐννενήκοντα τριῶν. Ἐν τοῖς χρόνοις τῆς τοῦ ἀσεβεστάτου Μαξιμιανοῦ βασιλειας διωγμὸς κατὰ Χριστιανῶν ἐγένετο μέγας, καὶ μαλιστα ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Συρίας· εἶχεν δὲ τότε τῆς ἐκεῖσε στρατηγικῆς τάξεως τὴν ἀρχὴν Ἀντίοχός τις, δεισιδαίμων ἄνθρωπος ὢν *etc. Id est:* Eadem die (XIX *Augusti*) certamen sancti et gloriosi magni-martyris Andreæ, ducis exercitus, et bis mille quingentorum nonaginta trium cum eo peremptorum. Temporibus impiissimi Maximiani imperatoris magna adversus Christianos mota est persecutio, maxime in partibus Syriæ. Quidam autem Antiochus, superstitioni deorum addictus homo, ibidem tunc ordinis militaris imperium tenebat *etc. Observat Lambecius hanc narrationem Latine exstare apud Laurentium Surium, ac Symeoni Metaphrastæ ibidem tribui, ut modo indicatum est. Sed nullum ejusdem vestigium invenio apud Allatium in Diatriba de Symeonum scriptis a pag.* 124, *ubi Vitas enumerat, quas tamquam Metaphrastæ proprias signat. Consule quæ dicta sunt tomo* II *hujus mensis pag.* 719 *de Actis S. Eupli martyris. Habemus etiam exemplar Græcum in nostro codice † Ms.* 194, *cujus exemplaris titulo prænotantur.* Eadem in Ms. Cæsar. 45 pag. 221 *exstare. Aliud Græcum apographum asservamus hoc titulo:* Μαρτύριον τοῦ ἁγίου μάρτυρος τοῦ Στρατηλάτου, ex cod. Ambros. N. f. n. 152, *sicut additur in eodem apographo.* Incipit: Τὸν θαυμαστὸν Ἀνδρέαν τὸν στρατηλάτην. Mirabilem Andream exercitus ducem *etc.*

et eorum

7 *Baronius anno Christi* 301 *collectionem historicam Actorum intexuit:* quæ quidem, *ait ibidem num.* 5, germana noscuntur. *At, bona Eminentissimi Cardinalis venia, non paucæ occurrunt difficultates, quæ illis incommodant.* E *Nam primo, ea non esse exarata a scriptore contemporaneo, illud est indicio, quod in principio illorum dicantur ista:* Persecutio quædam magna contra Christianos commota est.. Erat tempore illo Antioches quidam.. *Et inferius*, Celeberrimus Martyr *vocatur Sanctus. Postea vero sequitur:* Statim autem, quemadmodum sanctus Martyr precibus suis postulaverat, locus in quem venerandus sanguis ille *Martyrum* defluxerat, fons quidam effectus est, omnigenarum ægrotationum sanitatem afferens, quid fons AD HODIERNUM USQUE DIEM gratiis redundat. *An illa auctori synchrono conveniunt? Secundo, oratio* S. Andreæ, *in qua dicit*, Domine Deus.. accipe mei peccatoris.. preces. eorumque omnium, qui mecum sunt.. omnibusque his qui necessitatis tempore nostra, qui sumus indigni, nomina invocaverint, præsta petitiones illas, quæ ad salutem pertinent; quique ad locum hunc confugerint, eos protege.. et quo loco humilis sanguis noster effusus fuerit, fiat illic curationum fons *etc. Oratio, inquam, illa merum est episodium, cum a nemine potuerit audiri nisi a sociis ipsis Martyribus, quibus per tempus non licuit eam aliis referre. Accedit eo, quod non satis videatur consentanea humilitati Christianæ, quæ in Martyribus elucere debet.* F

examen;

8 *Tertio, mirum etiam videri potest*, S. Andream, *Christi fidem amplexum, prælio uni, quin immo pluribus, prout apparet, sese exposuisse, antequam petiisset atque obtinuisset baptismum. Audiantur Acta:* Inter *idolorum cultores* velut rosa florebat inter spinas.. fidelissimus Dei servus et martyr Andreas.. Hic.. Jesu Christi opem assecutus adversantium bellorum hostes superabat, et multis egregiis ac strenuis facinoribus excellebat. *Bello autem contra Persas ipsi commisso*, eos solos, quos manifeste cælestis gratia ei designavit, secum habens, oppositis hostibus prælium intulit. Jam vero cum esset congressurus cum hostibus, eorum ingentem multitudinem divinæ cognitionis argumentum suis militibus proposuit: nondum enim Christi Dei nostri fide donati fuerant: *qui* illustrem de hostibus ipsis victoriam deportarunt. *Sequitur postea* S. Andreæ *confessio, cruciatus in ignito tecto æneo, sociorum militum supplicium etc., quibus tandem cum ipsius tum militum subditur baptismus, quem dicuntur suscepisse a Petro urbis Tarsensis episcopo*

AUCTORE J. P.

episcopo, posquam eo clam discessissent. Nos interim ex dictis concludimus, in hujusmodi Actorum historia non tam relucere sinceram narrationem, quam Græculi scribillatoris, quisquis demum ille fuerit, compositionem incommodis, quæ inferius proponentur. Vide Annotata.

Martyrum numerus.

9 *Numerus sanctorum Martyrum non ponitur eodem modo apud Græcos ac Latinos. Hi quippe exstitisse illos memorant bis mille quingentos nonaginta septem, ex præmissis supra num.* 3; *Martyrologium Romanum non signat numerum : in cujus determinatione Fasti Græci num.* I *citati fere cum Latinis antiquis consentiunt. Acta nullum quidem etiam numerum determinant; sed magnus fuerit necesse est, cum* ingentem *Persarum* multitudinem *debellarit,* et Andreas cum tota sua forti et a Deo electa phalange, *uti loquuntur Acta, martyrium sit consecutus; quamvis* illum milites quidam ex iis, qui cum ipso fuerant.. apud Antiochum detulerunt, quod Deum B .. confiteretur et celebraret, qui in cruce suffixus fuerat. *Verum quo pacto tantus cohæret numerus cum Eusebio, qui Ecclesiasticæ historiæ a Valesio editæ lib.* 8 *cap.* 4 *pag.* 296 *hæc refert :* Postquam . . dux Romani exercitus nescio quis *(intelligo Maximianum Gallerium)* Christianos milites persequi aggressus, eos, qui in exercitu merebant, lustrare cœpisset ac recensere, et Christianis liberam eligendi potestatem fecisset, ut vel imperatorum jussis obtemperantes honoris sui gradum retinerent; vel si parere nollent, honore militiæ nudarentur : complures regni Jesu Christi milites, nominis illius confessionem seculari gloriæ ac felicitati, qua fruebantur, absque ulla cunctatione prætulerunt. Ex quibus pauci admodum (*In Græco est* εἷς που καὶ δεύτερος, *id est,* unus et alter) non modo dignitatem, verum etiam vitam amittere pro defensione pietatis sustinuerunt : cum is qui religioni nostræ struebat insidias, parce adhuc et raro sanguinem quorumdam fundere auderet. Verum ubi apertius se ad bellum accinxit, dici non potest, quot et quantos Christi Martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit, *post famosum videlicet* C *edictum contra ecclesias propositum Nicomediæ, de quo cap.* 5 *meminit idem Eusebius.*

10 *Si itaque Pugilum nostrorum martyrium differre licet usque ad illam crudelissimam persecutionem, qua in omne genus hominum a tyrannis sævitum est, textus Eusebii non crearet difficultatem; sed cum eo usque non videatur differendum, saltem secundum Acta, prout videlicet ea nunc exstant; non videmus, quo pacto satis commode ad verba Eusebii responderi queat. Diximus,* saltem secundum Acta *etc., quæ* S. Andreæ *ac sociorum militum cædem narrant accidisse post bellum Persicum : circumstantia vero illa fortasse adjecta fuit a non satis cauto exornatore Actorum, quæ aliunde non sunt magnæ admodum auctoritatis. Quidquid sit, nos ingentem illum sociorum Martyrum numerum, in Græcis pariter ac Latinis Fastis consignatum, relinquimus in antiqua sua possessione, ita tamen ut, Martyrologium Romanum secuti, eum in titulo ante hunc Commentarium nostrum non determinaverimus. Nunc a numero Martyrum pergamus ad tempus martyrii.*

D

§ II. Tempus martyrii expensum.

Notationi temporis

Cursum, *inquiunt Acta,* martyrii sui beatissimus Andreas cum tota sua forti et a Deo electa phalange perfecit decimo nono die mensis Augusti, die Dominico. *Littera* G, *quæ hic est littera diei* XIX *Augusti, non invenitur tamquam littera Dominicalis signata ad nostrum propositum, nisi anno* 293 *et* 305; *unde consequens est, ut secundum Acta innecti debeat martyrium illud anno alterutri. Si autem anno* 305 *id affigas, satagendum est, ut dictus annus componatur cum modo, quo Maximianus Martyres tractari jussisse fertur in Actis, et cum reliqua eorumdem Actorum serie, rebus ibidem ita expositis, ut dictu difficile videatur, eas accidisse tempore persecutionis generalis Diocletianeæ. Adde, quod memorent accidisse palmam martyrii quando erat bellum illud contra Persas, quo a* S. Andrea *ejusque sociis insignis victoria relata de ipsis fuit : unde fit, ut tempus martyrii pendeat a tempore istius bel-* E *li secundum Acta. Baronius ad annum Christi* 301 *num.* I *Diocletianum imperatorem cum suo collega Maximiano tunc triumphasse de Persis affirmat : et ibidem num.* 2. Porro, *ait,* enituit in bello Persico eximia virtus Andreæ tribuni militum etc.

in Actis signatæ

11 *Sed Pagius ad dictum annum num.* 2 *illum triumphum celebratum affirmat anno* CCCIII, quo Lactantius lib. De mortibus persecutorum cap. 17 Diocletianum Romæ Vicennalia celebrasse tradit. Nam cum triumphus ille Romæ exhibitus fuerit, ut Eusebius in Chronico, Eutropius et Cassiodorus testantur, et ante annum CCCIII post victoriam Persicam Diocletianus Romæ non fuerit, liquet eo anno triumphum hunc actum esse. Præetrea triumphos cum Vicennalibus et id genus festis de more exhibitos fuisse, sæpeque, dilatos, non semel insinuavi. Quare licet pax inter Romanos et Persas jam ab anno CCXCVII sancita fuisset, tamen triumphus de Persis anno tantum CCCIII actus. *Et, nonnullis interjectis, ad anni* 301 *numerum* 2, *quos e Baronio citabam, et seqq. observat ista :* Diocletianus . . nullum E hoc anno de persecutione Christianorum promulgavit edictum, sed tantum in milites sævitum. Quare martyres, de quibus Baronius, ante annum CCCIII passi non sunt. *Alii Martyres isti huc non spectant, sed* S. Andreas *cum suis militibus, quorum martyrium ex jam dictis apud Baronium, ac criticum ejus, consummatum sit anno* 301.

opponuntur

12 *Sed quo minus eorum adstipulemur sententiæ, obstat* 1°. Pax inter Romanos et Persas jam ab anno CCXCVII sancita *fuerat, uti modo fatebatur Pagius, Persis videlicet a Galerio cæsare tunc victis, ex eodem auctore ad istum annum num.* 6 *et* 7. *Cur ergo sanctorum nostrorum Militum martyrium differri debeat ad annum Christi* 301? *Cur Pagius secundum sua principia illud non ponit citius, cum anno* 298 *militum persecutionem affigat, dicens ad eumdem annum num.* 2 : Persecutio adversus milites hoc anno inchoata, ut recte Prosper in Chronico. Sicut igitur persecutio generalis in ipsis utriusque Augusti *(sermo est de Diocletiano et Maximiano Herculio)* Vicennalibus cœpit; sic et ejus quædam velitatio in utriusque Quindecennalibus. 2°. Cum dicant *Acta*

A *cta num. 2 :* Tempore illo accidit, ut Persicarum copiarum pars quædam fines transiliret, et bellum adversus Antiochum suscitaret; *cumque bellum illud* S. Andreæ *ab Antiocho demandatum fuerit, non utique ex dictis post annum* 297, *quo* pax inter Romanos et Persas sancita; *quidnam cogit illius ac sociorum martyrium procrastinare usque ad annum Christi* 301? 3°. *Cum denique hic annus componi non possit cum ratione temporis, quo martyrium accidisse memorant Acta*, *nimirum* decimo nono die mensis Augusti, die Dominico, *sicut supra observatum est*; *metius quidem nobis videretur, Acta in hoc defendere, et erroris non condemnare, si probabili aliquo argumento eo non compelleremur. Est autem illud :*

difficultates, 13 *Theodericus Ruinartius inter Acta sincera et selecta a se vulgata pag.* 309 *et seqq. editionis primæ, exhibet Acta S. Maximiliani martyris, in quibus præter alia, anno Christi* 295 *quarto Idus Martii eum impellentia ut militiæ nomen daret, dicuntur ista :* Maximilianus respondit : Militia mea ad Dominum meum est. B Non possum sæculo militare. Jam dixi, Christianus sum. Dixit Dion proconsul : In sacro comitatu dominorum nostrorum Diocletiani et Maximiani, Constantii et Maximi, milites Christiani sunt et militant. *Quomodo igitur, si anno* 295 *milites Christiani fuerint inter turmas Maximiani et in aula ejus, quomodo, inquam, in Milites nostros Christianos anno Christi* 294 *sub Maximiano sævitum est? Accedit eo, quod non satis verosimile videatur, tyrannidem persequendi Christianos a solo Maximiano esse exsecutioni mandatam, nisi post victoriam, quæ anno* 297 *de Persis relata fuerit, quæque animum ejus inflarit, cristasque ejus erexerit ad audendum quidlibet. Et vero contextus Actorum* S. Andreæ *non obscure insinuat, Maximianum tunc temporis rem gessisse in Oriente : et extra tempus belli Persici videtur semper egisse suas partes Illyricum versus, cum apud Lactantium lib. De mortibus persecutorum cap.* 18 *dicat*, Jam finxisse annos quindecim in Illyrico vel ad ripam Danuvii, *quibus* relegatus cum gentibus barbaris luctaret, cum alii intra laxiores et quietiores terras delicate imperarent.

C 14 *Atque hæ sunt difficultates, quæ in figendo tempore martyrii sese offerunt. Quandoquidem vero non est mihi promptum solvere hunc modum saltem inhærendo Actis, satius esse duxi eumdem scindere, et nostrorum Pugilum martyrium ponere cum Actis sub Maximiano, sub quo etiam illud signat Martyrologium Romanum, non determinato ejusdem martyrii anno. Dixi* saltem inhærendo Actis : *nam si eorumdem scriptor habuerit ante se documenta melioris notæ, illaque ita transformarit ornatu ac interpolatione, ut incommoda superius expensa ad istam causam sint referenda; tunc non video, cur tempus martyrii innecti non possit persecutioni Diocletianeæ; cur non item* diei Dominico, *atque adeo anno æræ vulgaris* 305, *post imperatoria videlicet illa edicta (Vide Acta num.* 5 *et num.* 8*) quæ abinde anno* 303 *adversus Christianos prodiere; cur denique cum Actis dici nequeat illud accidisse* imperatore Maximiano, *nempe veri ac proprii nominis imperatorem intelligendo, qui ante dictum annum* 305 *cæsar dumtaxat fuerat; quamquam cum adjecto jam tum ab anno* 292 *etiam titulo imperatoris, uti legitur apud auctorem neotericum Gallum Historiæ imperatorum tom.* 4 *in Diocletiano art.* 9 *pag.* 21. *Quia vero plane supervacaneum judico, alterutrum e duobus, quæ apud me sunt, Græcis exemplaribus supra indicatis in Latinum convertere, exhibeo*

propter quas martyrium ponimus sub Maximiano.

AUCTORE P. B.

ACTA

Metaphrastæ adscripta et apud Surium edita.

Imperatore Maximiano, homine valde impio, persecutio quædam magna contra Christianos commota est, præcipue autem in regionibus Syriæ. Erat tempore illo Antiochus quidam, superstitioni plurimum deditus, militares ordines sub imperio suo regens : qui propter idolorum insaniam, contra pios homines furorem acrem spirabat. Sub eo viro, quem Antiochum nominatum diximus, multi tribuni militares ejusdem erroris participes numerabantur. Inter quos velut rosa E florebat inter spinas, et inter graveolentes odores fragans aliquis vapor, fidelissimus Dei servus et martyr Andreas : qui latuerat quidem antea, sed postea manifeste apparuit. Hic propter ardentem zelum atque pietatem, magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi opem assecutus, adversantium bellorum hostes superabat, et multis egregiis ac strenuis facinoribus excellebat.

CAPUT I. S. Andreas multis factis bellicis clarus

2 Tempore illo accidit, ut Persicarum copiarum pars quædam fines transiliret, et bellum adversus Antiochum suscitaret. Quoniam igitur repentina hostium incursio, et eorum multitudo non mediocriter ipsum perturbavit, Andreæ tunc tribuni *a* militarem peritiam et strenuitatem recordatus, illum ad consuetos ordines accersiri jussit, hortans eum, ut forti animo esset, utens autem his sermonibus : Tuæ, inquit, fortitudinis facinora quæque adversus hostes, et mihi et ei, qui sceptra imperii tenet, maxime nota sunt, et admodum manifesta; quapropter et dignitatis istius gradum sortitus es. Itaque magnum hoc et repentinum bellum *b* fortitudini tuæ committo, ut per præsentis certaminis occasionem, ad gloriam tuam superiorem major cumulus accedat. F Hos cum audisset sermones optimus Christi miles Andreas, non copiis, non armis aut curribus, sed solo præpotente Deo fretus, magnum illum Gedeonem æmulatus est, et paucos quosdam milites ad ejusmodi aciem assumpsit. Eos enim solos, quos manifeste cælestis gratia ei designavit, secum habens, oppositis hostibus prælium intulit *c*.

II. bellum gerit contra Persas, a b c

3 Jam vero cum esset congressurus cum hostibus, eorum ingentem multitudinem divinæ cognitionis argumentum suis militibus proposuit; nondum enim Christi Dei nostri fide donati fuerant. Hæc igitur illis enarrabat : Præsens opportunitas, cælestis et divinæ cognitionis conciliatrix nobis erit : statim enim cognoscetis, quod dii gentium vere dæmonia sunt, quodque verus Deus ille est, quem ego colo, qui cælum et terram effecit. Ipse igitur cum omnia possit, opem affert iis, qui eum invocant, eosque fortes in bello efficit, et hostium cohortes facit terga vertere. En igitur, ut videtis, hostes ipsi e regione nobis sunt oppositi, copiis innumerabiles et nobis validiores; sed, agite, errorem idolorum omittentes, mecum una Deum, qui vere Deus est

III. et illustrem de illis victoriam reportat.

EX SURIO. est, invocate, ac statim videbitis hostes ipsos, velut fumum quemdam aut pulverem, coram vobis deficientes. Hæc ille dicebat. Cui milites credentes, et cum multa fiducia irruentes, oppositas phalanges in fugam converterunt, et illustrem de hostibus ipsis victoriam deportarunt. Milites autem illos ejus prælii victores, reique admirabilis supra omnium opinionem testes, sanctus vir Dei Andreas, ut electos Christi viros, perfecte, quantum in illo erat, confirmavit, et ad Dei cognitionem adduxit.

IV. *Accusatur apud Antiochum, quod esset Christianus.*

4 Ea re putatisne parum adversarium diabolum conturbatum, qui victoriam illam contra se trophæum quoddam erectum cogitavit, neque aliquid aliud eam rem fuisse, nisi propriæ potestatis casum, existimavit? Cæterum maximus Dei Athleta, ad stadium progredi paratus, quasi pignora quædam cælestia, præstantia dona ab ipso Deo percipiebat, cum et ejicieudorum dæmonum miraculis abundaret. Multos igitur in singulos dies impuris spiritibus perturbatos liberabat, sicque lethale vulnus diabolo infligebat, et invidum et superbum hostem maxime subjiciebat. Cum
B vero quæ ad bellum pertinebant, Viro sancto ex sententia processissent, et adversus Persas trophæum statuisset, venit cum suis militibus in urbem Antiochiam. Statim autem illum milites quidam ex iis, qui cum ipso fuerant, invidia et livore incitati, cum bonum illud non voluntarie *d* delegissent, apud Antiochum detulerunt, quod Deum Dux confiteretur et celebraret, qui in cruce suffixus fuerat. Ea res maximam iram Antiocho attulit, et misit quosdam ex ordine militari, qui ab eo discerent, quod verum erat, et planum facerent. Cumque per eos, qui missi fuerant, rem ita se habere certo audivisset, apud eum per internuntios partim assentationibus, partim minis, partim admonitionibus usus est: commemoransque suum in Christianos odium et acerbitatem, per ipsos internuntios ei dicebat: Cum noveris, quemadmodum et qualibus tormentis sustulerim Eutychium Polyencti filium *e*, et multos eorum, qui una cum illo Christi fidem secuti sunt, ac quemadmodum neminem ipsorum misericordia prosecutus fuerim, tu quo nunc consilio, aut qua spe hominis in cruce suffixi mentionem proponis?
C

V. *ac præclaram coram eo edit confessionem fidei,*

5 Ad hæc Andreas respondit: Maxime istis verbis, quæ dicit, constantiam meam Antiochus corroborat. Nam si omnes, quos nominatim protulit, gravibus tormentis ab illo subjecti, victores ipsius extiterunt, et Christo Deo coronati athletæ adstiterunt, quare non et ego studere debeo amicus, vel potius Domini mei Jesu Christi servus, omni tempore permanere, ut eadem, quæ illi, consequar præmia? Has voces per eos, qui celeriter, quæ dicebantur, excipiebant, et literis mandabant, a sancto Viro prolatas accepit Antiochus ille arrogans, et a Dei pietate abhorrens, eumque vinctum ad se duci jussit, et omnibus audientibus interrogari, et aperte fateri, num imperatoris edicto, an suo Deo, parere vellet. Ille autem præsentibus hominibus, angelis, et tota spectabili et creata natura, distincte, aperte et confidenter Christum confessus est. Itaque superbissimus præses acerbissimum supplicium adversus illum excogitabat, et ironia quadam utens Quoniam, inquit, multum laboris Andreas in bellis perpessus est, et victoriis non paucis coronatus fuit, remissionis et requiei viam ac rationem ipsi excogitavimus.

6 Jussit igitur æreum lectum componi: qui cum valde accensus fuisset, sanctum virum Andream supra illum poni jussit. At ille præsenti et alacri animo in lectum illum, tamquam in molle aliquod stratum insilivit, et in illo decubnit, statimque vehementem cruciatum sensit, cum totum ejus corpus combureretur, et undique ignis ardore fervesceret. Mox vero propter eximium fidei suæ fervorem, requiem et recreationem habuit, cum ignis ipse relaxatus esset. Duxit etiam nefarius ille judex quosdam ex eorum militum numero, qui una cum ipso strenue in bello se gesserant, et vere in Deum crediderant, ipsorumque manus in lignis, quadratam figuram habentibus, suffigi jussit, ridensque ab eis quæsivit, num ea res esset illis voluptati. Repente illi animo valde prompto sibi eam rem jucundissimam esse affirmaruut, hæc addentes: Utinam Christi simus imitatores, qui propter nos in ligno crucis suffixus fuit! Deinceps ad divinum Andream tyrannus interrogationes suas convertens, periculum faciebat, num talem cruciatum expertus, sententiam mutasset, et a Christianorum fide animum avertisset. Sed cum is respondisset, se coronam illam, quam, qui ad finem usque patientiam retinent, adipiscuntur, a Deo expectare, neque umquam ab iis, quæ recte et firmiter statuta sunt, se decessurum, jussit tyrannus Andream e loco illo eductum, in carcere diligenter custodiri, verbo quidem, quod martyri tempus dare vellet, ut rem suam melius consideraret, et sententiam mutare posset: re autem vera hoc faciebant, ut ipse interea scire posset, quænam esset super Andrea, cæterisque Militibus Christianis, imperatoris sententia.

D *igne etiam probatam.*

E

VI. *Deinde tantisper liber dimittitur cum sociis suis;*

7 Statim igitur ad Maximianum literas misit, et rem illam significavit. Maximianus cum de Andrea et iis, qui cum illo erant, certior factus est per eas literas, quas supra diximus, existimaus non parum perturbationis et tumultus ad eum perventurum, si tam insignem et clarum Ducem exercitus, totque et tantos viros, qui cum ipso erant, milites optimos gladio percuti juberet, rescripsit ad Antiochum, ut artificio aliquo aut versutia viros latenter ad id, quod vellet, perficiendum alliceret, neque rerum novandarum, aut seditionis occasionem toti exercitui præberet. Hæc scripsit imperator, illud considerans, quod si, cum aliquibus obscuris hominibus, quorum crimina sint incerta, pœnam judex inferre vult, ad illorum causam defendendam plerique propensi sunt, eo magis in hoc Viro id fieret, qui et dignitatis gradum tenebat, et non vulgares labores, multorum virorum testimoniis comprobatos, pertulerat, ac ordini militum non contemnendo præerat. Quamobrem in suis ad Antiochum literis adjunxit: Placet mihi, hujusmodi Viros a carcere liberari, quasi anteactarum rerum venia iis concessa: paulo autem postea, nisi resipuerint, tamquam ob aliud crimen delatos, illos ipsos graviter puniri.

F

VII. *sed fraudulenter: it Tarsum, et inquiritur,*

8 Antiochus igitur cum has literas a Maximiano accepisset, fecit quod imperator jusserat, et insignem Dei servum Andream, et omnes, qui cum ipso erant, ex vinculis eduxit, et libero ac securo animo vitam degere permisit. At sanctus Dei minister Andreas, ejusmodi fallaciæ inventum divinitus sibi patefactum cognovit, et eos, qui cum ipso laboraverant, ejusque admonitionibus ad divinam cognitionem perducti fuerant, secum habens, in Ciliciam ad Tarsum metropolim se contulit: jam dudum enim propositum habuerat, per Petrum, qui tempore illo religiose et sancte

A sancte præsidebat jam dictæ metropoli, et multis egregie factis præstabat, Deoque ipsi gratus erat, ad salutarem baptismum perduci. Nam etsi fuerat ab initio, ut supra dictum est, fidelissimus Dei minister, et ejus donis refertus, nondum tamen divini baptismatis particeps factus erat. Antiochus cum Andreæ, et eorum qui cum ipso erant, discessionem *f* cognovisset, furore accensus, consiliarios suos, et, quibus uti consueverat, accersivit, quæque Andreas fecerat, cum illis communicavit, et literas misit ad Seleucum, qui in Ciliciæ administratione, quod ad militare opus pertinebat, ejus vicarius erat. Literæ autem illæ ita se habebant : Puto te audivisse de Andrea, qui olim dux fuit in exercitu maximorum imperatorum, quod nunc non solum seipsum amentiæ tradidit, sed plurimos etiam militum, quos secum habebat, concitatos, ad eam sententiam impulit, ut regalibus et divinis edictis adversarentur. Quoniam vero cognovimus clam hinc ipsum discessisse, et in Ciliciam provincia nunc existere, æquitati tuæ placeat, regiæ voluntati obtemperanti, et Andream, et eos, B qui cum ipso sunt, persequi, ac detentos et vinctos nostris manibus tradere. Quod si adversati fuerint, aut fugere jam cœperint, militaribus gladiis confice.

VIII. baptizatur ipse et milites ejus, quibuscum fugit

9 Seleucus cum ejusmodi literas accepisset, expeditos et probatissimos milites, quos Romani ordinarios *g* appellant, quamplurimos secum habens, (erat enim et ipse contra Christi servos nimio furore percitus) ad Tarsensium urbem properavit, cum sanctorum Hominum catervam illic esse didicisset. Andreas vero sanctus vir, cum id præcognovisset, petiit a beato Petro episcopo sanctissimum baptisma. Quod multo cum desiderio et certandi ardore suscepit una cum fidelissimis militibus, quos secum habebat *h*. Erat autem cum Petro episcopo et Nonnus episcopus Berœæ. Post hæc Andreas celeritate usus, exiit in locum, qui dicitur Taxanite, non metu id faciens, sed ut præceptum Domini servaret, quod ita definit : Cum persecuti vos fuerint, ex una civitate fugite in aliam. Seleucus vero cum audivisset divinum illum Virum ex ea urbe migravisse, solicitudine et confusione quadam affectus, et præ tristitia vultum mutatum habens, intento cursu C et ipsum, et ejus socios insequebatur. Porro Andreas, cum et e loco Taxanite discessisset, totum montem Taurum peragravit usque ad fines ejus regionis, quæ Tamalme *i* dicitur. Cum venisset autem ad castellum, quod dicitur Orchesum, in Armeniorum provincia situm prope Melitinensium illustrem metropolim, pervenit inde ad Chausorii et Charavatinensium regiones. Id cum nesciret Seleucus, neque rationem aliquam inire posset, qua sciret, per quam viam sanctus ille Vir iter fecisset, venit accurrens ad eum homo quidam, Martinus nomine, qui significavit, Andream ad Taurum montem pervenisse, et per eum ad alia loca transiisse.

ad Tauri montis angustias :

10 Tum persecutor ille, cum id didicisset, celeriter venit ad locum, qui dicitur Capsarius. Celeberrimus autem martyr una cum fidelissimis illis militibus secum versantibus, properavit ad eam regionem, quæ dicitur Androcaloni, et in Tauri montis angustias *k* se dejecit. Causam vero quare angustiæ vocentur, ejus loci figura declarat. Duo enim montis juga vicissim sibi opposita, ac paulatim coëuntia, fere inter se copulantur : sed flumine *l* præterfluente distincta, angustias quasdam efficiunt, quæ fere inviæ sunt : hiatum vero præcipitem inter se habent, magnum illum quidem, et vel iis, qui ipsum adspiciunt, terribilem. Hac de causa ejus loci situs talem appellationem accepit. Magnus *m* ergo et celeberrimus martyr, cum ex divina prædictione loca illa suo et eorum omnium, qui cum ipso erant, martyrio præfinita esse cognovisset (Oportebat enim eum, qui divinum cursum conficiebat, et per angustam et arctam viam ambulabat, ad cæleste Dei regnum ingredi) ulterius progredi destitit. Tunc Seleucus venit, et vidit loca, in quibus Viri illi a Deo ducti constiterant : in eos autem exercitum, quem secum habebat, immisit. Id cum sensisset Dei minister, et se et socios suos ad preces excitans, ait : O amici et commilitones, ac filii mei, nunc est tempus acceptabile, nunc dies salutis : perstemus in Dei amore, resistamus animo æquo et forti, quemadmodum præcepit nobis Deus : manus nostras non ad ulciscendos persecutores ; sed ad Deum precandum, eique gratias agendum erigamus, quod nobis concesserit, ut ad horam hanc venire potuerimus, quo partem et sortem cum omnibus iis, qui sanctitate præditi sunt, assequamur. E Supplices ab illo postulemus, quod martyrum primus celeberrimus Stephanus, cum lapidibus obrueretur, a Deo petivit, dicentes et nos : Domine Jesu Christe, accipe spiritus servorum tuorum, quos in manus tuas commendamus.

ix Scnio. IX.

X. ubi postquam orasset,

11 Cum vero in medio ipsorum constitisset, manibus atque oculis in cælum erectis, Deum oravit, hæc dicens : Domine Deus, qui magnus es et omnipotens, accipe mei peccatoris et indigni servi tui preces, eorumque omnium, qui mecum sunt, et fidem tuam immobilem servaverunt : omnibusque his, qui necessitatis tempore nostra, qui sumus indigni, nomina invocaverint, præsta petitiones illas, quæ ad salutem pertinent : quique ad locum hunc confugerint, eos protege, et a malo ac necessitate libera, largiens ipsis sanitatem animæ et corporis : et quo loco humilis sanguis noster effusus fuerit, fiat illic curationum fons, et spirituum impurorum redargutio ac liberatio, ut terribilis et sancti, benedictique nominis tui, unigeniti etiam Filii tui Christi Dei nostri sanctissimi, et vitam dantis Spiritus sancti gloria celebretur in secula seculorum, Amen *n*. Completis his precibus, adstiterunt statim persecutores, feris immitibus crudeliores. Ipsi F vero, tamquam agni simplices ad immolandum ducti, mansuete et leniter seipsos illorum manibus tradiderunt, communem omnium Dominum imitantes.

XI. interficitur cum sociis MM., ubi fons miraculosus.

12 Profani igitur illi et nefarii persecutores, ferociter, et cum quodam (ut ita dicam) dentium stridore ac fremitu irruentes, strictis gladiis beatissimos Viros interfecerunt, et illorum multo sanguine præterlabentem fluvium impleverunt. Statim autem, quemadmodum sanctus Martyr precibus suis postulaverat, locus, in quem venerandus sanguis ille defluxerat, fons quidam effectus est, omnigenarum ægrotationum sanitatem afferens : qui fons ad hodiernum usque diem gratiis redundat, et curationem singulis accommodatam largitur. Quamobrem non ad eos solum, qui prope, et in eo loco ac finitima regione sunt ; sed ad ipsos etiam, qui longe absunt, et ab illis locis multum distant, hujus Viri sancti fama celeriter pervenit : quæ facit, ut omnes tam parvi, quam mediocres et summi viri, concursu magno illuc proficiscantur, et miracula, quæ illic fiunt, gloriose celebrent. Cursum igitur martyrii sui beatissimus Andreas cum tota sua forti et

EX SURIO. et a Deo electa phalange perfecit decimonono die mensis Augusti, die Dominico *o*, hora secunda. o

XII. *Martyrum sepultura.* 13 Petrus vero, Tarsensis urbis episcopus, qui divino baptismatis lavacro eum purgavit, Nonnus episcopus Berœensium, Theodulus et Synesius diaconi, Marinus et Nicolaus, Eusebius et Lamyrion lectores, cum Andreas ipse, et ii, qui cum eo erant, certamen perpessuri essent, e longinquo sequebantur, cupientes eorum finem cognoscere *p*, quem et cognoverunt, communem, inquam, illorum omnium in Domino consummationem : quorum et venerandas reliquias reposuerunt, congruentem venerationem adhibentes. Viderunt et fontem illum venerandum, et multorum miraculorum effectorem, ex justi et magni Martyris defluente sanguine scaturientem : qui fons cum primum scaturiit, repente curationum gratiam emisit : statim enim unum ex lectoribus, quos diximus, Lamyrionem, a spiritu quodam pravo et impuro perturbatum, neque ad illum usque diem liberatum imprimis curavit, qui cum aliis lectoribus B sanus rediit. Idcirco illi Deum hymnis celebrarunt, qui vere in Sanctis suis gloriosus efficitur. Cæterum in Ciliciam amplius redire noluerunt, quoniam Petrum Tarsensis urbis episcopum, qui martyrem Andream cum sociis, ut dictum est, baptismate purgaverat, Seleucus capere studebat. Abierunt igitur, divina providentia ducti, in Isauriam *q*, laudantes simul et benedicentes Domino Jesu Christo : cum quo Patri simul et sancto Spiritui sit gloria nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Tribunus *militaris præerat militum legioni seu parti exercitus. Apud Græcos vocatur* στρατηλάτης, *quod* ducem exercitus *etiam interpretari possis, etsi subesset Antiocho totius exercitus duci : nam* dicebatur et ille etiam dux exercitus, qui vel uni tantum ab imperatore legioni præfectus erat, ut Ulpianus declarat *apud Baronium ad annum Christi* 301 *num.* 2. *De tribunis autem varia observat Vossius in Etymologico linguæ* C *Latinæ ad vocem* tribus.

b *De bello ac pace cum Persis agit Commentarius prævius* § 2.

c *Mirum, quod jam amplexus Christi fidem, nondum tamen baptizatus, mortis se periculo exposuerit (Vide Commentarium* § 1*) nisi recurras ad miraculum, quo victoriam præsciverit, quodque hic videtur insinuari.*

d *Ecquis igitur illos ad hoc coëgit ?*

e S. Polyeucti, *celeberrimi martyris, Melitenæ in Armenia passi, Acta jam pridem sunt illustrata apud nos die* 13 *Februarii; in quibus ibidem pag.* 654 *meminit idem Sanctus* uxoris ac filiorum*; quorum forte unus fuerit* Eutychius *ille, de quo hic fit mentio. Synonymus in crucem actus notatur in Menæis magnis excusis die* 2 *Septembris.*

f *Non satis equidem concipio, quomodo discessio illa fieri a Sancto potuerit invito Antiocho, cui suberat secundum Acta. Estne hujusmodi factum disciplinæ militari ac legibus civilibus consonum? Utramque certe transgressionem semper obnixe cavebant Sancti. Ad hæc, cum Sanctus ac socii ejus voluerint fugere persecutionem, secundum Acta num* 9 *; cur manserunt simul, ac separati non sunt? Separatio certe illa ex natura rei erat maxime conducens, si non necessaria, ut persecutoribus sese subducerent. De his itaque viderit Actorum auctor.* D

g Ordinarios *; in nostro exemplari Græco, quod habetur in codice* † *Ms.* 194, ταξάτους *lego, Cangio in Glossario Græco barbaro sunt* ταξάτοι milites quivis, *a voce* τάξις, nisi, *inquit,* quis malit sic appellatos, quod iis taxetur certa in stipendium pecuniæ summa. *Deinde observat voce* ταξάτοι maxime dici milites præsidiarios, seu qui in castrorum præsidia inducuntur.

h *Tandem aliquando ponitur hic* S. Andreas *cum suis baptismum suscepisse. Vide Commentarium prævium* § 1. E

i Tamalme, Androcalon, Chausorium, Charavatinium *(in textu nostro Suriano est* Charavatinensium) regiones, et Taxanite atque Capsurium *notatur apud Ortelium ; sed quod nihil vel parum aliunde de illis didicerit, inde colligo, quod addat :* Loca *ista* habet circa Armeniam minorem vel Ciliciam Metaphrastes in S. Andreæ ducis exercitus Vita.

k Angustias. *In nostro dicto Græco exemplari* τὰ στενά *: qua voce etiam usus est Strabo lib.* 1 *pag.* 53 *editionis Parisiensis anni* 1620, *e quo dictarum angustiarum situm subdo. Postquam enim egisset de Pyramo fluvio Ciliciæ,* Navigabilis, *ait,* ille ex mediis Cataoniæ campis effunditur, ac delatus per Tauri angustias in Ciliciam, in fretum, quod inter hanc et Cyprum est, exit.

l *Pyramo videlicet, ex mox dictis.*

m Magnus. *Nomen hoc, uti vides, est appellativum, suffragante nostro apographo Gæco,* Ὁ δὲ μέγας καὶ περιώνυμος μάρτυς *non proprium* S. Andreæ*; ac proin cave, ne ex hac voce vel binomi-nem facias Sanctum, vel non recte annunties. Consule Commentarium* § 1. F

n *Orationem hanc castigavimus ibidem num.* 7.

o *De hac temporis nota disputat Commentarius* § 2.

p *Magis mihi placeret auctor, si diceret,* Sequebantur *ac comitabantur Sanctum ejusque socios, ut illos in fide confirmarent, et ad martyrium compararent, quam ut* eorum finem cognoscerent, *Cui enim bono subserviebat,* e longinquo *illos sequi de causa ?*

q *Esto Petrus aliquam rationem habuerit, quia nempe* Seleucus *eum* capere studebat, *si Actis credimus,* abeunde in Isauriam : *verum cur idem fecerunt Nonnus episcopus Berœensis , aliique ecclesiastici, et cur potius non rediere ad propria ?*



DE

DE SS. MARTYRIBUS PALÆSTINÆ

TIMOTHEO, THECLA ET AGAPIO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Cultus e Fastis Græcis ac Martyrologio Romano; palæstra ac tempus martyrii; ædes sacra S. Timothei.

An. CCCVI. et CCCVI. Memoria apud Græcos

Egregia horum Martyrum trias in Græcis pariter ac Latinis tabulis signatur annuis colenda honoribus. Nomina enim eorum referunt hac die Monologium Sirleti, Menæum Chiffletii, apographum nostrum Taurinense, Menologium Sparwenfeldianum Slavo-Russicum; addc Menæa magna impressa, in quibus habcntur sequentcs versiculi, modicc a nobis correcli, ac sit Latine versi:

Πυρεῖον ἡ κάμινος ἐν μέσῳ φέρων
Βρώματι Τιμόθεον εὔοσμος μάλα.
Ἀγάπιος τὸ δῆγμα τοῦ θηρὸς φέρει
Καὶ ψυχοδήκτην δάκνεται θὴρ καρδίαν.
Ἔμοιγε κλῆσις Θέκλα, πατρὶς Βυζίν,
Γάζης τόπος θέατρον, ἆθλος θὴρ διώκων.

Medios per ignes flamma Timotheum vorans
Quasi thymiama odore redolenti fragrat.
Agapius avidæ sustinens morsum feræ
Animas vorantem lancinat morsu feram.
Thecla mihi nomen, Byzie patria, locus
Gaza est palæstræ, prælium fera persequens.

Alluditur ad Sanctorum martyrium, de quo mox dicetur.

ac Latinos

2 *Martyrologium Romanum sic illos annuntiat :* In Palæstina sancti Timothei martyris, qui in persecutione Diocletiani sub Urbano præside, post multa superata supplicia, lento igne combustus est. Passi sunt etiam ibidem Thecla et Agapius; illa feris exposita, eorum dentibus laniata trausivit ad Sponsum : Agapius vero plurima tormenta perpessus, ad majora certamina fuit dilatus, *Pluscula memorat Galesinius :* In Palæstina sanctorum martyrum Timothei, Agapii et Theclæ. Fuit Timotheus genere nobilis, et vitæ religione diceudique laude usque adeo præstans, ut magnus pietatis doctor magisterque extiterit. Quamobrem comprehensus judicio sistitur apud Urbanum præsidem : a quo rogatus de fidei nostræ mysteriis, divine respondit. Itaque primo horrendum in modum cæsus, post variis excruciatus suppliciis, postremo in ignem positus insigniter coronatur. Agapius item ac Thecla tormentis ambo graviter affecti, pro Christi fide viriliter pugnando, feris exponuntur : quarum ictibus confecti, martyrii palmam tulerunt. *Quæ in hoc elogio dicuntur, et apud Eusebium in nostrorum Martyrum Actis, quæ reeudemus inferius, non habentur, relinquimus fidei Galesinii, qui ea forte accepit e Menæis magnis excusis, in quibus similia exstant. Ex his tamen, quæ habent eadem Menæa de* Timotheo εἷλκε τὸ γένος ἐκ Παλαιστίνης, *id est,* genus *seu originem* traxit e Palæstina, *non sequitur, eum fuisse nobili genere natum.*

celebratur.

3 *In annuntiatione Martyrologii Romani aliquid etiam desidero secundum eadem Acta. Etenim* Agapius *quidem in illis narratur ab ursa laniatus, sed tunc non interemptus, postero autem die in mari submersus,* Thecla *vero ad bestias damnata ; sed an et quo loco illud ipsius supplicium exsecutioni mandatum fuerit ; alione an isto, obierit, exprcsse non memorant Acta : e quibus* Agapii *palæstram Cæsareæ tribuo,* Timothei *vero Gaza. Hinc collige, falsa rcfcrrc annuntiationem Menologii Sirletiani, quando locum ac genus martyrii confundens, deque omnibus et singulis eadem referens, hæc tradit :* Eodem die *(XIX Augusti)* commemoratio sanctorum martyrum Timothei, Agapii, Theclæ : qui apud Gazam sub Urbano præside Christianam fidem professi, verberibus et aliis tormentorum generibus, ferarum dentibus expositi, martyrii palmam acceperunt. *Menæa magna* SS. Agapium *ac* Theclam *feris projectos martyrii lauream consecutos Gazæ memorant ; non recte : nam hujus quidem locus palæstræ ac mortis genus non sunt satis certa ; illius vero Cæsarcam jam posuimus. Quo autem fundamento in eisdem Menæis dicatur* S. Thecla ἡ Βυζιῆτις, *vel, ut supra occurrebat in versiculo* πατρὶς Βυζίν, *patria nimirum* Byziensis *exstitisse, fugio quærere. Locus iste est in Thracia : de quo videri possunt ea, quæ diximus die* XIII *hujus mensis in Annotatis ad caput* 5 *Vitæ S. Maximi lit.* b.

4 *Ne autem e supradictis annutiationibus tam Græcis quam Latinis, quia tres istos Martyres simul referunt, detur ansa confundendi tempora, quibus passi sunt, juvat notare sequentia ex Eusebio Martyrii auctore.* 1°. S. Timothei *mortem innectit* secundo anno persecutionis *Diocletiani, quæ inchoata est anno æræ vulgaris* 303, *atque adeo illa mors accidit anno* 304, *quo etiam duo alii Sancti nostri ad bestias damnati sunt, non tamen tunc interempti.* 2°. Anno quarto persecutionis *ejusdem* S. Agapius *feræ se devorandum obtulit* die vicesima mensis Dii, quod est aute duodecimum Calendas Deccmbres, *seu die* XX *Novembris,* feria sexta, ac sequenti die .. medio mari submersus est. *Obiit itaque tunc anno* 306. *De* S. Thecla *supra actum. Hinc reducendus in viam est Eminentissimus Baronius, qui in suis Annalibus* S. Timothei *martyrium inserit anno* 303 ; *sanctorum vero* Agapii et Theclæ *anno* 305.

Tempus martyrii :

5 *Verbulo hic indicamus, martyrium seu locum sacrum* S. Timothei *(hujusne an alterius synonymi, qui Martyrologio Romano inscribitur die* XIX *Decembris ?) honoratum fuisse apud Gazenses in Palæstina seculo exeunte quarto, sicut habemus ex auctore Vitæ S. Porphirii episcopi Gazensis, quæ apud nos exstat tom.* III *Februarii pag.* 648. *Dixi,* hujusne au alterius synonymi. *Nam ibidem pag.* 649 *in Annotatis visus est hic indicari Timotheus diaconus in Mauritania ob fidem*

Ædes sacra S. Timothei apud Gazenses.

AUCTORE J. P.

dem Christi post diros cruciatus in ignem injectus, cui ad dictum diem XIX Decembris adjunguntur in Martyrologio Romano SS. Meuris et Thea, Gazæ passæ: quod contextus (sicut ibidem, at re nondum tunc satis matura, dicere placuit) hujus loci confirmat. At Timotheus ille, qui tunc temporis colebatur apud Gazenses, non videtur e Mauritania accersendus, quando nostrum hodiernum habemus, qui apud eosdem Gazenses martyrio insigni coronatus est. Cur enim hic apud eosdem, magno utique sui, sicut est verosimile, post mortem relicto desiderio, publica veneratione non honoratus sit, sed alius potius? Consuli etiam potest notatio, quam Castellanus die XIX *Decembris ad annuntiationem* S. Timothei *apponit in suo Martyrologio universali. Acta, quæ subjicimus, suam brevitatem compensant fideli narratione.*

MARTYRIUM

B *Ex Eusebio de Martyribus Palæstinæ cap. 3 et 6 pag. 321 et 326 editionis Valesianæ.*

S. Timotheus igne consumptus; alii duo Martyres ad bestias damnatis

Secundo dehinc anno *a*, cum persecutionis adversus nos furor vehementius incaluisset, Urbano tunc provinciam regente, primum imperatoris missæ sunt litteræ, quibus generali præcepto jubebatur, ut omnes ubique locorum ac gentium publice idolis sacrificia ac libationes offerrent. Quo tempore Timotheus apud Gazam, urbem Palæstinæ, innumera perpessus tormenta, tandem tenui ac lento igne consumptus; cum sinceræ erga Deum pietatis luculentissimum specimen edidisset, constanti in omnibus tolerantia coronam martyrii reportavit. Agapius quoque et Thecla, priscæ illi cognominis *b*, cum una cum supradicto Timotheo ingentem animi constantiam ostendissent, damnati sunt ad bestias *c*. Ea vero quæ postea subsecuta sunt, quis tandem non admiratus est, cum videret, aut stupore non perculsus est, cum auditu acciperet? Nam cum gentiles C publicam solemnitatem et consueta spectacula celebrarent, ingens omnium rumor erat, præter cæteros, quos illi maximo favore prosequebantur, cum bestiis pugnaturos. *Hæc ibi. De* Agapio *autem ac* Thecla *sequuntur ista cap.* 6.

S. Agapius occasione spectaculorum

2 Anno autem quarto persecutionis *d* adversus nos concitatæ, die vicesimo mensis Dii, quod est ante diem duodecimum Calendas Decembris, feria sexta, apud. . urbem Cæsaream martyrium prorsus memorabile perpetratum est, præsente tyranno ipso Maximino, et ob natalem suum spectacula populis exhibente. Cum esset vetus consuetudo, ut præsentibus imperatoribus magnifica, si umquam alias, spectacula majorem solito voluptatem spectantibus præberent, novis undique et inusitatis conquisitis miraculis, partim ferarum, quæ ex India aut Æthiopia aut aliunde advectæ in D amphitheatrum introducebantur; partim hominum, qui exercitatis ante corporibus stupenda exhibentes artis suæ specimina, spectatores mirabili voluptate oblectabant: tunc quoque, imperatore ipso spectacula præbente, magnificentius aliquid et admirabilius solito, in apparatu ludorum inesse omnino oportebat. Quid vero illud fuit? Nostræ religionis Martyr in medium adductus est, pro vera et sola pietate pugnaturus, nomine Agapius, quem una cum Thecla ad bestias damnatum fuisse secundo persecutionis anno retulimus.

latroni postponitur,

3 Hic igitur cum ter jam antea ex carcere eductus, et sæpius cum maleficis solemni pompa traductus esset in stadio; judice post varias comminationes ad alia subinde certamina ipsum differente, sive quod miseratione ejus caperetur, sive quod a proposito eum abduci posse sperabat; tunc tandem præsente imperatore productus est, tamquam de industria ad id tempus reservatus, ut in ipso verbum illud compleretur, quod Servator noster per divinam præscientiam discipulis suis prædixerat, fore, ut coram regibus adducerentur E propter nominis ipsius confessionem. Trahitur ergo in medium stadium una cum noxio quodam, qui dominum peremisse ferebatur. Post hæc is quidem, qui dominum suum interfecerat, bestiis objectus veniam et clementiam imperatoris promeruit, eodem pene modo, quo ille, qui temporibus Servatoris nostri fuit Barabbas. Quam ob causam totum repente amphitheatrum acclamationibus et laudibus personare cœpit, quia scilicet imperator cruentum homicidam benignissime servaverat, et honore ac libertate donaverat.

et ab urso laniatur.

4 Ille vero divinæ religionis Athleta primum quidem ab imperatore accitus est: deinde cum ab eo postularetur, ut fidei suæ propositum abjuraret, promissa ipsi, si id faceret, libertate; contenta voce professus est, se non ob aliquod crimen, sed pro pietate in Deum omnium conditorem, quæcumque sibi inferrentur supplicia, non modo alacri ac forti animo, sed etiam cum voluptate esse subiturum. Hæc locutus, simul cum dicti facta conjungens, ursæ, quæ adversus ipsum dimissa fuerat, concito cursu obviam occurrit, seque ipsum bestiæ devorandum libentissime F obtulit. Post cujus laniatum adhuc spirans in carcerem reportatur: ubi cum diei spatio supervixisset, sequenti die appensis ad pedes ejus lapidibus, medio mari submersus est. Hujusmodi fuit Agapii martyrium.

ANNOTATA.

a Anno secundo. persecutionis, *Diocletiani videlicet, æræ vulgaris* 304. *Vide Commentarium num.* 4.

b *Prisci temporis ac celeberrimi nominis Thecla notatur in Martyrologio Romano ad* 23 *Septembris.*

c *Non tamen tunc intercmpti. Vide Commentarium.*

d *Anno videlicet* 306, *sicut ibidem dictum est.*



DE

DE S. CRESCENTIA VIRGINE

PARISIIS.

Cultus, et miracula,

J. P.

Aliquibi refertur XIX Aug. Res hujus Sanctæ sunt omnino obscuræ ;

De hujus Sanctæ virginis Actis, ætate, ac reliquis omnibus, quæ viventem decorarint, virtutum ornamentis, frustra quæstionem moveris, cum illa omnia nobis inviderit obliviosa vetustas ; ita tamen, ut fama sanctitatis, et miracula hanc subsecuta, certum præbeant fundamentum, ut honorifico Sanctorum aliorum contubernio a nobis accenseatur. Arturus a Monasterio illam annuntiat in suo Gynæceo hac die XIX Augusti, non indicans, cur illa potius, quam alia B die ipsam referat. Castellanus in indice nominum Sanctorum, qui habetur ad calcem Martyrologii universalis ab ipso editi, solo Crescentiæ Parisiensis, virginis *titulo eam ponit ; sed plura apud ipsum de hac* S. Crescentia *invenio inter Sanctos ahemeros, sive eos, qui non habent certum diem : nam affert ibidem locum S. Gregorii Turonensis, cujus testimonio verus, solidus ac legitimus hujus Virginis cultus stabilitur. Audiamus itaque hunc sanctum Præsulem libro de Gloria Confessorum cap.* 105, *col.* 984 *editionis Ruinartianæ ita loquentem* :

de ejus tamen cultu publico, et miraculis

2 Tumulus erat in vico Parisiorum haud procul a loco, in quo senior, ut aiunt, ecclesia nuncupatur, nullo opertus tegmine : ibique in lapide habebatur scriptum : HIC REQUIESCIT CRESCENTIA SACRATA DEO PUELLA. Sed nulla ætas recolere poterat, quale ei fuerat meritum, vel quid egisset in seculo. Nuper autem a quodam clerico hoc epitaphium legitur. Instigante vero fide, suspecti sunt habiti homines, quod aliquid cum divina majestate Virgo potuerit obtinere. C Dum vero in hac suspicione penderent, quidam, quem ardor tertianæ febris cum gravi tremore vexabat, erasi a tumulo parum pulveris baurit, moxque sedato tremore convaluit. Vulgatumque verbum plerumque profuit multis in hac infirmitate detentis.

constat ex S. Gregorio Turonensi

3 Succedente deinde tempore, monetarius urbis graviter ægrotare cœpit : cui in visione Puella adparuit dicens : Vade, ait, quantocius, et tumulum Crescentiæ virginis tege. Erit tibi hoc adjutorium, ne a morbo, quo captus es, diutius fatigeris. At ille confisus calces inquirit, oratorium desuper construit, protinusque ab infirmitate laxatur. Sed ut virtus * Virginis in majoribus efferretur honoribus, cuidam ex urbe dens indoluerat, ita ut, intumescente maxilla, vix vel tenuis cibi parumper capere posset. Pergit fide plenus ad tumulum, factaque hastula una de parte acuta, ut in humanis usibus ad purgandos dentes fieri solet; super sepulchrum Puellæ ponit. Statimque ut exinde dentem, qui dolebat, attigit, omnis dolor obstupuit. Ex hoc autem accepto experimento, quos hic dolor vexat, hujus Virginis ut expetunt præsidia, mox sanantur. *Hæc Gregorius Turonensis, certo posteris relicto testimonio de publica veneratione hujus sanctæ Virginis, etiamsi alia, quæ ad ipsam pertinent, plane tunc fuerint incognita atque obscura.*

* al. tumulus

Observationes Castellani

4 *Nec vero alibi quidquam de ea detexit Ruinartius, in notationibus ad præsentem Gregorii narrationem candide professus* ita oblitteratam esse hujus Crescentiæ memoriam, ut nihil de ea prorsus sciatur, nec notum sit, ubi fuerit ejus sepulcrum. *Fuere tamen nonnulli novissimis hisce temporibus, qui illud designare voluerint, sed loco* E *non suo, sicut perhibet Castellanus in Ahemeris pag.* 771. *Sed illos ibidem convenit ac refutat his rationibus, quas e textu ejus Gallico acceptas sic reddo Latine. Affirmat igitur, memoriam hujus Sanctæ omnino evanuisse Parisiis jam a multis seculis, nec apparere ullum sepulchri ac sacelli ejus antiqui vestigium : neque enim illud esse potuisse versus fornicem illum meridionalem sancti Marcelli, cui nonnullos hujus loci canonicos a brevi admodum tempore tentasse refert Sanctæ istius nomen imponere, cum illud exstiterit versus ecclesiam principem seu primariam, quæ a tempore Gregorii Turonensis non poterat esse alia, quam illa, quæ eodem erat loco, ubi etiamnum hodie est ecclesia Deiparæ : quia plus quam centum ante annis S. Marcellus, qui ibi subdiaconi officio fungens ministraret Prudentio episcopo die quadam epiphaniæ, ad Sequanam descendit, ut quæreret aquam, qua statim erat opus, sicut expressis terminis exponit S. Fortunatus Vernotensis (vulgo de Vernou, quem annuntiat laudatus Castellanus in suo Martyrologio* F *universali ad diem* XVIII *Junii, quo et nos de illo egimus) in Vita hujus Sancti.*

de loco ipsius sepulcri.

5 *Quærit item Castellanus, quo pacto ecclesia S. Marcelli potuerit esse ecclesia princeps, cum a sua origine dumtaxat fuerit sacellum, cœmeterio episcoporum adjunctum, cum titulo S. Clementis, propter reliquias hujus Sancti obtentas ad celebrandam sacelli dedicationem. Addit, cœmeterium hoc certissime fuisse situm extra urbem, sicut alia omnia, rem exemplis probans, quæ argumento sint, loca illa, quæ ibi nominat, remota fuisse ab antiqua urbe, quæ erat civitas (la cité) ubi e contrario non poterat non esse ecclesia princeps, in qua, uti etiam in reliqua urbis parte, nemo primitus sepeliebatur, nisi isti vel istæ personæ, qui evidens aliquod sanctitatis signum dederant. His addi possunt quæ habentur in Dictionario Trivortiano Gallico-Latino, quod anno* 1704 *in lucem prodiit, ad vocem* Cité.



DE

A D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FILIONE, RUFINO, LEONTIO

THEODOLO, CYRILLO

ZELATO, TIMOTHEO, GADDA, ROMOLO ET SYLVIO

AMASEÆ IN PONTO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

Horum *decem SS. Martyrum classem integram hoc die solus enumerat codex Corbeiensis, aliis omnibus aut mutilis, aut alias etiam positiones consignantibus, quas merito respuendas censet Florentinius in hodiernis suis observationibus, adductum textum ceteris nobiscum præferens, tametsi in laterculo suo desint ultimi duo* Romolus *et* Sylvius. *Neque laborandum putamus in corrigendo principio, ubi codices aliqui legunt,* Ponte *seu* Ponti in Amacia civitate ; *satis patet quid indicare velint dicti codices, in quibus passim occurrunt hujusmodi barbarismi. Qui ab iisdem hic repetitur* Orion cum sociis. *jam supra a nobis relatus est ad diem hujus mensis* XVI.

B E

DE SANCTO RUFINO CONFESSORE

APUD MANTUAM IN ITALIA

J. B. S.

Notitia de cultu.

XIX AUG.

Inter *Usuardi editores primus Belinus de Padua hunc* S. Rufinum *seu* Ruffinum *adjunxit his verbis* : Apud Mantuanam civitatem sancti Ruffini confessoris, *quem secuti sunt Molanus, Maurolycus, Galesinius et Ferrarius. Quod verò hic omnium instar est, signatum ipsum habemus in Martyrologio Romano, ut de ejus recepto cultu dubium nullum superesse possit. At quam is indubitatus est, tam sunt ignota omnia quæ ad ipsum spectant, ut vel ipse Ferrarius usque adeo diligens Sanctorum Italiæ eruderator, ingenue fateri coactus sit,* Acta nulla se reperire potuisse, et licet, *inquit,* in Romano Martyrologio et aliis sit descriptus, non tamen in Tabulis ecclesiæ Mantuanæ, *in quibus nimirum, editis anno* 1626, *solæ enumerantur tres festivitates, nempe* Inventionis Sanguinis Christi, S. Anselmi *et* Cælestini Papæ.

C F

Frustra igitur quæsieris, cujas, aut cujus conditionis aut ætatis fuerit, nisi Ferrario fides habeatur in brevissimo, quod de eo concinnavit elogio, ex quo saltem sacerdotem fuisse intelliges, et in propria, opinor, ecclesia, Mantuæ vicina sepultum et ab immemorabili tempore honoratum. En paucula : Rufinus confessor apud Mantuam in propria colitur ecclesia : qui Ferrariæ quoque, ubi ejus reliquiæ habentur, venerationem habent. Ferunt, ejus imaginem in ecclesia sibi dicata prope Mantuam in pariete depictam habitu sacerdotali indutam conspici. Ex quo illum presbyterum fuisse intelligitur.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

EUTYCHIANO MILITE ET STRATEGIO

J. P.

Memoria in Fastis Græcis.

DIE XIX AUG.

E*cgraphum nostrum e Menæo Chiffletii hac die signat nomina* Εὐτυχιανοῦ καὶ Σρατηγίου, Eutychiani et Strategii. *Menologium vero Sirleti sic habet* : Eodem die, commemoratio sanctorum martyrum Eutychiani militis et Strategii, qui pro Christianæ fidei confessione ignem pertulerunt. *Menæa magna typis vulgata post similem annuntiationem subdunt hos de* S. Strategio *versiculos, quibus alluditur ad ipsius nomen Græcum, ac martyrium* :

A Ὁ Στρατήγιος Χριστὸν ὡς ὅπλον φέρων
Κατεστρατήγει καὶ πυρὰς διηρμένης.
Versus istos sic interpretor idiomate Latino :

Strategium armatura dum Christi obtegit,
Ipsos vel ignes superat erecti rogi.
Acta, tempus vitæ ac martyrii nos latent.

ALECTORE J. P.

DE S. MARINO EPISCOPO CONF.

IN MONASTERIO S. PETRI BESALUENSI

Diœcesis Gerundensis in Catalonia.

J. P.

DIE XIX AUGUSTI. Locus

Reverendus Pater Fr. *Antonius Domenec, Ordinis FF. Prædicatorum, in Historia generali Sanctorum, ac virorum sanctitate illustrium, in Cataloniæ principatu, Hispanico sermone conscripta, a fol,* 54 *verso agens* de S. Evidio martyre, S. Marino episcopo et confessore, ac S. Patrono; quorum sacra corpora magna cum veneratione habet monasterium S. Petri Besaluensis Ordinis S. Benedicti in episcopatu Gerundensi, *pluribus describit fundationem ejusdem monasterii, anno Domini* 977 *factam, nec non donationes ac favores, quæ illi concessa fuere. De origine hujus cœnobii consuli etiam potest Yepezius in Chronico generali Ordinis S. Benedicti tom.* 5 *ad annum Christi* 977 : *ubi etiam agitur de sanctis corporibus istis. In appendice autem ad eumdem tomum, in qua dantur instrumenta in eodem designata, scriptura, uti vocatur, vigesima prima, quæ ibidem exstat de fundatione hujus monasterii confirmata per Benedictum PP. VII, vocatur illud* de Bisulduno. *Nos tamen supra nomen* Besaluensis *eidem dedimus conformiter ad efformationem apud nos tomo* II *mensis Junii, die* XIII *ejusdem mensis pag.* 680; *ubi actum est de S. Evidio martyre jamjam laudato.*

B

ac modus publicæ venerationis :

2 *Ea vero, quæ ibidem apud nos habentur de cultu hujus martyris, eadem occasione etiam comprobant publicam venerationem* S. Marini; *cum agatur nominatim de sex Sanctorum corporibus in ecclesia memorati monasterii quiescentibus, inter quos est noster, de quo hic tractamus. Domeneccus affirmat, festum* S. Marini *incidere in diem* XIX *Augusti; deque ipso legi in dicto monasterio, tamquam de episcopo ac confessore; ad hæc, die ei sacro atque in Octavis dici Missam et Officium divinum eodem modo quo sit de S. Evidio. Collectam,* sanctorum martyrum Primi et Feliciani, Concordii atque Evidii, Marini ac Patroni *nomina exprimentem, habes tomo citato : in quo etiam actum est de eorumdem sacrorum pignorum asservatione, visitatione seu inspectione, indulgentiis. Adde ex Domenecco, omnia* S. Marini *ossa fuisse reperta; pauciora S.Patroni : item Sanctos, de quibus supra, in ara principe depictos exhiberi, et Sanctum quidem nostrum cum insignibus episcopalibus. Quæ res ansam fortasse præbuit cœnobitis Besaluensibus illum tamquam episcopum venerandi; nos tamen superius hunc ipsi titulum etiam tribuimus, tametsi in tanta rerum ejus obscuritate ignoremus, an tribui ei debeat, aliorum exemplo, qui illum pro tati habent.*

E

hallucinatio Ferrarii.

3 *Ferrarius in Novo catalogo Sanctorum, seu eorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, hac die* XIX *Augusti sic ipsum annuntiat :* Besuli apud Gerundam S. Marini episcopi, et loci illius patroni. *Hallucinatur manifeste Ferrarius quia nomen proprium* Patroni *accipit pro appellativo seu titulari, sicut ex dictis constat; atque adeo merito castigatur a Tamayo in notis ad hunc diem. Domeneccus de sanctorum Evidii,* Marini, *et Patroni corporibus, ad Besaluense cœnobium allatis, affirmat,* Deum sine dubio, ibidem per illorum intercessionem magna in eos conferre beneficia, qui pie illos invocant. *Pauca hæc de* S. Marino, *lector, æqui bonique consule.*

C F

DE S. SATYRO EP. M. CUM SOCIIS

ARETII IN TUSCIA ITALIÆ

J. B. S.

CIRCA MEDIUM SEC. IV.

In *Calalogo Sanclorum Italiæ nec hodiernum* S. Satyrum, *nec socios martyres signavit Ferrarius, ast in Calalogo suo altero nempe generali, hoc die primo loco ita annuntiat :* Aretii in Tuscia S. Satyri primi episcopi et martyris cum aliis plurimis. *Non opinor,* plurimos illos alio *fuisse martyrii socios: sed potius cum* S. Satyro *ibidem coli, sicque referri in iis, quæ sola citat,* monumentis ecclesiæ Aretinæ : *ubi addit,* hujus *nempe* S. Satyri, et aliorum reliquias in ecclesia Cathedrali inventas servari *haud dubie cum aliis Sanctorum martyrum diverso tempore passorum. Nec satis constare videtur* S. Satyrum *hunc nostrum vera martyrii laurea donatum fuisse.*

2 *Certe Ughellus, monumentorum Aretinorum non indiligens et ipse scrutator, in Catalogo ejus urbis Episcoporum de* Satyro, *quem ibi* Saturum *dicit, simpliciter ita pronuntiat :* S. Saturus primus Aretinorum Præsulum est qui occurrat scribenti. Hic ille est qui sanctum Donatum, tyrannorum persecutionem fugientem, excepit inauguravitque in sacerdotem, ut in Vita ejusdem Sancti narratur : floruit autem Saturus magni Constantini temporibus : *ut obitum ejus ad seculi quarti medium ferme perducat, ut certe ad Juliani tempora non pervenerit, ut de ejus martyrio nil satis certi ab Aretinis tradi possit. De ejus successore S. Donato alia jam dedimus ad diem* VII *Augusti.*

DE

A

DE S. BADULPHO CONF.

ABBATE ATHANACENSI IN GALLIA

J. P.

Locus, cultus, abbatialis præfectura etc.

DIE XIX AUGUSTI *Athenacensis cœnobii notitia.*

Primum, quod in Sanctis obscuri nominis, qualis est hic, inquiri debet, in eo situm est, ut de publica illorum veneratione constet. Hæc autem obtinet in S. Badulpho, ac legitime probatur ex testimoniis, quæ proferemus. Sed prius tractabimus de loco, cui præfuisse scribitur. In Gallia Christiana novissimæ editionis tomo 4 a col. 223 de Athanaco (vulgo Aisnay) hæc memorantur : Cœnobium Athanaceuse, sive Athanatense, vel Atheneum ad confluentes Araris et Rhodani, ob id etiam Interamne appellatum, olim juxta Lugduni muros, nunc ipsis B inclusum, jam florebat, quando Burgundiæ regnum anno DXXXIV in potestatem Francorum devenit. Eo in loco martyrium passi sunt Martyres illi Lugdunenses, exinde apud Gregorium Turon. lib. I de Gloria Martyrum cap. 49 dicti Athanacenses : quorum exustis corporibus, sacros cineres in profluentem Rhodanum tyrannus spargi præcepit : sed a fidelibus collecti, miræ magnitudinis basilica in eorum honorem ædificata, sub altari collocati sunt. Basilicæ post ea nobile Ordinis sancti Benedicti monasterium sub patrocinio S. Martini adjunctum est, quod a barbaris male actum Salonius episcopus, Eucherii Lugdunensis filius, et post eum Brunechildis regina instaurasse perhibentur. *Hæc ibi, et alia nonnulla. Verum ista, quæ dedimus, sufficiunt in rem nostram, et confirmantur in Annalibus Benedictinis tomo* 1, *lib.* 1 *num.* 27.

An eidem præfuerit S. Badulphus.

2 *Notitia loci præmissa, quæritur, an* S. Badulphus *eidem tamquam abbas præfuerit. Affirmat noster Theophilus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium his verbis* : S. Badulphus abbas Athanac. floruit Lugduni, sanctitate et religiosa exercitatione, ad quam multos Dei C servos informavit. *Idem titulus ipsi datur in Martyrologio novo Parisino ad diem* XIX *Augusti; plus autem tamen de illa dignitate dicitur in Gallia Christiana, quam allegabam : nam hæc ibi exstant :* S. Badulphus vulgo censetur primus abbas Athanacensis, quamquam non constat, quo vixerit tempore. *Castellanus autem in Supplemento ad suum Martyrologium universale ad dictum mox diem, ab abbatis titulo abstinens,* monachum *dumtaxat* Athanacensem *appellat. Nos vero aliorum, quos diximus, exemplum secuti, Virum sanctum in prossessione abbatialis præfecturæ relinquendum censuimus, tametsi eam ex antiquis documentis confirmare, non sit nobis in promptu, uti etiam determinare tempus, quo vixit.*

Incerta ætas, qua vixit :

3 *Nam de eo non constare, modo vidimus e Gallia Christiana, Si tamen vera sunt, quæ de secundo Athanacensi abbate ibi sequuntur,* Sabinus præerat seculo quinto, uti colligitur ex Vita S. Romani Jurensis abbatis, *cujus Vitæ verba ibidem dantur ; consequens est, ut* S. Badulphus, *qui* vulgo censetur primus abbas Athanacensis, quamquam non constat, quo vixerit tempore, *non vixerit tamen in sua præfectura post seculum quintum. Multo remotius illum differt Castellanus, versus annum videlicet* 900. *Martyrologium Parisinum seculo sexto vel septimo illum adseribit. Quia itaque tempus, quo vixit, non videtur omnino definiri posse sufficiente eum veritate historica, ideo, omisso vitæ tempore, supra ipsi apposuimus diem* XIX *Augusti, quo publicus ei cultus* E *exhibetur, sicut indicant Castellanus, et Martyrologium novum Parisinum, eum illum tunc referant.* Ejus memoria celebratur in Fastis ecclesiæ Lugdun. XIX Augusti, *uti est in Gallia Christiana citata. Raynaudus tamen istum præcise diem non definit ; e quo delibo sequentia de publica* S. Badulphi *veneratione.*

certior ipsius cultus,

4 Vulgo dicitur S. Badoul *(apud Castellanum S. Badour)* in cujus honorem prioratus (ecclesiam *vocat Castellanus in suo Supplemento)* ad oppidum S. Symphoriani haud procul Vienna constitutus est, nexus abbatiæ Athanacensi. Sacrum ejus corpus sub illo ipso altari fuisse conditum, quo sacri cineres B. Pothini, S. Blandinæ et quadraginta octo Martyrum, sub Antonino passorum, conditi erant, priusquam furore Calviniano anno MDLXII de asylo sepulturæ amoverentur, habet Indiculus reliquiarum ejusdem abbatiæ, qui ad finem Missalis legitur. Sanctus autem Badulphus Athanacensis religiose colitur infra Octavam Assumptionis B. Mariæ, eique Officium novem lectionum cum Octava adjicitur in Breviario Athanacensi. *In Supplemento ad Martyrologium novo Parisino annuntiatur* Lugduni *cum titulo* sancti.

F

Non satis constat, cœnobium Athanacense ab eo esse fundatum : hic cum alio non confundendus.

5 *Præter ea, quæ de ejus abbatiali dignitate præmisimus, quæri etiam potest, an cœnobium Athanacense, et aliud fundarit. Respondet autem Raynaudus in hæc verba :* Est, qui ex mera sua conjectura tribuat S. Badulpho Athanacensis instituti fundationem, nec non Auxillæ monasterii ex ejusdem S. Badulphi instituto haud procul Lugduno erectionem, et fructificationem quoque, postea anno DXLVI factam, interventu S. Anselmi, item Athanacensis abbatis ad collem Lemensem in Allobrogibus. Supponit enim conjector, hunc Anselmum inhæsisse institutis S. Badulphi, Athanacensis instituti autoris : quorum omnium firmiorem probationem desidero. Illud certius, quod idem scriptor observat, S. Badulphum Athanacensem alium plane esse a S. Badulpho Robiensi monacho ; cujus memoria in Martyrologio Benedictino Arnoldi Wionii consignatur 2 Januarii.

A D

DE S. CLINTANCO REGE MART.

IN ANGLIA

J. B. S.

Fortesec v. De hoc sancto meminerunt Ferrarius, Sancti Clintanci *sub* Clintanei *nomine primam nobis notitiam suggessit Ferrarius in Catalogo suo Sanctorum generali, ita annuntians,* In Anglia, S. Clintanei regis et martyris, *citansque Martyrologium Anglicanum, opinor Wilsoni, et Capgravium in Catalogo Sanctorum Britanniæ, unde etiam paucula sua desumpsit Witfordus ad diem* III *Novembris. Atque hæc sola suppetunt monumenta, ex quibus de ejus cultu apud Anglos docemur : adde Acta ut ut brevia apud Capgravium, mira certe memorantia : neque aliunde illustrari possunt quæ ad ipsius Vitam aut gesta pertinent, quandoquidem inde sua acceperint, qui de ipso locuti sunt. Meminit quidem ipsius in Annalibus Britanniæ Alfordus noster;* B *sed paucissima etiam de eo referens ad annum Christi* CDXCII *num.* 8, *cujus hæc sunt verba :*

Alfordus noster, 2 Placet ad hæc tempora referre martyrium sancti Clitanci, qui inter Silures vir princeps et regis titulo clarus, sanctitatis justitiæque laude magis claruit. Ejus Vitam habet Capgravius quæ sic incipit : « Rex Clitanius cum esset in regno suo in « Southwallia, tenens pacem et justitiæ rigorem, « factus est martyr virtute et meritis et corona cæ- « lestis gloriæ, cum palma carnalis castimoniæ de- « coratus. » Narrat inde pessimi sicarii facinus regem obtruncantis, et ecclesiam in sancti Principis honorem erectam : ubi Deus potentiæ suæ et sanctitatis illius plura dedit argumenta. Unde Clitancus inter Sanctos habitus, locum in nostro Martyrologio meruit ad XIX Augusti, ubi Brechiniæ rex scribitur et Clintancus. *Recte hac* XIX *Augusti, quidquid Witfordus diem* III *Novembris notaverit, nescio unde acceptam. Audiatur modo Martyrologium Wilsoni hac die :*

Wilsonus, 3 In Wallia australi, commemoratio sancti Clintanci regis Brechiniæ et martyris, qui cum zelotes et pius princeps esset, quodam die inter venandum C a milite pagano occisus est, partim in odium religionis Christianæ, partim etiam quod nobilis quædam virgo dixerit, nulli se velle nubere nisi dicto Regi tam zelotæ Christiano. Postmodum insignis ecclesia erecta fuit in ejus honorem prope flumen in Wallia australi, ubi occisus fuit, et ubi cum magna veneratione sacrum corpus fuit tumulatum, et ubi placuit Deo in signum innocentiæ multa patrare miracula. *Hisce modo præmissis, superest ut fontem ipsum assignemus unde accepta sunt, nempe ex laudato Capgravio, quem scimus sua collegisse, dicamus expilasse, ex Legenda vetustiori Ms., auctore Joanne dicto Anglico, vicario de Tinmouth, qui vixit seculo* XIV. *Ita habet noster :*

4 Rex autem Clitancus cum esset in regno suo in Soutwallia tenens pacem et justitiæ rigorem, factus est martyr virtute et meritis et corona cælestis gloriæ cum palma carnalis castimoniæ decoratus. *qui ex Capgravio vel Joanne Anglico* Virgo enim quædam, potentis cujusdam filia, adamavit illum dicens requirentibus se, nulli nupturam nisi Clitanco inclito et ab omnibus dilecto. Audito vero puellæ responso, quidam de sodalibus Regis maligno spiritu inflatus et ardore libidinis accensus, fundamentum accipiens a face temeritatis et livore luxuriæ, quadam die in venatu regem Clitancum innocentem juxta fluvium quemdam, venatorum catervam exspectantem, et verba E sacri eloquii et orationis cum summa devotione proferentem, gladio nequiter jugulavit. Quo mortuo, familiares sui et nobiles propinqui, junctis bobus corpus auferentes, vadum fluvii, juxta quem occisus fuerat, transire tentabant. Sed cum juga boum disrumpi et boves stare cœpissent, de loco illo præ nimia corporis gravitate se movere non poterant.

5 Cumque multis modis corpus sanctum de loco transferre niterentur et nihil omnino perficerent, in *sua hauserunt.* loco sibi divinitus præparato Martyris corpus dimiserunt. Visa est autem columna ignis insequenti nocte post sepulturam ejus de tumulo ad cælum mirabiliter elevata, ubi in honore sancti Clitanci ecclesia constructa est. Potens quidam die Dominico cum uxore sua ad audiendum Dei servitium in ecclesia sancti Clitanci veniens, super ripam fluminis, non longe ab ecclesia positam, cum uxore sua concubuit, et peccato commisso, ab illa separari non potuit, imo junctus uxori inseparabilis remansit : et exclamans sodalibus voce magna dixit : Ite ad sepulcrum martyris Clitanci, et pratum istud, a me vi et injuste ablatum, sibi restitui permittite, F et pro me suppliciter, quæso, intercedite : quo facto ab horribili ligamine statim liberatus est.

Viri duo inter se multo tempore irati et infesti dixerunt intra se : Concordemur et tendamus ad ecclesiam sancti Clitanci, et simul juremus super altare illius; et oblito invidiæ livore et juncto fœdere, unus in reditu, rupta pace et violata fide, occidit alterum fraude : et facto homicidio, seipsum sua lancea propria statim perforavit, et sic miserabiliter vitam finivit.



DE

A D

DE S. MARIANO CONFESSORE

IN BITURIGIBUS GALLIÆ

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, et distinctio a synonymis.

DXIII. *Cultus ex Usuardo probatus.* De *sancto hoc* Mariano (*apud populares* Margeau) *agendum nobis fuit in observationibus ad Martyrologium Usuardi hoc ipso die, quo nempe apud ipsum et totam ejus progeniem certatim annuntiatur, ut de veri cultus vetustate dubitandum omnino non sit. Id miratus sum,* abbatis *titulo insigniri a Wione, Menardo et Bucelino,* B *cum non ut monachus, multo minus ut abbas, sed ut* eremita *laudetur a se S. Gregorio Turonensi, cujus elogium id omne complectitur, quod cum aliqua auctoritate de Sancto memoriæ proditum reperitur. Et certe Mabillonius eum merito inter Prætermissos collocavit, paucula de ipso memorans, quæ ex ipso fonte infra recitabuntur. Nescio cur Menardus hunc nostrum* Marianum *hoc die tam operose distinxerit a synonymo monacho aut abbate Autissiodorensi, de quo in hoc Opere actum est die* XX *Aprilis; ubi de confusione laborandum omnino non putarunt Majores nostri, tametsi Marianus uterque Bituricensis sit, uterque ferme synchronus.*

An distinguendus a syn. Labbeano, 2 *Non tam obvia est distinctio inter hunc eumdem hodiernum Gregorianum, et illo de quo meminit Labbeus inter Sanctos Bituricenses tomo* 2 *Bibliothecæ Mss. pag.* 432, *qui ambo, licet et ipsi Bituricenses et ferme etiam æquates, iis coloribus depinguntur, ut diversos duos hoc ipso die statuerit Saussayus in suo Martyrologio Gallicano; primum illum quidem, quam ex Gregorio Turonensi, post Usuardum et Martyrologium Romanum hic referimus ut apud vicum Evahonensem sepul-* C *tum, ubi hodie præpositura est Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, unde bina Vitæ Compendia Mss. ad Henschenium olim misit R. P. Franciscus Boulart Canonicus ad S. Genovevæ Parisiis. Alterum collocat apud Spinolaium vicum, videturque illum indicare, cujus Vitam, nonnullis suspectam, edidit Labbeus loco jam citato. Hic vero a nobis inter Prætermissos hodie dilatus est ad* XIX *Septembris, quo die refertur in vetustissimo Bituricensi Breviario.*

an potius confundendus? 3 *Non desunt scriptores qui utrumque in unum eumdemque confundunt, idque observo potissimum in Cointio tomo* I *Annalium suorum pag.* 253 *et* 294, *atque etiam in notis Ruinartianis ad S. Gregorii elogium; quæ utrum satis tuto admittenda sint, necdum equidem ausim determinare, donec a Bituricensibus ipsis plenius edoctus fuero. Certe ab eis Labbeanus ille colitur* XIX *Septembris; Gregorianus vero expressissime ab Usuardo signatus est hac* XIX *Augusti, quem certe supponimus non ignorasse, quo die apud Bituricenses vel Lemovicenses coleretur* S. Marianus Evahonensis, *quidquid dies obitus nec a S. Gregorio, nec ab alio, quod sciam, determinate expressus sit. Usuardum ejusque progeniem secutus est Bernardus Guidonis ex Ordine PP. Dominicanorum seculi* XIV *notissimus scriptor, cujus breve elogium, ubi agit de Sanctis Lemovicensibus, apud Labbeum tom.* I *pag.* 635 *hic describere operæ pretium censui :*

4 S. Marianus Reclusus multos usque hodie vocat ad reclusorium suum iu territorio Bituricensi. Corpus tamen ipsius apud Euvahonium diœcesi Lemovicensi est sepultum. Anno Domini MCCC Dominica prima Augusti fuit corpus B. Mariani apud Euvahonium de pariete ecclesiæ, ubi diu steterat, elevatum ad sublimiorem locum, et in capsa argentea pretiosa honorifice et solemniter collocatum per D. E Reginaldum le Portu episcopum Lemovicensem, adstante copiosa multitudine Cleri et populi ac Religiosorum virorum. Festum ejus recolitur XIV Kalend. Septembris. *Elogium ex Bernardo Guidonis.*

5 *Quod dixi supra de confusione vel indentitate utriusque Sancti synonymi, recurrit etiam in ordine ad aliquem* Aminium *seu* Animium, *quem* S. Mariani nepotem *volunt, et quidem Sanctum, ut diserte notat Labbeana historia, quamvis in sacris tabulis nostris nusquam expressum. Sitne porro hodierni nostri Evahonensis nepos, ut ferunt chartæ ad nos inde transmissæ, necdum satis liquet; rem explorare conabimur, ubi ad* XIX *Septembris pervenerimus. Cetera inde per P. Boulart accepta, sunt merum compendium S. Gregorii, et aliquod elogium, nescio a quo aut quando compositum, quod Sanctis eremitis omnibus facile aptari possit : nos ipsis verbis S. Gregorii inhærebimus, cujus proinde solum elogium hic subjicimus, id quo nec minima occurrit* nepotis *Aminii memoria. En ipsum textum :* *Datur hic solum S. Gregorii elogium.*

F

ELOGIUM

e S. Gregorio Turonensi

De gloria Confessorum cap. 81.

Fuit autem in ipso termino *a* Marianus quidam eremita, cui non erat alter cibus nisi poma agrestia : si ei aliquoties a quibusdam mel delatum fuisset, aut si ipse reperire potuisset in silvis, hoc ei erat cibus. Qui cum plerumque visitaretur a plurimis, quodam tempore a quærentibus non poterat inveniri. Investigantes denique eum viri, qui venerant, deprehenso vestigio invenerunt locum, iu quo flexo genu aquam hausit a fluvio : et exinde progressi reperiunt eum sub una arbore malo jacentem mortuum. Unde celebre ferebatur in populo, eum elisum ex arbore spiritum exhalasse : sed evidenter non est cognitum, quoniam a nullo refertur visum. Tunc viri, qui advenerant, elevantes, adtulerunt ad vicum Evaunensem : quem ablutum, dignisque indutum *Ardua vitæ ratio et mors.* *a*

A indutum vestibus, sepelierunt in ecclesia, festa obitus ejus per singulos celebrantes annos: ad quæ convenientes populi, crebro ab infirmitatibus sanabantur.

contemptor Sancti punitus, 2 Quidam autem de vicinis annonas diu infectas aqua ac germine producto conflatas, facto igne super vimina contexta torrere parat ad pocula facienda. Accedens autem unus vicinorum ejus, ait: Quid tu, o homo, hoc detineris in opere? An ignoras quod solennitas est beati Mariani? Qui cum furore respondit: Putasne, o tu, qui hæc loqueris, quod homo elisus ex arbore propter compendia gulæ, angelorum sit re[a] tus consortio, ut Sanctus debeat adorari? Melius est enim opus necessarium in domo exercere, quam talem Sanctum excolere. Quod ille audiens discessit et cum reliquis ad basilicam Sancti abiit, relicto domi vicino in opere laborante. Nec mora, flante vento adprehenditur domus, incendio exuritur omnis, nec quidquam de substantia restat hominis. Exinde elevati globi flammarum super hospitiola aliorum, quæ circumlocata erant, transsilientes, hujus hominis aream, sepes, tu- B guriola vel porcorum vel animalium, reliquaque, quæ ad eum pertinebant, flamma perussit; nec quidquam remansit huic misero, quod non fuisset igni succensum. Quod si eveuisse quis fortuito putat, admiretur quod nulli vicinorum circummanentium nocuit. Quid nunc agis, o cruda rustucitas, quæ semper in Deum et ejus amicos murmuras, ut tibi exinde damnum adquiras?

Ex Gregorio Turon. Alterius a Sancto beneficium. 3 Alterius igitur hominis malitia furis boves abstulerat, qui adprehenso vestigio, et inter infusos aqua viarum tramites, ac profundas luti voragines perdito, ad Sancti recurrit sepulchrum, fusaque oratione dum basilica fuisset egressus, advertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boves illos ante se cum caballo ex itinere lassum prosequens adducebat: Turbatus enim fuerat a via, et quasi amens factus in illam partem, de qua egressus fuerat, mente turbata redibat. Cognoscitque vir ille boves quos perdiderat: hos recipiens, hominem absque calumnia redire permisit, quia cognovit hoc sibi per virtutem sancti Mariani præstitum, cum in illa hora reperit perditum, qua ejus adivit plenus fide sepulcrum; quæ postquam gesta sunt, diligentiore cura Confessorem Dei plebs cœpit excolere Bituriga.

ANNOTATIO.

a *Notat Ruinartius in Colbertino codice pro* termino, *legi* tempore: *at nobis magis placet textus ut jacet, ubi nempe indicare vult Grego-* E *rius, Sanctum in regione Bituricensi, vel in vicinia vitam eremiticam duxisse, in qua S. Ursinus, de quo jam egerat, vitam finierat, non eodem certe tempore, cum is ad seculum* II *referatur; noster vero ad initium sec.* VI *pertineat, ut etiam observat Ruinartius.*

DE S. DONATO PRESB. CONFES.

EREMITA IN PAGO

J. B. S.

SIGISTERICO PROVINCIÆ IN GALLIA

Circa annum DXXXV. De hoc Sancto, qui ab aliis ejusdem nominis distinctus est De *hodierno* S. Donato *ab aliis synonymis jam satis distincto agere cœpimus in nostris ad Usuardum observationibus, ubi diserte notavimus, ejus eremitorium fuisse non in monte* Jura *Burgundiæ, sed in monte* Lura *Provinciæ, in* pago, *ut loquuntur Matyrologi, seu in diœcesi* Sigisterica, *cui non male substitues* Se- C custeronensi *cum Castellano, seu* Sisiaricensi *cum aliis (Gall.* Sisteron.*) Martyrologos hic indicatos volo, solos primum et præcipuum Adonem ejusque contractorem Usuardum, ut reliquorum longiorem seriem omittam. Sic loquitur Ado, paucisque notabiliora et certiora complectitur:*

meminerunt Ado 2 In Galliis, pago Sigisterico, in monte qui dicitur Jura *(lege* Lura) natale sancti Donati presbyteri; qui ab ipsis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, ex urbe Aurelianensi ad præfatum locum, ut soli Christo vacaret, adveniens, anachoreticam vitam multis annis exegit, tanta miraculorum gloria clarus, ut inter cetera gesta magnifica, etiam draconem immanem atque terribilem, suis exinde orationibus effugatum extingueret. Cumque dies vocationis ejus instaret, adveniente sancto abbate Mario, cui ita fuerat revelatum, inter verba orationis migravit ad Christum, sepultusque est ab eodem patre in loco suo. *Ex his et ex longiori Vita restituenda sunt, quæ in S. Mario sub finem paulo aliter referuntur, tum in Actis nostris* XXVII *Januarii pag.* 775 *num.* II; *tum apud Mabillonium sec.* I *pag.* 106.

et Usuardus in suis Martyrologiis, 3 *Atque hic habes brevem et rectam, opinor, substantiam Vitæ prolixioris huc olim Lugduno missæ a nostro P. Carolo Fabro, quam licet ipse probasse videatur, rectius tamen plura episodia, quibus a nescio quo respersa est, ab Adone et aliis præterita sunt, utpote absque nota auctoritate non tam facile admittenda, ut proinde merito existimaverimus, brevioribus elogiis insistendum, quale inter alios nobis suggessit Benedictus Gononus ex Breviario ecclesiæ Gratianopolitanæ,* F *et Petro Equilino acceptum; quodque hic recudendum censuimus, præmissa Usuardi annuntiatione, quam adoptavit Romanum hodiernum, ut de cultu securi esse possimus. Sic Adonem contrahit Usuardus:* In pago Sigisterico, beati Donati presbyteri, qui ab ipsis infantiæ rudimentis, mira Dei gratia præditus, anachoreticam vitam multis annis exegit, et miraculorum gloria clarus migravit ad Christum. *En modo Gononi textum:*

quibus Gononus 4 Fuit vir quidam Donatus nomine, a Neustriæ regionibus, Aurelianensi urbe oriundus, qui a rudimentis infantiæ suæ electus est a Domino. Cumque trium esset annorum, traditus est a genitoribus suis magistro, et eum litteris erudiret. Tantam autem gratiam Dominus elargiri dignatus est, ut omnia beati David sciret cantica. Cum vero esset annorum decem, omnia volumina tam veteris quam novi Testamenti peragravit. Tunc placuit Aurelianensis urbis episcopo, ut eum clericaret. Sed cum pervenisset ad ætatis duodecimum annum, complacuit episcopo, ut eum ad onus diaconatus benediceret. Tanta vero erat in eo

AUCTORE J. B. S. ex Breviario Gratianopolitano

eo bono animi tranquillitas, ut omnes dicerent, illum esse a Deo electum.

5 In quo honore constitutus, conversus ad semetipsum ait: Quid mihi cum beato Abraham? Illi enim dixit Dominus: exi de terra tua et de cognatione tua, et vade in locum, quem monstravero tibi et ibi eris mihi acceptabilis. Dum autem hæc in animo volveret, relicta urbe Aurelianensi, recto tramite petiit urbem Turonicam, ubi corpus S. Martini requiescit, ut ejus patrocinia accipere mereretur. Cumque ibidem paucis diebus commoratus esset, accepto patrocinio a S. Martino, sic eremum petiit, et postquam peragrasset omnes provincias et omnes montes excelsos, pervenit tandem ad montem, qui dicitur Jura (Lura.) Contemplatus autem eum, descendit ad radicem ejusdem montis, et in convallem, quæ dicitur Ragion, arida et ruinosa nimis, ubi accessus hominum non erat, sed serpentes et dæmones ibi habitabant. Eo adveniens beatus Donatus, draconem miræ magnitudinis invenit, de cujus flatu omnia arbusta erant combusta, et ibi semper tonitrua et fulgura personabant.

B adjungit Acta,

6 Cum autem vidisset draco ille sanctum Donatum venientem ad se, statim caput suum quasi cubitis duodecim elevavit, vociferans et exsibilaus nimis: ad cujus vocem omnia serpentia accurrerunt, quasi Virum sanctum devoratura. Sed Vir sanctus, in fide fundatus, sese ad orationem prosternens, draconem ceteraque animalia venenosa fugavit et sua oratione exstinxit. Cœpit autem ibi habitare, anachoreticam ducens vitam, et corpus jejuniis nimis excrucians. Cibus D ejus erant fructus agrestes, radices et cortices arborum: lectus ejus terra dura. Cum igitur multos annos in solitudine vixisset, et instaret vocationis ejus dies, adveniente abbate Mario, divinitus admonito, ut ad eum accederet; inter verba orationis migravit ad Christum: ab eodem patre ibidem sepultus XIII Kalend. Septembris. Postmodum corpus ejus ad pagum Sigistericum Galliarum translatum est.

7 *Contra communem hic loquitur Gononus, dum Sanctum migrasse ait* XIII *Kalend. Septembris pro* XIV. *Pejus vero fallitur, dum corpus ex Lotharingiæ* monte Jura *translatum comminiscitur. Commodius certe ex* Lura monte, *S. Marii eremitorio longe propinquius Sigistericum pervenire potuit, unde pars potior Avenionem translata sit, ubi* festum ejus celebratur et fit Officium duplex *(ut in notatione observat ipse Gononus)* de communi Confessoris, et de eodem fit mentio in antiquo Missali ejusdem ecclesiæ descripto anno Domini MCCLX cum oratione propria; et magna pars corporis istius Sancti continetur in sacculo serico intra capsam argenteam, quæ exstat super altare majus, cum alio, ubi sunt reliquiæ S. Maximi *etc. Sancti nostri* Donati *ætatem paucis etiam notasse juverit: is enim cum S. Mario synchronus fuerit, hic autem a Vitæ scriptoribus tum in Actis nostris tum apud Mabillonium medio seculo sexto consignetur, haud dubium quin ad eadem tempora* S. Donatus *referendus sit, ut satis apposite signarit Castellanus annum* DXXXV. E

et de cultu reliquiisque ejus agit.

DE S. MOCTEO VEL MOCHTEO

EPISCOPO LUGMADENSI IN HIBERNIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti nomen, discipuli, monasteria; an fuerit præsul Ardmachanus.

C ANNO CIRCITER DXXXV. Sancti hujus, a die 24 Martii huc remissi, nomen

Quando sanctum hunc Episcopum hoc die damus, promissi fidem: ad diem quippe XXIV *Martii hæc jam pridem inter Prætermissos apud nos dicta sunt tomo* III *ejusdem mensis pag.* 474, *quorum hic juvat meminisse:* S. Mochteus sive Mochta Ludmagensis episcopus nomen hoc die habet in Hibernicis Martyrologiis, ideoque Colganus ejus hic Acta dedit ex codice nostro Salmanticensi descripta: quæ quoniam non adeo aut plena aut sincera sunt, ut ea optamus nancisci, et Augusti quoque die XIX in Hibernicis Hagiologiis recolitur; eumque diem Usserius, Waræus ac Quatuor-magistri ejus natalem nominant, teste Colgano; differimus de eo agere usque in dictam XIX Augusti. *Nunc itaque Sancti illius gesta illustranda et examinanda a nobis sunt, pleraque desumpturis e laudati Colgani notationibus, quas Vitæ ejus subtexit a pag.* 731, *atque ex Appendice post dictas notationes pag.* 732 *et sequentibus. Ordiamur itaque a varia nominis efformalione, de qua auctor ille satis operose hæc scribit*:

2 Varie a variis hujus sanctissimi Antistitis nomen exprimitur. Moccheum vocat Joscelinus in Vita Patricii cap. 134 et 135; Maccæum Pitseus, Possevinus, Baleus, Gesnerus, et alii infra in Appendice cap. 2 citandi; Bachiarium Gennadius; Bachianum Honorius Augustodunensis; Maneteum sanctus Adamnanus in Vita S. Columbæ, prout edita est a Canisio; sed Mauctaneum in Ms. Biburgensi, et in editione prima Antverpiensi Mocteum vocat. Ab Hibernis passim, uti et ab authore hujus Vitæ Mochtens, et aliquando Mactens vocatur, et rectius. Nam Hibernice passim Mochta, et aliquando Machta appellatur. Quod autem tradunt Pitsens, Gesnerus, Baleus, et alii, proprium ejus nomen fuisse Bacchiarium, et cognomento Macceum appellatum, nobis non approbatur. Mendis enim librariorum tot et tam varias ejusdem nominis expressiones exortas arbitramur. *Hæc Colganus, qui affert illico alias pro aliis litterarum positiones. Verum de istiusmodi minutiis dictum jam satis. Moneo tamen, me supra expressisse nomen* Moctei, *sicut in codice nostro Ms. Salmanticensi passim illud lego, tametsi Colganus in sua Vita impressa identidem habeat*

F variis modis exprimitur.

A *habeat* Macteus. *Nec mihi displicet* Mochteus, *prout alibi illud reperio exaratum, sicut liquebit ex dicendis.*

Ejusdem discipulus

3 *De nostri Sancti discipulis varia observat laudatus Colganus. Nam quod attinet ad numerum eorum duodenarium, de quo in Vita apud nos cap.* 1 *num.* 3, Ecce, *inquit,* morem hunc Apostolicum duodenarii numeri discipulorum, nostris patribus vero Apostolicis ante omnes mundi Sanctos maxime familiarem, et ab ipsa Apostolica Sede primo acceptum: quæ non solum cum S. Mocteo, sed et cum S. Palladio totidem socios ad nostræ gentis conversionem legitur misisse, ut in actis in Vita S. Suithberti, ejusque notis ad I Martii ostendi: ubi et plurimas alias duodecim collegarum sub uno duce catervas a nostris Sanctis missas ad gentium conversionem commemoravi, ibi videndas. *At quisnam Edanus ille, de quo Vita Sancti nostri mox citata agit, et magnum ei miraculum attribuit, quod sancti* Moctei *jussu ita factum memorat:* Cumque *Sanctus* ad Hibernicum veniret mare, oblitus cujusdam Edani, causa de quadam

B a fratribus segregati, navem ascendit, cui deinde navigium clamanti, abscisso arboris ramo, vice navis uti præcepit. Obtemperat Magistri jussis.., ramo supersedet, æquora permeat; sed et navim prævenit, atque in portu Magistrum excipit. *Quisnam, inquam, discipulus ille* Edanus, *seu, ut notat Colganus in hunc locum,* rectius Ædanus vel Aidanus?

quis fuerit:

4 *Laborare se in eo determinando inter tot alios synonymos, non dissimulat idem auctor, ita loquens:* Quis autem hic fuerit ex viginti quatuor ejusdem nominis Sanctis, quorum natales observantur in nostris Martyrologiis et Fastis, haud promptum definire; nisi sit, ut esse existimo, S. Aidanus, filius Ængussii, quem Marianus Gormanus martyrologus Dungallensis, et alii memorant coli in ecclesia de Kill-mor Aedhain in regione de Huadmeth, sive Martheorum die 2 Novembris. In hac enim regione S. Mocteus extruxit primam ecclesiam in Hibernia, Kill-mor appellatam, ut habetur in hac Vita cap. 4 *(apud nos vero cap.* 1 *num.* 4.*)* Unde S. Ædanus ille, quem Martyrologia observant in ea coli, non videtur esse alius a prædicto S. Moctei fundatoris discipulo.

C alii item

5 *Alia, quæ occurrit in Vita, difficultas, in eo posita est, ut vix videatur credibile, tot et tam insignes ad Sanctum ventitasse discipulos, quot quantosque commemorat auctor Vitæ apud nos cap.* 1 *num.* 7. Nam ut ceteræ, *ait,* cujus non erat numerus, progeniei taceam multitudinem; centum episcopos, trecentosque presbyteros dicitur habuisse discipulos. *Sed huic difficultati occurrit Colganus, eamque his argumentis satis probabilibus solvit.* Nonnullis forte nimis excessivus hic numerus centum episcoporum, et trecentorum presbyterorum, ex una schola prodeuntium, videri posset: sed si rem penitius considerent, non est hic ambigendi locus. Ex vetustissimi dierum Magistri discipulis, successive ejus celeberrimam scholam frequentantibus, facile tantus numerus exurgere posset; nec si simul tot habuisset discipulos, postea episcopos et presbyteros ordinatos, ei quidquam admirationis movere debet, qui legerit tria millia monachorum eodem, vel proxime sequenti ævo fuisse sub S. Brendano: totidem vel plures sub S. Comgello; item et tria millia sanctorum discipulorum frequentasse scholam S. Finniani de Cluain-eraird, ut constat ex his, quæ diximus ad XXIII Februarii, agendo de S. Finniano; et dicturi sumus in Actis S. Comgelli, et S. Brendani ad X et XVI Maii, *(si Acta videlicet Sanctorum Hiberniæ eo usque perducta fuissent.)*

AUCTORE J. P.

pene supra fidem numerosi:

6 Sed ubi, inquis, tot sedes episcopales in angusto regno; in quo nec quadraginta hodie reperiuntur? Respondeo, regnum illud eo ævo longe florentius extitisse, longe pluribus civitatibus, oppidis, vicis et divitiis abundasse, et singula pene oppida monasteria celebriora, et aliquando vicos proprios habuisse episcopos, ut liquido constat legenti Acta nostrorum Sanctorum, et præsertim S. Patricii, in quibus Joscelinus cap. 185, et S. Euinus parte 3 cap. 95 tradunt S. Patricium ordinasse propria manu episcopos trecentos quinquaginta, et presbyterorum quinque millia, et septingentas ecclesias fundasse. Sanctum vero Mochteum habuisse tot discipulos, referunt S. Columba, et alii graves auctores in Appendice infra cap. 1 et 3 citandi. *Porro sicut tot ac tanti discipuli magnum in Hibernia Episcopo nostro peperere nomen; sic non vulgarem ei laudem fundationes monasteriorum, de quibus nunc loquar, materiem attulere.*

E monasteria

7 *Noster biographus cap.* 1 *num.* 4, Mocteus, *inquit,* in Metheorum nemoribus cœpit construere monasterium. quod Cella magna dicitur. *Locum hunc exponit Colganus, hæc scribens:* Regio Metheorum, vulgo Hua-Meth dicta, est diœcesis Ardmachanæ in Ultonia; et in ea, *uti addit,* hodie *(Edebat Colganus Acta Sanctorum Hiberniæ anno Christi* 1645) visitur prædicta ecclesia Kill-mor, id est Cella magna dicta, S. Ædano sacra; a quo et distinctionis causa Kill mor-Aedam appellatur. *Ne vero, quæ recte cœperat, collaberentur; tametsi* ipse rector, ipse regulam fratrum *esset, teste biographo allegato,* ne quid tamen hujus religionis aliqua posset oblivione negligi, et non solum apud præsentes, sed etiam futuros sine defectu persisteret, sanctæ institutionis regulam scripsit. *Cujusmodi autem regula ista fuerit, compertum nobis non est; nec Colgano fuit, qui hæc dumtaxat de ea tradit:* Hic observa, S. Mocteum fuisse peculiaris regulæ conditorem, uti et extitisse leguntur sancti Patricius, Brigida, Brendamus, Ailbeus, Columba Kille, Comgellus, Kieramus, Adamnanus, et alii plures nostræ sacræ insulæ.

F ab eo constructa.

8 *Vir sanctus aliud item construxit monasterium, prout testatur Vitæ ejus scriptor, qui cap.* 1, *num* 5 *et* 6 *tradit ista:* Ipse gressum direxit ad locum nomine Lughmud *. Hunc siquidem locum a Deo sibi datum ab olim præscivit.. Mocteus vero cœpit ædificare, et nobilissimum construxit monasterium: *cujus etymon ac situm ita exhibet Colganus:* Hoc monasterium, quod rectius videtur Lugh magh, id est, Lugi campus; nisi et verius Lubh magh, id est, Herbidus campus; et nunc.. Luthia vocatur; jacet in amœna et spatiosa illa australis Ultoniæ planitie, quæ priscis Conaille, hodie vulgo Machaire-Oirgiall, id est planities Oirgielliorum appellatur: estque ibi nobile monasterium Ordinis Canonicorum Regularium, et olim fuit sedes episcopalis juxta dicenda in Appendice; ab eoque circumjacens regio nunc Comitatus Luthensis denominatur.

* al. Lughmadh.

Non fuit proprie præsul Ardmachanus,

9 *Quæri hic potest, an S.* Mocteus *accenseri debeat Præsulibus Ardmachanis. Quæstioni ansam præbet Vitæ scriptor, qui postquam retulisset cap.* 1 *num.* 8, *S. Patricium pontificem cœpisse aliquando habitare prope monasterium nostri Sancti; sed angeli monitu discessisse ab eo, subjungit*

AUCTORE J. P.

subjungit ista : Rexitque post ipsum sedem Mocteus aliquot diebus, et Benignum illius discipulum inthronizavit. *Propositæ autem quæstioni hoc reddit responsum Colganus* : Non reperitur nomen S. Mochtei in catalogo primatum sive archiepiscoporum Ardmachanorum. Nec mirum ; cum non præfuerit nisi paucis diebus, et forte donec de successore provideretur. In Vita tripartita S. Patricii parte 2 cap. 97 legitur S. Mochteus fuisse S. Patricii ARCHIPRESBYTER, ET S. SECUNDINUS VICARIUS IN SPIRITUALIBUS, ET SUFFRAGANEUS. Et licet S. Benignus S. Patricio successerit, et forte immediate, in catalogo tamen primatum ponitur tertius post Patricium, post sanctum nempe Secundinum; et S. Patricium cognomento seniorem. Quod factum arbitror, quia singuli successive erant suffraganei sancti Patritii, et duo priores leguntur obiisse ante ipsum Patricium apostolum ; cui mortuo, ut hic indicatur, immediate successit S. Benignus, postquam aliquot diebus vacantem sedem administraverat episcopus Mochteus, donec communibus suffragiis de successore provideretur *Hinc sequitur, ut noster sanctus* B *Præsul non sit annumerandus primatibus Ardmachanæ sedis.*

sed Lugmadensis,

10 *Fuit tamen episcopus Lugmadensis, seu quacumque alia litterarum forma locum hunc expresseris. Dignitatem hanc ei vere convenire, non lego quidem diserte expressum a biographo, præterquam in ejusdem Vitæ titulo, qui sic habet*: Incipit Vita S. Moctei Lubgunensis episcopi. *Sed episcopalis tamen ista præfectura aliunde postea confirmabitur tum e Fastis sacris, quos producemus, tum ex aliis documentis ; de quibus occurret inferius dicendi locus, ita ut plurimorum scriptorum assensu stabilita in dubium vocari non debeat. Superest, ut hinc progrediamur ad alia quædam puncta, ad* S. Moctei *vitam et sanctitatem spectantia.*

§ II. Cultus variis diebus affixus ; sancti synonymi a nostro diversi ; tempus vitæ.

C

Duo Sancti Mochtei festa die 24 Martii et 19 Augusti

Camerarius ad diem VII *Octobris satis liberaliter more suo ita Sanctum annuntiat* : Sanctus Macceus cum S. Patricio Scotia egressus. De eo varii. Vide ipsius Vitam. *Colganus in Appendice ad Vitam* S. Mochtei *pag.* 732 *dictum hagiologum his verbis convenit*: Sed quia hic auctor nec Vitam ipsius, nec eum die illo coli, nec cum Patricio e Scotia egressum uspiam legerit. nec in ea Vita, quam supra dedimus, nec apud ullum alium authorem quidquam de his memoratum reperiam, ad aliorum veterum scriptorum testimonia de S. Mochteo, ejusque festis, transeo. *Mox itaque ad duos potissimum annuæ venerationis dies digreditur, ac de iis in hæc verba disserit* : Duo ut minus S. Mochtei festa olim in Hiberuia solere celebrari, traduut nostra communiter, etiam perantiqua, Festilogia. Primum XXIV Martii, quo de ipso sic scribit Martyrologium Tamlactense, ante annum DCCLXXXV compilatum : " S. Mocteus Lugmagensis : Cumain uomen matris ejus. " S. Ængussius : " Mocteus fidelis et devotus. " Marianus Gormanus : " Mocteus Lugmadensis, pater egregiæ " familiæ. " Calendarium Casselense : " Mocteus " episcopus Luguiagensis. " De eo etiam similia habent Maguir, et Martyrologium Dungallense D eodem die. *Hæc affert de primo Sancti festo ; de alio autem ista, ita pergens* :

celebrari solita : an synonymi,

12 Secundum festum celebratur XIX Augusti ; quo de eo agit Marianus Gormanus dicens : " Mochteius episcopus lucerna Lugmadensium. " Martyrologium Tamlactense : " Mocteus episcopus " Lugmugensis. " S. Ængussius in Festilogio : " Mocteus, magnus, egregius, et longævus. " Addit Maguir " Dicitur longævus propter maguam " vitæ ejus longitudinem. " Subdit etiam quosdam versus.., quibus significatur S. Mocteus annis trecentis vixisse. Item Martyrologium Dungallense : " S. Mocteus episcopus Lugmagensis : vixit annis " trecentis, et migravit ad Dominum anno DXXXIV. " Citat etiam ibidem memoratos versus. *Verum de tanta, et supra fidem extensa Sancti ætate disseretur pluribus infra, ubi dederimus reliqua. quæ de sacris diebus aliis enarrare pergit Colganus, quos tamen non huic* S. Mocteo, *sed aliis synonymis convenire censet, sic statuens* : Duobus etiam aliis diebus reperio memoriam S. Moctei a domesticis Festilogiis observari, die nempe XXVI E Martii, quo festum S. MOCTEI DE INISMOCHTA, id est, de insulâ Moctei celebrari tradunt Marianus Gormanus, Cathaldus Maguir, et Martyrologium Duugallense. Cum autem hæc insula sit iu Comitatu Luthensi, non procul ab ipso mouasterio Luthensi, videri posset idem esse S. Mocteus, qui in utroque loco habitavit, et colitur. Præterea festum S. MOCTEI FILII DERGANI, CELEBRARI IX Septembris, tradunt auctores proxime citati, et Martyrologium Tamlactense.

qui aliis diebus assignantur,

13 *Rationes vero, quibus inducitur Colganus, ut duos hosce Sanctos synonymos ab hodierno secernat, sunt istæ* : Verius tamen existimo, *inquit*, duos alios Mocteos esse, qui his diebus coluntur. Eum enim qui XXVI Martii colitur, existimo esse S. Mocteum presbyterum Ardmachanum : de cujus obitu Quatuor magistri in Annalibus sic scribunt : " Anno CMXXII Mocteus de Insula, filius Kernacbani, presbyter Ardmachanus, obiit. " Hæc enim insula non videtur esse alia, quam illa, quam supra citata Martyrologia Insulam Moctei appellant. Item ille, qui IX Septembris colitur, videtur esse S. Mochteus episcopus et doctor Ardmachanus, de quo ad annum DCCCLXXVI hæc F in iisdem Annalibus leguntur : " Mocteus magister, sive supremus præfectus scholarum Ard- " machæ, capitur a Northmannis sive Danis " : obitumque ejus referunt in annum DCCCLXXXIX dicentes eodem anno : " Mocteus discipulus S. Fethgnæ, episcopus, anachoreta, et scriba Ardma- " chanus decessit " ubi per scribam intelligit scriptorem præsertim chronographum. In monasteriis enim plerisque saltem præcipuis, et sedibus episcopalibus Hiberniæ erat quidam olim in magno honore habitus, qui vulgo aliquaudo FERLEGINN, id est, prælector, sive magister, vel doctor; aliquando SCRIBHNIDH, id est, scriba, scriptor, vel chronographus dicebatur.

ab hodierno diversi.

14 *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, hæc scribit ad diem* XI *Aprilis in notis* : Eadem die in insula Bura S. Maccæi vatis S. Patricii episcopi Hiberuiæ disciputi. *Et in notis item ad diem* V *Octobris* : Eodem die S. Maccæi in castro Caledonio S. Patricii discipuli. *Vidit hæc Colganus; sed quia mendose, quæ habet, impressa apud ipsum sunt, malui ea emendatius hic exhibere ex ipso*

AUCTORE J. P.

A ipso Ferrario. *Hæc autem sic castigat idem Colganus pag.* 733 : Sed quia hæc videtur sumpsisse ex commentis Dempsteri, qui loca cultus, et festa ad libitum solet affingere Sanctis, suspectæ mihi sunt fidei. *Consuli potest Dempsterus in Menologio Scotico ad diem* XI *Aprilis, et ad* V *Octobris.* Cæterum, *sicut mox observat laudatus jam sæpe hagiographus Hibernus*, an natale festum, an aliud S. Moctei sit, quod Martyrologia citata *ad diem* XXIV Martii tradunt celebrari, mihi, *ait;* incompertum est. Quatuor magistri, Usserus, et Vareus infra citandi indicant natalem ejus celebrari die XIX Augusti, quatenus asserunt, ipsum anno DXXXIV, die XIX Augusti obiisse, juxta dicenda cap. 3.

Ætas annorum trecentorum,

15 *Sed non exigua nunc sese nobis offert controversia de* S. Mochtei *ætate, quæ communiter apud scriptores de illa tractantes protenditur ad annos trecentos; qua veri specie, haud equidem satis assequor. Hagiographus Hibernus in Appendice allegata cap.* 3 *pag.* 734 *opinationis istius fundamenta congerit his verbis* : S. Mochteum annis trecentis in vita hac mortali vixisse, tradit author Vitæ ipsius supra cap. 19; *in nostra*
B *vero editione cap.* 2 *num.* 17, *ubi hæc sunt* : Trecentis.. annis, nec ullum protulisse verbum otiosum, nec quidquam gustasse pingue fertur. *Præter auctorem Vitæ adducuntur etiam a Colgano* Joscelinus in Vita S. Patricii cap. 35.. Maguir ad XXIV Martii, et XIX Augusti; Martyrologium Dungallense ad XVI Augusti; Quatuor-magistri in Annalibus ad annum DXXXIV, juxta mox dicenda, et Ketennus de Regibus Hiber. lib. 2 agendo de Tuathalio rege; et (quod præcipuum est hujus assertionis fundamentum) quidam prisci nostri idiomatis versiculi, quos citant Maguir, Martyrol. Dungallense, et Quatuor-magistri in Annalibus, imo et S. Ængussius, ejusve vetus scholiastes, asserens insuper, S. Columbam Kille esse eorum auctorem.. Qui versus Latine redditi hunc exhibent sensum : Dentes Moctei... spatio trecentorum annorum.. nec verbum otiosum extra emisere, nec quidquam obsonii intra admisere *etc. In istius præterea opinionis confirmationem producit sequentia* : Incredibilis multis videri posset hæc prodigiosa humanæ vitæ protractio, nisi ejus excessi-
C vam longitudinem minus incredibilem redderet, quod non naturæ viribus, sed miraculo attribuatur, ut refert Joscelinus, *inferius alia occasione citandus. Hæc illè pro tuenda trecentorum annorum ætale* S. Mochtei.

quibus Sanctus noster dicitur vixisse,

16 *Verum auctor idem, qui tam in colligendis Sanctorum Hiberniæ Actis, quam in eisdem illustrandis, minime suspectus haberi debet, quod veris Cœlitum istorum laudibus quidquam detractum velit, non tantum non approbat tamquam historice veram adeo longævæ ætatis sententiam, quæ passim circumfertur, ut vidimus; sed hisce etiam prodigiosam illam annorum longitudinem convellit argumentis* : Tria sane; *ait*, mihi argumenta eam suspectam reddunt. Primum, quod Quatuor-magistri in Annalibus referant, S. Mochteum obiisse anno DXXXIV, ad eumdem annum dicentes " S. Mochteus episcopus Lugmagensis, " Patricii discipulus, die XIX Augusti emisit spi" ritum. " Subjiciunt postea versiculos jam citatos. Idem etiam tradit Vareus de scriptoribus Hiberniæ lib. 2, cap. I. " Illam, inquit, sedem " gubernavit usque ad annum DXXXV, vel DXXXIV, " quo hanc vitam reliquit XIII Cal. Septembris. *Item addit Usserium, qui de Britannicarum ecclesiarum Primordiis pag.* 855 *hæc refert, a me ex ipso Usserio huc transcripta, quia mendose apud Colganum impressa* : Meminerunt, *inquit*, illius Annales Ultonienses : in quibus ad annum Domini DXXXIV, vel DXXXVI secundum alios (hoc est usitatæ nostræ æræ DXXXV vel DXXXVII) " Dormitatio S. Muchti, vel Mochta, discipuli Pa" tricii, XIII Kal. Septembr. " refertur. *Et mox de ejus ætate hic controversia subdit ista* : Nam quod Jocelinus cap. 135 narrat, S. Patricii sententia, vitam illi, in pœnam incredulitatis, ad trecentos annos protensam; dignum certe est, quod inter alia prodigia, INAUDITA SUA NOVITATE STUPENDA, in Guilielmi Thyræi Discursibus panegyricis de S. Patricio pag. 124, 125 locum habeat, quos, si lubet, consule *Ex his interim ita possumus argumentari cum Colgano* : Si ergo hic Sanctus fuerit DXXXIV vel DXXXV mortuus, et nusquam legatur floruisse seculo tertio, vel etiam quarto, quomodo trecentos ei vitæ annos concedemus? *Hæc ille.*

impugnatur

17 *Deinde autem adversus versiculos, qui præcipuum assertæ hujusmodi ætatis sunt fundamentum, alterum promit argumentum, quo probat, mendum temporis in eosdem irrepsisse.* Secundum est, *ait*, quod S. Cumineus Condere- E sis in suo Opusculo singularibus virtutibus et elogiis aliquot præcipuorum Hiberniæ Sanctorum recensens annos, quibus S. Mocteus vixit, saltem post Religionis vel monastici instituti amplexum, solum tribuat ipsi centum annos, ut vetus hic versiculus ab eo compositus testatur; *et Latine apud Colganum redditus, sic sonat* : In more habuit Mochteus Lugmagensis, ex vitæ rigore et auctoritate, quod nihil obsonii degustaverit spatio CENTUM annorum. *Quibus recitatis, hæc inde concludit editor Actorum Hiberniæ Sanctorum* : Habemus ergo ex fideli et vetusto scriptore, qui ante nongentos, nisi et mille annos floruit, quod solum centum annis S. Mochteus vixerit in tanta vitæ austeritate : quod autem antea vixerit in seculo annis ducentis, nec ullus author tradit, nec ullam præ se fert verisimilitudinem. Quid ergo dicemus ad priscos versiculos supra citatos, S. Columbæ attributos, aliosque auctores, qui trecentis eum vixisse scribunt? Respondeo in primis conjectura, si non omnino certa, certe verosimili, videri mendum in prædictos versiculos irrepsisse : *et mox exhibens duas* F *varias lectiones, charactere nobis peregrino vel Hibernico exaratas*, Prima namque, *inquit*, lectio significat SPATIO TRECENTORUM; secunda vero, SPATIO CENTUM ANNORUM. Primam ergo mendosam lectionem videntur secuti authores supra citati, putantes illam sententiam fuisse S. Columbæ, secundam vero S. Cumineus, qui vixit tempore S. Columbæ, vel seculo proxime sequenti, et Annales citati supra.

a Colgano

18 Non negaverim tamen, S. Mochteum vixisse plus quam centum annis, præsertim cum S. Ængussius cap. I supra citatus vocet ipsum LONGÆVUM : et alii ipsum vocantes Bacchiarium vel Bacchianum, traduut ipsum floruisse tempore S. Augustini ante annum CDXXX; sed solum assero, ipsum videri solum spatio centum annorum vixisse in tanta vitæ austeritate, de qua supra, postquam institutum monasticum fuerit amplexus. Demus ergo ipsum fuisse triginta vel amplius annis natum, antequam arctam illam vivendi rationem inchoaverit, et postea centum annis vixisse : et sic pleraque, quæ cum fundamento de ipso asserunt, poterunt bene cohærere. Tertium hæc confirmans argumentum est, quod nullius Sancti Vita,

AUCTORE J. P.

ta, ex innumeris, qui seculo sexto et septimo in vicinis Hiberniæ regionibus floruerunt, nullusque omnino historicus tradat ipsum post tempus ab Annalibus supra citatis vixisse. Adde, quod Vita S. Dagei, verbis cap. præcedenti citatis tradat, S. Dageum, qui anno DLXXXVI longævus obiit, ministrasse ipsi morienti viaticum; et Ketennus supra tradat, ipsum obiisse tempore Tuathalii regis, anno DXXXVIII mortui. *Atque hæc quidem sunt, quæ ex collectione ac fide Colgani transcribere huc visum est : super his autem, quænam mihi observanda occurrant, nunc paucis eloquar.*

qui tamen illam satis liberaliter extendit.

19 *Placet sententia ejus, qua chronologicum illud trium seculorum paradoxum rejicit. In eo tamen ipsi non assentior quod, satis liberaliter ætatem illam extendat ad centum ac triginta, vel etiam ad plures insuper annos. Nam cur* longævus *vere vocari non possit noster Sanctus, etiamsi dumtaxat supervixisset ad annum vitæ suæ vigesimum supra centesimum? Cur item alia, quæ proferebat, argumenta Colganus, non hoc pacto subsistant, videlicet, quod S. Dagæus dederit ipsi*
B *viaticum; quod obierit tempore Tuathalii regis, atque adeo, secundum dicta, ante annum Christi* 538? *Si tamen constaret, ipsum* floruisse tempore S. Augustini ante annum CDXXX; *tunc, fateor, auctarium annorum triginta, vel etiam plurium supra centum cum Colgano ipsi concedendum esset, quia anno Christi* 534 *e vita excessisse perhibetur, referente Catalogo chronologico, ex Annalibus Quatuor-magistrorum excerpto, et apud laudatum Colganum edito in Appendice, de qua supra, cap. 5, ubi leguntur ista* DXXXIV anno Mochteus Lugmagensis episcopus S. Patricii discipulus obiit die XIX Augusti. *Alii vero, ut antea notavimus, signant annum alium, modice tamen a jam dicto discrepantes. Sed dubium esse, an tempore S. Augustini claruerit noster* S. Mochteus, *videbimus, quando de scriptis ipsius agemus. Interea temporis discutiamus famosam prophetiam, quæ a S. Patricio de eo edita dicitur, hujus incredulitate ab isto punita longævo senio.*

C

§ III. Vaticinium, quod a S. Patricio de nostro editum fertur, videtur probabilius sublestæ fidei ; Sancti nostri prophetiæ.

Vaticinium, quo prædixisse fertur S. Patricius

In Vita S. Patricii, auctore Joscelino, apud nos vulgata tomo II *Martii, die* XVII, *cap.* 14 *pag.* 567 *res his verbis narratur :* Evolutis aliquantis diebus, eum liber Genesis legeretur coram S. Mochteo, audiens quod sancti Patres ante diluvium nongentorum annorum spatio vel eo amplius, et post cataclysmum plures trecentis annis vixerunt, non facile fidem sacræ Historiæ dabat, quia luteum tabernaculum humani corporis, carne tam fragili pelleque vestitum, ossibus nervisque compactum, tanto tempore nullatenus posse durare asserebat. Quod cum innotuisset S. Patricio, accessit ad Virum, ut veris rationum assertionibus ab animo illius omnem tolleret hujusmodi scrupulum. Dicebat enim S. Patricius totam Canonicam Scripturam dictatam et scriptitatam esse digito Dei, et idcirco in nullo derogandum aut discredendum ei. Asseruit etiam, non difficilius esse Factori omnium, vitam hominis mille annorum spatio protelare, quam diei unius, si voluerit; quoniam, teste Psalmista, Mille anni ante oculos ejus tamquam dies hesterna, quæ præteriit. D

Sanctum nostrum annis victurum trecentis,

21 Adhuc autem super his, quæ dicta sunt a S. Patricio, Viro vacillante, fertur sanctus Pontifex sententiando, vel potius prophetando, pronuntiasse : Quoniam, inquit, incredulus fuisti sacræ Scripturæ, quæ in illa continentur, experimento proprio disces vera esse : trecentis enim annis prolongantur super terram anni tui, nec ante temporis tantum spatium consummatum intrabis in gaudium Domini Dei tui. Servus vero Domini super dubietatis errore postea pœnituit; sed sententia ore Patricii, dictante Spiritu sancto, prolata, irrevocabilis extitit : trecentis enim annis S. Mochteus vixit, sicque naturæ debitum solvens virtutibus et signis effulgens, ad Christum e mundo transivit. *Hæc sunt inter duos istos Sanctos facta, si illa prophetiâ plenam fidem historicam mereatur; quod addo, quia nonnulla sunt, quæ eidem videntur incommodare. Singula tantisper expendamus.* E

expenditur

22 *Primo. Floruit S. Patricius seculo quinto; Joscelinus autem post annum demum* 1180 *aggressus est Vitam illius colligere, ex dictis apud nos in Commentario ad ejusdem Sancti Acta prævio pag.* 521; *adeo ut tanta temporis distantia collectoris istius auctoritatem in facto præsertim adeo ex circumstantiis paradoxo non multum commendet. Vitam porro, quæ sub nomine Joscelini circumfertur, alibi interpolatam, ac fabulis respersam esse, alibi suspectam, jam pridem indicavimus in notationibus ad illam tomo citato pag.* 556, *et* 576, *quem vide in Appendice item post Vitam a nobis editam pag.* 584. *Secundo. De ætate* S. Mochtei, *in pœnam incredulitatis a S. Patricio ad trecentos annos prorogata, in allegatis notationibus pag.* 569 *in cautelam lectorum indicavimus his verbis* : Quam fallaces sint Hiberni numeri jam vidimus, (*Adisis Commentarium prævium* § 6 *et* 7) et porro in Appendice videbimus. *Sed non est opus de portentosa illa ætate plura addere hoc loco, cum satis superque superius jam convulsa sit. Tertio. Sicut vaticinium illud valde est honorificum S. Patritio, et* F *fortasse hunc in finem ab homine nescio quo excogitatum, atque ejusdem Sancti Actis infartum est, sic parum videtur probabile, ne dicam indecorum, ex parte* S. Mochtei. *Nam major crassiorque ignorantia, a quadam etiam voluntatis incredulæ obstinatione non immunis per illud impulari videtur eidem Sancto, quam quæ in virum, vita et moribus adeo spectabilem et in sacris Litteris apprime versatum cadat,*

ac rejicitur.

23 *Quarto. Scimus quidem, prædictionem istam non posse a nobis convinci certæ falsitatis in substantia, cum revera potuerit accidere : sed novimus etiam, aliud omnino esse, si quis quærat, an accidere potuerit ; aliud, an reipsa acciderit. Atque hoc postremum nobis apparet minus probabile ob rationes jam productas. Quinto. Quid, quod ipse etiam Colganus, non morosus alioqui portentorum Hibernicorum censor, cap. 2 Appendicis ad Vitam* S. Mochtei, *postquam inter alia recitasset ex Joscelino textum superioris prophetiæ, advertat, hanc a solo Joscelino memorari, ingenue fassus, se* nihil reperire apud S. Evinum, aliosque priscos scriptores Actorum S. Patricii. *Hactenus de prophetia ista, et plus quam satis. En tibi jam aliquot* S. Mochtei *elogia*

AUCTORE J. P.

A gia e variis scriptoribus extracta.

S. Mochtei laudes 24 *Apud Colganum in Triade thaumaturga in Vita septima seu tripartita S. Patricii, quæ tribuitur S. Evino, parte 3, pag. 162 laudatur noster sanctus Præsul in hæc verba :* S. Patricio in prædicto Ardensi monasterio manente S. Mocteus, domo Britannus, sedem fixit, et monasterium extruxit in loco vicino vulgo Lugmhang appellato : inter quem, et S. Patricium frequentia colloquia, mutuæ visitationes, aliaque multa spiritualis amicitiæ officia intercessere. Solebant enim sæpius juxta petram quamdam vulgo Leach-Mochta, id est, petram Mocthei vocatam, convenire, et de his, quæ ad Deum spectant, inter se conferre. Quodam autem die cum illo loco consederent, angelus Domini apparens epistolam utrique legendam porrexit : quam legens Patricius invenit in ea commonitorium, seu verius præceptum Domini, quo sibi mandabatur, ut locum, quem ædificaverat, cum omnibus ejus pertinentiis S. Moctheo relinqueret, et ipse Machan, seu, ut hodie loquimur, Ardmacham se conferret, ca-B thedralem ecclesiam, regnique metropolim ibi constructurus. Fecit autem servus Dei, quod mandatum erat, et duodecim leprosos, quibus pro Christo in illo loco devote ministrabat, S. Mochtheo sustentandos reliquit et commendavit. *Consuli etiam potest Joscelinus in Vita S. Patricii apud nos, loco superius citato.*

ac vaticinia. 25 *In Vita secunda S. Columbæ seu Columbani abbatis, quæ in memorata ante Triade thaumaturga, auctore, ut putatur, S. Cumineo, datur a pag. 325, dicitur sub ejusdem Vitæ initium,* Sanctissimus quoque Moctæus Lugmadensis episcopus eumdem Columbam ante sexaginta annorum curricula, Spiritu sancto revelante, prævaticinatus est. *In præfatione 2 ad Vitam quartam ejusdem sancti Columbæ pag. 336 ejusdem prophetiæ meminit S. Adamnanus, ejusdem Vitæ auctor, his verbis :* Quidam proselytus Brito, homo sanctus, sancti Patricii episcopi discipulus, Mauctaneus nomine, ita de nostro prophetavit patrono, sicut nobis ab antiquis traditum, expertis compertum habetur : " In novissimis, ait, " seculi temporibus filius nasciturus est, cujus " nomen Columba, per omnes insularum oceani " provincias divulgabitur notum, novissimaque C " orbis tempora clare illustrabit. Mei et ipsius " duorum monasteriorum agelluli unius sepiscu" læ intervallo disterminabuntur. Homo valde Deo " charus, et grandis coram ipso meriti ". *Variæ aliæ hujus nostri Sancti prophetiæ notantur in Vita S. Dagæi, ad diem* XVIII *hujus mensis a pag. 656 a nobis edita, quas ibidem legere datur cap.* I *ejusdem Vitæ, num. 2. Hinc perspicuum est, titulum* vatis, *quo a scriptoribus nostrum Præsulem honorari supra vidimus, jure merito inditum ipsi fuisse. Nec vero rara et parca ab hoc Viro Dei edita esse vaticinia, indicat mox allegata Vita S. Dagæi num. 4, quia* plenum prophetico spiritu *eum dicit.*

§ IV. Examinantur Sancti scripta, et Vita.

De lucubrationibus, *Si certo constaret, varias nominis efformationes, quæ huic nostro sancto tribuuntur, vere ipsi soli, et non alteri convenire, majore cum fundamento de scriptis ejus agi posset. Sed quia hoc non certo constat, ideo opuscula quædam seu lucubrationes tamquam dubiæ ipsi adscribuntur a Colgano in Appendice superius assignata cap. 4, in qua catalogum earumdem ex variis bibliographis contexit. Juvat itaque eum de argumento hoc disserentem audire :* Supra, *inquit,* in notis num. I *(apud nos vero superius § I num. 2)* monuimus, nomen S. Mocbtei varie a scriptoribus exprimi : hunc enim Mocteum, Macteum; nunc Bachiarium, Baitharium, Batchianum, Batchanum; et aliquando Mauctanum, Mauctenm, Mochtam appelant; adduntque Pitseus de scriptoribus Angl. num. 37, Balæus centuria I, num. 46, Gesnerus in Bibliotheca, et alii, Bachiarum Macceum appellari. *Sed nomina illa sic paullo aliter tego expressa apud dictos auctores : apud Pitseum enim vocatur* Bacharius Maccæus; *apud Balæum* Bachiarius Macceus; *apud Gesnerum autem* Barchiarius Macceus, *quem, ut addit,* alii Bacciarium; alii Bacchianum vocant. *Usserius de Britannicarum ecclesiarum primordiis cap. 17* Macceum vatem, *atque adeo, ex dictis supra, Sanctum nostrum,* a Johanne Balæo (eumque hic secutis Nicolao Harpsfeldio, et Johanne Pitseo) cum Bachiario perperam confundi *affirmat;* E cujus ad Januarium de recipiendis lapsis extat epistola, et cujus De fide libellum alium Gennadius se legisse scribit. *Confusionem hanc etiam tenet Waræus de Scriptoribus Hiberniæ lib. 2, cap.* I *: sed nec hic, nec ille eamdem ibi probant.*

quæ huic Sancto, 27 *Et vero* Non video, *ait Colganus,* quare citati authores præsumerent, S. Macteum utroque nomine insignire, nisi sic apud aliquos veteres scriptores, vel in ejus Operum titulis legissent, vel saltem opus aliquod idem nunc sub nomine Bacchiarii, nunc sub nomine Maccei, sive Mactei intitulari advertissent. Quibus et suffragatur Nicolaus Harpsfeldius in Historia ecclesiastica Anglicana seculo I *(immo inter ea, quæ memorat seculo 6)* cap. 22, ubi tradit Bacciarium fuisse genere Britannum, et S. Patricii discipulum, ac scripsisse " librum quemdam, quo Leoni " Romano Pontifici adversus peregrinationis suæ " calumnias rationem reddit, aliaque quædam ad " theologiam pertinentia ". Unde placuit sub dubio inter ejus opera connumerare, quæ Bacchiario, sive Macceo Mocteo, vel uni sub utroque nomine attribuuntur. F

sub diversis 28 *Sed nec ab Usserio, nec a Waræo, qui modo dictam confusionem asserebant, video moveri dubium circa epistolam a nostro S. Mochteo exaratam. Rem intellige ex amborum jam allegatorum verbis. Usserius enim hæc refert :* Habebatur vero et Mocthei nostri epistola, hanc inscriptionem præferens : " Mauchteus (al. Moct" hæus) peccator, presbyter, sancti Patricii disci" pulus, in Domino salutem ". Meminerunt illius Annales Ultonienses *etc. Waræus autem Annales Ultonienses ad annum 534 assignans, et eadem tradens,* Scripsit epistolam, *ait,* cujus hæc fuit inscriptio " Maucteus peccator, presby" ter, S. Patricii discipulus, in Domino salutem ". *Et mox hæc addit :* Videtur etiam alia composuisse : nam is fuit (opinor) quem in Annalibus Ultoniensibus ita citatum inveuio : " Anno DCLXXI " præda prima Saxonum, de Hibernia, ut alii " dicunt, in isto anno deducta est, ut Macteus " dicit. Sic in libro Cuanach inveni ". *Quem Annalium locum ita exponit Colganus :* Mocteum vero, qui hic indicatur, scripsisse aliquod Chronicum, ne quisquam existimet non fuisse nostrum Lugmagensem, sed illum scribam, et magistrum Ardmachanum,

AUCTORE J. P. Ardmachanum, qui obiit anno DCCCLXXXIX juxta dicta supra cap. 1 (*Vide quæ antea dixi* § 2 *num.* 13) advertat Cuanum illum, qui ipsius opus citat, fuisse scribam et episcopum Lugmagensem anno DCCCXXII mortuum, ut patebit ex dicendis cap. sequenti. (*Ibi enim affertur Chronicon de Lugmagensi, sive Luthensi ecclesia, ejusque Prætatis, in quo hæc notantur* : DCCCXXIII Cuana, sive Cuanus, sapiens, et episcopus Lugmagensis, quievit in Domino) *Et ita mox concludit Colganus* : Unde cum obierit multis annis ante Mocteum Ardmachanum; non illius, nec alterius, quam sui patroni et prædecessoris Chronicon citare videtur.

nominis 29 *Alia autem Opera, quæ vel sub uno vel sub duobus diversis nominibus memorantur, e bibliographis recenseo. Gennadius Massiliensis, qui floruit seculo quinto, apud Miræum in Bibliotheca ecclesiastica cap.* 24, *pag.* 50 *sic scribit* : Bachiarius, vir Christianæ philosophiæ, nudus * et expeditus vacare Deo disponens, etiam peregrinationem pro conservanda vitæ integritate elegit. Edidisse dicitur grata opuscula : sed B ego ex illis unum tantum de fide libellum legi : in quo satisfacit Pontifici Urbis, adversus querulos et infamatores peregrinationis suæ, et indicat, se non timore hominum, sed Dei, eam peregrinationem suscepisse, ut exiens de terra sua, et cognatione sua, cohæres fieret Abrahæ patriarchæ.

* f. nitidus

expressionibus 30 *Honorius Augustodunensis, qui floruit seculo* XII, *apud eumdem Miræum, libello secundo ex Gennadio sublecto, cap.* 24, *pag.* 117, Bachiarius, *ait* vir Christianæ philosophiæ nitidus et expeditus, edidit grata opuscula de fide. *Observa obiter, nihil ab his duobus scriptoribus dici de* Macceo : *unde ergo illud hauserc recentiores? Unde tot alia scripta? de quibus jam dicam. Recentiores autem ista memoriæ prodidere. In supplemento epitomes bibliothecæ Gesnerianæ hæc habentur* : Barchiarius Macceus, D. Patricii discipulus, natione Britannus, scripsit ad Januarium de reparatione lapsi, sive de fructu pœnitentiæ lib. 1. De fide perseverante lib. 1. Prognostica nativitatum lib. 1. Hunc juvenis edidit, dum incumberet mathesi. Claruit anno salutis C CDLX. Hunc alii Bacciarium, alii Bacchianum vocant. . Liber de recipiendis lapsis impressus est in tomo 1 Orthodoxographorum Basileæ. *Pitseus num.* 37 *sic loquitur* : Bacharius Macceæus, natione Britannus, S. Patricii discipulus, bonis litteris in academia Legionensi operam dedit, vates insignis, mathematicus peritissimus : *cujus deinde scripta enumerat. Per idiotismos; quos addit, videtur indicare* S. Mochteum *hodiernum; sed quando eum* bonis litteris in academia Legionensi operam dedisse *affirmat quod forsitan hausit e Balæo, non videtur loqui satis convenienter ad Vitam ejus, quæ sic dicit* : Angelus Domini . . eum litterarum docuit elementa; præcepitque ei dicens : Romam pete, et sacram ibidem disce Scripturam . . Abiitque, et feliciter illuc perveniens, divinis incubuit studiis.

intellecto 31 *Possevinus in Apparatu sacro Bacciarium a Maccæo distinguit* : *illius enim scripta nominat* : *hunc autem sibi dicit esse incognitum, his verbis usus* : Maccæus, qui dicitur fuisse D. Patricii discipulus, et natione Britannus, ac vates, cum ad manus meas haud pervenerit, non debeo de illo ferre judicium. Quod autem asserant, ipsum edidisse librum de fide perseverante : alterum vero de judiciis nativitatum; illam si recte probaverit, hæc autem si improbaverit, potuit D scribere commode atque orthodoxe; sed in auctore ignoto .nihil præscribo. Vixisse ferunt an. CDLX. *Muratorius tomo* 2 *Anecdotorum, quæ ex Ambrosianæ bibliothecæ codicibus eruit, notisque ac disquisitionibus illustravit, pag.* 1 *et sequentibus præmittit Prolegomena in Bachiarium, cujus deinde Opusculum de fide seu Apologiam typis edi curavit* ex antiquissimo, *ut monet pag.* 8, Ambrosianæ bibliothecæ codice, quem ante annos minimum mille conscriptum, characterum formam non dubitanter testari *affirmat. In dictis itaque Prolegomenis de patria Bachiarii disputans, post varia, quæ affert, argumenta concludit, eum patria non fuisse Britannum; cujas autem fuerit, aliis definiendum relinquit. Deinde disserit de tempore, quo Bachiarius vixit allatisque Balæi, Pitsei, Posseveni, et Oudini sententiis, significat nimium eos indulsisse conjecturis, illorumque placito non posse se suffragari, quod videlicet auctor ille scripserit ad Leonem magnum. Rationis, quas proponit, huc non transcribo; e quibus sic concludit* : Igitur circiter annum Christi CCXC, et quod excurrit, Bachiarium E hanc sibi parasse Apologiam crediderim.

32 *Tum ad alia, quæ a variis ei scripta tribuuntur, pergens*, Porro, *inquit*, quæ de Bachiario præter Gennadii auctoritatem refert Baleus, omnino commentitia, et sine tabulis affirmata mihi videntur· „ Bachiarius (inquit ille) D. Patricii „ discipulus natione Britannus (alii Macceum „ vatem appellant) post varia bonarum artium „ in Legionensi gymnasio studia, mathematicis „ disciplinis ætate juvenili se totum impendit. „ Perveniens demum ad annos provectiores, per „ philosophiam Christianam nudus et expeditus „ Deo vacare disponens, longam peregrinatio- „ nem pro concepta integritate conservanda su- „ scepit. Inaudita enim illis diebus tyrannide „ (ut in historiis docent Gildo, Gualfridus et „ Beda) Hunni, Picti et Scoti Britannos per „ Maximum regem attenuatos opprimebant, et „ ob id aufugisse Bachiarium ex patria suspica- „ bantur quidam etc. Composuit vir eloquentis- „ simus ad Januarium de reparatione lapsi, alias „ de structu pœnitentiæ librum 1. De fide per- „ severante lib. 1. Prognostica nativitatum lib. „ 1 etc. Hunc alii Bacciarium, alii Bachianum F „ vocant „. *Hæc Balæus heterodoxus, et a suo Ordine et regione Catholica apostata, cuique magis fuit curæ, virulentam ac pestiferam bilem evomere in orthodoxos, quam inquirere veritatem.*

non satis fundate

33 Hujus verba, seu malis somnia, *uti observat Muratorius*, ferme excripserunt Pitseus de reb. Anglic. ad an. Christi CDLX, ætate 5, Oudinus de script. eccl., Nicolaus Harpsf., Guilielmus Cave in Hist. literar. de script. eccles. et alii. Sed, ut modo præfabar, cum hæc sine ullo teste proferantur, fidem nullam impetrabunt. *De duobus autem epistolæ ad Januarium de reparatione lapsi exemplaribus a se simul collatis loquens Muratorius, fatetur unum eumdemque auctorem in iis se continuo agnovisse, eum prius diversa unius exemplaris inscriptio dubitationem ei injecissit, an idem utriusque exemplaris auctor esset Bachiarius. Addit etiam*, epistolam *illam* in Bibliotheca Patrum ult. edit. extare, et ab omnibus scriptoribus Bachiario *isti, de quo agit*, tribui; *sed an satis vere, secundum præmissa ex Muratorio, cum* præter Gennadii auctoritatem *scriptores hoc referant? Quæ disseritidem auctor de*

attribuuntur

A *de ipsius dignitate, non refero. Hæc namque pro re nostra satis superque sint dicta de Bachiario, occasione* S. Mochtei nostri, *cujus nomen recentiores, sub notione* Macceì, *cum* Bachiarii *vel* Bacchiani *sine antiquis tabulis, ac præter auctoritatem Gennadii simul copularunt.*

discertnienlum proponitur.

34 *Ex his igitur, quæ hactenus a nobis sunt præmissa, deducimus consectaria duo. Primum quidem, scripta illa, num.* 28 *sub nomine* Moctheì, Mauchtæi, *vel* Mauchtei *apud nos indicata, non sine probabilitate videri attribui Sancto nostro hodierno. Alterum autem : scripta illa, quæ veniunt sub nomine* Bachiarii *etc., nobis apparere omnino incerta, obscura et apocrypha, præter* libellum de fide, *quem unum a se lectum scribit Gennadius;* edidisse *quidem, uti addit,* dicitur grata *alia* opuscula; *sed cum nullum ex his determinet Gennadius; imo ne ipse quidem Honorius Augustodunensis seculo demum duodecimo aliud signet, quam ejus* grata Opuscula de fide; *non videmur recurrere debere ad Balæum, aliosque neotericos bibliographos, ut discamus alia Opuscula, quæ ipsi adscribunt, quamdiu de* B *iis tacet antiquitas. Idem esto judicium de istis idiotismis* Bachiarius Macceus, S. Patricii discipulus, Britannus, vates, *quos simul conjungi, ac de* S. Mochteo *intelligi supra vidimus ex recentioribus; ubi tamen nihil de his habet Gennadius.*

Vitæ characteres.

35 *Nec prætermittendæ sunt observationes quædam de Vita nostri Sancti. In hac majorem aut plenitudinem aut sinceritatem jam pridem apud nos desideratam fuisse, indicio sunt verba, in principio nostri Commentarii eidem prævii relata. Et vero non disjunctive dumtaxat, sed copulative plenitudinem majorem et sinceritatem in ea requirere posse videmur. Et plenitudinem quidem, quia auctor fere totus est in coacervandis prodigiosis Sancti gestis; in recensendis autem singillatim ipsius virtutibus valde parcus ac jejunus. Sinceritatem autem; partim quia annis recentis vixisse scribitur, quæ supra fidem ætas superius a nobis rejecta est; partim quia tot ac tantæ res mirabiles in illa Vita conglomeratæ; qui scriptionis character Hibernorum genio biographorum familiaris est, et de quo conquesti sumus ad diem* XVIII *hujus mensis in Commentario prævio ad Vitam S. Degæ Maccayrill, quem tu consule in hoc tomo pag.* 658. *Adisis etiam Annotata ad caput* 2 *hujus nostri* S. Mochtei *lit.* d. C *Enimvero majorem de nostro biographo æstimationem conciperemus, si S. Dagæo fuisset synchronus, prout indicat quidem, sed non probat Colganus infra in dictis Annotatis lit.* l. *Alia deinde, etiamsi tunc vixisset, difficultas est, an Vita ista ab aliis deinde non sit corrupta vel interpolata. Hanc interim qualemcumque accipe ex nostro codice mox designando, et in bina capita a nobis divisam.*



D

VITA

auctore anonymo.

Ex nostro codice Salmanticensi antiquo Ms. membraneo, qui signatur P. Ms. II.

CAPUT I.

Liberatur a naufragio, discit ab angelo litteras, studet ac docet Romæ; fit episcopus; condit monasteria; discipulorum ad eum concursus; S. Patritii discessus. E

Natales Sancti, qui a naufragio liberatur : a

Apostolicus pontifex Mocteus *a* ortus de Britannia, præcedentibus futuræ indiciis sanctitatis ibi natus est. Iloris etenim regularibus materno exultabat in utero. Verum magnus ille provisor universorum ab ipsis infantiæ rudimentis [eum] præparavit ad sedentium in tenebris illuminationem Hibernorum : præparavit autem sic : Magus vocabulo Hoam magni in Britannia nominis, et honoris, divino consilio ad Hiberniam habitatum ire proposuit. Itaque cum Moctei parentibus, (ejus namque erant de familia), cæterisque suis intrat mare : et ecce venti sæviunt, æquora fervent, fluctus montescunt, nautas timor occupat et tremor, de interitu certos. Tunc magus ad matrem Moctei, Infantem, inquit, tuum mari quantocius mitte : quoniam nos omnes devorabit, si unum ei ad devorandum non tribuamus. Surrexit illa ut jussa patraret; suo enim resistere non poterat domino. Sed spiritu inspirata consilii (magni quippe puerum novit esse muniminis) manum ejus undæ immersit : illic ventorum cessat rabies, fluctuum defervet æstus, ac totum in planitiem F sternitur æquor : secundisque illi flatibus ad Hiberniam pervenerunt, et in Conalleorum campo cœperunt habitare. Mocteus vero in ipsius magi domo nutriebatur.

angelus eum docet litteras : studet ac docet Romæ. b

2 Factum est una dierum, cum in agro ipse sederet, allato angelus Domini ceraculo *b*, eum litterarum docuit elementa, præcepitque ei, dicens; Romam pete, et sacram ibidem addisce Scripturam : per te namque plurimi instruentur, et multis futurus es ad imitandum. Abiitque, et feliciter illuc perveniens, divinis incubuit studiis, Deo et hominibus gratiosus, fiebatque in dies se ipso sapientior et sanctior, vita et sermone alios ædificans : confluebantque ad ipsum discipuli, qui de sacro ejus pectore sapientiæ aquas salutaris bibentes, facti sunt fide, verbo, et opere perfecti.

Ibidem consecratus episcopus redit in Hiberniam cum 12 sociis : c d

3 Cumque litterarum plenitudinem omni morum honestate perornaret, a summo Pontifice *c* in episcopum sublimatus est. Postmodum Apostolica fultus benedictione, et authoritate, angelico ceraculo Papæ oblato, duodecim *d* comitatus discipulis reversus est. Cumque ad Hibernicum

AUCTORE ANONYMO.

bernicum veniret mare, oblitus cujusdam Edani e, causa de quadam a fratribus segregati, navem ascendit; cui deinde navigium clamanti, abscisso arboris ramo, viee navis uti præcepit. Obtemperat Magistri jussis, non diffidens in ejus meritis, ramo supersedet, æquora permeat; sed et navem prævenit, atque in portu Magistrum excipit.

condit monasterium, et præscribit fratribus regulam.

4 Denique Mocteus in Methcorum f nemoribus cœpit construere monasterium, quod Cella magna g dicitur. Ipse rector, ipse regula fratrum: legebant enim in vita ejus, quomodo conversarentur, et ipse ante illos præibat in justitia et sanctitate coram Deo; præter instituta communia, multa singulariter faciens, in quibus potius præibat omnes; et aliorum nemo illum poterat ad tam ardua sequi. At ne quid hujus religionis aliqua posset oblivione negligi, et non solum apud præsentes, sed etiam futuros sine defectu persisteret, sanctæ institutionis regulam h scripsit, unde suæ merito sanctitatis prænomen habens, Religiosus ab universis jure prædicatur.

Venit in Lugmud, fonticulo eum illuc sequente;

5 Porro parvo illic tempore, terræ incolis eum discedere compellentibus, mansit, et discessurus misit ad fundandum loca, quo Deus ducat sanctos viros, quos gregum Christi pastores fore prævidit, dividensque illis res monasterii, ait; Mea pars erit loci hujus fonticulus, ipse me sequetur profuturus fratribus, et iis qui futuri sunt post me. Et ipse gressum direxit ad locum nomine Lugmud i, magorum tunc possessionem. Hunc siquidem locum a Deo sibi datum ab olim præscivit; et dictus jam fonticulus per occultos terræ meatus lapsus ibidem erupit.

ubi monasterium construit.

6 Imprimis beatus Pater cœmiterium designat; tunc memoratum superius ceraeulum angelico redditur ipsi ministerio. Deinde ignem accendit, quem magi videntes dicunt; Nisi, inquiunt, ignis hic confestim extinguatur, noster deficiet, et ipse in æternum durabit. Aquam itaque festinant infundere, sed quantum plus infundebant, tanto ille inardebat. Nutrimentum quippe dabat ei aqua, non detrimentum. Illi vero convicti diffugiunt: Mocteus vero cœpit ædificare, et nobilissimum construxit monasterium.

Ingens discipulorum ad eum concursus:

7 Ex insignis vitæ fama discurrente in universis Hiberniæ finibus, claruit, tamquam lucis ortum sidus effulgens. Convolant itaque ad eum de diversis partibus plurimi, velut ad hortum apes florigerum; quos in cælestis vitæ exercitiis, irremisso disciplinæ instruens rigore sui exemplo ad superiora semper provocabat. Tantam enim ipse perfectionis ascendit gratiam; ut omni plenus virtute, rebus omnibus quæ volvuntur emineret, nulla nisi cælestia cogitaret. Crescens igitur magis, factus est in gentem magnam, et numero et meritis multam. Nam ut cæteræ, cujus non erat numerus, progeniei taceam multitudinem, centum episcopos, trecentosque presbyteros dicitur habuisse discipulos k. Unde emissis Sanctorum velut apum examinibus, multorum genitor extitit cœnobiorum, Ibat, et exibat opus exercere euangelistæ, ritus extirpabat gentiles, seminabat Christianos, et gens idololatra sacro fonte sanctificata fit Christicola: qualis hic, et quantorum sit meritorum, signa attestantur meritorum *.

** f. miraculorum.*

S. Patricius monitu angeli ab ipso discedit.

8 Summus pontifex Patricius cœpit aliquando prope monasterium ejus habitare: colloquentibus vero die quadam ambobus, missus est ad nos angelus epistolam adferens: qua Patricius perlecta Mocteo ait: Hic ego non habitabo; per te enim hujus terræ incolas Deus visitavit, in tui fonte luminis videbunt lumen, et vitam consequentur æternam. Apte namque ex eorum persona tibi loquitur David: Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Mocteus ait; Si hoc Deo placet, ut ab invicem separati serviamus ei, ego discedam. Patricius respondit; Verbum Domini non potest mutari. Tunc Mocteus ait; Si ante te de hac luce emigravero, familiam meam tibi commito. At Patricius ait: Et ego tibi meam commendo, si te ad Dominum præcessero, et factum est ita: rexitque post ipsum sedem Mocteus aliquot diebus l, et Beniguum illius discipulum pro se inthronizavit.

ANNOTATA.

a *Multiplex est nominis hujus Sancti formatio; ut videre licet in Commentario prævio* § I.

b Per CERAEULUM videtur intelligere *biographus* tabulas cereas, in quo veteres solebant characteres formare, testamenta, et publica instrumenta condere, *prout hic observat Colganus, rem exemplis confirmans. Consuli possunt, quæ dicta sunt ad diem* 13 *hujus mensis in Annotatis ad vocem* ceras *pag.* 23 *lit.* b.

c *Cum non designet auctor rei gestæ tempus; non est promptum determinare Pontificis istius nomen.*

d *De hoc numero Commentarius citatus, quem adi* § I *num.* 3.

e *De Edano ibidem num.* 4.

f *Locus hic determinatur ibidem num.* 7.

g *Vide Commentarium eodem num.* 7.

h *Qualis fuerit ista regula, non habeo in promptu, unde determinem, secundum dicta ibidem.*

i *De nomine ac situ hujus monasterii actum est num.* 8.

k *Tanta episcoporum ac presbyterorum discipulorum multitudo pene excedit fidem. Sed quænam ad hanc difficultatem sint respondenda, habes ibidem num.* 5 *et* 6.

l *Non fuit itaque proprie Ardmachanæ sedis episcopus, uti observatum est in Commentario num.* 9.

CAPUT II.

Miracula a Sancto patrata; vaticinia; felix ipsius obitus.

Virginem a morte suscitatam Deo consecrat:

Repetamus ordinem narrationis. Hoam, de quo diximus ante, filiam habuit virginem, quam B. Mocteus fecit Christianam, et tradidit ei zonam suam: qua eum se præcinxit, carnis in ipsa extincta est voluptas. Hæc a parentibus cuidam nobili nolens desponsata est; virginem enim se castam voluit exhibere Christo, cujus votum virginitatis Deus volens integre custodire, nocte nuptiarum, antequam convenirent, inventa est mortua. Peractis vero, ut moris erat gentilium, diebus septem exequiarum, cum eam essent sepulturi, aiunt; Si hanc, inquiunt, Mocteus posset resuscitare, eam sibi ac Deo suo traderemus: quo ipse audito, perrexit ad mortuam, orat, et orationem subsequitur defunctæ vita; quæ protinus se suaque omnia illi obtulit

AUCTORE ANONYMO.

A obtulit ac Deo, annisque postea vixit triginta, monachis vestimenta parans.

Hoæ mago converso prædicit mortem, ejusque uxori locum habitationis.

10 Inter hæc atque hujusmodi B. Mocteus propbetiæ quoque spiritu fuit clarus, quod ex supra etiam memoratis est manifestum. Dicto sæpe Hoam, magi cujusdam virgo, nomine Brigita * est *a* desponsata, cum qua antequam dormiret, gravi prostratus infirmitate anno decubit integro. Porro illa, velut uxor legitima ministrabat ei, ac fidem suscipere instanter persuadebat, atque dicebat; Si credideris, et baptizatus fueris; vives et salvus eris. Annuit tandem: vocatur Mocteus, docet illum, credit et salutari abluitur unda. Deinde subdit; Crede, inquit, ei, quia post hæc salutem consequeris, non tamen temporalem, sed æternam. Hæc est enim vita et salus, quam tibi sponsa tua virgo promisit Brigita: septima namque die hac de vita migrabis. Interea ille pœnitentiam devotissime egit, ac termino obiit præfato. Brigita vero se suumque dotalem Viro Dei tradidit agrum, voluitque penes eum habitare. Cui ait, In tua, inquit, patria, tua futura est resurrectio; ibi juxta B domum parentum tuorum cellam fundabis, in loco densis circumdato sentibus, et arbor in medio ejus est, cujus ad radices aper quidam hactenus ferocissimus mitis jacet, qui cellam tibi construentibus in escam parabitur. Nec jota unum præteriit.

* f. Brigida *a*

latro in undis ab eo conservatur per triduum;

11 Latronem quemdam infamem pro suis parentibus, ob ipsius vinctis malitiam se tradentem, a rege Ailello afflictorum Pater quæsivit. Sed ille minime ei acquiescens, hominem, suspenso in collo ejus ingenti lapide, vivum in mare projici jussit. Res mira! læto vultu in profundo videtur, ministris mortem ejus exspectantibus, et cernentibus quod nihil molestiæ aqua ipsi intulit plus quam pisci. Nec tamen impius rex quærenti eum dedit. Quid plura? Tribus diebus noctibusque fuit sic in profundo; sed adhuc negatur. Mocteus igitur permisit eum mori, ut corpus ejus ad sepeliendum deferret: anima quippe, quam in corpore retinuit, sine ipsius egredi imperio non potuit. Denique portatum a fratribus, in via jubet deponi; orat, et ille resurrexit, Mocteum sequitur, et factus est monachus perfectus.

Fintanus discipulus in partes concisus vitæ redonatur. *b*

C 12 Alio quoque tempore, cum B. Patricio in monte Cruachau, diabolicas debellans acies, et quadragesimale celebrans jejunium, Fintanum *b* discipulum suum, ab adversariis per rupes in profundæ vallis ima detrusum, et in multa frusta divisum, membris collectis vivificavit ita integrum, ut nulla etiam cicatrix in eo appareret. Hic elapso dehinc tempore factus est abbas monasterii *, quod latine Cella orientis sonat.

* *Additur apud Colganum* Kill-Oirthir.

Prodigia *c*

13 S. Presbyter Corbanus *c* nocte sacra Dominicæ Nativitatis ad B. Mocteum venit, et lætos de adventu suo fratres invenit. Ipsis autem nocturnas celebrantibus laudes, puer quidam claræ vocis in uno erat choro; in altero vero, quo Mocteus erat, nullus fuit puer. Quamobrem ait Corbano; Si puer tuus claram, ut ille, habet vocem? Nec, inquit, etiam alphabetum legit. Huc tamen, ait, veniat. Qui ut venit, os ejus signans dixit ei clara voce: Canta, sicut puer ille, psalmos. Nec mora; cœpit statim cantare ita clare, ut totam vox ejus impleret ecclesiam: ipse est episcopus Ibar *d*. *d*

alia,

14 Advenientibus quibusdam fratribus, cum panis non haberetur, vitulum ad opus eorum occidi fecit: sed mane facto invenitur eum matre vitulus. Item in terra Metheorum, secus hospitalis cujusdam hominis domum, homicidas quosdam gentiles occisorum capita portantes, ad monasticam conversationem convertit. Denique ab illo rogatus, hospitium ipsius cum suis discipulis cæterisque eum comitantibus intrat. Quibus exultanter susceptis, ministrat ille cum uxore sua, et de vase, quod habebant, butyrum abundanter apponunt. Quorum Mocteus liberalitatem videns, et charitatem; butyri aliquid benedicens, ait mulieri; Pone hoc exiguum in vase tuo, sed præter te nemo sciat vel videat, et distribue largiter Christi pauperibus, cunctisque indigentibus. Quanto enim amplius distribuetur, tanto magis augmentabitur. Dixit, et dictum subsequitur effectus. Butyrum namque illud annis quatuor, copiose distributum duravit. Tunc aliis vana curiositate videntibus, tanta cessavit gratia.

conversio furum, ac prophetiæ *e*

15 Aliquando iter agens, fatigatus sub divo *e* cum suis pernoctavit. Porro fures supervenientes, equos eorum abstulerunt, qui nocte tota equitando longe se ire putantes, die reddito, prope fuerunt: E quod videntes, equos dimittere voluerunt, sed minime descendere valuerunt. Tunc absentium conscius, fratribus ait; In illam ite terræ partem, vestrosque inutili fatigatos labore equos reducite, et quos dorsis eorum adhærentes inveniectis, miseros solvite. Illi ergo ad Virum Dei venientes pœnitentiam egerunt, conversique sub jugo ejus, reliquum Deo servierunt.

Alio tempore offerente ei rege scilicet filio Colcan *f* Edo agrum, accipere renuit, dicens; Nascetur *f* in aquilonali Hiberniæ plaga Sanctus nomine Columba *g* electus Dei ac dilectus, cui a Deo ager iste *g* datus est; cui non tantum Hibernia, sed a Britannia serviet.

ab eo editæ: angelorum ministerio alio ducitur, ac reducitur. *h*

16 Quodam die in itinere ex obliquo prospiciens, ait: Ite, inquit, fratribus, et infantem, quem in illa domuncula solum invenietis, adducite huc ad me. Eunt, et inveniunt, et, ut voluit, adducunt. Quem vir Dei propter pulchritudinem Luchar *h* vocavit. Procedente autem tempore, scientia et sanctitate valde informatum, in episcopum promovit, et mittens eum ad locum sibi aptum quærendum, ait; Ubi, inquit, inter montem et mare lupus, deposita feritate lenis, tibi obviaverit, illic cellam tibi construe. F Iis ac talibus ad cumulum meritorum, ministerium accedit angelorum, qui, ubi humana minus sufficiebat facultas, protinus non differebant adesse: ad cujus rei testimonium, unum exempli gratia ponam.

Die sacro Paschæ cœmeterium cum fratribus nunc orando perlustrans, parvulum quemdam ibi ludentem vituperavit. Qui ait: Potius, inquit, quod S. Treanano *i* promisisti, implere deberes, Pascha *i* videlicet apud ipsum celebrare. Tunc Homo Dei ab angelis elevatus trans longa terrarum spatia, ad Treananum ducitur, peractoque Missarum officio redditur suis; qui interea a quo elevatus est, loco parum discesserunt. Postmodum Missarum celebravit solemnia. Sic et sic ardens ac lucens, omne suum tempus in contemplativæ vitæ otio, et activæ exercitiis transegit.

Sanctitas, et obitus.

17 Inter cæteras vero virtutes, quarum singulis, totis insudabat diebus ac noctibus, admirandæ admodum continentiæ fuit, trecentis eterenim *k* annis, nec ullum protulisse verbum otiosum, nec quidquam gustasse pingue, fertur. Quis referre posset, quæ in Dilecto suo Deus operabatur, et hodie operatur? Quis per omnia singulariter

AUCTORE ANONYMO. l

gulariter potest ipsum describere? De discipulis enim ejus tale testimonium beatus pontifex perhibet Daygeus *l*, Benchorensibus prædicans fratribus; Gratias, ait, ago Deo meo, quod S. Moctei postremo similes conventui vos video. Tria quippe monachorum genera sibi succedentia habuit; primum puritate angelicum; secundum actibus apostolicum; tertium, ut sancti Martyres, sanguinem pro Christo effundere fuit promptum. Hæc Daygeus. Beatus itaque Mocteus, imminente die, quem pervigil exspectabat, salutare a S. Daygeo sumpsit viaticum, et dierum plenus ac meritorum, feliciter obdormivit cum cæteris sanctæ Ecclesiæ pastoribus, resurrecturus in gloria Christi: cui cum Patre, et Spiritu sancto, est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Locum hunc expendens in notis Colganus scribit ista*: Floruerunt tempore S. Patricii, et S. Mochtei tres hujus nominis virgines in Hibernia. Prima et præcipua Brigida Kill-dariensis; de qua B non est hic sermo, cum nec magi ullius filia, nec ulli desponsata legatur extitisse. Secunda S. Brigida filia Dary, filii Fergussii, filii Endei, Niedh, de regio sanguine Lageniensium: de qua Sanctilogium geneal. cap. 20, Marianus et alii ad tredecim, XXIV Maii. Tertia S. Brigida filia Aidi, filii Eochadii, filii Collæ, filii Coëlbadii, de Dal-aradiorum familia: de qua Sanctilogium idem cap. 23. De hac tertia videri posset hic esse sermo, et Martyrologia agere ad XXX Septembris.. Nam ejus parentes tunc agebant iu vicina Lugmagensi monasterio regione Dal-aradiæ, tempore S. Mochtei. Dubito tamen, an non potius de secunda sit sermo; cum habuerit Patricius discipulum, virum sanctum, nomine Fintanum, prædicti Fergussii filium, qui videtur fuisse discipulus S. Mochtei juxta mox dicenda.

b *Quisnam hic fuerit inter plurimos alios synonymos, diebus variis notatos in Martyrologiis Hibernicis, non facile discerni posse fatetur Colganus in notis, hanc tamen de hoc addens conje-* C *cturam*: Sed cum hic dicatur floruisse dum S. Patricius jejunabat iu monte Cruachan-aigle; ratio temporis argumento esse potest, ut conjiciatur esse S. Fintanus, filius Fergussii, filii Endii Niath: de quo Sanctilogium geneal. cap. 20. Hic enim floruit tempore S. Patricii, ut colligitur ex ejus genealogia, et catalogo regum Lageniæ: ex quo colligimus, Endeum Niad ejus avum vixisse circa annum CDXXX, et Illandum, Dunlangi filium, ejus patruelem, Lageniæ regem, interiisse anno DVI. De quo videntur Martyrologia citata agere ad XIX Septembris vel I Octobris.

c Hic dubio procul est, quem Quatuor-magistri in Annalibus Cerbanum vocant, et de cujus morte sic scribunt anno CDXCIX „ S. Cerbanus episco- „ pus de Fert-Cerbaiu prope Temmoriam obiit. „ De quo etiam ad XX Julii agere videntur S. Ængussius, Martyrol. Taml., ubi Curhinum vocat. Exstat ecclesia in Comitatu Galviensi ei dicata, et ex ejus nomine Kill-Cerbain dicta. *Ita Colganus hic.*

d Non videtur hic esse, *sicut notat Colganus*, S. Hibarus episcopus, filius Lugnei, qui prædicavit fidem in Hibernia ante adventum Patricii, ut constat ex Vitis S. Ailbei, et S. Declani, et ex aliis dicendis de eo ad XXIII Aprilis. Forte est, D de quo agit Camerarius XXII Martii. *Juvat hisce attexere, quæ ad dictum diem XXIII Aprilis apud nos pag. 174 jam pridem observavit Henschenius his verbis*: Ut omnia uui Ibaro tribuantur, tribus seculis vixisse traditur. Fuit S. Abbanus nepos ejus Romam ad Gregorium I Pontificem profectus, ut vel hinc possimus colligere seculo Christi sexto S. Ibarum floruisse. Consuli possunt, quæ XVII Martii in Appendice ad Vitam S. Patricii § I dicta sunt: unde apparebit, de supra citatis S. Abbani Actis, quibus S. Ibarus fingitur ante S. Patricium prædicasse in Hibernia, quam exiguam fidem mereantur, quæ proinde ad hoc solum allegata a nobis sunt, ut vel ex illis constaret notissima S. Ibari apud Hibernos sanctitas; licet ab ipsis obscurata multis fabulis, et portentosæ nativitatis ac pueritiæ miraculis: a quibus utinam puræ esseut Vitæ ipsorum SS. Patricii et Brigidæ! Sed et Chronologiam omnem Sanctorum conturbaverunt istarum Vitarum collectores, dum nullum ex celebrioribus dimiserunt, cujus nomen iisdem Vitis non inseruerint, quasi prædictis Sanctis coævorum ac familiarium, vel certe ab iisdem præ- E cognitorum, tamquam si intra anuum determinate signatorum numerum essent in hanc lucem venturi.

e *Sive* sub dio, *id est, sub aëre.*

f De morte hujus Aidi, Origiellìæ principis, sic scribunt Quatuor-magistri iu Aunalibus ad annum DCIX: „ Aidus filius Colgan, princeps Origielliæ et „ Artheriorum „ (id est orientalium Ultoniorum) „ in sua peregrinatione Cluainmuenosiæ decessit. „ Subduntur ibidem quidam versus patrio metro a quodam synchrono scripti, quibus indicatur, hunc Aidum abdicato regimine monasticum iustitutum amplexum esse, et virum eximiæ sanctitatis fuisse. Hujus pii principis nomen posteritati celebratius reliquit, ejusque familiam haud mediocriter nobilitavit, et fratrum et filiorum ipsius eximia, Fastisque celebrata sanctitas. Habuit enim germanos fratres duos, Baitanum alias Boëtanum et Furadhranum, filiosque quatuor, Magnendum scilicet, Tuanum, Cobhrhachum, et Librenum, Sanctorum syllabo iusertos, ut testantur Sanctilogium ge- F nealogicum cap. 13, et Selnacius de Sanctorum Hiberniæ genealogia cap. II. *Notatio est Colgani.*

g *De hoc et aliis Sancti vaticiniis egimus in Commentario prævio* § 3.

h Videtur hic esse, *ait Colganus*, vel S. Lucharius, quem Marianus Gormanus, et alii referunt coli die XXIII *(cujus mensis, non reperio ibidem additum)* in ecclesia de Kill Elgraidhe; vel S. Lugarius cognomento Lobbar id est ulcerosus, quem referunt coli XI Maii *(vide Prætermissos apud nos ad istum diem)* et de quo Vita S. Moduennæ cap. 2.

i *Consuli possunt, quæ de S. Trieno, sive Trienano breviter habet Colganus ad diem 22 Martii pag. 720; et ad diem 23 ejusdem mensis de Trenano pag. 726; nec non Prætermissos apud nos istis diebus.*

k *De portentosa hac ætate disputatur in nostro Commentario prævio* § 2.

l Subindicat S. Dagæum vel scripsisse aliquos sermones, in quibus citata ab eo verba habentur; vel suo tempore illa, quæ refert, coram Benchorensibus dixisse. Sed cum nemo tradat S. Dagæum quidquam scripsisse; verosimilius est, ipsum tempore hujus scriptoris illa dixisse. *Hæc Colganus.*

A *Colganus. Sed liceat mihi requirere probationem, quod hic Vitæ scriptor tam sit antiquus, ut cum S. Dagæo vixerit, quem mortuum diximus anno 586 in Commentario nostro prævio ad diem* 18 *hujus mensis pag.* 657. A. ANONYMO.

DE S. ELAPHIO EPISC. CONFESS.

CATALAUNI IN CAMPANIA GALLIÆ — J. B. S.

Sancti ætas, cultus et gestorum compendium.

ANNO DLXXX. *Stabilitur Sancti ætas*

De *urbe Catalaunica* (Chalons sur Marne) *ita in hoc Opere actum est novissime, ubi de S. Memmio* v *Augusti, ut ad ejus civitatis notitiam nihil desiderari posse videatur. Porro istius urbis episcopus, ordine septimus decimus, fuisse legitur Sanctus, quo de hoc die agimus* Elaphius *nomine, patria Lemovicensis. qui Sigoberti* B *regis si non jussu, saltem suasu ad cathedram illam promotus dicitur anno* 578, *eamque tenuisse ad annum usque* 587, *alii ad* 600. *Ita passim scriptores cum Rapinio in Historia episcoporum Catalaunensium. At si Longuevattio credimus in Historia Ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3 *pag.*124, *mortuus est in Hispania an.* 580, *cæpitque adeo episcopatus ejus multo citius, certe ante annum* 578 *quandoquidem ipse cum fratre S. Leudomiro, tunc diacono, ecclesiam illam ditaverit multis suis paternis villis et prædiis, quorum donatio facta fuerit die* IX *Junii anno* 565, *Sigeberti* IV.

adversus Rapinium et alios :

2 *Citat Rapinius jam dictæ donationis instrumentum, quod reperiri ait in Legendario cœnobii Sanctorum omnium, at studiose se prætermittere asscrit, forte ne chronologici ejus errores paterent ad oculum. Nos laudati Longuevallii calculis inhærendum censemus, figimusque proinde sanctum ejus obitum ad dictum annum* 580, *ut sedisse dici possit annis circiter sedecim, cum donatio illa facta fuerit sub ipso episcopatus ejus principio, assentiente et subscribente etiam germano fratre, S· Leudomiro, cjus postmodum successore, et teste Ægidio Remensi archiepiscopo. De* C *reliquis ejus gestis nihil magnopere superest præter breve compendium mox subjiciendum.*

nec de cultu dubitandum.

3 *Id modo præmittimus, quod primo loco stabiliendum erat, nempe, constare de ipsius vetusto ac legitimo cultu, tametsi in antiquis nostris Martyrologiis, quod sane miror, notus non sit: certe a Catalaunensibus ab omni memoria pro Sancto habitum, satis testatur Rapinius, cui alii passim assentiuntur. Exstat ejus annuntiatio in Molani Usuardo, his verbis:* Eodem die, sancti Elaphii Catalaunis episcopi et confessoris. *Eadem ferme phrasi ex Democharc eum memorant Galesinius atque item Ferarius. Saussayus vero longiori ornat elogio. Accedat etiam Castellani testimonium in ea re omnino admittendum. Ejus etiam meminit Gregorius Turon. lib.* 5 *cap.* 41. Post hæc Elafius Catalaunensis episcopus, propter causas Brunechildis reginæ in Hispanias in legationem directus, correptus a febre nimia, spiritum exhalavit, et exinde delatus mortuus ad civitatem suam, sepultus est. *Videri potest annotatio editoris Ruinartii ad hunc locum, ubi Sancti cultus extra omnem controversiam ponitur.*

4 *Jam ad sancti nostri* Elaphii *Acta quod attinet, merito conqueritur Catalaunensis Historicus pag.* 8; *tempus, quod omnia consumit, et devorat, ea monumenta nobis eripuisse, ex qubus ad nostram ædificationem præclarissimi hujus Pontificis sanctiora quæque gesta discere potuissemus. Citat nihilominus nescio quam Vitæ seriem; opinor compositionem aliquam, sed et ipsam nobis ignotam, ut ad nos aliud nihil pervenerit præter manuscriptum aliquod compendium, ex quo elogium suum formasse videtur Martyrologus Gallicus, quemadmodum facile patebit, si* E *editio nostra cum ipsius textu conferatur. Habe igitur jam dictum compendium, nescio unde aut a quo ad Majores nostros transmissum, absque ulla ulteriori notitia. Sic habet :*

Acta non supersunt, Præter ea quæ paucis hic dantur.

5 Elaphius in urbe Lemovica claro genere natus, patre Leone, fratrem habuit Leudomirum, qui et ipse postea Cathalaunensem plebem sanctissime rexit. Hic a parentibus divinis obsequiis a puero destinatus, exspectationem omnium indolis magnitudine vicit. Sacras enim litteras cupide didicit, pietati studuit, tam abfuit ab omni levitate, ut in ipsius sermone et moribus nihil puerile appareret. Cum itaque Cathalaunensis ecclesia pastore orbata foret. Sigebertus Chlotarii filius, magni Clodovæi nepos, Elaphium, Lemovicibus evocatum, in eam sedem evehendum curavit. Ægre tandem suscepto episcopali munere, totum se convertit Elaphius ad Dominum; largas eleemosynas faciens, orationibus instans, nihil prætermittens, quod ad boni pastoris officium pertineret. Tauti fratris amore et desiderio ductus Leudomirus, relicta patria, Cathalaunum perrexit. Multum autem eorum fraterna concor- F dia Cathalaunensi ecclesiæ profuit, cui etiam hereditaria prædia sua, urbi Lemovicæ vicina donarunt. Elaphius autem pro ecclesiarum necessitatibus frequenter ad Sigebertum regem legatus, hortabatur eum, ut justitiam, regni sui columen et firmamentum esse crederet. Neque sane ludebat operam: nam rex eo audito, multa faciebat. Contigit tandem ut princeps ille, pia devotione affectus erga sanctam martyrem Eulaliam, quæ apud Emeritam Hispaniæ oppidum passa fuerat, aliquid de venerandis ejus reliquiis exoptaret Itaque destinata legatione amplissime cum muneribus ad Leuvichildum, tunc Hispanias obtinentem, ei præfecit Elaphium: qui cum bona venia regis Hispani et Cleri Emeritensis, sacra pignora deportaret. Elaphius, licet ætate confecta, longiuquam profectionem suscipit, legationem. verobit strenue et ex sententia. Dum autem reteretur, valida febre correptus migravit ad Dominum. Ejus autem corpus relatum cathalaunum, ubi nunc in Principis Apostolorum basilica quiescit.

DE

A D

DE SS. MANDRIANO ET FLAVIANO

MARTYRIBUS

TELONE IN PROVINCIA GALLIÆ

SYLLOGE CRITICA

G. C.

Publicus horum Sanctorum cultus, notitia prioris ex veteri chronico, et traditio quædam de gestis eorum.

FORSAN SEC. VI. *Hi duo Sancti*

Utrumque *hunc Sanctum simul hodie coli, patet ex ordine, recitandi Officium in urbibus Provinciæ, quem habemus anno* 1676 *Massiliæ et Aquis-Sextiis impressum, in quo utrobique assignatur die* XIX *Augusti annua istorum Martyrum memoria his verbis*: Toloni officium sanctorum Mendriæ et Flavini martyrum duplex. *Honoratus Bouche in Chorographia et historia chronologica Provinciæ tomo* I *pag.* 337 *ambos etiam conjungit, et eorum corpora in ecclesia cathedrali Telonensi hactenus conservari affirmat. Claudius Casellanus in corollario suo mensis Augusti pag.* 718 *Martyrologii sui universalis etiam duos hos Sanctos, aliis Martyrologis ac ipsi Saussayo ignotos, annuntiat hoc modo*: Telone sanctorum martyrum Mendriæ et Flavians. *At pag.* 817 *ejusdem Martyrologii universalis priorem Latine* S. Mandrarium *appellans inter ahemeros refert, eumque honorari asserit* prope Telonem, *eo nimirum loco, quem ex veteri documento jam indicabimus.* (B)

quorum prior ex veteri chronico notus est,

2 *Chronicon Emonis abbatis Werumensis in Frisia, quod amplissimus D. Carolus Ludovicus Hugo, Ordinis Præmonstratensis abbas, inter Monumenta sacræ antiquitatis anno* 1725 *Stivagii recudi curavit, tomo* 1 *hujus operis pag.* 449 *describens iter anno Christi* 1217 *a Frisonibus institutum, ad rem nostram habet sequentia*; Marsiliam properavimus; sed duris Boreæ flatibus a terra repulsos portus sancti Mandriani martyris nos suo collegit in gremio, una dieta distans a Marsilia, qui inter montes altissimos complicitus Toloniam civitatem habet a dextris. Capella vero sancti Martyris in latere sinistro vili scemate constructa, sed multa sanctitate famosa monstratur. *Ex hoc testimonio vides, sanctitatem* Mandriani *vel* Mendriæ *martyris, a quo portus ille haud dubie nomen accepit, seculo decimo tertio ineunte tam celebrem fuisse, ut ea ad aures peregrinorum Frisonum pervenerit.* (C)

Telone simul coluntur,

3 *Quamvis autem portus ille (forsan idem est de memorato sacello) a solo* Mandriano *cognomen traxerit, et hic nulla fiat mentio de* S. Flaviano, *tamen inde non sequitur, hunc Sanctum tunc temporis ibi ignotum fuisse vel sine cultu quievisse : nam sæpe monasteria, sacella vel ecclesiæ ab uno Sancto brevitatis causa cognomen accipiunt, licet ibidem plures ejusdem temporis et dignitatis Sancti colantur, quemadmodum Castellanus, ea de re pridem interrogatus : recte respondit hoc fere modo :* Tametsi in prædicto sacello simul colantur SS. Mandrianus et Flavianus, nihilominus recte expressum est in illo Frisonum Itinerario solum nomen Mandriani, sicut aliæ ecclesiæ duobus aut pluribus dicata Sanctis, puta SS. Cosmæ et Damiano, Gervasio et Protasio, Dionysio, Rustico ei Eleutherio, passim in Gallia appellantur in numero singulari S. COSME, S. GERVAIS, S. DENYS. *Plura hujus rei exempla afferri possent ; sed ex his abunde liquet, monasteria et ecclesias, in quibus plures Sancti honorantur, sæpe dumtaxat ab uno et frequentius a priore denominari. Quapropter, in titulo* S. Flavianum *addidi* S. Mandriano, *cum nemo probabiliter suspicari possit, ecclesiam Telonensem in suo Officio ecclesiastico temere hos duos Sanctos conjunxisse. Nunc breviter dicemus, qualis traditio de gestis et ætate illorum circumferatur.* (E)

et eorum gesta ab Honorato Bouche,

4 *Honoratus Bouche in Chorographia et Historia Provinciæ tomo* 1 *pag.* 645 *ex traditione refert, hos duos Sanctos sub Alarico Visigothorum rege prius militasse, et consequenter Ariana hæresi infectos fuisse ; sed concione S. Cypriani episcopi Telonensis ad fidem Catholicam conversos esse, relictaque militia, solitariam ac austeram vitam duxisse non procul Telone ad littus maris in loco, qui adhuc hodiedum ab accolis vernacule* saint Mandriz *appellatur. Deinde ibidem addit, hos duos eremitas post diuturnam vitæ austeritatem festo Deiparæ in cælum assumptæ Telonem anno circiter* 566 *venisse, ut e manu S. Cypriani eucharistiam perciperent, et ibi simul cum S. Cypriano interfectos fuisse ab infidelibus in ecclesiam irrumpentibus, qui multos alios cives in Italiam captivos abduxerunt. Hæc est vulgaris Telonensium traditio, quæ non exiguas difficultates patitur, ita ut ipse Honoratus Bouche illam infidelium irruptionem de fictione suspectam habeat.* (E)

et apud Guesnayum nostrum narrantur.

5 *Joannes Baptista Guesnayus noster in Annalibus Massiliensibus pag.* 198 *distinctius eamdem traditionem refert ex quodam instrumento, quod antiquum dicitur, sed non probatur, et in quo saltem ad rem nostram leguntur sequentia*: Mortuo Alarico, Cæsarius Arelatum reversus, invenit ibi Cyprianum, qui propter suam doctrinam miracula faciebat, et multos convertebat ad veram Ecclesiam. Duo autem milites erant classis Alarici regis Mendrianus et Flavianus, qui ex parte Saxoniæ prognati erant ; sed cum audissent doctrinam, in qua Cyprianus eruditus erat, verbum Dei prædicans, et infusus Spiritus sancti gratia, omnia bene agens, erga Cyprianum venerunt, et ab eo baptismum petierunt, seque de falsa religione ac de armis in manibus B. Cypriani dimiserunt. Sed cum B. Cæsarius Arelatum venisset, post benedictionem ab eo receptam, Cyprianus cum iis Tolonum reversus

A versus fuit, et sequebantur eum sicut pastorem ovium, ordinem anachoretarum et vitam solivagam duxerunt ultra portum Toloni....'

ex traditione Telonensium,

6 Post mortem Cæsarii Cyprianus in episcopatu suo remansit in pace, qui Vitam ejusdem Cæsarii fideliter scripsit. Sed paulo post Alboïnus Longobardorum rex cum magno exercitu ex parte Galliæ venit, armis et igne fere omnes urbes Galliæ Narbonensis invasit, ejusque milites magnam partem populi multosque episcopos necaverunt, effusione sanguinis Christianorum gaudentes; et una eorum turba juxta Tolonum venit, irruens in urbem, sicut leones in prædam, dictique milites in templum Dei ambulaverunt, et B Cyprianum invenerunt cum sociis Mandriano et Flaviano, ejecerunt eos de templo, et in agro necaverunt eos, sicut oves Christi, anno Domini DLVI quinto Idus mensis Augusti. *Cur hic die nona Augusti martyrium subiisse dicantur, ignoramus, cum in Officiis ecclesiasticis Provinciæ S. Cyprianus die tertia Octobris, et duo martyres hodierni die decima nona Augusti celebrentur. Porro circa traditionem istam nobis occur-* B *runt nonnulli scrupuli, quos eruditis viris jam proponemus.*

cui ætatem S. Cypriani Telonensis episcopi

7 *Primo nobis in hac traditione non placet, quod* SS. Mandrianus et Flavianus *anno* 556 *vel* 566 *dicantur ab infidelibus interfecti fuisse simul cum S. Cypriano episcopo Telonensi, cum nullus antiquus scriptor fide dignus de martyrio hujus præsulis meminerit, et novissimi editores Galliæ Christianæ tomo* I *col.* 741 *post diligens examen de ætate ipsius ita scribant :* Sanctus Cyprianus Telonensis ecclesiæ alter patronus, sancti Cæsarii Arelatensis episcopi discipulus et vitæ scriptor, sub tanto magistro artem artium regimen animarum didicit, et ad Telonensem assumptus est sedem. Concilio adfuit Arelatensi IV, anno DXXIV; Carpentoratensi anni DXXXII subscripsit ac epistolæ synodicæ ad Agræcium Antipolitanum episcopum. Convenit ad synodum Vasensem III anno DXXIX; Arausicanæ anni ejusdem interfuit..... Post devictos Gothos Arianos, sub quorum jugo diu gemuerant ecclesiæ Galliarum ultra Ligerim, Cyprianus senex perrexit ad synodum Aurelianensem IV anno DXLI. Obierat anno DXLIX, quo Palladium Telonensem episcopum fuisse constat. *Hic* C *audis, S. Cyprianum ante annum* 549 *obiisse, et nullam de martyrio ejus mentionem fieri. Qua igitur verisimilitudinis specie circa annum Christi* 556 *vel* 566 *cum* SS. Mandriano *et* Flaviano *ab infidelibus aut Longobardis occisus esse traditur?*

et alias difficultates opponimus.

8 *Præterea nulla veritatis specie tunc in Provinciam irrupisse dicitur rex Longobardorum Alboïnus, de quo eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 568 *num.* I *habet sequentia :* Quingentesimus sexagesimus octavus Domini annus adest, Indictionis primæ, qui et consulatu secundo Justini imperatoris in aliquibus (ut dicetur) monumentis notatus habetur; quo Alboïnus rex Longobardorum e Pannonia, quam occuparat, et ad quadraginta duorum annorum spatia illic manserat, cum suis ex Scandavia insula jam ante progressi, in Italiam magnis potens viribus ingreditur. *Deinde eminentissimus scriptor ex Paulo Diacono et Gregorio Magno probat, Alboïnum illo anno Christi* 568 *Italiam occupasse. Si Alboïnus isto anno primum ex Pannonia in Italiam venerit, quomodo dici potest anno* 556 *vel* 566, *ut fert Telonensium traditio, in Provinciam Galliæ irruisse?*

AUCTORE G. C.

Etsi Saussayus distinguat tres sanctos Cyprianos,

9 *Forte Saussayus hunc anachronismum vidit, et propterea Longobardos in Saracenos commutavit, dum in Supplemento Martyrologii sui Gallicani tomo* 2 *pag.* 1176 *tres ejusdem nominis Sanctos ad diem tertiam Octobris in eadem urbe Telonensi annuntiat his verbis :* Telone Martio in ora Provinciæ sancti Cypriani abbatis; qui patria Massiliensis, religiosæ vitæ magisterium apud Telonenses exhibuit, omnis Euangelicæ perfectionis factus tam verbo quam opere didascalus. Quo munere ad cumulum adimpleto, multorum pater ascetarum religiosissimorum, hac palæstra excessit, et ad præmium perrexit sibi a Domino in cælis repositum, reliquens memoriam in Telonensi matrice ecclesia, abhinc sacris sastis celebratam; in qua viget etiam perenni cultu percolenda recordatio beati Cypriani martyris, a Saracenis Gallias invadentibus illic ad altare perempti; necnon et sancti Cypriani ecclesiæ ipsius Telonensis episcopi, qui Vitam sancti Cæsarii Arelatensis conscripsit, inque conciliis aliquot magnus et clarus doctrina et moribus sanctis emicuit. *Hæc Saussayus nullum annuntiationis suæ testem allegans, nec ullam triplicis hujus sancti* E *Cypriani ætatem assignans.*

quibus Guesnayus diversa secula assignat,

10 *Laudatus Guesnayus noster in Annalibus Massiliensibus etiam tres sanctos Cyprianos distinguit, et singulis diversum vitæ tempus assignat. Primum pag.* 179 *memorat, tamquam prius abbatem Massiliæ in monasterio sancti Victoris, qui inde Telonem missus fuerit, ibique anno circiter* 470 *nobile monasterium condiderit. Temporis ordine alterum S. Cyprianum Telonensem episcopum pag.* 198 *refert, et episcopalem hujus ordinationem anno Christi* 511 *circiter affigit. Demum pag.* 238 *meminit de tertio S. Cypriano, quem vocat abbatem Telonensem patria Massiliensem, et quem a Saracenis circa annum* 730 *acerbissima morte affectum fuisse asserit. Hinc suspicari quispiam posset, Telonensem traditionem S. Cyprianum episcopum seculi sexti eum S. Cypriano martyre seculi octavi confudisse, et Sanctos nostros in illa Saracenorum irruptione cum hoc ultimo S. Cypriano lauream martyrii consecutos esse.*

tamen ob silentium veterum ac recentium quorumdam

11 *Verum huic suspicioni varia obstant, quæ jam breviter indicabimus, et ad diem tertiam Octobris accuratius examinanda remittemus. Primo Guesnayus pro priore et ultimo S. Cypriano nullum testem citat, nisi Saussayum, qui* F *in Martyrologio suo Gallicano non semel Sanctos perperam confundit aut multiplicat. Secundo tota antiquitas de duobus istis sanctis Cyprianis silet, ni fallimur. Tertio Directoria et Officia propria Provinciæ die tertia Octobris assignant festum S. Cypriani episcopi et confessoris, ac de aliis duobus, qui eodem die in Gallicano Saussayi Martyrologio referuntur, nullam commemorationem præscribunt. Quarto Castellanus, diligens ac cautus Sanctorum investigator, in suo Martyrologio universali solum Telone S. Cyprianum ejusdem urbis episcopum annuntiat. His addi possent alia, quæ ad diem tertiam Octobris discutienda relinquimus.*

de distinctione illa dubitamus.

12 *Propter hæc aliaque argumenta dubitamus, an Saussayus ex unico S. Cypriano non fecerit triplicem, ac ita Guesnayum nostrum in errorem induxerit. Cum igitur hactenus Telone non noverimus, nisi S. Cyprianum istius urbis episcopum, et in supra memorato instrumento, quod saltem anno* 1374 *inventum est,* SS. Mandrianus *ac* Flavianus *tempore hujus præsulis pro fide dicantur interfecti,*

AUCTORE G. C.

interfecti, martyrium eorum timide altigavimus seculo sexto, quo S. Cyprianus ecclesiam Telonensem gubernavit. Si quis autem velit, Martyres nostros a Saracenis occisos fuisse seculo octavo, quo Guesnayus martyrium synonymi abbatis Telonensis collocat, is meminerit ex antiquis documentis evidentem hujus distinctionem ab homonymo episcopo ostendere. Interim Telonenses traditionem suam corrigant, aut solvant intricatos nodos quibus eam supra constrinximus.

et aliam conjecturam Honorati Bouche rejicimus.

43 *Jam breviter aliquid dicendum superest de quadam conjectura seu potius dubitatione, quam sæpe laudatus Honoratus Bouche tomo* I *Historiæ Provincialis citata superius pagina* 645 *Gallice proponit in hunc fere modum:* Quod ad nomen Mandriani attinct, non certo scitur, utrum illud sit proprium uni ex his Sanctis, an vero dumtaxat solitariam vitæ professionem designet, cum vox Græca μανδρὸς eremitam significet, Forsan hæc duo nomina tantummodo uni personæ conveniunt, ita ut Mandrianus Flavianus idem sit, ac eremita Flavianus. D *At imprimis eremita Græce non appellatur* μανδρὸς; *sed nomen Græcum* μάνδρα *proprie stabulum significat, et metaphorice pro monasterio accipitur. Hinc superior vel præfectus monasterii apud Græcos* ἀρχιμανδρίτης *a voce* μάνδρα *nominatur. Solitariam vero vitam ducens a Græcis communiter* ἀναχωρητὴς *vel* ἐρημίτης *vocatur. Insuper duo illa Sanctorum nomina per particulam* ET *satis clare diversis personis tribuuntur in directoriis Provinciæ et instrumentis supra citatis, quorum auctoritatem huic novæ et improbabili conjecturæ præferendam censemus. Hæc de Sanctis illis tantum reperire potuimus, et hac occasione Telonenses monemus, ut ante diem tertiam Octobris, quo tres sancti Cypriani in Gallicano Saussayi Martyrologio annuntiantur, nos edocere non graventur, si in hac sylloge critica alicubi a veritate historica, vel ab ordine chronologico inscienter aberraverimus.*

B

DE SANCTO BERTULFO ABBATE

E

BOBII IN LIGURIA ITALIÆ

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Legitimus Sancti cultus, distinctio ab altero homonymo, Acta, eorumque scriptor, et annus mortis.

Anno DCXXXIX aut DCXL. Sanctus in Auctariis Usuardinis,

Henchenius noster ad diem X *Martii occasione S. Attalæ, quem hodiernus* S. Bertulfus *in officio abbatiali decessorem habuit, situm monasterii Bobiensis ita descripsit, ut hic operosius iterum de illo agere supervacaneum existimemus. In hoc celebri monasterio* duæ hinc inde aræ continent reliquias sanctorum Attalæ et Bertulfi abbatum, *quemadmodum Mabillonius in Annalibus Benedictinis tomo* I *pag.* 308 *testatur. Ughellus in Italia sacra novissimæ editionis Venetæ tomo* 4 *col.* 943 *et sequentibus refert juridicum instrumentum de translatione SS. Columbani, Attalæ, Bertulfi, aliorumque Sanctorum Bobiensium, quod anno* 1482 *confectum est. Annua vero hujus posterioris sancti Abbatis memoria occurrit in Auctariis Usuardinis, et a Greveno hodie signatur festum* Bertulphi abbatis et confessoris. *Molanus autem distinctius eumdem Sanctum annuntiat his verbis* : In Bobio sancti Bertulphi abbatis. *Denique codex Heriniensis Usuardinus de illo expresse hæc habet:* In monasterio Bobio depositio sancti Bertulphi abbatis.

C

aliisque Martyrologiis memoratur;

2 *Signatur etiam in Ms. nostro Florario Sanctorum, et in Martyrologio venerabilis Canisii. Adde Fastos monasticos Wionis, Menardi ac Bucelini. Neque a Ferrario neglectus est, insigni ornatus elogio; sed ex quo satis apparet, ipsum præ oculis non habuisse genuina hujus Sancti Acta, in quibus id omne tollitur, quod Ferrarius annotatione explicandum putavit: neque enim in Vita per Jonam scripta de fictitio* Clerouensi *episcopatu, qui apud Baronium ad annum Christi* DCXXVI *etiam nominatur, sed de* Dertonensi *sermo est, ut evidenter docebunt antiqua* S. Bertulfi *Acta, quæ huic Commentario prævio subnectemus.*

3 *Porro ex his abunde probari videtur antiquus* S. Bertulfi *Bobiensis abbatis cultus, quem Saussayus etiam in Martyrologio suo Gallicano indicat; sed hujus Abbatis Acta cum gestis alterius Sancti homonymi perperam confundit, multa inepte commiscens, ut facile intelliges ex subjuncta hic ejus annuntiatione, quam die* XIX *Augusti exponit his verbis:* Ipso die in Bobiensi cœnobio, sancti Bertulphi abbatis, qui puer ex Alemannia, divino instinctu relictis parentibus ethnicis, in Artesiam veniens, apud Rentiacum Morinensis diœcesis vicum gratiam baptismatis recepit, donisque Spiritus sancti insignitus, clericali ordini adscriptus est, atque in famulitium assumptus a Wamberto, jugalique ejus Homburga, œconomiam totius domus accipiens, opes sibi a dominis creditas (quamquam iu pauperes profusior) non solum in cælo, sed domi forisque multiplicavit. F

sed in Martyrologio Gallicano

inepte confunditur

4 Hinc cum iisdem piissimis dynastis Romam perrexit ad Apostolorum viseuda osculandaque limina; tantamque apud illos benevolentiam, ob probitatem spectatam et pietatem singularem, acquisivit, ut jam deinceps non famulus, sed filius ab iis censeretur: a quibus et heres constitutus, postquam ad superna præmia migraverunt, Rentiaci prædium Deo consecravit in usum pauperum et Fratrum multorum, quos in Christi obsequium accersivit ; sicque postquam gratam Domino servitutem exegisset, fidelis famulus repositam accepit meritorum remunerationem. Quiescit post varias jactationes in Blandinio apud Gandavenses congruenti sanctitatis cultu celebris. Pars tamen ejus reliquiarum Arelate extat recondita in majori basilica, ad quam e propria ædicula solotenus eversa, demum delata est pignorum ejus arcula ad tutiorem situm et insigniorem cultum.

5 *Verum*

A *cum alio ejusdem nominis Sancto,*

5 *Verum hæc omnia spectant ad alterum S. Bertutfum, olim in Artesia celebrem, cujus corpus post varias depositiones tandem ad montem Blandinium apud Gandavenses translatum est, ut Majores nostri ad diem* v *Februarii fuse retulerunt. Quinimo ipse Saussayus die* v *Februarii in suo Martyrologio Gallicano hunc S. Bertulfum, corporis translatione Blandiniensem, sic annuntiat :* Gandavi in Blandinio monasterio, sancti Bertulfi abbatis et confessoris, qui commissam sibi congregationem cum vitæ exemplo, religionis zelo et cælesti doctrina plene informasset, incredibili micans radiorum sanctitatis fulgore, supernos ad montes evolavit. *Nescio, quid Saussayum moverit, ut gesta hujus Bertulfi hodierno nostro applicaret. Vix operæ pretium est observare, quod Trithemius in opere de viris illustribus cap.* 308 Lobiense *cœnobium Belgicum pro* Bobiensi *Italico appellaverit : nam forsan hæc unius litteræ mutatio potius typographo quam ipsi scriptori imputanda est.*

ut patet ex Vitæ synopsi,

6 *Sed hoc modo non potest excusari crassus Saussayi error, quem ut facilius unico oculorum intuitu videas, accipe compendiosa* S. Bertulfi
B *Bobiensis Acta ex Mabillonio, qui in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 628 *cap.* 7 *sic ea contraxit :* Hoc, quem præ manibus habemus, anno Bertulfus abbas, quem in regimine Bobiensis monasterii Attalæ successisse diximus, ab episcopo Dertonensi exagitatus, Romam adiit, ut privilegium libertatis ab Honorio Pontifice obtineret. Rem narrat Jonas monachus ejus itineris comes, a quo itineris ac vitæ ejus seriem accepimus. Bertulfus ortu quidem gentilis, sed genere nobilis, utpote Arnulfi Mettensis episcopi consanguineus, cum eum post aulicos honores pompasque seculi, etiam ad religionis et solitudinis studia præ pontificalibus infulis anhelantem cerneret, ejus exemplo patriam parentesque deserere, et relictis omnibus, nudus Christum nudum sequi constituit. Itaque cum Arnulfo adhuc episcopo tantisper commoratus, deinde Luxovium ad venerabilem Eustasium abbatem se contulit, ab eo in rebus monasticis informandus. Cum vero Attala Bobiensis abbas ex Italia, incertum qua de causa, istuc accessisset, eumdem Bobium reverteutem, Eustasio annuente, comitatus est,
C et sub ejusdem disciplina et obedientia vivere institit.

quam Mabillonius in Annalibus Benedictinis

7 Eo mortuo, Bobiensium vota in Bertulfum conspirarunt, atque unanimi et consona voce omnes Bertulfum abbatem pronuntiarunt. Ipsius regiminis initio Provus Dertonensis antistes, aliis Procus et Proculus, in cujus parochia Bobiense monasterium censebatur, Bertulfum abbatem cum tota ejus congregatione sibi subjicere molitus est, et vicinis sollicitatis episcopis, etiam regem ipsum Ariovaldum, licet Arianum, pertentavit, ut ad suas partes eum adjungeret. Verum is jam in Bobienses æquior ac mitior respondit, videndum esse, an monasteria, procul ab urbibus sita, episcopis subjecta esse deberent. Hoc intellecto, Bertulfus ad regem ipsum nuntios experiundi causa direxit, quibus ipse : Non est meum, inquit, sacerdotum causas definire, quæ synodali judicio discutiendæ sunt. Quærentibus vero nuntiis, num episcopo, ejusque fautoribus suffragaturus esset ? Minime vero, ait, favebo eis, qui famulis Dei negotium facessunt.

8 Tum Bertulfus, miratus, regem tam benigne de se esse locutum, petiit, ut supplemento et commeatu publico sibi proficisci Romam liceret ; coque impetrato, Honorium Pontificem adiit, comitante ac ministrante Jona monacho, ac causam suam edocuit. Honorius, causa cognita, et disciplina Bobiensium percepta et probata, collaudatis eis concessit, ut in pristina manerent libertate, atque Arianam perfidiam acriter insectari perseverarent, jusque indulsit ne quando Bobiense monasterium episcopali potestati esset obnoxium. Exstat ejus rei diploma Pontificium in Italiæ sacræ tomo quarto *(nimirum veteris editionis Romanæ col.* 1324 *et sequente)* datum III Idus Januarii (legendum Junii) Heraclii Augusti anno octavo, Indictione prima : quæ notæ anno præsenti conveniunt. Hinc intelligimus, Bobienses hoc tempore a ritibus Scotticis jam recessisse, quandoquidem Honorius, qui de eorum regulari disciplina et institutis Bertulfum accurate interrogavit, eorum normam ac ritus probavit, non probaturus, si Pascha secus, quam Romana ecclesia, tum celebrassent.

auctore G. C. ex coævo Actorum scriptore

9 In reditu Bertulfus, ubi, Tuscia peragrata, Apenninas Alpes attigit, gravissima febre pulsatus, pæne ad extrema redactus est. Cum vero aspero in loco sub tentorio subsistere ac pernoctare præ E morbi violentia coactus esset, in ipsa vigilia Passionis beatorum Petri et Pauli apostolorum, qua ex die mensem concessi privilegii emendavi, inter ardentes febris æstus, intempesta nocte, omnibus alto sopore depressis, Petrus Apostolorum princeps ei adstare visus est, præcipiens, confestim ut surgeret, et ad sodales suos pergeret sospes ; sicque cœptum iter sanus Bobium usque prosecutus est. *Hæc prorsus aliena sunt ab Actis alterius S. Bertulfi, quæ Majores nostri die* v *Februarii illustrarunt, sicut in Opere nostro ad istum diem videre est. Ex his omnibus evidenter apparet, diligentem, sed non satis cautum Martyrologii Gallicani collectorem in hodierno* S. Bertulfi *Bobiensis elogio concinnando dormitasse, quod alias ei nonnumquam contingit.*

excerpsit.

Mabillonius vulgavit etiam longiorem ipsius vitam,

10 *Laudatus Mabillonius istud Vitæ compendium, quod Actis infra edendis aliquam lucem afferet, excerpsit ex lucubratione Jonæ monachi, quam inter Acta Sanctorum Ordinis Benedictini seculo* 2 *pag.* 160 *vulgavit, et cui sequentes observationes præmisit :* Vitam S. Bertulfi Bobiensis abbatis tertii, venerabili Bedæ falso adscriptam, F a Surio expolitam, restituere tentavimus. Eam reperimus, at mutilam, in quodam monasterii nostri Compendiensis apographo, in quo Jonæ lucubrationes, excepta S. Eustasii abbatis vita, hoc modo dispositæ sunt, ut Vita S. Columbani unum librum, Vita S. Attalæ abbatis alterum, narratio de rebus mirificis in Burgundoforæ monasterio Eboriacensi patratis tertium constituat, distinctum in octodecim capitula, quorum tertium decimum S. Bertulfi abbatis Bobiensis Acta, qualia hic subjiciuntur, comprehendit ; alia quinque (quæ quidem in Ms. codice lacero desiderata ex Surio supplevimus) quorumdam monachorum Bobiensium præclara facta mortemque egregiam perstringit. Jonas auctor rebus pæne omnibus testis adfuit. Jonæ adjecimus Frodoardi carmen de S. Bertulfo ex codice manuscripto RR. PP. Carmelitarum excalceatorum Parisiensium acceptum, sicut et nonnulla alia de SS. Columbano et Attala, quæ suis locis jam supra repræsentavimus.

quam nos in alio Ms. codice reperiam,

11 *Nos similem Jonæ lucubrationem habemus in antiquo Musei codice, qui* † *Ms.* 86 *signatur, et quem olim ex collegio nostro Molsheimensi accepimus, commutatione cum aliis libris facta, sicut Henschenius initio ejusdem codicis notavit.*

AUCTORE G. C.

notavit. In illo codice nostro leguntur septem capita de præclaris gestis quorumdam monachorum Bobiensium, quæ in mutilo Mabillonii codice desiderabantur. Cum vero S. Bertulfus *Bobiensis nobis solus hodie illustrandus sit, ad propria loca remittimus monachos istos, de quibus in Opere nostro jam actum est, vel suo tempore agetur. Ingenue fateor, ab imperito amanuensi voces quasdam in memorato Ms. codice nostro luxatas aut corruptas esse. Quapropter ea sphalmata ex editione Mabilloniana corrigemus, et lectorem in margine vel Annotatis more nostro monebimus, si quod discrimen observatu dignum occurrerit. Huic Vitæ subjungemus Carmen Frodoardi, quod ex præmissis Actis lucem accipiet, et notis marginalibus adhuc illustrabitur.*

prius indicato mortis anno, hic rursus edimus.

12 *Certe mirum est, quod Jonas tam pauca* S. Bertulfi *gesta posteris reliquerit, ut infra annotabimus, et de tempore mortis ejus non meminerit. Attamen inter chronologos de anno obitus illius ferme convenit : nam Carolus Cointius in*
B *Annalibus Francorum ad annum Christi* 640, *num.* 24 *operose probat*, S. Bertulfum *eo ipso anno* 640 *ad Superos migrasse. Cointio consentit Mabillonius, dum in Annalibus Benedictinis ad eumdem annum Christi* 640 *cap.* 2 *de morte sancti istius Abbatis hæc pauca scribit* : Tertio ab Arnulfi obitus die pariter e vivis excessit ejus consanguineus Bertulfus abbas Bobiensis, post annos regiminis tredecim a morte sancti Attalæ sui decessoris. *Dixi, inter chronologos de anno mortis ejus* ferme *convenire, quia Pagius in Critica Baronii ad annum* 640 *num.* 12 *dubitat, utrum obitus illius huic anno an præcedenti alligandus sit, quando ibidem profert sequentia* : Jonas monachus Bobiensis, discipulus sancti Bertulfi abbatis Bobiensis tertii, in Vita hujus sancti Abbatis, quæ exstat Seculo secundo Benedictino, num. 3 de eo scribit : „ Qui per tredecim annos omni di- „ ligentiæ studio plebem docere ac imbuere salu- „ taribus monitis non omisit. „ Quare cum anno sexcentesimo vicesimo septimo S. Attalæ in Bobiensis monasterii regimine successerit, ut eo anno ostendi, hoc vel præcedenti anno ad Deum
C migravit. *Nos illam Pagii dubitationem secuti, in principio hujus Commentarii prævii obitum* S. Bertulfi *anno* 639 *vel* 640 *affiximus, et jam Vitam ipsius ex promisso codice nostro exhibemus.*

VITA

Auctore Jona monacho Bobiensi, teste synchrono et in multis oculato.

Ex antiquo Musei nostri codice, qui signatur † Ms. 86 et quem cum editione Mabilloniana contulimus.

Prologus auctoris.

Quam præclara sint monimenta Justorum, doctorum ordo per temporum vicissitudines studuit posteris declarare. Quæ ergo nunc nostris noscuntur patrata temporibus, nequaquam
D silendo, negligentiæ somno torpentes, prætermittere debemus ; ut sicut nobis præcedentium exempla uberius religionis studia generant, ita postmodum posteritati nostrorum temporum augmenta pariant : dumque aliis imitanda propagamus, nobis sæpius memoranda opponimus. Venerabilis etenim Bertulfus Bobiensis cœnobii præsul, cujus superius fecimus mentionem, quis quantusque fuerit, a nobis non est omittendum tradere memoriæ : sed prius qualis conversatio in seculo fuerit memorandum est.

Bertulfus S. Arnulfi consanguineus Luxovium petit.

2 Fuit enim genere nobilis, licet gentilis, consanguineus beati Arnulfi Mettensis urbis pontificis *a*. Qui cum præfatum pontificem Arnulfum ad cultum Religionis post aulicos honores, infulas, pompasque seculi, ad Religionis studia anhelare perspexit, nisus est et ipse calcando terrena, cælestia desiderare. Postposuit patrem, nataleque solum, pompas urbis juxta Euangelii vocem : post rerum amissionem nudus tollendo crucem ac semetipsum abnegando, secutus est Christum. Junctus supradicto pontifici Aruulfo, cum ipso tantisper moratus est *b*. Deinde ad venerabilem virum Eustasium *c* Luxovio *d* perrexit, quo diu subjectus sanctæ regulæ, religionique gratus omnibus mansit.
E

Bobium cum Attala profectus

3 Exin adventante beato Attala *e* ex Ausoniæ *f* partibus, cum voluntate et pacis vinculo venerabilis viri Eustasii*, ejus societati subjunctus est : quia erat illis cor unum et anima una, nec quidquam discordiæ manebat, si mutuo ac vicissim subjectos sibi commutarent. Abiit ergo post vestigia venerabilis Attalæ, Ausoniæque finibus receptus, in Bobiensi cœnobio sub obedientia beati Attalæ permansit. Cumque repertor rerum sæpefatum patrem Attalam ad cælestia regna post ærumnas seculi evexit, omnis concio monachorum voce animoque unito, in paterno honore Bertulfum sublimat *g*. Qui per tredecim annos omni diligentia, studio plebem docere ac imbuere salubribus monitis non omisit. Sed quid in his temporibus gesserit, memoriæ tradendum est.

* *al.* vir Eustasius

ab episcopo Dertonensi de immunitate

4 Cum jam egregiis moribus, bonitate et disciplina, scientiaque moderante, plebem regeret, cœpit antiquus anguis quietam mentem adversitatis ictu quatere. Excitavit quemdam Procum *h* nomine, Dertonensis *i* urbis pontificem, qui,
F ut subjectum sibi præfatum abbatem cum cœnobii supplemento *k* faceret, omni nisu intendebat; aggressus primum aulicos vel pontifices vicinos muneribus tentare. Cumque sibi junctos gauderet, regi per eos suadere adiit. Regnabat enim eodem tempore Ariowaldus Longobardus. Sed cum nihil aliud a rege in responsis recepissent, nisi ut ecclesiastico more * probarent, utrum cœnobia procul ab urbibus, ita episcopali debeant ministrare dominio, ille omnes quos potuit; suo intentui jungit.

* *al.* jure

frustra exagitatur.

5 Cumque hæc agerentur, unus ex aulicis clam præfato Bertulfo quod rei fomenta gestirent mandavit. Ille missos experiendi causa ad regem direxit, quibus Ariowaldus : Non, inquit, meum est Sacerdotum causas discernere, quas synodalis examinatio ad purum debet adducere. Sciscitantur, an ille illorum sit fautor consilii. Nequaquam ait se eis favere, qui adversum Dei famulum molestias vellent generare. Cumque illi quamvis barbarum Arrianæ sectæ credulum talia fari cernerent, poscunt, ut supplemento publico, qualiter Romæ ad sedem Apostolicam venire queant, fulciantur.

6 Largito

A 6 Largito beneficio, Romam usque supradictus abba, in cujus obsequio ego fui, ad Honorium *l* Papam accessit. Cui cum rei causam patefecisset, ille de industria quærit, quæ sit consuetudo regularis disciplinæ. Cumque cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset, placuit beato Honorio regularis series, religionis cultus, ac humilitatis indicia. Tenuit ergo eum tantisper, et quotidiano affamine Bertulfum roborare nisus, ut cœpti itineris laborem non reliqueret, et Arrianæ pestis perfidiam Euangelico mucrone ferire non abnueret. Erat enim venerabilis præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarens, dulcedine et humilitate pollens. Lætabatur e gentibus socium reperisse, cui dulcia promeret affamina; nec prorsus delectabatur, ut cito ab ejus consortio segregaretur.

Honorium Papam adit, Jona comite *l*

7 Sed cum vehemens æstus quiescendi * longum prohiberet spatium, præbuit optatum munus, privilegia *m* Sedis Apostolicæ largitus est, quatenus nullus Episcoporum in præfato cœnobio quolibet jure dominari conaretur. Perceptum ergo optatum munus *, ad patriam remeare nisi sumus.

a quo privilegia immunitatis impetrat. * *al.* quærendi *m* * *potius* percepto munere

8 Cumque peracto itineris spatio, Tuscana arva postposita *, Apennina attigimus rura, et [cum] prope castrum, cui Bismantum *n* nomen est, venissemus; tanta vis febrium Bertulfum oppressit, ut omnino morte præveniri crederetur. Æger enim ab urbe progressus fuerat. Oppresserat omnes mœstitia tam longævi itineris, quam labor ægri Patris: nec prorsus ejus de sospitate B spem habentes, tenso tentorio, aspero in loco undique vallati mœstitia, nec omnino de sospitate paterna fidentes metati sumus. Erat enim vigilia passionis beatorum Petri et Pauli Apostolorum. Cumque jam atra nox irrueret, ille inter ignes febrium me accersivit, ac curis mens dedita de nocturna vigilia suscitavit. Cumque ego dicerem, omnia jam esse deposita, ille ait: Tu meum ante stratum totam per noctis metam, quo usque diei prorumpat crespusculum, excuba. Cum ergo excubassem quousque intempesta nox rueret, tantus me sopor oppressit, ut sursum caput attollere non valerem: omnesque qui erga tentorium, sarcinas vel equos excubabant, simili sunt sopore depressi.

Ægrotus res sacras curat. * *pro* Tuscanis arvis postpositis, *n*

C 9 Cumque ergo cuncta silentia operissent, beatus Apostolorum Princeps Petrus advenit, ac super stratum ægri Patris adstitit; Surge, inquit, et sospes tuos ad sodales perge. Cumque ille inquireret, quis esset, ille ait: Petrus. Mea hodie clara in toto orbe celebrantur solemnia. Cumque hæc dixisset, abiit. Ille timore perculsus, anxio et trepido corde me sciscitari curat, quid rei causa inesset. Putabat enim me et audisse vocem et adspectum vidisse. Cumque ego aierem, me nihil vidisse vel audisse: Non cernis, inquit fulvam lucem, quo Petrus Apostolus pergit. Cumque aierem, me nequaquam videre, silere cœpit. Cumque ego coguovissem, quid rei causæ gestiret, vix tandem precibus obtinere merui, ut mihi rei panderet veritatem: quod ille omnino siluisset, si me et audisse et vidisse non putasset.

A. B. Petro sanatur.

10 Cum quodam in tempore, expleto psallendi officio, una cum fratribus secunda diei hora de ecclesia B. Petri egrederetur, obvium habuit hominem in via, Turinum *o* nomine, dæmonis rabie plenum. Quem intuens cælos inspexit, Conditoremque postulavit, ut suæ voci favens adesset, sauciumque dæmonis peste suis consulendo precibus curaret. Deinde imperavit, ut vis rabida dæmonis ab homine exiret, nec prorsus præsumeret Dei imaginem maculare. Mirabiliter discerpendo iniqua pestis fugit ab homine, protinusque salus secuta est, sospesque ab ecclesia una cum fratribus egressus atque incolumis permanens, gratias Creatori rependi, qui sic Famulo suo cito favendo, ejusque orationibus obtemperando, suo cruciatui subvenit. Deinde interposito temporum circulo, alius sæva dæmonis peste infantulus oppressus, nomine Dominicus, filius cujusdam nomine Urbani, ad eum curandi gratia properavit. Quem diu increpans curavit, et sævam pestem ab homine exire fecit. Deinde alia virtus subsecuta est.

Dæmoniacos duos liberat. *o* *A. Jona monacho.*

11 Quidam leprosus valida lepra perfusus ad sospitatem recipiendam a medicis fiduciam gerens, ad venerabilem virum Bertulfum venit, suisque orationibus, ut opem misericordiæ mereretur, postulavit. Quem cum vir fiducia plenus adspexisset, gravissimæ ultioni hominem subjacere suspiravit, imperatque ut secum, quoadusque sospes redderetur, maneret. Dedit operam; et mens virtutum conscia cælos penetrans ad suas pre- E ces rerum Conditorem excitavit, peractoque biduano jejunio, oleum supra membra ulceribus plena effudit: moxque dedicere membra post viscerum putredinem sanitatem recipere, et ad pristinum decorem denuo reverti; et ita sanus æger effectus est, ut nec vestigium lepræ in ejus corpore appareret. Sicque Creator omnium suis famulis faveudo subvenit, ut uberius vigore virtutum roborati, calcando perfunctoria, cælestia semper studeant adimplere præconia *p*.

Leprosum mundat. *p*

ANNOTATA.

a *Acta S. Arnulfi præsulis Metensis a Boschio nostro piæ memoriæ diligenter illustrata sunt ad diem* XVIII *Julii, quamvis Sanctus die* XVI *ejusdem mensis obierit, ut ibidem tomo* IV *Julii pag.* 423 *dictum est.*

b *Mabillonius ad hanc periodum Actorum notat sequentia:* Arnulfus nondum in solitudinem secesserat, cum ipsi junctus est Bertulfus; sed adhuc in episcopatu degebat. Eustasius siquidem, ad quem postea Bertulfus, relicto Arnulfo, se re- F cepit, decessit anno DCXXV, quo anno S. Arnulfus Mettensium, inquit Frodoardus in lib. I Historiæ Remensis, synodo Remensi sub Sonnatio celebratæ invenitur interfuisse.

c *Majores nostri ad diem* XXIX *Martii Acta S. Eustasii Luxoviensis abbatis illustrarunt, ut tomo* III *istius mensis pag.* 784 *et sequentibus videre est.*

d *Nomen hujus monasterii in editione Mabilloniana non exprimitur.*

e *De S. Attala abbate Bobiensi ad Diem* X *Martii tomo* II *istius mensis a pag.* 42 *egit Henschenius noster, ut initio Commentarii prævii monuimus.*

f *Ausonia interdum generaliter pro Italia accipitur, in qua significatione forsan hic usurpatur.*

g *In editione Mabillonii hic sensus legitur mutatus hoc modo:* Omnis concio monachorum voce animoque unito; In paterno honore, aiunt, Bertulfum sublimamus.

h *Teste Mabillonio, episcopus iste Dertonensis in codice Compendiensi vocatur* Provus. *In novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* IV *col.* 627

A. JONA MONACHO.

627 *hic inter Dertonenses episcopos* Penus *sive* Pinus *seu* Proculus *appellatur. At in codice nostro Molsheimensi diserte* Procus *nominatur.*

i *Hinc liquet, errasse eos omnes, qui pro Dertonensi episcopo fictitium Cleronensem substituerunt, ut obiter in Commentario prævio diximus. Est autem Dertona vel Tortona urbs Liguriæ episcopalis sub metropoli Mediolanensi media inter Genuam et Placentiam, ut etiam Mabillonius notavit.*

k Supplementum *aliquando accipitur pro subsidio vel proventu ad vitam necessario, ut exemplis quibusdam in auctiore Glossarii Cangiani editione probatur. Eadem vox interdum significat viaticum, quod ad iter faciendum datur, in qua significatione mox infra* supplementum *recurret.*

l *Hic Pontifex anno* 626 *cathedram S. Petri ascendit, eamque anno* 638 *moriens reliquit.*

m *Privilegium istud Honorii Pontificis in novissima editione Veneta Italiæ sacræ tomo* 4 *col.* 955 *legi potest.*

n *Baudrandus de hoc loco, quem in Vita Sancti nostri invenit, tomo* I *Geographiæ suæ pag.* 168 *pronuntiat, quod sit* mons excelsus Longobardiæ cum pago, in territorio Regii Lepidi. *Ferrarius in sua Topographia eumdem hujus loci situm assignat.*

o *Hic energumenus a Frodoardo inferius in Carmine* Victorinus *appellabitur.*

p *Sane mirum est, cetera* S. Bertulfi *gesta Jonam silentio pressisse, nec ea quidem pauca: nam illa, quæ in itinere Romano facta hactenus descripsit, initio prælaturæ sancti Abbatis contigisse, ex memorato Honorii Papæ privilegio colligitur. Tamen Jonas post ipsius* S. Bertulfi *obitum hæc scribebat, cum ei annos regiminis tredecim supra num.* 3 *tribuat, et lucubrationes has Boboleno* S. Bertulfi *successori in prologo Vitæ sancti Columbani præmisso inscribat, quemadmodum Mabillonius in fine Actorum notavit.*

CARMEN

DE GESTIS S. BERTULFI ABBATIS BOBIENSIS,

Auctore Frodoardo Canonico Remensi, qui seculo decimo floruit.

Ex editione Mabillonii seculo 2 Benedictino, pagina 166 et sequente.

Hunc * sequitur fervens sub Relligionis amore, (* Attalam)
Francica progenies altum quem sanguinis edit,
Arnulfo celebri Bertulfus stirpe cohærens
Pontifici, quem celsa videns fastigia mente
Spernere cælesti, sectatur, et ardua sæcli
Culmina contemnens, Crucis arripit alta tropæa,
Eustasiumque petens Lussovia lege colentem
Castra Columbani, monitis attollitur almis,
Omnibus et gratus virtuti degit et aptus
Attala, sed Gallos * Lussovium et ut petit agmen, (* Galliam)
Utriusque Patris * socia pietate favente, (* Eustasii et Attalæ)
Huic quoque se dedens Italos sortitur agones,
Permanet ac fidus. Postquam at Pater * emigrat astris, (* Attala)
Communi allegitur Fratrum fervore * magister, (* Desiderio)
Perfovet atque regit divo moderamine sumptos.
Atra venena coquens impellit ad improba serpens
Corda propinquorum, viciuo subdere suadens
Hunc * sibi Pontifici, sata nec sibi quærere * cessa. (* Bertulfum; * concessa)
Hinc proceres adit, hinc regem, nec vota facessit,
Nec cœptis resilit. Qua vi cogente beatus
Romulidam Pater aggreditur componere Papam.
Quæsitus normam recitat, præcepta resignat.
Antistes monitis adgaudet Honorius aptis,
Amplexusque virum, refovet, veneratur, honorat,
Juraque concedit, leges et regmina munit,
Invitusque redire siuit. Tuscana terebat
Marcenti arva gradu. languor Patrem, angor alumnos
Presserat hærentes, nec spem redeuntis habentes.
Roboris excubias nox fert columis...
Juris Apostolici cultum Pater ordinat æger.
Ac solito disponit agi solemnia ritu.
Qui sibi qui sociis statuens insomnia servent.
Nox curas subigit, cunctos sopor obruit altus,
Custodes etiam lethæa oblivio sternit.
Asseculis lictus *, Christo custode levatur, (* a discipulis relictus)
Solaturque Petro * dum Principe visitur Abbas. (* a Petro)
Surgere præcipitur, sospesque redire jubetur, (* audit)
Accipit * et Petrum sese petiisse patronum,
Attonitus rogat excitum dare visa ministrum :
Ille negans illustratum se luce petita,
Hanc retegi poscit, precibusque extorquet anhelis,
Atque reperta notat, testisque accedit adacter *. (* Forte legendum ad acta)
It Pater ipse valens, aliosque dat ire valentes,
Dæmonicas pellit pestes, purgat prece mentes.
Victorinus id expertus, datus obvius almo,
Nec mora curatus, grates studet edere sanus,
Sic puer oppressus sævoque latrone voratus,
Abbatis nutu redit atra fauce receptus.
Tabem etiam lepræ supero depellit honore.
Et medicis desperatum, sacro unguine salvum
Post pia vota facit, postquam jejunia ducit
Atque ita labe cutem, sanie sic viscera mundat,
Ut morbi post nulla decus * vestigia linquat. (* scil. sanitas)



DE

A D

DE S. MAGNO CONFESSORE

EPISCOPO AVENIONENSI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA.

G. C.

Publicus Sancti cultus, annua festivitatis memoria, et brevis gestorum notitia.

Anno DCLX

Quamvis de cultu hujus Sancti satis constet,

Saussayus *immemorabilem hujus sancti Præsulis cultum satis indicat, dum parte 2 Martyrologii sui Gallicani pag.* 1239 *in Catalogo Sanctorum sic de ipso scribit:* Sanctus Magnus episcopus Avenionensis, pater decessorque sancti Agricoli, quocum sacris honoribus celebratur, utri-B usque ossibus pretiosis in argenteis urnis sub majori ara reconditis, et cum omni veneratione observatis in basilica sanctæ Mariæ. *Franciscus Noguierius in Historia ecclesiæ Avenionensis, quam anno* 1659 *Gallice edidit, ad annum Christi* 646, *sive pag.* 23 *tradit, corpus* S. Magni *statim post obitum honorifice sepultum esse in ecclesia cathedrali, ibidemque sacras ejus reliquias usque ad annum* 1321 *quievisse, quando Joannes XXII Pontifex eas una cum reliquiis S. Agricoli, filii et successoris ejus, transferri jussit ad ecclesiam S. Agricoli, et simul sub altari majore collocari, ubi ad latus legebantur sequentes versiculi, qui sanctitatem utriusque antistitis abunde demonstrant :*

Vir pius et sanctus, re magnus, nomine Magnus
Insignem genuit relligione virum.
Agricolum sanctum genuit pietate nitentem :
Sunt ergo sancti filius atque pater.
Vos igitur sancti fili, genitorque beati
Pro nobis miseris ambo rogate Deum.

*Sebastianus Fantonus Castruccius Carmelita de hac reliquiarum translatione et inscriptione metrica similia refert in Historia civitatis Avenio-*C *nensis tomo* 2 *pag.* 300, *quam Venetiis anno* 1698 *Italice imprimi curavit.*

tamen nobis incerta est venerationis dies,

2 *Quamvis hæc sufficiant ad immemorabilem* S. Magni *cultum probandum, tamen mihi adhuc dubium manet, quo die colatur: nam Noguierius, Castruccius, et Sammarthani testantur annuam ejus memoriam die* XVIII *Augusti celebrari. Ferrarius autem in Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad diem sequentem de sancto Præsule illo sic meminit:* Avenione S. Magni episcopi. *Castellanus in suo Martyrologio Gallico pag.* 936 *eumdem* S. Magnum *inter ahemeros collocat; sed ibidem asserit, illum ab Avenionensibus coli die* XIX *Augusti, quo alius S. Magnus in antiquo Martyrologio occurrit, eo quod certum obitus diem non novissent.*

et ideo elegimus diem XIX Augusti,

3 *At distinctus mortis ejus dies exprimitur in Actis S. Agricoli, quorum fragmentum a Cointio in Annalibus Francorum ad annum Christi* 660 *num.* 3 *refertur his verbis:* Hoc anno Domini sexcentesimo sexagesimo, sancto Patri sanctus filius, beato Magno beatus Agricolus in episcopali sede Avenionensi successor communi omnium calculo declaratur. Vidit beatus Magnus suam sponsam filio desponsatam, vidit et suam vivam imaginem in sua sede collocatam, vidit gregem suum mutasse hominem, nec tamen mutasse Pastorem; quidquid enim Senex in se optasset, hoc in Agricolo filio emicare videbat. Quare statuit eidem ecclesiæ sua omnia elargiri, cui se filiumque devoverat: prædia, possessiones et feuda, quæ illi supererant in seculo, templo beatissimæ Virginis Deiparæ liberali donatione, E testamento concepto, consecravit. Quibus peractis, non multo interjecto tempore, matura Deo et mundo beata illa anima miseræ istius vitæ vinculis exsoluta, relictisque Avenionensibus tum suarum virtutum, tum bonorum omnium, tum suæ sanctissimæ prolis heredibus, ad cæleste præmium DECIMO QUARTO CALENDAS SEPTEMBRIS evolavit.

qua ad Superos migravit.

4 *Licet in hoc Actorum fragmento diserte dicatur* S. Magnus *ad Superos migrasse* decimo quarto Calendas Septembris, *sive die* XIX *Augusti, tamen Cointius innuit, annuam ejus memoriam die secunda Septembris simul cum S. Agricolo celebrari, dum relatis Actorum verbis hæc subjungit:* Sanctus Magnus episcopus Avenionensis una cum filio ac successore Agricolo colitur, ut observat Saussayus in encomio sancti Agricoli quarto Nonas Septembris, et in Catalogo Sanctorum, Beatorum ac piorum, qui proprias historias vel natales non habent. *Deinde Cointius ibidem biographum S. Agricoli accusat de quodam parachronismo, qui huc non spectat, et examinari poterit ad diem secundam Septembris, quando Acta S. Agricoli discutienda erunt. Cum interim nobis propter diversas opiniones incerta* F *sit dies, qua* S. Magnus *Avenione colitur, vel illa forsan ob aliud festum lapsu temporis mutata fuerit, elegimus diem mortis ipsius, et propterea sanctum istum Præsulem hac die* XIX *Augusti in Opere nostro collocavimus. Jam tantummodo superest, ut pauca ipsius gesta ex aliis colligamus.*

Ex paucis S. Magni gestis

5 *Sammarthani in priori editione Galliæ sacræ tomo primo, in quo archiepiscopales cathedræ referuntur, pag.* 75 *inter antistites Avenionenses de* S. Magno *sic breviter meminerunt:* Sanctus Magnus Avenionensis, illustri prosapia oriundus, monachus Lerinensis abbatiæ, vixit circa DCXL, ex veteri ejus Officio et Libro gestorum S. Agricoli; festus dies agitur XVIII Augusti. *Hodierni vero Sammarthani tomo* I *Galliæ Sacræ col.* 800 *hoc breve* S. Magni *elogium nonnihil augent, et sese de quibusdam decessorum suorum assertionibus dubitare indicant in hunc modum :* Magnus præsertim notus ex filio Agricolo, quem præcessit in episcopatu. Utrum vero in processione vitæ monasticæ ejus præcursor

AUCTORE G. C.

sor fuerit aut socius, uti asserunt nostri Sammarthani, non audemus affirmare. Aiunt ipsum patria fuisse Avenionensem, et quidem ex illustri familia. In synodo Cabilonensi sub Clodoveo II, anno DCXLIV subscripsit Magnus episcopus, quem Cointius autumat esse Magnum episcopum Avenionensem, sedisseque docet usque ad annum DCLX, secutus scriptorem Vitæ S. Agricoli, cujus mox verba ipsa referemus. Et quidem in codice Cartusiæ Portarum legi in subscriptionibus, MAGNUS EPISCOPUS ECCLESIÆ AVENNICENSIS, asseverat D. Polycarpus de la Riviere. Festus dies ejus celebratur in muro prope ecclesiam S. Agricoli. *Tum subdunt eosdem versiculos, quos superius exhibuimus. Atque hæc sunt omnia, quæ nobis invenire licuit de gestis* S. Magni, *quæ jam breviter examinabimus, ac ordine chronologico disponemus.*

aliqua discutienda proponimus,

6 *Primo circa patriam Sancti, quem Sammarthani veteres Avenionensem appellant, quædam difficultas occurrit: Noguierius enim in Historia Gallica præsulum Avenionensium pag. 22* B *affirmat,* S. Magnum *in Provincia ex illustri Albiensium stemmate ortum esse, et Albinum, cognomento Magnum, patrem habuisse. Nos hunc locum natalem, quem propter inopiam veterum monumentorum asserere non possumus, eruditis Gallis accuratius inquirendum relinquimus. Secundo quædam diversitas apparet circa nomen uxoris ejus, quam Noguierius et Castruccius Guandaltrudem vocant. Sed huic alterum nomen additur in Actis S. Agricoli, quæ apud Vincentium Barralem in Chronologia monasterii Lerinensis pag. 321 sic incipiunt*: Divus Agricolus circa annum Dominicæ Incarnationis sexcentesimum supra trigesimum, Honorio summo Pontifice, et Clotario in Gallia regnante, ex illustri Albiensium familia Avenione natus est patre beato Magno, qui hujus civitatis episcopatum postea D sortitus est; matre Gandaltruda sive AUSTADIALA, avo vero Albino magnate. *Ignoramus, an hæc mulier binominis fuerit, vel alterutrum ex his nominibus gesserit, cum Acta S. Agricoli non videantur antiqua, ut Cointius existimat et postmodum in Opere nostro indagabitur.*

et tempus episcopatus ejus assignamus.

7 *Inter auctores disputatur, quo anno* S. Magnus *cathedram Avenionensem ascenderit: nam Noguierius loco supra citato initium episcopatus ejus anno Christi* 646 *affigit. At Castruccius in Historia Avenionensi tomo* 2 *pag.* 300 *contendit, Noguierium in hac epocha signanda errasse, quia* S. Magnus *subscripsit synodo Cabilonensi, quæ anno Christi* 644 *celebrata est. Cointius vero in Annalibus Francorum* 644 *num.* 42 *de hac subscriptione sic disserit*: In collectione Biniana Magnus, qui concilio Cabiloneusi subscripsit, dicitur episcopus Atrebatensis; in codice Bellovacensi, quem Sirmondus publicavit, nomen ecclesiæ non exprimitur. Atrebates cum Cameracensibus Autberto episcopo tunc subjacebant, nec ullus præter Avenionensem, cujus ante triennium jam meminimus, in Galliis erat episcopus, qui Magnus E appellaretur. *Hæc Cointii sententia confirmatur ex testimonio D. Polycarpi de la Riviere, qui asserit, quod in codice Cartusiæ Portarum subscriptus legatur* Magnus episcopus ecclesiæ Avennicensis, *ut superius ex hodiernis Sammarthanis retulimus. Cum facile* Avennicensis *pro* Avenionensis *scribi potuerit, contra Noguierium probabilissime putamus,* S. Magnum *ante annum Christi* 646, *ac forsan etiam* 644 *ecclesiæ Avenionensi præfuisse. Cum denique scriptores unanimi consensu affirment, hunc sanctum Antistitem anno Christi* 660 *ex hac vita migrasse, nos initio hujus sylloges eumdem annum in margine expressimus.*

DE S. CALMINIO CONFESSORE

DUCE AQUITANIÆ

MOSACI IN ARVERNIA

C F

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I Cultus, et Acta.

Sec. VII. Memoria hujus Sancti recolitur

H*unc* S. Calminium (*aliis* Calmelium) *receptis Martyrologiis nostris Mss. omnibus plane incognitum, acceptum referimus R. P. Thomæ Aquinati a S. Joseph, Carmelitæ Discalceato, in ipsius Vitæ historia Gallica, Tutelæ in Velaunis edita anno* 1646, *ubi et Latinum autographum refert acceptum ex monasterio Mosacensi seu Mausiacensi in Arvernia, quod nempe fundavit et ubi præclarissimam vitam finivit Sanctus, ibidemque sepultus et cultus est, multis signis ac miraculis clarissimus; quem a Mabillonio neglectum satis mirari nequeo, dum agens de ejus beneficiis Ordini suo collatis, tum in Actis tum in Annalibus, ubique sanctitatis titulo abstinet: ast æquior Menardus ipsum cum S. Eudone in Martyrologio suo Benedictino celebrat pag.* 754, *utrumque donans merito sanctitatis titulo, ut ipsum etiam honorat Saussayus, quidquid in plures perperam distrahat. Distinctius Castellanus in suo Martyrologio universali ita ipsum annuntiat*: In Arvernia, S. Calminii (*Gallice* Carmery) ducis Aquitaniæ, abbatiarum Mosacensis in Arvernia et S. Theofredi in Velaunis fundatoris, cujus corpus honoratur Mosaci cum corpore sancti Austremonii.

in Martyrologiis Gallicano Saussayi,

2 *Audiamus modo Saussayi elogium ad* XXII *Novembris sub nomine* Calmelii *relatum*: Ipso die in Arvernia, sancti Calmelii confessoris, qui nobilitate clarus, opibus potens, ac pietate insignis, cingulo militiæ posito, seculi repudium et Christi, cui se devoverat, obsequium a peregrinatione, quam fecit ad limina SS. Apostolorum

Petri

A Petri et Pauli, inchoavit. In quorum honorem in regione Vellaunorum ad radices montis Monsencii, agri Aniciensis, monasterium ædificavit, ubi adjunctis sibi sociis aliquot, districtam vitæ rationem secutus est, sub ductu S. Eudonis, quem a S. Maximo Lirinensi petierat atque susceperat, sui et assectarum rectorem: qui monasterium summa religione gubernans, alumnos ad perfectæ vitæ observantiam perduxit. Ceterum Calmelius sanctum ut institutum, quo a tam excellenti pædagogo imbutus erat, dilataret, interiori in Arvernia novum monasterium construxit, ubi vita sanctissime peracta, sui zeli ac indefessi laboris, pro Christi honore et animarum acquisitione suscepti, emeritam obtinuit a justo Domino mercedem.

Benedictinoque Menardi,

3 *Neque vero negligendum, quod apud Menardum loco citato exstare diximus, e quo ea dumtaxat describentur, quæ ad* S. Calminium *spectant. Ibi de S. Eudone agens, hæc habet*: Circa annum sexcentesimum et ultra S. Calminius seu Calmelius Dux Arvernorum, cingulo militiæ posito, in memoriam sanctorum Apostolorum Petri et Pauli monasterium ædificavit in regione Velaunorum, B quod est territonum Aniciense, ad radices præcelsi montis Mosencii, ex quo fluvius Ligeris effunditur, quod de Calmelii nomine Calmeliacense, et de monte Mosencii vernacule Monestier dicitur. Ibi aliquot annos S. Calmelius, adjunctis sibi sociis aliquot, districtam vitæ rationem secutus est: deinde Romam ad limina Apostolorum venit. Ipso in itinere diversatus est ad monasterium Lerinense ei ab ipso Lerinensi abbate monachos poposcit: cujus votis abbas obsecundans, ei certum numerum monachorum tradidit, quibus S. Eudonem eximiæ pietatis monachum præfecit abbatem. S. Calmelius perfecta peregrinatione, et rite solutis votis, in Arverniam revertitur, deducens sanctam illam monachorum Lerinensium coloniam cum Eudone abbate in monasterium a se conditum. Ipse vero se in Arverniam interiorem recepit, ibique novo constructo monasterio, vita sanctissime peracta, felicem mortem obiit.

ubi cum alio non confunditur

4 *Quod vero supra ex Castellano jam diximus,* S. Calminii corpus Mosaci honorari, *id eo sensu intelligendum est, quod ibi primitus depositum seculis aliquot remanserit, donec ad piam instantiam dictorum monachorum Calmeliacensium pro* C *media circiter parte concessum fuit summis etiam illis* S. Calminii *cultoribus ad S. Theofredi apud Aquinam in Velaunis, utpote quod, ut jam audisti, istius etiam loci conditor fuerit; non alius ab eo diversus, sub* Calmelii *nomine, unde et Calmeliaci appellationem derivatam quidem ultro agnoscimus; at non eo titulo duplicandum Sanctum, quod quidam contendunt, ut ex jam datis elogiis manifestum est, atque aliunde multis argumentis ostendit et evincit laudatus Aquinas Vitæ suæ Gallicæ cap.* 1; *cetera etiam, quæ ex variis capitibus obscuriora videri poterant, eadem opera et solita sua diligentia, accurate eruderans etiam in annotatis suis Latinis, quemadmodum locis suis indicare non negligemus.*

et ex veteri elogio metrico,

5 *Interea ad immemorabilem hujus Sancti cultum confirmandum transcribemus elogium metricum et hymnum cum oratione, quæ omnia præfatus Actorum editor ex Ms. Sanctorati, cujus ætas infra indicabitur, vulgavit in hunc modum:*

O decus egregium Sanctorum Christe tuorum,
A quo sunt facti, per quem sunt glorificati,
Hac die Calminium cælum das scandere sanctum.
Accipe nunc per eum voces et vota tuorum;
Dona quæ prosunt, et tolle quod officit omne.
Immensi Regis Miles fortissimus, armis
Dum fidei valuit, gemino splendore refulsit.
Calminius sanctus claris natalibus ortus,
In rebus mundi quæsivit præmia Christi,
Dum dispersit eas, servavit multiplicandas.
Is requies fessis fuit, et portus peregrinis,
Assiduis precibus intendens denique Sanctus
Nec non et multis operam dans rebus honestis,
Hoc mundo fruebatur, sic ut non frueretur.
Ad summum verus Christi dum quærit amicus
De servo fieri, procedens omnia mundi
Deserit, et sibimet intendit, sicut oportet.
Gloria despicitur mundi, cælestis amatur;
Horrent et quantum pereuntia, sic quoque tantum
Dulcescunt æterna, placent et gaudia vera.
Vir prudenter agens, Dominoque fideliter hærens
Calminius studio præsenti rite peracto,
Ad bravium tandem pervenit jure perenne,
Quo jam securus felix per secla potitur:
Per quem fasce gravi nos credimus exonerari,
Regno cælesti faciat nos ipse beari. E
Calmini, summus Christi jam factus amicus,
Nos quamvis miseros proprios tamen inspice servos,
Confer quidquid abest, et tolle superflua quæque,
Et post hæc patriam fac nos intrare supernam.

AUCTORE G. C.

hymnoque cum oratione cultus ejus probatur.

6 *Huic elogio ibidem subnectitur sequens hymnus cum collecta vel oratione:*

Sol Christe veri luminis,
Dux atque veri tramitis,
Hunc qui diem Calminii
Sancti sacrasti transitu.
Per hunc huic familiæ
Nunc dona præbe gratiæ,
Tibi bonis ut moribus
Hærere possit firmius.
Hic nam tua permaxima
Juvante sese gratia,
Exempla vitæ plurimis
Dedit quibusque proximis.
Terrena quæque commoda
Contempsit, ut vilissima,
Lucratus inde præmia
Regui perennis maxima. F
Hujus diei tempore,
Terræ relicto corpore
Migravit ad cælestia,
Vera potitus gloria.
Jam jam manum clementiæ
Nobis per hunc tu porrige,
Peccata nostra dilue,
Lumenque confer gratiæ.
Sit laus Patri cum Filio
Sancto simul Paraclito
Qui Trinitas simplex sua
Nosmet revisat gratia. Amen.

Denique sequitur hæc oratio: Ecclesiam tuam, Domine, beati Calminii confessoris tui votiva solemnitas lætificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Dominum etc. *His pro publico cultu allatis, ad Acta progrediamur.*

Præter Acta longiora

7 *Vita ipsa Latina, unde Gallica profluxit, accepta est ex veteri manuscripto, quod erat in cœnobio Mosacensi, ubi et hodie procul dubio exstat, in capita sedecim diviso, quod mox inde descriptum exhibebimus, præmisso breviori compendio,*

AUCTORE G. C.

pendio, de quo ita observat laudatus Aquinas: Gesta Calminii, quæ Bernardus Guidonis episcopus Lotevensis, in opere hactenus inedito inferius citando commemorat, non alia fuere, nostro judicio, ab ea Vita, quam ex Sanctorali Ms. ecclesiæ oppidi Aquinæ exhibemus; scribit enim Bernardus, ea gesta partim haberi; et ea Vita in illo Sanctorali integra non est, ut videbis, adeoque partim dumtaxat habetur. Ea porro Calminium Mosacensem et Aquinensem, unum et eumdem certissime confirmat ex Sanctorali Ms. ecclesiæ oppidi Aquinæ in diœcesi Tullensi, quod Sanctorale, ut est in fine illius, patratum fuit per manum Domini Michaëlis de Somnis loci Aquinæ die ultima mensis Novembris anno Domini MCDLXIV.

exstat mutilum Vitæ compendium,

8 *En ipsum compendium*; CAP. I. Sanctus igitur Calminius nobilitate præclaris ortus natalibus, generositatem suam quodammodo duplicavit, dum ad amorem sui Conditoris ab ipsis pene infantiæ, suæ rudimentis, sicut postmodo satis declaravit omnimodis exarsit. CAP. II: Denique tempore
B Justiniani imperatoris, ex totius senatus consulto septuaginta (ut fertur) electi atque dispositi sunt præfecti, qui et singulis quibusque præessent provinciis, et gravem nimis atque importabilem relevando unius sarcinam hominis, principalibus strenue responderent imperatis. CAP. III: Ex quibus videlicet principibus unus fuit is, de quo loqui pergimus, beatus Calminius, qui regendam proprio moderamine provinciam suscepit Aquitaniam, in cujus principatus moderamine ea se Vir sanctus moderatus est discretione, ut ita uteretur hoc mundo, quatenus non displiceret Deo.

quod hic exhibemus.

9 CAP. IV: Actio ejus semper pauperibus et peregrinis satagebat, officium temporale, quod administrandum, tamquam fidelis servus, susceperat in terris, bonis operibus exercendo, lucrando scilicet, ut spirituales delicias reperiret in cælis. CAP. V. Clericis quoque et Deo devote servientibus universis relevandis, nec non etiam ecclesiis ita instabat antiquis reædificandis, ut novis quibusque ecclesiis atque monasteriis idem ipse sollicitus insistere non omitteret construendis CAP. VI. Inter quæ insignia pietatis ac misericordiæ studia, nec non etiam bonæ operationis exercitia, in loco
C cujusdam sui fundi ex propriis sumptibus ædificare decrevit monasterium quoddam sancti Theofredi. *Porro longiora Sancti nostri Acta post hunc Commentarium prævium recudemus, ubi prius ætatem tum illius, tum biographi ejus indagaverimus.*

§ II. Investigata Sancti et biographi ejus ætas.

Contra alios

Cointius in Annalibus Francorum ad annum 681 num. 71 et sequentibus de ætate et gestis S. Caminii *fuse disserit. Tempus istud colligendum videtur ex origine monasterii Tutelensis, quod Sanctus noster fundasse dicitur, et de cujus exordio Stephanus Baluzius in Historia Tutelensi lib.* I *pag.* 3 *varias opiniones recenset his verbis*: Difficile tamen est certo constituere tempus, quo primum monastice in hunc locum introducta est. Neque enim probare possum recentiorum quorumdam scriptorum, ac non ita pridem vita functorum inventum, qui absque ullis veterum testimoniis, sine ulla auctoritate aut verisimili conjectura nuper scripserunt, initia monasterii Tutelensis referenda esse ad divinum Hilarium Pictaviensem episcopum, quem ea de causa juxta concilii cujusdam decretum Tutelam venisse volunt, illicque constituisse duodecim monachos regulæ sancti Martini addictos. Addunt, postea missum ab Hilario fuisse ipsum quoque Martinum; a quo cum Tutelenses monachi sat imbuti fuissent monasticis disciplinis, abbatemque ab eo accepissent, is ad suos remeavit, et deinde factus est episcopus Turonensis. Contra Odolricus abbas sancti Martialis in concilio Lemovicensi, habito anno MXXXI, dixit, monasterium Tutelense fuisse fundatum temporibus Karoli Augusti, id est, ut ego interpretor, ejus Karoli, cui propter rerum gestarum magnitudinem Magni cognomen hæsit. Prioris opinionis auctores nimis antiquam originem huic loco tribuunt, Odolricus novam nimis. Mediam ego viam arbitror esse tenendam. D

cum Baluzio

11 *Deinde eruditissimus Baluzius ibidem pag.* 4 *sententiam suam proponit et probat hoc modo*: Ademarus vicecomes Scalarum et abbas laïcus istius abbatiæ Tutelensis, in testamento suo, quod condidit circa annum Christi nongentesimum trigesimum, testatur eam in sua gente hereditariam E
fuisse, ac successionis jure sibi obvenisse jam inde a temporibus abavi sui. "In primis ergo, inquit, relinquo et reddo sancto Martino et monachis in antedicto monasterio sibi servientibus "abbatiam veterem, quæ sicut jam dictum est, "a proavo patris mei mihi successerat." At enim si bene tempora numeremus, cum Ademarum constet seculo nono exeunte potestatem in hoc loco habuisse, ætas abavi ejus referenda videtur ad eam tempestatem, qua istiusmodi beneficia tributa sunt magnatibus ad sumptus belli faciendos id est, ad ætatem Karoli cognomento Martelli Francorum principis. Dedit autem ille haud dubie abbatias divites et opulentas. Alioqui dona illa, utpote inutilia, repudiata fuissent ab iis, quibus tribuebantur. Jam tum ergo monasterium Tutelense habebat bona, quæ invidiam facerent. Ex quo colligi non absurde potest, illud jam tum fuisse antiquum, et seculo saltem septimo Christi fundatum.

et Mabillonio putamus, hunc Sanctum seculo VII floruisse,

12 *Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 681 *num.* 16 *et sequentibus hanc probabilem Baluzii chronologiam timide sequitur; sed eam tomo* 4 *eorumdem Annalium pag.* 858 *inter addenda et corrigenda prorsus approbat, ut ipse Baluzius ibidem refert, superiorem discursum suum ita continuans*: Hanc opinionem meam, quæ mera conjectura fuit, assertam postea vidi ab optimo et eruditissimo amico meo summo Joanne Mabillonio, qui in calce tomi quarti Annalium Ordinis sancti Benedicti pag. 852 notat, huic meæ sententiæ favere veterem inscriptionem cupreæ sancti Calminii reliquiarum thecæ appositam in monasterio Mauziacensi, in qua sanctus Calminius trium cœnobiorum conditor dicitur, Mauziacensis videlicet, Calmeliacensis, et Tutelensis. Calminium quippe, inquit Mabillonius, seculo septimo floruisse constat. Illud interim adnotandum est in hoc loco, abbates illos laïcos fuisse viros in republica primarios, quibus secundum usum seu potius abusum illorum temporum in beneficium dabantur, id est, ut hoc vocabulo etiam nos utamur, infeodabantur locupletiores abbatiæ, tenebanturque illi propterea ad præstanda principibus servitia, quæ illis debebantur ex usu beneficiorum sive feudorum, et vocabantur ABBACOMITES, et eorum dignitas ABBACOMITATUS. *Nos eamdem Balu-*

AUCTORE G. C.

A *Baluzii sententiam amplexi sumus, et propterea ætatem* S. Calminii *seculo septimo affiximus.*

etsi certo non sciamus,

13 *At nescimus, quo seculo Acta ejus primum conscripta sint, cum R. P. Thomas Aquinas antiquiorem biographum recentiori suo prætuxisse, colligat ex sequentibus prologi verbis*: Prosequemur relatu perspicuo et fideli, quod nobis de illo tractavit veritas antiquorum. *Inde laudatus P. Thomas in notis ad caput primum Vitæ posterioris a se editæ num.* 3 *hæc observat*: Hinc apparet, exstitisse olim Vitam beati Calminii ista vetustiorem, ex qua auctor noster pollicetur, se prosecuturum perspicue et fideliter res gestas Calminii; quod eum præstitisse, non est cur dubitemus, quamquam neque ambigamus, eum nonnulla ex suo sensu addidisse, ac nominatim potestatem illam, quam tribuit Justiniano imperatori in Gallias, cujus occasione scribit, illum Aquitanis postulantibus Calminium Ducem concessisse; quod ex historiæ illorum temporum ignoratione profectum est, de quo videri possunt, quæ a nobis scripta sunt præcedentis historiæ capite quarto.

B *quo tempore*

14 *Cum autem posterior Vitæ scriptor in eodem prologo dicat, quod hanc suam de* S. Calminio *lucubrationem exigat* et corporis ejus felix præsentia et virtus patrocinii probata nobis sæpius et experta, *et capite ultimo narret ea, quæ sub Ludovico Crasso Francorum rege contigerunt, jam sæpe memoratus Actorum editor Carmelita in notis ad caput primum num.* 2 *de professione et ætate illius biographi probabilem conjecturam ita proponit*: Ex iis verbis non immerito videmur colligere, auctorem hujus historiæ, cujus nomen ignotum nobis est, fuisse monasterii Mosiacensis ascetam, et in eo monasterio mansisse; vixque dubitamus vixisse, quo tempore contigerunt, quæ capite decimo sexto et ultimo narrantur de loculo, quo corpus beati Calminii continebatur, ab Ludovici sexti Francorum regis militibus effracto, de quo in Vita Gallice a nobis scripta sedulo disquisitum est. Ceterum dum præsentiæ corporis ac reliquiarum sacrosanctarum meminit, inde colligendum est, non totum Calminii corpus in ecclesiam oppidi Aquinæ asportatum fuisse, sed bonam illius partem, quam pro toto corpore in hujusmodi possessionibus C capi consuesse eruditis notissimum est; unde et non insolens est, ut duæ ecclesiæ unius sancti corporis possessione glorientur.

Vita ejus litteris mandata fuerit.

15 *Postea tamen R. P. Thomas Aquinas a sancto Joseph hanc secundam conjecturæ suæ partem in dubium revocat, et ad caput ultimum Vitæ mox recudendæ notat sequentia*: An caput istud, sive lectio ista ultima, pars Vitæ Calminii, quam edimus, an vero appendix illi a posteriore aliquo scriptore adjecta sit, incertum est, quamquam in hoc postremum, quam in illud magis propendeamus, vixque dubitemus Vitæ auctorem Ludovici regis, de quo hic agitur, et quem in Vita Gallice scripta Ludovicum VI, cognomento Crassum, Philippi I filium esse demonstravimus, ætate fuisse anteriorem, cui aut æqualis aut certe suppar fuit ille, a quo ea, quæ in decima sexta lectione recitantur, sunt litteris mandata. Ceterum geminam expeditionem bellicam, quam Ludovicus VI in Comitem Arvernicum Guillelmum IV ab Stephano Arvernensi episcopo exoratus suscepit, Suggerius abbas sancti Dionysii descripsit in Vita illius regis, ac summatim Sammarthani fratres Historiæ genealogicæ lib. VI in elogio Ludovici VI, a quibus anno MCXXVI consignatur; quod de prima expeditione accipiendum est, in qua, quæ hic narrantur, contigisse non dubitamus. *Nunc nobis tantum restant edenda* S. Calminii *Acta, quæ solitis annotationibus illustrare conabimur.*

VITA

Auctore anonymo,

Quam R. P. Thomas Aquinas a sancto Joseph Carmelita Discalceatus ex veteri Ms. codice Mosiacensi edidit.

Satis præclaro exordio

Præclara Sanctorum confessio, per quam et in præsenti vita justitiam et post mortem adepti sunt felicitatem perpetuam, et amplectenda est E familiariter fide non ficta, et prædicanda fideliter narratione sincera; fidelis relatio attollit mirabiliter divinorum titulos operum, pia circa Sanctos devotio parit ædificationem et format sanctimoniam animorum. Debemus generaliter Sanctis omnibus ista duo, ut videlicet exhibeamus circa eorum merita devotionis affectum, et erga actiones ipsorum tam referendi studium quam sanctæ imitationis affectum, quod totum beatissimo confessori Calminio nos debere specialiter exigit et corporis ejus felix præsentia et virtus patrocinii probata nobis sæpius et experta *a*: explicabimus plena fide seriem conversationis illius, quam etsi non ita aperte irradiant signa virtutum, efficaciter tamen illustrat divinarum pietas actionum: prosequemur relatu perspicuo et fideli, quod nobis de illo tractavit veritas antiquorum *b*, ut et reliquiis sacrosanctis in earum veneratione non desit venerationis obsequium, et omnibus, qui audierint, sobrietatis et gratiæ proponatur exemplum.

sancti nobilitas extollitur.

2 Venerabilis Domini confessor Calminius futurus universo orbi sanctitatis speculum, et virtutis quasi splendidum et justitiæ sidus processit ex Romanæ luce claritatis Romanis *c*, et claris parenF tibus oriundus, et natalium sinceritate resplenduit, ut ex senatorio ordine trahens nobilitatis originem, sanctis moribus sequeretur et exprimeret in seipso senatoriam dignitatem, a primis annis Christianæ traditur disciplinæ. Sicut moris fuerat nobilium puerorum, liberalium scientia litterarum apprime eruditus est, et satis efficaciter informatus, ac non accidentaliter parentum voto, sed veraciter nutu divino Calminii nomen accepit, ut ex vocabuli sui præsagio manifeste clucesceret, quantum eum postmodum ad exercenda opera pietatis calor *d* spiritalis muneris animaret.

atque item educatio;

3 Futurus Calminius Spiritus sancti vas et templum, et significatione nominis et operis veritate, cælestis gratiæ, cujus jam particeps fuerat, indolem proferebat; ornabat in eo elegantiam morum eruditio litterarum, quibus structuram operum viriliter supponas * devoti pectoris mansionem sancto Spiritui præparabat. Adoleverat prudentia pariter et ætate, ac felicis pueritiæ metus * evadens in amplissimum juventutis robur gratia procedente succreverat. Patronæ nobilitatis et fidei puritatem hæreditariam successione percipiens,

* forte supponens

* forte metas

A. ANONYMO. cipiens, temporaliumque bonorum affluentiam processu crescentis ætatis obtinuit; numerositatem familiæ, divitiarum copiam, amplitudinem prædiorum et cætera, quæ sibi ex jure patronæ successionis obvenerant, divinis potius quam suis usibus honestus juvenis liberaliter dispensabat.

e tum adepta dignitas,

4 Justinianus *e* imperator eo tempore latitudinem Romani imperii regebat, vir præclarus quidem fide, sed non mediocriter et facundia potens et armis, ministrum se esse justitiæ recognoscens, ad habendam juris scientiam vel doctrinam, imperatorias leges expediens, et servandas subjectorum utilitati proponens, rectitudinis tramitem inconcusso pede operis incedebat, sedit illius animo, placuit potestati, ut septuaginta viros electos ex omnibus, publicæ rei Romanæ præficeret, qui Senatorum cum officio nomen habentes, negotia totius orbis et tractarent fideliter et amico justitiæ fine concluderent, electus est Calminius inter eos et ordini senatorio providentia prius Dei, sed industria prudentis imperatoris insertus est. In quo gradu dignitatis ita digne et prudenter se habuit, ut honestus et sine invidia laudem inveniens, et favorem populi et principis gratiam peculiarius B obtineret.

seu Ducatus Aquitaniæ

5 Vir Domini Calminius imperatoris benevolentia senator factus, remp. urbis Romæ juvabat consilio, tuebatur auctoritate, diligentius studiis augmentabat; inerat eidem viro inflexibilis rigor justitiæ, prudentiæ integra vivacitas, et virtus eloquentiæ sic redundans, ut ad persuadendum quod vellet, potens et efficax haberetur: generali cunctorum judicio dignus erat, qui summas quoque provincias et finitimarum latitudines regionum principali solertia gubernaret. Contigit Aquitaniam privari Duce, quæ inter alias Cisalpinas regiones Romanæ fuerat magis obnoxia ditioni. Ducti Romam Aquitanorum internuntii voce supplici deprecantur, Ducem sibi idoneum designari, qui amplitudinem terræ illius, et consilio regere *f* et virtutis prudentia tueri posset. Imperatoris *f* sententia et totius conclamatione plebis Calminius jam senator eligitur ad ducatum, et in principem designatus, ad regimen totius Aquitaniæ Romani auctoritate imperii designatur.

quem sanctissime administrat.

6 Sumptis fascibus potestatis acceptæ vir insignis Calminius Aquitaniam veniens, subjectæ provinciæ Ducis providentiam exigebat: misericors C simul et justus rigorem justitiæ, suæ remissione clementiæ temperabat: afflictis compatiebatur ex animo et laborantibus totus assistens, calamitatem miserorum suis consolationibus sublevabat; pupillorum clementissimus pater, viduarum benignissimus consolator religionem mundam et immaculatam juxta præceptum apostolicum sequebatur: divitiis pereuntibus nullatenus cor apponens, non superbe sapiebat ut dives, sed pauperem se esse reputans et egenum, consentiebat humilibus, et humiliter se agebat, nec sperabat in incerto divitiarum, sed paraverat cor suum ut speraret in Domino, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: non servabat divitias sicut servus carum, sed sicut dominus liberaliter dispensabat, dispergensque pauperibus quod habebat, laudem cælestis justitiæ meruit adipisci.

S. Theophredi extructo cœnobio

7 Cum in ducatus officio vir insignis Calminius honeste se ageret, et pauperibus erogans quod suum erat, misericorditer se haberet, subiit divina cogitatio mentem ejus, ut thesauri suum residuum liberaliter expenderet in opere Dei: disposuit secum in animo ut ecclesias dedicandas suo sumptu construeret, ubi Deo servientibus quotidiani victus stipendia ex propriis reditibus ministraret; animatus D divino Spiritu beatus Calminius in episcopatu Aniciensi locum, qui dicitur sancti Theophredi *g* *g* ædificavit a fundo, et effectu operis mirabiliter consummavit, quem locum rebus et reditibus vir Domino devotus adornans, ecclesiam illam et habitationem ejus sufficientibus eorum victui stipendiis cumulavit; instauravit locum, reditus ampliavit, et ornamenta monasterio congrua vera liberalitate dilargiens, supradictum locum consummatum reddidit et perfectum. Ut autem hic locus operis sui memoriam et vocabuli quoque consortium obtineret, monasterium illud CALMINIACUM vocavit *h*, ut quod *h* fundaverat sua industria, suo labore perfecerat, sui nominis memoriale posteritati sequentium offerret.

aliud Mosaci condit,

8 Adjecit vir Domini Calminius bono operis majus quoddam, ut qui in re minori magnus claruerat, in majori gloriosior appareret, ea mentis pietate, qua primum illud cœnobium sancti Theophredi ædificaverat, in loco, qui dicitur MOSIACUS *i* *i* monasterium regale construxit, in quo servientium Deo fratrum componens et aggregans unitatem, providit eis necessaria, victualia ministravit ex ea copia, qua vir Dei Calminius affluebat, prædicti E cœnobii claritatem instaurans, ditavit ornamentis, et rebus ad sufficientiam locum illum villis etiam ac prædiis celebrem reddidit, atque declaratum ita Vir sanctus, decorem diligens domus Dei, locum habitationis gloriæ ejus suis fecit largitionibus gloriosum: non abiit post aurum, nec speravit in thesauris pecuniæ, sed acceptas Deo bonorum omnium largitore divitias dispertiens in bonos usus, in ornatum Ecclesiæ et sustentamenta Sanctorum, saluti suæ providens expendebat pari devotione, et affectu consimili et curabat ecclesias, et egentium providentiam exhibebat, ut in altero charitatem Dei, in altero dilectionem proximi patenter ostendens, plenitudinem divinæ legis, quæ in charitate est, generaliter possideret.

cui prospicit de sacris reliquiis

9 Ædificaverat a fundamento Mosiacense cœnobium et universa, quæ ad cultum ecclesiæ pertinebant, mirabili effectu operis fuerat prosecutus, piam mentem illius sollicitudo pulsabat ut constructum ædificiis locum, ac reditibus instauratum, Sanctorum reliquiis undecumque collectis locupletaret interius et magnificentius insigniret; consilium ejus fuit ut expeteret Romam urbem, F adiret præsentiam Romani Pontificis, atque ab eo humiliter Sanctorum patrocinia deposcens et impetrans, locum jam consummatum extrinsecus, donis cælestibus informaret.

quas ipse Romam pergens

10 Juxta desiderium animi sui deliberatum Calminius aggressus iter Romam petiit, et conspectui felicis memoriæ Papæ Joannis *k*, qui eo tempore *k* universali Ecclesiæ præerat Pastor, exhibuit se præsentem. Sciscitanti Præsuli sui itineris causam insinuat, sui desiderii exponit affectum, et se propter adipiscendas memorias Martyrum advenisse vir totius activitatis et gratiæ confitetur; ecclesiam quamdam se fundasse commemorat, quam in honore Principis Apostolorum faceret consecrari, si indulgentia Romani Papæ sibi aliquid de pignoribus Apostolicis liberaliter conferretur; hunc esse desiderii sui finem, si ædificata illius studio Moisiacensis ecclesia, beati Petri, cujus in nomine præferebat honorem, ad suffragii veritatem reliquiarum insignia possideret.

a summo Pontifice impetrat

11 Honesta Viri Dei postulatione compulsus Romanus Pontifex pignora Sanctorum, quæ petierat, beato Calminio benigne largitus est. Dedit

A dit illi primo loco reliquias sancti Petri, de maxilla videlicet ejus, cum ceterorum patrociniis Martyrum, quorum devotione pariter et amore tantum laboris insumpserat et confecerat tantum iter. Acceptis reliquiis Sanctorum, Vir Domini, et Apostolica benedictione percepta, cum alacritate et gaudio Roma egrediens, ad suos reditum maturabat. Transmeaverat Alpium juga viator egregius, et cum cælesti suo thesauro, quem secum vehebat, iter suum Domino prosperante, Agennensem attigerat civitatem: audit ab incolis loci illius beatum Caprasium *l* martyrem in eadem urbe et emeruisse palmam martyrii, et sepulturæ titulum accepisse.

l

uti et alias in reditu;

12 Eo fervore cælestis desiderii, quo medullitus calescebat, toto spiritu concupiscit et ardentius orat Deum, ut sibi adipiscendi reliquias Martyris supradicti optatam tribuat facultatem. Accedit ad eos humiliter, sub quorum custodia vel tutela corpus beati Caprasii tenebatur; exponit eis desiderii sui modum, et ut de sacra corporis præfati gleba memoriale sibi aliquid largiantur, reverenter efflagitat et precatur. Victi auctoritate B petentis et precibus, satisfaciunt illius animo, et sacrosancti Martyris integrum brachium poscenti Calminio conferentes, de suis eum finibus hilarem penitus et omnimodis gratulabundum emittunt.

unde cum gaudio exceptus,

13 Ingressus Arverniæ terminos Domini confessor Calminius Mosiacensi cœnobio suam notificavit adventum. Fit commune gaudium Dei, fit exultatio generalis in populo, et tam pro reditu Patroni, quam pro cælestis deportatione thesauri, universorum corda specialiter hilarescunt; excipitur Vir desideratus ambitione solemni: processio publica tam Calminio redeunti quam sacris pignoribus exhibetur.

ipsis ecclesiam ditat

14 Invitatus episcopus Claromontensium instauratæ ecclesiæ manum consecrationi apponit, dedicat altare majus in honore Principis Apostolorum Petri et beati Caprasii martyris, quorum sacratas reliquias in eo condens, et solemnem titulum loco Mosiacensi contulit, et supplicantibus populis cæleste patrocinium instauravit. Consecratione peracta, et optato desiderii sui fine divina miseratione completo, beatus Calminius in Deo gaudens, et prosperanti se Domino gratias agens, C residuum vitæ suæ apud Mosiacum cælestibus studiis occupabat; sciens sibi nihil aliud superesse, nisi coronam justitiæ, et ut bono fine concluderet præsentem vitam, suspensis affectibus implorabat.

et sancte vita fungitur,

15 Compleverat devotus Domini confessor Calminius dies suos, et optabile tempus advenerat, in quo sui laboris præmium consequi et æternæ vitæ donativo deberet a Domino præmiari. Tactus infirmitate decubuit, atque ad extremum perveniens, sumpto cælestis viatici Sacramento, spiritum, sacris diu sudoribus fatigatum, in manus Redemptoris emisit. Sepultum est venerabile corpus illius retro altare majus in capsula lignea, in qua per annos plurimos requiescens, sese petentibus, divina beneficia precibus obtinebat.

ejusque corpus honoratur. *m*

16 Latuit in illo humili loculo Vir beatus usque ad tempora Ludovici regis Francorum; qui filius Philippi regis *m* insolentiam Galliarum fræno imperii temperabat. Qui cum in virtute animi et potentia militari hostes circa se positos domuisset, Arvernicam gentem, consueta perfidia contra se rebellantem, in manu potenti violenter intravadens, prima fronte Mosiacensem ecclesiam, quam adversus eum Arvernicus comes munierat, fortissimus expugnator obtinuit. Satellites regii captam ecclesiam cupidis perlustrantes oculis, retro altare beati Petri, scrinium sancti Calminii colore nimio rubricatum inveniunt. Arbitrati plurimum terrenæ pecuniæ in eodem loculo contineri, aggrediuntur audacter scrinium sacrosanctum, sacrilego ausu diripiunt et effringunt. Non deficit cælestis ultio, quæ tam immane sacrilegium vindicaret. Eodem momento arrepti a dæmone sacrilegi pervasores, ita cælesti ultione perculsi sunt, ut duo ex ipsis, coram sancto corpore cadentes in terram vexati diutius spiritum exhalarint, et reliqui facie humanitatis incursa, vix diebus quatuor supervixisse dicantur. Sic divina dignatio et meritum Confessoris sui evidenter aperuit, et insolentem improborum audaciam mirabiliter, et sicut dignum fuerat, vindicavit. Transiit autem beatus Calminius confessor Christi decimo quarto Kal. Septembris, regnante Domino Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen. A. ANONYMO.

ANNOTATA. E

a *Ex hac periodo editor Actorum colligit, hunc biographum forsan fuisse monachum Mosiacensem, ut § 2 Commentarii prævii num. 14 monuimus.*

b *Ex his verbis laudatus editor conjicit, aliam Vitam ab antiquiori auctore prius conscriptam fuisse, ut ibidem num. 13 retulimus.*

c *Thomas Aquinas a sancto Joseph in Vita Gallica cap. 3 fusius explicat, quomodo hic Sanctus in Arvernia natus, possit dici ex Romanis oriundus.*

d *Frigida allusio biographi ex nomine* Calminii *ad vocem* calor. *Adde, quod Sanctus alibi* Calmelius *vel* Calmilius, *et vulgo Gallice* Carmery *appelletur.*

e *Jam sæpe laudatus horum Actorum editor in notis ad caput* IV *vult, hic indicari Justinianum istius nominis primum, qui anno Christi 566 ex hac vita migravit. Sed si Sanctus noster seculo septimo jam provecto floruerit, ut Cointius et Mabillonius innuunt, hoc loco intelligendus erit Justinianus Junior, qui anno 685 imperare cœpit.* F

f *Biographus hic et alibi perperam tribuit Justiniano imperatori, quod regi Francorum adscribendum est, ut editor in notis ad caput* V *Vitæ etiam observavit.*

g *Hic sanctus abbas et martyr ad diem 18 Novembris in veteri Martyrologio Aniciensis ecclesiæ annuntiatur.*

h *Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi 681 num. 16 de nomine et situ hujus cœnobii sic scribit:* Monasterium sancti Theotfredi ita dictum a sancto Theotfredo secundo ejus abbate, primitus Calmeliense appellatum nonnullis creditur a Calmelio conditore, aliis a Calmilio vico ejus loci. Positum est in diœcesi Aniciensi apud Velaunos ad Ansam amnem, ad radices montis Mesentii, ex quo Ligeris fluvius oritur.

i *Nomen hujus monasterii diversimode exprimitur: nam* Masiacus, *et interdum* Musiacus *vel* Mauziacus *scribitur.*

k *Nonnulli putant, hic Joannem secundum vel tertium istius nominis Pontificem designari. Sed ex chronologia in Commentario prævio stabilita probabilius putamus, hoc loco intelligendum esse Joannem quartum vel quintum Pontificem, quorum*

A. ANONYMO. *quorum prior anno Christi 612, alter anno 686 e vivis excessit.*

l *Hic martyr in Martyrologio Romano memoratur ad diem 20 Octobris, quo Acta ejus illustranda erunt.*

m *Hic Ludovicus, Philippi regis Francorum filius, cognomento Crassus, obiit anno Christi 1137, ad quæ tempora R. P. Thomas Aquinas ætatem biographi sub dubiô refert, ut in fine Commentarii prævii dictum est.* D

DE SANCTO SEBALDO EREMITA

NORIMBERGÆ IN GERMANIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Antiquus hujus Sancti cultus ex variis monumentis probatus, et ab ipso Pontifice Romano confirmatus.

Sec. viii. Ex Auctariis Usuardinis,

Norimberga, *amplissimum notissimumque Franconiæ emporium in Germania, ante exortam Lutheri hæresim maxima veneratione prosequebatur* S. Sebaldum, *ut per decursum hujus Commentarii videbimus. Annua ejus festivitas ibi olim colebatur ad diem* xix *Augusti, quo etiam in Auctariis Usuardi nostri illustrati ex editione Martyrologii Lubeco-Coloniensi ita memoratur :* Civitate Nurenberga sancti Sebaldi peregrini et confessoris, filii regis Daciæ. *Grevenus ibidem pluribus verbis eum sic annuntiat :* Sebaldi confessoris, filii regis Daciæ. Hic sponsam nobilissimam sortitus, exemplo beati Alexii ipsam, parentes, omniaque sua reliquit. In vita solitaria Deo purissimum servitium exhibens, multis miraculis coruscabat, inter quæ comitibus itineris oratione panem subcinericium impetravit, cilicio super aquas posito flumen transiit. Tandem plenus bonis actibus apud Nurenbergense oppidum quievit. B

historiographo seculi undecimi,

2 *Brevitatis causa hic omittimus Galesinium, venerabilem Canisium nostrum, Wionum, Menardum, Bucelinum, aliosque recentiores Martyrologos, etiamsi postmodum alia occasione quosdam Monologos Benedictinos prolaturi simus, ut de verosimiliore hujus sancti Confessoris instituto disseramus. Interim nobis sufficit nosse immemorabilem sancti istius Viri cultum, de quo Lambertus Schafnaburgensis in Chronico suo ad annum Christi* 1072 *(is eo tempore florebat) sequens testimonium reddidit :* Clara et celebris valde his temporibus per Gallias erat memoria sancti Sebaldi in Nurnberg, et sancti Hemerad in Hasengou, et magno populorum concursu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ divinitus illic languentibus sæpenumero conferebantur. *Igitur hic habemus testem seculi undecimi, qui nos de publica* S. Sebaldi *veneratione et crebris miraculis certiores reddit.* C

et Missa propria

3 *Nescio quandonam aut ubi recitari cœperit Missa propria de* S. Sebaldo, *quam inter schedas nostras collectaneas inveni, cum ibi nihil de tempore aut loco annotatum fuerit. Attamen suspicor, illam antiquitus in ecclesia Norimbergensi usitatam fuisse Hoc dubium nostrum dissolvere poterunt ii, quibus ad manum est vetus istius ecclesiæ Missale, quo nos caremus. Quapropter eruditis similium rerum investigatoribus examinandam offerimus hanc Missam, cujus ordo ita præscribitur :* Introitus. Os justi *etc.* Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui vitam B. Sebaldi confessoris tui per hujus seculi ærumnas laudabilem transire fecisti, quæsumus, ut ejus intercessione plebem clementiæ tuæ supplicantem in præsenti solemnitate foveas, et post hujus vitæ cursum ad cælestia regna perducas. Per Dominum *etc.* Lectio libri sapientiæ. Justus cor suum *etc.* Graduale. Os justi *etc.* Versiculi. O Sebalde Christi verna, duc nos ad gaudia æterna, ut nos ibi mixti choris, perpetuis vivamus horis, et lætemur in perenni gloria. E

SEQUENTIA.

Concinamus pariter,
Et Deum laudemus
Sebaldum alacriter
Notis provocemus.
Hic de Francis genitus
Propinquos postergat *;
Quamvis natus inclytus,
Ne in nefas vergat.
Merito Vincentiam
Eremum elegit,
Vincat ut malitiam
Se Deo subegit.
Paucos contubernio
Eremo assumit,
Vivit soli Domino
Abs quo nil præsumit.
Visitat miraculis
Hunc Deus frequenter
Notum fecit patulis
Factis pertinenter.
Famem patientibus
Fert refectionem,
Sitim sustinentibus
Miram potionem.
Aquam vertit in vinum
Diu duraturum,
Panem opus alivinum *
Prætat opportunum.
Mortuus deducitur
Rudibus jumentis
Nurnberg perducitur
Divinis fomentis.
Stant in loco humili
Nec abinde cedunt,
Donec loci populi
Locum sacrum edunt.
Transferri se cœperat,
Nil per hoc secutum,
A Scotis redierat
Corpus revolutum.

F

* *Id est* fugit *vel* post tergum relinquit.

* *Id est* quod alit, *ni fallor.*

Ad

A
Ad locum divinitus
Primum vehebatur;
Factum illud cælitus
Cunctis propalatur.
Illudentis facies
In plaga notatur
Mulieris species
Passa commutatur.
O Sebalde propera
Tuos hic tueri,
Et devotos munera
Vultu Dei veri.
Tibi laudes agimus
Triplex in Personis,
Cujus ESSE dicimus
Meræ actionis.

ostenditur antiquus hujus Sancti cultus,

4 EVANGELIUM. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Nemo lucernam *etc.* Credo. OFFERTORIUM. Desiderium animæ *etc.* SECRETA. Propitiare, quæsumus Domine, nobis famulis tuis per sancti confessoris tui Sebaldi merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum *etc.* COMMUNIO. Posuisti Domine *etc.* POSTCOMMUNIO. Exaudi, Domine, preces nostras, ut Sancti Sebaldi confessoris tui, cujus hodie festa celebramus, meritis et precibus æternitatis gloriam consequamur. Per Dominum *etc. Obscura ista* Sequentia, *vel semi barbarus rhythmus lucem aliquam accipiet ex fusioribus hujus Sancti Actis, quæ post Commentarium prævium prælo subjiciemus.*

B

quem Martinus V Papa Romanus,

5 *Ceterum sive hæc Missa sit antiqua sive recentior, parum ad rem nostram facit, cum ex aliis vetustis instrumentis de immemorabili* S. Sebaldi *cultu satis constet, eumque Martinus V Papa approbatione sua confirmaverit. Christianus Erdtmannus in libello, quem edidit anno Christi* 1629 *de* Norimberga in flore avitæ Romano-Catholicæ religionis ex antiquissimis variorum monasteriorum bibliothecis veteribusque monumentis graphice delineata et expicta, *nobis subministrat ipsum Pontificis hujus diploma, quod ita sonat* : Martinus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ circumspecta benignitas devotorum consuevit justis annuere votis, et illis, per quæ divini cultus ac status ecclesiarum omnium aliorumque piorum locorum, ad divini nominis propagationem erectorum, adaugeri valeant, ut ipsis etiam fervor Christianæ religionis accrescat, sui vices officii libenter intromittit, et ea, quæ devotionis causa Romanorum aliorumque Pontificum auctoritate et ordinatione rite processisse comperit, ut illibata persistant, libenter Apostolici munimimis constringit firmitate.

C

a Norimbergensibus rogatus,

6 Sane pro parte dilectorum filiorum consulum ac proconsulum ac communitatis oppidi Nurubergensis, Bambergensis diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod beatus Sebaldus, qui de regum Daciæ prosapia progenitus fuit, in ipso oppido, quod imperiale et inter alia aliarum partium oppida solenne multum et insigne famosumque existit, multis et innumeris in illo et ejus circumviciuio coruscat miraculis, adeo quod pro Sancto et patrono oppidi ejusdem per quingentos annos et ultra, palam ab omnibus fuit reputatus, prout ei in illo ejusque circumvicinio dictim reputatur, præfatique Beati corpus gloriosum in quodam solemni sarcophago, auro et argento decorato, in ecclesia, quæ dicti oppidi, quæ ecclesia parochialis principalis est, clausura honorifice, ac ipsa et nonnullæ aliæ ecclesiæ, capellæ, et altaria in præfato oppido et locis aliis ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ejusque Genitricis et gloriosæ Mariæ Virginis ac omnium supernorum civium sub vocabulo ipsius beati Sebaldi sumptuose et magnifice fundata et erecta venerabiliter conspiciuntur, quæ etiam multiplicibus dotata fructibus, aliisque indulgentiarum et gratiarum muneribus, auctoritate diversorum Romanorum aliorumque Pontificum prædecessorum nostrorum, Sedisque Apostolicæ Legatorum, nec non locorum Ordinariorum pro visitantibus ecclesias, capellas et altaria prædicta, ac eorumdem conservatione ac constructione manus inibi adjutrices porrigentibus, existant adornata, quodque ecclesia dicti B. Sebaldi in oppido eodem, anno quolibet in die, qua illum post devictum triumphatumque mundum in perpetuas æternitates præsens vita parturiit, videlicet XIV Calendas Septembris, die decima nona Augusti festum ipsius, Officium proprium ei speciale una cum Legenda seu historia etiam speciali, sicut pro uno confessore non pontifice, diversorum Ordinariorum loci auctoritate celebrari annis singulis extitit institutum, prout etiam de illo illarum partium Christicolis devote et solemniter celebratur. ita quod propterea nomen ejus gloriosum plerisque Breviariis, ac aliis orationum libris, inter alia Sanctorum nomina adscriptum reperitur.

auctoritate G. C.

E

auctoritate Sedis Apostolicæ

7 Quare pro parte consulum, proconsulum, et communitatis prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro divini nominis propagatione, et ad dictum Beatum Fidelium illarum partium ferventiori devotione, ac ecclesiarum, capellarum, et aliorum prædictorum statu, nec non visitatione, conservatione, constructione et erectione eorumdem, præmissis omnibus et singulis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini nominis propagationem, statum, et communitates ecclesiarum, capellarum, altarium et locorum ecclesiasticorum quorumlibet nostris temporibus potissime adaugeri intimis optamus affectibus, et de præmissis fama publica ac fide dignorum relatibus certiorati, ipsa veritate fulciti, præfatum beatum Sebaldum, sanctum esse, et ut talem haberi et reputari, ejusdemque festum in dicto die, videlicet XIV Calendas Septembris ab omnibus Christi Fidelibus per universum orbem annis singulis celebrandum et recolendum, ac ejus nomen catalogo aliorum Sanctorum patrum adscribendum fore declaravimus, necnon omnia et singula præmissa, ac concessiones, indulgentias, privilegia et indulta parochiali ac aliis ecclesiis, capellis et altaribus prædictis, sub vocabulo dicti sancti Sebaldi erectis, per quoscumque Romanos ac alios Pontifices concessa ante obitum felicis recordationis Gregorii Papæ X prædecessoris nostri, ac inde secuta, rata habentes ac grata, auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus et approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communivimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan interveuerint in eisdem : et ut ad venerabile sepulcrum ipsius Sancti ardentius et affluentius Christi Fidelium confluat multitudo, et ejusdem Sancti celebrius colatur festivitas, et ejus nomen celebrius recolatur, auctoritate prædicta omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui sepulcrum ejus apud dictam ecclesiam in ejusdem festi die devote visitaverint, annuatim septem annos et totidem quadragenas

F

AUCTORE G. C. quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

postmodum benigne confirmavit. 8 Et insuper omnia et singula bona mobilia ad incertas causas ac ad ea, ad quæ veri heredes non supersint, nec pro tempore legitimi reperiuntur successores, in parochia aut apud rectorem et parochianos ejusdem ecclesiæ quomodolibet reperta, deposita vel relicta, nec non etiam illa, quæ ad similes causas in prædicta parochia dicto præcedente tempore, modo præmisso, relinqui, deponi ac deputari aut reperiri contigerit, pro fabrica ecclesiæ sancti Sebaldi prædictæ deputamus ac volumus et ordinamus, quod rector ac alii in ecclesia ac parochia prædictis pro tempore in divinis ministrantes omnibus utriusque sexus, apud quos præmissa bona consistunt repertave fuerunt, ut illa ad fabricam ecclesiæ prædictæ tradant et assignent, in remissionem suorum peccaminum in foro pœnitentiæ auctoritate Apostolica concedimus tenore præsentium de speciali dono gratiæ facultatem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac aliis contrariis quibuscumque; proviso tamen, quod bona tradenda et assignanda hujusmodi ad fabricam ecclesiæ B prædictæ integre convertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, confirmationis, approbationis, communitionis, suppletionis, relaxationis, deputationis, voluntatis ac concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctos Apostolos VII Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo. *Cum hæc omnia legitimum Sancti nostri cultum abunde demonstrent, ad indicanda Actorum exemplaria progrediamur.*

§ II. Manuscriptum Actorum exemplar, et metricum eorumdem compendium, quæ ab heterodoxorum calumniis vindicantur.

C

Datur notitia de longioribus Mss. Actis, *Joannes Gamansius officiosissimus Societatis nostræ sacerdos, et propter obsequia præstita jure merito sæpius a nobis laudatus, anno 1638 ad hagiographos Antverpienses misit Acta et miracula* S. Sebaldi, *excerpta ex Ms. codice Cartusiæ Gemnicensis, quod Ordinis Cartusiani monasterium in Austria situm est. Scriptor horum Actorum est anonymus et incertæ ætatis, ita ut ne conjectura quidem assequi possim, cujus fuerit instituti, et quo loco aut tempore ea collegerit. Videtur tamen diu post tempora* S. Sebaldi *vixisse, cum in chronologia crasse hallucinetur, ac sibi ipsi non constet, ut inferius alia occasione demonstrabitur. Ceterum in ipso manuscripto Gemnicensi occurrunt quædam lacunæ et obscuriores ac forsan corruptæ phrases, ut Gamansius in margine apographi nostri monuit, quas supplere vel in annotatis explicare conabimur.*

ex quibus Schedelius 10 *Forsan Hartmannus Schedelius, qui anno 1493 Norimbergæ Librum Chronicorum edidit, hoc ipsum aut saltem simile Actorum exemplar præ oculis habuit, dum ibi in sexta ætate mundi apud nos folio* CLXII *verso contexuit sequentem Vitæ synopsin :* Sebaldus, confessor dignissimus ac sanctissimus, hac tempestate (ut quidam ferunt) D doctrina ac sanctitate in Germania floruit. Is ex nobilissimis ortus parentibus regis Daciæ filius ac reginæ castissimæ; qui votis ac precibus a Deo hanc sobolem impetrarunt. Ab ineunte ætate disciplinis et literis traditus, pro adipiscendis liberalibus artibus in adolescentia Parisios petiit. Cum eruditissimus evasisset, virgo pulcherrima de familia regum Francorum matrimonio ei juncta fuit. Verum spretis mundialibus pompis, relicto regno, sponsam elegantissimam nocte deseruit, in longinquas regiones ac eremum secessit : ubi cum annis quindecim sanctissime vixisset, inde devotionis gratia Romam perveniens a Gregorio secundo summo Pontifice ad Germanos prædicationis gratia directus, Willibaldum et Wunibaldum fratres itineris comites habuit. Et primo apud Longobardos, deinde Ratisbonæ doctrina, virtutibus, ac miraculis claruit. Postremo apud Nurenbergam in solitudine nemorum religiosissimam ac perfectissimam vitam usque in finem exegit; ubi præter doctrinam populo exhibitam, miraculorum gloria nominatissimus E evasit.

11 Tandem plenus dierum ad oratorium Fratrum sancto Martino dicatum Nurembergæ (ubi *exstraxit compendium,* modo cœnobium Ordinis divi Benedicti ad sanctum Ægidium nuncupatum) pervenit, infirmitate ac senio correptus sanctissime migravit ad Dominum : cujus sanctum corpus ab indomitis bobus ad locum sepulturæ ductum, ubi insignis basilica in ejus nomine exstructa est. Quem postmodum summi Pontifices propter crebra miracula in sanctorum confessorum numerum aggregaverunt; præcipue Martinus quintus Papa ejus festum per universum orbem XIV Kalendas Septembris celebrari jussit. Quamobrem apud Nurembergenses summo honore quotannis colitur, cum Nuremberga præclara urbs meritis hujus dignissimi Patroni augmentum in omni honore et gloria ubertim sensit.

12 *Centuriatores Magdeburgenses Centuria 8 cap. 10 ex Hartmanno Schedelio Acta* S. Sebaldi *quod Centuriatores Magdeburgenses corruperunt.* *breviter referunt; sed ea more suo contaminarunt impiis dicteriis ac convitiis. Ego hic sacrilegos istos Sanctorum rerumque sacrarum contemptores pro meritis exciperem, nisi Jacobus Gretserus noster lib. 2 Observationum cap. 9 ad Opus de Divis tutelaribus ecclesiæ Eystettensis id ante centum et plures annos abunde præstitisset, ac nominatim* S. Sebaldum *ab eorum ludibriis egregie vindicasset. Præterea impudentes illi Centuriarum sarcinatores caute dissimularunt ac siluerunt antiquam civium Norimbergensium pietatem erga hunc sanctum suum Patronum, quæ ab immemorabili tempore constanter perseveravit, donec eorum civitas hæresi Lutherana inficeretur, quemadmodum Matthæus Raderus noster tomo 2 Bavariæ sanctæ pag. 61 exponit his verbis :* In summa semper veneratione cultuque divus Sebaldus fuit apud Noribergenses, quoad hostis cæli et omnium Sanctorum Lutherus urbem Noribergensem et magnam Germaniæ partem invasit. Condiderant cives paulo antequam illa pestis civitatem nobilissimam occuparet (*in margine annum Christi* 1519 *assignat)* divo Sebaldo inclytum mausoleum, quod, ut ex rationibus manuscripti codicis Noribergensis constat, ex orichalco singulari opere factum septuaginta octo millibus sexcentis quadraginta quinque aureis æstimatur. *De pretioso illo Sancti sepulcro, quod postea destructum est, fusius infra agemus.* F

13 *Interim audiamus Conradum Celtem Protucium,*

A *tucium, primum Germaniæ poëtam laureatum, qui ante contagiosam Lutheri sectam floruit, et gesta ac miracula* S. Sebaldi *non ineleganti carmine Sapphico descripsit. Etiamsi Christianus Erdtmannus in sua Norimberga, aliique Catholici Germaniæ scriptores hoc elogium metricum typis ediderint, tamen ad majorem ejusdem Sancti gloriam non gravabor illud hoc loco fideliter transcribere ac iterum prælo subjicere, ut a curioso lectore atibi quærendum non sit istud avitæ religionis testimonium, quod ita sonat :*

Poëta Germanus in honorem S. Sebaldi

Regiæ stirpis soboles, Sebalde,
Norica multum veneratus urbe,
Da tuam nobis memorare sanctam
Carmine Vitam.

Te sacris votis generant parentes,
Cum diu lecto sterili vacasseut;
Teque suscepto, statuere castam
Ducere vitam.

Natis his sanctis Puer ergo votis,
Galliæ claram properas ad urbem,
Artibus sacris animumque cultis
Moribus ornans.

Hauseras sanctas ubi mente leges:
B Patriam Doctor rediens in aulam ;
Regiam quærunt tibi mox venustam
Jungere sponsam.

composuit carmen Sapphicum

14 Ut dies lætis fuerat peracta
Nuptiis, virgo verecunda vultu
Ducitur celso tibi copulanda
Candida lecto.

Cumque jam clausum fuerat cubile,
Et quies cunctis foret alta rebus,
Tu tuæ sponsæ loqueris pudicæ
Talia verba :

Nata de magno, mea sponsa, rege ;
Non tuum castum violabo corpus,
Si placet mecum pia vota castæ
Jungere vitæ.

Annuit virgo tenero pudore,
Et Deo magnas dedit ore grates,
Integram servaus generosa castam
Corpore vitam.

Ipse mox celsam genitoris aulam,
Spiritu sancto monitus, reliuquens,
Horridas sylvas heremumque * vastis
Saltibus intras.

** al. Hercinium que*

C Et per exesæ cava saxa rupis
Stratus orabas manibus supinis,
Fervidum solem, Boream, nivesque
Passus et imbres.

Et feras inter medius quiescens,
Sæpe montanis satiatus herbis,
Hauseras puram liquidis fluentem
Fontibus undam.

15 His ubi corpus dapibus foveres,
Mentis in puram tenuatus auram,
Sæpe divinos nitido videbas
Pectore vultus

in quo summatim narrat

Sic tribus lustris tacito peractis,
Inde Romanam properas ad urbem,
Qua Dei verbum mouuit per orbem
Spargere Pastor.

Ipse mandatum recipis paternum,
Et vagus terras varias pererras,
Donec immensum peregre venires
Lætus ad Istrum.

Hic ubi cymbis tumidus careret,
Præbuit tutam, Pater almc, navem
Pallium, quo tunc fueras pudico
Corpore tectus.

Moxque per vastas nemoris latebras
Noricam lætus veniens ad urbem,
Hanc doces sacro monitu profanos
Linquere cultus.

AUCTORE G. C.

Et Deum celso residere cælo
Prædicas ; pœnas vitiis daturum,
Quique virtuti tribuat beatæ
Præmia vitæ.

Ille de casta Genitrice natus,
Corporis mortem tulerat cruentam,
Tertio Phœbo rediens sepultus
Victor ab oris.

19 Approbas multis tua verba signis,
Scripta quæ libro reperi fideli,
Nec minus claris hodic coruscas,
Inclyte, signis.

gesta ejus et miracula,

Cumque jam longo fueras labore
Fessus, et sedes meritus beatas,
Te senem nostras Deus imperabat
Linquere terras.

Spiritus sanctos ubi liquit artus,
Mox boves corpus tulerant agrestes,
Quas tuas sanctas modo personamus
Carmine laudes.

Ergo jam cælo merito locatus E
Hanc velis urbem *, mediis arenis
Conditam, sanctis precibus juvare
Sedulus orans.

** Id est Norimbergam*

Terra fecundo madeat liquore,
Et salutares habeat calores,
Spiceam gestans Cereris coronam
Fœnore multo.

Spumet et plenis rubicundus uvis
Bacchus, et frontes tetricas relaxet,
Et pecus lætis numerosa carpat
Pascua pratis.

Prosperos servent radiosa cursus
Astra, nec morbos subitos minentur,
Paxque per nostras maneat perenni
Tempore terras.

Fata Germanis faveant triumphis,
Dum petet Turcus * gladiis cruentis
Principis nostri juvenile robur
Maxmiliaui.

** Al. petit Turcos*

Hiuc ubi nostras animas, solutis
Corporum vinclis, Deus evocabit,
Confer, ut tecum capiamus alti
Gaudia cæli.

Hæc ubi nobis, Pater, impetrabis, F
Ante supremi faciem Tonantis,
Hic tuas semper cumulemus aras
Thure benigno.

17 *Ex illo carmine colligo, hunc poëtam laureatum verosimiliter præ manibus habuisse longiora* S. Sebaldi *Acta, qualia post hunc Commentarium prævium ex nostro Ms. apographo vulgabimus. Insuper ex hoc metrico Vitæ compendio patet, ante perniciosum Lutheri dogma apud Norimbergenses aliosque Germanos publicam fuisse famam de crebris* S. Sebaldi *miraculis, ita ut ipsi hæretici Centuriatores ea fateri cogantur, quantumvis huic confessioni suæ matignam ac futilem contumeliam addiderint, dum* cap. 10 *Centuriæ octavæ de Sancto nostro sic petulanter scribunt :* Ad Longobardos ergo accessit, et postea Ratisbonam, ac postremo prope Norimbergam in solitudine vixit; doctrina et miraculis claruit, quibus in eremo forte arboribus et feris profuit : ad homines enim solitarius raro venit. *Sic nempe procaces isti scribillatores insignem patriæ suæ benefactorem irrident, tamquam hominem inutilem, quamvis sanctus ille Vir majores ipsorum fide Catholica imbuerit, et salutarem suam doctrinam miraculis*

quæ ridentur ab impiis Centuriatoribus Magdeburgensibus,

AUCTORE G. C.

miraculis confirmaverit, ut etiam inviti non audent negare.

quorum audacia retunditur.

18 *Verum, ut alia omittam, his turbulentis monasticæ vel solitariæ vitæ osoribus jam dudum Gretserus noster cap.* 9 *supradicti Operis solide respondit in hunc modum* : At alii ad solitarios accurrebant, et quidem turmatim, quibus exemplo sanctæ et asperæ suæ vitæ, miraculisque et salutaribus hortamentis plurimum proderat. Exempla hujusmodi accursus ad eremicolas, si petis, ea tibi PHILOTHEUS seu HISTORIA RELIGIOSA Theodoreti suppeditabit; ut et alia monumenta, quæ libro, quem VITAS PATRUM appellamus, inserta sunt. Illi vero anachoretæ, qui a consortio mortalium penitus sese removerunt, haudquaquam pro inutilibus terræ ponderibus reputandi sunt, quia humano generi orationibus suis ad Deum jugiter profusis multo maxima emolumenta adferunt, ut ipse etiam S. Augustinus in libro de Ecclesiæ Catholicæ moribus agnovit, palamque prædicavit. *Utinam heterodoxi monachorum contemptores hæc attento animo expendant, et Catholicam atavorum suorum pietatem imitentur! Nunc aliqua* S. Sebaldi *gesta severe discutiamus, ut illi avitæ religionis desectores intelligant, nos non cæco modo admittere omnia Sanctorum Acta, quæ vulgo circumferuntur, quamvis hos Dei amicos propter auctoritatem Ecclesiæ et evidentia miracula invocemus, et sacras eorum reliquias antiquo more veneremur.*

§ III. Examen Actorum, pretiosus Sancti tumulus jam destructus, præsens reliquiarum ejus status, et salutaris monitio ad Norimbergenses.

Ætas Sancti

Antiquior biographus initio Actorum asserit, Sanctum nostrum tempore Pipini gloriosi et Caroli filii sui regum Francorum *ex Christianissimis Daciæ vel Daniæ regibus natum fuisse. In hac brevi assertione occurrunt nonnulla, quæ improbabilia videntur, et quæ postmodum examinabimus. Interim hoc loco discutiemus solam chronologiam, in qua scriptor ille sibi non constat : nam deinde num.* 7 *et* 8 *affirmat, quod* præsul egregius Gregorius Secundus, Papali dignitate fultus, *Sanctum nostrum ad prædicandam Evangelicam veritatem miserit, et hic in itinere tunc sanctos fratres Willibaldum ac Wunibaldum repererit. At Pipinus tantum anno Christi* 752 *in Gallia regnare cœpit, cum Gregorius II Pontifex jam ante viginti annos ex hac vita migrasset. Si igitur* S. Sebaldus *primum natus fuerit* tempore Pipini gloriosi et Caroli filii sui regum Francorum, *quomodo a Gregorio II Pontifice ad Evangelium prædicandum mitti potuit?*

de qua auctores dubitant,

20 *Si operæ pretium foret, possemus hunc nodum arctius stringere ex antiquis Actis S. Willibaldi, quæ in Opere nostro ad diem* VII *Julii illustrata sunt. Verum ex dictis abunde liquet, nativitatem* S. Sebaldi *multis annis prævertendam, vel Evangelicam ejus prædicationem diutius differendam esse. Forsan hanc difficultatem chronologicam vidit Conradus Celtes Protucius, ideoque in Descriptione urbis Norimbergensis cap.* 8 *agens de præcipuis istius civitatis ecclesiis, Germanicam* S. Sebaldi *commorationem post tempora Caroli Magni, qui fuit Pipini filius, distulit his verbis* : Prima et honoratior *(nimirum ecclesia Norimbergæ)* Petro Apostolo dicata, et divi Sebaldi corpore et sepultura sua celebris. Is dum paulo post Caroli Magni tempora, ut Britanni, Galli, et Hybernici Christianam religionem in Germaniam invexerant, cum aliis influens, primus ejus collis et nemoris incolas ad religionem Christianam vita et morum sanctitate invitavit, ejectis veteribus diis, quos priscorum hominum simplicitas suorum agrorum et locorum præsides et tutores putabat.

ac inter se dissentiunt.

21 *Non parum ab hac Conradi Celtis opinione discrepat Petrus Cratepolius Minorita, dum in Opusculo de Sanctis Germaniæ apud nos pag.* 133 *sic scribit* : Sebaldus confessor sanctissimus anno Domini DCCXVII doctrina et vitæ sanctitate in superiori Germania floruit. *Alii tradunt, eumdem Sanctum floruisse sub Carolo Martello et Pipino hujus principis filio, ut Raderus noster tomo* 2 *Bavariæ sanctæ pag.* 55 *testatur in hunc modum* : De annis non satis constat; Martello Franciæ principe et Pipino rege, patre Caroli Magni, vixisse autumant. *Etiamsi ignoremus, quodnam systema chronologicum ex his præferendum sit, quia tamen plerique scriptores consentiunt,* S. Sebaldum *jussu Gregorii II Pontificis Evangelium prædicasse, initio Commentarii prævii notavimus seculum octavum, tum quod eo seculo verosimillime obierit in hac hypothesi, tum quod certe plura istius Sancti gesta ad illud seculum spectent.*

natale solum

22 *Sed quæcumque chronologia erudito lectori magis placuerit, nemo nobis facile persuadebit,* S. Sebaldum *eo tempore in Dacia vel Dania (apud scriptores medii ævi* Dacia *pro* Dania *passim accipitur) ex Christianissimis parentibus originem duxisse : nam eo seculo Dania nondum fidem Christianam susceperat. Insuper Dacia stricte dicta, quæ circa Tibiscum Danubiumque notissimos Europæ fluvios sita est, illo tempore non habebat reges proprios, ex quibus tamen* S. Sebaldus *oriundus dicitur. Vides hic ubique spinas ac salebras, quas si quis amoliri potuerit, magnam nobis gratiam præstabit. Unde scriptores quidam his difficultatibus intricati putarunt, Sanctum illum ex Britannia, Scotia vel Hibernia ortum esse, ut iterum Raderus noster loco proxime citato indicat his verbis* : Sebaldum alii Dacum natione, alii Danum, alii vel Britannum vel Hibernum vel Scotum faciunt; adeo plerique scriptorum divinant potius, quam narrant. Regio satu editum omnes fere consensu tradunt; nec interim quisquam parentes exprimit vel ejus majores, quod simplicitas ævi minus ad hæc attenderet, aut vetustas temporum, quæ omnia consumit, etiam nomina deleret. Danum non fuisse, ratio temporum ostendit, cum longe post Dania sub leges Christi concesserit. *His superaddo, quod idem Sanctus in rhythmo vel Sequentia Missæ propriæ, quam* § I *hujus Commentarii exhibuimus,* de Francis genitus *dicatur. Dubitamus, quænam ex diversis istis regionibus nativitati* S. Sebaldi *probabilius adscribenda sit, si excipias Daniam, quæ ob rationem supra allatam nulla verisimilitudine ei patria assignari potest.*

ac Parisiensis studiorum palæstra examinantur.

23 *Acta nostra num.* 3 *narrant,* S. Sebaldum *in adolescentia Parisios missum fuisse, ut ibidem litteris operam daret. Laudatus Raderus noster loco mox citato circa hanc studiorum palæstram observat sequentia* : Institutum aiunt primus pueritiæ

A ritiæ annis optimis litterarum disciplinis Lutetiæ Parisiorum, quod ante academiam conditam fieri oportuit: nam anno demum DCCXCI Lutetiana academia a Carolo Magno instituta est, ut ex variis scriptoribus Jacobus Middendorpius ostendit. *Deinde ibi ex Middendorpio refert, Parisiis etiam antea litteras a doctoribus publicis traditas fuisse. Cæsar Egassius Bulæus in Historia universitatis Parisiensis id ipsum probat plurimis argumentis, et tomo* I *istius Operis pag.* 88 *ex iis ita concludit :* Ex dictis igitur intelligimus a primis Christi seculis, maxime vero ab instituta monarchia Francorum ad annum circiter DC perpetuum fuisse Lutetiæ litterarum exercitium, non eo quidem splendore, quo post Carolum Magnum fuit; sed aliquo certe et laudabili; atque adeo non ita fuisse barbaros Parisienses, ut Angli prædicant: quandoquidem, ut testantur eorum Annales, Lutetiam commigrare solebant ad primariam regni Francici sedem, ut suavioribus disciplinis, civilitate morum, sana doctrina, divinarumque Scripturarum intelligentia imbuerentur. *Igitur hæc studiorum palæstra nequaquam fidei Acto-* B *rum repugnat, etsi de illa nihil certi affirmare possimus.*

Professioni ejus Benedictinæ, quam aliqui adstruunt,

24 *Dorganius, Menardus, aliique Martyrologi Benedictini sanctum illum Eremitam passim Ordini suo accensent, ac inter eos Arnoldus Wionus in Ligno vitæ part.* 2 *lib.* 4 *cap.* 24 *pag.* 504 *sic scribit :* Sanctus Sebaldus, Daciæ regis filius, sponsa relicta, mundique pompis abdicatis, in eremo primum quindecim annis, radicibus herbarum contentus, vixit. Deinde Ratisbonæ, postremo Nurenbergæ in cœnobio sancti Martini monasticam vitam eligens, tamquam securiorem, eamdem ad finem usque vitæ, quæ accidit XIV Calendas Septembris tenuit. Floruit sub annum Domini DCCXVI. *Verum Benedictus Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib.* 4 *pag.* 224 *post compendiosam* S. Sebaldi *Vitam propterea ibidem in Notis Wionum sic refellit :* Errare convincitur, cum dicit, eum vitam monasticam in cœnobio S. Martini duxisse, cum ex ejus Vita fideliter descripta reperiatur, eum senio et infirmitate correptum, et de morte divinitus certiorem redditum, in dictum monasterium advenisse, ut sepulturæ corpus suum mandaretur. *Go-* C *nonus ibidem Schedelium et Cratepolium, quos supra laudavimus, testes hujus rei allegat.*

vetustiora Acta nostra,

25 *Equidem fateor, ab ambobus istis scriptoribus similia referri; sed antiquiora Acta nostra de adventu* S. Sebaldi *viventis ad illud monasterium Benedictinum non meminerunt. Quinimo potius innuunt, tantum reliquias ejusdem Sancti ex alia ecclesia ad istud monasterium translatas esse, ac ibi trantisper quievisse, quemadmodum num.* 16 *narratur his verbis*: Sed accidit, ut supra sanctum exstinctum corpus ecclesiuncula ad modum pandochii fieret, quæ cum fulmine consumpta esset, sanctum corpus ad ecclesiam S. Ægidii (*hæc prius ecclesia S. Martini appellabatur*) Ordinis S. Benedicti ab hominibus delatum est, quo usque fabrica alia fieret solennis. *Etiam Raderus noster hanc narrationis discrepantiam observavit, dum tomo supra citato Bavariæ sanctæ pag.* 57 *sic scribit :* Sylvæ cultoribus et viciniæ cum legem cælestem exposuisset, reliquias idolorum abolevisset, annis et senio laboribusque fractus ad divi Martini sodales Noribergam confugit, ultimumque ibi diem clausit. Quamquam alii sunt auctores, qui tradant eum in

AUCTORE G.C.

ipsa sylva decessisse, corpusque jumentis jugi insuetis impositum ad locum, quem destinarat quieti, deportatum conditumque, crebris beneficiorum miraculis inclaruisse. *Sed sive in ipsa commorationis suæ sylva obierit, sive in fine vitæ ad cœnobium S. Martini venerit, æquo lectori sequentia argumenta propono : Si* S. Sebaldus *ad Ordinem S. Benedicti pertinuisset, et in cœnobio S. Martini mortuus esset, cur monachi Benedictini sacrum ipsius corpus alio loco sepeliri permisissent? Cur longiora Acta nostra de Benedictina* S. Sebaldi *professione, ac commoratione ipsius in cœnobio S. Martini, nullum verbum faciunt?*

et Mabillonius videntur repugnare.

26 *Haud dubie Mabillonius has aliasque difficultates expendit, et propterea forsan in Opere de Sanctis Ordinis Benedictini sec.* 3 *part.* 2 S. Sebaldum *in Indice prævio inter Prætermissos collocavit. Jam vero eruditissimus ille scriptor Benedictinus Præfationi seculi primi num.* 10 *inseruit hoc monitum :* Quia vero contingit nonnumquam, ut quorumdam Sanctorum Vitæ, sive scriptorum defectu, seu temporum injuria, reperiri non possint; eas vel ex veterum auctorum dictis sparsim exceptis conteximus, quas ELOGIA HISTORICA E appellamus; vel ex recentioribus, qui de iis scripserunt, rarius quidem, exprimimus. Sicubi vero nihil sani aut explorati potuimus assequi, incertis relationibus prætermissis, silentii nostri rationem post primum Indicem in Operis fronte reddimus. *Dein ante Indicem Prætermissorum ejusdem seculi monet, se Acta quorumdam sanctorum monachorum, qui in Kalendario Benedictino reponi solent, consulto prætermisisse,* sive quod monachi non fuerint, *inquit,* aut certe Ordinis nostri suppositii, parumque ad res nostras illustrandas eorum gesta conferant; sive quod Vitæ eorum erroribus et fabulis respersæ sint, seu quod penitus exciderint. *Nulla autem hujus omissionis ratio videtur probabilior, quam prudens opinio sincerissimi Mabillonii, qui verosimiliter judicavit,* S. Sebaldum *ad Ordinem suum non spectare : nam saltem aliqua hujus Sancti gesta invenire poterat apud Schedelium, Cratepotium, ac sodalem suum Gabrielem Bucelinum, qui hac die in Menologio Benedictino* S. Sebaldum *Ordini suo accenset, eumque longiore elogio exornat. Nunc ad posthumam Sancti nostri gloriam et præsentem hujus statum transeamus.* F

Patet ex veteri sepulcro, quod hic describitur,

27 *Quanto in honore* S. Sebaldus *olim apud Norimbergenses fuerit, indicat magnificus tumulus, quem cives adhuc Catholici magnis impensis ei construxerunt. Eobanus Hessus, licet jam tum fuligine Lutheranæ hæresis aspersus, in sua Norimberga istud illustre pietatis et munificentiæ monumentum descripsit sequenti carmine hexametro :*

Exstat in hoc templo monumentum insigne Sebaldi,
Quem Divum pars magna vocant : hic primus ab orbe
Externo veniens, fertur loca nostra colentes
Christicolam docuisse fidem, pro cujus honore
Officii meritisque piis his cultibus illum
Affecit pia cura patrum, testata salutem,
Hoc primum doctore, sibique suisque paratam :
Atque ideo hoc illi posuere insigne sepulcrum
Officii memores, quo non præstantius ullum,
Sive manu, sive ingenio, sive arte magistra
Contendisse libet; totum est ex ære nitenti
Artificis cælata manu, pulcherrima moles
Naturæ variis operum, forma omnis ab imo

AUCTORE G. C.

Surgit epistyliis fracta excrescentibus inter
Serpentum species operosa toreumata florum.
In summa coit, et pulchri fastigia tecti
Contrahit, ipsa etiam variis cælata figuris.
Non angusta tamen, ne vertex summus acutam
Pyramidem faciat, quamquam tres pyramidales
Adsimilet conos; circum capitella columnis
Addita sunt, spiræque breves, torulique rotundi,
Atque abaci teretes, quibus aut simulacra deorum
Aut hominum insistunt; videas colludere fictas
Arte puellarum effigies, semperque novatos
Formarum vultus, colubros adrepere, nudas
Stare puellarum species tenus ilia, donec
In caudas abeant media plus parte draconum.
Quid statuas alias memorem matrumque virorumque,
Has nudas, illas armis et vestibus aptas?
Quid tot quadrupedum formas, tot sculpta leonum
B Corpora, nudorum infantum quid mille figuras?
Musa nec ulla queat tanto satis esse labori,
Nec verbis æquare opus immortale futurum:
Quod neque Praxiteles, nec Myron, nec Polycletus,
Nemo Cares, nemo Scopas reprehendere posset:
Quamquam fama illos sculpendi nobilis æris
Commendat, nostros melior perveuit in annos
Gloria: sicut enim fuit ignorantior ætas,
Et rudis illa prior, sic nos, crescentibus annis,
Crescere, et inventis meliores addere rebus
Par fuit, et veterum vinci feliciter artes.

quanto in honore S. Sebaldus, olim fuerit apud Norimbergenses,

28 *Saltem gratias debemus huic poëtæ Lutherano, quia ingenue fatetur, quod Norimbergenses officii memores istud insigne sepulcrum benefactori suo erexerint, et hoc monumentum fuerit* pia cura patrum, testata salutem, hoc primum doctore, sibique suisque paratam. *Sed ab hac pia patrum cura Norimbergenses paulatim desciverunt, dum in urbem eorum irrepsit hæretica Lu-* C *theri secta, quæ sensim religioni Romano-Catholicæ successit, et de qua luctuosa mutatione laudatus Erdtmannus pag. 36 suæ Norimbergæ sic scribit:* Catastrophe religionis Catholicæ causata ab impio quodam monacho Augustiniano Wolffgango Volprecht, Lutheri discipulo, qui cum duos sancti Sebaldi et sancti Laurentii præpositos et parochos clanculum seduxisset, et Lutherana lue infecisset, una cum illis a Wigando episcopo Bambergensi, tamquam ordinario Norimbergensium, citatus est. Illi examinati et incorrigibiles hæretici sunt inventi. Quamobrem, quidquid per procuratorem suum Andream Osiandrum frustra protestarentur, et ad divinum tribunal provocarent, excommunicationis sententia, quæ sequitur ab impresso exemplari descripta, sunt condemnati. *Post hæc refert Latinam episcopi Bambergensis sententiam, et huic deinde subdit Germanicum instrumentum anni 1524, quo tres isti pertinaces hæretici a legitimo suo judice ad purum Dei verbum sive solam sacram Scripturam appellarunt.*

qui postea hæresim amplexi, illud argento spoliarunt,

29 *Verum hæresi indies accrescente, Norimbergenses non solum ab avita patrum suorum pietate defecerunt, sed etiam contra articulos fœderis Passaviensis spoliarunt Catholicas ecclesias aureis argenteisque donis, quæ pii ipsorum majores Deo et Sanctis obtulerant. Porro fœdus Passaviense, quod ineunte mense Augusto anni 1552 inter Catholicos et heterodoxos conclusum est, in nuper edito Corpore diplomatico Juris gentium tom. 4 part. 3 pag. 42 et sequentibus legi potest, et propter illud memoratus Erdtmannus in sua Norimberga pag. 45 notari jubet,* spoliationem illam reliquiarum, argenti quoque pariter et auri, quibus inclusæ asservabantur, conflationem post Passaviensia concordata factam fuisse: nam Passaviensis transactio finem accepit postridie Calendas Augusti anno MDLII; at reliquiarum istarum alienatio, distractio, et venditio facta est primum ejusdem anni partim mense Octobri sub finem, partim mense Novembri, ut ipsa manus destructoris et venditoris N. N. attestatur. *Hinc ibidem ita concludit:* Ergo ecclesia beatissimæ Virginis, alias Capella regalis, in foro dominorum, et ecclesiæ collegiatæ sancti Laurentii et sancti Sebaldi, Catholicis violenter ademptæ, de jure per Cæsaream Majestatem aliosque Catholicos principes repeti E possunt.

etsi corpus ipsius adhuc putetur conservari in eadem urbe,

30 *Erdtmannus his subjungit ipsum computum venditoris, qui Germanice exactas dati acceptique rationes subduxit. Deinde scriptor ille Catholicus post exhibitam pecuniæ summam, quæ ex sacrilega harum trium ecclesiarum spoliatione provenit, idiomate Germanico disserit in hunc fere modum:* Ex tanto triplicis ecclesiæ thesauro facile conjectari potest, quantum pecuniæ Norimbergenses heterodoxi hauserint ex variis utriusque sexus monasteriis aliisque templis, quæ postmodum spoliarunt. *Denique ibidem indicat, se nescire, quid de corpore* S. Sebaldi *actum fuerit. Verum Raderus tomo 2 Bavariæ sanctæ pag. 57 innuit, adhuc Norimbergæ reliquias ejusdem Sancti sua ætate superfuisse, dum ibi sic scribit:* Sacrum ejus pignus Noribergæ in æde principe Petri et Pauli olim religiosissime cultum, hodie, ut omnes Divum cineres (quod impia Lutheri secta acceptum feras) neglectum jacet, donec propitium magis cælum Germanicas terras respiciat. *Præterea Papebrochius noster in Ms. suo Itinerario testatur, sese Norimbergæ anno Christi 1660, quo una cum Henschenio per Germaniam in Italiam profectus est, vidisse templum* S. Sebaldi *jam a Lutheranis* F *occupatum, sibique in eo ostensum fuisse æreum Gothici operis umbraculum, in formam tecti assurgens, sub quo corpus ejusdem Sancti adhuc quiescere dicebatur.*

exceptis quibusdam reliquiis antea alio translatis,

31 *Etiamsi propter illa Raderi ac Papebrochii testimonia nihil certi de qualitate ac præsenti statu harum reliquiarum pronuntiare possimus, tamen ex Phosphoro metropolitanæ ecclesiæ Pragensis novimus, costam et duas alias partes* S. Sebaldi *confessoris anno 1361 Norimberga Pragam allatos fuisse ab imperatore Carolo IV, ut ibidem notatur in Diario reliquiarum ad diem* XIX *Augusti, sive pagina 516 istius Operis, quod illustrissimus Thomas Joannes Pessina de Czechorod anno 1673 Pragæ edidit. Præterea ex Theatro vitæ humanæ, quod Laurentius Beyerlinck operose collegit, pag. 284 litteræ* R, *ad vocem* reliquiæ, *etiam discimus, aliquas* S. Sebaldi *exuvias in Andecensi Bavariæ monasterio conservari. An autem alia quædam hujus Sancti lipsana ante exortam Lutheri hæresim translata fuerint, et in vicinis ecclesiis Catholicorum quiescant, hactenus ignoramus.*

32 *Quare hunc Commentarium prævium concludimus pathetica parænesi, quam laudatus Erdtmannus*

A *mannus inter beneficia Pontificum Romanorum ac præsulum Bambergensium diplomata dirigit ad Norimbergenses, ubi pag. 72 sui opusculi eos alloquitur his verbis :* Hic iterum, o Norimberga, signum cape luculentissimum, quanto favore te olim prosecuta fuerit sancta Romana Ecclesia, et divi Petri successores atque Christi visibilis in terris Vicarii, ovilis Dominici supremi Pastores. Ah quid fecisti, tam piam ac dulcem tamque benignam matrem [deserendo, et] ad instantiam et persuasionem unius lascivientis monachi Wolffgangi Volprechti, hæreseos Lutheranæ fermento corrupti, tam turpiter a veteri et majorum tuorum et avita religione deficiendo ? An non in eadem ipsa Catholica fide, dum nihil amplius esses, quam nudum castrum et exiguus pagus, ac demum successu temporis parvum oppidum, patrocinante tibi sanctissimo Noricorum apostolo divo Sebaldo, in tantam amplitudinem excrevisti, ut tibi vix similis in toto imperio Romano idveniatur ? Revertere, obsecro, ad ovile Christi ; dulcissimam matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam, abstracto glaucomate, a quo B excæcaris, agnosce et amplectere, nisi velis pessum ire. Hæc Norimbergensibus forsitan auditu injucunda, sed tamen salubria, suo loco hac vice transmittemus, et aliquot etiam episcoporum Bambergensium diplomata in medium producemus. *Cum diplomata illa hic ad rem nostram non spectent, non jam gesta et miracula* S. Sebaldi *primum typis excudemus, ac eadem solitis annotationibus illustrare conabimur.*

quam Erdtmannus ad avitam fidem resumendam hortatur.

ACTA

Auctore anonymo incertæ ætatis.

Ex Ms. Carthusiæ Gemnicensis in Austria, cujus apographum Joannes Gamans noster anno 1618 ad nos misit.

C

PROLOGUS.

Auctor pauca obscure præfatus,

Si Dominum in Sanctis ejus ore Prophetico laudare jubemur, tunc certe nobis pluris laudis excrescit occasio, pro quanto vobis de sanctitate alicujus evidentior constat ratio : generosa enim mens plus illic afficitur, ubi cognoscit honestum, scilicet, Deo acceptum, quantumcumque minime sibi cognitum, quam ad absconditum, et ad usquequaque occultum. Quia ibi saltem habet, ad quod refugiat ; sed ad ex omni parte latitans nullum habet præsidium. Sed in omnipotentis Dei beneplacitis, quis cognoscit vel cognovit sensum Domini ? Aut ut nobis insinuaret, in quo eum laudare deberemus, quis consiliarius ejus fuit ? Aut quis prior dedit illi, ut retribueretur illi ? Itaque ex alto æternoque Deitatis emanat consilio, ut nobis et cunctis fidelibus daret Deus notam facere viam suam, et voluntatem suam in glorioso confessore suo Sebaldo, et ipsum veris filiis Abrahæ turrem inexpugnabilem prærogavit, Et ipse certe turris est fortissima. Quare ad ipsam confugere debent omnes gentes ; quia ex hoc procul dubio datur honor, gratia et virtus et fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.

A. ANONYMO.

CAPUT I.

Mira Sancti nativitas, pia educatio, nuptiæ solutæ, vita eremitica, prædicatio Evangelii in Longobardia cum variis miraculis.

Tempore Pipini gloriosi *a*, et Caroli filii sui Regum Francorum *b*, tunc thronus regius et respublica per Christianissimum regem gubernabatur in Dacia *c*, qui generosam moribus et religione Christianam habuit uxorem, sed tamen infœcundam ; de quo illustris rex non modicum tristabatur, hæredem desiderans paternæ successioni, et E regiæ dignitati. Imo etiam regina pondus suspiriorum et quamplurium anxietatum exinde non fuit inexperta : qui tandem mutuo consensu Deo spoponderunt, et indissolubili voto voverunt vitam illibatæ castitatis, dummodo divina clementia desideratam eis dignaretur tribuere sobolem, quam etiam præceptis altissimi Regis et ad ejus laudem promiserunt instruendam. Quorum devotionem Deus benigne influens *, et eorum pias preces exaudiens, desideratam eis largitus est sobolem, unicum filium, nomine Sebaldum, de quo munere Deo omnipotenti gratias retulerunt, et deinceps votum castitatis pariter tenuerunt. Nascitur ergo infans Sebaldus ornamentum generis, parentum gloria, propinquorum lætitia, familiæ decus, hæreditatis spes, desideratæ prolis testimonium. In hujus nativitate gaudent omnes, cuncti lætantur, pensata salubriter : unde fit ex femina sterili mater fœcunda in filio, et quasi marcens ætas reparatur juventute, ac tenente debita ætate, juvenilia geruntur a matre.

narrat miram Sancti nativitatem, a b c

** forte intuens*

3 Nutritur itaque dulciter puer Sebaldus, et in ipsa tenera ætate virtutum plantantur insignia. Deo F timorem [exhibet] pariter et amorem, parentibus obedientiam, ad ipsos et reverentiam, clementiam ad omnes, sicque fuga proficit vitiorum amabilis infantulus. Et sicut Deus mirabilis est in Sanctis suis, ita mirabiliter operatur in electis suis. Nihil mirum. Sicut puer crescebat ætate, ita crementum capiebat virtutum soliditate. Cumque quintum decimum annum attigisset, laudabili more principum Parisios mittitur ad ornandum se sacris scientiis : in quibus quasi supra humanum modum cœpit juvenis proficere, ut omnes coætaneos, et multos prolixioris ætatis superaret : ita ut cunctis ibidem morantibus spectaculum, et res mira haberetur exinde. Tandem gloriosus adolescens Sebaldus sic multiplicabat virtutes, ut non discipulus, sed magister haberetur probatus. Igitur optatis adeptis virtutibus, feliciter revertitur ad patriam, non modica illustribus parentibus exinde orta lætitia ; quem conspiciunt moribus gravem, loquela sagacem, in agendis providum, in actis bonum, in devitando vitia cautum, sicque per omnia prudentia locupletem.

piam adolescentiam,

4 Sed cum pius rex et sua conthoralis regina, pater et mater gloriosi adolescentis Sebaldi, voto se continentiæ astrixissent, suam generosam genealogiam

nuptias,

A. ANONYMO. nealogiam numerosius augmentare, non in se ipsis, sed honeste et laudabiliter viribus ex totis conabantur in Filio. Perlustrantur igitur principatus et regna, patris ex imperio visitantur climata mundi, si quæ nobilis reperiatur virgo, quæ filio regio sociëtur in matrimonio. Post itaque prolixas inquisitiones, magnifica ambasatia *d* dirigitur patri Christianissimo regi Daciæ filia cujusdam Comitis in regno Franciæ, quæ etiam de illustrissima prosapia domus Franciæ descenderat, virgo multam speciosa, et bonis moribus ornata, quæ regi placuit; et eam honorifice filio suo Sebaldo in matrimonio sociavit, dote præscripta, et sponsalibus laudabiliter præmissis.

earumque solutionem, 5 In prima igitur nuptiarum nocte ante medium noctis virgo speciosa non virum maritum, sed suæ virginitatis pudicissimum persentit custodem. Post medium noctis pudicus Sponsus sponsam more sagacis doctoris honeste alloquitur dicens : Virgo generosa, mihi matrimonialiter es sociata; leges et jura matrimonii Euangelici te ignorare non decet. Bona res in matrimonio est fœcunditas corporum, quia inde proles nascitur : B sed multo, imo inexplicabili excessu, melior in matrimonio Euangelico fœcunditas mentium, sine pollutione corporum, seu contactu quovis modo membrorum. Nam in matrimonio Euangelico virginibus consulitur, virginitas probatur, virginitas perficitur, stipendia colligit meritorum. Quare, dilectissima sponsa mea, certare et militare Deo debemus, et summo studio in nostra virginitate servare Apostolicum dictum : Virgo cogitat, quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu in Christo Jesu.

relicta sponsa, *e* 6 Hac doctrina sponsæ virgini pro VALETE *c* data, ei imperavit silentium, et more beati Alexii, a virgine recessit. Itaque in nocturno tempore quidquid divitiarum, quidquid delitiarum ac honorum hujus mundi, a se abdicavit, et arctam vitam elegit eremiticam. Nam silvam densam, et ab hominibus remotam in suæ habitationis exercitium elegit, in qua diurnis pariter et nocturnis prolixis ac devotis insistebat orationibus; divina et quotidiana persolvebat jejunia, et multas noctes perduxit insomnes. Interea dum quasi funereum ex arcta vita corpus suum gestaret præ pondere, nullo tamen modo destitit malignus spi- C ritus lividas carnis scintillas instaurare; ita ut et in nemore non modicum minus certaret spinoso, quam tyro secularis fecisset in lætitia mundiali. Sed amplior excrescit victoria, ubi excellentior devincitur in pugna : nam quoties carnis (sed ut raro aut ut sæpe de hoste [triumpharet] perverso) stimuli, legi mentis repugnare nitebantur, toties vepres electas intime perlustravit, in easdem acerbe volutatus, extinxit per vulnera corporis, quidquid delectationis undecumque venientis insurrexerat carnis.

Post vitam aliquot annis in eremo transactam 7 Tum autem illi toties cumulabatur præmium, quoties ex ipsius bono opere plures captabant emendam vitæ. Proinde eum lustris tribus *f* monachus Regi summo militasse in eremo, flagrabat eremita Sebaldus conversationem in populo, ut granum scholasticum *g* in agro seminaret Dominico, et ut ex effectu operis sequeretur sui laudabilis convenientia nominis *h*, propulsa tamen inani gloria, quia sic in eo Euangelicus spiritus operabatur, cujus perenni dono fuerat illustratus. Jam pia silvarum ligna deserens, limina Sanctorum amplectens, ima ex devotione sarcophaga Apostolorum Romæ visitabat, ubi tunc Præsul egregius Gregorius Secundus *i* Papali erat dignitate fultus. Cui cum de tanto viro bona fama D et laudabili vita auditæ virtuti testimonium perhibuisset, ei officium indixit prædicandi veritatem Euangelicam, et debiles confortandi, bonosque solidandi; et doctrina malos corripiendi in eo stabilivit audaciam. Munus confessor Sebaldus amplectitur imperatum, et, ut decuit, debuit et valuit, exequi festinavit.

8 Sed cum ad euangelizandum pauperes missus incederet, comites reperit sui itineris sanctæ *Sanctus jussu Pontificis Romani* vitæ peregrinos, et morum honestate probatos Wilibaldum, et Wuuibaldum *k*, cum quibus *k* colles asperos lapidesque duros, tramite recto, animoque læto Dei ad laudem tempus exponit volubile, Sed nihil ponitur indebite, ubi recursus fit ad actionem naturæ. Idcirco cum ex itinere fatigati, turbinoso vento lassi, fameque reptarent examines, desiderium vescendi sancto Sebaldo expresserunt. Quos cum sanctus Confessor verbo doctrinæ hilares fecisset, ab eis paulisper discessit, orationeque facta, spiritus angelicus a supercælesti hierarchia missus subcinericium panem detulit. Quem capiens, Deo gratias retulit, et sic lætus ad socios est reversus, et ipsis panem, quem acceperat, legaliter distribuit. Rivulo prope potati, E inde Eliam esse prædicant, laudant Salvatorem, quod feliciter invenerant, cui sanctitatis deferrent honorem.

9 Festinavit itaque Vir Dei professor Longo- *prædicat verbum Dei in Longobardia,* bardis *l* spiritualem tribuere alimoniam, quorum paraphrasin *m* in paterna domo didicerat, more principum laudabili. Et cum prope Vincentinam *n* *l* civitatem parvum silvaticum reperisset locum, *m* utique tactus divinitus, ulterius progredi distulit. *n* Cujus fama gloriosa, cum vicina loca personasset, etiam ad distantes civitates evolavit, in tantum ut Mediolanenses et Papienses *o*, ceterarum- *o* que civitatum utriusque sexus homines ad ipsum Virum Dei audiendi gratia confluerent; quos benigno amore suscepit, et in fide Catholica diligenter instruxit. Sed illico quadam vice cum post suam prædicationem encenium *p* charitatis secum *p* facerent, discipulo suo, nomine Dionysio, Bacchi potum ipsis præcepit ministrare. Sed cum non haberet, quia nocte præcedenti, cum siti laboraret, ebiberat, et aliis, unde ministraret non dimiserat, mandato sancti Sebaldi non tam ob erubescentiam, quam ob difficultatem, non parebat. Sed F cum bis aut pluries fuisset admonitus, per improbitatem *q* sancti Patris, ac obedientiam præcepti *q* ad vas accessit, et quod vacuum ex toto reliquerat, ex toto plenum invenit. Ad quod incaute accedens, vinum cum impetu saliente in gremium totum perfudit. Unde invitati sunt sobrie refecti, quibus clare patuit miraculum, quod, Deo faciente, per sanctum Sebaldum fuerat operatum. Cujus exinde approbant doctrinam, et eum heroicum fatentur, sicque benedictionem ab ipso acceperunt, et magna cum lætitia unusquisque remeavit ad propria.

10 Alia etiam vice, cum multis hominibus *illudque miraculis confirmat.* etiam verbum Dei prædicaret, et mente devota Christianæ fidei astrueret veritatem, e medio audientium quidam surrexit hæreticus, qui omnia esse falsa, quæ S. Sebaldus prædicaverat, pertinaci animo asserebat, et sic in publico nefanda verba atque scelerata promebat. Quod cernens Sebaldus Deum exoravit, ut evidenti signo patefaceret hominibus, quod fides Catholica solum sit scala illa, cui innixus est Dominus. Statim usque ad collum in aspectu omnium, qui aderant, eum deglutivit tellus, sed cum ad os ulterius vorago

A rago ipsum mergeret, alta voce S. Sebaldum invocavit, ut pro eodem intercederet, omnem se falsitatem hæreticam abnegare, et soli Christianæ fidei sinceræ mente inhærere spopondit. Sicque ad orationem S. Sebaldi factum est, ut qui prius tendebat corpore ad ima, jam clarus fide elevaretur ad alta. Ad stuporem hujus miraculi multi tunc infidelium ad fidem sunt conversi.

ANNOTATA.

a *Pipinus iste primum anno Christi 751 vel 752 coronatus est rex Franciæ, ut chronologi passim testantur.*

b *Carolus Magnus Pipini filius natus est anno Christi 747, et tantum anno 768 cum fratre suo regnare cœpit. Sed nativitas* S. Sebaldi *sub his Francorum regibus non facile cum Actis ejus conciliari potest, ut § 2 Commentarii prævii breviter ostendimus.*

c Dacia *plerumque accipitur pro* Dania, *ut in Commentario prævio monuimus. Sed eo tempore Dania nondum conversa erat ad fidem Christianam, et Dacia propie dicta tunc Christianos reges non habebat.*

d Ambasiata, Ambassata, Ambassiata, *et plures vicinæ voces significant legationem, Gallice* ambassade, *ut in Glossario Cangii videre est.*

e *Id est pro* valedictione *vel ultimo verbo, quo ab amicis discedere solemus, ut ex sensu patet.*

f Lustrum *apud Latinos significat spatium quinque annorum. Unde pleraque Actorum compendia vel eorum explicatores quindecim annos per tria lustra intelligunt. Sed forte venerabilis Canisius noster sensum aucloris melius interpretatus est, dum in Martyrologio suo Germanico ad diem 19 Augusti in elogio* S. Sebaldi *scribit, eum* tribus annis *in solitudine vixisse, priusquam in Italiam proficisceretur; nam apud scriptores medii ævi, qualis hic noster est, lustrum pro spatio unius anni accipitur, ut quibusdam exemptis ad hanc vocem in auctiore Cangii Glossario demonstratur.*

g Scholasticum *granum hic pro grano evangelico seu semine doctrinæ evangelicæ ponitur, ut facile ex sensu colligimus.*

h *Hoc loco biographus verosimiliter alludit ad* C *Germanicam nominis Sebaldiani etymologiam, quam Justus Georgius Schotelius in Opere suo de Lingua Germanica lib. 5 tract. 2 pag. 1083 exponit his verbis* : Sebaldus, Sewaldus est relative contrarium Hegbaldo, Hegwaldo; ut Seebaldus, **Seewalt**, sit ille œconomus, qui foras exportat, seminat, plantat, arat, colit terram, rus, hortos; Hegwaldus, **Hegwalt**, qui collecta, demensa, decerpta recipiat, domum vehat, condat ac custodiat, quod dicit Sebaldum agricolam, Hegbaldum promum condum. *Hinc præterpropter intelligimus, quid scriptor Vitæ hic obscura sua ad nomen* S. Sebaldi *allusione velit.*

i *Tempora Gregorii II Pontificis cum regno Pipini et Caroli Magni componi non possunt, ut initio § 3 in Commentario prævio ostendimus.*

k *Amanuensis noster hic monet, in margine autographi Gemnicensis diversa manu cujusdam antiquarii post nomina Willibaldi et Wunibaldi hæc addi* : Qui fuerint filii regis Augliæ. *Ceterum de S. Willibaldo ad diem 7 Julii in Opere nostro egimus, et Acla S Wunibaldi postmodum illustranda erunt.*

l Longobardi *sunt populi septemtrionales, qui sedes fixerunt in ampla Italiæ provincia, cui nomen suum indiderunt, et quæ adhuc hodiedum vulgo* Lombardia *appellatur.* A ANONYMO.

m *Hoc loco paraphrasis accipitur pro idiomate, ni fallor; et auctor Vitæ hac voce innuit,* S. Sebaldum *in domo paterna didicisse idioma Longobardorum, quod tunc forsan ad linguam Italicam deflexerat.*

n Vicentia *passim nota Italiæ urbs in Longobardia, quæ ab incolis vernacule* Vicenza *appellatur.*

o *Mediolanum et Papia, quæ posterior etiam Latine Ticinum vocatur, sunt notissimæ civitates in Longobardia, ita ut ulteriorem de iis notitiam hic suggerere non oporteat. Sic etiam deinceps ad inclytas Germaniæ urbes; puta Ratisbonam et Norimbergam, nihil annotabo.*

p Encenium *vel* excenium *sæpius accipitur pro dono sive munere. At hoc loco videtur convivium significare.*

q *Per* improbitatem, *id est,* importunitatem *vel imperantis perseverantiam eo sensu, quo S. Lucas de illo, qui importune media nocte tres panes sibi amico commodari postulat, in Evangelio suo cap.* XI ỷ 8 *scribit* : Si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, E eo quod amicus ejus sit, propter IMPROBITATEM tamen ejus surget, et dabit illi, quotquot habet necessarios.

CAPUT II.

Prædicatio et miracula ejus in Germania, obitus, et locus sepulturæ mirabiliter assignatus.

Relictis itaque Italiæ partibus, in Bavariam *Sanctus miro modo venit Ratisbonam,*
peregre proficiscitur, ubi civitas Ratisbo-
nensis obtinet primatum, ad cujus latus iugens
fluvius et invadabilis decurrit, ubi tunc instabi-
le elemeutum obsequiose se obtulit sancto Sebal-
do, labilitate ac ferocitate deposita, suo cervi-
cem supposuit imperio: nam cum illa aqua pon-
te careret, et ad prædictam civitatem venire nou F
posset, aliquo navigio mediante, idcirco forte,
quia pauper temporalibus bonis erat, et naulum
solvere non habebat; aut ideo, ut suæ doctri-
næ illi homines colla jugo subjicerent, quem in
stupendo miraculo et humilem viderent; exutus
proinde melote *a*, per quam operiebatur cilici- *a*
um, quod continue gestabat, posuit super aquam,
et stetit super eam; mox ita factum est, ut nulla
suo corpori inesse gravitas videretur; sed quasi
dote subtilitatis fulcitus, more periti pyratis *b* fe- *b*
liciter adeptus est portum, at aqua quasi naturæ
lapideæ facta, sic gressus solidos, ac iter præ-
buit se calcanti. Quod videns quidam incola civi-
tatis, ipsum ad suum hospitium conduxit. Sed
cum hospitaliter illum tractare vellet, et vas luci-
dum, in quo potus cernitur, non haberet, a
viciuo quodam vitrum solenne *c* excredidit *, *c* * *Id est* mutuavit.
quod cum impleto vino porrigeret S. Sebaldo, in-
caute tenens in terram cecidit, et fractum est. Sed
ut luctus verteretur in gaudium, S. Sebaldus par-
ticulas legit, atque adeo sic fracta reunivit fra-
gmenta, ut absque læsionis signo vas creditum
post usum necessarium restitueret integrum.

12 Expleto igitur modico tempore, quod in illa

A. ANONYMO. ac deinde Norimbergam, illa civitate devote perfecerat, oppidum Nurnbergense, cui adjacet silva magna, studuit decorare ejus ex præsentia, et plebem illam, quæ in beneplacitis tartaricorum spirituum cæcis mentibus perfidiam explebat, ne sic miserabiliter periret, luce veræ fidei manuduxit, et normam militandi summo Regi verbo eis ac facto præscripsit.
d Nam vitam turbaticam *d* activam benigne perfecit in oppido; sed vita quieta et contemplativa fungebatur in silva; in qua accidit, quod quidam boves amitteret, eo quod propter pascua eos minaverat, sed cum quærendo huc illuc per totam diem mœsto corde, longis suspiriis et ejulatu magno incessisset, hora crepusculi S. Sebaldum obviam habuit; ab eo accersitus dulciter, dixit: Quære diligentius, et quod perdidisti invenies.
e Cui villanus *e*: Statim apprehendet me nox, et cum amiserim lucem, quo ire debeam, ignoro. Sicque fletu modo verba promebat anxietatis. Perstrictus igitur fraterna compassione Sebaldus pro damno villani, se in orationem dedit. Et quam sincere Deo pro eo preces effuderit, penset unusquisque ex opere et ex actu, stupenda
B rei magnitudine: nam finita oratione, qua interim
f g specificatus *f* sulcanus *g* breve tempus æstimavit,
h annuate *h* dixit S. Sebaldus: Erige manus conjunctas. Quo facto, digiti manuum sine arsura lucem radiabant fulgidam, ita ut non noctis videretur tenebra; sed ut haberetur lux meridiana. Ad quem S. Sebaldus ait: Deum lauda Salvatorem, et vide cito, quod amisisti in tristitia, reduces in lætitia. Qui impigre ivit, et boves perditos celeriter reduxit inventos.

ubi populum docens, 13 Cum autem Nurnbergensibus salutaris doctrinæ beneficium impenderet liberaliter, accidit, ut ex illis quidam pauper mechanicus, machinarumque factor ipsum colligeret hospitio. Hyems autem erat, et charitatis signa non multum lucebant in hospite. Tunc S. Sebaldus dixit hospitæ, ut ligna portaret, et ignem faceret, ut gelidum corpus posset renovare ad ignem. Quæ ob tenacitatem sui mariti ipsam prohibentem, pluries a S. Sebaldo jussa non fecit. Tandem mente tranquilla, impetuosis tamen verbis, dixit: Si ligna afferre non vis vel vales, apporta glaciem de platea. Quæ ut se ab immanitate expurgaret,
C certe glaciem et stillas portavit oppido: quibus insimul conjunctis, se in orationem dedit S. Sebaldus; qua finita, ex glacie ignis copiosus factus est, ita ut si aridorum lignorum strues fuisset incensa. Ad visionem hujus stupendi negotii, frigidus hospes ad ipsum factus est liberalis.

ac doctrinam suam miraculis confirmans, 14 Sed sequitur miraculum miraculo, ut sollerter pensetur, quam dira pœna plectatur immisericordia, et quam dulciter remuneretur charitas viscerosa. Nam hospes ad forum cucurrit, et ibi ultro pisces, sub orbatione oculorum anathematizatos emit, qui deprehensus, oculos amisit. Ad quem S. Sebaldus ait: Justum est, ut quælibet culpa suam luat pœnam: nam ligna, unde ignem et lumen habuissem, uxorem tuam ministrare mihi prohibuisti, ideo a lumine corporis jam est seclusus. Sed quoniam ex pietate ad id malum corporis devolutus [es,] beneficium accipies curationis; et collectis de terra oculis, [desideratum lumen oculorum redditurus, illos
i oratione *i*] quoque præmissa, debitis eorum locis imposuit. Sed supra naturam fecit S. Sebaldus, ut qui de amissione oculorum dolebat, jam de restitutione visus Deum et S. Sebaldum glorificaret. Ad factionem hujus miraculi, tunc omnibus Nurenbergensibus vita et fama S. Sebaldi celebris facta est; quia considerabant, et juste, D
quod talis, qui per facta opera illuminabat hominem in corpore, per sanctam doctrinam illos illuminaret in mente.

15 In progressu igitur bonorum operum evenit, pie moritur, ut XIV Kalendas Septembris debitum lethale solveret conditionis humanæ, quod et ipse multis devotis hominibus certitudinaliter ante prædixerat, et mirabiliter sepultus, et humi partem, ubi mortuum corpus sepulturæ quietem acciperet, patenti miraculo indicavit. Nam cum horam clausisset extremam, feretrum in curru ab indomitis jumentis, ubi nunc quiescit, deductum. Et cum stimulis multis jumenta impeterentur ad progrediendum ulterius, recalcitrando indicarunt, solum illum esse locum, ubi sarcophagum elegisset inclytum. Sed cum devote ejus celebrarentur exsequiæ, incenso redolente et [can- k
delis *k*,] accidit casualiter, ut una candelarum non solide posita de basi caderet, quod cernens devota mulier, quæ pœnitentium jam vitam agebat, quia l
circulum ferreum in lamentum *l* gestabat ad brachium, cum precibus et humili mente levavit, et firmiter in debito ordine collocavit. Tunc circulus ferreus fractus, de brachio cum strepitu in medium E
prosiliit. Jam devota mens consideret, quam magnum meritum participet, qui religiose funereis corporibus astat.

16 Sed accidit, ut supra sanctum exstinctum et miraculis clarus honoratur, corpus ecclesiuncula ad modum pandochii *m* fie- m
ret, quæ cum fulmine consumpta esset, sanctum corpus ad ecclesiam S. Ægidii Ordinis S. Benedicti ab hominibus delatum est, quousque fabrica alia fieret solennis *n*. Ubi uni ex hominibus n
ad caput feretri barbam mortui corporis tetigit, et impudicis verbis, procaci mente, in nefandam blasphemiam prorupit dicens: Inveterate dierum malorum, quamplurimos seduxisti. Mox sanctum corpus, ut ab improperio se immunem ostenderet, manum dexteram levavit, et impetuose percutiens, improperanti unum eruit oculum. Qui statim conscius suæ culpæ, in casti gatione multorum dierum et devotarum precum misericordiam consecutus, rehabuit ab ipso oculum excussum. Hac forsitan ex causa corpus illud mortuum in illo noluit habere quietis locum; sed ab angelicis spiritibus in locum suæ sepulturæ, quem elegerat, portatum est. Imo cum pluries F
revereuter illuc delatum esset, semper statim in suo loco inventum est, ubi tunc basilica solennis incboata est, et modo honorifice completa, et in ejus honorem dedicata est. Ob quorum miraculorum et fide dignarum personarum audientiam, Cephas *o* et Monarcha supremus militantis o
Ecclesiæ ipsum instituit revereri mente devota, et superduliæ *p* cultum, ut decet Sanctum, præce- p
pit exhiberi. Sicque a Nurnbergensibus, ut patronus colitur, et ab ipsis dies ejus, velut suprema festiva, celebratur.

ANNOTATA.

a Melote *est species vestis monachis Ægyptiis et eremitis usitata, de qua consule Cangium in Glossario suo fusius disserentem.*

b *Quamvis* pirata *proprie significet prædonem maritimum, tamen ex sensu patet, eam vocem hic pro nauta usurpari.*

c Solenne *hic pro raro vel pretioso accipi videtur.*

d *Auctor hoc loco per* vitam turbaticam *intelligit conversationem, quæ in urbibus et in turba populi habetur.*

e Villani

A e Villani *dicuntur a villa, eo quod in villis commorentur, qui et rustici a rure, quod excolunt, ut Cangius in Glossario suo explicat.*

f *Nescio, an adjectivum* specificatus *hoc loco significet simpliciter supra memoratum vel in specie assignatum rusticum; an vero auctor ea phrasi velit, quod iste rusticus tempore orationis* S. Sebaldi *fuerit* specificatus *id est* specie immutatus *vel in ecstasin raptus eo sensu, quo propheta Daniel cap.* 10 ℣ 8 *de se ipso scribit* : Species mea immutata est in me.

g *Etiam ignoro, utrum hic vox* sulcanus *sit nomen proprium istius rustici, an autem vocetur* sulcanus *forsan a sulcis in agro ducendis, quem admodum superius a villa appellatur* villanus. *Interim ingenue fateor, me in hac et præcedente annotatione tantummodo divinare, et utramque explicationem esse meram conjecturam, cui nihil certitudinis tribui volo.*

h Annuate *id est affirmanter vel quasi annuens, ut hic etiam ex sensu et mera conjectura suspicor.*

i *Amanuensis in margine monet, hic in exemplari Gemnicensi occurrere lacunam, quam ex* B *conjectura implevi istis verbis, quæ uncis inclusa sunt.*

k *Hic in apographo nostro ponitur vox corrupta* duplers, *quæ nihil significat, in cujus locum substitui vocem* candelis, *eamque uncis inclusi.*

l *Mulier illa circulum ferreum in* lamentum, *id est in signum pœnitentiæ vel doloris de suis peccatis gestabat.*

m Pandochium *apud Græcos* πανδοχεῖον *proprie significat publicum hospitium, ad quod unusquisque libere divertit, ut in Hierolexico Magri explicatur. Hic metaphorice videtur accipi pro publico sacello, ad quod multi ex Catholicis concurrebant.*

n *In Commentario prævio ex illa Actorum narratione eruimus,* S. Sebaldum *Ordini Benedictino non fuisse adscriptum.*

o *Pontifex Romanus ab auctore vocatur* Cephas, *quia est successor S. Petri, qui ab ipso Christo* Cephas, *seu Petra Ecclesiæ, appellatus est.*

p *Biographus hanc vocem ex propositione Latina et substantivo Græco perperam composuit,* C *cum cultus ille etiam apud Latinos integro nomine Græco* hyperdulia *passim vocari consueverit. Præterea ille scriptor utens voce* superduliæ, *non satis accurrate distinguit inter venerationem, quam Catholici Deiparæ et Sanctis exhibent : nam cultu* latriæ *Deum,* hyperduliæ *beatissimam Virginem, et* duliæ *Sanctos venerantur. Hic autem postremus cultus tantum* S. Sebaldo *convenit,*

CAPUT III.

Miracula, quæ post obitum ipsius contigerunt.

Cum S. Sebaldus jam mortuus blasphemiam mulieris,

Sed modernis temporibus factum est, quod quædam advena mulier in die solennitatis suæ, fuso et gargillo *a* intenderet. Tunc a suis œconomis prohibita est : quæ garrulose excusando se, incusavit Sanctum dicens : Ad quinque milliaria nescitur, quis sit sanctus Sebaldus; unde laborem inchoatum perficiam. Ipsa enim a tanto spatio accola fuerat. Tunc Deus manu justitiæ sæcitatem S. Sebaldi in ea ostendit : nam eadem hora factum est, ut etiam non parvo dolore visum amitteret. Sicque fecit Deus, ut quæ ad honorem S. Sebaldi spiritualiter gaudere debuerat, de mechanico opere corporaliter tristaretur in ejus die. Quæ monita [est,] ut ejus festum deinceps solenni voto præmisso studeret venerari cum offertorio singulari; et tunc S. Sebaldus suam clementiam ostenderet, ita quod incredula cæca, fieret videns fidelis. Quod et factum est : nam pœnitentia salutari purgata, et voto amoris facto, ad intercessionem S. Sebaldi visum amissum lucidius accepit. *A. ANONYMO.*

et avaritiam cujusdam viri puniverit,

18 Sed simplici animo famulemur : sicut [enim] duplex cor et malum machinans, cum viator esset, semper redarguit, ita jam comprehensor existens prodit : nam quædam rustica forte ex voto, saltem ex devotione, pro offertorio in honorem S. Sebaldi caseum unum notabilis quantitatis studuit impendere. Sed infirmitate præpedita cum in persona propria honestum desiderium non posset perficere, maluit hoc in persona aliena Nam cuidam rustico suo vicino caseum suum dedit, ut ad sepulchrum S. Sebaldi pro ea offerret : qui, accepto casco, cupido amore quantitatem ejus E considerans, illius loco malo cambio *b* substituit minorem et alteratum. Itaque rusticus Nurenbergam perrexit, et obliquum offertorium probæ mulieris vicinæ suæ supra tumbam S. Sebaldi obtulit, etiam more distorto. Tunc statim mentita est iniquitas sibi; quia caseus ille adhuc cernentibus, versus est in lapidem. Sicque duplicitas cordis in homine patefacta [est] a S. Sebaldo ex casei in lapidem mutatione.

pios peregrinos

19 Sed devotis precibus gementium, et in tribulatione positorum, benigne accommodat aurem, et opem ferre præsto est indigenti constanter. Nam non longo tempore accidit, quod peregrini, qui Romam peregre proficiscebantur, in Nurenbergam venirent; qui, auditis vita et fama, et quomodo stupendis miraculis coruscaret, mutuo consensu et deliberato animo S. Sebaldo promiserunt, ut si ipsorum bonus conductor et in itinere pius protector esset, in reversione eorum ad unam diëtam *c* nudis pedibus ad ipsum redire vellent. Sicque recesserunt de Nurenberga. Qui nihil incommodi in itinere passi sunt, nisi quod prope Romam invaserunt eos latrones, bona eorum cupientes ab ipsis auferre. Ubi tunc F S. Sebaldum peregrini invocare cœperunt, et viriliter resistendo cum baculis peregrinalibus, latronibus prævaluerunt, sicque latrones vinctos cum ipsis coëgerunt ire, donec ad eum locum [perducti essent,] ubi ulterius secum Romam venerunt.

bis e manibus latronum eripuerit,

20 Boni peregrini alacriter revertuntur et prospere usque ad hunc locum, ubi ipsorum votum debebant perficere; quod cum inchoassent devote, et ad unam parvam silvam venissent nudis pedibus, duo raptores equestres, unus cum balista *d*, alter cum gladio bicipiti eos invaserunt. Qui priori modo se defendentes et raptoribus ita infesti extiterunt, ut et uni balista caderet, et alteri de manu gladius bis acutus. Quibus de terra levatis, pro offertorio ad S. Sebaldum portaverunt, et rerum ordinem plebano, qui et eos invitaverat, præsentibus pluribus fide dignis personis narraverunt; sicque sanctum Sebaldum venerantes, redierunt ad propria.

periclitantibus in mari succurrerit,

21 Non solum autem in terrenis periculis positi ejus senserunt auxilium; verum etiam in aquis naufragium patientes : nam accidit, ut quidam

A ANONYMO. dam peregrinus sancto Sebaldo devotus ultramarinas partes peteret, et classem ascenderet in æquore magno. Et cum jam maximam maris partem prospero cursu transierat, subito deusis surgentibus ubique ventis, horrida tempestas cælum commovit et undas. Fatigatis igitur proretis e ultra reverti cupientibus, fracta arbore, velo lacerato, funibus ruptis, spes salutis amittitur. Nihil enim nisi submersionis indicium miserabiliter expectabatur. In tanto periculo peregrinus devotus, quoad potuit, cum nimia anxietate sanctum Sebaldum invocavit, et ut ceteri ejus implorarent auxilium, hortabatur instanter; qui cum omnes se sancto Sebaldo committerent, postulando auxilium, spondendo singulis annis singularem sibi exhiberi reverentiam, statim S. Sebaldus in forma peregrini eis apparuit, et suo baculo hinc inde ventum percussit, sicque tranquillum factum est mare, et continuo disparuit. Mox et peregrinus reversus est ad partes [suas, et f] quibus potuit, qui in mari egerat S. Sebaldus, enarravit.

B *famulum periculo mortis,*

22 Excitatur animus, et tanto avidius ad ipsum recursum habemus, pro quanto nos minus ab eo repulsam pati cognoscimus. Nam ex gestis de præterito, spe armamur de futuro. Sic namque factum est, quod quidam adultus famulus pelliciarum artifex pelles consueret, et acum ore teneret. Cum supra genu pelles volveret, ut in labore ulterius procederet, fortuito evenit, ut mersa est attractiva virtute acus in gutture, et glutiendi horridam minabatur mortem. Cui statim consultum est, ut ad tumbam S. Sebaldi curreret, et ibi auxilium devote postularet; qui consulte bene adhæsit consilio et cito festinavit ad sepulchrum S. Sebaldi, ibique prostratus, devote, quamvis cum magno dolore lacrymas ac preces ad S. Sebaldum misit, ut a dolore et imminente morte eum dignaretur eripere, spondens sibi omni anno obsequium singulare. Finita oratione, mox ut domum rediit, fortiter vomendo ferrum extra guttur venit, et statim salvatus est. Qui non ingratus ad S. Sebaldum rediit, et quod prius facere voluerat, firmius tenere publice promisit. Hujus rei testes et multi existunt etiam viventes g cum eo, qui curam recepit a sancto Sebaldo.

C *et virginem diuturna paralysi liberaverit,*

23 Sed in deificis beneficiis nullus secernitur hominum sexus. Idcirco sicut apud virilem sexum a periculis liberandum S. Sebaldus liberalem ostendit potentiam, ita et in sexu muliebri mirifica virtute claruit sanandi: nam quædam virgo in hospitali sex annos paralytica consumpsit; cui inspiravit Deus, auditis tum generosis miraculis S. Sebaldi, ut ejus sepulchrum personaliter visitaret. Sed cum in potestate membra gradiendi non haberet, de grabato paralytica auxilio sanorum hominum posita, humiliter reptabat in terra, donec ad locum sancti corporis pervenit: ubi tunc fusis lacrymis precibusque devotis, largam obtinuit sanitatem. Quæ post gratiarum actionem surgens, Deum et S. Sebaldum omni populo glorificabat, pandens, quod in ea acciderat, ex quo prius paralytica extiterat.

matronæ cujusdam nepotem morti proximum

24 Sed virtuosi ad plenum parum putant liberalitatem, nisi transeat in magnificentiam. Ideo et hoc factum est: quia quædam honesta matrona, cum unicum dilectum nepotem haberet orphanum ægrotantem, sicque infirmitate laborantem, ut aut * vivus, aut * mortuus [esset,] non cognosceretur; quæ cum sancto Sebaldo longis temporibus devote servivisset, pro nepote suo ejus imploravit auxilium, spondens tantam D quantitatem ceræ in pondere ad ejus sepulchrum una cum nepote offerre. Sed devota et honesta petitio ab ipso non patitur repulsam. Idcirco devotas preces cum voto bonæ matronæ exaudivit, et subito ejus nepotem in firma sanitate stabilivit. Quæ votum S. Sebaldo persolvit, et pro quo factum fuit, cunetis indicavit.

** Id est an*

et alterius filiam paralyticam sanaverit.

25 Ad audientiam hujus miraculi alia etiam matrona dilectam filiam habuit infirmam, quæ jam paralytica fieri incepit. Hæc etiam in orationem se dedit pro filia sua, et sancti Sebaldi devote cum rivulo lacrymarum imploravit auxilium, singulare sibi promittens offerre donum. Quam benigne exaudivit sanctus Sebaldus, et mox filiam ejus ab infirmitate curavit, quæ subito votum persolvit, et alta voce præsens factum publicavit.

EPILOGUS.

E *biographus omnes ad venerationem hujus Sancti hortatur.*

Ubi igitur nunc torpescit viator pondere peccatorum prægravatus? Cur non, a sarcina exonerari [cupiens,] S. Sebaldi implorat auxilium? Nam si cæcus es, cur non a S. Sebaldo petis illuminari? Si frigidus, cur non foveri? Si aridus, cur non rigari? Si infirmus, cur non sanari? Si reus, cur non tueri? Si insons, cur non salvari a S. Sebaldo cupis? Normam vivendi tibi præscripsit in vita, quam si imitari non vales, scito, quod cupienti præsto est porrigere manum adjutricem; cujus si contempseris auxilium, aut vaga mente leve verbum de ipso lingua protuleris, procul dubio flagellum senties ultionis nam sic factum est. Cum aliqui devoti homines de vita et miraculis S. Sebaldi in longum texissent sermonem, quidam sacerdos subsannando subrisit; qui magna infirmitate percussus fuit, et tamdiu pondus infirmitatis sustinuit, donec gravitatem delicti sui cognovit, et a sancto Sebaldo veniam promeruit. Idcirco singulari præconio et speciali devotione ipsum venerare, et tunc in tuis agendis semper finem senties gloriosum. Veneramur igitur te, sancte Patrone, et supini mente precamur, ut rorem cælestis gratiæ nobis impetrare digneris, ut mundis mentibus in hoc seculo Deo gratam degamus vitam, et ut post hoc F exilium ante Dei et Virginis Filium stemus sine rubore, atque ad vitam beatam tecum intremus cum gloria et honore; quod nobis præstare dignetur Sanctus Sanctorum; cui laus sit et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Arbitror, pro* gargillo, *ut in apographo nostro exprimitur, scribendum esse* girgillo: *nam istud nentium instrumentum in Lexico Etymologico apud Martinium ex veteri Dictionario sic describitur*: Girgillus dicitur instrumentum feminarum, quod alio nomine dicitur VOLUTORIUM; et dicitur a GYRUS, quod vertendo in gyrum inde fila devolvantur: filum enim de colo dicitur in fusum, a fuso in alabrum vel traductorium, ab alabro in girgillum vel devolutorium, a girgillo in glomicellum, a glomicello in pannum, a panno in telam. *Etiam auctor Glossarii Cangiani editio ad vocem* girgillus *consuli potest.*

b Cambium *est permutatio ab Italica voce* cambio, *ut passim notum est.*

c Dieta *præter illa significat iter, quod uno die*

A *die conficitur, quæ significatio hic ex sensu satis colligitur.*

d Balista *est machina bellica, qua saxa vel sagittæ emittuntur, ut Cangius in recenso suo Glossario fusius exponit.*

e Proreta *apud Plantum est is, qui in prora navim regit. Videtur ea vox hic generatim pro nautis accipi.*

f *Iterum amanuensis in margine monet, hoc loco aliquid deesse. Quapropter hic sensum supplevimus duabus vocibus, quæ indicant, istum peregrinum ad patriam suam rediisse.* A. ANONYMO.

g *Hæc et similia miracula testimonio multorum tunc adhuc viventium satis confirmantur; sed utinam biographus vel uno verbo indicasset tempus, quo miracula hujusmodi contigerunt!*

DE S. LUDOVICO EP. TOLOSANO

ORDINIS FRATRUM MINORUM

BRINCOLÆ IN PROVINCIA GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

§ I. Regium Sancti genus; fratres ac sorores; primogenitura; nomen; tempus ac locus natalis; captivitas in Hispania.

B

Anno MCCXCVII. Regia Sancti stirps ex parte patris;

Vita S. Ludovici *nostri ab Anonymo conscripta, et a Fratre Henrico Sedulio edita, regium ipsius genus paucis admodum hisce verbis perstringit cap.* I : Ludovicus patre Carolo II, rege Siciliæ, e Francorum regali stemmate; matre Maria, Hungariæ regis filia, natus est. *Guilielmus Catellus in Monumentis historiæ Occitaniæ lib. 5 a pag. 910 hoc argumentum et repetit altius et fusius deducit, hæc scribens, quæ ex Gallico sic sonant :* S. Ludovicus episcopus Tolosanus fuit oriundus stirpe regia cum ex parte patris, tum matris : nam Ludovicus VIII Galliarum rex plurimam e Blanca conjuge sua, Alfonsi Castellæ regis filia, prolem habuit, quam inter exstitit S. Ludovicus, et Carolus Comes Andegavensis, et causa uxoris Comes Provinciæ, ac deinde Siciliæ nec non Neapolis rex : qui Carolus uxorem duxit Beatricem Comitissam Provinciæ, peperitque ei filium nomine Carolum, in principio nuncupatum principem Salernitanum, qui patri suo successit in regno Siciliæ, aliaque dominia ejus. Carolus ille, hujus nominis secundus Siciliæ rex et Comes Pro-

C vinciæ, conjugem habuit Mariam, regis Hungariæ filiam, quæ in patris sui regno successit.

fratres ac sorores;

2 Hoc conjugium Caroli II regis Siciliæ ac Mariæ Hungariæ adeo bene fortunavit Deus, ut ex eodem nati fuerint liberi quatuordecim; masculi novem, ac filiæ quinque. Primus e liberis ejus fuit Carolus Martellus, princeps Salernitanus, qui, superstite patre suo ac matre, rex Hungariæ coronatus fuit. Secundus exstitit S. Ludovicus Massiliensis, episcopus noster Tolosanus. Tertius Robertus Siciliæ rex *. Quartus, Philippus princeps Tarentinus. Quintus, Raimundus Berengarius, sextus, Joannes; septimus, Tristandus *; octavus, Joannes dux Moreæ, qui postmodum dictus est dux Dyrrachinus; nonus, Petrus comes Gravinæ nominati fuere. Primogenita e filiabus dicta est* Clementia *(immo Margarita secundum Sammarthanos, quos citabo in Annotatis ad cap.* I *Vitæ Sancti lit.* a) quæ Carolo Valesiensi nupsit; secunda Blanca, quæ Jacobo Aragoniæ regi uxor obtigit; tertia Eleonora Frederici Siciliæ regis conjux; quarta Maria, conjux regis Majoricæ; quinta Beatrix, quæ primis nuptiis marchioni Ferrariensi; secundis autem Bertrando comiti de Montestayoux * *(ut vocat)* juncta est;

* al. dux Calabriæ

* al. Christianus

prout observavit Antonius Lasale, *quem laudatus Catellus citat; et ita pergit :* Ex hac deductione discimus, quomodo S Ludovicus episcopus noster fuerit filius regis Siciliæ; quodque S. Ludovicus Galliæ rex exstiterit propatruus ipsius, aliunde conjuncti affinitate cum summis reipublicæ Christianæ regibus. *Consuli etiam potest Sedulius mox citandus pag.* 98.

E

* *f.* Montescayoux *al.* Montescagioso

Materno etiam regio genere ortus Sanctus,

3 *Stirpis maternæ* S. Ludovici *nostri seriem contexit Sedulius, supra nominatus, in Commentario ad Vitam ejusdem Sancti a se editam pag.* 99 *et sequente, ubi hæc scribit :* Hic mihi face opus est in propemodum inextricabilibus tenebris, quas offundunt (a me tamen non nominandi) qui S. Ludovici episcopi seriem materni generis explicare sunt conati : quam ego secutus P. Æmilium, et Antonium Bonfinium, hac de re ex professo scribentes, in hunc modum recenseo : Andreas II Ungariæ rex (inquit Æmil. *in* Philippo IV) ex uxore Gertrude Sueva genuit Belam, Colomanum, Andream, et quasdam præterea filias, in quibus divam Elizabetham etc. Cum Andreas excessisset humanis (auctore Bonfinio Rer. Ungar. Dec. II lib. VIII) F Bela filius natu major ab Ungaris omnibus rex consalutatur. Extincto Bela, Stephanus ejus filius hæreditario jure regnum accepit. Stephano V Belæ IV filio (idem lib. IX) Maria gnata fuit, aviæ sortita nomen, quæ imperatoris Græcorum quondam filia fuerat. Hanc pater Stephanus Carolo Claudo, Caroli filio, qui auctoritate beneficentiaque Senatus Apostolici Siciliæ regnum sibi vendicaverat, legitimo vinculo conjugavit. Huic ex uxore Maria, regis Ungariæ filia, filii quatuordecim fuere, mares novem, feminæ vero quinque; *de quibus paullo ante e Catello agebam, variis lectionibus, quas notavi ibidem ad marginem, e textu, qui hic datur, desumptis.*

qui non fuit primogenitus.

4 *Et nonnullis interjectis, ita pergit Sedulius :* Posui fere eadem verba, licet non eisdem locis, A. Bonfinii. Primum, ut intelligas, quoto consanguinitatis gradu S. Ludovicus episcopus attigerit S. Elizabetham : cum illa fuerit matri S. Ludovici Mariæ proamita. Deinde, ut videas S. Ludovicum non fuisse primogenitum patri, sed Carolum Martellum natu majorem. Errant igitur

101 quot

AUCTORE J. P.

quot Ludovicum primogenitum scribunt, ut liber Conformitatum *(Bartholomæi Pisani)* fructu 8, atque illum secutus Robertus a Licio serm. de S. Ludovico, qui est 40; Pelbertus a Themeswair serm. de S. Ludovico; Petrus Rodolphius lib. I Histor. Seraphicæ religion.; Vinea S. Francisci Teutonum lingua conscripta. Item Hieronymus Platus lib. 2 de Bono status religiosi cap. 26 etc. Robertus pro se bullam canonizationis adducit, quæ tamen nusquam S. Ludovicum appellat primogenitum, sed dicit eum « jure primo- „ genituræ renuuciasse et regno, quod (historia, „ *sicut interserit Sedutius*, narrante) sibi hæredi- „ taria successione debebatur », Debebatur illi regnum, non quia primogenitus, sed quia primogenitus ejus frater Carolus Martellus abierat e vivis: cui ille legibus et jure succedere posset, cum secundogenitus esset.

Nomen ejus et cognomen.

5 *Non abs re fuerit, nonnulla hisce annectere de Sancti nomine et cognomine. Et de nomine quidem hæc memorat Lucas Waddingus in Annalibus Minorum tomo 2 ad annum Christi* 1275 *num.* 4: Inditum ei Ludovici nomen in baptismate, intuitu sanctitatis beati Ludovici regis Gal- B lorum, ut referret mores, cujus nomen exprimeret, *præeunte biographo Anonymo cap.* I. *Est, qui dicit S. Ludovicum Galliæ regem nostri Sancti synonymi fuisse patrinum; ut videsis inferius* § 15. *At quid de cognomine? Apud Catellum, sicut modo vidimus, vocatur* Massiliensis: *adde Sammarthanos tomo* I *Galliæ Christianæ in episcopis Tolosanis pag.* 689, *qui* cognomento de Marseille *eum nuncupant. Neotericus biographus Gallus affirmat in Vita Sancti, quam edidit ad diem* XIX *Augusti, eum a pluribus vocatum esse* S. Ludovicum Massiliensem *potius quam Tolosanum, quando voluerunt ipsum distinguere a sancto Rege synonymo; eaque de causa id factum ait, quia corpus ejus ad Minoritas Massilienses delatum fuit, ubi sepeliri voluit. Sed cognomentum illud non est extendendum eo usque, ut natales sancti Episcopi attribuantur Massiliensibus, prout jam dicemus.*

Non Nuceriæ,

6 *Petrus Rodulphius Tossinianensis in Historia Seraphicæ Religionis lib.* I *fol.* 120 *verso,* Ortus est, *inquit,* B. Ludovicus (ut ferunt) in ca- C stro Nuceriæ Paganorum, ubi sacellum erectum in honorem ejus. *Waddingus proxime citatus magis affirmate Sancti patriam determinat, dicens:* Nuceriæ Sarracenorum nascitur hoc anno (1275) vel superiori, mense Februario S. Ludovicus. *Idem auctor tomo* 4 *ad annum Christi* 1400 *num.* 37 *hæc scribit:* In custodia Massiliensi cœnobium oppidi Brincolæ, in quo Pisanus perperam ait S. Ludovicum natum, et douatum*: verius secundum, quam primum: alibi enim diximus ortum in regno Neapolitano. *Judicio itaque Waddingi, quod tamen alibi ab ipso videre me probatum non memini, consequens est, ut hallucinatus sit Saussayus, quando in suo Martyrologio Gallicano ad diem* XIX *Augusti de sancto nostro Præsule sic loquitur:* Pari loco et die quo natus Brignolæ *etc. Adde Catellum, quem antea designabam, pag.* 912 *ubi dicit, Sanctum in loco isto natum fuisse.*

* *l. denatum*

sed Brincolæ in Provincia natus est.

7 *Judicio, inquam, Waddingi; quod quia longe probabilius falsi convincitur, falsa etiam sint oportet consectaria proxime ex eodem deducta. Nam apud Franciscum Pagium in Breviario Pontificum Romanorum tomo* 4 *in Joanne Papa XXII num.* 14 *recte ostenditur,* S. Ludovicum in provincia Proviuciæ, non vero in regno D Neapolitano, ut volunt aliqui, inter quos Waddingus anno MCCLXXV, num. 4, natum esse, quod diserte asserit Franciscus de Mayronis, Ordinis Minorum, dictus doctor illuminatus, tempore Joannis XXII vivens, in sermone, quem habuit de hoc Sancto, qui anno MCDXCIII impressus est Venetiis cum aliis pluribus de Sanctis, ejusdem Mayronis; in quo loquens de privilegiis nativitatis ejus, ait: « Quartum fuit de loco nativi- „ tatis in terra, quam Dominus sanctificavit præ „ cæteris mundi locis illis Sanctis, qui viderunt „ faciem Christi corporalibus oculis. In regione „ siquidem suæ nativitatis inveniuntur septem, „ de quibus fit mentio in sacra Scriptura, vi- „ disse Christum, scilicet Lazarus cum duabus „ sororibus: et duæ sorores Matris Domini: et „ Theophilus (legendum Maximinus) et cæcus „ natus ». Quos omnes in Provinciam advenisse, ibique mortuos fuisse, jam erat traditio ineunte seculo octavo... Quod attinet ad locum ejus nativitatis in Proviucia, non potest alius assignari, quam Brincolæ: cum enim in confesso sit apud omnes, eum obiisse die XIX Augusti anno MCCXCVII Brincolæ, ubi eodem die condidit testamentum, quod editum est ab Antonio E Pagio in calce sermonum S. Antonii Paduani, et ex eodem Fraucisci Mayronii sermone habeamus, eum natum in eadem domo, iu quo defunctus est, manifeste sequitur, eum natum Brincolæ. „ Sexta contemplatio (inquit paulo post Mayro- „ nius) est quantum ad statum suæ consumma- „ tionis, quia in eodem loco penitus, et quan- „ tum ad domum, ubi fuit natus, ibi fuit de- „ functus ad modum circuli, qui terminatur ubi „ incipit „. Certa itaque est Brincolensium traditio, scilicet S. Ludovicum Brincolæ et natum et mortuum; *non vero Nuceriæ in Italia editum. Quod autem de anno ejus natali asserebat modo Pagius,* in confesso esse apud omnes, cum obiisse anno MCCXCVII, *verum non est: nam Waddingus totus est pro anno proxime sequente; alii alium signant, sicut planum fiet infra* § 5 *a num.* 49.

Elucidantur ea,

8 *Quæ narrat biographus Anonymus cap.* I *de puræ vitæ S. Episcopi nostri a tenera ætate primordiis, commentario non indigent; quamobrem, misso illuc lectore, ad ejusdem captivitatem progredior.* Annis igitur puerilibus, exemplo F sancti patriarchæ Jacob, domi simpliciter actis; dispositione Dei flagellantis omnem filium, quem recipit, cum attigisset annum ætatis quartum decimum, missus est in Cathaloniam pro liberando patre, filius Ludovicus obses, cum duobus germanis fratribus: ubi toto septennio constantiam ejus tum ipsa captivitas, tum adhibiti custodes mirum in modum exercuerunt, plures ut confirmaret piis exemplis, et salutaribus monitis ad patientiæ virtutem animaret, *inquit Vita cap.* I *num.* 3. *Locum ego hunc, quo magis reddatur perspicuus, sequentibus elucidationibus exponendum censeo. Henricus Sedulius in Commentario ad caput* I *Vitæ Anonymi, de causa hujus captivitatis observat ista ex Paulo Æmilio, quem citat in S. Ludovico IX, nec non in Philippo III, Galliarum regibus:* Carolo II, *ait,* pater fuit Carolus I S. Ludovici IX Galliarum regis frater... Postmodum a Clemente IV Pont. Max. contra Manfredum, Frederici II imperatoris ex concubina matre filium, Siciliæ regni usurpatorem, Siciliæ rex creatus.

quæ spectant

9 Romam siquidem evocatus „ ipse uxorque „ in æde Lateranensi (auctore Æmilio) a pur- „ purato

Auctore J. P.

A „ purato legato, jussu Pontificis, reges Siciliæ, „ Hierosolymorumque designantur „. Quamobrem Carolus hic dictus est primus Siciliæ rex: cujus filius regni hæres, et patri successor, Carolus II pater fuit S. Ludovici, de quo nunc agitur, episcopi Tolosani. Hujus avus Carolus I occupatum non sine sanguine Siciliæ regnum, anno salutis nostræ MCCLXXXI tota Sicilia cæsis omnibus Francis, perdidit in Vesperis Siculis, Petro Tarraconensi rege Siciliam invadente; quod illi Constantia, filia Manfredi uxor esset cujus jure regnum petebat. Carolus I dum bellum reparat, filius ejus Carolus II capitur ab Hispanis, et captivus in Hispaniam abductus est. Cum (teste Æmilio) ejus „ pater ætate gravi, laboribus, „ luctu, tædio adversarum rerum sic quoque non „ cedere, non succumbere animo statuens; sed „ experiendum agendumque ratus, dum Calabro„ rum, Apulorum, Lucanorum, Picentinorum, „ Brutiorum urbes, ad confirmandos animos cir„ cumit, morbo correptus decessit: rex indole „ animi summus vir; sed peccato suorum (ut „ anctores tradunt) miser; maximis victoriis per-
B „ diu clarus; sed senior vim fortunæ malis ex„ pertus „.

ad captivitatem S. Ludovici

10 Carolus ejus filius dum in custodia haberetur Barcinone, transactum est, ut illi, ad componenda regni negotia dimisso, filii obsides substituerentur: quorum unus fuit hic S. Ludovicus episcopus Tolosanus.. Hæc ex Paulo Æmilio, libro Conformitatum, aliisque diligenter collecta, plusculis verbis adscribenda fuerunt ad historiæ lucem. *Hæc Sedulius de causa captivitatis Sancti nostri: qui dein in suis Commentariis ad hæc, quæ supra ex eodem allegabam*, filius Ludovicus obses cum duobus fratribus, *de numero obsidum sic disserit ex Paulo Æmilio in Philippo IV, Blondo apud Æneam Silvium, Platina in Nicolao IV PP., ad marginem ab eo designatis.* Carolum II patrem Ludovici in bello captum ab Hispanis, dictum est ad initium capitis præcedentis: sed dimissum paulo post ad componenda regni negotia certis conditionibus, atque filiis datis obsidibus, et (quod P. Æmil. narrat) „ quadraginta præterea e provincia Phocensi (sive Narbonensi; nunc ditionem illam Provinciam vocant, *uti observarat Sedulius ad caput* I) nobi-
C libus viris„. *Dein sic notat Sedulius ad cap.* 2:

spectant.

11 S. Ludovicum datum obsidem omnes scribunt: in numero tamen obsidum plerique variant. Æmilius duos tantum obsides scribit, ROBERTUM ET LUDOVICUM. Blondi Epitome „ CAROLUM PRIMOGENITUM, cui postea Martello regi „ Hungariæ fuit cognomentum, et LOYSIUM „. Similiter Platina. At vero noster auctor, S. Ludovico familiaris, Ludovicum obsidem pro patre datum testatur, cum duobus germanis fratribus. Quod ipsum attestatur Joannes PP. XXII in bulla canonizationis § 3, historiæ vitæ S. Ludovici a nobis addita. Primus obses S. Ludovicus; alter Robertus frater ejus, cujus mentio fit initio cap. 4 Vitæ S. Ludovici. Tertius Raymundus, cujus meminit sub finem capitis 5. *Petrus de Natalibus lib. 7 cap. 77 de solo* Ludovico *meminit obside, dicens:* Pro illustri domino Carolo patre suo in Catalonia obses fuit. *In Libro Conformitatum ponitur* S. Ludovicus cum duobus fratribus. *Numerus iste confirmatur apud Waddingum ad annum 1288, cui res gesta ab eo innectitur, et hoc modo ibidem exponitur num.* 26: At verro tres fuisse, rejecta opinantium varietate, probat Surita exactissimus scriptor; et certe de Carolo Martello dando pactum ait; non tamen hunc, sed Raymundum Berengarium quartogenitum postea in potestatem Aragonii venisse; Ludovicum vero et Robertum pro patre liberando traditos a principio. *Adisis Suritæ Annales Aragoniæ tomo* I, *lib.* 4, *cap.* 104. *Quibus autem conditionibus res illæ transactæ fuerint, pluribus ibidem exponit dictus Annalium conditor; ubi tamen non reperio plures nominari liberos Caroli, quam filios septem et quinque filias, contra quam superius aliunde præmissum fuit. Vide nostra Annotata ad caput* I *Vitæ litt.* a.

§ II. Captivitas virtutibus illustrata; liberatio; prima tonsura clericalis, et minores Ordines singulari cum privilegio obtenta; Sancti confessarius.

E

Sanctus in captivitate indefessum exercuit

Anonymus Vitæ auctor apud Sedulium egregias Sancti virtutes commemorat, quas longo juxta ac permolesto suæ captivitatis tempore exercuit, durissimum videlicet illud exsilii jugum cum suavi Domini jugo ac levi onere gnaviter placideque conjungens, nec non heroico animo utrumque portans ab adolescentia sua. Quamquam vero in Vita ejus sat multis tractatur de hoc argumento, aliquamdiu tamen lectorem hic detinebo, et nonnulla dabo ad rerum ibidem narratarum complementum. Ut autem de loco captivitatis nihil dicam, qui fuit Barcino urbs in Catalonia, et ibidem arx Surana * *(Vide apud nos Vitam capp.* 1, 2 *et* 3*) indefesso ipsius precandi studio, de quo Vita cap.* 1, *possunt adjungi ista ex Bartholomæi Pisani libro Conformitatum antea citato:* Sanctæ orationis studium hic Sanctus nondum factus F. Minor specialiter habuit in amicum. Nam ut de hoc attestabatur rex Robertus, et ejus frater, ac domicelli sui nobilissimi, qui in sua jacebant camera, cum esset parvulus et tenellus, omni tempore postquam servitores sui recesserant, surgebat de lecto, et in oratione et lacrymis usque ad mediam noctem persistebat, et a Fratribus, qui eum in confessione audiebant, fuit multotiens reprehensus de hoc propter ejus delicationem.

* al. Sciurana

F

orandi studium, ac de dæmone triumphat.

13 Unde in illis diebus cum semel ad orationem surrexisset, et staret usque ad mediam noctem pervigil in oratione, essetque lumen ardens in camera, sicut mos est nobilium; et dominus rex Robertus, et frater ejus dominus Raimundus in lecto ejus essent, cum omnes simul dormirent, et actualiter vigilarent; viderunt S. Ludovicum ad orationem surrexisse. Cumque inspicerent, conspexerunt unum gattum * nigerrimum et magnum, sicut esset unus canis, saltantem super eum, et præliantem cum eo: quem ipse sacer juvenis Ludovicus signo crucis facto a se abigebat: et cum pluribus vicibus sic super eum saltasset; exclamaverunt pueri, scilicet Robertus et frater; statim disparuit gattus ille. Quod advertens S. Ludovicus, ab oratione surgens venit ad eos, et juramento eos astrinxit, ut, quamdiu viveret, nulli, quod viderant, reserarent. *His confirmantur et illustrantur ea, quæ narrantur ab Anonymo Seduliano num.* 10. Factus autem *(Liceat mihi et illud hisce annectere ex Pisano loco citato)* Frater Minor, dormientibus sociis

* i. e. felem

AUCTORE J. P.

sociis surgens ad orationem, devote orabat, et interdum in terra cubitabat.

Inter præstita pauperibus ac leprosis ministeria,

14 *Verum præclara supersunt alia referenda, quæ adeo juvenis et heros quasi veteranus jam tum, reliquit virtutum exempla tempore captivitatis suæ. Anonymus a Sedulio vulgatus apud nos cap. 3 commemorat submissum* S. Ludovici *erga pauperes ministerium, leprosum osculo ipsius dignatum, ejusque merita miraculis a Deo comprobata : quo pertinent maxime Pisani dicta his verbis :* Hic Sanctus tam ex gratia quam dono naturæ hoc habebat præcipuum, ut ad pauperes et specialiter leprosos manus suas libenter extenderet, et ipsos personaliter visitaret. Barchinonæ dum esset obses, nec ipse adhuc erat 18 annorum, visitabat leprosos, suis manibus eburneis et pulcherrimis, quibus omnes alios excedebat, eorum lavabat membra, tangebat ulcera, educebat saniem, et in oscula devotissime proruebat : et hoc specialiter in hebdomada sancta, et singulariter in Domini cœna faciebat. Nam, ut testis fuit rex Robertus, et alii, qui præsentes fuerunt; cum semel in cœna Domini vocari fe-
B cisset omnes leprosos de civitate Barchinonæ ad suum hospitium, ut eorum pedes lavaret, et cibaria ministraret, memor Domini, cujus aspectus apparuit leprosus, percussus et humiliatus illis diebus :

videtur de Christo vel angelo optime meritus fuisse

15 Cumque omnes leprosi convenissent ad ejus hospitium, affuit unus statura permaximus, et in illa infirmitate horribilissimus, ita quod dominus rex Robertus, et Dominus Raimundus, ejus frater, hoc videntes summe timuerunt; ad quem accedens vir Dei Ludovicus, hunc diligentius lavit, et devotius quam alios, ac studiosius sibi servivit in mensa, nessaria ministrando. Sed cum in crastino in die Parasceues in memoriam passionis Christi, qui apparuit leprosus in cruce, præfatum leprosum in suo habere voluisset hospito, in tota civitate non est inventus, diligentissime requisitus. Et cum fuissent cæteri leprosi interrogati, responderunt, quod numquam aliquis talis affuit inter eos, nec umquam illum viderunt. Unde pie credendum est, ipsum fuisse Dominum Jesum Christum, vel ejus angelum, qui in specie leprosi horribilissimi se voluit exhi-
C bere beato Viro, ut ejus humilitatem probaret ac virtutem.

Tempore ejusdem captivitatis

16 *Divina providentia diuturnum illud custodiæ exsilium convertit non solum in omnigenarum virtutum scholam Adolescenti piissimo; verum etiam in raræ eruditionis ac scientiarum variarum gymnasium. Nam consuetudine cum probatissimis viris, quorum instructus consilio se suaque dirigebat, ibidem contracta, ut videre est in Anonymi Seduliani Vita cap. 2 ; de ipsius eruditione hæc ibidem exstant :* Docuit itaque illum Deus, scientiarum dominus, bonitatem et disciplinam et scientiam, brevi spatio temporis. Nam illo dumtaxat septennio suæ captivitatis, quo perpetua consuetudine Fratrum Minorum utebatur, qui illum in disciplinam acceperant, tantos fecit progressus nedum in literis humanioribus, verum etiam sacris, ut in corona etiam doctissimorum virorum prudenter respondere posset (uti ipse vidi Barcinone) et argute disputare. Nec hoc solum, verum etiam, tamquam Vir apostolicus, ad omnes paratus conciones promptusque, Clero et populo concionabatur magna gratia et fructu *etc*.

17 *Bartholomæum Pisanum audiamus, qui argumentum præsens magis distincte explicat :* Studio scientiarum cum fratribus suis tali in tempore, *captivitatis videlicet*, sic se dedit, haben- D
do magistros in scientiis Fratres Minores, scilicet Fratrem Pontium Carbonelli, hominem sufficientem et sanctum, et alios Fratres Minores, quod infra septennium, quo ibi fuit, in grammatica, logica, scientia naturali, metaphysica et morali, et sacra theologia, a Deo * fuit sufficienter instructus, quod et disputare de prædictis sciret, docere et prædicare Clero et populo, et Dei verbum proponere; ut scientia putaretur magis sibi infusa divinitus, quam humanitus acquisitas. *P. F. Benignus Fremaut, ex Ordine FF Minorum Recollectorum provinciæ S. Josephi in Comitatu Flandriæ, in sua Legenda generali Sanctorum ac Beatorum etc. Ordinis S. Francisci, Flandrico idiomate edita, lib.* 8, *qui complectiur Vitas mensis Augusti, pag.* 374, *meminit de* P. Pontio Carbouelli, sanctitate ac doctrina, nec minus miraculis post mortem patrocinio ejus patratis celebri. *De eodem egerat idem auctor lib.* 3 *ad diem* XI *Martii pag.* 189. *Apud Waddingum inter scriptores Ordinis Minorum hæc de ipso exstant :* Pontius Carbonellus, Catalanus, E
S. Ludovici episcopi Tolosatis ex Ordine Min. (non sancti Ludovici regis Galliarum, uti scribunt Possevinus, Willotus, et Bibliothecæ Hispanicæ auctor) magister et rector, vir sanctissimus et doctissimus; scripsit Commentaria in universa Biblia, ad singula loca collectis abunde sanctorum Patrum sententiis . . Jacet in templo Minorum Barcinone. *Rodulphius fol.* 121 *memoratis modo* S. Ludovici *magistris accenset alium his verbis :* Annum agens septimum habuit institutorem et ducem D. Gulielmum de Manerio, militem strenuum, sed virum probum.

egregium sibi comparavit eruditionis thesaurum.

* f. adeo

Excellit castitate et vitæ integritate.

18 *Illibatam quoque Juvenis castissimus virginitatem, dum Barcinone detentus degeret, ita sibi cordi esse comprobavit, ut vel umbram solam, quæ isti virtuti angelicæ officere posset, studiosissime declinaret. Exemplo sit relatio Bartholomæi Pisani. A* pueritia, *inquit*, amor castitatis sic ejus affecit mentem, ut non solum mulierum aspectus, colloquia et consortia vitaverit : sed et verba carnalia, vel ad talia pertinentia, nullus eum loquentem audivit. Unde Barchinonæ dum esset obses, et homines nobiles illius regni, qui eum visitabant, verba dissoluta aliquando loqueren- F
tur, ut ad malum eum incitarent, adducendo ad eum virgines, puellas et nobiles; ipse Vir angelicus et purissimus, quasi ribaldos * a se abjiciebat, fratresque suos acutissime reprehendebat, cum se dabant aspectibus mulierum nec audebaut propter ipsius reverentiam et timorem aliquid agere inhonestum. Suæ virginitatis testes fuerunt fratres, qui ipsum nutrierunt; qui in sua jacebant camera, et sibi a pueritia adstiterunt, et ipsum angelicæ puritatis fuisse, testimonium reddiderunt. Unde ejus conversatio inter homines quoad hoc potius angelica fuit quam humana. Perhibuerunt etiam testimonium nobiles viri cum fratribus prædictis, quod numquam, ex quo natus est, usque ad vigesimum quartum annum, in quo decessit, ab ejus ore exivit verbum, nec jocose nec seriose, unum lascivum, aut declarans seu importans aliquam inhonestatem; sed semper verba ejus castissima fuerunt, et honesta; et, quod magis est, tam secularis quam Frater et episcopus omnem aspectum et omnem contuitum mulierum perpetuo vitavit. *At de hac virtute etiam dicetur inferius. Rodulphius pag.* 121, Testantur, *ait*, F. Franciscus Scarerius episco-

* i. e. homines vilissimos vel scortatores

A pus Segetanus, F. Petrus episcopus Epulanus, et F. Fortius, ejus comites individui, qui eum ante familiariter noverant, se in eo nihil uspiam audivisse vel vidisse, quod saperet peccatum mortale.

vovet ingredi Ordinem FF. Minorum, et votum urget.

19 *Quo tempore apud Barcinonenses captivus detinebatur, inflammari se sensit desiderio vitæ perfectioris. Etenim* In arce Surana, *uti narrat Vita cap.* 1, gravissimo morbo correptus.. vovet Deo pro salute.. vitam et institutum Fratrum Minorum, seque in eo, quoad viveret, perseveraturum. Nec oblitus beneficii fuit; sed proxima Pentecoste Spiritu sancto adflatus, summo mane in æde arcis ad memoriam B. Dei Genitricis exstructa, quod secum tacite promiserat, ad altera Domini aperte renovans, manifeste seipsum obtulit Domino. *Hæc confirmantur, et sequentibus vestiuntur rerum adjunctis apud Bartholomæum Pisanum :* Cernens Vir Deo devotus mundum transire velut umbram, ac amicum mundi, Dei effici inimicum; dum adhuc Barchinonæ in obsidione esset positus, obses videlicet patris sui ; mundum abdicare proponens, ibidem B voluit effici Frater Minor: sed hoc non valens perficere, quia Fratres de provincia Aragoniæ præ timore eum non accepissent ; tunc votum solemniter emisit de intrando Ordinem Fratrum Minorum. *Nec vero quod fervide voverat, segniter ibidem exsequi voluit. Nam, uti est apud Anonymum cap.* 3. In Cathaloniæ cum esset custodia, aperuit suæ mentis arcanum Religioso patri, Deo se vota fecisse perpetuæ castitatis, et capiendi institutum divi Francisci Deo me obligavi, *inquit*, nec licet fidem frangere. *Rem autem quo pacto urserit, ibidem invenies ; uti etiam quomodo libertati redditus sponsionem voti rursus iterarit. Sed quandoquidem de restituta Sancto libertate mentio incidit, quædam de ista re observabimus, postquam stabiliverimus captivitatis durationem.*

Post annos septem in captivitate exactos

20 *Petrus de Natalibus lib.* 7 *cap.* 77 *eam videtur extendere ad annos quatuor.* Cum esset, *ait*, annorum duodecim.. in Catalonia obses fuit : cui astiterunt Fratres Minores; a quibus legem vitæ et disciplinæ percepit, votumque Domino vovit, quod, si de custodia dimitteretur, Minorum Fratrum Ordinem ingrederetur : C virginitatem quoque suam Domino perpetuo dicavit ; sed post quadriennium dimissus etc . *Dixi* videtur extendere ; *nam cum τὸ* dimissus *possit afficere votum virginitatis, et tempus captivitatis, æquivocatio quædam temporis, quo demissio accidit, relicta videtur apud Petrum de Natalibus. Si enim demissum velit post* quadriennium, *incipiendo illud ab initio captivitatis, non autem ab emisso voto, (quod quoto captivitatis anno nuncuparit, nos latet) hallucinatus est in ratione temporis, quo illa duravit,* toto septennio *videlicet, teste biographo nostro cap.* 1, *ac bulla canonizationis, quæ de illo* Infra septennium, *ait*, quo. . ibi obses fuit, . . sic profecit. *Adde Bartholomæum Pisanum ita loquentem :* Carolus, datis tribus filiis suis obsidibus. . , ipse. . ad suum regnum est reversus : et cum pax per septennium non fuerit reformata, S. Ludovicus cum duobus fratribus suis per tantum tempus Barchinonæ obses fuit, *occasione matrimonii sororis suæ cum Jacobo Aragoniæ rege, patri restitutus, sicut mox dicam.*

tandem ex ea liberatur

21 *Waddingus ad annum Christi* 1295 *num.* 3 *et* 4 *rem exponit :* Jacobus. . , Frederici Frater, dum summo desiderat pacem, et sui regni quietem, fœderis leges præscriptas diligenter adimplet, et Caroli filiam Blancham sibi despondet, celebratis nuptiis ad villam Beltranam primo die Novembris, Guilielmo Ferrario tituli S. Clementis Cardinale legato, qui una cum Carolo rege reginam deducebat, prius mortuo Perpiniani, atque apud Minores sepulto.. Reddiditetiam Jacobus rex Carolo ultimo die Octobris, quo ab eo Blancham filiam in sponsam suscepit, filios tres, Ludovicum, Robertum et Raymundum, proceresque omnes Provinciæ, quos diximus obsides accepisse Alfonsum regem , hujus Jacobi fratrem , et in regno prædecessorem. *Verum priusquam pergamus ad illustrandas* S. Ludovici *ex ista custodia liberati res gestas, placet referre singulare aliquod privilegium, quod ejusdem tempore a Sede Apostolica impetravit.*

AUCTORE J. P.

obtento ante privilegio singulari accipiendi tonsuram primam et Ordines minores a suo confessario.

22 *Factum constat ex litteris Cælestini PP. V, hoc titulo :* Dilecto filio Ludovico, nato charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ regis illustris. „ Cum desideres in Clericali habitu Domino famulari , nuper ad tuæ supplicationis in„ stantiam dilecto filio fratri Francisco de Apta, „ Ordinis Fratrum Minorum, quod tibi, qui „ apud hostes Ecclesiæ detineris ut obses., pri- E „ mam tonsuram , et omnes minores Ordines „ conferre valeat, per alias literas nostras con„ cessimus facultatem „. *Epistola data est* Sulmone VII Idus Octobris, Pontificatus ejusdem Papæ anno I. *Extant istæ litteræ apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad calcem tomi* 15 *inter prætermissa et suis locis reddenda. At quisnam ille* Franciscus de Apta? *Franciscus Pagius in Breviario gestorum Pontificum Romanorum in Cælestino PP. V num.* 15, Pronum est, *ait*, existimare, . . esse Franciscum Brun sive Bruni, socium et familiarem ejusdem S. Ludovici *(De quo vide ipsius testamentum infra* § 7 *num.* 61. *)* Nullus enim alius Franciscus Minorita hoc tempore reperitur , qui S. Ludovico minores Ordines conferre potuerit, præter istum Franciscum Brun vel Bruni, qui adeo Aptensis fuit. *Laudatus Pagius ibidem num:* 16 *ex Haroldi Epitome Annalium Waddingi ad annum* 1295 *num* I *refert*, *Sancto tum temporis* confessarium fuisse Fr. Franciscum de Apea *, Caroli genitoris sacellanum, docere regia scrinia Neapolitana. *Et addit :* Quare non dubitavi, quin iste Franciscus F de Apta fuerit *ipsius* confessarius, et quin Haroldus male legerit de Apea. cum legere debuisset de Apta. . Nulla enim civitas, nullum oppidum reperitur Apeæ nomine indigitatum. *Deinde præplacet Pagio conjectura*, Franciscum illum fuisse de Apta dictum, non quod Aptensis fuerit; sed quod ejus cognomen fuerit de Apta. *Quomodo autem hanc conjecturam fulciat, legi apud ipsum potest.* Ceterum, *inquit*, facultatis minores Ordines ministrandi, alicui simplici sacerdoti, non abbati ab aliquo Romano Pontifice concessa, aliud exemplum non inveni. *Poterat hic a nobis conveniri Waddingus, qui in definiendo tempore Ordinum minorum a Sancto acceptorum hallucinatus est ; sed cum nostra adversus ipsum sententia confirmetur ex aliis documentis, quæ statim producemus, eo rem remittimus. Vide itaque inferius dicenda num.* 25.

* Ab Apea scribit Haroldus

§ II

AUCTORE J. P.

§ II. Sanctus ad cathedram Lugdunensem nominatus; tempus primæ tonsuræ ac minorum Ordinum ; item de majoribus ei collatis.

Promotio Sancti ad sedem Lugdunensem

Cœlestinus Papa hujus nominis quintus litteris suis confirmat S. Ludovico *administrationem ecclesiæ Lugdunensis tam in spiritualibus quam in temporalibus, postquam jam antea ad ejusdem cathedræ gubernacula ipsum promovisset. Etenim in litteris supra num.* 22 *a me citatis dicuntur ista :* Eapropter licet ob locorum distantiam, qua separaris a nobis [et ob] brevitatem temporis, quo prædicta concessimus, adhuc nequieris Ordines prædictos assumere : tamen quia in esse videntur quodammodo, quæ fieri sperantur in brevi, tuum honestum et salubre B propositum gratiosius prosequentes, procurationem Lugdunensis ecclesiæ vacantis tunc * per promotionem venerabilis fratris nostri Remundi episcopi Albanensis, nuper ad apicem cordinalatus assumpti, olim ipsius ecclesiæ archiepiscopi (quamquam tonsuram et Ordines ipsos nondum recepe-ris) ac administrationem ipsius in spiritualibus, et ut * temporalibus, tibi fiducialiter duximus committendam, et recipere et habere valeas juxta formam aliarum literarum nostrarum tibi proinde concessarum, auctoritate præsentium de certa scientia et speciali gratia indulgemus. Dat. Sulmone VII Idus Octobris, Pontificatus nostri anno I, *Christianæ autem æræ* 1294.

* f. nunc

* f. in

a Cœlestino PP. V facta,

24 *Quod vero et quam graves causæ S. Cœlestinum moverint, ut ad ecclesiæ Lugdunensis regimen promoveret* S. Ludovicum, *conficitur ex aliis ejusdem sancti Pontificis litteris apud Raynaldum loco citato, in quibus*, Attendentes, *inquit*, claritatem excellentis generis, eminentiam luminosæ scientiæ, venustatem morum, et multiplicia dona virtutum, quibus clarere dignosceris : depressum quoque ac laceratum statum ma-C joris ecclesiæ Lugdunensis, quæ per vicinorum potentum injurias ac pressuras gravem diminutionem suorum jurium, et facultatum amaris fletibus ingemiscit; quodque per tui tuorumque favoris auxilium prætacta diminutionis incommoda, et votiva recipiet restitutionis augmenta etc. Datum in monasterio S. Spiritus prope Sulmonam Non. Octobris Pontific. nostri anno I. *Verum hæc Sancti nostri ad prædictam cathedram assumptio executioni mandata non est. Nam, prout ibidem subnectit Raynaldus,* rescidit hæc postea Bonifacius VIII ; ademptamque Lugdunensis archiepiscopatus dignitatem æquo animo tulit S. Ludovicus : et quamquam in Siculi et Jerosolymitani regnorum spes educabatur, subdiaconum et sacellanum Bonifacii VIII singulari demissione egit, *ex epistola Bonifacii* 107 *in eodem Ms. archivi Vaticani, e quo duas alias ad* S. Ludovicum *datas epistolas protulerat Raynaldus, sicut apud ipsum licet videre.*

sed a Bonifacio VIII rescissa: minores Ordines

25 *In nova editione Galliæ Christianæ tomo* 4 *col.* 157 *agitur ex Raynaldo de Lugdunensis archiepiscopatus administratione jam memorata, ac rescissa postmodum ; sed primo eadem ibidem perperam dicitur a Cœlestino collata* S. Ludovico *nostri, quasi* in Fratrum Minorum Ordine Religiosam vitam professus fuerat *jam tum, quod falsum est, sicut demonstrabitur postea, quando de anno Religiosæ ejus professionis tractabimus.* 2° Scrupulum tamen hic movere posset, *prout ibidem sequitur,* quod de his altum sit apud Waddingum, eruditum alias ac diligentem scriptorem, silentium. *Sed scrupulum illum non recte fundatum atque adeo deponendum esse, probatur ex eo, quod prædictæ litteræ opera Raynaldi in lucem prodierint anno tantum* 1652, *quo Annalium ecclesiasticorum tomus* 15, *cujus appendici illæ sunt intextæ, excusus prænotatur. Quomodo igitur ipsas videre potuit Waddingus, dum res gestas* S. Ludovici *pertexeret ? Nam tomus ejus Annalium secundus anno* 1628 *impressus est. Quamvis autem tomus octavus istius Operis ab ipso sit in lucem datus anno* 1654, *ac proin post litteras illas a Raynaldo vulgatas, una cum additionibus ad præcedentes tomos, nihil tamen in rem nostram in illis invenio. Franciscus Pagius in Breviario gestorum Romanorum Pontificum in Cœlestino PP. V num.* 18 *ita concludit contra Waddingum :* Ex his porro omnibus *(egerat antea de privilegio conferendi minores Sancto nostro Ordines, ac denominatione ad Lugdunensis cathedræ administrationem, de quibus modo egimus etiam nos)* constat, deceptum esse Waddingum, cum scripsit ad annum MCCXCV num. 5 *(immo num.* 4*)* S. Ludovicum minoribus Ordinibus eo anno initiatum, præsente Jacobo Aragonio, et Carolo rege genitore, qui tamen anno MCCXCV Romæ erat, ut infra videbitur.

D

E

26 *Waddingi verba accipe :* Itaque jam initiandus, cum pro Ecclesiæ more primam tonsuram coram utroque rege Aragonio, et patre suo, legatisque Apostolicis, qui ibi tunc aderant, acciperet, magna omnium admiratione, et fletu circumstantium ; flexis genibus, profusis lacrymis, illud regii Prophetæ regius Adolescens ex animo pronuntiabat : Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei ; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi ... Et quo se gratum Deo offerret holocaustum, rursus Deo votum nuncupavit perpetuæ castitatis, et capiendi instituti Fratrum Minorum. *Hæc itaque non videntur posse combinari cum iis, quæ antea de singulari privilegio primæ tonsuræ et minorum Ordinum e litteris Cœlestini ad* S. Ludovicum, *tunc in captivitate degentem Barcinone, scriptis, recitata a nobis sunt, multo minus cum denominatione ad archiepiscopalem sedem Lugdunensem, in eisdem contenta. Hinc etiam neutiquam placent nobis, quæ memorat Haroldus ad annum Christi* 1295 *num.* I. Ludovicus, *ait*, in concepto proposito Minorum institutum suscipiendi perstitit ; et, accepta Clericatus prima tonsura, votum, quo secreto se obligaverat, solemniter multis præsentibus et audientibus renovavit : quamquam Carolus rex ejus genitor obtulisset, se regnum statim illi cessurum, si ducere vellet uxorem. *Nam si hoc verum esset, sequeretur, eum prima tonsura insignitum fuisse tunc, quando post Caroli primogeniti sui fratris obitum jus primogenituræ ad se esset devolutum : obiit autem Carolus anno* 1295 *ante* III *Kalendas Septembris, et pridem quidem, ut videsis infra* § 5.

quo anno

F

27 *Tonsuram itaque primam ac Ordines minores innecti debere censemus anno Christi* 1294, *quo litteræ superiores Apostolicæ datæ fuere. Annus autem ille cohæret cum Anonymo Seduliano, qui apud nos num.* 26 *ad præsens propositum hæc narrat :*

susceperit. De subdiaconatu,

AUCTORE J. P.

A *narrat* : Vigesimum ætatis annum cum exegisset, initiatus est Ordinibus ecclesiasticis. *Etenim lucem primam Sanctus vidit anno* 1274, *sicut probabimus* § 6, *atque adeo dicto jam ætatis suæ tempore recte intelligitur illis insignitus. Quanta vero cum animi demissione eosdem exercuerit; memoriæ proditum legitur apud citatum Anonymum his verbis :* Nec vero majorum *Ordinum*, qui sacri vocantur, duntaxat, sed minorum etiam singulorum officiis voluit perfungi. Romæ in Natali Domini se inter pueros constituens, non est dedignatus cereum gestare, acoluti officium diligentissime administrans. *Quamvis autem Romæ illud officium obierit* S. Ludovicus, *teste biographo, inde tamen concludi non potest, illum ibidem minoribus Ordinibus initiatum fuisse, propter rationes supra allegatas. Ex dictis etiam deducitur, errasse Fremautum cap.* 3, *ubi dum præmisisset, Sanctum anno* 1296 *cum suo patre ac fratribus e Gallia in Italiam profectum, eique matrem ac fratrem suum primogenitum Carolum* B *Martellum, tunc denuntiatum Hungariæ regem, una cum magno insignis nobilitatis comitatu, obviam factos Florentiæ extra portas; postea subdit, ibidem loci* S. Ludovicum *accepisse ante festum Natalis Domini minores Ordines, ac etiam subdiaconatum : quem ubi et quando susceperit; non est mihi promptum certo definire. Virtutes autem, quas occasione illius exercuit, refert Petrus Calo seu Calotius, quem indicabo infra :* Subdiaconus ordinatus, vasis aureis et argenteis uti noluit, vel pellibus variis griseisque; sed nec alio animali quam mulo vehi sustinuit.. Chordam semper portavit ad carnem : Factus subdiaconus stamineam asperam addidit, nec rogatus usque ad mortem dimisit.

diaconatu ac sacerdotio ejus

28 *Anonymus Sedulianus de diaconatu ac sacerdotio hæc docet loco citato :* Consecrandus diaconus et sacerdos Neapoli in æde S. Laurentii, ubi Fratrum Minorum est monasterium, *(quod a Carolo secundo post Carolum primum fuit absolutum, teste Rodulphio fol.* 120 *verso)* nullo modo permisit sibi quidquam honoris præ cæteris haberi, ita se gereus, quasi omnium minimus et postremus. C *Id quod etiam præ se tulit in vestibus : nam, uti lego in nostro Ms. Calotiano,* Post etiam susceptos Ordines sacros, portando vestes de camelino bigino, aut panno nigro, humillime incedebat. *Quo autem loco ac modo sese ad sacerdotium comparaverit, exstat apud Waddingum ad annum* 1296 *num.* 4, *ubi hæc scribit :* Porro ut [de] disciplinæ ecclesiasticæ legibus, et sacerdotii rite subeundi ceremoniis perfectius edoceretur, extra Neapolim quodam in loco Fratrum Minorum habitationi se adjunxit, eorumque disciplinis sane sanctissimum animum egregie informavit.

§ IV. Mira rerum caducarum despicientia; professio instituti FF. Minorum; episcopatus duplex.

Rebus omnibus caducis despectis,

Apud *Anonymum Vitæ scriptorem vivis coloribus depingitur summa rerum caducarum despicientia, qua* S. Ludovicus *intime flagrabat, splendida regni terreni vincula, ac fucatam vere servitutem contemnens, aspiransque ad genuinam libertatem filiorum Dei, prout videre datur cap.* 3. *Custodia itaque solutus* venit cum patre Romam, *sicut idem Anonymus narrat;* ibi Bonifacius ejus nominis Papa VIII voluit eum facere episcopum Tolosanum. Ille vero secum statuit non prius assentiri, quam voto, quo tenebatur, se liberasset. Summo autem Pontifice devotioni ejus annuente, professus est institutum B. Francisci Romæ in conventu Aræ cæli in vigilia Nativitatis Dominicæ. Et ne pater offendi posset, indulget Pontifex, ut occultata monastica veste, uteretur vulgari Clericorum, qua etiam aliquanto tempore usus fuit. Sed non ita diu potest instinctu Spiritus sancti, et amore Christi.. illum cultum honoratiorem posuit, ipsaque die S. Agathæ sacra, duobus Cardinalibus præsentibus, indutus vili tunica, et fune præcinctus, ad præscriptum regulæ S. Francisci, a Capitolio ad usque palatium S. Petri, per luta illa Romana nudis pedibus conspectus est incessisse. *Bulla canonizationis* Miranda, *inquit,* res, et alias insueta! Vir namque virtutum positus in sublimi, juri primogenituræ renuntiavit et regno, regalis solii spreta pompa, pro regno corruptibili æternum ac plenum delitiis regnum mercans. E

institutum profitetur

30 *Barthotomæus Pisanus heroicum mundi contemptum merito sic extollit :* O qualis fuit iste mundi contemptus sanctissimi Juvenis; qui regnum Siciliæ et Jerusalem, quod sibi debebatur ex patre ut primogenito *(post mortem videlicet primogeniti fratris)* ac regnum Ungariæ, quod sibi debebatur ex matre, Comitatum Provinciæ et Floquarqueri *, pro Christi amore reliquit, nihil omnino sibi de mundialibus reservans. Nec ordinem aliquem habentium saltem in communi voluit intrare; sed Ordinem beati Francisci pauperrimum, qui nihil dat suis Fratribus nec in proprio, nec in communi, nec in senectute nec in juventute, ætate videlicet annorum XIX, vel ad plus viginti.

* *l.* Forqualquerii *vel* Forcalquerii

fratrum Minorum :

31 *Qua vero de causa Ordinem hunc prætulerit aliis, refert apographum Vitæ, quod habemus, quodque notatur desumptum* ex P. Calo p. 2 f. 89, ex cod. 929 *(de quo auctore ac codice consule quæ dixi tom.* III *Augusti, die* XIII, *pag.* 14.*) Auctor autem ille cum* S. Ludovico *synchronus fuerit, qui videlicet claruerit sub* F *finem seculi* XIII, *prout ibidem invenies, libenter ex illo excerpimus sequentia in rem nostram :* Volebat autem intrare Ordinem illum, ut postea retulit, ut penitus esset ignotus; ubi cum contemplativa vita exercere posset humilitatis obsequia, scopare domos, lavare paropsides, et similia. Frequenter dixit post suam liberationem, quod bene et quiete sibi fuerat in castro de Siurana, et quod nunquam fastiditus fuit in castro illo, licet inibi fuisset quinque *(immo septem)* annis detentus, percipiens illud Psalmi : Cum ipso sum : in tribulatione dilatasti mihi. *Nec vero insignem hunc profundissimæ demissionis animi spiritum postea prætermisit vel intermisit umquam, clericus, sacerdos, episcopus : nam* Omnia sua facta decorabat humilitate, *uti dicitur in Vita cap.* 4 *num.* 27. *Ita* S. Ludovicus *semper et ubique sui similis, et in tenues se colligens solidissimæ humilitatis umbras, publico actu renuntiavit regno terreno, de quo dicebam; et eodem quidem anno et die, quo ad sacras infulas promotus est, sicut videbitur paullo post.*

creatur episcopus a Bonifacio PP. VIII.

32 *Laudatus Waddingus ad annum* 1296 *num.* 5 *de Sancti episcopatu ista memoriæ prodidit :* Vacavit sub hoc ipso anno, die VI Decembris, per mortem Guidonis Mascarii ecclesia Tolosana,

AUCTORE J. P.

losana, in Gallia illustris, tunc episcopalis; sed per Joannem XXII anno MCCCXVII, ut commemoratur in Jure canonico *(quod ibidem citat)* archiepiscopalis facta. Quare Bonifacius longe antea Ludovici pietate perspecta, pariterque prudentia ac eruditione singulari cognita, eum ad sedem illam administrandam evocavit. Recusavit constanter Ludovicus, negavitque, se aliquod muneris ecclesiastici officium suscepturum, nisi prius in verba regulamque D. Francisci solemni professione jurasset, seseque totum sanctissimo illi instituto consecrasset *(quod, annuente Pontifice, executioni mandavit, sicut superius in antecessum diximus)*. Susceptus a Fr. Joanne de Muro, hoc anno, ut mox dicemus, creato Ministro Generali: in cujus manibus eodem isto die authoritate Pontificia solemnem emisit professionem: et mox sub vespere illius diei declaratus est episcopus Tolosanus. *His subdit idem auctor, usum aliquamdiu ipsum esse monastica veste sub habitu clericali occultata ex consensu Pontificis, propter patrem suum; sed non ita diu post Romæ palam vili Franciscanorum tunica indutum ac pedibus nudis incessisse; de quibus rebus paullo ante per anti-*
B *cipationem alia occasione ex Biographo actum a nobis est.*

et laudatur ab eo.

33 *Elogia, quibus novum Præsulem condecorat Pontifex, habentur in hujus litteris, quibus illum assumit ad infulas, ac super defectu ipsius ætatis dispensat (numerabat enim Princeps noster regius tunc annos dumtaxat viginti tres, secundum computationem nostram postea dandam). Elogia, inquam, illa ac dispensatio hisce litteris contenta exstant apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1296, *ubi hæc signantur* dat. Laterani IV Kal. Januarii, Pontificatus *Bonifacii VIII* anno II. *Sic itaque* S. Ludovicum *ibidem affatur Pontifex ille*: Ad personam tuam sublimibus natalibus productam, ex claris utriusque parentis tui progeniebus regalibus præfulgentem, eminenti literarum scientia præditam, vitæ munditia redolentem, gravitate morum et consilii maturitate conspicuam, aliarumque donis virtutum ab Altissimo multipliciter decoratam, convertimus aciem nostræ mentis; et tecum super ætatis defectu, quem pateris; maxime cum defectum ipsum supplere
C prædictis virtutum donis, et aliis eximiis et laudabilibus meritis, quæ tibi suffragari novimus, dignoscaris, auctoritate Apostolica dispensavimus etc. *Errat itaque Joannes Antonius Summonte tomo* 2 *Historiæ Neapolitanæ, anno* 1675 *Neapoli recusæ, pag.* 336, *ubi scribit, quod summus Pontifex eum vocatum ad se die S. Agathæ anni* 1296 *elegerit episcopum. Sed quo ætatis anno creatus est antistes?*

Quo ætatis anno, quo item die susceperit episcopatum:

34 *Spondanus in Annalium Baronii Continuatione ad annum* 1296 *num.* 6 *ait, fuisse eum eo dispensatum*, quod non vigesimum primum excederet annum. *Bartholomæus Pisanus hæc scribit*: Factus est Frater Minor.. ætate videlicet annorum 19, vel ad plus viginti. Habitu igitur induto.. fecit professionem; *quæ, uti ante dictum, accidit eodem die, quo declaratus est episcopus Tolosanus, atque adeo eadem Sancti nostri ætate, quam designat Pisanus, si veram designaret. Sed illum refutat Waddingus ad annum prædictum num.* 6 *hoc ratiocinio*: Bartholomæus Pisanus undeviginti *annos* dumtaxat ei tribuit, quando habitum Minorum assumpsit; quod minime cohæret anno et mensi nativitatis a nobis superius statutis; videlicet ducentesimo septuagesimo quinto supra millesimum, et mensi Fe- D
bruarii: a quo si ad finem usque hujus anni (1296) scilicet ad vigiliam Nativitatis enumeraveris, computabis annum unum ultra viginti ferme expletum. Atque hæc magis concordant cum authore Vitæ ejusdem apud Sedulium, quem coævum, et sancto Viro familiarem diximus alias, qui scribit, quartum decimum jam annum agere cœpisse, cum obses mitteretur in Hispaniam; deinde ibi hæsisse annis circiter septem; quibus si addas integrum nunc annum decursum a reddita libertate, sane hic numerabitur annus vigesimus primus ætatis ejusdem; a quo non inaniter ita stabilito clarius inferetur annus mortis, circa quem explicandum densæ etiam se offerunt tenebræ, et variæ scriptorum opiniones. *Nos dispiciemus postea, an illas dissipare utcumque possimus; et ipsum Waddingum conveniemus. Ex iis vero, quæ notabimus, temporis punctis, ad annum ætatis tertium supra vigesimum erit removendus* S. Ludovici *episcopatus.*

Nostrum exemplar Ms. Calotianum Vitæ S. Ludovici *memorat diem, quo episcopus consecratus fuit. En tibi verba*: Factus autem Frater E
Minor in Vigilia Nativitatis Domini.. ipsa die pronuntiatus est episcopus Tholosanus, et sequenti Dominica consecratus. *Cum autem annus Christi* 1296 *fuerit intercalaris sub litteris Dominicalibus A G; inde colligo, vigiliam Nativitatis incidisse in diem lunæ; Dominicam vero sequentem in diem* XXX *Decembris. Voluit autem ipsemet Bonifacius Papa VIII episcopalis consecrationis dignitatem Sancto impertire; sicut diserte referunt ejusdem Pontificis litteræ, superius num.* 33 *a me designatæ, his terminis*: Tibique subsequenter consecrationis munus propriis manibus duximus impendendum.

qui licet sit prematurus approbari tamen debet.

35 Si quis vero *(verbis utor Sedulii in Commentario ad caput* 19 *Vitæ ab ipso vulgatæ, pag. mihi* 110) adolescentiam illius sugillare non vereatur, etiam D. Paulum sugillet, quod Timotheum episcopum creaverit adolescentem; atque adeo adolescentem, ut ejus rei gratia contemni periculum fuerit; et, ne fieret, scribit I Tim. 4, 12. „ Nemo adolescentiam tuam contemnat. „ In quem locum D. Chrysostomus Hom. 13: „ Si ætatis de„ fectum indolis magnitudine, morumque gravitate
„ suppleveris; nullus jam te adolescentiæ causa F
„ contemnet, verum admirabitur magis. „ Contingit aliquando adolescentes cordatos esse, qui, si ad illud episcopale munus evehantur, non derogatur muneri; quia non vita respicitur, sed virtus desideratur. Talis S. Remigius episcopus Remensis, quem Baronius *(vide notas ad Martyrologium Romanum die* I *Octobris)* ex Fortunato et aliis scriptoribus adfirmat, episcopum creatum ætatis annum agentem vigesimum secundum. *Quod autem quantisque meritorum parasangis Præsul noster immaturam ad munus episcopale ætatem suppleverit; liquet abunde tam ex elogio Bonifacii Papæ, de quo superius num.* 33, *quam e Vita Anonymi, aliisque auctoribus. En tibi jam, lector, alia quædam de Sancti infulis.*

Sanctus etiam præfuit

36 *Quæri etenim potest, an soli ac uni Tolosanæ cathedræ præfuerit. Respondeo, ipsum etiam præfuisse Appamiensi in Gallia Narbonensi; quamquam eodem anno, quo Tolosana, ei non collatæ, sicut vult Spondanus Appamiarum episcopus, ad annum* 1296 *num.* 8, *cujus verba refero*: Sed quod rursum episcopatum Ludovici attinet.. legimus in Chronico Nangii, et apud Walsingamum

A Walsinghamum Anglum, cum etiam simul reunitum (ut Anglus loquitur) tenuisse episcopatum Appamiensem recens erectum a Papa Bonifacio, et a Tolosano separatum, sive, ut Nangius ait, utrumque episcopatum integraliter a Bonifacio esse consecutum. Ex quibus et intelligimus quod Bernardus Guidonis in Hist. Pontif., Almaricus Augerii, Chronicon Monfortianum, aliique chronographi scribunt, Bonifacium erexisse hoc ipso anno MCCXCVI, Pontificatus sui secundo, villam Appamiam diœcesis Tolosanæ in novam civitatem, magis referri debere ad annum superiorem. Quomodo enim Ludovicus episcopatum Appamiensem distinctum a Tolosano una cum isto tenere potuit, si nondum, quando ipse Tolosanum accepit, erectus erat? Denique diserte ipsa bulla seu constitutio ipsius erectionis, quam vidimus, data ponitur XVI Cal. Octobr., Pontif. anno primo: ubi etiam dicitur, erectionem episcopatus jam destinatam fuisse a Clemente IV, quem pariter anno superiori vidimus curam monasterii suscepisse, ac regi Ludovico sancto commisisse.

B 37 Verum quoniam eadem bulla institutionis episcopatus per Bonifacium factæ, non nisi præsenti anno publicata fuit per Ægidium Narbonensem archiepiscopum, cujus metropoli novus episcopatus suppositus fuit æque ac Tolosanus, a quo divulsus est (quam publicationem etiam vidimus factam sabbato post Dominicam Lætare præsentis anni MCCXCVI) inde Bernardus et alii, quos diximus, chronographi, non nisi eidem præsenti anno prædictam erectionem assignarunt. Constituit autem ibi Bonifacius primum episcopum Bernardum Saysseti, abbatem monasterii S. Antonini Canonicorum Regularium ejusdem civitatis, de quo dictum est anno superiori; et ipsam abbatialem ecclesiam erigens in cathedralem, pluribus redditibus optime dotavit et limitavit. Quod tamen, ut scribunt alii, ejusmodi erectio et personæ electio ingratæ fuere regi Philippo; ideoque utramque diœcesim regere habuit Ludovicus. Unde et reperimus inter epistolas Bonifacii unam ad Philippum regem scriptam Idibus Augusti anno tertio, qua eum rogabat, ut executionem ab ipso Pontifice commissam archiepiscopo Narbonensi pro eodem episcopo Appamiarum, non permitteret, per regios ministros

cathedræ Appamiensi:

C indebite impediri. Quo factum est, ut, defuncto, post biennium Ludovico, tum demum Bernardus Appamiensem susceperit, nempe anno MCCXCVIII.. Ut sic gloriari liceat ecclesiæ Appamiensi, fundatorem primum habuisse principem martyrem Antoninum, de quo anno superiori, et protopræsulem principem Ludovicum, magnum, pium, doctum, sanctum confessorem: et admirari divinam in se providentiam, quæ non permisit, Bernardum, rixarum et dissensionum virum, primo sedem ibi figere, ut tantum haberet vitæ et morum exemplum, quod intueri et imitari deberet.

rei gestæ annus inquiritur.

38 *Ita Spondanus: cujus ratiocinium nobis displicet, quia ita illud ordinat, ut Sanctum velit suscepisse infulas Appamienses anno demum Christi* 1298, *quando videlicet non vivebat amplius, anno utique* 1297 *mortuus, sicut infra conabimur probare. Interim rectius rem gestam anno* 1297 *affigunt Sammarthani tomo* 2 *Galliæ Christianæ pag.* 163, *quia tunc saltem* S. Ludovicus *etiamnum vivebat*; ipso autem, *prout ibidem habent*, non multo post defuncto, ut videre est in Tolosana metropoli, tunc demum Bernardus Saisseti anno MCCXCVIII episcopatum gerere permissus est a rege, ut ex Nangio, et aliis intelligitur: ideo secundus dicendus episcopus ratione administrationis, quamquam primus ratione erectionis. *Si vero constaret, Sancto collatos fuisse simul episcopatum Tolosanum et Appamiensem, tunc innectendus esset uterque anno Christi* 1296, *quo exeunte, ad* IV Kal. Januarii *signatur bulla Bonifacii VIII, qua eum assumit ad infulas Tolosanas, quemadmodum patet e præmissis antea num.* 33: *quo etiam die et anno accidit professio ejus Religiosa, ex num ibidem* 32, *atque adeo solennis ille actus heroicus, quo renuntiavit paterno regno. Quoniam vero de istius rei tempore acturum me dixi supra, fidem nunc liberabo.*

auctore J. P.

§ V. Tempus, quo Sanctus renuntiavit terreno regno.

Juri primogenituræ *Sanctum* renuntiasse et regno, *habes in initio § quarti e bulla canonizationis. Adde Anonymum nostrum biographum cap.* 3. *De facto itaque constat; de tempore autem, quo id actum sit, scribit Spondanus ad annum* 1296 *num.* 7 *his verbis:* Antequam porro votum Religionis emitteret, omnem suam in regnum Siciliæ actionem in fratrem Robertum ætate minorem transtulisse dicitur, extatque hactenus in ecclesia S. Laurentii Ordinis Minorum Neapoli imago ipsius ad vivum depicta, diadema regni procumbenti coram se Roberto imponentis. Verum eam potius existimamus factam, postquam Robertus natu minor regnum adeptus est; quod debitum fuisset Ludovico majori natu, si non mundo renuntiasset, quam quod revera nunc Ludovicus tali actione regnum in eum transtulerit, cum adhuc viverent pater ejus ac frater primogenitus Carolus Martellus Hungariæ rex. Cum alioqui, quod abiisset hoc tempore prædictus Martellus in Hungariam sibi jure debitam (ubi tamen ob partem Andreanam, *de qua re Spondanus egerat ad an.* 1290 *num.* 8, haud pacifice rerum potiri potuit) nec videretur sufficere aliquando posse ipse unus duobus regnis adeo dissitis administrandis; ad Robertum post Ludovici renuntiationem, regni Siculi successio spectare videretur.

Refertur

E

F

40 Quam etiam ut Pontifex Bonifacius in exclusionem Aragoniorum stabiliret, dato anno sequenti sexto Calendas Martii rescripto, omnem dubitationem de futuro post Carolum patrem in regno Siciliæ successore tollens, illud nulli Aragoniorum, sed prædicto Roberto omnino deberi declaravit. *Hactenus Spondanus. Sed illustrissimus ille Baronii continuator ponit systema juris ad regnum paternum a* S. Ludovico *in fratrem Robertum translati, quod nec cohæret cum natura rei gestæ, nec cum vera chronologia. Non cohæret cum natura rei. Nam cum expressis terminis asserat bulla canonizationis:* Juri primogenituræ renuntiavit; *et Anonymus apud Sedulium*, Potentissimum regnum, quod sibi hæreditaria successione debebatur etc.; *quomodo in sententia Spondani* jus *illud ac* debitum *intelligi queant vere ac proprie ad* S. Ludovicum *pertinuisse?*

a nobis

41 *Quomodo, inquam, jus regni vel ante hunc annum vel postea umquam pertinere potuit tamquam hereditarium jure primogenituræ ad* S. Ludovicum, *qui in Spondani sententia ante patrem*

ac merito

AUCTIONES J. P.

trem ac fratrem primogenitum e vita excessit, anno videlicet 1297 *mortuus? Carolus enim Martellus, frater ejus primogenitus, anno* 1301 *apud Spondanum ad annum* 1300 *num.* 7 *obiisse scribitur, quo* Romam primum ad consequendam indulgentiam *jubilæi*, Neapolim inde ad patrem accessit, ut ei post mortem succederet tamquam primogenitus, translato jam in filium Hungariæ regno sibi materna hereditate debito, *sicut ibidem narratur.*

rejicitur

42 *Carolus vero Claudus, pater ejus, diem suum obiisse ad annum* 1309 *refertur apud eumdem Baronii continuatorem num.* 3, *ubi et de Roberto ejus filio, eorum qui tunc supererant, natu maximo, ac patris in regno ac in Comitatu Provinciæ, et aliis universis bonis, ejusdem patris ac Pontificis voluntate, successore agitur, nec non de coronatione ejus, magna cum celebritate per Clementem PP. V Avenione facta. Hæc cum ita referat Spondanus, quisnam concipere satis queat, qui fieri potuerit, ut S. Ludovicus regno paterno, tamquam jure hereditatis sibi debito, nuntium vere ac proprie remiserit umquam,*
B *patri ac fratri primogenito, ad quem post patris mortem jus illud spectabat, præmortuus etiam in sententia Spondani? Nam ad annum* 1298 *num.* 5, Hoc, *ait*, anno (ut recentiores Annales Minorum *apud Waddingum, quem citat*, contendunt; cum nonnulli auctores præcedente, alii etiam sequente ponat) S. Ludovicus episcopus Tolosanus, et primus Appamiensis.. diem extremum.. obiit.

sententia Spondani,

43 *Dicimus itaque, Spondanum tam in iis, quæ proxime ex ipso retulimus, quam in ratiocinio, quod paullo ante etiam ex ipso recitavimus, hallucinari, sicut modo probabimus, simul ostensuri, quo pacto et ipse aliorum corrector corrigi, et præsentis controversiæ difficultas extricari possit. Sciendum itaque est, Carolum Martellum, germanum Sancti primogenitum, ante* III *Kal. Septembris, et pridem quidem, anno Christi* 1295, *Bonifacii PP. VIII primo, vivere desiisse. Raynaldus quippe ad eumdem Christi annum, postquam num.* 18 *protulisset Bonifacii litteras ad Landulfum S. Angeli diaconum Cardinalem, in regno Siciliæ Apostolicæ*
C *Sedis legatum,* datas Laterani VIII Id. Aprilis anno I, *in rem nostram ita ibidem memorat num,* 19: Cum vero postea Carolus Martellus, jure materno Ungariæ rex, a patre Carolo, qui in Gallias abierat, relictus regni Siculi vicarius Neapoli, in ipso ætatis flore, cum jam ad magnas spes adolesceret, obiisset,; Bonifacius administrando regno Landulphum Cardinalem, et Philippum Caroli II regis filium principem Tarentinum præfecit. At paulo post et Cardinalis legati, et Philippi principis consiliis adductus, cum spes affulgeret melius publicæ rei consultum iri, si Mariæ reginæ procuratio regni deferretur, illam eo munere exornavit, *prout constat e litteris ad illam* datis Anagniæ III Kal. Septembris anno I, *quæ apud laudatum Rainaldum subjiciuntur hoc principio*: Pridem, non absque gravi nostræ mentis amaricatione, percepto, quod claræ memoriæ Carolus rex Ungariæ, charissimi in Christo filii nostri Caroli regis Siciliæ illustris, ac tuus primogenitus, ipsiusque regis in regno Siciliæ vicarius generalis mortem.. apud Neapolim subierat temporalem etc.

ac nostra stabilitur.

44 *Ex his itaque deducimus* 10. S. Ludovicum *jam tum ab anno Christi* 1295, *quo obiit Carolus Martellus, rex Hungariæ, ac primogenitus regis Siciliæ Caroli II, atque adeo regni istius* D
juri hereditario proximus, successisse ejus loco in illud jus; cui actu solenni admodum ac publico renuntiavit, quando Romæ anno 1296 *in Conventu Aræ cœli solennem emisit professionem Ordinis FF. Minorum (Vide biographum apud nos cap.* 3, *num.* 21;) *ita tantisper tamen se gerens occulte, ut patrem non offenderet; sed die S. Agathæ suam professionem atque adeo primogenituræ suæ juri renuntiationem publice declaravit, ex* § 4. *Dixi* actu solenni admodum ac publico. *Dubium quippe mihi non est, quin jam tum ob anno* 1295, *quo obiit frater ejus primogenitus, juri suo nuntium remiserit vel actu aliquo minus solenni quam fuerit professio Religiosa, vel privatim sive apud se, tam ob innatam rerum caducarum despicientiam, quam ob votum, quo in ipsa sua custodia Barcinonensi se obstrinxerat, quodque deinde renovarat, ingrediendi Ordinem S. Francisci, sanctissimi istius decreti semper tenacissimus. Quæ cum ita sint, consequens est, ut Sanctus noster nec publice nec privatim jus primogenituræ transtulerit in Robertum ante annum Christi* 1295, *cum tunc dumtaxat habere illud cœperit; nec post annum* 1296, *quo dictam Ordinis Seraphici professionem* E
edidit.

Aliorum parachronismi.

45 *Ex ante dictis deducimus* 2°. *Varios quidem annos emortuales Caroli prædicti referri apud Sammarthanos tom* 2 *Historiæ genealogicæ domus Franciæ lib.* 30 *cap.* 4, *videlicet annum* 1297, 1301, 1302; *sed nullum verum esse; atque adeo potiore jure illos auctores rejiciendos, qui loco citato vitæ Sancti finem extendunt ulterius. Hac itaque temporis ratione ita superius a nobis stabilita, Antistitem nostrum ad dilectam sibi sponsam iter instituentem comitemur.*

§ VI. Discessus et adventus ad urbem Tolosanam; virtutum exempla; vigilantia pastoralis; locus et annus mortis.

F

Roma discedens egregia despicientiæ sui edit specimina:

Waddingus *ad annum Christi* 1297 *num.* 1 *exhibens Sanctum, Roma ad sedem suam Tolosanam proficiscentem, ita scribit*: Consecratus episcopus dilabente anno præterito S. Ludovicus, uti suo loco retulimus, (*Consule annum* 1296 *num.* 5 *et* 6) sub initio hujus decrevit collatam sibi sponsam invisere, et oves sibi commissas solicito studio, et sub oculis positas præsens gubernare. Bona itaque Pontificis venia Roma discedens pervenit Senas, apud Fratres Minores exceptus hospitio, voluitque inter illos esse unus ex illis, atque omnia subire humilitatis officia; ita ut a prandio cum eisdem omnia abluerit culinæ utensilia. Hinc abiens Florentiam, a civibus magno exceptus honore, ad Fratres etiam monasterii sanctæ crucis nuper constructi divertit; qui cum eum deducerent in cubiculum, pro personæ dignitate nobilibus aulæis adornatum, deaurato lecto resplendens, et regum Galliæ atque Siciliæ stemmatibus variis condecoratum; pedem retraxit dicens: Non est hæc cella Fratris Minoris; sed aula principis mundani: ego jam seculi pompis publica professione renuntiavi, et summæ me paupertati devovi. Quare si juxta animum meum et statum a vobis recipiar, apud vos manebo:

A nebo: sin autem, illuc occulte pergam, ubi non oporteat firmiter a me propositam vitam adulterare. Non sunt ausi Fratres pii Principis resistere voluntati, quin statim omnia removerent, relicto lecto dumtaxat. Neque in hoc etiam ille voluit dormire; sed, strato in pavimento pallio, humi tota nocte decubuit. Devota et celebris fuit deinceps in illo loco hujus Sancti memoria: et statim ut Sanctis adnumeratus est, egregium ei consecratum sacellum, et præ ecclesiæ foribus æneum ejusdem simulacrum.

Tolosam ingressus omnium animos et oculos

47 *Hæc edidit demississimæ et innalæ sibi modestiæ, omnis humani fastus contemptricis exempla noster Præsul, quando iter dirigebat ad ecclesiam Tolosanam, charissimam sibi sponsam. Quantam vero, ubi eo pervenit, in animis atque oculis omnium conciliarit æstimationem de se atque exspectationem, perspicuum fit ex Waddingo, dum ita prosequitur num.* 2: Ut pervenit Tolosam, turmatim per vicos et plateas suo occurrebant cives pastori, indefesse eum collaudantes a pietate, a nobilitate, et ab angelico aspectu. Neque eis sufficiebat semel aspexisse; sed prætereuntem sequebantur, ad alia accurentes diverticula, ut
B iterum et sæpius occurrentem pro suo desiderio respicerent. Secreta quædam virtus ex placidissimo et grato prodibat aspectu, qui intuentes, quantumvis a virtute devios, flectebat, et ad nobiliores excitabat cogitatus Inter hos unum carnis operibus addictum refert Alvarus Pelagius de Planctu Eccles. lib. 2 cap. 22, hujus ferme temporis author, qui vehementer compunctus interius, coram omnibus proclamavit:

in se convertit.

48 Hic noster Præsul vere sanctus est: quod et alii affirmabant, læti asserentes jactantes, se omnium totius mundi prælatorum habere sanctissimum, nobilissimum, et aspectu gratissimum; sed conceptum de tanto obtento Viro gaudium timore misceri, ne aliquando, ut in aliis visum est, a pietatis gradu decideret, et a via virtutis, quam magno aggressus est fervore, vellet declinare. Expletis publicis functionibus, dum a turba declinanti hoc posterius ei quidam ex familiaribus referret; protinus subjunxit: Prius vellem hanc vitam quam viam deserere, et tam vitæ quam viæ hujus authorem obnixe obsecro, ut prius ab illa me abstrahat, quam ab hac me separari permittat.

Austeritas vitæ, et misericordia erga pauperes,

C 49 *Dictis respondit eventus. Audiatur Bartholomæus Pisanus*: Factus igitur episcopus Tolosanus, de perfecto tendens ad perfectius, et de bono pertingens ad melius, quæ ante virtutum acquisierat, positus super candelabrum suum lumen cœpit plenissime refulgere, exemplar se ostendens tam subditis quam prælatis; tam secularibus, quam aliis, vitæ et perfectionis: cœpit enim carnem suam crucifigere cum vitiis, disciplinis ferreis aliquando per seipsum, quandoque per socios se fortiter disciplinans, deferendo pro camisia rudem stamineam, et chordam grossam ad carnem; multotiens lectum declinando dormiebat in terra, et sic carnem spiritui servire coëgit. Et licet in ejus mensa de duplici ferculo daretur; de uno solo, et parum comedebat: et quia nihil quærebat mundi, hinc est, ut dictum est, quod, de suis redditibus quarta parte retenta, tres alias partes erogabat pauperibus et egenis. *Hæc liberalis erga pauperes misericordia confirmatur e bulla canonizationis ejus, ubi ita refertur*: Mira vero compassione ad pauperes ferebatur, quibus largas tam privatas quam publicas eleemosynas faciebat. Unde jam factus episcopus Tolosanus per unum suum familiarem secretarium mandavit inquiri de suorum quantitate redditu-um, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis faciendis et rationalibus, volens quod totum residuum in sustentandis pauperibus poneretur, quamquam prælatus tam magnus esset, et filius tanti regis. *Verum* Dum *istos* redditus, *teste Waddingo ad annum* 1297 *num.* 3, ad quadraginta millia librarum ascendisse cognovit, ... triginta millia in pauperes et pios quosque usus jussit distribui. *At de Præsulis nostri virtutibus loquemur alias pluribus, seorsim easdem in unum quasi fasciculum collecturi.*

AUCTORE J. P.

nec non mirifica

50 *Observare interim juvat, dignissimum Virum ita incubuisse toto pectore in studia virtutum, ut ea, quæ officio episcopali propria sunt, neutiquam neglexerit. Nam, uti habetur in bulla canonizationis*, Pontificatus etiam officium exercebat cum diligentia Servus hic Christi fidelis et prudens, Missas dicendo assidue, devotissime Ordines celebrando, Clericos, quibus de beneficiis providere volebat, examinando de virtutibus et vitiis, et articulis fidei, vita et moribus diligenter. Judæos et gentiles zelo fervens Dei inducebat sedulo ad baptismum, ac quosdam eorumdem sacro de fonte levavit. *At pastoralis ejus solicitudo distinctius ac prolixius recensetur in nostro apographo Vitæ ipsius e Petro Calotio, de quo antea dixi, desumptæ. Textum accipe*: Miro modo erat sollicitus episcopalia officia exercere. Confirmabat pueros, reconciliabat et consecrabat ecclesias, benedicebat virgines: ecclesiastica vero beneficia nisi matura deliberatioue nolebat conferre. Ipse enim beneficiaudum examinare volebat, et faciebat eum coustruere, ut intelligeret, quæ legebat. E

vigilantia episcopalis in eo elucent:

51 Volebat quod beneficiandi essent iu cantu convenienter instructi: examinabat eos de decem præceptis, de articulis fidei, et de capitalibus vitiis, et repellebat eos, qui bene et ordinate nesciebant respondere de hujusmodi. Accidit per tres septimanas aute mortem ipsius, ut Clericum quemdam repelleret, qui impetraverat [beneficium] in forma pauperum iu episcopatu suo, licet examinatum se diceret in Romana curia, quia insufficiens pro adipiscendo beneficio videretur, Propter hoc Clerici in suo episcopatu ad hæc disceuda diligenti studio se parabaut. *Comptulos sacerdotes sanctus Præsul nolebat. Rem narrat Waddingus ad dictum annum num.* 17 *post biographum Sedulianum cap.* 5, *ubi agit etiam de ejus vigilantia pastorali, moribus initiandorum serio exploratis, ac de solerte circumspectaque prudentia ejus. Breve sed nervosum exstat illud apud eumdem biographum ibidem effatum*: Necdum initiatus, probissime; factus Clericus, religiosissime; creatus episcopus, sanctissime vixit. *Ex auctore Vitæ apud Surium habemus ista*: Nec ... pati voluit aliis se vestibus indui, quam suscepti Ordinis vili habitu et cingulo nodoso. Jam enim oblitus erat se regis filium, nesciebat se episcopum: solum cogitabat, se Fratrem esse instituti Minorum. Canes venaticos, rapaces volucres, histriones et levitates omnes a suis ædibus arcebat, ut personis ecclesiasticis ipsi assisteutibus posset tanto expeditius divina promere eloquia, et sanctæ vitæ de se exempla præbere. F

Sacrum suum ministerium

52 *Quemadmodum* S. Ludovicus *in omni sua vita mirificæ animi sui despicientiæ creberrima præbuit ac præclarissima exempla, ita hac virtute, aliarum omnium fundamento, pontificium suum munus egregie illustravit.* Inter omnia, *uti legere*

AUCTORE J. P.

legere est apud Surium, divina charismata præcipue in eo relucebat eximia humilitas, haud aliter atque carbunculus in aureo ornamento. Annis singulis die cœnæ Dominicæ duodecim pauperum abluebat manus, cibum potumque illis apponebat, ac deinde in genua se submittens, eodem itidem lavabat pedes: in quibus officiis tametsi præ se ferre videretur servilem personam; at nihilominus honorificans ministerium suum pontificiam servabat authoritatem. *Observa,* τὸ annis singulis *non potuisse habere locum in* S. Ludovico *qua episcopo, morte utique nimium matura e vita erepto. Aliud est in ratione temporis apud auctorem Surianum, sed falsa; cum ibi dicatur* annos natus triginta tres... migravisse ad Dominum; *quod erroneum esse probabitur, quando de anno mortis agemus. Quamquam vero adeo esset meritis ac ornamentis gratiarum cœlestium dives, ut propria virtute sibi a Deo indita egregie se sustentaret, ita tamen erat simul modestus, ut alienis præsidiis juvari cuperet. Etenim* petebat sollicite, *sicut legitur in Ms. Calotiano,* et devote orationum suffragia; maxime episcopus consecratus pro se orationem illam diei volebat: „ Omnipotens sempiterne Deus miserere famu„ lo tuo etc. „ B

condecorat virtutibus et exemplis: ecclesiam consecrat Barcinone.

53 *Quanta autem cum auctoritate suæ personæ, tametsi ad infima, ut modo dicebam, sese abjicientis officia, quanto cum fructu auditorum ac mira frequentia, pasceret gregem suum pabulo salutis ac verbi Dei memoriæ proditum legitur apud eumdem Surium his verbis:* Ad ejus conciones audiendas tanta aviditate accurrebant homines, ut, propter turbas sese invicem comprimentes, quidam in mortis discrimen adducerentur. *Quod de fructu dicebam, confirmatur ex Anonymo apud Sedulium cap.* 5: Augebantur ejus exemplo omnes tam pura vita, tanta modestia et humilitate... igneis concionibus. *Nec vero illud sanctum munus alibi omisit extremo tempore vitæ, sed hac et illo simul fere perfunctus est. Nam, uti est apud Anonymum ibidem,* Imminente transitu ejus ad Patrem cælestem, post multas peregrinationes in aliorum bonum, revertens ad Tolosanos suos e Cathalonia, ubi sororem reginam inviserat, Tarascum venit, ubi corpus S. Marthæ, hospitalitate in Christum illustris, quiescit. *(Consule tomum* VII *Julii pag.* 6*)* Ille Vir sanctus, jam nunc cælesti accipiendus hospitio, in laudem hospitæ Christi insignem habuit concionem. *Atque inde quidem profectus, et* arcem petens, quæ Brincola dicta, febre corripitur, qua consumptus est. Et divinitus certior vitæ finis, studiose parat se ad mortem; *prout idem narrat Anonymus apud Sedulium. Prævia ad eam præparatio describitur ibidem. Supremo autem vitæ tempore, antequam e Catalonia veniret Tarascum,* præsente F. Bernardo Peregrino episcopo Barchinonensi Minorita consecravit ecclesiam Minorum S. Nicolao dicatam Barchinone, ut diximus alias anno MCCXIV num. 30, *inquit Waddingus ad annum* 1298 *num.* 8; *licet* error irrepserit in notis, et pro MCCXLVII scribendum fuerit tum apud Gonzagam, tum illo loco citato, MCCXCVII vel potius MCCXCVIII; *imo vero secundum nostram temporis computationem potius* 1297, *de qua paullo post. Hanc consecrationem etiam refert Franciscus Diago in historia Comitum Barcinonensium lib.* 3 *cap.* 16; *dumque eamdem innectit diei* XV *Julii anno* 1297 *ex inscriptione lapidis, qua id probat; nostram rationem temporis, quo et hoc factum accidit,* C *ac quo non diu post Sanctus obiit, egregie confirmat.* D

Locus mortis, ac dies:

54 *Locus, in quo ex hac ærumnosa vita ad meliorem migravit, est* Brincola; *seu* Brinolium et Brinonia *(vulgo Brignoles)* urbecula Galliæ in Provincia, prunis suis celebris, ad amnem Caranne; 6 leucis distat a Telone, et 2 a fano D. Maximini; estque inter montes sita, olimque Brincola castrum dicta fuit, *uti videre est apud Baudrandum: quamquam etiam olim* Brinoniæ *nomen habuerit, ut illico apparebit. Locus porro ille Sancto emortualis fuisse diserte apud biographum dicitur, non autem natalis. Sunt, qui utrumque in eodem isto loco accidisse velint; eaque sententia nobis placet præ Waddingiana. Vide quæ præmisi de loco natali superius* § I *num.* 6 *et* 7. *Locus autem mortis confirmatur e testamento Sancti quod postea producemus, facto* apud Brinoniam. *Hæc de loco emortuali; de anno autem inter omnes non ita convenit; quod mirum videri possit, cum tam is quam dies mensis distinctissime signetur ab Anonymo seduliano cap.* 5; *ubi hæc sunt:* Obdormivit in Domino... anno salutis nostræ millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, quarto decimo Kalendas Septembris, E feria secunda in Octavis Assumptionis B. Mariæ. *Annus idem notatur distincte in præfato testamento his calculis chronologicis:* In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, Indictione decima... mense Augusti, die nono decimo ejusdem decimæ Indictionis; *e quibus ultimis notis discimus, mortem* S. Ludovici *ac testamentum concurrisse simul in eumdem diem.*

de anno autem mortis

55 *Illud si vidisset Waddingus, aliam inivissel sine dubio viam, vel certe inire debuisset, in ejus genuino obitus anno figendo. Nam ad annum* 1297 *num.* 18, Sunt, *inquit,* qui scribant, hoc anno satis concessisse; sed verius id accidisse probabimus anno sequenti. *Ad annum itaque Christi* 1268 *num.* 6 *ita loquitur:* Non alio, quam hoc anno obiisse S. Ludovicum episcopum Tolosatem mox uno atque altero efficaci probabo argumento si prius diversas aliorum de hac re sententiam præfigam. Anno MCCXCV decessisse, scribit Petrus de Natalibus lib 7 cap. 77; anno MCCXCVII mortuum aiunt author vitæ ejusdem apud Sedulium Anonymus cap. 19, Bartholomæus Pisanus citatus, F et Baronius ad XIX Augusti; anno vero MCCXCIX Firmamentum Trium Ordinum, I par. in memor. Ord. sub XV gener., Marcus Ulissipponen. lib. 6 cap. 12. et Breviarium Minorum in die octava lect. 5. Demum anno altero longe posteriori obiisse necesse est, ut affirment, qui ætatis suæ anno 33 fatis concessisse dixerunt, quos statim referemus.

pluribus dissentiens Waddingus

56 At non nisi hoc ipso anno defunctum credere, duo præ cæteris me movent. Primum, omnes ferme (præter Surium ad XIX Augusti, et Petrum de Natalibus citatum; quibus accedere videtur Claudius Roberti de Episc. Tolosæ, qui ad trigesimum tertium pervenisse conscribunt) viginti trium annorum et sex mensium fuisse dicunt, quando extremum diem obierat. At si ex anno MCCLXXV, ei mense Februarii ejusdem anni, quo natum scribunt meliores authores, connumeraveris, in hunc annum mortis tempus incidisse deprehendes. Secundum, quod author ille coævus et familiaris, quem supra anno MCCLXXV num. 4 diximus ejus Vitam scripsisse, asserat duobus dumtaxat annis, et decem mensibus vixisse postquam e custodia liberatus est. Ostendimus vero anno

A anno MCCXCV num. 4 secundum melioris notæ et bonæ fidei authores in mense Octobris anni MCCXCV libertate donatum, a quo tempore usque ad mensem Augusti hujus anni illud tempus interlabitur. Quare firmiter dixerim, non nisi hoc anno defunctum.

a nobis hic convenitur, ac rejicitur. 57 *Sed ego firmiter mihi persuadeo, Waddingum hallucinari, et aberrare a vero mortis anno. Primo enim consectatur rivulos, et fontem relinquit, quando ex aliis auctoribus, nescio quibus, annum* 1275 *natali* S. Ludovici, *ut ait, affigentibus, reformat auctorem synchronum in anno mortis ejus* 1297, *quem tamen auctor idem, adjectis etiam diei mensis ac feriæ notis tam diserte definit. Si ergo expungendus annus iste, expungenda erit etiam feria ista. Secundo, annus idem invicte probatur e testamento, uti vidimus, et Indictione decima ibidem addita, quacum concurrit. Tertio, an propter alios auctores meliores, sicut vult Waddingus, sed quos ne quidem supra nominabat, Sancti natalem affigentes anno* 1275, *reformari debebat auctor synchronus in anno* 1297 *ejusdem emortua-* B *li; an contra potius hi ex illo in anno natali, quem, referente Waddingo, ponunt? Quarto, cum itaque duo habeamus irrefragabilia documenta pro annis mortis* 1297, *Vitam videlicet synchroni, et testamentum eodem, quo obiit Sanctus, die conditum; ego plane censeo, isti anno, tamquam puncto firmissime fixo, accommodandum esse tam annum* S. Ludovici *natalem, quam alias notas chronologicas, ratiocinio superiori intextas a Waddingo, ei aptandas ita, ut cum dicto puncto conveniant. Convenient autem concinne, si natalem ejus affigas anno* 1274, *prout planum fiet annorum calculos computanti, ac mensi, si vis cum Waddingo, Februarii. Sic enim Sanctus, quando obiit, habebit annos viginti tres cum mensibus sex. Sic item duobus dumtaxat annis et decem mensibus, uti referebat Waddingus a biographo synchrono, vixerit, postquam e custodia liberatus est, a mense nimirum Octobris anni* 1295, *prout ponebat Waddingus, usque ad mensem Augusti anni* 1297. *Sic cohærebit Religiosa professio cum anno* 1296. *Sic denique apparebit, Waddingum, quando annum* 1275 *num.* 4 *scribebat,* Nascitur C hoc vel superiori, mense Februario S. Ludovicus, *tametsi nullum pro hac re citari ibidem ab illo auctorem inveniam, minus tamen tunc ab anno natali disjunctive utique posito aberrasse, quam superius, ubi annum* 1275 *ponit simpliciter et absolute.*

Alia nonnulla consectaria observantur, 58 *Atque hæc affatim sufficere arbitror, ut de anno emortuali sancti Præsulis nullum superesse dubium possit; quem recte quidem signat Bzovius in suis Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1297 *num.* 1; *sed erravit in anno, quam ponit, ætatis ejus trigesimo tertio, atque adeo in eo cum aliis antea a Waddingo designatis corrigi debet; uti et apographum Vitæ Calotianæ, de quo supra, ubi dicitur* expirasse anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto.., cum esset annorum viginti trium; (*qui cum notato ibidem anno* 1295 *neutiquam cohærent.*) *Adde Bouchium in Historia Provinciæ tom.* 2 *lib.* 9 *sect.* 3, *cap.* 2, § 6, *ubi obitum ejus affigit anno* 1299. *Ex subducta etiam superius num.* 57 *ratione temporis concludimus, nostrum regium Principem nuncupasse professionem Ordinis Fratrum Minorum, et antistitem Tolosanum esse declaratum anno ætatis tertio supra vigesimum; id quod obiter innuebamus in hoc nostro Commentario num.* 34 *contra Waddingum; anno autem Christi* 1296, *ex præmissis* § 4. *Nec proin Sedulius audiendus, quando inter alia, quæ observat in suo Commentario ad annum Sancti emortuatem* 1297 *ab Anonymo signatum ita scribit* : Ceterum et hic densæ tenebræ; forsan a numeris, quibus scribendis vitium facile irrepit. Firmamentum trium Ordinum S. Francisci (sic liber inscribitur) tradit S. Ludovicum regulam S. Francisci professum anno supra millesimum ducentesimum nonagesimo sexto. Ad hoc, auctor noster disertis verbis docet ipsum, posteaquam custodia liberatus esset, DUOBUS ANNIS ET DECEM MENSIBUS VIXISSE. Quod si verum est, sequitur, aut prius fuisse professum, aut non nonagesimo septimo, sed nonagesimo nono anno discessisse.. aut certe alicubi in numeris scribendis erratum esse. Quod in aliis nonnullis contigisse, mihi equidem persuasum est. *auctori J. P.*

§ VII. Testamentum, sepultura, elogia, forma corporis, effigies. E

Testamentum hoc De *testamento, quod eodem, quo e vita migravit, die condidit sanctissimus Antistes noster, mentio fit apud biographum Anonymum cap.* 5 *occasione sepulturæ ejus. Edidit illud Antonius Pagius post Opus, anno* 1684 *a se vulgatum hoc titulo* : Divi Antonii Paduani, Ordinis Minorum, Sermones hactenus inediti, de Sanctis et de diversis *etc. Ibidem itaque pag.* 485 *notatur hic titulus* : Testamentum sancti Ludovici, Ordinis Minorum, episcopi Tolosani. *His autem terminis contextum ibidem subditur* : In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, Indictione decima, regnante inclyto principe Carolo secundo, Dei gratia Jerusalem et Siciliæ rege illustri, Ducatus Apuliæ, et principatus Capuæ, Provinciæ et Forcalquerii Comite, regnorum ejus anno decimo tertio, feliciter. Amen.

60 Mense Augusti die nono decimo ejusdem decimæ Indictionis, apud Briniouiam in præsentia Thomæ de sancto Georgio, ubique per regnum Siciliæ et per Comitatus Provinciæ et Forcalquerii, publici regia auctoritate notarii, et testium subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum; videlicet venerabilis viri Durandi Mauritii Prioris Conventualis Cærasii, Fratribus Bercerandi Prioris sancti Geuit, Fratrum Guillelmi de Corneliano, Francisci Brun, Petri Scarrerii, Bartholomei Vitalis Ordinis Minorum, et magistri Hugonis Fabri physici, ego Frater Lodoycus, permissione divina episcopus Tolosanus, memor conditionis humanæ quam semper comitatur innata fragilitas, cui ab ipso vitæ principio mortis imperium dominatur; dum essem æger corpore, sanus tamen mente, ac composita loquela, directa discretio et sana memoria in me integriter vigerent, volens peregrinationis meæ diem extremam dispositione testamentaria prævenire, auctoritate Sedis Apostolicæ in hac parte mihi concessa, de bonis meis, sive ad meam administrationem spectantibus, in hunc modum ordino et dispono. *a Pagio* F

61 In primis in domo Fratrum Minorum Massiliæ meam eligo sepulturam. Deinde de bonis meis,

AUCTORE J. P.

meis, et primum quidem de capellis, quas habebam tempore, quo professus sum beati Francisci regulam, et habitum ejus assumpsi, ordino in hunc modum: quod scilicet capellæ ipsæ, et ea, quæ ad easdem capellas pertinent, sint Conventuum fratrum Minorum Tolosæ, Massiliæ et Aquarum, prout viri Religiosi Fratres Raymundus Goffridi magister in theologia et minister in Provincia, et Guardianus Tolosæ ordinaverint, et eas inter eosdem Conventus duxerint dividendas. De libris nostris lego Religioso viro Fratri Guilhelmo de Corneliano socio et familiari meo Bibliam in uno volumine, quam præfatus dominus rex, dominus et genitor meus dedit mihi; et etiam Summam Thomæ. Item Fratri Berengario de Bosco familiari meo, Bibliam, quam dedit mihi Conventus Tolosæ. Item Fratri Petro Cocardi, familiari meo, Bibliam et Flores Sanctorum pulchriores, qui fuerunt prædecessoris mei. Omnes autem alios libros meos lego Fratribus Petro Scarrerii, et Francisco Bruni sociis et familiaribus meis, inter ipsos æqualiter dividendos, propter plura grata servitia, quæ ab ipsis longo tempore recolo B suscepisse.

cusum;

62 Capellas siquidem, quas habui prius quam professionem feci, lego ecclesiæ Tolosanæ: anulos quoque meos omnes lego et relinquo prædicto domino regi, ac dominæ reginæ, parentibus meis, in hunc videlicet modum, quod retentis ex eis per eumdem dominum regem illis, quos voluerit, reliqui siut prædictæ dominæ matris meæ. De aliis autem omnibus bonis meis, utpote vasis argenteis, equitaturis, et quibuslibet aliis, ac etiam iis, quæ debentur mihi ex quacumque causa, solutis inde debitis, ad quæ quibuscumque personis teneri [possim] ac emendæ *, si quæ apparuerint faciendæ, volo quod infra nominati executores mei, familiares ac servitores meos remunerent, prout attentis eorum conditionibus et impensis per eosdem mihi servitiis viderint faciendum: et residium ipsorum omnium distribuant inter Conventus Religiosorum civitatis Tolosæ, et Conventus Fratrum Minorum Massiliæ et Aquarum, ac Conventus Fratrum Prædicatorum sancti Maximini, et Conventus sanctæ Claræ Assisii, ad construendam unam capellam C ad servitium domus episcopalis Tolosæ, in honorem beati Laurentii martyris, prout eis videbitur faciendum. Item volo, quod Officiarium et Responsorarium, quæ dedit mihi Conventus Draguiniani, reddantur illi. Item lego Conventui Brinoniæ indumentum unum sacerdotale completum de meis communibus, quibus familiares mei uti sunt cousueti.

** i. e. compensationes aut mulctæ, vel quid simile*

hac a nobis

63 Executores autem hujus meæ ordinationis facio et ordino reverendos in Christo patres dominos archiepiscopum Arelatensem, et episcopum Carcassonensem, dominum episcopum, et G. abbatem Massilienses, et Religiosum virum præfatum Fratrem Raymundum Goffridi, ac virum venerabilem magistrum Petrum de Ferreriis decanum Aniciensem, regni Siciliæ cancellarium, et nobilem virum dominum Hugonem de Vicinis, Provinciæ et Forcalquerii senescallum; ita scilicet quod omnes simul, vel quicumque ipsorum cum prædicto Fratre Raymundo ordinandum et faciendum duxerit in præmissis et quolibet præmissorum, roboris firmitatem habeat; dans eis omnibus executoribus, et eidem Fratri Raymundo cum quocumque alio ex ipsis, plenariam potestatem bona et credita mea recipiendi, ubicumque fuerint, et a quibuscumque mi- D hi debeantur; ac petendi, et exigendi ea tam in judicio quam extra judicium; et omnia alia circa hæc faciendi, quæ ego ipse facere possem, si præsens adessem. Et hanc meam ordinationem valere volo jure testamenti, vel jure codicillorum, vel donationis causa mortis inter vivos, vel alterius cujuslibet ultimæ voluntatis, secundum quod melius de jure valere potest; rogans suppliciter præfatum dominum et genitorem meum, ut circa efficacem et celerem executionem ordinationis ejusdem dignetur et velit prædictis executoribus meis, ac dicto Fratri Raymundo, et alii ex eis, quem cum ipso ad executionem eamdem vocare contigerit, assistere et favere, ac opportunum consilium, protectionem et auxilium impartiri.

recusum proferimus.

64 In quorum omnium præmissorum fidem et cautelam, factum est per manus mei prædicti notarii præsens publicum instrumentum, quod scripsi ego idem notarius, qui prædictis omnibus interfui, et meo solito signo signavi rogatus. Quæ ordinata et acta per prædictum dominum Episcopum supra continentur, de præfato scilicet episcopo Carcassonensi, quod sit unus dictorum executorum ejus, ei E de annulis suis legatis et relictis prædictis domino regi, ac dominæ reginæ, ut dictum est, ordinata et acta sunt prædicto uono decimo die dicti mensis Augusti. Cætera vero præmissa, prout superius exprimuntur, ordinata et acta sunt per eumdem prædicto die nono decimo mensis ejusdem. *Ita testamentum.*

Decoratur Sancti sepultura.

65 *Defuncti vero sepulturam præclare decoravit Dominus: nam non tantum* magnifice peractis exequiis, conspectus est paullo post a fide dignissimis viris, qui se eum vidisse testati sunt in ecclesiæ *FF. Minorum Massiliensium* choro supra summum altare., facie admodum læta et serena felicitatem beatitudinis æternæ significante; *uti narrat Biographus Sedulianus cap.* 5; *verum etiam ante illas*, Dum de Brineola corpus ejus Marsiliam duceretur, apparebant nobilibus, qui comitabantur sanctum corpus, quasi lanceæ radiosæ super ipsum corpus de cælo descendentes. Cum autem pervenissent ad quamdam planitiem prope Marsiliam, cerei, qui erant extincti, subito cælesti lumine sunt accensi, *teste Bartholomæo Pisano supra allegato, cujus verba recitavi. Waddingus ad annum* 1298 *num.* 9 *e Roberti a Licio sermone* F *de* S. Ludovico, *ac Breviario Minorum, antea apud eumdem Waddingum citato, rei isti mirabili, quam statim e Pisano dedi, aliam hanc addit:* Deinde visus est ipse B. Ludovicus a quodam Religioso Fratre a multitudine magna angelorum in paradisum deferri, voce magna clamantium: " Sic fit servienti Deo in munditia et puritate. " *Sepulcro Sancti glorioso superaddimus laudationum decora.*

Laudatur Sanctus a Joanne PP. XXII in bulla canonizationis,

66 *Elogia, quibus Sanctum laudari invenio, sunt multa ac varia. Joannes PP. XXII in suis litteris, quibus illum adscribit numero Sanctorum hæc memorat:* Sol oriens mundo in altissimis Dei, Deus Dei Filius . . . nunc hora instante novissima . . opus produxit mirabile, claritate gloriæ suæ plenum, bonitatem suam monstrans magnifice . . Nam qui facit mirabilia magna solus, dilectum suum confessorem eximium, beatum videlicet Ludovicum, puritate candidum, caritate fervida rubicundum, electum ex millibus, produxit noviter, ut exemplar præfulgidum cunctis Fidelibus imitandum; ejus vitæ singularis excellentiam signis probans, et prodigiis coruscantibus, crebris miraculis manifestans. *Sic in principio*

A *cipio dictarunt laudatur litterarum: sub fidem vero hæc sunt :* Laudetur igitur magnifice Deus noster, cujus dextera huic Episcopo confert stelliferum regni diadema. Applaudant et isti pariter cæli cives, quorum cœtibus Sanctus hic sole splendidior est insertus. Canant quoque altissime Franciæ, Siciliæ ac Huugariæ regna felicia, de quorum horto candoris nivei flos erupit. . Lætetur insuper civitas Tolosana; tanto ditata Præsule.. Vere felix es o tu, Massilia, facta divinorum aromatum tam sancti corporis apotheca. Sed et Fratrum Minorum Ordo conspicuus novæ laudis canticum promere non desistat, in aula cælesti tam præclarum Alumnum divinis festive conspectibus repræsentans.

et ab aliis : 67 *Robertus a Licio Ordinis Minorum, episcopus Aquinatensis; in sua Concione de* S. Ludovico *cap.* I *citatus apud Sedulium inter elogia Vitæ a se in lucem editæ præfixa.* Quis, *ait,* uon magnifaciat sanctum Ludovicum ? qui regis et reginæ filius, formosus corpore, divitiis affluens, ætate florens, iugenio acutus, ac quibuslibet temporalibus bonis abundans, vitia sprevit, B terreua calcavit, et Christum Jesum bene beateque vivendo quæsivit. *Sedulius ipse ibidem satis prolixum Sancti texit elogium; quem, ut paucula hæc inde delibem,* miraculis coruscum infinitis Joannes XXII inscripsit catalogo Divorum : in sanctitatis eximiæ fidem, capitis ejus cerebro, an. a morte XVIII, integro reperto. *Inter alia, quæ in laudem Sancti ibi afferunter e nostro Hieronymo Plato lib.* 2 *de Bono status Religiosi cap.* 26, *breve illud transcribo :* Ludovicus Caroli II Gallorum (*immo* Siculorum) regis filius primogenitus *(fuit* secundogenitus *dumtaxat)* omnibus certe animi et corporis bonis ornatus. *Hæc de præclarissimis animi præsertim divinorum charismatum abundantia cumulatissimi, ac de insigni vitæ integritate delibasse sufficiat. Addamus his præconia quædam de formæ ejus elegantia, ac concinna corporis compositione, propter quas merito etiam laudatur, cum sit gratior virtus pulcro e corpore veniens, uti est in proverbio.*

laudatur etiam ob formam, mores, 68 *Et sane, tametsi vultus, frons, oculi, totiusque corporis externa conformatio cum interna mentis pulcritudine quasi certatim, ut ita dicam, de præmio viderentur concertare, mira* C *tamen simul consensione singulares nostro Sancto honores ac venustatem afflaverunt natura et gratia Dei. Utramque laudans biographus Sedulianus cap.* 5, Omnes, *inquit,* ipsum videre desiderabant, vultu angelico decoratum, factis mirificum, conspicuum honestate. Mira inerat amœnitas facici et pulchritudo. In fronte, in oculis, iu toto corpore habitare videbatur humanitas : mel in lingua, in pectore candor et simplicitas. Formæ gratia et honestatis omnium oculos in se convertebat, augelum potius arbitrantium quam hominem. Pulcherrimo erat corpore, et aptissima compositione membrorum ; sed longe pulchrior moribus et sanctitate *etc. Rodulphius Historiarum Seraphicæ Religionis lib.* 1 *fol.* 120 *verso rem ita exprimit.* (Vera, *uti affirmarat fol.* 120, B. Ludovici Tolosani, effigie *præmissa ;*) Fuit autem B. Ludovicus facie pulchra et tam venusta, ut omnes eum conspicientes honesta voluptate afficerentur; incessu, aspectu et gestu gravi; membris omnibus aptis, et corpori bene cohærentibus, decore totius corporis eximio, voce humanissima, mansuetudinisque plena, egregio oculorum uitore, quibus ita dominabatur, ut numquam in faciem alicujus mulieris converteret. *Effigiem vero ipsius, de qua agebam, e laudato Rodulphio ita noster xylographus imitari conatus est, quemadmodum hic illam repræsento :* *auctore J. P.*



69 *Bartholmæus Pisanus, sæpius antea designatus, præsens argumentum diu ante Rodulphium confirmavit, sic enim scribit :* Hic Sanctus, etsi pulcherrimus esset corpore, adeo, ut audivi a Fratre, qui vidit eum, quando primo episcopus Tholosam intravit, ut concorditer mulieres omnes dicerent, et homines sive viri, se pulchriorem faciem numquam vidisse. Nec de videndo ejus faciem poterant satiari ; et de vico iu vicum ibant cuncti ad eum videndum : ac in mundi deliciis enutritus, post carnis concupiscentias nullatenus abiit, *Hinc confirmantur ea, quæ narravit Waddingus supra num.* 47. *Sed virtutem hanc* F *atque alias, longe utique ac unice præstantissima hominis ornamenta, cum in illis vera, solida ac sola ejusdem venustas sit posita, seorsim jam illustrabimus.* *ac oris venustatem*

§ VIII. Quædam de præcipuis Sancti virtutibus additamenta,

Mirabilem ejus humilitatem *Animi demissio seu humilitas, uti vocari solet, virtutum omnium fundamentum, in gradu mirifico et prorsus heroïco Sanctum nostrum ad altissimum perfectionis culmen evexit. Variis, quæ apud Anonymum Sedulianum cap.* 3 *et* 4, *nec non apud nos superius in Commentario prævio, edita ab ipso referuntur, exemplis visum est adjungere hæc, quibus ista illustrentur ac stabiliantur. Bulla canonizationis ejus sic fatur :* In hoc etiam Christi imitatore. . . humilitas vera fulsit. Attendit namque quod Deus.. ponit humiles in sublime. *Vita Calotiana narrat, quam ab arrogantia et fastu fuerit alienus :* Cum primum iucurrit Tolosam, rogatus a magnis

AUCTORE J. P. S. e. equum

magnis viris, ut deambulatorem vel palafredum * aut magnum mulum ascenderet, obstinate renuit, asserens id nil prætendere nisi fastum et arrogantiam prælatorum. *Ad hæc*, Frater Minor esse voluit, *ait Bartholomæus Pisanus*, et nil aliud optabat, nisi episcopatu renuntiare, ut Frater Minor et simplex remaneret. Semel dormitorium Fratrum Tholosæ dum intrasset; Heu! inquit, quando videbo me esse sine episcopatu, ut sim in uno loco dormitorii, sicut unus pauper Frater et simplex. In capitulo dum semel esset, et quidam Frater sibi diceret, quod multum Ordinem honoraverat de sua persona insigni; respondit impatiens ex humilitate, et quodammodo indigne ferens, Male dicitis, Frater, male dicitis: immo Ordo multum me honoravit, quando dedit mihi habitum suum.

compensat Deus insigni miraculo

71 *Singularem hanc animi modestiam ac paupertatis amorem eidem affinem, miro cœli favore ostendit Deus sibi gratissima fuisse. Rem gestam narrat Fremautius in Vita Sancti superius allegata, cap. 4, pag. 386 in hanc sententiam, e lingua nostra Flandrica ita Latine sonantem:* Dum interdum abjicere se, prout genuinum Minoritam decet, haberet fixum, emendicando B panem ostiatim, pater ejus rex ægerrime id ferebat. Quodam itaque tempore Sanctum filium suum conspicatus manticam humeris suis gestantem incedere, nobili cuidam in mandatis dedit, ei ut denuntiaret, regna Gallicum ac Neapolitanum hujusmodi honorem ab ipso non exspectasse, ut aurea ornamenta commutaret in emendicatum panem. Ludovicus blande subridens ac manticam aperiens, Ecce, ait, verum non est, quod mihi exprobas: quippe in aurum converti. Nobilis summo cum stupore videbat, frusta panis commutata in frusta auri, stellarum adinstar rutilantia: in genua concidit, a Sancto veniam petiit, Deoque vovit, se, consentiente conjuge sua, Fratrum Minorum instituto nomen daturum. Rex autem, miro hoc prodigio magna cum lætitia audito, numquam ostendit amplius, sibi displicere opera humilia tam sancti Filii. *Præclarissimum enimvero ac summo stupore dignissimum miraculum, quo Deus humilitatem Servi sui ad infima se abjicientis comprobasse fertur.* C *Ego quidem tam non nego factum, quam desidero illud videre stabilitum ex antiquis auctoribus. De eo certe nihil ab Anonymo Vitæ scriptore, a Pisano nihil, nihil denique ab alio apud Waddingum memoriæ novi proditum; quod mihi apparet mirum, eo præsertim quod ille Anonymus infra apud nos in Vita num. 21 et 22 alia recenset singillatim perfectissimæ humilitatis seu paupertatis evangelicæ (hæc enim illius esse comes individua solet) exempla, quæ de more instituti Franciscani edere haud erubuit Princeps noster regius;* et hæc quidem displicentia amicis et familiaribus, multo aliter sentientibus; patri vero maxime.

Nemo ei vilis:

72 *Quandoquidem vero Sanctus adeo erat parvus in oculis suis, mirum non est, neminem adeo vilis fuisse conditionis, ut ei vilesceret. Exemplo sit illud Pisani:* Semel eundo Parisios pauperi, quem reperit; propriam cappam dedit. Nullum quantumque pauperem et despectum dedignabatur. Quadam vice accidit quod, ipso transeunte cum tota familia sua, quædam mulier paupercula et antiqua in quodam tugurio humili et despecto jacens clamaret confessionem humiliter petendo. Et cum aliqui de sacerdotibus vellent de equis descendere, ut eam audirent, dixit S. Ludovicus, Nequaquam; sed ego descendam, D et audiam eam, quoniam ad me spectat. Descendit, tugurium intravit, eam audivit ad confessionem, consolatus est eam, et eleemosynam impendit. Egressus autem inde, plenus fuit pediculis, et immunditia; quod Vir sanctus cum magna consolatione conspexit gaudenter, et cum risu portavit pediculos, et hujusmodi gemmas pauperum vocabat.

quantumvis miser ac despectus;

73 *Simile factum Anonymus commemorat apud nos num. 37; quod tamen rerum adjunctis discrepat nonnihil a superiore: id quod in causa est, cur censeam, idem fere humilitatis specimen bis accidisse, semel quidem* in Pireneis montibus *secundum Anonymum, ac iterum* eundo Parisios *ex Pisano, si videlicet locus ab eo recte sit notatus. Adde, quod dicat Anonymus:* Quam paupereulam serio hortabatur *Sanctus* peccata confiteri socio Fratri, aut sibi, nam et ego inquiens Frater Minor sum. Sed illa noluit. *In superiore autem exemplo longe aliter res illa narratur. Adjungi his velim exemplum aliud, quo egregie ostendit, neminem quantumvis miserum et abjectum, sibi vilem fuisse. Nam, uti refert Frater* E *Marcus Ulyssipponensis in Chronicis FF. Minorum tom. 2 lib. 6 cap. 6, quadam vice Sanctus Sacro intererat, et ille, qui offerebat pacem, pauperi leproso illam dare prætermisit: quo viso, sine mora surrexit, ad leprosum se contulit, et, positis humi genibus, faciem ejus devotissime osculatus est.*

sed pauperes ac egeni erant ipsi in amoribus

74 *Nec vera dumtaxat paupertate spiritus ac corporis egregie præditus fuit* S. Ludovicus, *ut videre datur in ejus Vita; sed etiam tenerrimo misericordiæ erga pauperes et egenos affectu, impensisque eorum usui obsequiis mirabilem omnino se ostendit, et ita quidem, ut Deus præclarissima ejus in hoc genere officia miraculis compensare voluerit, secundum ea, quæ in Vita apud nos num. 25 narrantur: quibus addi potest aliud exemplum, quod exstat apud Waddingum ad annum Christi 1297 num. 6, et quod, uti addit,* ex vetusta Legenda exscribit Marianus; eum adhuc puerulum pie suffurari solitum vel ex culina, vel ex triclinio, vel ex alia quacumque officina cibos, ut in pauperes distribueret. Conquestus aliquando de his præfectus coquorum apud Carolum patrem, comprehendit eum actu clam aufe- F rentem caponem regiæ mensæ præparatum: et obvio patri dixit, Ludovicum pro more suo quidquam sibi * sub pallio præripere. Jussit pariter, ut furtum detegeret: ille, elato pallio, ostendit manu pendenti egregium florum fasciculum: qua miraculosa metamorphosi impunis dimissus, conversis floribus in pristinam substantiam alitis, cum inter quatuor pauperes distribuit. Dum omnia postea pater rescivit, laudavit Dominum in operibus suis, largissimasque erogabat eleemosynas pio filio pauperibus distribuendas.

* f. cibi

vel ab ipsa pueritia.

75 *Miraculum hoc confirmatur inter illa, quæ in nostro apographo notantur* ex collect. F. Aroldi *desumpta, et sic illud exponitur, forte e processu ad canonizationem extractum:* Audivi recitari, quod cum esset puer parvus, ibat sæpe ad locum culinæ, et petebat ab eo carnes, quas absconse portabat in sinu suo. Quod cum semel rex videret, vocavit eum ad se, et dixit. Quid est quod portas? Quo audito, verecunde aperuit sinum, et erat plenum rosis: et hoc fuit in Januario, et fuit cum admiratione magna omnium notum.

Angelicam castitatem

76 *Viri sancti abstinentiam, severum vivendi rigorem*

A *rigorem, nec non integerrimam ipsius pudicitiam describit Anonymus Sedulianus apud nos a num. 29. Quanta autem et quam circumspecta cum accuratione ac diligentia operam daret quam poterat maximam, ut nitidissimum hunc virginitatis florem conservaret ab omni vel levissimæ etiam maculæ umbra; indicat idem biographus num. 30. Confirmatur illibata ejus virginitas e bulla canonizationis, ubi leguntur ista :* Castitatis autem amor a puero affecerat ejus mentem adeo, quod ob ipsius fidam custodiam, mulierum consortia fugiebat omnino ; in tantum, quod, nisi forsan in matre et sororibus, solus cum sola nullo umquam tempore loquebatur. *Bartholomæus Pisanus* Quo ad hoc referam, *ait,* quid hic Sanctus circa sororem suam reginam egit in Aragonia. Cum enim venisset ad eum visitandum, nullo modo potuit obtinere precibus quibuscumque, ut eam in faciem aspiceret : sed respondit, quod erat fatua hoc petens. Dominæ reginæ Franciæ cognatæ suæ, utpote filii duorum fratrum, roganti ut in suo adventu more nobilium de Francia eam reciperet ad amplexum et osculum, nullatenus B acquievit, etsi summa devotione ferretur ad ipsum... Tholosæ quædam domina, cum audisset eum *ab oculorum custodia* commendari, respondit : Ego probabo. Cumque ad eum ivisset, et ipsum, dum esset in ecclesia, diligentissime considerasset, reversa ad domum dixit vicinis : Vere iste Dominus sanctus est. Numquam enim vidi aliquem, qui suis dominaretur oculis, nisi istum.

mirifica cautela conservabat, ad eamque alios inducebat :

77 *Mirabilem quoque ejus in conservando angelicæ virginitatis nitore cautelam illustrat hoc factum, quod refert Waddingus ad annum* 1296 *num.* 4 : Voluit sane ille apud Montis pessulani Patres, iterati voti, *de subeunda nimirum vita Minorum,* testes, remanere, et eorum vestem assumere ; sed hi petenti dare non sunt ausi, timentes regis, patris Adolescentis, tunc in urbe præsentis indignationem. Illinc cum patre recedens venit in Italiam, et Florentiæ obviam habuit matrem suam Mariam Hungaricam, et Carolum Martellum fratrem primogenitum, jam renunitatum ex jure materno regem Hungariæ : qui magno comitatu et apparatu, adjuncto sibi itineris comite marC chione Montis-ferrati, illuc venerunt, regem et filios excepturi. Regina in omnium amplexus et oscula gratulabunda irruit ; sed verecundus et pudicus juvenis Ludovicus faciem a genitricis labiis avertit, nec se osculari permisit. Cui dum mater, se, matrem esse recordaretur, neque in casto materno osculo esse Numinis offensam ; demisso et reverenti vultu respondit : Scio, mater, te matrem esse ; sed nec ignoro, te mulierem esse, quam non licet servo Dei osculari. *Hujus facti substantia confirmatur ex S. Antonino Historiarum parte* 3, *titulo* 24, *capitulo* 4, § 1. *E Fratre Marco Ulyssipponensi parte* 2 *Chronicorum Ordinis Fratrum Minorum lib.* 6 *cap.* 4 *etiam discimus, hanc peculiarem gratiam S.* Ludovico *fuisse donatam, at, qui eum aspicerent, ad amorem castitatis illos induceret : in cujus rei testimonium ibidem indicatur, multos, qui in obitu ejus aderant præsentes, florem vidisse adinstar pulcræ rosæ e sanctissimo ipsius ore prodeuntem.*

rigidissima observat jejunia.

78 *Remedia etiam adhibebat prorsus singularia, ut corpus suum castigaret, ac in servitutem redigeret ; de quibus agit Anonymus Sedulianus num. 29. Verum quæ ibi summatim narrat de ejus jejuniis, nostrum Ms. Calotianum magis singillatim memorat his verbis :* Vigilias omnes beatissimæ Virginis jejunabat in pane et aqua : aliorum Sanctorum vigilias et Adventum Domini tam stricto observabat jejunio, ut etiam in itinere et corporis anxietate positus, illa nequaquam solveret. Semel dum equitaret per Franciam, B. Marci vigiliam, licet debilis, et contradicentibus sociis, omnino voluit jejunare. In vigilia quoque B. Joannis multo labore afflictus propter laboriosum transitum montis Pyrenæi, nec medici jussu, nec Fratrum inductionibus, ad capiendum vespertinum cibum potuit suaderi. In cibo et potu tantum erat parcus, ut familiares sui abstinentiæ ejus paverent excessum.

AUCTORE J. P.

§ IX. Mortui per S. Ludovici merita ad vitam revocati.

Varios a Sancto ad vitam revocatos

Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis Famulum hunc suum, ad vilissima quæque ac pauperrima sese, dum viveret, adjicientem, illustrissimo miraculorum splendore, ac singularibus E *gloriæ suæ divitiis jam vita functum insignivit. Quæ apud Sedulium exstant, dabuntur in Vita inferius ; hic vero ea aliunde supplebimus appositione plurium aliorum. Incipiamus a mortuis ad vitam revocatis. Bulla canonizationis sex memorat de hoc genere. Recitemus verba :* Quædam namque duorum annorum puella, quæ vi febris, quam passa fuit duobus mensibus, exspiravit ; facto voto per patrem Sancto isti, quod ipsi imaginem de cera offerret, si vitam a Deo filiæ suæ impetraret, resuscitata, ubera matris suxit. *Forte hoc miraculum est idem cum eo, quod habetur apud Anonymum Sedulianum num. 50, vel cum eo, quod Rodulphius fol. 122 verso, brevissime sic narrat :* Gulielmam filiam Adami Parisiensis a mortuis suscitavit. *Pergamus cum prædicta Bulla :*

Quidam etiam quinque annorum puer vehementia febris continuæ vita functus, facto voto per patrem, est vitæ pristinæ restitutus, nec dictæ febris in eo apparuit ullum signum.

Quædam puella annorum septem, quæ per septimanas tres febrem passa continuam exspiravit, facto F ad dictum Sanctum voto per suos, spiritum recuperavit et revixit.

testatur bulla canonizationis ejus :

80 Quædam denique mulier, quæ duas conceperat filias, una illarum in ventre mortua ex casu dictæ matris de asino, et in ejus ventre ex mora diutina putrefacta, cœpit puerperio laborare. Cumque dictus partus jam putridus per frusta fuisset extractus, et alia filia mortua jam educta esset obstetricum ministerio violenter, et projecta in stabulo super fimum ; emisso ad ipsum Sanctum voto, quod si partus ille resurgeret, unam sibi ceræ imaginem præsentaret ; puella palpitare cœpit, et baptizata septem mensibus supervixit.

Quidam etiam puer, ætatis annorum septem, dum sub lecto, in quo cum suis jacebat parentibus, repertus mortuus, rigidus et frigidus aliquo tempore permansisset, facto per parentes ad hunc Sanctum voto, fuit divinitus suscitatus.

Mulieri cuidam, quæ propter vehementem infirmitatem diem extremum clauserat, emisso per suos ad Sanctum istum voto, ejus meritis reddita fuit vita.

quibus

81 *Sed mirabile omnino est prodigium, quod brevissime refertur apud Pisanum his verbis :*

AUCTORE J. P.

Marsiliæ duo erant fratres carnales; quorum unus alium occidendo, captus fuit ex hoc et decapitatus. Sed cum amborum corpora in ecclesia S. Ludovici essent, invocatione ejusdem sancti Ludovici facta a matre, a mortuis et omni læsione ipse curavit. *S. Antoninus superius assignatus narrat* § 2 *eventum plane stupendum in hac materia*: Cum bellum esset inter nobiles et Burgenses in Apulia in diversis partibus; una parte contra aliam prævalente, plures ex adversariis fuere captivati. Sed inter illos unus nobilis, qui propter damna multa illata ab eo, victoribus erat multum odiosus, ut non redemptionem illius sicut cæterorum, sed mortem decernerent ei inferendam. Intelligens autem nobilis ille se ad suspendium judicatum; cum lacrymis et intenso cordis affectu S. Ludovico se commendavit, votum emittens de quibusdam implendis ad honorem Sancti, si mortem evaderet. Nempe ad suspendium ductus cum elevatur in patibulo, et fune in collo immisso in aëre suspenditur: frangitur funis, et ille ad terram cadit illæsus. Additur aliud vinculum fortius, quo constrictus suffocetur; illud quoque similiter rumpitur. Apponitur et tertium, quod eodem modo confrin-
B gitur. Stupentibus cunctis ait nobilis ille suspendio adjudicatus: In vanum laboratis, quod S. Ludovicus, cui me devovi, me defendit. Quod videntes, adversarii destiterunt a pœna illi inferenda, et liberum abire permiserunt. Qui implevit vota sua ex integro, visitans ecclesiæ illius limina, et narrans omnibus casum ad gloriam Dei et sui Sancti.

adjungitur

82 *Waddingus ad annum* 1298 *num* 16, Eques quidam, *inquit, Marianum et Marcum citans*, laxatis habenis obvium fortuito puerum prostravit, ungulisque equi conculcavit, ita ut omnino exanimem reddiderit. Viso miserabili eventu in terram prosiliit eques, puerulumque collisum, et collo confractum ulnis exceptum S. Ludovico flens et orans commendavit; statimque puer revixit, et ab omni malo liber evasit.

Nobiles quidam conjuges prope Massiliam, longo tempore infœcundi, magna efficacia petierunt a S. Ludovico prolem sibi concedi. Concepto mox fœtu., novem decursis mensibus, mulier massam carneam edidit informem. A parientis oculis absconditam obstetrix sepeliri curavit. Vo-
C lente tamen matre partum suum conspicere, et ad importunas ejus preces re omni relata; adhuc illa in suo desiderio persistente, exhumatus fuit fœtus informis, quem cum manu recepisset, S. Ludovico pie cum lacrymis obtulit, objecitque, Dei opera esse perfecta, atque ejus meritis concessam sibi illam prolem, quam tamen expectabat potius ad solatium et gaudium, quam ad horrorem et luctum; nihilque proinde se dubitare, quin beneficium compleret, formam hominis obducens, et animam inducens massæ illi a se conceptæ. Non prius dixit marito, et undecim matronis præsentibus, quam caro illa conveteretur in puerulum pulchrum, primos emittentem vagitus. Alia simili præmissa prece concepit; sed post novem menses transversus in utero fœtus mortuus frustratim educitur. Reassumptis aliquantum viribus et animo puerpera suas preces ad S. Ludovicum primi beneficii authorem cum lacrymis effudit; factumque ut statim inter se partes coirent, efformarentque formosum et animatum infantulum. *Duo ultima hæc miracula habentur etiam apud S. Antoninum, de quo ante; ubi et aliud adjungit*:

83 Quidam nobilis in Massilia ex voto emisso D
in honorem S. Ludovici, cum uxore obtinuerunt a Domino prolem optatam; et quia, quod voverant, non reddebant, ostendit Dominus, quod displicet ei non solum stulta, sed etiam infidelis promissio, cum non solvitur, quod Deo promittitur. Nam cum esset puer jam septennis, cœpit gravissime infirmari. Tunc parentes pueri clamaverunt precibus ad Sanctum, implorantes auxilium, se ingratos et infidelissimos accusantes, et quam primum, quod promiserant, Domino reddituros iterum voventes, ac etiam alia plura se facturos in honorem Sancti, si vitam filio conservaret. Sed beatus Ludovicus vota eorum contempsit, ut eorum ingratitudinem utcumque puniret, et potentiam suam majori miraculo monstraret. Quid plura? Solvit puer debitum universæ carnis, et parentes ejus præ tristitia quasi in furiam versi, cum lacrymis et ejulatu pro resuscitatione filii invocare non cessant continue. Et cum sui ad sepulchrum funus ferre disponerent parentes; ipsi nullo modo acquiescunt, confidentes meritis Sancti gratiam obtinere optatam. Sed quia diu expectantibus ex compassione parentum non inerat puero vox neque sensus aliquis E
vel motus, tædio victi ad ecclesiam sepeliendum ferunt. Sequuntur eos parentes cum clamoribus multis Sanctum invocando. Peracto officio, cum jam in sepulchrum vellent inferre, sanus et incolumis puer surrexit, parentes arguens de negligentia voti non impleti. Quo facto, puer ad sepulchrum Sancti deportatur a parentibus in integrum vota sua solventibus, et gratias pro tanto munere agentibus.

plurium aliorum resuscitatorum

84 *Exemplar nostrum Ms. Calotianum non illeberalem de mortuis a* S. Ludovico *ad vitam revocatis materiem nobis suppeditat, prout planum fit e sequentibus, quæ narramus ex fide ipsius, factis*. Nam quindecim, *ait*, mortui per ejus merita redierunt ad vitam. *Ego e dicto exemplari excerpo sequentes*: Puer septem annorum de Marsilia, Petrus Duranti nomine, novem diebus præcedente continua febre mortuus, factis tribus tractibus veræ mortis. Quadam nocte, hora primi somni, fuit dimissus in lecto, cruce posita super pectus, ut moris est, et medicus et quidam alii consolati sunt patrem de morte pueri, et abierunt. Post quorum recessum, pater cum tota familia F
sua remansit plorans et gemens, custodiens corpus pueri usque ad horam matutinam. Qua hora cum magna fide planctus et luctus suos convertit ad Dominum, et S. Ludovicum, cui pro vita filii votum fecerat, et ejus meritis et sanctitate sub spe certa suspirans, ita loquebatur: Male exaudistis, Pater, preces, quas vobis porrexi prima vice. His verbis et similibus iteratis, respiciens puerum, vidit eum suscitatum; vocatisque medico et aliis, qui recesserant, magnum gaudium fecerunt de mortuo suscitato per merita Sancti hujus. *Si miraculum hoc sit idem, quod biographus Sedulianus brevissimis verbis perstringit cap. 6 num. 49; meretur tamen hic referri, ut ex narratione hujus exemplaris compensetur brevitas alterius. Pergamus cum Ms. Calotiano*:

Rostagnus Albua de Narbona, et Joannes Bissani asseruerunt juramento, se firmiter audivisse a matre, et a quampluribus aliis, qui videnunt. quod G. Columbina de Narbona habebat quamdam filiam quasi annorum duodecim, quæ fuerat infirma, et tandem vere mortua stetit fere per diem. Facto igitur voto per dictam matrem ad

A ad S. Ludovicum, quod visitaret ejus sepulchrum una cum filia, et cum sudario, si ipsam a mortuis suscitaret; statim Deus Sancti ipsius meritis puellam revocavit ad vitam.

numerus,

85 Raimosa de Manuasca, civis Massiliæ, habebat filium, qui infirmatus est ad mortem, ita ut omnibus mortuus videretur. Pater pueri fecit votum, quod, si per merita B. Ludovici filius sibi restitueretur, ipsum cum sudario ad sepulchrum ejus faceret præsentari. Confestim facto voto puer aperuit oculos, et patrem ad se vocavit, ut potuit, restitutus plenariæ sanitati.

Jacobus Macellarius de civitate Arelatensi habebat filium, qui fere per annum in infirmitate laborans ad mortem usque pervenit; ita quod per horam fere completam nec consensum nec motum habuit, nec signum aliquod nisi mortis. Facto voto per suos ad S. Ludovicum, revixit puer quasi subridens, et oblatam sibi mamillam de matre ipsa suxit avide et gaudenter.

quem

86 Jacoba Rascabona filiam cum labore magno peperit mortuam, ut sibi et aliis videbatur, quia B sine flatu, sine motu, sine calore, et cum nigredine corporis erat; quæ et modo consimili fœtus semper pepererat mortuos, sic quod de cætero non vivebant. Facto autem per eam voto ad S. Ludovicum, cœpit infantula palpitare et vagitum emittere, et baptizata tandem diebus pluribus supervixit.

Jacoba Ariola obstetrix præsens fuit, quando Bertranda Massequa peperit filium vere mortuum: et fecit votum cum viro suo et amita pueri ad S. Ludovicum cum magnis clamoribus et devotione: confestim puer aperuit oculos, perfecte Sancti meritis suscitatus.

Adalisia Reclandi habens infantulum ex gravi infirmitate mortuum, facto voto eum clamoribus et devotione ad S. Ludovicum, recepit eum mirabiliter suscitatum. *Miraculum, quod e dicto exemplari modo subdam, multum adeo habet convenientiæ cum eo, quod exstat apud biographum Anonymum Sedulianum infra recudendum, cap. 6 num. 47, ut hoc videatur esse idem cum illo: quia tamen Calotianum variat circumstantias, illud etiam nunc subjungimus. Alterum autem ex altero, si sit idem, sic confirmabitur. Est vero hoc:*

e variis

C 87 Adalasia Lombarda de Rocha..... habebat filiam parvulam, quæ in nigredinem conversa penitus expiravit, sic mortua diutissime permanens. Facto autem voto, meritis Sancti fuit suscitata. Ipsa etiam propter infirmitatem incurrerat surditatem, ita quod per tres menses nihil penitus audierat. Facto autem voto, in crastino recuperavit auditum. Ipsa etiam lacte in mamillis carens ex præcedenti infirmitate; ita quod unus puer ex fame periit, eo quod lactare non posset, emisso voto, formosas mamillas recuperavit. Hæc tria miracula credit Deum fecisse eo quod esset incredula de miraculis Sancti prius.

Puer unius anni in parentum absentia cadens de quadam fenestra, ubi erant gradus duodecim lapidum, vere mortuus erat, et totaliter conquassatus et niger factus, ita quod sibi os non poterat aperiri. Facto autem voto ad S. Ludovicum fuit illico suscitatus.

Dominus N. de Narbona habens filium de febre continua vere mortuum, facto voto, quod eum duceret ad sepulchrum S. Ludovici, ejus meritis eum suscitatum recepit.

documentis

88 Quidam habens runcinum infirmum mortuum tandem jacentem, baculum unius palmi posuit in naribus ejus, auriculam perforavit, fune traxit: non erat motus neque sensus. Facto autem voto ad S. Ludovicum, statim surrexit, et ille super eum ascendit. *Sed, ne quempiam moretur vox* runcinus, *illa significatur equus minor, gregarius, Gallis* roncin, *uti habet Cangius in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis, apud quem plura de hac voce.*

De alio animali ad invocationem S. Ludovici *vitæ reddito ita scribit Waddingus num.* 18: Accipitrarius cujusdam regis Lusitani falconem nutriebat, quem rex summo in pretio habebat. In cujusdam diei diluculo invenit per fasciolas tibiales pendentem, et semi-mortuum: duxitque ad Conventum Fratrum Minorum Bejæ sive Pacis Juliæ, ubi coram altari S. Ludovici dum oraret pro vita volucris, illa inter manus expiravit. Ira et indignatione commotus super altare projecit mortuam, et regi per duas leucas Hispanicas inde distanti non sine metu omnem narravit eventum. Sed dum rex animo in hominem commovetur, ecce, per fenestram falco advolat, et accipitrarii brachio requievit. *Miraculum hoc pluribus verbis narratur e Chronicis antiquis apud Marcum Olyssipponensem* E *cap.* 19.

89 *De hominibus autem a morte resuscitatis* collegimus. *præmiserat idem Waddingus num.* 17 *istos eventus*: Aretii in Tuscia enixa quædam filium mortuum, S. Ludovico commendavit et consecravit, modo reviviceret. Ad vitam regressus, vocatus est a Sancti nomine, et Minorum amplexus est institutum. *Confirmatur hoc miraculum ex Pisano, qui adiri potest.*

Vir quidam nobilis dum equum conscenderet, territum animal et in furorem actum equitem uno implicitum pede in stapia vel subice pedaneo per abrupta et saxea traxit, ungulisque collisit. Inventus mortuus a parentibus et servis, dum tertio efferretur die ad sepulchrum, revixit, neque ullum tot cicatricum et vulnerum, quæ accepit, in eo remansit vestigium. *Hæc Waddingus. Ex dictis itaque conficitur,* S. Ludovicum *magni nominis thaumaturgum exstitisse, ac omnino mirabilem propter tot præsertim mortuos, quos meritis suis ad vitam reduxit.*

§ X. Contracti, febricitantes, podagrici, surdi, muti, cæci, amentes, naufragi sospitantur. F

Plurimorum

Anonymus a Sedulio vulgatus postquam egisset de mortuis, patrocinio S. Ludovici *ad vitam revocatis, claudos ac corpore impeditos exhibet, ejusdem Sancti meritis sanitati restitutos; de quibus in Vita apud nos a num.* 51. *Adde sequentia. Ecgraphum nostrum Calotianum hæc ponit:* Constantinus Mercery impotens de brachio sinistro sic inepte, quod manus erat post tergum per 15 annos, facto voto juxta sepulchrum Sancti, audientibus cunctis fragorem, fuit curatus.

Puer quinque annorum plantas pedis tenens supra, et quod debebat esse supra, habens infra a sua nativitate; cum mater sua fecisset votum in die commemorationis S. Ludovici, fuit plene satisfactus.

Nixidio de Podio Ricardi, tribus annis impotens de manu et digitis, supra sepulchrum Sancti,

AUCTORE J. P.

eti, quod visitabat, fuit plene curatus.

Galterus Angliens impotens existens tribus mensibus de manu, facto voto, fuit plene sanatus.

Alegreta, ætatis duorum annorum, sic erat membris omnibus deformata; quod manus et brachia tenens retro pedes, et tibias versus caput, adeo rigida et siccata, quod parentes omnino desperarent de vita, facto voto visitandi sepulchrum cum imagine, statim fuit curata.

corpore impeditorum

91 Domina Maria Guillelma de Massilia cadens, fracturam tantam habuit in inguine, quod intestina in grossitudine unius allæ inferius descendebant cum dolore intolerabili. Quæ nullum humanum remedium inveniens, facto voto quod cum imagine cerea Sanctum visitaret [convaluit.] Statim enim visum est, quod cum manu ejus intestina ad locum debitum restituerentur; et sic fuit plene sanata. *De voce* alla *Cangius in Glossario paullo ante designato*, Allo, *inquit*, in Breviloquio dicitur « Instrumentum acuendi cultellos, et est lapis rotundus, cum quo vel in quo faber purgat instrumenta, ut sint acuta. Dicitur etiam alla ». *Redeamus ad priora.*

B Domina Aycarda in festo S. Agnetis gravem dolorem incurrit, et impotentiam dextri brachii, sic quod per tridnum stetit mente capta, ita quod sibi videbatur, quod scintillæ igneæ de brachio et manu egrederentur, emisso voto ad S. Ludovicum de manu cerea deferenda, fuit continuo liberata.

et ope S. Ludovici sanatorum

92 *E collectione P. Aroldi superaddo illud :* Quædam mulier, nomine Beatrix, de castro Alanconi, passa fuit morbum caducum per annos duos, et ab eo in hebdomade bis vel ter acerrime vexabatur : quæ quidem mulier Sanctis pluribus se devoverat, nec a quoquam adjuta, et quasi desperata, vovere se nemini amplius disponebat. Contigit, Deo volente, per locum, ubi dicta mulier erat, Fratres transire Minores, quam audientes tali morbo gravari, ad devotionem S. Ludovici incipiunt animare : quæ audiens vir mulieris præfatæ, ipsam Sancto prædicto devovit : quo emisso voto, ex tunc a dicto morbo extitit liberata : quod ipsa et vir ejus prædictus juramento firmaverunt, nec non et testes sunt plures. *Hadrianus Valesius*
C *in Notitia Galliarum* Alentio, *ait*, vulgo Alençon, oppidum est positum ad flumen Sartam, Ducatus titulo insigne, *in Normannia. Varias ibidem ejusdem nominis efformationes invenies ; inter quas* Alenconium corrupte *scribi observat dictus auctor.*

exempla.

93 *Sequens miraculum narratur in bulla canonizationis, idemne an diversum ab eo, quod habetur in biographo Seduliano apud nos num.* 65? *En illud :* Quædam etiam mulier dum ex partu quodam violento de puero mortuo, et in ejus utero transversato, contracta in manibus et pedibus et femoribus, biennio permansisset, facto voto ad Sanctum præfatum, quod, si curaretur, scoparet in tota vita ecclesiam, in qua jacet; dormire cœpit, et expergefacta a morbo prædicto penitus est curata. *In eadem bulla legitur illud :* Mulier quædam, quæ subito muta, et impotens de uno brachio facta fuit, hac infirmitate sibi per mensem durante, emisso voto per matrem, statim ad sanitatem pristinam est reducta. *Hisce adjunge podagra et chiragra laborantes et sanatos, de quibus tractat biographus Sedulianus apud nos num.* 53; *de febricitantibus autem a num.* 54; *quibus nos adjungimus sequens supplementum.*

94 *Apographum nostrum e collectione Aroldiana*, Quidam, *inquit*, Ordinis Minorum de D
Conventu Alisbroniæ passus febrem continuam per tredecim dies, in tantum, quod medicus de eo quam plurimum desperabat, in tantum, quod dixit de mane, quod horam Completorii non videret. Dictus infirmus se sentiens taliter prægravari, devotionem fervidam habens in S. Ludovico, qui tunc vivus erat, et in dicto conventu existens, propter vitæ sanctitatem, quam ipsum sciebat habere, dixit : O si haberem aliquid de residuo cibi Fratris Ludovici, essem statim curatus! Audiens hoc infirmarius Conventus, illico ivit ad Fratrem Guilielmum de Corlinione socium suum, et ab ipso solicite petiit aliquid de cibo ab ipso relicto. Statim dictus socius portavit sibi paropsidem, ubi erat aliquantulum de pane, quem S. Ludovicus diviserat : quem dum gustasset, statim fuit a febre curatus, et eadem die ambulavit per mediam leucam. At medicus veniens, putans eum in extremis agere, vel mortuum citius invenire, eum audiens recessisse, admirans petiit, quid hoc esset : et audiens facti seriem, dixit : Potens est Deus etiam mortuos suscitare, et sic reputo illum vere. E

De febricitantibus

95 *Ms. Calotianum pauca etiam hæc memorat* : Frater de Ordine B. Mariæ, Prior Massiliensis, semel sanatus est a S. Ludovico a gutta, et semel a febre. Frater N. custos Massiliensis laborans febre fortissima, recurrens ad S. Ludovicum statim fuit curatus. *Hæc de febricitantibus.*

curatis ac podagricis :

Podagricos accipe e bulla canonizationis : Vir quidam passus annis sex guttam in manu et brachio, ventre ac humero, facto voto, quod ejus limina visitaret; statim fuit sanitatis beneficium consecutus.

Quidam denique presbyter passus guttam in latere, quæ ipsum afflixit graviter diebus septem, facto voto ad memoratum Sanctum, diligentius ejus tumulum visitando, recepit continuo sanitatem.

item de surdis mutis ac cæcis etc.

96 *De surdis, Sancto patrocinante, curatis Anonymus noster duo dumtaxat exempla narrat apud nos infra num.* 56; *nos aliunde unicum his superaddimus. Apographum nostrum Calotianum* Dominus Jacobus, *ait*, Marconii passus multis diebus surditatem et dolorem in aure sinistra, ita quod sibi videbatur, quod omnes cives F
canerent in auribus ejus, facto voto de imagine deferenda, statim sanatus est. *Mutis loquelam restitutam, probant facta, quæ apud dictum Anonymum narrantur. Vide Vitam apud nos. num.* 57. *Sed miraculum, quod ibidem incipit,* Alazatia a Campis, *vel quod proxime sequitur, hoc initio,* Similiter alia quædam, *etsi forte alterutrum sit idem in substantia cum eo, quod exstat in exemplari Aroldiano, aliter tamen, et sic in eo exprimitur :* Quædam mulier, nomine Alazatia Amiga, de castro de Rampnis subito loquelam amisit, ac per totam hebdomadam stetit muta, nec aliquod verbum valebat exprimere. Dicta vero mulier considerans multa, quæ de beato Ludovico audierat, quamquam nequiret se movere, devovit se tamen corde pariter et affectu : et subito cœpit loqui, linguæ vinculo dissoluto. Quod quidem firmavit proprio juramento; testes autem plures scripti.

Hisce unicum in hoc genere mali subjungo exemplum in nostra regione factum. Neque enim divina bonitas Belgium nostrum a mirabili Sancti sui in ope miseris ferenda patrocinio excludi penitus voluit. Rem accipe e Commentario Sedulii in caput 20 *Vitæ* S. Ludovici *a se vulgatæ, quam rem*

A *rem e manuscripto exemptari Lovaniensi, et quidem pene iisdem verbis exscripsisse se indicat* : Accidit, *inquit*, Lovanii anno Domini MCDXXVI, postquam vitam S. Ludovici et miracula prædicasset F. Henricus de Zichem in platea dicta Groefstrate, quædam mulier ejusdem plateæ retulit, cuidam viro, dicto Henrico Iseren, et Catharinæ uxori filium puerum fuisse toto sexennio mutum. Parentes, auditis miraculis S. Ludovici, pro salute et voce pueri duos cereos Sancto voverunt, si prescripto tempore vocem et loquelam reciperet. Facto voto, mox puer vocalis auditus est, et perfecte loquens. *De cæcis autem sospitatis agitur in Vita a num.* 58 ; *quibus adjicio breve exemplum illud e Ms. Calotiano* : Procius de Foro Julii per quatuor annos cæcus, nullo potuit medicorum remedio liberari. Voto emisso visitandi Sanctum cum duobus oculis de cera, fuit plane sanatus. *De loco mox dicto observa* ; Forum Julii, *incolis Frejus, esse urbem Galliæ in Provincia ad mare mediterraneum. Mirabilem quoque sese exhibuit Sanctus noster in amentibus*

B *et insanis ad meliorem mentem reducendis, sicut probatur e variis eventibus apud nos in Vita a num.* 60. *En tibi sequens factum (unumne inter ea, quæ ibidem leguntur, an diversum?) e nostro Ms. Aroldiano* : Quidam de Massilia nomine Joannes quamdam habebat filiam annorum undecim vel circa, quæ totaliter erat amens effecta, et, quod plus est, patris judicio dæmoniaca videbatur : nam dicebat errores, et horribilia faciebat, in tantum, quod frequenter oportebat eam ligare. Propter quod pater prædictus eam devovit sancto Ludovico : quo voto emisso, puella ab omnibus prædictis vexationibus est liberata. *Quæ deinde in eadem Vita subduntur num.* 62 *et sequentibus de auxilio per Sancti favorem naufragis impenso, duobus dumtaxat comprobantur exemplis. En tibi prolixius ad illa supplementum.*

Naufragi

97 *Apographum nostrum Arotdianum suppeditat casus varios juxta ac mirabiles in rem nostram, quos inde transcribo* : Cum semel essent in quadam navi multi mercatores divites, qui veniebant a civitate Marsilia ; et cum essent in pelago maris, mare in tantum vexatur propter fortunam, quod navis cœpit periclitari. Nautæ vero et mer-

C catores volentes navem alleviare, cœperunt merces projicere in mare, et ex magnô metu mortis, propter conquassationes et tempestates procellarum seu maris, omnes clamare cœperunt, sancte Ludovice, sancte Ludovice, succurre nobis in hoc periculo mortis, voventes ac promittentes semper ejus vigiliam jejunare, et corpus suum visitare, vel ad ecclesiam ejus, ibidemque accedere, oblationes ad honorem et laudem ejus facere, si a tali periculo liberarentur prædictus vero mercator videns sibi imminere periculum et rebus suis, fecit votum S. Ludovico, quod, si liberaret eum de tanto periculo, ac etiam res suas in mare projectas, et etiam pecuniam suam totam in capsa reservatam haberet, quæ etiam in mare projecta erat, ad ecclesiam suam ad visitandum sepulchrum ejus, ubi corpus suum gloriosum erat, accederet, et donaret ecclesiæ suæ constructæ in honorem ejus, medietatem omnium rerum, et medietatem pecuniæ in capsa conservatæ et perditæ, quæ sibi remanerent, propinaret ; statim, emisso voto, tranquillitas facta est in mari et tota tempestas sedata est.

98 Tempestate autem invalescente, fuit coactus una cum aliis projicere res suas in mare : unam tantum fungam cum pecunia ad dorsum suum portabat, quæ fuit dissoluta ; de qua cecidit pars pecuniæ in mare. Cum autem ad portum seu ad terram venirent, omnes res suas, quas perdiderant in mari, ad littus invenientes *, quæ a mari projectæ erant : omnes ergo res suas invenientes præter pecuniam et marsupium, quod a quodam pisce magno deglutitum fuerat. Videns vero se liberatum, determinavit dare Fratribus Marsiliæ medietatem pecuniæ, quæ sibi remanserat. Accedunt igitur ad ecclesiam S. Ludovici ad votum adimplendum. Tamen mercator perdens pecuniam male consolatus erat, quod ad plenum non poterat votum suum adimplere, scilicet tradere medietatem pecuniæ perditæ ecclesiæ S. Ludovici. Cum autem per plateam prædictus mercator pertransiret cum sociis, videns piscatores pisces vendentes et noviter captos, inter quos vidit ibi unum magnum piscem, quem emit, et ad Fratres Minores mittens ad locum, ut cum eis comedere posset causa devotionis.

[illegible] F. P. [illegible] media

* invenerunt

E

99 Et fecit ad se Guardianum conventus vocari ; cui narravit omnia, quæ sibi acciderant, et quomodo perdiderat merces suas et partem pecuniæ, et quomodo emiserat votum, et ideo de pecunia, quæ sibi remanserat, Fratribus volebat dare medietatem : ac etiam dixit, quod piscem emerat, ut manducaret cum Fratribus. Guardianus autem fecit piscem ad coquinam portari. Cum vero Fratres talem piscem aptari fecissent, et cum coquinarius dictum piscem exventraret * seu separaret, reperit in pisce multam pecuniam : et advocans Guardianum, ostendit sibi pecuniam, quam invenerat in pisce ; et valde de hoc mirati sunt omnes Fratres. Guardianus autem exploravit a mercatore, quantam pecuniam, et quam monetam perdiderat. Qui respondit : Perdidi tot florenos, tot solidos grossorum denarios, et omnem monetam, quam perdiderat, assignavit : quæ, sicut ipse assignavit, sic inventa est in pisce, et sic sibi resignaverunt totam pecuniam, quam ipse perdiderat. Videntes autem Fratres cum præfato mercatore miraculum, facti sunt in admiratione maxima, considerantes, hæc esse virtute S. Ludovici ; et gavisi sunt, statimque reddiderunt gratias, et laudem et gloriam beato Ludovico de omnibus beneficiis receptis. Et tunc merca- F tor de pecunia, quæ sibi remanserat, et de illa, quæ inventa est in pisce, medietatem super altare B. Ludovici posuit, Fratribusque dedit, et alia multa fecit, ne ingratus efficeretur. *Paulo post subditur hoc factum* :

a præsentissimo mortis periculo liberati :

* f. exenteraret

100 Quædam coca * de Marsilia veniens juxta Corsicam, tanta fuerunt scilicet, qui astabant, maris tempestate perculsi, quod tribus diebus et noctibus fuerunt inter duas aquas, quia procellæ continuæ navem cooperiebant, et tantum erant ob dictam tempestatem nautæ lassati, quod nulla spes alicujus adjutorii temporalis eis esse poterat quoquo modo : etiam regimen navis diviserunt * usquequaque, cum nihil restaret nisi divinum auxilium implorandum. At tunc se taliter videntes arctari, promiserunt S. Ludovico, quod, si eos a tali et tanto periculo liberaret, suum tumulum nudatis capitibus, pedibus et corporibus præter femoralia, cum fune ad collum, et candela accensa quam citius visitarent. Et statim emisso voto, ecce (sicut frequenter in periculis maris Sancti apparent in specie ignis eos invocantibus, quo apparente securos se statim tenent) apparuit eis in latere arboris juxta cacumen in specie ignis

aliis naufragis succurrit.

* f. cocca

* f. dimiserunt

AUCTORE J. P.

ignis subobscuri; quo viso, cognoscentes, quod ipse esset, qui ad eos liberandos venisset; redditi securi; et quadam lætitia meutali exhilarati, statim cessavit omnis illa tempestas, et ad portum Marsiliæ pervenientes cum salute, illico descendentes, primo, ut promiserunt, sicut superius est expressum, sua vota persolverunt.

Voces quædam explicantur.

101 *Voces superiores quasdam non obvias ita exponimus.* Fortuna *significat hic maris tempestatem ; idque exemplis confirmatur in novissima editione Glossarii Cangiani tom.* 3 *col.* 650. Fungare *(lego in nostro apographo* fungam *vitiose fortassis) est doliolum, cadus, e dicto Glossario col.* 743 *et* 750. *Hic autem* funga *vel* fungare *accipitur pro capsa, sicut e textu patet.* Calea *est genus navigii velocissimi etc. Adi Cangium.* Cocca, *navigium, notatur in novissima, de qua dicebam, Cangii editione tom.* 2 *col,* 712. *Observa denique in τὸ* Quædam coca *etc. supra poni nominativum pro ablativo absoluto, ut vocant. Superiora, quæ dedimus, agunt de ope a* S. Ludovico *lata periclitantibus in mari ; quibus non incongrue subjicientur illico, quænam mira in terris præstiterit in favorem eorum, qui versabantur in discrimine vitæ.* B

§ XI. Depulsa mortis pericula, aliæque calamitates ; nonnullæ ad illa observationes.

Capite plectendus e carcere transfertur ; alius in lapsu sospitatur :

Quandoquidem in hoc miraculorum genere non habemus Vitæ, quam daturi sumus, auctorem præeuntem ; quæ huc spectant, aliunde eruemus. Bartholomæus Pisanus audiatur : Multis etiam fecit et facit gratias speciales. Nam quemdam de Ciboctolo Comitatus Perusii, qui erat injuste de homicidio inculpatus, et eculei pœna confessus, cum decapitari deberet de mane, et suam innocentiam S. Ludovico commendasset, de nocte S. Ludovicus accepit eum dormientem cum compedibus et catenis de carceribus, salvo ostio carceris, et per 12 miliaria in loco Fratrum de Ciboctolo ad pedes altaris sic dormientem posuit. C Et cum sic repertus esset a Fratribus, recitata visione S. Ludovici, ad se sic compeditum et liberatum Potestatem * Perusii et alios cives attraxit : qui hoc videntes, Deum in suo S. Ludovico laudaverunt. *Miraculo huic (quod alibi, ut num.* 111 *dicam, S.* Ludovico Francorum regi attribuitur) auctor idem mox aliud subdit :* Frater Franciscus Forinca de Senis in Monte Politiano dum staret, et quoddam lignum, super quod aliquando fuerat horologium, de muro vi vellet extrahere : subito cum dicto ligno, et capite reflexo ad inferius super gradus cecidit, qui sunt ante capellas, et dictis gradibus caput allidens cum renibus, cum debuisset statim vel mori vel comminui, invocatione beati Ludovici pro suo auxilio, dum caderet, nihil mali est passus.

* *i. e. supremum magistratum*

Dionysius Lusitaniæ rex ob urso liberatur,

103 *Suus quoque hic locus detur alteri prodigio, quod Waddingus refert accidisse juxta Bejam seu Pacis Juliæ urbem, et ita commemorat ad annum Christi* 1298 *num.* 19 : Ad ipsam illam Pacis Juliæ urbem magnum recepit hujus Viri sancti meritis beneficium Dionysius etiam Lusitaniæ rex, cui conjugem datam diximus anno MCCLXXXII num. 13 Elizabetham Aragoniam S. Ludovici consanguineam et affinem, quæ semper in ore ferebat miracula ab eo patrata, et regi D fidem minime adhibenti sæpius suggerebat. In silvam Juliæ Paci vicinam rex venaturus contendit ; cum in media solitudine stipatoribus destitutus in ursum incurrit, qui ingenita feritate in regem insilit, medium complectitur, totum impedit et equo deturbat : strato manu altera dirus insultat ; altera equi habenas torquet. Rex se aperto vitæ discrimini objectum perpendens, Ludovici, quamvis sero, recordatus, suppetias ardenter implorat. Ille monachi habitu, et pontificia tiara insignis subito affulsit, et turbato regi, Quid hic, inquit, tibi est negotii? Pugionem educito, et ursum contrucidato. Dionysius, animo redintegrato, dextera, quam expeditam mox sensit, expeditum ferrum extrahit, et in sinistro ursi armo defigit, et, monstro profligato, equoque conscenso, ad suos impiger erumpit.. In prodigii monumentum visitur hodie in Pacensi urbe in Minorum cœnobio, a rege sacellum Divo LUDOVICO SERVATORI DICATUM. *Miraculum hoc Waddingus Latine transcripsit e nostro Antonio Vasconcellio, qui illud narrat in appendice ad Anacephalæosim Dionysii, Lusitaniæ regis ; quod etiam* E *confirmatur ex Fratre Marco Ulyssipponensi parte* 2, *lib.* 6 *cap.* 20.

miles quidam in hostium manibus incolumis ; uti heros quidam sospes in vulnere sagittæ.

104 Miles quidam Lemovicensis, *sicut pergit laudatus Waddingus,* dum in calamitosa et exitiali discordia Guelforum et Gibellinorum sub una parte mereretur in Italia, et armenta boum deprædaretur, ex insidiis insilierunt in eum quinquaginta milites adversæ partis, quibus circumdatus in certo vitæ discrimine rogavit S. Ludovicum, ut suo sibi vellet adesse patrocinio. Apparuit ei statim Vir sanctus, et illæsum per hostium medium ad suarum phalanges deduxit incolumem.

In eodem bello potens quidam heros baro de Bautio sagitta a Gibellino sub oculo ad occiput usque transfixus, et a medicis audiens certo moriturum, si extraheretur sagitta, preces efficaces ad sanctum Virum effudit ; qui misericordia motus, sagittam a parte posteriori, seu ab occipite leniter extraxit, nullo relicto vulneris vestigio.

Obsessi liberati,

105 Oppidani castri Seravallis diœcesis Pistoriensis in Tuscia, ab hostibus obsessi, cum jam nulla superesset spes evadendi, irrumpentibus in castrum inimicis die XIX Augusti, convocatis presbyteris et Clero, ad illorum exhortationem voverunt, se S. Ludovici natale, quod in illum incidit F diem, celebraturos, si ab hostium liberarentur oppressione. Mira res ! Statim Vir sanctus apparuit super mœnia, tantamque indidit obsessis virtutem, et obsessoribus formidinem, ut his profligatis, illi victores evaserint. Quo devincti miraculo, quod promiserunt, in hodiernum usque diem feliciter observant.

locustæ abactæ,

106 In illa Hispaniæ regione, quæ Castella vetus nominatur, per campos Villalpandi, et Villæ novæ adeo grassabantur in segetem perniciosæ locustæ, ut vere pestis vel flagellum a Deo immissum videretur. Unanimiter oppidani voverunt S. Ludovico, cujus paullo antea defuncti tunc recens et celebris erat memoria, ut, si ab immundis et noxiis his animalibus suos agros liberaret, quotannis ad Conventum Fratrum Minorum Villalpandi cereum offerrent 25 librarum in ejus honorem. Sequenti die Vir sanctus plurimis conspicientibus apparuit, pontificalibus indutus, campos benedicens, et baculo locustas et bruchos abigens, donec omnes effugavit. Hoc beneficio astricti per viginti annos continuos cereum promissi ponderis

A ponderis obtulerunt. Deinde ex consilio et assensu Fratrum votum commutarunt, sancto Viro sacellum ædificantes, et illius diem festum perpetuo celebrantes. *Ita laudatus Waddingus.*

Sagitta e corpore mulieris extracta.

107 *Mirabilis etiam est hic eventus, quem invenio in Ms. nostro Aroldiano* : Accidit semel Bresciæ, quam experientia civitatem in partibus Lombardiæ sitam esse demonstrat, quod cum balistarii plures ipsorum protensis balistis sagittas vellent ad determinatum locum vel signum dirigere, mulier quædam almi confessoris Ludovici devotissima intertransiens, unius illorum sagitta fuit adeo in corpore atrociter vulnerata, ut illico sanitatem amitteret et loquelam : quod sentiens, toto cordis affectu beato Ludovico se recommendans, quasi extra se velut a sensibus alienata sine morosa dilatione seu longo temporis intervallo mente roborata vidit Fratrem quemdam, mitram in capite gerentem episcopalem, ad ipsam accedentem; et dum ipsam signaret signo crucis, mox sagittam extraxit de corpore, et reddita est pristinæ sanitati, ut nec signum seu vestigium appareret in ea. Et statim post hæc, quia vicina B erat partui, peperit quemdam filium valde pulcherrimum : et sic dicta mulier multa in honore dicti Sancti fecit.

Alia incommoda

108 *Anonymum Sedulianum, quem tantisper reliquimus, ducem denuo sequamur, et suppleamus argumentum ejus de sanatis a variis morbis et incommodis. Ecgraphum Calotianum* Dominus, *inquit,* abbas de Lura circa auroram subito incurrit dolorem viscerum cum frigido sudore, omnibus membris destitutus, sic quod extremitates jam mortuæ videbantur : et caput tremore continuo vacillabat; facto voto de offerendo unam imaginem dicto Sancto, dolor statim cessavit, et fuit plenarie liberatus. *In dicto ecgrapho præcesserant sequentia :*

Ludovici patrocinio curata
** f. Arausionensis*

109 Dominus Pontius Romanus canonicus Aurasicensis * pro certo negotio missus de mandato sui episcopi ad Arelatensem archiepiscopum, in via incurrit dolorem viscerum cum frigidissimo sudore in renibus tantum, quod non poterat stare, ire vel jacere; sed erat quasi in mortis periculo constitutus, nullum valens humanum remedium invenire. Facto autem voto, quod, si posset in die constituti negotii interesse, Sancti hujus sepul- C chrum cum oblationibus visitaret; sanitatem obtinuit, emittens per membrum lapidem satis grossum. *Hæc sunt, e quibus visum nobis fuit contexere præsens supplementum ad miracula, quæ habentur apud Sedulium. Quantopere autem Deo displicuerint detractores, qui dentem malignum infigere in Sancti thaumaturgi prodigia sunt ausi, liquet e suppliciis in maledicos istos intortis, prout licet videre in Vita apud nos num.* 66 *et sequente. De mente autem visitantium ejus sepulcrum mutata in melius num.* 68.

Nonnullis observationibus

110 *En tibi nunc, lector, quasdam animadversiones ad dicta in hoc paragrapho. In ejusdem exordio facta est mentio de* Ciboctolo *ex Pisano; de quo dicam infra num.* 111. Guelfi *et* Gibellini, *quorum fiebat mentio superius num* 104, *notissima apud historicos factio, seculo Christi* XIII *per Italiam grassata. De* Villalpando, *cujus mentio incidit paullo ante num.* 106, *adiri potest Rodericus Mendez Silva in libro Hispanice edito sub titulo* Poblacion general de España *fol.* 49, *ubi singillatim locum illum describens, abesse eum affirmat Tauro (vulgo Toro) leucis quinque.* Taurum *vero, sicut observat Baudrandus* urbs Hispaniæ in regno Legionis, ad Durium fluvium... Media est inter Septimancas ad ortum et Senticam ad occasum *etc. Supra etiam num.* 107 *occurrebat* Brescia, *ita vocata nunc incolis;* Brixia *Latinis.* Urbs *est* Longobardiæ in ditione Reipublicæ Venetæ, episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi : caput est agri Brixiani, estque ampla et munita, cum arce validissima in colle adjacenti, ut ego pluries vidi, *inquit Baudrandus; ubi plura. Superest* Arausio (*Orange*) *quæ est urbs Galliæ in Provincia episcopalis sub archiepiscopo Arelatensi satis nota.*

AUCTORE J. P.

prædicta elucidamus

111 *Dicebam in initio hujus paragraphi, miraculum e Bartholomæo Pisano relatum de nostro sancto* Ludovico, *alibi adscribi Sancto synonymo Francorum regi Hoc fit a Francisco Gonzaga De origine Seraphicæ religionis Franciscanæ parte* 2 *in provincia S. Francisci Conventu* 44, *qui vocatur ibi* S. Bartholomæi prope Cibottolam. *Ne vero dubium sit, quin coincidat hoc miraculum cum eo, quod dedimus ex Pisano, sufficit breviter dumtaxat quædam excerpsisse e narratione Gonzagæ :* Cum... Cibottolanus quidam juvenis de homicidio, quod nullatenus perpetraverat, tormentorum vi convictus, in crastinum... E decapitandus veniret, se beato Ludovico Francorum regi, qui nuper e vivis excesserat, miraculisque coruscabat, ex intimis præcordiis commendavit. Et, ecce, dum circa medium noctis lectulo decumbens... obdormit, compedibus catenaque vinctus ad hunc locum prope summum altare transfertur; quem cum Fratres Matutinis horis interfuturi, ex insperato vidissent *etc. Sed quomodo constructio istius conventus* circa annum Dominicæ Incarnationis MCDLXXX, *ut notatur apud Gonzagam, cohæret cum eo, quod dicit de S. Ludovico Francorum rege,* qui NUPER e vivis excesserat, *cum jam inde ab anno* 1270 *obiisset? Nos interim miraculum supradictum, quod a Pisano, qui vixit seculo Christi quartodecimo, eodem videlicet, quo sanctus Antistes Ludovicus Cælitum albo inscriptus est, ad sanctum regem Francorum Ludovicum hactenus non referimus ob auctoritatem Gonzagæ; donec certiora nobis affulgeant e Vita vel miraculis ejusdem Ludovici regis; de quo ad* XXV *hujus mensis tractabitur. Quod vero ad constructionem dicti loci pertinet; consuli de ea potest Waddingus ad annum Christi* 1291, *num.* 58. F

§ XII. Ludovicus Sanctorum catalogo adscriptus ; epistolæ ad reges ac principes, nec non ad ipsam Sancti matrem super hac re datæ, translatio corporis.

Causa canonizationis antea inchoata,

Fragrantissimo *virtutum odore, ac miraculorum gloria, nec non frequentissimo Fidelium ad* S. Ludovici *corpus concursu per orbem vulgatis,* Tolosani *et eorum* vicini, *sicut narratur in Vita Seduliana apud nos num.* 69, missis legatis ad D. Bonifacium Papam VIII, mirabilia ejus prædicantes.... postulantes, ut.... Divorum catalogo *eum* adscriberet. *Quænam deinde in hac causa, quantaque cum diligentia fuerint actitata, exponitur in eadem Vita. Sacrum itaque hoc negotium sub laudato Bonifacio, Benedicto XI ac Clemente V, ejusdem successoribus, absolutum non fuit, sed a Joanne XXII, qui* olim socius et magister S. Ludovici, etiam illi adfuit morienti.

AUCTORE J. P. ti. Nec dubium quin divinæ providentiæ nutu hoc pietatis officium huic servatum sit, cui omnis vita, mores, pietas, mors et omnia acta beati Viri probe cognita et perspecta essent, *prout ibidem legere datur. Addi potest illud Martini Fuldensis, inferius* § 15 *pluribus citandi, ad annum Domini* 1316 *ubi hæc refert de Joanne PP. XXII*: Item eodem anno *(immo sequenti)* canonizavit sanctum Ludovicum scilicet filium regis Siciliæ.... quia ejus magister primum fuit, et ejus sanctitatem, cum adhuc puer esset, oculis vidit, et manibus tractavit vel contrectavit. *Præcipitantia item vitata est in re tam gravi, ac* rursus omnibus et singulis actis ejus a Cardinalibus accurate examinatis et approbatis; *tandem* eorumdem... Cardinalium, omniumque Prælatorum præsentium (Avinione...) consilio et adsensu, magna pompa et solemnitate anno salutis reparatæ millesimo ter centesimo, sexto decimo, septimo Idus Aprilis *idem Pontifex* B. Ludovicum in Sanctorum numerum retulit, Pontificatus sui anno primo, *uti est in citato num.* 69.

B 113 *Audiantur hæc et bulla canonizationis ab eodem Christi Vicario ibidem tunc data*: Ceterum quia convenit, ut, quem Dominus in cælo magnificat, mundus colat; nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum ipsius inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitionem sollertem, et studiosam examinationem, et discussionem solemnem, supplicatione devota et humili Prælatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium eum instantia requisiti... ipsum septimo die Aprilis sanctorum Confessorum catalogo duximus adscribendum. Ideoque universitatem vestram monemus... præcipiendo mandantes, quatenus quarto decimo Calendarum Septembrium, festum ejusdem Episcopi et Confessoris devote celebretis, solemniter... Et ut ad mirabile ejus sepulchrum ardentius et affluentius Christiani populi confluat multitudo, et celebrius ejusdem Confessoris colatur festivitas, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri... duos annos et duas quadragenas; accedentibus vero ad prædictum sepulchrum annis singulis infra ejusdem festi Octavam, unum annum et quadraginta dies, de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus... Datum Avinione septimo Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

a Joanne PP. XXII

C

anno 1317 absoluta est

114 *Error itaque est apud Anonymum Sedulianum in anno. Waddingus tomo* 3 *ad annum Christi* 1317 *num.* 47, Auctor, *ait*, vitæ apud Surium *(immo* apud Sedulium, *nam apud Surium id, de quo hic agitur, non invenio)* et Breviarium Minorum in festo translat. lect. 5, factum hoc refert in annum antecedentem; at ipsa bulla, quam hic, *inquit*, subjicio, non nisi hoc anno contigisse probat. Etenim septimus Idus Aprilis, quem bulla præfert, anni primi Joannis, electi VII Idus Augusti, anni MCCCXVI, non nisi in hunc annum recurrit. *Videri potest de ejus electione Breviarium historico-chronologico-criticum Pontificum Romanorum apud Franciscum Pagium in dicto Pontifice num.* 6. *Erravit etiam in die canonizationis Saussayus, quando in suo Martyrologio Gallico ad tertium Idus, seu diem* XI *Aprilis illam ita adjecit* : Avenione canonizatio sancti Ludovici episcopi Tolosani... facta solemniter per Joannem XXII Pontificem Maximum anno MCCCXVII. *Erravit, inquam, vel saltem eamdem ibi retulit die non suo, quo*

D *accidit, et quo apud nos inter Prætermissos ad diem* VII *Aprilis, tomo primo ejusdem mensis pag.* 656 *ex Auctario Cartusianorum Bruxellensium refertur* S. Ludovici *nostri* festum cononizationis. *Erravit etiam Rodulphius, apud quem fol.* 122 *verso lego* : Die XV Decembris Joannes XXII *eum* canonizavit... et in sanctorum Confessorum numerum retulit. *S. Antoninus parte* 3 *Historiarum titulo* 21 *capitulo* 3 *putavit hoc accidisse in concilio Viennensi, anno Domini* 1311 *a Clemente Papa V celebrato. Sic enim scribit* : In ipso concilio fuit Sanctorum catologo adscriptus S. Ludovicus filius secundi Caroli *etc. Errarunt denique auctores illi apud Sammarthanos tomo* I *Galliæ Christianæ pag,* 690, *quorum alii aliis Pontificibus perperam eamdem adscripserunt, Bonifacio videlicet VIII ac Clementi V:* confundunt enim illum, *inquiunt*, cum Ludovico immortalis memoriæ Francorum rege magno ejus patruo, quem idem Bonifacius in Beatorum numerum adscripsit. *Ceterum si quis bullam canonizationis sancti Præsulis nostri, quam toties jam allegavimus, integram legere voluerit; exstat ea tomo* I *Bullarii apud Laërtium* E *Cherubinum pag.* 153 *et sequentibus, Sedulium post Sancti Vitam, Surium ad diem* XIX *Augusti, ac Waddingum ad annum* 1317 *a num.* 48. *Eamdem non ita pridem recudi accuravit illustrissimus D. Justus Fontaninus, archiepiscopus Ancyranus, in suo Codice constitutionum, quas summi Pontifices ediderunt in solemni canonizatione Sanctorum, edito Romæ anno* 1729.

115 *Porro laudatus Papa Joannes XXII sacrorum Ecclesiæ Fastorum, quibus* S. Ludovicum *intexuit, solennitatem non modice condecoravit suis litteris ad illustres personas super isto argumento scriptis. Audiamus Waddingum anno* 1317 *num.* 49 *ita loquentem* : Addidit etiam *Joannes XXII* litteras encyclicas ad universos Christi Fideles, quibus denuntiatum voluit, sanctum Virum Cælitum numero adscriptum fuisse, eique solemnes ferias præscriptas. Subjunxit etiam plurimas litteras ad universos reges, reginas et principes consanguineos; quos tanti beneficii et gaudii voluit esse participes. Scripsit Mariæ, Siciliæ reginæ sancti Viri genitrici, Roberto regi germano fratri, Sanciæ Roberti conjugi, Philippo principi Tarentino Caroli Siciliæ regis filio, et F Ludovici fratri; Philippo regi Franciæ et Navarræ, Sancio regi Majoricarum, Clementiæ reginæ Franciæ Philippi uxori, et Mariæ reginæ Majoricarum, Viri sancti sororibus; Candidæ seu Blancæ Ducissæ Burgundiæ ejusdem consanguineæ; Joannæ reginæ Armeniæ ejus ex fratre nepti. Do ex omnibus his tres epistolas; encyclicam *(ad universos Christi Fideles datam, quæ habetur apud Waddingum ad annum* 1317 *num.* 50*) item* eam, quæ ad matrem; et tertiam, quæ ad regem Galliæ data est. Reliquæ ejusdem ferme sunt tenoris, mutatis mutandis.

Epistolæ ad reges et principes

116 *Sed quandoquidem epistola ad* S. Ludovici *matrem data, rara avis in terris, ut ita loquar, nigroque simillima cygno est; qua videlicet ipsa etiamnum degens inter mortales, de amantissimi Filii sui immortali inter Sanctos gloria oraculo Apostolico facta est certior; exemplo utique vel certe rarissimo, vel ad hoc forte tempus numquam hactenus viso; facere non possumus, quin huc eam transcribamus e Waddingo ad annum Christi* 1377 *num.* 51, Carissimæ in Christo filiæ Mariæ Reginæ Siciliæ illustri *inscriptam. His itaque terminis concinnata est :* Epulare

et ad Sancti matrem

AUCTORE J. P.

A lare filia, in sinceritatis et veritatis azymis, et in Domino gaudere te convenit, quia Filius tuus ab olim mundo moriens, Deo feliciter vivere, factusque compatriota cælestium, ac syderearum incola mansionum, in Domini tabernaculo meruit habitare. Exultare, ac pium prorumpere debes in jubilum, de utero tuo processisse Virum angelicum, meditans consortem esse gloriæ angelorum. Profusis decet te plaudere gaudiis, quod talem in terris genueris Filium, cujus in cælis patrocinio, cujusve favore apud homines communiris, ut intercessionibus apud Deum.

a Joanne PP. eodem

117 Hic est ille Natus tuus venerandæ memoriæ Ludovicus episcopus Tolosanus, quem Deus ipse gloriosus in Sanctis suis, et in majestate mirabilis, sua immensa bonitate virtutum operatione mirificans, et gratia sanitatum sic immensis illustravit miraculis, quod in diversitate graduum sui status in gratia et gloria gradatim ascendit. Hic est, quem, ut pie creditur, Rex ipse cælestis B sic honorari decrevit in patria, ut sedi supernæ quietis insideat, æternæ claritatis lumine quasi regiis vestimentis amictus, et sempiternæ gloriæ diademate coronatus. Hic est denique, quem et nos propter sua merita gloriosa nostro ministerio per omnem Christiani cultus ambitum vehiculo debitæ venerationis incedere, ac profusis per orbem gaudiis, et effusis undique laudibus coli cupientes in terris, nuper die Jovis post festum Resurrectionis Dominicæ, septimo videlicet Idus Aprilis, de Fratrum nostrorum et Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, unanimi consilio et concordi consensu, Sanctorum catalogo duximus adscribendum.

datæ.

118 Nec sine causa Paschale tempus ad id faciendum elegimus, ut dies ipsa, nova festivitate jucunda, ex temporis gaudiosa celebritate Paschali fieret ampliori jucunditate festiva. Digne itaque, filia, cor tuum delectari debet in Domino, et in salutari suo tuus animus dilatari, et digne gratias agere teneris Altissimo, qui tibi fœcunditatem sobolis tam sanctissimæ tribuit, et qui in tanta sublimitate illius in benedictionibus C immensæ dulcedinis te prævenit. Propera igitur, quæsumus, et in odore unguentorum beatissimi Filii currere, tuas corrigendo vias, et bonis operibus vacando, festina, ut illum sequi merearis ad regnum; quem, si mundo viveret, affectu cogente materno, in exilium sequereris. Datum Avinione v Idus Aprilis. *Epistola, ab eodem Pontifice, nec non iisdem loco ac die* Charissimo in Christo filio Philippo regi Franciæ et Navarræ illustri *inscripta, habetur apud Waddingum ad supradictum annum num.* 52. *Hanc etiam, uti et duas, de quibus supra memini, ex Waddingo inseruit suo Codici constitutionum antea citato illustrissimus D. Fontaninus a pag.* 131.

Translatio corporis e choro apud Minores Massilienses ad summum altare:

119 *De* S. Ludovici *corpore, quod in medio chori apud Fratres Minores Massilienses hactenus sepultum fuerat, ad summum altare translato, thecæque argenteæ incluso, anno Christi* 1317 *sexto Idus Novembris, tractat Anonymus noster biographus apud nos num.* 71; *ubi etiam de Roberto rege Siciliæ, germano Sancti fratre aliisque illustrissimis personis, ac innumera populi multitudine, actionem hanc sacram sua præsentia honorantibus: de qua quænam memoriæ prodiderit Waddingus tomo allegato ad annum Christi* 1319 *num.* 2 *non gravate lector intelliget. Factum itaque sic describit:* Hoc anno, sexto Idus Novembris facta est translatio corporis sancti Ludovici episcopi in ecclesia Fratrum Minorum Massiliensi, a loco in quo jacuerat in medio chori, ad sepulchrum argenteum supra altare majus affabre elaboratum, justis magnifice factis more regio, et quæ deceant Sanctum tanto rege progenitum. Author Vitæ S. Ludovici apud Sedulium, et Firmamentum trium Ordinum in Memoriali Ord. sub XVIII Generali, factum hoc referunt anno millesimo ter centesimo decimo septimo; sed Breviarium Minorum in festo Translationis lect. 5, Petrus de Natalibus lib. 7 cap. 77, Marianus lib. 4 cap. 5, et codices Mss. hunc ipsum annum præscribunt. *Habemus hic scriptores scriptoribus oppositos in rei gestæ anno; sed quamdiu annus* 1317, *a dicto Vitæ auctore notatus pro hac re, non convincitur esse manifeste falsus, alio insuper documento, quod citabat modo Waddingus, eidem adstipulante, licitum mihi censeo, ut magis propendeam in favorem dicti biographi, quam ut eum Waddingo ex aliis, quos citat, ipsum corrigam.* E

ejusdemque rei adjuncta.

120 *Verum audiri merentur alia, quæ hoc factum circumstant, et a Waddingo referuntur:* Noctu autem res tota peracta est ad evitandum populi tumultum, et promiscuam plebis multitudinem. Præsentes aderant huic sacro ministerio quatuor Cardinales, inter quos Vitalis de Furno Minorita *etc.* (*Vide biographum.*) Dum sacræ exhumarentur reliquiæ, suavissimum emittebant odorem, et licet per annos ferme viginti jacuissent sub terra, inventum est in capite cerebrum ita recens ac integrum, acsi Sanctus ipse adhuc viveret, stupefactis omnibus ac Deum laudantibus ad singulare prodigium. Robertus rex caput suscepit, sibi donari expostulavit, Neapolim detulit, pulchra inclusit statua argentea auro gemmisque adornata, quam in S. Fratris sui honorem opere mirifico fecit fabricari. In hac translatione quinque mortuos revixisse, et multos a diversis infirmitatibus liberatos ad merita S. Ludovici magnificanda, scribunt Petrus de Natalibus citatus, et Rodulphus fol. 122; licet hic confundat annum hunc translationis cum anno MCDXVII, quo Alfonsus rex Aragonum ejus F corpus transtulit in citeriorem Hispaniam. *Ex his, quæ de superiore translatione producta sunt, corrigi poterunt lectiones de eadem re. Consule dicenda inferius* § 14; *de posteriore autem translatione modo indicata tractandum* § *proxime sequente.*

§ XIII. Corpus Massilia translatum Valentiam; publica Sancti veneratio per varias Europæ regiones propagata.

Alfonsus Lusitaniæ rex,

W*addingus in suis Annalibus tomo* 5 *ad annum Christi* 1423 *num.* 6 *avectionem corporis* S. Ludovici *e Massiliensi urbe in Hispaniam ita litteris consignavit:* Hoc anno, Octobris mense dimidiato, cum Alphonsus rex Aragonius post acceptas illatasque clades in regno Neapolitano, quod sibi adoptionis jure per Joannam II regiam collato deberi contendebat, Neapo-

AUCTORE J. P.

li relicto Petro fratre urbis præfecto, solvisset, coortis tempestatibus disjectæ in varia loca naves, correcto tandem cursu Massiliam, urbem in ora Phocensis provinciæ nobilem, celebrem portu, et Ludovici Andegavensis (quem Alphonso rejecto Joanna sui regni voluerat successorem) imperio parentem tenuerunt. Magno impetu diu noctuque certatum est, atque inter tenebras noctis die XIX Novembris obtinuit Alphonsus. Ne vero inter rapiendi scelerumque licentiam, feminæ, quæ ad Divorum templa confugerant, aut res, quas detulerant, violarentur; pio cavit edicto. Ex prædæ spoliis nihil sibi usurpavit: solum B. Ludovici episcopi Tolosani, Minoritæ, Carolo II rege Neapolitano geniti corpus, in privata quadam domo absconditum, et incendio deprehensum, summa reverentia et debito honore Valentiam in Edetanis transportavit.

corpus S. Ludovici Massilia abduxit Valentiam.

122 Oborta inter navigandum procella, nautæ, uti sunt superstitiosi, vel reddendum Massiliensibus, vel tradendum fluctibus cadaver contendebant; quod commoti videbantur exposcere, B eam esse causantes maris naturam, ut mortuorum corpora nec continere velit, nec efferre. Rex vero nobili dives trophæo, atque vel hoc uno pignore suum celebraturus triumphum « Me, » inquit, vel sanctus Præsul ducet incolumem, » vel secum rapiet in profundum. A me non » projiciam, quem opimis spoliis chariorem duxi, » et tutelarem eduxi. » Compositis statim fluctibus, magno triumpho sacrum corpus urbi Valentiæ invexit, et in æde præcipua anno MCDXXV, concessa facultate a Petro Cardinale Fuxo, Legato Apostolico, nobili donaruut mausoleo. Cives mox suum acclamarunt Patronum et protectorem. Petrus Rodulphus fol. 122 translationem hanc supputat anno MCDXVII septimo Idus Aprilis, ejusdemque anni die XIII * Novembris factam aliam affirmat per quatuor Cardinales, præsente fratre germano rege Roberto, a chori medio ad aram majorem. Sed valde errat in utrinsque translationis tempore. Quam posteriorem facit, longe prior fuit, sub annum, uti retulimus, MCCCXIX, in civitate Massiliensi, et quam dixit priorem, nonnisi hoc anno transacta est. Adeo charum habuerunt hoc pignus reges C Aragonii, ut, paciscente Ferdinando, cognomento Catholico, cum Carolo VIII rege Gallorum (pronepote Ludovici Andegavensis, cum quo Alphonsus hic certabat) circa restituendos Comitatus Rossellonii et Cerdaniæ, quos Ludovicus Caroli pater sub mortem restitui jussit Aragoniis, noluerit Carolus reddere, nisi prius receptis sacris Ludovici exuviis. Maluit tamen Ferdinandus ampla illa dominia periclitari, quam gentem suam tanto Patrono spoliare.

* *imo VIII*

Per varios

123 *Jam vero tot ac tanta, superioribus aliquot parugraphis a nobis collecta miracula, satis manifesto sunt argumento,* S. Ludovici *venerationem per varias Europæ provincias fuisse propagatam; Hispaniam videlicet, Lusitaniam, Galliam, Italiam, non excluso etiam alicubi nostro Belgio. Benignus Fremautus supra laudatus varia in hanc rem scribit in Vita Sancti cap.* 8 *a pag.* 400; *unde sequentia depromere visum est. Philippus VI, Francorum rex, ac* Ludovici *e sorore nepos, anno* 1331 *sanxit diplomate suo, ut in Conventu Cenomanensi hebdomadibus singulis in honorem sancti Avunculi sui sacrum solenne cantaretur; id quod etiamnum ibidem servari addit dictus auctor. Quando Delphinus* D *Franciæ, istius Philippi filius, ad vitæ terminum erat deductus e febribus ardentibus, rex confugit ad sanctum suum Avunculum, vovens ejus visere sepulchrum, illudque condecorare argentea imagine, ejusdem, cujus erat infirmus princeps, ponderis. In illo pietatis officio ante se conspicit Sanctum stantem; qui consolans illum dicebat, filium suum illa etiam nocte sanatum iri, qua mors ejus exspectabatur. Dum eodem tempore Joanna regina una cum dominis multis aliis ac dominabus apud moribundum principem esset, sanctus Episcopus ante ejus lectum apparebat, et imponens manus capiti ejus, Benedicaris, inquiebat, a Deo, et de tua sanitate gratias ei agas. Dictis respondit eventus. Rex autem de miraculo certior factus respondit, illud se probe nosse: ac brevi post tempore cum parvo comitatu Massiliam se contulit ad Sancti sepulchrum, gratias ei acturus. Sed dum imaginem, quam promiserat, eo deferret argenteam, multis lapidibus pretiosis adornatam, comitabantur aula, regina, rex Navarræ ac Majoricæ, et præter imaginem offerebat multa alia pretiosa munera, suamque familiam Avunculi sui sancti tutelæ committebat. Sunt, referente Fremauto, qui miraculum hoc accidisse referant filio* E *Philippi IV, qui* S. Ludovici *etiam consanguineus erat. His adjungit idem auctor, Carolum II, Hungariæ regem, filium Caroli Martelli,* Sancti Ludovici *fratris, anno* 1327 *in honorem patrui sui condidisse insignem conventum FF. Minorum Lippæ*, urbe, *ut notat Baudrandus*, Transylvaniæ.,. in confinio Hungariæ *etc. Porro de prædicta sanatione consuli potest auctor Fremauto antiquior Frater Marcus Ulyssipponensis cap.* 18.

124 *Mercatores duo divites sese cum mercibus multis navi committentes, antea apud Sancti sepulcrum patrocinio ejus se commendarant. Vi tempestatis expositi præsentissimo mortis periculo vovent, se pedibus nudis, si mortem evaderent, invisuros* S. Ludovici *sepulcrum. Et mox visu erat mirabile, quam cito cymba, in quam, navi aquis pervia, insilierant, fluctus perrumpens spumantes, ad portum appelleret. Mercatores vero duo, qui pecuniam suam omnem, ac nonnulla pretiosa penes se habebant, non terra minus* F *quam mari periclitabantur, omnibus spoliati a latronibus, ipsam quoque vitam eis adimere volentibus. Multis lacrymis aliquid temporis, ut animas suas Deo commendarent, impetrabant, ac denuo sancti Episcopi patrocinium implorabant. Et, ecce, tanto horrore perculsi sunt latrones, ut omnia illis redderent, ac celeriter aufugerent, viso aliquo, sicut est verosimile, adeo perterrefacti. Mercatores itaque ad littus proximum se conferentes, ut domum redirent nave vecti, eamdem ibidem navim invenere, qua discesserant Massilia, etiamsi ex tempestate admodum fractam. Ad hæc, in eadem navi repererunt merces suas omnes una cum nautis ac viatoribus paucis, qui in eadem remanserant: quibuscum Massiliæ pedibus nudis sepulcrum Sancti inviserunt; prout videri potest apud laudatum Fremautum, e quo hanc historiam desumpsi: cujus fidei non exiguum accedit pondus ex Fratre Marco Ulyssipponensi cap.* 21. *Sequentem de Sancti cultu apud Venetos propagato narrationem profero ex eodem Fremauto.*

Europa tractus

125 *Anno* 1388 *vivebat Venetiis Antonia Vinieria, nobilis admodum vidua, quæ in ipso etiam conjugio mundi fastum non fuerat sectata, Deoque*

S. Thaumaturgi gloria

A *Deoque valde perfecte serviens multis cœli favoribus ac apparitionibus variis oratione donabatur. Nocte festam S. Hieronymi lucem antecedente in magno urbis campo* S. Ludovicus *ei apparuit, dicens, Deum velle, ut, sicut in variis regionibus et urbibus honorabatur, ita etiam Venetiis in veneratione esset. Dubitabat illa, an visioni illi nihil subesset diabolicæ fallaciæ, timebatque ut perficere monasterium posset tam ob divitiarum defectum, quam ob alias rationes, quæ apud Fremautum memorantur. At Sanctus rediit, ei commendans, ut voluntatem Dei adimpleret, demonstransque locum, in quo monasterium ac ædes sacra ædificari ab illa deberent. Projiciebat item lapidem, dicens, illum templi primum esse debere. Interea* S. Ludovicus *ipsi iterum apparet: obtentum iri facultatem ædificandi promittit: obtinetur. Nec mora: emitur fundus: in effodiendis fundamentis invenitur lapis omnino similis ei, quem Sanctus præmonstraverat, quique ab episcopo consecratus primusque in fundamentis collocatus est cum magno* populi *concur-*
B *su. Ex eorumdem fossa apparet lux permagna, repræsentans formam hominis splendentibus radiis circumdati; quæ diu ibi dum luxisset, paulatim evanuit. Ab initio ibidem in honorem* S. Ludovici *sacellum ligneum construitur simul cum lignea domuncula, quo Antonia Vinieria cum sociabus paucis se recepit. Dolenti autem, quod non augeretur numerus earum, et ædificium non perficeretur, rursum ei videndum se præbet sanctus Episcopus, eamque confirmat, dicens, post ipsius mortem venturas esse moniales e propinquis montibus, illasque bono suæ vitæ odore effecturas, ut brevi perficeretur monasterium, et personis Religiosis sanctis impleretur.*

miris 126 *Anno itaque* 1411 *inter Hungariæ regem ac Republicam Venetam exorto bello, ac monialibus Serravallis Venetias confugere compulsis datur inceptum* S. Ludovici *monasterium; ubi tot ab eisdem inveniebantur cellulæ, quot erant moniales. Uni ex illis, dum in monasterio Serravallensi etiamnum esset, Deumque oraret, ut ab incommodis, quæ patebantur, ipsas liberaret, apparuerat S. Augustinus, cujus regulam profitebantur: qui* S. Ludovicum *episcopum*
C *illi demonstrans consolabatur eam, quod sine periculo Venetias esset cum suis sororibus profectura ad istius Sancti monasterium, Addit laudatus auctor, eidem Venetias digressæ obtigisse eamdem cellulam, quam Sanctus illi præmonstraverat; Religiosarum numerum auctum, nec non monasterium ac templum perfectum fuisse sub titulo sancti episcopi* Ludovici. *Mira multa conglobata hic memorat biographus iste; sed eorum fides penes ipsum esto.* Seravallis, *de quo loco mentio facta, ita elucidatur apud Leandrum Albertum in Descriptione Italiæ inter loca Marchiæ Tarsinæ circa finem:* Inter colles nobilissimum oppidum Seravallis, armorum bellicorum celebris officina, pannorumque et vini et frumenti negociatione inclytum. Est velut emporium gentibus Teutonicis, ædificatum optime, lautoque populo confertum. Percurritur Imesulo amne, aquis nitente. Plurimæ castellum ipsum officinæ cingunt. Equidem et hoc quoque oppidum, sive pulchritudinem et divitias, seu lautissimi populi frequentiam spectes, cum multis civitatibus Italiæ certat. Agrum perjucundum habet *etc. Hic* Seravallis *adscribitur Marchiæ Tarvisinæ; superius* § II *num.* 105 *mentio fit* castri Seravallis diœcesis Pistoriensis in Tuscia; *quod ut verum sit, opportet esse locum duplicem synonymum. Et vero in mappa Blaviana dominii Florentini invenio* Seravolo *in territorio Pistoriensi.*

127 *Sed mirabile prorsus est atque ad publicam sanctissimi nostri Præsulis venerationem singulari modo accommodatum prodigium illud, quod narrat probatque Waddingus ad annum* 1298 *num.* 23 *in hæc verba:* Atque illud mihi videtur singulare et digne celebrandum perpetuum prodigium, quotannis patulum et manifestum, quod in monte quodam in principatu Asturiæ sub ditione oppidi Cangas diœcesis Ovetensis in Hispania, in oratorio seu ecclesiuncula in honorem S. Ludovici exædificata, ipso die, quo ejus festum celebratur, concurrente ex vicinis oppidulis, et per illum montem constitutis domiciliis, frequente populo, dum Missa celebratur, statim germinant circumcirca parietes, et in ipso ostio, et vectibus ferreis et clavis quidam admirandi flores, quibus similes nullibi conspiciuntur, aspectu jucundi: qui tamen expleto Sacrificio marcescunt. Decerpuntur, dum virent, a devoto populo, et pie servantur ad morbos varios depellendos. Frequentem habui in Hispania hac de re cum testibus oculatis E sermonem; in qua enarranda constanter convenerunt, atque a viro gravi et docto, qui quatuor dierum itinere illuc abiit hujus rei dumtaxat conspiciendæ gratia, historiam notarii publici manu scriptam, acceptæ ab aliis relationi omnino conformem, accepi. *eventibus*

128 *Ægidius Gonsalvus Davila in suo Theatro ecclesiastico Hispaniæ tomo* 3, *qui agit de ecclesiis metropolitanis et cathedralibus utriusque Castellæ videlicet Burgensi, Ovetana etc. eventum illum ita exponit ac roborat pag.* 120, *affirmans*, casum mirabilem accidere (cauo *est in textu Hispano; per quam vocem sive recte, sive vitiose positam, intelligo* cada ano, *id est)* quotannis die XX Augusti in eremitorio S. Ludovici episcopi Tolosani, quem refert D. Sancius Davila, episcopus Giennensis *(vulgo* de Jaen*)* in libro quem edidit de Veneratione reliquiarum lib. 3 c. II dicens: " In nostra Hispania episco- " patu Ovetensi, in tractu Gallæciæ finitimo, " in altis quibusdam montibus exstat quoddam " eremitorium S. Ludovici episcopi Tolosani, " filii Caroli Siciliæ regis, Religiosi S. Franci- F " sci, cujus festum celebratur die XX Augusti cum " magno populi concursu, qui venit ad visen- " dum ejus lipsanum sacrum: et in Missa, quæ " ibidem celebratur isto die, incipiunt statim pro- " dire per altare, et circum illud, multa lilia cæru- " lea, quibus totus locus ille vestitur ". De hoc miraculo, *inquit idem Ægidius Davila pag.* 121, ad sanctissimum Papam Clementem VIII testimonium fuit conductum; et Ego, ait episcopus, illud habeo a Fr. Francisco de Sosa, Canariensis episcopo, qui, dum Generalis esset *(Ordinis)* S. Francisci, illius veritatem probavit. *Pro die* XX Augusti, *qui supra signatur, non dico legendum esse* XIX *Augusti, quo alibi communiter, et in ipsa Hispania* S. Ludovici *annua recurrit, memoria, signaturque tunc a Tamayo in Martyrologio Hispano: nam fieri potest, ut isto, quem antea dicebam, loco peculiari dies etiam peculiaris cultui ejus adhibitus sit. Mirari interim satis non possumus, nihil vel de hoc cultu, vel de superiore prodigio inveniri a nobis apud eumdem Tamayum dicto die* XIX, *quo Sanctum annuntiat.* *diffusa.*

129 *Et variis porro in* S. Ludovici *memoriam constructis sacellis, de quibus mentio facta est*

AUCTORE J. P.

Sacellum Massiliæ condi jussum, ac Officium extendi per Provinciam

est in Commentario prævio num. 6, 46, 103 *et* 106, *conficitur, ipsius venerationem publicam per diversos Europæ tractus extensam fuisse; sed præter illa, quæ ibi sunt præmissa, omittere tacitus aliud non possum, quod Robertus Siciliæ rex condi jussit in honorem germani Fratris sui Massiliæ apud PP. Prædicatores, præsertim quia ea de re in promptu est instrumentum publicum, apud Bouchium tomo* 2 *Historiæ chronologicæ Provinciæ lib.* 9, *sectione* 3, *cap.* 3, *pag.* 364, *his verbis expressum*: Robertus Dei gratia rex Jerusal., Siciliæ, Ducatus Apuliæ, principatus Capuæ, Provinciæ ac Forcalq. ac Pedemontis Comes, Prioribus loci S. Maximini de Provincia præsentibus et futuris: nec non Conventui ejusdem loci dilectis et devotis gratiam salutem, et dilectionem sinceram. Ut B. Ludovici confessoris mirifici, reverendi et venerabilis carissimi fratris nostri, celebris habeatur reverentia, et veneretur festivitas, in regali nostro monasterio S. Maximini, ubi B. M. Magdalenæ est pretiosum corpus reconditum per claræ memoriæ dominum patrem B nostrum, mirifica revelatione repertum, vobis imponimus et mandamus, quod prima capella, quæ in eodem loco ædificabitur, sub ejusdem Confessoris vocabulo adstruatur; ut ejus Officium proprium suarum solemnitatum diebus inibi valeat celebrari:

a rege Roberto Sancti fratre.

130 Et ecce super hoc scribimus magistris et doctoribus Capituli, quod prædictis assentiant, et ea servari per Conventus alios Provinciæ, et executioni mandari injungant, ut fuit ordinatum per nostras literas, super hoc Provinciali Priori ejusdem Ordinis, ut per eadem loca simile fieri faciat: et in Calendario Conventus prima die conscribi, ad memoriam futurorum. Datum Neapoli per Joannem Grillum de Salerno Juris civilis præsentis protonotarii regni Siciliæ anno Dom. milles. trecent. triges. sept., die VII Decemb., VI Indict., regnorum nostrorum XXVIII. *Cum anno* 1337 *concurrit Indictio quinta Pontificia seu Romanorum Pontificum, quæ incipit a Kalendis Januarii; si autem hic accipias vel Constantinopolitanam seu Græcam imperatorum Orientis, quæ a Kalendis Septembris; vel Constantinianam, a Constantini Magni principatu aut consulatu sic dictam, seu Cæsaream Germa-* C *niæ imperatorum, quæ ab* VIII *Kal. Octobris; Indictio* VI *superius signata recte concordabit cum anno Christi* 1337. *Vide Mabillonium De re diplomatica lib.* 2 *cap.* 24.

Denique gratissima tot titulis apud homines S. Ludovici *memoria non modicum accepit in eorumdem animis incrementum ex eo, quod ubicumque noscitur et invocatur, singulari ostendat se valere prærogativa in concedendo filios magnatibus, qui devote, ac recta cum intentione ipsum invocant, teste Marco Ulyssipponensi cap.* 22 *partis* 2 *Chronicorum; de quo infra* § 14, *num.* 138.

§ XIV. Sanctus urbis Malacitanæ patronus; item in provincia Provinciæ; reliquiæ; memoria in Fastis sacris.

Noster P. Martinus de Roa libro de Fundatione, antiquitate ecclesiastica ac seculari, nec non Patronis sanctis urbis Malacitanæ, qui ibidem typis editus notatur 1622, *capp.* 15 *et* 16 D *tractat de* S. Ludovico Tolosano *ejusdem urbis Patrono. Quæ ad hunc titulum pertinent, e textu ipsius auctoris Hispanico hæc deprompsit Tamayus in notis ad diem* XIX *hujus mensis, ac Latine reddidit, videlicet,* S. Ludovicum episcopum Tolosanum esse ab expugnatione urbis Malacæ in Bætica Hispaniæ, illius urbis tutelarem Patronum, eo quod ejus festivitatis die civitas illa Catholicis regibus cessit: et licet tunc temporis dubitaretur, an Agapito martyri die XVIII Augusti, an Ludovico episcopo, die XIX ejusdem titulis et jus patronatus daretur, eo quod ille civitas tradita; isto triumphalis regum ingressus evenit; tandem convenit, tutelam esse conferendam Ludovico, quia ex regum Catholicorum origine oriundus sanctus Præsul extitit et procedens, *ex Roa, quem citat cap.* 15 *fol.* 48.

Cur patronus urbis Malacitanæ adlectus;

publicum de ea re decretum

132 *Ejusdem sancti cultus in eadem urbe diligenter fuit promotus auctoritate publica: nam* D. Petrus a Toleto, *sicut deinde subdit Tamayus,* qui fuit episcopus Malacitanus primus post recuperationem urbis, inter alia statuta, quæ pro gubernatione ecclesiastici ordinis tam in ecclesia cathedrali, quam in cæteris urbis et diœcesis, sequens E adjecit, *quod latine versum ita recitat ex Roa fol.* 49: Item ordinamus et mandamus, quod in posterum perenniter in hac urbe Malacitana, et in suæ diœcesis populis fiat festum solemne in die S. Ludovici episcopi, Siciliæ regis filii, quod XIV Kalendas Septembris ab Ecclesia repetitur in Octavis Assumptionis Deiparæ: quo die anno Domini MCDLXXXVII castrum, quod Alcazava dicitur, hujus urbis, catholicis *, excelsis et potentissimis Ferdinando et Elisabethæ regibus Hispaniæ dominis nostris tradidit Ali-dordux, et in eorum nomine D. Gabrieli de Cardenas, magno Regionis commendatario, et regum prædictorum maximo calculatori.

* *In Hispanico est* alos Cristianissimos, *i. e.* Christianissimis

profertur:

133 *Qui decretum illud integrum vult legere, consulat Roam a fol.* 49 *verso; ubi illud, quod post τὸ* regum prædictorum *(in textu Hispanico est* sus Altezas) *mox additur,* que Dios perdone, *id est,* quibus Deus ignoscat, *videtur indicare, quod tunc essent vita functi; cum tamen constet e libris ecclesiæ, et eorum testamento, illos supervixisse multis annis post mortem episcopi Petri Toletani, prout observat Roa fol.* F 50. *Scrupulum vero hunc ita eximit deinde idem auctor dicens, D. Bernardum Manrique, qui quartus a Petro successit, erectionem suæ ecclesiæ a Cardinale Hispaniæ factam recognovisse una cum statutis, quæ eidem dedere D. episcopus Petrus, et D. Jacobus Ramirez de Villaescusa, qui in sede ipsi immediate successit, quique illa auxit, et ordine disposuit, antiquitate tamen eisdem sua nec non primi sui conditoris titulo relictis: tempore autem illo, quo id factum est, sicut Ferdinandus et Elisabeth mortem obierant, sic D. Bernardum episcopum eos nominantem adjunxisse titulum sanctæ memoriæ. Principes autem illi obierunt, hæc quidem anno* 1504; *ille vero* 1516, *sicut notum est. Annum statuti affirmat Roa fol.* 50 *verso se non invenire; sed addit, videri certum, quod factum fuerit post annum* 1489, *cum in illo nominetur ecclesia S. Jacobi, quæ fundata necdum erat usque ad annum sequentem* 1490, *secundum ea, quæ ibi profert.*

134 *Huc spectat locus castri, publica* S. Ludovici *veneratione honoratus, sicut licet videre apud eumdem auctorem, qui affirmat, invenisse*

annua memoria in castro. In provincia Provinciæ est patronus.

A se in aliqua traditione antiqua, festum ejus consuevisse celebrari in ipsius ecclesia in Gibralfaro, ac fieri potuisse, ut biennio ante quam ædificata fuerit parœcia S. Jacobi, supplicatio (egerat paullo ante de supplicatione in festo Corporis Christi) ingressa fuerit eremitorium istius castri Gibralfarensis, vel sine illa fuerit ibidem cantata Missa, et dictum ad concionem; additque, nunc (editus autem est ipsius liber anno 1622, ut supra dixi) liberum per portam castri isto die ingressum concedi Hispanis, magnumque esse concursum ac devotionem, quibus Sancti eremitorium visitatur; nec sine piis affectibus spectari, quod in suis Sanctis honoretur Deus in eodem loco, ubi adoratus erat diabolus per tot secula in monstro inferno Mahomete; cujus memoriam adhuc, ait, obliterai non sinunt Mauriea eremitorii fabrica, et literæ Arabicæ, quæ in illo monstrantur.

Nomen etiam S. Ludovici *mansit in benedictione in provincia Provinciæ, tamquam tutelaris in ea patroni, teste Francisco Gonzaga de Origine Seraphicæ Religionis etc. parte* 3 *a pag.* B 817: In Gallia Narbonensi sita est provincia S. Ludovici.. Hæc S. Ludovici provincia crebro dicitur provincia Provinciæ, saltem ante tempora Clementis VII, et Francisci I regis Franciæ, qui in honorem S. Ludovici nomen imposuerunt, ut a cætero provincia Provinciæ S. Ludovici provincia diceretur.. Nunc vero paucis perstringemus, quibus potissime viris fuerit illustris. Primo igitur se offert divus Ludovicus tamquam titularis patronus, quondam archiepiscopus Tolosanus... Ejus... iconem huic provinciæ præponendam volui, quod in celebri Massiliensi Minorum Conventu sepultus sit, quodque ejus totius peculiaris patronus, tutelarisque habeatur.

Sancti reliquiæ

135 *Non minimam etiam in Præsulis nostri propagato cultu partem habent sacræ ipsius reliquiæ. Præmisimus antea* § 12, *corpus ejus e medio chori Fratrum Minorum Massiliensium, in quo jacuerat, ad altare majus solenni ritu fuisse translatum; ubi et de cerebro mirifice integro actum, ac de capite, germano ipsius fratri Roberto donato, Neapolim delato, decoreque ornato.* C *Sed nihil a citatis ibidem auctoribus memoriæ proditum de aliarum partium corporis separatione seu reliquiis, quæ magno numero cum aliis communicatæ referuntur in sequenti documento, quod ita prænotatur:* Lectiones ex Officio S. Ludovici impresso Neap. MDXXVI ad usum PP. Minorum. *Incipit:* Architector æternus, cujus sapientiæ non est finis etc. *Quæ itaque superius de ista translatione sunt narrata, in hisce lectionibus magis singillatim recensentur. Apographum itaque nostrum rem gestam describens,* Adveniente, *inquit,* a festo omnium Sanctorum die octava, anno Domini millesimo trecentesimo quinto decimo, Indictione prima, nocte sequente præsentibus prænominatis Regalibus, et ex * Cardinalibus, [attamen] solo Cardinali episcopo Albanensi singulariter convocato, in ecclesia Minorum Massiliæ, domesticis paucis dumtaxat admissis, illa undique clausa, et janitoribus statutis vix januas valentibus custodire, [ab] ipso Cardinali Albanensi accepto sarculo, primitus tellus, ut fieri debuit, aperitur, et a nonnullorum astantium quolibet postea ligone arrepto, terra tam operiens quam circumstans cum devotione et reverentia effoditur, quousque ad vas ligneum, in quo erat sacrum corpus repositum, pervenitur. Quo aperto, invenientes sepulcrum, velut qui thesaurum effodiunt, indicibiliter sunt gavisi.

* f. sex

auctore J. P.

occasione translationis corporis

136 Nominatus Cardinalis mixto metu gaudio accedens, aperuit Sancti corpus insigniis episcopalibus adhuc tectum, quæ discerni poterant tam tenui superficie quam colore. Quo Cardinali Sancti corpus fortius contrectante, et compage dissoluta, secundum proprietatem artuum, ossa articulatim cœperunt ab invicem segregari: sicque per Cardinalem præfatum ossa ipsa prius alienis et propriis pulveribus, terra ac sacris suis cineribus.. excussis mundata, vino optimo devotissime colluuntur, pigmentariis pulveribus diligentissime consperguntur, novis sindonibus officiosissime involvunter, et appensis subscriptis scedulis distinctissime disponuntur, et deinde in pretiosissima arca seu vase, quam Januæ dictus rex (*Robertus*) cum consorte accuratissime, ut præfertur, construi fecerat, per dictum Cardinalem, astantibus et assistentibus prænominatis Regalibus, reverendissime reponuntur. E

in varios Europæ tractus delatæ dicuntur

137 Post hæc, licet suaderetur a multis, ut separatæ sancti corporis reliquiæ pretioso vase jam dicto insimul servarentur, prænominatus rex Robertus, quamvis hoc locale super alia unipariter sibi carius reputaret, cognoscens bonum sui communicativum, inter prænominatum Papam (*Joannem nempe* XXII) vice Ecclesiæ, ecclesiam Tholosanam, in qua præfuit præsulatu, diversos reges mundi et principes tam de domo Franciæ quam Siciliæ et alios, competentes ipsorum partes distribui ordinavit, quatenus memorati Sancti devotio per diversos mundi angulos distantius diffunderetur; qui cunctis mundi præfectis et perfectis informationis exemplar, speculum et spectaculum proponitur in exemplum. Demum res nova et mira accidit, ideo ad Dei et Sancti gloriam non tacenda. Nam dum sancti corporis reliquiæ, ut prædicitur, tractarentur, subito a capite sacrum cerebrum cum strepitu inferius in vas suppositum est delapsum, compactum siquidem et solidum; cum tamen ejus substantia propter humiditatem plurimam et [viscositatem] annexam, ut tradunt physici, alienæ corrosioni vel suæ corruptioni obnoxia reputetur. Quod prænominata regina a dicto rege ipsius viro in portionem suam instanter petiit singulari munere advenire. Quo concesso, illud, ut conveniebat, reponens, fecit sedulo custodiri, quousque cum rege eodem Neapolim adveniens, vas in modum capitis mitrati speciosum atque pretiosum valde, et non modice sumptuosum, construi fecit; ibique ipsum collocavit, et in monasterio regio et suo civitatis ejusdem corporis Christi monialium S. Claræ insigni, inter cetera mundi deputavit perpetuo conservandum; statutumque est, illud annuatim in vigilia translationis festi per civitatem ipsam processionaliter circumferri. F

in documento, quod corrigitur in nonnullis.

138 *Nota* 1°. Annum Domini millesimum trecentesimum quintum decimum, *et* Indictionem primam *perperam superius signari. Et annus quidem peccat, quia translatio ista corporis diserte a biographo Seduliano apud nos num.* 71 *signatur* anno tercentesimo supra millesimum et decimo septimo. *Ad hæc, prædictarum lectionum apographum aliunde etiam erroris convincitur: nam in eo præmittuntur ista:* Igitur postquam a tempore mortis usque ad diem translationis, corpus Sancti humili loco jacuerat.. jam tamen per Dominum Joannem Papam vicesimum secundum ipso canonizato, et aliorum Sanctorum catalogo adscripto

AUCTORE J. P.

adscripto *etc. Hoc quippe non accidit ante annum* 1317, *uti liquet ex præmissis* § 12; *atque adeo translatio Sancti, tamquam jam in album Cœlitum relati, ante annum* 1317 *fieri non potuit. Peccat etiam Indictio : nam si res accidisset anno* 1315, *ponenda erat Indictio* 13 *vel* 14, *quarum mense Novembri alterutra cum eodem anno concurrebat, secundum diversam temporis rationem, qua inchoantur Indictiones, sicut supra invenies* § 13 *num.* 130. *Nota* 2°. *Si talis distributio reliquiarum sancti nostri Præsulis, qualem paullo ante asserit hoc apographum translationis, umquam sit facta; debet ita limitari, ut corpus Sancti vel saltem magna corporis pars Massiliæ relicta sit; cum postea illud transvectum inde fuerit Valentiam; quemadmodum paragrapho* 13 *narratum est. Si, inquam, talis distributio reliquiarum Sancti umquam contigerit: nihil enim de ea apud nos num.* 71 *in Vita; nihil apud Waddingum* § 12 *num.* 120 *a nobis citatum. Unde vero et qua fide illam hauserit auctor prædictarum lectionum, non est mihi exploratum. Nota* 3°. *Apographi, quod protuli, menda* B *corrigere conatus sum.*

Aliæ exuviæ sacræ apud Massilienses.

139 *Martinus Roa fol.* 64 *caput Sancti argento deaurato inclusum ostendi asserit in ecclesia majore Valentina; in alia vero theca argentea corpus; in Conventu autem Massiliensi FF. Minorum nonnullas vestes pauperes, ac brachium unum ejusdem Sancti remansisse addit, post avectum inde ab Aragonensibus corpus, in solatium istius urbis. Verum quod de capite apud Valentinos dicebat Roa; cum illud jam diu ante Massilia Neapolim detulerit Robertus rex Siciliæ ac* S. Ludovici *frater germanus, ibidemque illud statuæ inclusum honorifice adornarit, secundum relata nuper* § 12 *in fine; componi hæc duo nequeunt, nisi vel Neapoli Valentiam dictum caput pervenerit; vel Robertus partem dumtaxat illius acceperit, reliqua Massiliæ apud corpus relicta, ac deinde ad Valentinos simul cum eodem transvecta, quod tamen mihi videtur minus probabile. Quidquid tamen sit; Marcus Ulyssipponensis cap.* 22 *etiam affirmat, caput illud ostendi in prædicta ecclesia; brachium vero ac vestes ejus pauperes in* S. Lodovici Massiliensis *apud Fratres de Observantia (Vide Annotata ad Vitam Anonymi Seduliani cap.* 5 *lit. g.) exhiberi.* C *Rodulphius in Historia Seraphicæ Religionis lib.* 1 *fol.* 121 *verso hæc de Sancto scribit:* Cum Roma rediens, ad ecclesiam Tholosanam proficisceretur, reliquit Senis in Conventus S Fran. Bibliam manu sua egregie conscriptam, et minio eleganter exornatam, insigne amoris sui monumentum. *Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ et gentilis ad diem* XIX *Augusti refert, in Aracœli exponi chordam et Breviarium dicti Sancti.*

annua memoria S. Ludovici in Martyrologiis.

140 *Nomen* S. Ludovici *evasit etiam ad memoriam posteritatis illustre e Fastis sacris, quibus inscriptum legitur hac die : Florarium nostrum Ms. hæc habet:* Apud Massiliam natale sancti Ludovici Tholosani archiepiscopi et confessoris, de Ordine Fratrum Minorum, vita et miraculis gloriosi. Hic ex regali prosapia ortus, de Karolidarumque stirpe progenitus, patre videlicet claræ memoriæ Carolo rege Siciliæ etc. *Saussayus.* In Phocensi provincia castro Brincola depositio S. Lodovici episcopi Tolosani et confessoris, qui. . jam ab incunabulis virtutis et sanctitatis eximiæ, quibus postmodum provecta ætate lumen terræ factus orbem illustraturus erat, splendentes radios emisit etc. *Sanctum etiam annuntiant Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano, et Hucberus in suo Menologio. Præcesserat diu ante illos tres Molanus in Additionibus ad Usuardum a se editum. Adi etiam, si vis, Auctaria ad Usuardum a nobis illustratum. Martyrologium Romanum hæc quotannis de eo legenda præscribit* : In provincia apud castrum Brincolam depositio sancti Ludovici episcopi Tolosani, vitæ sanctitate et miraculis clari : cujus corpus inde Massiliam translatum, in ecclesia Fratrum Minorum honorifice conditum est. *Signatur etiam apud Caietanum nostrum in* Idea Operis de vitis Siculorum Sanctorum etc. In Sicilia, Commemoratio *ejus cum parvo elogio. Dabat ei Florarium, uti modo vidimus*, Tolosani archiepicopi *titulum; sed perperam ac nimis præmature : nam sedes epicopalis Tolosana ad archiepiscopalem non est evecta nisi post obitum* S. Ludovici, *anno videlicet Christi* 1517, *sicut constat e bulla institutionis archiepiscopatus istius, quæ habetur apud Sammarthanos in Gallia Christiana tom.* I *a pag.* 693, *signaturque* VII Kalend. Julii, Pontificatus *Joannis Papæ XXII* E auno primo, *quo idem sanctus Episcopus Catalogo Cœlitum adscriptus est. Singularis in eo est Galesinius, quod illum annuntiet Tolosæ.*

XV. Hymnus, Officia, scriptores Vitæ,

Hymnus proprius apud Sedulium;

Sedulius inter elogia, Vitæ S. Ludovici Tolosani *a se vulgatæ prævia, producit hunc hymnum* ex Officio Breviarii, *sicut asserit*, antiqui ad primas Vesperas, *in hæc verba* :

Vergente mundi vespere, sol mundo misit hesperum,
Qui micans ut in æthere, lucem monstravit operum.
Ludovicus per omnia ductu divinæ gratiæ
Vectus est, ab infantia solem sequens justitiæ,
Regali stirpe genitus contempsit primogenito.
Regno terreno penitus mente carens gratuita.
Detentus in Hesperia claret per patientiam.
Nam passus nimis gravia, præfert semper lætitiam : F
Dum patitur exilium, datur solerti studio.
Christus ejus ingenium suo perfudit radio,
Quo repletus deifice, profert cunctis salvivica,
Ubique fans authentice præco Dei mirifica,
Factus Francisci filius, virgo candens ut lilium.
Fit et præsul eximius collega nunc cælestium.

Officia apud Massilienses ac Valentinos etc.

142 *In Officiis propriis Sanctorum Massiliensis ecclesiæ anno* 1662 *excusis habet hanc orationem* : Deus, qui dispositione mirabili Ecclesiam tuam novis semper splendoribus illustras; tribue, quæsumus, ut qui beati Ludovici confessoris tui atque pontificis solemnia celebramus, ejus quoque consortes effici mereamur. Per Dominum etc. *Colitur autem ritu duplici cum tribus lectionibus propriis, compendium vitæ continentibus. Metropolitana ecclesia Valentina, ejusque diœcesis eum honorat ritu duplici majore, ita tamen ut omnia dicantur de communi unius confessoris pontificis, sicut lego in dictæ ecclesiæ ac diœcesis directorio, quod impressum fuit Valentiæ anno* 1720. *Ordo sancti Francisci in Hispania Sancto tribuit*

A *tribuit venerationem ritus duplicis secundæ classis cum Octava, sicut testatur* Ordo recitandi Officium divinum, *Matriti excusus anno* 1718 *Tamayus in notis ad diem* XIX *Augusti*, in pluribus Hispaniarum ecclesiarum Breviariis antiquis, *inquit*, maxime Bæticarum, Officium S. Ludovico episcopo decantatum invenimus. *Bouchius in Historia chronologica Provinciæ tom.* 2 *lib.* 9, *sectione* 3, *cap.* 3, § 2 *affirmat, Robertum Sancti fratrem composuisse Officium in honorem ejus, a Sixto Papa IV approbatum; illudque Officium in usu fuisse apud Religiosos Franciscanos usque ad tempus concilii Tridentini, quod multa Officia particularia abrogarit, ut ritui generali Ecclesiæ se conformaret. Officia propria Sanctorum Ordinis Minorum Antverpiæ impressa anno* 1648 *annuam ejus memoriam recolunt ritu duplici. Oratio consonat cum illa, quam ex Officiis propriis Massiliensibus modo proferebam, iisdem ut, pote vocibus fere constans. Adduntur tres lectiones propriæ.*

Recensentur

143 *Extremum nunc huic Commentario superaddamus laborem, qui erit de scriptoribus Vi-* B *tarum sancti nostri Antistitis. Waddingus ad annum* 1298 *num.* 23 *de hac materia agit in hæc verba*: Scripserunt ejus vitam Fr. Franciscus Scarerius episcopus Segetanus, Fr. Petrus episcopus Epulanus, et Fr. .Fortius, comites ejus individui, Laurentius Surius, Anonymus S. Ludovico æqualis; cujus opusculum cultius et auctius reddidit Henricus Sedulius; Fr. Guilielmus de S. Marcello et alii. Conciones de eo scripserunt Pelbartus Themesvarius, et Robertus de Licio, *In chronico Martini Fuldensis, quod edidit Eccardus in suo Corpore historico medii ævi, tomo* I *col* 1724 *dicitur Joannes Papa XXII ejus* Vitam scripsisse, et per modum epistolæ omnibus Ecclesiæ Prælatis direxisse. *De Calotio, Bartholomæo Pisano, et Rodulphio superius mentio facta est. Galesinius in notationibus ad suum Martyrologium die* XIX *Augusti*, De hoc, *ait*, sermo extat Petri Cardinalis Aliacensis. *Auctorum, qui de S. Ludovico egerint, longum catalogum texit Arturus in notis ad hanc diem* XIX *Augusti, quem non transcribo. Natales autem ipsius anno* 1266; *captivitatem, in qua fuit pro patre suo obses, anno* 1288; *liberationem anno* 1294; *obitum* C *anno* 1299, *ætatis* 33 *innectit; quæ non cohærent cum vera temporis ratione, secundum præmissa in hoc Commentario prævio. Item patrinum ejus vocat S. Ludovicum Galliarum regem, nescio qua auctoritate.*

varii,

144 *Noster Martinus de Roa supra allegatus vulgavit Vitam Hispanice a fol* 51 *verso; Joannes Antonius Summonte tom.* 2 *Historiæ Neapolitanæ, anno* 1675 *Neapoli idiomate Italico recusæ, tractat de Sancti gestis pag.* 336 *et pag.* 343. *Oldoinus noster in Athenæo Ligustico pag.* 443 *agens de Paschalio Codretto Cespitellensi, Ordinis Minorum, inter ejus lucubrationes memorat* Vitam ac miracula S. Ludovici archiepiscopi (*immo episcopi dumtaxat, ut monui num.* 104) Tolosani, in Monteregali MDCLI *edita. Acta ejus e variis collegit Tamayus hoc exordio*: Ludovicus ex regali prosapia Francorum, Hispanorum, et Ungarorum regum oriundus fuit. Nam illi pater extitit Carolus II, filius Caroli I Siciliæ regis, qui fuerat filius Ludovici VIII, et Blanchæ conjugis, filiæ Alphonsi IX Castellæ regis, et frater S. Ludovici IX Galliæ regis, ita ut ex hac linea Ludovicus noster fuerit abnepos Blanchæ, et trinepos Alphonsi IX cognomento nobilis. *Deinde de hac Hispana origine etiam agit in notis; ubi* licet, *inquit*, Joannes Marieta in Historia Sanctorum Hispaniæ lib. 5 cap. 82 asserat, S. Præsulem non fuisse Hispanum; nativitate concedimus; sed origine negamus. *Nos certe gloriam illam Hispanis non invidemus. Hisce auctoribus adde Fremautum supra laudatum, qui Vitam Sancti et miracula collegisse se ex* Waddingo, Pisano, Cornegio, Mazzara, Rodolphio etc. *significat.*

AUCTORE I P.

145 *Sed quid ego tam diu differo loqui de Fratre Marco Ulyssipponensi, provinciæ Portugalliæ, qui locum meretur inter biographos non postremum. Nam, uti est apud Waddingum in Scriptoribus Minorum*, cum jussu Ministri Generalis Andreæ Insulani potiores urbes et præcipua cœnobia Italiæ, Hispaniæ et Galliæ lustrasset, multa collegit monumenta, ex quibus, et Chronicis Mss. Mariani Florentini scripsit idiomate Lusitanico Chronica Ordinis Minorum, tribus partibus distincta, diminuta satis, sed veridica; *eorumdemque Chronicorum parti secundæ lib.* 6 *laudatus auctor Vitam et miracula etc.* S. Ludovici *episcopi intexit. Hinc fit, ut, quæ ibi vel solus ipse narrat, vel alius biographus alibi ex* E *illo, non careant pondere auctoritatis. Waddingus citatus obiisse eum memorat anno circiter* 1580, *nec non ad infulas Portuenses seu Portugallenses promotum fuisse. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana mortem ejus differt ulterius. De aliis scriptoribus, qui in rebus* S. Ludovici *illustrandis usui nobis fuere, mentio fit in hoc nostro Commentario.* Collectio P. Aroldi *ibidem allegata, ad quem virum sit referenda, non habeo exploratum; forte scribendum fuerit* Haroldi, *ut idem fortasse sit collector ille, qui Epitomen annalium Ordinis Minorum in lucem edidit. Reliquum est, ut de Vita, quam prælo subjiciendam censuimus, paucis lectorem præmoneamus.*

qui S. Ludovici gesta

146 *Waddingus tres, ut modo vidimus, nominabat Vitæ scriptores, et* comites quidem *Sancti* individuos; *cur ergo nullo ex his utitur in Analibus suis, dum ipsius gesta et miracula eisdem intexit? Cur utitur Anonymo Seduliano? An ideo, quia illos vel non habuit, vel hunc illis meliorem esse censuit? Quidquid sit, nos etiam hunc typis committemus, quando ullum ex* F *aliis istis tribus non vidimus hactenus. Prior Anonymi editio prodiit Antverpiæ ex officina Plantiniana anno* 1602 *apud Joannem Moretum. Dedicat illam Sedulius editor* illustrissimo Domino, reverendissimo patri, Francisco Gonzaga, episcopo Mantuano, *FF. Minorum Ministro Generali, qui ingens opus edidit de Origine Seraphicæ Religionis Fransiscanæ, ejusque progressibus.*

litteris commendarunt; e quibus

147 *Unde vero Vitam eruerit; quidnam in ejusdem stylo, dispositione, capitum divisione, monitorum salutarium et sententiarum ornatu præstiterit*, secutus *tamen*, *uti testatur*, historiæ fidem, *invenies in ipsius præfatione ad lectorem, quam Anonymi ab ipso vulgati Vitæ præmittimus; ubi etiam istius auctoris, Sancto videlicet synchroni ac familiaris, fidem commendat. Tametsi autem Vitam Sedulius satis tersa latinitate donarit, erunt tamen fortasse palæophili, qui maluissent videre hanc Vitam ab illo non mutatam etiam in accidentibus, ut vocant, genuinam, inquam, ac primigeniam; quibus utpote antiqua simplicitas in majore est pretio, quam ornamenta aliunde accersita. Ceterum Vitæ prænotantur*

illa a nobis prælo datur,

AUCTORE J. P.

notantur elogia quædam in S. Ludovicum *nostrum, a Sedulio adjecta ; de quibus egimus in nostro Commentario ; post Vitam autem sequitur Joannis Papæ XXII diploma, quo Episcopus noster Sanctis adscribitur, ac deinde Commentarius, qua Vitam et miracula Sedulius illustrat ac supplet.*

quæ ab Henrico Sedulio vulgata est.

148 *Quid vero circa miracula fecerit, ibidem sic edocet :* Vetus exemplar Lovaniense manuscriptum cap. 7 historiæ Vitæ S. Ludovici multa recenset miracula, quibus permotus Pontifex eum retulit in numerum Divorum. Post historiam Vitæ ejus, plura alia sunt adscripta, quorum quædam in vita ejus, nonnulla post ejus mortem sunt facta ; et quidem omnia ista mixtim sine ullo ordine, ut forte contigerant, aut certe ut venerant ad notitiam scriptoris sive collectoris : nec enim unus auctor esse videtur. Visum mihi omnia fere ista in ordinem redigere, et ad exemplum S. Bonaventuræ, miracula S. Francisci conscribentis, quæ ejusdem erant argumenti, paragraphis propriis comprehendere. *Insigne Sedulii elogium, et scripta commemorat Waddingus in Scriptori-* B *bus Ordinis Minorum. Summas enimvero et Ordo ille et hagiophili debent ei gratias propterea quod Vitam tanti Sancti e tenebris produxerit ac notis illustrarit. Illam nos divisione nova partimur, qua etiam per superioris Commentarii decursum utimur ; ita tamen, ut editionis prioris capita adscripta sint ad marginem in nostra. Lectori etiam subsidio esse poterunt nostra Annotata. Superest ut repræsentetur regii nostri Principis*

VITA

Auctore anonymo synchrono, qui Sancto familiaris fuit,

A Fratre Henrico Sedulio Ordinis FF. Minorum edita.

C

PRÆFATIO EDITORIS

Editor vitam hanc

Superiori tempore, benigne lector, cum nonnihil operæ ponerem in edenda, illustrandaque meo Commentario historia Vitæ S. patris Francisci ; varia exemplaria conquirebantur, ad quæ illa corrigenda esset. Cum aliis e bibliotheca Fratrum nostrorum Lovaniensi allatus fuit vetus admodum liber membraneus manuscriptus, in quo præter Vitam S. Francisci, alia pleraque ; et evolvens inveni sub finem adscriptam Vitam S. Ludovici ex Ordine Minorum episcopi Tolosani.

e bibliotheca Lovaniensi FF. Minorum erutam

2 Subsultabat mihi animus præter spem invento publico thesauro hactenus absconso. Nam quamvis Joannes XXII Pont Max. suo diplomate, quo cælestes illi decrevit honores, sat multa conscripserit, quæ insignem ejus testantur sanctitatem ; tamen curiosum hoc ævum plura desiderat, quam ejus brevi et abscissa scriptione narrantur. Plura et uberiora liber ille præbebat. Subiit igitur mihi hanc ipsam historiam a tenebris et oblivionis injuria luci asserere : sed absterrebat primum tacitus auctor ; tum etiam stilus illius sane quam incultus ; denique prorsus inordinata et confusa dispositio. Quid agerem ?

quomodo ediderit, significat,

3 Licet incursurus tam sæva et infesta virtutibus tempora, judicia etiam hujus ævi fatua aut iniqua, hæc ausus sum. Capita, quæ ille septem D tantummodo posuit, ordinis gratia aptioris, et vitandi ex nimia longitudine fastidii, disparavi in viginti duo. Denique secutus historiæ fidem, aptius (meo quidem judicio) singula disposui, monitis salutaribus et sententiis ornans, paulo meliorem feci latinioremque : atque id exemplo bonorum auctorum, qui facta dictaque adstrictius, spatiosius et uberius explicare solent.

et auctorem anonymum,

4 Juvit equidem, eoque libentius subire laborem, quod ipsa historia a S. Ludovici æquali conscripta sit, et, quod plus est, familiari. Tacet nomen suum, quæ ejus modestia ; nec mihi quidquam de ejus nomine compertum : tamen aperit aliquando se familiarem S. Ludovico fuisse. Sic enim inter alia præloquitur : " Ipsius gesta non " quidem omnia, quia nec omnia ego didici aut " scire potui ; sed aliqua, quæ partim in ejus " domo et societate existens, oculata fide perspexi : " partim a quibusdam viris fide dignis auditu per- " cepi, ad Dei et Sancti gloriam exponere de- " crevi ".

synchronum et Sancto familiarem laudat.

5 Et initio historiæ scribit se nonnulla accepisse a matre S. Ludovici, quæ litteris mandavit. Alibi quoque, vidisse se illum Barcinone E publice disputantem.

6 Si historia proprie est rerum, quibus interfuit, qui scripsit ; jure tibi, mihi, atque adeo cuique benevolo gratulandum erit de scriptore, qui, quæ vidit, quæ certo cognovit, perscripsit. Ex quo etiam ambigua quædam et dubia definiri possunt. Etenim nonnulla sunt, de quibus in Commentario meo ad Vitam ejus, si modo vacabit inspicere, certior fies. Itaque superior ætas, incuriosa suorum cum historiam Vitæ sanctissimi Episcopi pæne amiserit, amicis quoque eam valde exigentibus, ipsam posteris tradam ; et in hac tenebricosa vitiorum nocte, summarum virtutum lucidissimam faculam accendam, bonis, malis, omnibus, solatio, medicamento, exemplo futuram.

datque rationem, cur Vitam hanc in lucem proferat.

7 In quo, ita nostri quoque rationem commodi dicimus ut non inanem ab hominibus memoriam, sed æternum a Deo præmium exspectemus. Quia etsi ipsi non ita viximus, ut aliis exemplo esse possimus : dedimus tamen operam, ne is lateret, qui esset imitandus. Cujus gratia F præmitto nonnulla elogia. *Hæc editoris Sedulii præfatio est.*

DIVISIO CAPITUM IN EDITIONE SEDULII.

Caput primum. De S. Ludovici regia stirpe, et puræ vitæ a tenera ætate primordiis.

II. Cum Duobus fratribus obses datur pro patre. De constantia ejus in captivitate.

III. De morbo ejus et voto, quo se instituto D. Francisci adstrinxit.

IV. In periculo mortis prodigiose a morte servatus, mundo nuntium remittit.

V. Assiduus fuit et attentissimus in precibus die noctuque, a quibus eum diabolus deterrere conatur.

VI. Sacris Missæ mysteriis nisi peccata confessus non voluit interesse, sæpe sumens corpus Dominicum. Sacerdos fere quotidie sacrificabat. De pietate ejus in lignum et signum S. Crucis, et sanctas reliquias.

VII. Otium vitat, semper fructuose occupatus. Vanorum consuetudinem fugiens delectatur solitudine.

VIII.

A viii. De consuetudine cum probatissimis viris quorum stabilitus consilio se suaque regebat.

ix. De ejus eruditione et indefesso labore in concionando.

x. Amore paupertatis Euangelicæ regnum paternum spernit. Factus clericus iterat votum capicudi instituti Franciscani.

xi. De voto solvendo cogitans fit Minorita, paupertatem Ordinis illius lætissime complectens.

xii. Ludovicus pauperibus humiliter ministrat, leprosum osculatur; eujus merita Deus miraculis comprobavit.

xiii. Ut se gesserit Ordiuibus ecclesiasticis initiandus. Sacerdotii dignitas. Ab humilibus Fratrum exercitiis noluit abstinere ipse episcopus.

xiv. De abstinentia ejus et continentia.

xv. De moderatione, quæ fuit in reprehensione, quam amabat. Detractionem et discordiam execratur. Pacem reparat, et caritatem inter dissidentes eonciliat.

xvi. Cunetis prodesse laborans, etiam Judæos et B ethnicos Christo lucrari conatur. Egenis et ægris largas eleemosynas dilargiens, pauperes visitat et captivos, quos liberavit.

xvii. Probatos tantum admittit in sortem Domini; quos non vestibus ornari cupit, sed virtutibus. De prudentia vitæ totius directrice.

xviii. Ludovicus omnibus corporis et animi dotibus eohonestatus, febriens ad mortem se parat.

xix. Sacramentis ecclesiasticis pro more Christiano munitus, iu precibus ad Deum, ad B. Mariam moritur; ætate juvenis, maturc senex, Massiliæ sepultus.

xx. Recensentur miracula et prodigiosa beueficia quæ in pios contulit vivus, mortuus, in tredecim paragraphos disparata.

xxi. Refertur in numerum Sanctorum.

xxii De translatione illius corporis sacri.

CAPUT I.

C *Regii natales, pia edueatio, captivitas; morbus post votum sanatus; perieulum mortis sine damno; mundi contemptus; preees, diaboli maehinæ.*

Caput i prioris editionis. *Ludovici parentes, nomen, pietas,*

Ludovicus patre Carolo II, rege Siciliæ, e Francorum regali stemmate; matre Maria, Hungariæ regis filia, natus est *a*: quo initio florentis ætatis aucti pareutes, aspectu sanctitatis B. Ludovici *b* regis Galliarum, filium Ludovicum nominarunt: ut referret mores, cujus nomen exprimeret. Nec fefellit eos votum. Nam puer minime indulgebat puerilitati, ut pueri solent: sed pietate et gravitate morum mature senex, ætatem probitate, spem parentum incredibili virtute superabat. Animum nequidquam voluptati relaxavit; sed conformans ad divinum cultum, Deo studebat magno opere placere. Quasi alter Salomon optavit, et datus est illi sensus: invocavit et venit in eum spiritus sapientiæ: qua præditus eoætaneos, quibuscum educabatur, deliciis, jocis, lusibus puerilibus more principalium liberorum occupatos, nonnunquam subterfugiebat, ipsis sensu major, non annis; stimulosque præsentiens divini amoris, totum jam se tunc consecrabat precibus et pietati. A. Anonymo.

2 Mirum sane, quod a serenissima ejus matre regina Maria accepi, et quibus erat illum cura educandi *c*; nempe septennem, cum adhuc delicate ac molliter veluti regis filius haberetur, inventum esse sæpius spreto lecto humi cubuisse in tapetibus. Itaque sicut Joannes Baptista pœnitentiam agens in pueritia, molles ac delicatas voluptates cœpit ineunte ætate abhorrere, mature ad eam se vitæ normam componens, quam semper teneret: quasi jam tum intelligens quod nondum legerat, Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Tenero animo totius probitatis gravitatem percepit, quam, quoad vixit, perseveranter servavit. Frequentabat assidue seholas Spiritus sancti, templa et monasteria, tempestive cogitans, quod postea devotus implevit. Mansuetudine, lenitate, patientia, elegantia morum, et maturitate erat incredibili, et supra, quam dici potest, tractabili ingenio. Hæc probitatis initia in tenello puero, tamquam in herbis, significabant quæ, quantæque fruges essent futuræ virtutis et sanctitatis. E

vitæ asperitas, probi mores.

3 At enim cum esset dilectus Dei filius, necesse fuit eum tentatione, quasi aurum in fornace probari. Annis igitur puerilibus, exemplo sancti Patriarchæ Jacob, domi simpliciter actis; dispositione Dei flagellantis omnem filium, quem recipit, cum attigisset annum ætatis quartum decimum, missus est in Cathaloniam pro liberando patre, filius Ludovicus obses, cum duobus germanis fratribus; ubi toto septennio constantiam ejus tum ipsa captivitas *d*, tum adhibiti custodes mirum in modum exercuerunt, plures ut confirmaret piis exemplis, et salutaribus monitis ad patientiæ virtutem animaret.

II. *Pro patre in Cataloniam obses missus*

4 Aliquaudo rogatus, qui posset illi iu tot adversis tanta esse æquabilitas, idem vultus, eadem frons; tum ille, Adversa, iuquit, amicis Dei plus conducunt, quam prospera. Tunc Deo subditi sumus, quando adversis urgemur. Secundæ res mentem extollunt, atque efficiunt, ut Deum non cogites, non verearis. Fortuna etenim ut ignarus medicus, cæcos eos plerumque efficit, quos complectitur; et quem nimium fovet, stultum facit. Atque ideo infelix ille, in quem nihil triste incurrit: hic aut sibi ignotus, ut qui F numquam sui periculum fecerit; aut Deo invisus, quem præterit velut iguavum ad conflictum. Adversi aliquid eveniat oportet, quod probet virum. Sed magni animi proprium est, placidum esse, et tranquillum: tristia quæque superne despicere, humanosque casus virtute inferiores putare; calamitates mortalium sub jugum mittere, proprium est magni viri. Itaque in arena illa tam salutariter exercitatus, in tantum promovit, ut, postquam esset custodia liberatus, adfirmaverit numquam se rogasse Dominum Deum, carcere liberari, præter semel: hac tamen cautione, si esset salutare. Et quod magis mireris, noluisse opibus totius mundi carcerem illum commutatum: potius iterum repetere, in cujus gymuasio tantum profecisset. Citabat huic fini illud Prophetæ: Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis quibus vidimus mala. Vix enim sapimus nisi experti.

virum se probat.

5 Licet vero in ipsa captivitate, tamquam alter Tobias, viam veritatis non desereret; decrevit tamen divina providentia, quæ ipsum ad majora servabat, amplius probare et gravioribus molestiis exereere, ut variis tunsionibus perpolitus,

III. *Morbo corripitur; sed edito voto sanatur.*

A. anonymo. litus, formaretur in vas pretiosum et electum. Quamobrem in arce Surana gravissimo morbo correptus, purulentum et tinctum fœdo cruore phlegma cœpit ejicere, ut medici læsum pulmonem suspicati sint. Ingravescebat morbus in dies magis magisque; sed maxime pridie Purificationis B. Mariæ virginis; adeo ut catarrhi gravedine propemodum suffocaretur. Tunc ad se rediens, vovet Deo pro salute, B. Mariæ virgini matri, S. Patri Francisco; vitam et institutum Fratrum Minorum, seque in eo, quoad viveret, perseveraturum. Voto revaluit, et patrocinio Sanctorum. Nec oblitus beneficii fuit; sed proxima Pentecoste, Spiritu sancto adflatus, summo mane in æde arcis, ad memoriam B. Dei Genitricis exstructa, quod secum tacite promiserat, ad altare Domini, aperte renovans, manifeste seipsum obtulit Domino gratissimam oblationem et holocaustum; consultius esse ratus Deo dari, quam sibi relinqui.

iv. *Ab equo tantum non obtritus* 6 Animi remittendi gratia, cum ei copia facta fuisset, et Roberto fratri *e*, postea Siciliæ regis, equis, armis, cursu et congressu exercitari; assensus est vel in fratris gratiam; quem B oblectabat ejusmodi lusio. Spectantibus omnibus, subito equus Ludovici magnus et fortis labitur, atque in ipsum resupinum, tertio se supinus equus rotans circumagit, magno et quasi præsenti vitæ Ludovici discrimine. Territis cunctis et consternatis, nec nisi mortem illius cogitantibus, surgit Ludovicus præter omnium expectationem illæsus, et pulverem extergens, periculo fuit liberatus. Mirabantur omnes magnum hoc miraculum, Deo facti supplices; qui novit suos, cum expedierit, in periculis conservare.

verum humanarum imbecillitatem cognoscit ac spernit. 7 Ipse vero, ut se recepit, secum altius considerabat rerum humanarum imbecillitatem, et summam Dei clementiam in nostra tutela, ruminans illud regii Prophetæ, Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur; et, Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia ejus. Toto igitur corde ad Deum conversus, militiam relinquere cogitans, spernere incepit pompam mundi; Christo Domino, qui solus habet, et dat immortalitatem, obsequi firmius proponens, C statuit ex illa hora, nullo post tempore equitare in equo, nec arma gestare: quod ipsum, quoad vixit, diligenter observavit. Nam etiam episcopus, semper memor humilis pontificis, et pauperis regis Domini nostri Jesu Christi, asello olim vecti in urbem Jerusalem, numquam in equo, sed vulgari mulo equitare voluit. Præclara res et amabilis, modestia et humilitas: in paupere grata, in potente merito gloriosa prædicatur.

v. *Orationum ejus frequentia, fervor,* 8 Hæc initia puerilis libasse pietatis sat est: sequitur ut ad ceteras virtutes ejus, sed prius ad orandi studium, quod Christiani hominis sempiternum opus esse debet, transeamus. Igitur lumine Spiritus sancti animo illustrato, didicit mentem piam cælesti sponso assiduo precandi studio conjungi. Quapropter vehementer desiderans, salutari frui complexu Jesu Christi dilecti sui, magno opere conatus est illi se totum orandi perpetuitate tum publice tum privatim consecrare. Etenim adhuc laïcus pensum divini Officii diurnum pariterque nocturnum ex more sanctæ Romanæ Ecclesiæ, studiosissime Domino quotidie persolvebat, moleste ferens et severe arguens, si quos in precando videbat properare nimium, aut D quovis modo divinum illud opus interturbare. Psalmos legebat miro fervore, animo adeo intento, tamquam ipsum Deum præsentem intueretur, ut exemplo suo torpidos et segniores ad affectum pietatis vehementer excitaret, serena facie, et vultu placido semper interiorem significans lætitiam spiritus et jucunditatem.

9 Quia vero est, quod vulgo dicitur, ubi cor, ibi oculus; tantisper dum orabat, in ecclesiis, præsertim, oculos in Crucifixi imaginem defigebat, ut flamma sibi in pectore cresceret rerum gestarum. Ad horarias preces addebat quotidie psalmos, qui Pœnitentiales appellantur, cum Litaniis; et plerosque alios gustui suo, et inflammandæ pietati opportunos: quos singulos pia illa oratione ad B. Virginem, Salve regina, mater misericordiæ, claudere solebat. Item laudes de S. Cruce Domino recitabat quotidie una cum socio, fratre ex Ordine Minorum, clauso conclavi ab aliis sejunctus; ubi cupiens sentire quod et in Christo Jesu, quamdiu cruciariæ illæ preces durabant, permanebat immotus, brachia extendens in formam crucis. Post Completorium nonnullas orationes de gaudiis B. Mariæ, quam pie colebat, fundere consuevit, et aliquot alias pre- E ces, ita jugiter Deo reddens vitulos labiorum suorum, et hostiam laudis. Dulce Jesu nomen calido venerabatur adfectu: quoties illud audiebat, jubilo quodam videbatur repleri, et caput reverenter inclinans, osculansque terram, illi admirabili nomini debitum exhibebat honorem. Sub noctem cum ad cœnam vocaretur, adeo multus esse solet in orando, ut moleste id ferrent ejus familiares: numquam tamen accumbere voluit, nisi oratione præmissa conatus esset pabuli cælestis dulcedinem prægustare: cum etiam, quod amicis Dei familiare est, metu et diffidentia sui, ab omnibus flagitabat subsidia orationum, indignum se arbitratus et ineptum, qui Deum posset exorare.

ac varietas;

quas pia lectione condiebat; dæmonem fugat signo crucis. 10 Denique fessa membra quieti concedens, cum rege Davide lavabat per singulas noctes lectum suum, lacrymis suis stratum suum rigabat, multo consultius arbitratus, fonte purgari quam igne. Ad hæc, assiduus in libris sacris, et avidissimus sermonis divini, mensam etiam, antequam esset episcopus, sacra lectione condiebat, F omni ratione ac modo hauriens aquas e fontibus Salvatoris, quas orationis tempore libans Domino, uberius terram cordis irrigabat. Ad orationem videbatur a Deo accepisse spiritum precum: ad lectionem, in lege Domini voluntatem. Itaque erat illi perpetua talis exercitatio; oratio excipiebat lectionem, lectio orationem: censens omne tempus, cujus erat custos parcissimus, sibi periisse, quod in divinis cogitationibus, sive orationibus non consumsisset. Hic mos ejus interdiu orandi; sed ne quidem internoctu volebat umquam a longis precibus vacare. Quod ægerrime ferens humani generis hostis, conatus est nonnumquam eum ab orandi studio deterrere. Nam obsidi in Cathalonia visus est cacodæmon nocte intempesta oranti, in forma horribilis felis, ut injecto timore absterreret ab oratione. At impavidus adolescens, potentia Domini fretus, munivit se vivificæ signo crucis: atque ita timor menti decessit, virtute illius tropæi statim hoste maligno profligato. Ubi vero rescivit hoc fratrem suum Raymundum animadvertisse, qui in eodem cubiculo una dormiebat, illius fidem jurejurando adstrinxit, ne hoc cuiquam ante mortem

A tem suam indicaret. Ille conservandi quidem jurisjurandi causa tenuit fidem : sed post decessum fratris, rem compluribus enarravit.

ANNOTATA.

a *Præter ea, quæ* § I *Commentarii prævii dicta sunt, inveniet plura, qui volet, de* S. Ludovici *parentibus, ejusque fratribus novem, ac sororibus quinque, apud Sammarthanos in Historia genealogica Domus Franciæ tom.* 2, *lib.* 30.

b *Propatrui videlicet ipsius, non ausim dicere patrini, ut quidam voluit. Vide Commentarium citatum.*

c *Scriptor itaque primigenius Vitæ hujus Anonymus magnæ est auctoritatis; de qua re Præfatio Sedutii huic Vitæ præmissa consuli potest. Vide etiam Vitam ipsam per ejusdem decursum.*

d *Captivitas Sancti elucidatur in Commentario nostro a num.* 8.

e *Plura de illo memorat idem Commentarius : cujus illustrissima gesta et elogia recensent seorsim Sammarthani supra citati lib.* 31 *cap.* I; *ubi mortuus Neapoli signatur die* 6 *Januarii* (*Vigne-*
B *rio ibidem nominato, die* 19) *anni* 1343.

CAPUT II.

Reverentia erga sacrificium Missæ; usus SS. Eucharistiæ; veneratio crucis ac reliquiarum; fuga otii ac vanorum colloquiorum exercitia mentis et corporis; consuetudo cum probatis viris; eruditio; conciones.

VI. *Mira in Sacrificium Missæ reverentia, communio frequens, pietas in S. crucem.*

De pietate ejus in sacrosancta mysteria Christianorum, et sanctas reliquias, etiam nonnulla promenda nunc veniunt. Ad Missarum mysteria diligentissime se præparabat, quibus numquam voluit interesse, quod singulis diebus consueverat, nisi peccata confessus, maxime vero quoties esset S. Eucharistiam sumpturus : ut ex-
C purgatus virtute salutaris pœnitentiæ, Agnum illum sine macula, puro corde et corpore manducaret. In more erat illi antequam sacerdos esset, principalibus solemnitatibus corpus sumere Dominicum tanta reverentia et affectu, ut spectantes exemplo suo vehementissime inflammaret. Factus sacerdos et episcopus *a*, tametsi pro officii ratione maximis distineretur occupationibus, fere quotidie, confessione præmissa, operari divinis non intermittebat; ne quidem cum magnum iter fecisset, cælo etiam valde pluvio. Factum aliquando, ut longo itinere confecto, sacrificare volens, non inveniret sacerdotales vestes, nisi viles et sordidas : tamen, ut erat augustissimo illi Sacramento devotissimus, et modestissimus, sacrificavit, probe sciens supremum Numen placari et delectari potius affectu puræ mentis, quam externis ornamentis. Et ut erat fidus amicus Christi, partem ligni sanctæ crucis, cum aliis multis Sanctorum reliquiis veneranter gestabat. Sed et signum crucis ad expeditionem transmarinam *b* contra nominis Christiani hostes dari consuetum, donec S. Francisco nomen dedisset *c* propalam ex more gerebat in vestibus.

VII. *Fuga otii, temporis parcitas, colloquia fructuosa :*

12 Humanum ingenium ita uni alicui rei nequit alligari, ut illi perpetuum inhæreat : sed alternis opus est, quo mentis acies, animus, et intentio reparata firmetur; maxime vero pietatis et litterarum studioso, qui sentinam omnium vitiorum ignavum otium vitare cupit. In quo præclare excelluit Ludovicus, vices orandi, legendi, alternans, faciendique aliquid operis boni. Fructuosissime occupabat singula temporis momenta, ne pectoris ager, cessante manu, malarum cogitationum sentibus premeretur. Nam subterfugiens etiam jam tum obses vanorum hominum consuetudinem, jungebat se fratribus Minoribus, claros viros et sapientes sequens; sciens malignos comites quamvis candido et simplici rubiginem suam adfricare. Illi, inquit, mecum semper volunt garrire de rebus frivolis et futilibus : inutiles mihi ejusmodi sermones; divina et salutaria audire juvat, unde mihi haurienda sapientia : non vulgi istius et levium hominum; sed piorum, quamvis eos mundus iste spernat, grata est familiaritas : quia ab illis eruditio et pietas, ut aromatibus bonus odor. Talibus et cum Deo est usus, de quo scri- E
ptum, Et cum simplicibus sermocinatio illius. Porro autem, ne suo aliorumve multiloquio sibi peccata colligaret, restringebat sermonem, et suis ripis coërcebat, ne cito lutum colligeret amnis exundans.

solitudo, occupationes, horti cultura.

13 Hinc sacerdos factus, secessu et sejunctione ab aliis secretus, secum vivens in arce quadam, quæ a Neapoli prope aberat, vitæ genus cælestis agebat in terris. Quotidie cum sacrificasset, usque ad prandium, totum se dabat lectioni : a prandio non vanos miscere sermones, quod vulgus solet; sed cum viris doctis et religiosis communicare, conferre, disputare de seriis et fructuosis : deinde cantum addiscere ecclesiasticum : postea brevem in cella aliqua capere somnum : demum a conspectu hominum prorsus secedere; in secessu studiosissime perlegere sacram Scripturam, et monumenta Patrum, maxime vero Meditationes D. Bernardi, cujus librum de Consideratione equitans quoque in sinu gerebat, cum Epistolis, et aliis aliquot ejus opusculis. Fatigatus autem multa lectione, corporis exercendi gratia, hortum colebat *d*, solum invertens, lolia extir- F
pans, et jaciens bonam sementem, externo cultu submoneus se, qui animum coleret. Semper aliquid faciebat boni, semper inveniebatur occupatus. Itaque duæ res, quæ languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Numquam minus otiosus aut solus, quam cum solus esset aut otiosus.

VIII. *Probatissimorum virorum consilio se suaque dirrigit.*

14 Ad eruditionem et pietatem assequendam plurimum facit consuetudo cum bonis et doctis viris. Itaque talis Ludovicus evasit, quod viris gravibus, eruditis, religiosisque semper uteretur : ex quibus deligebat optimos quosque et probatissimos, quorum consilio et auctoritate uteretur. Neque enim sua solertia fretus, facile quidquam secum solet decernere; sed ætatis suæ imbecillitatem et inscitiam, senum constituebat regebatque prudentia. Adhibebat consilium familiariter Jacobum ab Osa, juris civilis clarissimum professorem : qui postquam adlectus esset in numerum episcoporum, ac deinceps in primum ordinem purpuratorum Patrum S. R. E. Cardinalium, nunc *e* gerit sanctissimum et summum Pontificatum, dictus Joannes XXII. Magna quoque

ANONYMO. que illi consuetudo cum venerabilibus patribus, F. Guilielmo a Fulgaria, et F. Richardo a Media villa *f*, Ordinis Minorum S. theologiæ doctoribus et eximiis professoribus; et plerisque aliis spectata pietate et eruditione *g* clarissimis viris. Et quidem hac ratione nedum juvenes, sed in universum omnes, plurimum laudis sibi adplicant; quoties de rebus arduis ambigentes, ad peritorum consilia recurruut. Sed paucos profecto inveuias, qui se suaque sic disponunt: negligentiores consilii plures, et in rebus præcipites. Hi tales cadunt sæpius, et more eorum, qui innatant fluminibus, feruutur, fluctuant, pereunt. Contra vero, nou miuuunt auctoritatem, qui consilia sua ad probos consultores rejiciunt; sed tuentur potius et confirmant, meliorum judicia consequentes.

IX. Eruditioni insigni sub disciplina FF. Minorum

15 Hactenus de ejus labore, studio et industria, post quam, Salomone doceute, sequetur sapientia: quam via et ratione consecutus, in salutaribus concionibus maximo fructu manifestavit. Cum in animum suum demisisset salubre B monitum Hebræi Sapientis, In malevolam animam non introïbit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccato; sed, Facile videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quæruut eam; tamquam alter Daniel vir desideriorum, proposuit in corde suo non pollui de mensa regis Babylonis, neque de viuo potus ejus; cogitans abstrahere a vino carnem suam, ut animam transferret ad sapientiam; cujus ardebat vehementi desiderio. Docuit itaque illum Deus, scientiarum Dominus, bonitatem et disciplinam et scientiam brevi spatio temporis. Nam illo dumtaxat septennio suæ captivitatis, quo perpetua consuetudine fratrum Minorum utebatur, qui illum disciplinam acceperant, tautos fecit progressus *h*, nedum in litteris humanioribus, verum etiam sacris; ut in corona etiam doctissimorum virorum prudenter respondere posset (uti ipse vidi Barcinone) et argute disputare. Nec hoc solum, verum etiam tamquam vir apostolicus, ad omnes paratus conciones promptusque, Clero et populo concionabatur magna gratia et fructu. Quin etiam in Conventibus C Religiosorum, episcoporum præsentia, totius quoque Cardinalium collegii consistorio, imo et regum principumque consessu, aliquoties orationem habuit luculentam et utilem, tauto ardore et efficaciæ nervis, ut non tam ipse, quam secundum promissum Christi, cælestis Patris Spiritus in ipso loqui videretur.

adjungit ardentes ac facundas conciones, alicubi cum miraculo.

16 In concionibus igitur ipse, etsi corpore debilior, tamen assiduus erat, quod nosset servum pigrum et malum a Domino reprobari, qui talentum acceptum fodit in terram, abscondens pecuniam Domini sui: et, quod alibi scriptum, Qui abscondit frumenta, maledicetur in populo: benedictio super caput vendentium. Itaque dicendi facundia pollens, ipsius naturæ habitu, tum etiam munere divino summæ eruditioni conjuncta, jam episcopus non raro ad alias diœceses concionaturus accicbatur. Parisiis cum diceret in concione, quæ constabat ex viris doctis, et universitate studiosorum, admirationi fuit: atque eo magis, quod non ornatu episcopi, sed (ut erat summa modestia) fratrum Minorum vestitu, suggestum ascenderit. Tolosæ quoque, ubi episcopus præfuit, et plerisque aliis locis, etiam bis in die, magno auditorum fructu, sæpe concionatus est. Sed quam gratæ fuerint Deo conciones ejus *i*, sub uno capiamus exemplo. Mulier apud Montem Pessulanum *k* nomine Rosa, D uxor Petri a Villars, jurata adfirmavit, a concione beati Viri, quam supradicto loco habuit feria sexta, filiolum suum unius anni, strumis gravissime laborantem, ab ipso in hunc modum sanatum fuisse. Jam Ludovicus finita concione mulum insederat abiturus, cum mater puelli fræuum tenens Sanctum orat, ut eum tangat sacratis manibus: spes enim illi, manuum ejus contactu, parvulum sanatum iri. Signat Vir sanctus infantem signo vivificæ crucis, collum benigne contrectat: et continuo puer nulla interposita mora revaluit. Caræ Deo ejus conciones: quia in illo os, mens, manus concordabant, sermo cum vita.

ANNOTATA.

a *De Ordinibus et episcopatu consule nostrum Commentarium* § 2 *et* 3.

b *Sedulius in suo Commentario ad Vitam* S. Ludovici *hic notat sequentia*: Urbanus Papa II ad sacrum bellum pro recuperatione Hierosolymorum, in concilio Claromontensi, quos exhortatus induxerat, signo crucis signavit in humero dextro: quem ritum alii episcopi secuti, milites in expeditionem contra Saracenos proficiscentes etiam signo sanctæ crucis signare solebant. Multi historiam scribunt. Satisfecerit Jacobus a Vitriaco Historiæ Orientalis ecclesiæ cap. 16; Paulus Æmilius in Philippo I Francorum rege. Hinc istæ bullæ Cruciatæ, quæ etiam postmodum contra hæreticos solent denuntiari. E

c *Professio instituti FF. Minorum a Sancto facta elucidatur in meo Commentario prævio* § 4.

d *Sedulius ait in hunc locum*: Sapienter Seneca epist. 87, Interdum quies inquieta est, et ideo ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quoties nos male habet inertia sui inpatiens. Magni imperatores cum male parere militem vident, aliquo labore compescunt et expeditionibus detinent. Numquam vacat lascivire districtis, nihilque tam certum est, quam otii vitia negotio discuti.

e *Hinc itaque colligere licet, Anonymum Vitæ* S. Ludovici *auctorem non admovisse ultimam eidem Vitæ manum ante annum Christi* 1316; F *tunc enim electus est Joannes PP. XXII mensis Augusti die* 7, *uti videre licet apud Franciscum Pagium in Breviario gestorum Romanorum Pontificum tomo* 4 *in dicto Pontifice num.* 6. *Mirum est, a Labbeo in Chronologia historica et in Compendio chronologico signari die* 17 *ejusdem mensis, nisi vitio typothetæ id acciderit, electionem ejus.*

f *Elogia ejus ac scripta habentur apud Waddingum inter scriptores Ordinis Minorum.*

g *Consule nostrum Commentarium num.* 17.

h *His, quæ ab Anonymo Seduliano de eruditione regii nostri Principis dicuntur, adde nostrum Commentarium prævium num.* 17, 24, 33.

i *Sedulius in suo Commentario hic*, Alla, *ait*, miracula refert liber Conformitatum fruc. 11. Aliquando in Montepessulano a concione ejus, mulier tactu ejus a fluxu sanguinis est liberata. Alia impositione manuum ejus a dolore capitis curata.

k Mons Pessulanus, *vulgo Montpellier*, *urbs est Galliæ in Occitania, ut notum est. Alia loca, quæ occurrunt in hac Vita, nimirum Catalonia,*

A *talonia, Neapolis, Barcino, Tolosa etc. notissima etiam sunt apud geographos.*

CAPUT III.

Contemptus regni ex amore paupertatis evangelicæ: clericatus; iteratum votum de amplectendo instituto Fratrum Minorum; illius professio; mirus amor paupertatis; demississima obsequia pauperibus præstita ac miraculis compensata.

X. Contempto regno paterno, fit clericus,

A studiis literariis et assiduis concionibus ejus pergo ad amorem euangelicæ paupertatis, quæ adeo beati Viri mentem occupaverat, ut præ Christo, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, quem velut fasciculum myrrhæ dilectum
B inter ubera commorantem gestabat perpetuo; omnem gloriam, divitias omnes, et potentissimum regnum, quod sibi hæreditaria successione debebatur *a*, prorsus sperneret, et putaret pro nihilo. Pater suadebat uxorem ducere; promittebatque, si morem gereret, mox ei regnum cessurum. At ille nihil magis habuit in votis, quam istis temporalibus semel liberari, ut admissus in Domini sortem, soli Deo posset vacare. Itaque jam initiandus, cum pro Ecclesiæ more primam tonsuram *b* acciperet, magna omnium admiratione, et fletu circumstantium; flexis genibus, profusis lacrymis, illud regii Prophetæ, regius adolescens ex animo pronuntiabat, Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei; tu es qui restitues hæreditatem meam mihi: reipsa declarans illum vere Clericum, cujus pars et hæreditas Dominus est.

et reiterato voto castitatis, promittit ingredi in Ordinem FF. Minorum

18 Et quo se gratius Deo offerret holocaustum, rursus Deo votum nuncupavit perpetuæ castitatis, et capiendi instituti fratrum Minorum: cujus desiderio solvendi, quotidie magis magisque tenebatur; sed amici aliqui id dissuadere, et quidem animo candido. Nam et si facilior, (inquiebat fa-
C miliaris quispiam) et tutior, et minus aliis gravis aut molesta est vita otiosorum, tamen fructuosior hominum generi, et ad claritatem amplitudinemque aptior vita illorum, qui se ad rempublicam, et ad magnas res gerendas accommodaverunt. Regno neglecto, quæ incommoda non sequi? recte administrato, augeri merita: ut in ipsam tuendam omnes curæ cogitationesque conferri debeant; negligendam nulla ratione. Non adsensit Vir sanctus, doctus ab Apostolo, Non currendum in incertum: Nec facienda mala ut veniant bona. Intelligebat Vir prudens, regnum splendidam esse servitutem: principem non minus servire populo, quam principi populum debere. Ibi multa dissimulanda, et in multis sæpe connivendum: et difficillimum, res alienas curare, nec offendere. Igitur mihi, inquit Ludovicus, prius pereat, non dico regnum hoc caducum et temporarium; sed orbis totus, quam in Deum meum semel peccem, cujus honorem et amicitiam omnibus anteponendam novi; simul hanc ipsam vitam contemnendam, quæ sine frequenti noxa et peccato non transigitur. Domum et regnum paternum contemplor: parvum ut est, ita mihi quidem videtur spectanti ingentia spatia, quæ supra sunt: in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit supra se: divitiæ meæ Christus: desint cetera, se mihi det: solus mihi sufficit. Omnis copia, quæ Deus mens non est, mihi inopia est. Qua animi magnitudine, nescias, utrum majore cum laude regnum rejecerit an meruerit.

XI. vult hoc exsequi in Alemannia, ut lateat:

19 In Cathaloniæ cum esset custodia, aperuit suæ mentis arcanum religioso patri, Deo se vota fecisse perpetuæ castitatis, et capiendi institutum divi Francisci. Deo me obligavi, inquit, nec licet fidem frangere. Detrahunt quidem illi de isto sancto Ordine: sed hoc magis mihi animus accenditur, cum, quod vovi, præstandum esse sciam. Juste exigitur ad solvendum, qui ad vovendum non cogitur. Sed et sancti honestique propositi dilatio habet periculum, sæpe etiam ruinam. Itaque ut mature votum præstem, sententia est. Ceterum hic hæreo, et animi dubius sum, ne hic inter meos notus, an alibi ignotus rem adgrediar. Si in mea patria initior, non licebit illam humilitatem pro voto colere, quod timeam fratres nimio E
plus me honoraturos esse. Quare mecum statui in Alemanniam secedere, vel aliam procul quamlibet provinciam, ubi incognito licebit abluere catillos, coquinati, domos verrere, et cetera humilia facere. Scio etenim nihil esse tam gratum Deo, quam si vitæ merito magni, tamen non magni, sed humilitate infimi videamur: cum tanto quis pretiosior Deo sit, quanto quis propter eum vilior sibi.

sed viro Religioso id ipsi dissuadente.

20 Laudat pius pater Ludovici candorem: Sed, inquit, ut patrem lateas, fieri non potest. Habent Generalis Minister, et Provinciales universa fratrum suorum nomina: pater facile poterit rescire, in quemcumque te angulum abdideris, si inquirat. At vero res erit memorabilis exempli, si, quod tecum tacite statuisti, aperte et manifeste facias. Nam quod tu feceris, tu, inquam, id plures sibi imitandum putabunt. Qui in occulto bene vivit, sed alieno non studet profectui, carbo est: qui vero lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est; sibi ardet, aliis lucet. Honesta bonis viris non occulta quæruntur. Cogita, inquit, quantum exempla bona prosunt, et magnorum virorum non minus memoriam, quam præsentiam utilem esse. Dixerat bonus pater, cum Ludovicus serio F
preces ejus efflagitat, ut quod esset salutare, divino munere consequi posset. Itaque animo versans quod scriptum est, Vovete et reddite Domino Deo vestro; libertate reddita, apud montem Pessulanum adivit patrem Ministrum provinciæ instituti Franciscani, obnixe supplicans, ut in Ordinem se et sodalitium susciperet suorum fratrum: sed non est ille ausus, nec reliqui fratres, regis patris deterriti offensione. At ille cum aliud non posset, quo libentius et securius ab illis admitteretur, sponsionem voti, qua jam tunc in illa captivitate, instituto Minoritarum se obligaverat, aperte, solemniter, manifeste renovavit multis circum audientibus.

publice profitetur Romæ regulam S. Francisci. c

21 Venit cum patre Romam: ibi Bonifacius ejus nominis Papa VIII voluit eum capere episcopatum Tolosanum *c*. Ille vero secum statuit non prius assecutiri, quam voto, quo tenebatur, se liberasset. Summo autem Pontifice devotioni ejus annuente, professus est institutum B. Francisci, Romæ in conventu Aræ cæli *d*, susceptus a

A. ANONYMO. a R. Patre Joanne a Murro *e*, Generali Ministro, in Ordinem Minorum. Et, ne pater offendi posset, indulget Pontifex, ut occultata monastica veste, uteretur vulgari Clericorum, qua etiam aliquanto tempore usus fuit. Sed non ita diu post, instinctu Spiritus sancti, et amore Christi, ad cujus exemplum et voluntatem se modis omnibus conformare satagebat; illum cultum honoratiorem posuit; ipsaque die S. Agathæ sacra, duobus Cardinalibus præsentibus, indutus vili tunica, et fune præcinctus, ad præscriptum regulæ S. Francisci, a Capitolio ad usque palatium S. Petri, per luta illa Romana nudis pedibus conspectus est incessisse. Nec pudebat eum illius voluntariæ paupertatis et vilitatis sui, aut verecundabatur: quia (quod regula S. Francisci præformat) Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.

Summus est amator paupertatis vel in ipso episcopatu.

22 Paupertatem Christi exemplo adeo complexus est, ut etiam episcopus cum esset, una veste monastica, una tunica, nequidquam pretiosa, et fune ad cinctum contentus fuerit, et solis B ad pedes soleis: non raro tamen nudus pedes visus est ambulasse. Tota supellex paupertatem testabatur: lectus, cortinæ, sellæ, colores Ordini Franciscano convenientes, cetera omnia. Nihil possidere voluit elegans aut pretiosum, cum et vestem suam paullo cultiorem aliquando egentiori dedit episcopo. Detrita tunica alicujus fratris indui malebat, quam nova. Tanta ei abjectio sui, et contemtus omnium, quæ sola opinione cara, pretio suo vilia sunt. Et hæc quidem displicere amicis et familiaribus, multo aliter sentientibus, patri vero maxime: sed firmabat illum B. Gregorii sententia: Quasi per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur. Itaque evangelicæ paupertatis amore, nihil tam sublime in mundo, quod non putaret pro nihilo: nec quidquam tam humile, cui non libenter se submitteret.

quo defungi voluit.

23 Clericus omnia aurea et argentea patri reddidit, tantummodo in usum ligneis et fictilibus contentus. Factum, ut aliquando tonsor barbam illi demturus, ad crines rigandos adtulerit argenteam pelvem; sed is aspernatus factum hunc, pro illa usus est concha, qui equis annona admensurabatur. C Episcopus, tandem persuasione bonorum virorum non sui pretio, sed aliorum respectu, paucis argenteis uti permisit; quæ tamen sub mortem jussit distribui pauperibus. Aliquando adiit secreto summum Pontificem, et adductis multis rationibus obnixe rogavit, ut episcopatu sibi liceret defungi *f*: sed non potuit impetrare. Et cum nonnulli id ejus consilium imprudentiam interpretarentur, Non laboro, inquit, habeant me fatuum, modo onere isto et labore ego semel explicer. Sane in supremo hoc ordine multi quidem sunt qui salvi fiunt, sed et multi qui pereunt; adeoque longe gloriosius fuerit, episcopatus sarcinam propter pericula deponere, quam propter periculosissimam gubernationem suscepisse.

XII. *Profundissima humilitas in vilissimis erga pauperes obsequiis.*

24 Virtus humilitatis, evangelicæ paupertatis individua comes, non philosophis, sed solis Christianis cognita, mirandum in modum se in illo declaravit: cujus hactenus licet nonnulla exempla præluxerint, nunc tamen de ea summatim non contemnenda proponam. Doctus igitur humilitatem certam tutamque in cælum viam moliri, solet quotidie alere viginti quinque pauperes, quorum manibus lavandis aquam ipse fundebat, flexis genibus præscindebat panem: quoque sabbatho tribus illorum miserrimis lavabat D pedes, extergebatque. Hoc officio nihil illi fuit antiquius. Nam cum Barcinone adhuc esset captus, Cœnæ Dominicæ die, invitavit ad prandium suum viginti quinque mendicos, quibus ipse ministrabat, fundens aquam, cibum potumque adferens: qui manu capere cibum non poterant, præ valetudine, ipsemet ori eorum ingerebat: denique omnibus pedes abluit, et exemplo Christi abstersit. Sequenti die Parasceues, facta copia eundi ad vicinam ecclesiam Templariorum *g*, obvium habuit miserum hominem, horribili lepra infectum: quem publice osculatus fuisset, nisi fratris sui Roberti (qui postea fuit rex Siciliæ) timuisset offensam. Sed non potuit committere, quin sequente die in Jesu Christi dilecti sui memoriam, qui putatus est quasi leprosus, et percussus a Deo, et humiliatus; accitum leprosum, admirando fervore, pallio posito, complexus amicissime exoscularetur. Quod videns Robertus frater pene obstupuit, et adeo fuit commotus hoc ejus exemplo, ut ipse quoque, quem ante valde inhorruerat, ulnis comprehensum, osculo suo benignissime acciperet. E

prodigiis e Deo compensata.

25 Verum hæc ejus obsequia, et benignitatem in illos misellos, quantis prodigiis Dominus Deus compensaverit, uno atque altero dignum est ut exemplo commonstremus. Petrus a Romas, aliquando petiit a B. Ludovico non sibi, sed cuidam pauperi eleemosynam, molestissima scabie laboranti, sive potius lepra. Ludovicus quamdam suam vestem dedit; quam cum miser ille induisset, statim convaluit. Item F. Petrus Scarassonus instituti fratrum Minorum, tredecim diebus acutissima febre correptus, revalere ut posset, omnino medici desperaverant. Aderat id temporis B. Ludovicus in cœnobio Brinoniæ *h*, ubi æger frater decumbebat. Hic spe concepta in merita Sancti, rogavit residuum ciborum ejus ad se perferri. Allata est scutella cum aliquanto obsonii et panis, de quo ipse comederat. Febriens ille frater simul atque Viri sancti gustavit reliquias, sanatus est. Major itaque et felicior Ludovicus evasit tali ministerio, quam regali imperio.

ANNOTATA.

a *Res ista discussa ac confirmata est in Commentario prævio* § 5. F

b *Ibidem* § 2 *et* 3 *actum est de singulari privilegio, quod Sanctus accepit, circa primam tonsuram.*

c *De episcopatu ejus Tolosano consule, quæ ibidem memorantur* § 4; *ubi etiam invenies, Appamiensem ei collatum fuisse; ad Lugdunensem vero denominatum diximus* § 3.

d Ara cæli, *domicilium est Fratrum Minorum Romæ*, in Capitolii Romani vertice erectum non nisi hoc anno (*verbis utor Waddingi ad an.* 1297 *num.* 52) a Bonifacio Pontifice eisdem concessum scribunt, ex plano tamen errore, Bzovius anno MCCXCVII num. 8, et Ciacconus in Bonifacio VIII; cum in hujus tomi limine, anno MCCLI num. 37, ab Innocentio IV ante quadraginta et plures annos datum, productis concessionis instrumentis, largius probatum sit, et per annos sequentes sæpius occurrat memoria Fratrum Minorum in æde Aracæli commorantium.

e *Sedulius in suo Commentario ad Vitam a se editam, in hunc locum ista loquitur*: Hunc Joannes PP. XXII *in* bulla canonizationis § 7 vocat

A eat episcopum Portuensem. Is erat Generalis Ordinis Minorum; postea Cardinalis, et Ordinis protector, ut tradit liber Conform. fruc. 8; quo loco etiam scribit S. Ludovicum anno ætatis decimo nono, aut vigesimo Ordinem ingressum esse; et quidem (auctore Petro de Natalibus) in vigilia Dominicæ Nativitatis, cum » de licentia » Summi Pontificis statim professus, eadem die » per Summum Pontificem pronuntiatus est epis» copus Tolosanus. » Ceterum si dicatur professus anno ætatis vigesimo primo, videbitur constare computatio ætatis S. Ludovici positæ ab auctore cap. 19. *Sed nos professionem illam Religiosam extendimus ad annum ejus vigesimum tertium. Vide nostrum Commentarium prævium num.* 34 *et* 58.

f *Rodulphius Historiarum Seraphicæ Religionis lib.* 1 *fol.* 121 *verso hac de re audiatur* : Testatur F. Guilielmus de S. Marcello, quod multoties tentavit episcopatum cedere, cum animo decrevisset in sua, Religionisque simplicitate vitam ducere : sed veniens Romam, ut Summo Pontifici ecclesiam resignaret, Brinoniæ apud regem in die S. Dominici solenniter Missæ sacrificium obtu-
B lit, ibique in morbum incidit, ut inferius suo loco dicemus.

g *Templariorum ortum et interitum invenies apud Hippolytum Helyot tomo* 6 *Historiæ Ordinum monasticorum etc. cap.* 3.

h *De hac urbecula agit Commentarius prævius num.* 54.

CAPUT IV.

Ordines; sacerdotium; episcopalis dignitas cum abjectis Fratrum muniis conjuncta; severitas vitæ; virginitas; amor reprehensionis et pacis, odium detractionis dissidentium reconciliatio.

C

XIII. *Sacrorum Ordinum officiis functus, summa cum pietate consecratur sacerdos;* a

Tenerioris ætatis virtutibus incrementa majora procedentis adjiciam. Vigesimum ætatis annum cum exegisset, initiatus est Ordinibus ecclesiasticis. Nec vero majorum, qui sacri vocantur, dumtaxat, sed minorum etiam singulorum officiis voluit perfungi. Romæ in Natali Domini, se inter pueros constituens, non est dignatus cæreum *a* gestare, aculuti officium diligentissime administrans. Consecrandus diaconus et sacerdos Neapoli in æde S. Laurentii, ubi fratrum Minorum est monasterium, nullo modo permisit sibi quidquam honoris præ ceteris haberi, ita se gerens quasi omnium minimus et postremus. Summus Pontifex consecraturum illum sacerdotem pollicebatur, modo accederet : noluit venire, et honorem hunc humilitate declinavit. Sed quis eximiam illius pietatem explicet? Durante Sacrificio, quo ipse in sacerdotem consecrabatur, e liquido canali pectoris sui copiosas lacrymas profundebat, contemplans Ordinis illius ac status sublimem dignitatem. Agitur in terra; sed officium cælestibus negotiis tractatur. Non enim homo, non angelus, non alia creatura; sed Deus officium hoc instituit : ipse facit, mutat, sanctificat, hominibus dumtaxat ministerium suum exhibentibus, ut omni jure sobriam a turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vindicet sacerdotalis.

27 Quamobrem socio fratri lubens ministrabat in sacris mysteriis Missæ, idque cum omni alacritate, nimirum et se contemplans, et contra se ponens illum, in cujus honorem locus altari vicinis angelorum choris plenus est. Parisiis aliquando cum esset apud fratres, voluit ex præscripto officium sibi quodlibet demandari etiam tum episcopo, quemadmodum ceteris fratribus officia singula injungi solent. Frequenter etiam ex itinere divertit ad fratres, cum quibus abluebat utensilia culinæ. Factum aliquando, ut Parisiis die Cœnæ Dominicæ, cum vestivisset centum pauperes, fratribus pedes abluerit, et pro more instituti acceperit corporis castigationem, atque ipso die Paschæ (quod fieri solet) cum S. Theologiæ magistris orbes, scutras, conchas et cetera, e quibus fratres cibum sumserant, una laverit. Omnia sua facta decorabat humilitate *b*. Nimirum in toto pontificis ornatu, nulla gemma splendidior est : citra quam omnis virtutum E congregatio, si qua est, velut absque calce arena est.

demissa Fratrum munia obit etiam episcopus,

28 Sed jam tu mihi hic adverte, Christianæ humilitatis amore regia Proles quo se abjecit? Ad pauperum obsequia, ad vulnera leprosorum, ad quæque abjectissima; ut vere de eo dicas, Posuit in pulvere os suum. Quis non obstupeat ad hanc, quid dicam? humilitatem, an vilitatem, et sui contemtum? Rege in hoc mundo quid sublimius? Quid inter homines majus? paupere mendico, morbido, quid abjectius? sed despexit ille prosapia sua generosior labentis regni fastigium, Christi servitutem regalibus sceptris præferens, humilitatemque Christianam regum opibus et superbiæ præponens. Salubre illud monitum in animum admiserat, et factis adæquabat, Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. Quamvis ipsa humilitate nihil sit excelsius, nescit extolli, quasi semper superior, nemo id facile affectat, quod infra se positum despicit, nihil supra cum est, qui supra omnem fortunam est. F

omnia opera ornans humilitate, quæ laudatur.

29 Patrimonia quidem et regni splendorem, fortunæ ludibria, et maximarum ærumnarum materiam sic contemsit. Neque tamen hic sistere voluit gradum, sed semper ad majora conari. Quemadmodum cæmentarii lapides struunt super lapides, ut muros et domos exædificent; ita ille virtutes virtutibus aggerebat ad consummandum cumulum absolutæ sanctitatis. Auxit enim continentiam, gulam temperavit, coërcuit luxuriam : corpus suum jam inde a teneris annis, jejuniis, vigiliis, laboribus detritum, majoribus quotidie molestiis et castigationibus macerabat. Pridie sollemnitatum Domini, beatæque Virginis Matris, in cibum, aquam tantum sumebat et panem, vix necessitati naturæ satisfaciens, ut thesaurum virginitatis in fictili vase integerrime conservaret. Antequam esset receptus ad Ordinem, aspera utebatur interula, cingebat lumbos duro fune et nodis exasperato : semper vestitus cubabat : noctu semper, nec raro interdiu, ferreis catenis fragilem et rebellem carnem sua manu, aut socii fratris castigans, motus illius et cupidinem summo rigore cohibuit.

XIV. *De severissima corporis castigatione*

30 Nulla ei umquam cum fœminis consuetudo suspecta aut familiaritas, quod sciret paradisi colonum

ac illibata ejus pudicitia

A ANONYMO. colonum e possessione sua mulierem ejecisse. Colloquia fœminarum prorsus abhorrebat, præcipue secreta: aversabatur adspectus, quibus et fortissimi effœminari possunt: absque probo teste et arbitro solus non loquebatur ulli mulieri, nisi forsan matri aut sororibus. In testimonium illibatæ pudicitiæ, una in illius cubiculo cum eo dormiebant duo fratres Minores, interdum plures. Cavebat omnes suspiciones, quidquid probabiliter fingi poterat, ante, ne fingeretur, devitans. Ex multis mirabilibus exemplis prætereundum non est unicum illud factum sapientia imbuti animi abstinens. Cum ageret in Cathaloniæ carcere suggesserunt illi custodes consilium prorsus improbum et noxium. Domine, inquiunt, homo es, neque enim caro tua ænea est, sed compactus natusque ut ceteri; utere ætate; solare miseriam hanc consuetudine pulcherrimarum mulierum: curas istas et languorem cur non levas aliqua voluptate?

varia offeruntur specimina. 31 At ille gravissime ferens, pro monstro eam vocem accepit. Et nonne satis est, inquit, corpus meum a vobis captum haberi; an et animum B quoque vinctum vultis? Malum est carcer hic, fateor; sed estne malum ullum turpitudine majus? Et hæc si in deformitate corporis habeat aliquid offensionis: quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet existimari? Absit, absit, ut hoc meum corpus Deo dicatum, velociter abeunte adulterem voluptate. Captum est corpus? vel animus liber sit: avertat Deus, ut corpus et animam projiciat in gehennam. Et, summoto improbo homine, aversissimum animum ab omni venere declaravit. Sed quid de factis commemoro? quando et turpem sermonem a se suisque proscriptum voluit? In illa sua custodia legem sancivit, ut, quicumque inhonestum quid, turpe, petulans, scurrille effutisset leviter, cibum capere deberet nuda mensa: qua agens, nedum in familiares, et suos custodes, verum etiam in germanos fratres, qua neminem solvendum decrevit, adeo ut ipsemet alioquin innocens, tamen quia offendisse alii interpretabantur, statutam a se pœnam persolverit. Exemplum addebat imperio. Quod principes faciunt, præcipere videntur. Volebat suos esse castos; ipse erat. Legem tulit, legi paruit. Recte facere princeps suos faciendo docet. C

XV. *Volebat corripi, ut corrigi posset* 32 Erat profecto severus castigator improbitatis, primum suæ, tum etiam alienæ. Vitia ut a se penitus exstirparet, contemni desiderabat, non laudari: nec extolli, sed reprehendi, quod rarum in magnatibus. Hinc, probe cum nosset illud Sapientis, Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus; et, Argue sapientem et diliget te; reprehensiones sive justas, sive injustas, æquo ferebat animo, imo etiam amabat, volens et peccanti sibi vitia ostendi; corripi, ut posset corrigi. Socio fratri amicissimo jussit peccata sua serio observare, et admonere liberrime: nec quidquam commovebatur, etiamsi ille levissima quæque argueret. Idem ille frater aliquando liberius submonuit B. Ludovicum multis coram astantibus: qui factum indigne ferentes, ejus rei gratia objurgatorem illum graviter objurgarunt, quos Ludovicus benigne mitigans, Hoc in rem meam est, inquit, et sic statui.

libera admonitione; qua etiam ipse erga alios usus est. 33 Nam et amici monendi sunt et objurgandi; et hæc accipienda amice, cum fiunt, quandoquidem vera amicitia, quod sentit, dissimulare non debet. At cujus aures sunt clausæ veritati, ut ab amico vera audire nequeat, hujus salus est desperata. An nescitis multo melius de quibusdam D acerbos inimicos mereri, quam amicos, qui dulces videntur? Illi verum sæpe dicunt, hi numquam. Adulatoris est jucunda dumtaxat adferre, amici vero etiam tristia, ut te videas, et emendes. Profecto æquo animo audiendæ reprehensiones, imo convitia imperitorum, et ad honesta vadenti contemnendus est iste contemtus. Oportet delicto dolere, objurgatione gaudere; minime vero objurgari moleste ferre, et peccasse non angi. Porro autem ipse ab omni vitio liber, etiam alios, qua poterat, conatus est liberare. Itaque qui suam improbitatem jam superaverat, jure alienam castigare poterat. Nullo modo ferebat quemquam detrahere de alterius existimatione, hominum aures cupiens optimo sermone compleri, diffamatione non pollui.

34 Linguam illam sanguinariam, quæ fraternæ detractionis venena diffundit, prorsus execrabatur. Scribit Salomon, Si mordeat serpens in silentio; nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Nihil tam noxium atque ad omnem tollendam amicitiam efficax, quam audire obtrectatores, et temerario sensu mentis sequi. Hinc E crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur: diabolica lingua de amicissimis facit inimicissimos, concordesque dissocians gravissimis facit odiis dissidere. Ille vero offensarum acerbitatem deponens, consociationem et omnis boni fontem caritatem et concordiam colens in primis, cunctis suadebat. Quando igitur dissensio ab aliis, ab ipso incipiebat reconciliatio, benignissime dissentientium injuriis ignoscente. Et si quos se offendisse vereretur, non distulit benevolentia et humilitate, imo et osculo pacare. Dilectioni studebat et caritati, ex animo dimittens peccantibus, sæpe etiam veniam petens ab eis, qui læserant. Qualem erga se Deum optabat, talem se exhibuit his, qui in se deliquerant: nam frustra quærit sibi Deum propitium fieri, qui cito proximo negligit reconciliari. *Detractores execratur, ac dissidentes conciliat.*

ANNOTATA.

a *Scribere malim* cereus *sine diphthongo cum Manutio in Epitome orthographiæ in voce* cera, *et cum aliis.* Cera *enim a* κηρὸς, *uti notat Vossius in Etymologico linguæ Latinæ.* F

b *De* S. Ludovici *virtutibus*, *ut semel hoc dicam, adisis Commentarium prævium.*

CAPUT V.

Zelus animarum; misericordia erga pauperes et captivos; cura episcopalis, prudentia; corporis et animi dotes, mors et sepultura.

Liberalitati ejus nunc vacandum est; cujus probabiles fontes, verum judicium et honesta benevolentia, quibus cum decoratum fuisse in parte dictum est, et nunc paulo uberius dicetur. Christi amore omnes miseros diligebat ad salutem. Ut mater omnibus filiis consultum cupit, sic ille desolatis omnibus, qua poterat et egenis. Neque enim se intuebatur solum, aut omnia

XVI. *Omnium ac præsertim pauperum saluti consulit,*

A omnia convertebat ad utilitates suas; sed aliis quoque volebat vivere, cum viveret sibi. Prima illi cura cunctos ad Deum adducere, a quo omnia, ad quem omnes. Et ideo se præbebat exemplum morum, simulacrum virtutum. Variæ ac molestæ peregrinationes ejus; frequentes ac diuturnæ preces; fervidæ conciones, quibus multos lucrifaciebat Judæos et ethnicos, quibuscum sæpissime congrediebatur, errores eorum fortissimis argumentis et rationibus convincens. Hos de fonte levabat; illos ipse baptizabat alacri animo, et ad ducendam vitam necessaria sufficiebat liberaliter. Indidit ei quoque natura, sive potius Deus auctor naturæ, singularem adfectum in pauperes et ægrotos, quibus etiam proprias vestes nonnumquam largiebatur. Omnes cupiebat juvare, quia membra illius magni corporis omnes. Magnates illi suas vestes detritas cum donare soleant aliis, ipse puer etiamnum solis pauperibus dare cousuevit.

vestem ex uit ut nudum vestiat, parcitate contentus pro se.

36 Aliquando cum patre iter habens ex Francia jam episcopus obvium habuit miserum eleemosynam petentem. Ille memor verborum Domini, Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; monasticam novam vestem paullo cul-B tiorem exuens, illi dedit. Re intellecta, pater jussit quæri pauperem, per omnes vias et loca vicina, ut redempta pretio, non ille veniret in suspicionem furti; sed nusquam invento, creditum est Christum, qui propter nos pauper et nudus de cruce pependit, iu nudi forma pauperis comparuisse. Episcopus jussit inqu iri in annuos proventus; de quibus tantum usurpavit, quantum sat esset moderate alendæ familiæ; reliqua universa in ecclesiæ et ministrorum usum, et pauperum, miserorumque necessitatem distribuens. Malebat ipse egere quam pauperes, cui persuasum erat, valde fœcundum esse agrum pauperum, citiusque reddere, et quidem cum fœnore magno, donantibus fructum. Non mimos aut ludiones, non canes venaticos, non aluit rapaces aves, ordinis illius primi dedecora, non honestamenta; sed quidquid supererat, in pauperibus Christo, a quo acceperat omnia, a quo omnia exspectabat, largiebatur hilariter. Dabat alacri animo, quod non poterat retinere, ut acciperet, quod non posset amittere.

Hospitia pauperum visitat, uti et captivos, quos liberat.

C 37 Familiare illi fuit pantochæa *a* frequentare, et hospitia pauperum obire; iufirmorum exhomologesin et confessionem excipere; quos dulci sermone et beneficiis eleemosynarum coufirmabat et solabatur. Præcipua illi cura peccatorum convertendorem, quibus oratione studebat Deum facere propitium, et prospectum de idoneis sacerdotibus, ipse paratus, qua potuit, omnium audire confessiones, Christi exemplo, qui tollit peccata mundi, qui vult omnes homines fieri salvos. Contigit eum eadem æstate, qua ex hac vita migravit ad cælum, cum proficisceretur in Cathaloniam, longo diei illius confecto itiuere, in Pyrenæis moutibus, vesperi invisere infirmam pauperculam, quam serio hortabatur peccata confiteri socio fratri, aut sibi, Nam et ego, inquiens, frater Minor sum; sed illa noluit. Itaque demulcens eam dulcibus verbis, interrogavit, ne luberet aliquid comedere. Petenti cibi allati sunt, quos Ludovicus propius accedens, et lecto ejus residens, ori ejus ingessit, atque ita ex ejus attactu multis fuit pediculis opertus. Constanter id tulit Vir sanctus, et sine motu *b*. Nam blanda est et officiosa semper humilitas. Et cum nihil sit tam regium ac liberale, quam opem ferre miseris, juvit cum sæpe invisere captivos, nonnumquam eximere, et morti addictos servare a morte. Centum et quinquaginta patris hostes damnatos capitis, sua deprecatione liberavit, sibi gratiam concilians, patri gloriam. Hæc regi, non ex sæva animadversione sed clementia. Neque enim minus turpia sunt principi multa supplicia, quam medico multa funera. Igitur quo nihil magis secundum naturam, juvabat consortes naturæ. Homines enim hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint.

XVII Cura justitiæ, ac ministrorum ad altare initiandorum:

38 Tempus est tandem, præcipua justitiæ facta paucis perscribere, in qua semper versatus fuit religiosa cum observatione: quia rationi cupiditatem cum ceteris affectionibus cedere jubens, nihil utile existimavit, quod æquum videri non posset. Ex uno atque altero illius de ecclesiastici status cura exemplo, quid de aliis censendum sit, facile recognosces. Itaque Ludovicus a Christo inductus in cellam vinariam, ordinatam in se habuit charitatem, qua instructus noverat digna deligere, reprobanda submovere, recte judicare, et, quæ omnia conservat, colere justitiam, quæ tribuit cuique suum. Summo amore complectebatur viros pios, doctos præ- E sertim; quos etsi mundus contemneret, tamen efferebat. Contra vero potentes, divites, sed improbos, indignos putabat Dominica sorte. Amore et reverentia illius augustissimi Sacramenti, quo nihil pretiosius est in cælo aut in terra, magnum habebat delectum ministrorum altaris, in deligendis idoneis sacerdotibus judicium adhibens et diligentiam summam. Nam initiandorum genus, personam, ætatem, institutionem, vitam, doctrinam, fidem accurate investigabat, examinabatque, canonum præscripta severe exsequens. Probis moribus cum houestæ vitæ testimonio couspicuos, dignos censebat Dominico mysterio.

considerabat in eis merita, non personas.

39 Ecclesiastica sacerdotia antequam cuiquam couferret, merita singulorum librabat, personas non respiciens: mores sequebatur, non fortunam: et ut recte beneficia collocaret, non spargeret, dabat judicio et habito delectu, ut perveniret ad dignos. Decet enim actuum, operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, ne derogetur muneri; ut qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem F prædicet et Dominum veneretur, qui tales habeat servos. Laus Domini, ubi munda possessio, et innocens familiæ disciplina. Igitur primum studebat Clericos mundari, deinde mundare; lucem fieri, post alios illuminare; sanctificari, tum sanctificare; adpropinquare Deo, et ita demum alios adducere. Magnam agebat curam ministrorum Christi, arbitratus longe melius esse, Domini sacerdotium paucos habere idoneos, quam multos inutiles, qui addant onus, non honorem.

Prohibet in Clericis superfluum corporis cultum; elucet in eo prudentia.

40 Porro autem nimium corporis cultum, nitidas et pretiosas vestes Clero suo prohibuit: etenim cui cultus uimia cura, magna est virtutis incuria; cum plerumque sordidæ vestes candidæ mentis indicia sunt, et contemtum seculi probant. Ordini tamen cujusque veste convenienti volebat ornatos; at vero multo pulchrius animum præferre compositum, quam corpus ornatum. Proprius ornatus ministri Christi, mores boni. Erat iu eo solers et circumspecta prudentia, sine qua nulla virtus; et hæc aucta Dei beneficio, ars illi fuit et norma vivendi. Ita enim moribus erat compositis et aptis in omni vitæ statu, nu-

squam

A. MCCXCVII. squam ut a recto exorbitaret et decoro. Necdum initiatus, probissime, factus Clericus, religiosissime, creatus episcopus, sanctissime vixit. Omnem vitam optime instituit, quasi singulis officiis assuetus, et in omni functione detritus: quia ad omnia adhibebat ductorem bonum, Dei timorem, et rectæ rationis sanum judicium.

XVIII. *Singularibus corporis et animæ dotibus ornatus fuit:*

41 Postquam Deus Optimus Maximus ad sui honorem, et Christianorum bonum, lucernam illam positam super candelabrum omnibus lucere, qui in Ecclesiæ domo, per varias regiones circumduxisset, quasi quamdam Israëliticam arcam, ad fidelium confirmationem; visum tandem est illi, Ludovicum admodum adolescentem traducere ad optimam vitam, in quo emicuit semper singularis gratia Dei. Omnes ipsum videre desiderabant, vultu angelico decoratum, factis mirificum, conspicuum honestate. Mira inerat amœnitas faciei et pulchritudo: in fronte, in oculis, in toto corpore habitare videbatur humanitas; mel in lingua, in pectore candor et simplicitas. Formæ gratia *c* et honestatis omnium oculos in se convertebat, angelum arbitrantium B potius quam hominem. Pulcherrimo erat corpore, et aptissima compositione membrorum; sed longe pulchrior moribus et sanctitate. Augebantur ejus exemplis omnes, tam pura vita, tanta modestia et humilitate, maxima pietate in re divina, fervido dulcique sermone apud omnes gratioso, igneis concionibus. Simulacrum jure dixerim omnis virtutis, Adolescentem talem, genere tam sublimem, filium regis, cujus ætatem non opes, robur, pompa seculi; sed pietas, patientia, contemtus seculi, calidæ preces, diligens, industria, abstinentia, et continentia, disertæ et salubres conciones, euangelica paupertas, humilitas Christiana, gravitas, caritas in proximos, justitia, et omnes coronæ omnium virtutum ornabant, ut se per omnes numeros hominibus in illo ostenderent.

febri corripitur, et mortis præscius, ad eam se parat.

42 Itaque luce sua orbem eum illustrasset, imminente transitu ejus ad Patrem cælestem; post multas peregriationes in aliorum bonum; revertens ad Tolosanos suos e Cathalonia, ubi sororem reginam inviserat, Tarascum *d* venit, ubi corpus S. Marthæ, hospitalitate in Christum illustris, quiescit *e*. Illic Vir sanctus jam nunc cælesti accipiendus hospitio, in laudem hospitæ C Christi insignem habuit concionem. Inde arcem petens, quæ Brincola dicta, febre corripitur, qua consumtus est. Et divinitus certior vitæ finis, studiose parat se ad mortem. Totus itaque erat in prece, assiduus in contemplatione rerum divinarum. Admonitiones sacras et pias libentissime audiebat, et quotidie juxtim se faciebat sacrificari. Quod aliquando futuri sumus, præmeditabatur, nec, velimus nolimus, abesse longius potest. Ita venientem mortem hilaris excepit, quod se recte ad illam composuit. Ego, inquit fratri socio, morior, et gaudeo quasi terram videns, venturusque in portum ex longa navigatione hujus vasti et undosi maris, quod mihi diu in votis fuit, et optatum mihi expposituro hoc grave onus, quod humeri mei ferre recusant. Occupationes illæ me nimium distinent, et deripiunt, ut mecum esse nequeam, nec pro meo arbitrio Deo, et mihi vacare. Vero verius est, episcopalem dignitatem, non tam grandis esse nomen honoris quam oneris. In portum cum appulero, onus exponam.

XIX.

43 Pro Christiano et Catholico ritu, Sacramenta ecclesiastica sibi jussit administrari ipso die festo Assumtionis B. Mariæ Virginis. Etsi D vero languore gravissimo adeo extenuatus esset, ut præter cutem et vix ossa hærentia nil haberet; tamen Dominico Christi corpori, quod prisco Christiano more adportabatur, honorem debitum voluit exhibere, cum mox e lecto surgens ivit obviam Christo: tum genua flectens ad altare, sumsit devotione maxima Christianæ salutis certum fidumque viaticum. Quintadecima valetudinis die, eum ex hac vita abiit, post longas orationes in lecto paullulum residens oculos figebat in cælum; et precabatur assidue in hæc verba: Adoramus te Christe et benedicimus tibi: quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Item illud Psalmi, Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine. Salutationem quoque ad beatissimam Virginem Matrem continenter frequentabat. Rogatus, cur toties repeteret; Cito moriar, inquit, et B. Maria juvabit me: atque ita obdormivit in Domino, integra mente, certis sensibus, anno salutis nostræ millesimo, duccentesimo, nonagesimo septimo *f*, quarto decimo Kalendas Septembris, feria secunda in octavis Assumtionis B. Mariæ, cujus fuit semper cultor E studiosissimus.

Sumpto sacro viatico piissime exspirat hac die, an. 1297.

Sepelitur Massiliæ: conspicitur gloriosus.

44 Facies illius solito videbatur pulchrior; nec mortuus, sed dormire. Sepultus est Massiliæ apud fratres Minores, prout testamento *g* suo ipse instituerat, in medio chori, magnifice peractis exsequiis. Conspectus est autem paullo post a fide dignissimis viris, qui se eum vidisse testati sunt in ecclesiæ choro, supra summum altare, forma, qua notus erat, pontificio ornatu, eoque splendidissimo; facie admodum læta et serena, felicitatem beatitudinis æternæ significante *h*: quæ omnium piorum desideratissima est alba meta. Admodum juvenis obiit B. Ludovicus ætate; sed probitate morum mature senex, numerum annorum, operum multitudine superavit, canus non crinibus, sed sensibus: senex meritis non annis. Ætas senectutis (scribit Hæbræus Sapiens) vita immaculata

Obiit anno ætatis vigesimo quarto.

45 Totius vitæ decursus fuit viginti trium annorum et sex mensium *i*. Quartum decimum annum jam agere cœperat, cum obses mitteretur in Hispaniam pro patre; ibi hæsit annis circiter septem *k*; a liberatione vixit plus minus duobus annis, mensibus decem *l*. Cousummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat F Deo amima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Et vero quam diu vixeris non refert, si recte: eum breve tempus ætatis, sat est longum ad bene honesteque vivendum. Ante mortem ille curavit sancte vivere, ut bene moreretur; in vere juvenili fecit sementem, jam messem immortalitatis. Igitur quamquam initio florentis ætatis ereptus; quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit, ejus memoriam excipient omnes anni consequentes.

ANNOTATA.

a Pantochæa, *imo* pandochia, *id est, diversoria, vel tabernas, quæ hospites quosvis recipiant. Etymon petitur a* πᾶν, omne, *et* δέχομαι, recipio. *Hinc* πανδοχεῖον *numeri singularis.*

b *An factum hoc accidit semel an bis? Consule Commentarium prævium num.* 72 *et* 73.

c *De Sancti forma agit idem Commentarius num.* 68; *ubi effigiem ejus etiam dedimus.*

d Tarasco ... nunc Tarascon, oppidum Galliæ

A liæ in Provincia... ad Rhodanum fluvium...; amplum est et cultum cum castro satis munito, 4 leucis ab Avenione in meridiem; *ex Baudrando.*

e *In Commentario num.* 53 *lectorem misimus ad tomum* VII *Julii pag.* 6.

f *Annum hunc ibidem a num.* 55 *demonstravimus esse retinendum contra Waddingum; ubi etiam aliorum parachronismos videre licet.*

g *Dedimus illud in Commentario* § 7. *Ecclesiam vero illam Fratrum Minorum Massiliæ, ubi voluit Sanctus sepeliri, tunc eodem non fuisse apud Massilienses loco, quo postea fuit, colligitur ex Gonzaga de Origine Seraphicæ Religionis etc. parte* 3 *Conventu* 2 *pag.* 812: Fuit, *inquit*, conventus S. Francisci extra muros prope portam regiam miræ structuræ, in quo fuit sepultus beatus Ludovicus episcopus Tolosanus, Ordinis beati Patris Francisci. Verum post bellum Borbonicum, ne præfatus Conventus hostibus esset a cætero refugio (arx enim potius quam Conventus videbatur) cives illum demoliti sunt funditus, rege id jubente, et sub anno Domini MDXXXIII, Clemente
B VII Papa, et regnante Franoisco I rege Christianissimo, decretum fuit ab eodem rege, assentiente Pontifice præfato, ambobus tameu Massiliæ existentibus, ne a cætero in toto agro Massiliensi alius esset Conveutus S. Francisci Patrum Conventualium: immo omnia indulta, immunitates ac privilegia concessa destructo Conventui, ad Conventum de Observantia exstructum intra civitatem, expensis piissimi viri domini de Romesano, tempore beati Bernardini, cui nomen beati Francisci impositum est, antiquiori interim nomine S. Bernardini abolito, transfereuda curarunt. Huic Conventui summus Pontifex, assentiente rege, quædam mobilia concessit, in eujus sacrario brachium S. Ludovici, indumenta pontificalium ejusdem Sancti, et testamentum honorifice servantur.

h *His adde e dicto Commentario num.* 65 *visa alia ante sepulturam.*

i *Errores aliorum in signando ætatis anno habes ibidem num.* 56 *et* 58. *Nec vero sugillandam esse ejus ætatem, dictum est num.* 35.

k *Cap.* I *num.* 3 *hujus Vitæ indicatur* toto septenuio *captivitatem illam durasse. Consule Commentarium prævium num.* 20.

C l *Ab anni videlicet Christi* 1295 *die, uti notat Waddingus, ultimo Octobris, usque ad* 19 *Augusti anni* 1297. *Videsis quæ ibidem sunt præmissa num.* 21 *et* 54, *ac sequentibus.*

CAPUT VI.

Mortui resuscitati, claudi et impediti restituti, podagrici et chiragrici sanati.

Puer septennis, a

Quem locum B. Ludovicus obtinuerit apud Deum, non obscure declaraut frequentia prodigia et miracula *a*, quibus eum mox a morte tum ad sepulchrum ejus, tum alibi gloriose voluit illustrare: et operæ pretium est, de bene multis nonnulla promere, et deducere per partes.

Perottus puer septennis continuata febre ad nonum usque diem, mortuus est. Pater ad flebile funus cari filii ejulans, quem prece a S. Ludovico, cui fuerat studiosissimus, impetraverat, rursus ab eo cum voto repetere incepit his verbis: S. Ludovice, carum meum pignus, filius meus mortuus est; tu mihi cum donasti cum rogarem: sed nunc quorsum? Redde mihi, redde eum. Cum ille miserabiliter hujusmodi verba profunderet, puer revixit. *A. anonymo*

47 Domina Sanctia a Tribula enixa est femellam mortuam: illa dolens potissimum animæ damnationem, votum suscepit in Sanctum, orans ut vel tautisper vitæ reddatur, dum posset baptizari. Reviviscit puella, et baptizata duodecim diebus nihil accepit alimenti. Rursus orante matre, ut si ei vivendum esset, aliquantulum acciperet lactis; comprehendit statim mamillas, et ad mensem supervixit. *puella una, ac aliæ plures*

Alazatia Lombarda dum gestaret filiolam in ulnis, casu gravissimo puella collisa moritur. Mater freta auxilio S. Ludovici, precata est pro vita cari pignoris. Sanctus Ludovicus sibi devotam exaudiens, mortuam filiolam resuscitavit: non solum, sed et ipsam matrem a surditate, quam morbo contraxerat, liberavit. Denique abunde subministravit ei lac, quo caruerat duobus puerperiis.

Margareta uxor Cicardi Massiliensis reperit filiolam suam Bertrandetam infantulam mensis E unius, mortuam in lecto: cujus os et nasus repletus cum esset sanguine, opinabantur oppressione vel ictu, quod plerumque fit, extinctam. Mater, vocatis amicis, flebiliter lamentabatur, invocans pro filiæ vita potentiam S. Ludovici, cunctis similiter supplicantibus. Puella caput cœpit movere, aperire oculos, consecuta vitam et sanitatem.

48 Rixendis uxor Domini Comparati e civitate Carpentina *b*, testata est, suam filiam Raimundam conculcatam, fracto collo defunctam, judicio multorum. Mater facto voto, quod nudis pedibus sepulchrum inviseret S. Ludovici, si filia reviveret; filia mortua flere cœpit ac loqui, ab omni collisione sanata. *a morte ad vitam revocantur; quod etiam accidit b*

Bellioda Aquensis *c* uxor Hugonis Lamberti juravit filium suum octo annorum, quem juxtim se in lecto posuerat, post primum somnum e lecto sublatum humi jacuisse mortuum. Parentes, facta promissione S. Ludovico, ex voto filium vivum receperunt: puer autem retulit parentibus visum sibi virum, sancto Ludovico similem, asperis vestibus indutum, dixisse: Si hic puer etiam talibus vestiretur, posset venire ad sanctitatem, qua fuit sanctus Ludovicus. F *c*

Massilieta Massiliensis peperit filium mortuum: mater magna devotioue implorat virtutem S. Ludovici pro filii vita. Portatur, ipsa volente, ad ecclesiam, ut baptizaretur. Et licet sacerdote ipso judice videretur mortuus, tamen baptizatur, id multis petentibus. Baptizatus oculos aperit, et ad matrem reportatus, quasi jam in partu editus, primam vocem similem omnibus emisit plorans.

49 Pontius Durandus habitans juxta ædem S. Mariæ ab Aquis, filium habuit diuturna febre consumtum ac mortuum. Pater, invocato S. Ludovico, ex voto, quem plorabat mortuum, recepit viventem. *aliis,*

Margareta Viella Massiliensis nutrierat puerum, qui mortuus est. Illa recoleus miracula S. Ludovici, vovet sepulchrum visitare, candelam cæream offerre cum frumento, pro pueri salute. Puer, qui obierat mortem nocte media, revixit in aurora.

Beatrix Portamira ab Aquis, filiam habuit Alazatiam nomiue, quæ prægnans, de asiuo, cui iusederat,

A ANONYMO. insederat, cecidit, et graviter læsa abortivit, mortuum enixa masculum : deinde etiam mortuam femellam, livido corpore, et, ut videbatur, brachiis confractis. Abortivo puellæ projecto in angulum stabuli, mater hujusmodi verbis, poplitibus flexis, et magno fletu, precabatur : S. Ludovice, te rogo, ut quemadmodum me capitis dolore liberasti, ita me nunc exaudias, et sicut te vidi viventem, sic puellæ huic vitam dones. Promisit etiam sepulchrum ejus invisere, et offerre cæreum. Sic illa puella abjecta in stabulum, revixit, et baptizata supervixit ad quatuor circiter menses.

Filia Raimundi Vitalis vehementissima vi febris abiit e vita. Amita ejus Catharina Besteria, magna pietate puellam commendavit patrocinio S. Ludovici; cujus beneficio ad vitam rediit.

qui hic recensentur. 50 Adam Avinionensis bimulam filiam habuit, quæ post gravem infirmitatem mortua est. Pater cum voto opem postulans S. Ludovici pro vita filiolæ, sic rogabat : S. Ludovice, redde mihi filiolam meam vivam et incolumem, quam a te precibus obtinui : te oro ut vitæ redditam rursus B accipiam. Quod si mihi præstiteris, tumulum tuum adibo oblatum cæream imaguunculam. Patris voto filiola aperiens oculos, vitæ restituitur, et valetudini.

d Joannis Imberti a Taraseo *d*, Avinionensis diœcesis, filius Poretus gravissima febre et copia vermium vitam cum morte commutavit. Pater domum veniens, certior factus mortis filii, cum voto eum commendavit S. Ludovico, atque mox rediit ad vitam.

Raimunda Massiliensis dum brachiis gestaret in solario filiolam, contigit prius cadere parvulam, et deinde matrem super filiam. Parvula læsa est valde; cervicem fregisse videbatur, jamjam moritura; cum pater ejus Petrus Raimundi, suscepto voto in Sanctum, nulla mora interposita vitam impetravit filiæ et incolumitatem.

Claudi 51 Paupercula quædam enixa mortuum fœtum, atque in utero actum transversum, toto biennio vitiatis femoribus, manuum quoque officiis privata, ambulare non poterat, nec operari. Votum pro salute nuncupat Viro sancto, et promittit qualibet septimana templum ejus versuram. Obdormivit paulisper : expergefacta sanata est.

C Sauctiæ Massiliensis coxas miserandum in modum sacer ignis *e* (ut vocant) adeo depastus est, ut nequiret incedere. Senex mater filiæ miseria commota, voto implorat auxilium S. Ludovici, et integræ restituitur incolumitati.

f In oppido Sistaricensi *f*, puer Joannes inventus est a matre pannis infantilibus illigatus tanto perfusus sanguine, ut nihil in ejus corpore mansisse videri posset. Mater ut diligenter inspexit, deprehendit filiolo inter tibias et genua ossa deesse, ipsasque tibias præpostere collocatas, gibbum etiam in dorso e miserabili spinæ flexu, et in occipite inter aures nil osseum esse, sed carneum dumtaxat. Filius, qui parenti gaudio esset, tristitiæ fuit et dolori. Mater desperata spe remedii humani, secundum Deum in S. Ludovicum spem concepit : vovet magno fletu, si filium sanaverit, repræsentaturam se eum ad ejus sepulchrum cum aliquot cæreolis. Mira res. Facto voto, filiolus cœpit melius habere, et paulo post totus convaluit.

et corpore impediti sanantur; 52 Massiliæ puer quidam, Jacobus nomine, claudus natus est, misere retortis tibiis et pedibus; cujus mater, conspectis miraculis S. Ludovici, profusis lachrymis implorat opem Viri sancti pro filiolo, voveus, si curetur, se oblaturam ad ejus tumulum D cæreas tibias cum pedibus. Tam prodigiose statim sanatus est, ut etiam calcei ad pedes informes facti, pedibus ad naturalem formam redditis, recte convenirent.

Guilielmi Raimundi a Tolosa uxor filium peperit contortis tibiis, quasi cancellatis et connexis. Vovet B. Ludovico : quo facto, infans incolumis effectus est.

Auselmæ Massiliensi filia fuit octennis, admodum clauda et debilis; nec poterat ire sine fulcris, sive crucibus humeris subjectis. Votum facit sancto Viro, si filiam liberet, duas cruces ex cæra ad ejus sepulchrum oblaturam. Nulla mora post votum, filia crucem alteram abjicit : et paulo post mater filiam altera cruce utentem ducit ad ejus sepulchrum. Votum illa solvit Sancto, qui filiæ integram sanitatem reddidit.

53 Joannes civis Massiliensis graviter laborabat podagra ex altero pede, ut gradi non posset, perpetuumque torquebatur summo dolore. At ille gratiam implorans S. Viri, vovet illi tibiam cæream cum pede pro salute. Dicto citius curatus est. Sed negligens votum solvere, eodem afficitur tormento : E votum autem repetens et reddens, mox liberatus fuit. *uti etiam podagra et chiragra,*

In oppido Carpataceusi *g*, vir aliquis totis octo g annis adeo fuit debilis pedibus et tibiis ex gravi podagra, ut foramina efficeret, per quæ ossa conspiciebantur, et vermibus scaterent. Omnia consumserat, frustra in medicinam. Tunc uxor voto se obstrinxit, visitaturam, si viro sanitas optata redderetur, una cum ipso sepulchrum sancti Ludovici, in ejusque honorem tibias cæreas daturam. Maritus cum ire non posset, adportatus fuit. Facta oratione, et voto soluto, qui ambulare non potuit, domum revertit pedes, ac paucis elapsis diebus curantur tibiæ cum vulneribus.

ANNOTATA.

a *Quid miraculorum editor præstiterit circa eorum ordinem, habes in Commentario prævio num.* 148. *Eorum supplementum in eodem dedimus : id quod semel hic præmonuisse sit satis.*

b Carpentina. *Si alia hic civitas indicetur quam* Carpentoractensis, *sive, quæ infra num.* 61 *nominatur,* Carpentracensis (*vulgo Carpentras*) *est*- F *que urbs Galliæ in Provincia; eam eruditis Gallis designandam relinquo, frustra hactenus a me quæsitam.*

c *Id est* Aquisextiensis, *quantum colligo e situ loci : nam* Aquæ Sextiæ... nunc Aix incolis, urbs *est* Galliæ archiepiscopalis, Provinciæ caput... *quæ* quinque leucis distat a Massilia *etc. Ex Baudrando.*

d *De hoc loco dixi supra in Annotatis ad cap.* 5 *lit.* d.

e *Apud Gorræum in Definitionibus medicis ad vocem* ζόνη *lego ista* : Est et ζώνη ignis sacer, sive herpetis species, sic dicti quod medium quodammodo cingat et complectatur hominem, ut author est Scribonius Largus cap. 62, scribens medicamentum Andronis facere ad carbunculos, et ad ignem sacrum, et ad zonam, quam Græci ἑρπητα dicunt. Sed magis usitato nomine ζωνὴς appellatur. C. Plinius secundus in lib. 3, quem scripsit de medicina, ait τὴν ζόνην a quibusdam circinum appellari, fierique hunc in modum : vesicæ tamquam combustæ exeunt et crepant, primum paucæ, deinde cito multiplicantur : quæ si hominem cinxerint, occidunt.

f *Vulgo*

A f *Vulgo* Sisteron ; *Latine vero est* Segesterorum urbs, Galliæ Narbonensis, in libro provinciarum, quæ Segustero Antonino, Mimemorum caput.,, urbs Galliæ in Provincia ad Druentiam fluvium ; *prout observat Baudrandus : apud quem in indice, qui habetur ad calcem tomi secundi , ad nomen* Sisteron, *etiam vocatur* Sistarica.

g In oppido Carpatacensi, *forte* Carpentracensi. *Vide quæ dixi paulo ante lit.* b.

CAPUT VII.

Laborantes febri, surdi, muti, cæci, amentes sospitati.

nec non febribus laborantes

Raimundus miles cum tribus continuis septimanis febre laborans, etiam periculoso gravaretur apostemate , atque adeo salus ejus , medicorum judicio , desperaretur ; de morte ejus et exsequiis cogitari cœptum est. At Raimundus ex toto animo invocat B. Ludovicum , eique se totum devovit. Adest Vir sanctus sine mora in schemate B fratris Minoris : quo sacra manu affectum locum tangente, rumpitur apostema, et, ejecta sanie, ab imminente morte servatus convaluit.

Massiliæ mulier quædam Maria, continua febre adeo infirmabatur, ut omnes de salute medici desperarent. Vidit nocte vigilans , ad se Episcopum introire ornatu pontificio, magno lumine micantem, qui his verbis affatus est decumbentem : Mulier , pro te multi mihi supplicant, ut committere non possem quin te adjuvem, Scito te multa passuram brevi, sed tertia die ab hinc sanaberis. Quo disparente, Maria perterrita famulas inclamat, et, quæ viderat, eis exponit.

sanantur. 55 Illæ vero S, Ludovicum fuisse interpretatæ, bono jubent esse animo. Visum vero tale narrabat se vidisse : Animam suam sisti tribunali superni judicis, et librari omnia facta ad judicii divini lancem. Deinde horribilem dæmonem devorare velle miseram animam. Illa ad terrorem tetri et hiantis diaboli adeo exclamavit , ut omnes stuperent. Tunc sanctus Episcopus prius sibi visus adfuit, et in illo discrimine defensam, suo corpori reddidit , et (quod ille prædixerat) optime habuit die tertia. C Votum ipsa , maritus , filii in Sanctum , cui erant devotissimi , susceperunt , et exvolvere quod voverant.

Alia matrona Alazatia dicta filium habuit bimulum, qui toto anno amplius febriens decubuit , habensque in dorso septem magna vulnera, nihil cibi accipiebat. Parvulo constituto in periculo mortis , pia mater vota facit S. Ludovico, statimque puer liberatur febre , eademque hebdomade vulnera illa sanantur.

Surdis auditus, 56 Nobilis quædam puellula , gerulæ brachiis excideus sic conquassabatur, ut multo sanguine per os et nares effluente , sensu audiendi destitue-*a* retur toto octennio *a*. Pater filiolam miserans S. Ludovico promittit, si sanat, sepulchrum ejus aditurum , oblaturumque imaginem cæream. Ut fecit, sanam recepit filiam.

Antonius hieme in montibus iter habens, nimii frigoris algore , triennio obsurduit. Cum vero nutibus, et signis intellexisset, quam mirifica Dominus ad S. Viri sepulchrum efficeret, cum magna fiducia in Sanctum, vovet, si reddat auditum, invisurum sepulchrum ejus, et cæreas aures oblaturum. Mirum dictu! Voto, quo tam diu caruit, auditum recuperavit.

57 Quidam Petrus nomine, longæ febris molestia loquelam amisit, et prorsus factus est mutus. Ducitur a suis ad sepulchrum Sancti , et , voti sponsione facta , illius curæ serio commendatur. Dum summum inciperetur Sacrum , miser Deum et S. Ludovicum ex corde supplex invocabat : et mox, quod animo conceperat, depromsit voce, Sancte Ludovice , inquiens, adjuva me. Completo Sacro, prompte loqui cœpit , cunctis admirantibus. *A. ANONYMO. muti loquel,*

Alazatia a Campis, Aquensis diœcesis, vehementi quadam affectione muta effecta, etiam brachii alterius orbatur officio. Voto a matre pro filia facto , redditur ei loquela et brachii sanitas.

Similiter alia quædam muta manens ad octiduum, corde vovens, quod non poterat verbis, subito fandi recepit beneficium.

58 Hugo Gregorius orbatus oculis spatio trimestri, summa devotione factus est supplex B. Ludovico. Nocte quadam videbatur sibi videre B. Antistitem , templum ingressum , tanta luce splenduisse, ut oculorum acies non ferrent. Expergefactus pollicetur sepulchrum ejus adire , si lumen recipiat. Mox ut vovit, visum recepit , clare vidit : E quod promisit, præstitit. *cæcis visus*

Stephanus ex oculis laborans ambobus, dextrum perdidit, sinistro periclitante ducebatur ut cæcus. Anxia uxor pro incolumitate viri , freta Dei potentia et Sancti meritis , vovit B. Viro, et mox oculi incipiunt curari, et paucis elapsis diebus , detersis maculis, quibus adspersi erant, perfecte sanari.

Sanctia jurejurando firmavit se habuisse filium quinquennio toto cæcum : vovisse S. Ludovico , tumulum ejus invisuram , et cæream imaginem. Sequenti die cum venisset cum filio, qui cæcus fuerat, factus est videns.

59 Petrus Medicus quatuor annis cæcus , audiens S. Ludovici frequentia prodigia , vovet , quosi lumina recipiat , se quarta quaque feria , quoad viveret , jejunaturum , duosque oculos cæreos adportaturum ad ejus sepulchrum. Veniens Massiliam , ad tumulum Sancti hæret biduo. Tertia die cum eleemosynas peteret cum cæteris mendicis , (omnia enim erogaverat in medicos et peregrinationes ad loca Sanctorum pro recuperanda salute) Cur , inquit uxor , hic stas ? Cur non hæres et dormis ad sepulchrum Beati , ubi omnes redduntur incolumes ? Ille vero , Nescis , inquit , F mulier , Sanctum , me et hic posse juvare , et insomnem, et quocumque loco ? Hæc mihi in eum fiducia, quam tu mihi habere non videris. Equidem spero B. Ludovicum me exauditurum esse. Et quomodo ? inquit mulier. Mox ille , Video , ait , unam columnam in templo ; video duas , video hanc domum tectam scandulis : discerno colores vestium , quibus homines induti. Sic meritis B. Antistitis diu optatum visum tandem recuperavit. *restituuntur.*

60 Bartholomæus in villa Salome *b* adeo fuit alienatus a mente , ut instar rabidi canis sine discrimine quosvis dentibus peteret. Ligna quoque et lapides, et quæcumque contingere poterat, rodebat, ut homo furiosus. Parentes filii miseria commoti, factis precibus et voto , miser ille potentiam sensit B. Viri; et gratias agens Deo, furore curato, redditur pristinæ sanitati. *Furiosi b*

Apud Niciam *c* civitatem , quædam Beatrix *c* nomine, sic omnem rationis sensum usumque perdidit , ut non solum in homines , sed in ipsum quoque Deum , et in Divos blasphema admodum profunderet. Cetera bona mulier erat , sed hoc affectu

A ANONYMO. affectu superata non se moderari poterat. Huc illucque cursitans, lapides, ligna, gladiosque arripiens, cunctos petebat acerbis verbis, imo et verberibus. Vinculis constringi oportuit. Maritus condolens de uxoris calamitate, voto invocat B. Ludovicum, atque eadem ipsa die optata valetudine potitur.

Gulielma Massiliensis puella admodum ratione et judicio privata, possessa timebatur a dæmone. Turpia verba citra omnem effutiens verecundiam, faciem unguibus laniabat, lacerabatque vestes. Quamobrem vinculis ligari debuit. Parens ejus, regis cælestis filium B. Ludovicum orat sui misereri, quia filia sua male dæmonio vexaretur. Ducit filiam ad Sancti sepulchrum, cæreum illi vovens, atque post preces filiam recte valentem reduxit.

ad sanam mentem reducti: d

61 Raimundus Oliverius Clericus civitatis Carpentracensis *d*, mentis alienatione adfectus, ne quem læderet, cippo terræ affixo alligari debuit, et catenis multis, idque non paucis mensibus. Parentes statim ut voverunt B. Ludovico, rediit ille ad sanam mentem.

al. Marlinetus

Marinetus * ab Aquis, rationis orbatus usu, noctu, interdiu cantillabat: stulta evomens proprios B non agnoscebat parentes, cum nullum ei in re aliqua judicium. Cibos etiam spargebat in humum, nihil cibi penitus sumens. Cæcilia cognata ejus supplex facta S. Ludovico, vovet pro ejus sospitate. Mox cibum petens, edit, bibit, ad mentem rediit.

Raimundus textor juratus dixit, filiolum suum furialiter correptum insania, dixisse turpia, se patrem momordisse, et alia pleraque nefanda patrasse. Vovisse se, et orasse S. Ludovicum pro sanitate filii: qui illico intelligens votum paternum, vovet etiam ipse, sic mentis sanitatem consecutus.

Joanni Olerio filia erat undecennis prorsus sine mente, ut a dæmone possessa crederetur. Voto facto S. viro a patre pro illius salute, mox sanam mentem recepit.

Bertranda Moreta biennio et mensibus duobus amens, a voto socrus suscepto in S. Ludovicum, sensum et intellectum recuperavit.

ANNOTATA.

C

a Toto octennio; *sed in bulla canonizationis a Sedulio edita post Vitam* § 20, per octo menses. *Neque videtur mihi dubium, quin idem utroque loco miraculum narretur : nam in dicta bulla sic exstat :* Quædam puella nobilis, quæ ex casu ad terram de nutricis brachiis, per octo menses passa fuerat surditatem, facto voto ad prædictum Sanctum per patrem, a dicta surditate ad plenum extitit liberata.

b *Immo vero* Salona, *vulgo Salon*, oppidum Provinciæ in Gallia juxta Campos lapideos; patria est Michaelis Nostradami, astrologi peritissimi, qui in ea obiit anno MDLXVI, et castrum habet antiquum, inter Aquas-Sextias ad ortum 5 leucis, et Arelate 7 distans, fere 2 a Druentia fluvio, Astromelam stagnum versus totidem, 8 leucis a Massilia Avenionem versus, et Salum dicitur a quibusdam, *ut Baudrandus computat.*

c Nicia *seu* Nicæa, *vulgo Nice, urbs est Provinciæ. Comitatus cognominis caput.*

d Carpentoracte., hodie vulgo *Carpentras* dicta, urbs *est* Galliæ in Provincia., quatuor leucis distans ab Avenione. *Hæc et plura Baudrandus.*

CAPUT VIII.

Adjuti naufragi; epileptici ac aliis morbis detenti; Sancti obtrectatores puniti etc.; canonizatio; translatio corporis,

Adjuti naufragi,

Guilelmus Viellus, civis Massiliensis, dum navigaret, tanta est exorta tempestas, ut fluctus navem pene submergerent. Ille factus B. Ludovico supplex, vovet, si discrimen evadat, statim aditurum ejus sepulchrum, funibus sibi de collo suspensis. Hoc voto pericula cessarunt; et, quod valde mireris, mari procellis agitato, et fluctuum impulsu, cadente grandine cum magna pluvia, ne gutta quidem navem contigit, nec tempestas iter rectum tutumque præpedire po- E tuit.

Gulielmus Maurella, nauta Petri domini Majoricarum, adfirmavit, exorta tempestate et procella, e navi tria vela excussa, et incidisse in arenarum insulas; quare moriendum certo certius videbatur. Promittunt universi, si evadant naufragium, S. Ludovici sepulchrum adituros fune a collo pendente: atque hoc voto vivi evaserunt tempestatem, et periculum naufragii.

epileptici, aliisque morbis

63 Beatrix quindecim annis laboravit morbo caduco, sæpius bis terve in die morbo correpta. Voto emisso, optata valetudine potita est.

Alia quædam toto octiduo fere comitiali hoc morbo vexata, audiens, quanta Dominus Deus ad sepulchrum S. Ludovici efficeret, vovit pro salute quotannis inviserc sepulchrum ejus, et sine mora sanitatem recepit.

In Thelouensi *a* diœcesi, Guilielmus juvenis admodum, toto decennio hernia vehementissime laboravit. Contigit eum aliquando gravius pondus levare quam ferre posset, quo ruptura majore, ineptus fit ad labores, quibus victitabat. Et propemodum ipse desperans, tamen sursum mentem levans, votum concepit in sanctum Ludovicum, ut se adjuvaret. Mirum certe! eodem momento integre revaluit. F

Filia Guilielmi a Tolone infantula, in nasi extremitate tuber habebat, quod illa crescente etiam augebatur. Pater eum devotione invocat B. virum, filiæque impetrat naturalem formam, tumore sublato.

Petrus Maletus habitans Massiliæ juxta cœnobium fratrum Minorum, filium habuit Brandotum dictum, quem misere torquebat in pedibus sacer ignis, quem vocant S. Antonii *b*, cujus nec poterat fœtorem ipsa nutrix perferre. Portatur puer ad templum S. Antonii, ubi manet decem continuis diebus et noctibus, vel eo maxime, quod affirmarent talem esse morbum: at nihil curationis accepit. Tunc parentes vovent S. Ludovico pro salute filioli pedes cæreos ad ejus sepulchrum; cujus ope sanatus est.

ac incommodis afflicti

64 Gaufridus a Maseto miles juravit, ex tibiis se laborasse circiter viginti quinque annis; quæ pustulis plenæ quotidie fundebant ingentem copiam sanici. Is concepto voto ad S. Ludovicum, intra triduum melius cœpit habere, nec ita multo post perfecte curari.

Eminardæ

A Eminardæ Viliæ a Turbana *c*, Vapiensis *d* diœcesis, filius calculum habuit in vesica, qui cruciatum gignebat asperrimum, urinæ meatum prohibens. Mater, cum sic toto anno cruciaretur filius, post multa vota, variaque medicorum frustra tentata consilia, fit supplex S. Ludovico pro incolumitate filii: sepulchrum ejus visitaturam se pollicetur, daturamque ibi donum cæreæ imaginis. Filius nocte sequenti calculum ejecit bene cruentatum et magnum, citra dolorem.

c d

Joannes Galeotus Massiliensis per mare navigans, captus fuit a Saracenis, cum aliis octodecim *e*. Voto facto ad S. Ludovicum, jussu regis Tunctis, eadem die, capta triremis, cum omnibus libera dimittitur.

e

sospitantur.

65 Matrona quædam jurejurando firmavit, se ex matrice laborasse septem annis: adeoque infirmam, ut per os plurimo ejecto cruore ad mediam diem mortua videretur; et, quod in morte fieri solet, animam Deo sæpius commendasse. Tandem ægrota mulier, invocato S. Ludovico, vovet visitaturam se ejus sepulchrum, si sanaretur, et convaluit.

B Dulceta uxor Michaëlis Bermondi, fœtum mortuum tribus diebus noctibusque in utero gestans, non potuit eniti, sed extrahi abortivum oportuit arte medica. In ipsa extractione os ei fractum in corpore, ut toto biennio infelix mulier ne quidem sedere posset, sed decumbere tantum in lecto, omnium usu membrorum sublato. Illa mori malens quam sic vivere, vocat chirurgum postulans cauterio, incisione, quovis modo sibi mederi. Antequam chirurgus adesset ad diem dictam, votum in S. Ludovicum concepit pro sua valetudine, se jejunaturam semel; visitaturam etiam ejus sepulchrum; quoque sabbatho templum ejus scopis versuram, si fratres permitterent: et sequenti die perfecte curata est.

Pœnæ
** al. Gaufrida*

66 Gunfrida * Massiliensis cum aliquando videret, S. Ludovici monumentum magna fidelium devotione frequentari, et honorari multis donariis; nec raro a sua consanguinea Richarda, ejusque matre Beatrice visitari; quod ipsa Richarda ad ejus sepulchrum a tibiarum infirmitate liberata fuisset; prorupit in hujusmodi verba blasphema: Cito fratres Minores hunc ut Sanctum colere cœperunt, ut rem augeant candelarum et donariorum oblationibus: et vos quidem eum Sanctum C asseritis, et facere isthæc miracula: ego vero non credo; neque illi aut ejus miraculis quidquam defero: absit ut illi quidquam donem, aut aliquem exhibeam honorem. Talibus verbis, levata manu adversus ejus sepulchrum, Sanctum Virum despexit. Impia mulier a piis cognatis graviter objurgatur: nec tamen desiit maledicta talia in Sanctum evomere.

Sancti detractoribus inflictæ ac sublatæ.

67 At vero paullo post, ut se recepit, cogitat S. Ludovicum, si beatus et sanctus esset, pœnam a se posse reposcere. Si, inquit, intra triduum oculis privatæ et aspectu, tantum etiam dolorem meo capiti immittat, ne queam dormire, credam Ludovicum esse sanctum. Tertiæ diei summo mane, horribiliter incipit laborare ex oculis, qui promiuebant e cavernis suis, nec poterat quidquam videre: atque ipse vultus, cervix, et totum caput sic transversum actum est, ut monstrum videretur admodum deforme: et quidem triduo sic acerbissime cruciabatur. Vexatione igitur intellectum dante, peccatum confitetur, et, voto facto S. Ludovico, liberatur ab omni dolore et deformitate, præterquam quod dextro oculo cæca permansit.

A. anonymo

Guilielmus a Mosato similiter aliquando subsannans miracula B. Viri, Amodo inquit, pro nihilo putabuntur Sancti reliqui: iste enim omnia facit. Mox ultio divinitus blasphemum consequitur. Nam illud os ejus impium statim torquetur in partem posteram, ne amplius loqui posset. Sed et dexter oculus liquore fluente et dolore afficiebatur. Novem diebus in hac pœna exactis, tandem miser culpam fatetur, et Sancti potentiam, quam irriserat, suppliciter incipit invocare, ex animo vovens ad sepulchrum ejus daturum caput e cæra, quo etiam peregrinaturus esset. Quod voverat fecit; et, antequam templum egrederetur, pristina redditur compositio capitis, omni pœna sublata.

Domina Beatrix ab Aureolo videns multa ad reliquias S. Viri offerri donaria, candelas, imagines; audiensque quotidie fieri stupenda miracula, nihilominus incredula permanens, omnia contempsit et sannavit. Domum rediens, et assidens mensæ panem scissura, pollicem vehementer vulnerat per medium unguem, ex quo gravissime affligebatur. Cum autem sæpius oculos mentis pœna aperit, quos culpa clausit, cognovit hanc esse pœnam suæ temeritatis in Sanctum. Itaque suppliciter orat B. Ludovicum, vovens ei in rei memoriam cæreum pollicem pro sospitate. Mox pollex curatur a vulnere et dolore, beneficio S. Ludovici. E

Mens sanior reddita visitantibus sepulcrum ejus.

68 Cum plura talia prodigia et miracula fecisse legitur, et varia contulisse in male affectos beneficia, quæ brevitatis gratia omittimus: sed non prætereundum, quod multorum est confirmatum testimonio, nimirum visitantibus sepulchrum sacri illius corporis, mentem sæpe mutatam in melius, mirabili affectione, cum admiratione multorum. Nec dubium sacris illis reliquiis divinitus talem efficaciam concessam esse.

XXI. Adscribitur catalogo Sanctorum

69 Miraculorum itaque gloria, et fama eximiæ sanctitatis per orbem currentibus, et ad sacras ejus reliquias pro sua salute fidelibus undequaque advolantibus, Tolosani et vicini, missis legatis ad D. Bonifacium Papam VIII, mirabilia illius prædicant, extollentes magnis laudibus: postulantes, ut quem Christus Sanctorum collegio sociaverat in cælis, hunc quoque ipse Vicarius Christi Divorum catalogo adscriberet in terris. Etsi vero Summo Pontifici vita B. Ludovici et sanctitas probe cognita esset (viderat etenim partim, et alia a fide dignis acceperat) distulit tamen vir prudens negotium, ne quis calumniari posset, præpropere rem attentatam, adspectu magis generis et fortunæ, quam meritorum. Interim migrat e vita Bonifacius *f*, cum rem esset aggressus, et infectam reliquit successori Benedicto *g*, qui citius et ipse defunctus *h* facere non potuit. Clemens V, in ejus locum suffectus sollicitatur a variis nuntiis ecclesiarum Galliæ Narbonensis, quæ nunc Provincia dicitur, ad rem aggrediendam. F

f
g h

a Joanne PP. XXII.

70 Qui Cardinalium consilio commisit duobus episcopis, ut serio et diligenter in vitam et miracula B. Ludovici inquirerent. Veniunt Massiliam cum mandatis, et studiose exsequuti, omnia Sanctitati illius perscribunt. Deinde res datur Cardinalibus multo diligentissime examinanda. Interim etiam moriente *i* Pontifice hoc, cum in demortui Clementis locum succedit *k* Joannes XXII, olim socius et magister S. Ludovici, qui etiam illi adfuit morienti. Nec dubium quin divinæ providentiæ nutu hoc pietatis officium huic servatum sit, omnis vita, mores, pietas, mors, et omnia acta B. Viri

i
k

A ANONYMO. ri probe cognita et perspecta essent. Sed ne præcipitanter agere videri posset, rursus omnibus et singulis actis a Cardinalibus accurate examinatis et adprobatis, eorumdem fratrum suorum Cardinalium, omniumque Prælatorum præsentium (Avinione, ubi Apostolica Sedes id temporis erat) consilio et adsensu, magna pompa et solemnitate, anno salutis reparatæ millesimo, trecentesimo, sexto decimo *l*, septimo Idus Aprilis B. Ludovicum in Sanctorum numerum retulit *m*, Pontificatus sui anno primo.

XXII. *Translatio corporis anno 1317.* 71 Anno vero trecentesimo supra millesimum et decimo septimo, sexto Idus Novembris, missis a Pontifice Summo Cardinalibus, et aliquot episcopis præsente germano S. Ludovici fratre, Roberto Siciliæ et Jerusalem rege, ejusque uxore regina, cum regina Franciæ consanguinea S. Ludovici, cum multis aliis principibus et nobilibus viris; innumera quoque populi inundante multitudine, qui ad S. Ludovicum interpellandum cum muneribus, et ad celebrandum translationem sacri corporis confluxerant; thesaurus ille sacri corporis B. Ludovici, in medio chori hactenus sepulti, transfertur *n* ad summum altare, B theca argentea inclusus, justis magnifice factis more regio, et quæ deceant Sanctum. Ibi hactenus ipsum devote invocantibus ingentia beneficia conferuntur ejus meritis, et gratia Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in æternum. Amen.

ANNOTATA.

a Telo, cognomento Martius... nunc Toulou incolis.., urbs Galliæ in Provincia episcopalis, sub archiepiscopo Arelatensi, probe munita et culta, cum portu capacissimo et valde tuto, in ora maris Mediterranei... armentarium habens instructissimum; et ubi regia classis præparatur; 10 leucis distat a Massilia *etc. Ita Baudrandus.*

b *Ignem illum, Gallice* le feu saint Antoine, *nomen esse, quod vulgo datur erysipelati, notat Dictionarium Gallico-Latinum, anno* 1704 *Trevoltii editum, ad nomen* fen. Erysipelas *autem est* D tumor præter naturam in cute a sanguine et flava bile calidioribus, vel a sanguine fervente tenuique proveniens, *uti videre datur apud Gorræum in definitionibus medicis; ubi plura diffuse de isto morbo observat.*

c *Forte* Curbana: *nam in mappa Blaviana Provinciæ invenio* Curban *ad fluvium Duranceium, et in territorio Vapincensi.*

d *Immo Vapincensis, vulgo Gap; quam diœcesim subesse archiepiscopo Aquensi, sitamque in Delphinatu ac confinio Provinciæ, et vix* 2 *leucis ab Isara fluvio, et septem a Sugesterone in septemtrionem distare, notat sæpe dictus Baudrandus...*

e *In Ms. nostro Aroldiano numerus ille refertur ad tempus hoc modo;* Captus fuit... et eductus de portu quodam regis Tunici Sarraceni cum hominibus quam cum rebus; decem et octodiebus capti steterunt.

f *Electus est die* 24 *Decembris anno* 1294, *obiit* 1303, *die* 11 *mensis Octobris: de cujus gestis videri potest Franciscus Pagius in Breviario* E *Pontificum Romanorum tomo* 3 *pag.* 502 *et sequentibus.*

g *Bonifacio PP. VIII successit Benedictus XI anno mox dicto* 1303, *die* 22 *Octobris (cujus collectio historica habetur apud eumdem Pagium a pag.* 550.) *Excessit autem e Vita die* 6 *Julii anno* 1304.

h *Anno* 1305, *Nonis Junii, in vigilia Pentecostes electus; ut signatur apud Pagium tomo* 4 *Breviarii Pontificum in Clemente V pag.* 3.

i *Anno* 1314, *die* 20 *Aprilis.*

k *Videri possunt, quæ dixi antea in Annotatis ad cap.* 2 *lit.* c.

l *Immo septimo decimo, e Commentario prævio, quem adeat lector a num.* 113.

m *Quæ ad istam solennitatem attinent, præmissa sunt in eodem Commentario* § 12.

n *De hac translatione dantur plura ibidem num.* 119 *et* 120. *Qua autem occasione corpus deinde Valentiam avectum sit, narratur* § 13. *Hic rerum a* S. Ludovico *gestarum finis.*

C

DE BEATO PETRO GUALDENSI

F

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI

EREMITA IN MARCHIA ANCONITANA ITALIÆ

Locus, cultus, aliæ notitiæ, discipulus.

J. P.

ANNO MCCLXVII. *Describitur locus, in quo vitam solitariam exercuit:* Gualdum (*Gualdo*) castrum Italiæ in Marchia Anconitana ad radices Apennini montis, et in ipso limite Umbriæ (*ita illud describit Baudrandus*) sub dominio summi Pontificis, excitatumque fuit anno MCLXXX ex Tadini ruinis, teste Jacobillo. *Leander Albertus anno* 1566 *Coloniæ Agrippinæ idiomate Latino in lucem editus, inter ea, quæ scribit de Umbria, hæc de loci situ distinctius memorat pag.* 134 *in rem nostram:* Dein via Flaminea primum a Sigello oppidum Fossatum in Apennini præcelso colle apparet, juxtaque quarto lapide propter Apenninum, in eodem tamen colle, Gualdum, quod Blondus a Longobardis conditum scripsit, Vallido urbe loco finitimo diruta. Rivus hic modicus Asio influit non procul a Gualdo descendens, quem transire solent Ancona vel e Piceno ad Fossatum et Gualdum, indeque Perusiam euntes, emenso nimirum prius Apennino... Post Gualdum Apennini oppida paulatim elongari incipiunt. Dein civitas est Nuceria lateri item Apennini inhærens. *Hic itaque locus beato nostro* Petro *cognomentum* Gualdensis *indidit, sive quia ibi natus dicitur, sive quia vitam solitariam in ejusdem territorio excoluit. Loci conspectu ita exhibito, procedimus ad stabiliendum legitimum Viri cultum.*

2 *Cen-*

ANONYMO. J. P.

A *probatur cultus*

2 *Censuimus ipsi locum deberi inter alios hujus diei Cœlites, qui nostro Operi tamquam Sancti vel Beati inseruntur, propterea quod, tametsi nullibi hactenus auctorem reperimus, qui ante Jacobillum de illius nomine aut de cultu meminerit; hic tamen ab ipso asseratur exstitisse a tempore immemorabili ante famosum decretum Urbani PP. VIII; cumque idem cultus postea perseveraverit; visum nobis est, eum tamquam Beatum hic dare, salvo atque illæso, uti putamus, eodem decreto. Accipe igitur varia de publica ac religiosa ipsius veneratione testimonia, quæ ex relatione ac fide laudati Jacobilli producimus. Tomo 2 de Vitis Sanctorum ac Beatorum Umbriæ, ad diem* XIX *Augusti, pag.* 148 *narrat, B. Thomam, eremicolæ nostri discipulum, honorifice sepelivisse corpus sui chari magistri beati* F. Petri; *idque accidisse in oratorio, quod erat contiguum eremo Gualdensi: oratorio autem illo amplificato, devotam ibidem ecclesiam fuisse conditam non eremitorii amplius, sed tamquam ecclesiam parœcialem sub titulo* S. Petri de Rigolo; *eaque postmodum diruta, aliam a Rigolensibus ædificatam majorem anno* 1633 *jussu Virgilii Florentii, episcopi Nucerini, in qua celebratur festivitas S. Petri Apostoli die* XXIX *Junii, in ho-* B *norem etiam hujus beati* F. Petri.

a tempore immemorabili:

3 *Præter ista, quæ in fide Jacobilli recitavimus, auctor idem ad anteriora tempora digrediens, subdit, hujus beati corpus delatum fuisse ad quadmam ecclesiam Fratrum Minorum in territorio Eugubino, quod Gualdensi territorio contiguum est; deinde vero die* XIX *Augusti anno* 1450 *translatum ad ecclesiam S. Francisci intra Eugubium, sub altari familiæ Conventinorum dictæ civitatis, ibidemque depositum cum hac inscriptione:* Corpus B. F. Petri Gualdensis. *Addit denique, in conventu supra dicto Eugubino inveniri antiquam memoriam hisce verbis notatam.* B. F. Petrus Gualdensis tertii Ord. S. Francisci obiit XIX Augusti MCCCLXVII in eremo S. Petri montis Gualdi; et traslatatus in bac ecclesia Eugubj die XIX Augusti MCDL: ubi hac die ejus memoria recolitur. Fuit magnæ perfectionis et virtutum. *His satis superque stabilita nobis videtur hujus Beati publica ac legitima apud mortales veneratio. Nunc juvat protulisse hagiologos alios, qui post Jacobillum de illo* C *meminere.*

laudatur in Fastis,

4 *Arturus a Monasterio ad diem* XXIX *Junii ita illum annuntiat:* Apud Gualdum, Umbriæ oppidum, beati Petri tertiarii confessoris. *Hueberus in suo Menologio Franciscano ad diem* XXV *Junii his verbis illum refert et laudat:* In eremo Montis regalis prope Gualdum Umbriæ oppidum circa annum MCCCLXVII Petrus quidam eremita tertium Ordinem S. Francisci excolere desiit: qui antequam transiret de vasta solitudine ad paradisi delicias, valde austeram vitam protraxit, et 24 annis beato Thomasuccio sanctæ conversationis tirocinia dedit. Denique hoc ipso in monte usque in hodiernam diem sancta Christiani populi frequentatione celebratur.

et in Annalibus FF. Minorum.

5 *Waddingus in additionibus ac tomum* 4 *Annalium Minorum pag.* 478 *citans Jacobillum, ista ex eo in compendium contraxit, atque ad annum* 1367 *addenda monet:* Ejusdem tertii instituti Vir sanctissimus F. Petrus eremita Gualdensis, B. Tomasuccii viginti quatuor annorum, uti alias diximus an. MCCCXXXIII num. 21, magister, hoc anno (1367) die XXIX Junii decessit in eremo Montis Rigoli (vici scilicet territorii Gualdensis) ibidem sepultus a predicto suo discipulo. Eremitorium seu cremi sacellum postea in amplam excrevit ecclesiam parochialem sub invocatione B. Petri de Rigolo. Sed nuper anno MDCXXXV diruta hac ecclesia, per Rigolanos ædificata est altera major inter Rigoli vicum, in eaque celebratur Petri anniversarium; cujus corpus translatum est ad territorium Eugubinum, ibique prope territorium Gualdense reverenter asservatur in lapideo sepulchro, insculptis ad latus his pauculis verbis: F. PETRUS GUALDENSIS. *Sed nunc quædam a nobis sunt observanda circa diem, quo annua ejus memoria refertur, et quo e vita migrasse scribitur.*

Non convenit inter scriptores de die mortis.

6 *Jacobiltus die* XXIX *Junii obiisse eum memorat; sed in documento Eugubiensi, quod antea ex ipso protutimus, signatur mortuus* XIX *Augusti: quæ neutiquam possunt cohærere; ut consequens sit, vel mendosum esse illud instrumentum, vel Jacobillum, qui hac die* XIX *Augusti de Beato nostro agit, a vero aberrare, quando affirmat incidisse ejus mortem in diem* XXIX *Junii. Utro autem die ea evenerit, non habeo in promptu unde determinem. Singularis est Hueberus in eo, quod neutro isto die* B. Petrum *memoret; sed* XXV *ejusdem mensis Junii. Jacobillus autem* E *ideo fortasse illum intexuit Operi suo ad diem* XIX *Augusti, quia tunc supra dicitur facta esse translatio corporis ad ecclesiam Eugubiensem,* ubi *et* hac die ejus memoria recoli *dicebatur. In anno ipsius emortuali signando inter auctores convenit, præeunte Jacobillo, quem et nos superius secuti sumus. En tibi, lector, alias quasdam notitias ex sæpe laudato Jacobillo pag.* 147.

Dantur aliæ de Beato notitiæ; et laudatur

7 *Narrat igitur hunc beatum fratrem Petrum fuisse Gualdensem Nucerinum: habitum tertii Ordinis S. Francisci ab eo susceptum, ut impense Deo serviret: vitam solitariam ab eodem institutam in monte supra rigolum, pagum Gualdensem, et ab hoc territorio distantem uno circiter milliari: eremum ibi ab ipso conditam, cui sese inclusit, ut remotus ab hominibus, propinquior esset Deo, in assidua ac ferventi oratione et contemplatione se exercens, nec non satagens insistere vestigiis magnorum adeo Dei servorum, qui præteritis temporibus servierant Deo in regione ac monte, ubi ipse habitabat: vixisse in austera admodum paupertate, et pœnitentia continua; atque eam ob causam in toto territorio Gu-* F *aldensi celebrem evasisse. Deinde citatus Jacobillus nostrum Tertiarium laudat tamquam insignem magistrum et cœlitus assignatum egregio in paucis ac piissimæ vitæ discipulo: de qua re excerpo ista ex Waddingo ad annum Christi* 1333, *num.* 21: Hoc anno institutum tertii Ordinis amplexus est B. Thomas, ex humilitate vel contemptu dictus Thomasuccius, divite ortus progenie iu villa Valmacinaiæ, ditiouis Nucerinæ iu Umbria. Mater.. dum infantulum gravida gestaret in alvo, ab angelo felicis partus, futuræ sanctitatis, et nominis Thomæ, quo deberet insigniri, præmonita, sacrum hoc germen edidit anno MCCCIX. Thomas duodecim factus annorum Deo obtulit suam virginatem, et anno ætatis vigesimo quarto, longa præmissa oratione, et parentum obtenta vel potius extorta licentia, mundo valedixit, et in solitudinem recessit.

ab illustri discipulo suo.

8 Hic hærens et plangens magistrum deesse virtutis, ab angelo salutatur, jubertuque, ut iu Gualdi montem ascendat, ubi Dominus præparaverat optimum præceptorem Fr. Petrum eremitam, virum piissimum, admiraudæ pœnitentiæ: cujus disciplinam jussit ut perpetuo ad amussim sectaretur.

AUCTORE J. P.

Ab hoc viam salutis æternæ edoctus, et tertii Ordinis S. Francisci habitu suscepto, annis viginti quatuor convixit. *Post tanti autem magistri mortem non obscure prabavit optimus ille discipulus, quam egregie profecerit in vitæ austeritate, ac solitudine arctissima; quas post* Petri *obitum sibi præscripsit; ut videre datur apud Waddingum antea designatum: qui longe plura de Thomasucio deducit ad annum Christi* 1377, *quo eum refert obiisse, num.* 4 *et sequentibus : ubi agitur de apparitionibus ei factis, prædictionibus, miraculis, dono linguarum, perspicientia cordium, pia morte, sepultura, integritate corporis, cultu publico apud Fulginates ac Nucerinos, nec non de vitæ scriptoribus. Porro hujus viri mirabilis Acta ac cultus publicus alias poterunt examinari. Hic in rem nostram sit satis indicasse, non mediocrem e tam longo Thomasucii sub disciplina* B. Petri *nostri contubernio honorem derivari in magistrum. Hæc sunt, quæ de beato Tertiario colligere nobis licuit, et quibus hunc tomum tertium mensis Augusti concludimus,* D

INDEX HISTORICUS

AD TOMUM III AUGUSTI.

A

Achilles *S. R. E. Cardinalis* 322 f 323 a
Achmetes *præfectus classis Turcicæ Hydruntum intercepit* 183 f
Adam *episcopus Morinensis* 518 d
† Adamnus *scripsit Vitam S. Columbæ* 736 f
Adela *uxor Balduini Comitis Flandriæ* 231 b, 233 c
Adelaidis *regina, uxor Hugonis Capeti, fundavit collegium Canonicorum* 302 d
† Adelardus *abbas Corbiensis* 211 d
† Adelgarius *præsul Bremensis* 211 d
Adilberga *vel* Bertha *regina Angliæ* 549 a
Adimari *(Raphaël) scriptor Italus* 214 c
Adrianus *Papa I varias Martyrum ecclesias restituit* 8 c
Adrianus VI *Pontifex* 322 a
Ægidius *Remensis archiepiscopus* 747 b
Ægidius *Viterbiensis S.R.E Cardinalis* 675 a b
† Ængussius *scriptor Hibernus* 738 d
Æoladius *episcopus Nivernensis* 297 e
Agiulphus *vel* Aigulphus *episcopus Metensis* 55 b
Agnellus *conscripsit Vitas præsulum Ravennatum* 17 c
Agnes *abbatissa monasterii Pictaviensis, in quo S. Radegundis vixit* 56 a b, 78 f 79 a
Agræcius *episcopus Antipolitanus* 749 b
† Agricolus *episcopus Avenionensis* 755 b e f
Alaricus *rex Visigothorum* 748 e
Albertinus *(Nicolaus) episcopus Spoletanus et postea S. R. E. Cardinalis* 682 a
Albertus *Ernestus episcopus Laodicensis et coadministrator Ratisponensis* 607 b
Albertus *(Leander) Dominicanus edidit Vitam S. Hyacinthi* 310 a b, 339 b
Albizius *(Antonius) scripti de stemmatibus principum Christianorum* 50 f
Alboïnus *rex Longobardorum* 50 e, 749 c
Albuinus *præsul Fritzlariensis* 137 a f
Alexander III *Papa* 9 b c e, 11
Alexander IV *Pontifex* 177 f
Alexander VI *Papa* 188 d e f
Alexander VII *Pontifex* 413 b e
Alexander *(Natalis) refutavit Rivetum ministellum hæreticum* 565 e f, 566 c
Alexandra *non videtur fuisse uxor Diocletiani imperatoris* 264 c d
Alexandro *(Bernadinus de) testis oculatus cædis Hydruntinæ* 192 e f, 193 a b c
Alexius *quidam sietitius scriptor* 521 a b et seqq.
Alfonsus *Calabriæ Dux* 180 a, 181 a, 182 a
Almannus *scriptor seculi noni asserit, S. Helenam Treviris natam esse* 549 et seqq.
Alphonsus *rex Hispaniæ* 30 c f, 32 a
† Althæus *episcopus Sedunensis* 274 a
Amcloveen *(Theodorus Jansonius ab) præfectos urbis Romanæ Fastis suis consularibus subjunxit* 526 d
Anastasius IV *Pontifex* 580 b, 606 a b
Anastasius *cornicularius quis fuerit* 537 b
† Anastasius *episcopus Interamensis cum alio synonymo martyre confusus* 457 b c et seqq.
Andreas *rex Hungaria* 143 c
Andreas *abbas S. Gaudentii in Italia* 216 b c e f
Andreas *(Valerius) edidit Bibliothecam Belgicam* 229 a
Angelrannus *vel* Ingelrannus *episcopus Laudunensis* 246 f, 247 a
Angelrannus *episcopus Ambianensis* 257 d
Anianus *abbas Aldenburgensis* 223 d e
Anna *Comnena laudat eruditionem S. Maximi* 103 a b
† Anno *præsul Coloniensis* 434 c
Anselmus *monasterii Gemblacensis abbas* 226 b
Antenori Scalabrinus *(Josephus) aliqua de sanctis Ferrariensibus operose collegit, et ad nos misit* 178 f
Antolinez *(Augustinus) archiepiscopus Compostellanus* 666 b
† Antonius *in Opere Historiarum meminit de S. Ludovico Tolosano* 791 c
Antoninus *imperator quomodo cognomen Caracallæ acceperit* 42 a

Apollodorus

Apollodorus *episcopus Corcyræus* 496 a
Aquinas *(Thomas) Carmelita edidit Vitam S. Calminii Ducis Aquitaniæ* 756 c, 759 d
Araujo *(Franciscus de) scripsit historiam martyrum Hydruntinorum* 180 a, 183 f
Arcadius *imperator* 187 a
Arduinus *abbas S. Sabini* 177 e
Arenis *(Franciscus de) archiepiscopus Brundusinus* 180 f, 188 a
Arimino *(Nicolaus de) scripsit Vitam B. Rainaldi præsulis Ravennatis* 689 f, 692 c
Armatus *(Nicolaus) episcopus Tudertinus* 24 c d, 25 c
Arnulfus *Lotharingiæ rex* 138 d
Arpe *(Augustinus Maria) S. Radegundem Ordini Augustiniano perperam adseribit* 62 d
Aste *(Franciscus Maria de) archiepiscopus Hydruntinus Martyrologium Romanum notis illustravit* 264 b, 702 f, 703 a b
† Athanasia *post duplex matrimonium monialibus aggregatur ac præficitur* 170 c f
Athanasius *Jacobitarum patriarcha* 120 b, 121 e
† Augustinus *verosimiliter scripsit Vitam S. Alypii, etsi hæc jam non inveniatur* 202 e f
Aurelianus *imperator quamdiu regnaverit* 526 a
Aurelius Alexander *imperator erga Christianos bene affectus* 527 a b
Auremundus *abbas Mariacensis, qui S. Juniano successit* 42 c, 44 f
† Austregisilus *præsul Bituricensis* 297 e f

B

Baccharis *(Antonius de) episcopus Scodrensis et sedis Hydruntinæ vicarius* 191 f, 192 c, 198 e
Badericus *rex Thuringiæ* 49 b
Baldericus *præsul Ultrajectensis* 476 b 479 f
Balduinus *Comes Flandriæ* 231 b, 233 c
Balduinus *Comes Montensis* 274 b, 248 f
Balduinus *præsul Trevirensis* 549 f
Baluzius *(Stephanus) edidit Opera Servati Lupi abbatis Ferrariensis* 132 f. *Conscripsit historiam Tutelensem et alias eruditas lucubrationes vulgavit* 758 c
Barlete *vel* Barletta *(Gabriel) concionator ex Ordine S. Dominici* 184 f
Barsica *episcopus Rohensis in Mesopotamia* 551 e
Bartholomæus *episcopus Laudunensis* 257 d
Bartholomæus *abbas Ordinis S. Basilii, et fundator monasterii S. Salvatoris* 698 d e
Basilica Petri *(Carolus a) episcopus Novariensis* 276
Bastide *(Philippus) Benedictinus Cointium refellit* 33 e f
Battorius *(Andreas) S. R. E. Cardinalis* 330 a
Baudonivia *coæva scripsit ex parte Vitam S. Radegundis* 48 e f, 75 a c
Bay *(Thomas Angelus) edidit Acta S. Magni præsulis Tranensis* 703 b, 705 e
Beatillus *(Antonius) S. J. nobis varia de Sanctis subministravit* 706 b
Beaugendre *(Antonius) edidit Opera venerabilis Hildeberti* 66 c d
Beda *(venerabilis) quando obierit* 464 a
Benedictus XI *Pontifex* 797 f
Benedictus XIII *Papa* 142 f
† Benignus *præsul Armacanus* 738 a
† Benno *episcopus Misnensis* 322 a
† Bercharius *abbas Dervensis* 37 b
Berchmannus *(Joannes) venerabilis juvenis e Societate Jesu* 3 b
Berengosus *abbas S. Maximini Treviris* 553 e f
Berlandus *(Petrus) archiepiscopus Burdigalensis* 697 c f
Bergomensis *(Jacobus Philippus) S. Radegundem uxorem Clotarii in matrimonio virginitatem servasse asserit* 52 b c
Bertha *vel* Adilberga *regina Angliæ* 549 a
Bertharius *rex Thuringiæ* 49 b, 50 b
Betto *episcopus Lingonensis* 432 b
Bialobrzeski *(Martinus) episcopus Camenecensis* 330 b c
Bidermannus *(Ernestus) S. J. cultum S. Theodori episcopi Sedunensis investigavit* 273 f
Boëtius *(Vulsinus) scripsit Vitam S. Juniani abbatis* 34 a b e f, 35 a b
Boiardus *(Petrus) episcopus Ferrariensis* 175 f
Bolognettus *(Albertus) S. R. E. Cardinalis* 330 a
Boncompagnus *(Philippus) S. R. E. Cardinalis* 672 a
Bongus *Robertus episcopus Bergomensis* 543 c, 544 a
Bonifacius V *Pontifex* 662 b
Bonifacius VIII *Pontifex* 780 et seqq.
Borukowski *(Joannes) antistes Præmysliensis* 330 b c, 331 *a*
Bosco *(Joannes a) Calestinus edidit aliqua de S. Mamante martyre* 441 b
Bostius *(Arnoldus) scriptor Carmelita* 568 e f
Bouche *(Honoratus) conscripsit historiam Provinciæ in Gallia* 748 b
Bouchetus *(Joannes) Galliece scripsit Annales Aquitaniæ* 46 c
Boudet *(Michaël) episcopus Lingonensis* 430 b
Boulart *(Franciscus) Canonicus Regularis S. Genovevæ Parisiis* 734 c
Bourier *(Joannes) abbas Aldenburgensis* 223 d
Brasseur *(Philippus) scripsit de sacris reliquiis abbatiæ Lætiensis* 528 c
Braunus *(Georgius) scriptor* 22 d
Bresciani *(Petrus) S. J. quædam de Sanctis Ferrariensibus subministravit* 178 f
Brito *(Bernardus de) ex Ordine Cistereiensi scriptor Lusitanus* 434 f
Bulæus *(Cæsar Egassius) scripsit historiam universitatis Parisiensis* 767 a
Burchardus *episcopus Viennensis in Gallia* 698 f
Burchardus *præsul Cameracensis* 257 d
Bzovius *(Abrahamus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 312 f, 325 b et seqq.

C

Cælestinus V *Pontifex* 780 a
Cæsarius *episcopus Arelatensis* 33 e, 61 c
Cæsarius *(Joannes) collegit gesta præsulum Craeoviensium* 341 cd
Cæsius *(Angelus) episcopus Tudertinus* 24 e, 25 a b c
Cajetanus *(Octavius) S. J. scripsit de Sanctis Siculis* 480 c
Clairlanus *præsul Ardmachanus in Hibernia* 662 d
Caletricus *episcopus Carnotensis* 61 b
Callistus II *Pontifex* 254 e, 255 a
Callistus III *Pontifex* 223 d
Calmet *(Augustinus) scripsit Commentarios in sacram Scripturam* 147 c
Calo *(Petrus) ex Ordine Prædicatorum Vitas Sanctorum ex antiquioribus monumentis collegit* 14 c d, 717 f, 718 b
Cameniata *(Joannes) scripsit de exidio Thessalonicensi* 485 e f

Campi

Campi *(Petrus Maria) scripsit historiam ecclesiæ Placentinæ* 177 a b
Camuzatus *(Nicolaus) scripsit historiam Tricassinam vel Trecensem* 293 a b c
Cano *(Philippus Jacobus de) anno* 1728 *Antverpiæ eligitur præfectus confraternitatis S. Rochi* 414 f
Capano *(Francisus Antonius) collegit monumenta de martyribus Hydruntinis* 18 c b
Capello *(Ambrosius) episcopus Antverpiensis* 411 et seqq.
Capnanus *(Petrus) S. R. E. Cardinalis* 267 d
Carbonellus *(Pontius) vir inclytus ex Ordine Minorum* 778 d e
Carolus I *rex Siciliæ* 777 a
Carolus II *rex Siciliæ* 775 b
† Carolus *cognomento* bonus *Comes Flandriæ* 258 f. 259 e
Carolus *simplex Francorum rex* 138 f
Castruccius *(Sebastianus Fantonus) scripsit historiam civitatis Avenionensis* 755 b c
Catellus *(Guilielmus) collegit monumenta historiæ Occitanicæ* 380 e 775 b
† Celidonius *antistes Bisuntinus* 530 a, 532 a
Celtes Protucius *(Conradus) primus Germaniæ poeta laureatus* 765 f, 766 a
Centuriatores *Magdeburgenses ob dicteria adversus Sanctos reprehenduntur* 765 f
† Cerbanus *episcopus Hibernus* 746 c
Cerra *(Franciscus de la) vidit cives Hydruntinos martyrio affici* 197 f, 198 a
Chasteigner de la Roche-Pozay *(Henricus Ludovicus) episcopus Pictaviensis* 46 c
Chiffletius *(Joannes Jacobus) edidit historiam urbis Vesontionensis* 531 f
Ciammariconus *(Philippus) edidit Sanctuarium Anagninum* 705 c
Ciapetti *(Franciscus) scripsit de confraternitate Veneta S. Rochi* 392 b
Clarembaldus *episcopus Silvanectensis* 257 d
Clauss *(Henricus) venerabilis abbas Wiblingensis* 1 f
Clemens IV *Pontifex* 676 e, 677 f
Clemens V *Pontifex* 797 f
Clemens VI *Papa* 143 f
Clemens VII *Pontifex* 310 b, 322 a, 324 et seqq.
Clemens VIII *Pontifex* 310 f, 324 et seqq.
Clemens IX *Papa* 182 c
Clemens X *Papa* 182 c
Clementinus *(Cæsar) conscripsit historiam Ariminensem* 215 e, 216 b
Clotarius *rex habuit varias uxores vel concubinas* 50 c d e f, 51 a, 297 a
Columna *(Jacobus) S. R. E. Cardinalis* 681 c
Columna *(Marcus Antonius) episcopus Prænestinus et S. R. E. Cardinalis.* 530 c
Cointius *(Carolus) Benedictinos impugnat* 33 c d e
Coninck *(Adrianus) nobis posthuma Nicolai Antonii scripta perhumaniter in Hispania communicavit* 32 b
Constantinus *episcopus Spoletanus* 668 c
Constantinus *abbas Nobiliacensis* 37 c
Constantius *Chlorus imperator* 541 a b
Constantinus *Pogonatus imperator* 97 d e
Constans *imperator* 103, c d 104 b
Cornelius *(Federicus) episcopus Bergomensis* 544 a
Coquille *(Guido) edidit Historiam Nivernensem* 274 b
Cotignon *(Michaël) edidit catalogum historicum episcoporum Nivernensium* 296 a b
Coune *(Balduinus) Vitam S. Rochi carmine elegiaco conscripsit* 389 b
Cracovia *(Stanislaus de) Dominicanus scripsit Vitam S. Hyacinthi* 309 b c
Cramaudo *(Simon de) præsul Rhemensis* 604 c d
Cratepolius *(Petrus) Minorita scripsit de Sanctis Germaniæ* 276 f, 766 d
Crispus *Constantini filius jussu patris occisus* 560 f, 561 a
Cristanellus *(Joannes Heraclius S. J. misit ad nos Vitam S. Alberti* 177 a
Crosinus *(Antonius) scriptor* 22 a d
Croy *(Carolus de) episcopus Tornacensis* 224 c
† Cumineus *scriptor Hibernus* 739 d e
† Cyprianus *episcopus Telonensis* 748 c, 749

D

Dado *primus abbas monasterii Conchensis* 71 c
Dagobertus II *vel* III *rex Francorum* 249 f, 251 d
† Damasus *Papa tumulum S. Tarsicii martyris epitaphio metrico ornavit* 201 e
† Damiani *(Petrus) composuit sermonem de S. Cassiano martyre* 19 c
David *episcopus Menevensis* 260 c
Davila *(Ægidius Gonsalvus) edidit Theatrum ecclesiasticum Hispaniæ* 386 a, 801 c
Davila *(Sancius) episcopus Giennensis scripsit Opus de veneratione reliquiarum* 801 e
Delbertus *præsul Senonensis* 257 d
Diago *(Franciscus) scripsit Historiam Comitum Barcinonensium* 786 c
Diderichius *(Petrus) abbas Rometsdorfensis ex Ordine Præmonstratensi* 142 b
Didimia *vel* Didima *abbatissa quarta monasterii Pictaviensis* 74 f, 75 b c
Diedus *(Franciscus) conscripsit Vitam S. Rochi* 394 b c, 399 a b
Dionysius *Lusitaniæ rex ab imminente mortis periculo liberatur per invocationem S. Ludovici Tolosani* 796 c d
Dlugossus *vel Longinus (Joannes) historicus Polonus* 310 f, 319 c
Domenec *(Antonius) scriptor Hispanus ex Ordine Prædicatorum* 731 a
Domitianus *episcopus Andegavensis* 61 b
Domnolus *episcopus Cenomanensis* 61 b
Dunin Volski *(Petrus) episcopus Plocensis* 330 b, 331 a
Ditmarus *episcopus Merseburgensis* 46 f
Ducas *(Michaël) imperator* 440 d, 444 b

E

† Eadwardus *rex Angliæ* 231 b, 233 c
Ecclesia *(Franciscus Augustinus ab) episcopus Salutiensis* 273 e
Echardus *(Jacobus) ex Ordine Prædicatorum scriptor corrigitur* 14 d
Eckhart *(Joannes Georgius ab) de etymologia monasterii Amorbacensis disserit* 461 e f
Eggehardus *Vragiensis abbas et scriptor* 210 f
Eleutheria *non fuit uxor Diocletiani imperatoris* 264 a b c
Elias *patriarcha Hierosolymitanus* 481 a
Emmius *(Ubbo) heterodoxus Frisiæ scriptor reprehenditur* 711 d e f 712 a
Emon *abbas Werumensis in Frisia scripsit Chronicon* 748 b
Enen *(Joannes) Germanice edidit Gesta Trevirensium* 550 b

Engelbertus

Engelbertus *abbas Amorbacensis nobis multa communicavit de S, Amore* 460 c, 475 a d
Engelgrave *(Joannes) subministravit documenta de cultu S. Rochi apud Antverpienses* 410 f, 415 a c
† Ennodius *episcopus Ticinensis* 18 f
Eobanus *Hessus poëta Germanus de mausoleo S. Sebaldi carmen composuit* 767 f, 768 a b
Ephensteiner *(Antonius) e Societate Jesu Rector Collegii Elvacensis* 3 d
† Epiphanius *quando Panarium seu librum adversus hæreses scripserit* 152 f
Erasmus *episcopus Plocensis* 333 a
Erdtmannus *(Christianus) scripsit libellum de urbe Norimbergensi* 763 b
Eudoxia *vel* Eudocia *quædam imperatrix an inter Sanctas collocanda?* 3 b
Eufronius *præsul Turonensis* 59 d, 80 c f
Eugenius IV *Pontifex* 668 d
Eufanius *(Josephus) episcopus Helenopolitanus* 202 c
Eusebius *episcopus Santonensis* 79 c, 80 e
Eusebius *patriarcha Hierosolymitanus* 481 b
Eutychius *patriarcha Alexandrinus* 551 e
Everaert *(Melchior) abbas monasterii Aldenburgensis* 224 e

F

Fabri *(Hieronymus) scripsit de sacris Ravennæ monumentis* 688 b, et seqq.
Fausta *uxor Constantini imperatoris jussu ejus interfecta* 560 f, 561 a
Felix III *Pontifex* 527 c
Felix *episcopus Nannetensis* 61 b
Ferdinandus *rex Aragoniæ* 180 e
Ferrarius *(Sigismundus) scriptor ex Ordine Prædicatorum* 314 b c d
Ferreolus *episcopus Lemovicensis* 33 b
Filibien *(Michaël) conscripsit historiam abbatiæ S. Dionysii* 11 d
Filleau *(Joannes) varia de S. Radegunde regina collegit* 66 a b c, 67 a
† Firminus *episcopus Virdunensis* 655 d e
Fontaninus *(Justus) non ita pridem edidit codicem canonizationum* 331 b c
Foppens *(Joannes Franciscus) auxit et illustravit diplomata Belgii* 229 e f
† Fortunatus *episcopus Tudertinus* 168 d
† Fortunatus *Vernotensis* 729 e
† Fortunatus *fuit familiaris S. Radegundis ac post ea episcopus Pictaviensis* 48 a b c
† Franciscus *de Paula prævidit ac prædixit cladem Hydruntinam* 184
Franciscus I *rex Galliæ* 803 b
Fremaut *(Benignus) Acta Sanctorum ad Ordinem Franciscanum spectantia Flandrice edidit* 778 d
Fridericus II *imperator* 177 c
Frodoardus *Canonicus Rhemensis scripsit carmen de S. Bertulfo abbate* 754 b c
Fronimius *vel* Phronimus *episcopus Metensis cum S. Firmino confusus* 654 c, 655 a
Fulco *abbas S. Hilarii* 35 f, 36 a
† Fulradus *abbas monasterii S. Dionysii* 9 d, 10
Furmerius *(Bernardus Gerbrandus) scripsit de rebus Frisicis* 710 e

G

Galateus *(Antonius) scripsit de situ Japygiæ* 181 f
Galla *Placidia mater Valentiniani III imperatoris* 530 a
Gallonius *(Antonius) edidit opusculum de Crucibus Martyrum* 534 c d
Gallus *frater Juliani apostatæ* 430 d
Galtherus *præsul Bisuntinus* 530 a f. 531 a b f
Gamratis *(Petrus de) archiepiscopus Gnesnensis* 330 d
† Garinus *episcopus Sedunensis* 264 a
† Gaudentius *episcopus Novariensis* 281 b
Gaultherot *(Dyonisius) conscripsit historiam Lingonensem* 550 b
Gennadius *Massiliensis egit de scriptoribus ecclesiasticis* 742 a
Georgius *patriarcha Alexandrinus scripsit Vitam S. Chrysostomi* 108 b
† Geraldus *vel* Giraldus *abbas Sylvæ majoris in Gallia* 237 f, 238 f, 239 a b
Gerardus *præsul Spoletanus* 670 f
Gerardus *episcopus Morinorum* 607 d
† Germanus *episcopus Antissiodorensis* 55 c, 72 a
† Germanus *episcopus Parisiensis* 55 c, 61 b
Gervinus *episcopus Ambianensis* 607 d
Girard *(Bernardus de) perperam asserit, Clotarium ex S. Radegunde liberos suscepisse* 52 e
Goar *(Jacobus) scripsit notas ad historiam Theophanis* 169 d
Godefridus *episcopus Lingonensis* 427 c d, 435 a, 439 e
† Godehardus *episcopus Hildesiensis* 210 f
Godolenus *abbas monasterii Nobiliacensis* 33 d 38 f
Gononus *(Benedictus) scriptor ex Ordine Cælestinorum corrigitur* 32 f, 735 f, 736 d
Gormauus *(Marianus) Martyrologus Hibernus* 737 b
Goscelinus *episcopus Metensis* 71 e
Gotfridus *Viterbiensis asserit, sanctam Helenam Treviris natam esse* 549 b
Gouvea *(Antonius de) episcopus Cyrenensis scripsit Hispanice Vitam S. Claræ de Monte-Falco* 672 a
Gramatius *episcopus Metensis* 655 d
Grand *(Albertus le) scripsit de Sanctis Britanniæ Minoris* 662 b
Gregorius II *Pontifex* 766 c e, 771 c
† Gregorius VII *Papa* 237 f, 239 a, 245 a
Gregorius XIII *Pontifex* 201 f
† Gregorius *episcopus Agrigentinus* 482 c d
† Gregorius *Turonensis exsequiis S. Radegundis reginæ interfuit* 48 f, 64 d e f
Gretserus *(Jacobus) S. J. inter alias multas lucubrationes scripsit de Cruce* 566 e. *Varios Sanctos ab hæreticorum ludibriis vindicavit* 764 e f
Grimaldus *(Antonius) unus ex martyribus Hydruntinis* 186 c d e, 193 et seqq.
Gropp *(Ignatius) Benedictinus nuper edidit historiam monasterii Amorbacencis* 460 et seqq.
Gualterius *(Philippus Antonius) episcopus Imolensis* 18 a
Gualterius *(Pompeius) Canonicus ecclesiæ Hydruntinæ* 180 c
Guarnerius *(Joannes Antonius) scripsit de Sanctis Bergomensibus* 593 f
Guarricus *vel* Guerricus *abbas Igniacensis* 698 e f
Guerrius *(Martinus Antonius) edidit synopsim ecclesiæ Bergomensis* 540 d
Guesnayus *(Joannes Baptista) S. J. conscripsit Annales Massilienses* 758 f
Guilielmus *episcopus Lingonensis* 439 e f
Guilielmus *vel* Wilhelmus *episcopus Catalaunensis* 257 d,

257 d, 259 c
Guillimannus (*Franciscus*) *scripsit de rebus Helveticis* 273 c, 277 b
Gundisalvus *episcopus Burgensis in Hispania* 30 c f, 32 a

H

Haimo *episcopus Halberstadensis* 211 f
Hamconius (*Martinus*) *scripsit de rebus Frisicis* 710 e, 712 c
Harduinus (*Joannes*) *S. J. vulgavit collectionem conciliorum* 497 a
Hariolfus *episcopus Lingonensis non videtur debito cultu honorari, ut inter Sanctos locum habere possit* 3 c
Hariulfus *abbas Aldemburgensis* 228 et seqq.
Harlæus (*Franciscus*) *archiepiscopus Parisiensis* 391 b
Haroldus (*Franciscus*) *edidit Vitam et Opera venerabilis Alberti de Sarthiano* 192 e
Hatto, Haito, *vel* Hetto *episcopus Basileensis* 9 c
Helinandus *episcopus Laudunensis* 247 a
Henricus *episcopus Silvanectensis* 301 c f
Henricus IV *rex Galliæ* 441 b
Henricus VIII *rex Angliæ* 700 d
Henricus *Huntigdoninensis scriptor Anglus* 548 e
Heraclius *imperator* 97 c d
Heredia (*Antonius de*) *S. Claram Assisiatem Ordini Benedictino perperam adscribit* 670 d
Hermenefridus *rex Turingiæ* 49 b e, 50 b
Hertzwormius (*Arnoldus*) *composuit historiam Susterenensem* 138 a, 509 c
† Hibarus *episcopus Hibernus* 746 c
† Hilarius *episcopus Pictaviensis* 40 a b
Hilarius *præsul Bisuntinus* 570 a b
Hilduiuus *episcopus Lingonensis* 444 c, 446 b
Hilgotus *episcopus Suessionensis* 259 e f
Hincmarus *præsul Rhemensis* 603 f
Hogerus *præsul Bremensis* 211 d
Honoricus *Papa Romanus defenditur* 116 d e
Hugo *præsul Bisuntinus* 530 a, 531 b
† Hugo *abbas Cluniacensis* 237 f, 239 a
Hugo (*Carolus Ludovicus*) *abbas Præmonstratensis edidit monumenta sacræ antiquitatis* 748 b
Hugo *episcopus Suessionensis* 607 d
Hugolinus *S. R. E. Cardinalis et Ostiensis ac Velitrensis episcopus* 305 b
Hulst (*Oliverius Vander*) *abbas monasterii Aldenburgensis* 224 c
Hunnericus *rex Wandalorum* 454 c f
Huss (*Joannes*) *hæreticus in concilio Constantiensi damnatus* 383 d

I

Jacobillus (*Ludovicus*) *conscripsit Vitas Sanctorum Umbriæ* 24 b, 167 f
Janingus (*Conradus*) *composuit dissertationem de primis Umbriæ apostolis* 458 b c
Inchofer (*Michaël*) *edidit librum de tribus Magis evangelicis* 569 e
Ingelrannus *vel* Angelrannus *episcopus Laudunensis* 246 f, 247 a
Innocentius I *Pontifex* 281 b
Innocentius II *Pontifex* 606 a d
Innocentius IV *Pontifex* 177 b d f
Innocentius VIII *Pontifex* 182 e f
Innocentius X *Pontifex* 528 b
Innocentius XII *Pontifex* 665 f
Joannes XV *Pontifex* 141 d
Joannes XXII *Papa Ludovicum Tolosanum episcopum numero Sanctorum adscripsit* 797 f, 798 a
Joannes XXIII *Pontifex* 176 b
Joannes *Toletanus S. R. E. Cardinalis* 325 a
Joannes *Andreas S. R. E. Cardinalis et archiepiscopus Messanensis* 514 b
Joannes *patriarcha Hierosolymitanus* 481 a
Joannes *episcopus Tornacensis* 223 d
Joannes *episcopus Cabilonensis* 31 a
Joannes *episcopus Alatrensis* 303 f
Joannes *episcopus Apameensis* 152 a
Joannes *episcopus Morinorum* 257 d
Joannes *præsul Rhemensis* 223 d
Joannes *episcopus Ariminensis* 218 f, 219 d
Joannes I *abbas Altivillarensis* 604 c
Joannes *Dux Bituricensis* 65 c
Joannes *a sancta Maria scriptor Gallus ex Ordine Prædicatorum* 313 d
† Joannicius *abbas quando obierit* 169 a
Joffredus *episcopus Carnotensis* 257 d e
Jonas *monachus Bobiensis in Italia scripsit Vitam S. Bertulfi abbatis* 750 et seqq.
Irene *imperatrix an inter Sanctas collocanda sit, dubitatur* 2 c d e. *Magni faciebat lucubrationes S. Maximi* 103 a b
Irene *mater S Athanasiæ viduæ* 170 c
Isdegerdes *rex Persarum* 286 c e, 289 b d
Julianus *apostata in templo S. Mamantis mirum præsagium experitur* 430 d e f
Julius II *Pontifex* 513 f, 514 b
† Junianus *abbas cum eremita ejusdem nominis male confunditur* 33 a b c
Justinus *imperator reliquias Dominicæ crucis ad S. Radegundem misit* 59 c d
Justinus *historicus scripta Trogi Pompeii in compendium redegit* 536 b
Ivo *episcopus Carnotensis* 259 f
Iwo *episcopus Cracoviensis* 311 c, 312 c d

K

Kadlubko (*Vicentius*) *episcopus Cracoviensis* 312 d, 341 d
Keck (*Joannes*) *S. Amorem abbatem Amorbacensem cum altero synonymo confudit* 462 et seqq.
Keferloherus (*Innocentius*) *Vitam S. Alypii ex Operibus S. Augustini collegit* 202 f, 203
Kempensis (*Thomas*) *post obitum Swollam transfertur* 1 f
Kempius (*Cornelius*) *scripsit opusculum de rebus Frisicis* 710 e, 712 a
Kennethus I *vel* II *rex Scotiæ* 663 e f
Ketennus *scriptor Hibernus* 739 b
Kirkestede (*Joannes*) *scripsit opusculum de præcipuis Hiberniæ præsulibus* 657 a
Kloppenburg (*Joannes*) *S. J. de cultu S. Ludolfi et B. Druthmari nos instruxit* 139 b c
Kritzraedt (*Jacobus*) *S. J. de cultu S. Zuentiboldi nos certiores reddidit* 148 e d

L

Lactautius *Neapolitanus abbas congregationis Olivetanæ* 705 a
Lagettus (*Michaël*) *scripsit de martyribus Hydruntinis* 183 d e
Laguille (*Ludovicus de*) *S. J. edidit Historiam Alsatiæ* 643 f
Lambertus *episcopus Tornacensis et Noviomensis* 223 b, 254 e, 255 a, 257 d

Lambertus *Schafnaburgensis scriptor seculi undecimi* 762 c
Lamparter (*Henricus*) *S. J. quædam de S. Radiana vel Radegunde virgine subministravit* 96 d
Landulfus *S. R. E. Cardinalis et Sedis Apostolicæ in Sicilia legatus* 784 b c
Langus (*Matthæus*) *archiepiscopus Salisburgensis et S. R. E, Cardinalis* 93 f, 94 a b
Latomus (*Joannes*) *texuit catalogum archiepiscoporum Moguntinensium* 461 b
Laurentius *monachus Rutiensis scripsit Vitam S. Maximi* 97 e, 421 c e
Lazius (*Wolfgangus*) *scripsit Opus de migratione gentium* 467 d
Lefastus *vel* Leifastus *episcopus Augustodunensis* 83 a d
Leibnitius (*Godefridus Guiliemus*) *inter Accessiones suas historicas edidit Gesta Trevirensium* 550 b
Lellis (*Carolus de*) *edidit Neapolim sacram* 182 f
Leo VII *Pontifex* 458 a b
Leo X *Pontifex* 310 b c, 322 d
Leo *cognomento* sapiens *vel* philosophus, *imperator et filius Basilii Macedonis* 485 d
Leo *abbas Cavensis* 696 d
Leonardus *abbas Cavensis* 518 c
Leone (*Petrus de*) *S. R. E. Cardinalis* 223 c
Leondarius (*Joannes*) *vidit cædem civium Hydruntinorum* 193 d e f, 174 a
Leontius *præsul Burdigalensis* 79 e, 80 e
Letaldus *monachus Miciacensem descripsit translationem S. Juniani abbatis* 37 e
Letznerus (*Joannes*) *Germanice scripsit chronicon, quod erroribus historicis scatet* 140 a b
† Leudomirus *episcopus Catalaunensis* 747 b
Leupot (*Romualdus*) *aliqua recentiora miracula S. Helenæ subministravit* 644 a b
Leydis (*Joannes Gerbrandus a*) *Carmelita collegit Acta S. Jeronis* 476 c d
Lezana (*Joannes Baptista de*) *SS. Cæsariam et Radegundem Ordini Carmelitano accenset* 61 e f, 62 a
Libanius *sophista refellitur* 575 f
Licinius *imperator* 272 d f
Licio (*Robertus a*) *ex Ordine Minorum episcopus Aquinatensis* 789 a
Liutargus *vel* Luitardus *episcopus Spoletinus* 458 a b
Lisiardus *episcopus Suessionensis* 227 e et seqq.
Locatellus (*Eudoxius*) *Simonem monachum Vallumbrosanum appellat beatum, de quo titulo dubitamus* 145 a b
Longuevallius (*Jacobus*) *scripsit vernacule historiam ecclesiæ Gallicanæ* 53 c d
Longus (*Joannes*) *testis oculatus martyrii Hydruntinorum* 194 b c d e f
Lubomlius (*Severinus*) *Cracoviensis scripsit Vitam et miracula S. Hyacinthi* 310 et seqq.
† Ludovicus *rex Galliæ tertio Ordini S. Francisci adscribitur* 382 b
Ludovicus *Crassus rex Galliæ* 245 b
Ludovicus VII *Galliæ rex* 11 c
Ludovicus VIII *Galliæ rex numerosam prolem habuit* 775 b
Ludovicus *Romanorum rex* 142 f
Ludovicus *pater Philippi II regis Galliæ* 439 f
Ludovicus *Hassiæ et Thuringiæ Lantgravius* 143 c
Lullus *præsul Moguntinus* 137 a

M

Macarius *episcopus Hierosolymitanus* 561 et seqq.
Mac-Camæil (*Arthurus*) *episcopus Clochorensis in Hibernia* 208 c
Mac-Catafaid (*Matthæus*) *episcopus Clochorensis in Hibernia* 208 c
Magnus *rex Norvegiæ* 704 f
Maguir (*Cathaldus*) *scriptor Hibernus* 738 e
Maire (*Fransciscus le*) *conscripsit historiam Aurelianensem* 605 c
Malabranca Ursinus (*Latinus*) *S. R. E. Cardinalis in opinione sanctitatis mortuus* 1 f
Maldura (*Petrus Ludovicus*) *laudat Diedum ob conscriptam S. Rochi Vitam* 394 f, 395 a b
Malliaco (*Maria de*) *revelationibus clara* 67 b
† Mamilianus *præsul Parnormitanus* 482 d
Manrique (*Bernardus*) *episcopus Malacitanus* 802 f
Manzonius (*Antonius Maria*) *edidit historiam episcoporum Imolensium* 16 a, 17 d
Marcello (*Guilielmus de S.*) *conscripsit Vitam S. Ludovici Tolosani* 8 c, 5 b
Marcus *Ulyssipponensis scriptor ex Ordine Minorum* 805 d
Marcwardus *abbas Corbeiensis* 139 e f
Marieta (*Joannes*) *concinnavit historiam de sanctis Hispaniæ* 30 f
Marnavitius (*Joannes Tomcus*) *scriptor Dalmata rejicitur* 264 e f, 265 d
Maroveus *episcopus Pictaviensis* 59 d, 60 e f 64 f
Marquez (*Joannes*) *scripsit de Origine Eremitarum S. Augustini* 670 a
Martellus (*Carolus*) *pater Caroli II regis Hungariæ* 800 e
Martianus (*Joannes Michaël*) *Canonicus Hydruntinus et scriptor* 183 f
Martinelli *Dominicus*) *graphice adumbravit urbem Venetam* 392 a
† Martinus *in Pannonia natus est* 49 d
† Martinus I *Papa Romanus* 102 c
Martinus V *Pontifex approbat immemorabilem cultum S. Sebaldi* 763 b c et seqq.
Mascarius (*Guido*) *antistes Tolosanus* 781 f, 782 a
† Maternus *præsul Mediolanensis* 540 c
Mauritius *imperator* 64 b c d
† Maurus *episcopus Cæsenas* 215 b
Maurus *abbas Glannafoliensis* 33 d
Maximus *episcopus Ticinensis* 18 f, 19 a
Maximus *præsul Genevensis* 274 f
Maynardus *primus Livoniæ episcopus* 146 a
Megenfridus *chronographus Fuldensis seculo X floruit* 461 f, 462 a
Meleun (*Anna de*) *inter venerabiles feminas collocata* 2 a
Michaël *Amoriensis imperator* 169 e
Michaël *episcopus Corcyrensis* 496 a
Milewski (*Jacobus*) *episcopus Laodicensis et suffraganeus Cracoviensis* 331 a
Miræus (*Joannes*) *episcopus Antverpiensis* 411 b
Monteil (*Josephus de*) *conscripsit Vitam S. Radegundis* 65 e
Morerius (*Ludovicus*) *Gallice collegit Dictionarium historicum* 67 c e
Morinus (*Joannes*) *scripsit Commentarium de sacris Ecclesiæ ordinationibus* 54 d
Mosconius (*Isidorus*) *Vitam S. Claræ de Monte-Falco ex antiquis instrumentis collegit* 666 et seqq.

et seqq.
Murerus (*Henricus*) *ex Ordine Cartusiano scriptor Helvetus* 275 c f
Muro (*Joannes de*) *Minister Generalis Minoritarum* 782 a
Mutinensis (*Jacobus*) *episcopus Sebastenus* 518 f
Mutius (*Marius*) *scriptor Bergomensis* 539 c d
Myskowski (*Petrus*) *episcopus Cracoviensis* 330 b

N

Natali (*Baptista de*) *vidit martyres Hydruntinos a Turcis interfici.* 197 c d e
Natalibus (*Petrus de*) *episcopus Equilinus quando vixerit et scripserit* 398 a b c d
Nicetas *scripsit commentarios ad orationes S. Gregorii Nazianzeni* 428 f
Nicetas *pater S. Athanasiæ viduæ* 170 c
† Nicephorus *patriarcha Constantinopolitanus* 98 a b
Nicolaus *marchio Atestinus* 175 f
Noguierius (*Franciscus*) *scripsit historiam ecclesiæ Avenionensis* 775 b
Nonnus *episcopus Berœensis* 726 f
Notcherus *abbas Altivillarensis scripsit de translatione corporis S. Helenæ* 607 b c d
B. Notkerus *circa finem seculi noni scripsit suum Martyrologium* 20 d

O

Odilbaldus *præsul Ultrajectensis* 475 e, 476 b
Odo *Suessionensis abbas S. Medardi forte duplex distinguendus* 255 e, 257 b
Oisy (*Everardus de*) *episcopus Tornacensis* 229 f
Okolski (*Simon*) *scriptor Dominicanus* 311 d
Opizo *præsul Ravennas* 689 e
Opmerus (*Petrus*) *scripsit de Martyribus Hollandiæ* 476 c
Otto *Frisingensis asserit, S. Helenam Treviris natam esse* 549 b
Overhamus (*Adolphus*) *scripsit Vitam B. Meinwerci* 139 e

P

Pagius (*Antonius*) *edidit testamentum S. Ludovici Tolosani* 787 e
Palæonydorus (*Joannes*) *scriptor Carmelita* 568 e f
Palladius *episcopus Tolonensis* 749 b
Panemollis (*Joannes*) *testis oculatus martyrii Hidruntinorum* 196 e f, 197 a b
Pantaleon (*Henricus*) *edidit Prosopographiam* 277 c
Patroclus *præsul Arelatensis* 291 f
† Paulinus *episcopus Nolanus* 202 c d
Paulus III *Pontifex* 325 a, 326 c d e
Paulus IV *Pontifex* 224 b c
Paulus *episcopus Constantinopolitanus et hæreticus Monothelita* 121 b, 122 c d
Pavosius (*Angelus*) *fuit testis oculatus cædis martyrum Hydruntinorum* 195 a b c d
Pelagius *episcopus Legionensis* 179 c
Pelagius (*Alvarus*) *scripsit Opus de planctu Ecclesiæ* 785 b
Pendinellus (*Angelus*) *Canonicus Hydruntinus, et testis oculatus cladis Hydruntinæ* 185 b c, 196 a b c d
Peregriuis (*Bartholomæus de*) *scripsit de Sanctis Bergomensibus* 540 a
Peregrinus (*Bernardus*) *episcopus Barcinonensis* 786 c
Perefixus (*Harduinus*) *archiepiscopus Parisiensis* 391 b
Pessiua de Czechorod (*Thomas Joannes*) *decanus ecclesiæ metropolitanæ Pragensis et episcopus Samandriensis* 311 f
Petri (*Suffridus*) *scripsit de rebus Frisicis* 71 c e
Petrus *episcopus Bellovacensis* 257 d
Petrus *episcopus Tarcensis* 726 a
† Petrus *episcopus Anagninus* 710 a b
† Petrus *martyr ex Ordine Prædicatorum* 177 f
Petrus *rex Aragoniæ* 380 f
Petrus *ex Ordine Minorum episcopus Epulanus* 779 a 803 b
Peyronettus (*Simon*) *Catalogum Sanctorum ac Sanctarum notis illustravit* 65 d
Phasellus (*Thomas*) *Dominicanus scripsit de rebus Siculis* 480 d
Philippus *episcopus Catalaunensis* 607 d, 611 c
Philippus II *rex Hispaniæ* 412 a b
Philippus I *rex Galliæ* 443 f
Philippus II *rex Galliæ* 439 f
Philippus VI *rex Francorum* 800 c
Philippus *rex Galliæ* 232 b, 233 d
Philippus *Comes Flandriæ* 223 e
Phroninus *seu* Phromimus *episcopus Metensis cum altero confusus* 654 c
Pientius *episcopus Pictaviensis* 55 d
Piergilius (*Baptista*) *scripsit Vitam S. Claræ de Monte-Falco* 664 et seqq.
Pinius (*Ignatius*) *S. J. officiosus Operis nostri adjutor* 522 a b
Pinus (*Joannes*) *scripsit Vitam sancti Rochi* 380 c, 383 d, 396 a
Pipinus *rex Francorum* 530 b
Pius IV *Pontifex* 387 d f
† Pius V *Papa* 202 a
Pius *vel* Plodius (*Michaël*) *scriptor ex Ordine Prædicatorum* 315 a
Platus (*Hieronymus*) *S. J. scripsit Opus de Bono status religiosi* 789 b
Pocockius (*Edwardus*) *Annales Arabicos Eutychii patriarchæ Alexandrini Latine interpretatus est* 551 e
† Porphyrius *episcopus Gazensis* 287 a
Portu (*Reginaldus le*) *episcopus Lemovicensis* 734 e
Possevinus (*Joannes Baptista*) *scripsit de Sanctis Tudertinis* 168, a 698 a
Possinus (*Petrus*) *S. J. nobis suppeditavit monumenta de B. Laurentio eremita* 303 a, 304 c
Præstantius *episcopus Bergomensis* 540 e
Prætextatus *præsul Rothomagensis* 61 b
Praga (*Hieronymus de*) *hæreticus in concilio Constantiensi damnatus* 383 d
Prandotha *episcopus Cracoviensis* 344 a b
Pressa (*Philippus de*) *testatur de incorruptis martyrum Hydruntinorum corporibus* 298 b c d
Prisca *fuit uxor Diocletiani imperatoris* 263 et seqq.
† Procopius *episcopus Tauromenitanus et martyr* 486 b, 499 b
Procus *vel* Provus *episcopus Dertonensis* 752 f, 753 f
Prudentius *poëta Hispanus scripsit de S. Hippolyto martyre* 5 et seqq.
Pyrrhus *episcopus Constantinopolitanus et hæreticus Monothelita* 102 a, 122 e

R

Radbodo *episcopus Tornacensis* 249 f, 251 d
† Radegundis *duplex ab alia Radegunde regina et uxore Clotarii distincta* 47 b c
Raderus (*Matthæus*) *Chronicon Alexandrinum Græco-Latine vulgavit* 569 c
Radulfus *præsul Remensis* 228 d, 229 d
Radzivil *(Georgius) S. R. E. Cardinalis* 328 d
Rainaldus *vel* Reginoldus I *istius nominis archiepiscopus Khemensis* 611 b
Rainaldus *vel* Rainoldus *abbas Suessionensis S. Medardi* 233 d e f, 236 a
Raynaudus *(Theophilus) refellit aliquem scriptorem, qui S. Radegundi Clotarii regis uxori virginitatem adscripserat* 52 f, 53 a b c
Reginaldus *(Rupertus) cœnobita Altivillarensis varia nobis de S. Helena suppeditavit* 604 d et seqq.
Relandus *(Petrus) Fastos consulares collegit* 526 d
† Rembertus *præsul Bremensis* 211 d
Rettenpacherus (*Simon*) *scripsit Annales monasterii Cremifanensis* 529 a
Reynaldus *episcopus Lingonensis* 427 c d, 442 f, 443 e f
Rivetus (*Andreas*) *minislellus heterodoxus refellitur* 565 d e f
Roa (*Martinus de*) *edidit librum de antiquitate urbis Malacitanæ* 802 c
Roberti (*Joannes*) *S. J. scripsit et illustravit Vitam S. Huberti* 226 c
Robertus *episcopus Lingonensis* 434 e
Robertus *Francorum rex, Hugonis Capeti filius* 9 c, 11
Robertus *rex Siciliæ, frater S. Ludovici præsulis Tolosani* 799 c
Robertus *vel* Rodbertus *cognomento* Friso *occupavit comitatum Flandriæ* 248 f
Rodoan (*Carolus Philippus de*) *episcopus Brugensis* 223 d
Rodtbertus *episcopus Atrebatensis* 257 d
Roelans (*Alexander*) *eligitur Antverpiæ præfectus confraternitatis S. Rochi* 414 d e f
† Romanus *abbas Jurensis* 732 d
Roricius *vel* Ruricius *episcopus Lemovicensis* 33 b
Rubeus (*Hieronymus*) *conscripsit historiam Ravennatem* 688 f et seqq.
Ruinartius (*Theodoricus*) *edidit historiam persecutionis Wandalicæ* 454 c
Ruodpertus *vel* Robertus *monachus peregrinus scripsit Vitam S. Theoduli* 275 c d
Ruthardus *Comes fundavit monasterium Amorbacense in Franconia* 461 c, 467 f
Rusticus *episcopus Nivernensis* 297 e

S

Salazar (*Joannes Tamayus*) *scriptor Hispanus rejicitur* 264 e f
Salomone (*Petrus de*) *hæreticus ex secla Fratricellorum* 673 b
Sanctius *rex Majoricæ* 380 f
Sansovinus (*Franciscus*) *scripsit de urbe Veneta* 392 a
Sarthiano (*Albertus de*) *vir venerabilis ex Ordine Minorum, de cujus legitimo cultu dubitamus* 199 c
Saturninus *Arelatensis impense favit hæresi Arianæ* 59 b
Saussayus (*Andreas*) *duos Sanctos inter se confudit* 750 e, 751 a b

Scalea (*Valerianus*) *abbas generalis Olivetanæ religionis* 177 a
Scarerius (*Franciscus*) *ex Ordine Minorum episcopus Segetanus* 778 f, 779 a, 803 b
Schannatus (*Joannes Fridericus*) *edidit Vindemiam Litterariam* 142 a
Scheckmannus (*Joannes*) *Latine interpretatus est Gesta Trevirensium* 550 b
Schedelius (*Hartmannus*) *seculo* xv *exeunte vulgavit Chronicon* 764 c
Schelstrate (*Emanuel a*) *bibliothecæ Vaticanæ præfectus et scriptor* 526 e
Schenckinck (*Stephanus*) *Canonicus Mindensis nobis transmisit Acta S. Magni* 705 f
Schmid (*Jacobus*) *S. J. de cultu S. Felicis in Tyroli nos certiores reddidit* 163 c, 164 a b c
Schotelius (*Justus Georgius*) *edidit Opus de lingua Germanica* 771 c
Sedulius (*Henricus*) *Minorita edidit Vitam S. Ludovici præsulis Tolosani* 775 b et seqq.
† Serena *nobis videtur perperam appellari uxor Diocletiani imperatoris* 263 et seqq.
Servatus *Lupus abbas Ferrariensis conscripsit Vitam S. Wigberti* 132 f
Severus *hæreticus errores Eutychianorum propagavit* 122 b
Sigebertus *Gemblacensis laudat S. Arnulfum episcopum Suessionensem* 222 d e f
Sigibrandus *episcopus Pictaviensis* 35 f, 36 a
Sigismundus I *rex Poloniæ* 322 b
Sillis (*Antonius de*) *scribit de tertio Ordine S. Francisci* 382 b
Simlerus (*Josias*) *describit Vallesiam* 273 b, 277 d
Simon *episcopus Meldensis* 301 e f
Sinibaldus *episcopus Imolensis* 17 f
Sixtus *Papa II quando martyrium subierit* 8 a
Sixtus IV *Pontifex* 180 f, 182 e
Sophia *imperatrix uxor Justini* 57 e f
† Sophronius *patriarcha Hierosolymitanus* 122 a
Sosa (*Franciscus de*) *Canariensis episcopus* 801 f
Spondanus (*Henricus*) *episcopus Appamiensis* 782 f
Steborius (*Christophorus*) *S. J. nobis subministravit Acta S. Magni* 705 f
Stengelius (*Carolus*) *eruditus Ordinis Benedictini abbas et scriptor* 93 b
Stephanus IV *vel* VII *Papa* 483 d e
† Stephanus *episcopus Upsalensis* 211 d
Stephanus *præsul Hydruntinus a Turcis occisus* 179 f, 184 c, 185 b c
Sterre (*Chrysostomus vander*) *scriptor Ordinis Præmonstratensis* 142 c
Stumpffius (*Joannes*) *scripsit Germanice chronicon Helvetiæ* 277 d
Suaresius (*Josephus Maria*) *episcopus Vasionensis* 524 c, 525 et seqq.
Suederus *præsul Ultrajectensis* 475 c
Summonte (*Joannes Antonius*) *Italice conscripsit historiam Neapolitanam* 182 d, 782 c
Susteren (*Henricus Josephus van*) *episcopus Brugensis* 223 a

T

Theobaldus *episcopus Suessionensis* 234 a, 236 a, 242
Theodora *uxor Justiniani imperatoris* 264 a b
Theodoricus II *Comes Hollandiæ* 475 c, 476 b
Theodorus *Pontifex Romanus* 122 c, 124 c
Theodorus *patriarcha Hierosolymitanus* 481 a
Theodorus *Cæsariensis episcopus Monothelita* 108 105 c

105 c
Theodosius I *imperator* 153 c, 151 c
Theodosius *junior imperator* 286 f, 287 b c
Theodosius *Alexandrinus episcopus, a quo hæretici Theodosiani nomen traxerunt* 121 f
Thomas *patriarcha Hierosolymitanus* 481 a
Thomas *episcopus Spoletanus* 676 f, 678 a
Tinmouth (*Joannes de*) *scriptor Anglus, ex quo Capgravius sua hausit* 733 c d
Toleto (*Petrus a*) *episcopus Malacitanus* 802 d.
Torellus (*Ludovicus*) *scripsit historiam generalem Ordinis Augustiniani* 670 e.
Torfæus (*Thormodus*) *heterodoxus edidit historiam Norvegiæ* 704 f
Torrigianus (*Lucas*) *præsul Ravennas* 688 c
Trogus Pompeius *historicus, cujus scripta jam perierunt* 536 b
Trugillo (*Thomas de*) *in Thesauro concionatorum agit de Sanctis Hispaniæ* 30 c

U

Ubertus I *episcopus Ariminensis* 215 a
Ubertus II *episcopus Ariminensis* 215 a, 219 e
Urbanus VIII *Pontifex* 181 e
Ursinus (*Fulvius*) *episcopus Spoletanus* 668 a

V

Valesius (*Hadrianus*) *errorem Vulfini Boëtii corrigit* 34 a b
Vararanes V *rex Persarum* 286 a c, 287 d
Vasæus (*Joannes*) *natione Belga scripsit de rebus Hispanicis* 30 f
Venerius *abbas S. Gaudentii in Italia* 215 c d
Victor *episcopus Vitensis* 454 c, 455 e
Victor *episcopus Uticensis* 454 c
Victor *antistes Gratianopolitanus* 274 f
Victorinus *inclytus rhetor Romæ, ad fidem Christianam adducitur* 281 et seqq.
Victorius *præsul Redonensis* 61 b
Villaescusa (*Jacobus Ramirez de*) *episcopus Malacitanus* 802 f
Villaharduinus (*Goffridus*) *scripsit historiam imperii Constantinopolitani* 446 a
Viridis (*Rodulfus vel Radulfus*) *archiepiscopus Rhemensis* 246 f, 247 a
Vitellensibus (*Joannes de*) *patriarcha Alexandrinus* 530 a
Vito (*Paduanus de*) *adfuit martyrio civium Hydruntinorum* 195 f, 196 a
Viventiolus *præsul Lugdunensis* 274 f
Volprecht (*Wolffgangus*) *Lutheri discipulus, qui Norimbergam hæresi infecit* 768 c
Vredius (*Olivarius*) *scriptor Belga* 221 c

W

Waeyer (*Arnoldus*) *scripsit de translatione venerabilis Thomæ Kempensis* 2 a
Waghenare (*Petrus de*) *scriptor Ordinis Præmonstratensis* 142 b c
Wal *abbas Corbeiensis* 141 a
Walterus *præsul Bisuntinus* 530 a f, 531 a b f
† Warinus *abbas Corbeiensis* 211 d
Wicleff (*Joannes*) *hæreticus in concilio Constantiensi damnatus* 383 d
Wigandus *præsul Bambergensis* 768 c
Wilhelmus *præsul Moguntinus* 140 b c
Wilhelmus *episcopus Catalaunensis* 257 d, 259 c
Wilhelmus *abbas Viconiensis ex Ordine Præmonstratensi* 145 f
Willotus (*Balduinus*) *S. J. collegit Martyrologium vel Hagiologium Belgicum* 224 b
Wiltheim (*Alexander*) *S. J. dubitavit olim de cultu S. Zuentiboldi regis* 138 c
Winheim (*Erhardus*) *Cartusianus scripsit de sacris reliquiis Coloniensibus* 528 c
Witfordus (*Richardus*) *edidit anno* 1506 *Anglice Martyrologium* 704 f
Wolfardus *præsul Augustanus* 94 c

Z

Zosimus *historicus et impudens calumniator Christianorum* 557 c d e

INDEX
TOPOGRAPHICUS

A

Abasci *vel* Abasgi, populi Colchidis 131 f
Achaia duplex 421 a d
Adernionis *sive* Adrani oppidum in Ætna monte *natale B. Nicolai eremitæ* 516 c
Adiabenorum regio in Assyria, *vel* in Assyriæ et Mesopotamiæ finibus 594 f
Ægæ, civitas olim Ciliciæ littoralis 437 c
Æginæ insulæ *descriptio* 168 b
Agatha, Agathepolis, Agathe, urbs Galliæ et insula in diœcesi Narbonensi 401 c
Agcium (*Ay*) opp. Galliæ in Campania 632 d
Alani, *ubi habitarint* 131 c
Aldenardense territorium in Flandria, *patria S. Arnulfi ep. et conf* 226 c
Aldenbergensis parthenon in Germania. *B. Gertrudis abbatissa* 142 a
Aldenburgum,

Aldenburgum, locus in Flandria. *S. Arnulfus* 221
Alentio *(Alençon)* opp. in Normannia 794 b
Altivillare, monasterium *(Hautvillers)* in Territorio Remensi, *S. Helenæ prodigiis clarissimum* 600 d, 622 d
Amalphia, urbs ad Tyrrhenum mare 502 c
Amorbacense monasterium in Franconia. *S. Amor vel Amator primus ejusdem abbas* 460 b, 461 c, *ab alio synonymo distinctus* 462 c
Androcala regio in Tauri montis angustiis 704 c
Angleria *(Anghiera)* opp. Italiæ in Ducatu Mediolanensi 403 f
Anglia. *S. Clintancus rex et M.* 733 a
Antverpia. *Gloria posthuma S. Rochi conf* 410 c
Apamea, urbs Syriæ. *S. Marcellus ep. ac martyr* 151 c
Aquæ Sextiæ *(Aix)* urbs Galliæ in Provincia 818 f
Aqua pendens, in Phaliscis Tusciæ 403 c
Arcaria, locus in Messanensi diœcesi. *B. Nicolaus eremita* 513 a, 516 c
Arceyas, opp. territorii Trecensis in Gallia. *S. Balsemius martyr* 292 c
Arelatum, urbs Galliæ in Provincia 15 e
Argensola, cœnobium in diœcesi Suessionensi 638 d e
Ariminum *(Rimini)* urbs Æmiliæ in Italia. *S. Arduinus conf.* 214 b, 218 b
† Armel, pagus diœcesis Rhedonensis 298 b
Assendiense monasterium 213 e
Ateiæ *(Aties)* villa regia in pago Viromanduensi Galliæ; *ubi educata S. Radegundis regina* 69 d c
Athanacense monasterium in Gallia. *An ejusdem abbas S. Badulphus conf.* 732
Athingani populi 169 d
Aulinæ, locus ad mare Tyrrhenum 497 a *(Vide* Salinæ) An idem locus 503 a
Aulon *(la Velona, seu Valona)* urbs Albaniæ 197 c
Aulon seu Aulocrene, convallis 154 c
Avenacum, et Avennacum *(Avenay)* urbecula Galliæ in provincia Campaniæ 630 a
Ausonia interdum generaliter pro Italia accipitur 753 f
Axona *(l'Aisne)* fluv. in Campania Galliæ provincia 632 d

B

Baalon, locus prope Maceriam 644 d
Barrum ad Sequanam *(Bar sur Seine)* opp. non ignobile in Lingonibus 443 f
Barrum triplex 632 c
Belisia, cœnobium in diœcesi Leodiensi 461 a
Benchorense monasterium in Hibernia 660 b
Bergomum in Italia. *S. Projectitius M.* 539 c
Besaluense S. Petri monasterium in Catalonia. *S. Marinus ep. conf.* 731 a
Bescia, Ausoniorum urbs 508 e
Bevelandia, insula Zelandiæ 257 c
Bismantum castrum in Longobardia 754 b
Bisuntii apud Sequanos *caput S. Agapiti M.* 530 a
Bizya, urbs Thraciæ 129 a
Bloërmel in diœcesi Macloviensi 298 b
Bobium, monasterium in Liguria. *S. Bertulfus abbas* 750 b
Bochna *vel* Bochnia, opp. Poloniæ in palatinatu Craeoviensi 367 f
Bononia Morinorum, urbs in Picardia Gallicæ provincia 622 c
Brincola, urbecula Provinciæ, *patria S. Ludovici ep. et conf.* 776 c d e
Briossius pagus *(Briou)* in agro Pictaviensi, *S. Juniani abbatis patria* 40 b
Britannia Armorica in Gallia. *S. Armagilus conf.* 298 a
Buculus, castrum 131 f
Burgi, urbs Hispaniæ, *SS. Centolla et Helena MM.* 30 b
Buriburch, opp. in finibus Hassorum et Saxonum 136 e
Buthrotum ad more Jonium 496 c

C

Cabilonum, Galliæ urbs ad Ararim fluvium 611 d
Cæsarea Cappadociæ 437 c. *S. Mamas vel Mammes* 717 423 b, *S. Magnus M.*
Cæsena, civitas Italiæ 403 d
Caiuo, antiquum Turonum castrum *(Chinon)*. 77 b
Calamna, Calapnis, Calauia mons 514 c, 516 c
Calmeliacense monasterium, *unde sic vocatum* 757 b
Calvus mons *(Chaumont)* opp. diœcesis Remensis 247 a
Carmelus, mons ac promontorium Palæstinæ 509 d
Carolopolis *(Charleville)* urbs Galliæ in Campania provincia 630 a
Carpentoracte *(Carpentras)* urbs Galliæ in provincia 820 c
Carpentracensis urbs. *Vide* Carpentoracte
Castellum Paceium. *Vide* Passiacum
Castus locus *(Chastelacher)* in Gallia 42 c
Campaniacum *(ChampagnesaintHilaire)* non longe a Briossio, *quod vide supra. Est locus natalis S. Juniani abbatis* 39 c
Catalaunum, urbs Galliæ in Campania. *S Elaphius ep. conf.* 747 a
Cazimiria, opp. sive suburbium Craeoviense 365 b
Cella magna, monasterium in Ultonia 737 e
Charancy et Vezin, pagus in finibus Luxemburgieis, *S. Helenæ patrocinio celebris* 645 f, 646 a
Charybdis. *Vide* Scylla
† Christinæ castrum in radicibus Appenuini 499 c d
Chrysopolis portus et emporium; *ejusdem etymon* 100 b c
Chrysopolitanum monasterium apud Constantinopolim; *ubi monachus S. Maximus conf.* 98 c e
Cicilia. *S. Andreas tribunus ac socii MM.* 720
Clepardia, oppidulum Cracoviæ adjunctum 363 e
Clochora, urbecula Ultoniæ in Comitatu Tyroneusi. *S. Maccarthennus ep. conf.* 208 c
Clonardia. *Vide* Cluain-erardia.
Cluain-erardia, locus in confinibus Lageniæ et Mediæ 661 d
Cluanensis civitas in Hibernia 660 b
Cluniacum, monast. in Gallia 245 c
Codiciacum *(Coucy)* castrum Galliæ in provincia Insulæ Franciæ 634 d
Colniacum an a Coloniaco diversum 42 b
Colomeriæ *(Colomiers)* opp. Galliæ in Bria provincia 632 d
Coloniacum *(Chaulny)* locus in Gallia 40 c, 42 a

Conallcorum

Conallcorum campus in Ultonia 661 b, 662 d
Coudæum in Bria Galliæ 627 c
Condate Turonum, *locus morte S. Martini celebris* 71 f
Consentia, Brutiorum in Italia urbs 502 d
Constantia, urbs in finibus Sueviæ atque Helvetiæ 407 c. *An S. Rochus in concilio ibidem habito, ob pestem depulsam fuerit canonizatus* 383
Constantinopoli *SS. Joannes et Georgius patriarchæ* 655
Corbeia in Westfalia. *S. Ludolfus et B. Druthmarus abbates* 139 a
Corcyra *(Corfu)* insula maris Ionii, et urbs in ejus ora 496 f
Cormoyeux, pagus in diœcesi Remensi 642 e
Corneti apud Etruscos *caput S. Agapiti M.* 530 a
Costellegium videtur esse idem cum Casto loco 45 a. *Vide* Castus locus
Cracovia, urbs Poloniæ. *S. Hyacinthus conf.* 309 b
Cressiacum *(Cressy)* opp. Galliæ in Bria provincia 638 e f
Crimthanni in Ultonia, et in confinibus Mediæ et Orgielliæ 661 f
Curban, locus in territorio Vapincensi 822 d
Cyzicus, civitas Mysiæ minoris. *S. Myron presb. et martyr* 420

D

Dacia plerumque accipitur pro Dania 771 a
Decesia in territorio Nivernensi Galliæ. *S. Aregius vel Aridius ep. conf.* 295 c
Dertona. *Vide* Tortona
Divio *(Dijon)* urbs in Burgundiæ Ducatu 640 f, 642 c
Dola *(Dole)* urbs Comitatus Burgundiæ 632 d
Dormanum *(Dormans)* oppidulum Galliæ in Campania 627 b
Drepane, urbs Bithyniæ, *patria S. Helenæ imperatricis* 551
Duuciredium *(Doncheri)* opp. in diœcesi Remensi 236 c
Durocordorum sive Durocortorum Remorum nomine vocatur ipsa metropolis Remensis 615 f

E

Ebroicæ, urbs Galliæ. *S. Laudulphus ep. et conf.* 96 b
Edessa, urbs Mesopotamiæ 444 b
Enna, urbs Siciliæ, *patria S. Eliæ junioris, monachi* 480 a
Epirus vetus et nova 496 f
Ericusa duplex 505 f
Euvahonium, locus in diœcesi Lemovicensi 734 b

F

Fabrateria *vel* Fabriteria, nunc Falvaterra, castrum Campaniæ Romanæ 702 e. *S. Magnus M.* ibid.
Fauellum, opp. in Apulia 304 d
Fanum, civitas in Ducatu Urbinate 28 f
Fara Campaniæ *(Fere Champenoise)* vicus *seu* urbecula Galliæ in Campania 638 f, 640 b
Fara in Tardeniaco tractu *(Fere en Tardenois)* opp. Galliæ in Campania 642 c
Fara *(la Fere en Picardie)* in pago Laudunensi 627 c
Ferentinum, urbs in Campania Italiæ. *S. Ambrosius centurio M.* 290 a
Ferraria, urbs Italiæ. *B. Albertus ep.* 175 c
Fimæ *sive* Fismæ, opp. Galliæ in Campania provincia 629 f
Flaminia, regio Italiæ 218 b
Foggia, in provincia Capitanata 305 f
Fons sancti Amoris in Franconia 407 d, 471 ed. *Miracula ab eodem Sancto ibidem patrata* 472 f
Forum Cornelii. *Vide* Forum Syllæ
Forum Julii *(Frejus)* urbs Galliæ in Provincia 795 e
Forum Livii *(Forli)* urbs Italiæ 696 e
Forum Popilii *(Forlimpopoli)* in Italia 696 e.
Forum Syllæ in Italia. *S. Cassianus M.* 16 a
Frisacum et Frisiacum, opp. Germaniæ 341 e
Fulradovillare, monasterium in diœcesi Strasburgensi, ubi situm 10 c
Furnense castrum, opp. Flandriæ 251 c

G

Gallia Togata, pars Galliæ Cisalpinæ 403 d. *Ejusdem etymon* ibid. c
Gandersheimense monasterium in Ducatu Brunswicensi 213 b
Gardumensis ager in Tyroli *S. Felix ep. et mart.* 164 c
Getæ, natio Gotthica 38 c
Ghestella vel Ghistella, pagus Flandriæ 249 a
Grandis-Mons, Bisuntinæ Burgundiæ castellum. *Ibi natus S. Theodulus ep.* 274 b
Greve, locus Lutetiæ Parisiorum 642 c
Grodek, oppidum duplex, et castrum in Polonia 358 f
Gualdum *(Gualdo)* castrum in Marchia Anconitana. *B. Petrus eremita* 822 c

H

Hensiennes, locus ad Sabim fluvium 236 b
Hersfelt *seu* Herveldia, monasterium in Hassia; *quo reliquiæ S. Wigberchti translatæ* 137 f
Hibernia. *S. Dega Maccayrill ep. conf.* 656
Hierosolymæ *inventa crux a S. Helena imperatrice* 562 d *et seqq.*; *uti et Passionis instrumenta* 566 f, *ædificatæ ab eadem ecclesiæ* 567 c, *virtutes* 568 b
Hildesemium, urbs episcopalis in Saxonia. *S. Altfridus ep. conf.* 210 e
Hydruntum *(Otranto)* urbs regni Neapolitani. *BB. Martyres synonymi* 179 c

I

Iberiæ regio, inter Albaniam et Colchidem 131 f
Illyricum. *SS. Florus. Laurus, Proculus etc.* 522
Illyricus sinus 506 b
Imola. *Vide* Forum Syllæ
Inismoehta insula, in Comitatu Luthensi 738 e
Insula palatii *(l'Isle du palais)* locus Lutetiæ Parisiorum 641 a, 642 c
Insula *vel* Insulæ, Flandriæ civitas 248 f
Interamna, civitas Italiæ. *S Anastasius ep. conf.* 457 a
Istula flumen in Polonia 355 a
Italia. *S. Magnus ep. et M.* 701
Juucaria *(Jonchery)* in territorio Remensi 634 c

Kamièn

K

Kamièn, *seu* Camiensis villa in Poloni, *patria S. Hyacinthi* 341, 311 b
Karrofense monasterium. *Corpus S. Juniani abbatis eo delatum* 37 c
Kiennacta duplex in Hibernia 650 a
Kiovia, urbs Poloniæ 341 f

L

Lacedæmon. *Vide* Sparta
La Peue, les Penes, loca in territorio Massiliensi 15 f
Laudunum *(Laon)* urbs Galliæ 236 a
Leberacum *(Leberaw)* in diœcesi Strasburgensi monasterium 10 c
Leberæ fluvii ortus 10 c
Lentium, Lentiacum *(Lens)* oppidulum in Artesia provincia 622 c
Lingones *(Langres)* urbs Galliæ 441 b. *S. Mamantis M. reliquiæ eo delatæ* 440 f, 442 f
Lougobardi, populi Septemtrionales, a quibus provinciæ Lougobardiæ in Italia nomen inditum 771 c f
Ludmagensis episcopatus in Hibernia. *S. Mocteus vel Mochteus* 736 b
Lugneorum terra in finibus Conactensium 660 f
Lura, mons Provinciæ 735 b
Luthia, locus in Ultonia 737 f

M

Macellus *vel* Macellum, villa publica haud procul ab urbe Cæsarea 430 f
Maceriæ, urbs Galliæ in Campania 624 e
Machaire-Oirgiall, locus in Ultonia 737 f
† Mandriz, locus in territorio Telonensi Provinciæ in Gallia. 748 f
† Manechildis *vel* Manegildis, oppidum Galliæ 627 b
Mariacum, monasterium. *S. Junianus abbas ejusdem fundator* 32 b
† Mariæ castrum in Mediterraneis Siciliæ videtur fuisse 481 d
Marvilla, et Martis villa, opp. Galliæ 646 a
Masovia *vel* Mazovia, provincia Poloniæ 341 f
Materna. *Vide* Matrona
Matrona *(la Marne)* fluvius Galliæ 245 a
Mediolanum, urbs Iusubriæ. *S. Simplicianus ep.* 280 c
Meldensis civitas *(Meaux)* in Gallia 245 a
Mesembria, urbs Thraciæ 129 d
Mesobiani montes, locus ignotus 499 c
Metæ in Gallia. *S. Firminus ep. conf.* 654
Mevania *(Bevagna)* opp. Italiæ iu Umbria, 688 a
Monasterium SS. Cosmæ et Damiani, nunc S. Scholasticæ 305 f
Mons-Faleo in Umbria. *B. Clara de Cruce V.* 664
Mons Jovis, Mous major D. Bernardi, Mons minor D. Bernardi, Columua Jovis 614 c
Mons Maramus, civita in regno Neapolitan. S. *Joannes ep. conf.* 510 a
Mons Pessulanus *(Montpellier)* urbs Galliæ, *S. Rochus conf.* 308 a
Mons sanctæ Mariæ, locus in Gallia 611 c
Monstrolium *vel* Monasteriolum *(Monlreüil)* opp. Picardiæ 239 a
Morra Losina, antrum 306 d
Mosa, Galliæ Belgicæ fluvius 236 c
Mosaceusis abbatia in Arvernia. *S. Calmineus conf. ejusdem fundalor* 756 f, 757 ab

Murium *(vulgo Mori)* in agro Gardnmensi in Tyroli 164 d

N

Nantolium Hilduini *(Nanteüil le Haudoüin)* vicus amplus Galliæ in provincia Insulæ Franciæ, et in Valesii tractu. Aliud ad Matronam; aliud item ad Axonam 630 b
Naupactus *(Lepanto)* urbs Ætoliæ in Græcia 506 a
Naxos, *seu* Naxus, una ex insulis Cycladibus 104 a
Neapolis, urbs in Campania Italiæ. *S. Nostrianus ep. conf,* 194 b
Nicæa in Bithynia. *S. Diomedes medicus et martyr* 266 a, 270 a
Nicia seu Nicæa *(Nice)* urbs Provinciæ 820 c
Nicomedia in Bithynia. *S. Arsacius vel Ursacius conf.* 270 b
Nivernum, urbs Galliæ. *S. Aregius vel Aridius ibidem episcopus* 295 c
Nobiliacus, monasterium in agro Pictaviensi. *S. Juniani abbatis reliquiæ eo translatæ* 36
Nogaré, oppidum. *Vide* Roboretum
Nogent, locus in territorio Remensi 625 a
Noortwyck, vicus non procul Lugduno Batavorum 477 f
Norimberga, urbs Germaniæ. *S. Sebaldus eremita* 762 a
Nostre Dame de l'Espine, locus in territorio Catalaunensi 630 b
Noviomagus Veromanduorum, quæ et Noviomum urbs Galliæ 444 a

O

Ogrodenecia, castrum in Palatinatu Cracoviensi 370 f
Oisame, locus in territorio Lingoueusi 614 c
Onestrudes, fluvius Thuringiæ 49 f
Oroutes fluvius 151 f

P

Pagus Pontivus *(le Ponthieu)* tractus Galliæ 239 a
Palæstina, *SS. Timotheus, Thecla et Agapius MM.* 727 a
Panormus *(Palermo)* urbs Siciliæ 496 b
Parisiis *S. Crescentia V.* 729
Passiacum *(Pacy)* oppidum Galliæ 630 a
Passus Dei *(Pas-Dieu)* locus apud Pictavienses; *ubi lapis, in quo volunt Christum S. Radegundi reginæ apparentem reliquisse vestigium pedis sui impressum lapidi* 66 f
Patræ, urbs Achaiæ 499 c
Pelesnicza villa in territorio Cracoviensi 349 d
Peloponnesus, peninsula 496 d
Pentadactylum, castellum olim in agro Rhegiuo 499 b
Pentapoles synonymæ 127 c
Peotrkow, Petricovia, urbecula majoris Poloniæ 370 f
Perbera, locus Thapcensium regionis 108 d
Perona, urbs Galliæ in Picardia 70 a
Persia. *S. Vamnes M.* 285 c
Pictavium, urbs Galliæ. *S. Radegundis regina, postea monialis, et ejusdem urbis patrona* 45 b. *Duplex monasterium ibidem ab illa constructum* 55 d

Pistæ,

Pistæ, locus diœcesis Rotomagensis 213 c
Placentia, urbs Longobardiæ in Italia 403 f
Ploarzel, in diœcesi Macloviensi 298 b
Podlachia *seu* Polachia, tractus Poloniæ 349 c
Podolia, provincia regni Poloniæ 376 a
Portus S. Mandriani in Provincia Galliæ 748 c
Pradnik, pagus et fluvius in Polonia 358 f
Præneste, civitas Italiæ. *S. Agapitus M.* 524 c
Ptolemaïs, urbs Palæstinæ; aliæ alibi synonymæ. *SS. Paulus, Juliana; item Stratonicus, Quadratus, Acacius MM. in qua ex his passi, non constat* 447 c d

Q

Quintiacense Benedictinorum monasterium non procul Pictavio; *ubi aliquamdiu delituit corpus S. Radegundis reginæ* 65 c d
Quintiacum in Bria diœcesis Meldensis 644 c

R

Raba fluvius in Sarmaticis fontibus oriens 344 a
Ramerudes in diœcesi Tricassina Galliæ. *S. Balsemius martyr* 292 a
Ravennæ in Italia *B. Rainaldus vel Raynaldus archiep.* 688
Retelium (*Retet*) urbs Galliæ in Campania 624 e
Rhegium, urbs Calabriæ 496 c
Rhessium, locus ante urbem Constantinopolitanam, an idem cum Rhegio 106 b
Rhoaïs, seu Rhasi. *Vide* Edessa.
Rhodanus, Galliæ fluvius 15 e
Roboretum opp. (*Rovcredo*) quatuor leucis Tridento distans 165 d
Romæ *Julius senator M.* 700
Romania, terra Romanorum 289 b
Rudanka, *Vide* Rudawa
Rudawa, fluvius Poloniæ 355 f
Rupes regia (*Rocroy*) opp. in Campania et Retelensi tractu 644 f
Ruscia, promontorium Thurinorum 508 e

S

Sabio, Sabiona, Sabona (*Seben*) oppidum in Comitatu Tyroleusi. *An S. Cassianus M. ibidem episcopus* 20 b
Salambria, Selymbria, urbs in Thracia Europæ provincia 108 a
Salinæ, locus in Calabria 487 c, 497 a
Salona (*Salon*) opp. Provinciæ in Gallia 820 c
Sambricus pagus : *cur sic vocetur* 236 b
Sanocum, opp. Poloniæ in Russia rubra 375 f
Sarmatæ, Sauromatæ, natio Gotthica 38 c
Saturniui pagus diœcesis Trecensis 642 c
Saxum, opp. Poloniæ, *patria S. Hyacinthi* 311 a
Schemaris, castrum juxta Alanos 131 e
Scolda *vel* Schaldia (*Schouwen*) una ex insulis Zelandiæ 257 b
Scotia. *S. Inanus seu Evanus conf.* 663
Scotoris, castrum 131 f
Scutaris. *Vide* Chrysopolis 98 e
Scylla, locus ad fretum Siculum 499 c
Sedanum (*Sedan*) urbs Galliæ in Campania 642 c
Sedunum, civitas Galliæ. *S. Theodolus ep. conf.* 302 a
Seduuum Vallesiorum apud Helvetos. *An Octodurensis episcopatus a Sedunensi distinctus* 273
Segesterorum urbs (*Sisteron*) in Provincia 819 a
Seravallis, castrum in Tuscia 801 c
Seravallis, opp. Italiæ in Marchia Tarvisina 801 c
Siaria, Seorim (*Sierro*) locus prope Iberum fluvium. *An palæstra martyrii SS. Centollæ et Helenæ* 30 c f
Siciliæ umbilicus, nemus in medio istius insulæ 480 b c
Sigistericus pagus in Provincia Galliæ. *S. Donatus presb. conf.* 735 b
Silesia, olim pars Poloniæ, *patria S. Hyacinthi conf.* 311 a
Silva Gabronica, non longe ab urbe Cenomanensi in Gallia 300 c
Silvanectum in Gallia. *S. Frambaldus abb. conf.* 300 b
Sistarica. *Vide* Segesterorum urbs
Sparnacum (*Espernay*) opp. Galliæ in Campania provincia 630 b
Sparta, urbs Peloponnesi 496 d
Stradomia, opp. *seu* suburbium civitati Cracoviensi vicinus 365 b
Suanias, castrum, et Suani populi 131 f
Sublacus, opp. in Latio. *B. Laurentius eremita conf.* 302 c
Suedas villa in territorio Pictaviensi; *ibi fertur miraculum patratum in gratiam S. Radegundis reginæ* 66 d
Suessio (*Soissons*) urbs Galliæ 236 b
Susterenum in agro Juliacensi. *S. Zwentiboldus rex conf.* 138 a. *SS. Benedicta et Sicilia ibidem abbatissæ* 509 a
Sutrium, Tusciæ civitas 614 b

T

Tagaste, urbs in Africa. *S. Alypius ep.* 201 f
Tarasco, opp. Galliæ 816 f
Tardauensis Comitatus (*le Tardenois*) in Gallia 624 e
Tari amnis in Italia. 624 c
Tatri, pars montis Carpathi in Hungaria 376 d
Taurianum, urbs in agro Brutio 508 f
Tauromenium (*Taormina*) urbs parva Siciliæ 496 d
Tecta, prædium in Francimontano Comitatu 139 a
Telo (*Toulon*) urbs Galliæ in Provincia, *SS. Mandrianus et Flavianus* 748 c
† Theofredi abbatia in Velaunis. *Fundator S. Calmineus conf.* 756 f, 757 c. *Nomen et situs* 761 f
Thesprotum, Thesprotis, Thesprotia, Epiri regio 508 d
Thimia, Tinia (*il Topino*) fluvius Umbriæ 688
Thosanum monasterium in Flandria (*vulgo Doest*) 229 f
Thuringia, Germaniæ provincia, *patria sanctæ Radegundis reginæ, deinde monialis* 49 b, 69 a
Thurinorum castellum 508 e
Thurold (*Tourhout*) pagus Flandriæ 249 a
Tiedeghem, pagus in Flandria, *patria S. Arnulfi ep. et conf* 225 e
Tornacum duplex 611 e
Tornodorum (*Tonnerre*) opp. Galliæ 443 f
Tortona, urbs Liguriæ 754 a
Trebiates, populi Italiæ in Umbria 682 a
Trelon, locus in diœcesi Remensi 637 a
Tudertum in Umbria. *S. Cassianus ep. et M.* 24 a
Turonis, notissima Galliæ, civitas, *cultu S. Martini celebris* 71 c
Tutelense monasterium *quando fundatum* 758 d e f, *et a quo* ibid. f

Vallesia

V

Vallesia apud Helvetos. *S. Theodorus seu Theodolus ep.* 273 a
Vallis Martyrum, locus in quo Martyres Hydruntini sunt occisi 185 d
Vallis regia, abbatia diœcesis Remensi 627 b
Vadalum flumen, Vissogradum Masoviæ urbem præterfluens, *sine navi S. Hyacinthus mirifice cum sociis trajicit* 333 f
Vapincensis diœcesis in Delphinatu 822 d
Vassiacum, (*Vassy*) oppidum ad Blesam amnem in Campania Galliæ 617 e
Velona *seu* Valona. *Vide* Aulon
Veneti in Gallia. *S. Guenninus ep. conf.* 662
Vervin, urbs in diœcesi Laudunensi 642 f
Victoriacum Francicum (*Vitri le François*) oppidum Galliæ in Campania provincia 629 f
Victoriacum (*Vitry*) olim villa regia in Belgio in territorio Duaceno 69 e
Vienna, urbs Galliæ in Delphinatu 245 c
Villa Falesia, locus in Campania Galliæ 617 c
Villalpandus locus in Hispania 796 f, 797 c
Ville au Bois, in diœcesi Laudunensi 644 d
Virtutes, *seu* Virtus (*Vertus*) opp. Galliæ in Campania provincia 632 c
Vissogradiense castrum in Masovia Poloniæ 341 f
Vistula. *Vide* Istula
Ulpianum duplex 522 e
Vonciacum, Vanciacum. *Vide* Vassiacum
Vratislavia, urbs Silesiæ primaria 341 f

W

Wellenburgicum castrum in Suevia. *S. Radegundis vel Radiana V.* 93 a

INDEX
ONOMASTICUS

A

Academia, *pia rhetorum ac poëtarum certamina*
182 b
Adelphi, *fratres* 293 e
Agape, *eleemosynæ, refectio pauperum* 233 e
Agens, *negotia alterius procurans* 74 e
Alivinum, *videtur esse id quod alit* 762 f
Alla *vel* allo, *cos vel lapis rotundus ad acuendos cultellos* 794 a
Alteritas, *forte altercatio, vel dissensio* 278 f
Ambasiata, ambassata, ambassiata, *legatio* 771 b
Ambrosianum canere, *id est, canere hymnum* 307 c
Te Deum laudamus
Amera, *nomen dignitatis apud Saracenos* 493 c
Annuate, *forte affirmate, vel quasi annuendo*
773 a
Apocrisiarius, *responsalis vel referendarius. Cujusmodi illud officium* 127 a
Appodiare se, *inniti alicui rei quiescendi causa*
320 e
305 d
Appodiatus, *innixus* 238 e
Assalire, *irruere, invadere* 774 c
Aut, *an vel si*

B

Baillivi monachi, *videntur esse domestici monachi, vel officio domestico fungentes* 11 a
Βαλεῖν μετάνοιαν, *datur spuria ac genuina istius* 108 b c
locutionis interpretatio
Baunire, *edicto publico sancire, constituere, vel* 611 e
proclamare 69 f
Barca *vel* barcha, *navis*
87 a
Benedictiones, *dona vel munuscula* 71 c
Blatta, *sericum vel purpura* 305 f
Bracile, *cinctorium*
Brandeum, *velum vel palla serica vel linea, qua Sanctorum reliquiæ vel corpora solebant involvi* 611 e
Burggrabius, *Comes burgi vel castri* 373 d
Buxa, *tabulæ ex buxo lævigato* 23 e

C

306 d
Calcaria, *calcatorium* 219 d
Calculare, *numerare*
Calligator, *forte* caligator, *seu confector caligarum* 373 c d
774 f
Cambium, *permutatio*
Camera, *interdum sumitur pro opere quodam ligneo in cubiculo* 74 d
251 f
Canna, *cannabis* 72 b
Cannæ, *fiscellæ seu viminea vasa* 72 a
Canon, *series vel consuetudo actionum*
Cautilabrum, *forte vas sepulcrale aptum condendo cadaveri* 459 b
Cantrifusor, *forsan cantharorum fusor* 370 f
Capabilis, *qui facile capit; qui capi et comprehendi potest* 581 c
Cardi, *instrumenta ad laniandos homines* 534 d
Carnisprivium, *tempus Quadragesimæ* 358 f
Carpentarius, *faber lignarius* 696 d
Casati, *ecclesiæ feudatarii* 236 a
Cassa, Cassea, Cassia, *capsa* 188 c 194 b
Catastum *vel* catastus, *codex* 178 a
Carthomis cædi, *virgis cædi* 534 d
Cauma, *calor* 110 a

Cella.

Cella, *interdum parvum monasterium, et aliquando ambitus interior cujusvis cœnobii* 80 f
Cephas, *Pontifex Romanus* 773 b
Ceraculum, *videtur sumi pro tabulis cereis, ubi veteres solebant characteres formare* 744 e
Cerdouissa, *uxor cerdonis* 367 *f*
Ceryces, *buccinatores, vel homines scenici, vel quid simile* 586 b
Citra, *forte minus* 87 a
Clericare, *aliquem clero adscribere* 735 f
Cloacarius, *qui purgat cloacas seu immunda loca* 14 b
Cocca, *navigium* 796 a
Collationatus, *cum archetypo comparatus* 198 f
Commentaresius, *sive* commentariensis, *custos carceris* 160 a, 161 a
Compatriotæ, *populares* 233 c
Cordiaca passio, *cardiacus morbus, cardialgia* 373 c
Cornicularii, *nobiles quidam ministri*, *unde sic dicti* 537 b
Crapula, *medicamentum e vino confectum* 344 b
Creditaria, *videtur sumi pro nutrice* 14 c
Creditarii, *fideles ministri* 69 f
Curialitas, *comitas* 232 b
Cursus, *Officium divinum seu ecclesiasticum* 72 a
Cussimum, *cervical, pulvinar* 363 e

D

Decursus. *Vide* Cursus
Disciplinæ, *spontanea corporis flagellationes, quælibet corporis afflictatio* 87 b
Drama, *liber Canticorum* 597 d
Duces bandorum, *provectæ militiæ viri ac centuriones* 108 a

E

Emendæ, *compensationes, aut mulctæ, vel quid simile* 788 b
Encenium, excenium, *convivium* 771 d
Eulogiæ, *dona, munuscula* 87 a 90 f
Exemplatus, *publice in exemplum propositus, vel publice manifestatus* 279 e
Exemplatus, *descriptus* 198 f
Exenium, xenium, eulogiæ, *interdum pro munusculis* 77 c
Ἐκπέδιτον, *expeditio, exercitus, castrum* 161 a
Exveutrare, *exenterare* 795 *c*

F

Facitergium, *sudarium* 69 e
Fatuli, *lemures* 643 c d
Flado, *vel* flanto, *species placentæ* 71 f
Flascone, *lagena* 306 b
Forenses, *qui de civitate non sunt* 195 a
Forensis, *rusticus* 187 d
Formula, *videtur sumi pro compage lignea, cui Deum precantes inniti solent* 80 d
Fortuna, *maris tempestas* 796 a
Fossorium, *ligo, seu instrumentum, quo terra effoditur* 233 d
Frælex, *vox ignotæ significationis* 92 e
Frigoreticus, *febricitans* 72 b
Fuugare, *forte etiam* funga, *doliolum, cadus, capsa* 796 a
Fusum, *insignia muliebria sepulcralia* 77 b

Galea, *genus navigii velocissimi* 796 a
Gamera, *aut* camera, *fortasse sacrarium* 512 a
Gattus, *felis* 777 f
Genitus, *prostratus, genuflexus* 92 c
Glossa vocabuli, *etymon nominis* 616 b
Guerra, *bellum* 606 b

H

Hairones, *ardeæ vel crodii* 620 d
Homophorinm, *quoddam gestamen episcopi* 498 a, 499 b

I

Improbitas, *importunitas etc.* 771 d
In circa, *circiter* 197 b
Incisorium, *orbiculus mensarius, super quo cibus inciditur* 695 d
Inclamati, *vociferati* 194 f
Ingluvies, *tumor gutturis* 349 c
Inlicitatio, *illicium etc.* 289 d
Introligator, *vox obscura, officium tamen aut opificium significans* 368 a
Jovis *pro* Jupiter 533 a

K

Καμάσις, *genus indumenti* 129 f
Kmeto *sive* cmeto, *rusticus, aut servilis conditionis homo* 379 f

L

Languella, *lagena* 512 a
Lanifex, *lanæ vel panni opifex* 377 f
Lectus, *hierotheca* 223 c
Legatarii, *legati* 80 f
Liberæ, *forte virgines vel viduæ* 83 d
Lictor, *vox significans officium non satis notum* 367 f
Loculus, *forte umbilicus vel scrotum* 289 e
Logistes, *rationum descriptor vel procurator* 270 b
Lustrum, *spatium unius diei* 771 b

M

Mafors, *muliebre capitis operimentum* 69 f
Μανδέλιον, *mantile vel sindon* 262 d
Manile, *vas inferius, in quod aqua manibus infusa delabitur* 73 a
Matricula, *libellus, in quo scribebantur nomina pauperum etc.* 72 a
Meda *vel* medus, *potio e melle confecta* 71 f
Medici vulnerarii, *chirurgi* 373 d
Melote, *species vestis* 772 f
Militare, *ministerium imperatori præstare* 272 a b f
Miscere, *aquam et vinum in scyphum infundere* 69 f
Missi, *legati* 80 f
Murator, *structor muralis vel cæmentarius* 696 d

N

Naperstek, *digitale instrumentum* 371 a
Narthex, *porticus ad ædem Sophianam Constantinopoli-*

Constantinopoli; item navis templi 98 d
Nasile, nasale, *id quod in casside nasum cooperit* 305 f
Nona, *sanctimonialis antiqua, seu sacra virgo, vel vidua jam senex* 77 b
Nuncupante, *pro* nuncupato 40 b

O

Octimbrius, *October* 113 c
Officium, *ministri vel apparitores* 536 b
Opinatus, *probus, bonæ famæ, celeber* 645 d
Orate mihi, *bene mihi precamini, vel votis meis obsecundate* 106 f
Ordinarii, *milites sic vocati* 726 d
Oscia coli, *vertebra colli* 442 e

P

Palafredus, *equus* 790 a
Palla *vel* pala, *cooperimentum sepulcrale Sanctorum* 83 e
Panagia, *sanctissima* 590 b
Pandochium, *publicum sacellum* 773 b
Paraphrasis, *idioma* 771 e
Parisius, in omni casu et numero indeclinabiliter 245 b
Pausare, *quiescere, merari* 257 e
Peratrix, *forte mulier, quæ peras seu sacculos conficit aut vendit* 376 a
Perdonatus, *condonatus* 248 d
Petatium, *schedula* 259 d
Petalum, petalium, *pedum pastorale* 259 e
Petia, *pars* 387 e
Φαινώλης, φαινόλιον *etc., penula* 158 d
Phantasia, *pompa sive ostentatio* 106 d
Φελὸν, φελόνιον *etc., penula* 158 b d
Pheronyme, *conveniente rei nomine* 113 a
Physici, *medici* 394 d
Pileatrix, *uxor opificis, qui piteos conficit* 367 f
Pincillus, *penicillus* 597 c
Pirata, *nauta* 772 f
Piratium, *polus e pirorum succo expressus* 71 f
Pitantia, *al.* pictantia, *portio sibi* 305 f
Pitia pava, *frustula* 307 e
Pons levatorius, *pons qui facile attolitur et deprimitur* 251 c
Postera dic, *pridie* 621 b
Postergare, *fugere, vel post tegum relinquere* 762 e
Posticiara, *monialis quæ habet curam recipiendi ea, quæ in monasterium ab exteris, et inde ad exteros mittuntur* 78 f
Posticium, *janua in posleriori domus parte, vel latens janua* 73 a
Potestas, *supremus magistratus* 796 c
Primo Kalendas, *pro ipsis Kalendis* 719 f
Principari, *præesse, præsidere* 280 b
Proreta, *nauta* 775 a
Psallentiam, psallentia, *congregatio vel chorus canentium psalmos more ecclesiastico* 80 e
Pulmentaria, *ova* 44 f
Punto *vel* ponto, *species dolii* 79 a
Pustula, *genus morbi* 82 c

Q

Qui *pro* quando 195 c
Quisquillæ, *coturnices* 371 a

R

Rachina, *operimentum lectorum, et vestis e panno crasso ac vili* 77 b
Radigines scabiosæ, *forte zizania* 512 a
Rasus, *detritus* 72 a
Ribaldi, *homines vilissimi, scortatores* 773 f
Rogationes, *supplicationes vel processiones ecclesiasticæ* 80 e
Runcinus, *equus minor, gregarius* 793 d

S

Sacellarius, *judicii præses, curator pecuniæ ecclesiæ* 104 f, 105 a
Sacramentales litteræ, *litteræ sacramentum vel juramentum continentes* 77 c
Sagma, *id quo jumentorum tergum sternitur, ne ab onere tœdantur, unde jumenta* sagmaria *dici videntur* 614 c
Savanum *vel* sabanum, *panus subtilis etc.* 70 a
Scarpio, *diadema regium* 71 d
Schiavo, *mancipium* 196 c
Scholasticum granum, *granum evangelicum* 771 b
Sentinans, *sentinam ejiciens, vel inde aquam hauriens* 74 e
Solenne, *rarum vel pretiosum* 772 f
Soma, *corpus* 616 e
Sophia, *sapientia* 230 d
Soporantes, *dormientes* 72 d
Sordicula, *forte sorditia* 79 a
Sororinus puer, *filiolus sororis* 363 e
Sotulares, subtalares, *calcei* 90 f
Spalogus *vel* spalangius, *species sepentis* 218 b
Specificatus, *in specie assignatus, vel specie immutatus, aut in ecstasin raptus* 773 a
Squinaticus, *laborans morbo squinantico* 349 d
Squinanticus, *tumor et rubor faucium cum magna repirandi difficultate conjunctus* 349 c d
Strata, *via lapidibus vel silice strata* 380 b
Stupha, *hypocaustum* 359 a
Suadam, *suadebo* 536 c
Sulcanus, *forte is, qui sulcos in agro ducit* 773 a
Superdulia, *hyperdulia* 773 c
Supplementum, *subsidium xel proventus ad vitam necessarius, xiaticum* 754 a
Syllabæ, *epistola* 113 b
Synergium, *monasterium interdum significat* 71 e

T

Testificatio, *martyrium seu passio* 563 a
Tina, *genus dolii* 72 a
Toballcæ, *lintea diversis usibus sevientia* 305 f
Tonella, tonna *vel* tunna, *vas seu dolium* 79 a
Translatare, *transferre* 223 f
Triquadrus orbis, *videtur significare tres orbis partes* 590 e, 592 b
Typus *vel* typhus, *superbia* 231 a

V

Valete, *valedictio* 771 b
Verbosari, *garrire* 287 f
ex Vertis, *ex retiaculis* 307 a
Villanus, *rusticus* 773 a
Vita turbatica, *conversalio in urbibus et turba populi* 772 f

Z

Zeta, *loci cujusdam genus* 585 d

INDEX MORALIS

A

Abbas perversus *nocet plurimum* 233 f, 234 a, bonus *multa affert commoda* ibid. e Abbatis officium *fugit S. Arnulfus* 234 b; *divino illud nutu cogitur suscipere* ibid. e, *denique illud abdicat, ne militare cogatur* 236 a
Absenti apparet *S. Elias junior eumque liberat* 501 f
Absentis obitum *cognoscit regina Mechtildis* 140 c
Accusatio falsa *hæreticorum patienter tolerata a S. Maximo et confutata* 125 d; *miraculo manifestata a S. Juniano* 40 f; *illata S. Eliæ ab adultera, justo Dei judicio detecta* 492 b
Agonizantes vel morti proximi *subito sanati intercessione S. Frambaldi* 301 c. *S. Hyacinthi* 316, b, 338 f, 344 et seqq. 363 et seqq. *S. Amatoris* 473 c f, 474 d e, *S. Eliæ* 492 e, 504 b. *S. Helenæ* 636 b et seqq.
Altare *erectum seculo secundo* 732 a. *Aureum a S. Helena* 566 d. *A S. Gregorio Turonensi consecratum* 64 a. *Erectum supra corpora Sanctorum* 214 d
Amentes *menti sanæ restituti patrocinio S. Ludovici Tolosani* 793 et seqq.
Amor castus *inter S. Fortunatum et S. Radegundem* 48 b
Animi ariditates *qua ratione tolerandæ* 683 d
Amor *S. Ludovici Tolosani in quoslibet* 790 c
Anima morbi curati *ope S. Hippolyti* 5 e. *S. Felicis* 165 c. *S. Helenæ* 625 et seqq.
Anathemati circa annum DLXVI subjecti *tum monialis ab ordine religioso profuga, et vir qui ducit eam uxorem, tum utriusque consilarii* 58 d
Apostemata curata *ope S. Laurentii* 308. *S. Hyacinthi* 356 et seqq. *S. Amatoris* 473 f
Apostolica sedis reverens *Robertus Comes* 247 d
Apparitio *S. Joannis Evangelistæ* 171 f. *S. Athanasiæ et aliorum* 173 f, 174 a. *SS. martyrum Hydruntinorum iteratis sæpe vicibus se ipsos monstrantium* 191 d et seqq. *Gremboldi pii monachi* 232 f, *S. Petri* 246 b. *Nuntii cælestis* 251 b. *S. Deiparæ, SS Petri, Michaëlis, multorum angelorum et Virginum* 252 b f. *Angeli* 253 e. *S. Diomedis* 267 b. *Deiparæ* 306 d, 315 c. *SS. Stanislai et Hyacinthi* 320 c d. *S. Mamantis* 430 c, 415 a. *S. Anastasii* 458 f. *S. Jeronis* 478 a. *S. Agapiti* 541 a. *Christi* 683 f. *SS. Martyrum Lugdunensium* 732 a. *S. Hyacinthi* 326 a, 349 e, 351 c. *S. Petri Apostoli* 751 d. *S. Ludovici Tolosani* 800 d
Aqua benedicta *sanat moribundum et energumenum* 258 a; *ægrum* ibidem e f
Aqua in vinum conversa 511 c et seqq.
S. Augustinus *jejuniis et piis operibus deditus* 206 d; *animi maxime demissi* 207 b; S. *Hieronymi studiosissimus* ibid.; *S. Alypio amicissimus* ibid. et lit. f
Aulicorum *in fide Christiana constantiam miro modo explorat Constantius* 541 d
Avaritia *a S. Laurentio eremita punita* 306 e
Austera vita *S. Radegundis reginæ* 40 e, 55 b, 68 et seqq., 77 et seqq. *S. Athanasiæ* 171 a. *S. Arnulfi* 233 b. *S. Nicolai* 515 a. *S. Ludovici* 785 c, 807 *d*
Austeritates *ex obedientia temperat S. Laurentius* 305 *b*

B

Beneficus *S. Mammes, unde et* Pater *est appellatus* 430 c
Bellatores *maxime juvat virtus* 498 e et seqq.
Blanditias inter et pœnas *constans in fide S. Maximus* 128 f et seqq.
Blasphemus *in S. Jeronem punitus* 479 a; *in S. Marianum* 735 d

C

Cæci illuminati *virtute S. crucis* 60 d, 80 d: *ope S. Radegundis* 73 b, 82 f. *S. Felicis* 165 f. *S. Arduini* 220 b c d. *S. Arnulfi* 235 d, 240 e f, 246 e *S. Laurentii* 307 f, 308 a d. *S. Hyacinthi* 318 c d e, 325 f, 342 c, 344 et seqq. *S. Anastasii* 460 a. *S. Nicolai* 516 f. *S. Helenæ* 609 b, 620 a, 627 f et seqq. *S. Ludovici* 793 et seqq.
Calamitatum *utilitas* 807 e
Canonicarum horarum *recitatio pia Deo gratissima* 693 b
Cancer *sanatus per intercessionem S. Laurentii* 308 a
Canonizatio *S. Hyacinthi celeberrima* 437 a
Captivi liberati *ope S. Radegundis* 74 c. *S. Eliæ* 501 e. *S. Helenæ* 633 c
Carnem *domiturus S. Arduinus, corpus inter urticas volutat* 215 f; *aliis eumdem in finem utitur mediis* 217 f, 218 a
Castitas *admiranda B. Claræ* 677 a, 680 d. *S. Eliæ, illecebras impudentis adulteræ propulsantis* 491 e. *S. Ludovici Tolosani, osculum etiam matris recusantis* 790 c, 791 b e
Castitatis *laus* 680 d, *præmium* 499 a; *præsidia* 491 e
Cephalalgia depulsa *ope S. Arnulfi* 250 b *S. Laurentii* 308 b. *S. Hyacinthi* 325 f, 368 et seqq. *S. Eliæ* 496 a, 507 d *S. Helenæ* 603 d
Cibis lautioribus *abstinet S. Wigbertus etiam ægrotus* 135 a
Cilicium *S. Radegundis fuit saluti pluribus* 73 f. 79 f
Charitas *B. Claræ in socias* 678 c; *in proximum miraculo illustrata* 306
Cholicis doloribus liberati *patrocinio S. Athanasiæ* 174 f. *S. Helenæ* 630 c
Claudis gressus restitutus *virtute S. crucis* 60 d 80 d. *Per intercessionem S. Felicis* 165 c f, *S. Athanasiæ* 174 e f. *S. Arduini* 220 a b c, 255 f. *S. Laurentii* 307 b f, 308 a b. *S. Hyacinthi* 357 et seqq. *S. Amatoris* 473 d, 474 e. *S. Helenæ* 608 et seqq.
Clerico *dignæ virtutes in B. Rainaldo* 693 a et seqq.
Concio *cælitus commendata* 695 b
Concionatoris boni *dotes* 693 f
Confessarium inter et moniales *cautela magna necessaria* 680 d

Conformitas

Conformitas *S. Maximi cum voluntate divina* 126 f
Confraternitates *in honorem S. Rochi erectæ* 387 d, 412 c
Colloquia pia *utilissima* 123 c et seqq.
Consiliarii mali *puniti* 76 f
Constantia *S. Cassiani puerorum manibus crudeliter excarnificati* 22 e. *S. Radegundis iniquo Regis animo obsistentis* 55 f; *regales nuptias repudiantis* 76 c. *S. Laurentii cellulam non deserentis, probante cælo* 306 c. *S. Agapii ursæ objiciendi* 728 e
Constans in fide *S. Maximus hæreticos convertit* 105 d, *aliud constantiæ ipsius exemplum singulare* 106 f
Constat sibi *omni in casu B. Claræ animus* 692 b. *S. Ludovici* 807 e
Contemptus rerum caducarum 119 a, 232 a b, 233 a, 781 c, 808 b
Contracta vel ægre affecta *corporis membra sanata per invocationem S Frambaldi* 301 b, 307 f, 308 a b, 309 d. *S. Hyacinthi*, 340 d, 350 f et seqq. *S. Helenæ* 619 b c d et seqq. 626 et seqq. *S. Ludovici Tolosani* 793 et seqq.
Corpora septem SS. Martyrum *e mari mox ejecta* 456 f
Corporis castigatio *severissima in S. Laurentio* 304 e et seqq.
Corpus S. Anastasii *mire fragrat* 459 b, *item* S. Arnulfi, *quod et cælitus honoratur* 258 c
Corpus *S. Helenæ prodigioso lumine collustratum* 608 b. *Item SS. Martyrum Hydruntinorum* 187 e, 194 a et seqq. *Hæc cantu cælesti decorata* 190 *b*. *S. Clintanci corpus illustratum* 733 e
Corpus *S. Radegundis post mortem incorruptum* 65 e. *S. Athanasiæ* 174 *a*. *SS. Martyrum Hydruntinorum* 187 c, 194 f et seqq. *S. Eliæ* 507 a. *B. Nicolai* 515 c. *B. Claræ* 674 f et seqq., 685 a. *S. Rainaldi* 689 c.
Correctio *S. Alypio grata et salutaris* 203 a e
Crucis signo aqua signata *dæmonem fugat* 156
Crucis signo *visus redditus* 73 b, 307 f. *Restituta corporis integritas* 308 a. *Sublata cephalalgia* ibid. b; *hernia et dolor brachii* ibid. *Dæmon fugatus* ibid. *et* 493 b, 498 a. *Fluvius sicco pede suderatus*, 316 d, 333 f. *Moribundus sanatus* 492 c. *Tempestas sedata* 498 b. *Æger valetudini redditus* 501 c
Crucis signo *plures juvat S. Arnulfus* 235 a, 238 c d, 250 b. *B. Nicolaus* 516 f. *B. Clara* 686 e
S. Crucis reliquias *Justinus et Sophia impp. per orbem spargunt* 59 f. *Obtenta a S. Radegunde pars, pluribus incolumitatem affert* 80 d
S. Crucis repertæ *historia* 561 et seqq.
S. Crucis veneratio 60 b, 566 c d e; *virtus* 564 b

D

Dæmon *fugatur* 81 d; *templi idolatrici destructionem impediens, coërcetur per aquam signatam signo crucis* 156 c d; *levioribus monialium defectibus oblectatur* 677 b; *ipsius doli* ibid.; *in angelum lucis se transformat* 680 b
Damnatus libellus, *quo Heraclius imperator circa res fidei silentium indixerat.* 123 c
Dedicatio solennis *ecclesiæ tempore Constantini M.* 567 e
S. Deipara *omnibus veneranda* 107 c, *tenerrime dilecta a S. Athanasia* 173 a; *a S. Altfrido* 203 c; *a S. Hyacintho* 315 c, 340 d; singulare peccatorum refugium *a S. Altfrido nuncupata* 213 f; vera mater misericordiæ 252 c; *S. Arnulfo gloriam cælestem promittit* ibid.; *justos fovet, dæmonem vincit* ibid. d; *moribundorum est adjutrix* 684 b. *Ipsa invocata, mortuum vitæ restituit S. Hyacinthus* 315 c, 340 d, *qui et sub ejusdem protectione moritur* 321 a
S. Deiparæ dormitio *Constantinopoli solenniter celebrata* 267 e
Deus *miris et occultis modis nobis subvenit* 205 a. *Ipsi qui fidelis est, fidelis erit el principi* 541 d
Doloris immoderati et lætitiæ ineptæ *inimicus S. Arnulfus* 123 c
Dysenteria curata *ope S. Hyacinthi* 350 c

E

Ebrietatis *damnum* 498 e, 499 a
Ecclesia catholica *supra S. Petrum fundata* 126 d
Ecclesiæ Catholicæ *genuinus filius S. Arnulfus potestatem Papæ reveretur* 243 c
Ecclesiæ bono *allaborat assidue S. Alypius* 207 e. *Idem Galliæ regibus commendat S. Arnulfus, commodi proprii immemor* 244 c
Ecclesiæ Gallicanæ mala *pertæsus S. Arnulfus solitudinem repetit* 250 f
Ecclesiis liberalissima *S. Radegundis* 87 d. *S. Helena* 567 c et seqq. 568 c
Ecclesiæ pacem *amat quam maxime Honorius Imp.* 285 a
Ecclesia in honorem SS. martyrum *Lugdunensium seculo secundo erecta* 732 a
Ecclesiasticum rigorem *tuetur S. Wigbertus, adulari nescius et adulatorum contemptor* 134 e
Ecclesiasticæ causæ *a Regibus non judicanda* 741 c
Eleemosynæ *S. Radegundis miraculo illustratæ* 93 c e 69 c *Item S. Radegundæ*
Eleemosynæ vis 241 c
Energumeni liberati *virtute S. crucis* 60 d, 80 d. *Ope S. Radegundis* 73 c d e, 83 b. *S. Juniani* 137 d. *S. Felicis* 165 c. *S. Athanasiæ* 174 a b c e. *S. Arnulfi* 255 d, 258 c d. *S. Arsacii* 272 e. *S. Laurentii* 308 a. *S. Hyacinthi* 345 et seqq. *S. Anastasii* 460 d. *S. Eliæ* 493 b, 494 f, 496 o, 507 c f. *Helena* 626 d et seqq.
Epilepsia curata *patrocinio S. Felicis* 165 e. *S. Laurentii* 308 a b. *S. Hyacinthi* 326 a, 359 f. *S. Helenæ* 631 et seqq.
Episcopi *non canonice electi depositio* 243 b. *fidei adversantis divina punitio* 455 f
Episcopi quales *ecclesiis præficiendi* 177 b. *Virtutes ipsis necessariæ expressæ in S. Arnulfo* 245 e f, *in S. Rainaldo* 691 d et seqq, 694 e et seqq. *in S. Ludovico* 785 d
Episcopos judices *litium forensium declarat Honorius Imp. secutus Constantinum M.* 285 c; *eosdem reveretur S. Elias* 506 d
Episcopatum *ut acceptet S. Joannes, pulchre hortatur B. Gregorius VII* 510 e f
Episcopales sedes *octo erectæ in Saxonia a Carolo M.* 211 f
S. Eucharistiam *a Christo accipit B. Clara* 602 b
Exempli boni *vis in S. Alberto* 178 a
Exempli mali *vis* 203 c, *quantum illud fugiendum* 217 b, 218 d

Fanum

F

Fanum superstitiosum *S. Radegundis evertit* 76 a
Fastum *viri potentissimi domat humilis S. Arnulfus* 234 f
Faucium dolor curatus *per intercessionem S. Radegundis* 74 c: *S. Amatoris* 473 f. *S. Hyacinthi* 349 b
Febres depulsæ *per intercessionem S. Juniani* 37 f. *S. Radegundis* 71 b c e, 81 c, 83 c. *SS. Martyrum Hydruntinorum* 191 d. *S. Arduini* 220 f. *S. Arnulfi* 245 f. *S. Hyacinthi* 326 a, 350 et seqq. *S. Amatoris* 474 c. *S. Eliæ* 501 e. *S. Helenæ* 629 et seqq. *S. Crescentiæ* 729 c. *S. Ludovici Tolosani* 793 et seqq., 800 c. *S. Petri Apostoli* 751 d
Feminas imbelles *fidei virtus confirmat* 67 f
Festum assumptionis *B. Dei Genitricis* 252 c e, 253 b
In fide *idem cum Romanis sentiendum* 128 d. *De fidei dogmatibus judicare sacerdotum est, non regum* 126 b. *Dogmata innovantes evitandi quammaxime* 128 c
Fides salvifica *nullius rei causa ejurando* 128 d. *Fidei defensor invictus S. Maximus* 104 et seqq. 125 et seqq. *Apostasiam simulare S. Vamnes recusat constantissime* 288 b c d e
Fidei Christianæ proditor, *facile prodit et principes* 541 d
Fidei defensio *miraculo illustrata* 109 f, 110 a, 130 c
a Fide *S. Alypium avertit opinio, quam ipse tum, ut hodie multi, de Catholicis perperam conceperat* 205 c
Fides promissa Deo *ut servetur a monialibus, decretum in synodo seculo sexto* 58 d
Fluvios sicco pede *superat SS. Hyacinthus* 316 c et seqq. *S. Elias* 503 f
Fœcunditas mulieribus impetrata *a S. Arnulfo* 241 c. *a S. Hyacintho* 318 b, 326 a, 342 c
Fons per merita *S. Amoris hominibus infirmis salutaris* 471 c et seqq.
Fortitudinis corporalis *usus modestus in S. Arnulfo* 227 c

G

Gratia, *non natura ducta virgines seculum deserunt* 58 e
Gubernationis bonæ *norma* 171 a b, 679 b, 680 c

H

Hæresis *turbarum et confusionis mater* 121 a
Hæretici *artibus utuntur nefariis* 120 f; *multa cum dexteritate sunt oppugnandi* 121 c; *in concilio damnati non mutant animum* 135 a; *excommunicatione digni* 123 a
Hectiti sanati *ope S. Helenæ* 629 et seqq.
Hernia curata *ope S. Arnulfi* 256 c, 308 d. *S. Laurentii* 308 b
Homicidium *suicidio punitum* 733 f
Humilitas *S. Radegundis* 56 a, 72 a. *S. Eliæ* 493 f, *S. Helenæ* 568 c, 575 d. *S. Aniani post patratum miraculum* 44 d. *B. Claræ* 678 f, 680 c. *S. Ludovici Tolosani* 784 f, 786 a, 789 f
Humilitatis *præmium* 172 f, *necessitas similitudine expressa* 683 c
Humilitas *miraculo illustrata* 790 b
Hydropici sanati *patrocinio S. Radegundis* 73 f. *S. Athanasiæ* 174 b c. *S. Hyacinthi* 344 et seqq.

I

Ictericus *sanatus ope S. Helenæ* 633 a
Idololatri *sensim ab Imperatoribus eversa* 155 f
Jesu Nomini *devotissimus S. Ludovicus* 808 d
Jejunium austerum *S. Athanasiæ* 171 a b c. *B. Claræ ab ipsa pueritia* 676 et seqq. *S. Mariani* 730 f
Jejunio carnis stimulos *domat S. Arduinus* 217 f
Jejunium *non ita vires minuit ac frequentes epulæ* 497 d
Inclementia *funesta* 503 d
Ignorantia invincibilis *de indissolubilitate matrimonii in S. Radegundi et episcopis Galliæ* 53 c
Imago *sub initium seculi quinti in templo collocata, Prudentio S. Cassianum ejusque martyrium coloribus adumbratos exhibet* 22 e
Imago *S. Deiparæ a B. Hyacintho prodigiose portatur* 217 a
Impudicitia *punita* 237 b, 449 a
Imperatoris Leonis *in S. Eliam tum vivum tum mortuum reverentia* 505 b, 507 b
Impudicus sacerdos *punitus* 445 e, 511 a b
Incendia extincta *ope S. Radegundis* 678 f. *S. Wigberti* 136 f. *S. Arnulfi* 256 d. *S. Mamantis* 445 c d
Inimici dilecti *a S. Juniano* 44 a f. *a B. Clara* 680 f, 684 a
Inimicitiarum fautores *divinitus puniti* 248 a, 249 b c d
Injustitia punita 137 b, *modo maxime mirabili* 733 c
Innocentia *justo Dei judicio detecta* 492 b
Inventio *corporis S. Alberti* 175 a et seqq. *S. Mamantis* 444 c. *S. Anastasii* 458 e. *S. Jeronis* 475 e, 478 a. *Capitis S. Agapiti* 53 d
Ischias curata *intercessione S. Helenæ* 629 et seqq.
Judici iniquo *S. Alypius se constanter opponit* 204 e
Justitia *S. Alypii nec minis corrupta nec blanditiis* ibid.

L

Lateris *dolor ope S, Laurentii sublatus* 308 e
Lectionis sacræ *fructus singularis in SS Augustino et Alypio* 205 d e
Lenitas *S. Arnulfi in pœnitentem* 243 f
Leprosus mundatus *ope S. Juniani* 37 f
Liberalitas *S. Helenæ* 568 d
Liberi defuncti *non sunt immoderate deflendi* 231 c
Libidinosi *belluis deteriores* 494 c
Lingua exsecta *loquuntur SS. Maximus et Anastasius* 109 f, 110 a, 130 c
Litterarum studia *in pretio habita a S. Alberto* 177 a
Lunatici sanati *ope S. Helenæ* 609 f. et seqq.
Luxus contemptus *a S. Radegunde regina* 56 a, 68 c

M

Mala *in bonum permittit Deus* 490 a
Maleficia *sublata per invocationem S. Helenæ* 642 f
Mania affecti *mentis compotes facti patrocinio S. Felicis* 165 e. *S. Laurentii* 307 f. *S. Helenæ* 626 b et seqq.

Mansuetudinis

Mansuetudinis *præmium* 172 f
Martyri *illata mors non est ulciscenda, sed prosequenda actione gratiarum* 152 d
Martyres omnis sexus et ætatis *in Africa* 456 a
Martyrum *constantia* ibid c
Martyrii *commune desiderium* ibid. a
Martyrium *S. Hippolyti* 5 c d. *S. Cassiani* 22 e et seqq. *S. Eusebii* 150 e et seqq. *S. Marcelli* 154 b c. *S. Ursicini* 156 a. *S. Felicis* 164 e. *SS. martyrum Hydruntinorum* 182 b, 185 f et seqq. 193 a et seqq. *S. Vamnis* 288 d. *S. Myronis* 422 et seqq. *S. Mamantis* 431 a. *Septem SS. monachorum* 456 b et seqq *S. Jeronis* 475 e, 477 a. *SS. Hermæ, Serapionis, et Polyæni* 547 c. *S. Julii* 700 e. *SS. Timothei, Theclæ et Agapii* 728 b
Matri *canonizationem filii sui gratulatur Papa* 798 f
Matrimonio *magnam sanctitatem conjungit S. Radegundis regina* 39 f, 68 et seqq., 75 f
Matrimonii regalis *delicias vitæ monasticæ postponit eadem Sancta* 76 c
Matrimonium scientiæ studiosis *contrarium* 204 f
Matrimonii libertas *liberis concedenda* 241 a b
Matrimonii coacti *malus exitus* 170 d
Medicus *corporis et animæ S. Diomedes* 268 c d
Miracula *S. Hippolyti* 9 f, 14 d. *S. Juniani* 37 c. *S. Radegundis* 73 et seqq., 81 et seqq., 90 et seqq. *S. Zuentiboldi* 138 b. *S. Felicis* 165 c et seqq., *S. Athanasiæ* 172 f, 174 b et seqq. *SS. Maurelii et Alberti* 176 e. *S. Alberti* 178 c. *Martyrum Hydruntinorum* 189 e et seqq., 193 f et seqq. *S. Arduini* 215 a, 216 a, 219 et seqq. *S. Arnulfi* 222 e, 235 a b c d f, 238 c d, 239 f, 242 c, 255 et seqq. 258 et 259. *S. Diomedis* 272 c f. *S. Frambaldi* 301 a. *S. Laurentii* 307 et seqq. *S. Hyacinthi* 340 e et seqq., 344 et seqq. *S. Mamantis* 430 c, 445 c d. *S. Amatoris* 471 et seqq. *S. Jeronis* 475 f, 479 c. *S. Eliæ* 496 a. *B. Nicolai* 515 et seqq. *S. Helenæ* 612 et seqq. *B. Claræ* 676 a, 686 d et seqq. *S. Rainaldi* 688 f et seqq.
Miraculorum *patrandorum virtus vitæ piæ posthabenda* 496 b
Misericordia *S. Radegundis reginæ in pauperes et leprosos miraculis illustrata* 70 f; *item S. Radegundæ* 93 c e
Misericordia *S. Arnulfi in ægrotum monachum apparitione defuncti commendata* 232 e f
Misericordia *S. Arduini* 218 f, *B. Claræ* 680 f. *S. Ludovici Tolosani* 785 c, 790 e
Modestia *S. Maximi in rebus prosperis* 119 a. *S. Simpliciani* 285 c
Monasteria fundata *seculo quinto a S. Alypio* 207 e. *Seculo sexto a S. Radegunde* 55 d, 87 f. *A S. Juniano* 41 d
Monasterii perturbator *quas pœnas mereatur* 63 a. *Regina Franciæ, juxta prophetiam S. Arnulphi, divinitus punita, quod monasterii jura violasset* 237 c
Monasticam vitam amplexi sunt *viri feminæve potentes, S. Radegundis regina* 70 b. *S. Maximus* 119 b. *S. Athanasia cum marito* 171 f. *Tres filiæ S. Zuentiboldi regis* 138 f. *S. Arnulfus* 232 c. *B. Gertrudis* 143 d. *Simon comes* 239 f: *S. Hyacinthus* 339 f. *S. Frambaldus* 301. *S. Ludovicus Tolosanus* 781 c
Monialium *levissimus defectus magni ponderis* 677 b, *disciplina accurate promovenda* 177 e. *Clausura ipsis utilissima* 682 d, *item silentii observatio* 677 c, *perniciosa penuria rei familiaris* 214 a, *cum confessariis nulla habenda familiaritas* 680 d. *Directoris earum exemplum bonum* 171 c et seqq. *Quas, quaque de causa virgines in suum numerum referre debeant* 681 b : *pauperes repellendæ non sunt* ibid. c
Monialis profuga *anathemati circa annum* 566 *subjecta* 59 d
Monita pia *S. Juniani morientis* 45 b. *S. Hyacinti* 342 f. *S. Eliæ* 495 e f, 500 b et seqq., 506 e *S. Helenæ* 571 b. *B. Claræ* 680 e, 684 c f
Morbum artericum *ex intemperantia contractum sanat S. Elias, accepta ab ægro promissione vitæ melioris : qua non observata miserabilius perit* 498 a
Morbi contagiosi *præsentissimus S. Rochus patronus* 386 e et seqq.
Morbi omnis generis curati *ope S. Hyacinthi a pag.* 344 *usque ad* 379. *S. Helenæ a* 607 *usque ad* 647. *S. Ludovici* 793 et seqq.
Morbus *precibus S. Arnulfi immissus, hominem potentem revocat a vita nefaria* 241 d et seqq.
Mors pia *S. Juniani* 45 b. *S. Athanasiæ* 173 b. *S. Alberti* 178 b. *S. Arnulfi* 253 a b c. *S. Diomedis* 269 e, 342 f. *S. Eliæ* 506 c et seqq. *B. Nicolai* 515 b. *S. Helenæ* 571 b c. *B. Claræ* 684 b et seqq. *S. Rainaldi* 695 c. *S. Ludovici Tolosani* 816 c
Mortui ad vitam revocati *per attactum cilicii S. Radegundis* 73 f, *per intercessionem ejusdem* 74 b. *S. Felicis* 165 c. *S. Laurentii* 308 c. *S. Hyacinthi*, 315 c, 318 f, 320 a, 325 f, 333 e, 334 b, 338 c d, 340 e, 342 e, 343 b, 345 et seqq. 362 et seqq. *S Mamantis* 430 c. *S. Ludovici Tolosani* 791 et seqq.
Mortui apparent 140 c et seqq. 639 f
Murmuratio monachi *severe punita a S. Druthmaro* 141 f. *Cœlitus* 235 e f
Morum suavitas *in S. Elia* 497 c
Mutis loquela reddita *virtute S. Crucis* 30 d. *Per intercessionem S. Wigberti* 137 e. *S. Felicis* 165 e. *S. Arnulfi* 238 c. *S. Hyacinthi* 333 e. *S. Helenæ* 614 e, 627 f, 633 a. *S. Ludovici* 793 et seqq.

N

Naufragi liberati *per invocationem S. Radegundis* 81 b. *S. Mamantis* 455 c. *S. Eliæ* 496 a, 498 a. *S. Nicolai* 516 f. *S. Ludovici* 793 et seqq.
Nobilium virorum *vitia* 443 c, *ornamenta* ibid. *officia descripta a S. Arnulfo* 242 b

O

Obedientia *S. Radegundis* 56 a. *S. Arnulfi* 232 a. *S. Athanasiæ post mortem præstita* 174 b. *Miraculo illustrata* 467 c
Obediens *cum non fuisset B. Clara Superiori cibum lautiorem præcipienti, graves a se ipsa pœnas repetiit* 677 c
Odia *Flandrorum cruenta extinguit S. Arnulfus, variis malis obstinatis cœlitus inflictis* 247 e et seqq.
Odontalgia curata *ope S. Amatoris* 174 f. *Præsens contra illam auxilium S. Crescentiæ* 729 c d
Orando *S. Laurentius monachum luxuriosum ad frugem revocat* 307 f
Orante *S. Diomede, serpens se ipse interimit* 272 f

Oratione

Oratione armatus *S. Elias obsistit hostibus* 501 c d
Orationis studium *miraculis illustratum* 676 f, 677 f. *Dæmonem vincit* 777 f, 808 f
Orationis inimici *dæmones* 495 a
Orationis studiosissima *S. Radegundis, etiam nocturno tempore* 68 c. *B. Clara ab ipsa pueritia* 676 e et seqq *Morti proxima* 684 d. *S. Ludovicus* 777 e, 808 c
Otii inimicus *S. Arduinus* 217 f

P

Panis et vini multiplicatio *prodigiosa* 246 d, 306 a b
Paralytici sanati *per intercessionem S. Juniani* 137 d. *S. Arduini* 220 e. *S. Laurentii* 308 a b. *S. Hyacinthi* 316 a, 340 f et seqq. *S. Anastasii* 459 c e, 504 b. *S. Helenæ* 614, 625 et seqq.
Pastoris boni officium 153 d
Passionis Dominicæ *meditatio familiaris B. Claræ* 682 e, 684 c. *Item imitatio* 683. *Unde et passionis instrumenta reperta in ipsus corde* 672 e et seqq., 675 f
Partu laborantes *adjutæ a S. Hyacintho frequentissime* 326 a, 446 et seqq. *A S. Amatore* 473 a
Pauperes *cum summa animi demissione fovet S. Radegundis regina* 68 f. *Ut subveniat egenis, vestes sacras et altaria divendi jubet S. Laurentius* 305 d
Paupertas religiosa *a desiderio rerum caducarum expedita* 497 e
Peccato non expiato, *energumena non liberatur* 174 e
Peccatum veniale *in S. Radegunda aliisque temporali morte punitum* 94 d; *flammis piacularibus expiatum* 232 f
Peccatum simoniace ordinantis *ordinato innocenti non nocet* 215 a b
Peccatorum perseverantium *pœna* 498 e; *resipiscentium salus* ibid. c f, 500 e et seqq.
Peccata malorum causæ 500 b c, 503 d
Peccatoribus benignus *S. Elias* 497 c
Periculis erepti *per intercessionem S. Radegundis* 73 d. *S. Arnulfi* 256 b c. *S. Hyacinthi* 339 a, 365 et seqq. *S. Joannis* 513 d. *S. Helenæ* 611 f, 613 b c. *SS. Martyrum Hydruntinorum* 189 f. *S. Ludovici* 796 et seqq 800 f
Persecutor Sanctorum *punitus* 130 d, 131 c
Persecutionibus Sancti objiciunter *justis de causis* 495 c
Pervicacia *funesta* 504 c. *Non tolerata a S. Elia* 504 et seqq.
Phthisis curata *patrocinio S. Helenæ* 629 c. *S. Amatoris* 472 a
Pietas in matrem *maxime commendata in Constantino M.* 557 b, 571 c e
Pluvia opportune impetrata *ope S. Æmilii* 429 f, 503 c
Podagræ vel chiragræ dolores mitigati *per invocationem S. Hyacinthi* 352 c d e. *S. Eliæ* 498 c. *S. Helenæ* 636 c. *S. Ludovici Tolosani* 793 et seqq.
Pœnitentiæ operibus *vacat S. Radegundis regina* 69 a, 72 f
Pœnitentiæ fructus 256 f
Pollutus *nocturno somnio lipsana S. Helenæ movere non potest* 612 e
Pompæ fuga *miraculo illustrata in S. Arnulfo* 234 f, 235 a
Promissionis violatæ pœna 256 e f, 363 a, 473 c
Prophetia *S. Juniani* 42 f, 43 f. *S. Wigberti* 135 c. *S. Ludolfi* 141 a. *B. Joannicii* 173 b. *S. Arnulfi* 222 f, 235 f, 237 c e f, 238 a, 239 et seqq., 245 f, 246 c, 253 a b. *S. Laurentii* 307 b, 308 c. *S. Eliæ* 490 b c, 494 c f, 495 f, 497 e f, 498 a b c e f, 499 a, 500 b, 505 b et seqq., 506 d f. *B. Claræ* 681 b et seqq., 684 b. *S. Rainaldi* 695 b
Psalmorum *recitatio Sanctis familiaris* 171 c, 173 c; *fructuosa* 206 a
Pueri constantia *in fide* 456 a
Pueritia piissima *B. Claræ* 676 c. *S Ludovici* 807 e
Puerperæ *pro obtinendo lacte invocant S. Mammetem* 429 f

Q

Quadragesimale tempus *summa cum austeritate observatum a S. Radegunde regina seculo sexto* 56 c

R

Reges in pacem *S. Radegundis summo cum studio prosequitur* 78 c
Regis *Clotharii summa in S. Junianum reverentia* 41 a
Regis *Roberti pietas singularis* 11 b
Religionem *præcipuam omnis principatus partem æstimabat S. Zuentiboldus* 138 e
Reliquiæ cœlitus *honoratæ* 60 b; *servatæ* 256 d
Reliquiæ Deiparæ, *cum loco moveri non possent, occasionem præbuere Ludovico Caroli M filio extruendi in ejus honorem templi* 212 b c
Reliquiæ elevatæ 18 b, 181 c, 223 b, 257 c et seqq., 326 et seqq., 733 e
Reliquiarum cultus antiquus 5 e, 59 d, 60 b c, 79 f
Reliquiarum vis 5 e, 73 f, 80 c d, 83 c, 138 b, 165 e, 171 f, 174 c d e f, 178 b c, 255 d et seqq., 256 a, 308 c d e, 729 c d
Reliquiarum irreverens *morte punitus* 140 d et seqq.
Reliquiæ S. Juniani *delatæ ad locum Concilii, comitantibus et subsequentibus miraculis* 37 c
Reliquiæ SS. Martyrum *Lugdunensium, ipsis hortantibus, collectæ, et sub altari collocatæ* 732 a
Reliquiæ S. Radegundis *cum exuviis S. Hilarii anno 1562 a Calvinistis exustæ, postquam corpus per secula plura jacuerat incorruptum* 65 c
Restitutionis necessitas 639
Restitutio procurata *patrocinio S. Jeronis* 475 f. *S. Mariani* 735 a
Romanis *in fide assentiendum* 128 d

S

Sacerdotum suffragio sancita dogmata *sunt servanda* 99 b
Sacerdotum reverens *Julianus ante apostasiam* 430 e
Sacrificii *hora tremenda* 124 b · *necessarium celebrando Sacrificio vinum S. Wigbertus mirabiliter reperit* 135 c, *Sacrificio externo internum conjunctum a S. Juniano* 40 d
Sacrificantis *caput columba candida circumdat* 492 d
Sanctorum cultus, et invocatio cum antiqua tum efficax

efficax 5 c, 23 d, 46 d, 53 c, 73 a, 78 e f, 81 b, 266 f, 527 c, 729 c
Sancti divinitus illustrati 82 f, 411 e, 130 f, 250 f, 321 b e, 801 d
Sanctis injuriosi puniti 16 d, 44 e, 78 f, 140 e, 495 c, 249 b, 620 b, 735 a
Sanctis non nocet *ignis* 456 f
Sanguis *e brachio S. Mamantis prodigiose manat* 443 d. *Sanguis B. Claræ aliquando ebullit* 672 e, 674 a
Scandalum publicum *contrario exemplo tollendum* 283 a
Segetes reparatæ *precibus S. Hyacinthi* 317 c
Sepulchra Sanctorum *antiquitus honorata* 22 e, 23 d, 430 e
Sepulchra Sanctorum *cœlitus illustrata* 82 f, 321 b c, 348 f, 778 e
Sepulturæ ecclesiasticæ *mos antiquus* 89 d et seqq.
Servilis labor *in die festo punitus* 459 f
Silentium in rebus fidei *damnatum* 124 c
Silentium religiosium *triennio integro servat S. Arnulfus* 233 b : *ejusdem violati pœnas gravissimas B. Clara a se ipsa exigit* 677 c
Solitudo *quadragesimali præsertim tempore frequentata a S. Radegunde* 56 e
Surdis auditus redditus *per intercessionem S. Wigberti* 137 e. *S. Laurentii* 308 d. *S. Hyacinthi* 325 f, 346 et seqq. *S. Helenæ* 619 c, 620 a, 627 f. *S. Ludovici Tolosani* 793 et seqq.

T

Temperantiæ *præmium* 499 a
Templa ornatissima *ædificata a S. Helena* 566 d, 567 c
Templa restaurata vel dotata *a S. Zuentiboldo rege* 138 e, 139 d
Templi nitor *divinitus procuratus* 136 f
Templi structura, *a Juliano apostata erigenda, mirabiliter impedita* 430 e
Templum in SS. Deiparæ honorem *ædificatum, loco cœlitus monstrato* 213 b. *Aliud erectum comitantibus miraculis* 306 d e f et seqq.
Templum erectum *in honorem S. Martini, hortante post suum obitum S. Radegunde* 74 c
Templum erectum *a principibus in honorem S. Mamantis* 430 et seqq.
Templum idololatricum *divinitus combustum* 156 d
Temporalium rerum *inanitas* 681 b
Translatio *S. Hippolyti* 8 e. *S. Cassiani martyris* 17 d. *S. Cassiani episcopi et martyris* 24 d. *S. Juniani* 35 f. *S. Radigundæ* 95 e. *S. Wigberti* 136 a, 137 a. *SS. Ludolfi et Druthmari* 139 e. *SS. martyrum Hydruntinorum* 180 f et seqq.; 187 f et seqq., 193 f et seqq. *Reliquiarum SS. Anastasii et Innocentii* 213 a. *S. Arnulfi* 224 b. *S. Nostriani* 295 d. *S. Frambaldi* 301 f. *S. Stanislai* 318 c. *S. Hyacinthi* 320 et seqq., 384 c. *Reliquiarum S. Mamantis* 432 f, 441 d et seqq., 444 et seqq. *S. Jeronis* 475 e, 478 a. *S. Eliæ Junioris* 487 c, 507 b c. *S. Joannis* 513 b. *B. Nicolai* 513 f, 516 c. *Reliquiarum S. Agapiti* 530 c et seqq. *S. Projectitii* 543 et seqq. *S. Helenæ* 599 et seqq. *S. Ludovici* 798 c
Tribulationum fructus 499 f *Sancti per eas erudiuntur* 204 a b c
Trinitatis SS. mysterium *mirabili modo adumbratum* 685 f

V

Ubera sanata *patrocinio S. Laurentii* 307 f
Veneficia sublata *ope S. Helenæ* 623 a, 625 et seqq.
Verbum ineptum *severe punitum a S. Arnulfo* 243 d e f
Victoria promissa *sub conditione vitandæ luxuriæ et ebrietatis* 498 f
Vindicta punita 238 c, 259 a
Vindictæ omissio *cœlo grata* ibid.
Vini usum *S. Radegundi suadet S. Fortunatus valetudinis afflictæ causa* 56 c
Virgines *se ipsas mutilant studio servandæ integritatis* 443 e
Virgo Deo dicata *S. Radegundis consilio repudiat regales nuptias* 55 f
Virtus Manichæorum *fucata et seductoria* 203 e
Virtus vera *pro locorum varietate non mutatur* 495 a
Virtutes *S. Juniani* 40 e, 41 e. *S. Radegundis* 72 e. 76 a, 77 d et seqq., 84 b et seqq., 88 d et seqq. *S. Maximi* 119 c. *S. Athanasiæ* 172 f, 173 a b c. *S. Arduini* 215 f, 217 et seqq. *S. Arnulfi* 222 a b, 231. *S. Simpliciani* 282 e, 285 d e. *S. Laurentii* 304 et seqq. *S. Hyacinthi* 340 c. *S. Mamantis* 429 e. *S. Jeronis* 475 d. *Stephani Papæ* 483 f. *S. Eliæ Junioris* 491 c, 497 e et seqq. *B. Nicolai* 514 et seqq. *S. Helenæ* 560 e, 568 c, 571 b. 675 c. *B. Rainaldi* 692 f et seqq. *S. Ludovici* 777 et seqq.
Visio divinitus oblata *S. Radegundi* 76 b, 81 f, 92 c, *S. Maximo* 130 f. *S. Diomedi* 272 d
Voluptatis venereæ *contemptus in S. Alypio* 204 f
Voti impletio *imperatur a mortua* 639 f
Voto edito *sanatur S. Ludovicus* 807 f
Vulnera curata *a S. Hyacintho* 347 f

FINIS

